DE HOMINVM STATIBVS, ET OFFICIIS INSPECTIONES MORALES

Ad vltimas septem Quæstiones Secundæ Secundæ Diui Thomæ

FR. PETRI MARIAE PASSERINI DE SEXTVLA
Magistri, ac Procuratoris Generalis Ordinis Prædicatorum, & in Romana Sapientia S. Theol. Professoris matutini

TOMVS SECVNDVS,

In quo de ijs, quæ Religiosis sunt vel concessa, vel prohibita; de facultate, quam Religiosi habent audiendi Confessiones, commutandi vota, ministrandi Sanctissimam Eucharistiam, prædicandi, & docendi; de omni genere negotiorum secularium eis vetito; de libera sepultura in eorum Ecclesijs; de quarta funeralium; de stipendio missarum, & de facultate quærendi eleemosynas, accuratissimè ad extricandos dubiorum nodos differitur.



ROMÆ Typis Nicolai Angeli Tinassij. M. DC. LXIII.
Sumptib. Io: Casonij sub signo S. Pauli. *Superiorum permissu.*

Donum Authoris..

Imprimatur,

Si videbitur à Reuerendiss. P. Magistro Sac. Palatij Apostolici.

O. Archiep. Patracen. Vicesgerens.

Imprimatur.

Fr. Raimundus Capisuccus Sacri Palatij Apostolici Mag. Ord. Præd.



INDEX ARTICVLORVM, QVAESTIVNCVLARVM, ET OBSERVATIONVM;

Quæ in hoc Volumine continentur.

INSPEC. II. CAP. II.

A quibus casibus, & censuris possint Confessarij Regulares absoluere.

Obseruationes.

De facultate permutandi & dispensandi in votis secularium,

INSPECT. TERTIA.

Quæstiunculæ.

Papæ

De facultate dispensandi super impedimento non petendi debitum coniugale,

INSPECTIO PRIMA,

De facultate dispensandi in irregularitate.

INSPECTIO SECVNDA.

De Confessarijs Monialium.

INSPECTIO TERTIA.

Quæstiunculæ.

De facultate ministrandi Eucharistiam secularibus.

INSPECTIO IV.

Quæstiuncula.



De facultate ministrandi Sacramentum extremæ vnctionis,

INSPECTIO V.

Quæstiuncula.

De facultate prædicandi.

INSPECTIO SEXTA.

Quæstiuncula.

Obseruationes.

De facultate docendi.

INSPECTIO VII.

Obseruationes.

ASTI-

De Quarta, & Expensis Funeralium.

INSPECTIO V.

CAP.

Quæstiuncula.

De Dignitate Sacrificij Missæ,

INSPECTIO VI.

Et

CAP. I.

Quæstiuncula.

De Fructu Missæ.

INSPECTIONIS VI.

CAP. II.

Quæstiuncula.

6. In

A quo tanquam à propria causa fructus missæ sit finitus in actu.

INSPECT. SEXTAE

CAP. III.

Quæstiuncula.

Quod valor missæ sit infinitus.

INSPEC. VI.

CAP. IV.

Quæstiuncula.

De obligatione Sacerdotis celebrantis pro stipendio,

INSPECT. VI.

CAP. V.

Quæstiuncula.

De stipendio Missæ.

INSPECT. VI.

CAP. VI.

Quæstiuncula.

Qui possint celebrare Missas pro stipendio.

INSPEC. VI. CAP. VII.

Quæstiuncula.

De immutabilitate stipendij seruanda.

INSPEC. VI. CAP. VIII.

De reductione Missarum.

INSPECTIONIS VI. CAP. IX.

Quæstiunculæ.

De obligatione celebrandi quotidie.

INSPEC. VI. CAP. X.

Quæstiuncula.

supple-

De non differenda Missarum celebratione.

INSPECT. VI.

CAP. XI.

Quæstiunculæ.

De obligatione locali.

INSPECT. VI.

CAP. XII.

Quæstiunculæ.

De obligatione ad qualitatem missæ.

INSPECT. SEXTAE

CAP. XIII.

Quæstiunculæ.

De obseruandis in susceptione onerum missarum.

INSPECT. VI.

CAP. XIV.

Quæstiunculæ.

6. Qua-

De restitutione facienda ex non adimplemento onerum missarum.

INSPEC. VI.

CAP. XV.

Quaestiuncula.

ARTICVLVS V.

Vtrum Religiosis liceat mendicare.

Quaestiuncula.

ARTICVLVS VI.

Vtrum liceat Religiosis vilioribus vestibus vti, quam caeteri.



QVAESTIO



QVAESTIO CLXXXVII.

De his quæ pertinent ad Religiosos, in sex Articulos diuisa.



EINDE *considerandum est de his quæ competunt Religiosis Et circa hoc quæruntur sex.*

Primo, vtrum liceat eis docere, prædicare, & alia huiusmodi facere?

Secundo, vtrum liceat eis de negotijs secularibus se intromittere?

Tertio, vtrum teneantur manibus operari?

Quarto, vtrum liceat eis de eleemosynis viuere?

Quinto, vtrum liceat eis mendicare?

Sexto, vtrum liceat eis vestimenta cæteris viliora deferre?

SVMMARIVM.

1 *Ordo quæst. huius ad antecedentes. num.1.*

2 *Gulielmi de S. Amore persecutio, dedit huic quæstioni causam. num.1.*

1 POSTQVAM *D. Thom. in quæs.186.* latè tractauit de perfectione Religiosi status, & de votorum præstantia & necessitate, & de obligatione, quam Religiosi assumunt in professione viuendi secundùm regulã, ordine congruo in hac quæs.187. tractat de illis actionibus, quæ competere possunt Religiosis secundùm statum regularem. Huius verò quæstionis necessitas inde ortum habuit, quòd cum Deo mundum protegente Sancti Dominicus & Franciscus Ordines Prædicatorum & Minorum instituissent, horumque Ordinum Religiosi relictis omnibus in sancta paupertate Deo famularentur, & fidelium profectioni sedulò incumberent, Deo gloriam, animabus salutem acquirentes exemplo, laboribus, exhortationibus, & doctrina; tempore S. Ludouici Regis Galliæ aliqui Magistri Parisienses insurrexerunt, & præcipuè Guilielmus de S. Amore, dictorum Ordinum statum verbis & scriptis impugnare conatus est. Inter alia verò Guilielmus librum edidit, de quo mentionem facit Alex.IV. in sua constit.8. *Romanus Pontifex*, data Anagniæ 3.Nonas Octobris, Pontificatus anno secundo in quo inter alia asserebat, quòd fratres Prædicatores, & Minores viuendo ex eleemosynis, & verbum Dei prædicando non essent in statu salutis. Vnde D. Thomas motus fuit vt ederet opusculum suum 19. *Contra impugnantes Dei cultum, & Religionem*. Fuit verò libellus ille Guilielmi de S. Amore, qui inscribebatur, *Tractatus breuis de periculis nouissimorum temporum*, ab Alex.IV. damnatus, & vt ex *Ptolomæi Lucensis Histor.Eccles.l.22. cap.13.* testatur *Odoricus Raynaldus ad annum* 1256. *num.*20. in publico consistorio combustus. De qua re videri possunt *Martinus Polonus, & Guido Bernardus in vita Alex.*IV. *& Cantipatren.l.2.cap.*10. Et præcipuè inspici possunt eiusdem Alex.IV. Epistolæ 152. & 197. de quibus mentionem facit idem *Raynaldus ad annum* 1259. *num.*27. *& seqq.* Cum ergo valde controuersum fuerit, an Religiosis competere docere, prædicare, sacramenta ministrare ex eleemosynis viuere, & similia agere, de his introducitur hæc quæstio 187. in sex articulos diuisa & disposita.

ARTICVLVS I.

Vtrum Religiosis liceat docere, prædicare, & alia huiusmodi facere?

Op. 18 cap. vlti. & op. 19. c. 1. & 4. Hoc nequaquam a me. illius † Hieron. contra Vigilantium, non procul à fin. incipit, Multa in orb. refertur 16. q. 1. c. monachus. ca. Adiicimus. † cap. Placuit omnibus, in fin.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod religiosis non liceat docere, prædicare, & alia huiusmodi facere. Dicitur enim 7. quæst. 1. in quodam statuto Constantinopolitanæ synodi, Vita monachorum subiectionis habet verbum & discipulatus, non docendi, vel præsidendi, vel pascendi alios. Hieronymus etiam dicit ad Riparium, & Desiderium, Monachus non docentis, sed plangentis habet officium. Leo etiam Papa dicit, vt habetur 16. quæst. 1. Præter Domini sacerdotes nullus audeat prædicare, siue monachus, siue laicus ille sit, qui cuiuscumque scientiæ nomine glorïatur. Sed nō licet transgredi proprium officium, & statutum Ecclesiæ. Ergo videtur, quod non liceat religiosis docere, prædicare, & alia huiusmodi facere.

2. *Præterea. In statuto Nicenæ synodi, quod ponitur 16. quæst. 1. sic dicitur, Firmiter & indissolubiliter omnibus præcipimus, vt aliquis monachus pœnitentiam nemini tribuat, nisi sibi inuicem, vt iustum est. Mortuum non sepeliat, nisi monachum secum in monasterio commorantem, vel si fortuito quemquam aduenientium fratrū ibi mori contigerit. Sed sicut ista pertinent ad officium clericorum, ita etiam prædicare, & docere. Ergo cum alia sit causa monachi, & alia clerici, vt Hieronym. dicit ad Heliodorum, videtur quod non licet religiosis prædicare, docere, & alia huiusmodi facere.*

de laude vitæ solitariæ, à me. illius. to. 1. † li. 4. in princip. & habetur 16. q. 1. c. Nemo potest. c ex auctoritate huius

3. *Præterea, Gregor. † dicit in registro, Nemo potest & Ecclesiasticis obsequijs deseruire, & in monastica regula ordinate persistere: & hoc habetur 16. quæst. 1. Sed monachi tenentur in monastica regula ordinate persistere. Ergo videtur, quod non possint ecclesiasticis obsequijs deseruire. Docere autem & prædicare, pertinent ad ecclesiastica obsequia. Ergo videtur, quod non liceat eis prædicare, aut docere, aut aliquid huiusmodi facere.*

Sed contra est, quod Gregor. dicit, & habetur 16. quæst. 1. Ex auctoritate huiusmodi decreti (quod Apostolico moderamine & pietatis officio à nobis est constitutum) sacerdotibus monachis Apostolorum figuram tenentibus liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata soluere.

Respondeo dicendum, quod aliquid dicitur alicui non licere dupliciter. Vno modo, quia habet in se quod contrariatur ei quod dicitur non licere: sicut nulli homini licet peccare, quia habet in se quilibet homo rationem, & obligationem ad legem Dei, quibus contrariatur peccatum. Et hoc modo dicitur alicui non licere prædicare, vel docere, vel aliquid huiusmodi facere: quia habet in se aliquid quod his repugnat. Vel ratione præcepti: sicut his qui sunt irregulares ex statuto Ecclesiæ, non licet ascendere ad sacros ordines. Vel propter peccatum, secundum illud Psalm. 49. Peccatori autem dixit Deus. Quare tu enarras iustitias meas? Hoc autem modo non est illicitum religiosis prædicare, docere, & alia huiusmodi facere: tum quia ex voto, & præcepto regulæ non obligantur ad hoc, quod ab his abstineant: tum etiam quia non redduntur ad hoc minus idonei ex aliquo peccato commisso, sed magis idonei ex exercitio sanctitatis, quod assumpserunt. Stultum autem est dicere, vt per hoc, quod aliquis in sanctitate promouetur, efficiatur minus idoneus ad spiritualia officia exercenda. Et ideo stulta est quorumdam opinio dicentium, quod ipse status religionis impedimentum affert talia exequendi. Quorum errorem Bonifacius Papa rationibus supradictis excludit dicens, vt habetur 16. quæst. 1. Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissimo quidem zelo magis amaritudinis, quam dilectionis inflammati, asserentes monachos, qui mundo mortui sunt, & Deo viuunt, sacerdotalis officij potentia indignos. Sed omnino labuntur. Quod ostendit: primo quidem, quia non contrariatur regulæ. Subdit enim, Neque enim Beatus Benedictus monachorum præceptor almificus, huiuscemodi rei aliquo modo fuit interdictor. Et similiter

16. q. 1. cap. Sunt nonnulli.

10 c parum à pr.

ter, nec in aliis regulis hoc prohibetur. Secundo improbat prædictum errorem ex idoneitate monachorum, cum in fine capituli subdit, Quanto quisque est excellentior, tanto & in illis, scilicet spiritualibus operibus potentior.

16.q.1.c.sic uiuelli docilinando ad fi.

Alio modo dicitur aliquid non licere alicui, non propter contrarium quod habeat, sed propter hoc, quod deficit ei, unde illud possit: sicut diacono non licet missam celebrare, quia non habet ordinem sacerdotalem: & presbytero non licet sententiam ferre, quia non habet episcopalem auctoritatem. In quibus tamen est distinguendum: quia ea quæ sunt ordinis, committi non possunt nisi ei, qui ordinem habet: sicut diacono non potest committi, ut celebret missam, nisi fiat sacerdos. Ea vero quæ sunt iurisdictionis, committi possunt eis, qui non habent ordinariam iurisdictionem, sicut prolatio sententiæ committitur ab Episcopo simplici sacerdoti. Et hoc modo dicitur non licere monachis, & aliis religiosis prædicare, docere, & alia huiusmodi facere: quia status religionis non dat eis potestatem huiusmodi faciendi. Possunt tamen ista facere, si ordinem accipiant, vel ordinariam iurisdictionem, aut etiam si eis committantur ea quæ sunt iurisdictionis.

Ad primum ergo dicendum, quod ex verbis illis habetur, quod monachi, ex hoc quod sunt monachi, non nanciscuntur potestatem talia faciendi: non autem quod ex hoc quod sunt monachi, habeant aliquid contrarium executioni talium actuum.

Ad secundum dicendum, quod illud etiam statutum Niceni Concilii præcipit, ut monachi non usurpent sibi ex hoc quod sunt monachi, potestatem huiusmodi actus exercendi: non autem prohibet quin ista possint eis committi.

Ad tertium dicendum, quod ista duo se non compatiuntur, scilicet quod aliquis ordinariam curam ecclesiasticorum officiorum habeat, & monasticam regulam in monasterio seruet. Per hoc tamen non excluditur, quin monachi, & alii religiosi possint interdum circa ecclesiastica officia occupari ex commissione Prælatorum, qui ordinariam curam habent, & præcipue illi, quorum religiones ad hoc sunt specialiter instituta: ut infra dicetur.

9111, urb.

SVMMARIVM.

1 *Ordo articuli ad sequentes, n.1.*
2 *Non licere Regularibus docere. qui dixerint. nu. 2.*
3 *Non licere sumitur contrarie, vel priuatiue. nu. 3.*
4 *Prædicare, docere &c. Religiosis non est illicitum contrarie. num. 4.*
5 *Sanctorum confirmatur exemplo. n. 5.*
6 *Prædicare, docere &c. est illicitum Religiosis priuatiue, idest nisi id illis committatur. n. 6.*
7 *Ex vi status Religiosi per se Religiosis præfata non competunt. nu. 7.*
8 *Dicendorum Ordo. nu. 8.*

1 TRactaturus D. Thom. de illis actionibus quæ Religiosis licent, vel non licent, quia istorum duplex est genus, nam quædam vtilitatem proximorum respiciunt, & aliæ commoditatem eorumdem Religiosorum, de prioribus disputationem priùs instituit in primo & secundo articulo huius quæst. & quia actiones huiusmodi sunt vel spirituales & Ecclesiasticæ, vel tẽporales, & seculares, priorem locũ tribuẽs spiritualibus, quęrit in hoc primo articulo, an Religiosis liceat docere, prædicare &c.

2 Etiam verò tempore S. Bonifacij IV. fuerunt aliqui nullo dogmate fulti, qui audacissimo zelo magis amaritudinis, quam dilectionis inflammati asseruerunt, monachos quia mundo mortui sunt & Deo viuunt, esse sacerdotalis officij potestate, indignos. Hos imitati Guilielmus de S. Amore, & aliqui alij Magistri Parisienses existimauerunt, Prædicatorum & Minorum Ordinum, aliorumque Mendicantium fratribus non licere docere in scholis, & prædicare in Ecclesijs. Id verò probare contendebant authoritatibus, & rationibus, quas affert D. Thom. & explicat in hoc artic. & opusc. 19. Sed veram radicem, ex qua isti moti fuere, non fuisse nisi amorem proprium, & inuidiam, ex *Cantipatren.* refert *Odericus Raynaldus* ad annum 1256. nu. 24. per hæc verba. Addit, nonnullis interiectis idem auctor, quibus cælesti obiecto viso eam religiosorum persecutionem duobus ante annis præostensam narrat, vnum ex ijs quatuor doctoribus, Christianum nomine, Bellouacensem in ancipiti mortis discrimine causam, quæ ipsos concitasset, aperuisse: *Amarissimo,* inquit, *corde contritus recognouit nil se & complices suos contradictos ordines habuisse, nisi quod illis æquari in scientia non valerent: & ob hoc eos paruipenderent auditores.* Et addidit: *Quoniam, ait, nihil habeo, quod vobis pro iniuria graui illata refundam, insignum tamen, quod ex corde pæniteo, corpus meum apud vos fratres Prædicatores tradendum sepulturæ relinquo.*

3 Optima autem distinctione quæstionem expileat D. Thom. nam hoc quod est aliquid non licere, potest accipi vel contrariè, vel priuatiuè: Primo modo non licet id, ad quod aliquis habet impedimentum aliquod contrarium. Hoc verò in præsenti, quia loquimur de morali impotentia, & inconuenientia, non potest esse nisi alicuius legis prohibitio, siue hæc sit legis naturalis, & diuinæ ortæ ex vi alicuius peccati indignitate, quoniam munus docendi & prædicandi res fidei, & quæ ad mores Christianos spectant non decet nisi innocentes, & mundos à peccato, iuxta illud Ps. 49.

Peccatori autem dixit Deus: *Quare tu enarras iustitias meas*? Siue legis positiuæ, vt si quis per superioris præceptum sit prohibitus docere, aut prædicare, sicut irregularis est prohibitus ascendere ad sacros ordines. Sed secundo modo aliquid dicitur illicitum priuatiuè, quia sibi deficit aliquid necessarium, vt laico est illicitum ministrare in sacris ordinibus, celebrare, sacramenta conficere, quia non est ordinatus, & sacerdoti non licet excommunicare quia non habet officium Episcopale. Cum verò ea quæ sunt potestatis spiritualis distinguantur, quia alia sunt ordinis, alia sunt iurisdictionis; priora nulli possunt committi nisi ordinato, & sic nisi data ordinaria potestate, munus enim celebrandi missam nulli potest delegari, sed solùm ordinato in sacerdotem potest committi. Sed quæ sunt iurisdictionis delegari possunt, sicut sacerdoti simplici potest delegari facultas excommunicãdi.

4 Hac stante distinctione prima textus conclusio est, quòd docere, prædicare, sacramenta administrare &c. Religiosis non est illicitum contrariè, immò maximè hoc illis competit. Quoniam cum status Religiosus sit status perfectionis, & sanctitatis, inde est quòd Religiosi tanquam magis idonei ob exercitium sanctitatis, quod assumpserunt sunt aptiores ad diuina docenda, prædicanda, & administranda. Alias verò ex lege Ecclesiastica, vel ex regula eorum non prohibeutur huiusmodi agere; non habent igitur in se contrarium aliquod impedimentum ad huiusmodi functiones spirituales, igitur non sunt eis illicitæ contrariè sed bene illis conueniunt, vt sacri canones disponunt, vt constat ex *cap. ex authoritate & cap. sunt nonnulli 16. q. 1.* quæ refert D. Thom. in textu, & vlteriùs ex *cap. si monachus*, quod est S. Innocentij Papæ, & *cap. moderamine* quod est S. Gregorij, & *c. Doctos*, quod est S. Ambrosij, & pluribus alijs capitibus sequent.

5 Et hoc quidem, vt aduertit *Turrecrem. ad d. causam 16. q. 1. a. 1. c. ex S. Thoma opusc. 19. c. 2.* Sanctorum confirmatur exemplo: Nam S. Greg. Nazianz. cum esset monachus Constantinopolim adductus est, vt doceret sacram scripturam, vt historia Ecclesiastica narrat. S. quoque Io: Damascenus, cum esset monachus nedum sacram scripturam sed liberales artes docuit, vt habetur in libro de miraculis B. Virginis. S. Hieronymus in prologo Bibliorum promittit se docturum Paulinum sacram scripturam. De sancto etiam Augustino dicitur, quòd postquàm monasterium instituit, cœpit viuere secundùm regulam à sanctis Apostolis institutam, & scribat libros, & docebat inductos. Sed & Gregorius, Basilius, Chrysostomus, & alij sancti monachi fuerunt insignissimi sanctæ Ecclesiæ Doctores. Post quos postea, ex quo ordines mendicantium fuerunt instituti, innumeri fuerunt qui Ecclesiam sanctam illuminarunt gloriosis meritis & doctrinis. Indubitatũ igitur est, quòd docere prædicare &c. non est Religiosis cõtrariè illicitum.

6 Dicitur tamen, quod hoc est illis illicitum priuatiuè, cum hoc discrimine, quòd ea, quæ sunt ordinis illis nec conueniunt, nec possunt committi, nisi ordinentur. Sed quæ sunt iurisdictionis possunt illis committi nedum si detur illis ordinaria potestas, vt si fiant Episcopi, vel Parochi, sed etiam per delegationem, ita quòd manentes intra ordinem inseruiant Episcopis in docendo, & prædicando, & sacramenta administrando. Quòd igitur Religiosis huiusmodi functiones sint illicitæ priuatiuè, quia nec illis competunt ex vi status religiosi, nec illas arbitratu suo possunt assumere, habetur *cap. Nemo, & cap. Placuit*, & pluribus alijs 16. q. 1. Sed quòd easdem functiones possint exercere ex commissione vt coadiutores Episcoporum, est certissimum ex *Syricio Papa epis. 1. cap. 13. & Concil. Agathen. cap. 27. Chalcedon. act. 15. cap. 3. & 4. & cap. moderamine*, & alijs pluribus 16. q. 1. & probat diffusè *D. Thom. opusc. 19. cap. 2. 3. & 4.*

7 Quæ verò in contrarium adducuntur, breuiter D. Thom. explicat in responsionibus ad argumenta; duo enim vera continent, scilicet quod docere & prædicare non conuenit Religiosis per se ex vi status Religiosi absolute, quia nimirum licet ex vi status Religiosi sint horum functionum capaces, tamen ex vi eiusdem status non habent potestatem ad illas. Secundum ex consequenti quod non licet Religiosis vsurpare sibi hanc potestatem sed illam debent recipere ab ijs quibus tales functiones sunt propriæ, & ex officio competunt, ex quorum commissione possunt tales functiones habere, & præcipue illi Religiosi quorum Religiones ad hoc specialiter institutæ sunt.

8 Hæc sunt quæ habentur à D. Thom. in textu: Circa quæ tamen quamplurima consideranda relinquuntur, quæ ex priuilegijs Pontificum circa huiusmodi concessa fuerunt, vel etiam reuocata, & pluries mutata. Vnde vt congruo ordine procedamus, quia S. Thomas in textu optimè distinguit inter ea, quæ sunt ordinis, & quæ sunt iurisdictionis, ordinis verò sunt administrationes sacramentorum, iurisdictionis verò sunt docere, prædicare, indicare, & huiusmodi, ideo priùs inspiciendum erit, quid liceat Religiosis circa administrationes sacramentorum, & postea qualiter possint docere, prædicare &c.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi non possunt solemniter baptizare. nu. 9.*
2 *Vbi in S. Canonibus ius vniuersale explicatur sub nomine Monachi veniunt Religiosi omnes. n. 10.*
3 *Missionarij quid possint. num. 11.*
4 *Missionariorum priuilegia non se extendunt ad loca vbi sunt Episcopi. nu. 12.*
5 *Et ibidem nec infideles possunt baptizare. nu. 13.*
6 *Contra Religiosos si baptizant non est imposita pœna. num. 14.*
7 *Ratio quæstionum proponendarum. nu. 15.*

De administratione Baptismi.

INSPECTIO PRIMA.

9 Hoc certum est Religiosos de iure communi non posse solemniter baptizare, hoc enim prohibitum est illis per Eugenium Papam *in cap. Placuit el 2. 16. quæst. 1.* Quãmuis etiam si hoc non esset illis expresè prohibitum, non per hoc eis id liceret. Quoniam vt habemus ex D. Thom. in hoc articulo, ex vi status Religiosi non habent Religiosi potestatem sacramenta administrandi, vt probatur indubitatè ex decreto quintæ synodi Constant. *cap. Hoc nequaquam 7. q. 1. & cap. Placuit*, quod Gratianus refert 16. q. 1. tanquam Con-

Concilij Niceni (quàmuis adnotetur in Decreto Gratiani correcto, quòd d. caput non inuenitur in actis primæ aut secundæ synodi Nicænæ, licet aliquid simile habeatur in canonibus Nicænis ex Arabico traductis, can.76.) *& in eadem causa, & quæst.* ex *cap. Monachus*, quod est Hier. ad Riparium aduersùs Vigilantium, & ex *cap. Adijcimus* quod est S. Leonis epist. ad Theodoretum Episcopum Cypri epist.61. aliàs 63. Cum ergo hoc munus non conueniat Religioso ex vi status, sed solùm ex concessione superioris, idem est in proposito non esse concessum, & esse denegatum.

10 Vnde est, quòd nihil interest dicere, quòd in citatis canonibus sit sermo de Monachis, etiãsi sub nomine verò monachi non veniunt mendicantes, & alij Religiosi. Nam vbi Canones non condunt ius nouum, sed vniuersale ius explicant, vel denunciant, aut declarant, nomen *Monachus* vniuersaliter sumitur vt omnes Religiosos comprehendat in ijs, quæ omnibus Religiosis vniuersaliter competunt. Ex iure verò diuino cum ea, quæ concernunt potestatem ordinis, & iurisdictionis nulli Religioso conueniant ex vi status Religiosi, potestas huiusmodi, si conueniat, ex eo conuenit, quòd à superioribus talis facultas conceditur, vel Religiosos ordinando, vel eis aut ordinariam, aut delegatam iurisdictionem concedendo. Cum ergo de iure communi Religiosis vt Religiosis potestas administrandi sacramenta non conueniat, nec conuenit facultas baptizandi ex officio, & solemniter. Et ideo de iure communi solùm in casu necessitatis, & priuatim sicut alij etiam laici possunt Religiosi baptizare. *Suarez tom.4. de Relig. tract.10. lib.9. cap.4. nu.3. & 4.*

11 Missionarijs vero qualiter conueniat recipere infideles ad fidem, eosque baptizare vel ex priuilegijs illis concessis vel ex facultate Sacr. Congregat. de propaganda fide, dicam Deo dante de illis in specie tractando.

12 Pro nũc aduerto quòd huiusmodi priuilegia non se extendunt ad loca & territoria, quæ habeat Episcopos, & Parochos; ideoque & proprios Pastores, qualitercũque huiusmodi pastores nuncupentur. Quod nedum deducitur ex fine priuilegiorum, qui est, vt non desint, qui fidei cultum promoueant, vbi vel non sunt assignatæ Diœceses & institutæ Parochiæ, vel non sunt aut resident Episcopi, aut Parochi, sed quia priuilegia data sunt pro euntibus ad partes infidelium, in quibus regulariter non resident Episcopi, vel Parochi: Et quia litium, & iurgiorum occasio & impedimentum dilatationis fidei præstitum fuisset, si Parochialia officia, aut munera Episcopalis officij concessissent Pontifices Religiosis obeunda, vbi essent Episcopi, & Parochi, & cum huiusmodi priuilegia multa in dictis bullis concessa sint in graue præiudicium Episcoporum, & Parochorum, si eis liceret vti vbi Episcopi, aut Parochi resident; non est credibile Pontifices hoc voluisse concedere. *Suarez vbi supra*. In Bulla etiam Pij Quinti pro Indijs Occidentalibus, quam habes apud *Balbastren. p.1. q.21. & Vericell. de Apostol. Mission. tit.6.* expressè adest limitatio, nam priuilegia limitatè concedit ad territorium, quod Religiosis fuerit assignatum, ibi, *vt in locis ipsarum partium eis de simili licentia assignatis, & assignandis officium Parochi &c.* In territorijs igitur vbi Episcopi, vel Parochi resident, Religiosi nec virtute priuilegiorum possunt ex officio solemniter baptizare, aut officium Parochi exercere.

13 Sed quid dicendum, si in territorio alicuius Episcopi, aut Parochi sint infideles Pagani, Turcæ, aut Saraceni, siue Hebræi, qui certè non sunt subditi iurisdictioni Episcopi, aut Parochi, cum sint simpliciter extra Ecclesiã; Numquid missionarius virtute priuilegiorum poterit eos ad fidem recipere, & ipsos, aut eorum filios solemniter baptizare Suarez vbi supra nu.7. existimat valde probabile, quòd in hoc casu Religiosi Missionarij virtute priuilegiorum possint præfatos infideles baptizare, quàmuis num.8. dicat securius esse in hoc parere Episcopis. Sed omnino dicendũ est intra est Diœceses vbi sunt Episcopi Religiosos nec circa infideles posse Parochiales functiones habere ex vi priuilegiorum, & ideo nec posse eosdem infideles baptizare. Quia Ecclesia concedens & assignans Episcopis, aut Parochis territorium, illis committit curam omnium etiam infidelium in eodem territorio existentium, & præcipuè imponit illis onus reducendi deuios à fide ad fidem, dans illis in hoc iurisdictionem opportunam; illi ergo infideles, qui vel sunt habitantes in eo territorio, vel in eo existunt, sunt sub cura & iurisdictione Episcopi, aut respectiuè Parochi; igitur non possunt Religiosi mittere manum in messem Episcopi, vel Parochi officium assumentes baptizandi infideles. Et cum *Rodriq. p.1. q.31. a.3.* videatur velle, quòd Religiosi in partibus Indiarum possint in proprijs Ecclesijs baptizare; tamen postea concludit, quòd Religiosi solùm in partibus sibi designatis, vel designandis iuxta Constit. Pij Quinti possint baptizare. Et hoc absolutè verum est.

15 Supposito igitur, quòd missionarij in partibus vbi non sunt Episcopi, & Parochi saltem per facultatem Sacr. Congregationis possint etiam solemniter baptizare, nonnullæ difficultates examinandæ sunt. Et quidem considerando, quæ ex parte suscipientis Baptismum requiruntur.

SVMMARIVM.

1 *Ad baptismum requiritur voluntas baptizati, n.16.*

16 DVbitatur primò, quæ voluntas baptizandi requiratur ad valorem Baptismi? Requiri enim in adulto propriũ cõsensũ est prorsus certum. Vnde est, quòd cum *Glossa in cap. solet, de consecr. d.4. & Glossa in cap. maiores*, de Baptismo hoc negasset, & fuissent propterea dictæ Glossæ censuratæ à Mag. Sacri Palatij, Gregor. XIII. iussit dictas Glossas deleri, vt refert *Leander à SS. Sacramento tract.2. de Baptis. disp.5. q.19.* Quamuis verò *Caiet. 3. p. q.68. a.7.* putauerit, sufficere ad Baptismum, quòd ille, qui illum suscipit sit neuter, ita vt nec dissentiat, nec consentiat, nihilominùs cum communi sententia tanquam certum supponendum est, ad valorem Baptismi, vt imprimatur character necessariam esse in suscipiente voluntatem positiuam suscipiendi Baptismum, vt habetur ex *S. Aug. lib.4. de Baptismo cap.24. & ex Innoc. III. cap. maiores*, *de Baptismo*, & docuerunt *D. Thom. 3. p. q.68. a.7. & 4. d.6. quæst.1. a.2. quæst.3. Bonau. dist.4. a.2. q.1. Scotus quæst.4. Durand. quæst 7. Richard. dist.6. a.2. q.3. Palud. q.2. Adrian. & Alexand. de Ales*, quem refert & sequitur *Suarez tom.3. in 3. partem disp 14. sec.2.*

& disp.

& disp.24.sect.p. Sotus in 4.d.5. a.7.Henriq.l.2.c.24, num.3. Vasquez in 3. p. disp.158. num.65. Coninch. quast.64.a.8.d.5.Candidus disq.16.dub.5.Fillinc.Host, Bonac. quos refert, & sequitur *Leander vbi supra. quast.20.* & alij DD communiter. Et ratio est, quia necesse est vt susceptio Baptismi sit humana, & moralis ad hoc vt possit homo adultus regenerari in vitam nouam, & membrum Ecclesiæ fieri, & se obligare ad ea quæ sunt fidei & morum, & se subijcere iurisdictioni Ecclesiæ. Contra enim omnem rationem est, vt sacramentum regenerationis datum homini non suscipiatur humano modo, ideoque scienter & liberè. Ideo baptizatum inuitè, & per vim præcisam non recipere characterem post *Paris.cons.2.num.5. lib.1.& Ricc. de iure Patron. l.2. c.38. dixit Barbosa ad cap. maiores nu.13.* de Baptismo. Vbi ex eisdem subdit, tunc esse vim præcisam, quando quis nunquam consentit, sed omnino contradicit *A Caana ad cap.de Iudæis q 3.d.45, Basil.l.4.de matrim.cap.14.num.3.*

SVMMARIVM.

1 *Sufficit voluntas virtualis. n.17.*
2 *Sufficit voluntas simpliciter cum inuoluntario ex metu. n.18.*

17 VErū quidē est, quòd sufficit hāc voluntatē virtualiter durare in actuali susceptione Baptismi, si tamen actualis voluntas præcessit, & virtualiter perseueret, vt habetur ex *Concil. Carthag.3.can.34.& Arausi.1. can 12. & ex d.can. maiores, & S.Aug.lib.de adulterin.coniugijs cap.26.tom.6. & D. Thom.3.p.q.68. a.12. Syluest. v.Baptismus 4. §.3. Petrus de Ledesma in sum p.1.de Baptismo cap.8, concl.19. Henriq. Graff. Chamert. Coninch. Bonac.* quos refert, & sequitur *Barbosa ad cap.maiores n.16. de Baptismo*, vnde valide baptizantur amētes, phrænetici, dormientes, moribundi sensibus destituti, si priùs Baptismum petierint, & eorum voluntas virtualiter tūc perseueret. Pariter sufficit ad hoc volūtas simpliciter, licet homo sit inuitus secundùm quid.

18 Et ita valet Baptismus, etiam si quis timore impellatur ad Baptismum nedum ab intrinseco, sed ab extrinseco incusso prout definitum fuit in *cap.maiores* de Baptismo, & docent ibi Canonistæ & priùs traditum fuerat in *Concil. Tolet.4. cap.56.* prout habetur *cap. de Iudæis dist.45.* Metus enim causat inuoluntarium secundùm quid, & ideo ex natura rei non irritat actum, sed volitum ex metu tanquam simpliciter voluntarium subsistit. Et item sufficit voluntas suscipientis baptismum independenter à voluntate cuiuscumque. Vnde est, quòd filius independenter à Patre, & seruus independenter à voluntate domini validè baptizatur, si ipse in Baptismum consentiat. In his enim quæ pertinent ad salutem, vnusquisque est sui iuris, nec voluntas extrinseca potest impedire valorem eius sacramenti, quod pro cuiuscumque salute Christus instituit. Itaque quod primò via generationis requiritur in Baptizato est, vt doctus de necessitate Baptismi illum velit, & in illum consentiat. Quòd si constet aliquem voluisse, & consensisse in Baptismum, semper durare præsumitur eius voluntas, nisi probetur mutata, vt tradit Glossa ad *d.cap.maiores*, de Baptismo, de cuius axiomatis veritate videndi sunt DD. quos ibid. n.19. cumulat Barbosa.

SVMMARIVM.

1 *An sufficiat voluntas generalis. n.19.*
2 *Inuitus non baptizatur valide. n.20.*
3 *Valide baptizat, qui intendit facere quod facit Ecclesia. nu.21.*
4 *Quid vbi voluntas sit conditionata: aliquorum opinio. nu.22. 23.*
5 *Voluntas baptismi in cōmuni. vel volūtas cōditionata ex parte volentis non sufficit ad Baptismum. n.24.*
6 *Ignorantem & nihil cogitantem de Baptismo valide baptizari quidam dicunt. n.25.*
7 *Voluntas generalis salutis, vel obseruandi præcepta Christi, quæ non est ex vera fide, non sufficit ad baptismum, n.26.27.29.30.*
8 *Voluntas rei in communi non est determinata voluntas alicuius singularis. n.27. 28.*
9 *Voluntas finis non est determinata voluntas alicuius medij. n.28.29.*
10 *Hæreticus negatiuus non cogitans de Baptismo, non baptizatur valide. n.27.& seq.*
11 *Nihil est virtualiter volitum quod non sit virtualiter cognitum. n.30.*
12 *Voluntas conformis voluntati excludenti medium, non est voluntas illius medij. n.31.*
13 *Animus ex opinione cognoscitur. n.32.*
14 *Subsequentia priorem animum indicant. n.32.*
15 *Ex solito & obseruantia coarguitur animus. nu.32.*
16 *Nesciens Confessarium concubinarium valide ab eo absoluitur. nu.33.*
17 *Caluinista vere baptizat si intendit quod facit Ecclesia. nu.34.*
18 *Voluntas generalis seruandi præcepta Christi, si non est ex fide vera, non est virtualis voluntas baptismi. nu.35.*
19 *In casu necessitatis sufficit in fideli volūtas seruandi præcepta Christi. n.36.*
20 *Qui ex vera fide vult esse Christianus habet voluntatem virtualem Baptismi. n.37.*
21 *Voluntas expressa durās est volūtas virtualis. n.38.*
22 *Non est eadem ratio de voluntate necessaria ad matrimonium & baptismi. n.39.40.*
23 *Baptismus datus hæretico non monito, & simulate non est validus. nu.41.*
24 *Dubius hæreticus si monitus consentiet, potest simulatè baptizari secundum aliquos. n.42.*
25 *In hæretico etiam errante inuincibiliter non habet locū para attritio sufficiens ad sacramentum. n.43.*
26 *Attritio quæ est dispositio ad sacramentum debet esse ex fide. nu.43.*
27 *Fides est initium iustificationis. n.43.*
28 *In hæretico quomodo possit esse contritio. nu.44.*
29 *Contritio non est sine vera fide. n.44.*
30 *In hæretico etiam inuincibiliter errante non est vera Christi fides. n.45.*
31 *Hæreticus non est capax veræ fidei manente errore, quia errat circa regulam fidei. num.46.47.48.*
32 *Inter credenda primum ordine generationis est Ecclesia. nu.48.*
33 *In hæretico non monito non est consensus sufficiens ad baptismum. nu.49.*
34 *Hæreticus nō monitus nequit simulatè baptizari. n.50*
35 *Amens potest baptizari si cum priùs potuit petijt Baptismum. n.51.*
36 *Si potest expectari lucidum interuallum, amens in statu amentiæ non debet baptizari. n.12.*

37 *Non debet dari sacramentum si potest, nisi ei, qui illud possit deuotè recipere. n.53.54.55.*
38 *Eucharistia non debet dari non habenti aliquam eius notitiam. n.53.*
39 *Non decet dare Baptismum adulto simulatè & eo inscio. nu.54.55.*
40 *Matrimonium nullum ex parte consensus cur dicatur reualidari. nu.55.*

19 HOc verò supposito dubitatur secundò an in hæreticis, qui nulliter baptizati sunt, si laborent ignorantia inuincibili sufficiat ad hoc vt validè baptizentur, voluntas illa generalis, per quam ipsi in Christi fidem & Baptismum consenserunt? & per quam volunt & intendunt perficere Christi voluntatem.

20 Est autem certum, quòd vbi hæreticus positiuè & expresè repugnat ne rebaptizetur, non valet Baptismus, quia inuitus nullus potest validè baptizari, & in his hæreticis voluntas illa generalis, per quam nomen Christi, & Baptismum approbant, per contrariam voluntatem expressam per quam actu repugnant, ne rebaptizentur ritu Catholico, superatur & vincitur. Sic enim nec Turcæ valet voluntas generalis salutis suæ, vel faciendi omnia quæ sunt sibi necessaria ad salutem, si aliàs positiuè renuit suscipere Christi Baptismum.

21 *Et licet dicatur*, quòd Arianus validè baptizat, *si ritu* Catholico baptizat intendens facere, quod facit Ecclesia, prout habetur ex Concil. Arelat. 1. can. 8. & Arelat. 2. can. 17. hoc est, quia non habet expressam voluntatem contra Baptismum Ecclesiæ; Aliàs enim si Arianus expresè intenderet non baptizare nisi in nomine Patris maioris Filio, & Filij minoris Patre, non baptizaret validè, etiam si aliàs ipse putaret, & intenderet facere quod intendit, & facit vera Christi Ecclesia, quia voluntas expressa baptizandi in nomine Patris maioris vincit & irritat voluntatem illam generalem faciendi quod vera Ecclesia intendit. Econtra verò, si Arianus intenderet facere quod facit vera Ecclesia, licet non intenderet facere, quod facit Ecclesia Romana, quam ille veram non putat, validè baptizaret si nullam aliam expressam voluntatem baptismo repugnantem haberet, quia ex errore esset, quòd ille iudicaret Ecclesiam Romanam non esse veram, & hoc ad Baptismum materialiter se haberet, & baptismus validè esset datus ex veræ Ecclesiæ intentione.

22 Itaque voluntas expressa non suscipiendi Baptismum vincit generalem voluntatem faciendi, quæ necessaria sunt ad salutem, nec validè rebaptizatur hæreticus inuitus, & expresè recusans rebaptizari *cap. maiores*, de Baptismo, & ibi Canonistæ *D. Th. 3. p. q. 68. a. 7. & ibi Caiet. Nugnus, Suarez, Vasquez, & alij*. Sed quid dicendum, si hæreticus nulliter baptizatus dicat, ego nunc nolo rebaptizari, quia sum validè baptizatus, sed si non essem validè baptizatus vellem repabtizari: si iste rebaptizaretur esset ne validè baptizatus? Negat, & bene, *Angelus Maria Vercellus in quæst. moral. de missionarijs Apostol. quæst.* 15. Quia iste de præsenti non vult nouum baptismum absolutè; voluntas verò illa conditionata ex parte volentis non est voluntas, quæ de facto sit, sed quæ esset, si adesset conditio, quæ non adest, scilicet si ipse cognosceret, se non esse baptizatum, quod de facto nec scit, nec credit, sed oppositum sentit. Sed si diceret ego meo iudicio sum baptizatus, sed si non sum baptizatus volo nunc baptizari idem *Vercell.* ait, quòd esset validus Baptismus. Conditio enim illa de præsenti non suspendit actum voluntatis, nec reddit illum conditionatum, sed manet voluntas absoluta, cum de præsenti vera sit conditio illa, si non sum baptizatus. *l. conditio 100. ff. de verb. oblig. l. cum ad præsens 37. cum seq. ff si certum petatur.*

23 Addit verò idem *Vercell. ibid. num. 3.* quòd si huiusmodi hæreticus non diceret, ego volo baptizari, sed solùm conditionatè loqueretur, & diceret, si non essem baptizatus, vellem baptizari, validè baptizaretur, & sufficeret hæc voluntas ad valorem Baptismi, quia ex vna parte non contradicitur Baptismo, & ex alia habetur eius voluntas implicita. Licet enim voluntas conditionata ex parte volentis non sit voluntas quæ actu sit, sed quæ esset si adesset conditio, tamen ex quo non adest expressa contraria voluntas, & conditio de facto vera est, licet a loquente & volente ignoretur esse, ideo voluntas illa conditionata est virtualis, & implicita de præsenti, ideo nisi aliud obstet talis validè baptizatur, si baptizatur.

24 Verùm dico, quòd neuter casus est verus. Quia voluntas noui Baptismi in hæretico isto nulliter baptizato dū dicit volo baptizari forsan non est volūtas Baptismi secūdùm ritū Ecclesiæ Romanæ seu veri baptismi a Christo instituti; Ad hoc verò vt quis validè baptizetur, non sufficit quòd habeat voluntatē baptismi in communi, vel Baptismi secundùm ritum huius vel illius sectæ, sed saltem est necesse, quòd intendat Baptismum Christi verum. Hæc verò voluntas non præsumitur de facili in hæretico adulto cuius secta non admittit baptismum Christi validum secundùm substantiam, & essentiam illius. Sed etiam si diceret, si baptismus secundùm sectam meam esset nullus vellem iterum baptizari vero baptismo, non esset ex hac parte dispositus vt baptizaretur, quia voluntas conditionata ex parte volentis non est voluntas quæ de facto sit, sed quæ esset, si adesset conditio. Hæc verò conditio non est ipsa veritas baptismi secundùm se, & à parte rei, sed est veritas vt a se cognita, & iudicata. Nam veritas rei æterna est, & de facto est, si est, & non indiget significari de futuro contingenti, dicendo si esset verum, sed de præsenti dicendo sic est, & propterea sensus illius conditionalis de futuro est, si scirem, si iudicarem, si crederem, quòd essem nulliter baptizatus vellem &c. vnde conditio est merè contingens & ideo propositio est de futuro contingenti, quæ nihil ponit in esse, & suspendit, & voluntatem baptismi non continet sed contingenter contineret, si poneretur conditio, quæ est contingens. Vnde cum tali velleitate stat de præsenti odiū baptismi Christi: Non sufficit ergo ad baptismum voluntas conditionata ex parte volentis, quæ est velleitas. Sufficeret verò hæc voluntas conditionata ex parte obiecti scilicet, si non sum verè baptizatus volo baptizari baptismo secundùm ritum latinum, vel quemcumque in quo homo adhibita vera materia, & forma & ritu baptismi, verè baptizatur.

25 Quid igitur dicendum, si hæreticus nulliter baptizatus & inuincibiliter ignorans nullitatem

sui

ſul baptiſmi, nec habens expreſſam voluntatem in contrarium, nec monitus de nouo baptiſmo recipiendo, & de illo nihil cogitans, intingatur aqua ſacramentali baptizabitur ne validè, ſi à Catholico Sacerdote baptizetur? Affirmat idem *Vericell.* q.116. loquens de Mengrellenſibus, quos eſſe ſchiſmaticos, & hæreticos ipſe dixerat; q. 11. Ratio aſſertionis in ſubſtantia eſt, quia voluntas generalis, quam Mengrellen. habet viuendi, & moriendi Chriſtianus eſt virtualis, ſeu implicita voluntas veri baptiſmi, at verò ſufficit ad valorem baptiſmi voluntas virtualis, & implicita. Quod confirmat ex *Card. de Lugo de ſacram. diſp.9. ſect.7. num.*130. dicente, validè baptizari eum qui ex animo amplexus ſit Religionem Chriſtianam, & ex *Coninch. de ſacram. q.64. a.8. dub.5. num.*303. aſſerente, quòd in actu contritionis, aut veræ attritionis continetur virtualis voluntas ſufficiens ad baptiſmum, etiam ſi ille nihil de baptiſmo audierit. Secundo idem probat ex eo, quia validus fuit iudicatus ab Alexãdro Patriarcha Alexãdrino baptiſmus à S. Athanaſio tunc puero datus per ludum alijs pueris, vt referunt *Rufinus lib.p. hiſt. Eccleſ. cap.*14. *Niceph. l.*8. *cap.*44. *Sozom. l.*2. *c.*16. Probatur tertiò quia ſacramentum extremæ Vnctionis validè datur deſtituto ſenſibus, etiam ſi illud non petierit, ex hoc ipſo quòd, ex quo ille vult Chriſtianus eſſe & mori, cenſetur velle illud ſacramentum, vt tradunt *Coninch. d. q.64. a.8. num.*103. *Hurtado de ſacram. in gen. diſp.4. diff.3. Eſcobar de Mendoza tom.*1. *l.8. ſec.2. probl.*35. *Card. de Lugo de ſacram. diſp.9. num.*122. Probatur quartò quia matrimonio ob impedimentum affinitatis exiſtente nullo obtenta diſpenſatione, ſi mulier nolit manifeſtare viro defectum, ſufficit ſi maritus ſeriò interrogatus reſpondeat, ſi tecũ non contraxiſſem contraherẽ, & idem dicat mulier, vt per *Caiet. v matrimonium Sot.4. d.*28. *q.*1. *a.*2. *concl.3. caſu* 1. *Palud.4. d.36. q.a.2. concl.2. n.*14. & alij apud *Dianam p.4. tr.4. reſol.49. quàmuis Sanchez, Pontius*, & alij oppoſitum ſentiant. Patet enim ex iſtis, quòd virtualis & implicita voluntas ſufficit ad hoc vt aliquis non inualidè ex parte conſenſus baptiſmum recipiat.

26 Sed certè ſi hæc doctrina vera eſſet, poſſet hoc modo baptizari quilibet Turca, vel Iudæus, vel Paganus, in quo ſit voluntas ſalutis ſuæ; Nam ſi ſic abſolutè voluntas ſalutis cenſetur voluntas virtualis mediorum quæ verè à parte rei ſunt media vnica ad ſalutem, per quæ verè ſalus acquiritur, iam in quolibet infideli voluntas ſalutis eſſet voluntas virtualis fidei Chriſti, & Religionis Chriſtianæ, & omnium ſacramentorum prout neceſſaria ſunt ad ſalutem. Et ſic quilibet infidelis, qui actu non repugnaret baptiſmo poſſet baptizari, & quia nullus eſt, qui nolit ſalutem ſuam & felicitatem ſic in communi, & abſolutè, dicendum eſſet quòd quilibet adultus, qui non ſit actu expreſsè inuitus poſſit validè baptizari, & dicendum eſſet non requiri alium conſenſum in baptiſmum, ſed ſufficere, ſi homo non repugnet expreſsè; quia qui expreſsè non repugnat, virtualiter vellet baptiſmum ex quo vult eſſe beatus. Et ita pariter ex hoc quilibet infidelis maneret Eccleſiæ obligatus, & ſub eius iuriſdictione poſitus, cum hæc ſubiectio, & obligatio ſit verè nunc de facto medium neceſſarium ad ſalutem, & ideo iuxta dictæ doctrinæ principia baptiſmus eſſet ab infideli virtualiter volitus, & volitione ſufficiente, ad hoc vt ſi ex parte Eccleſiæ ponatur conſenſus ponatur infidelis obligatio, quoniam hæc voluntas dicitur ſufficere ad hoc vt homo nihil cogitans de Baptiſmo, & promiſſione, & obligatione, quæ in baptiſmo ſuſcipitur, validè ſuſcipiat baptiſmum, & obligationem eius.

27 Dicendum eſt ergo, quòd in hæretico nulliter ex errore ſuæ ſectæ baptizato, vt v. g. in *Mengrellen.* etiam inuincibili ignorantia laborante voluntas generalis vel obtinendi ſalutem, vel obſeruandi legem, & præcepta Chriſti, vel viuendi, & moriendi ſecundùm ritum Religionis Chriſtianæ, vel quæcumque alia ſimilis voluntas generalis non eſt virtualis voluntas baptiſmi Chriſti, nec eſt voluntas ſufficiens ad valorem ſacramenti, & ſi talis non monitus & nihil ſciens de baptiſmo intingatur aqua baptiſmali, nulliter baptizatur, & baptizans eſt ſacrilegus. Eſt enim conſideranda duplex virtualis voluntas Baptiſmi, alia quæ eſt ex vera fide procedens & eſt voluntas baptiſmi in ſe ipſo, quia eſt voluntas baptiſmi expreſsè in ſe ipſo voliti, quæ licet præterierit, virtualiter durat. Et hæc voluntas eſt præcipuè, quæ ſufficit ad baptiſmi valorem vbi contingat baptizatum nihil conſiderare deliberatè de baptiſmo, vt in amentibus, dormientibus, & alienatis à ſenſibus contingere poteſt. Alia eſt voluntas virtualis, quia non eſt voluntas rei in ſe ipſa, ſed in ſua cauſa, vt qui vult finem virtualiter vult medium ad finem, ſi tamen ſit vnicum. Et qui vult vniuerſale, virtualiter vult ſingulum particularium, ſi tamen velit vniuerſale abſolutè vt diſtributum ſimpliciter in omnibus ſuis particularibus.

28 Nunquam verò voluntas finis eſt virtualiter determinatè voluntas huius medij vel illius, ſi vel in re, vel in opinione volentis finis ad illud medium contingenter ſe habeat, aut repugnanter quia nimirum in opinione volentis medium illud repugnat conſecutioni finis. Pariter voluntas vniuerſalis non eſt determinatè voluntas alicuius particularis quando vel in opinione volentis ſit incertum, an illud particulare comprehendatur ſub vniuerſali, vel immò habeatur vt certum, quòd non comprehendatur. Modò hæreticus ex ſuæ ſectæ errore nulliter baptizatus nec certò tenet quòd baptiſmus ſub alio ritu datus ſit neceſſarium medium ad ſalutem, immò potiùs credit, quòd ſaluti aduerſetur. Similiter non eſt certus quòd baptiſmus ſub alio ritu datus, ſit de neceſſitate legis Chriſti, immò potiùs oppoſitum credit; eſto igitur ille habeat voluntatem ſuæ ſalutis, & velit Chriſti præcepta ſeruare non per hoc vult virtualiter determinatè & ſufficienter Chriſti baptiſmum verum ſecundùm ritum veræ Eccleſiæ ex vera materia, & forma integratum.

29 Hoc verò multipliciter oſtenditur. Nam voluntas finis, aut alicuius vniuerſalis non eſt virtualis determinata voluntas illius medij, aut particularis, ſi ea voluntate finis, aut vniuerſalis durante cum ea poteſt componi voluntas oppoſiti, & verum odium illius medij, aut particularis boni; At verò in hæretico inuincibiliter errante, & nulliter baptizato cum voluntate ſeruandi præcepta Chriſti, & ea durante poteſt componi odium veri baptiſmi, & poteſt contingere, quòd immò ex

quo

quo ille vult seruare præcepta Christi proprio errore deceptus intestino odio baptismum verum abominetur, non igitur vult illud virtualiter, ex quo non ex vera fide vult seruare præcepta Christi, vel propriam salutem consequi. Item voluntas finis, aut alicuius boni vniuersalis si non ex vera fide aut cognitione procedit non est virtualis voluntas determinata medij, aut boni particularis, si volens sic sit dispositus, quòd nisi mutetur, & a præsenti dispositione recedat ex vi talis voluntatis infallibiliter odio habebit illud medium, vel particulare bonum; At verò hæreticus licet ex ignorantia inuincibili erret, nisi errorem deponat, ex vi voluntatis qua vult seruare præcepta Christi, baptismum suæ sectæ vt verum iudicans, infallibiliter abominabitur alium baptismum Ecclesiæ verum; non igitur ex vi voluntatis seruandi præcepta Christi vult virtualiter determinatè verum baptismum.

30 Item cum voluntas non feratur nisi in cognitum, in voluntate nihil est virtualiter volitum, quod non sit in intellectu virtualiter cognitum. Sic ergo voluntas finis, vel boni vniuersalis non est virtualiter determinatè voluntas medij, aut boni particularis, si in volente non sit iudicium quod virtualiter determinatè contineat iudicium particulare de eo medio aut bono amando; At in hæretico durante errore tantùm abest, vt sit iudicium de vero baptismo eligendo, quòd datur iudicium continens virtualiter oppositum; quoniam error sectæ hæreticæ continet in virtute odiū totius illius quod non est sectæ conforme, sed eidem potiùs oppositum. Sic ergo in hæretico talis voluntas seruandi præcepta, non potest esse virtualis voluntas veri baptismi.

31 Item voluntas finis conformis alteri voluntati absolutè alterius finis & excludenti voluntatem alicuius medij non potest esse virtualis, absoluta, & determinata voluntas illius medij; quia illa alia voluntas præualet, & virtutem alterius limitat, & conditionatam reddit. Modò in hæretico duæ sunt voluntates, vna scilicet seruandi præcepta Christi, alia viuandi secundùm ritum suæ sectæ. Et ex istis duabus hæc secunda quæ est conformis errori hæretici est absolutior, & efficacior, & cui hæreticus firmissimè adhæret. Verus autem baptismus est alienus a secta istius hæretici, qui ex errore suæ sectæ baptismum sub ritu inualido datum vnicum & verum arbitratur, voluntas igitur illa seruandi præcepta Christi ex errore, ex alia voluntate conditionata redditur & talis vt non feratur in obiectum nisi sub ratione conformitatis ad aliam voluntatem electionem veri baptismi excludentem, igitur voluntas seruandi præcepta Christi in tali hæretico non est virtualis & determinata voluntas veri baptismi.

32 Item ad animum alicuius cognoscendum magis eius opinio attendi debet, quàm rei veritas, vt aduertit *Rubens ad decis.317.par.9.recent.nu.428. ex l.regula ff.de iur.& fact.ignor. Soccin.cons.124.n.2. Rota coram Peutingero* 8. *April.1647.* Opinio verò hæretici nulliter ex errore suæ sectæ baptizati est quòd suus baptismus sit verus, alius verò vel superstitiosus, vel saltem non necessarius; talis igitur est & eius voluntas, & intentio. Item ex subsequentibus colligitur qualis fuerit animus in præcedentibus. *Laut facta l.euentus.ff.de pæn. Rota dec.172. num.13.p.8.recent.* At verò vt *Vericell.* ipse fatetur, si isti hæretici moneantur non obstante voluntate illa seruandi præcepta Christi renuunt baptizari secundùm ritum Ecclesiæ, & certè nisi Deus per gratiam specialem illorum corda tangat, & det illis erroris cognitionem, Baptismum abominantur, talis igitur est eorum animus, etiam cū proponunt non tamen ex fide seruare Christi mandata. Nam & ex solito, & obseruantia arguitur animus hominis. *Grat.discep.852 num.49. Rota dec.700. num.12. & 13.p.2.& dec.28.num.13.p.7. Recent. & dec.308. num.4.coram Greg.15.*

33 Et dum dicitur, quòd qui non vult omnino recipere absolutionem a sacerdote concubinario, si contingat nescientem a tali absolui, validè absoluitur, dicitur, quòd exemplum est valde diuersum, quia iste interim de facto vult absolui ab hoc sacerdote; & sacerdotem non debere esse concubinarium est quid extrinsecum ad valorem absolutionis, quod non potest irritare absolutionem, nisi per accidens, inquantum si id fiat sciente pœnitente remanebit ille tanquam cooperans peccato concubinarij impœnitentis, indispositus vt absoluatur; Cum ergo pœnitens de præsenti velit absolui ab hoc sacerdote, & hunc esse concubinarium non reddat absolutionem irritam, nihil mirum, si valeat. Et eò magis quòd voluntas nolentis absolui à concubinario respicit illum vt cognitum, & non est nolitio absolutionis à concubinario non cognito recipiendæ. Sed voluntas Mengrell. non est non recipiendi Sacramentum à ministro Catholico quia de facto non cogitat de qualitate ministri, sed voluntas per quam non vult Sacramentum, & ideo non baptizatur, sicut si quis nollet absolui si absolueretur inaniter absolueretur. Immò ex hoc improbatur illa opinio. Quia ex quo hæreticus vult seruare præcepta Christi non per hoc ritè & validè absolui posset, si eo nihil de hoc cogitante, & aliàs sacramentum pœnitentiæ negante absolueretur.

34 Sic nec valet aliud exemplum, quod ex *Suarez de sacram.disp.13.sec.2.* adducit, quia nimirum Caluinista validè baptizat, si intendat facere quod facit vera Christi Ecclesia, licet intendat non facere, quod facit Ecclesia Romana putans Ecclesiam Romanam errare. Nam hic est expressa intentio veri baptismi, & est alia ex parte vsus veræ materiæ, & formæ sacramenti, vnde nil mirum si sacramentum tenet. Sed nihil est huic simile qui habet solùm intentionem generalem seruandi præcepta, aliàs verò abhorret à sacramento in quo adhibeatur verus ritus sacramentalis, sicut faciunt Mengrellen. in quo baptismo alius est qui profert verba formæ, & alius qui post longum & notabile tempus baptizandum abluit. Non valet igitur argumentum a voluntate expressa veri baptismi ad voluntatem generalem obseruandi præcepta in hæretico secundùm suam sectam nulliter & falso baptismate abluto, vt inde colligatur, quòd voluntas generalis seruandi præcepta Christi sit voluntas sufficiens ad Baptismum.

35 Rationes etiam in oppositum facilè soluuntur. Nam ad primam respondetur & negatur, quòd voluntas generalis seruandi præcepta Christi sit virtualis voluntas baptismi in hæretico secundùm suæ sectæ ritum nulliter baptizato. Nam voluntas

virtualis quæ sufficit ad baptismum est expressa voluntas eiusdem baptismi quæ præcessit, & virtualiter durat, vt DD. explicant ad art.7.q.68.3 p. Voluntas verò generalis tunc potest esse voluntas virtualis, quando sit veræ fidei iuncta, & ex fide regulata. In eo autem, qui est hæreticus & contemnit verum Baptismum, tantùm abest, quòd voluntas generalis seruandi præcepta ea mente eius in mala fide versante & in erroris caligine immersa sit volūtas virtualis veri Baptismi vt durante eius errore potiùs sit virtualis voluntas nunquam consentiendi vero Baptismo à sic volente non vero, sed falso aut saltem non necessario iudicato.

36 Inde est, quòd doctrina allata ex Cardinali de Lugo non applicatur, quia loquitur de vero fideli, ea vera fide intendente seruare Christi præcepta, & adhuc loquitur in casu necessitatis in quo fidelis jam non potest expresse petere baptismum. Nam loquendo extra casum necessitatis ad minùs licitè non traderetur baptismus alicui sine expressa voluntate baptismi vel de præsenti data, vel priùs habita, & virtualiter durante.

37 Nec applicatur alia doctrina sumpta ex Coninch, qui expresse loquitur de viro, qui jam vult esse Christianus, & sic dedit locum fidei, & iam detestatur infidelitatem, & vult esse de vera Ecclesia. Sed hoc longè aliud est à casu nostræ quæstionis, in quo non habemus nisi voluntatem seruandi præcepta Christi ex directione falsæ fidei, & præcipuè talis, quæ dictat verum baptismum aut esse falsum, aut non necessarium; Immò hæc duo exempla retorquentur. Nunquid enim vnquam dici poterit quòd voluntas seruandi legem naturæ in homine fideli sit virtualis voluntas furandi, vel mentiendi, vel fornicandi, cum homo fidelis existimet hæc omnia esse contra naturæ legem? Econtra verò voluntas seruandi legem naturæ in Mengrellensibus qui vt habet Vericell. quæst.111. sunt gens valde dedita superstitionibus, non erit voluntas virtualis fugiendi superstitiones, quas ipsi putant esse licitas, Ita voluntas seruandi legem Christi, quæ in Mengrellensibus est ea errore circa Christi fidem, non est virtualis voluntas suscipiendi Baptismum Christi verum, cum ipsi aliás existiment alium à Baptismo sui ritus esse vel falsum, vel ex lege Christi non necessarium.

38 Tertium exemplum continet casum omninò dissimilem, & consequentiam euidenter inanem. Nam arguit a voluntate expressa baptismi, ad voluntatem generalem seruandi præcepta Christi. Illa enim est voluntas expressa & determinata Baptismi, vnde non mirum si durans in virtute dicatur voluntas virtualis baptismi, & si ad baptismum sufficiat. Sed vnde ex hoc deduci potest, quòd voluntas generalis seruandi præcepta Christi in eo, in quo hæc voluntas non nisi ex mala fide dirigitur, & præcipuè ex fide dictante verum baptismum aut non esse verum, vel non esse necessarium, sit virtualis veri baptismi voluntas ad illum suscipiendum sufficiens? Ad baptismum igitur sufficit præteritus consensus non reuocatus, & virtualiter durans; At voluntas seruandi præcepta ex directione fidei falsæ seu in eo in quo voluntas ex falsa fide dirigitur, non est voluntas virtualis Baptismi.

39 Secundum argumentum non probat, quia pueri illi baptizati sunt volentes, & expresse in baptismum consentientes, & non per voluntatem generalem. Tertium eodem defectu laborat, quia voluntas fidelis ex fide dirigenda censetur petitio tunc cum fidelis aliàs non potest petere. Quartum autem assumit rem incertam, & valde controuersam. Et nihilominùs si detur assumptum consequentia vana est, quia coniux consentit de facto in copulam ex voluntate expressa illius, & ex proposito, quòd iterum contraheret matrimonium si sciret illud fuisse nullum. Sed in casu nostro qui baptizatur nihil cogitat de baptismo, & si cogitaret potiùs timetur quòd renueret baptizari, & vt plurimùm ita fieret.

40 Et si dicatur saltem sequi, quòd si inducatur Mengrell. vt dicat, si non essem baptizatus vellem baptizari, tunc possit baptizari. Negatur similitudo, & sequela. In matrimonio enim illo, quod conditionatè asseritur est res certa vna numero, scilicet matrimonium hoc cum ista numero persona, & quod magis est, & vim facere potest, in illo matrimonio si verum esset, quòd reualidaretur, non hoc esset ex vi illius conditionalis, & velleitatis, si matrimonium non esset validum iterum vellem contrahere tecum; quia hæc velleitas non importat consensum de præsenti. Sed adiuncta copula de præsenti, quæ non est licita, si matrimonium non est validum, ex vi illius tanquam quæ contineret voluntatem de præsenti non obstante nullitate prioris matrimonij antecedentis, illud matrimonium sustineretur, si valeret, sed in sermone Mengrellensis illius ad minus ambiguum est de quo baptismo loquatur, & potiùs indicandum est, quòd loquatur de baptismo suæ sectæ, quia illum ipse credit esse verum baptismum; at verò voluntas baptismi secundùm ritum falsum, aut etiam volūtas baptismi in genere & in communi, non est sufficiens consensus in baptismum secundùm ritum Romanæ Ecclesiæ. Et præterea, quidquid sit de hoc, cum velleitas non sit voluntas, quæ actu sit de præsenti, sed quæ esset, si conditio poneretur, non est sufficiens consensus ad recipiendum Baptismum, & de præsenti nihil ponitur de facto, quod Mengrell. sciat non posse stare nisi cum vero Baptismo, sed immò de facto secundùm iudicium illius & eo stante cum tali velleitate stare potest absoluta voluntas de præsenti, per quam ille nollet aliter baptizari.

41 Concluditur igitur quòd baptismus datus Mengrell. non monito, & non cogitante de baptismo, sed simulatè, & per deceptionem collatus est nullus ex defectu voluntatis ipsius baptizati. Sed est quoque saltem in ualidus ex defectu fidei, & porrectio de peccato, vt in sequenti dubio ostenditur.

42 Dubitatur igitur tertiò an qualecumque dubium sit, quod Mengrellensis monitus non acquiesceet iterato baptizari, possit post sufficientem instructionem, & peccatorum attritionem licitè baptizari absque monitione, simulando benedictionem? Idem enim Vericell. affirmat, & probat tum author. D.Thom.3.p.q.68.a.12. vbi vult amentem habentem lucida interualla posse in amentia baptizari, si sit aliquod periculum. Tum secundò quia quòd aliquis sciens baptizetur est necessarium propter reuerentiam sacramenti, non propter validi-

liditatem, In dublo autem salutis animæ, & reuerentiæ sacrameoti præfertur salus animæ. *Sanchez de matrimonio l.2.disp.36.num.8. Valent.tom.4.disp.7. q.11. Henriq.l.5.c.2.§.7. Filliuc.tr.7. num.120. Diana p.2.tr.13. res.13.* Tum tertiò ex praxi Ecclesiæ, quæ ob probabile periculum domi absque solemnitatibus baptizare consuenit infantem. Tum quartò exemplo matrimonij, quod si ob defectum consensus in altero coniuge sit inualidum potest reualidari ex nouo consensu, absque eo quòd alter coniux moneatur. *Sanchez l.2. de mat.disp.32. num.10. Coninch.disp.24.d.10.nu.90. Diana p.4 tr.4.resol.49.* Nec potest hoc limitari dicendo, quòd id possit esse verum vbi sit graue periculum. Tum quia omne leue dubium erga aliud sacramentum est grauissimum respectu baptismi ob eius summam necessitatem. Tum quia rarissimè accidit, quòd sit leue periculum, cum experientia compertum sit paucos monitos consentire in baptismum. Tum quia vrget aliud periculum, scilicet inuidiæ sacerdotum hæreticorum si uideant plures baptizari. Tum quia cum baptismus reiteretur sub cuuditione, non est tanta necessitas, quòd tam urgens causa adsit.

43 Hæc tamen resolutio multa continet, quæ meritò non admittuntur. Et primò supponit quòd in hæretico possit esse uera attritio de peccatis, quæ sufficiat ad sacramentum dum persistit in hæresi. Attritio enim, quæ sufficiat ad sacramentum debet esse ex fide Christi, quia fides est substantia sperandarum rerum, & sine fide impossibile est placere Deo. Heb. 11. Et Christus Matt. ult. ad baptismum præsupponit fidem, dum dicit. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur.* Et Concil. Trid. sess. 6. cap. 8. de iustif. explicans dictum fuit Apos. ad Rom. 5. *Cum verò* inquit, *Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem, & gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit, vt scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis; sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire.* Nec est nude dicatur, quòd dolor de peccato proueniens ex metu gehennæ fit attritio sufficiens ad sacramentum ex *Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. de sacram. pœnitentiæ*, hoc enim est nerum ubi dolor iste sit ex fide Christi, quæ sola est fundamentum totius Christiani ædificij, dolor uerò qui fit ex fide uel opinione humana de gehenna, uel de uita æterna alienus est, nec est sufficiens dispositio ad gratiam sacramentalem. Quia regnum cœlorum, & adoptio filiorum Dei à Christo promissa est in se credentibus. Et quia ut dixit *Apos. ad Rom. 3. Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi D. Thom. 3. p. q. 68. a. 8. & ibi Caiet. & Nugnus Suarez, Vasquez & Porrecta. Sot. 4. d. 5. a. 8.* & omnes Theologi.

44 Et si dicatur, quòd in infideli ex notitia quam habet potest dari cótritio per quam ex amore honestatis, & virtutis & Dei se ex toto corde cõuertat in Deum, respódeo longum, & latum discrimen esse inter contritionem, & attritionem. Quia contritus eum ex toto corde & ex puro Dei & honestatis amore se conuertat in Deum, facit totum quod in se est, & quidem non nisi cum auxilio Dei supernaturali; & tali quod non est, nec erit vnquã sine vera fide Christi quantùm in eo casu sit necessarium, quia facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, immò facere quod in se est detestando summè peccatum ex puro Dei amore est Dei altissimum donum, nec est sine vera fide, immò non est, nec esse potest in hoc rerum statu nisi ex vera Christi fide, quæ sola est initium, & radix omnis iustificationis, vt dixit loco citato *Conc. Trident.* & ideo contritio non est nisi à Deo vt iustificante & vt donante totum id, quod ad Iustificationem est necessarium, sed attritus non facit, quod in se est, quia non diligit Deum puro amore ex toto corde, ideo non habet per se adiunctam eam fidem, quæ est necessarissima dispositio ad iustificationem etiã per Sacramentum obtinendam. Et si dicatur, quòd attritio & fides non sunt necessariæ ad valorem Sacramenti; hoc Inutiliter replicatur; quia licet non sint necessariæ ad hoc vt imprimatur character, sunt tamen necessariæ ad iustificationem obtinendam, seu ad hoc vt Sacramentum dignè recipiatur, & ministretur, & gratiæ sacramentalis fructus obtineatur.

45 Et si iterum dicatur, quòd potest esse, quòd hæreticus sit infidelis negatiuè & erret ignorantia inuincibili, & sic quòd possit habere veram fidem Christi, maximè cum hæreticus in Christum credat. Respondetur, quòd aliud est non habere infidelitatem contrariè, & aliud est habere veram fidem Christi. Obiectio probat primum, sed secundùm est falsum. Vt enim habet *S. Thomas supra q. 5. a. 3. Formale obiectum fidei est veritas prima secundùm quod manifestatur in scripturis sanctis, & & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima: Vnde quicumque non inhæret sicut infallibili & diuinæ regulæ doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima in scripturis sacris manifestata, ille non habet habitum fidei, sed ea, quæ sunt fidei alio modo tenet, quàm per fidem sicut si aliquis tenet mente aliquam conclusionem non cognoscẽs medium illius demõstrationis, manifestum est, quòd non habet eius scientiam, sed opinionem.* Cum ergo quilibet hæreticus discredat veræ Ecclesiæ, & non inhæreat illi vt regulæ infallibili in proponendo ea, quæ sunt credenda, in nullo hæretico est vera Christi fides, quidquid sit an infidelitas in illo sit culpa, vel potiùs malum aliquod pœnale. Et hæretici ea, quæ de Deo credunt ex proprio iudicio ideoque ex humana fide credunt.

46 Sed instabitur vlteriùs dicendo, quòd in hæretico infideli negatiuè, & in errore nato, & inuincibiliter nutrito, sed nulliter possit esse vera Christi fides, & quidem talis, quæ secundùm sententiam illorum, qui tenent quòd habitus fidei infundatur ante Baptismum, & iustificationem in infideli catechumeno, sit proxima dispositio ad talis habitus infusionem. Quoniam hæreticus credit Christo, & Ecclesiæ, & licet non credat v. g. Ecclesiam Romanam esse regulam fidei infallibilem, quia hoc inuincibiliter ignorat, credit tamen Christo, & Ecclesiæ absolutè, vt regulæ veritatis. Et sic ejus fides habet verum formale obiectum fidei tam secundùm se, quod est veritas diuina reuelans, quàm ex parte nostri, & in proponendo, quia credit Ecclesiæ Christi absolutè, vt proponenti credẽda. Et sic non errat circa formale fidei obiectum.

47 Quod magis ostenditur, & explicatur. Quia

non est necesse quòd hæreticus semper cogitet de suis erroribus, qnos materialiter habet, sed abstrahendo potest præscindere Ecclesiam Christi absolutè, & Christi legem absolutè, & sic ferri in mysteria fidei vt reuelata à Deo & proposita ab Ecclesia Christi vt ab infallibili veritatis regula; quòd est ercipere fidei mysteria sub ratione formali veræ Christi fidei. Sed respondetur, quòd valde instantia deficit, & non attendit quòd impossibile est, quòd cum errore circa obiectum formale fidei possit stare vera fidea Christi, etiam si ille error sit materialis, & inuincibilis. Quia vbi talis ertor est, habetne (licet ex errore & inuincibiliter, & ideo sine peccato) pro eatione formali & eegula credendi id, quod non est ratio & regula infallibilis veritatis; implicat verò fidem Christi esse, quæ nō innicitur regulæ infallibili. Do exemplum in *Mengrallen.* qui vt refert *Vericell.d.q.*11. plures habet hæreses, inter alia enim negat visionem beatam animarum ante carnis resuerectionem; pœnas inferni non credit æternas, & alias hæreses tenet; Hæc verò credit vt reuelata à Deo, & proposita ab Ecclesia sua vt infallibili regula, eadem autem ratione & Christum, & eius mortem, & reliqua mysteria credit, quorum nullum attingit sub regula infallibili, quia omnia tam vera, quàm falsa sub eadem credit regula, sub qua cum credat falsum, credit igitur sub fallibili eegula, & nihil credit per veram Christi fidem,

48 Ad argumentum igitut dicitur, qnod huiusmodi hæreticus non habet vetam Christi Ecclesiam pro eegula infallibili, sed habet Ecclesiam falsam, quam ipse putat Christi. Nam Ecclesia Christi est fidelium visibilis congregatio sub vno visibili capite Pontifice Romano Christi Vicario, & Petri successore & sub vna vninersalissima & indiuisibili fide congregata, quam talis hæreticus negae. Nec obstat quòd possit concipere in abstracto Christi Ecclesiam, & sic velle non credere nisi id, quod dicit & proponit Christi Ecclesia. Regula enim credendorum non est quid abstractum in intellectu existens, sed quid singulare, visibile, indiuiduum, determinatū, scilicet congregatio fideliū sub vno visibili capite, seu caput, ipse visibilis Christi Vicarius, & Petri successor. Quia proponere rea credendas est actio realis sensibilis, indiuidua, quæ non nisi ab vno proponente Summo Pontifice vel se solo, vel cum Concilio, & Antistitum congregacione credenda decernit. Cognitio ergo illa Ecclesiæ in abstracto in eo qui in particulari ignorat imò errat circa fidem veræ Ecclesiæ in particulari nō potest esse regula fidei. Et quamuis possit illa cognitio deseruire ad hoc, vt hæreticus proponat se creditnrum, ex illa tamen nihil vnquam credit infallibiliter, cum illa sic abstracta cognitio sit communis ad veram Christi Ecclesiam, & ad apparenrer veram & vere falsam, vnde est quód ille sic abstrahens nisi speciali Dei illuminatione iuuetur, si descendat ad particularia statim cognitionem illā applicabit ad suam Sectam, & falsam Ecclesiam, Ecclesia igirur sic in commnni concepta nō est regula infallibilis; vnde sequitur, quòd primò ex illa Ecclesia sic abstractè sumpta nihil determinatè credi potest, quia ad fidem necessaria est particularis propositio credendorum, quæm non potest facere Ecclesia abstractè concepta. Et inter alia credēda primum est ordine generationis Ecclesia Christi hæc, eiusque infallibilitas, quod exigit cognitionē Ecclesiæ in particulari. Sed secundò si Ecclesia abstractè concepta posset esse regula, esset regula fallax, quia Ecclesia sic concepta est communis ad veram, & apparentem, & fallacem. In hæretico igitur quoniam errat circa formale obiectum fidei est impossibile, quòd detue vera Christi fides, nisi illuminatus ab errore recedat.

49 Secundò autem supponitur, quòd hæreticus in fide non instructus, & qui nihil de fide cogitauit, nec cogitat possit validè consentire & contentiat in exteriorem actionem Baptismi, & Baptismum sibi ignoranti, & non cogitanti ministratum, quod esse falsum satis supra est probatnm.

50 Quamobrem dicitue, absolutè illicitum esse conferre alicui Sacramentum Baptismi, eo priùs nō monito & in Baptismum non credenti, & ex vera fide eum non recipienti; quia & ad validitatem est necessarius consensus saltem virtualis, qui in tali non est, vt supta est probatum, & ad ritè & cū fructu gratiæ recipiendum Sacramentum necessaria est pœnitentia & deuotio quæ fit ex fide, quæ in tali non est, vnde sacrilegium vnde quoque est hoc modo conferre Baptismum, quod euidentiùs fit ex eationum sententiæ contrariæ solutione.

51 Et quidem *auth.D.Thom.3.p.quæst.68.a.*12. oppositum probat; quoniam D.Thomas in amente patiēte lucida interualla vt possit baptizari cum est in amentia, omnino reqnirit quod priùs Baptismū petierit. *Si quando* inquit, *habent lucida interualla baptizari voluerint.* loquitur igitue de amentibus, qui tempore vsus libertatis voluerunt baptizari, & sic loquitur de iam ex fide Christi petentibus Baptismum. Isti sunt, qui possunt in amentia baptizari, si adsit periculum. Et nihilominùs si non adsit periculum non possunt in amentia baptizari, vt dixit *Suarez tom.3.in 3.p. disput.24. sect.*1. Et quòd *D.Thom.* dixit esse melius expectare si non adsit periculum, non per hoc voluit innuere esse solam necessitatem ad bene esse simpliciter, sed sumpsit *melius* aduersatiuè, & contrariè, quia Sacramentum si fieri potest debet recipi humano modo & cum deuotione actuali, vnde non sine irreuerentia Sacramenti est, si nulla existente causa, vel leui ei confertur, qui vsus rationis non est capax.

52 Hinc habetur alia ratio, vnde probatur illicitum esse tradere Sacramentum non monito suscipiente, & sub alterius actionia simulatione; quia in tali non potest esse deuotio, nec humano modo potest ab eo recipi Sacramentum. Nec sufficit, quòd si detur sub simulatione benedictionis, excitatur deuotio in recipiente; quia illa nulla est deuotio respectu Sacramenti, & recipiens recipit Sacramētum deceptus & inuoluntarius, & volenti proijcitur, & contemnenti, vel saltem non æstimanti illud. Et quod adducitur de rudi suscipiente Eucharistiā, cui sufficit si recipiat illam vt aliquid non commune, sed vt benedictum, ex *Diana p.5.tr.6.ref.6.& 7. Henriq.l.8.c.42.n.3.Reginal.to.2.l.29.c.5.nu.*81. *Bonac de Sacram.disp.4.q.6.p.1.nu.*7. primò non est simile, quia talis aliquam notitiam Sacramenti habet, & non decipitur, nec vnum recipit pro alio. Secundò doctrina data nequit admitti vt putè refertur, quoniam aliud est quòd rudis nequeat intelligere qualitee Christus sit in hostia, quod nec

docti

docti intelligunt, aliud est, quòd non possit credere quòd recipiendo panem recipit Christum, & hoc saltem confusè quantùm ad an est non possit cognoscere; & sine aliqua simili confusa fide, neqnit licitè conferri alicui Eucharistia, quia Christus in illa vult suscipi modo rationali, & humano prout decet.

53 Et sic ad secundum dicitur, quòd licet ex necessitate actualis deuotio in suscipiente Sacramentum non sit necessaria si neqnit haberi, hoc tamen verum non est, si haberi potest, & si impedimentum est voluntarium, sicut est in præsenti, in quo cōfertur Sacramentum habenti vsum rationis; qui si esset, vt præsumi potest monitus, nollet recipere Baptipsmum; vnde ex hoc augetur irreuerentia Sacramenti, quia datur nolenti: non est autem pro dignitate gratiæ Christi, vt proijciatur eam respuenti, quasi Christus indigeat pertinacium salute. Et hinc aliud imminet periculum grande, quia vel iste sub simulatione inscius baptizatus sciet tandem se baptizatum, vel non sciet, si sciet dolebit vt plurimùm se deceptum, & baptismum receptum contemnet, & forsan ex superstitione qua via poterit illum abolere conabitur & Sacramentum vile habebit, & contemnet; cum in illud non credat nisi priùs monitus, & doctus eius fidem amplectatur. Si verò nunquam sciet se baptizatum, habebit per totam vitam beneficium Christi more asini, vel bouis absque eo quòd sciat, se illo vti posse, & absque eo quòd eo vel semel vtatur humano modo, vnde per se Christi gratia in eo infructuosa manebit, & per accidens erit, quòd in eo fructum aliquam ferat.

55 Ad tertium dicitur quòd non est simile; quia difficultas est, ex eo quòd datur sacramentum nolenti, & indeuotè illud recipienti, & quod maximum est nec consensum nec fidem habenti, ideoque datur & incapaci, & prorsus indigno, & per se sacramentum exponitur ludibrio suscipientis, illius fidem non habentis. Aliàs verò paruulis datur sacramentum Catholico ritu, & solùm solemnitates differuntur, quod ex probabili periculo licet. Exemplum quoque matrimonij, quod quartò adducitur non est simile, nam coniugea fideles sunt, & matrimonium dicitur reualidari in casu dato quia alter coniugum absolutè in illud consensit & consensus durat, alter verò de nouo consentit. Sed in casu nostro datur sacramentum penitùs ignoranti, & non consentienti, & immò virtualiter dissentienti, & infideli, ideo & nulliter, & sacrilegè datur.

SVMMARIVM.

1 *Adultum non instructum posse sub conditione rebaptizari, aliqui dicunt. n.56.*
2 *Nullus adultus non instructus potest rebaptizari. nu.57. & seq.*
3 *Fides necessaria in suscipiente baptismum. n.58.*
4 *Hæreticus rebaptizandus speciali ratione debet instrui ante Baptismum. n.59.*
5 *Fides debet præmitti ad baptismum non tantùm per accidens, sed per se, quia est primum fundamentum Christiani ædificij. n.60.*
6 *Vbi non detur tempus instruendi, & periculum sit in mora, instructio non est necessaria. n. 61.*
7 *Præceptum fidei èxpressa non obligat ad impossibile. nu.62.*
8 *Dubius an petierit baptismum, & priuatus vsu rationis potest sub conditione baptizari. numer.62.*
9 *Nisi aliàs sit manifestè indispositus. n.62.*
10 *Necessitas fidei expressa ante baptismum ex multiplici capite. n.63.*
11 *Tam Baptismum; quàm Pœnitentiam debet præcedere instructio substantialis, non verò perfecta, & completa. n.64.*
12 *Non est distinctio in hoc inter baptizandum absolutè, & sub conditione. n.65.*
13 *Nulliter baptizatus qualiter sit, & non sit hæreticus. nu.66.*
14 *Vbi Baptismus sit manifestè nullus, hæreticus sic baptizatus non subditur pœnis hæreticorum. numer.66.*
15 *Ecclesia hæreticum nulliter baptizatum potest ad fidem, & baptismum compellere. n.66.*
16 *Sed eadem ratione deberet instrui antequam baptizaretur. n.66.*
17 *Tam Mengrellenses, quàm Aethiopes priùs debent instrui, quàm rebaptizentur sub conditione. num.67.*
18 *Damnata sententia eorum, qui sentiebant licere abscondere Sinarum gentib. ad finem venientibus sacramentum Passionis Christi, nu.68.*

56 DVbitatur quartò an adultus non instructus priùs in fide possit baptizari? Angelus Maria Vericellus in tractatu de Missionarijs Apostolicis quæst.119. distinguens inter baptismum absolutum, & sub conditione datum, & admittens nullum adultum posse baptizari absolutè non præmissa instructione, & hoc idem verũ putans si adultus baptizetur sub conditione, ex eo quod sit dubium an baptismus priùs datus sit nullus ex deffectu intentionis baptizati, negat necesse esse præmitti instructionē si baptismus detur sub conditione, ex eo quòd dubitatur an prior baptismus sit nullus ex defectu materiæ, aut formæ, vnde deducit, quòd instructio non sit necessariò præmittenda ad rebaptizandum Mengrellenses, sit verò necessaria ad rebaptizandum Aethiopes, & qui ex Saracenorum & Hebræorum gente, vel ex regnis Guineæ, & Angolæ ad Ecclesiam veniunt. Et ex hoc q.120. deducit, quòd Mengrellensis adultus moribundus & sensibus destitutus potest absque vlla instructione baptizari. Quòd verò in præfato casu vbi dubitatur de valore prioris baptismi ex defectu materiæ aut formæ nō sit præmittenda instructio ad rebaptizandũ adultũ sub cōditione probat: Nã ratio ob quam instructio præmitti debet est duplex scilicet primò vt baptizãdus possit deliberatè consentire in baptismum, & in fidei professionē & subiectionem Ecclesiæ, secundò vt baptizandus non sit indispositus, cum vnusquisque teneatur explicitè credere articulos fidei in symbolo contentos; sed neutra harum causarum vrget in casu dato, quia baptizatus per priorem baptismum consentit iam in fidei confessionem, & in subiectionem ad Ecclesiam, & ita quòd Ecclesia possidens in hoc dubio posset illum compellere ad retinendam fidem, quam priùs fuit professus, & sic prior consensus durat moraliter; ergo ea ratione consensus

in fidei professionem, & subiectionem Ecclesiæ non est necessaria instructio. Sed neque secunda ratio vrget, quia ad hoc, vt baptizandus sit dispositus sufficit propositũ addiscendi fidei articulos & præcepta, quod propositum sufficit ad hoc, vt quis possit suscipere sacramentum pœnitentiæ secundùm *Azor. tom. 2. l. 8. cap. 8. q. vlt. Sanchez l. 1. c. 3. num. 21. & 23. Castro Palaum 1. 1. tr. 4. disp. 1. p. 12.* & alios. Econtra verò, vbi dubium est an prior baptismus sit nullus ex defectu consensus, necessariò præmitti debet instructio, ne iterum contingat baptismum nulliter dari, si baptizandus ignoret fidem, & subiectionem ad Ecclesiam, quam in baptismo profitetur.

57 Sed dicendum est hic non esse discrimen inter absolutè baptizandum, & inter eum qui sub conditione debet rebaptizari, nullumque adultum non instructum sufficiẽter posse baptizari non præmissa instructione, sic enim absolutè sine distinctione instructionem substantialem præmitti debere ad baptismum dixerunt *D. Thom. 3. p. q. 71. a. p. & ibi Caiet. & Suarez*, & reliqui expositores. *Sotus in 4. d. 6. q. 2. a p. Sanchez l. 2. in Decal. cap. 3. num. 24. Nauar. cap. 24. num. 15. Palaus tom. 1. trac. 4. disp. 1. puncto* 11. in fine & alij DD. communiter. Ratio conclusionis habetur manifesto præmissa duplici distinctione, vel enim loquimur de instructione non necessaria nimirum de instructione eorum mysteriorum fidei, ad quæ explicitè credenda baptizandus non tenetur, sed sufficit, vt ea credat implicitè, & huiusmodi instructio nec in absolutè baptizandis est necessaria, nisi ad bene esse. Vel loquimur de instructione eorum mysteriorum, quorum fides est necessaria ex lege Christi & fidei & etiam ex præcepto Ecclesiæ, & tunc datur alia distinctio. Vel enim adest tempus instruendi, & nulla datur necessitas excusans à præcepto fidei expressæ habendæ, vel tempus deficit instruendi & in mora periculum est salutis ipsius petentis baptismum: si non datur periculum in mora, tam absolutè, quàm sub conditione baptizandus instrui debet antequã baptizetur, nisi aliàs sit instructus.

58 Ratio huius est manifesta, nam ex lege fidei Baptisma fidem supponit non implicitam tantùm, sed explicitam eorum mysteriorum, quæ ex præcepto diuino & Ecclesiastico explicitè sunt credenda, & hoc nedum ratione consensus in baptismum, & obligationem perpetuam legis fidei, & ratione dispositionis prærequisitæ ad Baptismũ in quantum est sacramentum, sed quia fides est ex natura sua fundamentum ponendum priùs in ædificatione spirituali Ciuitatis mysticæ Hierusalem, & ad hoc vt charitas possit per fidem operari vt supra ex Conc. Trid. probatum est. Sine fide enim non est charitas, cum immò essentia charitatis via sit, vt sit dilectio ex fide, & sine charitate nullus actus est simpliciter perfectè bonus, & meritorius, vnde est, quòd fides, quæ est substantia sperandarum rerum, præmitti debet ex necessitate ipsi baptismo. Vnde Christus Matthæi vltimo dixit. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur:* Fides verò sine instructione nõ habetur, iuxta illud Apostoli ad Rom. 10. *Quomodo credent ei quem non audierunt?* Omnis igitur nõ instructus ante Baptismum instrui debet, vt explicitè priùs credat ipsum id, quod explicitè tum ex lege diuina, tùm ex lege Ecclesiastica est credendum vt prudenter & humano modo perfectè & in Baptismum consentiat, & obligationem legis fidei suscipiat, & dispositus ad sacramentum accedat, & vt ex charitate & meritoriè baptismum accipiat, & super fidei fundamento salutem suam erigere valeat.

59 Immò vbi baptizandus sub conditione sit hæreticus, in quo non ex accidenti prior baptismus fuit nullus, sed ex suæ gentis & sectæ errore, multò magis est necessaria instructio, quàm sit in eo qui est absolutè baptizandus, & venit ex infidelitate. Quia in hæretico est necessaria fides explicita contra illos errores quos hæreticus habuit cõtra fidem, & quos explicitè detestari debet, tum vt illorum errorum pœniteat, tum vt ab illis recedere sciat, nec in eos contingat eum relabi. Et propterea in Concil. Constant. 1. can. 7. & in Rituali Romano edito iussu Pauli Quinti præcipitur, quòd Hæretici non admittantur ad baptismum nisi priùs instructi in fide. Et praxis Ecclesiæ etiam est, quòd hæretici non reconcilientur Ecclesiæ, nisi priùs erroribus expressè abiuratis.

60 Nec valet responsio data, quia, scilicet vbi Rituale Romanum præcipit, quòd hæretici prius instruantur, quàm baptizentur, quod etiam voluit Concil. Constant. 1. Can. 7. est sermo de baptismo publicè dato, ad quem præmitti debet instructio duplici de causa: Tum ratione dispositionis ad sacramentum vt tollatur culpa infidelitatis; Mengrelienses verò versantur in errore inuincibili. Tum secundò quia etiam si hæreticus errore inuincibili laboraret; Ecclesia præsumit culpam, & ideo ad remouendum scandalum Ecclesia præmittit instructionem: sed Mengralenses secretò baptizantur. Responsio enim ista veram & totalem causam necessitatis instructionis ante baptismum non attingit, Non enim ex eo solùm est necessaria instructio, vt homo de peccato præterito doleat, sed ex eo est necessaria quòd vera Christi fides etiam expressa est fundamentum totius Christiani ritus omnino præmittendum, & non sufficit implicita fides eorum, quæ credenda sunt explicitè. In hæretico verò reconciliando Ecclesiæ necessaria est expressa cognitio sui erroris, nedum vt possit dolere de peccato præterito, sed vt possit errorem ipsum detestari quatenus est contra fidem, & promittere Ecclesiæ veram fidem illi errori oppositam; & vt Ecclesiæ visibili visibiliter vniatur, & reconcilietur necesse est vt coram Ecclesiæ ministro ab errore visibiliter recedat, & ab eo visibiliter reconcilietur. vt intra gremium veræ fidei recipiatur. Quidquid ergo sit, an Mengrellenses sint infideles negatiue laborantes ignorantia inuincibili (quod ita absolutè & vniuersaliter dictum non admittitur) si aliàs non sint instructi, instrui debent, tum respectu eorum, quæ ab omnibus explicitè credi debent; tum respectu errorum, quæ ipsi habent contra veram fidem, vt sic ex vera fide prudenter possint & Baptismum suscipere, & visibiliter & expressè coram Ecclesia veram fidem profiteri, & obligationem ad legem Christi suscipere, & Ecclesiæ perfectè incorporari.

61 Dicitur secundò quòd, vbi periculum sit in mora, supposito tamen quòd infidelis adultus petierit Baptismum siue sit absolutè baptizandus siue sit ba-

fit baptizandus sub conditione, necessaria est vel nulla, vel talis ac tanta instructio, quanta potest haberi. Duplex enim casus distingui potest, & debet; Nam vel qui perijt baptismum est vsu rationis priuatus & periculum est in mora, qualis est vel qui in amentiam perpetuam incidit, vel moribundus iam sensibus destitutus; vel baptizandus est mentis compos, sed periculum est in mora, nec datur tempus plenæ instructionis. Si adultus, qui baptismum petijt non est mentis compos, & periculum est in mora nedum potest, sed debet baptizari sine alia instructione, si nihil aliud obstet. Ita *D. Thom.3.p.q.68.a.12.& ibi Caiet. Nugnus, Valentia*, & alij expositores, *Suarez disp.24.sect.1. Palaus tom.4.disp.4.puncto 11. in fin. Diana p.5.tract.13. ref.20.&* 22. & apud istos *Zambranus, Henriq. Toletus, & Quintanadnenas*. Et ratio est quia præceptum fidei expressæ non obligat ad impossibile; In eo autem casu fides expressa est illi baptizando impossibilis.

62 Nec obstat si dicatur, quòd modò in statu gratiæ sit necessaria fides expressa Trinitatis, & mysterij Incarnationis iuxta doctrinam D. Th. communiter receptam, & datam supra *q.1.num.7. &* 8. Quoniam & huiusmodi est necessitas præcepti, quæ ad impossibile non obligat, & sufficit quòd habeatur in voto, & in proposito, sicuti habetur in voluntate & petitione baptismi. *Diana d. ref.22. Vericel. d.q.120. Leander à S. Sacram. tract.2. de baptismo, disp.5. q.24.* & apud eum *Villalobos, Vega, & Arragon.* Immò si sit dubium, an moribundus iam sensibus destitutus petierit baptismum, posse baptizari sub hac forma: *Si petisti baptismum ego te baptizo &c.* tradit idem *Leander ibid.q.22.ex Soto 4. d.5.q.unica a.12.Nugno 3.p.q.68.a.12.* quia sic sine iniuria sacramenti consulitur saluti moribundi, quantùm fit ex parte Ecclesiæ. Quamuis idem *Leander ex iisdem DD. & Victoria q.* 26. admoueat, non esse moribundum baptizandum, si aliàs constet eum post petitionem baptismi vixisse in statu mortalis peccati, vt in concubinatu, quia vbi constet illum esse indispositum fieret iniuria sacramento, si illi concederetur. Et propterea dictum est supra moribundum hunc debere baptizari si nihil aliud obstet, quia si vel non petijset antea baptismum, vel in facie Ecclesiæ esset manifestè indispositus, non esset baptizandus.

63 Et per hæc patet responsio ad obiecta, ad hoc enim, vt coram Deo, & coram Ecclesia homo adultus prudenter, & perfectione necessaria ex vi legis fidei, & Ecclesiæ, baptismum suscipiat & visibiliter etiam fidem protestetur, & Ecclesiæ incorporetur, necesse est quòd credat exteriùs quæ explicitè sunt credenda, & præcipuè si veniat ex errore, necesse est, quòd expressè instruatur circa illum, vt errorem detestetur, si tempus adest & necessitas in oppositū non vrgeat. Nec obstat exemplum de Sacramento pœnitentiæ allatum, quia scilicet ante actualem instructionem potest pœnitens absolui, si habeat propositum addiscendi. Primò enim malè citatus est pro huius confirmatione *Castro Palaus loco cit.* vbi expressè ponit differentiam inter Pœnitentiam & Baptismum, & vult, quòd nulli adulto sit dandus Baptismus nisi sufficienter instructo; quia cum per Baptismum obligetur ad ea omnia credenda, & exequenda, huiusmodi obligatio non est imponenda ignoranti. At verò magnum est discrimen, quia per Baptismum homo incorporatur Ecclesiæ visibiliter, vnde Baptismus est extrinseca protestatio fidei, & per se fidem respicit vt extrinseca illius cōfessio, promissio, & obligatio, at verò nec secundùm prudentiam mundi sufficit confessio, promissio, & obligatio implicita & confusa, vbi est necessaria, & potest haberi expressa, specifica, & distincta.

64 Sed addo, quòd vel sententia illa non est probabilis, vel non est contraria supradictis. Nam instructio fidei & legis duplex esse potest, alia scilicet perfecta, & satis valde distincta, & clara, & ex parte suscipientis satis perfectè recepta & memoriter habita, seu perseueratura; Alia est imperfecta & talis, qualis sufficiat ad hoc, vt saltem pro illo tunc, & in ordine ad illum actum homo eliciat actum fidei expressæ in cuius virtute possit agere, Prior instructio nec ad absolutionem recipiendam, nec ad baptismum est necessaria. Sufficit enim vt baptizandus etiam adultus fidei articulos saltem crasso modo concipiat, & præcepta Decalogi discat, & orationem Dominicam, vt ex *Soto notat Sanchez d. l.2. c.3. num.24.* Nec opus est quòd memoriter sciat, sed satis est quòd interrogatus respondere possit, & quòd eorum substantiam percipiat, vt docet *Bart. à Ledesma sum. sacram. de baptismo n.14.* ad finem, & tradunt quàmplures apud *Sanchez ibid. nu.16.* Et sic sufficit tanta notitia Mysteriorum, & Decalogi, & orationis Dominicæ, quanta opus est vt baptizandus actu concipiat fidem expressam, & ex ea Baptismum suscipiat. Sed eum proportione hoc idem verum est in pœnitente. Licet enim perfecta instructio differri possit, talis tamen ac tanta est pro illo tūnc necessaria, quantùm opus est, vt de præterita negligentia doleat, & necesse est, vt in posterum à peccatis abstinere possit, & pro tunc opus sit vt in Deum se conuertat. Nec oppositum sentiunt DD. citati. Vnde vtrobique aliqua actualis instructio est necessaria, quàmuis maior sit huius necessitas in baptismo, quod est fidei sacramentum, seu vt dicebatur exterior fidei professio, promissio, & obligatio, & Ecclesiæ fidelium credentium incorporatio.

65 Sed & argumentum illud quia nimis probaret, si aliquid probaret, retorquetur; quia si probat, etiam probat quòd in adulto absolutè baptizando non sit necessariò præmittenda instructio, quia qui dicunt non esse necessariò præmittendam instructionem absolutioni, loquuntur de absolutione absolutè danda; igitur eadem est ratio de absolutè baptizando, & baptizando sub conditione, quod Vericell. negat. Et sic verè est, quòd formaliter non est distinctio, sed vniuersalissimè omnis baptizandus non instructus debet instrui, quantùm est necesse vt obediat præcepto de fide explicitè habenda & profitenda in baptismo.

66 Quod etiam de authoritate Ecclesiæ super hæretico qui nulliter fuit baptizatus adducit contra ipsum militat. Nam si constet de baptismo, dubium verò sit de eius nullitate, Ecclesia potest baptizatum punire, si à fide deficiat, quia possessio stat pro illa, & dubia nullitas iuri Ecclesiæ non præiudicat. Et sic locum habet doctrina *Gabriel. in 4.d.13.quæst.2.a.1.not.3.& simanch. de Cathol.inst. tit.31.num.5.* vt aduertit *Salelles lib.4. cap.12. regula 100.*

lu 100. num.151. Et quàmuis controuertatur inter DD. an isti nulliter baptizati & à fidei aliquo articulo recedentes sint verè hæretici; Affirmant enim *Castra l. 1. de iusta haret. punit. cap.8. Bannes supra q. 11. a. 2. Azor. l. 8. c. 9. q. 3. Farin. de har. q. 178. num. 131. & 132.* Negant verò *Arragon. supra q. 11. a. 2. dub. 3. Toledo l. 4. c. 1. §. 1. num. 2. & 3. Sayrus in Thes. tom. 1. l. 3. cap. 4. num. 11.* quos refert & sequitur *Sanchez l. 2. in Decal. cap. 7. num. 34. quas ex Suarez in concordiam redigit Sallellus loco citat. num. 139.* vt prima opinio sit vera coram Deo, secunda coram Ecclesia. Tamē vbi non constat de nullitate baptismi si constet de baptismo isti habentur et hæretici etiam apud Ecclesiam, cum illi constet de Baptismo. Sed vbi constet de nullitate baptismi, nec coram Ecclesia, nec coram Deo isti subduntur pœnis in hæreticos latis per Ecclesiam, quia verè non sunt hæretici coram Ecclesia cum non sint baptizati, vt tradunt *Sanchez, Suarez & Salleles citati.* Et nihilominùs tales cogi possunt ad suscipiendam veram fidem, & baptismum vt dixerunt *Sayrus, Sanchez, & Salleles citati post Henriquez l. 2. de baptismo cap. 15. n. 6.* At verò si Ecclesia vellet eos ad baptismum, & veram fidem compellere, deberet eos de veritate instruere, & ita faceret sine dubio, nec contenta esset illa fide & obligatione virtuali, & implicita, quam tales susceperunt, dum baptismum licet nulliter acceperunt, sed vellet eos verum baptismum suscipere, & expresse obligari ad veram fidem; vnde illos non instructos instruere deberet, & qua necessitate obligari possent, ea instrui deberent, quantùm opus esset, vt Ecclesiæ satisfacerent.

67 Concluditur, in hoc non esse discrimen inter Mengrellenses, & Aethiopes, seu qui sunt ex Cinea, Congo, & Angola. De istis enim benè dixerūt *Ildephonsus Sandoual in instruc. pro Aethiop. l. 3. cap. 1. 7. & 10. & Didacus Ramirez de Mantoya in instruc.* pro baptismo Aethiopum num. 16. & Quintanaduennas trac. 1. sing. 15. quòd vbi sunt vel absolutè vel sub conditione rebaptizandi, priùs debent instrui, sed sic etiam debuit dici de Mengrellensibus vbi non sint instructi.

68 Tandem pro huius puncti maiori doctrina considerandum, quòd cum fuerit aliquorum opinio, quòd liceret Missionarijs metuentibus Ethnicorum infirmitatem abscondere suscipientibus baptismum Christi Domini passionem, crucem, & mortem, & prædicare eius glorias. Opinio ista meritò per Decretum Sact. Inquisitionis Romanæ anno 1645. fuit damnata. Cum enim à Missionarijs Chinæ seu synarum casus iste fuisset propositus Sacr. Congreg. nempe: *Si tenerentur prædicatores Euangelij prædicare in illo Regno Christum crucifixum, & ostendere eius Sanctissimam Imaginem, maximè in Ecclesijs nostris? Causa huius dubitationis est, quia Gentiles scandalizantur ex tali prædicatione, & iudicant maximam esse stultitiam.* Qualificatores Sancti officij.

Censuerunt: *Nulla prudentia, aut prætextu differendam esse doctrinam passionis Christi post baptismum, sed omnino præmittendam: Ad actualem verò prædicationem Christi crucifixi licet non tenentur ministri Euangelij in singulis concionibus, sed ad proponendum verbum Dei, ac Diuina mysteria prudenter, & opportunè, & ad illa pro catechumenorum captu explicanda; non tamen à sermonibus Passionis Domini nostri abstinere tenentur, ea ratione, quod Gentiles inde scandalum sumant, & stultitiam putent. Censuerunt etiam, conueniens esse, vt in Ecclesijs Imagines habeantur Christi crucifixi, & ideò curandum esse, vt quoad opportunè fieri potest exponantur.* Hanc responsionem approbauit suo Decreto Sacra Congregatio de propaganda fide, & eadem Congregatione supplicante SS. D. N. Innocentius X. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Sanctitati suæ, ac Sedi Apostolicæ specialiter reseruatæ obseruari præcipit.

S V M M A R I V M.

1 *Baptismus supponit consensum, & pœnitentiam peccatorum. n.69.*

2 *Hæreticum peccatorem publicum moribundum à sensibus alienatum posse baptizari, qui asserant. num.70.*

3 *Nequit absolui qui nulla dedit aut dat pœnitentiæ signa. nu.71.*

4 *Eadem est ratio de Baptismo. n.71.74.*

5 *In publico pœnitente non potest præsumi vera pœnitentia si cum potuit, nullum signum pœnitentiæ dedit. nu.72.*

6 *Difficiliùs in non baptizato præsumi potest voluntas aut dispositio ad baptismum, quàm in baptizato ad alia sacramenta. n.73.*

7 *In baptizando prærequiritur generalis confessio peccatorum. n.73.*

8 *Intellectus loci S. Aug. lib. de adulter. coniugijs. num.75.*

9 *An in moriente in exercitio peccandi præsumi possit pœnitentia. n.76.*

10 *Non est eadem ratio de sepultura & Baptismo. num.76.*

11 *Sepulturæ priuatio est pœna non irroganda nisi constet de culpa. nu.76.*

12 *Baptismus non debet dari sub conditione, quæ illum incertum reddat. n.77.*

13 *Non potest quis baptizari sub conditione ista, si es contritus &c. nu.77.*

14 *Qui dat signa dubia suæ dispositionis, potest secundùm aliquos baptizari. n.78.*

15 *Baptismus nequit dari impœnitenti. n.79.*

16 *Duo sunt necessario agenda à ministro Baptismi. num.80.*

17 *Qualiter constare debeat de dispositione suscipientis Baptismum. n.79.80.*

18 *Si petens baptismum dat sufficientia signa dispositionis minister debet deponere dubium, quod habet de eius indispositione. n.81.82.*

19 *Vbi sit rationabile dubium de dispositione baptizandi si sit sanus non potest baptizari. nu.81.*

20 *Destitutus sensibus in dubio an sit dispositus est baptizandus. n.82.*

21 *Peccant dubitans de dispositione pœnitentis, si illum absoluat. nu.82.*

22 *Moribundus dans pœnitentiæ signum dubium, nec potens dare maius potest baptizari. n.82.83.*

23 *Qualis moribundus dubius baptizari possit. numer.84.*

69 DVbitatur quintò an hæreticus moribundus publicus concubinarius, si sit sensibus destitutus, vt nulla possit dare pœnitentiæ signa,

bapti-

baptizari possit? Supponit dubium, necessarium esse ad baptismum consensum recipientis, secundum D.Th. communiter receptum 3.p.q.68.a.7. *& habetur cap. maiores, de baptismo, dist.4.* & quòd simul ex parte recipientis sit necessaria detestatio peccatorum eorumque dolor, & pœnitentia, secundum eundem *D.Thom.d.q.68.a.6.* Quo stante difficultas est an hæreticus nulliter baptizatus qui in sanitate non petijt baptismum, nec signa pœnitentiæ dedit, sed in manifesto statu peccati vixit, & postea moribundus existit possit baptizari, tunc cum non potest dare aliquod signum pœnitentiæ?

70 Affirmat *Angelus Maria Vericell. de Missionarijs Apostol.q.121.post Coniacb. de sacram.q.64.a.8. num.103. & probatur primo* ex S.*Aug.lib.de adulter. coniugijs cap.vlt.a.6.* secundo quia in dubio id sumi debet, quod est verosimilibus, iuxta *reg. in obscuris de reg.iuris in 6.& l.in obscuris ff.de reg.iuris.* Tum tertiò quia similis concubinarius, si esset Catholicus sepeliendus esset in loco sacro, vt experientia est comprobatum. Tum tertiò quia in dubio salus hominis præualere debet fauori sacramenti.

71 Sed dicendum est oppositum. Tum primò, quia ex communi DD. sententia, & praxi ei, qui nulla dedit, aut potest dare pœnitentiæ signa, etiam si sit moribundus, etiam si aliàs fuerit bonæ vitæ, non potest dari absolutio sacramentalis, igitur à fortiori multò minùs Mengrell. aut cuicumque peccatori publico moribundo, qui nec dedit, nec dare potest pœnitentiæ signa, potest conferri baptismus. Nec valet responsio si dicatur esse disparem rationem, quia pœnitentia est pars sacramenti pœnitentiæ, in baptismo verò est sola dispositio, non verò potest confici sacramentum sine materia sensibili; sed ad Baptismum sufficit præsumptio interioris pœnitentiæ. Nam sicut non potest confici sacramentum sine materia sensibili sic nec sine sensibili dispositione; sacramenta enim sunt res sensibiles, & sensibilia sunt quæ ad ea requiruntur. Ideo non peccat minister si extrinsecè contrito sed fictè, & nulliter coram Deo impendit absolutionem, at vero peccat si sensibiliter indisposito licet interius forsan sit dispositissimus aliquod sacramentum nedum pœnitentiæ, sed Eucharistiæ confert, etiam si pœnitentia non sit pars Sacramenti Eucharistiæ, sed sit ad illam dispositio Et quantùm ad necessitatem hanc parùm interest quòd pœnitentia sit tantùm dispositio, vel sit etiam pars sacramenti; quia semper fit iniuria sacramento, si detur non habenti dispositionem, siue illa sit, siue non sit pars sacramenti.

72 Vel ergo habetur præsumptio quæ sit sufficiens sensibile signum internæ pœnitentiæ, & non potest pœnitenti negari absolutio. Tantum autem abest, quòd præsumptio habeatur pœnitentiæ interioris in publico concubinario in extremis existente sine aliquo signo pœnitentiæ, quòd nec habetur in eo, de quo aliàs non constat vixisse in statu peccati. Et quidem, quæ vel leuissima coniectura haberi potest vere pœnitentiæ in illo qui nec tempore sanitatis, nec tempore infirmitatis vel minimum pœnitentiæ signum dedit, quòd postea pœnitere velit cum est in extremis? Potiùs vehemens præsumptio est in contrarium, quia transitus voluntatis de peccato habituali cui tenaciùs peccator adhæsit omnia conscientiæ remorsu côtempto, & Dei timore neglecto ad statum veræ pœnitentiæ est difficillimus. Et licet timor inferni possit vrgere voluntatem, quam parum nihilominus valeat hic timor, dicere possunt tot damnati ex Christianis, qui post suscepta sacramenta (adulti enim Christiani ferè omnes sacramentis muniti moriuntur) nihilominùs ex defectu dispositionis indignè illis susceptis in suis peccatis moriuntur. Licet enim timor gehennæ valeat, vt de facili excitet in voluntate affectus aliquos conditionatos, seu velleitates, difficile tamen est quòd talis peccatoris animus etiã ex timore moueatur ad voluntatem absolutam, qua absolutè detestetur peccatum, & ab eo recedat Et ideo huiusmodi conuersiones non fiunt de facto, sine speciali Dei gratia. Non est igitur vnde in publico peccatore habituato, & ea malitia persistente in peccato qui vbi dum potuit nec minimum signum pœnitentiæ dedit, dum sine vsu sensuum est in extremis vel leuiter præsumi possit, & haberi pro pœnitente, & disposito ad Baptismum. Et tandem mutatio voluntatis est quid facti quod non præsumitur, nisi probetur.

73 Dices forsan, non esse eandem rationem de Baptismo, & Sacramento Pœnitentiæ: quia in hoc eo quod datur in forma iudicij necesse est, quòd pœnitens se accuset, quod nequit fieri sine aliquo signo externo, quia accusatio debet esse sensibilis, quæ ratio locum non habet in alijs Sacramentis vt in Sacramento Eucharistiæ & extremæ Vnctionis, pro quibus recipiendis sufficit illa voluntas generalis quam habent fideles profitentes Christianam fidem suscipiendi in articulo mortis ea remedia quæ à Christo pro illo articulo fuerunt instituta, vt dixit *Card.de Lugo de Pœnitent. disp.17. num.39.* Sic ergo nec ad Baptismum erit necessarium quòd præcedat illa sensibilis significatio pœnitentiæ, quæ est necessaria in Sacramento Pœnitentiæ. Sed ex hoc retorquetur argumentum: Nam vbi constat de baptismo, quod est exterior professio Religionis Christianæ, & veluti expressio voluntatis vniuersalis suscipiendi Sacramenta à Christo instituta, quando id fuerit necessarium, faciliùs potest in homine fideli præsumi voluntas, & dispositio ad alia Sacramenta, sed respectu baptismi, quem alia exterior professio, & promissio, seu obligatio non præcedit, non est vnde tam de facili præsumatur voluntas illum suscipiendi, & ad illum dispositio. Cæterùm licet baptismum non præcedat confessio peccatorum necessariò: nihilominùs in suscipiente baptismũ necessaria est petitio illius, qui nequit dari inuito, & non pœnitenti, & est in eo etiam necessaria generalis peccatorum confessio, vt habet *D. Thom. 3.p.q.68.a.6.* vnde baptizandus abrenunciat sathanæ & pompis eius antequam baptizetur. At verò, qui in concubinatu aut alio peccati statu viuit, nec quando potuit vel minimum signum voluntatis baptismi dedit, talis nec abrenunciat diaboli, nec petit baptismum, nec vt pœnitentem abluendum se præsentat Ecclesiæ.

74 Sicut igitur moribundus, etiam qui aliàs bene vixit, non potest absolui si nullum signum pœnitentiæ dedit; multò fortiùs non potest baptizari si aliàs sit etiam publicus concubinarius, & in statu peccati viuens. Et hoc nedum quia de publico peccatore multò minùs potest præsumi pœnitentia sed quia hæc multo minùs præsumi potest in infide-

li non baptizato. Nec iuuat si dicatur, quòd vbi infidelis sit baptizatus licet nulliter, & professus sit Christi fidem, ex vi voluntatis qua primum baptismum suscepit præsumi potest veri baptismi voluntas, quia nequit huiusmodi voluntas præsumi in eo, qui nunquam baptismum petijt, & sic viuit, quòd publicè peccator est. Vnde nec est cur dicatur, quòd *Mengrellensis* concubinatius etiam si nulla signa pœnitentiæ dedit possit baptizari.

75 Nec oppositum probatur ex *S. Aug. loco citato*, quoniam *S. August.* non docet hos similes peccatores adulteros posse absolutè in casu mortis absolui, sed sub conditione; scilicet, si & intra se pœnitentes iacuerint; Quod non potest intelligi nisi de pœnitentia Ecclesiastica; ideoque aliquo signo externo significata; Aliter ridicula esset conditio, admittere, quòd tales baptizari possent sub conditione si interius peniteant, cum hoc non possit sine sensibili signo constare. Non verò ibi ait Sanctus, quòd hoc possit, vel debeat præsumi. Et si hoc intendisset, non debuisset loqui sub conditione, sed absolutè dicere tales tanquam præsumptos pœnitentes posse baptizari. Sed & additur, quòd *S. Aug.* ibi loquitur de Catechumenis, vt patet ex illis verbis. *Ego non solùm alios Catechumenos verùm etiam ipsos qui vehementiã coniugijs copulati retinent adulterina consortia &c.* Catechumeni verò ad minùs petierunt baptismum, vnde de illis faciliùs potest præsumi pœnitentia; maximè quòd loquitur non de quomodocumque publicè peccantibus, sed de ijs, qui secundùm ritum suæ gentis & sectæ viuentium coniugijs copulati retinebant adulterina coniugia, vnde faciliùs præsumi poterat, quod ex quo baptismum petierant, decreuissent permanere in eo statu solùm vsque ad tempus baptismi, vt idem Sanctus Doctor insinuat. Non ergo ex eo loco potest colligi, quòd in publicis peccatoribus tempore mortis præsumi possit pœnitentia, si nullum signum pœnitentiæ dederunt.

76 Ad secundùm verò iam patet responsio ex dictis. Ad tertium dicitur primo, quod imò si quis occidatur in facinore, quod nullo modo excusari possit à mortali, secundùm *Bassæum v. sepultura n.5.* non præsumitur contritus decessisse, quia mutatio animi est quid facti, quòd non præsumitur, sed ostendi debet. Sed quidquid sit de hoc, secundò dicitur quòd longè diuersa est ratio de peccatoribus fidelibus qui in peccati aliquo exercitio moriuntur, vt de adulteris à marito occisis, de morientibus in cornibus tauri, & de mutuò se occidentibus quibus multoties non negatur Ecclesiastica sepultura, & de suscipientibus Sacramenta, & præcipuè baptismum & pœnitentiam. Nam omnis Catholicus habet ius vt sepeliatur in Ecclesia. *cap. Ecclesiam de consecr. disp.1. & cap. sanè 24. q.1.* Et propterea priuatio sepulturæ est pœna, quæ non potest infligi nisi ob culpam, est enim veluti quædam partialis excommunicatio, *cap. ex parte de sepulturis*, vnde non priuantur ex fidelibus, nisi hæretici, excommunicati, interdicti, morientes in duello, occidentes se ipsos, meretrices publicæ impenitentes, & similes *Syluest. v. sepultura num.9.* Et quia pœna non irrogatur nisi constet de culpa, ideò priuari sepultura est pœna non irroganda nisi constet de delicto, & ideo sufficit quòd nõ constet quòd decesserint in peccato ad hoc vt peccatoribus non negetur sepultura. Vnde est quòd ad hoc vt peccator aliquis quantùmuis publicus, & notorius, sepeliatur sepultura asini, necesse est quòd constet illum decessisse in mortali. Vnde DD. dicunt illum etsi notorium peccatorem non sepeliendum in Ecclesia quem cõstat in mortali peccato decessisse. *Glossa in cap. ex parte de sepulturis, & ibi Panorm. nu.3. Barbosa n.5.* & apud eum *Conar. Petrus Greg. Gutierez & Lanor. Item Panorm. in rubr. de testam. n.3. Sylu. v. sepultura num.9.* Vnde in *quæst. super. 187. a.7. num.* dictum fuit, quòd ex eo solo quod apud Religiosum inueniatur pecunia, non constat eum decessisse proprietarium. Sed econtra Sacramenta non sunt debita nisi ea petentibus, & dispositis & solũ sunt ministrãda illa petentibus, & quærentibus, & præcipuè Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, quæ nõ nisi abrenunciantibus peccato tradi debent. Vnde huiusmodi Sacramenta ea non petentibus & non ostendentibus prout de iure se dispositos meritò negantur, & negari debent. Et sic in neganda sepultura superior est veluti actor, cui incumbit onus probandi, quòd fidelis in peccato decesserit, sed in materia horum sacramentorum fidelis ipse est veluti actor ad quem pertinet se probare dispositum; quàmuis de facili id præstet, quia ipsi petenti creditur, nisi aliud sit, quod fidem eius tollat, vt ei credi non debeat. Fallitur igitur valde argumentum, quia in casibus relatis si non negatur sepultura, nõ est, quia Ecclesia præsumat eos contritos decessisse; sed quia considerandis consideratis præsumptio, quòd mortui fuerint non contriti minuitur & debilitatur, ne reddat impœnitentiam manifestam. Alias enim præsumptio quòd notorius peccator, qui nulla signa pœnitentiæ dat sit in rei veritate pœnitens de se leuissima est, vel potiùs nulla, nec sufficit, vt tali possint tribui Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ.

77 Ad quartum dicitur, nullum hic esse dubiũ, sed imò esse certum, & manifestum, quòd huiusmodi moribundus non est in foro Ecclesiæ dispositus vt ei Sacramentum Baptismi conferatur. Sed forsan dices, quòd in nostro casu poterit tali moribundo dari Baptismus sub conditione, sicut quàmplures DD. dicunt, quòd in simili casu moribundus potest absolui sub conditione. Sed respondetur, quòd quidquid sit de hoc assumpto, de quo valde contrarij sunt quàmplures DD. quos refert *Leander à SS. Sacramento tract.5. de Sacram. Pœnit. disp.5. q.46.* & de ea videri possunt *Card. de Lugo de Pœnit. disp.17. & alij plures ab eo relati*; non est eadem ratio de Sacramento Pœnitentiæ iterabili, & de Sacramento Baptismi non iterabili, si enim absolutio data sub conditione sit inanis ex indispositione subiecti, non tam multùm interest, quia absolutio potest reiterari sine aliqua iniuria Sacramẽti. Sed Baptismus ex sua specie est non iterabilis; ideo potest quidem dari Baptismus subconditione, quæ non reddat ambiguum & dubium eius valorẽ, vt cũ dicitur: *si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* Sed non licet baptizare sub cõditione quæ valorem baptismi ponat in contingenti in facie Ecclesiæ. Nam contra ipsam naturam baptismi est quòd sit fidei incerta professio, & quòd baptizatus sit incertus Ecclesiæ filius. Modò si quis baptizaret moribundum dicendo, *si es contritus te baptizo*, non constaret Ecclesiæ an ille esset verè baptizatus, & iterum esset rebaptizandus, non sine iniuria Sacramenti,

menti, vnde vel moribundus iste absolutè, vel nullo modo est baptizandus.

78 Sed quid dicendum, si moribundus dederit aliqua signa doloris, sed Sacerdos propter suam ruditatem, aut aliam causam dubitat, de vero interno dolore, & proposito, Sacerdos potest ne illum baptizare *Vericell enim q.112.* etiam respectu hominis sani putat quòd in hoc casu Sacerdos possit illũ baptizare. Tum primò, quia Confessarius, potest & debet absolutè absoluere pœnitentem dantem externa signa doloris, quàmuis dubitet de interno eius dolore, vt quotidiana praxis ostendit. Tum secundò, quia cum Sacramenta sint instituta ad fauorem hominis, stante dubio veluti cedunt iuri suo, vt proximorum saluti consulatur, & periculo ipsorum salus non exponatur. Nulla enim Sacramento fit irreuerentia, si ex rationabili causa exponatur periculo propter salutem proximi. Tum tertiò, quia moribundus destitutus sensibus, qui dat signa dubia doloris, & ignoratur an sint signa cõtritionis vel angustiæ mortis, potest absolui saltem sub conditione; potest enim prodesse proximo, & tollitur iniuria Sacramenti ex apposita conditione, vt tradunt *Layman l.5.tr.6.cap.8.nu.4.* & *Diana p.3. resol.3.*

79 Distinguendum hic est inter obligationem deponendi dubium, & inter potentiam dandi baptismum manente dubio de sufficienti dispositione subiecti. Quod enim Baptismus non possit tribui peccatori non pœnitenti, seu non habenti propositum cessandi à peccato est certum de fide, vt habetur ex *D.Tho.3.p.q.68.a.4.* & probat ibidem *Suar. disp.24.sect.2. Nam & Actorum 2.* dicitur *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*, vnde est quòd baptismum debet præcedere pœnitentia, & quòd impœnitenti non potest cõferri baptismus. Quomodo autem baptizanti debeat constare de pœnitentia interiori baptizandi, constat non esse hic necessariam maiorem certitudinem, quàm fidei humanæ, vt tradit *Suarez loco citat.* Vnde & *D.Th. ibid.* ad secundum non requirit nisi quòd baptizandus det aliquod signũ interioris detestationis peccati; & ampliùs certum est, quòd in huiusmodi credendum est pœnitenti, nisi aliunde dictum pœnitentis præsumatur falsum, vt idem *Suarez tradit to. 4.in 3.par.disp.32.sect.2.num.2.* de pœnitente in ordine ad confessionem. Quamobrem ministranti Sacramenta duo sunt necessaria. Primum est quòd adhibeat diligẽtiam vt sibi constet de interiori dispositione illius, qui vult recipere Sacramentum, vt in generali de Sacramentis in genere tradit *Suarez tom.3.in 3.par.disp.18.sect.2. & de Sacram. Baptismi* idem docet *disp.24.sect.2. & D.Thom.d. q.68. art.4.* Secundum est, quòd Sacramentum non det nisi sibi constet de interiori dispositione illud suscipere volentis, nisi scilicet, vt habet *D. Thom. ibid. ad 2.* appareat aliquod signum illius interioris dispositionis, signum scilicet tale, ac tantum vt probabiliter, & quantum fert humana fides indicet illum esse sufficienter dispositum. Et sic diligenter debet minister Baptismi inspicere an baptizandus adultus sit in aliqua proxima occasione peccandi, & an illam verè relinquere velit, & an sit illi præstanda fides, si dicat, se velle illam relinquere, si velit restituere alienum, quod possidet, & similia quæ etiã consideranda sunt à ministro Sacramenti Pœnitentiæ, & de quibus videri possunt *S. Anton. 2.par.tit.3. cap.8. & 3.part.17.cap.19. Syluest. ver. Confess.q.12. Nauar. cap.26. num.2. & seqq. Caiet. ver. restitutio cap.6.*

81 Itaque si suscepturus baptismum dat reuera sufficiens signum suæ interioris dispositionis, cum etiam minister Sacramenti ei credere debeat, si idẽ minister ob suam ruditatem, vel alia ex causa irrationabili, & non valente ad diminuendam fidem pœnitentis sit dubius de eius dispositione debet ipse dubium deponere, & ad id in conscientia tenetur, nec licitè potest Sacramentum negare disposito, cum ad id ex officio teneatur, vel in casu necessitatis ad id ex charitate & religione obligetur. Sed si signum interioris dispositionis non sit sufficiens, ideoque minister rationabiliter indicet dubium esse, an ille sit dispositus, illeque est sanus nec adest necessitas dandi tunc baptismum, omnino improbabile & falsum est, quòd minister sic dubius possit illum baptizare, quia hoc est sine necessitate exponere se periculo sacrilegij, & dandi Sacramentũ indisposito. Si verò baptizandus sit moribundus, adhuc dici debet, quòd si potest dare certiora signa suæ interioris dispositionis, illa exquirere tenetur minister, qui nec potest eadem ratione exponere se periculo, vt det sanctum cani. Sed si moribundus sit sensibus destitutus, nec possit haberi aliquod certius signum, in eo casu poterit baptizari; quoniam in periculo maioris, & minoris mali minus est eligendum; est verò maius malum quòd pereat anima, nec Deo reconcilietur, quàm quod in aliquo singulari Sacramentum suo effectu frustretur. Nec dico quòd inter duo peccata minus sit eligendum, quia nunquam est peccandum, & in præsenti Sacramentum manere sine effectu de se nullum est peccatum; sicut nec peccatũ est animam damnari, licet hoc non sit sine peccato animæ damnatæ, & ideo hoc malum est maius, & potiùs est vitandum, quàm quòd Sacramentum semel sine effectu remaneat, quod per se nec est peccatum, nec est coniunctum cum peccato; Sacramentum enim non implicat ministrari inualidè sine peccato tam conferentis, quàm recipientis.

82 Ad obiecta in oppositum respondetur, nec praxi, nec ratione niti, quòd Confessor dubius rationabiliter de dispositione interiori pœnitentis possit illum absoluere, & hoc est prorsus improbabile & falsum. Si verò est irrationabiliter dubius, quia vel quærit maiorem certitudinem, quàm sit necessaria, vel motiua dubij sunt leuia, debet deponere dubium, aliàs si in dubio pœnitentem absoluat peccat, quia nequit absoluere nisi sibi per signa sufficientia appareat pœnitentem esse dispositum, & id saltem humana fide credat. Ad secundum dicitur, quòd regula assumpta nisi explicetur est valde falsa. Vbi dubium est ex parte petentis Sacramentum, qui potest si velit, & debet tollere causam dubij, nec Sacramentum censetur cedere iuri suo, nec fas est fauere homini sic cum dubia dignitate ad Sacramentum accedenti, sed homo se dignum sine dubio debet ostendere vt Sacramentum recipiat. Ministri verò debitum est, vt omne irrationabile dubium deponat.

83 Ad tertium dicitur, quòd etiam alij DD. quos refert, & sequitur *Leander. à SS. Sacram. Pœnit. disp.5. q.45.* tenent, quòd moribundus qui dat

ſigna incerta an veniant ex contritione peccatorum aut ex moleſtia morbi, poſſit abſolui ſaltem ſub conditione. Sed hoc non negato remanet difficultas, quia vt dictum eſt ſupra, & fatetur idem *Veric.* Baptiſmus non debet dari ſub his conditionibus, quæ illius valorem dubium reddere poſſunt, quia aliter vel Baptiſmus eſſet poſtea abſolutè iterandus, vel baptizatus remaneret in ſtatu dubio, & forſan damnaretur. Nihilominùs ratione ſupradicta dicitur, talem poſſe abſolutè baptizari, quia ex duobus gratius Deo eſt quòd nō pereat creatura ſua, quàm quòd ſenſibile aliquod ſignum à ſe pro ſalute ſuæ creaturæ inſtitutum non exponatur periculo, ne fruſtretur aut indigno conferatur. Et quia hic poteſt eſſe duplex dubium, primum an dolor internus ſufficiens adſit, ſecundum eſto quòd adſit an adſit petitio baptiſmi, & ſic an dolor ille referatur ad baptiſmum recipiendum, & ſit in eo voluntas baptiſmi, in vtroque dubio rationabile eſt moribundum baptizare, vt in ſimili de moribundo in ordine ad abſolutionem tradunt *Leander ſupra citatus & alij apud ipſum*. Verùmtamen duo aduertenda ſunt.

84 Primum quòd hoc non poteſt eſſe verum de dubio merè negatiuo, quod eſt illud, in quo ex nulla parte datur ratio aliqua, ſed nec vna nec altera pars apparet, quia ſi nullum apparet ſignum interni doloris, pro non dolente haberi debet peccator. Secundò quia non eſt omnino eadem ratio de baptiſmo, & confeſſione quia fidelis ſciens remedium ſalutis ſuæ eſſe poſitum in ſuſceptione Sacramenti Pœnitentiæ, ſi in morte oſtendit ſigna doloris, cenſendus eſt id facere in ordine ad Sacramentum, & tanquã quærens remedium ſibi à Chriſto conceſſum, vt bene aduertit *Card. de Lugo diſp. 17. nu. 29. & 30. de Pœnitentia* & apud eum *Layman lib. 5. tr. 6. cap. 8. num. 4. Zambranus de caſibus tempore mortis cap. 4. diſt. 1. ſect. 4. Pharaonius de Sacram. Pœnit. tract. 1. ſect. 16. caſu 15. Diana p. tract. 3. reſ. 2. Chapennuille de Sacrament. conſtrund. tempore mortis cap. 4. q. 11.* & ideo bene poteſt abſolui. Sed in infideli etiam hæretico, etiam *Mengrel.* qui neceſſitatem noui baptiſmatis iuxta ſuæ gentis errorem non agnoſcit, niſi ſigna det ex quo inuitatur ad baptiſmum, ſed nullus ei de baptiſmo loquatur, vel ſaltem ſigna non det Sacerdoti aut viro Catholico, quaſi inuitanti illum ad ſibi porrigendum Catholicum remedium, vel aliunde aliquo rationabili iudicio non colligatur, quòd ſigna fiant intuitu baptiſmi, non erunt ſufficientia vt etiam in caſu mortis detur illi baptiſmus; quia imò poterunt eſſe ſigna ex infidelitate, nō verò ex veræ fidei amore manantia. Nam & infideles peccata deteſtantur, & aliquod numen colunt. Debet ergo dari aliquod indicium quod ſit in moribundo vera fides, quàmuis huiuſmodi indicium non ſit tale, quod tollat dubietatem, & poſſit generare opinionem aut fidem; Nam aliàs ſi nihil appareat fidei veræ, pro infideli, & indiſpoſito habendus eſt.

SVMMARIVM.

1 *Duplex difficultas. num. 85.*
2 *Vbi prius ſacri ritus adhibiti non fuere, adhiberi debent in rebaptizando. num. 86.*
3 *Quandò ſacri ritus priùs adhibiti fuerunt non eſſe neceſſe illos repetere aliqui volunt. n. 87.*
4 *Contrarium eſt verum. n. 88.*
5 *In Baptiſmo priuato non eſt neceſſarius patrinus. num. 80.*
6 *Laicus in præſentia Sacerdotis non poteſt rebaptizare. num. 90.*
7 *Vtile etiam apud hæreticos baptizare ſolemniter. num. 91.*
8 *Qualiter Miſſionarij vti poſſint veteri chriſmate. num. 92.*
9 *In Indijs quatuor ſeruanda à baptizante: numer. 93.*
10 *Seruandi ſacri ritus in Baptiſmo Sinarum. numer. 94.*
11 *Priuilegium conceſſum Societati ad decennium. num. 95.*

85 DVbitatur ſextò. An in Baptiſmo infidelium ſeruandæ ſint ſolemnitates ab Eccleſia inſtitutæ. Cum certum ſit non poſſe abſolutè conferri baptiſmum ſine ſolemnitatibus, niſi in caſu neceſſitatis & periculi, & quòd vbi aliquis fuit baptizatus ſine ſolemnitatibus ſolemnitates poſtea ſunt perficiendæ, vt ex Rituali, & praxi eſt manifeſtum, ex duplici capite poteſt hic oriri difficultas. Prima eſt, an vbi iteratur baptiſmus ex nullitate prioris ſit neceſſe repetere ſolemnitates baptiſmi, ſecunda, an Religioſi Miſſionarij ex priuilegio aliquam ex ſolemnitatibus omittere poſſint.

86 Quantùm ad primam difficultatem, ſine controuerſia dicendum eſt, quod vbi prior baptiſmus nullus datus fuit ſine ſacris ritibus, & Eccleſiæ ſolemnitatibus, neceſſe eſt iterare baptiſmum & ſacros ritus, vt baptiſmus non niſi cum ſui ſolemni ornamento tribuatur, ſi fieri poteſt. Nam cum Parochus ſub mortali teneatur ad adhibendum ſacros ritus in baptiſmo abſolutè prima vice dato, vt dicunt *Sotus in 4. d. 6. q. 2. a. 3. Viguer. inſtit. cap. 16. §. Valentin tom. 4. diſp 4. q. 2. p. 1.* eadem ratione ſi Baptiſmus ob nullitatem prioris iterum detur, ſi priùs ſacri ritus non præceſſerunt, debent iſti haberi ſimul cum Baptiſmo, ne detur baptiſmus non ſolẽni ſuo ornamento decorus. Et ita hanc partem tenuerunt *Layman lib. 5. tr. 2. cap. 8. num. vlt. Quintanaduenas, & Montoya*, quos refert, & ſequitur *Vericell. in quæſt. moral. de Miſſion. q. 118.*

87 Dubium ergo eſt quando in priori baptiſmo nullo adhibiti fuerunt ſacri ritus, an quando poſtea ob nullitatem prioris baptiſmatis vel abſolutè, vel ſub conditione iteratur baptiſma, ſit neceſſe etiam ſacros ritus iterare. Negant enim *Suarez tom. 3. in 3. par. diſp. 31. ſec. 7. §. ſeptimò inquiri poteſt, Bonac. de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punct. vlt. num. 22. Vericell. in quæſt. moral. de Miſſion. qu. 118.* & apud eum *Viualdus, Fernandez, Quintanaduenas, Henriq.* ſibi contrarius, *Coninch, Trullench, & Franciſcus Lugo*, & probatur tum primo, quia non eſt neceſſe repetere ſolemnitates in reualidatione matrimonij. Tum ſecundò quia ſufficit, ſi ſacri ritus adhibeantur lõgo tempore poſt baptiſmum datum ſine ſolemnitate, igitur eadem ratione ſufficiet ſi habiti fuerint ante baptiſmum. Tum tertiò quia huiuſmodi ritus conſiſtentes in Catechiſmo, Exorciſmo, & vnctionibus ſunt diſpoſitiones ad Baptiſmum, nec eſt contra naturam rerum, & formarum, vt præcedant for-

formam. Tum quartò, quia saltem vbi reperitur baptismus sub conditione, non est tanta necessitas adhibendi huiusmodi sacros ritus.

88 Ex altera parte, quòd solemnitates huiusmodi sint repetendæ, dixerunt *S. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 13. §. 12. Victoria de Sacram. num. 37. Palud. in 4. d. 6. q. 4. Bartholomaus ab Angelo Dial. 2. §. 69. Henriq. lib. 2. cap. 15. nu. 4. Regin. l. 28. num. 3. Palaus to. 4. tr. 59. q. t 2. num. 24.* Ex eo quia huiusmodi ritus sint accessorij Sacramenti & ad eius ornamentum spectantes, & quia non decet, quòd quis ingrediatur Ecclesiam Christi abrenunciando sathanæ, nisi profiteatur fidem, cum solemnitate, & Ecclesia mater non nisi visibili cum pompa Christo sponso filium consecret. Nec est eadem ratio de solemnitatibus matrimonij, quia præsentia Parochi & testium requiritur in testimonium, quo non est opus in reualidatione matrimonij in facie Ecclesiæ celebrati. Benedictiones verò nuptiales non sunt intrinseca ornamenta contractus matrimonij, sed illum supponunt, & post illum tribuuntur. Non verò est eadem ratio de ritu baptismi post baptismum ex necessitate celebratum, & de præcedente baptismum; quia necessitas causa fuit, quòd baptismus careret ornamento solemnitatis, quæ tamen solemnitas adeo est necessaria, vt etiam post baptismum sit supplenda. Sed cum ex necessitate prioris baptismi iterum aliquis est baptizandus nulla est necessitas, quòd baptismus verus detur non ornatus, & sua solemnitate non amictus. Et maximè vbi non præcessit catholicus ritus, sed est rebaptizandus hæreticus, ab hæreticis ministris baptizatus & forsan nec verè Sacerdotibus; Et eò magis, si ritus prioris baptismi fuerit ex aliqua parte superstitiosus. Ec quis in Rituali Romano Hæreticus nulliter baptizatus asseritur baptizandus seruato ritu baptismi adulti, etiam si sit baptizandus sub conditione; ideo hunc ritum seruandum censeo, & secundæ sententiæ adhæreo, secundùm quàm huiusmodi solemnitas vel differri, vel etiã omitti potest ratione grauis damni baptizandi, aut grauis scandali vitandi, vt tradit *Palaus supra citatus*.

89 Sequitur verò ex his, quòd vbi baptismus ex iusta causa non sit celebrandus cum solemnitate, tunc neque est necesse assumere Patrinum, quia Patrini assumptio est de solemnitate. *Sotus 4. d. 42. q. 1. a. 2. Suarez tom. 3. in 3. p. q. 67. a. 8 in Com. & ibid. Nugnus, Layman l. 5. tr. 2. c. 9. nu. 5. Sanchez l. 7. de matrim. disp. 62. nu. 15. Palaus tom. 4. tract. 19. punc. 11. num. 12. Vericell. d. q. 118. num. 4.* & alij apud ipsum.

90 Infert vlteriùs ex Quintanaduenas *tract. 1. sing. 17. num. 3. idem Vericell. num. 7.* quòd, vbi baptismus dandus sit sub conditione, laicus etiam in præsentia sacerdotis licitè baptizare possit, eò quia, quòd id non possit laicus, est ex præcepto Ecclesiæ, & ne laicus vsurpet officium alterius; hæc verò ratio habet locum solùm in baptismo absoluto, quia nulla lex loquitur de baptismo conditionali. Sed hoc dicitur, ac non probatur; quasi baptismus datus sub conditione nõ sit verus baptismus & perfectus si conditio purificetur, & quasi semper non militet eadem ratio legis & indecentia, quæ esset, si in præsentia sacerdotis, laicus sacris ministerijs se ingerere vellet. Sed & nec potest admitti quòd solùm ex iure Ecclesiastico non liceat laico in præsentia sacerdotis baptizare, Nam hoc est de iure diuino, & ex vi institutionis huius sacramenti, cuius ministerium Apostolis fuit commissum, licet ve exercendum per alios, vt dixit *D. Thom. 3. p. q. 67. a. 3.* Hæc verò facultas extensa est ad laicos per accidens, & ratione necessitatis & in defectu sacerdotis, vt habet *Suarez d. tom. 3. in 3. par. disp. 31. sect. 4.* Ideo non licet laico esse ministrum sacramenti in præsentia sacerdotis, quia sacerdotibus hoc officium est à Deo commissum.

91 Sic ergo est manifestum, quòd missionarius in partibus infidelium existens etiam in Mengrellia, vel in alia parte vbi hæretici degunt, de quorum baptismi validitate non constat, sic adulti qui ad Ecclesiam veniunt rebaptizandi sunt, vel absolutè, si constet de nullitate prioris Baptismi, vel sub conditione, si de ea sit rationabile dubium, quod tamen nisi periculum scandali, vel grauis damni vel baptizandi, vel etiam baptizantis, excuset, seruari debent in Baptismo solemnitates in adultorum Baptismo ab Ecclesia institutæ. Nam & aliàs hoc erit magna baptismi commendatio, & conciliabit erga illum non paruam reuerentiam, & deuotionem, & amorem, propter Cæremoniarum sanctitatem, & Religionem.

92 Remanet altera difficultas, an Regulares Missionarij habeant aliquod priuilegium circa huiusmodi baptizandi ritum. Habere hoc, vt possint vti oleo & chrismate veteri trium, immò & quatuor annorum in Indijs Occidentalibus, ex priuilegio Leonis X. & Gregor. XIII. tradunt *Rodriq. tom. 1. q. 31. a. 5. & Portel. v. Religiosus. numer. 8.* Dubitat verò *Portell.* an hoc priuilegio vti possint Indi Orientales. Verùm licet oleum, & chrisma singulis annis renouari debeant, *cap. si quis 122. de consec. dist. 4.* ita quòd non defuerint, qui dixerint peccatum mortale esse extra mortis articulum baptizare in veteri sicut voluerunt *Glossa in cap. quoniam v. dubium de sent. excom in 6. & Nauar. cap. 25. num. 75.* apud eundem *Rodriquez*, nihilominùs, quia prohibitum quoque est comburere vetus oleum, & chrisma antequam obtineatur nouum, putat Rodriquez, quòd quia in paruulis semper adsit timor & periculum mortis, paruulis etiam sine priuilegio possint cum veteri chrismate baptizari, & *Rodriq.* sequitur *Vericell. quæst. 89. num. 517.* Sed ex priuilegio Clem. VIII. concesso Carmelitis Discalceatis Congreg. Italicæ possunt Missionarij vti veteri oleo, & chrismate, si facta diligentia aliud eiusdem anni habere non possint. Et hoc credo esse seruandum vbique. Neque enim existimandum ex vi priuilegij Leonis X. aut Gregor. XIII. excusari Religiosos à diligentia adhibenda, vt habeant oleum, & chrisma eiusdem anni; cum illud priuilegium concessum sit ob maximam difficultatem habendi oleum & chrisma nouum, ideoque priuilegium non se extendat, vbi non est difficultas. Ideo & ex vi dictorum priuilegiorum licet vti veteri oleo si facta diligentia nõ potest haberi nouum. At verò & priuilegium Clem. VIII. crederem continere declarationem legis obligantis ad non baptizandum cum vsu veteris olei, & chrismatis, vt intelligatur si facta diligentia, potest haberi nouũ. Nam aliàs in partibus remotissimis, vbi non sunt Episcopi, & vbi pauci etiam sunt operarij, qui nec semper maneant in eodem loco, & vbi delatio baptismi potest esse valde periculosa, ita Ecclesiasti-

ca

ca de non vſu olei veteris non obligat niſi ad diligentiam habendi nouum; non verò ad differendum baptiſmum ad tempus notabile in notabile præiudicium fidei, & ſalutis animarum.

93 Aduertit etiam *Rodriquez. d.ar.5.* & poſt eũ *Vericell.q.98.num.23.* quòd in Indijs Occidentalib. ex Conſtit. Pauli Tertij data anno 1535. Miniſtri baptiſmi etiam ſeculares etiam extra neceſſitatem extremam baptizantes Indos quatuor ſequentia obſeruare debent. Primum quòd aqua ſacris actionibus ſanctificetur. Secundum vt Catechiſmus, & exorciſmus fiat ſingulis. Tertium quòd ſal, candela, & capellum detur duobus, vel tribus vtriuſque ſexus. Quatuor quòd tunc baptizandis omnibus chriſma ponatur ſuper viri adulti puerorum & puellarum caput.

94 Hic etiam ex eodẽ *Vericel.* aduertendum, quòd Miſſionarij Chinæ, ſeu Synarũ 12. Septemb. 1645. in Congreg. de propaganda fide habita coram Innocentio X. inter alia propoſuerunt ſequens dubium, cuius reſolutionem obſeruandam eſſe ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcepit, videlicet. *Vtrum in prædicto Regno Miniſtri Euangelici pro nunc ſaltem, in Sacramento baptiſmi poſſint abſtinere ab imponendo mulieribus Oleum Sanctum Catechumenorum, ſputum in auribus, & ſaliuore. Inſuper & non adminiſtrare eiſdem mulieribus Sacramentum Extremæ Vnctionis: Et ratio dubitandi eſt, quia Chinenſes magno zelo ducuntur erga vxores, filias & alias mulieres, & ſcandalum ſument ex huiuſmodi actionibus.*

Cenſuerunt, & ſacramentalia in baptiſmo mulierum eſſe adhibenda, & Extremam Vnctionem eſſe mulieribus conferendam, nec ſufficere motiuum in dubitatione expreſſum, vt Miſſionarij quantum in ſe eſt ab his abſtineant. Curandum ergo vt tam ſalubres ritus, & cæremoniæ introducantur, & obſeruentur, ac Miſſionarij tali circumſpectione illa miniſtrent, homineſque talibus inſtruant documentis, vt ab omni ſuſpicione inhoneſtatis liberentur.

95 Conceſſum etiam fuiſſe PP. ſocietatis per Pium Quintum anno 1569. ad decennium, vt poſſent baptizare extra Eccleſias, & ſine conſuetis cæremonijs, cum miniſtri id iudicauerint oportere ad maius Dei obſequium propter miniſtrorum paucitatem, refert *Rodriq. p.p.q.31. a.6.* ex Compendio Indico ſocietatis. Addit verò idem ad aliud decennium extenſum fuiſſe à Greg. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Pueri hæreticorum validè baptizantur, ſi etiam inuitis parentibus baptizantur. n. 96.*

2 *Infantes infidelium non ſunt inuitis parentibus baptizandi. nu. 97.*

3 *Infantes infidelium cura parentum deſtitutos licet baptizare. n. 98.*

4 *Principes Catholici non poſſunt infantes filios infidelium ſubditorum inuitis parentib. baptizare. num. 99.*

5 *Filij ſeruorum ſi ſeparentur poſſunt à Dominis inuitis parentibus baptizari. n. 100.*

6 *Etiam in loco vbi ſunt Patres baptizari poſſunt. num. 101.*

7 *Domini ſeparare poſſunt filios a ſuis ſeruis inuitis eos baptizandi. nu. 102.*

8 *Filij hæreticorum poſſunt inuitis parentibus baptizari. nu. 103.*

9 *Etiam ſi non ſeparentur ſecundum aliquos. numer. 104.*

10 *Vbi hæretici filios ſuos validè baptizant, poteſt tolerari quod baptizentur à Catholico ſacerdote id parentibus petentibus, etiam ſi puer eſt ſub eorum cura. nu. 105.*

11 *In baptizando filio hæretici manſuro ſub cura patris magnum periculum, & parua, contingens vtilitas n. 106.*

12 *Per ſe & regulariter non licet baptizare infantem hæreticum manſurum ſub cura parentum. numer. 107.*

13 *Difficultas proponitur. nu. 108.*

14 *Ratio cur non liceat baptizare filios ſub cura infidelium manſuros eſt ex lege diuina, & inſtitutione Baptiſmi. n. 109.*

15 *Baptiſmus eſt ſacramentum fidei. n. 109.*

16 *In Baptiſmo horum filiorum periculum & iniuria ſacramenti eſt certa. nu. 110.*

17 *Differunt multum opiniones examinatæ. n. 111.*

18 *Sicut nec Iudæorum ſic nec hæreticorum filij manſuri ſub cura parentum baptizandi ſunt. n. 112.*

19 *Qualiter baptizari poſſit filius Apoſtatæ ad petentis. num. 113.*

20 *Infans moribundus poteſt inuitis parentibus baptizari. nu. 114.*

21 *Vno parentum petente puer debet baptizari. numer. 115.*

22 *Non licet ad inſtantiam parentum infidelium baptizare infantem ex non recto fine. n. 116.*

23 *Quid agendum ſi Turca per metum cogat filium ſuum baptizari. nu. 116.*

24 *Perpetuo amentes inuitis parentib. poſſunt baptizari. num. 117.*

25 *Quid agendum vbi probabile ſit vel dubium an infans acquiſierit vſum rationis, & ipſe petat, vel renuat baptizari. nu. 118.*

96 DVbitatur ſeptimò, an infantes hæreticorum ſint inuitis parentibus baptizandi. Ex multis partibus difficultas hic eſſe poteſt. Prima eſt de pueris infirmis & morti proximis, an iſti inuitis parentibus baptizari poſſint? Validum eſſe baptiſmum datum infantibus inuitis parentibus communis ſententia affirmat, & ſupponit *Diu. Thom. 3. par. quæſt. 68. art. 10.* vt aduertit ibidem *Caiet. & tradiderunt D. Anton. 3. p. tit. 14. c. 13. §. 9. Caiet. ſupra q. 10. a. 12. Nugnus 3. p. q. 68. a. 10. Syluestr. v. Baptiſmus 4. quæſt. 7.* malè citatus in contrarium *Aegid. q. 68. a. 10. Suarez tom. 3. in 3. p. diſp. 25. ſect. 1.* Vaſquez *diſp. 154. cap. 6. Bonac. de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punc. 6. num. 11. Layman l. 5. tr. 2. cap. 6. num. 10. Leander à SS. Sacram. tract. 2. de Baptiſ. diſp. 5. q. 6.* & plures alij contra *Durandum in 4. d. 4. q. 7. Palud. ibid. q. 4.* Et ratio eſt, quia iſti infantes iuxta D. Th. vbi ſupra *art. 9. ad 2. ex S. Aug. Epiſ. 23.* ad Bonifacium ab vniuerſali Eccleſia cenſentur offerri baptiſmo, & ſic illis fides & voluntas Eccleſiæ prodeſt, nec illis officit, quòd deſit parentum voluntas.

97 Regulariter tamen non licet infantes infidelium inuitis parentibus baptizare, vt habetur *cap. qui ſyncera, diſt. 45. ex Greg. l. 11. epiſ. 15. & cap. de Iudæis ead. diſt. diſt. ex Concil. Tol. 4. cap. 56. & docent D. Th. 3. p. q. 68. a. 10. & ibid. Caiet. & Nug.*

Capreol. Palud. & Sotus in 4. d. 5. Richard. dist. 6. a. 3. q. 3. D. Anton. 3. p. tit. 12. cap. 1. §. 4. Suarez d. disp. 25. sect. 3. & alij DD. communiter. Et ratio est, quia hoc nequit fieri sine iniustitia in parentes, qui habent ius naturale dirigendi & disponendi, & tractandi ea, quæ ad infantes filios pertinent, vnde baptizare illos eis inuitis, est officium illorum & ius vsurpare. Et quia subtrahere infantes à cura parentum est manifesta iniustitia, relinquere autem baptizatos sub eorum cura est exponere Baptismũ ludibrio infidelium, & præbere baptizato occasionem apostasiæ à fide ob amorem & instructionem parentum, qui illum nutrient in infidelitate.

98 Limitatur verò multipliciter, & quidem primò, vt liceat hos infantes baptizare, si sint iam extra parentum potestatem, quia scilicet sine Patre matre & tutore cui vel ex iure naturæ, vel ex Magistratu, aut iudice commissa sit eorum cura. Quales sunt qui capti in bello extra suas regiones venduntur. Præsumuntur enim, & habentur vt destituti parentibus; vnde teste *Caiet. 3. p. q. 68. a. 10.* consuetudo Ecclesiæ est infantes Aethiopũ emptos in seruos baptizare, quia praxis ostendit, quòd nec parentes apparent vt filios huiusmodi redimant, nec isti baptizati, & in fide nutriti redeunt ad patrias infideles, vnde eos baptizando nec paterna iustitia violatur, nec ponitur in periculo salus baptizati & reuerentia sacramenti. In eo ergo casu, quòd infans parentibus & tutore fuerit destitutus & de facto aliunde iustè vel iniustè ab omni cura paterna fuerit taliter abstactus, quòd durante infantia non debet ei restitui, vel est certitudo moralis, quòd non restituetur, loco parentum succedit mater Ecclesia, vt eius curam habeat, & ideo potest baptizari. *Sotus 4. d. 5. a. 10. §. contra hanc autem Vasquez 3. p. disp. 155. cap. 3. num. 29. Azor. p. p. l. 8. cap. 25. q. 4. Layman lib. 5. tr. 2. c. 6. num. 10. Suarez tom. 3. in 3. partem disp. 25. sec. 3. §. secundò infertur*, vbi bene aduertit, quòd necesse est vt infans ita sit orbatus parentibus, vt nec habeat auum, vel maiorem fratrem, vel alium tutorem, vel magistratum infidelem sub cuius cura sit. Quàmuis vt aduertit Sotus, leuior esset iniuria, si puer inuito tutore baptizaretur, quàm si inuito Patre.

99 Limitant secundò eandem communem assertionem aliqni, vt si filij infantes sint subditi alicuius Principis Catholici, possint ab eo inuitis parentibus baptizari. Tribuitur hæc limitatio *Scoto in 4. d. q. 9. & Gabriel. q. 2. a. 3. dub. 5.* & eius ratio est, quia Principis est compellere subditos suos ad obseruantiam legum, tam verò Pater quam filius tenentur ad legem baptismi, & si infans non sit capax, vt liberè, & moraliter legem seruet, tamen Principis est compellere Patrem, vt legem obligantem illum ad baptismum filij obseruet. Sed hæc limitatio est contra praxim Ecclesiæ, quæ vsque ad hæc tempora nunquam infantes Iudæorum existentium sub dominio Principum Catholicorum inuitis parentibus baptizauit. Vnde & in *Concil. Tolet. 4. cap. 56.* vt habetur *cap. de Iudæis, dist. 45.* hoc fuit prohibitum: & redditur ibi optima ratio, quia scilicet Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Non enim tales inuiti saluandi sunt, sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ. Sic enim verè est, quòd Deus inuitos non vult fideles, sed volentes & liberos; Ideo sub nullius Principis iurisdictione est vis coercitiua ad legem fidei; & ideo Principes, qui nec Patres inuitos compellere possunt ad fidem, & Baptismum, multò minùs compellere possunt eis inuitis filios sub eorum cura ex lege naturali manentes. Itaque lex fidei sic obligat quemcumque, quòd tamen Deus noluit huius legis obseruantiam esse sub cuiuscumque hominis iurisdictione, nisi postquã homines illi liberè se subiecerint, & sic ad illam se obligarint. Nam cõpulsio illa de qua Lucæ 14. dicitur *exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt ex S. Thom. q. 22. de verit. a. 9. ad vlt. & ex Hugone Card. ad d. cap. Lucæ*, intelligitur de coactione efficacis persuasionis non de vi, & compulsione per pœnas. Ideo quòd Principes Catholici suorum subditorum infidelium filios insantes non possint inuitis parentibus baptizare ex *D. Thom.* vbi supra dixerunt *Capreolus Palud. Sotus in 4. d. 5. Durand. d. 4. q. 6. Caiet. supra q. 10. a. 12. & ibidem Bannes, & Serra, & iterum Caiet. 3. p. q. 68. a. 10. & ibidem Nugnus. Victoria Relect. de Iudis. Suarez d. disp. 25. sect. 4. Layman l. 5. tr. 2. cap. 6. nu. 10.* & alij communiter. Sed & aduertendum, quòd etiam in priori sententia supposito, quòd possent Principes Catholici inuitis parentibus baptizare infantes filios infidelium, hoc esset ex potestate publica, nec per hoc Missionarij priuata authoritate id agere possent.

100 Limitatur tertiò in subditis nedum subiectione politica, & ciuili, sed qui sunt serui & mancipia alicuius domini Catholici, vt Dominus possit suorum seruorum infantes filios baptizare parentibus inuitis. Hoc verò per se loquendo admittitur, & est conforme *D. Thom. qui d. artic. 10.* ad secundum cum in argumẽto obiecisset, quòd Iudæi cum sint serui Christianorum possunt baptizari, respondit id non licere, quia non sunt strictè serui, sed solùm sunt subditi, & serui politicè, & ciuiliter. Hoc tamen dupliciter contingere potest scilicet primò, vt filij baptizati inuitis parentibus infidelibus sub eorumdem custodia, & gubernio remaneant. Et hoc est per se illicitum, & cedit in iniuriam fidei, & sacramenti, quia hi filij baptizati nutrientur à parentibus in infidelitate, & sic baptizare hoc modo hos filios nihil aliud esset, quàm Apostatas à fide multiplicare. Alio modo possunt huiusmodi filij priùs separari à cura, & gubernio parentum, postea baptizari, & sic etiam separatim in fide nutriti. Et hoc per se non est illicitum, vt tradunt *Caiet. Sotus. Suarez*, & alij plures. Et ratio est, quia licet parentes ex iure naturæ habeant curam filiorum, hoc tamen non est de iure naturæ inamissibile, ita quòd sit contra naturam, si actualis cura filiorum ab eis auferatur; nam & de iure naturæ est libertas, & à natura ortum habet dominium rerum, & tamen serui libertate & dominio priuantur. Nam in pœnam homo etiam vita naturali priuari potest, seruitus verò de iure gentium introducta est, vt pœna ex misericordia infligenda captis in iusto bello, vt eis concedatur vita. Ideo Domini non possunt seruos priuare vita, sicut tamen illos priuant libertate, & dominio, & ita quòd illis possunt vti tanquam rebus in eorum dominio existentibus, sic possunt separare filios a parentibus vendendo v. g. patres, & retinendo filios, & econtra. Supposita igitur iustitia separationis bene filij seiuncti à consortio & con-

uictu,

uictu, & cura parentum vt non sit periculum infidelis educationis, possunt inuitis parentibus à Domino, vel de Domini consensu baptizari, quia iam Domini coram illius filij sunt assumpti, & Domini saltem cumulatiuè parẽtis officium assumpserunt.

101 Hoc verò est asserendum, quando si filij omnino separentur à parentibus, vt si parentes vendantur & distrahantur extra patriam dominorum, vnde non sit ampliùs facile consulere illos, & petere illorum consensum, sed etiam vbi parentes in eodem loco manent cum filijs, quàmuis huius contrarium senserit *Capreolus in 4.d.5.q.1.ad argum. Durand.contra primam*. Sed probatur assertum; Quia separatio est necessaria ex alia causa, ne scilicet baptizatus infans nutriatur in infidelitate; Nã ablato hoc periculo posset filius baptizari etiam si viueret in consortio patris, ex eo quia filius est res domini, & sub cura illius non minùs quàm sub cura patris, & ideo non est necesse consulere patrem. Sed eo etiam inuito sicut potest separari loco, & consortio, & ita quòd nec patri sit spes videndi filium, ita potest separari religione, & cultu eo inuito, quia filius iure seruituris est domini & sub eius est cura, & ipse bene potest filium in vera fide nutrire. *Suarez d.sec.4.*

102 Extenditur hoc, vt liceat Domino separare filium à patre etiam per se intuitu baptizandi filium. Huius contrarium tenuit *Caiet d. a.10.* & *Sotus 4.d.5.q.10.* Sed probatur assertum, quia nullum est inconueniens rem aliàs licitam ordinare in bonum spirituale. At verò separatio filij à parente seruo est res quæ respectu domini non est iniusta, & sicut potest fieri ex quacumque temporali honesta vtilitate domini consequenda, multò magis potest fieri gratia salutis filiorum, & augmenti fidei, & diuini cultus. Et certè nullus negaret, licere Catholico filios infidelium emere, vt illos baptizaret, & in fide nutriret. *Suarez d.sec.4. Layman. l.5. tr.2. c.6.num.10.* Hoc igitur debet considerari, ne præsentia parentum possit parere scandalum & fidem sinceram filij subuertere; aliàs verò econtra quòd ex hoc facile sit, quòd parentes ipsi amore filiorum inducantur ad baptismum non est malum, nec est eos compellere ad fidem; quoniam hoc est sola aliqua indirecta occasio persuadendi parentibus, quòd illis est vtile; quod quidem iustum est.

103 Limitatur quartò in filijs infidelium, qui subiecti sunt iurisdictioni spirituali Ecclesiæ, sicuti sunt Apostatæ à fide, & hæretici. Hoc satis Colligitur ex *Concil. Tolet.4.c.56.* & habetur *cap. de Iudæis dist.45.* Et ratio est, quia parentes baptizati ratione baptismi sunt subiecti iurisdictioni Ecclesiæ, quæ propterea ius habet compellendi eos ad legem Christi seruandam, ideoque ad hoc vt filios suos in fide nutriant, & imbui Ecclesiæ sacramentis non impediant. Et sancta Mater Ecclesia maternitatis suæ iura extendit ad natos ex filijs suis, seu ex ijs, qui suæ iurisdictioni subduntur.

104 Est verò difficultas, an liceat huiusmodi hæreticorum infantes baptizare si non separentur à cura parentum, sed sub illa viuant, vel sint eis restituendi, & ab eis nutriendi, & educandi. Hos enim non obstante periculo subuersionis posse baptizari dixerunt *Layman l.5. trac 2. c.6. nu.11.* asserens id esse vsitatum in Germania. *Diana p.3. tr4. resol.7. Palaus t.4.tr.19.p.6.num.10. Vericell. de Miss. Apostol.q.123.* & apud eum *Auersa. Leander à S. Sacram.de Baptis.tr 6. q.8.* Econtrario verò hos non posse baptizari multis probant *Suarez tom.3. in 3. partem disp.25. sec.3. Coninck.q 68.a.10.n.81. Beccanus de sacramentis cap.10. q.7. Candidus tom.1. disq. 16.a.5.dub.6. Card.de Lugo de fide disp.21.n.20. Franciscus Lugo de Sacramentis l.2.c.9. nu 8. Granado de sacram.tr.4.disp.5.sect.3. nu.17.*

105 Considerandum autem mihi videtur & distinguendum: Nam isti hæretici vel verè & validè in eorum secta baptizant suos filios, vel eos nulliter baptizant. Si detur primum, ad quid vtile & opus est vt Catholici illos baptizent, si validè à suis baptizantur? Vbi verò hæretici ipsi petunt à Catholicis filios baptizari etiam si educandi sint ab hæreticis hoc si fit alicubi consuetudo, potest tolerari, & habet *Card de Lugo nu.22.* Quia periculum iniuriæ sacramenti, si adest, est ineuitabile, quia si tales filij non baptizantur à ministro Catholico, baptizantur ab hæretico. Aliàs verò infantem baptizare non est de se malum; & in vtilitatem veræ fidei potiùs cedit, quia in hoc tam Patres quàm filij magis affecti redduntur Catholicæ veritati, & sperari potest, quòd Patres non impedient, quin baptizatus, possit catholicam fidem tenere, si velit, & quòd ipse à Ministro Catholico baptizatus faciliùs ad eam amplectendam suaderi poterit.

106 Sed vbi hæretici errant etiam in fide baptismi, ideoque nulliter baptizantur; considerandum est, quòd certum debet præponderare incerto, & maius damnum vitari, nec pro parua vtilitate grauis damni periculum eligi debet. Est verò certum & moraliter indubitatum, quòd infans à parentibus infidelibus seu hæreticis educabitur in infidelitate, aut hæresi, sic enim videmus consuetum esse, vt filij errorem Patrum sequantur. Altera verò ex parte vtilitas, quæ ex baptismo prouenire possit in hoc casu vel parua est, vel valde contingens. Potest esse spes salutis baptizati si forsan moriatur in infantia. Sed hoc valde contingens est, & incertum. Et quod *Layman aduertit*, scilicet, quòd ex hominibus tertia pars decedat in infantia, & hoc est incertum; & est quid generale, ind finitum, & indeterminatum, & econtra in hoc indiuiduo in quo mortis periculum nõ apparet, periculũ irreuerentiæ Sacramenti est certum, & spes illa generalis remota, & dubia. Si verò baptizatus in infantia non moriatur, nulla ferè remanet spes vtilitatis considerabilis ex baptismi collatione etiam alio incerto supposito, scilicet, quòd post infantiã hæresis in eo sit futura materialis tantùm, & sine culpa ex inuincibili ignorantia; neque enim sperandũ in hæretico quod diu seruaturus sit baptismalem innocentiam si diu viuat; qua amissa non remanet sibi remedium salutis nisi per veram contritionem, quod remedium sibi cõpetit etiam sine baptismo si baptismum habere non possit. Quòd si dicatur, quòd sibi potest subueniri per Sacramẽtum Pœnitentiæ, vel alia Sacramenta, considerandum est fidem omnium aliorum sacramentorum, & præcipuè Sacramenti Pœnitentiæ non vigere apud hæreticos, eamque vel negari absolutè, vel eos ea valide non vti. Nam & de Mengrellentibus schismaticis & hæreticis *Vericell. q.91. num.11.* habet, quòd non confitentur nisi quando sunt ductur i vxorem,

vxorem, & in mortis periculo, sed tamen contempta confessionis integritate. Solùm igitur hæc spes remanet ex baptismo suscepto ab his hæreticis in suppositione, quod non sint futuri hæretici voluntarij. quòd si gratiam amittant, eam per vsum sacramentorum, si apud eos vsus validus sit, & aliàs sufficienter dispositi accedant, possit gratiam amissam recuperare. Quo posito ego adderem valde magnam vtilitatem, quia enim facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, certò sperari posset, quòd adultus aliàs laborans ignorantia inuincibili circa expresse credenda si faceret, quòd in se est, vt iustificaretur, illuminaretur à Deo, vt posset si vellet veram & explicitam fidem habere, vt legi fidei satisfacere. Et certè non nisi ex vera fide iustificaretur, quia sine vera Christi fide non est iustificatio. Hoc igitur vtile pro certo habetur in baptismo infantium filiorum hæreticorum. Quòd illi ex vi baptismi iustificantur, sed simul cum hoc moraliter certum est, quòd huiusmodi si viuant sub cura parentum vt plurimùm, & ferè omnes viuent in parentum hæresi, cum fuerint adulti, amissa etiam baptismali innocentia, cum hac sola incerta spe. quòd forsan aliqui ex illis morientur in infantia, vel si in eorum secta sit vsus aliorum sacramentorum validus & præcipuè Pœnitentiæ, & duret in eis fidei ignorantia inuincibilis, poterunt iustificari, quod valde incertum, & rarum erit.

107 Dicendum propterea est, quòd per se & regulariter loquendo non licet baptizare infantes filios hæreticorum, aut Apostatarum nisi separentur à cura parentum. Hoc probatur primò ex Concil. Tolet. 4. cap. 59. & refertur *cap. Iudæorum 26. q. 1.* vbi præcipitur, quòd filij Iudæorum baptizati separentur à consortio parentum, ne inducantur ab eis in errorem, & præuaricationem. Et *cap. 61.* prout refertur *cap. sæpe* eadem causa & *quæst.* prohibetur baptizatis infidelium consortium, quia sæpe malorum consortia etiam bonos corrumpunt. Quàmuis verò ibi non sit sermo de hæreticis, tamen canonizatur ibi necessitas, quam habent baptizati vt ne præuaricentur in fide, separentur, à parentum infidelium cura, & consanguineorum consortio, Per se igitur non licet baptizare infantes, quos nō licet à parentum cura seiungere. Probatur secundò ratione, quia illa baptismi coniunctio non est licita per se, & vt in pluribus habet coniunctam irreuerentiam Sacramenti, præuaricationem & apostasiā, aut hæresim huiusmodi in facie Ecclesiæ perseuerātes vsq; ad mortē, sine spe fructus. Licet enim collatio Sacramenti de se non sit occasio alicuius mali, tamen petit vt prudenter detur, & detur cum fructus probabili aliqua spe, & non potiùs inutiliter, & ijs quos vt plurimum constat non obseruaturos immò quod quodammodo nec poterūt obseruare, quæ promittuntur recipiendo baptismū. Et licet etiam ex fidelibus vt plurimùm contingat, quòd amittant gratiam baptismalem; tamen vt plurimùm non sunt amissuri fidem, ex qua gratiam recuperent, & ex qua tandem vitam æternam obtineant, nec habent statum in facie Ecclesiæ & visibiliter baptismo repugnantem, in quo sint vt plurimùm mansuri vsque ad mortem. Sed filij hæreticorum si non separentur à parentibus, vt plurimùm dum viuunt adulti perseuerant in Parentum hæresi vsque ad mortem, & sunt in statu in quo licet gratiæ Dei omnia possibilia sint, tamen vt plurimùm, & regulariter homines talis status perseuerant auersi à fide & Ecclesiæ inimici. Nec obstat, quòd ex inuincibili ignorantia fides quā in Baptismo recipiūt possit in eius permanere, quia & hoc incertum est, & contingens, scilicet, eos laborare ignorantia inuincibili, & regulariter hoc euenit, scilicet, quòd cessante etiā ignorātia inuincibili filij fidem paternam voluntariè sequuntur, & ad veram fidem non redeūt, sed illā contemnūt; & tamen qui sunt Ecclesiæ membra fidem Ecclesiæ, non hæresim sensibiliter profiteri debent.

108 Sed in contrariū potest instari, & ex eo quia baptizans infantem per se bonum operatur, nec dat aliquid quod sit occasio mali, sed qui baptizat propter bonum finem, licet non omnino certum, probabiliter tamen futurum, permittit peruersionem baptizati, si euenire contingat. Sic enim vt infans, si contingat mori in infantia, sit saluus, vel etiam vt sit aptus in statu adulti suscipere alia Sacramenta datur baptismus, qui de se non est subuersionis occasio; ex causa autem tam iusta potest permitti vel futura irreuerentia Sacramenti, vel peruersio a fide, quod de se non esse illicitum ex eo probatur, quòd Dominus habens plures infantes infidelium seruos, quos posset baptizare & in fide nutrire, potest eos ex iusta causa reddere parentibus infidelibus, vt v. g. quia captiuorum redemptio iure gentium introducta necessaria est ad pacem, & fœdera seruanda, vt tradunt *Suarez d. disp. 25. sect. 6. Henriq. l. 2. cap. 25. nu. 6. Filliuc. tract. 2. num. 147. Coninch de Sacram. q. 68. a. 10. nu. 87. Vasq. disp. 155. cap. 7. Layman l. 5. tr. 2. c. 6. nu. 10. vers. porro Bonac. disp. 2. de Baptismo q. 2. p. 6. num. 12. Candidus tom. 1. disp. 16. a. 1. dub. 8. Palaus to. 4. tr. 19. p. 6. nu. 20. Vericell. d. q. 113. num. 8.*

109 Respondetur, quòd hæc obiectio continet motiuum validius, quod possit afferri. Sed deficit, quia considerat non causam, pro causa. Supponit enim, quòd causa ob quam non licet dare baptismum infantibus, nisi separentur à parentibus, proueniat ex lege charitatis, ne detur baptizatis occasio mali, immò vt eius malum vitari debeat; vel etiam ex virtute fidei & Religionis, sed ex hac sola parte, quòd sit in nobis obligatio vitandi irreligiositates, & sacrilegia, & peccata, quæ ex aliorum malitia proueniunt. Et ideò vim facit in hoc, quòd ex iusta causa nos possumus huiusmodi mala ex aliorum malitia prouenientia permittere. Sed hæc non est causa propria cur infantibus mansuris sub cura parentum hæreticorum, non sit dandus baptismus, sed hæc causa ex baptismi natura, institutione, & religione est. Quia cum sit Sacramentum fidei, & externa fidei professio, & subiectio ad legem fidei, & obligatio ad Ecclesiam per se in subiecto petit fidem veram, si illius sit capax, vt supra est probatum; Et si illius non sit capax petit saltem quòd non sit in statu alieno à fide, & tali in quo vt plurimùm, qui baptizantur nunquam sint credituri. Opus enim est, vt si baptizandus in propria fide non potest baptizari, & per se exteriùs non potest protestari fidem, & se ad fidem obligare, quòd hoc saltem possint prudenter facere, vel qui illum offerunt baptismo, vel qui illi baptismum confert, vel sancta Mater Ecclesia in cuius fide baptizantur infantes. Sed nullus est qui

pro tali infante prudenter perseuerantem fidem possit profiteri, & se ad leges fidei obligare, si ille mansurus sit sub cura hæreticorum parẽtum. Ideo præceptum Concilij Toletani supra positum, quòd filij Iudæorum à parentibus separentur non est Ecclesiasticum, sed est legis diuinæ: & Ecclesiæ ministri ex iure diuino, & ex vi institutionis baptismi, tenentur baptizatos infantes separare à cura infidelium, & sub cura sanctæ Ecclesiæ suscipere, aliter imprudentissimè vel Ecclesia, vel quilibet alius per baptismum infantis promitteret obseruãtiam legis fidei, & inter fideles aggregaret illum, quem moraliter est certum spectato id, quod ferè semper euenit, quòd à fide alienus viuet in facie Ecclesiæ, & coram Ecclesia visibili; quidquid sit an per accidens hoc sit futurum ex ignorantia inuincibili baptizati. Igitur talem infantem baptizare est per se intrinsecè malum, & est iniuria Sacramenti, & eius fini, & formæ, & institutioni contrarium.

110 Hinc non potest hic applicari regula generalis illa, quòd quando concurrit fauor Sacramenti, ne illi fiat iniuria, & fauor proximi ne periclitetur eius salus, in dubio præferendus est fauor proximi, quia Sacramenta pro salute proximi sunt instituta. *Sanchez de matrim.l.2.disp.36.nu.8. Henriq.l.5.c.8.7.Filliuc.tr.7.c.5. n.120. Pontius de matr. l.4.c.25.nu.8. Dianà p.2. tr.10.res.13.* Nam hic locum non habet dubium. Nam certa est iniuria, quæ fit Sacramento, & per se vt in pluribus certa est Sacramenti iniuriosè collati inutilitas, & sola remota & valde incerta vtilitas salutis baptizati adest & Deus quidem misericors est, & salutem hominum charissimam habet, & nihilominùs vt Apostolus ad Romanos dixit, & ad propositum considerauit Concil.Tolet.4. loco supra citato, *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, nec indiget hominum salute, nec charum habet quod Sacramenta à se pro mundi salute instituta proijciantur, & dentur inuitis, eaque reuerenter, & deuotè non suscipientibus. Parentum verò est nomine filiorum Sacramenta Christi pro filijs recipere. Et licet parentes hæretici teneantur filios baptizare & ad hoc cogi possint, totum debet fieri cum reuerentia Sacramenti, & ita vt vel parentes ipsi ex fide petant Sacramentum pro filijs, vel renati per baptismum non relinquantur sub cura illorum, à quibus non nisi in infidelitate nutrientur.

111 Quod verò dixit *Card. de Lugo num. 23.* scilicet duas relatas sententias non multùm dissidere; quia prima etiam affirmat, quòd vbi nulla sit spes salutis baptizandi, non debent baptizari; & secunda nõ negat quòd baptizari possint, si adsit spes probabilis vt per susceptionem baptismi infans saluetur; sic verum est vtrumque, quòd tamen multa est dissensionis causa inter vtramque opinionem; quia secunda censet hanc spem per se, & regulariter non adesse, nec sufficere spem illam fundatam, vel in eo quòd possibile sit infantem mori in infantia, vel quòd ex suppositione ignorantiæ inuincibilis baptismus possit esse vtilis baptizato postquàm erit adultus, & aliæ huiusmodi spes remotæ prorsus, & incertæ. Et certè rarissimè potest contingere quod habeatur spes probabilis de futura fide infantis baptizati, si ille relinquatur sub cura patris hæretici, & eo vel inuito, vel nesciente infans sit baptizatus.

112 Ideo hæc magis confirmantur, quoniam habetur pro comperto, quòd non liceat baptizare infantes filios Iudæorum, & Paganorũ inuitis parentibus; & immò illis volentibus, si baptizentur, non vult Ecclesia, quòd sub eorum cura maneant, vt patet ex Concil. Tolet.4. *cap. Iudæorum 28. q.1.* igitur nec filij hæreticorũ baptizari possunt, si debent remanere sub cura parentum. Nec certè valet responsio, & differentia quæ adducitur, ex eo quia hæretici non negant Christum, sicut negant Pagani & Iudæi, vnde parens hæreticus non separabit filium omnino à Christo. Nam parùm refert ad Baptismo irrogandam iniuriam quòd baptizatus vel totam, vel partem fidei neget, & in hoc potest esse differentia secundùm magis, & minus, quæ non tollit iniuriam & irreuerentiam; nec parentes hæretici sunt non pertinaces in eorum erroribus tuendis, & ampliandis quantùm possunt, sed in hoc pertinacissimi sunt, vnde nec baptizati infantes sub eorum cura relinqui possunt, nec baptizandi eorum filij si sub eorum cura sunt nutriendi.

113 Hinc ad illam *quæst.* quam *Vericell.d.q.*113. *num.*13. dicit propositam fuisse Sac.Congregat. ex Tartaria, an scilicet liceat baptizare filium Apostatæ à fide postulantis eum baptizari, & cui idem *Vericel.* respondet affirmando id licere, ex eo quòd vel probabile, vel saltem dubiũ est an infans adultus Christianam fidem amplectetur. Nam distinguendum est; si enim apostata à fide in corde est verè fidelis, vnde hoc stante & alijs circumstantijs pensatis probabilis verè est spes, ità quòd prudenter affirmari potest, quòd puer erit sincerè in vera fide nutritus; & potest baptizari, & debet. Et nulla fit iniuria Sacramento. Sed econtra si fit potiùs probabile periculum quòd filius nutrietur in Apostasia à fide, à qua Pater recessit ex corde ita quòd pensatis omnibus prudenter sic est iudicandum, sine dubio non potest baptizari, sed si vtrinque sit periculum æquale, vel spes, aut si sit vtriusque partis rationabile dubium, tunc nec statim baptizandus est infans, si patitur moram casus, sed expectandum est, & inuestigandæ meliùs circumstantiæ facti, & etiam an baptizandus possit subtrahi à cura Apostatæ. Nam bene omnibus pensatis seruato prudenti interuallo temporis vt plurimùm tolleretur dubietas. Nam & vbi pater ex corde apostatauit à fide parua spes potest esse, quòd filius sub eius cura sit fidelis. Omnibus tamen bene pensatis, si casus moram non patitur, & est rationabile dubiũ de futuro euentu, baptizari potest, vt non remaneat ille filius sine auxilio tanti Sacramenti, quòd est necessarium ad alia Sacramenta suscipienda. In dubio enim inuincibili diuinæ prouidentiæ est fidendum, & potiùs est præsumendum bonum quàm malum de homine, & hoc Deo gratius æstimandum est, vt in dubio potiùs saluti prouideatur hominis.

114 Limitatur quintò in infante moribundo, seu qui est in periculo mortis; seu quem esse tunc moriturum est moraliter certum. Ita *Suarez d.disp.* 25.*sect.*5.*Valentia tom.*4.*disp.*4.*q.*3.*p.*3.*col.*2. *Henriquez l.*2.*c.*25.*nu.*2.*Conimcb.de Sacram.q.*68.*a.*10. *nu.* 76. *Azor.tom.*1.*l.*8.*c.*26.*q.*10.*Layman l.*5.*tr.*2.*cap.*6. *num.*10. *Beccanus de Sacram.cap.*10.*q.*7.*n.*7. *Vericell. de miss. Apost. q.* 112. Et ratio certa est, quia tunc infans est in extrema necessitate salutis, ideo etiam inuitis parentibus illi est subueniendum, cum parentibus

ren-

rentibus illi est subueniendum, cum parentes necessitati illi extremæ subuenire recusant. Extendit autem hoc *Vercell.* etiam ad casum dubium, quia dubium est an infans sit moriturus; quia in dubio Sacramentum cedit iuri suo, vt subueniatur securiùs saluti proximi. Sed hìc primò attendi debet an casus patiatur moram. Nam & cur non erit expectandum, si potest, vt videatur quem statum accipiat infirmitas dum interim solum est dubium de salute infantis? Infirmitas enim non diu potest manere in statu dubio. Sed si casus esset, vt non posset expectari, vt appareat certè de necessitate extrema infantis, ex hoc iam iudicandus est esse in extrema necessitate, quia cum sit rationabile dubium, nisi illi de præsenti succurratur remansurus est sine succursu, & ideò tunc posset infans baptizari: ergo in hac extrema necessitate potest infans inuitis parentibus baptizari.

115 Limitatur sextò, si ex parentibus alter siue Pater, siue mater petat filium baptizari. Statim enim ex quo alter parentum consentit in baptismũ filij, Ecclesia ius acquirit, quoniam iusta vnius parentum voluntas iniustæ est præferenda. Sic habetur ex Concil. Tolet. 4. *cap. 62. relato cap. Iudæi 28. q. 1. & cap. ex literis de conuers. infidel.* & tradiderunt *Palud. 4. d. 4. q. 4. in fin. Vasquez disp. 155. cap. 3. Azor tom. 1. l. 8. c. 25. q. 3. Coninch. d. q. 68. nu. 83. Sà v. Baptismus num. 11. Layman lib. 5. tr. 2. c. 6. nu. 10.* Aduertendum tamen est, quòd tunc priùs separari debet, & abstrahi infans à cura parentis infidelis, & inuiti, propter periculum peruersionis, & ne fiat iniuria Sacramento baptizando eum, qui in infidelitate sit nutriendus. *Layman vbi supra* vbi addit. Quòd si infans non habeat patrẽ, loco eius succedet auus, quo consentiente, etiam si mater repugnet, poterit infans baptizari, eo tamen à matris infidelis cura subtracto.

116 Colligitur verò ex hoc, quòd cum etiam ab antiquo contigerit, vt infideles ad vitandum fœtorem parentes obtulerint filios baptizandos, vnde *Fortunatus lib. 4.* carminum dixit

Abluitur Iudæus odor baptismate diuo;

& sic etiam contingere possit, vt Turca idem petat, vel etiam ad liberandum infantem vexatum à dæmone, vel ad medicamentum aliquod medio baptismate speratum, quidquid affirmauerit *Nauar. de Baptis. cons. 5.* cui ex parte consentit *Azor. lib. 1. c. 12. q. 6.* in quam etiam sententiam videtur inclinare *Petrus Arcudius in concordia Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ l. 1. cap. 12.* dicens magnam esse difficultatem, & consulendam Sedem Apostolicã, dicendum est non licere; semper enim viget ratio ponderata superiùs, quia fit iniuria Sacramento, si baptizatur, qui remansurus est sub cura patris infidelis. Et si semel valeret periculum mortis, quod potest imminere infanti, sequeretur, quòd omnes infantes possent baptizari inuitis parentibus infidelibus. Ideo quod Patriarcha Constantinop. in quodam Concilio decreuerit negãdum esse Baptismum infantium petitum à parentibus ad vitandũ fætorem refert *Baron. ad annum 1145. num. 24. & 1548. num. 46.* Vnde hanc partem tenent *Bonac. de Sacram. disp. 2. q. 3. p. 6. nu. 12. Layman l. 5. tr. 2. cap. 6. concl. 2. num. 10. Palaus to. 4. tr. 19. p. 6. num. 11. Filiuc. tr. 2. nu. 145. Franciscus de Lugo de Sacram. l. 2. cap. 9. num. 23. Vercell. d. q. 113. num. 9.* qui tamen excipit casum in quo Sacerdos per metum mortis cogeretur. *& num. 14.* addit dato casu huius conditionis Sacerdotem non posse fictè baptizare infantem illum, quia in Sacramentis non iterabilibus valde perniciosa est fictio, & Innoc. III. in *cap. de homine de celebrat. Missarum*, asserit Sacerdotem, qui ex quo non erat contritus fictè consecrauit, grauius peccante; quia falsa sunt abijciẽda remedia, quæ ipsis sunt periculis grauiora. Tum quia plura possunt ex illo baptismo sequi inconuenientia, vt quòd christiana mulier cum illo sic fictè baptizato contrahat putans se validè contrahere, quòd ille infans moriatur in infantia & non baptizetur verè ex eo, quòd putetur baptizatus, quod ille adultus cõuertatur verè ad fidem, & remaneat non verè baptizatus. Sed huiusmodi pericula sunt valde remota. Nec est eadem ratio de ficta consecratione, in qua panis non consecratus exponitur adorandus, quod est prorsus illicitum. Ideò dicendum est non licere ob metum mortis baptizare filiũ Turcæ ad tollendum fætorem, quoniam hoc est intrinsecè illicitum, & contra legem diuinam. An verò talis infans fictè esset baptizãdus, & omni postea meliori modo occurri deberet incõuenientibus illis, quæ potentia valde remota possent occurrere, quæstio est à superioribus soluenda: Hoc pro nunc dicitur, quòd huiusmodi sic per vim baptizati in dubio rationabili de validitate prioris baptismi essent rebaptizãdi, iuxta ea quæ idem *Vercell.* adnotat *ex Arcudio in concord. orientalis, & occident. Ecclesiæ lib. 1. cap. 12. Suarez tom. 2. in 3. par. disp. 22. sect. 2. Reginald. lib. 17. num. 53. Hurtado de Baptismo disp. 1. diff. 12. Quintanaduen. tract. 1. sing. 4. 5. 6. 7. & 8.*

117 Limitatur septimò, vt si filij infidelium sint perpetuò amentes, possint baptizari. Et isti enim sunt in extrema necessitate salutis, vnde eis subueniendum est. Tunc verò censendi erunt perpetuò amentes, quando nulla erit probabilis spes, quòd sanitatem sint recuperaturi *Layman d. cap. 6. nu. 10. vers. Quintò si filij &c.*

118 Limitatur octauò, vt si sit probabile, quòd puer peruenerit ad vsum rationis, baptizari possit, si ipse baptismum petat; quia per hoc quòd peruenit ad rationis vsum fit sui iuris in ijs, quæ ad salutem suam spectant *Layman d. num. 10. vers. Quarte.* Idem verò dicendum in dubio, si an puer peruenit ad vsum rationis, si casus non patitur moram, quia in dubio fauendum est fidei, religioni, & saluti animæ, & longè maior est iniuria, quæ fieret sacramento si puero habenti vsum rationis, & petenti, illud denegaretur, quàm sit iniuria quæ obueniret parenti, si puer non haberet vsum rationis, & inuito patre baptizaretur. *Sotus 4. d. 5. a. 10. §. sed alterum dubium est. Suar. tom. 3. in 3 part. disput. 21. sect. 3. Vasq. 3. p. disp. 155. cap. 3. Layman lib. 1, tract. 1. cap. 5. nu. 41. contra Henriq. l. 2. c. 8. num. 3.* Sicut in eodem casu dubio, si puer reluctaretur, & Pater vellet eum baptizari, si periculum sit in mora, puer debet baptizari saltem sub conditione, *si capax es.* Quia potiùs vitandum est periculum damnationis æternæ ipsius pueri, quàm quòd sacramentum nulliter conferatur eidem puero, vt tradunt *Sotus, Vasquez, & Layman citati.*

SVMMARIVM.

1 *An licitum sit Religiosis suscipere de sacro fonte. num.* 119.
2 *Catholicus licitè non suscipit de sacro fonte baptizatum ritu hæretico. nu.* 120.
3 *Hæreticus non accipitur licitè in patrinum. n.* 121.

119. DVbitatur 8. An licitum sit Religiosis fieri compatres, seu suscipere, seu leuare eos, qui baptizantur de sacro fonte. Non esse licitum habetur *ex cap. 4. Placuit 2. q. 1. & ex Non licet*, & *cap. Monachi de consecr. dist.* de consecrat. *dist.* 4. & cap. *Peruenit* 14. *q.* 2. An verò hoc sit prohibitum sub mortali dubitat *Sotus in 4. d. 4. art.* 5. sed affirmant *Naldus v. Religiosus num.* 9. Pariter an prohibitio comprehendat omnes Religiosos, vel solum Monachos, *Coninch de Sacram. q. 67. a. 7. n. 56.* arbitratur comprehendi sub ea lege solum Monachos, qui solitarij viuunt, sibiq; non alijs vacant, non verò comprehendi mendicantes, qui alijs iuuandis incumbunt.

120. An verò Catholicus ritè, & licitè suscipiat filium hæretici de sacro fonte, cum à Ministro hæretico baptizatur ritu hæretico, cum legitima forma, & materia, licet affirmauerit *Layman lib. 5. tract. 2. cap. 9. n. 6.* meritò tamen negant *Nauarr. cons.* 1. *num. 66. de Constit. Castro Palaus tom. 4. tr. 19. p.* 11. §. 1. *v. n. 9. Azor. p. 1. lib.* 8. *cap.* 11. *qu.* 9. *Vericell.* referens id decisum *à Sac. Cong.* 12. *Sept.* 1642. & apud eum *Thomas à Iesu Maria, & Duardus*; quia talis patrinus toti ritui hæretico cooperatur, qui tanquam vna indiuisibili cæremonia consideratur. Videtur etiam quod huiusmodi patrinus spondeat se instructurum infantem iuxta intentionem ministri baptizantis, & ritum, quod est illicitum. Hoc tamen non esse adeò illicitum, vt ex metu grauis damni non possit fieri licitum, si protestetur patrinus se quantum fuerit possibile instructurum baptizatum in fide catholica dixerunt *Palaus*, & *Vericell.* In similibus enim minùs malum permittitur, vt vitetur maius.

121. Paritèr an è contra liceat admittere patrinum hæreticum à Ministro Catholico in infantis baptismo? dicitur, quod regulariter, & per se est illicitum, quia cum munus ad quod assumitur patrinus sit instruere baptizatum, indignum est sumere hæreticum ad officium instruendi in fide, quia ille instruet baptizatum in hæresi non in fide. *Nauar. cons. 1. n. 67. de constit Azor. p. 1. 8. c. 11. q. 9. Suar. 3. p. tom. 3. q. 67. a. 7. Layman. lib. 5. tract. 2. c. 9. n. 7. Palaus tom. 4. tract. 19. p. 11. §. 1. n. 7. Bonaccin.* de *Matrim. q. 3. p. 5. §. 2. n. 22. Barbosa de off. Episc. all.* 30. *n.* 31 *Candidus disq. 16. ar. 4. dub.* 12. *Vericell. q.* 125. *& alij*. Quod si contingat non posse haberi patrinum Catholicum, tenetur Minister baptizare infantem sine patrino, vt dixerunt *Nauar. Azor. Palaus Vericell. citati. Diana p. 9. tract. 7. num.* 51. *contra Layman vbi supra*. Cæremoniæ enim baptismi omittuntur, quando non possunt debito modo, & ritè celebrari. Aliàs verò etiam si patrinus hæreticus expressè promitteret, se instructurum filium in fide Catholica non esset ei credendum. Vbi tamen ex reiectione patrini hæretici; immineret graue damnum, vt amissionis Ecclesiæ, vel quod infans baptizãdus esset à ministro hæretico, vel aliud simile; quia minus malum esset tunc admittere patrinum hæreticum admitti posset, sicut in praxi fieri à pijs viris testatur *Layman*, *vbi supra q.* 3. & docet *Palaus*, & *Diana*; maximè, si vt Layman aduertit Minister protestetur, infantem si ad vsum rationis venerit esse in fide catholica instruendum, & patrinum hoc debere spondere. Quamobrem, vt addit Layman aliquando contingit, vt ipsi patrini hæretici non permittant aliquem à fide Catholica abstrahi, quia meminerunt se pro illo in hac fide baptizato à sacerdote spopondisse. Qui tamen cum pro causa legitima idem faciendi afferant grauem indignationem parentum hæreticorum, hoc negat Vericell. Et certè ira, quæ non sit productura aliud graue damnum, leue malum est, & non timendum. Quod verò excusentur ex his Albanenses, cum metu mortis assumunt Turcã aliquem pro patrino, deducit Vericell. simul aduertens PP. Minores, qui ibi sunt Missionarij in simili occasione cautelam adhibere, ne baptizatus in actu Baptismi tangatur à turca; vnde vel baptizandum ponunt in terra, vel ab aliquo catholico sustineri curant.

SVMMARIVM.

1 *Multa priuilegia Regularium pro audiendis confessionibus secularium. num.* 122.
2 *Eugen. IV. pro Cassinen. nu.* 123. *Aliud eiusdem. num* 124.
3 *Greg. IX. pro Ord. Prad. num.* 125.
4 *Clem. IV. pro eodem num.* 126.
5 *Martini IV. pro eodem. nu.* 127.
6 *Sixti IV. pro eodem nu.* 128.
7 *Pauli IV. pro eodem num.* 129.
8 *Nicolai* V. *& Sixti IV. pro Minoribus nu.* 130. 131.
9 *Pauli IV. pro Minoribus de Obseruantia. n.* 132.
10 *Pyrrhi, Sixti IV. & Iulij II. pro Minimis. num.* 134.
11 *Pauli III. & Greg. XIII. pro societate. nu.* 135. *&* 136.
12 *Error Io. de Poliaco nn.* 137.
13 *De fide est Regulares ex concessione Papa posse audire confessiones secularium. nu.* 137.

De facultate audiendi confessiones secularium.

INSPECTIO SECVNDA.

122 QVàm plura priuilegia concessa fuerunt Religiosis, & præcipuè Mendicantibus, per quæ illis conceditur facultas absoluendi in foro pœnitentiæ ad se accedentes, & sacramentalitèr confessos.

123. Eugenius IV. in sua Const. *Etsi quamlibet* quæ in Bullar. Cassinen. est 63. concessit, vt habetur ibi §. 10. Monachis Cong. S. Iustinæ, vt tàm Prælati, quàm Monachi ab illis deputati possint audire confessiones omnium ad ipsos venientium, absque alia suorum Superiorum licentia; Habe-

tur

tur etiam hæc Conſt. in Bullario Ord. Prędicatorū, & ille §. 10. eſt ſequentis tenoris videlicet. *Præterea cùm ſæpè contingat ob deuotionem, quam ad Monachos præfatæ Congregationis nonnullæ perſonæ habent ſingularem, ad huiuſmodi Monachos pro earum animarum ſalute recurrere. Nos volentes earum deuotioni ſatisfacere, quod liceat dictæ Congregationis Prælatos, ſiue Monachos deputatos à ſuis Superioribus ad audiendas huiuſmodi perſonarum confeſſiones accedere, illaſq; audire, ac perſonæ ipſæ eos confiteri poſſint abſque alia ſuorum Superiorum licentia. Necnon pœnitentia, & ſatisfactione iniunctis, quoties oportuerit abſoluere ab omnibus, & ſingulis peccatis, præterquam Sedi Apoſtolicæ dumtaxat reſeruatis, necnon à quibuſcumque ſuſpenſionum, excommunicationum, & interdicti ſententijs, alijſq; Eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis quas à iure, vel ab homine latis ſatiſfactione iniunctâ incurriſſe quomodolibet cenſebantur.*

154 Sed aduertendum, quòd huiuſmodi priuilegium paulò aliter expreſſum habetur in Bullario Romano, Conſt. 9. quæ incipit *Regularem vitam agentibus*, & refertur ſub data Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1436. pridie calendas Iulij Pontificatus Anno ſexto. Vnde concordat in data omninò cum illa, quæ habetur in Bullario Caſſin. nu. 63. & in Bullario Ord. Præd. fol. 251. Differunt verò in principio; quia illa Bullarij Romani incipit *Regularem vitam*, & illa Bullar. Caſſinen. incipit *Et ſi quaslibet*. In puncto autem noſtræ inſpectionis eſt etiam aliqualis differentia, & nedum in verbis, ſed in ſenſu. Nam d. Conſtit. *Regularem vitam*, in Bullar. Rom. § 16. ita habetur. (*Præterea* cum ſæpè contingat ob deuotionem quam ad Monachos præfatæ Congregationis nonnullæ perſonæ habent ſingularem ad prælatos Monachos pro earum ſalute animarum recurrere. Nos volentes eorum deuotioni ſatisfacere, & in fauorē Religionis, ac obſeruantiæ regularis, quod liceat huiuſmodi perſonis dictæ Congregationis Prælatos, ſiue Monachos deputatos à ſuis Superioribus ad audiendum Confeſſiones accedere, quas poſſint audire abſque aliqua dictarum perſonarum ſuperiorum licentia, & contradictione, ac eis abſolutionis beneficium impendere ab omnibus peccatis, & diſpenſare ſuper omnes caſus, præter ea peccata, & eos caſus, de quibus ipſis Confeſſoribus ad eorum Ordinarios videbitur recurrendum, aut de quibus eſſet Sedes Apoſtolica meritò conſulenda, & eis miniſtrare Euchariſtiæ Sacramentum, de ſpecialis dono gratiæ elargimur.)

155. Ordini etiam Prædicatorum facultatem audiendi confeſſiones conceſſit Gregorius Nonus in Conſtitutione *Quoniam abundauit* Data Laterani 6. Idus Maij Pontiſ. ſui Anno 1. quæ habetur in Bullario eiuſdem Ord. fol. 9. vbi Archiepiſcopis, Epiſcopis, alijſque præfactis commendans fratres Ordinis Prædicatorum, inter alia hæc habet. *Charitatem veſtram rogantes, & exorantes in Domino, & per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus dilectos filios, Fratres Ordinis memorati pro reuerentia diuina ad officium prædicandi, ad quod deputati ſunt recipiatis benignè, ac populos vobis commiſſos, vt ex ore ipſorum verbi Dei ſemen deuotè ſuſcipiant, & confiteantur eiſdem (cum ipſis auctoritate noſtra liceat confeſſiones audire, ac pœnitentias iniungere) ſedulò admonentes pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reuerentia in ſuis eis neceſſitatibus liberaliter aſſiſtatis: quatenus ad prædicta ſuſcipienda veſtris exhortationibus populi præparati tanquam bona, & fructifera terra, pro vitiorum tribulis incipiat ſegetem germinare virtutum, & dicti fratres per cooperationem veſtram, ſuſcepti miniſterij curſum fælicius conſummando, optatum reportent ſui laboris fructum, & finem, ſalutem videlicet animarum.* Continet hoc Priuilegium, nedum facultatem audiendi vbique authoritate Papæ confeſſiones ſecolarium, ſed commēdationem Papæ & exhortationem, & mandatum, vt Ordinarij fratres Ord. Prædicatorum benignè recipiant, neceſſitatibus aſſiſtant, & populos præparent, ad hoc, vt fructuosè eorumdem Fratrum prædicationes audiant, & eiſdem peccata ſua confiteantur.

156. Clemens verò IV. in Conſt. *Quidam temerè* data ſeptimo calend. Iulij Pontif. Anno 1. quæ habetur in Bullar. Ordinis Prædicatorum fol. 56. conceſſit prout infrà. *Quidam temerè ſentientes, & ad ſobrietatem ſapere neſcientes, imprudenter præſumunt aſſerere, quod diligentia, vel commiſſione, vel conceſſione Romani Pontificis, ſeu Legatorū Apoſtolicæ Sedis, vel Ordinariorum locorum, vos ſine Sacerdotum Parochialium licentia, & aſſenſu non poteſtis liberè prædicare populis, audire confeſſiones, abſoluere pœnitentes, ac pœnitentias iniungere ſalutares. Nos ergo volentes aſſertionem tam temerariam penitùs confutare, & elucidare in talibus veritatem, deliberatione prouida declaramus, quod ſi vobis dicta licentia committatur ſeu concedatur à Legatis prædictæ Sedis, aut Ordinarijs locorum, nedum à Romano Pontifice, de quo procul dubio eſſet erroneum dubitare, an in omnes ſine alicuius conſenſu, imò etiam inuitis quaslibet huiuſmodi poſſit cōcedere poteſtatem, populis, Legatis, & Ordinarijs ſubiectis eiſdem liberè prædicare poteſtis, audire confeſſiones, & abſoluere vobis confitentes, ac pœnitentias vobis confitentibus iniungere ſalutares, aliorum inferiorum Prælatorum, & Rectorum Eccleſiarum, Sacerdotum Parochialium aſſenſu nullatenus requiſito. Illis caſibus exceptis, qui de iure, conſuetudine, ſeu retentione ab eis ſpecialiter facta, Sedi, Legatis, Ordinarijs, prædictis, ſpecialiter relinquuntur, ad quos non licet vos manus extendere, niſi vobis ſpecialiter committantur.* Hoc Priuilegium continet facultatem audiendi cōnfeſſiones non requiſito aſſenſu Parochorum, vbi alias Fratres huius Ordinis habeant licentiam confeſſiones audiendi à Legatis, vel Ordinarijs locorum, vel à Romano Pontifice. Prohibet tamen abſolutionem à caſibus Papæ, vel Ordinarijs reſeruatis ſpecialiter.

127. Martinus autem IV. in Conſt. ſua *Ad vberes* data apud Vrbem Veterem 4. Idus Ianuarij Pontificatus Anno 1., quæ habetur in Bullario ordinatis Prædicatorum fol. 61. & etiam (licet non omninò integra) apud Rodriquez conſt. 1. dicti Pōtificis eidem Ordinę Prędicatorum conceſſit ſequens Priuilegium; *Ad fructus vberes, quos in agro Dominico prædicando, verbo pariter, & exemplo, confeſſiones audiendo, & per alia virtutum exercitia ſacer Ordo veſter, & humiles ipſius Ordinis profeſſores produxerunt, hactenus, & in futurum ſperatur, Deo auſpice producturos, attentæ conuerſationis aciem conuertentes, vt fratres eiuſdem Ordinis*

prædi-

prædicationes, & audiendi confessiones officia ei liberiùs, & efficaciùs exequi valeant, quò certiùs de ipsorum circa eadem auctoritate constabit, tibi fili magister per te, vobis verò Prouincialibus Prioribus cum Definitoribus, in prouincialibus vestis capitulis congregatis, committendi auctoritate apostolica fratribus eiusdem Ordinis in sacra pagina eruditis, examinatis, & approbatis à vobis prædicationis officium, audiendi verò confessiones, absoluendi confitentes, & iniungendi eisdem pœnitentias salutares, etiam fratribus aliàs idoneis concedendi. Eiusdem quoque Ordinis fratribus, quibus dicta officia per vos taliter commissa, siue concessa fuerint, quòd eadem liberè valeant exercere, plenam damus & concedimus; auctoritate præsentium facultatem; districtiùs inhibentes, ne quis fratres ipsius Ordinis, quibus dicta officia per vos taliter concedenda duxeritis vt præmittitur, seu etiam committenda, in exercitio, aut executione officiorum ipsorum, audeat quomolibet impedire. In hoc priuilegio datur facultas Magistro Ordinis, & Capitulo Prouinciali, præuio examine, & approbatione deputandi fratres ad prædicandum, & ad audiendum Confessiones, & fratribus sic deputatis concedit amplam & plenam facultatem prædicandi, & confessiones audiendi.

128 Sixtus etiam IV. vt habetur apud Confetium num. 6. ad instantiam Ferdinandi Regis & Elisabeth Reginæ Castellæ, & Legionis, Vicario Congregat. Hispaniæ concessit vt infra. Sixtus Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sedis Apostolicæ gratiosa benignitas, pijs quarumlibet, & præsertim sublimium, ac aliarum sub regulari castimonia domino militantium personarum, votis illis præcipuè per quæ Christi fideles suarum animarum salutem Deo propitio facilius adipisci, & eorum deuotio augeri valeant, libenter annuit. Sanè, pro parte tam charissimorum nostrorum in Christo Ferdinandi, & Elisabeth Castellæ, & Legionis regnorum Regis, & Reginæ illustrissimorum, quam Vicarij Generalis, & vniuersorum Priorum, ac Fratrum Ordinis Prædicatorum reformatorum nuncupatorum in dictis Regnis consistentium dilectorum filiorum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod si prædictus, & pro tempore existens generalis Vicarius, in qualibet domo dicti Ordinis ei subiecta, vbi eum pro tempore morari contigerit, ac in eius absentia singuli Priores, siue Præsidentes singularum domorum dicti Ordinis, nunc, & pro tempore existentes, ac quatuor prædicti Ordinis professores presbyteri idonei per Vicarium, & singulos Priores, siue præsidentes prædictos in singulis domibus deputandi, possint confessiones vtriusque sexus Christi fidelium forensium ad singulas domos prædictas accedentium: & ibidem proprium domicilium non habentium, ac inibi confiteri volentium, toties quoties ibidem confitebuntur, liberè audire, & eos ab omnibus, & singulis peccatis, excessibus & delictis, per eos commissis, atque excommunicationis sententijs, & censuris, & pœnis in singulos fideles prædictos in genere, vel in specie ordinaria, auctoritate latis, de quibus Christi fideles se absolui petierint (dum tamen non sint propter quæ Sedes prædicta sit meritò consulenda) in loci Ordinarij absentia dumtaxat, absoluere, & eis super præmissis pœnitentiam salutarem iniungere, ac vota peregrinationis, & abstinentiæ per eosdem fideles emissa, quæ loci Ordinarius si præsens esset commutare posset, & ipsi fideles commode adimplere non poterunt, & in ipsius loci Ordinarij absentia, in alia pietatis opera commutare, necnon omnibus, & singulis Christi fidelibus tam forensibus, quam, & in Ciuitatibus, & locis in quibus domus ipsæ consistunt, commorantibus, Eucharistiæ Sacramentum quocunque tempore (festo Resurrectionis Dominicæ dumtaxat excepto) eorumdem fidelium parochialium Ecclesiarum Rectorum, & quorumlibet aliorum licentia minimè requisita ministrare possint, perpetuò statueretur & ordinaretur, profectò deuotio fidelium eorumdem ad domos Fratrum prædictorum ex magno deuotionis feruore pro consequendis spiritualibus alimentis accurrentium, augeretur, & eorumdem fidelium animæ ferculo diuini sermonis decentius reficerentur, ipsique fideles ad imitationē Religionis huius facilius inuitarentur. Nos igitur, qui singularum Christi fidelium animarum salutem quærimus Regis, & Reginæ, ac Vicarij, Priorum, & Fratrum prædictorum in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo statuimus, & ordinamus, quòd prædictus, & pro tempore existens Generalis Vicarius, in qualibet domo dicti Ordinis ei subiecta, vbi eum pro tempore morari contigerit, ac in eius absentia singuli Priores, siue præsidentes prædictos in singulis deputandi, possint confessiones vtriusque sexus Christi fidelium forensium ad singulas domos prædictas occurrentium & ibidem proprium domicilium non habentium, ac inibi confiteri volentium, toties quoties ibidem confitebuntur, liberè, audire, & eos ab omnibus, & singulis peccatis, excessibus, & delictis per eosdem commissis, ac confessis, necnon excommunicationum sententijs, & pœnis in singulos fideles prædictos in genere, vel in specie ordinaria auctoritate latis de quibus ipsi fideles se absolui petierint (dum tamen talia non sint propter quæ Sedes Apostolica prædicta meritò sit consulenda) in loci Ordinarij absentia dumtaxat absoluere, & eis super præmissis pœnitentiam salutarem iniungere, ac vota peregrinationis, & abstinentiæ per eosdem fideles emissa, quæ loci Ordinarius si præsens esset, commutare posset, & ipsi fideles commodè adimplere non poterunt, in ipsius loci Ordinarij absentia, in alia pietatis opera commutare: necnon omnibus, & singulis Christi fidelibus, tam forensibus, quam in Ciuitatibus, & locis in quibus ipsæ domus consistunt, commorantibus, Eucharistiæ Sacramentum quocunque tempore (festo prædicto dūtaxat excepto) eorundem fidelium Parochialium Ecclesiarum Rectorum absentium, & quorumlibet aliorum licentia minimè requisita, ministrare liberè, & licitè possint, & valeant (parce tamen) ne querelæ inde eueniant. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo &c. Sed hoc priuilegium, quod videtur tam amplum, restrictissimum est, cum non concedat facultatem absoluendi, & commutandi vota, in absentia ordinarij loci.

129 Paulus etiam IV. in Bulla ex *Apostolica Sedis* data Romæ die 9. Martij 1556. & quæ habetur

tur fol.258.in Bullario Ord. Prædicator. per Franciscum de Albericis Auditorem Cameræ visum, approbatum, & in autenticam formam redactum, Confirmans priuilegia Ordinis Prædicatorum singulariter, & expresſè amplam facultatem audiendi confessiones concessit ibi, *& præsertim, vt pro tempore deputati confessores fratres dicti Ordinis fratrum prædicatorum huiusmodi omnium quarumcumque diœcesium, vtriusque sexus Christi fidelium ad eos pro tempore recurrentium confessiones audire, eosque etiam in casibus, quibus eis per priuilegia Sedis Apostolicæ, etiam per modum communicationis, & extensionis, quorumcumque ordinum etiam Minimorum, hactenus concessum est possent absoluere & singulorum Ordinum, etiam Minimorum fratres, quorum priuilegia eidem Ordini Prædicatorum sunt communicata, & extensa, absoluere consueuerant absoluendi, ac pœnitentiam salutarem iniungendi. Omni tempore præterquàm in die Resurrectionis dominicæ Sacramentum Eucharistiæ tam illis, quàm alijs quibusuis personis licitè ministrandi facultatem indulgemus, ac de nouo concedimus in omnibus, & per omnia, ita quod Ordo Magister, fratres, Inquisitores, moniales, sorores, & alij prædicti, nec non monasteria, domus, & loca huiusmodi illis tam in genere, quàm in specie concessis, vt præfertur vti, potiri, & gaudere possint, & debeant.* Est tamen considerandum quod priuilegium hoc Pauli IV. habet præseruatiuas, ac futuras derogationes valdè singulares per illud derogatur expresſè constitutioni *super cathedram*, Bonif. VIII. & & Clementinæ *religiosi* de priuilegijs & Clemẽtinæ *dudum* de sepulturis, & generali concilio Lateranensi sub Leone X. celebrato, & alijs concilijs. Continet verò plenam facultatem omnium ad præfatos fratres à suis Prælatis deputatos Confessores accedentes cuiuscumque diœcesis sint, & vtriusque sexus fidelium confessiones audire, & eos absoluere ab omnibus casibus ad quos eorum priuilegia se extendunt etiam per viam communicationis, & à quib. absoluere consueuerunt.

130 Alexander IV. vt videre est in Bullario Rodriquez const.24. & apud Casarubias verbo *absolutio, quo ad seculares.* num.1. concesserat Ordini Minorum id, quod postea concessit Clemens IV. Ordini Prædicatorum & supra relatum est nu.126. Prætereà amplam facultatẽ audiendi confessiones secularium concessit Nicolaus V. const.2. in Bullario Rodriquez prout infra. *Scimus populos Ciuitatum, terrarum, & locorum apud quæ loca habetis, exemplo allectos, & inductos religiosæ vitæ, quam Domino concedente ducitis, libenter ad confitendum vobis, & sacratissimam communionem de manibus vestris accipiendum confluere. Vnde vt illis satisfacere valeatis, deuotioni vestræ audiendi in confessionibus omnes quarumcunque diocæsium & in illis extraneos, ac forenses absoluendi quoque etiam in casibus, quos Diocæsani locorum, in quibus ad audiendum deputati estis, duxerint concedendos, & in omni præterquàm in die resurrectionis prædictam Sacratissimi corporis Dominici communionem dandi auctoritate apostolica concedimus per præsentes.* In hoc priuilegio nedum datur facultas Minoribus audiendi confessiones omnium etiam forensium, sed absoluendi à casibus reseruatis Episcopis facultas non datur absolutè, sed solùm à concedendis ab Episcopis.

131 Et sub eisdẽ verbis idẽ concessit Sixtus IV. in const.11. apud Rodriquez, & hanc concessionem confirmasse Leonem Decimum viuæ vocis oraculo aduertit Casar. vbi supra num.14. alia etiam priuilegia per viuæ vocis oracula concessa fuerunt Minoribus, vt quòd in itinere possint requisiti absoluere etiam à casibus Episcopo reseruatis, si non possunt se Episcopo præsentare. Ita Eugenius IV. apud Rodriquez oraculo 13. & apud Casar. nu.3. & quòd in itinere possint audire cõfessiones etiam si non præsentati ad formam Clemẽtinæ Sixtus IV. apud Rodriquez oraculo 19. & Casar. nu.10.

132 Præterea Paulus Quartus in Constit. quæ incipit *ex Clementi*, & data fuit prima Iulij, & in Bullar. Rom. est prima & apud Confetium est prima post confirmata priuilegia Ordinis Minorum Regularis obseruantiæ expresſè concessit vt infra. *Et insuper, vt pro tempore deputatos Confessores fratres Ordinis Minorum obseruantiæ huiusmodi omnium, quarumcumque diœcesum vtriusque sexus Christi fidelium ad eos pro tempore recurrentium, confessiones audire, eosque etiam in casibus, & censuris, quibus eis per priuilegia Sedis Apostolicæ, etiam per modum communicationis, & extensionis quorumcumque Ordinum. etiam Mendicantium hactenus concessum est, posse absoluere, & singuli Ordines etiam Minorum (quorum priuilegia eidem Ordini Minorum sunt communicata, & extensa) absoluere consueuerunt, absoluendi & pœnitentiam salutarem iniungendi, & omni tempore, præterquàm in die Resurrectionis Dominicæ Sacramentum Eucharistiæ, tam illis, quàm alijs quibusuis personis licitè ministrandi, Apostolica autoritate indulgemus, ac de nouo concedimus in omnibus, & per omnia &c.*

133 Vrbanus IV. quoque, vt habetur in Mari magno Carmelitarum §.14. apud Lezanam, & apud Rodriq. const.37. Sixti 4. concessit Carmelitis, quòd Christi fidelium de suorum licentia Prælatorum confessiones audire possint, & huius priuilegij hic tenor est: *Vobis adhoc tota mente sollicitis, vt æterno Regi per vita gloriosæ studium placentes, quæ animarum salutem paritura credimus, benigno fauore concedere debemus; Hinc est; quòd nos vestris supplicationibus annuentes præsentium vobis auctoritate concedimus, vt confratrum; & familiarium vestrorum, & aliorum Christi fidelium causa deuotionis ad vos recurrentium de suorum licentia Prælatorum confessiones audire, & eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere valeatis, nisi forti talia commiserint, propter quæ Sedes Apostolica sit meritò consulenda.* Hoc priuilegium valde restrictum est, cum non concedat facultatem audiendi Confessiones, nisi de licentia Ordinariorum. Quantùm verò ad casus amplitudinem, habet expresſè non restrictam nisi per illam clausulam. *Nisi forte talia &c.*

134 Pyrrus Archiepiscopus Consentinus in sua constitutione, quæ habetur apud Peirinum tomo 2. const.1.§.8. ita concessit: *Confessiones audire, & ab omnibus casibus, excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, ac super quacumque irregularitate nobis tam à iure, quàm à nobis reseruatis, & permissis, toties, quoties absoluendi, & dispensandi, votaque quæcunque permutandi, & relaxandi, ac pœnitentiam salutarem iniungendi.* Et hanc Pyrrhi constitutionem confirmauit Sixtus IV. in constitutione se-

ne secunda apud eundem Peirinum : sed quia verè vt infra probo hoc priuilegium respicit confessiones Religiosorum dicti ordinis, posteà, vt aduertit idem Peitious Iulius secundus in sua constitutione prima §.32. seu in Constit. 10. in Bullar. Rom. §.34. extendit illud ad confessiones secularium sub hac forma verborum. *Nec non confessiones quarumcumque personarum tam religiosarum, quàm Ecclesiasticarum, & secularium vbilibet audire, & illis auditis personas ipsas, & earum quamlibet iuxta formam, & tenorem priuilegij per præfatum Sixtum prædecessarem Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius personis, & fratribus dudum concessi, & confirmati absoluere, ac pænitentiam salutarem illis iniungere valeant.* Vniuersale est hoc priuilegium respectu personarum, & locorum; & sic huic Ordini concessum fuit, vt eius Religiosi confessarij omniũ personarum etiam religiosorum, & vbique Confessiones audire possint, sed quantum ad casus nihil explicat, sed cum se remittat ad Sixtum IV. & hic ad Pyrrhum qui concessit facultatem absoluendi ab omnibus casib. poterit videri, quod priuilegium sit vniuersale. Sed Pyrrhus non concessit facultatem absoluendi nisi a casib. sibi reseruatis; vnde præfata vniuersalitas non colligitur.

135 Paulus III. Societati Iesu concessit amplũ priuilegium audiendi confessiones secularium in sua constitutione *cum inter cunctas.* quæ habetur in Bullario Societatis pagina 19. & fuit data 3. Iunij 1545. Pontificatus anno vndecimo, & in quâ inter alia sic habet: *Nec non illis ex vobis, qui presbyteri fuerint quorumcumque vtriusque sexus Christi fidelium ad vos vndecumque accedentium confessiones audiendi, & confessionibus diligenter auditis ipsas, & eorum singulos ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, & excessibus, & delictis quantumcunque grauibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & à quibusuis ex ipsis casibus resultantibus, sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla quæ in die cœnæ Domini solita est legi) absoluendi, ac eis pro commissis pænitentiam salutarem adiungendi, nec non vota quæcunque per eos, pro tempore emissa. (Vltramarinis, visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum de Vrbe, ac Sancti Iacobi in Compostella, nec non religionis, & castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi.* Hoc quoque priuilegium est amplum & vniuersale respectu personarum ad præsbyteros dicti Ordinis accedentium, quantum ad vniuersalitatem casuum expresse non excluduntur nisi casus bullæ Cœnæ, conceduntur vero alij casus Papales.

136 Idem vero Paulus Tertius in Constit. *Licet debitum*, data 15. Cal. Nou. 1549. Pontificatus anno Quintodecimo, & in Bullario societatis habetur pag. 28. & est 48. in Bullar. Rom. eandem facultatem concessit §. 28. vbi præmissa deuotione populorum erga PP. Societatis subdidit. *Vt illis sic confluentibus satisfacere valeant, vniuersis vtriusque sexus Christi fidelibus, vt cuilibet de societate prædicta confiteri possint, Rectoris sui licentia minime requisita, cui non teneantur eadem peccata, de quibus confessi, & absoluti fuerint, rursus confiteri &c.* Gregorius etiam XIII. aliud priuilegium concessit in constitutione sua, quæ incipit *Decet Romanum Pontificem* in eodem Bullario fol. 137. in qua inter alia sic habet fol. 142. *Omnibus & singulis ipsius Societatis Prædicatoribus, ac confessarijs ab aliquo Ordinario semel approbatis, & a suis superioribus ad huiusmodi munera deputatis, & quandocumque siue mari, siue terra iter fecerint populos, non repugnantibus tamen Curatis parochialium Ecclesiarum prædicatione verbi Dei instruere ac consolari, & quorumcumque Christi fidelium præsertim ægrotorum, & eorum, qui in vinculis detinentur confessiones audire, eisque pro commissis salutares pœnitentias iniungere, dummodo id non faciant in ipsis oppidis, aut locis, in quibus ordinarij existunt, nisi eorum licentia desuper obtenta liberè, ac licitè valeant eadem auctoritate, etiam perpetuò de speciali gratia concedimus.* Vnde indubitatum est, Religiosos & præcipuè Mendicantes posse ministrare fidelibus sacramentum pœnitentiæ ex commissione Pontificis & superiorum ad quos spectat, quod & statutum fuit in concilio Viennen. & in *Clem. dudum de sepulturis* & in extrauag. *inter cunctas* de priuilegijs.

137 Cum verò sub Pontificatu Ioannis 22. aliqui DD. Parisienses, & inter eos præcipuus Io: de Poliaco publice & docendo, & prædicando disseminassent, quòd confessi Religiosis tenerentur iterum confessa peccata confiteri coram proprijs parochis, & quod stante capite *omnis vtriusque sexus* concilij generalis, Papa immò nec Deus poterat facere, vt Parochiani semel in anno nõ tenerentur peccata sua confiteri proprio sacerdoti scilicet Curato, & quòd Papa, immò nec Deus potest dare licentiam generalem audiendi confessionem, quin confessus habenti talem licentiam teneatur eadem peccata confiteri proprio sacerdoti idest Curato, huiusmòdi insanas propositiones tanquam falsas, & erroneas, & à doctrina fidei deuias damnauit Io. 22. easdemque vt tales reuocauit, idem Io: de Poliaco in publico Consistorio, vt habetur in extrauag. *vas electionis* eiusdem Io: 22. inter extrau. communes 2. de hæreticis. Vnde nunc de fide est, quòd Regulares ex concessione Summi Pontificis & ritè & validè possunt pœnitentium confessiones audire, eosque à peccatis absoluere. Quoniam tamen multa requiruntur ad hoc vt huiusmodi administratio ritè, & validè fiat, præsentem inspectionem in sequentia capita diuidimus, inspiciendo primò qua necessitate & qualiter Regulares ad confessiones audiẽdas approbari debeant ab Episcopis. Secundò ad quos casus se extendat facultas Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Antiquitus non erat necessaria licentia Episcoporum vt Regulares audirent confessiones. numer. 138.*
2 *Statutum & priuilegium Bened. 11. in extrau. inter cunctas de priuileg. n. 139.*
3 *Decretum Clem. dudum de sepulturis. n. 140.*
4 *Statutum Leonis X. n. 141.*
5 *Oraculum Leonis X. n. 142.*
6 *Decretum Concil. Trid. n. 143.*
7 *Constitutio Pij Quinti. n. 144.*
8 *Constitutio Vrbani VIII. reuocatoria priuilegiorum. nu. 145.*

9 *Breue Vrbani VIII. ad Epiſ. Gienen. num.146. & ſeq.*
10 *Conſtitutio Angelopolitana Innoc.X. num.156. & ſeq.*

De Epiſcoporum approbatione per regulares obtinenda, vt ſecularium confeſſiones audire poſſint.

INSPECTIONIS. II.

CAPIT. PRIMVM.

138 CVm igitur in vi priuilegiorum prædictorum Pontificum, regulares expoſiti & approbati ab eorum Superioribus poſſent audire ſecularium confeſſiones abſque approbatione ſeu præſentatione aut licentia Epiſcoporum, Bonifacius VIII. in ſua conſtitutione *ſuper Catedram* in hac parte præfata priuilegia reuocauit. Sed poſtea Benedictus II. vt habetur in extrauag. *inter cunctas* de priuilegijs cõſtitutionem Bonifacij VIII. moderatus eſt, & ſtatuit vt infra.

139 *Sed quia multoties propoſitum verbum Dei audientem à peccato non retrahit: Ideirco poſt prædicationem neceſſarium eſt pœnitentiæ ſacramentum, circa quod (niſi articulus neceſſitatis occurrat) ſacerdoti faciendo oris confeſſio (prout ſcriptum eſt, corde ad iuſtitiam creditur, ore autem fit confeſſio ad ſalutem) exigitur: aliàs fruſtra eſſet in Sacramento ad Sacerdotes (qui inter lepram, & lepram debent diſcernere) miniſterium inſtitutum. Electi igitur ab ijſdem fratribus ad audiendas confeſsiones & pœnitentias iniungendas, liberè auctoritate apoſtolica abſque licentia diœceſanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum exemptorum, & non exemptorum, quibus ſubſunt, qui ad confitendum accedunt, audiant eis peccata ſua confiteri volentes. Non religioſos, qui ſecundùm ſtatuta ſuorum ordinum proprijs Prælatis confiteri debent, vt ab eis, ne confiteantur alijs prohibentur, abſoluant ipſiſque pœnitentias ſalutares iniungant intra ſibi deſignatos terminos ad huiuſmodi exercendum officium, conſtitutos. Excommunicationes verò, vel alias ſententias per Prælatos latas contra hoc, vel in eius fraudem, denunciamus irritas, & inanes. Nec confeſſi ipſis fratribus peccata illa, de quibus confeſſi ſunt eis, & abſoluti pœnitentes, de illis ſacerdotibus proprijs teneantur (ſicut etiam non tenentur) iterum confiteri: non obſtante conſtitutione generalis concilij, quæ ſano intellectu (ne ſequatur abſurdum) quòd per pœnitentiam demiſſa peccata quis confiteri debeat, & quòd liberatus debitor adhuc abſoluendum remaneat obligatus, intelligenda eſt (vt ex ea patet) de illis, qui peccata ſua confiteri alijs neglexerunt. Sed ſacerdotis ipſis taliter confeſſis, & abſolutis adſtricti ſunt adminiſtrare Eucharistiæ, & extremæ vnctiones etiam ſacramentum. Super confeſſione autem facta fratribus memoratis, quam de confitentis ſolius præiudicio (ſi falſum dicat) agatur in iudicio animæ ſuæ pœnitentiæ foro: Stabitur ſimplici verbo illius, qui ſacramenta petit prædicta, & dicit fratribus ſe confeſſum. Duos tamen caſus exceptimus, ſcilicet ſi ſacerdos aſſerat eum excommunicatum, aut notoriè peccatorem, ſed videat, ne id dicat mendaciter, aut in dolum, vel in fraudem, quia ſi hoc egerit à delicto tali, niſi plenè ſatisfecerit (præter quàm in morte) abſolui nequeat, nec de illo ad pœnitentiam alter admittatur. Vt autem Diœceſanis honor debitus reſeruetur, præcipimus vt Prouinciales, Priores prædicatorum & miniſtri minorum ordinum præfatorum per ſe, vel alios verbo, vel ſcripto eis ſignificent, ſe fratres ad hominum confeſſionum audiendarum, & pœnitentiarum iniungendarum officium elegiſſe, & non nominando, aut coram ipſis ſiſtendo eos, nec illorum numerum exprimendo, petant humiliter à Diœceſanis eiſdem, quòd ijdem electi fratres de ipſorum beneplacito & licentia dictum poſſint in eorum Ciuitatibus, & Diœceſibus intra eis determinatos fines officium exercere. Quod ſi denegent, vel intra triduum non concedant, ex tunc ijdem fratres nihilominùs auctoritatem eadem hominis officium exequantur. Datam verò licentiam per Diœceſanorum mortem nolumus terminari. Per hoc autem non intendimus, quòd ſæpè dicti fratres, qui ad hoc eliguntur officium exercendum plus habeant in audiendis confeſſionibus, & pœnitentijs iniungendis, quàm Parochiales ſacerdotes noſcuntur habere. Sic de caſibus Epiſcopis, & Superioribus, quos inferiùs annotamus, ac Sedi Apoſtolicæ reſeruatis ſe nullatenus intromittant.*

140. Sed Clemens V. in Concil. generali Viennen. reuocata prædicta Conſtitutione Benedicti 11. cõfirmauit Conſtitutionem *Super Cathedram* Bonifacij VIII. & de confeſſionibus per Regulares audiendis decreuit, vt infra in Clementina *Dudum* de ſepulturis §. *Statuimus, & ordinamus auctoritate prædicta, vt in ſingulis Ciuitatibus, & diœceſibus, in quibus loca Fratrum ipſorum conſiſtere dignoſcuntur, vel in Ciuitatibus, & diœceſibus locis ipſis vicinis, in quibus loca huiuſmodi non habentur Magiſtri, Priores, Prouinciales Prædicatorum, aut eorum Vicarij, & Generales, & Prouinciales. Miniſtri, & Cuſtodes Minorum, & Ordinum prædictorum ad præſentiam Prælatorum, eorumdem locorum ſe conferant per ſe, vel fratres, quos ad hoc idoneos fore putauerint, humiliter petituri, vt fratres, qui ad hoc electi fuerint in eorum Ciuitatibus, & diœceſibus confeſſiones ſubditorum ſuorum confiteri ſibi volentium audire liberè valeant, & huiuſmodi confitentibus (prout ſecundum Deum expedire cognouerint) pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſdem abſolutionis beneficium impendere de licentia, gratia, & beneplacito eorumdem: Ac deinde præfati Magiſtri, Priores, Prouinciales, & Miniſtri Ordinum prædictorum eligere ſtudeant perſonas ſufficientes idoneas, vita probatas, diſcretas, modeſtas, atq; peritas ad tam ſalubre miniſterium, & officium exequendum, quos ſic ab ipſis electas repræſentent, vel faciant præſentari Prælatis, vt de eorum licentia, gratia, & beneplacito in Ciuitatibus, & diœceſibus eorumdem huiuſmodi perſonæ ſic electæ confeſſiones confiteri ſibi beneficium abſolutionis (in poſterũ) impendant prout ſuperiùs eſt expreſſum extra Ciuitates, & diœceſes, in quibus fuerint deputatæ, per quas eas volumus, & non per prouincias deputari confeſſiones nullatenus audituræ. Numerus autem perſonarum aſſumendarum ad huiuſmodi officium exercendum eſſe debet, prout Vniuerſitas Cleri, & populi, ac multitudo, vel paucitas exigit eorumdem, & ſi ijdem Prælati petitam licentiam confeſſionum huiuſmodi audien-*

dorum concesserint: illam præfati Magistri, Ministri, & alij cum gratiarum recipiant actione, dictaq; personæ sic electa commissum sibi officium exequantur, Quod si fortè iam dicti Prælati quempiam ex dictis fratribus præsentatis eisdem ad huiusmodi officium nollent habere, vel non ducerent admittendum, eo amoto, vel substracto loco ipsius similiter eisdem præsentandus Prælatis possit, & debeat alius subrogari; si verò ijdem Prælati præfatis fratribus ad confessiones (vt præmittitur) audiendas electis huiusmodi adhibere licentiam recusarint: Nos ex nunc ipsis, vt confessiones sibi confiteri volentium liberè, liciteq; audire valeant, & eisdem pœnitentias imponere salutares, atq; eisdem beneficium absolutionis impartiri gratiosè concedimus de plenitudine Apostolicæ potestatis. Per huiusmodi autem cōcessionem nequaquam intendimus personis, seu fratribus ipsis ad id taliter deputatis potestatem in hoc impendere ampliorem, quàm in eo Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus, est à iure concessa, nisi forsan eis Ecclesiarum Prælati vberiorem in hac parte gratiam specialiter ducerent faciendam. In hoc verò Cōciliari Decreto plura sunt per quæ antiquis priuilegijs derogatur. Primum quod non possint Regulares confessiones sæcularium audire, nisi de licentia Ordinarij. Secundum quòd Confessarij debeant præsentari coram Ordinarijs. Tertiū, quòd numerus Confessorum determinandus sit ab Episcopo attenta multitudine fidelium, & nuium, & vniuersalitate Cleri seu multitudine Sacerdotum. Quartum quòd Ordinarius ex sibi præsentatis possit hunc, vel illum reijcere, manente potestate apud Prælatos Regulares alium substituendi. Quintum, quòd non possint nisi absoluere ab ijs casibus, à quibus absoluunt Parochi; habetur verò hoc fauorabile, quod si Ordinarij Regularibus præsentatis negent licentiam audiendi confessiones, illi, ex Papæ authoritate illam consequuntur.

141. Successiuè verò etiam Leo X. in Concilio Lateran. moderatus fuit priuilegia mendicantium in Constitutione sua, quæ incipit *Dum intra mentis arcana*, & habetur in Bullar. Ord. Præd. fol. 176. *Et in Bullar. Rom. Const. 22. §. 6.* vbi inter alia ad rē nostrā hæc habētur. *Necnon superiores eorumdem fratrum, fratres, quos ad audiendas confessiones subditorum eorumdem Prælatorum pro tempore elegerint, eisdem Prælatis personaliter exhibere, ac præsentare (si eos sibi exhiberi, & præsentari petierint) alioquin eorum Vicarijs (dummodo ad Prælatos vltra duas dietas accedere non cogantur) omninò teneantur, possintq; illi per eosdem Episcopos, & Prælatos super sufficienti literatura, & aliqua saltem huiusmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinari, talibus præsentatis, & admissis, vel etiam indebitè recusatis confitentes, Constitutioni, quæ incipit omnes vtriusque sexus) quo ad confessionem dumtaxat) satisfecisse censeantur. Ipsiq; fratres etiam forensium confessiones audire valeant.* In hoc decreto additur ex parte Episcoporum facultas examinandi præsentatos Regulares pro confessionibus audiendis. Non vult verò, quòd huiusmodi electi vltra duas dietas cogi possint, vt se Episcopis præsentent.

142. Tamen Leo Papa X. per oraculum viuæ vocis relatum per Laurentium Cardinalem Tituli Sanctorum quatuor, quod habetur in Bull. Prædicatorū fol. 245 & de quò mentionē fecit Casarub. vbi supra n. 15. & verbo concilium num. 7. pro Ordine Minorum. *Confirmauit, & denuò concessit facultatem fratribus audiendi in Confessionibus omnes, & singulos quarumcumque diœcesum, & in illis extraneos, & Forenses absoluendi, etiam in casibus, quos diœcesani locorum in quibus ad audiendum deputati sunt, duxerint concedendos, & omni tempore præterquam in die Resurrectionis Dominicæ, Sacramentum Eucharistiæ licitè ministrandi.*

143 Concilium etiam Tridentinum sessione 23. cap. 15. de reformatione voluit, quod confessarij sæcularium approbarentur ab Ordinarijs. *Quamuis* inquit *presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant. Decreuit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones secularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur: Et approbationem, quæ gratis detur obtineat; priuilegijs, & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus,*

144 Item Pius V. cum audiuisset, quòd quandoque minùs idonei confessionibus sæcularium audiendis ab eorum superioribus admittebantur absq; aliqua Episcoporum approbatione mandauit vt decretum concilij ab omnibus Regularibus obseruaretur, vt habetur in sua Constitutione 133. §. 2. & 3. ibi. *Nos super his pro debito pastoralis officij prout tenemur salubriter prouidere volētes, tenore præsentium, hac nostra Cōstitutione perpetua sancimus, decernimus, & declaramus decretum Concilij Tridentini de approbatione secularium, audiendis confessionibus secularium præpositorum ab Episcopis facienda, obseruari debere etiam in omnibus Regularibus quorūuis Ordinum etiam Mendicantium etiam sub regulari disciplina viuentibus, etiamsi sint lectores aut in Theologia etiam de superiorum suorum licentia graduati, vel promoti, vel à suis Magistris generalibus, vel Prouincialibus ministris, secularium confessionibus audiendis expositi. Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Ciuitate, vel Diœcesibus suis prauio examine approbati fuerint ab eodem Episcopo iterum non examinari. Ab Episcopo autem successore pro maiori conscientia sua quiete examinari de nouo poterunt. Inhibentes quibuscumque Regularibus quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, vt præfertur, ne vigore deputationis, & approbationis ab ijsdem Magistris, & Ministris prouincialibus, etiam quod illarum occasione ab Ordinarijs hucusq; tolerati fuerint, absque speciali in posterum licentia, & approbatione ab Ordinarijs obtinenda, secularium confessiones audire præsumant, decernentes irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

145 Sed & Vrbanus Octauus reuocatis priuilegijs super hac re Regularibus quibuscumque cōcessis iterum vniuersaliter præcepit, & decreuit, non licere Regularibus sæcularium confessiones audire, nisi præuia diœcesani approbatione. Sic enim statuit in sua Constitutione 92. §. 1. *Nos huic malo opportunè prouidere volentes, de Venerab. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotijs regularium præpositorum consilio, omnia, & singula Indulta huiusmodi audiendi secularium confessiones absque Ordinarij examine, & approbatione, quibusuis Collegijs, Capitulis, Religionibus, Societatibus, & etiam*

Societa-

Societati Iesu, Congregationibus, & Ordinibus, tam Mendicantiũ, quàm nõ Mendicantiũ, necnon Monachorum quorumcumq; etiã S. Benedicti Cistercien. & Cartus. ac etiam quibusuis militijs, etiã hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac quibuscumq; Ecclesijs etiam Patriarchalibus, & Metropolitanis, Monasterijs, ceterisq; locis pijs, siue eorum, & earum respectiuè Abbatibus, Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris Prælatis, Prioribus, Rectoribus etiam generalibus, vel prouincialibus, Cappellanis, Confessarijs, aut alijs quocumque nomine nuncupatis, Superioribus, & personis quibuscumq; etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apost. immediatè subiectis, cuiuscumq; dignitatis, præeminentiæ, & conditionis existentibus, & quouis priuilegio munitis, & tam ad supplicationem partium, quàm motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, hactenus quandocumq; & qualitercũq; ex quauis etiam de necessitate exprimenda causa, & aliàs quomodolibet cõcessa, Apostolica auctoritate, tenore præsentium reuocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, viribusq; & effectu euacuamus, ac reuocata, cassa, sublata, abrogata, & ãnullata, viribusq; & effectu vacua esse, & fore, nec Religionibus, Societatibus, etiam Societati Iesu, Congregationibus, ordinibus, ac militijs, & Ecclesijs, Monasterijsq; prædictis, eorumq; Superioribus, & personis quibuscumq; in posterũ vllo modo suffragari, minusq; illos, ac illas, etiamsi de ijs specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbũ mentio habenda foret indultis huiusmodi vti posse.

146. Eiusdem etiam Pontificis tempore, cum in Diœcesi Gienen. ortę fuerint lites, ex eo quòd Regularis quidam semel approbati prætendebant se nulla alia Ordinarij indigere licentia, & sic cõfessiones audiebant contradicente Episcopo, discusso negotio in Congregatione Regularium, iuxta Decretum Pij V. supra relatum. Pontifex per suum Breue respondit, sed interim admisit, Episcopos posse approbare Regulares ad certum tempus, quo præterito licentia deficit. Illud autem Breue, quod refert Barbosa de iure Ecclesiastico cap. 43. num. 210. & Tambur. tom. 2. disp. 6. q. 11. num. 9. est sequentis tenoris.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

147 *ALias à nobis emanarunt literæ tenoris sequentis, videlicet: A tergo, dilecto filio nostro Balthasari S.R.E. Presbytero Cardinali de Sandoual nuncupato, Ecclesiæ Gienen. ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsuli, Intus verò. Vrbanus Papa Octauus. Dilecte fili noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

148 *Cum sicut nuper nobis exponi fecisti in tuis Ciuitate, & Diœcesi Gienen. nulli diuersorum Ordinum Religiosi sub prætextu, quòd ad sacras confessiones audiendas, & verbum Dei prædicandum semel approbati fuerint, absque tua licentia confessiones prædictas audiant, & verbum Dei prædicent non sine graui Christifidelium scandalo, & eorum salutis animarum detrimẽto; & licet per censuras, & pœnas Ecclesiasticas contra eosdem processeris, ij tamen vigore cuiusdam Priuilegij à fel. record. Clemente Papa Octauo Prædecessore nostro ad fauorem Mẽdicantiũ emanati se ab alio, quàm à Rom. Pont. pro tempore existente excommunicari minimè posse prætendant.*

149 *Nos inconuenientibus huiusmodi iuxta creditũ nobis desuper Apostolicæ seruitutis officiũ quantum cum Domino possumus obuiare, teq; specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinaliũ negotijs Regulariũ præpositorum cõsilio, tibi Religiosis prædictis, ne absq; expressa tua licentia sacras confessiones de cætero audire, minusq; verbũ Dei prædicare audeãt, & præsumant per censuras, & pœnas Ecclesiasticas auctoritate nostra inhiberi, eosdemq; ad exhibendum tibi licentias, quas illi desuper à te, siue à prædecessoribus tuis Ecclesiæ Gienen. Præsulibus, vel administratoribus obtinuerint, ad hoc, vt eas vel confirmes, vel reuoces, prout ad diuini cultus augmentum, & animarũ Ciuitatis, & Diœces. prædictarũ salutem, & confirmationem in Domino expedire iudicaueris, cogendi cõpellendi facultatem dicta auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur.*

150 *Non obstan. quibuscũq; Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiã iuramẽto, cõfirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, vel cõsuetudinibus, necnõ prædicti Clementis prædecessoris, & quibusuis alijs priuilegijs in vim crucíata sãcta eis quomodolibet cõpetentibus, indultis, & literis Apost. sub quibuscumq; tenoribus, & formis, ac cum quibuscunq; derogatoriarũ derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibus, alijsq; decretis, vel in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innouatis.*

151 *Quibus omnibus, & singulis, ac si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus specialis specifica, & indiuidua, ac de verbo ad verbũ, non autem per clausulas generales idẽ importantes mẽtio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruãda foret, illorũq; tenore pro plenè, & sufficienter expressis haberi illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscumque: Dat. Romæ apud S. M. Maiorem sub anulo Piscat. die 13. Octob. 1627. Pont. nostri anno quinto.*

152 *Nunc autem litibus, & controuersijs, quæ inter Ordinariũ Gienen. ex vna, ac Religiosos præd. ex altera partibus de, & super præinsertis prædictis, vt accepimus ad præsens vigeat, & de cætero oriri possint, quantùm cum Domino possumus obuiam ire, ac desuper opportuno declarationis nostræ ministerio prouidere volẽtes de Vener. Fratrũ nostrorũ S.R.E. Card. negotijs, & consultationibus Episcoporum, ac Regularium Præpositorum consilio partibus auditis, req; maturè discussa,*

153 *Auctoritate apostolica tenore præsentiũ decernimus, & declaramus, præinsertas literas huiusmodi ita esse intelligendas, & declarandas, vt Regulares quidem in Ciuitate & Diœces. Gienen. à Prædecessoribus Episcopis examinati, & approbati ad confessiones personarum sæcularium audiendas à præsente Episcopo successore pro maiori conscientiæ suæ quiete possint iterum examinari, at si minùs idonei reperti fuerint reprobari ad præscriptum Constitutionis Sanctæ Memoriæ Pij Papæ V. prædecessoris nostri hac de re editæ, sed illi, quos idemmet Episcopus approbauit; siquidem huiusmodi approbationem obtinuerint*

ad certum tempus, eo elapso non possint confessiones audire absque noua Episcopi ipsius licentia, & approbatione prauio etiam si eidem libuerit noua examine. Illi autem, quos ipsemet Episcopus ad confessiones huiusmodi audiendas semel admisit simpliciter, ac sine vlla temporis præfinitione nullatenus possint ab illo reprobari sine noua causa, eaq; confessiones ipsas concernente. Cæterum an eadem causa subsit necne Episcopum non teneri ipsis Regularibus edicere, sed Sedi Apost. dumtaxat, vbi eam sibi aperiri postulauerit.

154 *Ad hac quad in eisdem prainsertis literis dicitur Regulares non posse verbum Dei prædicare sine Episcopi licentia, id locum sibi vendicare in his tantùm Ecclesijs, quæ sui Ordinis non sunt, cum in alijs Ecclesijs sui Ordinis sufficiat Episcopi benedictio petita, licet non obtenta, ita tamen, vt si Episcopus non modò benedictionem simpliciter non concesserit, verùm etiam Regularibus prohibuerit quominùs prædicent, tunc illo contradicente in suis quidem Ordinis Ecclesijs liceat illos prædicare quemadmodum Sac. Trid. Conc. Decretis salubriter est cautũ. Quod si Regularis etiã si in confessionibus audiendis, siue in prædicando aduersùs ea, quæ superiùs declarauimus quoquomodo deliquerint in vim earũdem prainsertarũ literarũ ab Episc. Cien. coerceri, & puniri possint etiam censuris Ecclesiasticis.*

155 *Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices Ordinarios, & delegatos, & causarum Palatij Apostolica Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secùs super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus illis, quæ in prainsertis literis huiusmodi voluimus non obstare, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscator. die 30. Ianuar. 1629 Pontificatus nostri Anno 1.*

156. Sed postea sub Innocentio X. super priuilegijs prædicandi, & audiendi confessiones orta lite in Indijs occidẽtalibus inter Episcopum Ciuitatis Angelorum, & PP. Iesuitas, eaq; partibus auditis terminata in Sacra Congregatione Concilij Innocentius X. per suam Constitutionem datam 14. Maij 1648. & quæ incipit *Cum sicut accepimus* multa decreta, seu declarationes S. Congregationis quæ ad rem nostram faciunt confirmauit, & edidit Constitutionem; quæ quia continet plura spectantia nedum ad materiam confessionum, sed prædicationis, & conseruatorum, vnde sæpiùs eius mentio habenda erit, ponitur hic per extensum.

INNOCENTIVS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

157 §. 1. CVM sicut accepimus aliquæ fuerint ortæ differentiæ inter Venerabilem fratrem Ioannem Episcopum Angelopolitan. siuè Populi Sanctorum Angelorum in Indijs Occidentalibus ex vna, & dilectos filios Clericos Regulares Societatis Iesu partibus ex altera de, & super munere prædicationis verbi Dei in proprijs eorumdẽ Clericorum Regularium petita solum Episcopi benedictione, quam in alienis Ecclesijs petita, & obtenta ab eodem Episcopo Diœcesano licentia exercendi, necnon super confessionibus laicorum audiendis præuio examine, siue approbatione eiusdem Episcopi Diœcesani, quæ dicti Clerici Regulares in vim priuilegiorum prædictæ Societati Apostolica auctoritate concessorum sibi proprio iure licere prætendebant, & desuper in partibus fuerit deuentum ad plures actus iudiciales, & pro parte Clericorum Regularium huiusmodi ad electionem Cõseruatorum priuilegiorum huiusmodi: nobisq; tam dicti Ioannis Episcopi, quam eorumdem Clericorum Regularium nomine pro sopiendis differentijs huiusmodi quædam dubia decisiõnem differentiarum præfatarum, nec non iurisdictionem Ordinariorum in exemptos, & ipsorum Clericorum Regularium exemptionem à Iurisdictione Ordinarij concernentia fuerint proposita, ad quæ ambæ partes responderi, & quid desuper obseruandum sit auctoritate nostra Apostolica statui, & stabiliri desiderabant.

158. §. 2. Nos, qui omnium fidelium, & præsertim Ecclesiasticorum quieti libenter incumbimus differentias prædictas, totumq; negotium particulari Congregationi aliquorum Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, & dilectorum Romanæ Curiæ Prælatorum examinan. commisimus, qui auditis sæpiùs procuratoribus prædicti Ioannis Episcopi, necnon Procuratore Generali Societatis prædictæ, negotio maturè discusso omnibus dubijs, & petitionibus hic indè propositis responderunt prout sequitur. videlicet.

159. §. 3. Sacra Congregatio à Sanctissimo Domino Nostro deputata super controuersijs vertentibus inter Episcopum Angelorum in Indijs Occidentalibus, & Religiosos Societatis Iesu sæpiùs auditis procuratoribus ab eodem Episcopo ad Vrbem allegatis; necnon ipsius Societatis Procuratore Generali, negotioque accuratè discusso censuit prædictos Religiosos nequaquam posse in Ciuitate, & Diœcesi Angelopolitana personarum secularium Confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani, nec verbum Dei prædicare in Ecclesijs sui Ordinis, non petita ipsius benedictione, nec in alijs Ecclesijs sine eius licentia, nec in Ecclesijs etiam sui Ordinis ipso contradicente, & contrauenientes ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato coerceri, & puniri posse etiam censuris Ecclesiasticis in vim Constitutionis sanct. mem. Greg. XV. quæ incipit, Inscrutabili Dei prouidentia. Ac proindè memoratis Religiosis, qui huiusmodi approbationem, ac licentiam se obtinuisse non docuerint potuisse Episcopum, seu eius generalem Vicarium præcipere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt à confessionibus audiendis, & verbi Dei prædicatione abstinerent, nec ob eam causam licuisse dictis Religiosis quasi à manifestis iniurijs, & violentijs eligere Conseruatores, eosque, vt præfertur electos in Episcopum, eiusque Vicarium Generalem indebitè, ac nulliter excommunicationem fulminasse. Cæterum S. Congregatio serio in Domino hortatur, ac monet Episcopum, vt Christianæ mansuetudinis memor erga Societatem, quæ laudabili suo Instituto in Ecclesia Dei tàm fructuosè laborauit, ac sine intermissione laborabat paterno se gerat affectu, eamque in regimine Ecclesiæ suæ perutilem adiutricem agnoscens benignè foueat, ac pristinæ

suæ

ſuæ beneuolentiæ reſtituat, quemadmodum Sacra Congregatio ipſum facturum confidit, ſibique certo pollicetur, cum eius zelum, pietatem, ac Paſtoralem ſollicitudinem compertam habeat. Dat. Romæ die 16. Aprilis Anno 1648.

160. §. 4. Et præmiſſorum occaſione pro parte prædicti Ioannis Epiſcopi; necnon Religioſorum Societatis Ieſu in eadem Congregatione propoſita fuerunt diuerſa dubia de mandato Sanctiſſimi reſoluenda, quæ quidem Sacra Congregatio ſæpiùs auditis, vt in præmiſſis ab eodem Epiſcopo ad Vrbem miſſis; necnon Procuratore Generali ipſius Societatis, negotioq; maturè perpenſo ad ſingula dubia ab vtraque parte propoſita reſpondit ordine, quo ſequitur.

161. §. 5. Primo. An in caſu, quo Epiſcopus præcipiat decreta aliqua Concilij Tridentini à Regularibus obſeruari, & executioni demandari Regulares, quicunque etiam Societatis Ieſu ſub prætextu, quod huiuſmodi præcepta infringant ſua priuilegia poſſint eligere Conſeruatores? Congregatio reſpondit, ſi Epiſcopus præcipiat Regularibus etiam Societatis Ieſu, vt decreta aliqua Concil. Trident. obſeruent, & exequantur in illis caſibus, in quibus per ipſum Concilium, vel Conſtitutiones Apoſtolicas Regulares exempti ſubijciuntur iuriſdictioni, & correctioni Epiſcopi minimè licere ipſis Regularibus ob eam cauſam Conſeruatores eligere.

162. §. 6. Secundo. An quando Ordinarius procedit iuris ordine ſeruato aduerſus Regulares prædictos in caſibus, in quibus per Concil. Triden. vel Conſtitutiones Apoſtolicas ipſi ſubijciuntur poſſint Conſeruatores Iudices aſſignare? Reſpondit, vt ad proximum non poſſe.

163. §. 7. Tertio. An Regularibus etiam Societatis Ieſu aſſerentibus ſe habere priuilegia quominus obediant Epiſcopo in executione decretorũ iuris communis Concilij Tridentini, & Conſtitutionum Apoſtolicarum; Ordinarij debeant ipſis adhibere fidem abſque exhibitione huiuſmodi priuilegiorum? Reſpondit, Ordinarios non teneri huiuſmodi aſſertioni fidem adhibere abſq; integrali priuilegiorum exhibitione.

164 §. 8 Quarto. An in caſu, quo Regulares quicumque etiam Societatis Ieſu exhibeant aliqua priuilegia, & Ordinarij iudicent ea non ſuffragari caſui, de quo agitur, & ad rem non facere Regulares præfati poſſint, & debeant prouocari ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotiſſimis ad Metropolitanum, ſiue Ordinariũ viciniorem, vel potiùs poſſint hoc caſu eligere Iudices Conſeruatores? Reſpondit. Si verba priuilegiorum ſint obſcura, & ambigua non licere recurrere ad Metropolitanum, vel viciniorem Epiſcopum, nec Conſeruatores eligere; ſed Summum Pontificem pro interpetratione eſſe adeundum.

165 §. 9. Quinto. Vtrum Conſtitutio fel. recor. Gregorij XV. circa Conſeruatores Regularium publicata anno 1621. cum declarationibus Eminentiſſimorum Sacræ Congregationis Concilij Tridentini Interpretum deſuper editis æquè afficiat, & comprehendat Religioſos Societatis Ieſu, ac reliquos Regulares, ita vt omnia alia prædicta Societatis priuilegia fuerint reducta ad terminos dictæ Conſtitutionis, & ſic impoſterum debeant ab ijs eligi Conſeruatores iuxta formam, & tenorem prædictæ Conſtitutionis? Reſpondit, huiuſmodi Conſtitutionem cum declarationibus, vt prætenditur editis æquè afficere Religioſos Societatis Ieſu, atque aliorum Ordinum, & Conſeruatores ad illius præſcriptum eſſe eligendos non obſtantibus quibuſuis priuilegijs, quippe quis omnia ſunt redacta ad terminos ipſius Conſtitutionis.

166 §. 10. Sexto. An Regulares prædicti grauati ære alieno, vel ad ratiocinia, vel Teſtamentorum Executores poſſint conueniri coram Ordinario, ſi Conſeruatores non nominauerint intra tempus habile ab Ordinario præſcriptum. Reſpondit Regulares in cauſis præfatis coram Ordinario loci eſſe conueniendos, ſi ad præſcriptum Conſtitutionis ſanctæ mem. Gregorij XV. Cõſeruatores non elegerint, ipſumque electionis documentum intra præfinitum tempus in actis Curiæ ipſius Ordinarij non exhibuerint, ac dimiſerint.

167 §. 11. Septimo. An dicti Regulares Conſeruatores ſiue ad iura, ſiue ad priuilegia tuenda aſſumentes teneantur ante exercitium commiſſionis præſtare cautionem coram Ordinario, ſiue alio Iudice competente, de Iudicio Siſti, & iudicatum ſoluendo, caſu quo in lite, ſiuè cauſa incumberint? Reſpondit; non teneri.

168 §. 12. Octauo. An quando Epiſcopi iura, vel decimas Cathedralium aduerſus Regulares prædictos dote ſua ſpoliantes Eccleſias coram Iudice competente tuentur, libroſque, memorialia, & allegationes producunt ius Eccleſiarum Cathedralium exprimentes, & acquiſitiones Religioſorũ, aliaq; id generis adnumerantes huiuſmodi ſcriptorum occaſione poſſint Regulares nominare Conſeruatores; prætendentes iniuriam ſibi inferri in referendo immoderatas acquiſitiones? Reſpondit. Si Epiſcopi pro tuendis iuribus Cathedralium Eccleſiarum coram Iudice competenti huiuſmodi ſcripta producant, & Regularium immoderatas acquiſitiones veraciter, & modeſtè referant non licere Regularibus ob eam cauſam ad Conſeruatores recurrere.

169 §. 13. Nono. Vtrum Regularis quicumque etiam Societatis Ieſu poſſint adminiſtrare Sacramentum pœnitentiæ ſæcularibus abſque licentia Epiſcopi Diœceſani, etiamſi in aliena Diœceſi approbatus ſit? Reſpondit. Regulares etiam Societatis Ieſu in vna Diœceſi ab Epiſcopo approbatos ad confeſſiones perſonarum ſecularium audiendas nequaquam poſſe in alia Diœceſi huiuſmodi confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani.

170 §. 14. Decimo, An Epiſcopus contra dictos Regulares audientes in ſua Diœceſi confeſſiones Secularium abſque ſua approbatione, vel Concionatores abſque licentia Epiſcopi intra & extra proprias Eccleſias poſſit procedere, eos à talibus miniſterijs remouendo, ſiue præceptis, & alijs Iuris remedijs coercendo? Reſpondit eiſdem Regularibus, qui confeſſiones perſonarum Secularium audiunt ſine approbatione Epiſcopi loci, vel prædicant in Eccleſijs ſui Ordinis, non petita illius benedictione, aut alijs Eccleſijs abſque ipſius licentia, vel in Eccleſijs etiam ſui Ordinis ipſo contradicente poſſe Epiſcopum in vim Cõſtitutionis fel. rec. Gregorij XV. quæ incipit Inſcrutabili Dei prouiden-

uiden-

nidentia tanquam Sedis Apost. Delegatum administrationem Sacramenti pænitentiæ, ac munus prædicationis interdicere eosque Iuris remedijs coercere, & punire.

171 §. 15. Vndecimo, An quando Episcopo constat dictas licentias obtentas non fuisse, ipse possit præcipere, vt donec licentiam intra præscriptum tempus exhibeant à tali ministerio abstineant, & an requirendus sit per Episcopum pro his exhibendis Prouincialis in alia Diœcesi, vel longissimè existens, vel ipsi Regulares confessarij, vel eorum Superiores eiusdem Diœcesis, in qua prædicta exercent? Respondit posse Episcopum sic præcipere, nec pro huiusmodi licentijs requirendum esse Prouincialem, sed satis esse ipsos Religiosos requirere, aut eorum Superiores in Diœcesi Episcopi existentes.

172 §. 16. Decimosecundo, An si contingat vt aliquis prædictorum Regularium insurgat contra Episcopum in propria Diœcesi maledictis cum scripto, vel dicto Populum scandalizando possit ab Episcopo puniri, & qua animaduersione, & quid si huiusmodi delinquens transiuerit ad aliam Diœcesim hoc casu seruandum sit? & qua pœna puniendus sit Regularis, qui commorans in vna Diœcesi spargat famosos libellos contra ordinarium alterius Diœcesis?

173 Respondit si regularis intra claustra degens extra ea in casibus in Dubio expressis ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit Episcopo instante teneri Superiorem Regularem infra tempus ab Episcopo præfigendum seuerè illum punire, ac de punitione Episcopum certiorem facere alioquin sic delinquentem ab Episcopo puniri posse ad præscriptum Concilij Tridentini cap. 14. sess. 25. de Regular. quod si delinquens ad aliam Diœcesim migrauerit seruandum esse, quod præcipitur in Constitutione sanctæ mem. Clementis VIII. Incipien. Suscepti muneris ratio.

174 §. 14. Decimotertio, An Conseruatores nominati & electi à Regularibus prædictis ante exercitium suæ Iurisdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario sub pœna nullitatis actuum? Respondit vtique teneri. Decimoquarto, An priuilegia, quæ sunt contra Iurisdictionem Ordinarij, & quibus gaudent, & gaudere prætendunt Regulares prædicti debeant Episcopis notificari, siue insinuari? Respondit, Regulares teneri huiusmodi priuilegia Episcopo exhibere, si eis vti voluerint.

175 §. 15. Decimoquinto, An prædia rustica, metallorum fodinæ, sacchari opificinæ à Regularibus Societatis, vel alijs possessa, vel aliæ Domus Seculares, in quibus videlicet, vnus vel duo Regulares tantum commorantur, gaudeant priuilegio Collegiorum seu Conuentuum? Respondit non gaudere.

176 §. 16. Decimosexto, Vtrum Regulares prædicti Apotecas quarumcunque mercium, macella, & similia præsertim prope Collegia, siue Conuentus exercentes, possint ab Ordinario sub censuris inhiberi, ne huiusmodi exerceant. Respondit non posse Episcopum hoc prohibere Regularibus exemptis, sed si in præmissis ita notoriè delinquant extra claustra, vt Populo scandalo sint seruandum esse, quod dictum est supra in responsione ad duodecimum.

177 §. 17. Decimoseptimo, Vtrum Regulares, etiam Patres Iesuitæ in suis prædijs, opificinis, alijsque suis Domibus Secularibus sitis intra limites parocchialium ad se non spectantium possint administrare Sacramentum baptismatis, solemnis matrimonij, extremæ vnctionis, & Eucharistiæ in Festo Paschatis famulis, Mercenarijs, Rusticis, siue alijs id genus hominibus secularibus absque Ordinarij, vel Parochi licentia? Respondit non posse.

178 §. 18. Decimo octauo, Vtrum Patres Societatis in Ciuitate, & Diœcesi Angelorum possint consecrare vasa sacra, altaria & similia in quibus vnctio requiritur? Respondit itidem non posse.

179 §. 19. Pro parte verò Religiosorum Societatis Iesu proposita fuerunt infrascripta Dubia. Primo, An Episcopi in partibus Indiarum possint ex integro totum vnum Monasterium, vel Collegium ab audiendis confessionibus suspendere? Respōdit Episcopos Indiarum posse quidem omnibus simul vnius Monasterij, vel Collegij Confessarijs adimere facultatem audiendi confessiones personarum Secularium etiam inconsulta Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium negocijs præposita cum decretum ab ea editum sub die 20. Nouembris 1615. ex intentionis defectu, & conuenientia morali non extendatur ad Regiones illas, tam longe ab Vrbe dissitas, Verum ab hac generali suspensione, quæ vix sine scandalo, & animarum pernicie contingere potest abstinendum esse Episcopis, nisi grauissima subsistente causa super quo Sacra Congregatio illorum conscientias grauiter voluit esse oneratas.

180 §. 20. Secundo, An Episcopus Regularem pro cōfessionibus semel approbatum sine noua causa suspendere possit ab ipsis confessionibus audiendis. Respondit Regulares alias liberè ab Episcopo præuio examine approbatos ad audiendas confessiones personarum Secularium ab eodē Episcopo suspendi non posse, sine noua causa eaque ad confessiones ipsas pertinente.

181 §. 21. Tertiò, An Bulla Pij V. 34. in ordine tom. 2. Bullarij concessa instante, & supplicante Serenissimo Rege Catholico non ad petitionem Regularium sit reuocata in Bullis Summorum Pontificum in quibus exemptiones Regularium mitigantur? Respondit agendum cum Sanctissimo, an velit declarare Bullam non esse reuocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis vbi est defectus Parochorum.

182 §. 22. Quarto, An Episcopus possit cum censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis, vel prædicatione verbi Dei, & hoc an vigore Concilij Tridentini, vel per quem canonem? Respondit posse procedere, non quidem in vim Concilij Tridentini, sed in vim Constitutionis Gregorij XV. quæ incipit Inscrutabili Dei prouidentia.

183 Quinto, An licentia audiendi confessiones, & prædicandi, ab Episcopo per litteras missiuas, an solum per litteras patentes Cancellariæ concedi possit? Respondit posse concedi etiam per literas missiuas, vel oretenus si ita Episcopo videbitur.

184 §. 24. Sexto, An talis licentia oretenus sine scriptis concedi possit? Respondit, vt ad proximum.

ximum. Septimo, An facultas eligendi Conseruatores concessa Societati à Gregorio Decimotertio suffragetur illis in locis in quibus non adsunt Iudices Synodales. Respondit, vbi non adsunt Iudices Synodales priuilegium Gregorij XIII. non suffragari, quoad hoc vt Societas non teneatur ex illis eligere Conseruatores, dummodo tamen in reliquis seruetur forma Constitutionis Gregorij XV. hac de re editæ.

185 §. 25. Octauo, An Conseruatores Societatis, Vicarios generales Episcoporum auctoritate Apostolica per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas compellere possint virtute Bullæ Gregorij XIII. Incipień Æquum reputamus. Datum vltima Februarij 1573. Respondit posse à manifestis iniurijs, & violentijs eos compescere, etiam censuris, & pœnis Ecclesiasticis. Dat. Romæ die 16. Aprilis 1648,

§. 26. Quapropter, vt præmissa firmius subsistant, & inuiolabiliter obseruentur Nobis pro parte Ioannis Episcopi huiusmodi fuit humiliter supplicatum, vt illa auctoritate Apostolica confirmare de benignitate Apostolica dignaremur.

186 §. 27. Nos igitur dicti Ioannis Episcopi votis hac in re annuere, illumque specialibus fauoribus & gratijs prosequi volentes, & eundem Ioannem Episcopum a quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti alijsque Ecclesiasticis sententijs censuris, & pœnis à Iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequeń, harum seriè absoluen. & absolutum fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati præinserta responsa, seu resolutiones auctoritate prædicta tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque Apostolicæ firmitatis vim, & robur adijcimus, & inuiolabiliter obseruari mandamus, salua tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis. Decernentes sic, & non aliter in præmissis per quoscunque Iudices Ordinarios & Delegatos etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Card. etiam de latere Legatos iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si quid secus à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari.

§. 29. Non obstantibus Apostolicis, ac vniuersalibus, Prouincialibusque, & Synodalibus Concilijs editis generalibus & specialibus Constitutionibus, & ordinationibus; necnon Ecclesiæ Angelopolitań ac Societatis prædictæ, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis Statutis, & Consuetudinibus priuilegijs quoque Indultis & literis Apostolicis eidem Ecclesiæ, & Societati sub quibuscunque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam Derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus & insolitis clausulis, ac decretis etiam irritantibus, etiam motu proprio, ac etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis.

§. 30. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die xiv. Maij M. DC. XXXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

SVMMARIVM.

1 *Ordo doctrinæ. n.187.*
2 *Approbationem esse iudicium idoneitatis, aliqui volunt. n.188.*
3 *Approbationem dicere actum voluntatis alij sentiunt. n.189.*
4 *Approbatio formaliter & principaliter importat actum voluntatis. n.190.*
5 *Idoneitas ad confessiones tria requirit. n.191.*
6 *Ad idoneitatem spectat bonitas morum. n.191.*
7 *Episcopi est iudicare nedum de scientia sed de moribus approbandi. n.191.192.193.*
8 *Episcopus potest non approbare non integros moribus. n.192.193.194.*
9 *In approbando requiritur etiam quædam necessitas approbationis. n.195.196.*
10 *Approbatio sic elicitiue est actus intellectus, quòd formaliter est actus voluntatis. n.197.*
11 *Regulares habeat iurisdictionem ad confessiones immediate à Papa. n.198.*
12 *Regulares habent iurisdictionem à Papa, vt ab efficiente, & ab Episcopo dispositiue. num.199.200.*
13 *Cur licentia ad confessiones dicatur approbatio. num.201.*
14 *In quo sensu Episcopus dicatur dare iurisdictionem Regularibus dispositiue. n.202.203.*
15 *Concilium Trid. in eo quod requirit approbationem Episcopi, non statuit ius nouum. n.204.*

187 His ergo Pontificum varijs Constitutionibus præmissis, quantum ad id, quod ad præsentem inspectionem spectat, quoniam id quod de iure nouo est necessarium vt Regulares licitè, & validè confessiones secularium audiant est approbatio Episcoporum, hoc primo inspiciendum est, quid scilicet sit approbatio?

186 Dubitatur igitur primò, an approbatio de qua loquuntur Concilium Tridentinum & reliquæ Pontificum Constitutiones, sit actus intellectus, vel potiùs voluntatis? Non potest negari, quòd ex DD. plures nó confusè loquantur in hoc puncto. Nam & non desunt, qui non distinguunt inter iudicium de idoneitate alicuius ad Confessiones audiendas, & inter approbationem ad idem præstandum. Nam approbationem esse iudicium, & testimonium extrinsecum de habilitate, & idoneitate alicuius ad excipiendas secularium confessiones sentiunt. *Moron. resp. 34. num. 9. Pasqualig. quæst. 142. per totam, & q. 143. nu. 4. & quæst. 223. nu. 4. Fagundez Præc. 2. lib. 7. cap. 2. numer. 6. vnde Pasqualig. d. q. 142. num. 5.* infert, quòd Episcopis respectu Regularium non competit alia facultas nisi examinandi,

nandi,

nandi, & iudicandi de idoneitate. Quare ſi ſemel ſecundùm conſcientiam iudicant idoneos, functi ſunt munere ſuo. Et in eodem ſenſu *Moron. d. reſponſ.34. num.16.* Ex quo aſſerit quòd Epiſcopus eſt tantùm veluti dans teſtimonium ſufficientiæ pro approbatione nomine Concilij, cum iuriſdictio detur à Clemen. *Dudum*, deducit, quòd functus ſit officio, & nihil habeat amplius, quod agat, quia dans teſtimonium ad vnum actum functus officio ſuo, & nihil habet amplius, quod agat. Immò *Paſqual.q.196.num.4.de iubil.* arbitratur, quod approbatio paſſiua non ſit niſi habilitas miniſtri approbata ab ordinario.

189 Verum quòd approbatio ſit quid diſtinctum à iudicio idoneitatis, & quòd dicat etiam actum voluntatis aliquid tribuentis approbato, dicunt alij. Et certè hæc approbatio ſine actu voluntatis non eſt, Nam reprobare non eſt ſine actu voluntatis, ſed actum voluntatis includit, vt docet *D.Thom.p.p.q.23.a.3.c.* igitur & approbare; eadem enim oppoſitorum ratio. Et in iure approbare, & non contradicere idem ſunt ex *Bart.in l. ne in arbitris C.de arbitris*. Sed & ſcientiam approbationis Theologicè includere voluntatis electionem, & amorem tanquam commune axioma habetur, & quòd cognitio ab approbatione diſtinguatur, colligitur ex eo quòd cognitio non propriè, ſed metaphoricè eſt approbatio, & ſcire metaphoricè eſt approbare ſecundum *S.Thomam p. d.36.q.1. a.2.c.* & neſcire eſt reprobare. Sed in propoſito noſtro ſpectatis verbis Concilij Tridentini res eſt euidens.

190 Dicitur igitur primò, quòd licet approbatio de qua loquitur Concilium Tridentinum ſupponat iudicium de idoneitate Confeſſarij, in ſe tamen eſt quid valde diſtinctum, & formaliter & principaliter importat Epiſcopi conſenſum, ſeu conceſſionem, & licentiam, per quam Epiſcopus vult, eligit, concedit, & dat licentiam ſacerdoti, vt Confeſſiones ſecularium audire poſſit. Hæc enim ſunt verba Concilij, *aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat*. Duo hic, vt inter ſe diſtincta requirit Concilium, primò iudicium de idoneitate medio examine, ſi iudicetur neceſſario, habendum, & vlteriùs approbatio gratis danda. Nam dictionis copulatiuæ & hæc eſt natura, vt ponatur inter diuerſa, & copulando & iungendo ampliet & extendat ad diuerſa, vt conſiderauit *Rota dec.167.nu.11.p.5. recent.* Vnde cum Concilium requirat iudicium de idoneitate, & ampliùs approbationem, hanc vt ab illa diuerſam poſtulat. Nam & natura ipſa rerum ſignificatarum diuerſa eſt; iudicium enim de idoneitate, vt citati DD. & alij fatentur, quantùm ad ſpecificationem actus neceſſitatem quandam importat connaturalem actui intellectus, qui eſt potentia naturalis ad vnum determinata, & poſita idoneitate, eaque bene apprehenſa, non poteſt intellectus iudicare oppoſitum. Sed approbatio continet actum voluntatis, quia approbare eſt non contradicere, ſeu non repugnare, & in affectu aliquid velle, vt ſupra eſt dictum. Habent etiam obiecta valde diſtincta. Nam obiectum iudicij eſt idoneitas, aptitudo, habilitas, ad audiendas confeſſiones, ſed obiectum approbationis eſt vel poteſtas iuriſdictionis, vel eius receptio, aut ſaltem vſus; Approbans enim ad Confeſſiones ſi ex hoc non dat iuriſdictionem, conſentit tamen vel vt Regularis eam aliunde obtineat, vel vt ea obtenta vtatur & ad hoc licentiam concedit. Hæc verò melius apparebunt ſi primò.

191 Conſideretur diligentiùs, quid ſit idoneitas, ſeu quodnam ſit obiectum iudicij, quod Concilium requirit in Epiſcopo, de idoneitate Regularis. Tria continet, ſeu ex tribus integratur idoneitas iſta. Primum eſt ſufficientia literaturæ. In confeſſario enim neceſſaria eſt ſcientia, Cum enim Confeſſor in ſacramentali foro ſit Præſes, & iudex, qui non niſi cognita cauſa ſententiam ferre poteſt, & debet, vt habet *Concil. Trid. ſeſſ.14. cap.5.* proculdubio ea ſcientia debet eſſe præditus, qua inter peccata diſcernere valeat, & pro tanti iudicij meritis iuſtam ſententiam ferre. Sed nõ ſufficit in Confeſſore ſcientia ſine prudentia, & morum honeſtate. Videatur de his *cap. qui autem vult confiteri. 1. de pœnit.diſt.6.* & ibi *Gloſſ. & Turrecrem.* qui latè de his tractat. Videantur etiam *D.Thom. & D.Bonau. & Durandus* & alij *in 4.d.17.* Ideo approbatio Epiſcopi fundatur non tam in iudicio ſcientiæ, quàm honeſtatis morum Confeſſarij, & aliarum qualitatum, quæ in Confeſſario ſunt neceſſaria, vt conſiderarunt *Fagund.præcep.2.l.7.c.2.num.63. Barbaſtrenſ. in Paſtorali p.2. q.20. num.11.* Nam certè cum in medicis corporalibus de iure Ciuili ſtatutum ſit, nullum ad id munus admitti debere quin priùs conſtet de artis peritia & morum probitate. *l.1. ff. de decret. & ordinat. faciend.* ibi. *Vt certi de probitate morum, & peritia artis, eligant ipſi, quibus ſe liberoſque ſuos in ægritudine corporum, committant*, Non minùs requiritur in deputandis Confeſſarijs, qui ſunt medici animarum. *cap.cum infirmitas.12.de Pœnit.& Remiſſ.* Nec eſt vnde dicatur, quòd reſpectu Regularium iudicium de moribus ſpectat ad ipſorum Prælatos;

192 Nam etiam eſt commiſſum Epiſcopis. Et hoc tam ex antiquo iure, quàm ex nouo. In Clem. *Dudum* de ſepulturis, primò quidem Prælatis Regularibus mandatum fuit, vt pro Confeſſionibus audiendis, *eligere ſtudeant perſonas ſufficientes, idoneas, vita probatas, diſcretos, modeſtas, atque peritas ad tam ſalubre miniſterium, & officium exequendum*. Sed tamen in eadem Clem. *Dudum* ſtatuitur quod ſi fortè iam dicti Prælati quemquam ex dictis fratribus præſentatis eiſdem ad huiuſmodi officiũ nollent habere, vel non ducerent admittendum; eo amoto vel ſubtracto loco ipſius ſimiliter eiſdem præſentandus Prælatis poſſit, & debeat alius ſubrogari. Erat igitur ex vi Clementinæ *Dudum* in arbitrio Epiſcopi aliquem reprobare ex ſibi præſentatis a Prælatis Regularibus, & quidem in arbitrio boni viri, cuius animus non niſi ex iuſta cauſa ad rem faciente mouendus erat, ex eo ſcilicet, quòd iudicaret deeſſe in præſentato aliquam ex neceſſarijs qualitatibus; Et cum Clem. non reſtringat ad ſcientiæ qualitatem, ſed abſolutè in arbitrio Epiſcopi ponat reprobare ex præſentatis quem voluerit, eius ergo arbitrio, & iudicio commiſſum fuit ex quocumque defectu à ſe iudicato, præſentatum & à Regularibus Prælatis vt dignum approbatum reprobare, ſi Epiſcopus in præſentato aliquam ex ſupra narratis qualitatibus vidiſſet deficere. Quod ibid. Gloſſ. explicauit in *v. ſubrogari*,

vbi

vbi ait subrogandum alium si præsentatus non recipitur, ex iusta causa, quia nimirum non habet qualitates supra expressas, nempe non est prudens, discretus, literatus, vitæ probatus &c.

193 Sed & ex iure nouo hoc idem probatur. Nam Concilium requirit in approbando idoneitatem absolutam, & plenam, seu integram, & quòd huiusmodi idoneitas ab Episcopo iudicetur. Non enim est idoneus absolutè, & verè, qui non est integrè idoneus, quia malum ex vnico defectu, & bonum ex plenitudine, & integritate resultat; vnde is, cui vel scientia, vel vitæ probitas deest non est simpliciter idoneus. Cum ergo Episcopi iudicium de idoneitate absolutè requiratur, sub hoc Episcopi iudicio cadit, quidquid est necessarium ad hoc, vt approbandus sit idoneus. Sub hoc iudicio igitur cadit & scientia, & bonitas, & peritia, & discretio, & prudentia. Nec obstat, si dicatur Concilium loqui de ea idoneitate, quæ cognoscitur per examen, ibi *aut ab Episcopis per examen, si eis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur*, Hæc verò est idoneitas quantùm ad scientiam; quoniam huius argumentationis vtraq; assumpta propositio deficit. Secunda quidem, quia nedum scientia, sed vitæ probitas per examen cognoscitur. Nec Concilium determinat quis sit examinandus, & de quo, sed absolutè dicit per examen, at verò & scientia hominis, & hominis mores per examen inuestigantur. Sed dato quod intelligeretur textus de examine litterario, adhuc falsum est, quòd loquatur Concilium præcisè de idoneitate, vt cognoscenda per literarium examen. Loquitur enim de idoneitate absolutè, ad quam etiam cognoscendam potest esse necessarium examen literarium, & si sit necessarium, vult Concilium, vt illud adhibeatur. Euidentèr verò nulla est restrictio, per quam restringatur finis, ad quem plura sunt necessaria, ex quo præcipitur, vt ex pluribus medijs vnum, de quo posset oriri dubitatio aliqua præ alijs expresè præcipiatur, si contingat esse necessarium.

194 Sed hoc confirmatur. Nam cum præcipua ministri Confessionis qualitas sit integritas vitæ, propterea S. Cong. Episc. & Regul. die 30. Aug. 1630. declarauit hanc ad ministrum Confessionis pertinere, & proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares vtcumque à semetipso approbatos suspendere, quam declarationem sibi relatam approbauit Vrbanus Octauus. Et eam refert per extensum *Donatus tom. 4. tract. 4. q. 13.* eamq; & ego refero infrà. Sed & priùs Greg. XV. in sua Const. 18. *Inscrutabili* in ijs, quæ spectant ad administrationem cuiuscumque Sacramenti respectu secularium Regulares subiecit iurisdictioni, correctioni, & visitationi Episcopi, cui dedit facultatem eos puniendi etiam per censuras, si in hoc deliquerint, constituens illum in hoc delegatum Sedis Apostolicæ. Itaq; si in Confessore deficiat probitas vitæ, potest Episcopus ab eo, vt ab non idoneo auferre facultatem, & approbationem iam concessam, igitur multò magis ex eadem causa potest eam non concedere. Puerile enim, & ridiculum esset, quod Episcopus teneretur approbare, vel imò posset concedere approbationem, quam statim concessam ex debito conscientiæ suæ teneretur auferre. Euidens igitur est, quod sub iudicio Episcopi præmittendo approbationi cadit nedum scientia, sed vita exemplaris, prudentia, discretio, & quæcumque qualitas necessaria ad hoc, vt verè approbandus possit absolutè iudicari idoneus.

195 Sed tertium adhuc est, quod sub hoc iudicio cadit, nimirum aliqua necessitas ministri in ordine ad bonum commune. Hoc probatur tam de iure antiquo, quàm de iure nouo. Nam in Clem. *Dudum* de sepulturis inter alia sic decernitur: *Numerus autem personarum assumendarum ad huiusmodi officium exercendum esse debet, prout vniuersitas Cleri, & populi, ac multitudo, vel paucitas exigit eorumdem*. Ex quo colligunt Gloss. & Panorm. quòd numerus Confessorum mensurandus est ex necessitate ministerij huius respectu multitudinis Cleri, & populi. Et quòd in casu quod Episcopus diceret, quòd numerus præsentatorum esset excedens, & illum minuere vellet, & aliquos admittere renueret, non possent reiecti Confessiones excipere. Quamuis Glossa dicat, tunc si fratres contenderent recurrendum esse ad arbitrium boni viri, nimirum iudicis, & Panorm. putat in hoc casu iudicem competentem esse Metropolitanum, vel negotium per arbitros esse diiudicandum. Quod tamen vt infra videbimus, modò locum non habet. Et sufficit nostræ præsenti inspectioni, quòd Episcopi est, ex iusta causa sumenda ex necessitate multitudinis Cleri, & Plebis numerum Confessorum Regularium determinare, & vel ampliare, vel limitare, & quòd non sunt omnibus pensatis idonei, qui simul non sunt necessarij aliquo modo in numero multitudini Cleri, & plebis proportionato. *Card. de Lugo disp. 21. de Pænit. num. 55. Diana p. 8. tract. 1. resol. 81.* circa secundum casum.

196 Ex iure etiam nouo hoc probatur. Nam quòd Episcopus in approbando ad Confessiones debeat attendere necessitatem prouenientem ex maiori, vel minori multitudine Cleri, & populi, supponit Sacr. Congreg. Regularium in aliquibus suis decretis, & præcipuè in illo generali, quod referunt communiter DD. & ego quoque infra referam per extensum, in quo Sacr. Congregat. decernit, Episcopus non posse simul suspendere omnes Confessores Regulares eiusdem Conuentus sine causa ab eadem Sacr. Congreg. examinata, & hoc quia censuit id vix fieri posse sine scandalo, & animarum pernicie, vix enim fieri potest vt necessitas Cleri & populi permittere possit, quòd nullus Regularium sit, qui Confessiones eorum audire valeat. Item eadem Sacr. Congreg. Epis. & Regular. vt refert Nicolius 2. Martij, & 13. Iulij 1647. decreuit Confessarios Regularium restringi nō debere ad duos pro qualibet Ecclesia: supposuit enim necessitatem Cleri, & plebis maiorem restrictionem regulariter non pati. Sicut ergo Episcopus necessitate hac exigente numerum Confessorum non potest nimis restringere, ita si necessitas desit, non tenetur numerum augere. Et propterea inter qualitates necessarias in Confessario vt approbetur est etiam aliqualis necessitas, seu grauis vtilitas boni communis eius approbationem exigentis, & suadentis. Quam tamen necessitatem aut vtilitatem iudicare arbitrarium est Episcopo, tanquam tamen bono viro. Iudicium igitur quod in Episcopo præcedit approbationem est iudicium de

F idonei-

idoneitate approbandi ad Confessiones audiẽdas, quod iudicium habet pro obiecto artis peritiam, morum honestatem, & approbationis necessitatem, seu vtilitatem consideratam respectu multitudinis Cleri, & populi, & etiam aliarum eorumdem qualitatem ex quibus oritur necessitas Confessarij magis vel minùs in arte periti, & in via perfectionis magis vel minùs exercitati.

197 Sed approbatio essentialiter est distincta à iudicio idoneitatis, & non disputabo modò an essentialiter & in recto seu eliciriuè sit actus intellectus, vel voluntatis. Nam & de lege controuertunt valde DD. an essentialiter in recto sit actus intellectus, aut voluntatis; & eadem controuersia agitatur de Dei prædestinatione, quæ approbatio est, an sit essentialiter intellectus actus, vel potiùs voluntatis. Non est necesse vt hæc modò discutiamus. In mea schola huiusmodi censentur esse essentialiter in recto, & eliciriuè actus intellectus, sed formaliter, & principaliter actus voluntatis. Sed nobis sufficiat, quòd approbatio vtrumque comprehendit, & quòd est formaliter actus voluntatis à qua habet efficaciam, & quòd quatenus est iudicium intellectus, est actus essentialiter ex obiecto diuersus à iudicio idoneitatis, quia hoc iudicium supposito Episcopi consensu, beneplacito, & voluntate, habet pro obiecto iurisdictionem approbandi, & facultatem audiendi confessiones, & hac voluntate supposita Episcopus iudicat, & decernit, quòd præsentatus sibi & à se iudicatus idoneus habeat expeditam facultatem ad confessiones audiendas, & ea vti possit. Et si quis obstet, & dicat, quòd de mente Concilij Tridentini approbatio & licentia valde distinguuntur, nec vnum pro alio accipi potest. Nam *sess.5. cap.2. de reformat.* loquens de Regularibus quantùm ad prædicationem vult, vt a suis superioribus sint approbati, & insuper, quòd habeant licentiam prædicandi, vt patet ibi. *Nisi à suis superioribus &c. examinati, & approbati fuerint, & de eorum licentia &c.* Vnde manifestum est, quod Concilium ibi requirit approbationem, & licentiã vt res distinctas. Respondetur, quòd Concilium optimè loquitur, & tamen non est approbatio sine aliqua licentia. Sed considerandum quòd duplex est approbatio alia scilicet generalis & non tam practica, quam speculatiua, per quam aliquis in generali, & in communi declaratur idoneus ad aliquid agendum absolutè, & in communi, seu in abstracto, sed tamen non per hoc approbatur vt hic & nunc illud operetur. Alia est approbatio particularis & practicè practica, quia data omnibus pensatis ad hoc vt approbatus exercitè operetur quando voluerit, & sibi libuerit & fuerit opus. Prior approbatio nonnihil habet licentiæ ad agendum, sed in generali, & sub conditione, sed non continet licentiam simpliciter agendi, sed ab ea distinguitur valde. Concilium in *d. cap.2.* loquitur de approbatione in generali, quæ apud Regulares est consueta. Nam post studia solent studentes examinari, & approbari præcipuè ad Prædicandum nec tamen hæc approbatio dicit iudicium idoneitatis, sed illud supponit, & importat actum voluntatis & licentiam aliquam, per quam supposito iudicio idoneitatis licentiatur ad hoc vt sibi possit committi officium prædicationis, ille qui approbatur. Sed hæc generalis approbatio, non est licentia simpliciter ad exercitè prædicandum, sed solùm ad hoc vt sic approbato, & licentiato possit committi prædicatio. Sed approbatio particularis, quæ est ad exercitè agendum importat licentiam agendi. Quamuis nec importet in rigore licentiam, si licentia sumatur vt est collatio iurisdictionis, & facultatis agendi, sed importat saltem voluntatis consensum ad agendũ, qui licentia dici potest communiter, pro quanto consentire quòd aliquis agat, qui sine tali consensu non potest agere est licẽtiare illum. Modò approbatio Episcoporum quam Concilium requirit ad hoc vt Regulares audiant confessiones, est approbatio particularis & practicè practica, & hæc principaliter dicit consensum Episcoporum datum ad hoc vt Regulares à se reperti idonei confessiones audiant.

198 Sed contra hoc alicui forsan videbitur vrgere validum argumentum, & quòd hæc doctrina sit contraria ex directo vni principio, quod communiter apud DD. habetur pro certo, & indubitato, nimirum quòd Regulares non habent iurisdictionem ab Episcopo, sed à Pontifice; igitur Episcopi non est dare iurisdictionem; igitur approbatio non est actus per quem detur Regulari iurisdictio, aut facultas audiendi Confessiones. Antecedens habetur expressè ex priuilegijs relatis supra à num.122. & ampliùs ex extrau. *Inter cunctas*, de Priuil. & Clem. *Dudum* de sepult. Et ita notant *Glossa in cap. si Episcopus, verb. item tertiò de Pœnit. & remiss. in 6.* vbi quòd Mendicantes sunt Delegati Papæ in audiendis Confessionibus. *Henriq. l. 6. c. 6. num. 5. & 6. Syluestr. v. confessor. 2. num. 2. & 5. Angelus v. confes. 4. num. 25. Confet. in summar. Priuileg. tit. 17. c. 5. verb. septima, circa medium. Graf. in Apend. ad decis. l. 2. cap. 5. num. 15. Vasquez tom. 4. q. 93. a. 3. dub. 3. nu. 2. Beia p. 4. Cas. Conscient. casu 20. vers. Non placet mihi. Suarez disp. 28. de pœnit. sect. 4. n. 22. Portell. v. licentia in addit. n. 4. Peirin. tom. 3. in addit. ad Constit. Sixti 4. cap. 2. nu. 20. Rodriq. tom. 1. q. 58. a. 1. Layman l. 5. tr. 6. cap. 11. num. 3. Lezana p. p. cap. 19. num. 9. Ioi Suarez, Vega, Molfes.* quos refert & sequitur *Pasqual. centur. 2. q. 142. num. 5. Moron Consil. moral. resol. 20. num. 10. Scrophia in quæst. moral. q. 36. a. 2. num. 3. Donatus tom. 4. tr. 4. q. 33. Fagundez in præc. 2. l. 7. c. 2. num. 32. fin.* Et alij DD. communiter. Consequentiæ verò videntur euidentes, si enim Papa & non Episcopus dat iurisdictionem, nec approbatio erit iurisdictionis collatio, nec aliud remanebit Episcopo, nisi iudicium de idoneitate approbandi.

199 Respondetur verò, Antecedens esse verissimum, & consequentias nihil valere; igitur explicatur antecedens. Dare iurisdictionem contingit dupliciter, vel scilicet efficienter & principaliter, vel tantùm dispositiuè, & ponendo conditionem sine qua persona est incapax iurisdictionis, vel expediti, & liberi vsus illius. Certè Regulares in audiendis Confessionibus regularium sunt Delegati Papæ, vt dixit Glosa citata. Et iurisdictio quam Regulares habent est Papalis, quod nedum habetur euidenter ex supra relatis priuilegijs, & iuribus, sed quia hæc iurisdictio excedit cuiuscumque Episcopi fines, cum se ad totum mundum extendat, & vniuersalior sit in ordine ad plures casus a quibus absoluere possunt, quàm posset haberi ab

Epis-

Episcopo, cum extendatur etiam ad casus Papæ reseruatos, vt infra probatur. Vnde est, quòd Greg. XV. Episcopos Sedis Apostolicæ fecit Delegatos dum Regulares Confessarios subdidit eorum iurisdictioni, & correctioni, vt sic ex vi iurisdictionis delegatæ in Confessarios Papæ etiã Delegatos posset ius dicere. Ideo Regulares huiusmodi à solo Papa vt à causa efficiente immediatè habent iurisdictionem ad audiendas confessiones, sicut & Papalem iurisdictionem habent. Sed vt hæc iurisdictio vel recipiatur seu habeatur, vel vt expeditè Regularis ea vti possit requirit in subiecto aliquas qualitates, vt v. g. deputationem à proprio Prælato, & approbationem ab Episcopo, quæ approbatio est quædam licentia seu consensus Episcopi ad hoc vt Regularis habeat, vel vti possit iurisdictione Papali.

200 Hoc patet tam de iure antiquo, quàm de iure nouo. De iure antiquo quidem. Nam Clemens. V. in d. Clem. *Dudum*, præcepit, quòd Prælati a se deputatos pro audiendis Confessionibus præsentarent Episcopis, *vt de eorum licentia, gratia, & beneplacito &c. persona sic electæ &c. confessiones &c. audiant.* Et infra. *Et si ijdem Prælati petitam licentiam confessionum huiusmodi audiendarum concesserint, illam præfati Magistri, Ministri, & alij cum gratiarum recipiunt actione dictaque personæ sic electæ commissum sibi officium exequantur.* Sed & idem habetur in extrauag. *inter cunctas*, de priuilegijs, ibi. *Petant humiliter à Diœcesanis eisdem, quòd ijdem electi fratres de ipsorum beneplacito, & licentia dictum possint &c. officium exercere.* Etiam ergo de iure antiquo, non sufficiebat quòd Episcopi iudicarent idoneos Regulares sibi præsentatos, sed necessarium erat beneplacitum, & licentia exequendi officium Confessoris. Sed & de iure nouo, quòd huiusmodi approbatio sit beneplacitum & licentia audiendi confessiones, habetur ex Constitut. Vrbani VIII. ad Eminentissimum Cardinalem Sandoual, tunc Epis. Gien. supra num. 153. relata, ibi. *Si quidem huiusmodi approbationem obtinuerint ad certum tempus, eo elapso non possint confessiones audire absque noua ipsius Episcopi licentia, & approbatione.*

201 Cum verò hæc approbatio beneplacitum, & licentiam, Episcopi contineat, cur dicitur approbatio? Primò quia se habet veluti confirmatio electionis factæ à Prælatis Regularibus. Et hoc exemplum est valde simile. Capitulum sibi eligit Prouincialem, & Generalis confirmat electionem. Sed Prouincialis habet iurisdictionem à lege, & non à Generali, sed tamen hanc non habet Prouincialis nisi eius electio confirmetur. Sic in præsenti eligere & deputare Confessarios est Prælatorum Regularium, sed hanc electionem approbare & veluti confirmare, & decernere eam esse validam est Episcopi, & ideo eius beneplacitum, consensus, & licentia non est collatio facultatis, & iurisdictionis, sed est approbatio electionis & deputationis factæ à Prælato Regulari. Secundò quia hoc beneplacitum & consensus debet dari ab Episcopo dependenter à iudicio idoneitatis, & ideo est quædam approbatio, & extrinsecum testimonium dignitatis approbati. Nam & huiusmodi beneplacitum etiam respectu secularium sacerdotum à Concil. Trid. dicitur approbatio, cum tamen certum sit huiusmodi approbationem respectu illorũ esse licentiam magis propriè, & concessionem iurisdictionis.

202 Ad argumentum igitur factum respondetur, & concesso quòd Regulares non habeant ab Episcopo iurisdictionem vt à causa efficiente, dico quòd illam ab eo habent vt à causa disponente, & dante conditionem sine qua non. Hoc verò potest dupliciter intelligi. Primò vt beneplacitum, & consensus Episcopi sit necessarius ad recipiendam exercitè, & actu iurisdictionem Papæ. Et hoc tenent illi, qui dicunt, Regularem statim, ac est approbatus ab Episcopo, recipere à Papa iurisdictionem. Et secundùm istos approbatio erit, id per quod ex Episcopi consensu, beneplacito, & voluntate efficaciter decernitur, vt adsit conditio prærequisita ad hoc, vt in effectu approbatus iurisdictionem Papæ recipiat. Et sic approbatum passiuè non est esse iudicatum idoneum, sed hoc iudicium supponitur approbationi, immò vt dicam infra ad valorem eius non est necessarium, sed esse approbatum est esse admissum, & licentiatum ad hoc vt per iurisdictionem Papæ audiat cõfessiones. Seu est esse materialiter deputatum ab Episcopo ad audiendas confessiones, seu est deputationem Prælati per quam Regularis subditus fuit destinatus ad confessiones audiendas esse approbatam ab Episcopo, seu est ex Episcopi beneplacito obtento ablatum impedimentum, quo detinebatur ne à Papa iurisdictionem reciperet. Et hic effectus licet non sit ab Episcopo nisi medio iudicio practico intellectus, principaliter tamen & formaliter est à beneplacito Episcopi, & ab eius consensu, ex quo approbatio efficaciam habet, quidquid sit an approbatio in recto & elicitiuè, & essentialiter sit actus intellectus, & voluntatis.

203 Sed secundo modo hoc potest intelligi, vt Episcopi approbatio nec sit conditio ad habendã iurisdictionem, sed sit conditio ad executionem iurisdictionis validam, & ideo quòd Episcopi consensus, & beneplacitum sit licentia exequendi iurisdictionem, a Papa habitam ex quo Regulares sint à suis Prælatis deputati ad Confessiones secularium audiendas. Nam & hic sensus videtur conformis modo loquendi Clem. *Dudum*, ibi *dictæ personæ sic electæ commissum sibi officium exequantur.* Et sic & ego hoc verius credo, quia nimirum, consensus, & beneplacitum Episcopi non sit conditio necessaria ad habendam iurisdictionẽm à Papa, sed sit conditio, & licentia exequendi, & vtendi iurisdictione, quam Regulares habent iam ex quo sunt à suis superioribus deputati ad audiendas confessiones. Et ita iuxta hunc sensum approbare est admittere, & licentiare Regularem, vt iurisdictione, quam habet vtatur liberè, & sine impedimento consentiente ad id Episcopo. Et esse approbatum est habere iurisdictionem solutam expeditam, liberam, & licentiatam ad exercitium ipsius. Sed quia in moralibus quod aufert ab aliquo impedimentum potentiæ, dicitur concedere illi vt possit, & ita quod aliquem habere ab alio vt expeditè possit, sit quodammodo habere ab eo vt possit, quia ille nihil posset, si esset & maneret impeditus ne ageret. Ideo dicitur, quòd Episcopum approbare est dare facultatem, & licentiam & potestatem confessiones audiendi non efficienter, &

principaliter, sed dispositiuè, siue hoc intelligatur quia Episcopus disponit ad habendam à Papa iurisdictionem, siue vt verius credo, quia disponit ad habendum expeditum vsum iurisdictionis habitæ à Papa.

204 Colligitur ex hoc, quòd ex hac parte Concilium Tridentinum non continet Ius nouum, sed antiquum Clem. *Dudam*, & Constitut. Leonis Decimi. Nam & quatenus in Clemen. *Dudam* non sit expressa facultas examinandi præsentatum quantùm ad literaturam, hoc est expressum in Const. Concil. Lateranen. seu Leonis Decimi. Præsentatio verò etiam nunc est necessaria sicut priùs, quia & tunc sufficiebat, & nunc est necessarium quod approbandus sit deputatus à suis Prælatis, & ab eis missus saltem interpretatiuè. Et sic & tunc & nunc erat necessaria Præsentatio approbandorum, & eorum approbatio ab Episcopo. Et sic Concilium quantùm ad hanc partem non statuit ius nouum. An verò condiderit ius nouum volendo vt licentia iniustè negata sit negata validè, infra est examinandum. Quod verò etiam ante Concilium necessaria fuerit aliqua approbatio, dixit *Scropha quæst. 56. a. 1. concl. 1. num 5.*

S V M M A R I V M.

1 *Regularis potest approbari sine examine. numer. 205.*
2 *Episcopus imprudenter omittens examen qualiter peccet. nu. 205.*
3 *Episcopus qualiter subdito suo possit dare facultatem eligendi Confessarium ex non approbatis. num. 205.*
4 *Non est necesse vt approbatio detur in scriptis, num. 206.*
5 *In licentia administrandi sacramenta continetur licentia audiendi confessiones. n 207.*
6 *Non idoneus si approbatur validè approbatur ab Episcopo. n. 208.*
7 *Beneficij collatio facta indigno non est ipso iure nulla. n. 208.*
8 *Confessio sub spe ratihabitionis an valeat. numer. 209.*
9 *Approbatio non est nulla, ex quo non sit data gratis. nu. 210.*

205 DVbitatur secundo qualis debeat esse approbatio Episcopi, vt Regularis possit audire Confessiones secularium? Ex pluribus capitibus potest hic contingere dubitatio. [1]Primum est, an hæc approbatio fieri possit ab Episcopo non præmisso Regularis examine? Sed ex textu Concilij habetur resolutio quæs. quia Concilium remittit hoc ad prudentiam Episcopi; non est igitur necessarium sed possunt Episcopi ex prudenti arbitrio illud sine aliqua culpa omittere, & approbatio data eo non præmisso est valida. *Ricc. in praxi Azor. res. 21, Reginal. Coninch.* quos sequitur *Barbosa ad cap. 15. num. 32. sess. 23. Concil. Trid. Cespedes. cap. 6. q. 105. Fagandez in 2. præcep. lib. 7. c. 2. num. 41. Donatus tom. 4. tr. 4. q. 12.* si tamen Episcopus imprudenter omitteret hoc examen, & sine iusta causa, putat eum mortaliter peccare *Barbosa de off. Epis. Alleg. 32. num. 2.* Eum econtra à mortali excusat Donatus. Sed distinguendum est; nam ex vi legis positiuæ quæ non præcipit adhiberi hoc examen, culpa mortalis non est illius omissio. Sed ex lege diuina talis erit, si ex hoc Episcopus se exponat periculo admittendi non idoneum ad tantum sacramentum administrandum. Addit verò *Barbosa d. cap. 15. nu. 32. & Suarez tom. 4. disp. 28. sec. 7. n. 17.* quòd licet possit Episcopus approbare confessarium non præmisso examine, non per hoc potest suis subditis dare facultatem eligendi sibi confessarium ex non approbatis, quem voluerit. Cuius tamen dicti ratio alia esse non potest, nisi respectu subditi, qui possit confessarium non idoneum eligere cum periculo quòd sacramentum vel inutiliter, vel cum irreuerentia administretur; sed vbi subditus sit talis, qui possit discernere, & in casu supplere aliquem defectum scientiæ Confessarij, non video cur Episcopus non possit subdito suo concedere facultatem eligendi sibi confessarium etiam ex non approbatis.

206 Secunda difficultas est, an hæc approbatio sit danda in scriptis? Respondetur verò hoc valde vtile esse, & si non ad valorem licentiæ, saltem ad eius probationem esse necessarium: sed tamen licentia oretenus data valet. *Diana p. 5. tr. 14. res. 41. Barbosa ad d. cap. 15. num. 33. & de pot. Epis. all. 25. num. 22.* & apud eum *Regin. Coriol. & Boss.*

207 Tertia difficultas est, an sufficiat licentia vniuersalis data ad administrationem sacramentorum? Et dicitur sufficere, quia inter alia sacramenta præcipuè hoc est necessarium baptizatis, cum sit illud per quod obtinetur peccatorum remissio. Et ideo in concessione generali administrationis sacramentorum, intelligitur concessa facultas audiendi confessiones. *Sanchez lib. 3. de matr. disp. 35. num. 8. Barbosa ad d. cap. 15. Concil. Trid. sess. 23 n. 34.* & apud eum *Henriq. & Fagundez.*

208 Quarta difficultas est an approbatio seu facultas data ab Episcopo ei quem non iudicat idoneum, sit valida? Talem non censeri approbatum dixerunt *Suarez d. disp. 28. p. 5. nu. 7. Barbosa ad d. cap. 15. num. 35. & Alleg. 25. num. 4.* & apud eum *Reginal. & Faustus. Pasqual. q. 196. num. 4. de Iubilæo.* Quia qualitas, quæ requiritur ad aliquod fundamentum nequit subsistere deficiente fundamento. *l. Nam et ligo. ff. quod vi aut clam. & cap. cum Paulus 1. quæst. 1.* approbatio autem iuridica requirit fundamentum habilitatis in approbato. Tum secundò quia passiua approbatio non est aliud quàm idoneitas vt declarata ab Ordinario; igitur deficiente idoneitate deficit approbatio. Sed vt patet ex probatis supra à num. 197. nec verum est, quòd approbatio passiua sit idoneitas ministri vt approbata ab ordinario, sed est vera facultas, aut licentia, seu libertas vtendi iurisdictione Pontificia ad audiendas confessiones. Sed licet Concilium velit, quòd nullus, qui non habet beneficium parochiale admittatur & approbetur nisi idoneus iudicetur nihilominus considerandum est, quòd conditio sine qua Concilium vult, quòd sacerdos non possit audire secularium confessiones est externa approbatio Episcopi, vult verò vt Episcopus præmittat examen ad dandam approbationem, si aliàs approbandus non iudicetur idoneus. Ideo necessarium quidem est exterius iudicium, & approbatio externa in facie Ecclesiæ, sed interius iudicium Episcopi, quod sub notitia Ecclesiæ non cadit, non est neces-

necessarium ad validitatem approbationis. Sicut, licet Episcopus non possit conferre beneficium Parochiale nisi idoneo, immo & meliori, iuxta decretum *Concil. Trid. sess. 24. cap. 18. de reformat.* non tamen propter hoc inualida est ipso iure & facto collatio, si Episcopus conferat Parochiam indigno, vel minus digno, vt bene tradiderunt *Garz. par. 9. de benef. cap. 2. a. nu. 235. Card. de Lugo, de iust. disp. 35. num. 71. Martinez de Prado cap. 19. q. 6. nu. 4. Conar. reg. peccatum 2. p. §. 7. num. 3.* & alij plures, quos sequitur tum in *tract. de elect. cap. 30. nu. 87.* Nec conuenit, quòd valor collationis officiorum exteriùs pendeat ab interiori iudicio Conferentium, quod nobis non innotescit, si sit aliud ab eo, quod extrinsecus apparet & fit. Et ideo quòd talis Cõfessarius interiùs non approbatus, & approbatus exteriùs validè absoluat dixerunt. *Card. de Lugo disp. 21. num. 25.* citans pro eadem sententia *Suar. d. disp. 28. c. 5. nu. 7. Leander à Spir. S. de sacram. Pœnit. trac. 5. disp. 11. quæst. 74.* vbi *post Sanchez* l. 3. de *matr. disp. 22. num. 25. & Basilium l. 5. de mat. cap. 19. num. 24.* addit valere Confessionem auditam à sacerdote cui Episcopus fictè, & non ex animo interiori exteriùs in facie Ecclesiæ indubitanter concessit facultatem Confessiones audiendi. Et pro sententia supradicta stant apud eundem *Leandrum Monda, & Quintanaduennas.*

209 Quinta difficultas est, an sufficiat licentia præsumpta, & spes ratihabitionis? Et communiter DD. dicunt non sufficere ratihabitionem de futuro, sed bene sufficere ratihabitionem de præsenti signo aliquo externo habitam. *Nauar. c. 9. num. 5. & in cap. placuit num. 105. Nugnus in addit. ad 3. p. q. 4. a. 5. d. 1. Layman l. 5. tr. 6. c. 10. num. 16. Pesant. Henriq. Corrid. Reginal. Sanctor. Chamer. Fagundez, Floron. Boss.* quos refert & sequitur *Barbosa ad d. cap. 15. Concil. Trid. num. 31. Donatus d. tr. 4. q. 25. Vercell. de Mission. Apost. q. 145. num. 4. Fagundez in præcept. l. 7. c. 2. num. 22. & 71.* Ideo quòd valere dicatur absolutio data à sacerdote, non approbato, si Episcopus videns taceat, & intus re vera nec consentiat, nec dissentiat, ex *Bossio* dixit *Leander d. q. 74.* Sed vt verum fatear, ego istis ratihabitionibus in materia sacramentorum non multùm cõfido. Et ad summum ratihabitio valet pro illo actu solo, pro quo ratihabitio censetur haberi, non verò pro alijs.

210 Vltima difficultas est, an approbatio non gratis data, sit nulla? Sed dicitur, quòd si Episcopus non det approbationem gratis, sed pro pretio peccat nedum contra præceptum Concilij, sed est simoniacus. Sed esto non det approbationem pro pretio, si tamen occasione eius aliquid exigat pretio æstimabile vel titulo sigilli, vel alio, peccat contra præceptum Concilij. Sed approbatio data non est nulla. Concilium enim non præcepit, quòd approbatio gratis detur, tanquam hoc sit de forma valoris approbationis, sed vt quid conueniens ad hoc vt approbatio ipsa sincerè, & candidè detur, vel negetur, & ne ea hac parte Religiosi pauperes grauentur. Approbatio igitur etiam non gratis data est valida. *Suarez. de Pœnit. disp. 28. sec. 5. num. 10. Fagundez 2. Præc. l. 7. c. 2. nu. 66. Leander de Pænit. trac. 5. disp. 11. q. 80.*

SVMMARIVM.

1 *Concil. Trid. & alia decreta non loquuntur de confessionibus religiosorum sed secularium. numer. 211.*

2 *An comprehendat milites Religiosos. nu. 212.*

211 Dubitatur tertiò an sub decreto Concilij contineantur Confessores Regularium? Hoc pro certo supponendum est, in decreto Concilij, & alijs relatis dispositionibus non comprehendi nisi Confessiones seculariũ. Vnde (quidquid dixerit in contrarium Io: Nouarius in tractatu de electione fori *cap. 69. num. 11. apud Leandrum* loco proximè citando) Regulares de licentia suorum superiorum, possunt confiteri & absolui à quocumque simplici sacerdote non approbato ab Episcopo. Quia Concilium expressè loquitur de confessionibus secularium, de quibus quoque est sermo in Clem. *Dudum* & in Constit. Pij Quinti, & Vrbani VIII. Ita *Nauar. cap. 4. nu. 2. Suarez disp. 28. sec. 4. num. 5. Vasquez q. 93. a. 3. dub. 3. num. 5. Bonac. disp. 5. q. 7. p. 4. num. 25. Candidus tom. 1. dis. 3. a. 39. num. 2. Diana par. 3. tr. 2. res. 3 & in add. ad resol. 4. & p. 8. tr. 1. res. 86. fin. Layman lib. 5. tr. 6. c. 11. num. 1. Sà, Granadas, Trullench. domas Hurtado,* quos sequitur *Leander tr. 5. disp. 11. q. 45. Card. de Lugo. disp. 21. n. 2. Fagund. præc. 2. l. 7. cap. 2. nu. 3. & 10. Donatus tom. 3. tr. 4. q. 34.*

212 An verò sub nomine Regularium seu Religiosorum veniant milites S. Io: D. Iacobi, Alcantaræ & Calatrauæ. Negant *Valentia 3. disp. 10. p. 4. c. 2. Diana p. 8. trac. 1. resol. 86. & p. 10. tract. 16. res. 76. Lezana p. 2. cap. 15. num. 45. Amicus*, & alij apud *Dianam*, sed affirmant *Riccius, Nouarius, Martinus à S. Ioseph* apud *Dianam* vbi supra, *Leander d. disp. 11. q. 47.* & apud eum *Thomas Hurtado. Bardus in Bullam p. 2. tr. 5. cap. 2. sec. 2. nu. 24. & 25.* affirmat de Equitibus S. Io: negat de alijs. Et quidem de Equitibus D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ res dubia est de iure, non enim sunt simpliciter Religiosi, vt cum *D. Thom.* dixi *supr. q. 186. a. 4. à num. 12.* Sed & de Equitibus S. Io: loquendo seruanda est consuetudo, quæ est optima legis interpres.

SVMMARIVM.

1 *Regulares ad leges Concilij Trid. tenentur etiam in illis partibus in quibus apud Clerum secularem non est in vsu. n. 213.*

2 *Concily Trid. decreta acceptata in Capitulo Prad.* Bonon. 1564. n. 214.

213 His verò sic stantibus, dubitatur quartò an decretum Concilij Tridentini obliget Regulares existentes in illis partibus in quibus prætenditur non fuisse receptũ Concil. Trident. Nouissimè enim *Virginius Alnset in tractatu de Priuileg. sect. 3. cap. 5. §. 1. num. 11.* docet quòd vbi non fuit receptum Concilium Tridentinum, vigeant antiqua Regularium priuilegia, & non sit necessaria approbatio Episcoporum. Sed quidquid sit de assumpto in ordine ad Clerum secularem, de quo non est mihi disputatio, in proposito nostræ quæ-

stionis

stionis, assumptum illud & fundamentum stare non potest; quia nullus Regularium Ordo est, qui Sacrosanctum Triden. Concilium non receperit; nec valet consequentia. Concilium non est receptum à Clero seculari, ergo nec à Regulari, cum sint corpora omnino distincta, & independentia, & Regularium corpus à suis Capitulis, & Prælatis regatur, & dependeat, quorum nullum, aut nullus est, qui reuerenter, & humiliter Concilium non receperit. Et ideo priuilegia Regularia pro Confessionibus secularium audiendis sine dubio sunt reuocata per Concilium. Præterquam quòd vis legis Ecclesiasticæ à receptione subditorum non pendet, & obligat, nisi Papa contrarium approbet. Et ampliùs per Vrbanum Octauum huiusmodi omnia priuilegia sublata sunt, vt ex eius constit. posita num. 145. & iterum per constitutionem Innocentij Decimi supra num. 157. relatam. Et Episcopi vi Concil. Vienen. sub Clem. V. & Lateranen. sub Leone X. approbationem exigere valent, nec possunt obijci priuilegia toties reuocata.

214 Certè nullus Religiosus Ord. Prædicatorum prætextu hoc non acceptationis Concilij Tridentini se munire potest, vt contra Episcopos se tueatur in ijs, in quibus Concilium Regulares iurisdictioni Episcoporum subiecit. Nam in Cap. Generali Bonon. 1564. vt ex actis eius in princ. constat. Omnia illius decreta humili reuerentia acceptata fuere, primò per hæc verba. *In primis quoniam generalis reformationis à sacrosancta Synodo Tridentina dudum propositæ pars nõ modica est, quæ Regularibus instituitur, eius nos sanctissima decreta omni pietate suscipientes, & qua decet obedientia exequi cupientes, vniuersis fratribus nostris tam Prælatis, quàm subditis districtè iniungimus, vt ipsius sacri Concilij canones, præcipuè, qui de Regularibus præscribuntur, attentè legant, & sollicitè obseruent.* Paulò autem infra subditur. *Diligenter attendant Prælati nostri Ordinis & quicumque alij fratres omnia, quæ circa Reuerendissimorum Episcoporum obseruantiam à sancta synodo fuerunt statuta, & si examinare velint expositos ad Confessiones audiendas, aut promouendos ad Ordines, humiliter pareant, nec ipsis contradicentibus etiam in nostris Ecclesijs prædicare præsumant.* Nomine igitur totius Religionis prout tenebantur PP. illius Capituli sacrosancta Tridentini Concilij decreta receperunt, & pro eorum parte illorum mandauerunt exactam obseruantiam. Et pro maiori firmitate illius Cap. decretum insertum fuit in Constitut. vt habetur *d. 2. c. 12. §. 1. in Gloss. lit. B.*

S V M M A R I V M.

1 *Non est probabile, sed prorsus falsum, quod Regulares non approbati ab Episcopo possint audire Confessiones secularium. n. 215.*

2 *Præsentatio etiam nunc est necessaria. n. 216.*

215 DVbitatur quintò an possit dici, quòd priuilegia Regularium non sint reuocata in hac parte, ita quòd nõ sit necessaria approbatio Episcoporum ad hoc vt ipsi audiant Confessiones secularium? Idem *Virginius Aluiset loc. citat. num. 13. & 14.* tenet, quòd non obstante Concil. Tridentino & Constit. Vrbani VIII. potest probabiliter sustineri, & consequenter secura conscientia obseruari, quòd Regularium priuilegia vigeant, & sic non sit necessaria approbatio Episcoporum. Sed mouetur rationibus valde leuibus, & insufficientibus. Mouetur enim primò, quia illa particula Concilij *vel aliàs idoneus iudicetur*, videtur innuere tertium signum, quo dicatur aliquis idoneus audiendis confessionibus, & intelligenda de expositis à suis superioribus. Sed in contrarium expressè sonat contextus Concilij, qui est, vt Regularis secularium confessiones audire non possit, nisi aut *parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur* & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, sine qua Regulares secularium confessiones audire non possunt. Hæc verò approbatio præsupponit idoneitatem, sed ab Episcopo vel per examen, vel aliàs iudicatam Episcoporum igitur approbatio conditio est sine qua Regulares non possunt secularium audire Confessiones. Quod verò addit, Prælatos Regularium habere in suis Ecclesijs iurisdictionem; certum est tantam solùm ac tantam habere, quanta illis conceditur à Pontifice, qui non vult vt aliquis Regularis aliquam habeat super secularium personas, vt illas absoluat à peccatis, nisi sit ad id approbatus ab Episcopo. Quod etiam subdit de confirmatione priuilegiorum post Concilium, non subsistit, quia & hæc reuocata sũt prorsus per Vrbanum octauum cum clausulis derogatorijs amplissimis & plusquàm sufficientibus ad derogandum priuilegijs quamcumque exquisitam formam requirentibus, vt eis derogari valeat. Et ideo communis, & certa prorsus & indubitata sententia est, quòd Regulares sine Episcopi approbatione non possunt secularibus sacramentum Pœnitentiæ ministrare. *Vasquez 3. p. disp. 219. num. 55. Suarez tom. 4. disp. 28. sect. 5. & 6. Sanchez de matrim. l. 3. disp. 29. num. 13. Fagundez in quinque Ecclesiæ præcepta præc. 2. l. 7. cap. 1. à num. 14. Camer. Reginal. Trullench, Coriolan.* quos refert, & sequitur *Barbosa ad Concil. Trid. sess. 23. c. 15. de reformat. Layman l. 5. tr. 6. c. 11. Pasqualig. ad Lauret. de Franc. p. p. n. 1439. Tambur. tom. 2. disp. 6. q. 11. n. 2. Pax Iordan l. 3. tit. 4. nu. 102. Ant. à Spir. S. p. 1. tr. 2. disp. 3. n. 3.* & omnes DD. communiter, quorum plures etiam citabuntur in sequentibus. Et ideo oppositum non est probabile sed manifestè falsum.

216 An verò modo sit necessaria præsentatio, quæ ex vi Clem. *Dudum* & Constit. Leonis X. debebatur. *Tambur. tom. 2. disp. 8. num. 4.* censet eam solemnitatem non esse necessariam, ex eo, quia Concil. Triden. Regulares pares fecerit secularibus sacerdotibus, & sicut in secularib. non est necessarium, vt ab aliquo præsententur, sed per se ipsos Episcoporum examini subijciuntur ita & Regulares. Sed licet aliqua accidentalis solemnitas non sit necessaria, tamen in substantia præsentatio nomine superiorum etiam nunc est necessaria. Neque in hoc Regulares sunt pares secularibus. Quia Regulares non possunt Episcoporum examen subire nisi à suis superioribus approbati, & missi. Hoc enim votum obedientiæ exigit. Vt infra etiam magis probabitur.

SVMMARIVM.

1 *Confessores regulares vt licite audiant secularium confessiones debent esse approbati ab eorum Prælatis. nu.217.*
2 *Quantum ad valorem Confessionis opiniones diuersa. nu.217.*
3 *Priuilegia Pontificum concessa Regularibus à superioribus suis deputatis. nu.218.*
4 *Ex vi priuilegiorum, qua concessa sunt deputatis à Prælatis subditi non approbati valide non audiunt secularium confessiones. n.219.*
5 *Nec possunt absoluere ex priuilegio a casibus. numer.220.*
6 *Regulares non deputati à suis Prælatis nulliter absoluunt etiam si approbati ab Episcopo. n.221.*
7 *Episcopi possunt delegare suàm iurisdictionem Regularibus. nu.222.*
8 *Eam tamen non delegant non approbatis a suis Prælatis, quia hoc est contra ius commune. numer.233.*
9 *Regularis est incapax iurisdictionis habendæ inuito Prælato. n.223.*
10 *Vbi Regularis fuit approbatus a suis Prælatis, non omnis prohibitio Prælati superueniens est ablatio iurisdictionis. n.224.*
11 *Regularis à suo Prælato suspensus non potest eligi virtute Bullæ, aut Iubilei. n.225.*
12 *Regularis vel sine approbatione Episcopi, vel sine approbatione Religionis peccat contra Religionem & est sacrilegus. n.226.*
13 *Potest in vtroque casu puniri ab Episcopo. numer.226.*
14 *Et à superiore Regulari. n.227.*
15 *Breue aliquod Iulij Tertij pro Ordine Prædicatorum non bene relatum à DD. n.228.*
16 *Illud Breue extat. n.229.*
17 *Quid contineat. n.229. 230.*
18 *Ex eo non habetur quod licentia confessiones audiendi inuito superiore sit nulla. n.230.*

217 DVbitatur sexto an præter approbationem Episcopi in Confessario Regulari sit necessaria licentia sui superioris, ita quòd Regularis inualidè absoluat, si eo inuito absoluit? Regularem enim peccare, si sine licentia sui superioris audiat confessiones est indubitatum. Multi autem dubitationi absolutè respondent, confessiones huiusmodi esse validas, sed alij distinguunt inter Regularium Ordines in quibus viget statutum quoddam Iulij Tertij ad instantiam Magistri Generalis Ord. Præd. pro eodem Ordine dati, in quo huiusmodi confessiones irritat, & inter alios Ordines, & dicunt in istis talis confessiones validas esse ita *Miranda p. p. q.45. a.12. Layman l.6.tr.6.cap.10. num.19. Tambur. de iure Abb. disp.6.q.15.nu.4. Donatus tom.4. tr.4. q.28. & 29. Achacius Marcb. v. Confessor. resol.197. num.2.* hoc tanquam probabile asserens. Alij distinguunt inter Societatis Confessarios, & alios, & dicunt, Confessarijs societatis ex vi priuilegiorum illius Ordinis facultatem confessiones audiendi medijs Prælatis obuenire, immò immediatè eam conferri ab eorum Prælatis, ideoque dicti Ordinis Confessarios inualidè absoluere si sine licentia superioris id præstent. Ita *Suar. tom.4. de Relig. trac.10. lib.9. cap.2. num.3.* Alij distinguunt inter iurisdictionem quam Regulares habent à Pōtifice, & quam habent ab Episcopo approbante, & Confessarios sine licentia superioris inualidè vti iurisdictione Papali, quia hæc non est concessa nisi dependenter à licentia Prælati, secus verò de vsu iurisdictionis Episcopalis.

218 Loquendo igitur de iure communi considero, quòd priuilegium Eugen. IV. pro Cassinensibus supra num.123. positum expressè facultatem concedit expositis à suis Prælatis, ibi. *Quòd liceat dicta Congregat. Prælatis siue monachis deputatis à suis superioribus ad audiendas huiusmodi personarum confessiones.* Priuilegia etiam Ordini Prædicat. concessa, & relata nu.126. & 127. & 128. & 129 idē continent. Et solùm etiam deputatis à superioribus facultatem audiendi confessiones pro Ordine Minorū concessit *Nicolaus 5. sup. n.120. & Paulus 4. n.132.* Concessio autem facta per Iulium secundum Minimis absoluta videtur, vt in Const.2. apud *Peyrinum* §.32. vbi nulla fit mentio approbationis seu licentiæ aut deputationis alicuius superioris. Et licet se referat ad concessionem factam à Sixto IV. & illa fuit cōfirmatio concessionis factæ à Pyrrho Archiep. Consentinen. quia tamen vt habetur ex illa concessione Pyrrhi in §.8. apud eundem Peyrinum, & in Constit.2. Sixti quarti §.4. & illa videri posset fuisse sine expressione dependentiæ à Prælatorum licentia, & approbatione, videtur quòd censenda sit absoluta delegatio, & concessio. In contrarium tamen est, quòd non videtur verisimile, quòd Pontifex voluerit tantam facultatem concedere simplicibus sacerdotibus independenter à superioribus. Sed dico, quòd sine dubio concessio illa facta Minimis data fuit vt habenda dependenter ab electione Prælatorum Religionis: textus enim §.8. in quo datur facultas pro confessionibus audiendis, habet pro sui intelligentia & sensus dependentiam à §.7. & de ijs sacerdotibus est sermo in §.8. de quibus sermo est in §.7. cuius §. initium est. *Sacerdotibus verò huiusmodi congregatio, seu secularibus, vel regularibus per vos eligendis.* Sacerdotes igitur eligendi præcipuè per Generalem, cui in primis literæ Pyrrhi dirigebantur sunt illi, quibus conceduntur priuilegia in dictis §.7. & 8. contenta. Concessionem autem datam societati à Paulo Tertio intelligendam esse depēdenter à subordinatione Prælatorum, & ita quòd simplices sacerdotes nisi sint authoritate superiorum deputati non habeant iurisdictionem absoluendi seculares probat. *Suarez loc. supr. citat.* Ex Clement. autem *Dudum* de sepulturis apparet, quòd iurisdictio conceditur sacerdotibus Episcopis præsentatis ab ipsis superioribus, & idem continet extrauagans *inter cunctas* de priuileg. & Constitutio Leonis X. data in Concil. Lateranen. in qua moderatus fuit Regularium priuilegia. Ex multis quoque priuilegijs, quæ refert Compendium priuilegiorum Minorum *v. absolutio* non potest aliud colligi, quia non ponit verba illorum sed sensum à Collectore acceptum. Et tandem ipse epilogando omnia priuilegia in vers. *insuper* satis ostendit ea intelligi concessa fratribus deputatis ad confessiones audiendas.

219 In hac difficultate hoc primò est certum, quòd Regularis non à suo Prælato præsentatus & depu-

deputatns pro audiendis cõfeſſionibus ſecularium illas non poteſt audire validè ex vi Clem. *Dudum*, de ſepulturis, aut cuiuſcumque ſimilis indulti; quia ex vi d. Clem. non tribuitur iuriſdictio niſi Religioſis electis, ſeu deputatis, & præſentatis à ſuis Prælatis ad illud munus exercendum. *Rodriq. p. p. q.60.a.3. Mirand. p.p.q.45.a.12.concl.2. Suarez tom.4. de Relig. tr. 10. lib 9. cap.2.a.num.3. Layman l.6 tr.6. cap.10.num.19. Coton lib.2.contr.7. num* 83.

220 Et inde eſt, quòd ſic audiens ſecularium confeſſiones non poteſt abſoluere ab eis caſibus, vel diſpenſare ſuper votis, aut vti vel minimo ex illis priuilegijs, quæ in iure conceduntur Religioſis qui à ſuperioribus ſint electi, & deputati, aut pro audiendis confeſſionibus corã Epiſcopis præſentati fuerunt. Quidquid in contrarium probabile iudicauerit *Antonius à Spiritu Sancto p.p. Direc. trac.2. reſp.3. num.20. ex Pelizario*. Cur enim dicatur non approbatum à ſuperioribus poſſe abſoluere, à caſibus papæ reſeruatis, vel vota commutare, vel aliquid eorum facere, ex vi priuilegiorum quæ nõ fuerunt conceſſa niſi deputatis à ſuis Prælatis? Et ideo bene ex *Enriq. Nauar. & Rodriq.* hoc negat *Accacius March. v. Confeſſor reſol.* 197. *nu.*3.

221 Dicitur ſecundò quòd Regulares, qui nec expreſsè, nec tacitè, ſeu nec formaliter nec virtualiter præſentantur Epiſcopis & eliguntur pro confeſſionibus audiendis, etiam ſi ab Epiſcopis approbentur, non poſſunt validè ſecularium confeſſiones audire. Ratio eſt, quia aut iſti validè id præſtant ex iuriſdictione Papæ, vel ex iuriſdictione ſibi delegata ab Epiſcopo. Primum dici non poteſt, quia ex vi iuris communis iuriſdictio iſta & delegatio Papalis non conuenit niſi electis, & præſentatis à Prælatis, vt conſtat ex d. Clem. *Dudum*, & ex extrauag. *inter cunctas*, & d. Conſtitut. Leonis Decimi, & regulariter etiam ex priuilegijs conceſſis Regularibus. Quòd ſi in aliquo horum priuilegio non ita expreſsè importetur hæc dependentia ab electione ſeu deputatione aut licentia Prælati, ſubintelligi tamen debet. Tum quia hæc sũt gratiæ factæ directè Religionibus, non vero fratribus vt priuatis, & ſingulis, & ideo tanquam bona communia veniunt ſub Prælatorum adminiſtratione, & gubernio. Tum quia cura animarum, quam præcipuè gerit, qui confeſſiones audit eſt de illis, ad quæ nullus ex proprio iudicio ſe debet applicare, vt probauit *D. Thom. ſupra q.*185.*a.*2. Tum quia priuilegia ſic intelligi debent, vt non contineant abſurdum, & ſint conformia & proficua bono communi; valde verò indecens eſſet, & periculi plenum, ſi independenter ab electione Prælatorum vnuſquiſque eſſet ſuæ idoneitatis iudex, vt tanto officio fungi vellet. Nec obſtat quòd Confeſſarij debeant approbari ab Epiſcopis, quia non per hoc Epiſcopi ea, quæ ſpectãt ad mores manentium intra Clauſtra poſsũt cognoſcere. Tum quia miniſterium publicum quod à Religioſo non poteſt exerceri niſi ſub obedientia Prælatorum, non conuenienter intelligitur conceſſum vt aſſumendum niſi ex obedientia.

222 Sed neque ex iuriſdictione habita ab Epiſcopis Regulares non electi, & non præſentati à ſuis ſuperioribus poſſunt ſeculares abſoluere ſacramentabiliter. Quamuis enim verum ſit, quod Epiſcopi poſſunt delegare ſuam iuriſdictionem Regularibus: Nihil enim obſtat, & hoc expreſſe ſupponunt priuilegia conceſſa à Clemente IV. Ordini Prædicatorum, & Ordini Minorum à Sixto IV. de quibus facta eſt mentio ſupra n.126. & 130. tamen conſiderandum eſt, quòd nec Epiſcoporum eſt delegare ſuam iuriſdictionem Regularibus, qui ea non indigent, & quatenus eam delegent, cenſendum eſt, quòd id faciant ſeruando, id quod eſt de iure communi, & Pontificio, & quod iuriſdictionem hanc non tribuit niſi Religioſis à ſuperioribus electis, & ideò hanc partem expreſsè docent Suarez vbi ſupra *Paſqualig. ad Laurentum Franchis p. p. v.* 1442. *&* 1447. *Coton. lib. 2. contro. 7. num.* 83. quidquid in contrarium dixerint *Rodriq. p.p.q.60.a.3. Miranda p.p.p.45.art.12. Layman l.5. tract. 6. c. 10. num. 19. Palaus tract. 23. punct... num. 24. Diana p. p. tract. 11. reſol.13. & Accac. d. reſol.197. num.2.* hoc probabile aſſerens, qui & hoc falſum ſupponunt, quòd Regularis approbatus ab Epiſcopo ſine licentia Superioris recipiat ab eo aliquam iuriſdictionem.

223 Immò addendum eſt, quòd Religioſus eſt incapax validè recipiendi iuriſdictionem inuito Prælato ſuo, quia nequit accipi iuriſdictio, niſi qui recipit, conſentiat, conſenſus verò Religioſi inuito ſuperiore eſt nullus, & inualidus, vnde nec validè contrahit cum aliquo, quia non habet velle, nec nolle, vnde nec poteſt cum aliquo validè contrahere. Et ideò ſi Prælatus nõ vult quòd ſubditus ſuus recipiat iuriſdictionem eam non recipit validè, etiam ſi ipſe velit. Vnde eſt, vt benè dixit *Fagundez l.2. prac. l. 7.c.2.n.33.* quod ſi ſuperior ſit inuitus nulla eſt Epiſcopi approbatio, & penitùs irrita, quia plus valet repugnantia Prælati nolentis ſuum ſubditum approbari, quàm voluntas ſubditi, vt approbetur. Sic enim, & irrita eſt donatio factà Religioſo, ſi Prælatus non vult vt donatum recipiatur, & illud non acceptat, ſed reijcit, vt ſupra *q.* 188. *a.* 7. *inſpectione* 8. *& nu.* 243. probatum fuit.

224 Quando verò Prælatus dedit licentiam ſubdito vt approbaretur ab Ordinario, & fuit approbatus, licet ſi velit, poſſit auferre à ſubdito facultatem audiendi confeſſiones, non tamen ex omni ſimplici prohibitione poteſt hoc & debet deduci, vt bene admonuit *Suarez loc. citat. num.*7. ſed ſi ſuperior clarè mentem ſuam non exprimat, id ex coniecturis deducendum erit, & ſi prohibeat vel in pœnam, vel vt non indignè aut indecenter ſacramentum adminiſtretur, vel ſi limitetur facultas ad certum genus perſonarum, cenſetur tollere facultatem vel abſolutè, vel per reſpectum ad perſonas exceptas; ſed ſi prohibeat ne interim ſubditus occupetur in eo miniſterio, non cenſetur auferri iuriſdictio.

225 An verò Confeſſarius Regularis ſuſpenſus à Confeſſionibus per ſuum Prælatum, poſſit, ſi ſit approbatus ab Epiſcopo eligi à ſeculari vel abſolutè vel virtute Bullæ. Negant *Syluester v. Confeſſor 2. num. 2. Rodriq. p. 1. q.660. a.2. Io: de Cruce de ſtat. Relig. cap.6. Fagundez prac.2. l.7.c.2. num.32.* & apud eum *Medina Angel. Ledeſma, & Alexand.* ſed affirmant *Diana p.1.tr.11. reſol.13. & p.5.tr.12. reſol.49. Petrus de Ledeſma Acoſta, Villalobos. Ludouicus à Cruce Aegid. & Trullench.* quos ſequitur

Lean.

Leander d.disp.11.q.77. quod tamen intelligendum dicit de suspensione simplici, quæ est simplex prohibitio ne Religiosus audiat Confessiones. Itaque vt video conueniunt DD. isti in hoc quòd Regularis, vel a suis Prælatis non approbatus, vel ab eis priuatus facultate audiendi confessiones, non potest eligi etiam virtute Bullæ, quia non est Confessarius idoneus, si autem solum sit prohibitus audire confessiones, adhuc secunda opinio deficit quia si sacerdos sine peccato alicuius inobedientiæ, non potest confessiones audire non licet pœnitenti cooperari peccato Confessarij, & peccare dum vult sibi remitti peccata.

226 Quomodo verò peccet Regularis inuito Prælato audiens secularium confessiones. *Pasqua lig. loc. citat.* respondet, quòd si nec habeat approbationem Ordinarij, sine dubio peccat contra obedientiam, & contra Religionem nulliter sacramentum administrando, & grauiter à suis superioribus debet puniri secundùm *Sotum in 4. d.18. q.4. a.3. Graff. cons.4 l.5. de pænit. & rem. Rodriq. tom.22 q.28.a.2. Belles.p.2. disq. Cler. tit. de pœnis §.30. nu.2.* Sed & hoc idem dicendum est, si cum approbatione Ordinarij desit licétia Prælati Regularis, Quãuis in hoc distingui debeat; quia peccatum inobedientiæ de se, & per se tale est, quale secundùm cuiuscumque regulam est non obedire legibus Ordinis; vnde in illis Ordinibus in quibus Regula non obligat ad culpam, neque hæc inobedientia per se est culpa. *Coton. d. num.83. Anton. a Spir. Sancto d. tract.2. disp.3. num.* Sed quatenus nulliter administrent grauissimè peccant, & sunt sacrilegi. In primo autem casu, in quo administretur hoc Sacramentum sine approbatione Ordinarij, Regulares puniri possunt etiam ab Ordinario in vi Const. Greg. XV. *Inscrutabili. Cotan. d. num.83.* sed & hoc erit verum in secundo casu, vt notat *Pasqualig. d. num.1447.* quia talis Religiosus delinquit in ministerio sacramentorum erga seculares, & ideo ex vi Constit. Gregor. XV. subditur correctioni Ordinarij.

227 Sed & à suo Prælato puniri potest, quia non est per illam Constitut. ablata facultas à superioribus Regularib. corrigendi suos subditos. Et ideo quidquid in contrarium dixerit *Tambur. tom.2. de iure Abbatum disp.6. q.4. num.7. ex Diana p.3. tract.2. de dub. Regular. res.93.* bene Prælatus potest punire suum subditum approbatum tantùm pro viris, si etiam virtute iubilæi plenissimi audiat Confessionem fœminæ, quia temerè &. contra ius confessionem audit excedens terminos suæ approbationis. *Bordon. Resol.70. num.12.* & quòd Prælatus possit præcipere subdito vt confessiones non audiat etiam ex vi Bullæ cruciatæ, & eum non obedientem possit punire, dixit *Accutius Marcb. d. res.197. num.4.*

228 Quod verò supra insinuatum est de Breui Iulij Tertij concesso Prælatis Ord. Præd. *Rodriq. p.p.q.60.a.p.* illud tanquam obtentum instante P. Mag. Stephano Vsusmaris Generali sub data decimaseptima die Ianuarij 1615. refert sub his verbis. *Reuocat licentias, & immunitates concessas Religiosis eiusdem Ordinis ad confessores eligendos, & confessiones audiendas, quas ipse Magister Ordinis reuocandas iudicauerit, & vndecumque emanaturus gratias sine licentia superiorum concedendas annullat, nisi manu Papæ, aut de consensu Cardinalis protectoris, vel viceprotectoris fuerint signatæ.* Idem sub diuersis & multò pluribus verbis *Mirandu p.p. q.45. a.12.* refert datum ab eodem Pontifice sub eodem die, & anno, & addit decretum hoc Iulij III. fuisse acceptatum in quodam Capitulo Salmantino, in quo autoritate Apostolica, & in virtute eiusdem Breuis fuit ordinatum, quòd nullus frater audiat Cõfessiones extraneorum sine licentia. Eiusdem verò decreti Iulij III. mentionem faciunt *Laymun, & Palaus locis supra citatis. Lezana v. Confessarius. Donatus tom.4. tr.4. quæst.19. & 30.* & alij. Sed certè de anno 1515. Generalis Ordinis erat Cardinalis Caietanus, sedente tunc in Sede Romana Leone X. qui creatus fuit anno 1513. Capitulum Salmantinum etiam fuit celebratum anno 1551. sub Magistro Ordinis Fr. Francisco Romæo. Et in eo Capitulo fuit quidem denunc. penult. renunciatum priuilegijs præcipuè Minimorum, *in quantum tangunt autoritatem de audiendis confessionibus fratrum in præiudicium Prælatorum.* Sed nulla in eo Capitulo fit mẽtio alicuius breuis Apostolici hanc materiam concernentis. Stephanus postea Vsusmaris electus fuit Generalis Romæ anno 1553. viuente tunc Iulio III. sed in Cap. Romano sub eo celebrato nulla fit mentio præfati Breuis, vel fuit aliquid ordinatum circa Confessores extraneorum, Bene decretum fuit, quòd nullum Breue Apostolicum poneretur in vsu nisi fuisset obtentum cum licentia Generalis, aut ab aliqua Prouincia petitum, aut acceptatum. Nam vt aduertit Pladius in vita eiusdem Vsusmaris, & habetur in principio Actorum d. Cap. Romani 1553. Iulius III. viuæ vocis oraculo expresso per Protectorem Ordinis concesserat, vt quæ in eo Capitulo sancita fuissent haberentur rata etiam si eis aliqua litera Apostolica obstaret.

229 Nihilominùs Breue extat, & fuit datum ad instantiam Generalis Vsusmaris de anno 1555. 17. Ianuarij. Pontificatus Iulij Tertij anno quinto, & habetur in Bullario Ord. Prædicator. fol.212. & est confirmatio & extensio alterius similis Breuis concessi ante à Iulio II. Verum considerandum, quòd illud Breue continet duas partes. Prima respicit præteritum. Secunda respicit futurum. In prima reuocat, cassat, & annullat. Sed quid cassat? Dices cassat *omnes, & singulas immunitates, & à præceptis, ac obedientia suorum Prælatorum, & alias exemptiones personales, nec non assignationes perpetuas, & absque superiorum suorum licentia retinendi, vel expendendi pecunias, ac confessores eligendi, tum secularium, quàm Regularium confessiones audiendi, eosque in casibus eisdem superioribus reseruatis absoluendi, & alias similes facultates, & gratias.* Hæc dices sunt, quæ Pontifex cassat, & irritat. Et hunc sensum acceperunt Rodriquez, & alij. Sed non est hic purus sensus illius Breuis, sed cassat directè literas præfatas gratias continentes, seu cassat dictas gratias non absolutè, & à quocumque & quomodocumque concessas, sed concessas in literis, quas ibi nominat, sic subiungendo. *Et desuper tam in forma Breuis, quàm sub plumbo confectas literas tam à nobis, seu etiam de mandato nostro, etiam viuæ vocis oraculo, aut Prædecessoribus nostris Rom. Pont. ac dicta sede, seu illius Nuncijs, & Legatis, etiam de Latere, quàm etiam à Maio-*

ri Pænitentiario nostro, sub quibuscumque tenoribus & formis &c. quibusuis ipsius Ordinis vtriusque sexus professoribus &c. hactenus quomodolibet etiam motu proprio &c. concessas &c. reuocamus, cassamus &c. Cassat igitur literas vel Papæ, vel Legatorum vel Nunciorum, vel maioris Pœnitentiarij tunc emanatas de præterito, & datas, in quibus præfatæ gratiæ concessæ fuissent. Et sic totum hoc tanquam respiciens præteritum ad rem nostram non facit. Et eo magis, quòd non comprehendit literas particulares Episcoporum, per quas admittant vel dent licentiam audiendi confessiones suorum subditorum, sed solùm literas Pontificias, Legatorum Nunciorum & maioris Pœnitentiarij.

230 Videndum igitur quid disponat de futuro. Subdit ergo. *Et si quas de cætero similes, vel dissimiles facultates exemptiones, & gratias absque tuo, & dicti pro tempore existentis Magistri generalis aut superiorum suorum consensu, & eo durante concedi, aut emanari contigerit (nisi facultates, exemptiones, & gratiæ huiusmodi manu nostra propria, vel de consensu Cardinalis Protectoris seu Viceprotectoris signatæ fuerint) illas nullius roboris, vel momenti fore & esse, nullisque suffragari posse decernimus.* Hæc est illius priuilegij conclusio. Quæ certè non probat, quòd præfati DD. intendunt. Nam Pontifex irritat literas Apostolicas, Legatorum, Nunciorum, & Pœnitentiariæ in quibus conceduntur gratiæ personales supra enumeratis similes, vel dissimiles. De his enim licetis loquitur de quibus supra locutus fuit, & quas vt præteritas cassauit easdem vt quatenus futuras irritas decernit, nisi vel sint obtentæ de consensu superiorum, vel sint manu propria Papæ, aut de consensu Protectoris, aut Viceprotectoris signatæ. Vnde priuilegium hoc non comprehendit concessiones, gratias, aut literas Episcoporum. Et meritò: Nam Generalis Magister Stephanus Vsus maris remedium petijt contra eas literas, quæ a superiori iurisdictione venientes vim habebant illum obligandi, & contra quas ipse & reliqui Ordinis superiores venire non poterant, etiamsi viderent ex illis præiudicium Ordini generari. Quæ verò ab Episcopis prouenire poterant, illi non erant molestæ, quia eo, vel ceteris Ordinis superioribus non consentientibus, sed inuitis effectum obtinere non poterant. Itaque ex vi præfati priuilegij non est irrita facultas absoluendi, quam Episcopus tribuat alicui Religioso, nec ex hac parte magis irrita est ex vi literarum Iulij Tertij confessio habita à Religioso Ord. Præd. in vi approbationis Episcopi inuito suo superiore, quàm sit habita quocumque à Religioso alterius Ordinis. Sed irrita est modo supra dicto huiusmodi confessio, quia ad hoc, vt Religiosus habeat iurisdictionem ad confessiones non est magis conditio sine qua non approbatio Episcopi, quàm approbatio & consensus sui Prælati. Qua conditione deficiente, Religiosus est iurisdictionis Episcopalis incapax quia respectu Papæ ipse sic disposuit, & voluit, quòd solùm deputati à Prælatis possint confessiones audire. Respectu verò Episcoporū non habentiū iurisdictionē super Prælatis Regularibus ex natura voti obedientiæ, Religiosus eiusdem iurisdictionis est incapax, si eius superior sit inuitus. Hoc verò quantū præcisè est ex vi præfati Priuilegij Ordini Prædicatorum competit, quòd Religiosi, nec à Legatis, nec à Nuncijs, possunt habere facultatem hanc particularē & personalē absoluendi, nisi literæ eorū de cōsensu Protectoris, ac Viceprotectoris sint signatæ, aut de superiorum eiusdē Ordinis cōsensu sint obtentæ. Et solùm si Papa manu propria signet literas, potest independenter à consensu suorum superiorū validè confessiones audire. An vero etiā quantum ad hanc partem, hoc priuilegium sit reuocatum, & præcipue per facultates concessas Maiori Pœnitentiario, alia quæstio est, de qua mihi non constat. Et Domini Papæ Ministri huiusmodi benè sciunt, quid possint.

SVMMARIVM.

1 *Magistros non indigere approbatione, qui senserint. num. 231.*
2 *Et huiusmodi indigent approbari. n. 231. 232.*
3 *Et possūt examinari ad arbitrium Episcopi. n. 232.*
4 *In examine possunt cogi stare. n. 233.*
5 *Prælati Regulares etiā Generales non possunt audire confessiones seculariū nisi ab Episcopo. n. 234.*
6 *Nec assumi in confessarios ex vi Bullæ, aut Iubilei. nu. 235.*
7 *Prælati eorum monasteria habent curam animarum secularium annexam, eam non administrant nisi per approbato ab Episcopo. n. 236.*
8 *Nec Cardinales audiunt non sibi subditorum confessiones in aliena Diœcesi nisi approbati. n. 237.*

231 DVbitari potest septimò. An lex Concilij Trid. & Vrbani VIII. sit vniuersalis, & vera de quibuscumque Confessarijs? Magistros in Theologia non debere examinari, quia Concilium eos excipiat in illis verbis, aut aliàs idoneus iudicetur, tenuit *Rodriq. p. p. q. 60. Mantius, Gallus, Medina Bannes Perez* & alij Complutēses *c. 2. n. 67. & Llamas p. p. Method. c. p. 7. §. 7. apud Layman. l. 5. tr. 6. c. 11. num. 2.* Sed certum est nullum excipi, sed esse in potestate Episcoporum quemlibet examinare. Nam & cum Pius Quintus prius concessisset quod Lectores & Magistri in Theologia Mendicantes non subijcerentur examini, idem ipse in sua Constit. 133. hoc reuocauit, & declarauit & lectores, & Magistros in Theologia esse examinandos ad arbitrium Episcopi. Nam & particula illa, aut alias idoneus iudicetur respicit Episcopum, à quo est iudicandus idoneus, qui ab ipso est approbandus.

232 Et nihilominùs Tertia quædam sententia fuit media, quæ dixit huiusmodi magistros, & graduatos debere quidem præsentare se Episcopis, & eorum approbatione indigere, eos tamen non debere ab Episcopis examinari. Sic citatis *Corduba, Rodriq. Gutierez, & Menoch. sensit Fagundez in 2. præc. l. 7. c. 2. num. 69.* Sed & hæc sententia est contra Concilium, quod in arbitrio Episcopi constituit iudicare quoscumque idoneos per examen, si ei videbitur. Et ideo vniuersaliter nullus sacerdos potest secularium confessiones audire nisi vel sit Parochus, vel approbatus etiam medio examine ad arbitrium Episcopi, *Suarez de Pœn. disp. 28. sec. 4 num 3. Card. de Lugo disp. 21. nu. 2. Layman. l. 5. tr. 6. c. 11. num. 2. Tambur. l. 2. disp. 6. Barbosa de potes. Epis. all. 25. num. 7. & 26. Lezana p. p. c. 19. num. 6. Leand. tr. 5. disput. 11.* Quamuis ex æquitate huiusmodi graduatū non esse examinandum dixerit Saytus,

tus,

rus, vbi idoneitas sit notoria possit si velit Episcopus sine examine Confessarium approbare, vt bene habet *Barbosa ad d.cap.15. num.37.& ad c.15. sess.23. & Concil.Trid.Coton.l.2.contr.7.c.4.num.70. Donatus q.12.* quidquid in contrarium dixerit Nouarius apud eandem *Coton.* Ex prædictis quoque sequitur, quòd huiusmodi Laureati Doctores, aut magistri, si non sint approbati ab Episcopo non sunt eligibiles per Bullam, quia hoc habetur ex dicto motu proprio Pij quinti, & oppositum improbabile meritò iudicauit *Mendo in Bull.disp.22. c.10. num.109. apud Leandrum vbi supra q.50.*

233 Immò ex *Bord.p.res.36.q.34. & ex Cespedes de exempt.d.223.* additur, quòd non obstante Doctoratu aut Magisterio examinatus ab Episcopo potest cogi vt stet & non sedeat, quia non habet ius ad sessionem in eo actu in quo se habet vt persona priuata. Vnde infert Bord. quendam Vicarium Episcopalem potuisse carcerare Regularem, qui illum in examine iniuriauerat volens sedere. Quando enim iniuria redundat in officium publicum, quod iniuriatus sustinet, ipse potest esse iudex in propria causa per notata in *cap.1.de off.deleg.cap.1. de pœnis, Alex.cons.33.vol.1.*

234 De Generalibus verò, Prouincialibus, Prioribus, Guardianis, & similibus aliquando tenuerunt aliqui, quod possint audire confessiones secularium sine Episcopi approbatione, eò quòd ipsi sint Parochi suorum subditorum. Hæc sententia tribuitur *Valer. Mantio, Galio, Medino, Bannez*, & aliis DD. Salmanticensibus; & sic ex *Henriq.* refert. *Fagund. in 2.præc.l.7.c.2.num.39.* eamque non improbat *Diana p.5.tr.12.res.51.& p.10.trac.14.res.6.* & penes illum *Martinus à S.Ioseph.* ex quibus *Leander q.62.* addit *Thomam Hurtado*. Sed oppositum est sine dubio certum, quia Prælaturæ regulares non sunt propriè beneficia Parochialia; & Concilium prorsus voluit Regulares non audire Confessiones nisi approbatos ab Episcopo. Et quòd Concilium excipiat Parochos est, quia isti non obtinent beneficia Parochialia nisi approbari ab Ordinarijs. Et ita hanc partem tenent *Suar. disp.28.sec.4.n.21. Cardinalis de Lugo disp.21.num.9. Diana & 2.tr.16. res.46.& p.8.t.1.res.86. casu 5. & p.10. tr. 14. res.6. Leander d.disp.11.q.62.* & apud eum *Granados, Bosslus, Bardus, Ludouicus à Cruce, Mendo, & Hurtado Cespedes cap.6. q.107. Donatus d.tr.4. q.5.*

235 Vnde est, quod præfati Prælati Regulares non sunt eligibiles virtute Bullæ, aut Iubilæi, si non sint ab Episcopo approbati; hoc enim ex vi Concilij est necessarium, vt Confessores secularium sint ab Episcopo approbati, cuius contrarium non conceditur per Bullam aut Iubilæum. *Suarez d.sec.4.num.21. Fagundez in 2.præc.l.7. c.2. num.39. Candidus disq.14. a.64.* Nec admitto quòd habent *Leander d.disp.11.q.63.* & post illum *Mendo disp.22. cap.2.nu.30.* scilicet quòd prior opinio tanquam probabilis, sit in foro conscientiæ tuta; quia est modò certum, quòd in Regulari vt audiat Confessiones secularium est necessaria approbatio Episcopi eius loci in cuius diœcesi audiuntur Confessione; vnde nec Parochi, immò nec Episcopi ipsi possunt in aliena diœcesi audire non suorum subditorum confessiones sine Episcopi loci approbatione, vt infra erit manifestum.

236 Immò etiamsi monasterium habeat annexum beneficium Parochiale, & Prælatorum Regularium sit conferre Parochiam seu Vicarium, non per hoc, Prælati Regulares, vel isti Parochi Vicarij possunt audire confessiones secularium nisi ab Episcopo sint approbati Quia isti non habent Parochiale beneficium ab Ordinario collatum, & media eius approbatione obtentum. Et quamuis dicti Salmanticenses dicantur sensisse contrarium, & *Mendo d.cap.2. num.32.* apud *Leandrum d.disp.11. q.64.* dixerit id non carere probabilitate. Tamen hæc & similia carere probabilitate (præciso speciali priuilegio, & legitima consuetudine) ex hoc est manifestum, quòd ex *Concil.Trid.sess.25.c.11.* in monasterijs, in quibus imminet cura secularium. Regulares huiusmodi curam exercentes in ijs, quæ ad dictam curam, & administrationem sacramentorum spectant subduntur immediatè iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi in cuius diœcesi sunt sita. Nec curam illam exercere possunt nisi præuio examine coram Episcopo aut eius Vicario habendo. Excipiuntur tamen ibi monasterium Cluniacense, & alia in quibus Abbates, Generales, aut Capita Ordinum sedem principalem habent, & alia in quibus Prælati Regulares iurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochos, & Parochianos habent &c.

237 Cum verò *Thomas Hurtadus ap. Coton.* dubitauerit an Cardinales possint confessiones audire non approbati ab Episcopo ex eo quia assumpti sunt à Pontifice ad vniuersale regimen Ecclesiæ, hoc non admittitur; Nam alia est ratio exterioris regiminis, & alia iudicis fori pœnitentialis, & sacramentalis, neque illis propterea datur in foro sacramentali iurisdictio, vt praxis ipsa comprobat, & aliàs perturbaretur omnis Ecclesiastica Hierarchia. Ideo & Cardinales ab Ordinario debent approbari vt audiant Confessiones. *Diana p.11. tr.4.res.13.Coton.lib.2.Contr.7.cap.4.nu.68.*

SVMMARIVM.

1 *Approbare ad Confessiones potest Episcopus confirmatus. num.238.*
2 *Non tamen solum electus. n.238.*
3 *Nec Episcopus titularis. n.239.*
4 *Nec excommunicatus non toleratus. nu.239.*
5 *Prælati habentes territorium exemptum possunt approbare. nu.240.*
6 *Generales non possunt approbare Confessores pro secularibus. n.240.*
7 *Parochus non potest pro sua parochia approbare. num.241.*
8 *A quo Episcopo habenda approbatio diuersimode opinatum. n.242.*
9 *Solus Episcopus loci approbat pro confessionibus in eius diœcesi habendis. n.243.*
10 *Approbati ab vno Ordinario extra eius diœcesim non audiunt confessiones. n.244.*
11 *Priuilegium Gregor.XIII. pro audiendis confessionibus in itinere reuocatum. n.245. 246.*
12 *Quod seculares approbati ab vno Ordinario sint approbati vbique est improbabile & falsum. numer.247.*
13 *Episcopus in sua & pro sua diœcesi potest quemlibet approbare. nu.248.*
14 *Idem potest Vicarius Episcopi. n.248.*

238 DVbitatur octauo à quo petenda sit approbatio. Certum est nomine ordinarij venire Episcopum Diœcesim habentem; non tamen si solùm sit electus, quidquid in contrarium dixerit *Donatus.d.tr.4.q.10.* quia electus non habet iurisdictionem: bene tamen si sit confirmatus, quamuis nondum consecratus: quia Episcopus confirmatus habet ea, quæ sunt iurisdictionis.

239 Episcopum etiam titularem, cum non habeat iurisdictionem actualem, & ouibus omnino careat, non posse approbare ad Confessionem, dicunt *Suarez disp.28. sec.1. num.1. Fagund. præc.2. l.7.c.1.num.47.& Leander d. disp.11. q.52.* & apud eum *Bossius & Moneta*. Quamuis verò Episcopum excommunicatum non toleratum posse approbare ad Confessiones, quia hoc non sit actus iurisdictionis dixerint *Fagundez d. lib.7.cap.1.num.49. Petrus de Palude 4.d.23.q.2.num.17.Nau.cap.placuit.nu.51. vterque Ledesma, Tabiea. Armilla* apud eundem *Fagundez,& Bossius.Rodriq.Pontius apud* Leandrum *vbi sup.q.53.* Tamen negari non potest, quòd sit iurisdictionis functio approbare & licentiare ad confessiones, etiam Regulares, cum hoc conueniat Episcopali officio & illi sit attributum. Ideo excommunicatus non toleratus aut suspensus ab officio pariter non toleratus, cum sit priuatus iurisdictione non potest approbare ad audiendas confessiones *Syluest.v.absolutio 2. num.6. & v. Confessor 2.q.4.Sotus 4.dist.18.q.4. a.3.Victoria de confess. num.152. & de excom.num.341.Ledesma 2.4.q.7.a.5. d.11.Suar.disp.28.sec.5. Sanchez lib.3.de mat.disp.21. a.9. Leander vbi supra q.53.*

240 Nomine etiam ordinarij veniunt Prælati Episcopo inferiores habentes territorium exemptum, & in nulla Episcopali Diœcesi constitutum. Oppositum tamen huius tenuit *Rota decis.331.par.1.Recent.* sed communis sententia tenet Abbates, & Magnos Priores exemptos, & habentes in suos iurisdictionem quasi Episcopalem comprehendi sub nomine Episcopi, in decreto *Concil. Trid.sess.23.c.15.Fagundez præc.2.l.7.c.2.n.55.Suarez tom.4 de Pœnit.disp.28.sec.5. num.3. Campanil, Daluiu, Ricc. Boss. Nauar.* quos sequitur *Barbosa ad d.cap.15.num.28.Tambur. tom.2.disp.6.q.11. Cespedes cap.6.q.104.Donatus q.10.* Nam & probat hoc praxis, & ratio confirmat, quia approbare est actus iurisdictionis, quam præfati habent plenam in suis territorijs. Non defuerunt verò, qui dicerent etiam Generales, aut Prouinciales Religionum posse approbare suos subditos, proue refert *Flauius Cherub. tom.2.* ad Const.133. Pij quinti. Sed omnino constat eos excludi per Concilium Trid & Constit.92. Vrbani VIII. Vnde approbatos à Generalibus, aut Prouincialibus nec posse eligi virtute Bullæ, aut Iubilæi ea *Suarez & Ledesma* tradidit citatus *Leander q.15.* quidquid in contrarium senserint *Ludouicus à Cruce, & Llamas.*

241 De Parocho etiam, quòd in sua Parochia possit approbare simplicem sacerdotem, affirmarunt *Ledesma de sacram.pœnit.cap.12.pos.5. conclus. ver.la segunda sentencia* & apud eum *Io: de Orellana, & Io: Gallef.Ludouicus quæst.6. de pœnit.a.2. diff.15. pag.450.* Referuntur etiam alij, sed immeritò. Idem tamen tenuit *Thomas Hurtado 1.2.resol. trac.12.c.1. §.2.dub.1. num.24. apud Leandrum q.56.* Sed hoc est directè contra Concilium Trident.& Constitut.92. Vrbani octaui, soli enim vel habentes Beneficium Parochiale, vel approbati ab Episcopo possunt audire confessiones secularium, prout tradiderunt *Nugnus in addit. q.8. a.5. d.5. Suarez disp.28. sec.4. num.12.& 13.Fagund. d.lib.7.c.2.num.42.43.Candid.dis.24.a.65.num.4.* & apud ipsum *Sotus, & Villalobos. Diana p.3.tr.4.ref.110.& 146. Bonac. dis.5. q.7.p.4.§.1.num.12.Barbosa de potes.Epis.p.3.all.25. num.13.Leander q.56.* Qui tamen putat contrarium sententiam non esse dignam censura improbabilitatis, qua eam damnant *Suarez, Fagundez & Nugnus, immo & Diana p.10. trac.16. resol.75.* Sed quænam species probabilitatis haberi potest de ea sententia, quæ expressè adeo est contra Concilium Tridentinum.

242 Id verò, quod poterat iam esse dubium, an hic ordinarius à quo petenda est, & obtinenda approbatio sit quilibet Episcopus, vel Episcopus cui subditur confessor, vel Episcopus pœnitentis, vel Episcopus Diœcesis illius in quo confessiones audiuntur, modò res extra cõtrouersiam est. Primã sententiam, quia scilicet sufficiat approbatio alicuius ordinarij, ita quòd Regularis ab vno Episcopo approbatus possit vbique audire secularium confessiones, amplexi sunt plures, quos sequitur refert *Diana p. p. trac.11. ref.7. & p.3. tract.4. ref.110.* & alii etiam apud *Thomam Hurtadum tract.12.cap.1. dub.2. num.1031. & apud Leandrum tr.5.disp.11.q.66.& apud Vericell.q.165.* Quod verò sit necessaria approbatio eius, qui sit ordinarius con-

confessarij voluit *Suarez tom.4. in 3.p. disp.28.sec.6. num.10.et sec.7. num.3. et 8.* quem sequutus est *Fagundez prec.2.l.7. cap.2.num.92.* & alij. Tertiam verò opinionem, quæ dicit esse necessariam approbationem Episcopi pœnitentis tenuerunt multi quos refert Balbastrensis Episcopus in Pastorali *part.2.q.9. n.38.* Cardinalis autem de Lugo de pœnitentia videtur approbare & concordare secundã & tertiam opinionem, docens requiri approbationem illius ordinarij, cui confessarius subordinatur in ordine ad tale ministerium.

243 Sed quarta sententia est iam certa, scilicet, quòd est necessaria approbatio ordinarij illius Diœcesis in qua audiuntur confessiones. Hoc enim primò habetur ex const. 92. Vrbani VIII. in princip. ibi. *Etiam si ab Episcopis Diœcesanis ad id examinati & approbati non fuerint*. Sed hoc clariùs habetur ex Const. Innoc. X. supra relata n. 164. In ea enim constit. Pontifex decernit, Religiosos Societatis nequaquam posse in Diœcesi Angelopolitana secularium confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani. Et ad nonum dubium respondens ait. *Regulares, etiam societatis Iesu in vna diœcesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum secularium audiẽdas nequaquam posse in alia diœcesi huiusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi diœcesani.* Et ad decimum dubium respondens, decernit, Episcopum posse procedere contra Regulares audientes in sua diœcesi confessiones secularium *sine approbatione Episcopi loci*: In Iubilæo etiam Generali quod anno 1656. die 21. Iulij indixit SS. D. N. Alexander VII. non datur facultas eligendi confessarium nisi ex approbatis à locorum ordinarijs; vnde hæc pars modò certa est, & dicendum, illum Ordinarium a quo Regulares debent approbari pro confessionibus secularium esse Ordinarium loci, in quo confessiones audiuntur. Quod tanquam certum, & indubitatum tradit *Diana p.10. tr.14. ref.23. Layman. l.5. tr 6.cap.11. Vericell. de sacris miss. q.161. num.1. & 4. Coton. lib.2. contr.7. cap.4. num.78. Tambur. t.2. d.6. q.14. Donatus tr.4.q.10.*

244 Colligitur ex hac resolutione, quòd non est modò, vnde in virtute priuilegiorum Regulares approbati in vna diœcesi prætendant posse audire confessiones secularium in alia diœcesi, sine approbatione Episcopi, seu ordinarij loci, quoniam nõ posse id fieri est iam declaratum per duos Pontifices Vrbanum Octauum, & Innocentium X. & quamuis recenseantur priuilegia Eugenij IV. pro Minoribus, & Greg. XIII. pro Societate, vt approbati ab vno Ordinario audire possent confessiones in alijs diœcesibus in quibus reperirentur in transitu, si Ordinarij, & Parochi non repugnent; Congregationi etiam Oratorij Romæ dicatur concessum a Sixto quinto, quòd eius presbyteri approbati Romæ, audire possint confessiones vbique locorum sine alia approbatione, quorum priuilegiorum meminit *Diana p 3. trac.2. ref.123.* & latiùs priuilegium Clem. VII. ex collectore refert *Leander à Murcia in cap.7. Regulæ S. Francisci q.8. concl.3. nu.8.* nimirum quòd confessores Ord. Minorum semel præsentati vni Episcopo pro confessionibus audiẽdis non teneantur ampliùs se præsentare etiam si ad aliam transeant diœcesim; Non est inquam vnde Regulares se fundent in his & alijs priuilegijs similibus, quæ omnia reuocata fuere per Vrbanum VIII. in const. 92. vt de priuilegio PP. Oratorij ait *Cespedes. crp.6.q.111.* & per Innoc. X. in dicta Constitut. Angelopolitana. Quàmuis vt aduertunt etiam *Card. de Lugo d. disp.21. num.29. & Coton. d. contr.7. num.78.* illa priuilegia, nunc essent ferè inutilia propter illam clausulam *de cõsensu Ordinarij & Parochorum*, aut similes.

245 Nihilominùs de priuilegio Gregor. XIII. concesso Societati, quo per communicationem frui possunt alij Regulares habentes priuilegium communicationis, aliqua remanet difficultas propter sententiam *Vericelli de sacr. missionib. q.161. nu.3. vbi citato Card. de Lugo de Pœnit. disp.21. sec.2. nu.29. & Diana p.3. tr.2. ref.123. del Beue tract.2. cap.14. dub.8. sec.13. Marco Vidal, & Alphonso de Leon* sustinet, licet sub dubio, dictum priuilegium vigere, & addit consulendam esse Sacr. Congregat. vt cautiùs in re tanta procedatur. Addit etiam quòd in hac sententia non esset necesse petere licentiam à Parocho, sed sufficeret, si non contradiceret. Fundatur verò tum primò, quia lex vniuersalis posterior non derogat priuilegio speciali priori: Lex verò Vrbani octaui in const. 92. reuocat priuilegia audiendi confessiones absolutè sine vlla approbatione Ordinarij, vel audiendi confessiones absolutè sine approbatione Ordinarij, esto hoc sit præsens. Sed noster casus est specialis, scilicet primò supposita approbatione vnius Ordinarij, secundò supposita absentia Ordinarij, tertiò supposita tolerantia Parochorum. Secundò Vrbanus Octauus supponit confessarios temerè audiuisse confessiones; sed in casu posito non temerè audiebant, ergo Vrbanus non loquitur in casu polito.

246 Sed primò malè citatur pro hac sententia *Card. de Lugo, qui dicto num.29.* supponit priuilegium hoc Greg. XIII. sublatum fuisse per Vrbanum Octauum, vnde dicit de præterito, quòd Societas præfatam facultatem habuit; immò ex quo hæc facultas quæ habebatur ex priuilegio fuit remota, arguit ad probandum quòd multò magis ex vi decreti Vrbani Octaui fuit abrogatum id, quod aliqui prætendunt, scilicet quòd approbatus in vno loco sit approbatus vbique; quia si ablatum est, quod licebat ex priuilegio, & ampliùs neque ex priuilegio id licet, quantò minùs de rigore iuris vnica approbatio sufficiet? Sed neque *Diana d. ref.123.* eandem habet sententiam, sed solùm refert quæ disputatiuè habet Alphonsus de Leone. Deinde secundò minimè admitti debet, quòd eo priuilegio non reuocato non esset necesse petere licentiam sed sufficeret si Parochus non contradiceret. Quia ad audiendam confessionem licitè, & validè, non sufficit ratihabitio de futuro, iuxta sententiam communem, & periculosum est etiam inniti ratihabitioni de præsenti. Vnde malè faceret sacerdos si non petita, & non habita licentia Parochi sub spe ratihabitionis confessiones audiret. Præterea tertiò non est vnde non dicatur reuocatum præfatum priuilegium. Quia immò lex noua reuocatoria priuilegiorum, quò est vniuersalior, eò magis ad singula & omnia reuocanda se extendit. Directè autem Vrbani constitutio data est ad reuocanda indulta, & priuilegia audiendi confessiones sine approbatione Ordinarij diœcesani, & ea omnia, & singula reuocat etiam si de illis fieri deberet expres-

sa

ſa mentio. Nec verum eſt, quòd Vrbanus Octauus ſupponat omnes confeſſarios quorum indulta voluit reuocare temere confeſſiones audiuiſſe, ſed hoc aſſerit de illis qui temerè abutebantur priuilegio communicationis. Ideo non reuocauit ſolùm priuilegia præſumpta temerè, ſed verè conceſſa, & quibus priuilegiati licitè vtebantur. Sed præterea quartò hic attendi debet maximè conſtit. Innoc. X. in qua abſolutè ſtatuitur, quòd nullus etiam ſi ex Societate poteſt audire confeſſiones, niſi ſit approbatus ab Epiſcopo diœceſis, vnde in nullo loco intra diœceſim poteſt Regularis audire confeſſiones ſecularium niſi ſit ab Epiſcopo eius diœceſis approbatus. Et ideo præfatum priuilegium Greg. XIII. eſſe reuocatum dixerunt *Lezana p.p.cap.19. num.5. Card.de Lugo vbi ſup. Ceſpedes cap.6.q.111.* vbi quòd Vrbanus omnia & ſingula priuilegia reuocauit, & per hoc arbitratur fuiſſe reuocatum etiam priuilegium conceſſum PP. Oratorij. *Bordon. tom.1. reſol.36.num.52 Donatus tom.4.tr.4.q.22.*

247 Hinc locum non habent, quæ affert *Anton. a Spir.Sancto trac.2.diſp.3.à num.12.* vbi abſolutè docet Regulares approbatos ab vno Epiſcopo dum iter habent poſſe audire confeſſiones de licentia Parochorum, dummodò in eo loco non adſit Ordinarius & num. 12. tanquam probabile adhuc ſuſtinet, quòd approbatus ab vno Ordinario iuxta formam Tridentini manet approbatus pro toto mundo, ex priuil. Clem. VII. pro Minoribus, & Sixti quinti Congregat. Orat. Romæ & ad conſtit. Vrbani VIII. reſpondet num. 14. quòd Pontifex reuocat tantùm priuilegia generalia abſoluendi ſeculares abſque approbatione, & examine Ordinarij & ad Conſtit. Innoc. X. num. 17. dicit, quòd nihil habet, quòd in ijs, ſcilicet ſuis partibus repugnet. Sed & Conſtitut. Vrbani VIII. præcipere vt nullus audiat confeſſiones niſi approbatus ab Epiſcopo diœceſano, & Conſtitut. Innocentij X. eſſe vniuerſalem ad totum orbem legenti eſt manifeſtum, nec haberi poteſt inſtantia. Et propterea bene *Dianu p.10.tr.14.reſ.23.* dixit oppoſitam ſententiam non eſſe probabilem, & eam improbabilem dicit *Vericell.d.num.161.* cum ſit euidenter contrà Pontificũ conſtitut. in quibus ampliſſimè, & efficaciſſimè derogatur priuilegijs Regularium. Vnde non eſt vnde *Leander trac.5. diſp.11. q.66.* diſtinguat inter presbyteros Regulares, & ſeculares, affirmans in iſtis hanc partem eſſe certam, ſed adhuc non eſſe ita certum quòd Regulares approbati in vna diœceſi non ſint approbati vbique. Quia immò hoc eſt clarius de Regularibus, de quibus expreſſiùs loquuntur dictæ Conſt. Vrbani VIII. & Innoc. X. vnde nec ſubſiſtit quòd ex DD. antiquis probat *Tambur.tom.2.d.6.q.13.num.3.* vbi vult, quòd Regulares in locis extra diœceſim vicinis poſſint audire confeſſiones, immò id poſſint abſolutè ex priuilegio Sixti IV. pro minoribus. Omnia enim iſta priuilegia iam ſunt reuocata.

248 Colligitur ſecundò quòd Epiſcopus in ſua Diœc. poteſt ſibi eligere quemcumq; Sacerdotem, qui illum abſoluat quia poteſt illum approbare etiam ſupra tota ſua diœceſi. De Vicario autem Epiſcopi, & ſi apud antiquos fuerit controuerſum an ex vi officij ſui poſſit audire confeſſiones ſiue ſpeciali authoritate ſibi ab Epiſcopo tributa, & multi id negauerint, quos refert *Sanch.l.3.de matr. diſp.29.à num.14.* Tamen dicendum eſt, Vicarium Epiſcopi venire ſub nomine proprij Sacerdotis in *cap.omnis, de pœnit. & remiſſ. Hoſtien.ibi. Io. Andr. num.12. Butr.num.37. Anchar.num.5.Cardin.num.5. Panorm.num.12. Henric. num.28.* ideoq; & ſuorum diœceſanorum confeſſiones audire, & alijs id faciendi licentiam poteſt concedere. *Sylueſt.v.confeſſ. 1.q.1. Ang.v.confeſſio 3.p.3.* Et ex ijs, qui ſcripſerunt poſt Trident. *Nauar.cap placuit d 6.num.62. Sanch. vbi ſupra num 15.* & apud eum *Henriq. Lopez, & Palacios.* Vnde eſt, quod bene ſibi poteſt eligere Confeſſarium, quia & illum poteſt approbare pro aliorum cõfeſſionibus audiendis. *Granad.Boſſ.Villalobos, Machado, Mendo*, quos refert, & ſequitur *Leander à SS.Sacram. tract.5. diſp. 11. q.29.* Sed ſi Epiſcopus vel nullum habeat territorium, vel ſit extra illud poteſt quidem Epiſcopus pro ſua diœc. Sacerdotem ſibi non ſubditum approbare, qui in ea diœc. cõfeſſiones poterit audire, vt Epiſc. Oſtien. Romæ exiſtens poteſt Sacerdotem Romanum approbare pro diœc. Oſtien. *Paſqual.deciſ.66.num.1. Card.de Lugo de pœnit.d.ſp.21 ſeſſ.2.num.37.* Sed tamen ille ſic approbatus non poterit Romæ nec ipſius Epiſcopi confeſſiones audire, quia ille Sacerdos non eſt approbatus ab Epiſcopo loci.

249 Nec obſtat, quòd Epiſcopus poſſit ſibi eligere Confeſſorem, ex *cap.final.de pœnit. & remiſſ.* Quia hic cõfeſſor debet eſſe ex approbatis ab Epiſcopo loci, prout declaraſſe Gregor. XIII. refert *Leander vbi ſupra q.28.* & retulerat prius *Quaranta v. Archiep. author.nu.12.* per hæc verba. *S. D.N. audita relatione Congregationis declarauit Epiſcopum vigore priuilegij de quo in cap. final. de pœnit. & remiſſ. non poſſe ſibi eligere Sacerdotem, ſibi non ſubditum qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam huius decreti admiſſus; ſeu approbatus ad audiendas confeſſiones. Suarez diſp.28.ſect.6.num.7. Cardin. de Lugo d num.37. Nauar. Riccius, & alij plures*, quos refert, & ſequitur *Diana 3.p.trac.2.reſol.3.Candidus diſquiſ.24.artic.65.num.12.Banac. Gaſpar Hurtado, Thomas Hurtado, & alij plures* apud *Leandrum vbi ſupra q.28. Donatus d.tr.4 q.9.* Etenim vt conſiderat *Illuſtriſſ. Fagnanus ad d.cap.fin. nu.10.* Quando ſimpliciter datur licentia Parochiano eligendi confeſſorem, non poteſt eligi niſi is, qui habet executionem, vt puta curatus. *Gloſſ.in c.omnis de pœnit. & remiſſ. Panorm.in d.cap. Omnis num.14. Gloſſ.in Clem.1. in verbo ſpecialis de priuil. & ibid.Card.q.33. & idem Card.in Clem.1.q.14.de off. Vicarij.* Etenim nec poteſt prorogari iuriſdictio illius, qui eam non habet, Sacerdos verò non approbatus ab Ordinario loci iuriſdictionem non habet, qui verò elegit Sacerdotem in Confeſſorem prorogat eius iuriſdictionem. Et propterea etiam *Panorm.ad d.cap.fin. in fine, & Capell. Theloſ. dec.222.* etiam ante Concilium dixerunt Epiſcopum non poſſe extra ſuam diœc. eligere ſibi Confeſſorem niſi vel Parochum, aut alias approbatum.

250 Hinc ſequitur non eſſe eandem rationem de Prælatis Regularibus etiam localibus quibus ex priuileg. *cap.fin.de pœnit. & remiſſ.* conuenit poſſe ſibi eligere Confeſſarium per *Palud.in 4. d.17.q.3. ar.2. Sylu v.Confeſſ.1.§.5. D. Anton.3.p.tit.17.cap.2. §.3. Sot.4 d.18.q.4. a.2. Armill. v.abſolutio num.15. Ledeſm.p.2.q.22.cap.1. d 19. Adrian. Valen. Henriq. Sigiſm. à Bonona* quos refert & ſequitur *Tambur.*

de

de iure Abb.disp.6.q.10.num.2.Diana, Boss. Vasquez, Hurtad.Villalob.Toletus, Fagundez, quos dat & sequitur *Leander d.disp.11.nu.32. Pasqual. dec.*98. Et de Episcopis. Nam licet Episcopi extra diœcesim non possint sibi eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo loci, hoc tamen possunt facere Prælati Regulares non obstante decreto Concilij Trident. quod expresse loquitur de confessionibus secularium. Ideo nec obstat declaratio illa Gregor.XIII.quæ data est ad intelligentiam Concilij Trid. & in eisdem terminis loquitur *Tambur. vbi supra num.12.* & apud eum *Marches.& Fagundez Peyr. in Prælat. Regul. quæst.1. cap.4. Pasqual. dec.96.num.3.* Solùm Regulares Prælati attendere debent, ne contra suas leges, confiteantur Sacerdotibus secularibus, aut alterius Ordinis. At verò Episcopi non possunt sibi eligere extra diœcesim Confessarium qui ab Ordinario loci non sit approbatus. *vt citati D D. docent.*

251 Distinguit verò *Card de Lugo* inter subditum Episcopo, & non subditum, & putat quòd Episcop.Ostien. existens Tusculi possit Sacerdotem sibi subditum approbare, & ab eo absolui. Et hoc extendit adhoc vt Episcopus Ostien. existens Tusculi possit absolui à Sacerdote diœc. Prænestinæ à suo Episcopo approbato. Sed hoc dicitur quidem ab eo consequenter, quia putat Confessarium debere esse approbatum ab Ordinario Confessoris, vel cui subdatur Confessor. Sed hoc non subsistit. cũ Confessarius debeat esse approbatus ab Episcopo loci. Ideo Episc.Ostien. Tusculi existens nec à suo subdito, nec ab alio potest absolui, nisi ab approbato ab Episc.Tusculi, vel à suo Confessario Ordinario. Et si quis interroget, ad quid ergo prosit Episcopis priuilegium eis concessum in *d.cap. final.* Respondet Illustriss.Fagnanus, quòd prodest, tum quia ex vi illius potest confiteri habentibus beneficium parochiale, & quibuslibet Sacerdotibus approbatis etiam secularibus, licet quantùm sit ex iure communi isti personas alterius diœcesis audire non possint, & absoluere. Secundò iuuat, quia potest absolui à suo solito, & Ordinario Confessario etiam non approbato ab Episcopo loci, quia ille censetur esse veluti Parochus, & Confessor Ordinarius ipsius Episcopi, & ideo ab eo vbique locorum potest absolui.

252 Sed vt verum fatear, si non adesset declaratio præfatæ Sacræ Congregat. Concilij roborata Gregor.XIII. beneplacito, ego oppositam sententiã sequerer quam tenuerunt *Valerius, Graffius, Bossius, Coriclan. Villalobos* apud *Leandrum de pœnit. tract.5.disp 11.q.27.* vbi eam probabilem putat, & quam sequitur *Pasqual. decis.85.num.4. & decis.86.* Et ratio est. Tum quia Concilium nõ loquitur nisi de eorum confessionibus, qui subditi sunt iurisdictioni Episcopi Diœcesani, vnde ex communi sententia, vt dictum est supra non loquitur de confessionibus regularium, qui de licentia suorum Prælatorum possunt cuicumq; Sacerdoti confiteri peccata sua, & absolui. Et hic quoque probatum est, Prælatos regulares posse sibi eligere Confessorem ex non approbatis ab Episcopo. Quòd si dicatur non esse eandem rationem, quia Concilium expressè loquitur de Confessionibus secularium etiam Sacerdotum, vnde non comprehenduntur regularium Confessiones, sed bene Episcoporum, qui sunt Sacerdotes seculares. Replicatur, & immò ex hoc secundo probatur intentum, quia sub nomine Sacerdotum sic absolutè, & simpliciter prolato non veniunt Episcopi. Licet enim & ipsi sint Sacerdotes, tamen ratione consecrationis, & ordinis Episcopalis, & dignitatis constituuntur in speciali ordine superiori, vnde non veniunt sub appellatione ordinis inferioris maximè in pœnalibus, quia odia sunt restringenda, *cap. odia, de reg. iuris in sexto.* Confessiones igitur Episcoporum nõ comprehenduntur sub decreto Conc. Trid. Nihilominùs quia tot testibus mihi comprobatur existentia dictæ declarationis Sac.Congregat. & confirmationis Gregor.XIII. vt eam negare non possim ab ea priori sententia non recedo. Sed Domini Cardinales & Episcopi bene sciunt quid illis competat ratione alicuius consuetudinis, aut alterius priuilegij. Et nunc inspectio nostra non respicit nisi id quod exigit necessitas approbationis Episcopi diœcesſ. pro audiendis confessionibus secularium etiam Sacerdotum.

253 Colligitur tertiò discrimen esse inter Parochos, & simplices Confessarios; quia Parochi vbique terrarum suos Parochianos absoluere possunt. Ipsi enim ordinaria authoritate absoluunt, & cum actus absoluendi sacramentaliter sit actus iurisdictionis voluntariæ, potest etiam in alieno territorio exerceri. *l. 1. ff. de off. Proconf. Gloss. in cap. Nouit. de off. legat. Calder. conf.468. in princip. qui filij sint legit.* ob quam rationem ita concludit, *Hostien.in sum de pœnit. §. cui confitendum, num.54. Hostien.in sum.l.5.tit.14.§ cui presbytero est confitendum q.4. Nauar.in cap. Placuit, nu.64.de pœnit.dist.6. Capic.dec.103.num.14. Suarez disp.25.sect.1. n.17. Pasqual.centur 2.q.198. vbi plures D D. refert Card. de Lugo de pœnit. disp.19.nu.8.Syluest. Armilla Azor. Henriq. & alijs* quos sequitur *Leander vbi supra q.41.*

254 Qui tamen idem sentit de eo, qui absoluit authoritate delegata, & hanc dicit esse sententiam communem, & idem sentit *Donatus tom.4. tract.4.q.27. ex Soto 4.d. 18. q.4.a.3. col.8.* Sed tamẽ nec est communis nec vera hæc sententia; vnde nec Sacerdotes seculares neque Regulares extra diœc. in qua fuerunt approbati possunt audire confessiones subditorum eiusdem diœc. nisi ab Ordinario loci in quo sunt, approbati sint, vt tanquam pluries declaratum à Sac. Congr. Concilij docet *Illustriss. Fagnanus ad d.cap.fin. n.26. Tambur. verò tom.2.disp. 6.q.14.nu.3.* tenens, quòd Regulares extra diœcesſ. possint audire cõfessiones secularium spectantium ad eam diœc. in qua ipsi sunt approbati, se fundat in quodam priuilegio Sixti IV. concesso Minoribus de quo ait mentionem facere *Nauar.cap.27.n.166.* Sed illud priuilegiũ quod habetur apud *Cæsarub. v. absolutio*, quoad seculares, *num. 11.* est viuæ vocis oraculum, vnde non suffragatur, & dato quòd esset Bullatum, esset alia ratione reuocatum per præfatas Constitutiones. Et DD. quos pro se allegat *nu.4.* cum scripserint ante nouas Constitutiones, non sunt modò pro *Tambur.* sententia allegandi. Pro qua nec facit priuilegium Greg. *XIII.* pro Societate, vt est probatum. In specie verò quòd non possimus vti priuilegio cõcesso Congregationi Oratorij Romæ tradunt *Donat. d.tr.4. q.8.* Et de priuilegio concesso Societati idẽ docet *q.22.*

Col-

155 Colligitur quartò, quid sit dicendum de Parocho, an scilicet ipse Parochum alterius diœc. possit in sua Parochia approbare ad audiendas cōfessiones suorum Parochianorum. Hoc enim difficultatem habere videtur ex eo, quòd secundùm Concilium habens beneficium Parochiale potest audire cōfessiones, Parochus verò haber beneficiū Parochiale. Secundò quia Parochiale beneficium videtur posse æquiparari examini & approbationi Episcopali. Et quidem si vera esset illa sententia, quòd approbatio ad confessiones audiendas debet haberi ab Episcopo Confessarij consequenter dicendum esset, Parochum in vna diœcesi approbatum, manente officio posse extra diœcesim, non dissentientibus Parochis vbique audire confessiones. Et propterea Parochum in sua Parochia posse admittere Parochum alterius diœcesis ad confessiones audiendas, dixit *Suarez disp.28.sect.4.* & idē censerunt *Fagundez d.l.7.c.2.nu.35. & 36. Filliuc. & Toletus* quos sequitur *Diana par.3. tr.4.res.146.* Candid.*disp.24.ar 65. nu.10. Hurtado, Aegidius, & Henriq.* quos sequitur *Leander d. disp.11. q.58.* Sed in contrarium adest declaratio Congreg.Concilij, quam refert *Fagundez in 2.prae.lib.7.cap.2.* in hæc verba. *An obtinens Parochiale beneficium, vbique censendus sit idoneus, absque alia Episcoporum approbatione, ita quòd audire possit confessiones eorum, qui habent consensum suorum Parochorum? Congregatio respondit non posse; Concilium enim debet intelligi de habente beneficium Parochiale in diœcesi.* Quòd enim Concilium prætendit est, quòd nullus in diœcesi administret Sacramentum Pœnitentiæ omnibus Episcopi, qui Episcopo sit quantùm ad sufficientiam, & idoneitatem incognitus, & ideo permittit, quòd ille tantùm possit audire confessiones secularium, qui vel in diœcesi obtinet beneficium Parochiale (quod non euenit sine Episcopi scientia, experientia, & iudicio) vel sit ab Episcopo approbatus. Et ideo hanc partem tenuerunt *Gutier.l ib.1.quæst. Canon.cap.27.& Petrus de Leone de off.& potest.Confes. tom.2. renel.4.num.79. apud Dianam 3.par. tract.4. resol.146.*

156 Colligitur quintò, ex hoc quòd nedum, vt vult *Leander q.59.* non est probabilius quòd Sacerdos approbatus à suo Ordinario possit in aliena diœcesi approbari à quocumque Parocho, & de eius consensu Parochianorum suorum confessiones audire, sed neque id est probabile, vt aduertit *Diana part. 10. tractat. 16. resolut.75.* Principium enim illud, quòd approbatio necessaria ex vi Concilij sit approbatio ab Episcopo Confessarij habita, causa fuit errandi ijs, qui tale principium amplexi sunt: Sed iam est certum hanc approbationem habendam esse ab Episcopo diœcesano, seu loci illius in quo habetur confessio. Ideo nunc Parochos nullum nō approbatum in propria diœcesi posse admittere ad confessiones audiendas in sua Parochia præter *Petrum de Leone, & Gutier.* dixerunt *Nugnus in add. ad 3. par.8. artic. 5. dub.7. ad quartum, Vasquez. quæst. 93. art. 3. d.4. Suarez. disput.28. numer.12. & 13. Fagundez 2.præc. lib.7. cap. 2. num.42. & 43.* vbi quòd opposita sententia nec est tuta, nec practicè probabilis. *Martinus de S.Ioseph, in Mon. Confes. tom. 1. lib.1. tract.24. num.5.* vbi quòd hæc est communis opinio *la contraria tiene mas poco de probabilitad, Verricell.de mission.q.161. n.5. Hurtado, Ochagauia, Mendo, & Rodriq.* apud eundem *Leandrum*, & quicumq; sentiunt Confessorem debere esse ab Episcopo loci approbatum. Nec admitti debet aliqua exceptio vt Parochus saltem in hebdomada sancta, vel tempore Iubilæi cum est multùm defatigatus, possit sumere à Sacerdote etiam non exposito auxilium, quòd affirmasse *Henriq.& Ludouicum à Cruce* refert *Diana disp.10.tr.16.res.75.* Nam Parochus non potest supra decretum Concilij, & Pontificum, qui omnino prohibent à confessionibus audiendis non approbatum ab Episcopo diœcesano, & ita ex *Trullench.* tenent idem *Diana*.

157 Colligitur sextò, Parochum extra suam diœcesim nec esse eligibilem virtute Bullæ, aut Iubilæi, quia non est in ea diœcesi approbatus & non approbatus à diœcesano nequit confessiones audire.

158 Colligitur septimò, quòd Parochus, qui renunciauit officio, vel ex quacumque causa iam non habet Parochiale beneficium, non potest sine noua approbatione Episcopi confessiones audire. Quidquid enim *Rodriq. Villalobos, Mendo, & Basilius* quos sequitur *Leander d. disp.11.q.65.* dixerint talem Parochum esse eligibilem virtute Bullæ, quia etsi desit in illo iurisdictio, remanet approbatio, per quam si fuit idoneus ad Parochiale ministeriū remanet quoque idoneus ad audiendas confessiones cum hoc sit pars quædam Parochialis officij. Bulla verò non supponit in Confessore iurisdictionem, sed illam dat, supponit verò approbationem quod, inquam, sic dicitur, non subsistit. Nam in proposito est necessarium vt confessor vel sit actu Parochus, vel sit ad confessiones approbatus. Hic verò non est actu Parochus cum de facto beneficiū Parochiale non habeat; vt vult Concilium, ibi, *nisi aut Parochiale beneficium habeat*, nimirū actu, & de præsenti, nulla ergo quæcumq; alia habita approbatio illi suffragatur; cum non habēti actu Parochiale beneficium sit necessaria approbatio habita ab Episcopo pro confessionibus audiendis. *Suarez de pœnit.disp.28.sect.4.num.20. Fagund. in 2.præcep.l.7.c.2.num.38. Reginald.& Filliuc.* quos sequitur *Diana p.p.tr.11.resol.8.& p.5.tr.12. res.47. Trullench. Ludouicus, Granado, Hurtado, Bossius & alij apud d. Leandrū d.q.65. Card de Lugo dist.21.n.8.*

159 Sed quid dicendum si Parochus sit Regularis, qui à Prælato suo amoueatur à Parochiali officio potest ne iste confessiones audire, sine noua approbatione? Negat *Bordon resol.7. num. 47.* quia Parochus non habet licentiam nisi ex officio Parochiali, vnde eo cessante cessat licentia. Sed ex *Peyr.& Ricc.* affirmat *Donatus d. tr.4. q.6.* Tum primò, quia semel approbatus ad curam animarū non potest iterum ad illam examinari. *arg.cap. accepimus, de ætat.& qualit. adiuncta gloss.in v.reputare.* Vbi dicit, *quòd qui reputatur dignus in vna dignitate, si postea eligatur ad alteram, etiam tunc dignus debet reputari*; igitur in casu nostro non obstante amotione à Parochiali, remotus remanet & debet dignus reputari. Tum quia hic Religiosus non minùs, quàm alij fuit reputatus dignus, & approbatus simpliciter igitur non indiget iterum approbari. Et eò magis, quòd Regularis approbatus simpliciter discedens à diœc. & postea rediens, non debet iterum subijci examini. Tum quia ideo Re-

Religiosus sic amotus virtute Iubilæi potest eligi in confessarium tanquam approbatus ab Ordinario, vt docent communiter DD. quos refert & sequitur *Cardin. de Lugo de Pœnitent. disput.21. sec.1.* Verùm res hæc non est tam absolutè vera vt sine distinctione sit determinanda. Nam primò si remoueatur Regularis Parochus à suo superiori ex causa concernente rectum vsum Sacramenti Pœnitentiæ, quia ad illius administrationem non sit idoneus, talis à superiore nedum debet priuari officio curæ Parochialis, sed suspendi ab officio Cõfessarij. Qua suspensione stante non poterit ritè, & validè confessiones audire, quia ad id non habet iurisdictionem, cum sit legitimè à Confessarij officio suspensus. Sed etiam dato quòd non sit suspẽsus à confessionibus, & immò quòd ob alias causas sit remotus ab officio Parochi, etiam ipso petente, videndum est, qualiter fuit approbatus ab Episcopo. Si enim fuit approbatus ad confessiones simpliciter tanquam Regularis, & non tanquã Parochus, eadem est ratio de illo, & de alijs Regularibus, & sine dubio etiam si remoueatur ab officio Parochi, potest audire confessiones. Quod idem dicitur si fuit approbatus ad beneplacitum, vel etiam ad certum tempus, quod potest confessiones audire, donec Episcopus reuocauerit licentiam, vel respectiuè donec expletum fuerit tempus pro quo approbationem habuit. Sed si fuit approbatus limitatè pro officio Parochiali, & dependenter ab eo, seu pro tempore, quo erit Parochus cessante officio Parochiali cessat facultas confessiones audiendi, quæ pro eo tempore fuit limitata. Et ideò videndum est an licentia sit data sub conditione officij Parochialis; nã tunc deficiente officio, & cõditione deficit licẽtia, vel licet sit data occasione officij Parochialis est tamẽ data vel simpliciter, vel ad beneplacitum, vel ad tempus determinatum, & tunc tenor licentiæ seruari debet. Nec contra hoc militant rationes allatæ: quamuis prima nec probet intentum, quia supponit quòd approbari dicat solum iudicium de idoneitate, & dignitate, quod potest esse perpetuum, cum tamen approbatio vt supra nu.190. est probatum dicat liberum voluntatis Episcopi consensum, & licentiã, quæ nõ durat nisi quantùm Episcopus voluit illam durare. Secundum autem supponit rem contingentem, quia potest esse quòd Episcopus non approbet simpliciter hunc cui Parochiale officium committitur, & tertium innititur opinioni non veræ, si intendit, quòd vi Iubilæi possit eligi qui fuit approbatus, si pro eo tunc, non est approbatus, & non potest confessiones audire.

260 Colligitur octauò, responsio ad aliquas difficultates particulares, quæ accidere possunt in hac materia. Primò quidem, quòd licet non defuerint, qui dixerint etiam post Tridentinum valere consuetudinem, vt Sacerdoti semel ab aliquo Episcopo approbato, possint alij Sacerdotes confiteri, & ab eo absolui. *Candidus tom.2.disq.24.art.55.dub.7. Nauarr. cap. placuit num.43. de pœnit. d.6. Beia par.4. casu 5.* quos cum alijs recenset *Vericell. de sac. Miss. q.153. num.2.* qui tamen omnes hoc non docent, quia aliud est, quòd Sacerdos possit sibi eligere Confessarium ex approbatis, quod plures docent, & consuetudine est comprobatum, & aliud est, quod possint sibi eligere Confessarium ex approbatis ab Episcopo alieno seu ex semel approbatis ab aliquo Episcopo, quòd non dicunt *Layman. Coninch, & Palaus in verbis ab eadem Vericell. relatis.* Et tamen licet id dixissent, non essent sequendi, quia etiam Sacerdotes non nisi à Sacerdote approbato in ea diœc. vbi auditur confessio validè absolui possunt. *Vericel. ibid. num.3.* Secundò, quòd licet sufficiat, quòd Confessor sit approbatus ab Episcopo loci in quo habetur confessio, etiam si Episcopus non sit Ordinarius Episcopus pœnitentis, vnde peregrini validè absoluantur à Sacerdote approbato ab Episcopo diœces. nisi aliud obstet. *Barbos. de off. Episc. alleg.25. num.30. Nauar. cap.27. num.266. vers. sextum, Layman l.5. tr.6. c.11. num.9. Gutierez, Quaranta, Coninch, Rodriq. & Vgolin.* quos sequitur *Vericel. de sacr. Miss. q.155. num.1.* tamen vbi in eodem loco sunt plures Episcopi ritus diuersi, nimirum vnus Latinus, & alter Græcus, non potest Latinus confiteri Sacerdoti approbato ab Episcopo Græco, quia ille non est Ordinarius pro Latinis. Quando enim tempore Innocentij Tertij fuerunt creati alij Patriarchæ, & Episcopi pro Vrbibus Græcorum, fuerunt tunc diuisæ iurisdictiones, & fuit Antistitum Græcorum limitata iurisdictio, vt non se extenderet ad latinos, quibus semper fuerunt infensissimi, & sic fictione iuris cõstitutę, fuerunt veluti duæ diœc. & pro latinis diœcesanus Episcopus est Episcopus latinus. Et præterea non est verisimile, quòd Concilium Tridentinum pro latinis voluerit acquiescere iudicio Episcopi græci. *Vericell. de sacr. Miss. q.155. num.7. vbi nu.8.* hoc comprobat ex Bulla Clem. VIII. data 31. Augusti 1595. quæ est de cõmunicatione latinorũ cum Græcis, & affertur à *Thoma de Iesu Maria de conuers. gent. l.6. p.2. c.7.* in qua sic habetur *In casu necessitatis Presbyt. Græci Catholici possint Latinos absoluere;* igitur per locũ à contrario sẽsu colligitur, quòd extra casum necessitatis id fieri non possit.

261 Tertiò in mari vbi nauis habeat Capellanum, omnes Nautæ ei veluti Parocho confiteri possunt, vbicumq; sit nauis, quia ille est proprius Nautarum Parochus. *Vericell. ibid. q.156.* Et idem in Capellano cohortis militum dixit *Layman lib.5. tr.6. c.10. num.5.* Nauis verò Capellanum potest instituere nedum Episcopus Ciuitatis, aut loci, cuius est nauis, sed vbi forsan nauis sit alienius infidelis & Incara, poterit Episcopus quilibet pro suis subditis Capellanum instituere, illumque sui Vicarium creare. Vel si ferè omnes sint subditi Episcopi cuius ille poterit naui Capellanum absolutè dare, qui sit veluti Parochus totius nauis. Non decet enim nauim ad longum iter discedere sine Parocho, aut Capellano. Si ergo nauis non pertineat ad diœcesim Episcopi & nihilominùs in ea discessuri sint ferè omnes, vel maior pars sui subditi, poterit ei Naui Capellanum dare. Addit verò *Vericell. nu.2.* quod hoc idem poterit fieri à quocumque Episcopo in cuius diœcesi nauis etiam per breuissimum tempus maneat. Ita *Vericell. num.2.* Quod tamen habet difficultatem; quia Nautæ illi non sunt subditi illius Episcopi absolutè, sed pro quanto manent in eius diœcesi, sic interpretante consuetudine sunt subditi eius quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ; non potest Episcopus ergo ad non subditos suos extendere iurisdictionem suam vltra terminos suæ diœcesis, & dare illis Parochum abso-

lutè, & simpliciter. Potest ergo Episcopus dare Naui peregrinæ Sacerdotem, qui illis administret Sacramenta intra suam diœcesim; sed ex hoc non sequitur, quòd possit illi dare Parochum absolutè. Nisi dicamus id fieri posse ex interpretatiua voluntate Episcopi proprij, cui gratum sit, vt naui peregrinæ nō habenti Capellanum detur Capellanus ab Episcopo ad cuius portum appulerit, ne subditi sui sine proprio Sacerdote maneant. Quod locum non haberet, si fraus aliqua ex parte nautarum in hoc interueniret. Sed si nauis Capellanum non habeat, tunc nautæ non possunt cōfiteri,& absolui nisi ab approbato ab Episcopo loci in cuius diœcesi nauis inuenitur. Putat verò *Vericell.* quòd diœcesis Episcopi per mare se extēdat ad centum milliaria, quia centum milliaria per mare non faciunt magnam distantiam, cum iter per mare ad centum milliaria nec sit duorum dierum regulariter, & ideò iurisdictionem iudicis secularis extendi per mare sibi conterminum ad centum milliaria, dixerunt *Bartol.in tract.de Insula §.Nullius, num.1. Angelus, & Castrens.in l.Insula ff. de iudic.Idem Castren.in l.Cæsar num.5.ff.de publican. & in l.deprecatio num.3.& 4.ff ad legem Rhodiam de iact. Cepol. de seruit. rust.prædiorum cap.26. n.12. & 23. Felin.in cap Rodulphus num.7.in 4 declar. de rescrip.& in cap.ad liberandum in princip..de Iudæis, Regens.Constantius ad 11.lib.Cod.tit.de Classicis n.19. Tapia dec.33.n.4.volum.1.* & alij plures apud eundem *Vericell.* Si ergo iurisdictio iudicis secularis se extendit ad centum milliaria, ad tantam distantiā etiam se extendet diœcesis. Addit verò *num.7.*quòd si nauis sit in eadem distantia à duabus diœcesibus poterit nauta confiteri cuilibet ex approbatis in illis diœcesibus. Et quòd si inceperit confessionem in vna diœcesi postea pertranseunte naui ad alteram diœcesis districtum poterit perfici confessio. Verùm hæc nec multùm certa sunt, nec multùm ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem possunt accommodari. Quod enim mare de iure cōmuni sit de iure gentium tradit *Francus in cap.vbi periculum, num.7. ex instit. de rerum diuis.* & quòd mare non censeatur de alicuius territorio, aduertit idem *Francus ex Baldo.* Nihilominùs admisso,quòd mare sit de territorio & districtu ciuitatis maritimæ, quod est de iure Canonico,*cap.licet.* De Ferijs non credo quòd in spiritualibus, & fauorabilibus, & quantùm ad Sacramentorum administrationem territorium maritimum sit limitandum per milliaria, sed quòd seruanda sit regula, quæ habetur ex *cap.licet* De ferijs, vbi statuitur, quod decima piscationis detur Ecclesiæ circumpositis. Vnde mare censendum erit illius diœcesis quòd est circumpositum terrestri diœcesi alicuius Ecclesiæ & illi est propinquius, quantùmcumque distet aduersus diœcesi, vel multùm, vel parùm. Quod enim non sit restringenda diœcesis ad centum milliaria, id probo primò, quia Ecclesia non est restringenda legibus iuris ciuilis contentiosi,& terminis iurisdictionis temporalis cum videamus diœces. quamplurimas ad plures temporales iurisdictiones extendi. Augusta Abbatia Nonantulæ ad quam spectat Patria mea Sextula habet Ecclesias per quam plures mundi partes, Cremonæ habet Ecclesiam S.Syluestri,licet Cremona sit Ducatus Mediolanen.& Nonantula Ducatus Mutinen. Non ergo ex limitibus iurisdictionis ciuilis limitandæ sunt diœceses. Et addo, quòd vt fatetur idem *Vercell.q.157. Angelus in l.Insula ff de iudicus, vbi Castrens. Idem Angelus in l.sanè, si maris, ff.de iniurijs Felin. in cap. Rodulphus num.7.de rescript.Marsilius in l. final.num. 183. ff.de iurisdict. omn. Iudicum, & tractatu de bannitis, v.delictis num.79.qui citant textum in l.t. C.de Classicis lib.11. Rodericus Suarez alleg.18.num.9. Horatius Montanus de Regal. in. potestas constituen. magis. num.13.Merolla tom.3.disp.7.cap.1.dub.1 t num.141.* sustinent, quòd delictum in alto mari commissum vltra centum milliaria debet puniri à iudice, seu Præside loci vicinioris. Et licet alij oppositum sentiant, & putent, quod mare vltra centum milliaria sit vel iurisdictionis supremi Principis, vel nullius, quod idem *Vericell.* putat voluisse *Bartol. in tract.de Insula v.nullius Cepolla tract.de seruit. tit. de mari num.20.Regens Constant.ad lib.11.Cod.tit. de Classicis num.19.Tapia dec.22. num.4. Regens Franciscus à Pacto de potest. Proregis tit.1 t nu.3 t. & alij* quos ibidem refert,tamen hinc patet, quòd ex his non potuerunt sumere regulam certam pro iurisdictione spirituali, sed ex sacris Canonibus res hæc est explicanda. Et cum ex piscatione etiam facta in alto mari debeantur decimæ in terminis *d. cap. licet de Ferijs*, quia ibi textus absolutè loquitur,& hæ debeantur Ecclesijs circumpositis,hæc est vnica regula in accipienda iurisdictione diœcesis super mare, vt illud sit eius diœcesis cuius Ecclesia cum suo terrestri territorio illi circumponitur, vel cui Ecclesiæ circumponitur mare nō attenta determinata distantia milliarium. Accedit quod Insula censetur esse illius Prouinciæ, diœc. aut Parochiæ cui magis accedit *l.inter.l.ergo, l.insula,ff.de acquir. rerum domin.* Et ità quòd si in insula nouale appareat, decimæ proximiori Ecclesiæ dandæ sint *Fagnan.cap. Quoniam.De decimis num.12.* vbi quærens an in his casibus spectanda sit propinquitas diœc, vel Ecclesiæ, aduertit *Gloss. cum Card.* non facere mentionem nisi de Prouincia,Italicum verò considerare Prouinciam,diœc. Parochiam,& ripas,nulla facta mentione Ecclesiæ, Butrium verò facere mentionem Ecclesiæ tantùm. Sed ipse lectorem remittit ad scripta ab eo in *cap.Nullus num.23.24. & 25. de Parochi.* vbi vult hanc propinquitatem attendi debere respectu Ecclesiæ,Cathedr.iuxta dicta in simili casu à Concil.Trid.sess.24.cap.9. de reformat. Vbi Ecclesias exemptas subijcit visitationi Episcopi cuius Cathedrali illæ sunt propinquiores. Et ita in proposito faciliùs iurisdictionis spiritualis extensio intra mare metiebitur, & securiùs, si attendatur proximitas non ad prouinciam, sed ad Ecclesiam, & non ad ripas maris, quæ inæquales valdè sunt, sed ad Ecclesiam Cathedralem, vt mare ad quamcumque altitudinem semper sit illius diœc. cuius Ecclesia Cathedralis est proximior. Verùm his sic consideratis non est facilè hanc doctrinam ad praxim reducere; quia Nautæ nauigātes altum mare quomodo cognoscent se esse propinquiores huic, vel alteri Ecclesiæ, aut diœcesi? Vbi igitur Nauis sit in portu, vel circa litus,& certum esse potest, in qua diœcesi Nautæ sint, si non habent Capellanum, non possunt confiteri nisi Sacerdoti ab Episcopo diœcesano approbato. Et dū sunt in alto mari & extra distantiam centum milliarium à quocumque diœc: non per hoc extra ne-

cessi-

cessitatem confiteri possunt cuicumque Sacerdoti, vt bene etiam admittit *Vericell. q.155*. Et ratio est nedum quia talis est praxis & consuetudo Ecclesiæ, & nautarum, sed quia etiam sunt sub aliqua diœcesi, si nauigant mare ad cuius litora & terras sint Ecclesiæ & diœceses. Sed Nautæ, qui longum iter & ad mare altum habituri sunt debent omnino procurare vt habeant Capellanum, immò Capellanos, quibus confiteri possint peccata sua. Et audio quòd in Portugallia, vbi Naues iter Indicum conficere debent, consuetum est quòd Episcopus omnibus sacerdotibus idoneis det facultatem audiendi Nautarum confessiones, & hoc potest facere Episcopus, quia potest tot Vicarios suos assumere, quos iudicat opportunos,& suis ouibus non vnum sed plures veluti Parochos attribuere, quanuis vni præ alijs maiorem auctoritatem conferre possit. Vel etiam alicubi est Capellanus, qui dicitur maior, vt Neapoli, qui habet facultatem approbandi confessarios pro nauibus, & triremibus, & tot mittit, quos iudicat opportunos, seu necessarios. Et licet dictum sit, quòd confessarius approbatus in vna Diœcesi subditos eiusdem Diœcesis extra illam nō potest audire, & absoluere. Hoc fallit si Episcopus confessarium, qui cum suis subditis habiturus est iter, constituit suum Vicarium, & delegat ei hoc modo quasi curam Parochialem illorum quod potest facere.

SVMMARIVM.

1 *Episcopum non teneri, vel teneri ex iustitia approbare Regulares ad Confess. qui sentiant. n.262.*
2 *Episcopus vt fidelis dispensator nullum potest vel approbare, vel reprobare nisi ex iusta causa ex vtilitate Ecclesiæ petita. n.263.*
3 *Executor non agit nisi ex causæ cognitione. numer.264.*
4 *Episcopi in approbandis Regularibus sunt executores gratiæ Apostolicæ. n.264.*
5 *Episcopus non nisi ex causa potest Regulares sibi præsentatos vel non admittere ad examen, vel examinatos non approbare. n.256.*
6 *Non est in libertate Episcopi gratiam à Papa factam Regularibus sine causa negare. n.266.*
7 *Episcopus peccat si sine causa negat Regularibus approbationem. n.267.*
8 *Regulares reprobati possunt appellare. n.267.*

262 DVbitatur nono, An Episcopi habeant liberam facultatem approbandi,& non approbandi Regulares à suis superioribus deputatos ad audiendas secularium confessiones, ab eis præsentatos? Nam si Regulares non sint approbati à suis superioribus, & Episcopo præsentati vel expressè, vel interpretatiuè, quia non accedunt cum licentia sui superioris, Episcopus illos nec potest licitè, immò vt supra nu.221.probatum est, nec validè approbare. Sed quæstio est de approbatis, & præsentatis à suis superioribus. Est verò duplex sententia. Prima stat pro libertate Episcopi, & vult quòd Episcopus non teneatur Regulares ad confessiones approbare, etiam si aliàs eos inueniat idoneos,& quòd sit in libertate eius illos approbare & reprobare etiam sine causa. Ita sensit *Didacus Antonius Frances Episcopus Babastrensis in Pastorali p.2.q.20.num.10.& sequent.*& apud eum *ibid. nu.13.Hurtado de Pœnit.disp.10.difficul.19.* Probatur primò, quia nullo iure necessitatur Episcopus ad hunc vel illū approbandum pro confessionibus audiendis, sed sufficit sibi quòd quantùm patitur necessitas plebis suæ prouideat de ministris, qui sacramentum pœnitentiæ administrent, sed quòd hunc vel illum eligat in eius voluntatis arbitrio est repositum. Secundò nam sicut se habet Prælatus Regularis ad nominandum aliquem ad beneficium nutuale seu ad nutum amouibile, sic se habet Episcopus ad concedendam licentiam ad audiendas confessiones; sicut ergo ille ad nutum suum eligit quem vult, ita & Episcopus ad libitum concedit cuicumque licentiam confessiones audiēdi. Tertiò nam cum Confessarij sint assumpti ab Episcopo in partem suæ sollicitudinis, & vt eius ministri ratio ipsa dictat, quòd in eius sit libertate ministros suos sibi eligere pro sua voluntate, & quòd inuitus non necessitetur hunc vel illum assumere. Sed alij econtra tenent, quòd approbatio Regularium ad Confessiones sit de iustitia, & ita quòd Episcopus eam negare non possit sine iusta causa, & ad libitum. Ita *Suarez disp.28. de pœnit. sec.5.num.15. Fagund.2. præcep.l.7.cap.2. numer.14. Cardinal.de Lugo disp.21.de pœnitentia num.54. Coton l.4.contr.7.num.79. Tambur.tom.2. disp.6. q.11. num.6. Vasquez in 3.p.q.92.a.3. Moron Consil.Moral. Resp.34.num.10.& 15. Schropha in quæst. moral.q.36. Layman l.5.tr.6.cap.11.num.6. Coninch. Bossius, Fillinc.& Mendo apud Leandro tract.5.de pœnit.disp.11. q.81.Pasqualig.q.142.& 143.num.4.* & alij quos infra refero, qui tenent licentiam petitam & iniustè negatam valere ac si fuisset obtenta. Ideo ex *Menoch.tradit Moron.vbi sup.num.11.& 15.* quòd si ex negata approbatione oriatur lis inter Episcopum & Regularem, hæc sit dirimenda per iudicem. Aliqui tamen ex citatis DD.vt Fagundez & aliqui alij distinguunt inter examen & approbationem, & dicunt liberum esse Episcopo admittere Regulares ad examen, sed supposito examine, si Regulares inueniantur idonei teneatur Episcopus illos approbare. Nec licet tunc Episcopo allegare superfluitatem, quia hanc debuit priùs considerasse, quàm admiserit ad examen Regularem ratio autē huius sententiæ est, tum quia Episcopus se habet vt Iudex, qui debet iudicare secundùm allegata, & probata, igitur si inueniat Regularem idoneum, debet ad eius fauorem sententiare. Secundò. Nam iudicium de veritate non est liberum, sed veritate existente, & apprehensa non est in potestate apprehendentis iudicare oppositum.

263 Hæc secunda sententia communis vera est, & quidem vniuersaliter etiam respectu secularium sacerdotum, sed diuersimodè & ex diuersa causa. Duplex enim debitum est considerandum in Episcopo, scilicet debitum fidelis dispensatoris, & iusti iudicis executoris commissionis sibi à Pontifice delegatæ. Nam Episcopus absolutè est dispensator ministeriorum spiritualium, non verò dominus, iuxta illud Pauli p. ad Cor.4. *sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* & ad Titum primò. *Oportet enim Episcopum esse sicut Dei dispensatorem.* Dispensator verò non ad libitum, & nutum, sed iuxta leges sibi à Domino præscriptas debet sibi commissa dispen-

dispensare. Deus verò vtilitatem Ecclesiæ suæ vult, & adhunc finem Episcopos destinauit vt ministros, & ideo non nisi secundum quod exigit Ecclesiæ vtilitas, ministros suos sibi adiungere potest, & debet; igitur ex ijs qui sibi proponuntur in confessarios nullum potest vel admittere vel reijcere, nisi ex causa vtilitatis Ecclesiæ, quia non nisi in Ecclesiæ vtilitatem factus est dispensator mysteriorum Dei. Meliores ergo non potest reijcere, nec indignos admittere, & in quocumque casu nullum reijcere potest, nisi ex causa iusta, quia in eius admissione vel fit Ecclesiæ damnum, vel non adest Ecclesiæ vtilitas. Et hoc propterea verificatur respectu omnium approbandorum etiam secularium, qui sub Episcopi sunt iurisdictione.

264 Sed respectu Regularium militat ratio alicuius alterius iustitiæ, quoniam respectu eorum Episcopus non est solum dispensator, sed executor gratiarum, quæ Regularibus iam concessæ sunt à summo Pontifice. Certè hoc est proprium iudicis executoris, vt nihil possit nisi ex causa, & mediante causæ cognitione. *Panorm. in cap. final. num. 13. & ibi Felin. num. 29. de Præsumpt. Barbos. in tract. de claus. clausula vocatis vocandis, num. 3. 4. & 5. Rota decis. 244. num. 4. p. 2 coram Capuiaq. & in Ferrarien. Bonor. 29. April. 1630. coram Durano, & in Casalen Beneficiorum 10. Decemb. 1627. coram Merlino, & dec. 46. num. 5. coram Greg. XV, & dec. 370. num. 6. p. 9. recent.* Quòd verò Episcopus in approbandis Regularibus non sit nisi iudex executor gratiæ à summo Pontifice concessæ, & respectu habentis ius ad illam ex concessione Pontificis sibi facta, patet primò, ex eo quòd vt probatum est supra cum communi DD. sententia, Regulares non ab Episcopo, sed à Pontifice habent iurisdictionem & facultatem audiendi cōfessiones secularium dum ad id sint a suis superioribus deputati. Tum secundò quoniam vt est manifestum ex priuilegijs supra à num. 123. recensitis, Regulares deputati a suis superioribus ad confessiones audiendas possunt id facere ex concessione Apostolica, ex eo verò quòd huiusmodi concessio fuit limitata, & per Concil Vienen. in Clem. *Dudum* statutum est, vt ad executionem huius concessiunis sit necessaria præsentatio, & licentia, & per Concilium Trid. approbatio Episcoporum, non fuerunt secundùm substantiam abrogata priuilegia, sed adiuncta est conditio sine qua gratia non valeat, & ideo Episcopi in hoc constituti sunt iudices executionis Gratiæ Pōtificiæ, vt videant an Ecclesiæ conducat, vt Regulares hic vel ille, confessiones secularium audiant. Vnde illorum officium in duobus consistit; primum in iudicanda idoneitate approbandi, vt habetur ex *Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. de reformat.* ibi *Nisi &c. ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut &c. aliàs idoneus iudicetur.* Hoc enim est quod primò ad executores gratiarum Apostolicarum spectat, vt persona idonea iudicetur. Secundum vt postea executionem gratiæ concedant; vnde sequitur, & *approbationem, qua gratis detur obtineat &c.* siue vt dicitur in Clem. *Dudum* de sepulturis. *Et si ijdem prælati petitam licentiam confessionum huiusmodi audiendarum concesserint: illam præfati Magistri, Ministri, & alij cum gratiarum recipiant actione dictæque personæ sic electæ commissum sibi officium exequentur.*

265 Hinc sequitur, quòd ex tribus actionibus in hac parte competentibus Episcopo, quæ sunt Regularis admissio ad examen, iudicium de eius idoneitate, & concessio licentiæ audiendi confessiones, nedum secunda nimirum iudicium de idoneitate respectu vel peritiæ artis, vel honestatis morum debetur ex rigorosa iustitia ei, qui verè habet illas qualitates. Sed prima & tertia debentur ex ea religiosa iustitia, quam secum fert concessio Pōtificia, ex qua Regulares à suis Prælatis deputati ad secularium confessiones audiendas habent ius licet conditionatum ad gratiam Pontificiam, si aliàs sint idonei. Ideo Episcopus nec potest negare examen præsentatis a superioribus, nisi quia Episcopo constet vel de præsentatorum imperitia, aut mala vita, aut saltem quia Ecclesia abundans idoneis ministris & æquè sufficientibus, eorum opera non indiget. Post examen verò, vbi præsentati inuenti sint idonei, nec patiantur defectum vel peritiæ artis, vel honestatis morum; multò magis eis debetur approbatio & licentia. Tum quia si negetur redundat in præiudicium famæ illorum, quia iudicabitur regulariter, quòd ex defectu personali reijciantur. Tum quia tunc non est tempus quòd Episcopus velit considerare superfluitatem confessoriorum; quia hanc debuit considerare, antequam illos admitteret ad examen. Vnde non nisi ex causa vel de nouo cognita, vel de nouo superueniente potest Episcopus ei, qui in examine reperitur idoneus, negare approbationem.

266 Quæ verò prima sententia adduxit leuia sunt. Nam ad primum dicitur, quòd non obligatur Episcopus ad hunc vel illum approbandum, sed bene adhoc vt nullum vel approbet, vel reprobet nisi ex causa, & maximè regularem. Secundum in ordine ad Regulares præcipuè assumit falsum, nec est simile, sed simile esset, si dixisset, quòd executor gratiarū Pontificium sine causa possit ad nutum eligere, vel reijcere, quod euidenter est falsissimum. Ad tertium dicitur, quòd Regulares non ab Episcopo, sed à Papa assumpti iam sunt in partem sollicitudinis eius, & Episcoporum & Episcopi est videre an Regulares habeant idoneitatem, vel non, & dependenter ab ea approbare illos, vel non approbare. Quamuis & absolutè non nisi spectata causa vtilitatis Ecclesiæ possit Episcopus suos ministros eligere.

267 Et ex his colligitur, quòd Episcopus qui Regulares à suis superioribus approbatos, & sibi præsentatos sine iusta causa non approbat ad secularium confessiones, peccat mortaliter. Quia tales Regulares sunt veluti Parochi a Pontifice ad illud munus deputati si sint idonei; ideo non potest Episcopus sine causa iusta negare illis, quod eisdem est à Pontifice concessum. Et licet ab huiusmodi reprobatione Regulares non possint propriè & in rigore appellare appellatione suspensiua, possunt tamen appellare extraiudicialiter, & ad legitimum superiorem recurrere, & in hoc sensu verum est, quod docent *Card. de Lugo disp. 21. de pænit. num. 54. & Coton l. 2. contr. 7. num. 79. & ex Vasquez 3. p. q. 93. a. 3. dub. 5. num. 5. Tambur t. x. disp 6. q. 11. num. 6.*

SVMMA-

SVMMARIVM.

1 *Licentiam Regularibus iniuste negatam haberi debere pro concessa, aliqui dicunt.* n.268.
2 *Hac sententia esset in praxi inutilis.* n.269.
3 *Licentia audiendi confessiones iniuste Regularibus negata ab Episcopo non est habenda pro concessa.* num.270.
4 *Quod ad arbitrium Episcopi potest negari, si negetur etiam iniuste non potest haberi tanquam concessum.* n.270.
5 *Concilium Tridens. in hac parte derogat Clem. Dudum.* n.270.
6 *Conscientia & arbitrium regulandum secundum leges* nu.270.
7 *Approbare ad confessiones est remissum arbitrio, & conscientia Episcopi.* n.271.
8 *Nullus potest audire confessiones qui actu non sit approbatus.* n.271.
9 *Constitutiones facta à Papa in Concilio sunt Conciliares.* n.272.
10 *Clem. Dudum de sepult. est constit. Conciliaris.* num.271.
11 *Concilium Concilio derogat non facta eius speciali mentione.* n.273.
12 *Concilium priuilegijs insertis in corpore iuris derogat non facta eorum specifica mentione.* numer.274.
13 *Priuilegia inserta in corpore iuris sunt de iure communi.* n.274.
14 *Praxis Concil. Trid. fuit velle derogare priuilegijs insertis in corpore iuris non facta eorum specifica mentione.* n.275.
15 *Lex posterior disponens id quod est contrariū speciali, & particulari dispositioni legis antiqua illi derogat.* n.276.

268 Dubitatur decimo, an si Episcopus iniustè neget approbationem Regulari à suis superioribus deputato ad audiendas secularium confessiones, locum habeat statutum in *cap. Dudum* de sepulturia, & præsentatus censendus sit approbatus, & possit secularium confessiones audire. Ita enim dicendum videtur. Tum primò quia hoc expresse decernitur in d. Clem. *Dudum*, ibi. *Si verò ijdem Prælati præfatis fratribus, ad confessiones, (vt præmittitur) audiendas electis huiusmodi adhibere licentiam recusarint: nos ex nunc ipsis, vt confessiones sibi confiteri volentium liberè licitèque audire valeant, & eisdem pœnitentias imponere salutares, atque eisdem beneficium absolutionis impartiri gratiosè concedimus de plenitudine Apostolicæ potestatis.* Dicere verò quòd huiusmodi concessionem abrogauerit Concilium Tridentinum, non videtur rationabile. Quoniam dispositio ista est Conciliaris, & continet gratiam insertam in corpore iuris, in capite verò illo 15. sess. 23. Concil. Trident non sunt clausulæ derogatoriæ sufficientes ad derogandum dispositioni Conciliari & priuilegio in corpore iuris reposito. Quoniam derogatio specialis & expressa est necessaria ad dedoragandum huiusmodi dispositionibus. Quòd enim ad derogandum dispositioni Concilij Generalis non sufficiat derogatio generalis, sed requiratur specifica & expressa mentio illius, tenent communiter DD. & hanc opinionem perpetuò sequuta est Rota Romana, cuius decisiones quàmplurimas refert *Paulus de Rabeis ad decis. 90. partis 9. Recent. num.214.* Quòd verò etiam sit necessaria specifica derogatio ad derogandum priuilegijs insertis in corpore iuris habetur per *Gloss. in Auth. qua in prouincia ver. omni priuilegio C. vbi de crimin. agi opor.* quam ve habet *Felin. cap.1. num.12. de rescript.* ibi extollit *Barth. in 2. opposit. & Bald. ver. tertia solutio.* Idem tenet *Felin. in cap. nonnulli num.9. & 26. eod. tit.* & apud eum *Butr. in cap. final. ver. sed est dubium, de foro compet. & Ludouic. Consil.198.* Idem quoque dixerunt Suarez *l.8. de legibus cap.38. num.1. Palaus tom.1. trac.3. disp.4. p.21. §.4. nu.5. Pasqualig. decis.56. num.5.* & apud istos plures alij. Cum ergo dispositio *cap. Dudum* sit Concilij Generalis Vieñen. & sit in corpore iuris inserta, dicendum est, quòd Concilium Trident. per clausulam *non obstantibus priuilegijs*, voluit derogare priuilegija, quæ sunt extra corpus iuris, & non sunt conciliaria, non verò priuilegio contento in d. Clem. *Dudum*, quæ iam non est priuilegium, sed lex generalis, & communis. Secundò quia quando leges moderniores in communi loquuntur, & expresse leges antiquas de casu aliquo particulari non reuocant, trahuntur ad sensum antiquæ legis, vt probat Nauar. per multos, & multa iura in *cap. Placuit, de pœnit. dist.6. num.147.* Cum ergo lex Clem. *Dudum* sit antiqua, & disponat in casu particulari iniustæ reprobationis, seu reiectionis, lex verò Concilij Tridentini loquatur in communi, & in generali, & non reuocet decretum præfatum d. Clemen. expresse, potius Concilium Trident. trahendum est ad sensum Clemen. quàm Clementina ad sensum Concilij Trident. nam & correctio iurium summoperè vitanda est, & Concilium Tridentinum recipit planum sensum, quoniam necessaria est approbatio Episcopi, vbi non adsit approbatio Papæ quæ adest in casu, in quo Episcopus iniustè neget approbationem Regularibus electis, & à superioribus suis præsentatis, pro Confessionibus audiendis. Et ideo hanc partem amplexi sunt. *Nauar. cap.27. nu.262. Rodriq. ad Bullam Cruciatæ §.9. dub.1. nu.33. Fagundez precep.2. l.7. c.2. num.15. Diana p.3. tr.2. resolut.24. Layman l.5. trac.6. cap.11. num.4. Peyr. in subd. q.t. cap.21. §.2. Mirand. tom.1. q.45 a.6. Anton. à Spir. S. tract.2. disp.3. num.6.* & multò plures, quos isti referunt.

269 Verùm licet hæc sententia videatur in iure fundata, spectatis nihilominùs quæ de iure nouo sunt determinata, etiam si vera esset, inutilis prorsus esset in praxi. Et quidem, vt aduertit *Card. de Lugo disp 21. de pœnit. num.55.* etiam spectato iure antiquo priuilegium illud Clementinæ ad praxim parum, aut nihil valebat ob limitationes positas à Clemente quinto. Nam & licitum erat Episcopis ex præsentatis hunc vel illum reijcere, & Prælati debebant alium subrogare. Et quod magis est, ratione non necessitatis, seu superfluitatis poterant reijci Regulares præsentati, & in arbitrio Episcopi erat positum iudicare an Ecclesiæ suæ indigerent maiori numero ministrorum, qui confessiones audirent, vel non indigerent. Vnde cum Episcopus ferè semper dicere potuisset non indigere se maiori numero confessariorum bene apparet fuisse difficillimum vti tali priuilegio cuius assertio ad aliud non

vale-

valebat, nisi ad Irritandos animos Episcoporum cõtra Regulares, qui quò magis à se excutere voluissent iugum Episcoporum in hac parte, eò magis adstricti fuissent experiri eorum potestatem. His verò si addatur, quòd Episcopi negantes approbare ad confessiones ipsos Regulares non tenentur vel ipsis Regularibus subditis, vel eorum Prælatis reddere causam reiectionis vt Sacr. Congreg. decreuit, cuius declarationem infra refero, & aliàs huiusmodi causa sufficiens non pendet ex solo defectu scientiæ, vel honestatis morum, sed etenntum mille circumstantijs singularibus ex quibus potest fieri vt pro vtilitate Ecclesiæ non conueniat virum aliàs Doctum, & morum honestate prædictum admitti, & quod iudicare spectat ad conscientiam Episcopi, & nemo alienam conscientiam nouit, vt notatur in lege 2. *C. quando fiscus*. Hinc sequitur quòd moraliter vix est dabilis casus in quo conllet, & sit notoria iniustitia Episcopi; quæ nec præsumi potest; & ex consequenti in quo pulsit præfata sententia practicati in conscientia.

270 Dicitur igitur ad quæstionem, quòd iniustè non admissus ab Episcopo ad confessiones secularium audiendas est simpliciter non admissus, & quòd nunc non habet locum concessio d. Clemen. *Dudum*, sed ei derogatum fuit per Concil. Tridentinum, & ideo Regularis non approbatus ab Episcopo siue iustè siue iniustè non potest confessiones secularium audire. Probatur hoc, quia quando Papa remittit conscientiæ, & arbitrio Episcopi, aut cuiuscumque alterius ministri exercitè concedere aliquid vel negare, etiam si ioiustè negetur, non per hoc illud potest intelligi vt concessum, quia in arbitrio & beneplacito est ministri, illud concedere, vel negare. Et licet conscientia ministri debeat Informari secundùm leges, vt dixit *Reuerendiss. Fagnanus cap. vt filij num.* 10. de filijs Presbyter. & minister cuius conscientiæ superior remisit aliquod negotium, debeat illud tractare, & perficere secundùm scientiam & conscientiam publicam, nimirum secundùm illam prudentiam, quæ a sacris Canonibus, & legibus regulatur. *Barbosa claus.* 24. *num.* 10. Et idem dici debeat de eo quod committitur alicnius arbitrio, quia intelligendum est de arbitrio boni viri, quod secundùm leges est regulandum, & debet legibus informari, *Cæsar de Grass. dec.* 7. *num.* 7. *de sent. & re ind. Rota dec.* 179. *nu.* 1. *& dec.* 235. *num.* 6. *p.* 1. *& dec.* 71. *num.* 1. *p.* 6. *& dec.* 468. *num.* 1. *par.* 9. *recent.* Vnde minister peccat fine iusta causa & contra leges concedens, aut negans id, quod à superiore sibi tanquam optimo viro, & discreto commissum est concedendum vel negandum; tamen negatum iniustè validè interim est negatum, nec potest haberi pro concesso, cum nõn possit ex vi talis commissionis esse concessum, nisi ministro id concedente pro sui arbitrio, & minister illud negat.

271 Modò sic est, quòd Concilium Tridentinum conscientiæ & arbitrio Episcoporum commisit approbationem Regularium ad confessiones. Quod inde apparet primò, quia Concilium ex vna parte decernit per negatiuam vniuersalem, quòd nullus sacerdos audiat confessiones secularium nisi obtineat approbationem Episcopi, & ex alia Episcopo non præcipit, vt det approbationem; & sic illum suo arbitrio, & libertati relinquit. Vnde ex duplici capite vrgent verba Concilij, Primò quia vniuersaliter disponit, quòd nullus audiat confessiones secularium nisi approbationem Episcopi obtineat. Non enim dicit *nisi petat, sed nisi obtineat*, & ita requirit approbationem vt obtentam actu, hanc verò non obtinet is, cui ab Episcopo negatur, licet iniustè. Secundò quia ex quo non mandat Episcopo vt approbationem det, aut non neget, relinquit in suo arbitrio illam dare vel negare; vnde non potest esse ipso facto & iure inualida negatio approbationis licet iniusta, quæ arbitrio Episcopi est relicta. Hoc verò secundò probatur, quia ex quo, vt videbimus infra, Pontifices & Sacræ Congregationes voluerunt quòd Episcopo suspendente, vel reuocante licentiam audiendi confessiones (licet id non possit facere nisi ex causa) non teneatur ille reddere causam; bene demonstrarunt mentem & illorum, & Concilij esse, quòd approbare, & non approbare ad confessiones sit quid commissum conscientiæ, & arbitrio Episcopi, cuius in hac parte conscientiam aggrauauit Sacr. Congregatio Episcoporum & Regularium in decreto dato die 30. Augusti 1630. quod infra. Si ergo Episcopus contra conscientiam suam neget approbationem, Deo reddet rationem, & per superiores etiam suos corrigi potest, sed interim negatio valet, & non approbatus non potest confessiones audire, vt tanquam decisum à Sacr. Congregatione Concilij tenet. *Reuerendiss. Fagnanus, ad cap. Omnis vtriusque sexus nu.* 61. *de Pœnit. & remission. & tenuerunt Suarez tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 28. *sec.* 5. *num.* 3. *Vasquez* 3. *p. q.* 93. *a.* 3. *dub.* 5. *Conincb. disp.* 8. *dub.* 7. *num.* 58. *Fillinc. tract.* 7. *cap.* 9. *num.* 157. *Donatus tom.* 4. *trac.* 4. *q.* 14. *Diana p.* 6. *tract.* 7. *res.* 60. *& p.* 8. *trac.* 1. *resol.* 85. *& p.* 11. *trac.* 2. *res.* 19. *& tr.* 4. *res.* 14. *Card. de Lugo disp.* 21. *de pænit. num.* 53. *Coton. l.* 2. *controu.* 7. *cap.* 4. *num.* 79. *Barbosa ad cap.* 15. *sess.* 23. *Concil. Trid. num.* 31. *Tambur. de iure Abb. tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 11. *num.* 6. & plures alij apud istos.

272 Ad primum in oppositum multiplex datur responsio. Respoderi enim posset primò, negando quòd dispositio d. Clem. *Dudum*, sit Concilij Generalis, quia est Clementis quinti in Concilio Generali, & ad effectum, vt derogando debeat fieri expressa mentio, non sufficit quòd sit Constitutio Papæ in Concilio Generali sed requiritur quòd sit dispositio conciliaris. Sic enim tenuerunt *Decius in cap. p. de iudic. Card. in Clem.* 1. de Ccelibus, quos cum eorum fundamentis refert *Fagnanus ad cap. ex parte, de Capell. monach. num.* 1. sed hæc responsio non subsistit, nam dispositiones Cõciliares non sunt nisi dispositiones Papæ, licet factæ in Concilio; quia nec habent vim etiam factæ præsentibus Papæ legatis nisi inquantum auctoritate Papæ sunt roboratæ, solius enim Papæ est concedere leges totam Ecclesiam obligantes, vt docet *Caiet. tom.* 1. *opusc. tract.* 1. *cap.* 12. Vnde Conciliares Constitutiones non sunt nisi constitutiones Põtificiæ, ex cuius auctoritate habent vim totam Ecclesiam obligandi. Econtra verò præsentia Papæ in Concilio non minuit, sed auget potiùs decretorum efficaciam nec desinunt esse Conciliares, quia edantur nomine Papæ in Concilio existentis. Et ideo ex hac parte non est poncudum discrimen inter huiusmodi constitutiones, & vel nulli earum

vel

vel vtrique derogari potest, nulla facta earum speciali mentione. De his videndus d. Reuerendissimus Fagnanus, vbi multis probat huiusmodi constitutiones esse Conciliares &c.

273 Respondetur ergo secundò & dicitur, quòd ad hoc vt Concilium deroget dispositioni alterius Concilij, non est necesse quòd Concilij cuius dispositio abrogatur fiat expressa mentio, quia Concilium posterius disponendo vniuersaliter, si disponit contra prius Concilium derogat illius dispositioni, etiam si illius non faciat mentionem. Locum enim habet illud cap. 1. de Const. in 6. *Romanus Pontifex, qui iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, constitutionem concedendo posteriorem, priorem, quamvis de ea mentionem non faciat, reuocare noscatur.* Quidquid enim sit de rescriptis gratiæ, an quando in illis Papa aliquid disponit, illud valeat, quando est contra Concilium non facta Concilij mentione: Vbi alias Papa edit constitutiones, & præcipuè vbi constitutiones sunt conciliares, non est necesse ad hoc vt per posteriorē Constitutionem oppositum disponentem derogetur prioris Concilij dispositioni, quòd fiat illius mentio, Concilia enim Generalia non habent in ventre clausulam derogatoriam ad sequentes constitutiones, etiam si sint solius Papæ, vt ex *Philip. Prob. in cap. 1. num. 3. de Constit. in 6. & Oldrad. cons. 328.* & alijs probat *Fagnanus ad cap. Nonnulli nu. 28. & 30. de rescript.*

274 Quòd si dicatur, hoc verum esse de constitutionibus, quòd per vnam derogatur alteri eius non facta mentione, non tamen id verificari de priuilegijs, maximè de illis, quæ sunt in corpore iuris. Respondetur, quòd immò, si priuilegia sint inserta in corpore iuris, per constitutionem posteriorem illis contrariam ipsa abrogantur non facta eorum speciali mentione, quoniam eorum ignorantia non potest præsumi in legislatore, sed immò præsumitur eius scientia sicut & iuris communis, & sic Papa per constitutionem posteriorem disponens contra priuilegium in corpore iuris insertum ex certa scientia id facit, ideoque & liberè & voluntariè, vnde est quòd contra huiusmodi posteriorem constitutionem non potest dari exceptio defectus voluntatis legislatoris, cum ex certa scientia disponat id, quod scit esse contrarium antiquiori dispositioni, & ideo per Constitutionem posteriorem derogari priuilegijs insertis in corpore iuris ex præfata ratione tradidit *Francus ad cap. 1. num. 5. de Constit. in 6. post Gloss. in cap. vt circa, in verb. corporali, de elect. in 6.* Et idem tenent *Decius, Geminian. Felin.* & alij quos refert, & sequitur *Fagnanus ad d. cap. Nonnulli nu. 39.* Et altera ratio huius est, quòd priuilegium insertum in corpore iuris transit in ius commune, vt per *Gloss. 4. in cap. Constitutionem de Reg. iuris in 6. & in Clem. Dudum. §. verum in verb. de iure, de sepult. & per Io: Andr. Hostien. in cap. ex parte el p. de Decim.* quod ad hoc idem probandum refert idem *Fagnanus nu. mer. 40.* Iuri verò communi antiquo derogatur per nouum non facta eius mentione. Cum ergo priuilegium illud Clem. *Dudum* sit insertum in corpore iuris, non fuit necessarium quòd illius fieret specialis mentio.

275 Respondetur tertiò quòd Concilium Tridentinum ex praxi sua voluit tollere, & abstulit priuilegia inserta in corpore iuris, etiam si essent priuilegia concessa per Concilia, non facta Conciliorum mentione. Quod patet nedum in nostro casu, sed in quàmplurimus alijs dispositionibus, quas recenset *Fagnanus ad cap. Nonnulli num. 42. de rescript. & ad cap. ibis num. 12. de priuileg.*

276 Ad secundum dicitur quòd vbi lex posterior disponit etiam contrarium eius quod prior lex disponebat in casu particulari, standum est posteriori legi. Concilium verò Tridentinum ex directo disponit contra dispositum in d. Clem. *Dudum*, & vult quòd approbatio Episcopi nedum sit petita sed obtenta, & quòd arbitrium Episcopi detur vel negetur, cum quo non stat, quòd approbatio petita & non obtenta valeat, sic vt volebat d. Clem. *Dudum*.

SVMMARIVM.

1 *Datur iusta causa approbandi limitatè. n. 277.*
2 *Communis sententia quod Episcopus non possit approbare limitatè sine iusta causa: secus cum causa iusta. n. 278.*
3 *Praxis confirmata auctoritate superiorum est, quod Episcopi limitatè approbant. n. 279.*
4 *Episcopus non idoneum simpliciter non potest simpliciter approbare. n. 280.*
5 *Idoneitas non consistit in indiuisibili, & est quid respectiuum. n. 281.*
6 *Idoneus respectiuè potest approbari limitatè. numer. 281.*
7 *Iusta causa approbandi limitatè aliqua insufficientia scientiæ, & morum. n. 282.*
8 *Iuuentus aliquando iusta causa limitandi facultatem ad viros &c. n. 282.*
9 *Qualiter Regularibus limitari possit approbatio pro eorum Ecclesijs. n. 283.*
10 *Episcopus limitando approbationem limitat etiam iurisdictionem. n. 284.*
11 *Limitatè approbatus ad tempus finito tempore non habet iurisdictionem. n. 285.*
12 *Oblitus casus reseruati non potest illud confiteri ei, qui erat approbatus ad tempus iam præteritum. num 285.*
13 *Episcopi idoneos simpliciter tenentur approbare simpliciter. n. 286.*
14 *Episcopi sufficientes de præsenti possunt approbare ad beneplacitum. nu. 287.*
15 *Approbatio limitata sine causa iusta est de facto valida. n. 288.*

277 DVbitatur vndecimo, An Episcopus possit Regulares approbare limitatè ad tempus, locum, & personas? Hoc tanquam indubitatum habendum est, re spectata absolutè dari posse causam iustam istius limitationis. Nam benè potest esse, quòd sacerdos sit peritus quantum sufficit ad confessiones rusticorum, non verò mercatorum, Oppidi non Ciuitatis, & ratione iuuentutis, aut alicuius suspicionis ad confessiones virorum non mulierum. Denique propter concursum maiorem populorum in aliquo tempore potest esse opportunum non approbare nisi ad tempus. Cuius limitationis causa potest esse etiam aliqua insufficientia, vt necessitas subeundi nouum examen vrgeat approbatum ad maius studium, vel etiam ex par-

ex parte morum, vt caueat magis nedum à malo, sed à suspicione mali.

278 Hoc verò supposito ego considero, quòd licet quantùm ad hanc difficultatem referrantur opiniones DD. quasi contrariæ, & quarum vna affirmet altera neget, demptis illis paucis, quos supra retuli nu.162. & qui volentes quòd Episcopus possit negare approbationem sine causa, ad suum nutum, quorum opinio etiam respectu sacerdotum secularium est verè irrationabilis, alij DD. communiter in duobus conueniunt, nimirum quòd Episcopus sine iusta causa non potest approbare ad Confessiones limitatè ad tempus, personas, & locum, sed bene quòd hoc potest facere ex causa iusta. Nam & qui dicunt Episcopū non posse limitatè approbare, tandem id concedant si adsit iusta causa. Et alij, qui dicunt id posse fieri, tandem fatentur illicitè fieri si fiat sine iusta causa. Videantur *Suarez de pænit.disp.28.sec.7.num.6, Rodriq. p. p. q.60. a.8. Lezana p.p. c.89.num.8. Fagund.præcept.2. l.7. c.2. 17. Barbosa ad cap.15.sess.23. Concil. Trid.num.59. Card. de Lugo disp.21. de Pænit. nu.59. Scropha in q.moral.q.36.a.2. Moron. in Consil. Resp. 34.num.28. Donat.tom.4.trac.4.q.33.num.3. Pasqual. decis.500. per totam Diana p.3. trac.2. resol.25. Anton.à Spir.Sancto p.p. Direc. trac.2.disp.3.num.5. Portel.v.Confessor num.3.* & alij, quos isti referunt.

279 Verum est quòd Sac.Congreg. Concilij in respons.ad primū dubium ex propositis circa Constitut. *Inscrutabili* 18. Gregor.XV. quam refero infra declarauit, quòd ex vi dictæ Constitut. non est concessa Episcopis facultas admittendi aliquem limitatè ad tempus, personas, & locum. Verùm & praxis Episcoporum est, quòd Episcopi approbent limitatè, & hoc est iam etiam authoritate confirmatum. Nam hoc supponit Vrbanus octauus in Breui expedito ad Epis.Gienen. quod per extensum fuit positum supra, vt patet ex num.153. ibi. *S. quidem huiusmodi approbationem obtinuerint ad certum tempus, eo elapso non possint confessiones audire sine noua Episcopi ipsius licentia, & approbatione.* Sed vtraque pars communis assertionis probatur ex declaratione Sacr. Congregat. data 2. Iulij anno 1587. quam referunt *Miranda p.p.q.45.a.10. Lezana p.p.cap.19.num.8.* & alij, & est tenoris sequentis, videlicet. *Regulares, qui ad audiendas confessiones idonei generaliter ab Ordinarijs eorumque examinatoribus reperti, & approbati fuerint, generaliter quoque & indistinctè absque vlla limitatione temporis, certorumue locorum, aut generis personarum admittantur in propria Diœcesi. De cæteris verò, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare & admittere.*

280 Supposita ergo causa iusta potest Episcopus approbare limitatè confessarium, quia in eo casu potest eum simpliciter reprobare cùm non sit simpliciter idoneus. Immò Episcopus non potest illum simpliciter approbare. *Pasqual.decis.500.n.3.* quia non est simpliciter idoneus, v. g. si qui est idoneus pro oppido aliquo rusticorum, verè non sit sufficiens pro audiendis confessionibus in Ciuitate, vel alijs locis intra Diœcesim existentibus, non potest Episcopus illum approbare simpliciter pro tota Diœcesi. Similiter in penuria confessorum si inueniat solùm non adeo idoneos, sicuti vtilitas diœcesis expeteret, non potest Episcopus illos approbare nisi pro necessitate, & non pro omni tempore simpliciter. Et sic ex quacomque causa Episcopus inueniat sacerdotem etiam Regularem nō esse idoneum simpliciter, non potest illum generaliter & simpliciter approbare.

281 Maior difficultas esset, an possit illum approbare limitatè, quia si non est idoneus est reijciendus, non approbandus. Sed considerandum, quòd idoneitas non consistit in indiuisibili, & quidem idoneitas quid respectiuum importat, & potest esse quis idoneus respectiuè ad locum, & personas, & tempus, & non simpliciter. Si ergo Sacerdos nullam idoneitatem habeat, reijci debet. Si verò habet respectiuam, & aliquam, potest respectiuè & limitatè approbari. Vnum tamen de mente Sacr. Congreg. considerandum, quòd scilicet is, qui tantùm respectiuè & secundùm quid est idoneus, nolit respectiuè approbari, reijci debet, si verò consentit approbari pro sua idoneitate potest approbari ad arbitrium Episcopi.

282 Quantùm verò ad hanc partem potest esse difficultas in explicando quænam sit causa iusta. Nam insufficientiam literaturæ seu peritiæ artis communiter admittunt DD. vt causam sufficientē vel ad reprobandum absolutè, vel respectiuè ad non approbandum nisi limitatè, vel ad tempus, vel ad genus personarum, vel ad locum certum. Sed non credo posse esse etiam difficultatem circa insufficientiam morum & probatæ vitæ, cum morum probitas in Confessario maximè sit necessaria. Sed aliquibus videtur, quòd ætatis defectus non sit causa sufficiens ad limitatè approbandum. Nam Parocho 25. annorum Ecclesia Parochialis, & Episcopo 30. annorum Diœcesis gubernanda traditur. Cur ergo Sacerdori 25. annorum non tribuetur facultas audiendi tam viros, quàm mulieres, si cætera requisita adsint. Sed respondetur, quòd argumentum nihil aliud probat, nisi quòd de iure communi in Confessario non requiritur maior ætas, quàm annorum 25. per se, & ex genere. Nihilominùs tamen sicut in promouendis ad Episcopatus, & Parochias ætas matura multùm confert, & cæteris paribus senior est præferendus iuniori, vt dixit *Barbat. cons.23. post.num.13. volum.1. Rota in Calagurit.17. Nouembr.1651. & 18.Martij 1652. & 28.Iunij 1652. & dec.264. num.4. coram Eminentiss. Ottobono*. Ita & in admittendis ad Cōfessiones. Est verò discrimen etiam quoniam illa sunt beneficia, quæ dantur in titulum, & aliàs sunt necessaria, & non possunt dari determinatè vel ad tempus vel ad locum, vel ad personas. Quod si collatio beneficiorum limitationem admitteret, Episcopi non nisi limitatè quàm pluribus beneficia conferrent. Vbi verò limitatio locum habere potest, & simul adest rationabilis aliqua causa limitandi, & non desunt ministri, qui necessitati plebis possint satisfacere, non est iniustitia, aut imprudentia habere rationem etiam maturæ ætatis, & ratione iuuentis aliquando limitare ad genus personarum approbationem. Certè in Ord. Prædic. Ordinatū fuit Bononiæ 1564. vt Confessores secularium sint maturæ ætatis. Sed priùs Senis 1462. ordin.5. sub pœna excommunicationis statutum fuerat, ne quis ante 30. annorum confessiones secularium etiam viro-

virorum audiret. Sed Romæ 1608. ord.20. hoc restrictum fuit ad confessiones mulierum, & statutũ quòd fratres ad eorum audiendas confessiones nõ admittantur ante trigesimum annum. Et quòd si in aliqua Prouincia siearctior cõsuetudo illa seruetur.

283 Altera difficultas est circa limitationem ad locum; Nam videtur quòd non possint Episcopi limitare approbationem ad solas Regularium Ecclesias. Et quatenus in literis patentibus ponatur hæc limitatio, *pro Ecclesiis tui Ordinis*, quòd illa debeat intelligi non vt sit conditio taxatiua, sed vt sit dictio modalis, dixerunt plures quos refert, & sequitur *Sanchez l.3. de matrim.disp.34. n.2. Bordon.tom.1.resol.36. qu.6.* nec dissentit *Donatus, tom.4.tr.4.q.18.* quamuis in fine dubitet. Nam certè iurisdictio Confessarij cum sit voluntaria non pendet à loco, & locus & tempus sunt extrinseca confessioni, & Regulares habent personale priuilegium vbiq; confessiones audiendi. Hoc mihi certum, quòd Episcopi non possunt prohibere ne Regulares audiant confessiones sæcularium extra eorum Ecclesias, vt etiam dixit Sac.Congreg. *Episc. & Regul. in vna Necoteren. 11. Octobris 1583. & in alia Anagnien. 12. Octobr. 1593.* quoniam, vt infra ex professo videbitur, habent speciale priuilegium audiendi confessiones infirmorum in eorum domibus, cui Episcopi non possunt ferre præiudicium. Pariter valde difficilè est, vt detur causa iusta vniuersalis limitandi licentiam confessionis pro Regularium Ecclesijs, taliter quòd de consensu Rectorum non possint in alienis Ecclesijs confessiones audire; quoniam verè sic est, quòd si Regulares possunt in suis ecclesijs audire quodcumque genus personarum in ciuitate, vel oppido existentium, accidentarium est prorsus, nec ad rem faciẽs, quòd in eodem oppido, aut ciuitate audiant illas potiùs in hac Ecclesia, quàm in illa. Et si limitatio iudicatur opportuna ad fugiendas lites, sufficit ad has lites vitandas quod clausula *in Ecclesiis tui Ordinis* intelligatur vt importans modum, & vi explicãs id, quod est de æquitate, vt scilicet inuitis Rectoribus in eorũ Ecclesijs non audiantur cõfessiones. Immo si in facultate audiendi confessiones poneretur clausula, *de licentia Rectorum in Ecclesijs eorum* eã intelligendam esse vt non dicat conditionẽ, sed modum, dixit *Bonac. de Pœnit. q.7. p.4. §.1. n.18.* Credo etiã, quòd si alicubi aliquis Episcopus sic limitet licẽtiam confessionũ cum clausula *pro Ecclesiis tui Ordinis*, & nihilominùs cõsuetudo sit, vt limitatio illa intelligatur velut modalis, & non vt taxatiua, tutò sic intelligi, & accipi possit.

284 Ex dicto etiam *Pasqual. cit. decis. 500. n.10.* difficultas alia oritur. Arbitratur enim, quòd quantùm ad id, quòd spectat ad iurisdictionem non possit Episcopus adhibere aliquam limitationem, nisi ad casus, quos sibi reseruat non autem in ordine ad personas, loca &c. & si adhibeat faciat iniustitiam. Quoniam Regularis non ab Episcopo, sed à Papa iurisdictionem habet, & ex vi Concil. Trident. Regularis dependet ab Episcopo quantum ad approbationem, sed non quantùm ad iurisdictionem. Sed si hoc verum est, etiam iustissimè reprobatus ab Episcopo habebit iurisdictionẽ ad confessiones validè audiendas. Si enim nomine approbationis intelligitur solum iudicium de idoneitate, & vlteriùs dicitur quòd inter hoc iudicium & habere iurisdictionem à Papa nulla est dependentia; nihil ergo interest quòd Episcopus approbet, vel reprobet ad hoc vt Regularis iurisdictionem datur dependentia, & hæc ab illa dependet, nec habetur vel iurisdictio, vel liber vsus illius nisi præcedat approbatio seu iudicium de idoneitate; iam iuxta modum approbationis erit modus habendi iurisdictionem, vel liberum vsum illius, & vbi erit limitata approbatio erit limitata iurisdictio, vel validus vsus illius.

285 Hinc colligitur, quòd limitatè approbatus limitatam habet iurisdictionem, & quòd terminos approbationis excedere non potest. Vnde v.g. si quis habet approbationem limitatam ad tẽpus, eo tempore transacto non potest ampliùs audire confessiones, sed finito tempore cessat in eo iurisdictio, vt habetur expressè *cap. si gratiosè. de rescript. in sexto, & docent Sotus 4. d.18. q.4 a.3. Vega, Cenedo, & Graff.* quos sequitur *Fagund. prae.2. l.7. c.2. num.17. Bordon. resol.70. nu.2. Pasqual. q.189. nu.9. de Iubil.* vbi quòd limitatè approbatus respectu extensionis est reprobatus. Nam & in terminis id habetur in Breui Vrbani VIII. ad episcopus Giennen. supra num.153. ibi *Sed illi, quos idemmet Episcopus approbabit, si quidẽ huiusmodi approbationem obtinuerint ad certum tempus, eo elapso non possint Confessiones audire absque noua ipsius Episcopi licentia, & approbatione; præuio etiam, si eidem libuerit nouo examine.* Inde est, quòd si quis confessus fuit Confessori limitatè approbato, si oblitus fuit alicuius peccati non potest finito tempore approbationis iterum eidem Confessori peccatum oblitum confiteri, quia ille non habet ampliùs facultatem confessiones audiendi. *Fagund. vbi supra n.34.*

286 Sed vbi examinatus ab Episcopo inueniatur tam in literis, quàm moribus idoneus, nec alia adsit circumstantia quæ præbeat iustam causam non approbandi eum nisi limitatè, nõ potest Episcopus eum limitatè approbare, vt Sac. Congregatio in præfata declaratione determinauit, & aliàs etiam statuit Sac. Congregat. Episc. & Regul. *vt in vna Salernit. 24. Mart. 1597. & in Neapol. 13. Maij 1597. & in Muren. 5. Iunij 1590.* Et ideo dicendũ est, in eo casu Episcopum grauiter peccare, si sine iusta causa Regularem limitatè & non absolutè, & simpliciter approbet, quoniam eis non licet in præiudicium Sedis Apostolicæ, & facultatis ab ea tributæ Regularibus eos idoneos simpliciter repertos non approbare simpliciter *Suarez de pœnit. disp.28. sect.7. num.6. Fagund. d.l.7. c.2. n.17. Pasqual. dec.500. & ad Laurent. de Franc. p.1. nu.13. & 1395.* & apud eum *Vgolin. Rodriq. Cened. & Homobon. Mirand. tom.1. q.45. art.10. Scropha q.36. art.2. Cespedes c.6. q.108. Card. de Lugo de pœnit. disp.21. n.60. Lezana p.p.c.19. n.6. Donat. tom.4. tract.4. q.13.* Vbi quod limitatè approbatus potest conqueri corã Superiore.

287 Nihilominùs considerandum est, quòd satis facile est Episcopo inuenire causam iustam non approbandi simpliciter, ita quòd *Pasqual. data dec. 500. n.6.* dixit, quòd Episcopus inuentum Regularem vndequaq; sufficientem potest non approbare simpliciter, sed ad beneplacitum. Et hoc asseritur ab eo est ex hac ratione, quia habilitas inuenta non est stabilis, sed mutabilis, & variabilis; quia cum maximè pendeat à probitate morum, & ab alijs etiam circumstantijs, quæ sunt mutabiles, & variabiles,

ideo Episcopus potest approbare approbationem ad beneplacitum, vt adueniente causa iusta reuocandi approbationem, ipse possit meliùs, & suauiùs, & efficaciùs approbationem reuocare. Cæterùm plenè sufficientem approbare ad certum tempus est illicitum.

288 An verò iniustè approbatus limitatè possit tanquam simpliciter approbatus se habere, sicut voluerunt *Henriq.l.3.c.6.n.5.& 9. Mirand.p.1.q.45.ar.10.* quos sequitur *Lezana d. c.19. n.8.* asserens id esse probalissimum, quod idem iudicauit *Diana p.4.tr.4.res.10.* & tenent *Scropha in q.mor.q.36.a.2. Fagund.d.c.2.n.16. ex parte Pasqual.q.188.num.6. de Iubilæo.* Respondetur, quòd hoc non obstante absolutè dicendum est, approbationem limitatam etsi iniquam esse validam, licet sit meritò cassanda, & irritanda à Superiore. Interim tamen, approbatus limitatè vt talis se habere debere. Tum quia nec expedit aliter facere, tum quia pro ea parte ad quam limitatio non se extendit limitatè approbatus nō est approbatus, vnde nō habet approbationem, quam vt conditionē requirunt Concil. Trid. & Constit. Vrban. VIII. & Innoc. X. *Card. de Lugo d.disp.21.num.60. Donatus q.14. Diana,* qui priorem sententiam reuocauit *p.6. tr.7. resol.61. & p.11.tr.2.res.19.Coton.l.2.contr.7.n.* 80.

S V M M A R I V M.

1 *Diuersæ declarat. S.Congr.n.289. 290.291. 292.*
2 *Vrbani Octaui decretum. n. 293.*
3 *Innoc.X. Constitut. n.293.*
4 *Motus proprius Pij V. n. 293.*
5 *Opiniones diuersæ. n.294.*
6 *Episcopus non nisi ex iusta causa ad confessiones spectante potest reuocare licentiam audiendi confessiones datam Regularibus. n.295.*
7 *An si suspēdus sine causa suspēsio sit valida.n.296*
8 *Episcopus non potest suspendere omnes Confessarios eiusdem Monasterij sine causa cognita a Sac. Congreg. n.297.*
9 *Regularis suspensus ab officio Confessarij quando fiat irregularis si audiat confessiones. n.298.*

289 DVbitatur 12. An Episcopus Regulares approbatos ad confessiones audiendas possit suspendere à confessionibus audiendis, vel etiam simpliciter approbationem auferre, & sic iurisdictionem tollere. Ad huius difficultatis, solutionem obseruandæ sunt sequentes declarationes Sac.Congreg.Concilij. Prima fuit ædita 2.Iulij 1585. eamque referunt *Mirand.p.p.q.45. Nouar. in pract. noui iuris Pont.tit.de confess.Sacram.cons.3. an. Lezan.p.p.c.16.num.8. Donatus tom.4.tr.4 q.11.* & est tenoris sequentis. *Regulares, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinarijs, eorūq; examinatoribus reperti, & approbati fuerint, generaliter quoque & indistinctè absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum, aut generis personarum admittuntur in propria Diœcesi. De cæteris verò qui non adeò idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorū relinquitur, ipsos cum limitata facultate prout eisdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare, & admittere.*

290 Ad idem facit alia eiusdem Sac.Congreg. Cōcilij declaratio, quam refert *Caruccin de quarum Funeralium & Donat. vbi sup.* sub hoc verborum tenore. *Congr. Concilij censuit, regulares ad audiendas in Ciuitate, & Diœc. secularium confessiones semel ab Episcopo, præuio examine approbatos, iterum ab eodem Episcopo nō esse examinandos cæterū à successore posse vtiq; examinari, iuxta Const. Pij V. dat. 8. idus Aug. Pont. sui anno 6. quæ à fælic. record. Gregor. XIII. non est reuocata per reductionem priuilegiorum Regulariū ad terminos Conc. Trid. A. Card. Caraphu.*

291 Item habetur alia declaratio Sac. Congr. Episcoporum, & Regularium quam referunt, *Nouar. loco citato. Alter Nouar. frater in sum. Bull. sub tit. de exempt. priuileg. & Donatus loco cit.* & est sequentis tenoris. *Cum Sacræ Congregationi Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium præpositorum innotuerit, Confessarios regulares grauiter cōqueri, quòd ab Archiepiscopis, Episcopis locorumque Ordinarijs ab audiendis confessionibus quauis de causa indiscriminatim suspenduntur, & propterea sæpè contingere, vt ab eisdem Archiepiscopis. Episcopis, & locorum ordinarijs, omnibus simul vnius Conuentus Cōfessarijs confessiones audiendi facultas adimatur, Illustriss. eiusdem Sac. Congregat. patres ratì vix fieri posse, vt hæc sine scandalo, magnaque animarum pernicie contingant, re maturè perpensa ad omnem scandali materiam summouendam, & quò magis spirituali piarum mentium consolationi consulatur, statuunt, ac decernunt, Archiepiscopis, Episcopis, alijsque Ordinarijs locorum, ad quos Confessarios approbandi ius spectat Confessarios Regulares, aliàs ab ipsis liberè approbatos ab audiendis cōfessionibus suspendere post hac minimè licere, nisi ex noua causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non seruatum interdictum ab ipsis Ordinarijs positum; statuunt insuper eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumq; Ordinarios confessiones audiendi facultatem omnibus simul vnius Conuentus, regularibus Confessarijs eadem Congregatione inconsulta, nullo pacto adimere posse, quod quidem decretum, vt ijdem Illustriss. Patres opportunum, & necessarium duxerunt, ità inuiolabiliter iubent obseruari. Romæ 20. Nouemb. 1615. A. Mar. Episc. Hostien. Cardinalis Gallus V. Theat Secretarius.*

292 Pariter habetur altera declaratio eiusdē Sac. Cong. Episc. & Regul. quam referunt, *Barbos. l.1. de iure Eccles. c.43. n.209. Nouar. & Donat. vbi sup.* sub hoc tenore. *S. Congr. Card. negotijs, & consultationibus Episcoporum, ac Regularium præposita. Censuit, Episcopum quàmuis simpliciter, & absque vlla temporis præfinitione approbauerit Regulares, ad personarū secularium confessiones audiendas, posse tamen eosdem si noua causa superueniat, vt supra suspendere, ac licentias illis concessas reuocare: dummodò huiusmodi confessiones ipsas concernunt. Cæterùm si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè viuunt, vel aliquod delictum committant, propter quod rationabili iudicio Episcopi videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam voluit esse oneratum; cū præcipua ministri qualitas sit integritas vitæ, ac morū honestas, vtiq; eam causam ad ministrum confessionis pertinere; Et proinde nihil obstare quo minùs ob eam possit Episcopus Regulares vtcumq; à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis. Datum Romæ die 30. Augusti 1630. quam S. Congr. sententiam S.D.N. ad se relatam approbauit die 31. eiusdem. Frater A. Card. S. Honufrij. Prosper Fagnanus Secret.*

Sed

293 Sed & in Breui Vrbani VIII. ad epifc. Gien. relatum fupra nu. 147. habetur huius difficultatis refolutio iuxta decreta & declarationes fupra pofitas, prout videre eft, nu. 153. & tandem adeft refponfio Sac. Congreg. Concilij inferta, & confirmata per Conftitutionem Innocent. X. in caufa Angelopolitana relata fupra nu. 179. & 180. Motus autem proprius Pij V. de quo habetur mentio in fupra relatis declarationibus cõtinetur in Conftit. eius 33. & habetur fupra nu. 144.

294 Ex his modo foluitur clarè difficultas, circa quam variè admodũ opinati funt antiquiores DD. Alij abfolutè negauerunt Epifc. poffe fufpendere ab audiendis cõfeffionibus eos, quos liberè approbauit, ex eo quòd approbatio fit fententia, quæ femel prolata tranfit in rem iudicatam. Vnde *Moron. refp. 34. num. 20.* voluit, quòd Epifcopus nec cũ caufa poffit approbationem datam reuocare. Sed hi non confiderarunt, quòd approbatio non pendet ex fola fcientia approbati, quæ poteft durare, fed ex moribus, & pluribus alijs circumftantijs mutabilibus & facientibus ad hoc, vt exercitium audiendi confeffiones fecularium in hoc vel illo Cõfeffario variabiliter fit vtile, vel non vtile Ecclefiæ, & publico bono, & fic vt fit expediens hunc vel illum Confeffarium manutenere in fuo exercitio. Secunda fentẽtia econtra voluit Epifcopum etiam fine caufa ad libitum poffe reuocare licentias audiendi confeffiones, & ita ex *Io: Sancio* tenuit *Barbaftren. in p. 2. q. 20. a. 10.* & apud eum *Hurtado difp. 30. de pænit. diff. 19.* Et hæc eft prorfus irrationabilis fententia; quia quod eft datum intuitu publici boni, non poteft ad libitum fine caufa iufta reuocari. Maximè vbi illi, quibus eft datum, habent aliquod ius illud petendi, & obtinendi. Sicut habẽt Regulares qui à Sede Apoftolica funt veluti Parochi deputati ad audiendas fideliũ confeffiones, licet dependenter ab approbatione Epifcopi. Et ratio illa, quam de fuo adducit *Barbaftren. n. 14.* habens vim ex eo, quòd Epifcopus in approbando Regulares fe habeat ficut Prælatus diftribuens beneficiũ nutuale, feu ad nutum amouibile, petit principiũ, & voluntaria eft; Cum Epifcopus in approbando, vt fupra probatum fuit, fe habeat vt executor gratiæ Apoftolicę conceffæ in forma *dignum*. Quia Papa eft qui Regulares elegit ad confeffiones audiendas, quàmuis ad executionem gratiæ velit vt ab Epifcopo media caufæ & idoneitatis cognitione approbentur. Tertia fententia diftinguens affirmat Epifcopos poffe reuocare licentiam audiendi confeffiones à fuis fubditis, non verò à Regularibus. Et hæc fententia iam ex dictis apparet ex vtraque parte infufficiens. Quia nec fine aliqua caufa poteft hæc facultas auferri ab aliquo, & ex iufta caufa poteft auferri etiam à Regularibus, vt videbimus. Quarta fententia eft, quòd hæc facultas non poteft reuocari ab Epifcopo eodem, fed benè à fucceffore, iuxta motum Pij V. *Coton. lib. 2. contr. 7. n. 81.* inquit, quòd licentia conceffa ad beneplacitum poteft reuocari ex declarat. Sac. Congreg. in vna *Papien. 12. Maij 1619.* apud *Barbofam, v. Regularium Confeffor.* Cum tamen *Peyr. tom. 1. ad Conftit. 2. Sixti IV. §. 2. num. 44.* afferat, nec hanc facultatem cõceffam ad beneplacitum poffe reuocari fine aliqua caufa. Addit verò *Coton.* licentiã illimitatè conceffam aut ad certum tempus per examen non poffe vel fimpliciter vel ante tale tempus licitè, & cum Regularibus nec validè reuocari. Sic *Diana p. 3. tr. 2. ref. 22. & p. 4. tr. 4. ref. 100. & p. 5. tr. 14. ref. 22. & p. 11. tr. 4. ref. 15. ex Mercero in 3. p. q. 8. a. 4. dub. 5. nu. 8. contra Hurtadum difp. 10. de Sacram. diff. 19.*

295 Sed ex declarationibus fupra pofitis habetur clara & vniuerfalis refolutio, quæ eft, quòd fine caufa iufta, & quidem ad confeffionem pertinente, non poteft Epifcopus approbationem Regularibus datam, vel reuocare licitè, vel fufpendere *Illuftrifs. Fagnanus cap. fane num. 30. & 65 de off. deleg.* Et in hoc poteft effe difcrimen inter feculares fubditos Epifcopo, & Regulares, quòd in illis caufa iufta latior effe poteft, cum fint fubditi, in illis verò ex fola caufa iufta concernẽte confeffiones poteft id fieri. Et hoc eft verum fine licentia fit data fimpliciter, fiue ad beneplacitum, fiue ad certum tempus, antequam tamen tempus illud fit finitum, quia conceffum non poteft reuocari nifi ex iufta caufa, vt ex relatis iuribus conftat. Sed ifta caufa data Epifcopus poteft licitè huiufmodi facultatem vel in totum tollere, vel ad tempus fufpendere, fiue Regularis fit approbatus ad tempus, fiue illimitatè, fiue ad beneplacitum. Ita *Suarez tom. 4. difp. 28. fect. 8. Cardin. de Lugo dicta difput. 21. fect. 3. n num. 63. Coninch. difput. 8. dub. 7. num. 59. Cefpedes tap. 6. quaft. 110. Fagund. prae. 5. lib. 7. cap. 1. num. 63.*

296 An verò fi Epifcopus reuocet, vel fufpendat approbationem fuam fine iufta caufa, validè id faciat dubitatiue refpondet *Suarez* & quòd validè id non fiat probabile putat *Card. de Lugo nu. 64.* & affirmat abfolutè *Coton. d. n. 81. & Moron. refp. 34. Pafqual. dec. 500. n. 7. Fagund. prat. 2. l. 7. c. 2. n. 63.* Sed mihi videtur diftinguendum ex doctrina *Gloff. in c. auditis ver. ex poft. de electione*, quòd aliquis actus dicitur nullus de iure dupliciter; vel quia fcilicet, fit ipfo iure & facto nullus, vel quia de iure fit irritandus. Sic dico, quod licentia audiendi confeffiones fine caufa iufta ablata à Regulari non eft nulla ipfo iure, eft enim ab habente legitimam facultatem id agendi licet non fine caufa, cũ hoc fit commiffum eius arbitrio. Et ità quòd Epifcopi nec Regularibus Cõfeffarijs, nec eorum Prælatis teneantur reddere caufam dictæ ablationis, habet tum ex declaratione Sac. Congreg. Concilij ad duodecimum dubium ex propofitis circa intelligentiam *Conftitut. Infcrutabili 18. Gregor. XV. & ex Conftit. Vrbani VIII. ad Epifc. Gienen.* vt habetur *fupra num. 15.* Et propterea non fubfiftit quòd dixerunt *Fagund d. c. 2. n. 93. & Moron. d. refp. 34. n. 32.* fcilicet, quòd huiufmodi caufa debeat effe probata ab Epifcopo. Vnde etiam eft, quòd fi huiufmodi licentiæ ablatio effet nulla, id minimè conftare poffet Regularibus nifi medio iudice, & legitimo fuperiore, qui compelleret Epifcopum ad reddendam caufam fui facti. Ideo dico fecundò quòd huiufmodi licentiæ ablatio fine iufta caufa confeffiones concernente, aut nifi Regulares non feruauerint interdictum ab Epifcopo pofitum eft de iure irritanda, & caffanda, & quòd Regulares poffunt appellare ad Sac. Congregat. vt bene in hac parte dixit *Moron. refp. 34. n. 32.* Epifcopus tenebitur nedum reddere caufam fui facti, fed & probare, quia eius erit probare fuæ intentionis fundamentum, quòd

quòd nec sufficit probare præsumptiuè *Rota d.357. n.4.p.recent.*

297 Bene verum est, quod vt patet ex declaratione Sac. Congregat. Regularium, supra nu.291. relata Episcopi non possunt suspendere omnes Regulares eiusdem monasterij, vt tradunt *Scrofa in moralibus q.36.a.3.n.7. Peyr. ad Constit.2. Sixti IV. n.45. Alphonsus de Leone 2.p.de Iubilæo fol.114. Gauant.v.Confessarius n.23. Lezan.p.1.sum. c.19.num.9. Cespedes de exempt.regul.cap.6.d.110. Donatus d. tr. 4.q.20. Barbosa ad cap.15.n.47.sess.23. Concil. Trid.* Aduertendum tamen, quòd non negatur quin ex iusta causa hoc possit fieri, sed hæc causa debet esse approbata à Sac.Congreg. vt patet ex verbis *d.declarat.* ibi, *eadem Sac.Congreg. inconsulta nullo pacto adimere posse.* An verò si Episcopus ex se inconsulta Sac.Congreg.audiendi Confess.facultatem omnibus simul vnius Conuentus adimat, teneantur Regulares obedire, *Scrofa, Peyr. Lezana, Cespedes cit. & alij* dicunt non teneri, cum in tali casu Ordinarij excedant limites suæ potestatis, Et eò magis, quod Regulares à Pontifice habent iurisdictionem, & approbationem ab Episcopis. *Rodriq. tom.1.q.60.a.1.Suarez tom.4.disp.28.sect.8.n.7.Henriq.Peyr. Zanard. Mirand.* quos refert *Donat,q.20. Diana 3.p.tr.2.resol.22.* Verum cū *ex Concil. Trid, sess.25.c.15.& ex Constit. Inscrutabili* 18. *Greg.*XV. Regulares in ijs, quæ spectant ad administrationē sacramētorum subiecti sint iurisdictioni, correctioni, & visitationi Episcoporum in quorum diœcesi habitant & declaratio Congregat.data anno 1615. non irritet factum, si Episcopus eius decretum non seruet, non est vnde dicatur hanc suspensionem esse ipso iure & facto inualidam, si Episcopus omnes etiam Cōfessores vnius monasterij suspendat. Vnde praxis est, quòd in similibus casibus Regulares interim obediant, & ad S.Congreg. recurrant, *Donatus d.q.20.*

298 Sed forsan interrogabit aliquis, an si Regularis suspensus à confessionibus ab Episcopo aliquem audiat, & absoluat, sit irregularis. Non est dubium quòd sacramētaliter absoluere sit actus Ordinis, & ideo per exercitium talis actus incurri ab excommunicato, vel suspenso irregularitatem dixerunt *Palud.in 4.d.18.q.4.Sayr.tom.7.c.10. nu.8. Donatus d.tract.4.q.19.Suarez de cens.disp.10.sect.3. n.15.Bonac.disp.7.q.3.p.5.n.6. Cespedes c.6. dub.110. num.5.* Verùm aduertendum, an huiusmodi suspensio, qua Confessarij Regulares suspenduntur sit censura, vel potiùs simplex facultatis priuatio, vel suspensio. Et licet Donatus videatur requirere, quod Episcopus declaret Confessarij suspensionem non esse censuram, potiùs oppositum est verum, quia scilicet nisi suspensio procedat præmissa causæ cognitione & admonitione, prout necesse est, vt fiat in imponendis censuris *cap.sacro de sent.excom. cap. reprehensib. de appell. c. statutum, de excom. in sexto* & tradunt communiter DD. huiusmodi non est iudicanda censura. Et quàmuis ex Constit.Gregor. XV. *Inscrutabili* Episc. contra Regulares procedere possit per cēsuras si deficiant in administrat. Sacram. non tamen iudicandum est illum punire per censuram, nisi via iuris procedat seruatis seruandis. Poterit verò aliquid, præcipere sub pœna suspensionis ab officio Confessarij ipso facto, & tunc hæc suspensio si Regularis transgrediatur præceptum, erit iudicanda censura. Cæterùm dum sine causæ cognitione publica, & monitione, immò nulla reddita causa Episcopi suspendunt Confessarios, hæc suspensio non est censura, vnde nec agens contra illam est irregularis; quia exercens iurisdictionem, quam non habet, non est ex hoc irregularis *Bonac.de cens.disp.7.q.3.p.6. Diana p.5. tr.2. res.89. Cespedes de exempt. regul. cap.6. dub.110.n.7.Donatus d.tr.4. q.19.n.2.*

SVMMARIVM.

1 *Episcopus nouus potest Confessarios ad nouum examen obligare. n.299.*
2 *Licentia data ab Episcopo audiendi confessiones durat, donec reuocetur. n.300.*
3 *Priuilegium Clemen. IV. pro Prædicatoribus: num.300.*
4 *Capitulum Sede vacante reuocare posse licentias datas ab Episcopo alij affirmant, alij negant. numer.301. 302.*
5 *Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo in facultate delegata. n.303.*
6 *Facultas approbandi Confessores qualiter ordinaria. n.304.*
7 *Necessitas approbationis ex delegatione. n.304.*
8 *Capitulum Sede vacante qualiter succedat in facultate approbandi. n.305.*
9 *Approbati ad tempus eo expleto in Sede vacante nō possunt audire confessiones, nisi approbentur. numer.249.*
10 *Capitulum Sede vacante non potest iterum examinare approbatos simpliciter à mortuo Episcopo. n.306.*
11 *Capitulum non est successor Episcopi: n.307.*
12 *Episcopus simpliciter approbatos præuio examine non potest ad nouum examen vocare. n.308.*
13 *Bene approbatos ad tempus. n.308.*
14 *Approbatus simpliciter exiens à Diœcesi & rediens manet approbatus. n.309.*
15 *Regulares sine examine approbati possunt vocari ad examen. n.310.311.*
16 *Approbatum ad beneplacitum non posse suspendi, quia sit approbatus simpliciter, quidam dicunt alij negant. n.312.313.*
17 *Approbati ad beneplacitum non possunt suspendi ad nutum, & sine causa iusta. n.314.*
18 *Approbatio ad beneplacitum per mortem Episcopi non cessat. n.315.*
19 *Approbati ab Episcopo ad beneplacitum Sede vacante non possunt suspendi. n.316.*
20 *Ponitur difficultas. n.317.*
21 *Capitulum non potest suspendere Regulares à confessionibus. n.318.*
22 *Non valet consequentia potest approbare; ergo potest reuocare. 318. 319. 320.*
23 *Facultas reuocandi Licentias ad confessiones est delegata. n.318.*
24 *Occasio Constit. Inscrutabili. n.319. 320.*
25 *Ex vi Concilii Episcopi non poterant punire Regulares audientes confessiones sine approbatione Episcopi &c. n.317. 319. 320.321.*
26 *Episcopi ex vi Concilii non poterant reuocare licentias audiendi confessiones, n.321.*

Dubi-

299 Dubitatur decimotertiò, An Episcopus semel examinatos, & approbatos possit iterum examinare. In hac parte certum esse debet quòd Episcopus successor potest approbatos ab Episcopis antecedentibus iterum subijcere examini, iuxta Constit. Pij Quinti supra relatam n. 144. & Constit. Vrbani VIII. ad Episc. Gienen. supra relatam num. 153. & declarationem Sac. Congregationis Concilij item supra num. 290. positam. Circa quam tamen considerandum quòd *Villalob. tom. 1. tr. 9. dif. 53. n. 5.* quem non improbat *Diana p. 3. tr. 2. ref. 27.* existimat, quòd nec successor possit generaliter reuocare omnes licentias datas Regularibus ad nutum, & præcipere vt iterum se subijciant examini. In cuius confirmationem idem *Diana* refert consilium quoddam Alphonsi Caranzæ. Hoc idem tenet *Anton. à Spiritu sancto p. 2. tr. 2. disp. 3. n. 6.* Vbi addit referens *Dian. loco cit.* probabile esse, quòd approbatio Mendicantium sit perpetua, per extrauag. *inter Cunctas*, & per ea quæ docent *Syluest. Fam. Vega, Rodriq. Baptista*, quos refert *Del Bene tom. 2. cap. 14. d. 18. sect. 11. num. 24.* Sed non iam agendum est ex priuilegijs, quæ fuerunt reuocata. *Extrauagans enim Inter cunctas*, quæ est *Bene 11.* fuit reuocata à *Clem. 5. in Concil. Viennen.* vt patet in *Clem. Dudum de sepulturis*. Alia verò etiam priuilegia in hac parte reuocata fuerunt, & prorsus est certum, quòd ad audiendas cõfessiones secularium Regulares indigent approbatione Episcoporum. Et cum in proposito hanc legem sic explicauerit Pius V. vt dixerit successorem posse eos ad nouum examen vocare, & hoc idem declarauerit Vrbanus VIII. & Sac. Congreg. id absolutè verum est, & vniuersale, & iam approbatio Regularium non est perpetua, quin ad Episcoporum arbitrium à quolibet nouo Episcopo possit indici nouum examen, & fieri noua approbatio. Et ita seruat praxis, & tenent communiter DD. *Fagundez in prac. lib. 7. c. 2. nu. 3 n. Ricc. Mirand. Zanard. Campanil.* quos refert, & sequitur *Diana p. 4. tr. 4. ref. 200. Barbos. de off. Epis. alleg. n. 49.* & ad *cap. 15. n. 43. & 44. sess. 23. Concil. Tridens.* & apud eum *Sel.* tanquam decisum à Sac. Congreg. Conc. in *Limen. 19. Septembr. 1625. & in Albanen. 5. Febr.* 1628. & in alia *Ianuar.* 1630. *& à S. Congreg. Regul. die 23. Nouemb. 1619. Moron. lib. 2. contr. 7. n. 83. Antonell. de regim. Eccles. Epis. l. 7. c. 12. nu. 14. Barbastren. in Pastor. p. 2. q. 20. n. 19. Cespedes cap. 6. dub. 108. n. 17.* vbi hoc probat etiam ex quodam Constitut. Clem. IV. pro Ord. Prædic. apud Consetium pag. 14. quæ in Bullario dicti Ordinis habetur fol. 55. Quamuis negotium hoc exigat discretionem in Episcopo, vt non tollat simul omnes Confessores absolutè, sed conditionatè, & ad tempus, vt scilicet intra tantum tempus Confessores se subijciant examini, intra quod si non fuerint approbati, sint priuati facultate confessiones audiendi, & sic interim intra tempus examinis indicti non maneant Ecclesiæ sine Confessarij. Putat etiam *Moron. resp. 34.* quod hoc quod est Episc. successorem posse examinare approbatos ab Episcopo antecessore nõ sit ex vi Conc. Trid. sed oppositum est verum. Cum enim approbatio quam Concilium voluit haberi sit approbatio ab Episcopo loci, iam successore adueniẽte nullus est ab Episcopo loci approbatus, nisi sit approbatus ab eodem successore. Et licet hic sensus non haberetur euidenter ex Concilio, meritò tamen Pius V. in sua Constit. 133. in hoc sensu Concilium fuit interpretatus, quem sequutus fuit Vrbanus Octauus, & Sac. Congregatio. Et nõ potest aliter dici, quia tunc idem est ac si Confessor veniret ex alia Diœcesi approbatus aliunde, sed non ab Episcopo diœcesis. Si autẽ nouus Episcopus indicat nouum examen, & in edicto non nominet Regulares in specie, quòd non intelligentur cõprehensi ex *Henriq. l. 3. c. 6. num. 6. tradit Diana vbi sup.* Sed in his non est contentiosè agendum, & Regularium erit intentionem Episcoporum inquirere prudenter, & sine contentione obedire, quidquid sit an in rigore iuris sub nomine Clericorum, aut Confessorũ veniant Regulares, nisi exprimãtur.

300 Hoc quidem verum est, quòd approbatio habita ab antecessore Episcopo durat, donec reuocetur, vt tradiderunt *Io. de la Crux. de stat. Relig. l. 2. c. 3. d. 1. Sanchez de matrim. l. 8. disp. 28. nu. 80. Lezana p. p. cap. 19. num. 80. Boss. de iubileo sect. 3. casu 2. num. 135. Card. de Lugo de Pœnit. disp. 19. nu. 36. Grassius Henriq. Chamerot. Coriolan, Valer, Campan. Homobon. Ceued. Fagund. Faustus, Hurtado* quos refert, & sequitur *Barbosa ad cap. 15. sess. 23. Concil. Trid. num. 38.* Et de hoc extat priuilegium Clem. IV. datum pro Ord. Prædicatorum, & habetur apud Consetium & Cespedes c. 6. dub. 108. & in Bullario dicti Ord. fol. 55. & est sequentis tenoris. *Ex parte quidem vestra fuit propositum coram nobis, quòd licet vobis à nonnullis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Ecclesiarum Prælatis audiendi confessiones subditorum suorum, nec non prædicandi, & aliqua vota in alia pietatis opera commutandi, in suis Ciuitatibus & Diœcesibus, licentia sit concessa, quia tamen ipsis Prælatis decedentibus vti licentia huiusmodi Ecclesijs sic vacantibus dubitatis, nobis humiliter supplicastis vt prouidere vobis super hoc paterna diligentia curaremus. Vestris igitur supplicationibus inclinati, præsentium vobis auctoritate concedimus, vt in huiusmodi casu possitis vti tandiu liberè prædicta licentia, donec viduatis Ecclesijs prouisum fuerit de pastore. Nulli ergo &c. Datum Perusii 17. Cal. Iulij Pontificatus nostri anno primo.*

301 Capitulari sede vacante Vicarium Capitularẽ reuocare nõ posse facultates audiẽdi Cõfessiones à Regularibus sibi concessas à defuncto Episc. ob d. priuil. Clem. IV. dicunt *Mirand. in man. p. 1. n. 45. a. 7. Fagund. prac. 2. l. 7. c. 2. n. 18.* quos refert & sequitur *Diana p. 3. tr. 2. ref. 27. & p. 8. tract. 7. ref. 94. Anton. à Spir. Sancto p. 2. trac. 2. disp. 3. v. Seropha in quæst. moral. q. 36. a. 10. Bord. to. 1. ref. 36. q. 4. n. 24.* Hoc enim conceditur Episcopo pro tranquillitate suæ conscientiæ, vnde cum Capitulum succedat præmortuo Episcopo non futuro, non est vnde hoc sibi competere possit. Tum quia hoc non competit Sedi vacanti sed sedenti, Capitulum verò non potest sedere, cum non habeat dignitatem, tum quia Capitulum non succedit Episcopo in facultate ei delegata, at verò posse approbare, & suspendere Regulares competit Episcopo ex facultate delegata à summo Pontifice.

302 Hoc non placet Barbastrensi in sua Pastorali *p. 2. q. 10. nu. 25.* & incipiendo ab hac vltima ratione, quæ videri posset maioris momenti respondet quòd in præsenti nõ concludit ex duplici causa.

Pri-

Prima est; quòd facultas data Episcopis in *Concil. Trident. sess. 23. cap. 15.* vt nullus sacerdos sine approbatione illius possit confessiones secularium audire, non est delegata, sed ordinaria; nulla enim ibi fit mentio delegationis, sed absolutè statuitur vt nullus sacerdos etiam Regularis possit audire secularium confessiones nisi sit approbatus ab Episcopo. Ex qua determinatione veluti ex prima causa facultatem habet Episcopus etiam reuocandi approbationem, si adsit iusta causa. Totum igitur hoc competit Episcopo ex facultate ordinaria, in qua Capitulum Sede vacante succedere est indubitatum. *cap. cum olim. capit. His qui de maior. & obed. cap. vn. eod. tit. in 6. cap. Ad abolendam de haeret. cap. penult. & final. de supplend. neglig. Praelat.* & tradunt quàmplures DD. quos refert idem Barbast. *Pastor. p. 2. q. 10. num. 40.* Ex eo autem etiam colligitur, quòd haec facultas sit ordinaria; quia eadem est, & eodem modo determinitur ac illa, quae conceditur Episcopo sacerdotibus secularibus suae dioecesis, quae sine dubio est ordinaria. Secunda causa est, quia quando aliquid competit Episcopo iure communi speciali, si talis iurisdictio sit in perpetuum concessa dignitati, & muneri Episcopali, succedit in ea Capitulum Sede vacante, *Molina tom. 6. tr. 5. disp. 11. num. 3.* quem sequitur *Barb. de off. Epis. all. 133. n. 21. & de Canon. cap. 42.* Secunda eiusdem opinionis ratio (inquit ille) non probat, quoque quia cum Capitulum succedat in loco Episcopi in eius ordinaria iurisdictione sede vacante, in hoc nō cēsetur sedes vacare, sed sedes est plena, & in ea residet Episcopalis potestas. Ad primam vero eiusdē rationē dicit, quòd Capitulū etiā venit nomine successoris; quia succedi dicitur, quando sublato vltimo possessore alius subintrat in locum ipsius *l. Gallus. 29. §. videndum. 14. & §. seq. ff. de liberis & posthum. l. 3. ff. de vulgar &c.* Ideo dicitur, quòd Capitulum Sede vacante potest approbare & examinare confessarios per Vicarium à se electum, cum succedat in omni iurisdictione Episcopo competente praeter casus in iure expressos. Et hic actus non est actus Ordinis sed iurisdictionis Ordinariae. *Suarez tom. 4. disp. 28. sec. 5. num. 2. Fagundez l. 7. c. 2. num. 24. Henriq. Campan. Boss. Torreblanca Dalnin. Faustus* quos sequitur *Barbosa ad d. cap. 15. Concil. Trid. num. 27. & de pot. Epis. alleg. 25. num. 10.* & fuit hoc declaratum à Sacr. Congreg. vt ex *Campanil.* aduertit idem *Barbastrsn. q. 20. num. 38.*

303 Pro difficultatis solutione iuuat primò aduertere, quòd communior sententia docet, quòd Capitulo Cathedralis Ecclesiae non competunt ea, quae ex iure delegato competunt Episcopo vt ex *cap. pastoralis §. propterea de off. ordinarij* colligunt DD. & docent *Innoc. cap. ad abolendam*, & ibi *Io: Andr. de haereticis, & Panorm. cap. cum alius num. 2. de maioritate & obedientia, & Rota dec. 346. n. 4. p. 1. recent. Garz. de benef. p. 5. c. 7. num. 42.* & apud eum *Rota dec. 6. de off. deleg. in antiquis, & Romanus, Mandosius, Felinus, Decius, Rebuff. Azened. Sbroz. Gemnen. Leo, Bullar. & Azor.* & apud *Barbosam de Canonicis cap. 43. num. 104. Marant. Pannin. Quaranta. Petrus Barbosa, Riccius, Grilenzon, & Solorzan.* Et nouissimè idem probat *Reuerendiss. Fagnanus ad cap. His quae, num. 54. de maioritate & obedientia.* Vbi expressè, quod hoc est verum etiam de iurisdictione, quae competit Episcopo ex Generali delegatione Sedis Apostolicae. Et quód licet hoc negent aliqui, tamen hanc partem tuentur, & veriorem putant *Card. in Clem. 1. q. 8. de haeret. Panorm. d. cap. cum alius num. 2. vers. quinta dubitatur,* & communem esse, & tenendam attestatur *Franc. in cap. vn. num. 6. de maior. & ob. in 6.* & ex hoc idem *Reuerendiss. Fagnanus num. 55.* deducit, quòd potestas à Concilio Tridentino concessa Episcopis, vt Sedis Apostolicae delegatis non transit in Capitulum mortuo Episcopo. Quapropter nec Capitulum succedit in potestate delegata data Episcopis à Greg. XV. in Const. *Inscrutabili.* 18.

304 An verò potestas approbandi Regulares, quam habet Episcopus ex vi Concilij Tridentini sit ordinaria, vel delegata, resoluitur distinguendo. Nam aliud est, quòd Episcopus possit approbare, aliud quòd sine eius approbatione Regulares non possint audire confessiones. Prima facultas est in Episcopis Ordinaria. Cum enim ipsi sint Ordinarij ad administranda sacramenta in sua Dioecesi, hanc facultatem possunt ipsi sacerdoti idoneo delegare. Nedum verò in iure communi non est aliquod impedimentum per quod non possint eandem facultatem delegare Regularibus, quin immò per priuilegia Clem. IV. pro Praedicatoribus & Alex. IV. pro Minoribus quae habes supra nu. 126. & 130. Regulares habentes ab Episcopis licentiam audiendi confessiones eas audire possunt Parochorum assensu minimè requisito. Et sic Episcopi ex iure Ordinario possunt suam iurisdictionem eis delegare, & pariter possunt liberè consentire, vt Regulares in eorum Dioecesibus vtantur iurisdictione Apostolica sibi concessa quantùm fit ex parte eorum. Ex vi etiam priuilegiorum, quae fuerunt concessa Regularibus in adiutorium Episcoporum, & Dioecesum commodum habent Ordinarij ius liberè admittendi Regulares deputatos ab eorum superioribus & priuilegiatos, & eis ad profectum suarum ouium vtendi. Quo iure non sunt priuari per Concilium, quod vbi voluit Regulares esse approbatos ab Episcopis illis fauere voluit, non verò voluit ab Ecclesijs Cathedralibus & eorum Rectoribus auferre illud commune beneficium, vt liberè possent recipere commodum ex priuilegijs Regularium, & ideo hoc ius remanet veluti ordinarium & immutabile in quocumque Ordinario, vel habente locum Ordinarij Episcopo defuncto. Sed quód approbatio Episcoporum sit necessaria, non competit eis ex potestate ordinaria, quia non sunt supremi in Ecclesia; igitur ex sua ordinaria facultate non habent, immo nec habere possunt, quód in suis Dioecesibus nullus audiat confessiones nisi approbatus ab ipsis, vel nisi per facultatem ab eis datam, & ab eisdem reuocabilem; quia Pontifex Romanus Ecclesiae Orthodoxae Episcopus, & vniuersalis Pastor potest quibus voluerit dare potestatem audiendi confessiones vbique independenter ab Episcopis, & Parochis, & proprijs Dioecesum sacerdotibus, vt patet ex definitione Io: 22. contra Io: de Poliaco, supra nu. 137. Solùm ergo ex participatione, & speciali concessione, & delegatione summi Pontificis habent Ordinarij quòd eorum approbatio sit necessaria ad hoc vt sacerdotes in suis Dioecesibus audiant confessiones. Quod praecipuè verum est, supposito priuilegio à Pontifice Regularibus concesso audiendi confessiones

vbique

vbique etiam non requisitis Episcopis; quòd enim eadem Sedes Apostolica non reuocata facultate audiendi confessiones data Regularibus voluerit Regulares ea non posse vti nisi sint etiam approbati ab Episcopis, aut de eorum licentia, fuit constituere Episcopos delegatos executores gratiæ, quæ veluti in forma *dignum* concessa fuit Regularibus, delegata facultate Episcopis, vt de idoneitate cognoscant. Quod ex verbis Concil. Tridentor. apertè habetur *sess. 23. c. 15.* ibi: *Aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur*. Et hoc confirmatur ampliùs, quia facultas cognoscendi de iurisdictione Papali exercenda, non est in Episcopis ordinaria, nec' esse potest, quia nullus inferior potest de superioris facto iudicare. Modò Regulares, vt supra nu. 198. est probatum confessiones audiunt per Papalem iurisdictionem, quam scilicet immediatè habent à Papa; facultas igitur iudicandi, & approbandi ad effectum vt Regulares hac iurisdictione vti possint, non est in Episcopis Ordinaria, sed delegata.

305 Vicarij ergo Capitulares, seu Capitulum sede vacante succedit Episcopo in prima facultate, quæ est ordinaria, & propria in iurisdictionem potest delegare & concedere Regularibus. Quibus etiam potest concedere, vt quantum sit ex parte sua liberè vtantur iurisdictione Papæ, si aliàs habeat illam. Sed non succedit in eo quòd eius approbatio sit necessaria quia hoc spectat ad delegatam Episcopo facultatem. Et si dicatur hinc sequi, quòd quilibet Regularis approbatus à suis superioribus possit sede vacante audire cōfessiones, si sola approbatio Episcopi sit necessaria, negatur sequela; quia has audire non potest, si non sit approbatus ab Episcopo; & si à mortuo non fuit approbatus, nequit sede vacante ab Episcopo approbari. Et si iterum dicatur non sequi, quòd nec possit approbari à Vicario Capituli, quia ex vi Tridentini nullus potest audire confessiones nisi sit approbatus ab Episcopo, & Vicarius Capitularis nec est Episcopus, nec succedit in Episcopi auctoritate, igitur non sufficit eius approbatio, Respondetur & negatur consequentia, quia in Sede Episcopali, & Diœcesi, & illam administrante non obstante decreto Concilij remanet & potentia ordinaria approbandi, & ius illud quod ex priuilegijs antea Regularibus concessis in ea redundauit, vt priuilegiatos admittere possit, & vti, & frui commodo priuilegiorum illis concessorum. Ideo Vicarij capitulares & auctoritate ordinaria possunt sibi adhibere Regulares in ministros, & absque alia approbatione pro tempore vacantiæ possunt admittere sic approbatos cum eorum priuilegijs ad Diœcesum cum nodum, c non fuit præiudicare Concilium dum voluit approbationem Episcopi esse necessariam. Et sic Vicarij Capitularis approbatio est vtilis, sed non est necessaria nisi respectu eorum qui non fuerant a præmortuo Episcopo approbati.

306 Ad quæstionem igitur Respondeo & dico, quòd Vicarius Capitularis non potest examinatos & approbatos ab Episcopo mortuo, iterum examinare. Hoc præter DD. citat. tenet *Nicolaus v. Vicarius Capit. nu. 74.* & sic decreuit Sacr. Congreg. Episc. & Regul. 1587. Calaro 9. Iun. 135. & 1604. Napoli 14. Decem. 87. & probatur primò quia necessitate ad examen est iurisdictionis delegatæ, vt dictum est, in qua Capitulum non succedit Episcopo. Secundò quia in his, quæ contra ius commune ex iure speciali committuntur Episcopis ablato iure quæsito, & derogatis priuilegijs, sub nomine Episcopi, non venit Capitulum sede vacante. Nam vbi interpretatio est strictè iuris, sub nomine Episcopi non venit Capitulum sede vacante, vbi verò derogatur priuilegijs & præcipuè si sint iusertea in corpore iuris, cum tractetur de iure quæsito tollendo, strictissima debet fieri interpretatio. Nam & vbi agitur de iure quæsito tollendo debet fieri expressa derogatio regulæ de iure quæsito, vt resoluit *Rota coram Cas. de Grass. dec. 9. alias 3. de rescript. & dec. 1. num. 10. de verb. signif. Seraphin. decis. 1082. num. 6. Reuerendiss. Fagn. ad cap. causam quæ num. 35. de rescript.* Strictè igitur debet textus Concilij intelligi de Episcopis, non verò de Capitulo sede vacante. Sed hoc habetur expressius ex Constit. Pij Quinti 133. vbi statuit approbatos semel non posse ab eodem Episcopo iterum examinari, sed solùm ab Episcopo successore, non potest igitur Capitulū iterum ab Episcopo approbatos ad nouū examen compellere. Nec valet dicere, quod Constit. Pij fuit reuocata per Gregor. XIII. constit. 9. quia in ea constit. Greg. reducuntur ad terminos Concil. Trid. litteræ recensitæ à Greg. in §. 1. 2. & 3. vbi hæc non continetur. Sed quòd constitut. illa Pij quinti adhuc vigeat habetur ex declar. S. Congreg. supra num. 232. imo & ex breui Vrbani Octaui ad Epis. Gienen. supra num. 153. relatis, & vbi idem statuitur relatiuè ad Constit. Pij Quinti, & ita aduerterunt *Donatus tom. 4. tr. 4. q. 15. num. 3.* & alij. Quod magis ex dicendis apparebit. Capitulum igitur ad nouum examen non potest compellere confessarios, a demortuo Episc. approbatos.

307 Quod enim Barbastrensis supra contendat, quòd Capitulum veniat sub nomine successoris, nec est conforme textibus à se citatis, & contra praxim & communem intelligentiam, & veritatem, quia successor non dicitur, nisi qui sublato vltimo possessore succedit, & subintrat simpliciter, & tanquam proprietarius, & eodem titulo possidens, quo demortuus possidebat, non verò, qui subintrat pro interim. Nec inuenitur in iure quòd successor Episcopi sit alius, quàm Episcopus, qui in locum defuncti Episcopi subintrat. Sed Constitut. Pij quinti ad quam se referunt Vrbanus VIII. & Sacr. Congregatio expresse solùm Episcopo successori dat facultatem iterum examinandi Regulares approbatos. Et priuilegium Clem. IV. concedit expressè, quòd licentiæ præmortui Episcopi durent sede vacante.

308 Nam & de eodem Episcopo, qui approbauit dicitur, quod non potest Episcopus eos ad nouum examen compellere. Quamuis circa istos Sacr. Congregatio Concilij distinguat inter simpliciter, & non simpliciter approbatos: quia eos, quos Episcopus libere simpliciter approbauit, non potest nouo examini subijcere, iuxta disposit. Pij Quinti, & declarat. Sacr. Congreg. Concilij, sed vbi Episcopus concessit licentiam ad certum tempus, potest Episcopus finito eo tempore iterum exigere & compellere ad nouum examen eum qui petit approbari. De ijs quidem, qui sunt admissi ad tempus id habetur expressè determinatum in Constit. Vrbani VIII. ad Epis. Gien. supra n. 153.

rela-

eclata ibi , & eo elapso non possint confessiones audire , absque noua Episcopi ipsius licentia , & approbatione , praeuio etiam , si eidem libuerit nouo examine. Vbi notanda est illa clausula *eo* , scilicet *tempore elapso* , ex qua deducitur , quòd facultas habendi nouum examen , est pro tempore sequente tempus ad quod fuit data licentia.

309 Quando autem aliquis fuit ab Episcopo approbatus simpliciter , tantùm valet , & durat approbatio , vt si Regularis approbatus discedat etiam mutando domicilium , & eat ad aliam diœcesim , quando reuertitur post quodcumque tempus , non sit necesse vt iterum approbetur , nec possit iterum examinari . Plures verò DD. fundantur ad asserendum hoc ex quodam priuilegio Eugenij quarti pro minoribus , quod habetur apud *Casar. v. absolutio quoad seculares primò* , num.4. sed aduertendum est ex eodem Casarubias , illud esse oraculum , ideoque esse reuocatum . Sed ratio est , quia mutatio domicilij non tollit approbationem & non aufert , quin talis Religiosus præuio examine fuerit simpliciter approbatus . Ideo & rediens sine noua approbatione & examine Confessiones audire potest , vt docuerunt *Nauar. cap.27. nu.266. Rodriq. Miranda Io: de Cruce, Suarez, Reginal.* quos sequitur *Tambur. tom.2. disp.6. q.14. num.2. & ex Amico Cespedes cap.6. q.109.* si verò Religiosus fuerit approbatus ad beneplacitum , vel ad tempus , vel dum redit resideat in Episcopatu alius Prælatus , dicendum de eo erit , quæ de similibus infra traduntur.

310 Sed quid dicendum , si Episcopus approbauerit Regulares sine examine Poterit ne illos sic approbatos ad examen vocare , & nisi accedant , priuare eos facultate audiendi confessiones ? Negant *Cespedes cap.6. dub.124. & Donatus tom.4. trac 4. q 13.* Sed affirmat Bossius de triplici Iubilæi priuilegio *sect.3. casu 2. §.1. a num.39.* Addit verò Boss. quòd si Episcopus absolutè approbatos , & notoriè idoneos ex maleuolentia ad examen vocet , animo illos reprobandi , quæ maleuolentia esset nota , tunc Religiosi sic approbati non tenerētur se offerre ad examen . In dubio autem de maleuolentia tenerentur se offerre ad examen , quia in Prælato non debet præsumi maleuolentia . Sed non placet Donato , quod dicitur de maleuolentia manifesta , & non obligatione se præsentandi ad examen . Nedum quia in dubio iustitia stat pro Prælato , sed quia nec maleuolentia debet præsumi , nec poterit dici manifesta , quia poterit contingere vt doctissimus sit ob defectum prudentiæ , & morum reprobandus , & quòd Episcopus medio examine huic malo velit occurrere ad omnem bonum finem , ne vituperetur ministerium nostrum . Tum quia dato , & non concesso , quòd Confessor esset notoriè idoneus , & Episcopus malenolus , non per hoc habet ille ius ad libitum audiendi confessiones , quàmuis possit conqueri apud superiores & apud illos grauamen exponere , & interim obedire , vt mordicus defendit *Bordon. dec.568.*

311 In hac parte dico , quòd Episcopus quos approbauit sine examine potest ad examen vocare , & eos , qui accedere noluerint facultate audiendi confessiones priuare . Hoc colligitur ex const.133. Pij Quinti quæ est illa , per quam expresè statutum fuit , vt Episcopus semel approbatos , non possit iterum ad examen vocare ; nam Pontifex expresè loquitur de approbatis medio examine ibi . *Volumus autem eos , qui semel ab Episcopo in Ciuitate vel Diæcesibus suis praeuio examine approbati fuerint &c.* Vbi solis præuio examine approbatis concedit vt non possint ad nouum examen vocari . Et in similibus terminis hoc idem declarauit Sacr. Congregatio & confirmauit Innoc. X. in causa Angelopolitana , vt patet supra num.177. & de anno 1654. cum Regulares Patanij , quos nouus Episcopus priùs sine examine approbatos post multum tempus postea citauerat ad examen , prætenderent non posse ab eo examinari , & causa deducta fuisset ad Sacr. Congreg. Concilij , & partibus auditis fuisset accerrimè exagitata & semel , & iterum in Sacr. Congregatione proposita , & semel , & iterum Sacr. Congregatio respondit pro Episcopo , & Regulares coacti fuerunt subire examen , si voluerunt secularium confessiones audire . De quo ego testis sum de visu . Nam & approbationes quas dant Episcopi non præuio examine non censentur simpliciter tales , cum sint datæ non cognita causa , sed pro interim . Et quatenus dicerentur simpliciter tales , quia datæ sine examine & experimento confessariorum , non fruuntur illo priuilegio irreuocabilitatis , quod approbationibus datis præuio examine est concessum . Cæterùm quæ dicuntur à Boss. de notoria maleuolentia Episcopi , nec subsistunt in facto ; quia esto daretur (quod non debet præsumi) nequit interior maleuolentia ita esse manifesta , vt nulla possit tergiuersatione celari , & non indigeat ope iudicis , vt fiat notoria . Nam & semper dicet Episcopus se vocare ad examen , quia vtitur iure suo . Et quatenus esset notoria (quod nō admittitur de Prælatis) cum nūc & ex Concil. Trid. & respectiue ex Constit. 18. Gregor. XV. *inscrutabili* Regulares in administratione sacramentorum subiecti sint iurisdictioni , visitationi , & correctioni Episcopi , non remanet Regularibus , nisi vt vbi prætendunt se grauatos ad superiores recurrant , & interim obediant ; odium enim , vel amor præcipientis cum sint quid extrinsecum actui , non irritant vim præcepti ex legitima potestate prouenientis . Hoc tamen limitatur in casu , quem innuit *Concil. Trid. sess.23. cap.15 de reformat.* Quando scilicet cōfessarius se præsentauit Episcopo , aut examinatoribus , & tanquam manifestè idoneus fuit simpliciter approbatus ; Hic enim pro examinato est habendus , quia se subdidit examini , & tanquam manifestè idoneus sine examinis necessitate fuit approbatus.

312 Sed quid dicendum de approbationibus , quæ nec dantur simpliciter , nec dantur ad determinatum tempus , sed ad beneplacitum ? *Peyrinus ad Const. 2. Sixti IV. num.43. & 44.* existimat , Quòd approbatio ad beneplacitum sit approbatio simpliciter , & quòd non possit reuocari nisi ex causa iusta ad confessiones spectante . Quia beneplacitum adminus durat vsque ad mortem concedentis. *cap. si gratiosè* de rescriptis in 6. idem igitur est approbatio ad beneplacitum , quod approbatio vsque ad mortem , quæ est approbatio simpliciter . Item quia approbatio non est nisi iusta sententia , quòd persona sit idonea ad confessiones audiendas , qua data , Pontifex est , qui Regularibus confert iurisdictionem ; At verò sententia lata secundùm iuris

regu-

regulas nequit reuocari; non potest igitur reuocari approbatio Regularis, & si data ab Episcopo ad beneplacitum.

313 Sed quòd praxis sic, vt non habeantur isti vt approbati simpliciter aduertit *Diana p.3. tr.2. resol.36.* & Sacr. Congregat. in vna Paplen. 12. Martij 1619. declarasse, quòd Episcopus approbationes datas ad beneplacitum possit reuocare, refert *Barbosa in sum. v. Regulares quoad confessionem. n.12.* & ita tenent *Moron. l.2. contr.7. numer.81. Tambur. tom.2. disp.6. q.11. num.8.* quia licet hæc clausula *ad beneplacitum* quandam perpetuitatem importet, hoc non est, nisi quia concessum ad beneplacitum potest esse perpetuum vt aduertit *Felin. cap. ex litteris num.9. de constitut.* sed tamen simul est temporale, quia concessum ad beneplacitum ad voluntatem concedentis est reuocabile, & sic durat donec reuocetur per tradita à *Barbosa Claus.3. nu.2.*

314 Verùm vtraque sententia conciliatur, quia vtraque verum dicit. Nam cum iusta causa potest approbatio ad beneplacitum reuocari, secus sine iusta causa, & quidem ad confessiones faciendas. *Pasqualig. centur.2. q.143.* & apud eum *Celestin. tract. 8. Compend. Theol. moral. capit. 9. q.3.* Nam concessum ad beneplacitum verè non est ad nutum reuocabile, quia beneplacitum importat arbitrium boni viri, vt habet idem *Barbosa ibi num.8. ex Menoch. de arbitr. l.1. q.8. num.10.* & *Mart. claus.1. nu.12.* Arbitrium verò boni viri est à iure regulandum. *Rota apud Cæsarem de Grassis dec.7. num.7. de sent. & re iudic. & dec.8. nu.2. part.2. recent.* Ideo vbi aliquid est commissum arbitrio alicuius, quod non valeat, nisi sit legitimè factum tradunt *Gloss. cap. causam ver. si tamen*, & ibi *Panorm. nu.8. de elect.* vbi quòd arbitrium non valet, si sit contra ius scriptum. Cum igitur idem sit ad beneplacitum, quòd ad arbitrium boni viri, & hoc sit arbitrium regulatum à iure, sequitur quòd Episcopus approbans ad beneplacitum, approbat ad arbitrium boni viri, ex lege regulandum, lex verò tam naturalis, quàm Cannonica vult quòd Episcopus Regularibus, qui ex iure communi sunt veluti Parochi depotati ad confessiones audiendas, & ex priuilegijs illas audire possunt vbique, licet dependenter ab approbatione Episcopi, si sint idonei non neget facultatem audiendi confessiones, vel datam non reuocet nisi ex iustis causis, & quidem ad confessiones spectantibus. Et si Religiosus præuio examine est approbatus ad beneplacitum, non nisi ex iusta causa potest ad nouum examen obligari. Accedit, quòd officialis creatus ad beneplacitum est perpetuus, nec potest remoueri sine iusta causa. *l. Iurisperitus ff de excusat. vbi DD. Alex. in l. Principalibus num.6. ff. si cert. pet.* vbi & alij. Idem *Alex. l. Centesimus. §. si ita num.11. de verb. oblig. Iason. num.14. Ann. cons.56. num.22. vol.1.* asserens id procedere etiã de officiali creato ab Episcopo. *Mascar. de probat. concl.188. num.8. l.2. Gutierez l.2. q.11. n.4. Gonzalez ad reg.8. Cancel. Gloss.12. num.28. Menoch. in addit. ad lib. arbit. q.55. num.21.* quod valet à fortiori quoad confessarios Regulares, quorum approbatio est actus alicuius iustitiæ. Quàmuis & gratiam ad beneplacitum dici perpetuam dixerint *Capic. Dec.123. num.4. & in Add. dec.116. Riec. p.1. praxis resol.65. n.4.* & hos sequutus est *Pasqual. d. q.143. num.5.* Quia nihilominùs non est approbatus simpliciter seu sine vlla temporis præfinitione, quia est approbatus ad tempus arbitrio Episcopi terminandum, & finiendum; ideo iusta causa arbitrio Episcopi diiudicanda potest ad nouum examen cogi, & si examen subire nolit, priuari facultate audiendi confessiones.

315 Sed quid dicẽdum mortuo Episcopo? Durat ne eius approbatio data ad beneplacitum? Vel ad nouum examen potest ne sic approbatus à Vicario Capitulari cogi? Videtur quòd approbatio non duret, quia concessum ad beneplacitum morte concedentis euanescit; igitur mortuo Episcopo qui ad beneplacitum approbauit, cessat approbatio & ita tenet *Tambur. tom.2. disp.6. q.11. num.8. Donatus d. trac.4. quæst.24.* & alij apud *Pasqualig. dec.499. num.1.* Sed dico non cessare. Ratio est, quia approbatio data ab Episcopo non est gratia ex mera eius liberalitate dependens, sed ab eo datur ex debito cuiusdam institiæ vt supra n.264. fuit explicatum, & ita quòd non est nisi ex iusta causa reuocabilis. Quia Regulares & à iure communi, & per priuilegia sunt ministri depotati ad confessiones secularium audiendas; dependent verò in hoc ab approbatione & consensu Episcopi, tanquam ab arbitrio boni viri, qui non nisi ex iusta causa approbationem potest negare, vel concessam reuocare. Vbi verò quod de sui natura est perpetuum, & non potest nisi ex iusta causa reuocari, conceditur ad beneplacitum, tunc clausula ista resoluitur vt sit eadem, quod hæc alia, *donec reuocauero*; quia ex natura sua concessum durat, nisi reuocetur. Concessũ verò cũ hac clausula *donec reuocauero* durat post mortem concedentis, vsquequò à simili potestate vel à superiori reuocetur, vt ad *cap. si gratiosè de rescrip. in 6. tradiderunt Io: Andr. num.2. & 3. Anchar. num.6. Domin. nu.8. Franc. n.10.* & quàmplures alij DD. quos refert, & sequitur *Sanchez l.8. de matrim. disp. 28. num.52.* Dum ergo Episcopus approbat ad beneplacitum, idem est ac si dicat *donec reuocauero*, vnde approbatio ista nisi reuocetur ab eo, vel à superiore semper durat.

316 Hinc ad secundam difficultatem dicitur, quòd Capitulum sede vacante minimè potest hanc approbationem reuocare, vel approbatum ad examen vocare. Quia Capitulum non est successor Episcopi, & vt probatum est, nec venit nomine Episcopi, in hac materia. Et eò magis quòd in iurisdictione delegata à Gregor. XV. in sua Const. 18. concessa Episcopis supra Regulares administrantes sacramenta, Capitulum, vt probatum est non succedit Episcopo. Et eo magis, quia nequit dici quòd priuilegium Clem. IV. sit vel per Concilium, vel per Const. Gregor. XV. aut aliam sublatum; quia per huiusmodi iura Regulares non fuerunt subiecti Capitulo, sed Episcopis; & illud priuilegium directè concedit, quòd licentiæ audiendi confessiones datæ ab Episcopo durent vsque ad successorem. Et Clem. IV. directè loquitur de licentijs ad beneplacitum concessis, seu ad beneplacitum reuocabilibus; quia de illis loquitur, de quibus Religiosi Ord. Prædicatorum dubitabant eas expirare per mortem Episcopi, qui illas concesserat. Et nihilominùs concedit, quòd durent sede vacante. Quo magis confirmantur superiùs dicta, quia scilicet licentiæ audiendi confessiones ad beneplacitum datæ non expirant morte Epis-

copi. & quòd nec Capitulum potest contra voluntatem Papæ illas reuocare. Et ita quòd absolutè Capitulum sede vacante non possit reuocare licentias quas à præmortuo Episcopo Regulares obtinuerunt, docent *Miranda p.p.q.45.a.7. Fagund.in 2. præcep.l.7.c.2.nu.28. Diana p.3.trac.2. resol.27. Antonius à Spir.S.par.1. direct.tr.3.disp.3.nu.9.* & apud eum *Del bene*.

317 Sed contra prædicta est instantia: quia aliud est, quòd capitulum sede vacante examinatos, & approbatos à prædefuncto Episcopo non possit ad nouum examen vocare, aliud est, quòd non possit reuocare licentiam audiendi confessiones ex causa iusta. Nam & Episcopus quos approbauit simpliciter non potest iterum examinare, & tamen potest licentiam audiendi confessiones reuocare. Videtur autem quòd hoc possit Capitulum sede vacante, & id tenet *Donatus tom.4. tr.4. q.28.* & probat. Tum quia Capitulum succedit Episcopo in iurisdictione. Tum quia Capitulum per suum Vicarium potest approbare ad confessiones, vt tenent communiter DD. quorum plures refert *Barbosa ad sess.23. Concil.Trid.cap.15. num.28.* ergo à pari poterit & eos reprobare, quia hæ actiones sunt correlatiuæ. Tum tertiò quia non obstat priuilegium Clementis IV. supra citatum, quoniam illud fuit reuocatum per Tridentinum. Tum quartò quia Capitulum sede vacante venit sub nomine Ordinarij, At verò Ordinarij possunt reuocare approbationes, & licentias datas Regularibus ad confessiones.

318 Sed supposito quod iam fuit probatum, scilicet, quòd Capitulum sede vacante non succedit Episcopo in iurisdictione specialiter delegata Episcopo per Constit. *Inscrutabili* 18. Gregor. XV. non est difficile ostendere, quòd allata non probant. Nam primo falsum est, quod Episcopi ex vi Concil. Trid. potuerint, vel possint suspendere approbationes semel Regularibus concessas. Nec est verum quòd approbatio, & reprobatio sint correlatiua, sed sunt contraria. Episcopus approbat Parochos, quos non potest institutos destituere. Ex vi Clem. *Dudum* de sepultur. & Const. Leonis X. de qua supra n.140. & 141. necesse erat vt Confessores præsentarent se Episcopis, & ab eo etiam approbarentur. Nam ex vi Constitut. Leonis X. Episcopi poterant eos examinare, & ex vi Clem. *Dudum*, quos non iudicabant idoneos poterant reprobare. Et tamen semel approbatos & præsentatos non poterant reprobare. Vnde ergo colligitur ex vi Triden. quòd ex quo est necesse, quòd Episcopus approbet confessarios, quòd postea potuerit, vel possit eos reprobare? Lex posterior, non derogat priori nisi vbi sit illi contraria. Ex vi Clemen. *Dudum*, & extrauag. *inter cunctas*, de priuilegijs, & Constit. Leonis Decimi approbatio Regularium ad confessiones erat perpetua, vt probat *Cespedes cap.6. q.108.* & pleniùs post *Sotum 4. d.18. q.4.a.3. & Ledesmam par.1. cap.13. diff.1. post dub.10. Henriquez, Ouand. Vasquez, Coriolan. Lopez. Vega, Ramas, Capeauit. Villalobos, & Ludou. à S. Ioseph. Pasqualig. ad Lauretum de Franchis p.1. num.1392.* Huic verò non contrariatur, quòd ex vi Concilij sit necessaria approbatio, quia bene stat approbationem esse necessariam ad hoc vt à Papa Regulares obtineant iurisdictionem, vel vsum eius, & eadem non sit necessaria in conseruari. Et lex Concilij Tridentini infringens priuilegia, & ius acquisitum Regularibus strictè est interpretanda. Ex vi igitur Concilij Tridentini non colligitur, quòd Episcopi potuerint reuocare licētias datas Regularibus nec etiam ex iusta causa. Sed dato quod hoc posset colligi, addendum est ex supra probatis, quòd Capitulum in hac parte non venit sub nomine Episcopi quia hæc est iurisdictio delegata Concilium verò non requirit approbationem Ordinarij, sed Episcopi. Nec obstat, quòd Capitulum potest approbare ad confessiones, nam de iure antiquo & id facere poterat Parochus, & in facultate concedendi licentiam Regularibus ad confessiones Capitulum succedit, quia hoc conuenit Ordinario de iure communi antiquo (cui non derogat Tridentinum) & non ex speciali concessione infringente priuilegia Regularium. Quod verò dicitur Priuilegium Clem. IV. fuisse ablatum per Concilium Tridentinum, dicitur, sed non probatur. Et oppositum ex dictis constat, & habetur ex Constit. 133. Pij Quinti supra ponderata. Et ideo Confessores approbati ab Episcopo manent approbati iuxta tenorem approbationis habitæ. Et si delinquant sede vacante in vsu administrationis sacramenti Pœnitentiæ à suis Prælatis sunt puniendi, non à Vicario Capitulari.

319 Ad horum verò euidentiam opportunum est scire causam propter quam edita fuit Constit. *Inscrutabili* 18. Gregor. XV. quæ non est declaratoria Concilij Tridem. sed continet nouum ius se habens ex additione ad decreta Concilij, vt patet ex illis verbis d. Constit. *experientia compertum est, ecclesiastici regiminis rationes postulare, vt decretis huiusmodi aliquid adiungatur*. Hanc verò causam reddit Reuerendiss. Fagnanus, qui tunc erat secretarius Sacr. Congreg. Concilij, & dictæ Constit. minutam primò confecit. Ipse igitur *cap. cum Capella de priuil num.19. & seq.* refert, quòd in Diœces. Gienen. nonnulli exempti etiam Ordinum militarium & si non essent Parochi, solemnizarunt matrimonia. Et cum Episcopus qui tunc erat Eminentiss. Card. Sandoual vellet in eos animaduertere ex vi *Concil. Trid. sess.25. cap.11. de Regul.* obiecerunt illi, quod in eo capite subijciuntur iurisdictioni Episcopi solùm exempti habentes curam animarum, & quòd ipsi non inter fuerunt matrimonio tanquam Parochi, vel ratione curæ animarum, & ideo non poterant ab Episcopo puniri, sed puniendi erant à suis superioribus. Nam & non obseruantes decretum *cap.2. sess.5. & cap.4. sess.24. de reformat.* & prædicantes in suis Ecclesijs vel non petita benedictione ab Episcopo, vel eo contradicente, non ab Episcopo, sed à suis superioribus esse puniendos declarauerat Sacr. Congregat. quando enim Concilium voluit Episcopis tribuere facultatem compellendi exemptos id expressit, vt *sess.25. cap.13. de Regul.* ibi. *Exempti autem omnes Clerici siue seculares, siue Regulares ad publicas processiones vocati accedere compellantur, & in cap.3. sess.6. & in cap.4. & 24. sess.25. de Regular. & alibi*, quod non fecit *in d. cap.2. & 4.* Et similiter non obseruantes decretum *cap.15. sess 23. de reform.* audientes confessiones secularium sine approbatione Episcopi non ab eo, sed à suis Prælatis debebant puniri, vt eadem S. Congr. censuit. Sic ergo exempti illi præ-

tende-

tendebant non posse puniri ab Episcopo, sed à suis superioribus ea quo matrimonium solemnizarunt, quia ex vi *cap.11.sess.25.de Regul.* id facere Episcopus non poterat, quia ibi loquitur de administrantibus habentibus curam animarum, & alibi non est textus in quo Episcopis detur hæc facultas contra exemptos. Nam & in multis casibus iura dant facultatem cognoscendi, & non exequendi. *l.à Diuo Pio ff.de re iudic. & gloss. in Clem.1. de foro competen.* Nec inter non subditos est bona hæc consequentia. Episcopus habet iurisdictionem, ergo & personalem districtionem, vt ait *Anchar. in cap. ex quo num.17. de Regular. iur.in 6.* Præsertim verò quia actus concedendi licentiam interueniendi matrimonijs celebrandis, prædicandi in Ecclesijs sui, vel nõ sui Ordinis,& cõfessiones audiendi sunt voluntariæ iurisdictionis, à qua non rectè infertur ad iurisdictionem coercendi, quæ est contentiosa, & quæ nunquam censetur tributa in exemptos, nisi in casibus in iure expressis, vt per *Io.Andr. Gemin. & Franc.in cap.Episcoporum de priuil. in 6.* Vnde in simili quamuis in Clem.1. de sent. excom. Regulares vtcumque exempti iubeantur seruare interdicta Ordinariorum, tamen si ea non seruauerint, non propterea puniri possunt ab ipsis secundùm Vitalin. ibi post Paulum num.92.

320 Cum ergo Eminentissimus Card.Sandoual hæc repræsentasset Sacr. Congregationi, visa sunt ei indigere speciali Sedis Apostolicæ remedio. Nam & si verba Concilij clara sint, & non admittant interpretationem, alias tamen visum fuisset absurdum, quòd melioris conditionis esset, qui sine auctoritate vnum vel alterum sacramentum administrat, quàm ille qui illa administrat ratione curæ animarum, vt hic subdatur iurisdictioni & correctioni Episcopi, & non ille. Et vlteriùs, quia valde absurdum visum fuit quòd cum hæc concernant animarum salutem, & spectent ad curam, & sollicitudinem Episcopi, ipse habeat manus ligatas & officium suum in hac parte exequi non possit, cum executio sit pars iurisdictionis. *cap. si Delegatus de off.delegati in 6.* Et ob eandem rationem quia visa sunt etiam egere speciali prouisione supradicta de Regularibus, qui vel sine benedictione, aut Episcopo contradicente prædicant, vel sine Episcopi approbatione audiunt confessiones secularium, ideo Sacr. Congregatio iudicauit expedire, quòd si sanctissimo placuisset adderetur ad decreta Concil. Trid. & daretur Episcopis facultas coercendi exemptos ad obedientiam decretorum Concilij, & puniendi illos, si in ea deliquissent. Et cum tunc temporis Card. Ludouisius Sacr. Congreg. Regularium retulisset abusus circa monasteria monialium ei subiectarum, & Sacr. Congreg. Regularium monita de eo quod agebatur in Sacr. Congreg. Concilij circa priuilegia exemptorum indicauit opportunum esse, quòd in eadem Congreg.tractaretur etiam de remedio circa monasteria monialium, & quòd etiam hoc caput in constitutione quæ maturabatur, insereretur, re examinata in Sacr. Congreg. Concilij indicatum fuit expedire si placuisset sanctissimo per nouam constitutionem eas facultates tribuere Episcopis, quæ per illam Constitut. tributa sunt.

321 Patet ergo ex his, quòd & de mente Sacr. Congreg. & Pontificis Episcopi ex vi Concilij Tridentini non habebant facultatem puniendi Regulares si vel prædicassent sine benedictione Episcopi, vel audiuissent secularium confessiones non approbati ab Episcopis. Quòd si non poterant huiusmodi confessores ex hac causa punire, neque poterant approbationem datam reuocare, quia hæc punitio quædam erat. Et si Episcopi cognita causa, ex vi iuris non poterant dictos delinquentes suspendere à confessionibus, vel priuare; multò minùs id poterant facere extraiudicialiter, & ex suo arbitrio, nulla causa assignata. Et sic magis patet, quòd hoc Episcopis conuenit ex vi Constit. Gregor.XV. ideoque ex iurisdictione sibi delegata, in qua non succedit Capitulum sede vacante. Vnde illud non potest delinquentes Regulares in huiusmodi punire nec eos à Confessionibus suspendere, sed hoc spectat ad eorum superiores. Sed in horum confirmationem adest declaratio S.Congr.Concilij data die 10.Iunij anni 1662.in vna Burgen.iurisdictionis cum enim Vicarius Capitularis Burgen. petijsset respõderi his duabus quæstionibus. Primo an Vicario Capitulari cõpetat facultas approbandi Regulares ad cõfessiones secularium audiẽdas. Secũdo quatenus Regulares absq; huiusmodi approbatione dictas cõfessiones audiant, an possit aduersus illos per Vicar. Capitularẽ animaduerti. S.Congreg.ad primam respõdit affirmatiue, & ad secundã negatiue.

SVMMARIVM.

1 *Regulares quoscumque ad se accedentes possunt sacramentaliter audire, si sint approbati. nu.322.*
2 *Regulares vbique possunt audire confessiones dummodo sint approbati ab Episcopo loci. n.323.*
3 *Quod ex pluribus priuilegijs constat. n.323.*
4 *Quod in Ecclesijs Parochialibus non possint Regulares audire confessiones, aliqui sentiunt. num.324.*
5 *Alij negant. n.325.*
6 *Præceptũ audiendi confessiones est personale. n.325.*
7 *Valet argum. a loco ad personam, & econtra. n.325.*
8 *Regulares sunt coadiutores Parochorum. n.325.*
9 *Parochi vbique audiunt confessiones. num.325.*
10 *Audire confessiones in Ecclesia Parochorum contrã licentia non petita, nõ est illis iniuriosũ. n.326.*
11 *Audire confessiones est actus iurisdictionis voluntariæ. nu.327.*
12 *Licet vti iurisdictione voluntaria in alieno territorio. nu.327.*
13 *Parochus non habet ius vt in sua Ecclesia quis non vtatur iurisdictione voluntariá. n.327.*
14 *Regulares in Ecclesijs Parochialibus possunt audire confessiones etiã irrequisito Parocho. n.328.*
15 *Per accidens id non licet. n.329.*
16 *Custodia Ecclesiæ spectat ad Parochum. n.329.*
17 *Ratione scandali erit illicitum audire confessiones in Parochiali inuito Parocho. n.330.*
18 *Et ex alijs circumstantijs. n.331.*
19 *Prima opinio non loquitur consequenter. nu.332.*
20 *Vel per se non est illicitum audire confessiones in Parochiali, vel etiam est nullum. n.332.*
21 *Vbi Episcopus limitate approbet, seruanda limitatio. n.333.*
22 *Possunt audire confessiones ægrotantium. nu.334.*
23 *Etiam si sint approbati pro certa Ecclesia. n.334.*
24 *Fidem confessionis debent relinquere. n.335.*
25 *Extra diœcesim in qua sunt approbati, non possunt Regulares confessiones audire. nu.336.*

322 Dubitatur decimoquarto quantùm se extendat approbatio, seu facultas Confessarij Regularis approbati in Diœcesi pro Confessionibus audiendis? Et respondetur, quòd vbi approbatio non sit limitata, se extendit ad omnes personas ad ipsos Regulares accedentes, etiam si sint alterius diœcesis, Hoc enim illis concessum fuit per plures Pontifices, & præcipuè per Paulum IV. Prædicatoribus supra num.129. Nicolaum quintum pro Minorib. supra num.130. & pro eisdem per Paulum quartum supra num.132. Iulium secundum pro Minimis supra num.134. Paulum Tertium pro Societate, supra num.135. Et huiusmodi priuilegium non fuit à Concil. Trid. reuocatum, quia Concilio satisfit si Confessarij non audiant, nisi approbati. *Suarez tom.4. de Relig. trac.10. l.9. cap.2. num.8. Donatus tom 4. tr.4. q.34. & 35.*

323 Secundò facultas ista audiendi confessiones extenditur ad omnem locum. *Suarez tom.4. de Relig. tr.10. lib.9. cap.2. num.9.* ait olim dubitatum fuisse de priuilegijs mendicantium, an se extendant ad audiendas cōfessiones extra proprias Ecclesias, sed non posse esse dubium in hoc de priuilegio Pauli Tertij pro Societate cum in eo nullum sit verbum per quod colligi possit huiusmodi restrictio ad locum aut domum Societatis, nam clausula illa *ad vos vndequaque venientes* respicit personas, non locum, Sed in hoc antiqua mendicantium priuilegia nedum æqualia sunt, sed aliqua excedunt. Nam & in antiquis priuilegijs, vt in priuilegio Pauli IV. pro Prædicatoribus supra num.129. & eiusdem Pauli IV. pro Minoribus supra num.132. clausula *ad eos pro tempore recurrentium* respicit personas non locum. Sed alia priuilegia quantùm ad hoc punctum sunt clariora. Nam Gregor. IX. vt habetur supra num.125. scribens & mandans Archiepiscopis, & Episcopis alijsque Prælatis, vt fratres Prædicatores missos ad prædicandum benignè recipiant, & suos subditos admoneant, vt verbum Dei de illorum ore audiant, & eis sua peccata confiteantur, *cum*, inquit, *ipsis auctoritate nostra liceat confessiones audire, ac pœnitentias iniungere*) de Ecclesijs, & locis totius mundi loquebatur, Nam & ad omnes Archiepiscopos, & Episcopos & Prælatos mundi literæ Pontificis directæ fuerunt, & fratres hujus ordinis ad audiendas vbique confessiones auctoritate Apostolica facultatem habebant. Sed & priuilegium Clem. IV. pro Prædicatoribus supra num.126. & Alexand. IV. pro Minoribus, supra num.130. nihil habet de confessionibus in Ecclesijs dictorum Ordinum habendis, sed absolutè decernit, quòd habentes licentiam audiendi confessiones vel ab Episcopis, vel à Legatis, vel à Pontifice, possint eas audire etiam irrequisitis inferioribus Prælatis, & Parochis. Sed priuilegium Iulij secundi pro Minimis, supra num.134. est magis clarum, & expressum, ibi. *Nec non confessiones quarumcumque personarum &c. vbilibet audire.* Manifestum igitur est ex his, & alijs priuilegijs, quòd facultas audiendi confessiones concessa Regularibus non est determinata ad eorum Ecclesias, sed est extensa ad omnem locum dummodò confessores ab Episcopis locorum sint approbati. Et hoc etiā habetur ex Clem. *Dudum* de sepulturis, in qua nulla est limitatio nisi pro Diœcesi, quæ limitatio oritur ex eo, quòd Episcopus non potest dare licentiam nisi pro sua Diœcesi; Cæterùm absolutè absque limitatione conceditur Regularibus vt intra Diœcesim confessiones audire valeant. Ideo quòd Regulares extra proprias Ecclesias, & vbique dum ab Episcopo loci sint approbati possint confessiones secularium audire docuerunt *Gloss. in d. Clem. Dudum. v. liberè. D. Thomas opus.19. cap.4. D. Anton. 3. p. tit.17. cap.9. Sotus 4. d.18. q.4. a.5. Petrus Sotus lect.5. de confes. Suarez disp.26. de pœnit. sect.1.* & loco supra citato. *Nauar. cap. Placuit n.56. de pœnit. dist.6. Henriq. Reginal. Zerola, Conimb, Bonac.* quos refert & sequitur *Pasqualig. cent.2. q.598.* Et hoc est verum etiam inuitis Parochis ex dictis priuilegijs Clem. IV. pro Prædicatoribus supra nu.126. & Alexand. IV. pro Minoribus supra n.130. & docent *Syluester v. Confessor 2. q.1. §. quartò requiritur.* Vbi hoc probat ex Clem. *Dudum*, quæ ex quo prohibet audire confessiones extra Diœcesim, concedit vt intra audire possint. *Miranda p.p. q.45. a.14. concl.2. Tambur. de iure Abb. tom.2. disp.6. q.13. num.1. Portel v. Confessor num.8. Peyrin. de priuil. tom.3. cap.2. num.23. Megal. & Rodriq.* quos sequitur *Pasqualig. dicta q.198. num.1.*

324 Difficultas tamen est, an in Ecclesijs ipsis Parochialibus possint Regulares etiam non petita licentia Parochi confessiones audire. Id licitè fieri non posse tenet *Donatus tom.4. trac.4. q.34.* in fine ex *Bordon resol.36. num.53.* Hanc tamen licentiam non esse de substantia tradit idem Donatus. Ratio prioris dicti est, quia per talem actionem fit iniuria Parocho, & perturbatur eius iurisdictio. Vnde est, vt habet Bordon. quòd talis Confessarius potest puniri ab Episcopo, quia delinquit in administratione sacramenti confessionis.

325 Econtra *Pasqualigus d. quæst.198.* pluribus probat non esse necessariam hanc licentiam, licet ex quadam æquitate conueniat eam petere. Tum quia priuilegium audiendi confessiones est personale non locale, vt tradiderunt *Miranda d. q.45. a.14. concl.3. in fin. Villalobos p.p. tract.9. difficult.54. num.2. Rodriq in Compend. Resol.31. n.16. Tambur. tom.2. disp.6. q.13. nu.4.* Cum ergo priuilegium personale sequatur personam. *l. in omnibus ff. de reg. iuris. cap. Priuilegium, de regul. iuris in 6* potest priuilegiatus vti tali priuilegio in omni loco, saltim intra territorium concedentis. Et cum Papæ territorium sit Orbis, priuilegiatus à Papa vbique vti potest priuilegio. *Suarez l.8. de legibus cap.26. num.1.* Regularis ergo priuilegiatus a Papa ad audiendas confessiones vbique illas audire potest, nec potest Parochus illum impedire. Tum secundò quia non minùs Parochiani sunt sub iurisdictione Parochi quàm Ecclesia, cum igitur etiam inuito Parocho Regulares approbati possint audire confessiones Parochianorum poterunt eas audire etiam in Ecclesia Parochiali, quia valet argumentum de loco ad persona m, & de persona ad locum. *l.1. §. Offilius. ff. Ne quis eum, qui in ius. cap. Peruenit, & cap. cum Ecclesia. De immun. Eccles. & notant Anchar. cons.11. nu.7. Tuscus lit. A. conclus.502. num.3. Euerard. loco 41. in 18. specie loci, Decius Riminald. socin.* & alij. Tertiò quia Regulares sunt cooperatores, & coadiutores Parochorum ad hoc deputati à summo Pontifice, vt desumitur ex d. Clem. *Dudum*, ibi. *Tanquam cooperatores eorum*

idoneos,

idoneos, vt notat etiam *Rodriq. tom.* 3. *q.*3 *t. a.*4. & Pontifex ibi præcipit, vt eos tanquam tales ideſt cooperatores admittant; ergo cum inferior coadiutorem ſibi datum à ſuperiore non poſſit reijcere, non poſſunt Parochi impedire, quin Regulares in Parochialibus Eccleſijs audiant confeſsiones. Quartò quia Parochi vbique locorum audire poſſunt confeſſiones. ſuorum Parochianorum vt fert communis ſententia, & hoc quia Parochi vbique retinent iuriſdictionem in ſuos ſubditos; ergo & confeſſores Regulares habentes iuriſdictionem ad audiendum confeſsiones quorumcumque, quia illam retinent etiam dum ſunt in Eccleſijs Parochialibus, ea vti poſſunt.

326 Quamuis verò prior opinio prima quadam apparentia videatur rationabiliter amplectenda, tamen per ſe loquendo ratio conuincit, vt ſecundæ adhæream, quia prima ſupponit falſum, ſcilicet, quòd audire confeſsiones intra Eccleſiam Parochialem non requiſita licentia Parochi immò eo inuito ſit illi iniurioſum, & ſit violare illius iuriſdictionem & ius. Hoc autem conuincitur eſſe falſum. Tum primò ex iure priuilegiorum. Quia Parochus nullum vel minimum habet ius contra ſummum Pontificem, vt de eiuſdem Pontificis licentia eo irrequiſito, immò & inuito non poſsit quicumque intra Eccleſiam Parochialem ſacramēta adminiſtrare. Nam immò eſſe erroneum ſi quis ita ſentiret iudicauit Clemens quartus in priuilegio pro Prædicatoribus ſupra nu.126. ibi. *Nedum à Romano Pontifice, de quo proculdubio eſſet erroneum dubitare, an in omnes, ſine alienius conſenſu, immò etiam inuitis quibuslibet, huiuſmodi poſſit concedere facultatem.* Cum ergo ſummi Pontifices conceſſerint Regularibus, vt audiant confeſsiones etiā in Eccleſijs Parochialibus, vt ex ſupra ponderatis priuilegijs conſtat; non eſt vnde prætendant Parochi ſibi fieri iniuriam, ſi eis irrequiſitis in eorum Eccleſijs Regulares audiant confeſsiones. Nam & hoc Prædicatoribus expreſsè cōceſsit Clemens IV. ſupra num.126. & Alex.IV. Minoribus, ſupra num.130. dum abſolutè, & ſine limitatione conceſſerunt, & voluerunt quòd habentes licentiam audiendi confeſsiones vel ab Epiſcopo, vel à Legato vel à Pontifice eas irrequiſito Parocho audire poſſint. Et hoc magis explicatur ex eo quòd Paſqual. conſiderauit, quòd ſcilicet Regulares Confeſſores ſunt coadiutores Parochorum illis dati à Pontifice; vnde Parochi nullum ius habent, vt nolint illos habere vt coadiutores etiam in proprijs Eccleſijs.

327 Sed ſecundò hoc idem euidentiùs probatur ex eo, quod audire confeſsiones eſt actus iuriſdictionis voluntariæ, ſi quidem iudicium pœnitentiæ non agitur inter partes, nec cum ſtrepitu. De iure verò communi eſt, quòd exerceri poſsit iuriſdictio voluntaria in alieno territorio. *l.*2. *ff. de off. Pro conſ. vbi DD. & cap. Nouit. de offic. Legati & ibi Innoc. & Panorm. num.*3. *Bartol. in l. vnica n.*6. *ff. de confeſſ. Conar. Variar. cap.*20. *num.*8. aſſerens omnes ita ſentire. *Nauar. conſ.*14. *nu.*3. *de Clandeſ. deſponſ. Sanchez l.*3. *de matrim. diſp.*19. *nu.*8. *Oldrad. conſ.*88. *Richard in* 4. *diſt.*18. *a.*9. *q.*3. *Aſten. p.*2. *ſum. l.*7. *tit.*13. *q.*1. *a.*4. *Angelus v. abſolutio* 2. *num.*5. *Sylueſ. v. abſolutio p. num.*15. *dub.*2. *Tabien. v. abſol.*2. *num.*15. *Paſqual. d. q*198. *num.*8. Vbi quòd poſsit Epiſcopus in aliena Diœceſi abſoluere proprios ſubditos etiam in foro fori docent *Gonzalez ad reg.*8. *gloſſ.*62. *nu.*52. *Ledeſma* 2. *p.*4. *quæſt.*26. *a.*2. *d.*1. aſſerens eſſe communem ſententiam. *Sayr. l.*2. *de cenſ. cap.*21. *num.*28. *Barboſa de off. Epiſ. all.*6. *nu.*17. Et hæc eſt vnica ratio ob quam DD. omnes aſſerunt, quòd Parochus extra propriam diœceſim vbique terrarum poteſt audire confeſsiones ſuorū ſubditorum; quia ipſe iuriſdictionem in eos habens voluntariam poteſt in aliorum territorio illam exercere. Vnde eſt quòd etiam intra Regularium Eccleſias, & monaſteria poteſt Parochus ſuorum audire confeſsiones. Neque igitur Parochus habet ius, vt qui habet iuriſdictionem voluntariam eam exercere non poſsit intra eius Eccleſiam ipſo irrequiſito, immò & inuito per ſe loquendo, quia in hoc non eſt rationabiliter inuitus, cum non habeat ius vt exercitium iuriſdictionis ordinariæ impediat.

328 Dicitur ergo, quòd per ſe loquendo, & præſcindendo à circumſtantijs Regulares approbati poſſunt audire confeſsiones etiam intra Eccleſias Parochiales, etiam irrequiſito Parocho, immò etiam ipſo inuito, quia rationibus dictis Parochus nullum habet ius vt confeſsionem talem impedire poſsit, & Regulares aliàs vtuntur iure ſuo, quod habent etiam ex iure communi concedente vſum voluntariæ iuriſdictionis in quocumque alieno territorio.

329 Dicitur ſecundò, quòd per accidens poteſt eſſe, quòd non liceat Regularibus audire confeſſiones intra Eccleſias Parochiales. Nam primò cuſtodia Eccleſiæ pertinet ad Parochum, cuius eſt eam claudere, vel aperire. Ideo non poteſt Regularis vel Eccleſiam irrequiſito Parocho aperire & multò minùs eo inuito, vel eum impedire ne eam claudat, quando id indicat opportunum, & in hoc fieret iniuria Parocho ſi in hoc ſua iuriſdictione impediretur. Et quàmuis male faceret Parochus ſi extra horam, vellet claudere Eccleſiam, & eijcere ex ea fideles, & ſimul Regulares, & ſic impedire exercitium confeſſionis, tamen in hoc non poſſet Parochus vi priuata impediri in exercitio ſuæ iuriſdictionis, licet ea abuteretur. Sed tamen Regularis Confeſſor dū eſt in Eccleſia cōfeſſiones audire poteſt, etiā ſi ibi ſit inuito Parocho, & tūc poterit eſſe quòd peccet, quia ibi maneat inuitus, nō tamē peccabit quia cōfeſſiones audiat, & bene cōtingere poſſet quod nec peccaret ex eo quòd inuito Parocho in Eccleſia maneret, cū Parochus irrationabiliter vellet eū eijcere; Neq; enim Parochus ius habet vt tempore, quo ſolet & debet Eccleſia manere aperta ad vſum diuinorum, illam claudere velit ad nutum, ſine ratione, nam & fideles ad vſū Eccleſiæ verum ius habent, & ſi Parochus vim faceret, poſſent fideles ſe defendere.

330 Pariter ex lege charitatis, & neceſſitate vitandi ſcandali, poteſt Regularis obligari ad non audiendas confeſſiones in aliorum Eccleſijs inuitis aut irrequiſitis eorum Rectoribus. Neceſſe eſt enim vitare iurgia, & contentiones, & ſcandala. Nam & ex miſericordia debemus compati infirmitati proximi; vnde nulla exiſtente neceſſitate audiendi confeſſiones in Parochiali Eccleſia imprudentiæ eſſet, & contra charitatem velle id exercere tunc cum præſumi debet, quod Parochus vel ex infirmitate, vel ex ignorantia ſcandalizabitur. Nam

& hoc

& hoc eſt ſcandalum puſillorum ſecundùm *D. Th. ſupra q.43.ar.7.* propter quod etiam ſpiritualia bona ſunt vel occultanda, vel differenda, niſi neceſſitas aliud ſuadeat. Quamobrem ſæpiùs contra legem charitatis poterit peccare Regularis, ſi irrequiſito Parocho velit in Parochiali audire confeſſiones. Et eò magis, quòd huiuſmodi actio apud non ſcientes iura mali ſpeciem habere poteſt, & ex charitate tenemur abſtinere etiam ab actionibus, quæ mali ſpeciem habent, iuxta eundem *S. Thom. d q.43.a.1.ad quartum & n.2. 6.*

331 Ex alijs etiam circumſtantijs poterit peccatū adeſſe, & aliàs per ſe ſatis honeſtum, & æquū eſt, vt Regularis in aliorum Eccleſijs ſine ſaltem tacita, aut præſumpta licentia confeſſiones non audiat.

332 Prima verò opinio conſequenter non loquitur, ſed ſibi ipſi contrariatur. Nam per priuilegia aut legem communem vel derogatur cuicūque prætenſo iuri Parochi, vel non derogatur. Si derogatur; igitur nulla iniuſtitia eſt in Parochialibus etiam inuito Parocho audire confeſſiones ex priuilegio. Si non derogatur; ergo ſic audire confeſſiones nedum eſt illicitum, ſed irritum & nullum, cum ad tales confeſſiones nō ſe extendant priuilegia, ſed cenſeantur habere in ventre conditionem, ſi alienæ Eccleſiæ Rector conſenſerit; qua deficiente, nec adeſt priuilegium. Et ita vnum de duobus dici debet, vel quòd huiuſmodi confeſſio per ſe non eſt illicita, vel quòd ſi eſt illicita eſt ſimul nulla.

333 Non approbo tamen, quod habet *Tambur.d.q.13.n.2.* quòd ſcilicet etiā ſi Epiſcopi in eorum licentijs ponant clauſulam, quòd non poſſint audire confeſſiones in Eccleſijs Parochialibus niſi de licentia Parochorum, poſſint nihilominùs Regulares ibi confeſſiones audire, quia Epiſcopi non poſſunt limitare priuilegia Regularium. Nam conſiderandum eſt, quòd Epiſcopi iam poſſunt limitare licentias ad locum, ex cauſa rationabili. Vnde ſi clauſula illa ſumatur taxatiuè, confeſſiones nulliter audientur; & aliàs non ſeruare illam conditionem malum erit, & Epiſcopus poterit animaduertere in eum qui ſic audiat confeſſiones, tanquam in eum, qui delinquat in adminiſtratione Sacramenti.

334 Hinc ſequitur quòd Regulares poſſunt in ſuis domibus audire confeſſiones ægrotantium, nec Parochi poſſunt illos impedire, hoc enim illis competit ex priuilegio conceſſo Minoribus à Paulo IV. in Conſt. *Cum ſicut &c.* quæ in Bull. Rodriq. eſt tertia, & in qua concedit, vt infra. *Nos igitur &c. quod de cætero tam dictorum, quàm aliorum quarumcumque Prouinciarum, Ciuitatum, & Diœceſum per totum Orbem omnium vtriuſque ſexus fidelium pro tempore dicti Ordinis fratres à ſuis Superioribus, vt moris eſt, deputati Confeſſores etiam infirmorum vbilibet, etiam extra domos & habitacula eorumdem fratrum audire, eoſque in caſibus & cenſuris, quibus eis per priuilegia Sedis Apoſtolicæ huiuſmodi hactenus conſenſum eſt, poſſe abſoluere, & ipſi abſoluere conſueuerunt, abſoluere, & pœnitentiam ſalutarem iniungere &c.* Et hoc idem conceſſit omnibus Mendicantibus inhærens conceſſioni iam factæ per Paulū Quartum Pius Quintus, in ſua Conſt.41. *Etſi Mendicantium* §.4. quæ pro hac parte non eſt ablata per Conſt.9. *In tanta* Gregor.XIII. Tum quia conceſſio Pij Quinti innititur Conſt. Pauli IV. cui nihil Gregor. derogat. Tum quia hoc non eſt contra Concil. Triden. quod hoc ſtatuit tantùm, quòd Confeſſarij ſint approbati ab Epiſcopo, non verò prohibuit non poſſe confeſſiones ægrotantium audiri extra Eccleſiam in domibus eorum. Tum quia hoc idem declaratum eſt per Sac. Congregat. 2. Iulij 1587. quam referunt *Quaranta in v. Priuilegia Regularium. & Lezana p.1.cap.19.num.31.* ſub his verbis: *Confeſſores, qui in domibus laicorum confeſſiones ex cauſa audierint ſtatim Parochum admonere teneantur, & fidem auditæ confeſſionis pro Medico adueniente relinquere.* Et cum teſte *Barbos. de off. Curati p.2.cap.19.num.23.* Quidam Parochus conquæſtus fuiſſet apud Sac. Congreg. Epiſc. & Regularium, quòd Minores de Obſeruantia ſine eius licentia audirent confeſſiones ægrotantium in eorū domibus Sac. Congreg. in vna *Senogallien 22. Ianuar.1616.* reſpondit id, eiſdem prohiberi nō poſſe, dummodò ipſi ſint ab Epiſcopo approbati, & ſtatim Curatum moneant. Et hoc idem declarauit eadem Sac. Congreg. in vna *Anconitana 6. Octobris* 1645. apud *Nicolium in Floſculis v.Confeſſarius num. 27.* Sed & id priùs declarauerat die prima Iulij, vt ex *Sell.* habet *Barboſa in ſum.v.Regulares, quantùm ad confeſſ. Collect.636. num.11.* Vnde in hac parte ſine dubio poſſunt Regulares etiam ſi aliàs ſint approbati pro eorum Eccleſijs tantùm, audire confeſſiones infirmorum extra Eccleſiam in domibus infirmorum, etiam Parocho repugnante. Sed iuuat per extēſum ponere decretum Sac. Congregationis Regularium, quod cum ſuo memoriali excepi ex impreſſione Camerali, & eſt ſequentis tenoris, videlicet.

Eminentiſs. & Reuerendiſs. Signori.

Per parte de' Frati Oſſeruanti di S. Franceſco, ſi rappreſenta all' Eminenze Voſtre, come Monſig. Veſcono di Narni, & altri d'altri luoghi contro li Decreti di queſta Sac. Congregatione, riſtringono la facoltà a' Regolari di confeſſare infermi ſecolari, e ne pongono la prohibitione nelle patenti di Confeſſione, che danno loro mentre gl'approuano. Si ſupplica per tanto d'opportuno rimedio, vertendo queſto in pregiuditio de' poueri infermi penitenti, e d'eſſi Regolari Che &c. quas &c.

Sacra Congregatio Cardinalium negocijs Regularium præpoſita, inhærens declarationibus aliàs desuper editis, cenſuit, Regulares prædictos à locorum Ordinarijs ad audiendas perſonarum ſecularium confeſſiones approbatos, non poſſe ab eiſdem Ordinarijs prohiberi, ne earumdem perſonarum ægrotantium in proprijs illarum domibus confeſſiones audire poſſint abſque licentia Parochorum; dummodo relinquant ſchedulam, vel notificent ipſis Parochis, quod pœnitentiæ Sacramentum huiuſmodi fuerit ab eis miniſtratum. Romæ die 13. menſis Septembris 1641.

Fr. Ant. Card. S.Honuph.

Loco ✠ ſigilli.

L. Archiep. Theb. Sec.

Romæ autem Congregatio Viſitationis Apoſtolicæ ſub Vrbano Octauo hoc idem Regularibus conceſſit; explicauit verò infirmitatem debere eſſe gra-

granem, & quòd Confessarius eadem die ante vel post Parochum certiorem faciat de audita confessione. Hoc verò decretum à me acceptum hic Romæ ex impressione Camerali, est tenoris, qui sequitur, nempe.

CONGREGATIO S. APOSTOLICÆ Visitationis.

DE mandato Sanctiss. D. N. Vrbani Papæ VIII. viuæ vocis oraculo ei facto iustis de causis præcipit omnibus, & singulis Confessarijs, tàm sæcularibus, quàm cuiusuis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam de necessitate exprimendæ Regularibus, quocunque nomine nuncupatis, cuiusuis gradus, & dignitatis in suo Ordine, ne imposterum tam Virorum, quam Mulierum, cuiuslibet qualitatis, vel conditionis existans, præterquam si graui infirmitate detenti, vel detenta sint, sacramentales Confessiones, in illorum, seu illarum, vel etiam alienis ædibus audiant, nisi de licentia Illustriss. Cardinalis Vrbis Vicarij, seu Reuerendiss. D. eius Vicesgerentis inscriptis concedenda (exceptis tamen Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium, & Principum virorum secularium, videlicet Oratorum Regum, & magnorũ Principũ; necnon, & Ducum, ac Rom Pont. qui fuerũt, vel pro tempore erunt Nepotũ) hoc etiam addito, vt ijdem Confessarij in mulierum huiusmodi sacramentalibus Confessionibus audiendis, cubiculi ianuam apertam, ac velum leuatum, semper habeant, ita vt conspici non autem audiri possint: sacramentumq; Confessionis huiusmodi Confessarij sæculares cum superpelliceo, & stola: Regulares vero, cum stola ministrent in Ecclesia, nisi ex rationabili causa audire aliquos in Sacrario, seu alio decenti loco, quandoque occurrat. Contrafacientes non solum suspensionis a Confessionibus audiendis, verũ etiam alias pœnas arbitrio eisdem Congregationis eò ipso incurrant. Insuper Confessarijs huiusmodi sub eisdem pœnis iniungitur, vt si eos vigore facultatum eis concessarum, Confessiones infirmorum huiusmodi in priuatis domibus audire contigerit, Parochum dictorum infirmorum, ante, vel saltem eadem die, qua Confessionem audierint, absolutionemq; infirmis impartiti fuerint certiorem reddere debeant. In quorum &c. Dat. Romæ in loco solito Congregat. die 10. Iuly 1625.

O. Episc. Cabellionen. S. Visit. Sec.

Odoardus Tibaldescus Not.

De his vide Lezanam *p.p.c.19. n.31. Barbosam de Paroch.p.2.cap.23. Donat.tom.4. tr.4.q.35.*

335 Quòd si quærat quis, an omnino sit necessarium quòd Confessarius relinquat fidem in scriptis de audita confessione *Filliuc.tract.7.n.34. Nugnus 3.p.q.6.a.5. d.2. Scorzia Epitome 89. Thedrem. 215.* quos refert, & sequitur *Diana p.3.tr.4.res.93.* loquentes de Constit. Pij V. *super gregem*, quæ est in Bullario Cherub. arbitrantur consuetudinem ita interpretatam fuisse illam Constit. vt non sit necessaria fides Confessarij in scriptis, sed sufficiat testimonium illorum, qui infirmi curam gerunt. Et immò, quòd talis possit esse infirmus, vt eius testimonium sufficiat; sed neque Pius V. ibi requirit fidem Confessariorum in scriptis, vt aduertit *Cespedes de exemp.Regul.d.147. n.13.* monens n.11. Regulares non astringi præcepto Episcopi mandantis talem fidem adhiberi in scriptis. Quod non approbo, quia Regulares in administratione sacramentorum ex vi Const. *Inscrutabilis* Greg. XV. sunt subiecti iurisdictioni Episcopi. Puto tamen in hoc puncto stari posse consuetudini legitimè præscriptæ, nisi aliud præcipiatur.

336 Extra Diœcesim verò in qua approbati sunt, si sint in alia diœcesi nullus Regularium potest secularium confessiones audire, quia Episcopi loci approbatio est necessaria, vt supra est probatum. Quid verò possint in locis vbi nõ sunt Episcopatus, & Episcopi, dicam tractando de sacris missionibus.

SVMMARIVM.

1 *Ad audiendum familiarium confessiones non est necessaria Episcopi approbatio. n.338.*
2 *Alumni non sunt familiares. n.339.*
3 *Infirmi Hospitalis non sunt familiares. n. 340.*
4 *In articulo mortis quilibet Sacerdos absoluit. numer.341.*
5 *In dubio an veniet Sacerdos approbatus, simplex absoluit. n.341.*
6 *Qui cœpit confessionem etiam si simplex Sacerdos eam perficit, quocumque adueniente. n.342.*
7 *Et quid si pœnitens esset irretitus censura reseruata? n.342.*
8 *Et si prioris simplicis Sacerdotis absolutio nulla fuit? n.343.*
9 *In præsentia potentis absoluere à reseruatis, non absoluit ab eis non habens authoritatem. n.344.*
10 *Vbi plures sint Sacerdotes, & nullus approbatus, quid agendum? n.345. 346.*
11 *Vbi adsit Parochus, vel approbatus etiamsi non habeat facultatem ad reseruata præferendus est non approbato. n.346.*

337 DVbitatur decimo quintò, an dentur aliqui casus, in quibus Regulares possint secularium confessiones audire etiam si non sint approbati? Recensentur aliqui. Et quidem primò, quòd Regulares non approbati ab Episcopo, sed à suis Superioribus deputati possint famulorum monasteriorum, & commensalium audire confessiones habetur ex priuilegio Nicolai Quinti, in Bulla data anno 1448. pro Ord. Prædicat. & habetur in Bullario eiusdem Ordinis pag. 155. Vbi postquàm Pontifex retulit à pluribus Pontificibus fuisse huic Ordini concessum, quòd fratres eius *Omnibus, & singulis personis, quæ in eorum obsequijs morarentur, possent Sacramenta Ecclesiastica ministrare, & illas cum decesserint in eorum cœmiterijs sepelire*, ad instantiam Magistri Generalis, & Procuratoris Ordinis gratiam extendens, subdidit, *Nos nostrorum prædecessorum in hac parte vestigijs inhærentes, ipsorum Magistri & Procuratoris supplicationibus inclinati, Magistro, Prioribus, & Fratribus præfatis vbilibet constitutis, omnibus & singulis personis infra septa, & clausuram prædicta pro tempore commorantibus, quoties opus fuerit, Sacramenta Ecclesiastica libere, & licitè, sicut illis, qui in eorum seruitijs insistunt, ministrandi, & eas post eorum decessum in eorum Cemiterijs sepeliendi, Diœcesani loci, aut alterius cuiusuis licentia super hoc minimè requisita, plenam & liberam concedimus tenore præsentium, auctoritate Apostolica facultatem.* Item in Mari magno

Præ-

Prædicatorum seu in Constit.7. Gregor. XI. §. 10. vbi sic decernitur. *Iis verò, qui in vestris morantur obsequijs cuncta liberè ministrare possitis Ecclesiastica Sacramenta. & ipsos, vt decedunt in vestris Oratorijs sepelire*. Idem verò in amplissima forma concessit Innocentius Octauus Vicario Generali, & Fratribus Ord. Prædicatorum Congregat. Lombardiæ, per Bullam datam 23. Octobris 1487. & habetur in Bullario dicti Ordin. fol. 168. Vbi postquàm Pontifex in narratiua antiqua priuilegia recensuit, cõcessit vt infra, *Cum verò habeatis quamplurimos vobis obsequentes, ad quos huiusmodi indultum extendi desideratis, vestris in hac parte nobis porrectis supplicationibus inclinati, literas, & priuilegia huiusmodi, & quaslibet personas, etiam Sorores, seu Moniales dicti Ordinis sub cura, & directione vestra Congregationis degentes, aut aliàs ipsis Sororibus, aut Monialibus seu Fratribus dictæ Congreg. communiter, vel singularibus personis obsequia impedentes, etiam si eorũ agros colant, aut greges pascant vel ad longum, vel ad modicum tempus conducti, aut aliàs Fratrum dictæ Congreg. seruitijs occupati sint, dummodò operas diurnas non exerceant, tenore præsentium extendimus, ac vobis, & vestræ Congreg. Fratribus, vt eisdem Monialibus, Sororibus, & alijs personis, extremæ vnctionis Confessionis, & Eucharistiæ Sacramentum, etiam in Paschate Resurrect. D.N. Iesu Christi ministrare liberè, & licitè valeatis, Apost. auctoritate concedimus*. Idem etiam concessit Clemens IV. Ordini Minorum, nimirum, quòd his, qui in eorum morantur obsequijs, cuncta liberè possint ministrare ecclesiastica Sacramenta vt apud *Cæsarub. ver. Familiares num. 2.* Vbi *num. 10.* refert consimile priuilegium concessum Monachis S. Benedicti obseruantiæ Hispaniæ à Martino V. Sed & Leo X. Constit. sua 4. apud *Peyr.* concessit, *vt fratres Ordinis Minimorum huiusmodi dictarum domorum pro tempore in habitu seculari eis deseruientium, quoties opus fuerit, etiam Paschatis tempore, & in mortis articulo, in eorum domibus, & Ecclesijs huiusmodi confessiones audire, ipsisque & eorum cuilibet Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis Sacramenta ministrare &c.* Et ideò quod Cõfessarij Regularium ab eorum Prælatis approbati, etiam si non sint approbati ab Ordinario possint familiarium suorum confessiones audire dixerunt. *Peyr.* ad Constitut. primam Iulij II. num. 2. *Io: de Cruce lib. 2. de stat. Relig. c. 6. d. 1. Barbosa in sum. Collect. 204. n. 7. & lib. 1. de iure Eccles. cap. 43. n. 204.* & apud eum *Homob. tr. 8. c. 2. q. 7. Fernandez in exam. Theol. moral. p. 3. c. 9. §. 8. n. 1. Armendariz lib. 4. tit. 28. lib. 1. §. 1. de confitendo semel in anno n. 10. & l. 1. tit. 18. de Episc. n. 53.* Ratio huius esse potest, quia huiusmod familiares commensales & in loco exempto habitantes intra Religiosos, tanquam existentes extra diœcesim haberi possunt, & ac si Religiosi essent, vt de his non loquantur Concil. Trident. & aliæ Pontificum Constitutiones. Nam & in Clementina *Religiosi §. sanè*, de priuilegijs, cum administratio sacramentorum aliquorum fuerit prohibita Religiosis, excepti sunt familiares laici commensales: & præterea adest declaratio Sac. Congr. Concilij die 14. Augusti 1568. quam refert *Peyr.* sequentis tenoris. *Prælati Regulares, seu alij Religiosi Confessores non possunt audire confessiones secularium, qui sunt de familia, & deseruiunt ipsorũ monasterijs, absque approbatione, vel licentia Episcopi; secus tamen si illi seculares sunt verè de familia, & continui commensales*. Ex hac autem Sac. Congreg. declaratione colligitur, præfata priuilegia in multis per Concilium Tridentinum reuocata fuisse. Distingui igitur debent Familiares. Nam alij sunt communiter dicti, veluti artifices, qui intra monasteria laborant, vt Sutores, Barbitonsores, vel etiã agrorum cultores, & huiusmodi, sed non viuunt, comedunt de mensa monasterij, nec ibi habitant, & dormiunt: Vbi aduertendum, quòd ad hoc, vt aliquis dicatur propriè familiaris, duo copulatiuè sunt necessaria, scilicet commensalitas, & seruitiũ, vt patet ex *c. sicut nobis, de verb. signific.* & tradunt ibi *Io: Andr. Archid. Gemin. & Franc.* Commensalitatem etiam requirit Concil. Trident. sess. 14. c. 5. Sed quod nec quodlibet seruitium sufficiat, sed sit necesse, vt insistant circa personam, seu circa seruitia personalia Domini tradit Reuerendiss. Fagnanus *c. Ex parte n. 36.* de priuilegijs. Vnde *n. 37.* subdit, quòd propriè familiaris est, quem superior sub se, & sui cultus gratia tenet, & continuo commensalis suæ domus existit. *l. cum quæreretur, ff. de leg. 3. l. Aediles, §. familiæ ff. de Aedil. edict. & d. c. sicut nobis, de verb. signific.* Insistere verò circa seruitia personalia dicuntur, qui intra domum circa ea, quibus superior vtitur insistunt. Et huiusmodi Familiares descripsit Concil. Trid. sess. 24. cap. 11. de reformat. tales vocans, qui actu seruiunt, & intra monasteriorum septa ac domos resident, subque dominorum obedientia viuunt. Non quidem quia ex vi voti obedientiæ teneantur obedire, sed quia obedientia seruientium subsint domino. De solis igitur istis familiaribus propriè sumptis dicitur, quòd Confessarij Regulares possunt eorum confessiones audire sine approbatione Episcopi, si sint à suis superioribus approbati. Et quàmuis *Suarez tom. 4. de Relig. tr. 10. lib. 9. c. 4. n. 18.* oppositum sentiat; nihilominùs vt ponderat *Tambur. to. 2. disp. 6. q. 16. n. 4.* stante præfata declaratione *Sac. Congreg.* cuius etiam meminit *Barbos. d. Collect. 204. num. 7.* dicendum est, in præsato casu non esse necessariam approbationem Episcopi. Quod est conforme decreto Concil. Trident. sess. 25. cap. 11. de regul. vt infra ponderatur.

336 An verò hoc extendi debeat ad Alumnos degentes in Regularium monasterijs; affirmant *Bordon. ref. 98. q. 5. & Cespedes de exemp. c. 6. q. 125. n. 11.* quia isti sunt verè commensales perpetui, sed tamen non sunt famuli, nec sunt de familia, nec spectant ad monasteria vt per se ad illa requisita, sed sunt extranei ex illorum vtilitate nutriti, ideo non est eadem ratio.

340 Hoc ad infirmos hospitalium qui sunt in monasterijs Regularium extẽdit etiam *Bordon. res. 36. n. 63.* & hoc ex decreto Conc. Trid. sess. 25. c. 11. de regular. vbi dum Concil. subijcit iurisdictioni Episcoporum Regulares administrantes sacramenta secularibus excipit seculares Regularium commensales, & hoc relinquit curæ eorumdem Regularium & eorum Prælatorum qui independenter à iurisdictione Episcoporum eis possunt Sacramenta administrare. Sed huiusmodi opinio deficit in minori subsumpta, nec probat efficaciter, quòd infirmi in dictis hospitalibus constituti sint familiares monasteriorum eorumque famuli. Ad hoc enim non sufficit, quòd viuant de cibis monasterijs, vel

quod

quòd intra monasteria pro aliquo tempore dormiant; quia ibi sunt tanquam exteri & propriæ vtilitatis gratia, non verò vt monasterio famulentur,& inter monasterij incolas numerentur tanquã pars necessaria ad monasterij integritatem. Ideo cum Auersa q.16.de pœnit.sect.7.& Gauant.v. Confessar.n.25. & 26. dicendum est, necessariam esse approbationem Episcopi ad hoc,& Regulares possint audire confessiones infirmorum, qui in eorum hospitalibus morantur.

341 Excipitur secundò procul dubio casus articuli mortis,in quo quilibet Sacerdos simplex potest moribundum absoluere in defectu tamen Sacerdotis non approbati ab Ordinario. In dubio tamen probabili an opportunè adueniat Sacerdos approbatus, potest, & debet simplex Sacerdos absoluere, ne aliàs periculo exponat infirmum.

342 Si verò Sacerdos simplex cœperit audire confessionem existentis in mortis articulo & adueniat postea Confessarius approbatus, ille potest continuare & perficere Sacramentum ad quòd habet iurisdictionem, cum nec debeat moribundus grauari vt duobus peccata sua exponat, & actio sacramentalis cœpta petat, vt integrè perficiatur, & bene cœptum non euanescat. Sanchez l.2.sum. c.13.n.15.Card.de Lugo de pœnit.disp.18. num.33. & plures alij quos refert,& sequitur Leander a SS.Sacram.tract.5.de pœnit. disp.11. cap.19.

343 Aduertit verò Card. de Lugo, quòd si pœnitens esset irretitus censura à qua non posset absolui sed esset reseruata superiori si adueniret, qui posset ab ea absoluere, ab eo dari deberet absolutio.Quia absoluens in articulo mortis ab excommun. reseruata, absoluit cum onere comparendi coram superiore, vnde præsente eo, qui potest absoluere nullus inferior absoluere debet. Quod verò addit ibidem idem Card. scilicet, quòd si confessio facta simplici Sacerdoti ob mendacium graue in ea commissum sit nulla etiam adueniente Confessario approbato possit ille simplex Sacerdos audire pœnitentem, & illum absoluere, quia absolutio priùs data nulla fuit, ac perinde est, ac si data non fuisset, videtur habere instantiam. Quia immò ex quo absolutio nulla fuit,& nullum Sacramentum; ideò noua confessio inchoanda & perficienda est coram Confessario legitimo iam præsente. Illa enim confessio,quæ fuerat incœpta euanuit,& nulla fuit.

344 Sed alia ratione dicitur, eum Sacerdotem qui audiuit, posse perficere & validè absoluere; quia non tenetur pœnitens pluribus sua peccata exponere, & ideo sufficit, quòd suam culpam dicat ei, qui suam confessionem audiuit. Ita si pœnitens habeat casum reseruatũ in articulo mortis deber absolui ab eo, qui habet facultatem absoluendi à reseruatis; quidquid in contrarium dixerit Suarez tom.4. disp.3.sect.3.nu.5. quoniam facultas absoluendi a reseruatis tempore mortis conueniẽs simplici Sacerdoti est pro casu necessitatis, quæ non est præsente Sacerdote ab illis absoluere potente. Sanchez l.2.c.13.nu.11.Nauar.c.17. nu.90. Card.de Lugo disp.18.n.33.Corduba,Trullench.Mendo quos sequitur Leander d.disp.11. q.20.

345 Ac verò vbi nullus est Sacerdos approbatus, sit in libertate pœnitentis quemlibet ex præsentibus non approbatis eligere, arbitratur Sua-

rez disp.26.sec.4. num.4. Ordinem seruandum esse, vt v. g. si adsint duo sacerdotes, quorum vnus nullibi sit approbatus, alius sit approbatus pro alia diœcesi, hic eligendus sit. Sed hoc vrgat Card.de Lugo d.disp.18.num.37. quia nimis graue est, quod Ecclesia voluerit moribundum in articulo mortis teneri ad huiusmodi Ordinem inquirendum, quem nec doctissimi quidem homines sciunt. Et ideo in eo casu dicendum est, non esse necessariò attendendam approbationem extrinsecam, quæ nec confessario dat iurisdictionem. Leander vbi supra q.21. & apud eum Mendo. Verùm in alio casu in quo adesset sacerdos toleratus,& sacerdos excommunicatus non toleratus,existimo quod etiam in sententia eorum, qui dicunt sacerdotem excommunicatum non toleratum posse absoluere moribundum, seruandus sit Ordo, & quòd tunc sacerdos excommunicatus non toleratus nullam habeat iurisdictionem, quia illa est priuatus ex vi excommunicationis, nec illam recuperat ex vi articuli mortis, quia nulla est huius necessitas, cum adsit alius confessarius non excommunicatus, & ideo nulla est necessitas absolutionis habendæ ab excommunicato, & suspendendi effectum excommunicationis, nec adest casus in quo pœnitenti liceat communicare cum excommunicato non tolerato. Vnde hanc partem tenet etiam Sanchez d. capit. 13. num.10.

346 Et eadem ratione dicitur ab aliquibus quòd præferendus est sacerdos Catholicus hæretico, vel schismatico, & inter Catholicos irregularis excommunicato vitando, suspensus, vel interdictus irregulari, & degradatus postponendus alijs Catholicis quocumque vinculo ligatis. Verùm quòd ex vi huius Ordinis non seruati confessio sit nulla, verè est res valde dura. Ideo ego dicerem, quòd vbi non obseruantia huius ordinis potest redundare in indispositionem pœnitentis, qui v. g. tenetur, si id tibi sit notum, vitare excommunicatum non toleratum, ideo si id non facit, & in ministerio sacramentorum communicat cũ illo sine necessitate,peccat, & non est dispositus vt absoluatur,ideo etiã in hoc casu nulla est absolutio recepta ab excommunicato non tolerato præsente sacerdote non excommunicato. Pariter si essent præsentes duo sacerdotes, vnus bonæ famæ, & alter publicus concubinarius, de quo non potest prudenter præsumi quòd contritus & dignè ministrabit sacramentum, esset in pœnitente peccatum sine necessitate inducere illum ad sacramentum administrandum, esset enim hoc contra charitatem inducere proximum ad id, quod ipse non est acturus sine peccato. Sic ergo vbi interueniat ex parte pœnitentis aliqua ratio scandali, & aliquod peccatum per quod fiat indispositus ad sacramentalem absolutionem, nulliter confitetur, & absoluitur. Sed vbi id non redundat in indispositionem pœnitentis dicendum potiùs est talem ordinem non esse substantialem, & non reddi nullam absolutionem, si ordo non seruetur, sed quod vbi deest sacerdos legitimus, & approbatus, sit in libertate pœnitenti quemlibet ex alijs eligere, cum quo non sit prohibitus communicare in suscipiendo sacramentorum,& sic in hoc sensu vera est sententia Card. de Lugo, quem sequitur Leand. vbi sup. q 21. Sed & aliud est aduertendum, quòd vbi g. autem & de

proximo immineat mors. Non est tanta obligatio in moribundo vt discernat huiusmodi differentias Confessorum & maximè si ille non petat audiri ab hoc, vel ab illo, sed confessionem petat, & ei sacerdoti, qui se offert sua peccata confiteatur. Subdit verò Card. de Lugo quod quando adest proprius Parochus vel sacerdos approbatus etiam si non possit absoluere ordinariè a reseruatis? ille tunc eligi debet postposito quocumque non approbato; quia quantùm fieri potest pœnitens debet seruare præceptum confitendi proprio sacerdoti.

SVMMARIVM.

1 *Confessorem non approbatum si habeat titulum coloratum, & communiter habeatur vt approbatus valide absoluere multi dicunt. n.347.*
2 *Quod in pluribus casibus ampliatur. n.348.*
3 *Quis sit communis error. n.349.*
4 *Alij volunt sufficere communem errorem, ad hoc vt Confessor valide absoluat. n.350.*
5 *Prioris sententia ad valorem gestorum requirentis titulum fundamentum non est efficax, numer.351.*
6 *Intellectus cap. infamis. n.351.*
7 *Intellectus l. Barbarius ff. de offic. Pratoris. numer.351.352.*
8 *Intell. authent. de Tabellion. n.351.*
9 *Ex lege Barbarius probatur sufficere errorem communem. n.352.*
10 *Communis vtilitas petit, vt gesta ab officiali sub errore communi valeant. n.353.*
11 *Non est eadem ratio de defectu potestatis Ordinis, & iurisdictionis. n.353.*
12 *Absolutus in hoc casu est vere absolutus coram Deo. n.354.*
13 *Ad hoc vt gesta ratione publici officij valeant probabile est sufficere possessionem cum errore communi. n.355.*
14 *Qui probabiliter putat se posse absoluere stante titulo colorato & errore communi valide absoluit. nu.356.*
15 *Gesta a publico officiali ex opinione probabili valida sunt. n.357.*
16 *Dubium iuris aquiualet dubio facti. nu.358.*
17 *An Confessor nesciens licentia sibi concessa valide absoluat. n.359.*

347 DVbitatur decimosexto, an sacerdos communiter habitus vt legitimus & tamen non approbatus validè absoluat? Validè absoluere respondent DD. sed cum distinctione. Aliqui enim ad hoc tria requirunt. Primum quòd absolnens nullum habeat impedimentum, quod de iure naturali aut diuino irritet actum; si enim non esset sacerdos validè non absolueret. Improbabilis enim prorsus est opinio, *Alberici, Iasonis, Ripa, Viuij, & Maschurd. apud Sanchez l.3. de matrim. disp.22. num.21.* volentium, quod sint valida gesta per impeditum ex lege naturali ac diuina, si habeat titulum putatiuum cum communi errore. Quia non est in potestate Ecclesiæ supplere defectum iuris naturalis, & diuini. *Caiet. v. confessionis iteratio*, ex parte confessoris. *Palud. 4. d. 17. q. 6. a. 1. Panorm. in cap. 2. de presbyt.* baptizato, & cæteri communiter. Secundum quòd habeat titulum coloratum, nimirum v. g. quòd ab aliquo fuerit approbatus, esto approbatio ob aliquem occultum defectum non valeat, vt quia est subreptitia, vel quia habet priuilegium, & delegationem à Pontifice, esto hoc ex aliqua causa occulta non valeat. Tertium quòd detur error communis, quia scilicet Confessarius communiter habeatur pro legitimo. *Syluef. v. confes. 1. num. 15. Tabien. v. absolutio p. in fine. Armil. num. 30. Nauar. cap. placuit de pœnit. d. 6. num. 177. & 178. Caiet. v. confessionis iteratio, & v. absolutionis impedimenta.* Et innumari alii DD. Theologi, & Canonistæ, quos refert & sequitur *Sanchez l.3. de matrim. disp. 22. nu. 49. Coninch. disp. 8. dub. 3. num. 22. Fagundez in 2. pracept. l. 7. c. 2. nu. 75.* & apud ipsum *Basilius, Valerus, Barbosa, & alij. Diana p. 8. trac. 1. resol. 94. Lessius Hurtado, Bossius, Trulench, Thomas Hurtado, Bardus*, quos sequitur *Leander à SS. Sacram. tract. 5. disp. 11. q. 101. Donatus d. tr. 4. q. 26.*

348 Et hæc sententia est certa indubitata, & habetur ex *l. Barbarius ff. de off. Prat.* eamque docet nouissime etiam *Reuerendiss. Fagnanus cap. ne innitaris num. 380. de constit.* Et est vera siue possessio ab initio sit deficiens & aliquo occulto vitio laborans, vt si nulliter electus à legitimo superiore fuerit cõfirmatus. *Syluest. vbi sup. Sanchez num 53.* sine post validam possessionem Parochus, vel confessarius inciderit in excommunicationem, vel suspensionem, vel in pœnam per quam ipso facto sit priuatus officio, dum enim manet in officio cum communi errore, eius acta valida sunt, vt tradunt. *Syluest. Tabien. & Sanchez nu. 56.* Immò nunc cum ex Concil. Constant. non sunt vitandi excommunicati nisi vel notorij percussores Clerici, vel denunciati iuridicè, acta per excommunicatum toleratum valida sunt, nisi aliud obstet. Sed & nedum si quis sit priuatus officio à iure, sed etiam si sit priuatus ab homine, si hoc est occultum, & durat communis error gesta per illum sustinentur. *Syluest. vbi sup. Sanchez nu. 58.* Vbi quòd si confessarius admissus ad tempus post illud elapsum habeatur vt legitimus, quod eius gesta valent. Et huiusmodi extenduntur vbi sit aliquod dubium de reuocatione aliqua vel ex Bulla Pontificia, vel priuatione alicuius ab officio, dum interim toleratur confessarius, & habetur communiter vt talis validè absoluit. Et ampliùs etiam si quis conscius sit aliquem incurrisse crimen ob quod est ipso iure priuatus officio, dum tamen toleratur validè ab eo recipiuntur sacramenta, nisi aliud obstet, quia gesta ministri sic tolerati valida sunt.

349 Ad hoc verò vt dicatur adesse communis error, non sufficit error vnius, vel alterius hominis, aut paucorum credentium aliquem esse legitimum confessarium cum non sit, cæteris id, non existimantibus, sed requiritur, & sufficit si sit communis error in eo loco, vbi confessio facta est, quia ibi communiter ignoratur impedimentum, & defectus, qui ibi est occultus, licet alibi forsan sit notorius. *Gloss. in cap. quod nostram de iure iur. in ver. obseruandus. Antonius in cap. scisciturus ad finem. De rescriptis, & ibi Panorm. num. 13. Decius n. 38. idem Ant. in cap. Ad probandum. de sent. & re iud. num. 11. Panorm. num. 11. Neuo num. 20. Nauar. in cap. Inter verba in noua edit. Coroll. 68. num. 345. Sanchez l. 3. de ma-*

de matrim.disp.27.nu.9.Fagund.præc.2.l.7.c.2. n.77. & apud eum *Antonius Gabriel, Mascbar. Philior, & Vgul.*

350 Alij nihilominùs existimant sufficere primam & 3. conditionem, nec requiri titulum coloratũ,pro qua sententia referuntur *Molphesius tom.1. tr.7.n.27. Basilius Pontius l.5. de matrim.cap.10. n.2. & Catillus in addit. ad pract.4.Mancini dub.29. Bordon.tom.1.resol.36.q.14. num.50.* Del bene *tract. de Comit.dub.4 sub sect.32.coroll.2.num.1. & 3. Sylu. p.1. variar. v. matrimonium* quos refert *Diana p.8. resol.94.Morla in Emporio iuris tit.11.q.2. Burdus in Bull.tract.5.cap.1. sect.22.nu.147.* quos refert *Leander d. tract.5.disp.12. q.102.* vbi hanc & oppositam opinionem iudicat esse æquè probabilem. Et eandem probabilem censuit *Carpensis tom.2, tr.24. disput.5.sect.6.n.12.apud Dianam vbi supra. qui par.3. trac.4. res.122.* hoc idem absolutè tenuit, & p.8. citata licet oppositum censeat, hoc non esse improbabile iudicat. Quod & ex antiquis voluerunt *Iason i præscriptione num.26. Felin. Borgasius, & Gomez, & Mascard.apud Sanchez d.l.3.disp.22.nu.48. Et Panorm.in Clem. Dudum*, de sepulturis espressè habet, quòd si aliquis ex fratribus non electus ad hoc officium confessiones audiendi se ingerit bona fide, talis confessus absolutus est apud Deum. Et idem in eo, qui fuit confessor electus ad certam ciuitatem vel diœcesim, extra quam confistit tempore confessionis.

351 Mihi primò videtur, quòd communior sententia rationi non multùm efficaci inhæreat. Fundamentum enim eius est, quod in *can. infamis 3.q.7.* Ponderatur, *quòd seruus dum putaretur liber ex delegatione sententiam tulit*, & pariter in *l. Barbarius ff. de off. Prat.* ponderatur, quòd seruus ille authoritate publica Iudex factus fuerat à Republica, *cum populus Rumanus etiam seruo potuisset decernere hanc potestatem*, vbi vtrumque ius non solùm vtilitatem communem, & communem errorem ponderat, vt gesta valeant, sed etiam intercessi authoritas superioris delegantis; vtrumque igitur est necessarium vt gesta ratione publici officij valeant. Primò enim dicitur, quòd ex hoc argumento nihil aliud ad summum concludi potest, nisi quòd ex vi dictorum textuum non probatur, quòd solus communis error sufficiat & possessio, quia in casibus illorum textuum præter communem errorem intercesserat authoritas publica. Cum tamen ex illis textibus nec verbum habeatur per quod decernatur communem errorem non sufficere, sed in illis meritò id quod erat in facto occurrente consideretur. Cum tamen ex alijs locis & textibus expressiùs probetur, quòd sufficiat possessio errore communi munita ad hoc vt gesta ratione publici officij valeant. Vt in Authent. de Tabellion. immediatè ante §. vlt. ibi. *Tunc subiacet pœna tabellio, ipsis tamen documentis propter vtilitatem contrahentium non annullandis.* Vbi *Gloss. in v. documentis in fin. ait*, inde sumi argumentum, vt quoties tabellio perdit officium ob aliquod delictum, non ideo debeant vitiari instrumenta per *l. Barbarius ff. de off. Prat.* & tamen tunc notarius caret titulo. Vnde est, quòd *Innoc. cap. 1. de fide instrum. num. 2. & Host. ibid. paulò post princip. & Aud. num. 4. Dec. num. 49. Hostiens. iterum in summa tit. de fide instrum. §. quibus instrum.* & alij plures apud *Sanchez vbi supr. num.48.* ex illo Authen. deducunt, quòd etiam si Tabellio fit intrusus, si habet possessionem cum communi errore instrumenta eius valida sunt. Nec obstat, quòd Notarius non habeat iurisdictionem, quia ratio ob quam gesta per eum ex lege valida sunt est communis vtilitas, quæ militat etiam vbi quis se intrudit in officium iurisdictionem habens.

352 Sed argumento desumpto ex *d. leg. Barbarius* idem probatur, considerando, quòd Iurisconsultus non ponderauit ibi quòd seruus ille fuerit institutus authoritate publica, sed duo considerauit, primò vtilitatem communem, ibi, *propter vtilitatẽ in eorum qui apud eam egerunt.* Secundò quòd tractabatur de potestate, quam populus Romanus poterat dare seruo, ibi *cum populus Romanus etiam seruo potuisset decernere hanc potestatem.* Longè ergo differunt, quòd Iurisconsultus ponderauit, quod seruus factus fuisset iudex authoritate publica, quod non est verũ, & aliud quòd ponderauit, quòd potuit licet seruus fieri iudex, quod est verũ prorsus & erat necessariò ponderandum, vt valeret consequentia & deduci posset, quòd si potuit dare censendus est dedisse, quia hoc petit communis vtilitas. Etiamsi ergo quis non habeat titulum de facto authoritate publica, vbi tamen agitur de potestate, quam superior potest conferre & simul adest possessio communi errore roborata, ratione vtilitatis communis superior censendus est quam potestatem potuit dare dedisse ratione communis vtilitatis, vt gesta à publico offitiali valida sint.

353 Accedit, quòd in hoc non attenditur intrusi commodum, quia ille omnino puniri debet, & quidem grauissimè pro delicti qualitate, sed consideratur innocentum fauor. Et præcipuè in materia sacramenti pœnitentiæ, nimis valde durum est, vt qui bona fide confitetur peccata sua, recedat non absolutus, & forsan æterna morte damnandus, si illa sit vltima confessio, & ipse non fit contritus, seu quòd interim peccator accedat ad Eucharistiã, & teneatur iterum confiteri peccata sua, quæ ipse bona fide confessus fuit confessario sibi ab Ecclesia dato, quia ab Ecclesia tolerato. Nec valet si quis dicat, Christum ad huiusmodi incommoda non respexisse, vnde confessiones bona fide factæ non sacerdoti licet habito vt tali sunt nullæ, sicut nullæ sunt si sacerdos fictè absoluat. Quia hæc rariùs accidere possunt, & Christus, qui est Deus intus operari potest, & operatur in cordibus hominum vt non sint in Ecclesia ficti sacerdotes, & fictè sacramenta administrantes. Sed intrusiones ad officia & faciliùs contingunt, & Ecclesia non potest interiùs regere mentes suorum, & supposita præcipuè potestate Ordinis, faciliùs additur potestas iurisdictionis, & pietatis Ecclesiæ interest, vt quantùm potest ipsa consulat communi vtilitati.

354 Quod verò dicunt aliqui, quòd in his casibus, qui bona fide confitetur peccata sua est absolutus coram Deo, licet vbi fiat conscius erroris teneatur iterum cõfiteri legitimo confessario. Quod inquam sic dicitur, habet instantiam efficacem. Nam ille qui sic dicitur absolutus coram Deo, vel dicitur absolutus ex opere operato, & valore sacramenti suscepti, vel ex dispositione operantis, & voto confessionis. Hoc secundum non est verum vniuersaliter, nisi qui peccata sua confessus fuit, verè erat contritus, quia sola attritio nõ sufficit ad

ad iustificandum extra sacramentum. Et sic si confessio ista bona fide facta non est valida, attritus non est coram Deo absolutus, & damnatur, si in ea dispositione moritur. Sed si datur primum; igitur in ministro tali fuit vera potestas absoluendi, quia sine vera potestate absoluendi Confessor non absoluit validè. Et hoc est quod nos dicimus, quòd scilicet vbi adsit communis error, qui bona fide confitetur peccata sua sacerdoti non approbato, est absolutus coram Deo ex vero valore sacramenti. Et quàmuis sit optimum consilium, vt iste factus conscius veritatis iterum confitestur peccata sua Confessori legitimo, ad hoc tamen non tenetur in rigore iuris.

355 Quamobrem video punctum hoc problema esse, & si ex vna parte præponderat multitudo DD. ex alia superat rationis vigor. Et quantùm sit ex principijs proprijs & intrinsecis mihi videtur quòd probabile sit dicere, quòd ad hoc, vt gesta ratione publici officij sint valida, sufficiat possessio pacifica, & indubitata cum errore communi. Et eò magis, quòd huiusmodi possessio non est sine aliquo titulo colorato, & prætenso, quia possessio supponit proprietatē & titulum aliquem, quia non possidet, nisi qui retinet rem vt propriam. Et licet in intruso a se titulus non sit datus authoritate superioris, est tamen in casu nostro toleratus, & vt verus titularis habitus, & cum certum sit iurisdictionem posse præscribi & consuetudine obtineri, pro hac parte non potest negari, quòd non dentur gesta valida ratione publici officij sine titulo à superiore acquisito.

356 Hinc soluitur alia difficultas, an scilicet opinio probabilis det iurisdictionem, quia nimirum Ecclesia censeatur dare iurisdictionem ei qui putat probabiliter se illam habere, & propterea confessiones audit, & pœnitentes absoluit. Hoc enim ad valorem confessionis non sufficere, dixerunt aliqui, & inter alios referuntur *Nugnus q.8. a.2. dub.1.diffic.Bardus in Bullam trac.5.c.1.sec.14. Garzias p.5.de benef.cap.4.num.305.& 306.* Sed in hac parte ego non video difficultatem quantùm ad pūctum nostræ quæst. si cum opinione probabili sit coniunctus error communis. Quia si Ecclesia confert iurisdictionem habenti titulum coloratum cum errore communi, etiam si talis aliàs sit in mala fide, & sciat se non posse confessiones audire, multò magis illam conferre dicenda est, ei qui bona fide probabiliter credit se posse id facere, si habeat titulum coloratum, & errorem communem. Hic verò non deficiet titulus coloratus, quia qui putat probabiliter se posse audire confessiones & absoluere. id facit quia iudicat se approbatum ad id munus saltem ex priuilegio. Priuilegium verò est titulus saltem coloratus. Immò quòd priuilegium dubium seruiat pro titulo, docet *Rota apud Puteum dec.15.p.3.num.6.* Vnde est, quòd qui audit confessiones probabiliter putans se id posse facere, si adest error communis, validè absoluit. Et non interest an in hoc sequatur opiniones minùs, vel magis probabiles, maximè si ipse iudicat verè sibi licere sequi opinionem minùs probabilem, quia cum sibi non desit titulus coloratus, si adest etiam error communis, gesta per eum valida sunt.

357 Sed & præcisso communi errore facti & absque necessitate recurrendi ad legem *Barbarini*, existimo quòd probabilitas sufficiat ad obtinendā iurisdictionem quantùm opus est ad valorem actuum. Et ratio est, quia hoc petit communis vtilitas. Et quidem non negabitur, quòd maior probabilitas sufficiat ad hoc vt agens ex publico officio validè agat. At verò qui sentiunt se posse sequi opinionem minùs probabilem, hoc vel absolutè verum putant, vel magis probabile arbitrantur, & sic ex bona fide agunt, & publicum officium administrant. Et sic ecclesiæ satisfaciunt quantùm sit ex se ipsis, & non est vnde dicatur quòd non validè operentur ex hac parte, nisi aliàs adsit alius defectus ex quo actus irritentur.

358 Et hoc magis explicatur, quia licet vnusquisque teneatur sequi eam opinionem, quam omnibus pensatis iudicat simpliciter veriorem, secundùm sententiam, quam secutus sum *sup.q.186. a 8.à num.284.* Et licet vbi omnibus pensatis nulla opinionum apparet simpliciter probabilior, sed vtraque est probabilis, multi teneant, quòd necesse sit sequi eam, quam dicunt tutiorem, tamen hæc non sunt certa, & iam quàmplurimi DD. sentiunt, quòd quando vtraque opinionum verè, & sine dubio est probabilis, liceat sequi quamcumque etiam relicta minùs probabili & minùs tuta; Vnde in hoc ius est verè dubium, valde controuersum, & incertum. Et qui sequuntur sententiam admittentem indifferentem vsum probabilium opinionum, simul sentientes hoc esse de iure verius, & probabilius, sunt in bona fide, & dum practicè iudicant, & in singulari eligunt id, quod & est verè probabile, seu de quo ipsi non dubitant id esse probabile, sed pro certo tenent esse probabile; & postea iudicant, se tutò posse illud eligere, bona fide agunt, sequentes quamplurium Doctorum placitum. Itaq; iam in hac parte ius est verè dubiū & valde cōtrouersū, & incertū. Et hic error, est ex vna parte valde communis iam in Ecclesia apud fideles. Et licet sic error iuris, error autē cōmunis, qui dicitur excusare, & facere quòd gesta ratione publici officij sint valida, sit error facti quia nimirum creditur quòd in facto sit legitimus Officialis, qui non est in rei veritate, tamen considerandum est quòd error iuris dubij æquiualet dubio facti, vt colligitur ex *cap. Cum dilectus de consuetud.* & docuerunt expressè *Panorm. in cap. de quarta n.12. de præsc.* & ibidem *Felin.nu.27. ex Anton. Imola, & Card. in d.cap. Cum dilectus. Couar. ad regulam possessor p.2.§.7.num.9. & p.2.cap.8.§.1.n.9. Nauar.cons.9.num 5.de off.ordin. & cons.2.nn.4.de prascript Puteus decis.115. aliàs 118. num.9.lib.2. Rota decis.132.nu.7.p.2.diuers. Et in Valentina Parochialis de Palma 2.Iun.1606.coram Coccino,* quem refert & sequitur *Garzias p.5.c.5.nu.88.* Vbi ex *Puteo dec.15. & Cæsare de Graffis dec.10.* addit, quòd dubium iuris seruit de titulo, & bona fide. Idem verò, scilicet quòd dubium iuris æquiualeat dubio facti apud eumdem *Garziam*, ibidem dixerunt. *Baldus, Tiraquel. Conradus, Io. Garzia, Molina, Peregrinus, Menoch. Farinac. Gratian. Pacificus, & Ludouicus Lopez.* Sicut igitur error facti communis ratione publicæ vtilitatis facit vt gesta ratione publici officij, sint valida, eadē ratione id præstabit cōmunis iuris dubij error, qualis esset, quòd liceat sequi opinionē probabilem, si hoc error esset & ideo quòd vbi est verè probabile quòd Cōfessarius possit audire cōfessiones, & pœnitētes absoluere, quòd

huius-

huiusmodi probabilitas sufficiat ad hoc vt gesta per illum ratione publici officij sint valida, vt non minùs valeat opinio Doctorum, quàm æstimatio vulgi, & non patiantur damnum recipientes bona fide sacramenta ab istis ministris, qui aliàs etiam non agunt contra conscientiam propriam. Sed bona fide agunt; sustinent *Sanch.l.3.de matrim.disp.22. num.65. Suarez disp.26.sect.6.num.7. Diana 2.p.tr.13. res.2. & 3. p. trac.2. resol.1. & p.8. tract.1. res.93.* & apud eum *Vasquez, Granado, Martinez, Malderus, Sales, & Bossius. Leander vbi supra q.103. post Henriq. Basil. Coninch. Filliuc. Villalobos, & Hurtado.*

359 Hinc tandem explicatur alia difficultas, an scilicet valeat aliquando iurisdictio habita, & non cognita. Aliqui enim dicunt, quòd si confessarius ipse per se ipsum, vel nuncium à se missum petat ab Episcopo licẽtiam audiendi confessiones, & obtineat, quòd sufficit si datæ licentiæ conscius sit nuncius, & quòd interim si ille absoluit, validè absoluit. Quod tamen verum non esse dicunt, si Episcopus motu proprio vel ad instantiam tertij licentiam concedat. Sicut & inualidam absolutionem asserunt, si confessarius ab alio, quàm per nuncium ad se missum ab Episcopo sciat sibi fuisse concessam licentiam. Ratio primi est, quòd cum traditio licentiæ sit quædam donatio, ad hoc vt ista valeat sufficit si acceptetur à proprio nuncio, sed non sufficit si acceptetur ab alio non misso. Ideo iam est dominus licentiæ, & illam verè habet, si eam concessit Episcopus, & acceptauit nuncius à se missus. *Sanchez l.3.de matrim.disp.36.num.8. vbi num.9.* quòd licentia non intelligitur reuocata, nisi sit intimata per nuncium missum ab Episcopo. Sed certè confessor sacrilegus est, si nescius licentiæ confessiones audit, & absoluit, cum se exponat periculo nulliter absoluendi.

SVMMARIVM.

1 *Confessor sine approbatione audiens confessiones est suspendendus. n.360.*
2 *Non est excommunicatus ex vi can.7. Bullæ Cœnæ. nu.361.*
3 *Puniendus pœna falsi, publico iuditio; ex quo erit infamis & irregularis. n.362.*
4 *Alijs pœnis puniri potest. n.362.*
5 *Potest puniri ab Episcopo. n.363.*

360 DVbitatur vltimò, qua pœna puniendus sit confessarius sine approbatione Episcopi audiens cõfessiones secularium? Respondetur, contra eum latam fuisse pœnã suspensionis ab officio. *c. Placuit 3. de pœnit. dist.6. & c. Placuit 2.9. q.2.* & est Vrban.II. quàmuis verò aliquibus videri possit eam pœnam esse latæ sententiæ propter vim verbi *subiacebit*, quia verbum *subiaceo* latam sententiam importat, *Tiraquel. l. si vnquam num.148. C. de reuocand. donat.* Tamen futuri temporis significatio sententiam ferendam consignificat, & ideo dicitur quòd suspensio ista in dictis textibus contra sacerdotem subditum alieni sacerdotis admittentem ad Pœnitentiam sine eius consensu est sententiæ ferendæ. *Nauar. in d.cap. Placuit de pœnit. d.6. in principio. Thesaurus p.2. praxis v. absolutio cap.2.* & apud eum *Rodriq. & Prepos. Donat. tom.4. trac.4. q.18. num.2.* qui addit *num.1. ex Rodriq. & Peyr.* quòd ex vi dictorum textuum potest etiam talis sacerdos suspendi à missa, quæ venit etiam nomine gradus. Sed ex eo textu hoc non deducitur. Ex illis enim verbis *gradus sui periculo subiacebit*, non sequitur, quòd præfatus sacerdos omni gradu suo possit priuari, sed satis est si gradu Confessarij, seu officio ex cuius vi & titulo confessiones audit sit priuandus.

361 Cum verò huiusmodi sacerdos sibi iurisdictionem Ecclesiasticam vsurpet, quam non habet, posset forsan alicui videri, quòd incidat in pœnam excommunicationis latam contra huiusmodi vsurpantes in *cap.11. sess.22. Conc. Trid. & in can.7. Bullæ Cœnæ.* Sed dicitur non incurrere, quia non vsurpat iurisdictionem Ordinariam, sed delegatam, & hanc non priuatiuè ad Episcopum, vel alios, & ideo eam censuram non incurrit. Thesaurus vbi supra, *& v. Vsurpatio cap.3. Donatus nu.3.* Si tamen intenderet vsurpare sibi ius Parochiale, eam censuram incurreret.

362 Incurrit verò crimen falsi, vnde potest puniri pœna arbitraria publico iudicio ex *l. Cornelia de Falsis*, sicut qui sibi vsurpat publicum officium, aut Doctoratum, aut Ordinis actum, quem non habet. Quamobrem damnatus hoc iudicio erit infamis & irregularis. Nam & dato quòd non posset damnari crimine falsi, sed stellionatus, vt vult *Menoch. casu 310. num.4.* hoc idem sequeretur, nam & sic damnatus publico iudicio ex causa famosa est infamis, & irregularis. *Thesau. p.1. c.33. & d. v. absolutio cap.2. Donatus num.6.*

363 Iuxta grauitatem Criminis alijs etiam pœnis ad arbitrium Episcopi posset puniri. Qui in hac parte vt delegatus Papæ etiam Regulares potest punire.

SVMMARIVM.

1 *Ordo doctrinæ. n.364.*
2 *Priuilegium Vrbani IV. n.365.*
3 *Priuilegium Eugen. IV. pro Cassinen. nu.366.*
4 *Eugenij IV. pro Benedictinis Vallisolet. numer.367.*
5 *Eugenij IV. pro Carmelitis. n.368.*
6 *Iulij II. pro Minimis. n.369.*
7 *Pauli Tertij pro Societate. n.370.*
8 *An in vi horum priuilegiorum Regulares habeant facultatem absoluendi à reseruatis Episcopo. numer.371.*
9 *Quando ex vi concessionis casuum Papalium intelligantur concessi casus Episcopales. num.371. 372.*
10 *Ex vi dictorum priuilegiorum Regulares poterunt absoluere à reseruatis Episcopo. n.372.*
11 *Decretum Clem. VIII. n.373. 374.*
12 *Pauli Quinti. n.375.*
13 *Vrbani VIII. n.376.*
14 *Literæ ad Archiep. Neapol. sub Clem. VIII. 377. 378.*
15 *Literæ ad eundem sub Innoc. X. n.379.*
16 *Huiusmodi literæ sunt communes, & speciales. num.380.*
17 *Const. Inscrutabili Greg. XV. n.381. & seqq.*
18 *Dubia & responsiones Sacr. Congreg. circa hanc Const. nu.391. & seq.*

A qui-

A quibus casibus & censuris possint Confessarij Regulares absoluere.

INSPECTIO SECVNDAE.

CAPIT. SECVNDVM.

364 CVm visum sit quam iurisdictionem habeant confessores Regulares pro confessionibus audiendis, remanet inspiciendæ quanta sit extensio hnius iurisdictionis, nimirum qui sint casus, & censuræ a quibus absoluere valeant seculares ad se aducnientes.

365 Primò verò recensentur priuilegia super hoc concessa Regularibus. Inter quæ præcipua sunt sequentia, nimirum Vrbani IV. & habetur in Mari-magno Carmelitarum apud *Lezanam num.* 14. & est tenoris sequentis. *Hinc est quòd nos vestris supplicationibus annuentes præsentium vobis authoritate concedimus, vt confratrum, & familiarium vestrorum, ac aliorum Christi fidelium causa deuotionis ad vos recurrentium de suorum licentia Prælatorum confessiones audire, & eis pro commissis pænitentiam salutarem iniungere valeatis, nisi fortè talia commiserint propter quæ Sedes Apostolica sit meritò consulenda.*

366 Sequitur priuilegium ab Eugenio IV. concessum Congregat. Sanctæ Iustinæ & habetur in Bullario d. Ord. Cassinensis & apud Rodriq. bullæ 2, dicti Pontif. & in Bullario Ord. Prædicat. fol. 251. & est sequentis tenoris, *Nos volentes eorum deuotioni satisfacere, quòd liceat dictæ congregationis Prælatis, siue Monachis deputatis à suis Superioribus ad audiendas huiusmodi personarum confessiones accedere, illasque audire, ac personæ ipsa eis confiteri possint absque alia suorum Superiorum licentia. Nec non eis pænitentia & satisfactione iniunctis, quoties oportuerit absoluere ab omnibus, & singulis peccatis præterquàm Sedi Apostolicæ dumtaxat reseruatis, nec non à quibuscunque suspensionum, excommunicationum, & interdicti sententijs, alijsque Ecclesiasticis censuris, & pænis, quas à iure, vel ab homine latis, satisfactione iniuncta incurrisse quomodolibet censebantur.*

367 Idem etiam Eugenius Quartus, concessit Priori seu Præsidenti monasterij S. Benedicti Oppidi Vallisoleti, vt ipse, & tres aut quatuor idonei Presbyteri monachi per dictum Priorem, aut Præsidentem depundandi venientes ad eorum Ecclesiam possent absoluere à quibuscumque peccatis in omnibus, & singulis casibus etiam Episcopo reseruatis; nec non ab omnibus & singulis censuris à iure vel ab homine prolatis in genere tantùm. Habetur verò hoc priuilegium in Bullario Rodriquez. & est 25. inter priuilegia Eugenij quarti. Et non est oraculum, neque est Bulla plumbata, seu Breue signatum sub annulo piscatoris, sed est per modum supplicationis porrectum, & sola signatura in præsentia Papæ firmatum, & fuit datum Ferrariæ tertio Nonas Iunij anno 8. In dicta verò supplicatione inter alia hæc continentur. *Quorumcumque vtriusque sexus fideliũ ad dictum monasterium &c. confluentium &c. confessiones diligenter audire, nec non ipsos à quibuscumque peccatis, criminibus, excessibus, & delictis suis in omnibus, & singulis casibus etiam Episcopo reseruatis absoluere, nec non ab omnibus, & singulis Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pænis, fulminationibus excommunicationum, suspensionum, & interdicti a iure vel ab homine prolatis, contractis in genere tantùm satisfactione, vel mandato de satisfaciendo, si persona huiusmodi ad id habiles fuerint præmissis, etiam absoluere, ac eos habilitare in prædictis casibus, pænitentiasque eis salutares iniungere,* & infra. *Concessum vt petitur de omnibus quandiu fuerint in obseruantia regulari, in præsentia D. N. Papæ C. Ariminen.*

368 Accedit priuilegium eiusdem Eugenij, quod habetur in mari magno Carmelitarum n. 15. apud Lezanam, quod refertur ab aliquibus, sed non loquitur de absolutione seculariũ. Sic enim sonat. *Hinc est quòd nos deuotis præfati generalis in hac parte supplicationibus inclinati, eidem ac quibuscũque successoribus suis pro tempore existentibus Generalibus, Prioribus, nec non ab eo vel ab eis pro tempore deputandis ad id Vicarijs, Prouincialibus, Prioribus, ac fratribus ordinis prædicti in confessionibus audiendis, & absolutionibus impendendis, & pænitentijs iniungendis, alijsque salutem animarum dumtaxat concernentibus exequendis omnium, & singulorum dicti ordinis fratrum præsentium, & futurorum eandem, & talem potestatem, & facultatem, qualem in præmissis minores Pænitentiarij nostri in Romana curia præsentes ex officio habent & exercent authoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia concedimus, atque damus.*

369 Succedit priuilegium Iulij II. pro Ordine Minimorum, quod habetur apud Peyr. in prima Bulla dicti Pont. & in Bullario Ordin. Præd. fol. 218. & apud Rodriq. Bulla 27. Ibi verò §. 32. sic habetur. *Nec non confessiones quarumcunque personarum tam Religiosarum, quàm Ecclesiasticarum, & secularium vbilibet audire, & illis auditis personas ipsas, & earum quamlibet iuxta formam, & tenorem priuilegij per præfatum Sixtum prædecessorem Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius personis, & fratribus dudam concessi, & confirmati absoluere, & pænitentiam salutarem iniungere valeat.*

370 Adiungitur præterea priuilegium Pauli Tertij concessum Societati, & habetur in Bullario societatis fol. 20. & apud Rodriq. est Bulla 8. cuius priuilegij verba sunt sequentia. *Nec non illis ex vobis, qui presbyteri fuerint, quorumcumque vtriusque sexus Christi fidelium ad vos vndecunque accedentium confessiones audiendi, & confessionibus diligenter auditis ipsos & eorum singulos ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantùmcunque grauibus & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & à quibusuis, ex ipsis casibus resultantibus, sententijs, censuris, & pænis Ecclesiasticis (exceptis contentis in bulla, quæ in die cænæ Domini solità est legi) absoluendi ac eis pro commissis pænitentiam salutarem iniungendi.* Idem verò priuilegium habetur in alia Bulla, eiusdem Pauli Tertij pro Societate, quæ est 7. apud Rodriquez. Idem quoque fuisse concessum Societati à Iulio tertio, & Pio quinto refert *Palaus tom. 4. tract. 23. p. 14. num. 14.* Sed & apud Compendium priuilegiorum Ord. Minorum per Christophorum à capite

mou-

montium,& apud Casarubium alia huiusmodi habentur priuilegia, sed in compendium redacta, & quæ sunt oracula, vt ex nota Casarub. constat.

371 Hoc verò est considerandum, quòd in nullo ex recensitis priuilegijs expresse conceditur facultas absoluendi à casibus Episcopo reseruatis, nisi in priuilegio Eugenij quarti pro monasterio S. Benedicti Vallisoleti. Et licet *Casarub. v. absolutio quoad seculares secundo* referat Pium secundum extendisse illud priuilegium ad omnia monasteria subiecta dicto monasterio Vallisoleti, tamen prædicta gratia fuit concessa intuitu obseruantiæ regularis, & valitura tantum ea durante. Et Pius secundus noluit vt absolui possent aliqui a decimis non solutis, aut non soluendis. Ex alijs verò priuilegijs per consequentiam deducitur hæc absoluendi facultas, quod tamen habet difficultatem. Tum primò, quia ex quo Pontifex concedit casus Papæ reseruatos, non sequitur quòd concedat reseruatos Episcopo. Quod probatur ex declaratione Sacr. Congreg. quam ex *Casarub. Sorbo, & Rodriq.* refert *Garzias p.3.cap.2.num.286.* sequentis tenoris, *an per Bullas ordinarias, in quibus solet dari facultas absoluendi à casibus Sedi Apostolica reseruatis, comprehendantur etiam casus, quos Episcopus, & Prælatus Religionis, cum suis subditis Regularibus reseruauit? Fuit responsum, quòd non, nisi de his fieret specialis mentio.* Ex eo igitur quòd Paulus Tertius concesserit societati facultatem absoluendi ab omnibus etiam à reseruatis Papæ, non sequitur, quòd concesserit facultatem absoluendi à casibus reseruatis Episcopo. Quod multò minùs videtur posse deduci ex priuilegio Iulij II. pro Minimis, in quo in generali conceditur facultas absoluendi, quia in generali concessione non veniunt specialia, & digna expressione, qualis est facultas absoluendi à reseruatis. Et ideo quòd Regulares virtute Priuilegiorum non possint absoluere à casibus reseruatis Episcopo pluries declarauit Sacr. Congreg. vt refert. *Garz.d.p.3.c.2. num.268.* Et inter alias declarat. ibi recensitas est ista. *Hac de re vbi Congregatio accuratè egisset, deinde ad sanctissimum D. N. retulisset, illius sanctitas etiam de sententia Congregat. censuit, ex facultatibus per mare magnum, aliaue priuilegia Regularibus concessa, factam eis non esse potestatem absoluendi à casibus sibi ab Episcopo reseruatis 10. Septembris 1577.* Et hanc declarationem inueniri apud Compendium priuilegiorum Societatis *v. absolutio §.1. & Philiar. de off. sacer. p.2.l.2.cap.25. & Io: Baptista Engubinam Casarub. Rodriq. Sorbam, & Confectium & Piasec.* testatur idem *Garzias*, & continetur hæc declaratio in literis Card. S. Sixti ad sanctum Carolum Borromeum, quam per externum referunt Confectus *tit.17. c.9. Piasec. p.2. cap.1. num.12.*

472 Respondetur nihilominùs ex recensitis priuilegijs colligi certò, facultatem absoluendi à casibus reseruatis Episcopo. Primò ex regula iuris, quòd exceptio firmat regulam in contrarium. In priuilegio autem Vrbani IV. & Eugeni IV. pro Benedictinis excipiuntur soli casus Papæ reseruati; igitur omnes alij conceduntur. Secundò quia vbi conceduntur casus Papales cum hac clausula *etiam Sedi Apostolica reseruatis*, conceduntur etiam casus Episcopales, vt declarauit Sacr. Congreg. apud *Garziam vbi sup. num.300.* sub his verbis. *An Regulares virtute literarum Iubilei, & indulgentiarum, & alij quicumque confessarij possint absoluere à casibus reseruatis Episcopis, si in eisdem literis tribuitur eis facultas absoluendi à quibusdam casibus, etiam Sedi Apostolica reseruatis. Congr. censuit posse.* Vnde, quod per recensitam declarationem & Epistolam Card. S. Sixti non fuerit derogatum priuilegio societatis, quod ex vi concess. Pauli Tertij habebat absoluendi a casibus Episcopo reseruatis aduertit Compēdiū societatis, loco cit. vbi subdit. *Nihilominùs declarauit idem Greg. XIII. die 10. May 1583. non esse intentionis suæ, quòd per talem Epistolam* (nempe Card. S. Sixti) *sit derogata d. societatis facultas, eamque quatenus opus sit, denuo confirmauit.* De qua declaratione mentionem habent *Enriquez l.6.c.6.§.5. Sorbus in add. ad Casarub. in v. absolutio quantùm ad seculares, & Rodriq. apud Garziam vbi sup. nu.290.* asserentes Cōfessarios Societatis absoluere potuisse tunc a casibus Episcopo reseruatis virtute priuilegiorum. Sensus verò declarationum supra positarum fuit, quòd huiusmodi priuilegia fuerint per Tridentinum reuocata, & ideo in eis negatur Regularib. facultas absoluendi à casib. reseruatis Episcopo virtute priuilegiorum. De qua quæstione non est vnde nunc tractetur, quia eadem priuilegia de facto aliunde sunt reuocata sine dubio, vt dicetur. Et nobis sufficiat, pro nunc, quòd Regulares verè habuerunt priuilegium absoluendi à casibus reseruatis Episcopo.

373 Sed de iure nouo plura circa hoc punctum fuerunt statuta & ordinata. Nam primò Congregatio Regularium de mandato Clem. VIII. die 9. Ianuarij 1601. quod habetur in libello cuius titulus. Bullæ, & decreta recentiora, & apud *Donatum tom.2.p.3.tr.11.q.17. & Tambur. tom.2. disp.13. q.13. Pasqual. ad Laur. de Franch. p.p. num.1438.* & alios, & ego desumpsi ex impressione Camerali Romæ, & est sequentis tenoris.

DECRETA ET DECLARATIO
Super absolutiòne a censuris, seu a casibus reseruatis.

EDitum fuit aliàs à Sacra Congregatione S.R.E. Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, Decretum super absolutione à casibus reser[uatis], eius qui sequitur tenoris.

Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium, negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, iustis, & grauibus causis id exigentibus, ac de Sanctissimi D.N. Clementis PP. VII. speciali mandato, viuæ vocis oraculo desuper habito, Sacerdotibus omnibus tam secularibus, quàm Regularibus per vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus, ad confessiones audiendas probatis quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium Militiarum, aut Congregationum, etiam Societatis IESV, & generaliter quarumcumque aliarum, quouis nomine nuncupentur, iubet, & præcipit, ne quis eorum sub prætextu priuilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter, vel specificè scripto, aut viuæ vocis oraculo, vel per communicationem à Sede Apostolica, vel eius auctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegijs, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus secularium aut singularibus personis, seu alias quomodocunque sub quibusuis tenoribus, & formis, & clausulis, etiam dero-

derogatoriarum derogatorijs, quod cuiusuis etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum instantiam concessarum, seu confirmatarum, alicui cuiusuis status, gradus, & conditionis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm secularis, etiam Regiæ, vel Imperialis, ab vllo ex Casibus clarè, vel dubiè in Bulla die Cœnæ Domini legi solita, contentis, vel alijs quomodocunque Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurum per Sanctitatem Suam, eiusvè Successores pro tempore, in eadem Bulla vel aliter seruandis, nec etiam à Casibus, quos Ordinarij locorum hactenus reseruarunt, vel in posterum sibi reseruabunt, nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi mortis articulo, seu cum nota, & speciali Sanctitatis Suæ, aut successorum suorum, vel Ordinariorum, quoad casus ab ipsis tantum reseruatos, respectiuè, impetrata in scriptis licentia, Ordinarijs locorum exhibenda, absolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præsumat: sed cum opus fuerit pœnitentes ad Superiores, legitimosque Iudices suos accedere consulant; sub pœna contrafacientibus tam Regularibus, quam secularibus excommunicationis, priuationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum, inhabilitatis item audiendi confessiones, & ad quæcunque officia, prælaturas, beneficia in posterum obtinenda, ipso facto, absque vlla alia declaratione incurrenda: Super quibus à nemine, nisi à Romano Pontifice habilitatio, dispensatiovè, aut absolutio, præterquam in mortis articulo, possit impartiri: Sanctitas enim Sua (quatenus opus sit) facultates, & concessiones ipsas in hac parte viri cassat, & irritas habori de cætero voluit, & vult, non obstantibus quibuscunque.

Præterea nouerint pœnitentes absolutionem, si quam obtinebunt contra huiusmodi prohibitionem, esse nullam, nulliusque roboris, & momenti.

Et ne locorum Ordinarij, quibus ius hoc reseruandorum Casuum competit, plurium, quàm opus sit, reseruatione, subditis, aut Confessarijs in animarum salute procuranda cooperatoribus sint onerosi, monentur omnes, vt paucos, eosque tantum, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem, pro cuiusuis Diœcesis statu, & qualitate necessariò reseruandos esse iudicauerint reseruent. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ die noua Mensis Ianuarij Anni M. DCI.

374 Cum autem dubia quædam ac difficultates circa eiusdem Decreti interpretationem atque obseruationem emersissent, eadem Congregatio, ne vllus deinceps obscuritati scrupulo, ambiguitativè locus relinquatur, & vt clariùs appareat, in quibus casibus vigore eiusdem Decreti reseruatis intelligatur prohibita absolutio, speciali mandato eiusdem S. D. N. Clementis PP. VIII. similiter viua vocis oraculo super ea re habito, ipsum Decretum ita moderatur, ac declarat, videlicet. Sub eiusdem prohibitione illos tantum in posterum comprehendi casus, qui Bulla die Cœnæ Domini legi consueta continentur. Ac præterea: Violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis fel. rec. Gregorij XIV. quæ incipit: Cum aliàs nonnulli; Violationis clausuræ Monialium ad malum finem; Prouocantium, & pugnantium in duello iuxta Decretum Sacri Concilij Tridentini, & Constitutionem fel. rec. Gregorij Papæ XIII. incipientem: Ad tollendum; Inijcientium violentas manus in clericos, iuxta Canonem. Si quis suadente, &c. xvij. q. 4. ac iuris dispositionem; Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis; Item omnes casus, quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel in posterum reseruabunt. In quibus omnibus iam enumeratis casibus dumtaxat, & sublata etiam pœna inhabilitatis audiendi confessiones eadem Sacra Congregatio vult, & mandat, dictum Decretum in sua firmitate, & pristino robore permanere: Ac præterea declarat eos quidem Sacerdotes, tàm seculares, quàm Regulares; qui aliquo ex priuilegijs, indultis, & facultatibus in supradicto Decreto expressis, suffulti fuerint, posse iuxta eorum priuilegia, indulta, & facultates, vsu ante idem Decretum, receptas, & quæ sub alijs reuocationibus non comprehenduntur, tantum, & non aliàs absoluere à casibus in præsenti declaratione non comprehensis, alijs verò Sacerdotibus huiusmodi priuilegia non habentibus, nihil de nouo concedi. Sed ne locorum Ordinarij, ad quos casuum reseruatio spectat, ea in re modum excedant; eadem Sacra Congregatio illos rursus magnopere admonendos censet, vt non possint, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & grauiorum criminum absolutionem sibi reseruent, quorum reseruatio ad Christianam disciplinam retinendam conferat in ædificationem, non autem in destructionem cedat, ne alioquin Sacramenti Pœnitentiæ Ministrorum coarctata potestate Sanctæ Matris Ecclesiæ piæ menti contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi superfluè reseruent casus in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reseruatos; Facultatem verò, & licentiam absoluendi à casibus reseruatis, quam in scriptis tantum concedi permittebatur, etiam sola viua voce concedi posse declarat. Cæterum ne quis Sacerdotum seculàrium, aut Regularium, sub prætextu, quòd per primo dictum decretum non fuerit sufficienter eorum specialibus priuilegijs derogatum eidem Decreto, sic vt præfertur declarato, contrauenire audeat, Sanctitas Sua Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis omnibus in fauorem quorumcunque Ordinum, seu institutorum Regularium, aut Sacerdotum tam secularium, quàm Regularium editis, necnon eorundem Ordinum, seu institutorum, ac etiam Ecclesiarum, & Monasteriorum, & aliorum secularium, seu Regularium locorum quorumcunque etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis eisdem Ordinibus, seu institutis, ac etiam Ecclesijs, & Monasterijs, & secularibus, seu Regularibus locis, aut personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus & alijs decretis etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quæuis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma seruanda esset tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, insertì forent, præsentibus pro expressis habens, quoad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specia-

specialiter, & expressè derogat, contrarijs quibuscunque non obstantibus. Romæ die xxvi. Nouemb. 1602.
Alex. Card. Floren. Episc. Prænestin.
Hier. Agucchius Secr.

Aliud Decretum eiusdem Sacr. Congregation. de S. D. N. Pauli PP. V. mandato editum.

135 *QVoniam Sacra Congregatio Cardinalium negocijs Episcoporum, ac Regularium præpositorum, nuper accepit, quamplures Regulares tantum facultatis, seu priuilegij ab Apostolica Sede sibi concessum profiteri, vt etiam à casibus locorum Ordinarijs in eorum Diæcesibus reseruatis, absque alia ipsorum Ordinariorum licentia, pœnitentes absoluere minimè dubitent, nonnullosque alios in decreto prohibitionis absolutionis à casibus Sedi Apostolicæ, vel locorum Ordinarijs reseruatis die 9. Ianuarij 1601. fel. rec. Clementis Papæ VIII. iussu edito, necnon in declaratione illius eodem Clemente Pontifice iubente die xxvi. Nouembris 1602. promulgata, excommunicationes Sedi, vel Ordinarijs prædictis reseruatas, minime comprehensas asserere; vnde fit, vt metus, quo homines à peccando coercentur, absolutionis facilitate exolescat. Ideò Sacra eadem Congregatio de Sanctiss. Domini Nostri Pauli PP. Quinti speciali mandato, viuæ vocis oraculo desuper habito, decretum huiusmodi, illiusque declarationem, necnon censuras, & pœnas, in eisque contenta omnia, confirmanda, atque innouanda operæ precium duxit, prout per præsentes confirmat, atque innouat, ab omnibusque Sacerdotibus tam secularibus, quàm regularibus quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, Congregationum, aut cuiusuis alterius instituti, etiam necessariò exprimendi, quouis nomine nuncupetur, inuiolabiliter abseruari, ac insuper vt nulli ex Sacerdotibus prædictis, quibuscunque priuilegijs, indultis, & facultatibus suffulti, ab excommunicationibus, vel à casibus eisdem Ordinarijs, vel Sedi Apostolicæ reseruatis, tam ad forum contentiosum eorundem Ordinariorum deductis, quàm non deductis, præterquam in mortis articulo, absoluere audeant, vel præsumant, vel eorum aliquis audeat, vel præsumant, sub eisdem censuris, & pœnis eo ipso, & absque alia declaratione incurrendis, mandat, ac præcipit. Non obstantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII. in decreto, & declaratione huiusmodi voluit non obstare. Datum Romæ 7. Ianuarij Anni 1617.*
Antonius Card. Saulius.
V. Theatinus Secretarius.

376 Aliud etiam postea decretum edidit eadẽ Sacr. Congreg. sub Vrbano Octauo, quod est sequentis tenoris, videlicet. *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit per confirmationes priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Sac. Conc. Trident. obtinnerunt, nequaquam reuixisse priuilegia priùs ab eodem Concilio, ac deinde, etiam ipsius Congregationis decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant à casibus Ordinario loci reseruatis. Quemadmodum nec indulta absoluendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœna Domini legi consueuit, vt potè sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisiuisse ex subsequentibus priuilegiorum confirmationibus. Ac proinde regulares cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti etiam necessariò exprimendi; nec intra, nec extra Italiam in vim priuilegiorum aut Confirmationum eiusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebant posse quamquam absoluere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reseruatis. Ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore. Ab alijs verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis. Si quidem regulares habent à Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extrà Italiam minimè sublatam fuisse ijsdem Sacræ Congregationis decretis, hac de re editis iussu sanct. memor. Clem. VIII. Quam Sacr. Congregat. sententiam sanctitas sua ad se relatã approbauit. mandauitque ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obseruari: Romæ 17. Nouembris 1628. F. A. Cardinalis S. Honuphr. loco † Sigilli. P. Fagnanus Secretarius.*

377 Aliquæ etiam literæ circa hanc materiam datæ fuerunt ab eadem S. Congreg. ad Archiepis. Neapol. quas recenset *Pasqual. ad Lauret. de Franchis p. p. num. 1460. & 1461.* Quarum prima data fuit sub Clemente Octauo & est sequentis tenoris, videlicet. *Illustrissime & Reuerendissime Domine. Accipiet Illustriss. amplitudo vestra vna cum hisce literis exemplum declarationis quam Sacr. Congregat. S. R. E. Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & regularium præposita de expresso Sanctissimi Domini Nostri mandato nuper edidit super decreto de prohibita absolutione à casibus reseruatis die 9. Ianuarij 1601. promulgato, quod in suis diœcesibus ostiensi, & Neapolitana publicandum, ac studiosè obseruandum diligenter curabit. Cum autem locorum Ordinarij magna ex parte indicem, seu notam singulorum casuum a re reseruatorum hoc miserint. Compertum est in hoc genere variè quid à varijs admissum fuisse, quod aliqua emendatione indigaret; quosdam nimirum quædam reseruasse, quæ iam Apostolica Sedes sibi reseruaret; alios alia, quæ minimè expediebat; non nullos verò in ea re modum excessisse, vt nullum ferè superesset peccatum, quod non sibi vendicaret, indifferens illa seruandi ratio, quæ (vt necesse erat) res plerasque leuis momenti, & alioquin Conc. Trident. aliorumque Sacrorum Canonum sententia parùm coagruentas complectebatur. Verum quia nondum satis hic explorata erat cuiusque loci conditio, ac necessitas, non potuit vnicuique reseruationum huiusmodi sigillatim modus, ac temperamentum, quod res poscebat adhiberi. Nec sanè debuit vna, eademque regula omnibus Ecclesijs præscribi, quandoquidem alia alibi magis conuenire certum est, & fieri vix potest, vt omnia omnibus in locis æquè probentur, & prosint. Quæ cum ita sint, visum est eidem Sacr. Congregationi præter illam declarationem, priuatas quoque literas ad singulos ordinarios mittere, quibus moneant, vt simul, ac eas acceperint, omnes casus sibi iam olim reseruatos, adhibitis aliquibus pietate, & doctrina præstantibus viris de integro disentiant, diligenterque examinent, & ad ipsius decreti iam declarati normam accomodent, eorum multitudinem sic resecantes, vt ad quàm paucissimos, eosque maximè necessarios redigantur*

tur idem casus, vnde salutaris ille sequatur effectus, cuius causa haec reseruandi atrociores quosdam casus Episcopis in sua cuique Diœcesi tributa est auctoritas.

378 *Praecipuè verò haec monendum censet Sac. Congregatio, vt videant ipsi ordinarij, ac illos casus promiscuè reseruent, quibus annexa est excommunicatio maior à iure imposita, cuius absolutio nemini reseruata sit, nisi fortè propter frequentiam, scandalum, aut aliam necessariam causam, aliqui huiusmodi casus nominatim reseruandi viderentur, neque casus, in quibus absolutio, nisi cum restitutione, vel executione eorum, ad quæ pœnitentes tenentur, non confertur, neque illos, qui etiamsi mortalem peccatum inducant, circa res tamen paruæ momenti versantur, & frequenter inter idiotas euenire solent, vti damni dati, & similium. In peccatis etiam carnalibus reseruandis multa vtantur circumspectione propter periculum scandalorum, in ijs maximè personis, in quas ob accessum ad confessarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios suspicionis aliquid capi possit. Postremò eam potissimùm ineant, ac sequantur rationem, quæ consideratis diligenter cuiusque Prouinciæ, ac populorum moribus, natura, ac propensione, magis in Domino expedire videbitur. Postquàm autem ab ijs per acta discriptaque fuerit haec moderatio, vnusquisque eam primo quoque tempore ad me perferendam curet, ad ista insuper causa, quæ cuiusque casus reseruationem potissimum suaserit. Hoc enim à S. D. N. deliberatum est, vt postmodum singulæ huiusmodi reseruationes distinctiùs examinentur, quo perfectè tandem, adiutrice Dei gratia, opportunum ijs in commodis remedium adhibeatur. Interim de ipsius sanctitatis sua mandato ijdem ordinarij monentur, vt per totam suam diœcesim, ac præsertim ijs locis, qui à Ciuitate, & Cathedrali sede longiùs remoti sunt, Pœnitentiarios, aliosque sacerdotes constituant, ac delegent, quibus facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis, concedant, ita vt his quoque liceat eamdem alijs Confessarijs, si opus sit, etiam viua voce impertiri: Idque maximè in solennitatibus, & præcipuis anni festiuitatibus, vt peccatores, quibus obuia, & facilis fuerit huiusmodi sacerdotum copia, ad peragendam confessionem alliciantur, quia alioquin plerique, vel ob idipsum omittere possent, si necesse haberent pœnitentiæ magistros, quibus indigent longiùs quærere. In eam igitur curam, quantùm in se erit, sedulo incumbet illustriss. amplitudo vestra, vt hæc omnia ex sanctitatis sua, & Sacræ Congregationis mente debitæ executioni mandentur, ac diligentia, eoque zelo vbique adhibito, quam optimus quisque pastor erga animarum sibi creditarum salutem præseferre debet. Vt autem apud se, successoresque suos perpetuum extet monumentum, quid hic circa totam hanc reseruandi rationem deliberatum sit, dabit operam vt hæ litteræ vnà cum ipso decreto, ac declaratione in publicis suarum Curiarum Episcopalium actis integri describantur. Eas verò cum primùm acceperit, dignabitur facere nos ea de re certiores, missuros postea quanto citius fieri poterit, expetitum nouæ reseruationis indicem ex præscripto huiusce mandati confectum. Quæ omnia mandante ipsa Sacr. Congregatione ego Illustr. Dominationi vestræ scripsi, Deum precatus, vt eandem quàm diutissimè incolumem tueatur. Romæ die 26. Nouemb. 1602. Dignabitur etiam amplitudo vestra Illustrissimam operam dare, vt Prælatis inferioris Ordinis exemptis, seu nullius Diœcesis, si qui sint in sua Prouincia, innotescat decretum hisce litteris inclusum, tam etiam hæc reliqua, quæ ei scribuntur super eorum reseruatione.*

Illustriss. & Reuerendiss. Dominationis vestræ humillimus seruus.

Alex. Card. Flor.

379 Sequuntur aliæ literæ sub Innocentio X. ad Archiepiscopum Neapol. die 10. Decembr. 1647: apud eundē Pasqual. & sunt sequentes. *Questa Sacra Congregatione hà più volte dichiarato con ordini espressi di Clemente VIII. di Gennaro, & Nouembre 1602. Di Paolo V. di Gennaro 1617. di Vrbano VIII. santa memoria di Nouembre 1628. che tutte le facoltà di assoluere da casi reseruati, ò reseruandi de gli ordinarij, ò vero compresi, ò da comprenderli nella Bolla in Cœna Domini implicitè, vel explicitè, & altri reseruati solamente alla santa Sede nel medesimo decreto di Nouembre 1602. concesse à Secolari, o Regolari, Congregationi, ò Confraternità di qualunque prerogatiua, ò specialità, etiam necessariò exprimenda, sono state annullate, & estinte così dal Sacro Concilio di Trento, come dalle sudette constitutione, e che in vigore delle confermationi, estensioni, communicationi ottenute doppò, ò da ottenersi per l'auuenire sotto qualsiuoglia amplissime clausule, non s'intende mai rinouata la sudetta facoltà, riseruando solo gl'indulti concessi specialmente fuor d'Italia, ò dentro Roma, quanto alli casi reseruati alla Santa Sede non compresi nella sudetta Bolla. Onde venendo rappresentato alla Santità di N. S. da V. Eminenza con sua letera de 4. d'Agosto precedente, che in cotesta Città, e sua diocese alcuni Confessori secolari, e regolari senza giustificare con quali facoltà assoluono de fatto dalle censure, e casi sudetti. Et in oltre disseminando opinioni erronee asseriscono, che per potere assoluere dalli casi reseruati all'ordinario, basti hauer domandato al medesimo la facoltà, ancorche ricusi di concederla. Questi Eminentissimi miei Signori di commissione expressa di sua Beatitudine, mi hanno imposto di scriuerle, che con l'autorità, che à tal effetto se le communica in virtù delle presenti, sotto le pene, che giudicarà espedienti, faccia intendere à tutti li Confessori di costì siano quanto si voglia priuilegiati, & esenti che si conformino con li sudetti decreti, & non ardiscono di contrauenir sotto qualsiuoglia pretesto, ò caso etiam di precisa necessità, forche in articolo mortis cum reincidentia, si conualuerint. Dichiari similmente annullati tutti gli oracoli, & indulti Apostolici ottenuti in voce da detto tempo in quà, & à gli altri, che pretendono hauer Breue, ò Bolla in forma specifica doppo l'vltima constitutione d'Vrbano, prefigga vn termine peremtorio di tre mesi ad esibirli à questa Sacra Congregatione, altrimente vuole, e dichiara N. S. che si intendino decaduti, ò priuati di essi eo ipso senza altra intimatione. Et finalmente che doppo hauer fatto notificar costì doue, e come stimarà essere di bisogno, che quelli, che dimandano all'ordinario la facoltà di assoluere, e non l'ottengano, non posson valersene, ella dichiari incorrere nella sospensione di vdire le confessioni sacramentali, quelli, che publicamente difenderanno la dottrina sudetta, ò pure presumeranno temerariamente di assoluere, ancorche loro sia stata denegata, ò non concessa la facoltà da gl'ordinarij. Costì V. Eminenza resti seruita di fare, che pontualmente si eseguisca, con dare qua distinto auuiso dell'operato. Di Roma 7. Decembre 1647. di V. Eminenza humiliss. & affettionatiss. seruitore. M. Cardinale Ginetti. G. Arciuescouo di Patrasso Secretario*

Circa

380 Circa huiusmodi vltimas litteras vero aduertit Pasqualig. eas in parte continere iuris communis declarationem, vt quòd pro omnibus reuocatæ sunt facultatea absoluendi à casibus reseruatis Episcopo, & à casibus Bullæ Cœnæ, ceterisque quinque Papalibus. Rursus dictas facultates non esse restitutas per subsequentes confirmationes priuilegiorum extensiones, & communicationes immò nec restituendas. Verùm quantùm ad multa alia disponunt, & nouam legem continent. Sed licet quatenus declarant ius præcedens afficiant omnes Regulares totius mundi, quatenus tamen disponunt, & continent nouam legem, obligant solùm existentes in Ciuitate & Diœcesi Neapolitana, quia sunt pro ipsa specialiter disposita, vt patet ex tenore literarum. Quod autem est speciale non trahitur ad generale. *cap. sanè de priuileg.* & inter alias notat *Merlin. decis. 392. num. 25.* sed & finis earum literarum, non fuit nisi ferre remedium abusibus illius Ciuitatis, & Diœcesis. Verùm Regulares omnes has litteras considerare semper debent ne ex vano pretexto priuilegiorum decipiantur.

381 Quoniam autem & in superioribus, sæpius mentio habita fuit, & in posterum habenda erit. *Constit. Inscrutabili* de exempt. priuileg. Greg. XV. quæ habetur in Bull. Rom. in ordine 18. simul cum multis responsionibus Sacr. Congreg. Concilij datis ad plura dubia, circa dictæ Constitut. intelligentium orta, iudico necessarium esse eam inserere, cum ex ea pendeat quàmplurium difficultatum faciendum ad hanc, & sequentes inspectiones, explicatio. Illa igitur hæc habet.

GREGORIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

382 INscrutabili Dei prouidentia Vniuersalis Ecclesiæ regiminis, meritis licèt imparibus, præsidentes, pastoralis nostræ solicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam præcipuè incumbere, vt à dignis, & probatis tantùm sacerdotibus sanctè administrentur Ecclesiastica Sacramenta; atquè vt virginum Deo sacrarum Monasteria diligentissimè custodiantur; & viri assumantur idonei ad prædicationis officium salubritèr exequendum. Sanè Tridentinæ Synodi decretis prouidè cautum est, nullum Presbyterum, etiam regularem, posse Confessiones secularium, etiàm Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: Nec non vt in Monasterijs, seu domibus virorum, seù mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seù locorum familia personæ; tàm regulares, quàm seculares eiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in ijs, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius Diœcesi sunt sita: Itemquè vt Episcopi vniuersi sub obtestatione Diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus Monasterijs sibi subiectis Ordinaria, in alijs verò Sedis Apostolicæ authoritate clausuram sanctimonialiũ, vbi violata fuerit, diligentèr restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent; inobedientes, atquè contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasquè pœnas, quacunque appellatione postposita, compescentes: Atquè vt regulares in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare volentes, se coràm Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Ecclesijs verò, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint sine Episcopi licentia: contradicente autem Episcopo, nulli, etiàm in suorum Ordinum Ecclesijs, prædicare præsumant.

383 Verùm quia experientia compertum est, Ecclesiastici regiminis rationes postulare, vt decretis eiusmodi aliquid adiungatur: matura deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuo valitura Constitutione decernimus, statuimus, & declaramus, vt deinceps tàm regulares, quàm seculares quomodolibet exempti, siuè animarum curam personarum secularium Monasterijs, seù domibus regularibus, aut quibusuis alijs Ecclesijs, vel beneficijs siuè regularibus, siuè secularibus incumbentem exerceant; siue aliàs Ecclesiastica Sacramenta, aut vnum ex illis ministrent præuia Episcopi licentia, & approbatione; siuè quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto absquè vlla auctoritate se ingerant: in his, quæ eiusmodi curam, seù administrationem concernunt, omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquàm Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subijciantur.

384 Ad hæc tàm regulares, quàm seculares huiusmodi nullis priuilegijs, aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intrà septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci, similiter tanquàm ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

385 Confessores verò siuè regulares, siue seculares, quomodocumque exempti, tàm Ordinarij, quàm extraordinarij ad Confessiones Monialium, etiam regularibus subiectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.

386 Sed & Administrantes bona ad eiusmodi Monasteria Sanctimonialium, vt præfertur, etiam regularibus subiectarum, pertinentia, siuè regulares extiterint, siuè seculares, quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idquè iuris remedijs cogi, & compelli queant.

387 Liceatque Episcopo, ex rationabili causa Superiores regulares admonere, vt eiusmodi confessores, atque Administratores amoueant: ijque

Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amouendi quoties, & quando opus esse iudicauerit.

388 Ac similiter possit Episcopus, vna cum Superioribus regularibus, quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorumdem Monasteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere; absquè vlla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.

389 Ac demum habeat Episcopus, tanquàm dictæ Sedis delegatus, authoritatem coercendi, ac puniendi quoscunque exemptos tàm seculares, quàm regulares, qui in alienis Ecclesijs, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia; & in Ecclesijs suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint. Ità vt Episcopi in suprascriptis casibus, & in prænominatas personas, in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extrà visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, vti eiusdem Sedis delegati, procedere, omnemque iurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant.

390 Decernentes sic per quoscunquè Iudices quauis authoritate fungentes, etiam Sacri Palatij Auditoris, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis, aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere; Irritum quoquè, & inane si secùs super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcunque personarum, atque Ordinum tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessariò, & in indiuiduo exprimendi, Monasteriorum, Conuentuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque tàm secularium, quam regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, vel Consuetudinibus, etiam immemorabilibus; exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis; Conseruatorum deputationibus, eorumque atquè alijs inhibitionibus, quibus Episcopi desuper minimè teneantur; & quibusuis alijs, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis; etiàm si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quauis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea, quæ eisdem præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter & expressè derogamus; cæterisque contrarijs quibuscunque. Cæterùm quia difficilè foret præsentes litteras ad singula quæque loca deferri, vt eæ tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valuas Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, atquè Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti, eisque detractis, earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus, vt earumdem præsentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & Sigillo Prælati, seu Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio, & extra illud, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ. M. DC. XXII. Nonis Februarij. Pontificatus nostri Anno secundo.
V. Dat.

S. de Vrsinis.

Registrata in Secretaria Breuium.

In nomine Domini Amen. Anno a Natiuitate Domini nostri Iesu Christi M. DC. XXIII. indictione sexta die verò octaua Mensis February; Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri D. Gregorij Diuina prouidentia XV. anno secundo, retroscripta litera Apostolica affixa & publicata fuerunt ad Valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranen. Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellaria Apostolica, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earumdem literarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, & exinde remotis, deinde dimissis earumdem literarum copijs affixis, vt moris est, per nos Cosmam Madium, & Alexandrum de Rocchis Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursores.

Declarationes aliquot Sacr. Congregat. Concilij super Constitutione S. D. N. Gregorij PP. XV. de Exemptorum de Priuilegijs, &c.

391 POsita Constitutione Sanctissimi Domini Nostri de exemptorum priuilegijs, &c. Dubitatur.

392 Primò, an liceat Episcopis visitare Altaria regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personarum secularium incumbit, aut loca vbi in ijsdem Ecclesijs asseruatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi audiuntur Confessiones personarum secularium?

Secun-

393 Secundò, an Episcopi possint regularibus præscribere, vt certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant; vel alias illorum priuilegia restringere, ac moderari in Sacramentis administrandis?

394 Tertiò, an facultas Episcopis per Constitutionem attributa in exemptos tàm seculares, quam regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius Diœcesis?

395 Quartò, an eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium, ac iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus?

396 Quinto, an per eandem Constitutionem in illis verbis, *possit Episcopus vna cum Superioribus regularibus quarumcunque Abbatissarum &c. electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere*; ius Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur.

397 Sexto, an Confessores Monialium ante editam constitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari, & approbari?

398 Septimo, an Superiores Regulares similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro Confessionibus sanctimonialium sibi subiectarum audiendis?

399 Octauo, an Confessiones, quas audiunt Superiores Regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, & scientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtenta Episcopi approbatione, sint nullæ, atque irritæ, nec ne?

400 Nono, an Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad Confessiones personarum sæcularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum?

401 Decimo, an Regularis ad audiendas Confessiones Monialium vnius Monasterij ab Episcopo approbatus, Confessiones Monialium alterius Monasterij audire possit?

402 Vndecimo, an Confessores Regulares extraordinarij semel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium Confessiones pro vna vice infra annum ad præscriptum Sacr. Conc. Trid. possint, virtute dictæ approbationis, pluries tanquam Confessores extraordinarij earumdem Confessiones audire absque noua Episcopi licentia.

403 Duodecimò, eum in eadem Constitutione statutum sit, vt liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, vt amoueãt Confessores Monialium, atque Administratores bonorum ad earundem Monialium Monasteria pertinentium, ijsque Superioribus id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amouendi quoties, & quando opus esse iudicauerit: An eiusmodi causam Episcopus Superioribus Regularibus significare teneatur?

404 Decimotertio, an eadem Constitutio, qua parte supponit Episcopi iurisdictioni regulares delinquentes circa personas degentes intra septa Monasteriorum Monialium, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem eorumdem Monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis; an verò solum in notorijs, & cum scandalo populi?

405 *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, censuit, Constitutionem sanct. mem. Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs, nequaquam subijcere Regulares exemptos: quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, Episcoporum iurisdictioni in his, quæ Sacramentorum administrationem concernant, nisi cum in Sacramentis personis secularibus administrandis ijdem Regulares delinquunt: ac propterea.*

406 AD primum dubium respondit, Episcopis non licere in vim eiusdem Constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum sæcularium, nec loca, vbi in ijsdem Ecclesijs asseruatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi Confessiones personarum sæcularium audiuntur.

407 Ad secundum, Hac in parte Constitutionem nihil noui iuris induxisse, nec vllam nouam auctoritatem Episcopis in Regulares attribuisse; ideoque in vim ipsius Constitutionis non posse Episcopos Regularibus præscribere, vt certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiunt, vel alias illorum priuilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari. Quod si aliunde Episcopis huiusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem Constitutione sublatam.

408 Ad tertium Censuit, eiusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personas nullius diœcesis.

409 Ad quartum, Non competere.

410 Ad quintum, Ius confirmandi Abbatissas minimè fuisse Episcopis per constitutionem attributum.

411 Ad sextum, Confessores quidem extraordinarios Monialium nullatenus posse post Constitutionem illarum Confessiones audire, nisi prius ab Episcopo diœcesano idonei iudicentur, & approbentur. Ordinarios verò Confessores ante Constitutionis publicationem deputatos posse, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in confessionibus Sanctimonialium audiendis absque alio examine, & approbatione Episcopi.

412 Quod si contingat, vt illorum facultas à Sede Apostolica vltra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, & approbari.

413 Ad septimum, Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competebat audiendi confessiones Monialium sibi subiectarum, posse, durante eorum officio, pergere sine alia Episcopi approbatione in confessionibus audiendis illarum tantum, quæ spontè, ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui post Constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officijs, seu dignitatibus, expleto iam tempore à Constitutionibus cuiusque Ordinis, vel aliàs legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse Sanctimonialium Confessiones audire, nisi prius à Diœcesano Episcopo idonei iudicati, atque approbati fuerint.

414 Ad octauum, Confessiones huiusmodi nullas, atque irritas esse.

Ad no-

415 Ad nonum, Regulares generalirer ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum, sed egere, quoad hoc, speciali Episcopi approbatione.

416 Ad decimnm, Regularem ad audiendas Confessiones Monialinm vnius Monasterij ab Episcopo approbatum, minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterij.

417 Ad decimum primum, Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro vna vice audiendas, haud posse pluries, in vim approbationis eiusmodi, illarum confessiones audire, sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

418 Ad decimum secundum, Non teneri eiusmodi causam significare Superioribus Regularibus; sed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcoporum, quorum conscientiam Sac. Congregatio seriò onerauit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri.

419 Ad decimum tertium, Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notorijs tantùm, & cum populi scandalo.

420 Quæ Sacræ Congregationis responsa ad se relata fel. rec. Greg. XV. & S. D. N. Vrbanus VIII. in omnibus approbarunt.

A. Card. Çaetanus.

Prosper Fagnanus S. Congr. Sec.

421 Subsequuntur alia duo dubia ab eadem Congregatione declarata, & à Sanctiss. D. N. approbata.

An Regularis absque legitima licentia accedens ad monasterium monialium Regularibus subiectarum, ibique in loco colloquijs destinato cum moniali colloquens, à Diœcesano Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato, coerceri, & puniri possit.

422 Sacra Congreg. Cardinalium Conc. Trid. interpetratum censuit, posse. Quam Congregationis sententiam S. D. N. Vrbanus VIII. ad se relatam approbauit.

423 An liceat Episcopo in vim Constitutionis sanctæ mem. Gregor. XV. de exemptorum priuilegijs, punire Regulares, qui ad Abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciata.

424 Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trident. interpretum respondit. Regulares ex eadem Constitutione ità demum teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumque vsque ad præfinitum tempus expectare, si anteà ipse expressè declarauerit se vti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumque electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere. Post eam verò declarationem licere Episcopo animaduertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatissæ electionem procedunt.

Cos Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

SVMMARIVM.

1 *Regulares posse absoluere à casibus bullæ cœnæ, qui senserint. n. 425.*
2 *Clausula bullæ cœnæ. n. 426.*
3 *Per bullam cœnæ derogatur priuilegijs, facultatibus indultis etiam Conciliorum. n. 427.*
4 *Ad derogandum Conc. Trid. non est necessaria specialis mentio. n. 427.*
5 *Episcopus non potest absoluere à casibus bullæ cœnæ occultis. n. 427.*
6 *Regulares non possunt absoluere à casibus bullæ cœnæ etiam occultis. n. 427.*
7 *A Regulari non debet allegari quod bulla cœnæ alicubi non sit recepta. n. 428.*
8 *Constitut. Pontificiæ non eo non obligant, quod non sint vsu receptæ. n. 429.*
9 *De bulla cœnæ nequit dici, quod non obliget, quia non sit vsu recepta. n. 430.*
10 *In Ord. Prędicator. obseruantia dictæ bullæ præcepta. n. 430.*
11 *Præsumens absoluere a casibus bullæ cœnæ est excommunicatus duplici excommunicatione. numer. 431.*
12 *Pœna lata in eadem bulla. n. 431.*
13 *Ad hanc incurrendam requiritur præsumptio. numer. 435.*
14 *Metus non excusat a censura, nisi excuset a culpa. num. 432.*
15 *Fictè absoluens ex graui metu non incurrit excommunicationem hanc. n. 432.*
16 *Secunda excommunicatio lata contra sic absoluentes est Clem. VIII. n. 433.*
17 *Ad eam incurrendam necessario est præsumptio, & quod detur absolutio prætextu priuilegiorum. num. 433.*
18 *An incurr. excom. qui absoluit a culpa, non a censura. n. 434.*
19 *Pœna ordinaria non datur nisi pro delicto perfecto. num. 434.*
20 *Incurrit illam, qui absoluit ab excom. licet non a culpa. n. 434.*
21 *Incurritur ab absoluente a casibus dubijs. n. 435.*
22 *Correctio legum non inducenda ex tacito intellectu. n. 435.*
23 *Absoluens ab excom. bullæ cœnæ contra absoluentem a casibus in ea contentis non incidit in excom. Clem. VIII. n. 436.*
24 *Absoluens ab excom. eiusdem Clementis licet reseruata non est excom. ex vi decreti Clem. VIII. num. 439.*
25 *Ab excommunicationem latam in Clem. Religiosi. De priuileg. non incurrat, qui absoluit a casibus bullæ cœnæ. n. 437.*
26 *Nec latam in extrauag. Et si Dominici n. 438.*
27 *Nec latam in canon. 17. Bullæ cœnæ, n. 439.*

OBSERVATIO PRIMA.

425 QVomodo Regulares suos pœnitentes seculares absoluere non possint à casibus bullæ cœnæ colligitur ex citatis iuribus. *Concers*, tamen, quem refert *Diana p. 6. tom. 6. resol. 54.* fundatus in priuilegio Vrbani IV. affirmat, quòd Regulares possunt absoluere ab omnibus

bus casibus bullæ cœnæ exceptis ijs in quibus cōsulenda esset Sede Apostolica, Posse verò saltem absoluere eos, qui bona naufragantium rapuerunt ex priuilegio Greg. XIII. dixerunt *Portell. v. bulla cœnæ num.3. & Palaus tom.4.tr.23.p.14.num.14.* Alij excipiunt hæreticorum receptatores, fautores, defensores, eorum libros legentes, tenentes, & imprimentes, superstitiosos Magos, blasphemos, & alios de hæresi suspectos, dummodò non sint intus hæretici, sed credant, quæ credit Sancta Romana Ecclesia. Ita *Portel. Treit. Cunb. apud Dianam p.1. tr.6 res.8. Trimarch. Bossius, Trullench. Vidal.* quos refert, & sequitur *Anton. a Spiritu sancto p.1. tra.2. disp.3.n.48.* Alij excipiunt casus occultos, & fundantur in his argumento. Episcopi virtute, Conc. Trident. sess. 24. cap.6. possunt absoluere à casibus occultis bullæ cœnæ; igitur & id facere possunt regulares. Consequentia probant, quia casus occulti ex quo ab eis absoluere possunt Episcopi, non sunt ampliùs Papæ reseruati, & Regulares possunt virtute priuilegiorū id quod Episcopi possunt authoritate ordinaria. Antecedens verò nouissimè probat Virginius *Aluiset in sua Murenula vermiculata sect.3.cap.5.§.2.n.13.* quia bulla reuocat priuilegia ibi, *non obstantibus priuilegijs quibuscumq;* facultas verò Episcopis data non est priuilegium, sed est concessio liberi vsus suæ iurisdictionis. Secundò quia ad derogandum Concilio Tridentino requiritur eius specifica mentio. Ita *Concers* apud *Dianam vbi supra. Auersa apud Dianam p.8. tra.7. res.67.* Vrbanus, *Martinus a S. Ioseph, Vidal,* quos refert, & sequitur *Anton. a Spiritu sancto vbi supra num.49. Virgilius Aluiset, vbi supra nu.10.* referens pro eadem sentent. *Sanch. Trullench. Machad. & Nauar. Anton. tamen a Spiritu sancto nu.45.* excipit casum hæresis etiam occultæ. Aluiset verò non excipit excommunicatos nominatim si sint occulti. Addit verò num.9. quòd vbi bulla cœnæ non est recepta, quilibet simplex Sacerdos, nisi aliud obstet, potest à casibus in bulla contentis absoluere.

426 Sed aduertendum quòd clausula bullæ cœnæ est sequentis tenoris. *Cæterum à prædictis sententijs nullus per alium quam per Roman. Pontif. nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolui possit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscumque personis ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis pijs, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiusuis Concilij decreta, verbo, litte s, aut alia quacunque scriptura in genere, vel in specie concessarum, & innouatorum, aut concedendorum, & innouandorum. Quòd si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, grauius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus processuri.*

427 In hoc verò §. nulla est mentio priuilegiorum sed reuocantur facultates & indulta, sub quibus nominibus veniunt nedum priuilegia, sed quæcumque facultas per quam alicui conueniat posse absoluere à prædictis casibus, vndecumque illa habeatur vel haberetur, siue ex priuilegio, siue ex iure ordinario, siue ex iure communi, siue ex speciali. Tollitur verò huiusmodi facultas absoluendi à casibus Bullæ etiam ab Episcopis expressè, & cum sufficienti derogatione Concilij Tridentini, nedum quia clausula per *cuiusuis Concilij decreta &c.* sufficit ad derogandum cuicumq; Concilio Generali, sed quia ad derogandum Concilio Trident. nec est necessaria specialis mentio aut derogatio, sed sufficit signatura Papæ, vt declarauit Pius V. in speciali motu proprio, quem ad verbum refert *Garzias p.4.c.5.n.33.* & retuli, ego in *tract. de elect. c.16. n.33.* vnde communis sententia est, quòd ad derogandum Concil. Trident. non requiritur eius specialis mentio, vt patet per DD. quos idem retuli *nu.32.* Vnde nec Episcopos posse absoluere à casibus occultis Bullæ cœnæ probaui *ibid. nu.54.* per DD. plurimos ibidem citatos, & quia sic declarauerunt Pius V. & Gregor. XIII. & Sac. Congregatio, Quod & nouissimè tanquam decisum à sacra Congregat. docet *Reuerendiss. Faguanus in c. Quoniam n.29. de constit.* Quamobrem tanquam certum, & indubitatum censeo cum cōmuni sententia DD. quorum plures retuli loco cit. *num.54.* nec Episcopos virtute Concil. Trident. neque Regulares virtute priuilegiorum posse absoluere ab aliquo ex casibus contentis in Bulla cœnæ quantumuis occulto, quia omnia Regularium priuilegia manifestè tolluntur per dictum §. *Cæterum.*

428 Quod verò dixit Aluisset de non receptione Bullæ cœnæ alicubi absq; fundamēto allegatur à Regulari, & ad probandum, quòd Regulares possint absoluere à casibus in ea contentis; Quia de Regularibus nequit dici, quòd Bullas Pontificum non recipiant, cum illas recipiant Religiosorum Capitula & superiores primarij, ad quos vniuersale ordinum gubernium spectat, & qui tanquam obedientissimi filij Sedis Apostolicæ, decreta eius humiliter recipiunt, & venerantur; suntque corpus omnino distinctum à corpore Cleri secularis, & quòd proprijs legibus regitur, & cuius voluntas ex vi voti obedientiæ, in voluntate suorum Prælatorum residet.

429 Præter quàm quòd absolutè loquendo Bullæ Pōtificum ad hoc vt obligent, non indigent receptione subditorum, cum proueniant ex authoritate suprema à Christo Domino data Papæ. Et mihi summopere placet, quod docet *Reuerendiss. Fagnanus in c. Nauiganti n.82. de vsuris.* Quia scilicet non potest admitti doctrina *Nauar. consil.4. & n.4. de iniur. & damn. dat. & consil.10. nu 3. de sentent. excom. & aliorum,* quos cumulat *Hieronym. Gabriel. consil.77.n.9. & 10. vol.1.* asserentium Constitutiones Papæ nō ligare nisi sint vsu receptæ. Quamuis admitti debeat doctrina communis, quòd scilicet per contrarium vsum, & scientia Papæ, per cursum tēporis abrogari valeant, vt dixit Card. in proœm. Clement. num.7. Vnde cum Bulla cœnæ singulis annis innouetur, & publicetur, minimè dici potest, quod non obliget, quia non sit vsu recepta, cum non possit dici consuetudine abrogata.

Nec

430 Et inde est, quod v.g. nullus Religiosus ex Ord. Præd. vbicumq; sit potest sub illo falso prætextu absoluere à casibus contentis in Bulla cœnæ, quia Ordo iste, ex vi dictæ Bullæ, quam reueretur, & honorat, præcipit etiam ex parte sui eius illius bullæ, & præfatorum decretorū S. Congr. sub Clem. VIII. obseruantiam, vt videre est *dist. 2. cap. 12. §. 5. lit. B. vers. Item declaramus*.

431 Pœna lata contra absoluentes ab excommunicationibus Bullæ cœnæ est excommunicatio, quàmuis etiam in talem delinquentem comminatæ sint aliæ pœnæ ad arbitrium Summi Pontificis. Sed cōtra Regulares si præsumant absoluere ab aliqua ex his excommunicationibus duplex est lata excōmunicatio. Prima in eadem Bulla ibi, *Quod si forte aliquas cōtra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis vel eorū alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint eos excommunicationis sententia innodamus, grauiùs contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus, processuri*. Ex *S. Antonino* refert *Suarez de cens. disp. 21. sect. 3. n. 6.* quòd antiquitus in Bulla cœnæ promulgata à Paulo Tertio impositæ erant aliæ pœnæ contra absoluentes à censuris huiusmodi, nimirum suspensionis ab officio prædicandi, legendi, audiendi confessiones, & administrandi Sacramenta, quæ sublatæ iam sunt ex eo, quòd in posterioribus Bullis non sunt additæ. Et sic ex vi Bullæ cœnæ Domini solùm excommunicationis pœna lata est contra præsumentes absoluere à præfatis censuris, quàmuis aliæ tam spirituales, quam temporales infligendæ ad arbitrium Pontificis adiectæ sint. Vniuersalissima verò est prohibitio ista quantùm ad personas comprehendens nedum Confessarios, sed Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, & Cardinales. Ad incurrendam tamen hanc censuram necessaria est præsumptio, vnde Ignorantia excusat, si tamen excludat dolum, & temeritatem, & non tollat bonam fidem. Hæc verò excommunicatio non est reseruata, quoniam est imposita post reseruatas alias excommunicationes nulla reseruationis alicuius facta mentione. *Nauar. c. 27. n. 74. ver. secunda Suarez de cens. disp. 21. sec. 3. n. 6. Bonac. de cens. in particul. disp. 1. q. 22. p. 3. n. 8.* & apud eum *Toletus, Sousa, Duardus, Alterius, & Coriolanus. Sayrus l. 3. cap. 25. n. 7. Filliuc. tr. 16. n. 154. Serius de cens. disp. 3. diff. 1. q. 26. n. 5.* Verum est, quòd antiquitus hæc excommunicatio erat reseruata, vnde hoc docuit *Caiet. v. excommunicatio cap. 77.* Nam & *Felin. in cap. Pastoralis §. præterea, col. 2. de off. ordin.* refert hanc excōmunicationem ex Bulla Pauli Secundi fuisse reseruatam. Et huius sententiæ etiam fuit olim *Sylu. in verb absol. 1. n. 10.* Verùm à tempore Martini V. vt patet in eius Bulla, quam refert *S. Anton. 3. p. tit. 24. c. 52.* hæc censura non est reseruata, sicut nec in in Bulla Iulij Tertij apud *Martinum de Ledesma 2. 4. q. 26. a. 2.* nec in Bulla Gregor. XIII. apud *Nauar. cap. 27. n. 73.* nec in Bulla Clem. VIII. apud *Sayrū vbi supra*, nec in Bullis sequentium Pontificum. Vnde modò huiusmodi censura non est reseruata.

432 Quoniam verò ad hoc vt Confessarius incurrat hanc excommunicationem absoluendo requiritur præsumptio, & temeritas, dubitari potest an sicut propterea à dictæ excommunicationis incursu excusat ignorantia etiam vincibilis, sed excludente dolum iuxta cōmunem doctrinam *Caiet. in sum. v. excom. c. 58. & 81. Suarez de censuris disput. 21. sec. 3. n. 7. Bonac. de cens. in part. disp. 1. q. 22. par. 3. n. 4.* plures alios referentis. Vnde & simplicitatem excludentem dolum excusare ab incursu excommunic. ex *Card. in Clem. 1. q. 39. de priuil.* dixit *Reuerendiss. Fagnanus ad c. Ad hæc n. 71.* de Religiosis domibus, ita etiam excuset metus: Nam excusare dixerunt *Vgolinus* ad hunc textum Bullæ cœnæ *n. 3. Sousa item, n. 3. Duardus q. 3. Alterius clausula 3. q. 22 c. 3. col. 5.* quos refert *Bonac. vbi supra*. Qui tamen id limitat, vt qui ob metum absoluit à præfatis cēsuris nō incurrat præfatam excommunicationem, si fictè absoluat, & verba absolutionis solum materialiter proferat, sicut in simili ab incursu irregularitatis excusatur, qui fictè rebaptizatur. Sed hoc negauit *Suarez* hac ratione motus. Nam prohibitio absoluēdi, & reseruatio respicit casum, qui aliàs occurrere possit & quidem frequenter. Ve quid enim prohibere quæ fieri non possunt; at verò nequit contingere, quòd quis absoluat ab excommunicatione reseruata intendens verè absoluere ab ea, nisi id faciat ex ignorantia, quæ excusat à temeritate, & præsumptione, & ex consequenti a censura; igitur per prohibitionem absoluendi non intelligitur prohibita sola absolutio ex præsumptione data ex intentione verè absoluendi, sed absolutio externa, quæcumque illa sit. Cum enim absoluenti si non sit ignorans certum sit hanc absolutionē à se datam esse nullius valoris, & impossibilem habere effectum, & potest cadere sub intentione absoluentis, quia nō potest dari voluntas eius, quod est impossibile, nō sic nequit esse, quod quia sciens se non posse validè absoluere id intendat facere. Mihi considerandum videtur, quòd aliud est facere aliquid scienter, & aliud est facere illud liberè & spontanee, & ideo aliud est non obseruare legem ex ignorantia, & aliud illam non seruare ex illata vi vel metu non liberè, sed coactè. Certum verò est præsumptionem agendi, opponi ignorantiæ, quæ excludat dolum, & temeritatem, & admittat bonā fidem, non enim temerariè audet, qui ex simplicitate operatur putans se posse operari. Sed posita scientia legis, nō tam facilè erit intelligibile, quòd non dicatur audere, & præsumere, qui contra legē facit etiam aliquo metu inductus. Præsumere enim vt habet *Panorm. c. 2. de Iud. n. 6.* est aliquem explicare propria virtute, & authoritate quod non potest, licet id possit virtute ab altero sibi concessa, siue si virtus ab altero concedatur. Vnde secundū *D. Thomam supra q. 21. a. 1.* præsumit qui sperat se per propriam virtutem posse consequi id, ad quod virtus eius non se extendit, vel etiam posse per virtutem alterius obtinere, quod per illius virtutem non potest haberi, & semper importat immoderantiam spei, & primo modo sumpta præsumptio prout importat spem & animum consequendi per propriam virtutem id, quod virtutem excedit, opponitur magnanimitati, & secundo modo opponitur spei ordinatæ. In moralibus igitur magis propriè præsumptio dicitur quando quis scienter attētat per propriam virtutem explicare, quod non potest, quia hoc temeritatem importat, quæ temeritas secundùm *D. Th. supra q. 53. a. 3. ad secundum*, est quædam præcipitatio ad id, quod est contra rationem cum contemptu, vnde dicit nedum defe-

ctum

ctum consilij sicut præcipitatio, sed vlteriùs contemptum legis. Legem verò censetur contemnere qui scienter legẽ transgreditur, non verò qui ignoranter sine dolo, sed ex simplicitate & bona fide operatur. Et quàmuis ad culpam contra Deum, qui videt corda nõ excuset ignorantia si sit vincibilis, & voluntaria, in ordine tamen ad pœnas humanæ legis, quæ corda non videt, illa ignorantia excusat quæ extrinsecus excludit dolum, & externam bonam fidem non tollit. Verùm qui scienter legem transgreditur, licet id faciat ex metu non vitat temeritatem. Quia immò secundùm S. *Tho. d.q.53.in corp.* præcipitatio est voluntatem ex impetu passionis agere sine consilio, & imprudenter. Nec metus propterea excludit præcipitationem & contemptum. Et aliud est quòd metuens ex passione timoris impellatur, vt sine consilio legem transgrediatur, & aliud est, quòd legem non contemnat quam scienter transgreditur. Hoc enim secundum non admittitur, quia legem parui facit, licet causa huius sit metus, & ideo qui scienter licet ex metu legem transgreditur præsumit, & contemnit, licet id non faciat ex plena libertate, sed aliqualiter inuoluntariè & ex metu; & licet metuat, audet; nec obstat quòd audacia timori opponatur, & importet vitium oppositum fortitudini ex eo quòd quis non timet, quæ timere deberet, & ita sine timere aggreditur ardua, vt habetur ex *D. Thom. supra quæst.126. art.1. & 2.*

Nam qui scienter legem transgreditur ex timore mali alicuius timidus est, & audax, quia ex timore malo, non timet quod timere deberet, & sine legis timore scienter legem transgreditur. Metus ergo non excludit audaciam, nec dolum, nec temeritatem, nec præsumptionem, si sit coniunctus scientiæ. & ideo ab incursu censuræ nõ excluditur, qui scienter transgreditur legem censuram ferentẽ contra præsumentem agere aliquid per legem prohibitum, nisi metus sit talis ac tantus, qui aliunde excuset à culpa, quia cum censura feratur propter culpam, vbi quis à culpa excusatur faciendo quod ex prohibet, excusatur etiam à censura, metus verò cadens in constantem virum multoties excusat à culpa contra legem humanam, vt docet *Soto 4. d. 22.q.1.ar.4. Suarez de cens.d.4.sec.3.n.12.& disp.5. sect.3.n.7.* Non ergo excusatur ab excommunicatione qui ex metu absoluit ab aliqua excommunicatione Bullæ cœnæ, quia ex quo agat ex metu nõ dicatur præsumere, quia si scienter id facit audet, & præsumit, & temerè absoluit. DD. enim, vt ex *Card.in Clem.1.de priuileg.& Felin.in rubr.de iudic.* communiter præsumptionem excludunt per ignorantiam, imprudentiam, simplicitatem excludentem dolum, vel per aliquid simile, non verò per metum.

An verò excusetur si ex metu simulet absoluere, & solùm materialiter proferat verba absolutionis, hoc certum est, quòd in foro externo, hoc absoluenti non proficiet. Hoc etiam verum est, quòd vbi ad complementum actus externi & ad eius substãtialem perfectionem requiritur intentio interna operantis, per actum externum præcisè non incurritur pœna & censura lata contra præsumẽtem agere, & facere, si deest intentio faciendi, vnde qui rebaptizatur, sed ex metu & ipse non habet intentionem suscipiendi baptismum non fit irregularis, vt tradit idem *Suarez de cens.disp.42.sect.1.n.1.* & est, sententia communis. Considerandum quoque est quòd in eo qui absoluit ex metu potest esse, quòd ignoret absolutionem non esse validam, licet sciat esse per legem prohibitam, quæ ignorantia non excusaret eum à præsumptione absoluendi contra legis præscriptum. Pariter potest esse quòd ignorantia legis sit dolosa, & excludat simplicitatem & bonam fidem, ideoque non excuset à censura. Item licet absolutio data à non habente facultatem sit ipso iure nulla, & vlteriùs absolutio ab excommunicatione per metum extorta sit nulla ex *cap. vnico. De his quæ vi &c.in 6.* nihilominùs potest esse, quòd absoluens hoc sciens intendat facere quod in se est, vt absoluat, & saltem positiuè non excludat intentionem non absoluendi, quam tamẽ excludit, qui intendit solum materialiter proferre verba absolutionis, & ideo bene dici potest, quòd lex prohibens absoluere à censuris Bullæ cœnæ non afficiat eum, qui positiue excludit intentionẽ absoluendi, & solùm materialiter ex metu cadente in constantem virum, vt effugiat graue damnum profert verba absolutionis materialiter intendens non absoluere etiam si valide id posset facere, vt *Bonac.explicat*, quem sequitur *Marcus Serio in Bul. cœnæ disp.3.diff.p.q.26.n.4.*

433 Secunda excommunicatio quam incurrit Regularis absoluens sine facultate à casibus Bullæ cœnæ est lata à Clemente VIII. in decreto suo dato anno 1601. supra recensito num. 373. Quæ excommunicatio est reseruata Papæ, sed ad eam incurrendam necessaria est præsumptio, ideoque & dolus, & temeritas. Dubium verò esse potest an sit lata contra absoluentes absolutè à præfatis casibus, an verò solùm contra absoluentes prætextu priuilegiorum. Spectato verò illo decreto hanc excommunicationem nõ incurrunt, nisi qui absoluunt prætextu priuilegiorum, quia illud decretum expressè prohibet huiusmodi absolutionem sub prætextu priuilegiorum. *Filliuc. tract.14.n.124.& tract.15.n.181. Bonac. vbi supra n.9.* & conforme est hoc explicationi quam tribuunt DD. Extrauag. *Etsi Dominici de priuil.* In qua quia Pontifex prohibet absolutionem à casibus in ea contentis sub prætextu priuilegiorum, ideo DD. docent eam non incurri nisi ab absoluentibus sub prætextu priuilegiorum. *Sylu.v.excom.7.n.77.Sotus 4 d.22.q.2. a.3.* circa finem *Nauar.c.12.n.75.& c.27.nu.74. & 105.Suarez de cens.disp.22.sect.5.nu.29.* Addit quoque *Bonac.* hanc excõmunicationem incurri si absoluens sit Sacerdos existens in Italia extra Vrbem, quia decretum illud Clem. VIII. datum anno 1601 solùm loquitur de Sacerdotibus in Italia extra Vrbem existentibus. Quàmuis verò per decretum Vrbani Octaui supra relatũ *n.376.* extendatur hæc prohibitio etiam ad Sacerdotes, tam intra, quàm extra Italiam existentes, & prohibeantur absoluere ab huiusmodi casibus prætextu priuilegiorum, tamen ibi declaratur quidem nulla absolutio data contra eiusdem decreti tenorem, at nulla imponitur pœna.

434 Dubitat autem *Bonac.disp.1.q.22.p.3. n.6.* an præsumens absoluere à peccatis, non verò ab excommunicatione Bullæ cœnæ incidat in excommunicationem tam latam in dicta Bulla, quàm in decreto Clem. VIII. Affirmãtem partem tenuerunt

apud eundem *Bonacin. Altertus ad Bullam cœnæ disp.12.s.3.Sousa c.24. nu.5. Duardus ad textum supra citatum q.4. n.3.* Quia in dicta Bulla prohibentur Sacerdotes, absoluere irretitos excom. latis io ea Bulla. qui verò absolulc à peccato, absoluit laquegtum aliqua ex illis excommunicat. igitur est excommunicatus. Tum secundo qura posset seqni, quod absolutus existimaret se absolutũ esse etiam ab excommunicatinne, & illam propterea paruipenderet. Sed Bonacina sentiens talem grauiter peccare, si attentaret absoluere à peccato aliquo ex reseruatis in Bulla cœnæ, & euni esse puniendum, absolutumque sic à peccato teneri adire Summum Pontificem pro absolntione ab excommnnicatione: Nihilominùs putat probabile esse eum non esse excommunicatum, quod probat. Tum quia Pontifex videtur solùm excommunicare absoluentes à censuris, ibi. *talibus excommunicatione, & anathemate loquentis &c. absolutionis beneficium impendere, & §.præcedenti* ibi. *Cæterùm à prædictis sententijs &c.* nomine autem sententiæ veniunt censuræ, & vna pars legis declarat aliam. *l.Vt gradatim, ff.de muner.& honor.* Certè *Sylu. v. excommunicatio 7.num.36.* loquens de excommunicatione in *Clem. Religiosi. De priuileg.* lata contra Religiosos absoluentes ab excommuuicatione canonis ait, eos non incidere in hanc excõmunicationem, si absoluant à culpa & non à censura, & probat ex *Direct. lib.3* idem sentit in *d.Clemen.Religiosi num.2. q.37. Cardinalis*, & apud *Bonac. Vgolin.ad textum citat. 3. p. s.3.n.3.* Hinc verò alia posset reddi ratio; quia nimirum censuræ feruntur contra delicta completa, & perfecta, absolutio vero à culpa & non à censura oon est perfectum quid iu genere huius inobedientiæ, & absolutionis à censutis, sed est quid partiale, quod quidem est delictum grauissime puniendum, sed cum in genere absolutionis excommunicati noo sit completum, & pœnæ sint restringendæ, ideò censura ad hunc casum non debet se extendere. Hinc tamen non sequitur, quòd nec debeat dici excommunicatus, qui absolueret à cẽsura, & non à culpa, quia cum ablata censura culpa non maneat reseruata, absolutio à censura data habet rationem completi delicti io hac parte. Verùm indicio meo tota hæc quæstio supponit falsũ, quòd scilicet qui incidit in casum Bullæ cœnæ à culpa possit validè absolui ab inferiore Summo Pontifice noo habente ad hoc specialem facultatẽ, Quidquid enim sit an absolutè possit aliquis bona fide accedens absolui validè à culpa, & non à censura, vbi tamen nedum censura, sed culpa est reseruata, absolutio à culpa nequit esse valida, si sit data à non habente facultatem ad reseruata. Modò in casibus Bullæ cœnæ nedum censura, sed culpa est reseruata, & ideo inualidè absoluitur quis siue à culpa, siue à censura, si absoluatur à non habente ad similes casus facultatem. Quod verò, si præsumat absoluere à culpa, non tamen à censura, licet inualidè id faciat; cum huiusmodi absolutio per se etiam si esset valida non tolleret reseruationem, & obligationem recursus ad superiorem, & ideò in genere absolutionis a casibus Bullæ cœnæ esset delictum noo consummatum; intrat Regula, quod non est locus censuræ latæ cõtra aliquod delictum, si illud non est consummatum. Sed huiusmodi casus est metaphisicalis. Quis enim confessor tam fatuus qui prætendat absoluere aliquem à casibus Bullæ cœnæ absoluendo eum solùm à culpa, & relinquere excommunicatione legatum? Cum validè non possit eum absoluere nec à culpa, nec à censura? Et si esset tam fatuus puniendus esset eò magis, si etiam in hoc absolutum deciperet.

435 Est etiam difficultas, an Regulares possint absoluere à casibus dubijs Bullæ cœnæ. Aliqui enim existimant id fieri posse, neque hoc esse contra decretum Clem. VIII. quia licet in decreto dato de anno 1602. & supra posito *nu.373.* expressè Regulares prohibiti sint absoluere etiam à casibus dubijs d. Bullæ, in decreto tamẽ dato an. 1602. in quo idem Pontifex moderatus fuit prius decretum, & habetur supra num. 374. nulla fit mentio casuum dubiorum. Sed hæc est leuis coniectura, cui non est standum in re tanti momenti. Namque Clemens voluit moderari, expressit, & si voluisset moderari decretum priùs datũ quantùm ad hanc partem id expressisset, & quòd non expresserit contrarium, non fuit hoc necessarium, quia in non expressis in secundo decreto voluit Clemens quòd staret primum. Correctio autem iurium nõ debet induci nisi prout in iure exprimitur. *cap.Cõstitutio, & ibi Gloss.final.de elect. in 6. l.Præcipimus, in fine, de appellat. l.sancimus, C.de testam.* Neque enim per subauditos intellectus aut tacitos inducitur legum correctio. *Gloss.in c. Cupientes, §.quòd si viginti, in v.petere. De elect.in 6.* Sed potiùs iura iuribus cõcordanda sunt, *c.Cum expediat. De elect.in 6. Reuerendiss.Fagnan.c.Cũ dilectus. De success.ab Intest.*

436 Si tamen Confessor Regularis absoluat ab his excommunicationibus, quas incurrunt præsumentes absoluere à casibus Bullæ cœnæ, non incidunt in eiusdem Clementis excommunicationem latam contra absoluentes vel à casibus Bullæ, vel à casibus Papæ reseruatis. Nam primo censura lata in Bulla cœnæ contra præsumentes absoluere ab eiusdem Bullæ casibus noo est reseruata, igitur ab ea absoluere nullo modo est contra decretum Clementis Octaui. Pariter præsumere absoluere à casibus Bullæ cœnæ non est contra eiusdem Clementis decretum, nisi fiat prætextu priuilegiorum reuocatorum. Si verò fiat hoc prætextu incurritur censura Papæ reseruata, sed non est de numero illarum quinque quarum absolutionem in secundo decreto prohibuit Clemens, relicta quantùm ad alios casus Papales facultate absoluendi iuxta priuilegia Regularium, si quæ habeant & habent non reuocata igitur Regulares vi horum priuilegiorũ possunt absoluere ab hoc excõmunicatione quamuis sit Papæ reseruata. *Bonac.de cens.in partic.disp.1. q.22.p.3.n.10.*

437 Tertia excommunicatio contra præsumẽtes absoluere à casibus Bullæ cœnæ secundum aliquos habetur in *Clem.1.de priuileg.* vbi excommunicantur Religiosi, si præsumant absoluere ab excommunicatione canonis nisi in casibus in iure expressis, vel in quibus id possunt ex priuilegijs. Et hæc excommunicatio est reseruata. De qua videri possunt. *Caiet.v.excom.cap.64. D. Anton.p.3. tit.24. c.54.Sylu.v.exam.7.a.31.Suarez de cens. disp.22.sect.4.num.18.* & reliqui de excommunicat. tractantes. Hanc igitur excommunicationem incurri per absoluentes sine facultate à casibus Bullæ cœnæ, sentit *Bonac.d.num.10.* Sed huius quæstionis resolutio pen-

pendet ab illa alia, an excommunicationes Bullæ cœnæ sint excommunicationes canonis, vel potiùs ab homine. Et cum non sit dubium multas ex excommunicationibus contentis in ea Bulla esse etiã excommunicationes à iure, dubium est apud multos, an excommunicationes istæ, vel aliæ quatenus sunt excommunicationes Bullæ cœnæ sint à iure vel ab homine. Et quia per *Clement. citatam* Religiosi prohibentur solùm absoluere ab excommunicatione iuris, vt aduertunt *Sylu v. excom. 7. num. 36. & Suarez disp. 25. sect. 4. n. 14.* Si excommunicationes Bullæ cœnæ non essent excommunicationes iuris, sed hominis, Religiosi absoluentes ab illis non essent excommunicati ex vi dictæ Clementinæ. Et nõ sufficeret, quòd huiusmodi Bullæ cœnæ dicerentur habere vim legis, si non sint propriè excommunicationes canonis, seu à iure, quia lex pœnalis prohibens absolutionem ab excommunicationibus iuris, non debet extendi ad illas excommunicationes, quæ propriè non sunt iuris, & ideo non esset dicendum quòd absoluens ab his excommunicationibus esset excommunicatus ex vi *Clem. 1. de priuil.* si istæ propriè non sunt iuris. Et cum Bulla cœnæ non sit perpetua, vt patet ex illa clausula quæ habetur in Bullis modernorum Pontificum, etiam S. D. N. Alex. VII. *Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, & quæcumq; his literis contenta, quousq; alij huiusmodi processus a Nobis aut Rom. Pont. pro tempore existente fiant, & publicentur, durare suosq; effectus omnino sortiri.* Non durant igitur huiusmodi literæ in perpetuum nisi reuocentur, sed solùm durant pro tempore vsq; ad nouam aliarum similium promulgationem, qua posita priores literæ omnino extinctæ manent, & ita quòd sine aliqua reuocatione ex eo solo quòd in posterioribus literis aliquid omittatur, & non exprimatur ex ijs, quæ in prioribus literis continebantur, illæ priores literæ nec quantum ad id, quod exprimebant, & nõ fuit in posterioribus expressum obligant, vt considerauit *Suarez de cens. disp. 21. sect. 1. n. 2.* Vnde propriè illæ non sunt excommunicationes perpetuæ nec leges, & ideo potiùs dicendum est, eum qui ab eis præsumat absoluere sine facultate, non esse ex vi *Clem. Religiosi. De priuil.* excommunicatus.

438 Quartam excommunicationem adducunt alij ex Extrauag. Sixti IV. *Et si Dominici. De priuilegijs.* In qua Pontifex pluribus casibus enumeratis sub pęna excommunicationis reseruatæ Papæ prohibet absoluere ab eis, & ab alijs contentis in Bulla Cœnæ. Sed respondetur Sixtum prohibere absoluere à prætatis casibus prætextu facultatum generalium absoluendi à se ipso verbo vel literis concessarum, aut concedendarum. Vnde nisi forsan sit aliquis cuius antecessoribus Sixtus IV. confessionalia huiusmodi seu facultatem generalem absoluendi etiam à casibus Papæ reseruantis concesserit tam pro illis, quàm pro illorum successoribus, iam extrauagans illa locum non habet, & de illis casibus, & alijs in Bulla cœnæ contentis iudicandum est ex iure communi, & alijs legibus de absolutione ab eis disponentibus, nec potest habere locum excommunicatio lata in ea extrauag. *Sylu. v. excommun. 7. n. 77. Sotus 4. d. 22. q. 2. a. 3. circa finem. Nauar. c. 12. n. 75. & c. 27. n. 74. Suarez de cens. disp. 22 sect. 5. nu. 28. Bonac. vbi supra num. 8.*

439 Pariter videri posset, quòd absoluentes ab excommunicatione aliqua Bullæ cœnæ incidat in excommunicationem canon. 17. eiusdem Bullæ latam contra vsurpantes iurisdictionem & iura Summi Pontificis; quia absoluere à casibus bullæ cœnæ est iuris solius Papæ, vnde qui absoluit ab aliquo eorum sibi Papæ auctoritatem vsurpat. Et ita de Episcopis absoluentibus à casibus bullæ cœnæ etiam occultis affirmat Reuerendiss. Fagnanus in *c. Quoniam n. 31. de Const.* Sed consideratione dignum est, quod cum Papa specialiter excommunicat præsumentes absoluere ab his casibus, satis verisimile est, quòd de mente eius sit tales in prioribus casibus non fuisse comprehensos. Et cum disputent DD. circa illum canonem 17. alijs volentibus quod non loquatur de iurisdictionibus spiritualibus, sed solùm de temporalibus, quæ conueniunt personis ratione Ecclesiarum; Alijs volentibus, quòd non loquatur nisi de laicis vsurpantibus ecclesiastica iura, quia mens Papæ est consulere bonis Ecclesiæ ne per potestatẽ laicam offendantur; alijs dicentibus, quod in eo canone comprehendantur etiam Ecclesiastici, si iura Ecclesiæ sibi vsurpent; considerandum est ex *Gloss. in c. multis 28. 2. q. 1. in v. extraordinario, & ex Caiet. in v. excom. cap. 27.* quos reliqui sequuntur, quòd vsurpare est rem alienam, sibi tanquam debitam, & propriam & ex iure proprio vendicare; igitur qui sibi adscribit iurisdictionem non vt propriam, sed vt prouenientem sibi ab Ecclesia, non sibi vsurpat iurisdictionem Ecclesiæ; vnde est, quòd qui ex titulo priuilegij habiti à Papa, vel eius prætextu absoluit à casibus bullæ cœnæ non sibi vsurpat iurisdictionem Papæ, quia immò non ex iure proprio, sed ex iure Papæ absoluit. Pariter vbi Ecclesia cum Ecclesia contendit de iure, & iurisdictione, si vna Ecclesia iurisdictionem sibi vindicat, quam credit sibi de iure Ecclesiastico competere, & sibi deberi, cum difficultate mihi persuadere possum, quòd comprehendatur sub excommunicat. illius canon. 17. vel sub excommunicat. cap. 11. sess. 22. Concil. Trident. Quia ille non sibi sed suæ Ecclesiæ, quod ei putat conuenire, vendicat, & vt tanquam Ecclesiæ proprium accipit. Et in hoc sensu mihi probabilior videtur sententia dicentium, quòd Pontifex intendit defendere bona Ecclesiastica contra potestatem laicam. Nam si vellet dispositionem suam extendere etiam ad potestatem Ecclesiasticam, nullatenus hunc canonem 17. connecteret per dictionem *Nec non &c.* cum canone 16. in quo defensionem iurisdictionis Ecclesiasticæ contra laicalem potestatem assumpsit, & tamen in excommun. dicti canon. 16. non incurrit, qui Ecclesiasticam ordinariam iurisdictionem, impedit per Ecclesiasticam auctoritatem, vt ex *Filliuc. Alter. & Duard.* tradit *Bonac.* ibid. p. 2. nu. 2. Sic ergo si quis non laicus, sed Ecclesiasticus, & non iure sibi personaliter debito ex laico titulo, sed ex titulo Ecclesiastico vindicat sibi Ecclesiasticam iurisdictionẽ, non incidit in excommunic. canon. 17. *Vgolin. ibi cap. 17. §. 1. Filliuc. tr. 16. n. 212. Sousa ca. 3. 10. d. sp. 90. Duard. l. 1. can. 17. q. 13. Alter. lib. 5. disput. 18. cap. 2. Palaus tom. 6. de cens. disp. 3 p. 18. n. 3.* quidquid contrarium senserit *Bonac. p. 3. n. 2.* Verba enim Canonis præfati licet generalia ex subiecta materia, & antecedentibus restringuntur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi intra Italiam non absoluant a quinque casibus Papæ reseruatis, ab alijs tamen extra bullam cœnæ absoluant.* n.440.

2 *Religiosi extra Italiam a casibus extra bullam cœnæ, Papæ reseruatis absoluunt.* n.440. & 443.

3 *Religiosi intra Vrbem existentes idem possunt,* num.441.

4 *Principia falsa aliquorum.* n.441.

5 *Regulares a casibus reseruatis cum derogatione priuilegiorum non absoluunt.* n.442.

6 *Ab excommunic. ob duellum in terminis Constit. Clem. VIII. absoluunt.* n.444.

7 *Et ab excommunic. contra mulieres ingredientes monasteria non ad malum finem.* n.444.

8 *Episcopi non absoluant a casibus occultis reseruatis Papæ post Trident.* nu.445.

9 *An absoluentes ab illis quinq; casibus sint excommunicati per Clement. Religiosi de Priuilegijs.* num.445.

10 *Casus Papales reseruantur ratione censuræ.* numer.445.

11 *Ab incursa censura plura excusant.* n.446.

12 *Excommunicationes reseruatæ extra bullam cœnæ. Remissiuè.* n.446.

OBSERVATIO SECVNDA.

440 Loquendo autem de casibus extra bullam cœnæ Papæ reseruatis. Primò distingui debent Regulares intra, vel extra Italiam aut in Italia intra Vrbem existentes. Nam pro Religiosis intra Italiam existentibus, sed extra Vrbem reuocata fuerunt priuilegia pro aliqua parte nimirum quantùm ad quinque casus in decreto Clem. VIII. supra num.373. & 374. relato recensitos, scilicet casus violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constit. Greg. XIII. Violationis clausuræ monialium ad malum finem. Prouocantium, & pugnantium in duello iuxta decretum Concil. Trident. & Constit. Gregor. XIII. Inijcientium manus violentas in Clericos iuxta Canonem. *Si quis suadente* 17. q. 4. ac iuris dispositionem. Simoniæ realis scienter contractæ, & cõfidentiæ beneficialis. Demptis igitur his quinque casibus, ab alijs casibus Papæ reseruatis etiam intra Italiam possunt Regulares, quibus superiora priuilegia cõcessa sunt, vel in eis communicant ab alijs casibus Papæ reseruatis absoluere.

441 Hæc tamen prohibitio nec in Italia extenditur ad Vrbem, vt patet ex decreto relato n.373. ibi per vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus. Et ita notarunt *Peyr. concl. 1. ad Constitut. 1. Iulij II.* §.32.num.62. *Lezana p. p. cap. 19. num. 16. Aluiset num.* 20.

442 Quod verò ait *Anton. a Spiritu sancto d. disp. 3. nu.* 53. reuocationem præfatam & exceptionem illorum quinque casuum nec nocere Regularibus intra Italiam, si aliàs decretum non fuit ab eis acceptatum, nec intimatum, nec promulgatũ, supponit falsa principia. vel scilicet, quod lex Ecclesiastica dependeat à subditorum acceptatione, vel quód non sufficiat intimatio, & promulgatio iuxta stylum Romanæ Curiæ exequuta.

443 Religiosi verò extra Italiam habent facultatem non limitatam per illos quinque casus, vt habent nedum ex d. decreto Clemen. VIII. sed ex decreto Vrbani Octaui supra num.376. relato, vnde ipsi possunt absoluere, sicut poterant ante illa decreta, ab omnibus casibus Papalibus in bulla cœnæ non contentis. *Lezana d. c. 19. n. 16. Anton. a Spiritu sancto vbi supra n.33. Diana p.6. tr.4. ref.53. Nald. Bord. Sanch, Merola, Del-bene,* Vidal. apud *d. Anton. de Spir. sanc. Peregr. in compen. v. absolutio* §.1. *Barbosa in sum. v. absolutio n.7. Tambur. p.2. disp.16. q.13. n.115.* Et nihilominùs aduertendũ, quòd quantùm ad casus, qui reseruantur Papæ post concessa priuilegia, si in huiusmodi reseruatione derogatur sufficienter priuilegijs Regularium, non possunt ipsi ab eis absoluere, Ita non possunt Regulares in vi priuilegiorum absoluere ab excommunic. lata in Const. *Æterni Patris* Gregor. *XV.* pro eligendo Pontifice iuxta formam ibidem statutam; quia Pontifex reseruando sibi illam excommunicat. derogat & facultati à Tridentino concessæ Episcopis sess. 24. c.6. pro casibus occultis, & Regularium priuilegijs, ideò nec Episcopi nec Regulares ab ea absoluere possunt, vt latè probat *Diana par. 12. de colloc. Card. resol. 26.*

444 Regulares etiam posse absoluere à casu duelli intra terminos Constit Clem. VIII. quia hic casus non est numeratus intra illos quinque, quia ibi solum excipitur casus duelli in terminis Conc. Trident. & Greg XIII. dixerunt *Peyr.* ad Const. 1. Iulij II. §.32.*n.64. Tambur. p.2. disp.16. nu.*113. Vbi *num.*114: quód pariter possunt absoluere ab excõmunicatione lata cõtra mulieres ingredientes monasteria virorũ prætextu priuilegiorum, vel ingredientes monasteria monialium, non ad malum finem: quia inter illos quinque casus reponitur ingressus in monasteria monialium ad malum finem.

445 Et tandem circa huiusmodi casus Papales, seu contentos in bulla cœnæ considerandum, quòd licet *Gaspar Hurtado disput. 11. de Pœnit.* arbitretur huiusmodi casus esse reseruatos ratione enormitatis, tamen communis sententia est, vt censeantur reseruati ratione censuræ. *D. Anton. 3. p. tit. 17. c. 11. Caiet. in sum. v. casus Nauar. c. 57. nu. 554. Armilla v. casus. Duar. & Cesar.* quos sequitur *Aluiset vbi supra num.* 21. Quod & esse de iure affirmat Suarez 4. *disp. 26. sect. 2. concl* 2. Vnde est, quód vbi casus sit talis, quòd peccator non incurrit censuram, non est reseruatus. Ab incursu autem censuræ excusant ignorantia maximè vbi censura lata est cõtra temerè agentes, aut præsumentes, aut scienter violantes legem, in quo casu etiam ignorantia cũ bona fide excusat. Excusat etiã obliuio, & inaduertentia & indeliberatio actus, & si actus non fuit consumatus.

446 Excommunicationes verò extra bullam Papæ reseruatas recenset *Tambur. p.2. disp.16. q.13.* Episcopum posse sibi reseruare casus aliquos, & ita limitare iurisdictionem Confessorum vt sine eius speciali facultate ab eis nec licitè, nec validè absoluere possint est certum ex Concil. Trid. sess. 14. can. 11. de Sacram. Pœnitentiæ. Regulares verò Confessores nunc non posse absoluere à casibus, quos sibi Episcopi reseruant est etiam indubitatũ ex decretis Clementis VIII. Pauli V. & Vrbani VIII. supra recensitis. Nihilominùs dictis decretis non obstantibus.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Probabile esse quod Regulares possint absoluere à casibus Episcopo reseruatis, aliqui dicunt. num.447.*
2 *Declarationes Congreg. Cardinalium sunt leges, num.447.*
3 *Decreta præfata continent legem. n.447.*
4 *Decreta præfata non fuisse promulgata, nec derogare priuilegijs aliqui sentiunt.n.448.*
5 *Lex sufficit vt publicetur iuxta stylum Curiæ. num.449.*
6 *Lex Pontificia Romæ publicata obligat, n.449.*
7 *Decreta Clem.VIII. vbique publicata. n.450.*
8 *Publicata in Ord.Præd. n.451.*
9 *Per dicta decreta reuocantur priuilegia.n.452.*
10 *Ad reuocandum priuileg. Regular. nulla exquisita forma est necessaria. n.452.*

OBSERVATIO TERTIA.

447 QVòd adhuc sit probabile, Regulares à suis Superioribus & Episcopis approbatos posse absoluere à casibus, quos sibi Episcopi reseruant, tenent *Anton. à Spiritu sancto p.1. tr.5. disp.3.nu.56.& Virginius Aluisei in Maremala sec.3. c.5.nu.55.* & apud istos *Meodo, Vrbanus, Innojosa, Brunus, Martinus à S. Ioseph, Thomas Tambur. & Vidal.* Diuersis autem ducuntur fundamẽtis. Fundantur aliqui in opinione *Vericel. & Bruni* apud *Dianam p.11. tr.5. resol.42.* vbi probare conantur declarationes Cardinalium non esse leges. Quàmuis verò hæc doctrina sit falsa de declarationibus emanatis iuxta Constit.Sixti V. vt latè probat Reuerendiss. Fagnanus ad *c.quoniam de Constit.* adhuc dicitur, quòd doctrina illa data de declarationibus Sac. Cõgregationis Concilij extra propositum adducitur, quia hic non est sermo de aliqua declaratione Congreg. Concilij, sed de præcepto Congr. Regulariũ emanato nedum consulto, sed de mandato Pontificis: Congregationes autem Cardinalium constituere vnum corpus simul cum Papa docuit *Felin.c. Ad audientiam in fin. de præscript. & Rom.Cons.498.nu.10.& 11.& Martinez de Prado, in quæst.moral.c.3.q.7.n.5.* vnde dubitare an Papa media Congreg. Episcoporum & Regularium possit condere leges totum orbem obligantes, seu dubitare an decreta præfata in quibus Papa est qui præcipit, & mandat, sint verè leges Pontificiæ, est dubitare de luce meridiana. In decretis autem suprapositis Pontifices fuerunt qui per Cõgregationem prohibuerunt Regularibus absoluere à casibus reseruatis Episcopo.

448 *Anton. autem à Spiritu sancto* mouetur ex eo, quòd lex contenta in dictis decretis non sit sufficienter promulgata. Nam tale decretum debuit intimari Regularibus iuxta formam priuilegij Gregor.XIII. de quo *Diana p.2.tr.2. res.78.* Item debebat esse promulgatum in omnibus Prouincijs vt probat *Quintanad.* apud *Dianam 9. p. tr.6. res.51.* Neutro autem modo illud decretum fuit intimatum, & publicatum. Quod confirmatur ex eo, quia per præfata decreta non derogatur priuilegijs Regularium quantùm ad hanc partem. Nam vt notauit *Thomas Tambur.in methodo confess.lib.3. c.7. §.4. num.17.* præfata decreta reuocant priuilegia, quæ fuerunt reuocata per Tridentinum. At verò Regulares habent post Tridentinum alia priuilegia; hæc igitur non sunt reuocata. Et eodem modo respondetur ad declarationem factam de mandato Innocentij X. anno 1647. Cum etiam de illa non constet authenticè. Sed verè hæc nimis leuia sunt, & prorsus euidenter aliena à veritate.

449 Et quidem quantùm ad publicationem, cum promulgatio ita sit necessaria, quòd tamen non sit in iure Canonico statuta forma talis publicationis & quæ liget Pontifices Romanos, in hoc stylus Romanæ Curiæ attendi debet, & illã publicationem sufficere dicendum est, quam Pontifices sufficere decernunt vel expressè, vel ex vsu & praxi Curiæ. Nam & aliàs per se ex natura legis non est necessaria alia promulgatio nisi talis ac tanta, quanta opus est, & sufficit, vt lex in notitiã deuenire possit omnium. Et aliud est, quòd inuincibiliter ignorantes legem non peccent, sed excusentur si legem ignorent. Et aliud est, quòd si lex non sit promulgata vbique & omnibus, non sit lex, & non habeat vim obligandi, & verè non obliget habentes eius notitiam, si fuit alicubi de more publicata. Primum horum est verum, quia inuincibilis ignorantia semper excusat. Sed secundum est falsum; Et ea ratione, qua ad hoc vt lex sit lex verè obligans, non est necesse quòd promulgetur singulis immediatè & iudicialiter, sic nec est necesse, quod eodem modo promulgetur vel in singulis diœcesibus vel Prouincijs, vel Regnis, sed sufficit, si publicetur Romæ, quo facto iam lex est lex, & obligat. Et quæuis alia promulgatio est ad solemnitatem, & ad meliùs, & ad tollendum prætextum ignorantiæ non ad legis necessitatẽ. Ideo hæc est praxis Romanæ Curiæ, vt Pontificum Cõstitutiones Romæ solemniter publicentur, & earum nec centesima pars solemniter promulgatur in omnibus Prouincijs, quàmuis huiusmodi Constitutiones totum orbem respiciant, vt notauit *Martinez de Prado in qq.moral.c.3.q.5.n.16.*

450 Quàmuis in proposito nostro adhuc constet Decretum Clement. VIII. factum fuisse vbique publicatum. Hoc enim ostendunt literæ Sac.Congregationis supra nu.377. relatæ & scriptæ ad Archiepisc. Neapolitanum, in quibus ei ordinatur vt in suis diœces. Ostiensi, & Neapolitana illud decretum publicari faciat, & simul denunciatur dari similes literas ad singulos Ordinarios, ad hoc vt reseruationem casuum ad præfati decreti normam accomodet; Vnde bene conspicitur, decretum Clem.VIII. in singulis diœces. fuisse promulgatum.

451 Quantùm verò ad Regulares, quòd fuerit in mea Religione promulgatum non est dubium, cum habeatur insertum in Constitutionibus, vt habetur *dist.2.cap.15.§.2.in Gloss. lit. B. vers. Item declaramus.*

452 Quòd verò reuocentur per dictum decretum omnia priuilegia, constat ex lectura eius, & ex declarat. expressa sub Vrbano VIII. relata supra num. 376. & iterum ex declaratione data ex mandato Innocent. X. relata supra num. 379. Et ita fuere huiusmodi priuilegia reuocata, vt nec per Confirmationes priuilegiorum, exemptiones, & cõmunicationem priuilegiorum obtentas, aut obtinendas vnquam hæc facultas absoluendi à casibus

bus reseruatis intelligatur reuocata. Quòd si prætendatur, quòd huiusmodi facultas fuerit per aliquem Pontificem expressè, & in specie concessa alicui Religioni post præfata decreta, priuilegium hoc ostendi debet. Sed nequit ostendi, quia non adest. Cæterùm quòd de forma promulgandi reuocationes priuilegiorum ex Gregor. XIII. adductum est vim non habet, tum quia in decreto Clem. VIII. derogatur priuilegijs in amplissima, & sufficientissima forma excludente omnem formam exquisitam quæ seruari deberet ad eorum reuocationem; Tum quia ex Constitut. Vrbani VIII. iam ad derogandum priuilegijs Regularium nulla specialis derogatio est necessaria. Quamobrem prorsus certum est Regulares in vi priuilegiorum non posse absoluere à casibus Episcopo reseruatis, & oppositum est manifestè falsum, tanquam manifestissimè contra voluntatem Pontificum toties declaratam, vnde nec est probabile, nec tutum.

SVMMARIVM.

1 *Nullum est peccatum ex iure communi reseruatum Episcopo. n.453.*
2 *Casus à quibus non possunt absoluere Regulares sunt quos sibi Episc. reseruant. n.454.*
3 *A casibus de iure communi reseruatis Episc. possent Regulares absoluere. 454.*
4 *Vnusquisq; Regularis in hoc suos leges seruare debet. n.455.*
5 *Quinque casus, quos dicunt reseruari ex consuetudine. n.456.*
6 *Aliqui sunt casus, quos dicunt reseruari ex consuetudine. n.456.*
7 *Nullus datur casus ex consuetudine generali reseruatus Episcopis. n.456.*
8 *Ex sola consuetudine nulli sunt casus reseruati Episcopo respectu Regularium. n.457.*
9 *Abortus non est casus reseruatus, sed delegatus Episcopo. n.458.*
10 *A casu abortus, si non sit ab Episcopo reseruatus, absoluere possunt Regulares. n.459.*
11 *A casibus reseruatis in Synodo posse Regulares absoluere, sentiunt aliqui. n.460.*
12 *Episcopus reseruans sibi expresse aliquos casus, cæteros censetur negligere. n.460. 461.*
13 *Regulares non possunt per se absoluere à casibus per statuta synodalia reseruatis. n.461.*
14 *Posse Regulares absoluere à casibus reseruatis, si sint occulti, aliqui tenent. n.462.*
15 *Episcopi à casibus occultis reseruatis Papæ ex Conc. Trid. non absoluunt. n.463.*
16 *Regulares à casibus reseruatis etiam occultis non absoluunt. n.464.*
17 *A casibus reseruatis dubijs posse Regulares absoluere alij affirmant, alij negant. n.465.*
18 *Approbatur sententia affirmans, sed cum limitatione. n.466.*
19 *Absolutus a casu dubio redditus certus an teneatur iterum illum confiteri. n.467.*
20 *Qui vulnerauit letaliter quando possit absolui ante mortem sequutam. n.468.*
21 *A delicto commisso ante reseruationem post illam nequit pœnitens absolui, nisi ab habente absoluendi facultatem. n.469.*
22 *Nisi confessio ante reseruationem fuerit incœpta. num.469.*
23 *Aduena in Diœcesi, vbi peccatum non est reseruatum, potest absolui à quocumque Confessario. numer.470.*
24 *Non tamen si in ea Diœcesi peccatum sit reseruatum, etiam si non sit reseruatum in propria. numer.470.*
25 *Qui confessus fuit ante reseruationem & inculpabiliter oblitus fuit peccati, quod postea fuit reseruatum, potest ab illo absolui. n.471.*
26 *Qui non peccat mortaliter, non incidit in reseruationem. n.472.*
27 *Qui inuincibiliter ignorat peccatum esse mortale, non peccat mortaliter. n.472.*
28 *Qui credit se blasphemasse, & non blasphemauit, non incidit in casum reseruatum. n.473.*
29 *Qui commisit peccatum ignorando reseruationem non potest absolui &c. n.474.*
30 *Difficultas proponitur. n.475.*
31 *Nouitij a Regularibus absolui possunt nec subiacent reseruationi Episcoporum. n.476.*
32 *Religiosi censentur iam, qui in proximo sunt induendi habitu religioso. n.477. 478.*
33 *Tertiarij viri intra claustra viuentes, non subduntur reseruationi Episcoporum. n.479.*
34 *Nec familiares perpetuo commensales Religiosorum. n.480.*
35 *Quid de commissis, & oblatis. n.481.*
36 *Electi subduntur reseruationi. n.482.*
37 *Impuberes subduntur reseruationi. n.483.*
38 *Nec in diebus Indulgentiarum Regulares sine licentia speciali absoluunt à reseruatis. n.484.*
39 *Hæc prohibitio ad totum mundum extenditur. num.484.*
40 *Nec confratres vi suorum priuilegiorum absolui possunt a reseruatis. n.484.*

OBSERVATIO QVARTA.

453 CVm igitur indubitatum sit Regulares vi priuilegiorum non posse absoluere à casibus Episcopo reseruatis, vt appareat, qui sint isti casus reseruati, à quibus non possunt Regulares absoluere, obseruandum est, quòd quatuor modis casus possunt esse reseruati Episcopo, vel scilicet ex iure communi, vel ex consuetudine, vel ex statuto synodali, vel per edictum Episcopi, seu tabellam in qua Episcopus sibi casus reseruat. Cum verò ex Extrauag. *Inter cunctas.* De priuilegijs, multi DD. (hic errant citantes Constit. *Super Cathedram*, de sepulturis & dicunt etiam esse reuocatam. Sed est error. Nam huiusmodi casus reperiuntur in Extrauag. *Inter cunctas. De priuileg.* quæ est illa, etiam quæ fuit reuocata per Clem. *Dudum de sepulturis*) Doctores antiquiores collegerint quatuor esse casus de communi iure reseruatos Episc. nimirum quādo peccatum ex iure habet annexam pœnitentiam publicam. Secundò quando habet annexam excommunicationem maiorem. Tertius si peccatū habet annexam irregularitatem. Quartus est incendiarij. Nihilominus de iure cōmuni nunc nullum casum esse reseruatum Episc. docent *Suarez de pœnit. disp. 29. sec. 3. Fagund. præc. 2. l. 8 c. 2. n. 7. Lezana v. casus reseruatus nu. 2. Cespedes q. 142. nu. 2.* Quia pœnitentiæ publicæ iam non sunt in vsu. Et

cum

cum in Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 9. tit. de reform. Curiæ §. *Ad abolendam* præcipiatur Confessoribus, vt non absoluant à peccato publicæ blasphemiæ nisi seuera iniuncta pœnitētia, supponitur quòd à blasphemia publica Confessores simplices possint absoluere. Peccatum verò habens annexā excommunicationem Papalem in iure nulli reseruatam, non est reseruatum, quia à censura excommunicationis nulli reseruata quilibet Confessarius potest absoluere, ex *cap. Nuper de sent. excomm. in 6. Suarez d. disp. 39. sect. 3. n. 7. ex Nauar. c. 27 num. 262. Sanch. l. 7. de matrim. disp. 13. nu. 1. Fagund. vbi supra num. 7.* Solùm igitur si excommunicatio in iure sit Episcopo specialiter reseruata habet locum hic secundus casus. Tertius habet locum respectu irregularitatis, non respectu peccati; potest enim irregularis absolui à culpa, si aliàs non sit reseruata, licet cum eo non dispensetur super irregularitate. Quartus non continet casum reseruatū, sed incendiarij excommunicandi sunt ab Episcopo, & post ab excommunic. à solo Papa absolui possunt, *cap. Pessimam 23. q. 1.* Sed ante excommunic. à simplici Confessario absolui possunt. Nullum igitur est peccatum iure communi Episcopis reseruatum, nisi habeat excommunicationem annexam reseruatam Episcopo. Circa quod etiam distingui debet, & considerari, quòd aliud est censuram esse reseruatam Episcopo, & aliud est censuram esse reseruatam Papæ, licet eius absolutio sit in aliquibus casibus delegata Episcopo, vt sunt excommunicationes occultę ex vi Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. Nam non propriè dicitur quòd istæ excommunicationes sint reseruatæ Episcopo, sed semper sunt reseruatæ Papæ, licet Episcopus in aliquibus casibus vt Papæ delegatus ab eis absoluat.

454 Nihilominùs etiam dato, quòd aliqui casus sint in iure communi reseruati Episcopo dicitur, quòd Regulares virtute priuilegiorum ab eis absoluere possunt, quia decretum Clem. VIII. & successiuè alia loquuntur de solis casibus, quos Episcopi sibi reseruant expressè, vt patet ex illis verbis decreti Clementis. *Item omnes casus, quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel in posterum reseruabunt*: & ideo S. Congregatio ob hanc causam dedit Episcopis literas dans formam generalem seruandam pro casuum reseruatione, vt constat ex literis datis ad Archiepiscopum Neapol. supra num. 377. recensitis. Et ideo quòd ex vi decretorum præfatorum nō sit ablata facultas absoluendi à casibus de iure reseruatis Episcopis, si illos ipsi non reseruant, dixit *Peyrin. ad Constit. Pyrrhi n. 40.* & apud eum *Flor. de cas. reser. p. 1. c. 2. §. 1. n. 5. Possev. de off. Curati cap. 7. Homobon. p. 1. cap. 3.* & ita seruari de consuetud. dixit idem *Peyr.* qui idem sentit ad Constit. 1. Iulij II. num. 78. Idem etiam probat *Pasqual. q. 146. n. 3. Tambur. 2. p. disp. 13. q. 13. nu. 117. Diana p. 3. tr. 2. res. l. 3. vers. Nota 4. & p. 8. tract. 7. res. 71.* & apud eum *Aversa*. Et licet *Bordon. to. 1. resol. 6. n. 11.* quem refert, & sequitur *Coton. controu. 7. cap. 5. n. 139.* dicat, Regulares virtute priuilegiorum non posse absoluere ab aliquo ex casibus Episcopo etiam in iure reseruatis, quia posteriora decreta Pauli V. & Vrbani VIII. absolutè loquuntur, & simpliciter negant Regularibus facultatem ab eis absoluendi, tamen non est in hac parte à sententia Dianæ recedendum. Nam decretum Pauli Quinti expressè se refert ad decreta Clem. VIII. data 1601. & 1602. & in eodem sensu loquitur, sicut & Decretum sub Vrbano VIII. manifestè se refert ad decreta eiusdem Congregationis habita priùs, hæc verò fuerunt decreta habita sub Clemen. VIII. Nam & aliàs absolutè, & simpliciter sub nomine casuum reseruatorum Episcopis in eorum Diœcesibus veniunt casus, quos ipsi sibi reseruant. Quod tamen subiungit *Diana, & Sanchez lib. 4. cap. 54. n. 27.* scilicet ex hoc sequi, quòd Regulares possint absoluere à casibus Papalibus occultis, quia isti facti sunt casus Episcopales iam reprobatū est supra.

455 Dixi tamen supra, ex vi decretorum Clement. VIII. & subsequentium, quæ in illis fundandantur prohiberi solum absolutionem à casibus, quos sibi Episcopi specialiter & expressè reseruant. Sed non per hoc dixi, quòd liceat ab alijs non expressè ab Episcopis reseruatis, sed reseruatis à iure absoluere. Sed in hoc quilibet Religiosus sua priuilegia, & statuta debet attendere. In Ordine Prædicatorum adest speciale statutum editum Viennæ 1282. & repositum in corpore Constit. *dist. 2. cap. 12. §. in Glossa lit. B.* per quod decernitur, quòd Confessores nullo modo debent implicare se negotio casuum de iure Ordinarijs reseruatorum, vel quos præfati Ordinarij ex rationabili causa duxerint esse reseruandos, nisi ex eorum beneplacito, & licentia. Et certè optimum erit, quòd Regulares relinquant prudentiæ Episcoporum, quæ illis à iure sunt reseruata, si aliqua talia dentur, quàmuis huiusmodi casus non dari si loquamur de peccatis, & præscindendo à censuris, de quibus infra erit sermo, probatum sit.

456 In eadem Extrauag. *Inter cunctas*. De priuilegijs (quæ tamen fuit reuocata per Clemen. *Dudum*. *De sepulturis*, licet non quantùm ad omnia) alij numerantur casus, qui dicuntur reseruati Episcopo ex consuetudine, nimirū. Primus homicidij voluntarij. Secundus falsarij literarum, & scripturarū. Tertius violationis personæ Ecclesiasticæ qua personæ huiusmodi, vel in se ipsis, vel in suis rebus grauantur. Quartus violationis immunitatis Ecclesiasticæ. Quintus sortilegij, & diuinationi. Hos quinque casus referunt etiam *Nauar. cap. 27. n. 261. Sylu. v. casus q. 4. & Angelus ibi*. Et eos valde ampliant, & extendunt. Quod factum fuisse sine fundamento, maximè cum simus in materia odiosa bene aduertunt *Suarez d. sect. 3. nu. 10. & Fagund. d. cap. 2. nu. 8.* Ex præfatis autem casibus aliqui continentur in bulla cœnæ, vel inter casus reseruatos Papæ. Et cum *Syluester & alij dicunt de istis casibus*, quòd vbiq; vel quasi reseruantur Episcopis, iam apparet quòd illi casus non sunt reseruati Episcopis præcisa actuali reseruatione, quæ fiat per illos, sed dicuntur ex consuetudine reseruati, non quia sint tales si non reseruantur ab Episcopis, sed quia vt plurimùm reseruantur. Et sic nulli sunt casus ex consuetudine generali reseruati Episcopis licet dentur casus, quos solent Episcopi reseruare, qui tamen reseruati non sunt, vbi ab Episcopis non reseruentur. Nec Benedictus XI. in ea extrauag. *Inter cunctas* dixit præfatos casus ex consuetudine generali esse vbiq; reseruatos, sed immò solum dicit, quòd in aliquibus Episcopatibus consuetudo legitimè præscripta obtinuit, vt aliqui casus censeantur reseruati, & hanc con-

lue-

ſuetudinem vbi eſt approbata ſolùm quantùm ad illos quinque caſus.

457 Vbi igitur eſſet conſuetudo, vt aliquis ex præfatis caſibus, vel alius ex conſuetudine eſſet reſeruatus Epiſcopo, poſſent ne Regulares ab ipſo abſoluere, ſi Epiſcopus illum ſibi non reſeruaret? Nam per illam extrauag. interdictum illius eſt abſoluere ab illis quinque caſibus. Nec poteſt dici cum *Suarez d. ſect. 3.* quòd illa extrauagans fuerit caſſata per Clement. *Dudum. De ſepulturis*, quia hoc eſt verum quantùm ad diſpoſita in Clement. *Dudum* contra illam extrauag. non verò quantùm ad alia. At verò nihil in contrarium eſt diſpoſitū quantùm ad hanc partem, in ea Clem. Verùm poſt illam extrauagantem alia priuilegia conceſſa fuerunt Regularibus etiam abſoluendi a caſibus reſeruatis Epiſcopo immò & Sedi Apoſtolicæ, vnde ex illa extrauag. non poteſt ſumi argumentum ad negandam Regularibus facultatem abſoluendi à caſibus huiuſmodi ex conſuetudine alicuius Diœceſis ipſi Epiſcopo reſeruatis, vt conſiderauit *Fagundez d. cap. 2. num. 10.* Et cum per decretum Clem. VIII. priuilegijs non ſit derogatum niſi reſpectu caſuum bullæ cœnæ, & illorum quinque reſeruatorum Papæ, & eorum quos ſibi Epiſcopi reſeruāt, iam nulli ſunt caſus ex conſuetudine ſola reſeruati Epiſcopis reſpectu Regularium, vt tradunt DD. citati ſupra num. 454. firmantes hanc concluſ. ex decreto ipſo Clem. VIII. quòd demptis caſibus, quos ſibi Epiſcopi reſeruant, Regulares ab alijs poſſunt abſoluere, ſicut poterant ante decreta Clem. VIII. & Domini Epiſc. eos caſus ſibi reſeruare poſſunt, & debeant à quibus volunt quòd Regulares abſoluere non poſſint. Quàmuis vbi eſſet conſuetudo quòd ita aliquis caſus cenſeretur reſeruatus, vt nec Regulares ab illo abſoluerent, illa ſeruanda eſſet.

458 Poſſet verò eſſe difficultas de abortu fœtus animati, quia hunc caſum eſſe reſeruatū Epiſcopis iure Pontificio conſtare videtur ex Conſtit. 8. Gregor. XIV. Prius enim ex vi Conſtit. 87. Sixti Quinti procurantes abortum incurrebant excommunicationem Papæ reſeruatam, ſed Gregor. XIV. moderatus fuit illam Sixti Conſtitut. quantùm ad hanc partem volens, vt Epiſcopi ab hac excommunicatione abſoluere poſſent. Vnde quòd hic caſus à iure ſit Epiſcopo reſeruatus, dixerunt *Barboſa de off. Epiſc. alleg. 51. num. 136. Theſaurus in praxi p. 2. v. abortus*, & apud eum *Quaranta, Farinac. & Filliuc. Lezana v. caſus num 4.* qui ibidem *num. 5.* cum Stratio arbitratur, quòd Regulares virtute priuilegiorum non poſſint ab eo caſu abſoluere. Sed ſi propriè loqui volumus, ille caſus non eſt Epiſcopo reſeruatus, ſed ipſi delegatus, & commiſſus. Bene enim idem *Lezana ibid. num. 2.* ex *Ludouico a Cruce* aduertit, quòd quando caſus aliquis Papæ reſeruatus, ſolùm pro aliquo caſu particulari committitur Epiſcopo abſolutio, tunc ille caſus potiùs debet dici delegatus Epiſcopo, quàm reſeruatus. Verè enim ſemper talis caſus eſt Papæ reſeruatus, licet Papa ſuam auctoritatem deleget Epiſcopo, ſed hoc eſt verum nedum ſi Papa in aliquo caſu committat Epiſcopo abſolutionem, vt in terminis Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. vbi abſolutio à reſeruatis Papæ in caſibus occultis committitur Epiſcopo, ſed etiam ſi abſolutè & vniuerſaliter abſolutio alicuius huiuſmodi caſus reſeruati Papæ à Papa committatur Epiſcopo. Quod in terminis caſus abortus eſt manifeſtum. Nam Gregor. XIV. non dixit, quòd abſolutio ab hoc peccato & cenſura annexa ſit reſeruata Epiſcopo, ſed immò ab omnibus confeſſarijs, qui ad hoc ſpecialiter fuerint ab Epiſcopo deputati, vult quod poſſint huiuſmodi peccatores abſolui. Vnde Epiſcopo propriè eſt delegata facultas deputandi confeſſarios, qui à delicto procurati abortus, & cenſura illi annexa poſſint abſoluere. Hic ergo caſus non eſt Epiſcopo reſeruatus, nec eſt propriè caſus Epiſcopalis, ſed eſt caſus à Sede Apoſtolica Epiſcopo delegatus.

459 Sed quatenus etiam diceretur caſus Epiſcopalis, ex vi decretorum Clem. VIII. & aliorum Pontificum, quæ ſupra recenſita ſunt, non eſt Regularibus ablata facultas abſoluendi ab eo caſu, niſi Epiſcopi illum ſibi reſeruent, ſicut etiam multi faciunt, quia ex vi dictorum decretorum Regulares ſolū prohibiti ſunt abſoluere à caſibus quos ipſi ſibi reſeruant *Theſaurus d. v. abortus n. 1. Diana p. 7. trac. 3. reſol. 16. Ceſpedes q. 142. num. 5.* Difficultas eſſe poſſet, an ex vi d. Conſtit. 8. Gregor. XIV. ſit Regularibus ablata hæc facultas, ex quo pro abſoluendo ab hoc caſu delegatum ſuum conſtituit Epiſcopum ad deputandum, qui ab eo abſoluere poſſint. Propterea *Portel. v. abortus num. 5.* quem ſequitur *Baſſaus ver. abortus* putat, quòd Regularis non poſſit ab hoc caſu abſoluere, niſi ſit deputatus à ſuo Prouinciali ſpecialiter ad hunc effectum, & hoc quia hanc ſpecialem deputationem requirit Greg. XIV. ſed hoc manifeſtè eſt contra dictam Conſtit. quæ expreſsè nedum in ſecularibus ſed in Regularibus Confeſſoribus requirit, quòd ſint ad hanc abſolutionem deputati ab Epiſcopo. Vnde non eſt vnde dicatur requiri, vel ſufficere deputationem ſpecialem Prouincialis in vim Conſt. Gregor. XIV. Quæ tamen quia diſponit de modo abſoluendi communi tam ſecularibus, quàm Regularibus etiam non priuilegiatis, nec derogat priuilegijs particularibus Regularium, ideò non aufert, quin Regulares, qui aliàs etiam à reſeruatis Papæ poſſunt abſoluere, poſſint quoque abſoluere a caſu abortus.

460 Sed tertiò, aliqui ſunt caſus reſeruati Epiſcopis per ſtatuta Prouincialia, aut ſynodalia. Et quòd Regulares poſſint ab huiuſmodi caſibus abſoluere probabile putat *Ceſpedes q. 124. n. 10.* ex eo quòd iſti propriè nō dicantur reſeruati ab Epiſcopo, ſed à lege. Sed ex alio principio id tenent alij, nimirum *Comit. lib. 1. reſponſ. moral. q. 25. Homobon. de caſibus reſeruatis cap. 3. §. quorum caſuum* quos ſequitur idem *Ceſpedes ibi. nu. 8. Floron. de caſibus reſeruatis cap. 4. §. 8.* quem ſequitur *Paſqual. centur. 2. q. 165. nu. 2. & fauet Lezana v. caſus reſeruatus nu. 5.* Iſti enim exiſtimant, quod Epiſcopus reſeruans ſibi aliquos caſus reliquos per ſtatutum Prouinciale, aut Synodale cenſetur negligere. Quod explicat *Paſqual. num. 3.* aduertens id procedere, ſi Epiſcopus in tabella caſuum, quos ſibi reſeruat non faciat mentionem eorum, qui ſunt reſeruati à iure & in reſeruatione non ſit aliqua dictio implicatiua aliàs reſeruatorum à iure. Tunc enim in reſeruatione expreſſio caſuum ſtat taxatiuè ad nominatos, atq; adeo eos tantùm ſibi cenſetur reſeruare, & cæteros relinquere ſub poteſtate Confeſſorum. Explicat

plicat enim in tali reseruatione suam mentem, & illam ordinat ad notificandum casus sibi reseruatos. Vnde cum voluntas non operetur, nisi quatenus ad extra manifestatur. *l. si repetendi. ff. de condict. ob. cau. & notat Rota dec. 354. num. 6. apud Farin. p. 1. recent.* si non explicat aliquo pacto, se addere casus expressos casibus iam aliàs reseruatis, censetur coarctare reseruationem ad solos expressos, cũ faciat talem declarationem non tanquam additamentum alterius, sed vt declaratiua simpliciter casuum reseruatorum. Et facit pro hoc, quòd omissum seu non expressum habetur pro omisso. *l. communissimè ff. de liberis,* & posthumis. *Et cap. inter corporalia. De translat. Epis. cap. dilectus de off. Ord. & cap. Is qui. de sent. excom.* Vnde etiam in dispositione Episcopi quoad casus reseruatos, censentur omissi reseruati à iure, quando in reseruatione, quam pro se specialiter instituit, eorum non meminit.

461 Hæc Pasqual. Itaque in hac sententia vnum mihi videtur certum, quòd per se Regularis non potest absoluere à reseruatis Episcopo per statutum Prouinciale, vel synodale; huiusmodi enim sunt casus ab Episcopo reseruati, leges enim synodales Episcopi sunt, & non minorem vim habent ex eo quòd sint factæ in synodo cui Episcopus præest, quàm extra synodum; vnde si in synodo aliquis casus reseruatur, est reseruatus ab Episcopo; ideo Regulares à casibus reseruatis ab Episcopis in synodis Prouincialibus vel Diœcesanis non possunt absoluere. Et hanc esse communem sententiam affirmat etiam *Cespedes. num. 6.* Quo stante, quia nihilominus Tabellæ casuum reseruatorum fiunt, vt Confessarij sciant à quibus absoluere possint, & aliàs bene potest contingere, quòd non expediat reseruare seu habere pro reseruatis aliquos casus à iure synodali reseruatos, satis est probabilis opinio præfata, vt censeri debeant reseruati taxatiuè solùm illi casus qui in tabella continentur, & ideo quòd censeantur omissi, & neglecti reseruati à iure synodali, si in tabella nulla illorum fit mentio. Eò quòd consultò id factum sit ab Episcopis, quia iudicent non expedire vt illi de facto habeantur vt reseruati. Et eò magis, quòd vt aduertit *Cespedes num. 8.* Comitolus testatus sit, id sibi asseruisse Episcopum nobilissimæ cuiusdam Ciuitatis Italiæ. Sed quia hoc posset etiam non esse verum, & totum hoc in præsumptione fundatur, melius erit, & tutius Episcopos interrogare, & mentem illorum explorare, & sic via certa incedere. Addo etiam quòd in hac parte per Clem. *Religiosi* de Priuil. Regulares prohibiti sunt absoluere ab excommunicationib. in synodis reseruatis, & bene potest contingere quòd & consuetudo, & mens Præsulum habeat istas vt reseruatas, etiam si earum mentio non fiat in tabella; ideo cautè hic procedere oportet.

462 Stante igitur hac conclusione certa, quòd Regulares à casibus, qui in tabella casuum reseruatorum sunt descripti non possunt absoluere, multa nihilominùs remanent consideranda circa hoc. Et quidem primò, an Regulares possint ab his casibus absoluere si sint occulti, etiam in Italia. Ita enim affirmat *Diana p. 3. trac. 2. resol. 13. §. Nota quartò* & rationem reddit, quia huiusmodi casus post Concilium Tridentinum sunt Episcopales, vt notat *Sanchez in summa tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 27.* Cui addendus est *Marullus disp. 1. cap 2. diff. 11. nu. 540. sed & Fagundez præcep. 2. lib. 8. cap. 8. num. 29.* arbitratur Episcopos, & Regulares posse absoluere vi priuilegiorum ab excommunicatione Canonis *si quis suadente* etiam si læsio sit enormis, & grauis, modò sit occulta. Pasqual etiam *q. 147. num. 2.* dat pro regula generali, quòd Regulares possint absoluere pœnitentes seculares ab omnibus casibus Papæ reseruatis, à quibus possunt absoluere Episcopi; vnde concludit eos posse absoluere à casu duelli quando ab eo potest absoluere Episcopus.

463 Sed hæc sententia displicet, & meritò. Tum primò, quia ex illis casibus plures sunt reseruati Papæ post Concilium Trident. At verò nec Episcopi possunt absoluere à casibus occultis post Tridentinum Papæ reseruatis, vt nouissimè tradit etiam *Reuerendiss. Fagnanus in cap. dilectus num. 30. de tempor. ordinan.* vbi refert Sacr. Congreg. Concilij ita declarasse & in specie, cum dubitasset Archiepis. Florent. an vigore *cap. 6. sess. 24.* Conc. Trid. ipse posset absoluere monialem quamdam, quæ occultè fregerat clausuram ad malum finem, non obstante Bulla Pij Quinti, quæ videtur habere locum in casu publico. Cumque ex decem Cardinalibus 3. dixissent Bullam intelligendam esse etiam in casibus occultis, & 4. id negassent, & alij tres dixissent agendum esse cum sanctissimo, ipse sanctissimus declarauit Bullam Pij quinti habere locum etiam in occultis, tamen concessit Archiepis. facultatem absoluendi monialem. Vnde postea Sact. Congreg. generaliter consulta. An si monialis alicuius monasterij iurisdictioni Regularium subiecti secretò deliquerit in materia clausuræ, in foro conscientiæ absolui possit vigore eiusdem decreti ab Episcopo, cui tanquam Delegato Apostolico in ijs, quæ ad clausuram pertinent auctoritas tributa est decreto *cap. 5. sess. 25. de Regular.* stante prædicta Bulla Pij quinti, eadem Sacr. Congreg. respondit non posse. Nec ergo Episcopus potest in casibus occultis absoluere à præfatis casibus quinque pro ea parte in qua Papæ reseruati fuerunt vel à Pio Quinto, vel à Greg. XIII. vel à Clem. VIII. vel ab aliquo Pontifice post Concil. Tridentinum.

464 Sed & secundo dicitur, quod cum decretum Clem. VIII. absolutè loquatur, & decernat, quòd nullus siue secularis, siue Regularis sacerdos absoluat ab illis quinque casibus, & sic noua reseruatione quoad Regulares illos sibi reseruet extra rem modò est, considerare an ab illis possit, vel non possit absoluere Episcopus, cum Pontifex absolutè nolit Regulares ab illis absoluere posse, & deroget quantum ad hoc Regularium priuilegijs in amplissima forma, volens eos casus absolutè esse summo Pontifici reseruatos.

465 Est verò secunda difficultas, an Regulares absoluere possint à casibus quos sibi Episcopi reseruant, si sint dubij. Non est hic sermo de dubio iurisdictionis Confessarij, an scilicet confessarius habeat iurisdictionem seu potestatem absoluendi à reseruatis: quoniam certum est eum non posse absoluere in tali dubio, quia se exponit manifesto periculo absolutionis nullius, & sacrilegij. *Bonac. de sacram. disp. 5. q. 7. puncto 5. §. 4. nu. 4.* sed difficultas est vbi casus ipse sit dubius, vt v. g. si homici-

dium sit reseruatum, pœnitens dubius est an verè occiderit, & sic de alijs casibus reseruatis quando pœnitens dubius est an commiserit peccatum, vel compleuerit actum super quo fundatur reseruatio. In hac verò difficultate, quia confessor est in possessione facultatis absoluendi, & aliàs reseruatio est odiosa, & strictè intelligenda, & interpretanda, & casus dubius non est simpliciter talis v. g. homicidium dubium non est simpliciter homicidium, ideo quòd possit confessor absoluere à casu reseruato dubio, nisi aliunde ad hoc etiam prohibeatur, sicut per decretum Clem. VIII. prohibiti sunt Regulares absoluere à casibus dubijs Bullæ cœnæ, docuerunt *Suarez de cens. disp. 40. sec. 6. nu. 5. & tom. 2. de Relig. l. 4. de voto, cap. 5. num. 15. Portel. v. casus reseruatus numer. 7. Sanchez l. p. in Decal. cap. 10. num. 74. Bonac. disput. 5. de sacram. q. 7. p. 4. §. 4. num. 1. Filliuc. p. 2. trac. 31. num. 172. Card. de Lugo de Pœnit. disp. 20. num. 18. Diana p. 4. tr. 3. res. 4.* & apud eum *Ochagauia, Hurtado, Homobonus & Merolla*. Et cum *Sanchez, & Bonac.* citati hoc limitent, nisi pro reseruatione sit præsumptio externa, seu pro foro externo, quia hac posita casus in vtroque foro censendus est reseruatus: limitationem reijciunt *Card. de Lugo. num. 19. & Merolla apud Dianam*, qui etiam hoc existimat probabile. Quia forum pœnitentiæ non fundatur, nec innititur præsumptionibus, sed in eo dictum pœnitentis probat, & ei est standum, cui credendum est tam pro se quàm contra se deponenti, & ideo si pœnitens in conscientia sua verè est dubius, an commiserit delictum reseruatum, tale delictum vt dubium est habendum. Nihilominùs oppositum, quòd scilicet non possit confessor simplex absoluere à casu dubio reseruato dixerunt *Armilla v. casus reseruatus n. 13. & Frias tract. de modo audien. confes. p. 2. c. 8. casu 2. Conrad. in Reg. S. Franc. c. 7. q. 4. p. 1. casu 5.* ex eo quòd in dubijs tutior pars sit sequenda.

466 Mihi videtur quòd communis sententia sit vera, & fundata in iure, & absolutè tenenda, scilicet quòd simplex confessor possit absoluere a casu reseruato verè, & propriè negatiuè dubio, propter rationes allatas. Sed si sit dubius probabiliter, iuxta dicta superius *q. 186. a. 8. nu. 254.* iudico confessarium teneri, sequi probabiliorem partem. Admitto tamen aliam limitationẽ positam à *Card. de Lugo d. num. 18.* vt resolutio non procedat quando lex pœnam imponit pro casu dubio, vt v. g. cum lex imponit irregularitatem pro casu dubio, & ita si etiam pro casu dubio imponit reseruationem, lex est seruanda. Et hoc dicitur de mente DD. quos retuli. Non est verò vnde quis obijciat, quòd peccatũ dubiũ debet in hac parte haberi ac si esset certũ, quoniam debet pœnitẽs illud confiteri. Quia cum hoc sit verissimum, negatur consequentia, si inferatur quòd etiã peccatum dubiè reseruatũ habendum sit pro certè reseruato; quia longè diuersa est ratio, & nedum lex de confitendo peccato dubio est diuina, & fauorabilis, lex verò reseruans casus est positiua & odiosa, sed ibi est specialis ratio ex præcepto charitatis proueniens, quæ non permittit quòd homo possit manere dubius de diuina amicitia, & de vnione sui ad suum conditorem, & etiam de propria salute. Quod verò dicitur in dubijs tutiorem partem esse eligendam, dicitur quod illa est pars tutior, quæ est rationabilior, & probabilior, & in hac parte hæc est rationabilior, & probabilior, ideoque & tutior, quod lex reseruans casus tanquam odiosa non afficiat casus dubios.

467 Sed quid dicendum, si postquàm pœnitens fuit absolutus à simplici confessario à casu dubio bona fide, postea pœnitens excusso dubio, inuenit peccatum fuisse certò reseruatum? Respondet *Card. de Lugo d. disp. 20. num. 20.* Non teneri recurrere iterum ad superiorem pro absolutione, sed reseruationem fuisse ablatam, fuit enim absolutus directè ab eo peccato, vnde non est necesse vt iterum absoluatur. Et hoc quidem rationabiliter dicitur quantùm sit ex præcisa vi reseruationis, quia hæc fuit ablata per absolutionem priùs datam ab habente ad id legitimam absoluendi facultatem.

468 Tertia difficultas est an possit absolui, qui dedit causam, nondum sequuto effectu ob quem est inducta reseruatio; Vt v. g. an possit absolui qui lethaliter vulnerauit, si antequam sequatur mors confiteatur peccatum suum. Respondent quidam ex Naldo in annotat. practicis fol. 65. probabile esse, quòd possit absolui. ex *l. Huic scripturæ §. si seruus ff. ad l. Aquil.* vbi decernitur, quod si quis vulneratus sit, & postea ruina, vel naufragio, vel alio actu moriatur non potest quasi de occiso agi: igitur & in hoc casu non potest vt homicida haberi qui vulnerauit nondum sequuta morte. Sicque Ludouicus Romanus refert se liberasse quẽdam nobilem Ciuem, qui ad mortem vulnerauit aliquem, qui postea ab alio fuit occisus, pro qua doctrina facit *l. Item mala §. Celsus. ff. ad l. Aquil.* si igitur vulnerans non potest nondum sequuta morte damnari de homicidio, ergo & potest absolui à tali vulneratione. Addit tamen Naldus, consultum esse quòd sic absolutus sequuta morte curet se absolui ab habente facultatem. Hæc resolutio securè procedit, vbi vel sit probabilius, vel sit dubium an mors sequi debeat ex vi talis vulneris; quia non est homicida certus, qui vulnerauit vulnere certo non lethali sed verè dubio, aut quod probabilius est esse non lethale. Et considerandum quòd pœnitens habet ius, vt in foro conscientiæ absoluatur dum confitetur, si aliud non obstet, nec tenetur expectare exitum negotij. Sed si sit certum moraliter, aut verè probabilius quòd ex tali vulnere mors sequi debet, iam videtur quod talis in conscientiæ foro sit homicida, & coram Deo; vnde non videtur, quòd possit absolui. Sed in contrarium vrget ratio, quia pœnæ quæ in foro externo infliguntur; non debentur nisi pro delicto consummato in foro externo, & in eo foro probato, vnde verè sic est quòd vulnerans lethaliter non potest damnari vt homicida, si vel ex alia causa mors sequatur, vel vulneratus sanetur, vel nisi sequatur mors vulnerati. Reseruatio autem est pœna ad forum externum pertinens, vnde si non est reseruatum delictum vulnerantis lethaliter, hoc delictum cum in foro externo non sit homicidium nisi morte sequuta, nec videtur reseruatum. Nihilominùs in hoc casu crederem hunc non posse absolui; quia licet reseruatio sit pœna vel quid pœnale spectans ad forum externum, tamen simul respicit forum pœnitentiale, & delictum quod in eo foro habendum sit vt consummatum etiam extrinsecus, & perfectum. Ita verò res se habet, quòd qui vulnerauit

tali-

taliter aliquem vt sit moraliter certum, quòd ea eo vulnere sit moriturus, iam vulnerans in foro conscientiæ se debet accusare vt homicidam, quia homicida est, qui causauit alterius mortem, & iam delictum in ratione homicidij est consummatum, licet actionis nondum sequutus sit effectus, qui tamen certò moraliter est sequuturus, ideo in foro pœnitentiali hoc delictum habendum est vt consummatum, & ideo vt reseruatum. Et idem dicitur si esto non sit vndequaque certè mors futura ex vulneris, tamen omnibus pensatis id est probabilius simpliciter; nam & in moralibus hæc maior probabilitas vel est moralis certitudo, vel quasi ei æquiualet.

469 Quarta difficultas est, an possit quis absolui à peccato commisso ante reseruationem institutam? Respondetur quòd reseruatio afficit directè confessarium, cuius iurisdictio restringitur, & qui prohibetur absoluere à reseruatis, & ideo respicit tempus dandæ absolutionis non verò tempus delicti; Quapropter dicitur, quòd pœnitens à delicto commisso ante reseruationem, non potest post reseruationem absolui nisi ab habente facultatem absoluendi à reseruatis. *Moron. Resp.95. num.52.post Vgol.& Floron.de cas.reseru.p.c.13. nu.17.* Si tamen pœnitens inceperit confessionem & confessus fuerit peccatum tunc non reseruatum, licet ab eo tunc non fuerit absolutus, quia ex causa iusta confessio integra fuit dilata ad maius tempus, & sic prorogata absolutio, poterit absolui, quia confessus fuit peccatum illi à quo poterat absolui, nec est æquum vt iterum teneatur idem peccatum subijcere clauibus. Tum quia coram eo iudice terminanda est eius cognitio est cœpta *l. penult. ff. de iurisd. omn. iud.* Tum quia in præsenti casu res non est integra, & inceptio iudicij prorogat iurisdictionem.

470 Quinta difficultas hinc soluitur. An scilicet pœnitens in aliena Diœcesi possit absolui à simplici confessario à peccato in propria diœcesi reseruato? Si peccatum sit reseruatum in vtraque Diœcesi, vel etiam in Diœcesi in qua habetur confessio; non potest pœnitens à simplici confessario absolui, etiam si in propria diœcesi illud non esset reseruatum. Econtra verò, non obstante quòd in propria Diœcesi peccatum sit reseruatum, si non est reseruatum in diœcesi in qua habenda est confessio, & absolutio, absolui potest. Ita ex *Caiet. v.absolutio 2.Palud.4.d.17.q.3. D.Anton.3. p. tit. 17. cap.4. sentit Suarez de Pœnit. disp.30.sec.1. num.5.* & post eum *Moron.resol.95.num.52.& 53.vbi num.55.* bene hoc limitat ex Vasquez, vt non procedat vbi pœnitens in fraudem, & mala fide eacat à propria diœcesi vt in alia à casu reseruato à quocumque confessario absoluatur. Cæterùm fraude deficiente quo ad sacramentum pœnitentiæ aduenæ habendi sunt vt incolæ, & inspiciendum est an Confessarius incolas possit absoluere, quia si potest absoluere incolas sine obstaculo reseruationis potest etiam absoluere aduenas licet contrarium indicauerit. *Nauar. cap. Placuit num.63. de Pœnit. dist.6.* Hic tamen etiam distinguendum est, inter culpam, & excommunicationem: quia cum excommunicatio afficiat personam, & adhæreat excommunicatio ossibus, cumque comitetur vbique ideo excommunicatus excommunicatione reseruata in propria diœcesi, non potest in aliena absolui à non haben-

te facultatem absoluendi à reseruatis. Ita *Moron. resol.19.num.13.* Sed differentia ista non est fundata. Non enim peccatum minus hæret ossibus peccatoris quàm excommunicatio, & aliàs reseruatio tam peccati, quàm censuræ iuris est humani, & si non obstante reseruatione censuræ in Diœces. Bergom. confessor habens facultatem ad reseruata in Diœces. Brixien potest absoluere, poterit etiam simplex confessarius in eadem diœcesi in qua censura non est reseruata ab ea absoluere, quia reseruatio non hæret ossibus nec est personalis sed afficit directè confessarium, vt fatetur idem *Moron. ibi. nu.24.* Difficultas est an etiam confessarius approbatus, immò Episcop. Brixien. possit absoluere excommunicatum ab Episcop. Bergomen. Nam ab excommunicatione lata ab Episcopo Bergomen. non absoluit Brixien. si verò excommunicatio sit à iure & de se nulli reseruata, ea eo quòd sit reseruata in Diœces. Bergom. ab ea poterit absolui Bergomas in Diœc. Brixien. sicut ab alijs reseruatis.

471 Sexta difficultas est de eo, qui antequam peccatum reseruaretur confessus alia peccata inculpabiliter oblitus est peccatum postea reseruatum, an postea possit à simplici confessario absolui. Affirmat. *Bordon.resol.39. num.50.* & meo iudicio rationabiliter quia ab eo peccato sic oblito inculpabiliter ille fuit indirecte absolutus, tenetur vero illud confiteri veluti in complementum prioris cõfessionis, quæ non erat subiecta reseruationi; ideo nec illud peccatum reseruationi subijcitur, sicut nec subijceretur si illud non fuisset oblitus.

472 Septima difficultas est, an à simplici confessario possit absolui qui commisit peccatum mortale reseruatum credens inuincibiliter illud esse veniale, & sic quod illud non commisisset si sciuisset esse mortale. Non posse absolui dixit *Bordon. resol.39. num.68.* quia simul putat ignorantiam illam non excusare à mortali cum talis malitiam suæ actionis cognouerit. Sed non est vnde damnetur peccati mortalis ille, qui inuincibiliter ignorat actionem esse peccatum mortale, licet sciat illam esse venialiter malam. Hic enim locum habet regula sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita secundum quid, ad secundum quid, vnde sicut ignorantia simpliciter tollit simpliciter culpam, ita ignorantia secundum quid culpam diminuit, seu ex parte tollit iuxta doctrinam *D. Thom. p.2.q.76. a.3.* Et cum peccatum mortale sit auersio hominis à Deo, & ab eius amicitia, qui ignoranter inuincibiliter agit nesciens esse peccatum mortale non auertit se voluntariè à Deo, ideo nec mortaliter peccat. Vnde peccatum talis inuincibiliter credentis actionem esse solùm malam venialiter non est peccatum mortale, sed veniale. & ideo nec est peccatum reseruatum. *Henriq.l.6.de pœnit. cap.14. num.6. Floron.de casib. reseru.p.1.c.3.num.35. Passerin de off. Paroch. c.7.num.49.* Nam & vbi aliquod peccatum sit reseruatum, si actio externa in genere talis peccati sit leuis, & ex eo sit sola culpa venialis, etiam si proueniat ex pessimo animo non est peccatum reseruatum. *Suarez tom.4. de Relig. tr.8.l.2.c.18.num.12. Card.de Lugo de pœnit. disp.20. num.15.* & apud eum *Henriquez. & Granado.*

473 Octaua difficultas est de eo, qui commisit peccatum non reseruatum, quod non est tale, ex conscientia erronea iudicãs esse illius speciei, cuius

peccatum est reseruatum, vt v. g. qui ex conscientia erronea credit se blasphemasse, cum non blasphemauerit, an possit à simplici confessario absolui? Et dico posse, nam reseruatio cum sit odiosa non debet extendi vltra proprietatem significationis verborum ad casus sub eis non comprehensos. Tum quia reseruatio non extenditur ad casum fictum. Forum enim pœnitentiæ veritatem respicit, non fictionem, quæ cessat, vbi veritas locum habere debet. *l. nec ei §. primam.ff. de adopt.*

474 An verò econtra absolui possit, qui sciens peccatum ignorauit esse reseruatum, & si sciuisset illud non commisisset, dicendum est eum non posse absolui, nec ignorantiam reseruationis excusare in hoc, tum quia hæc est praxis Ecclesiæ. Tum quia ignorantia peccantis non tribuit confessario iurisdictionem, quam non habet respectu talis peccati reseruati. *Cardin. de Lugo de pœnit. dispat. 20. numer. 9. fin.*

475 Nona difficultas est an sint aliquæ personæ seculares seu non Religiosæ ad quas decreta Clem. VIII. & aliorum Pontificum supra recensita non se extendant, & ideo à Regularibus possint absolui à reseruatis Episcopo? Dicitur verò difficultatem hanc plura genera personarum respicere, de quibus controuersia esse potest, & de quibus in singulari videndum est quid iuris.

476 Nouitij recepti ad habitum Religiosorũ nondum sunt simpliciter Religiosi, cum non sint professi. Nihilominùs quia Nouitij in fauorabilibus veniunt sub nomine Religiosorum, ideo quidquid in contrarium senserint *Floren. de casib. reseru. p. 1. c. 2. §. 2. nu. 8. & Homob. p. 1. c. 1. §. Natura autem,* dicendum est, eos minimè comprehendi sub decretis præfatis, nec venire sub nomine secularium. *Peyr. p. 3. cap. 3. num. 13.* & apud eum *Verb. disp. 9. dub. 7. num. 5. Diana p. 3. tr. 2. res. 46. Tambur. tom. 2. disp. 13. q. 13. num. 115. Anton. a Spir. S. trac. 2. disp. 2. num. 223.* Nam & huiusmodi Nouitij exempti sunt ab Episcopali iurisdictione quàmdiu versantur in probatione Religionis, vt ex *Nauar. Cord. Azor. & Sarmien. probat Sanchez l. 6. in Decal. cap. 10. n. 11.* Et ijdem Nouitij gaudent priuilegijs & exemptionibus Professorum per DD. quos refert & sequitur *Diana p. 3. tr. 2. res. 73.* & alios apud *Anton. a Spir. S. trac. 2. disp. 2. num. 222.* Et praxis est, quòd Nouitij recepti ad habitum habeantur vt professi in administratione sacramentorum.

477 Extenditur verò hoc in hac parte etiam ad Nouitios nondum indutos habitu Religioso, sed existentes in Conuentu, & in proximo recipiendos. Nam quòd huiusmodi absolui possint à Superioribus, & Prælatis patet ex priuilegio Gregor. XI. pro Ord. Prædicatorum in Constit. sua 7. & ex priuil. Clem IV. pro Minor. in const. eius 4. & ex priuilegio pro Minimis concesso per Constit. Iulij II. quæ in Bull. Rom. est post 10. & ex priuil. Pauli III. pro Societate in sua constit. 48. & quòd huiusmodi priuilegia per præfata decreta Clement. VIII. non fuerint reuocata, quoniam qui de proximo sunt recipiendi ad habitum censentur recepti, quia in fauorabilibus in breui accingendus habetur pro accincto *l. penal. ff. de milit. test.* Vnde cum non possit conferri beneficium laico, nihilominùs *Gloss. cap. 1a Eccles. in ver. Tales, de institut.* dicit, quod potest conferri beneficium laico qui animi destinatione vult fieri clericus, dixerunt *Peyr* vbi supra, & apud eum *Verb. Diana p. 3. trac. 2. res. 46.* referens ex *Verb.* Clem. VIII. id declarasse. *Tambar. de iure Abb. tom. 2. disp. 13. q. 13. nu. 115. Lezana ad Mare magnum Minorum num. 36. Anton. a Spir. S. trac. 2. disp. 2. num. 226.* & apud eum. *Del bene tom. 2. c. 14. sect. 9. dub. 18. num. 1.*

478 Quia verò non est omnium Religionum vsus, quòd recipiant in Conuentu laicos inducendos antequam induantur habitu Religioso, ideo quod dictum est de illis, qui sunt recepti intra Domos Regulares vt induendos, dicitur de quocumque, qui in proximo sit suscepturus habitum Religiosum, nam & priuilegia citata, & citati DD. absolutè loquuntur, de illis qui volunt esse Religiosi, & in proximo sunt ad habitum recipiendi. Qui autem sint illi, qui sint in proximo accingendi ad arbitrium boni viri pertinet id iudicare. Ille in proximo dicetur recipiendus, qui iam à Religiosis est receptus & approbatus, vt proximè induendus habitu Religioso, vel qui in proximo est vt recipiatur. Meritò verò huiusmodi concessum est priuilegium hoc absolutionis; quia in istis cessat finis reseruationis, qui est retrahere fideles a grauium criminum incursu, cum isti sint in proximo vt sint Religiosi, quorum status eos obligat abstinere etiam à minimis. Tum secundò quia fuit conueniens, vt qui volunt ingredi Religionem, habeant paratam viam, nec sit necessarium vt pro beneficio absolutionis adeant superiores, quod posset habere difficultatem, & ingressum retardare.

479 Tertiarij viri, qui iuxta Constitut. Leonis X. in Concil. Later. sess. 11. collegialiter, aut intra claustra viuunt sub obedientia Prælatorum Regularium non subduntur reseruationi casuum factæ ab ordinarijs. Isti enim & gaudent suorum Ordinum priuilegijs, & sunt exempti a iurisdictione Ordinarij ex vi dictæ Constitut. prout etiam declarauit Sacr. Congreg. Concilij primò iussu Clement. VIII. & postea sub Paulo V. die 20. Decembris 1616. quas declarat. refert *Donatus p. 4. trac. 17. q. vlt.* de tertiarijs verò mulieribus extra clausuram viuentibus nunc non loquor, & dicam Deo dante, vbi specialis inspectio de illarum priuilegijs habenda erit.

480 Familiares famulos posse absolui à casibus reseruatis ab ordinario dixit *Peyr. ad const. p. Iulij II. §. 15. num. 14.* ex priuilegio Clem. VIII. concesso Carthusiens. 26. Maij 1602. relato in Compend. priuileg. S. Mariæ *Fulien. v. casus reseru. §. 1.* sed dissentit *Lezana p. 2. cap. 16. num. 14.* eo quòd obstent decreta Clem. VIII. & Vrbani octaui supra recensita num. 373. & seqq. Ego in hac parte hanc regulam seruandam existimo, vt casus reseruati ab Episcopis non se extendant ad illas personas, quarum confessiones possunt audire Regulares absque Episcoporum approbatione. Tum quia reseruatio respicit confessarios, quorum iurisdictio restringitur, vbi ergo Confessarij independenter ab Episcopi approbatione, & voluntate possunt audire confessiones, non potest eorum iurisdictio ab Episcopis restringi & limitari, quia in hoc non subduntur eius iurisdictioni. Item quantùm ad sacramenti pœnitentiæ administrationem non sunt subiecti Episcopo illi, qui possunt confiteri peccata sua confessario non approbato ab Episcopo. Et

sic de-

sic decreta Clem.VIII. & Pauli Quinti, & Vrbani VIII. supra relata hanc interpretationem & limitationem necessariò suscipiunt, vt nomine secularium intelligantur seculares qui non sunt ex priuilegio veluti Religiosi. Modò seculares qui sunt propriè familiares Religiosorum in terminis *Concil. Trid. sess.24. cap.11.* prout supra explicatum est *art. p. inspect. p. num.*338. sunt ex priuilegio Religiosi, nec sunt comprehensi in decreto. *Concil. Trid. sess.23. cap.15.* vt nouissimè tradit etiam *Reuerendiss. Fagnanus in c.omnis vtriusque sexus. n.63. de pœnit. & remiss.* vt decisum à Sacr. Congreg.vnde ad horum familiarium secularium confessiones audiendas non est necessaria approbatio Episcoporum, sed possunt absolui à Confessarijs deputatis à Prælatis Regularibus, vnde etiam isti seculares non subduntur reseruationi casuum factæ ab Ordinarijs, & à præfatis confessoribus Regularibus ea reseruatione non obstante absolui possunt.

481 Hinc colligitur quid dicendum de Commissis, Oblatis, & famulis &c. si enim sint familiares commensales Religiosorum, Confessarij Regulares à suis superioribus approbati possunt eos absoluere à casibus Episcopo reseruatis, nisi ipsi aliunde prohibeantur; quia huiusmodi familiares censentur ac si essent Religiosi quantum ad sacramentum pœnitentiæ, sed si non sint familiares commensales perpetui, & tales, quales supra loco citato explicauimus, non possunt à casibus reseruatis Episcopo absolui, nisi ab habente ad id facultatem ab Episcopo aut à Legato in sua Prouincia, aut à summo Pontifice.

482 Eiecti verò à Religione sicut subduntur iurisdictioni Episcopi ex decreto Vrbani VIII. de Apostatis, & eiectis, sic non possunt absolui à casibus Episcopo reseruatis à simplici confessario.

483 Impuberes autem non subiacere reseruationi casuum dixerunt *Palud.4. d.34. q.2.a.3. Graffius tom.1.lib.5.cons.3.num.13.de adult. Belloch.de* casibus reseruatis *p.2.q.1.num.203.& q.17.num.66.* quos refert nec reprobat *Diana p.2. tr.15. resol.1.* Quia minor ætas sicut in foro externo, sic in iudicio animæ excusat eos à pœna ordinaria. Sed affirmant. *Homob. de casibus reseru. p.1.c.3. & Floron.p.1.cap.3.num.3. & Lazarius de Blasphemia q.9. num.12. Cardinalis autem de* Lugo. *disp.20. de Pœnit. num.9.* bene distinguit reseruationem vt est medicina præseruatiua, & cautela ad fugienda peccata inducta, qualis est reseruatio ordinaria, qua reseruantur casus ab Episcopis, & à casibus huiusmodi non possunt sine speciali facultate absolui impuberes. Et hoc est verè rationabiliter dictum; Nam & impuberes indigent medicina hac à grauioribus peccatis præseruatiua. Sed quando reseruatio est pœna, sicuti est sæpe, quando in odium & pœnam delicti imponitur censura reseruata, tunc iudicandum est in hoc casu secundùm eam sententiam quam vnusquisque veram existimat ex illis, quarum vna affirmat, & alia negat impuberes subdi pœnis ordinarijs. De qua quæstione mihi nunc non est opus iudicare.

484 Decima difficultas est, an saltem in aliqua particulari solemnitate liceat Regularibus absoluere à casibus Episcopo reseruatis? Peyr. ad const.2. Pauli III.§.5. num.6. retractans id, quod dixerat ad const.2. Leonis X.§.2. num.3. sentit, quòd in diebus Indulgentiarum concessarum Ecclesijs SS. Trinitatis de Vrbe, & S. Aloysij Neapoli Ordinis Minimorum possint confessarij deputati à Correctore absoluere à casibus Episcopo reseruatis iuxta priuilegium illi Ordini concessum a præfatis Leone X. & Paulo III. & Decretum Clement.VIII. explicat, vt deroget priuilegijs generalibus non verò priuilegio speciali pro determinatis diebus concesso. In fine autem d. num.6. addit, quòd prohibitio absoluendi a casibus Episcopo reseruatis non se extendit extra Italiam. Dicitur nihilominùs quòd non est vnde præfati, vel alij Regulares virtute præfati priuilegij Leonis Decimi, aut Pauli tertij vel similium priuilegiorum velint in diebus indulgentiarum absoluere a casibus Episcopo reseruatis, quoniam Clemens Octauus in secundo decreto dato anno 1602. derogat priuilegijs *omnibus*, vnde sub illa dictione *omnibus*, quæ est vniuersalissima comprehenduntur tam generalia, quam specialia priuilegia. Et eò magis, quòd illud priuilegium non erat pro vno die, vel duobus in anno, sed pro diebus indulgentiarum qui erant quamplures, & ita vt priuilegium comprehenderet Dominicas Quadragesimæ, immò omnes dies a media quadragesima vsque ad octauam Paschæ, & alias festiuitates. Quòd verò dicitur, prohibitionem hanc absoluendi à casibus reseruatis nō se extendere extra Italiam, hoc esse verum quantùm sit ex vi decocti Clem.VIII. dixit etiam *Vericell. de mission.q.148. num.7.* sed quidquid sit de hoc, certum est ex decreto Vrbani VIII.supra relato n.376. Regulares nec intra nec extra Italiam posse absoluere a casibus Ordinario reseruatis. Inde est, quòd neque confratres confraternitatum erectarum in Ecclesijs Regularium vel in quacumque alia Ecclesia in certis solemnitatibus absolui possunt per simplices confessarios à casibus Ordinario reseruatis. Nam hoc prohibitum fuit per Clem. octauū in sua Constit.115.§.9.& in decreto recensito supra num.373. & 374. Vnde modò Regulares nec confratres, nec alios intuitu solemnitatum, aut indulgentiarum sine licentia speciali absoluere possunt a casibus Ordinario reseruatis.

SVMMARIVM.

1 *Non possunt Regulares absoluere à censuris Episcopo reseruatis. nu.485.*

OBSERVATIO QVINTA.

485 Regularis aliàs exponitus ab Episcopo, & à Prælato suo non potest absoluere à censuris Episcopo reseruatis. Fuit verò aliquorum sententia, quòd possit. Ita enim tenuit ex *Megala Tambur.tom.2.disp.13.q.13.num.116.* Video etiam quod *Anton. à Spir.S. d. tr.2. disp.3.num. 24.* pro certo habuit, quòd ante decreto sub Vrb. VIII. datū anno 1628. non obstante decretū Clem.VIII. Regulares extra Italiam poterant absoluere a casibus & censuris Episcopo reseruatis. Nam primum decretum Clem.VIII. datum 1601. non se extendit vltra Italiam, vt patet ibi. *Per vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus.* Secundum autem decretum datum anno 1602. non extendit prius decretum, sed eius prohibitione m moderatur & limitat

mitar ad solus casus Bullæ Cœnæ, & quinque ibi recensitos Papæ reseruatos, & ad casus, quos sibi Episcopi reseruabont, & expressè declarat, quód etiam intra Italiam sacerdotes sunt prohibiti absoluere duntaxat à recensitis casibus, & decernit, quód ab alijs possint absoluere, qui habent priuilegia non reuocata, & quatenus priuilegia sint in vsu, ideo quod ex vi decreti Clem. VIII. sacerdotes extra Italiam non prohiberentur absoluere vi priuilegiorum etiam à casibus Episcopo reseruatis dixi etiam *Vercell. de miss. q. 148. num. 7.* sed quidquid sit de hoc, constat quód ex decreto Vrbani VIII. dato 1628. prohibitio absoluendi à casibus reseruatis Episcopo extensa fuit ad totum Orbem. Cũ enim dubitatũ fuisset, an sublata fuisset facultas absoluendi à censuris Episcopo reseruatis eo quia sub nomine casus, non veniaur censuræ, sub Paulo quinto Sacr. Congreg. decreuit & declarauit, non posse Regulares à censuris Episcopo reseruatis vi priuilegiorum absoluere, vt ex declar posita num. 375. est manifestum, & tenent communiter DD. moderni.

SVMMARIVM.

1 *Regulares confessores posse absoluere à sententijs, censuris, irregularitatibus, aliqui sentiunt. numer. 486.*

2 *Priuilegia Regularium non reuixerunt per confirmationes Pauli V. & Vrbani VII. nu. 487.*

3 *Priuilegium Sixti quarti pro Minimis non est pro absoluendis secularibus. nu. 488.*

4 *Priuilegium Pauli Tertij pro Societate comprehendit sententias latas à iure, vel ab homine generaliter non vero nominatim. n. 489. 490.*

5 *Regulares ex vi priuilegij Pauli tertij non possunt absoluere a censuris deductis ad forum contentiosum nec nisi in confessione sacramentali. numer. 491.*

6 *Non possunt dispensare super irregularitate. numer. 491.*

7 *Non possunt absoluere à pœnis, quæ non sunt medicinales, seu quæ non sunt censuræ. num. 492. 493.*

OBSERVATIO SEXTA.

486 REgulares legitimè approbatos ad confessiones posse absoluere ab omnibus sententijs, & pœnis, etiam nominatim & ab homine excommunicatos, & etiam dispensare ab irregularitate & absoluere ab omnibus sententijs etiã ab homine latis tradidit *Anton. à Spir. S. d. trac. 2. disp. 3. num 36.* Et fundatur, quia licet huiusmodi facultas fuerit reuocata per Leonem X. constit. 45. tamen postea eadem priuilegia concessa fuere per Paulum quintum, & Vrbanum octauum, vt habet Io. de Cruce loco citato. Tum secundo quia Paulus III. Const. 3. vt testatur Suarez concessit Societati, quòd eius confessores absoluere possent ab omnibus excommunicationibus etiam Papæ reseruatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ. Tum tertió quia Sixtus quartus constitut. 3. apud Peyrinum §. 6. concessit Minimis absoluere posse ab excommunicatione, suspensione, & interdicto, & irregularitate tam à iure, quám ab homine reseruatis, quoties opus fuerit, sicut potest diœcesanus; quod confirmauit postea Iulius II. constit. 2. §. 32. Addit verò idem *Anton. à Spir. Sancto nu. 38.* Regulares à prædictis casibus Papalibus, & Episcopalibus absoluere posse in foro conscientiæ etiã si sint publici. Nam priuilegia illimitatè loquentia, non sunt à nobis limitanda. Immò num. 39. subdit hanc absolutionem valere pro foro externo etiam, siue censura sit à iure, siue sit ab homine, hoc verò explicat num. 39. vt absolutio non detur nisi satisfacta parte, si aliás commodè possit, & vt valeat in foro externo debet deferre schedulam à suo confessario, & debet acceptari à Prælato, interim vero in foro externo pœnitens debet se gerere vt excommunicatum.

487 Multa continet hæc assertio, quæ nullo modo admittẽda sunt, vt apparebit ponderatis ex citatis priuilegijs Sixti Quarti pro Minimis, & Pauli Tertij pro Societate. Nam quod dicitur priuilegia antiqua reuixisse per confirmationes Pauli Quinti, & Vrbani VIII. difficultatem nedum patitur, quia est valde controuersum apud DD. an confirmatio priuilegiorum etiam data ex certa scientia faciat reuiuiscere priuilegia reuocata, de qua difficultate agit *Diana p. 12. tract. de colloc. Card. resol. 26.* sed quia non describuntur Bullæ Pauli Quinti, & Vrbani Octaui expressa illarum data, & Religione ad cuius fauorem fuerunt priuilegia confirmata, vt possit videri, an confirmatio facta fuerit cum clausula, dummodò priuilegia non sint reuocata, quæ clausula poni consueuit, & priuilegia Ord. Prædicatorum fuere confirmata à Clement. VIII. Paulo Quinto, & Vrbano VIII. sed semper cum præfata clausula; Vnde nisi aliquid distinctius proferatur id non sufficit, vt quis tutò priuilegijs reuocatis vti possit. Præterquám quód quantũm ad contraria dispositis supra in decretis Clement. VIII. Pauli Quinti, & Vrbani VIII. priuilegia non reuixisse declarauit Vrbanus VIII. in decreto recensito supra num. 376. Vnde non est cur quis velit dicere, quòd priuilegia per Concil. Trident. & per præfata decreta reuocata reuiuixerint per confirmationes priuilegiorum postea obtentas.

488 Duò vero specifica priuilegia adducuntur. Primum concessum Minimis. Circa quod est aduertendum, quód illud priuilegium fuit datum à Pyrrho Archiepis. Cosentino, & non à quodam Papæ Legato, vt dicit *Portel. v. confessor quoad censuras*, sed a dicto Archiepisc. authoritate sua ordinaria, vt patet ex eiusdem Priuilegij titulo apud Peyrinum. Et sic illud non valuit, nisi pro diœcesi Cosentina. Fuit postea confirmatum a Sixto quarto in const. 2. apud eundem Peyrinum, sed non fuit ampliatum, vel extensum, vnde non plùs valuit, quam valebat, nisi quód id, quod priùs vim habebat ex solo Archiepisc. Cassentino, postea vim habuit ex Papæ confirmatione. Sed quod magis ponderari debet est, quód in eo priuilegio nullus est sermo de audiendis, & absoluendis secularibus, aut dispensando cum illis, & si iungantur simul §. 7. & 8 dicti priuilegij, satis clarè apparebit, quód loquitur respectu religiosorum dicti Ordinis. Cum enim in §. 7. concedatur sacerdotibus, vel dicti Ordinis, vel secularibus aut Regularibus ab eis electis, quód missas etiam ante diem celebrare pos-

possint, & eisdem sacramenta ministrare, subditur in §.8. *Confessiones audire, & ab omnibus casibus &c. absoluendi, & dispensandi &c.* Vnde ijs quibus illa facultas conceditur sunt sacerdotes vel eiusdem ordinis, vel extranei, sed à dictis Religiosis electi, & quod conceditur est, quòd dicti Religiosi ab istis possint sacramenta suscipere, & in specie, quòd possint absolui, & dispensari. Vnde illud priuilegium non respicit seculares, sed religiosos dicti Ordinis. Et nec est verisimile, quòd ille Archiepis. voluerit concedere dictis Religiosis, vt nedum per se ipsos, sed & per sacerdotes seculares ab eis assumptos possent etiam in quacumque irregularitate cum secularibus suæ diœcesis dispensare, cum sit contra Ecclesiæ praxim committere hoc modo dispensationem ab irregularitate, & hoc futurum esset in maximum præiudicium suæ iurisdictionis, & suorum successurum. Vnde est, quòd Peyrinus ad 2. Constit. Iulij II. §.32. num.61. per illud priuilegium Pyrrhi confirmatum à Sixto IV. ait concessum fuisse Religiosis sui Ordinis, vt absolui possent ab omnibus casibus sibi reseruatis, & quòd Iulius II. in d. Constitut.2. §.32. concessit & addidit, vt actiuè possent alios absoluere iuxta formam à Pyrrho concessam, & à Sixto confirmatam. Sed tamen Iulius secundus nihil agit & concedit quantùm ad facultatem dispensandi super irregularitate, sed solùm concedit facultatem absoluendi. Quæ tamen adhuc est limitatissima, cum facultas data à Pyrrho non se extenderet ad casus Papales, sed solum ad casus sibi reseruatos, & à quibus ipse authoritate sua poterat absoluere. Hinc est, quòd Portel. vbi supra dubius est de praxi huius priuilegij intellecti respectu secularium, sed si priuilegium considerasset, vidisset illud non respicere seculares. Et *Corduba ad Casarub. v. absolutio quantùm ad seculares*, §.20. fatetur quemdam Prouincialem Minimorum respondisse, ipsos dicto priuilegio vti quantùm ad absoluendum ab omnibus Papæ non reseruatis, sed non vti ad dispensandum, aut commutandum cum secularibus. Ex eo igitur priuilegio nihil speciale habetur, quia facultas dispensandi, aut commutandi per illud data ad dispensandum, aut commutandum cum secularibus non se extendit, & quantùm ad absoluendum à censuris illa facultas nec se extendit ad censuras Papæ reseruatas, immò nec ad reseruatas Episcopis nisi in diœcesi Cosentina; quia non potuit Archiep. Cassentinus dare facultatem absoluendi à casibus alijs Episcopis reseruatis, & tamen priuilegium illud fundamentum habet in concess. Pyrrhi Archiep. Cossent. quam confirmauit Sixtus Quartus, & ad quam se refert Iulius secundus.

489 Remanet inspiciendum quem sensum habeat priuilegium Pauli Tertij concessum Societati. Punctum autem consistit in intelligentia verborum illorum. *Et à quibusuis ex ipsis casibus resultantibus sententijs, censuris, & pœnis.* Ex his verò verbum *sententijs* generale est, & explicatur per verba sequentia; sententia enim hic non importat nisi alicuius pœnæ Ecclesiasticæ inflictionem, huiusmodi autem pœnæ sunt censuræ, sed dubium est, quia cum sententia infligatur à iure, vel ab homine, & hoc vel in genere, vel in indiuiduo, & nominatim. Non est dubium, quòd conceditur facultas absoluendi à sententijs, seu censuris, aut pœnis ipso iure latis. Et quia in dicto priuilegio excipiuntur solùm censuræ latæ in Bulla Cœnæ, simul satis est manifestum, quòd datur facultas absoluendi ab alijs censuris, quantùm sit ex vi dicti priuilegij. Bene etiam *Suarez tom.4. de Relig. tr.10 l.9. c.2. num.11. Palaus tom.4. trac.23. p.14. num.16.* & alij supra citati extendunt hanc facultatem ad censuras seu sententias latas ab homine in generali. Quod probat Suarez, quia hoc videtur supponi in Compendio priuilegiorum Societatis, & quia sententia lata generaliter ab homine conuenit cum sententia lata à iure, quia antecedit peccatum, & ideo censura, seu pœna per eam lata immediatè resultat ex delicto contra sententiam generalem commisso; & sic huic sententiæ generaliter latæ conuenit proprietas verborum illius priuilegij, scilicet *resultantibus sententijs*, quia talis sententia, seu censura, ex ipso casu, seu delicto statim resultat.

490 Sed sententiam istam nominatim ab homine, seu in indiuiduo comprehendi sub illo priuilegio non probatur. Quod enim inquit Suarez num.12. quia nulla est sufficiens ratio quæ nos cogat ad hanc limitationem, quia nullum peculiare ius obstat in sententijs specialibus magis quàm in generalibus, & sæpe vsus huius facultatis potest esse necessarius ad salutem animarum & fieri sine offensione iudicum, vel aliorum scandalo. Quod inquam sic vrget Suarez, patet quòd non probat efficaciter, quia immò ex hoc datur valida ratio quæ probet sententiam in specie vel indiuiduo non comprehendi sub illo priuilegio, quia nulla est ratio, quæ probet illam debere comprehendi. Cum enim aliàs in priuilegijs consuetum sit excipi sententias aut censuras ab homine nominatim latas, vt in concessionibus Iubilæorum patet, & in tot ac tantis priuilegijs concessis Regularibus Prælatis in Mari magno, & alijs constitutionibus in quibus conceditur facultas absoluendi à censuris latis à iure, & ab homine generaliter, non verò à censuris latis nominatim seu in indiuiduo, vnde ex praxi constat facultatem absoluendi excommunicatos ab homine nominatim esse specialissimam gratiam consuetam non concedi, & quæ nequit intelligi vt concessa nisi id exprimatur in priuilegio, ex hoc efficaciter probatur eam sub dicto priuilegio non fuisse comprehensam, quia non est expressa, & limitatio ista subintelligenda est ex praxi Ecclesiæ nisi oppositum exprimatur. Quod eo ampliùs hic haber locum, quòd huic ampliationi non competunt verba priuilegij, censura enim, & pœna lata nominatim, solùm remotè resultat ex casu, seu ex delicto, sed proximè oritur ex Iudicis iudicio & condemnatione. In priuilegio autem conceditur facultas absoluendi à sententijs ex ipsis casibus resultantibus. Et additur, quòd non cessat causa excommunicationis, quæ est contumacia, nec sufficit, quòd excommunicatus nominatim satisfaciat parti, sed debet parere Ecclesiæ, & desistendo ab extrinseca contumacia parere iudici. Adiungitur, quòd censura nominatim lata non est de occultis, sed est fori contentiosi, & ex publica notitia proueniens, & ad publicum bonum ordinata, ideo petit vt à iudice non tollatur nisi ex publica notitia, & ritu. Et eò magis, quòd aliter non paruũ præiudicium fit iudici, quia illius est videre an excommunicatus recesserit à contumacia, & quædam

illius

illius irrisio, & contemptus est, quòd ab eo excommunicatus se eius conspectui tanquam absolutum præsenter, & cum ex actis habere posset, vnde iustè absolutionem differre posset, ratione modi contumaciæ, aut alterius circumstantiæ, videat cum sola partis satisfactione sibi inobedietem absolutum. Et considerandum est, quòd non adest necessitas dandi hanc absolutionem, quam aliàs excommunicatus potest à iudice mandatis parendo obtinere; aliàs verò absolutus a confessario potest esse, quòd ex hoc magis differat iudici satisfacere. Amplioris verò necessitatis casus rariores erunt, & tunc ex regulis generalibus poterit pœnitenti præberi remedium, & pro casibus raro contingentibus non est credibile, quòd Pontifex simplicibus confessarijs voluerit committere absolutionem à censuris nominatim, quæ ex praxi concedi non solet. Et ideo (sicut in tractat. de electione cap. 26. probaui) nec Prælati Regulares possunt absoluere suos subditos a iudice extraneo nominatim excommunicatos, cum tamen Prælati Regulares respectu suorum subditorum habeant amplissima priuilegia: ita multò minùs id possunt Prælati Regulares respectu secularium.

491 An verò possint absoluere ab excommunicatione publica, hoc quidem certum est, quòd absoluere non valent à censuris deductis ad forum contentiosum. Certum quoque est, quòd non possunt absoluere nisi pro foro conscientiæ; An verò hæc absolutio dari possit extra confessionem sacramentalem affirmat Suarez vbi supra num. 28. vbi vult, quòd Confessarij ex causa licitè, & validè possint absoluere pœnitentem à censura dilata ad tempus magis commodum confessione, vel quòd idem possit facere parte peccatum audita, antequam integram audiat confessionem, quia hæc pars est fauorabilior, & potest in omni proprietate accommodari verbis indulti. Sed nimis est hoc durum, si spectemus verba priuilegij, quæ sunt. *Nec non &c. ad vos vndique accedentium confessiones audiendi, & eorum confessionibus diligenter auditis, eos à quibusuis casibus &c.* Indubitatum enim esse debet, Pontificem per illa verba *confessiones audiendi*, loqui de confessionibus sacramentalibus. In iure enim fidelium vtriusque sexus confessiones, sunt confessiones sacramentales; & hoc est, quod presbyteris illius Religiosis conceditur, qui per illa verba constituuntur iudices in foro sacramentali; igitur & dum subditur, *eorum confessionib. diligenter auditis absoluere possint*, de eisdem sacramentalibus confessionibus est sermo; & sic facultas absoluendi supponit, quòd pœnitens sacramentaliter fuerit confessus; Et hic sine dubio est planus priuilegij sensus; vnde ex vi illius absolutio à censuris nequit dari, nisi pœnitentibus integrè & diligenter auditis. Nomine verò censurarum veniunt excommunicatio, suspensio, & interdictum, iuxta *cap. quærenti de sent. excomm.* non verò irregularitas etiam incursa ob violationem censuræ. *Suarez n. 1. ibid. Palaus tom. 4. tr. 23. p. 14. num. 16.* quidquid in contrarium dixerit *Gutierez l. 1. Canon. quæst. cap. 3.* Posse verò absolutionem ab his censuris dari sine solemnitatibus ex priuilegio Leonis X. concesso Minoribus, vt habetur in eorum supplemento concess. 174. & in compendio societatis *v. excommunicatio num. 2.* tradit idem *Suarez num. 1.* quod in absolutione data in foro sacramentali non habet difficultatem. Nam & est verum de iure communi.

492 Quid autem veniat nomine *pœnarum* controuertitur, Nam quòd debeat importare aliquid distinctum à censuris, videtur concludi, quia dictio & consignificat distinctionem, nam vis eius est distincta coniungere, & vnire; cum igitur datur facultas absoluendi à sententijs, censuris, & pœnis, per pœnas intelligitur aliquid distinctum à censuris. Sed alia ex parte, si per pœnas intelligitur quid distinctum, cum absolutè dicitur *& pœnis*, sequeretur quòd confessarius posset pœnitentem liberare à pœnis irregularitatis depositionis, degradationis, priuationis vocis tam actiuæ, quàm passiuæ, infamiæ, &c. & ab omni Ecclesiastica pœna, quod certè non videtur rationabile; nimis enim amplum hoc esset, & contra Ecclesiæ stylum. Vnde nec in Bulla Cruciatæ, nec in Iubilæis huiusmodi facultas concedi solet. *Suarez d. cap. 2.* quem sequitur *Palaus d. num. 16.* vult quidem, quòd nomine pœnarum intelligatur quid distinctum à censuris, sed tamen valde restringit amplitudinem illius nominis. Nam sub nomine pœnæ censet non comprehendi irregularitatem, nec depositionem, nec degradationem, nec pœnam perpetuam, nec pœnam ad determinatum tempus inflictam, & tandem aliam quamcumque, quæ indigeat tolli per dispensationem. Non enim in iure absoluere, & dispensare solo nomine distinguuntur; nam absolutio est secundùm ius, & bene disposito ex iure debetur, sed dispensatio est vel contra, vel præter ius, est enim iuris aliqua relaxatio, dum pœna quæ de iure illata est vt perpetua, vel ad longius tempus, ex benignitate dispensantis tollitur, vnde est etiam quòd ad absoluendum non est necessaria causa, sed sufficit pœnitentis dispositio, cui absolutio debetur stante dispositione; sed dispensatio nequit dari sine iusta causa; quia sine causa non debet ius relaxari. Per priuilegium igitur illud, concessa est facultas absoluendi, non verò dispensandi, ad nullam igitur pœnam extenditur, quæ dispensatione auferatur. Pariter dicunt non comprehendi pœnas ab alio confessario in sacramentali confessione impositas, non enim fit iudex confessionis alio sacerdoti factæ, & iudicij ab eo præstiti. Item nec pœnas conuentionales, seu ex voto Deo promissas; huiusmodi enim nec propriè pœnæ sunt, cum ad illas homo liberè se obliget, nec per sententiam aliquam infliguntur, sed liberè ab homine assumuntur. Item nec pœnas temporales, sed solas spirituales quæ ob aliquod delictum fuerint impositæ. Quamobrem concluditur, quòd sub nomine pœnarum veniunt solùm pœnæ spirituales ad arbitrium imponentis inflictæ, quia istæ absolutione tolli possunt.

493 Verùm considerandum, quòd pœnæ aliæ à censuris non sunt ex suo genere medicinales, sed ad vindictam malefactorum, & vt bono publico satisfiat, & ad terrorem aliorum, vt à malè agendo retrahantur; & earum condonatio propterea non est debita pœnitenti etiam disposito, & dolenti de peccato commisso & sincerè proponendi emendationem; vnde est, quòd sunt ex suo genere extra iudicium sacramentale, quod vtilitatem, & libertatē pœnitentis respicit? Propterea dicendū est, quòd in illo priuilegio nomina censuræ, & pœnæ,

sunt

sunt synonima, & idem significant; pœnam scilicet medicinalem, & ad modum peccatorum, & censurarum in sacramento simul cum culpa delebilem; Per priuilegium enim illud sacerdotes fiunt indices in foro sacramentali, in quo vel pęnitens non est capax absolutionis, si sit indispositus, vel ei debetur absolutio, si sit dispositus; & sic sermo est de pœnis, quæ ad modum peccatorum deleri petunt, & quarum absolutio sit debita pęnitenti, quæ pœnæ sunt censuræ. Aliæ verò pęnæ quæ communem vindictam respiciunt, non spectant ad forum sacramentale, sed propriæ sunt externi fori, ideo non continentur sub facultate data ad absoluendum auditis sacramẽtalibus confessionibus. Duo igitur illa nomina *censuris*, *& pœnis* sunt synonima, & ad maiorem expressionem posita, quod non rarò fit in iure. Et sic Regulares ex vi priuilegiorum nec possunt ab aliqua irregularitate dispensare, *Donatus d.tr.4.q.40.* nec liberare à pœnis priuationis vocis actiuæ, aut passiuæ, aut alijs similibus, etiam iuris ad arbitriũ imponentis; quia liberatio ab illis pendet à voluntate alterius iudicis à Confessario, nec liberatio illa est sacramentalis fori, nec est debita pęnitenti etiam disposito, sed ex boni communis exigentia dari debet ab eo cui boni communis cura est commissa. Possunt verò ijdem Regulares absoluere à censuris, exceptis semper reseruatis Papæ in Bulla Cęnæ, & in Italia extra Vrbem, exceptis illis quinque casib. in decreto Clem. VIII. contentis, & exceptis vbique censuris Episcopo reseruatis: Ab alijs verò sententijs, & pœnis quæ non sunt censuræ absoluere minimè possunt.

SVMMARIVM.

1 *Quod per confessionem inualidam factam habenti auctoritatem tollatur reseruatio multi dicunt. num. 494.*

2 *Eadem sententia explicatur, & declaratur. n. 495. 496.*

3 *Pœnitens cum vt valide confiteatur iterat confessionem admonere debet confessarium de pœnitentia sibi data pro reseruatis. nu. 496.*

4 *Vbi absolutio à peccatis est inualida tempore iubilęi, an censenda sit inualida absolutio ab excommunicatione. nu. 497.*

5 *Qui in confessione alias valida facta habenti auctoritatem absoluendi à reseruatis oblitus fuit reseruatorum manet ab eis absolutus. Nec ea tenetur iterum confiteri. n. 498.*

OBSERVATIO SEPTIMA.

494 Considerandum est etiam quæ dispositio sit necessaria ex parte suscipientis, vt possit validè absolui à casibus, & censuris reseruatis. Nam primò dubium est, an vbi confessio facta habenti facultatem absoluendi à reseruatis sit inualida ex defectu pęnitentis, vt v.g. ex defectu doloris, seu integritatis an tollatur reseruatio, ita quòd pœnitens postea à quocumque sacerdote possit absolui. Negant enim reseruationem tolli *Sanchez l. 8. de matrim. disp. 15. num. 21. & lib. 4. sum. cap. 54. num. 5. Candid. disq. 24. a. 69. dub. 43. 44. 47.* sed affirmant. *Caiet. v. casus Syluest. v. confessio p. quæst. 59. num. 21. Nugnus in addit. q. 9. a. 2. dub. 4. Suarez de pœnit. disp. 31. sec. 4. num. 9. Vasquez q. 91. a. 3. d. 5. num. 33. Card. de Lugo disp. 20. num. 106. Comitolus Nauar. Ricard. Palud. Couar.* & multi alij, quos sequitur *Leander tr. 5. disp. 12. q. 42. Ochagrania*, & alij, quos sequitur *Diana p. 1. tr. 11. res. 18. & p. 4. tr. 4. res. 124. Coton. lib. 2. contr. 7. nu. 164.*

495 Distinguendum, videtur in hac parte inter confessionem scienter, & ignoranter inualidam, & inter inualidam ex defectu doloris, & ex defectu integritatis. Nam si pęnitens ex malitia, & dolo scienter facit confessionem inualidam, non tolli reseruationem videri posset. Neque enim verisimile videtur, quòd superior, vel per se ipsum, vel per suum delegatum velit beneficium impendere ei, qui scienter sacrilegè absolutionem petit. Et si hoc sufficeret, posset quis fictè confiteri alicui confessario habenti facultatem peccatum reseruatum, & interim perseuerare velle in alijs peccatis; quod videtur inconueniens, & à recta ratione alienum, & minime permittendum. Nec Ecclesia intendit tollere reseruationem casus nisi in ordine ad veram pęnitentiam, & respectu eius, qui sine dolo, & fraude se præsentet. Verùm citati DD. absolutè loquuntur, & eorum sententia ex eo probatur, quòd ad hoc vt tollatur reseruatio non est necessaria in pœnitente illa dispositio, quæ est necessaria ad obtinendam absolutionem peccatorum, nec est necessaria integritas confessionis, vt patet quando pęnitens superiori confitetur peccata reseruata, & ab eo remittitur postea inferiori vt coram eo integrè confiteatur. Tunc enim superior solùm tollit reseruationem, & sufficit pęnitenti quòd cum postea confitetur inferiori, integrè & cum debito dolore sua peccata confiteatur, & superiori sufficit quòd ad eius iudicium sit deductum peccatum reseruatum; vnde ex hac parte etiam si pœnitens scienter sit indispositus quantùm ad effectum absolutionis à culpa, nihilominùs si confitetur peccata reseruata hoc sufficit ad tollendam reseruationem. Et hoc quidem est manifestum si à pęnitente excluditur dolus, & confessio remanet inualida, ex defectu doloris, qui verè non est sufficiens; Tunc enim absolutio illi data tollit reseruationem, & clariùs procedit ratio Caietani, quia scilicet ex quo semel beneficium absolutionis concessum est, & mandatum est & executioni mandatum legitimè in facie Ecclesiæ rationabile est, quòd non habeatur ampliùs pro reseruato, vt pote simul cognitum & iudicatum in foro, in quo erat reseruatum. Et licet reseruatio non eo cesset tunc, quia absolutio valida sit, cum sit nulla; cessat, quia illam tollit reseruans, cui satisfactum est, ex eo quòd pęnitens sine dolo, & fraude se eius iudicio subiecit.

496 Sed si confessio est inualida ex defectu integritatis, si quidem hoc est, ex obliuione alterius peccati à reseruatis, idem dicendum est, quia tunc iudicio Ecclesiæ supposito sunt peccata reseruata, & iudicatum est semel de illis. Sed si in confessione inualida omissa sunt peccata reseruata, vel aliquod illorum respectu obliti non cessat reseruatio, quia vt habet *Card. de Lugo d. num. 106.* non præsumitur superior magis tunc velle reseruationis vinculum tollere, quàm si scienter & culpabiliter subditus reseruata taceret. Verùm si confessio sic inualida, quia vel non fuit data absolutio, vel con-

fessarius non habuit iurisdictionem, reseruatio durat, quia peccatum reseruatum non fuit per habentem legitimam facultatem iudicatum. Sed si peccata omnia reseruata fuerunt manifestata, & habens auctoritatem ab eis absoluit, & de eis iudicauit, tollitur reseruatio etiam si aliàs confessio non fuit aut integra aut ex sufficienti dolore etiam scienter, quia ad tollendum reseruationem sufficit quòd peccata reseruata semel ab Ecclesia fuerint iudicata. *Bonac. disp.5.de sacram.q.7.puncto 5. §.5. num.9.* vbi etiam ex *Suarez, Reginal. & Molfesio* bene limitat, & ait hanc resolutionem non valere, vbi quis absoluatur à reseruatis virtute Bullæ iubilæi, Quia ex vi talis Bullæ non datur facultas absoluendi nisi verè pœnitentes, & in ordine ad veram pœnitentiam; Nam & finis iubilæi est peccatorum conuersio, & vt per opera iniuncta & veram pœnitentiam flectatur Deus ad misericordiã, & Ecclesia a diuina bonitate obtineat, quod intendit, Aduertit etiam ex *Vasquez Card. de Lugo num.107.* pœnitentem, cum postea pro valida confessione & absolutione habenda iterum peccatum reseruatum confitetur, debere admonere confessarium de pœnitentia à priori Confessario sibi imposita, vt eandem pœnitentiam nouus confessarius imponat, & sic illa sit satisfactio sacramentalis eleuata virtute clauium, quod non haberet, si pœnitens illam ex sua voluntate perficeret.

497 Addit verò Bonacina loco supra citato, quòd etiam tempore Iubilæi valida est absolutio censurarum in confessione inualida obtenta ab eo, qui intentionem habet iterum validè confitendi ad lucrandum Iubilæum: Nam absolutio censurarum per se potest extra sacramentum obtineri. Sed hoc non est sine suis difficultatibus. Cum enim facultas absoluendi non detur in Iubilæo nisi in ordine ad veram pœnitentiam: Vnde confessio inualida ad lucrandum Iubilæum non sufficit, vt tradit *Pasqual. q.72.* nec sit verisimile, quòd sacerdos tam de facili vellet absoluere impœnitentem, & incapacem absolutionis à culpa, non est tutum asserere, quòd vbi confessio peccatorum sit inualida; pœnitens maneat absolutus ab excommunicatione, etiamsi habeat intentionem faciendi validam confessionem. Immò & potest esse, quòd confessarius sit illius sententiæ quòd absolutio ab excommun. virtute Iubilæi non possit dari extra sacramentum.

498 Sed quid dicendum, si quis validè peccata sua fateatur vel superiori, vel habenti facultatem absoluendi à reseruatis delegatam & vel omnia, vel aliquod reseruatum fuit oblitus. Tollitur ne tunc reseruatio, & ita vt ab oblito, vel oblitis possit absolui à quocumque Confessario? Difficultatem faciunt *Suarez d.disp.31.sect.4. & Vasquez 3. p.q.92. a.3.d.5.* dum qui absoluit est superior. Et Vasquez, quem sequitur *Coninck d.contr.7.nu.166.* arbitratur, quòd reseruata maneant reseruata, sed Suarez quem sequitur *Sanchez l.8. de matr.d.15. nu.17.* dixit tolli reseruationem, si pœnitens aliquod reseruatum confessum fuit, vel se præsentauit superiori exprimendo se præsentari superiori vt à reseruatis absoluatur, secus non. Addit verò num.20. quòd si facultas absoluendi data est ad fauorem pœnitentis, vt quando conceditur per iubilæum, tunc etiam si pœnitens non faciat mentionem reseruatorum tolli reseruationem; quia censetur superior sustulisse reseruationem, si pœnitens vti voluisset iubilæo. Ratio autem horum est, quia putant non posse præsumi in superiore voluntatem tollendi reseruationem, cum per talem confessionem non satisfiat fini reseruationis. Sed in oppositum est sententia communis; Nam & cur prætendi debet, quòd superior velit, quòd peccatum verè coram Deo dimissum, iterum subijciendum sit clauibus, cum inculpabiliter prorsus fuerit oblitum? Et pœnitens petit ab omnibus absolui, & confessarius tenetur pœnitentem dispositum ab omnibus absoluere, & ita intendit, & facit, Nec conuenit quòd Ecclesia exigat à pœnitente plusquàm potest, sed sufficit illi quòd accedat dispositus, & nullum peccatum culpabiliter taceat. Sic enim & oblita peccata iudicio Ecclesiæ submittit pœnitẽs in voto, & animi præparatione, & tunc cum inuincibiliter eorum obliuiscitur, plus facere non potest. Ideo iustè præsumitur quòd superior absoluat pœnitentem absolutè quantum absoluere potest, vnde etiam illum absoluit à censuris inculpabiliter oblitis, vt idem Vasquez fatetur; nec valet dicere, quòd hoc fiat per accidens, vt scilicet possit absolui pœnitens a peccatis, quia immò dicendum est id fieri per se, quia pœnitenti disposito se præsentanti coram habente facultatem absoluendi non debet negari absolutio. Quod igitur quando confessio valida est, etiam si ex obliuione taceantur peccata reseruata, tollatur absolutè reseruatio dixerunt meritò *Syluest. v.confessio p.q.3. Ang. n.12. Nau.c.26.num.13. Rosella, Mayolus, & Suyras apud Sanchez vbi sup. nu.16. Gabriel Adrian. Cauar. Cano, Ledesma apud Suarez vbi sup. num.12. Nugnus in addit.q.9.a.2.par.2.dub.4. Fagund. præcep.2. lib.7. c.3. num.12. Card. de Lugo disp.20. de pœnit.num.89. Diana p.3.tr.11.ref.18. & p.10.tr.13.ref.56.* & apud eum *Quintanaduennas, Leander tr.5. disp.12.q.34. & 35.* & quàmplures alij, quos refert *Pasqual. de Iubilæo q.242.*

SVMMARIVM.

1 *Regulares nec absolutione ad reincidentiam possunt absoluere impeditos a casibus in decreto Clement.VIII. reseruatis impeditos, nisi in solo articulo mortis. n.499.*

OBSERVATIO OCTAVA.

499 EXcommunicatos censura Papæ reseruata posse absolui ad reincidentiam, si sint temporaliter impediti, cum habeatur ex *cap. de cætero 11. cap. ea noscitur 13. cap. quod de his 26. cap. quamuis 18. de sent.excom. & cap. eos qui 22. eod. tit.in 6.* & cum DD. disputent an hoc intelligatur solum de absolutione ab excom. ob violentam manum iniectionem in clericum, an de omni excom. & iterum an hæc facultas conueniat soli Episcopo, vel omnibus confessoribus, & iterum an se extendat etiam ad casus reseruatos Episcopis, in præsenti non est opus huiusmodi quæstiones tractare. Quia ex decreto primo Clem.VIII. dato 1601. & recensito supra num.373. prohibi sunt Regulares vti hac facultate nisi in mortis articulo, ibi. *Nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis ar-*

tis articulo &c. Quamuis ergo aliqui putauerint Regulares posse absoluere in casibus sibi in præfatis decretis probibitis impeditos adire Papam, aut Episcopum absolutione ad reincidentiam; tamen hoc est satis manifeste falsum. Nec enim dici potest quod decreta loquantur de absolutione data simpliciter, quando prohibent Regulares absoluere a casibus Bullæ cœnæ, vel alijs quinque recensitis in decreto Clem. VIII. dato anno 1602. & à casibus reseruatis ab Episcopo; non verò decreta illa loqui de absolutione datâ ad reincidentiam. Nam hoc manifestè reijcitur, quia Clemẽs Octauus eam absolutionem negat posse dari in alijs necessitatibus, quam admittit dari in casu mortis; hæc verò est sola absolutio ad reincidentiam; hoc enim modo solùm absolui possunt moribundi à casibus Papæ reseruatis, a non habente alias facultatem absoluendi; hãc igitur absolutionem etiam ad reincidentiam non possunt dare Regulares à præfatis casibus quacumque alia necessitate impeditis. *Coton. lib. 2. contr. 7. num.* 123. Ideo est regula generalis tradita à *Syluestro v. absolutio 4. q. 4. num. 7. fin.* quòd quãdo Papa reseruat sibi absolutionem cum clausula, vt nullus absoluere possit *nisi in articulo mortis*, nullus nec etiam Episcopus quacumque alia necessitate impeditos potest absoluere etiam ad reincidentiam, sed solùm in articulo seu periculo mortis id fieri potest iuxta tenorem Pontificiæ reseruationis.

S V M M A R I V M.

1 *In articulo moris nequit absoluere qui non habet facultatem in præsentia habentis. n.* 500.

2 *Improbabile est quod excommunicatus denunciatus in præsentia non excommunicati possit absoluere. n.* 501.

3 *Quando dicatur non adesse sacerdos habens auctoritatem ad reseruata. n.* 503.

4 *In articulo mortis non est necessitas recurrendi ad Episcopum. nu.* 504.

5 *Nisi id fieri possit in casibus in quib. ille potest simpliciter absoluere. n.* 504.

6 *Quis ordo seruandus inter sacerdotes eligendos in confessarios tempore mortis. n.* 505.

7 *Sacerdos habens facultatem absoluendi ex priuilegio præferendus nullam habenti. n.* 506.

8 *Articulus mortis quis sit. n.* 507.

9 *Etiam in periculo amentiæ potest pœnitens absolui. num.* 508.

10 *Qui censendi sint in periculo mortis. n.* 509.

11 *Sacerdos simplex in articulo mortis absoluit ab omnibus peccatis, sed non ab omnibus censuris. num.* 510.

12 *An clericus vel laicus possint absoluere à censuris in articulo mortis. n.* 511.

13 *Quando dicendum sit non adesse superiorem. numer.* 512.

14 *Non tenetur pœnitens in articulo mortis adire superiorem per literas, aut nuncium. n.* 512.

15 *Tenetur suscipere Bullam cruciata. n.* 512.

16 *Qui nullo idoneo præsente incœpit confessionem adueniente idoneo Confessario potest & non potest aliquando illam perficere. nu.* 513.

17 *Iure diuino conuenit fideli vt in mortis articulo absoluatur ab aliquo præsente sacerdote. n.* 514.

18 *A censuris non potest absolui pœnitens nisi ad reincidentiam. nu.* 515.

19 *Quonam sit tempus congruum ad comparendum coram superiore. n.* 516.

20 *Qui non comparet reincidit in excommunicationem non tamen eandem. n.* 517.

21 *Hoc onus non imponitur pueris, nec habentibus impedimentum perpetuum. n.* 518.

22 *Satisfactio partis non eximit ab hoc onere, numer.* 519.

23 *Absoluti virtute Bullæ aut iubilei ad hoc non tenentur. nu.* 520.

24 *Moribundus qui non potest dare cautionem absoluitur. num.* 521.

25 *Sufficit se præsentare per Procuratorem non per literas. nu.* 522.

26 *Absolutio à censuris Bullæ Cœnæ petit specialem formam. n.* 523.

27 *Absolutio non est nulla si hæc forma deficiat. numer.* 524.

28 *Excommunicatus non toleratus si reincidat notorie est vitandus. n.* 525.

OBSERVATIO NONA.

500 NVllam dati casuum reseruationem in articulo mortis definitum habemus in *Concil. Trid. sess. 14. de pœnit. cap. 7.* vbi habet, quòd in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis. Est autem primò difficultas, qualiter hoc intelligi debeat, an scilicet sit verum absolutè, an verò solùm in casu in quo non possit haberi sacerdos habens facultatem ad reseruatos. Nam dictum Concilij intelligendum esse absolutè, multi probant. Tum quia restrictio Papæ non comprehendit casum mortis, tum quia Concilium absolutè loquitur, idque in fauorem pœnitentis, igitur non est, vnde per articulum mortis intelligatur articulus necessitatis, seu penuriæ sacerdotis, sic vniuersalem dispositionem Concilij restringendo. Ex quo deducunt, eum qui est in articulo mortis posse absolui à quocumque sacerdote etiam præsente proprio Parocho aut superiore, cui casus reseruantur. Ita enim voluerunt *Nauar. cons. 23. num. 2. & 3. de pœnit. & remiss. Ledesm. de sacram. vbi de pœnit. cap. 14. post p. Concl. Sa, Rodriq. & Vega apud Sanchez l. 2. in Dec. cap. 13. num. 6. Diana p. 1. trac. 5. res. 5.* & apud eum *Ludouicus de S. Iuan, Valer. Angles, Comitolus, & alij. Vericell. de mission. Apos. q.* 151. Verùm dicendum est, quòd hic articulus mortis importat articulum extremæ necessitatis & quòd non censetur in articulo mortis constitutus, vt possit absolui à quocumque sacerdote à peccatis etiam reseruatis, qui habet copiam, vel habere potest sine periculo cõfitendi peccata sua habenti ad absoluendum legitimam iurisdictionem. Et habetur hoc ex eodem *Concil. Trid. d. cap. 7.* ibi. *Verùmtamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis.* Constat enim, quòd ratio ob quam in articulo mortis non est reseruatio, est necessitas fugiendi damnationem moribũdi, ne scilicet aliquis pereat, non imminet verò hæc necessitas, vbi pœnitens potest confiteri peccata sua confessario approbato, & habenti iurisdi-

ctionem quatenus opus sit etiam ad reseruata. Ideò si adsit Confessarius approbatus, non potest infirmus confiteri non approbato, & si habeat casus aut censuras, & adsit Confessarius, qui possit authoritate ordinaria aut delegata ab eis absoluere, non potest absolui à Confessario similem facultatem non habente. Quod confirmatur, quia Cócilium non condit ius nouum, sed antiquam consuetudinem laudat, hæc verò illa fuit quod quilibet Sacerdos absoluere possit, quando non habetur Confessarius approbatus aliàs habens ad id facultatem oportunam, vt constat ex *Conc. Cart. 3. c. 32.* & habetur *cap. presbyter 26. q. 6. & ex extrauag. Inter cunctas, §. incendiarij de priuil. & extrauag. 1. §. Decernimus de sent. excomm.* Tum tertio quia cum ex *cap. eos qui, de sent. excomm. in 6.* huiusmodi sic absoluti, si conualescant teneantur se præsentare superiori, multò magis, si fieri potest, ad id teneantur antequam absoluantur. Tum quartò, quia verè hæc facultas, vt in articulo mortis quis possit à quocumq; peccato absolui per quemcumq; Sacerdoté, est de iure diuino, nimirum ex eo iure ex quo baptizatus habet vt sibi disposito ab Ecclesia non denegentur Sacramenta, quæ Christus instituit pro omnibus, & singulis tanquam bona communia nulli indigenti neganda, si sit ad ea dispositus; sed hoc ius respicit casum necessitatis; cum enim bonorum huiusmodi dispensatio sit commissa Romano Pontifici, & per eum alijs Prælatis, & per Romanos Pontifices hoc sit statutum, vt non approbati ad confessiones audiendas non eas audiant, nec absoluant à non reseruatis, qui non habent ad id facultatem, ius diuinum vt sibi non negetur Sacramentum Pœnitentiæ, non se extendit, vt quis possit absolui contra Ecclesiæ dispositionem, sed solùm vt si non detur minister ab Ecclesia approbatus, & habens iurisdictionem, sufficiat in casu necessitatis quilibet Sacerdos habens ex sui ordinatione potestatem absoluẽdi à peccatis. Et ita hanc partem tenuerunt *Rosellu, Sylu. Armilla, Conar. Simaacha, Graff. Gutier. Zambranus* apud *Sanchez d. l. 2. cap. 13. num. 7.* vbi idem docet *Sotus in 4. d. 18. q. 4. a. 4. à principio Suarez de pænit. disp. 26. sec. 4. n. 4. & de cens. disp. 22. sect. 1. num. 62. Bartholom. de Ledesma dub. 23. de Confessario col. 5. Val. 4. tom. disp. 7. q. 10. p. 2. Molina* referens sic declarasse *Greg. XIII. tom. 4. disp. 63. Azor. par. 1. l. 8. cap. 19. q. 5. Vinald. Rutil. Beaz, Hugol.* apud *Sanchez vbi supra, Card. de Lugo de pænit. disp. 20. nu. 102. Bonac. & Coninch.* quos sequitur *Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 4. p. 3. §. 5. n. 9. Coron. l. 2. contr. 7. n. 118. & 180.*

501 Vnde est, quòd falsa, & prorsus impossibilis est sententia aliquorum ex priori opinione suprapposita inferentium in præsentia Confessaris non excommunicati denunciati aut non suspensi, posse moribundum in articulo mortis constitutum confiteri Sacerdoti excommunicato, aut suspenso denunciato, & quòd tunc talis Sacerdos sine peccato possit ministrare Sacramentum pœnitentiæ, & quòd propterea pœnitens confitendo illi peccata sua non cooperetur peccato pœnitentis. Hæc enim prorsus falsa sunt.

502 Nam prætermisso quòd magna lis est inter Doctores an excõmunicatus denunciatus etiam in articulo mortis possit absoluere. De cuius quæstionis veritate quæ altiorem petit discussionem nunc non indico. Supposito etiam quòd excommunicatus aut suspensus non toleratus possit in articulo mortis absoluere, prorsus falsum & improbabile est, quòd id possit in præsentia Sacerdotis non excommunicati. Quia cum excommunicatus, aut suspensus non toleratus sit iurisdictione priuatus, nulla ratio est, vnde dicatur illam sibi restitui, vbi nulla est necessitas, vt illa vtatur. Et ex diuina lege est, quod Sacerdos non absoluat à peccatis nisi cum subordinatione ad Ecclesiam, & Ecclesiæ Prælatos, à quibus habeat iurisdictionem, nisi extremæ necessitatis casus petat quod pœnitens absoluatur à quocumque Sacerdote, si alius à superioribus approbatus nõ adsit, ideo vbi adsit copia Sacerdotis alterius, nequit pœnités eligere sibi excommunicatum non toleratum, qui illum absoluat, iste enim nedum est impeditus ab absoluendo ratione reseruationis casuum, sed quia est ex vi excommunicationis priuatus iurisdictione.

503 Considerandum tamen hic est, in his casibus non adesse Sacerdotem approbatum, aut habentem facultatem ad reseruatos. Primò quando etiamsi adsit, nolit tamen confessionem audire, & absoluere. Secundò si licet velit, non possit idem præstare. *Sanchez vbi supra num. 8.* & apud eum *Zambranus de casibus reseruatis in artic. mortis, cap. d. 4. n. 24.* vbi ad hoc refert declarationes Cardinalium. Istis adde tertiò, si pœnitens habeat causam rationabilem recusandi Confessarium aliàs approbatum, & facultate sufficiente munitum. In casu enim iustæ recusationis idem est, ac si talis Confessarius iustè recusatus non adesset. Et bene etiam ex *Zambruno subdit Sanchez d. num. 8.* non debere Sacerdotem in hoc esse multùm scrupulosum, sed in dubio an opportunè aduenire possit Sacerdos expositus, sacerdotem simplicem præsentem teneri pœnitentem audire, & absoluere, & eius salutem periculo non exponere.

504 An verò in casibus Pontifici reseruatis, quando in casu articuli seu periculi mortis, non possit haberi recursus ad Pontificem, debeat recurri ad Episcopum, affirmant *Corduba q. 18. p. 2. dicto 1. & Zambrun. d. c. 4. d. 4.* moti ex eo, quòd sic decernitur de excommunicato ob violentam iniectionem manus in Clericum, in *cap. ea noscitur, & cap. de cætero, de sentent. excommunic.* Verùm ex istis textibus nõ debet sumi regula generalis ad omnes casus, cum id non sit in iure cautum. Et Episcopus ex vi reseruationis Papæ nullam pro se acquirit iurisdictionem, & cum in mortis articulo reseruatio cesset, quando ad reseruantem non est recursus, quantùm ad hanc partem æqualis conditionis sunt Episcopus, & Parochus, & sine necessitate recursus ad Episcopũ possunt parochi vel alij Sacerdotes, qui tunc adsint pœnitenti, illum audire, & absoluere, *Suarez de pænit. disp. 30. sect. 3. n. 4. Molina tom. 4. disp. 63. num. 2. Sanchez d. cap. 13. nu. 9. Palaus tr. 4. disp. 4. p. 3. §. 5. num. 11.* Quàmuis vbi essemus in casu occulto ex ijs à quibus Episcopus potest absoluere virtute *Trid. sess. 24. cap. 6.* tunc si posset fieri, necesse esset recurrere ad Episcopum, quia in illis casibus ipse habet authoritatem simpliciter absoluendi, vnde non est quod alij in id, se intromittant, vt absoluant ad reincidentiam, si periculũ mortis patitur recursum ad Episcopum.

De

505 De alijs verò Sacerdotibus & ordine inter illos obseruando, vt licitè assumautur, diuersi diuersa dicunt. Hoc est certum, semper præferendum esse approbatum in diœcesi, non approbato; quia non adest necessitas, quòd contra præscriptū *Concil. Trid. sess. 23. cap. 15.* Sacerdos non approbatus tunc audiat confessiones. Putat verò *Sanchez num. 10. ex Suarez, & Zambrano*, idem dicendum, si adsit approbatus in alia diœcesi, vt scilicet corā eo simplex Sacerdos non possit moribundi confessionem audire. Sed id non probo. Quia approbatio in aliena diœcesi nō facit ministrum approbatum ad Confessiones, cum debeat esse approbatus in diœcesi in qua audiuntur confessiones. Vnde talis in nostro casu etiam si approbatus in alia diœcesi est simpliciter non approbatus, & ideò eadem est ratio de illo, & de alio qui nullibi est approbatus. Certum quoque est, quòd Sacerdos nō irretitus censura, præferri debet ei, qui est excommunicatus vitandus, aut suspensus, aut præcisus, vnde vt dictum est supra hic non potest absoluere in præsentia alterius non subditi alicui simili censuræ. Sed de ordine seruando inter præsentes Sacerdotes quorum nullus sit approbatus satis dictum fuit supra *num. 345. & 346.*

506 Putat verò *Suarez d. disp. 30. sect. 3. num. 5.* Sacerdotem habentem ex priuilegio facultatem absoluendi à reseruatis non esse præferendum simplici Sacerdoti, quia nullus teneatur sequi priuilegium. Sed hoc meritò reijcitur, quia Confessarius non approbatus vel non habens facultatem ad reseruata nequit validè confessiones audire, nisi ex necessitate in periculo mortis quę necessitas cessat, vbi adsit, qui ex priuilegio absoluere valeat. Et in his casibus semper militat illa ratio, quòd non absolutus ex vi articuli mortis teneatur si conualescat, se præsentare superiori; multò magis ad hoc tenetur vt eidem vel ab eo habenti facultatem se præsentet, si potest antequam absoluatur.

507 Ex his potest expediri altera difficultas, quid scilicet veniat sub nomine articuli mortis? Non desunt enim, qui hoc in magno rigore intelligant de morte certa, & ita proxima, vt moraliter sit ineuitabilis. Ita *Sotus 4. dist. 18. q. 4. a. 4. vers. quæ res autem. Cano p. 5. de pœnit. Val. 4. tom. disput. 7. q. 10. p. col. 2.* Sed alij volunt, quòd in præsenti idem sit articulus mortis, quod mortis probabile periculum. Ita quòd pœnitentem existentem in periculo mortis possit quilibet Sacerdos audire, & absoluere. *Suarez de pœnit. disp. 26. sect. 4. num. 3. Molina & Zambranus*, quos sequitur *Sanchez lib. 2. c. 10. num. 1. Couar. in cap. Alma p. 1. §. 12. num. 8. ver. 3. Ledesma 2. 4. q. 26. a. 1. dub. 3. Nauar. cap. 26. n. 26. Sylu. v. Confess. nu. 6. Diana p. 5. tr. 9. ref. 67.* Sed non multùm distinguuntur istæ duæ sententiæ; nam secunda vt sit vera multas limitationes patitur. Et quidem primò, non qualecumque periculum sufficit. Diana dixit illud periculum sufficere ex quo verisimili coniectura sequitur mors *Leander tract. 5. disput. 12. q. 69.* arbitratur absolutionem à reseruatis posse impendi à prima die infirmitatis periculosæ, vt doloris lateris, & tauard illi &c. Melius *Sanchez d. num. 1.* dixit illud periculum sufficere, in quo lex diuina de confessione peccatorum obligat, in mortis articulo. Hoc autem periculum tunc contingit, quando est probabile dubium de morte, & frequenter in eo casu euenire solet. Vt cum fœmina partui appropinquat, & aliàs experta est imminens ex partibus periculum vitæ, vel eius est complexionis, vt id periculum verosimiliter timeatur, vel eo anno solent communiter parientes periclitari. Item grauis tempestas exorta, vel nauigationis periculosæ, vel conflictus in bello, aut itineris prædonibus interficere solentibus expositi aggressio, aut cum quis in morbum periculosum incidit, qui maiori ex parte mortem inferre potest *Suarez & Sanchez citati.* Secunda limitatio est, vt periculum incurratur ex necessitate, non verò ex sola voluntate, vt si necessitetur homo ad periculosam nauigationem, aut prælium. Cæterùm periculum in ludo hastarum, & taurorum agitatione, & huiusmodi, quæ sine necessitate assumuntur pericula non sufficiunt, vt quis possit absolui à reseruatis: quia potest talis, abstinere à periculo, immò & debet, si periculum adest. *Sanchez, Diana, & alij.* Tertia limitatio est, quòd periculum propè sit, & ita prope vt fere certum sit non tantùm differendam esse mortem, quòd occurret Confessarius habens ad absoluendum legitimam authoritatem. Et sic non sufficit probabile periculum mortis, sed requiritur probabile periculum carentiæ Sacerdotis habentis legitimam facultatem absoluendi à reseruatis *Couar. Corduba, Zambr.* apud *Sanchez nu. 3.* & sic ferè casus redit in sensum primæ opinionis; qui enim est in periculo mortis si sine damno suo potest habere Confessarium, qui illum absolutè validè absoluat à reseruatis, non potest à simplici Confessario absolui. In dubio tamen potest pœnitens viam sibi securam eligere, & pro opportunitate Sacerdoti, quem habet in promptu confiteri, & ab eo absolui.

508 Idem verò esse de periculo amentiæ, ac de periculo mortis ex *Zambrano* aduertit *Sanchez n. 2. Leander tract. 5. disp. 12. q. 69.* Tum quia amentia æquiualet morti. Tum quia in periculo amentiæ vrget præceptum confessionis, quo vrgente pœnitens est in statu necessitatis, vt possit etiam à simplici Sacerdote audiri, & absolui, supradictis seruatis.

509 Ex dictis autem colligitur non quamlibet prægnantem, vt voluit *Syluest. v. absolutio 1. §. 10.* esse in periculo mortis tali vt possit à simplici Sacerdote absolui, quòd & probabile iudicauit, *Hurtado de Mendoza*, & tenet *Petrus Belochius* apud *Dianam p. 5. tr. 3. dub. 63.* vbi ille eam sententiam non sequitur, sed tamen tenet, quòd vt plurimùm quæ primò pariunt censendæ sint in periculo proximo mortis. Nam hæc deficiunt ex eo, quia valde rarum est, quòd parientes moriantur ex partu, ideò tunc prægnantes ea facultate vti possunt, cum difficiles & valde periculosos partus solent habere, vt explicarunt idem *Sylu. v. interdictum 6. q. 7. par. 4. Couar. vbi supra §. 3. num. 2. Sanchez n. 4.* sine vt supra dictum fuit, vbi vel ex temperamento mulieris, vel ex qualitate anni, vel ex alia causa accedente causa periculum imminere sit rationabile. Et idem dicitur contra *Emmanuelem Sà v. absolutio num. 1.* de damnatis ad triremes, quia nec sunt in proximo periculo mortis, nec desunt in triremibus Cōfessarij, qui insurgente proximo periculo confessiones audiant. Et sæpe triremes ad portus accedunt in quibus Confessariorum est copia. *Sanch. d. n. 4.*

d.n.4.Trullench.in Bulla Cruciata l.1.§.7. cap.2. d.8. a.5. *Diana p.5.tr.3.ref.62.* Quando tamen assumitur periculosa nauigatio, vel nauale bellum, considerandum est ex *Hurtado de Mendoza vbi supra* §.126. quòd nō est tutum expectare actualem procellam, vel actuale certamen, quia cū Confessarij sint pauci, & pœnitentes multi, & in ijs casibus remigantes postpona sit solitum, ideo sæpius tunc nec fiunt confessiones integræ, & melius est anticipare. Et nihilominùs vlteriùs attendi debet, quòd periculū incipit à die incœptæ periculosæ nauigationis, & eò magis, quòd non sit spes, quòd adesse debeat alia copia Confessariorum, quam sint illi, qui in triremibus sunt. De damnatis autem ad mortem, non dubito quin sint in articulo mortis, sed non est tam facilè, quòd quantùm ad illos desit copia Confessarij legitimi. Quod eniam bannitus, qui potest vbique occidi sit in articulo, seu periculo mortis ex *Naldo, Florano, & Bellochio* tradit *Diana d.p.5.tr.3. ref.64.*

510 Interrogo autem tertiò. An Sacerdos simplex in articulo mortis possit absoluere ab omnibus casibus, & ab omnibus censuris? Ab omnibus casibus absoluere potest, quia immò in eò casu non potest dari absolutio dimidiata absoluendo à quibusdam peccatis, & non ab omnibus. Potitur enim hac absoluendi facultate pro salute pœnitentis, & vt iustificetur, quod non fit nisi per absolutionem ab omnibus peccatis. Sed quantùm ad cēsuras ab illis solis Sacerdos simplex potest absoluere in articulo mortis, quæ obstant Sacramentis Ecclesiasticis recipiendis, & sepulturæ Ecclesiasticæ, ideo non potest sic Sacerdos dispensare in irregularitatibus, vel absoluere a suspensione ab Ordine officio, vel beneficio, sed ab omni ea censura, quæ impedit Sacramentorum susceptionem, aut Ecclesiasticam sepulturam. In ordine enim ad salutem animarum pœnitentis, & vt sepeliri possit inter fideles in Ecclesiastica sepultura, datur facultas illa absoluendi à censuris Papæ reseruatis.

511 An autem in articulo mortis simplex Clericus, immò & laicus, in defectu Sacerdotis possit absoluere à censuris ad hunc saltem effectū vt moriens non priuetur Ecclesiastica sepultura, res est incerta, & potiùs speculatiuè, quàm practicè disputabilis quàmuis quamplures affirment. Et videri possunt *D.Anton.3.p.tit.17.cap.4.§.casu 7.Suares tom.5.disp.7.sect.7.num.6.Sanchez lib.2.in Decal. cap.13.n.13.Card. de Lugo disp.18.num.6. Diana p.5. tr.9.ref.7.& tr.3.ref.77.& p.3.tr.4.ref.133. p.8. tr.7. ref.79.Coron.lib.1.contr.7.a.182.* Rem hanc nunquā ad praxim reductam credo, & participatio suffragiorum aut Ecclesiasticæ sepulturæ non est necessaria ad salutem, vnde non militat ratio necessitatis salutis, ob quam præcipuè iam concedunt facultatem absoluendi in articulo mortis; vnde dicendū est, clericum, & multò minùs laicum non habere hanc facultatem absoluendi à censuris.

512 Interrogo quartò, quando censendum sit non adesse copiam superioris vt possit inferior & simplex Sacerdos absoluere? Aliqui existimant tunc adesse copiam Superioris, si vel ipse est præsens, vel potest aduocari, vel per literas, aut aliquē mediatorem eius facultas obtineatur. *Zambr. d.c.4. dub.4.nu.15.& dub.6. n.4.* Alij econtra tunc solùm dicunt non adesse copiā superioris, si ille nō sit præsens, vel pœnitens non possit illum adire, vel illum commodè accersere. Tunc vero est dicendū, quòd pœnitens non possit commodè accersere, quando superior vel vocatus non veniet, vel vocari non potest sine pœnitentis nota. *Diana.p.5.tr.3. ref.65. ex Florono, & Bellochio. Sanchez d.cap.13. nu.14.* & apud eum *Valent.& Azor.* & probat ex cap. *Quāuis de sent. excommunicationis*. Credo, quod huiusmodi pœnitens non teneatur mittere procuratorē, si ipse superiorem adire non potest. *Nauar. c.27. nu.90. Sayro in thesauro casuum tom.1.lib.2. cap.16. num.13.& alij* apud *Sanchez vbi supra*; Non enim tenetur peccatum suum manifestare. Verùm si Sacerdos ipse possit adire superiorem & ab eo facultatem absoluendi accipere, non est vnde velit absoluere facultate non petita, in hoc enim non est periculū manifestationis peccati. Nèc obstat, quòd ex Sanchez habet *Hurtado de Mendoza volum. 1. de fide, disp.84.sect.8.§.125. & ex eo Diana p.5.tract.3. ref.61. & ref.65.* nimirum quòd hoc onus adeundi superiorem non est confessarij, & ideò non obligādum confessarium ad illud onus quod est pœnitentis, qui si per se ipsum non possit adire superiorem, est iam verè impeditus; quia dicitur, quòd nequit dici impeditus, qui medio Confessario & seruato sigillo potest superiorem adire. Et cū ex *Diana* instatur, quia occasio ruinæ pœnitentium est etiam ex eo, quòd pœnitētes redduntur se difficiles in adeundo superiorem, Ecclesia verò voluit omnem difficultatem auferre. Dicitur quod immò ex hoc apertè constat Ecclesiam non attendere ad hanc difficultatem, quia obligat huiusmodi absolutos, vt adeāt superiorem si conualuerint. Et Ecclesia pia mater, sed prudens, & iusta, attendit difficultates contra voluntatem necessitantes, & ideò permittit absolui in casu mortis eum, qui superioris copiam non habet, sed ob difficultates voluntarias, quas vincere in potestate pœnitentis est, non vult dare facultatem absolutionis, quia tales non constituunt casum necessitatis. Bene admitto non esse necessarium adire superiorem per literas, quia huiusmodi remedium non est secretum nec proportionatum Sacramento pœnitentiæ, vnde non potest quis sua peccata confiteri per literas. Maius dubiū est, an tunc pœnitens, teneatur accipere Bullam; sed non teneri dicunt *Sanchez d. num.14. Palaus d. p.3.§.5.num.* quia non tenentur accipere priuilegium, sed possunt vti iure cōmuni: si tamen bullam iam accepit, vnde iam vi illius potest absolui debet pœnitens, si potest adhibere Confessarium, qui virtute Bullæ illum absoluat, ab ijs, ad quæ vis bullæ se extendit: quia iam priuilegium sumpsit, & habet, & virtute eius absolui potest. Sed ego credo quòd teneatur accipere bullam, si non habet aliud remedium, qui si media susceptione bullæ potest habere, qua illum absoluat simpliciter, non est in necessitate vt debeat absolui ad reincidentiam, ab eo, qui aliàs facultatem absoluendi non habet.

513 Interrogo quintò, an vbi simplex Sacerdos, vel non habens ad reseruata facultatē incœperit audire confessionem, si superueniat confessione non finita superior, vel legitimus Confessor, qui incœpit possit confessionem perficere, & pœnitentem absoluere? Considerandum est in præsenti, quod Confessarius non legitimus, vt explicatur

magis

magis infra non potest pœnitentem absoluere à reseruatis censuris nisi ad reincidentiam. Igitur vbi pœnitens habet censuram reseruatam, si ante absolutionem adueniat superior ab ea priùs debet absolui, quàm à Confessario illo absoluatur à peccatis. Tum quia tunc superior adest, qui potest absoluere, & irrationabile est, quòd in eius præsentia absoluatur ab alio, si à censura nequit absoluere nisi cum obligatione se præsentandi superiori, post absolutionem, cum iam sit præsens superior, qui absoluere valeat. Sed quid dicendum, si superior nolit absoluere, nisi audita tota confessione? Tunc pœnitentem posse absolui ab illo Sacerdote, qui confessionem audire inceperat tenet *Sanchez d. cap. 13. num. 15.* quia superior quicumq; Papa inferior non potest iurisdictionem ab eo Cõfessario acquisitam ex quo incepit illius pœnitentis audire confessiones, reuocare. Sed quid si adueniat non superior, sed Confessarius, qui ex delegata sibi facultate potest absoluere? Si iste non potest absoluere nisi audita confessione; quoniam alias pœnitens debet absolui à censura priusquam absoluatur à peccatis, nec habet locum absolutio ad reincidentiam, vbi est, qui potest absolutè absoluere, ideo dicendum est, quòd in eo casu, sicut & proximè posito, pœnitens tenetur integrè legitimo superiori, aut Confessario integrè confiteri. Quoniam nec rationi est conforme, nec præsumi potest, quòd Papa voluerit concedere alicui facultatem absoluendi pœnitentes ad reincidentiam, præsente ante absolutionem superiore, aut legitimo Confessario. Nec obstat, si dicatur, quòd Cõfessarius ex quo in articulo mortis incępit audire confessionem alicuius, acquisiuit iurisdictionem absolutam absoluendi. Nam in casu absolutionis à censura nõ habet iurisdictionem absoluendi nisi ad reincidentiam, & ideo solùm si tẽpore opportunò nullus adueniat, qui possit absolutè absoluere, tunc habet locum absolutio ad reincidentiam, quæ ex natura sua non est nisi remedium extremæ necessitatis, non habens locum nisi vbi simpliciter deest copia superioris, vel alterius legitimi Confessoris. Sed in casibus in quibus absoluens in articulo mortis potest absoluere, absq; eo quòd absolutus teneatur præsentare se superiori, si cõualuerit, posset admitti regula illa, quòd scilicet *arg. ex cap. Gratum, & cap. Relatum de off. delegati* etiam in foro interiori, re non integra, seu iam incepto negotio iurisdictio delegata non expiret, & sic quòd Sacerdos, qui confessionem eius, qui est in periculo mortis cępit audire iam acquisierit iurisdictionem, quam minimè perdit adueniente superiore, & ideo potest ceptam confessionem perficere *Palud. 4. d. 17. q. 4. a. 3. concl. 7. n. 25. D. Anton. p. 3. tit. 17. cap. 9. fin. Zambran.* quem sequitur *Sanchez d. c. 13. num. 15. & multis citatis Diana p. 5. tract. 3. resol. 66.*

514 Et verè valde durum est, quòd pœnitens teneatur duobus confiteri peccata sua. Sed & addo, quòd potestas absoluendi in articulo mortis, seu tunc cum ex vna parte ex periculo mortis vrget necessitas confessionis ex vi diuini præcepti, & ex alia non adest copia superioris, vel alterius legitimi Confessoris, ex iure diuino habet Confessarius facultatem iurisdictionis absoluendi, quia fidelibus habentibus ius religiosum ad Sacramenta, non potest Ecclesia impedire, ne Sacramenta in casu necessitatis administrentur, vt habet *D. Thom. 4. dist. 19. quæst. 20. art. 3. quæst. 1. in fine* ibi. *Nisi in necessitatis articulo, vbi nulli Sacramenta sunt deneganda.* Et ideò quando hæc duo coniunguntur, scilicet articulus necessitatis confessionis, & minister vnicus, non potest impediri fidelis, quin ab eo tunc vnico Pœnitentiæ Sacramentum sibi ministretur. Et quod dicitur, & est verissimũ, quòd scilicet potestas iurisdictionis in Ecclesia à Pontifice ad alios deriuat, illisque communicatur, non obstat, ex eo quia vbi loquimur de potestate absoluendi, quam sacerdos obtinet ex vi suæ ordinationis, hæc potestas quatenus est iurisdictionis, dicitur esse & est à Pontifice, quia exercitium absoluendi est illi subordinatum, & nõ nisi ex eius obedientia, & determinatione assumẽdum & ideo potestas veluti proxima, quæ iurisdictio dicitur est illi à Põtifice. Interim tamẽ Sacerdos, qui ex vi suæ ordinationis à Christo habet potestatem absoluendi, quam dicũt Ordinis in articulo mortis ex vi diuinę legis obtinet ab Ecclesia ius exercitij dictę potestatis; quia Christus baptizatis cõtulit ius ad Sacramẽta, quæ Ecclesia illis dispositis negare minimè potest, & ideo ex vi diuinæ legis tenetur Papa fidelibus prouidere de ministris, qui Sacramenta distribuant, & vbi nullus sit ab eo vel suis ministris specialiter deputatus, tenetur dare & dedit, ius, & facultatem vt Sacerdos quilibet ea potestate vtatur quam ad fidelium profectũ, ex Christi institutione suscepit in sui ordinatione. Et sic Sacerdos in eo casu, ex authoritate delegata, quàm ex Christi institutione cõcessit Ecclesia cõfessiones audit eius qui est in articulo mortis. Vnde cum cępit iam audire, satis verisimile est, quòd simul possit perficere, & pœnitentem absoluere.

515 Interrogo sextò, sub qua forma, & conditionibus Sacerdos in articulo mortis absoluere potest à reseruatis? Absolutè autem distinguitur, quia vel moribundus absoluendus est ab excõmunicatione reseruata vel solùm à culpa, seu casu reseruato, si absolutio datur à reseruata excommunic. tenetur Confessarius iniungere pœnitenti, vt si cõualescat seu morbo aut impedimento cessante, cõpareat ante illum, cui excommunicatio est reseruata, vel ad eum, qui extra illum casum necessitatis poterat illum absoluere, quòd si non se præsentabit quàm primum commodè poterit reincidet in eandem excommunicationem, *cap. eos qui. de sent. excommunic. in 6.* Sed si casui reseruato non est annexa excommunicatio id onus non est iniungendum. *Suarez de pœnit. disp. 30. sect. 3. nu. 6. Cordubs Zambranus & aly,* quos sequitur *Sanchez d. l. 2. cap. 13. n. 24. Card. de Lugo disp. 20. a. 28. Vasquez 3. p. q. 93. a. 1. d. 6. n. 15.* Immò quòd in nullius Prælati inferioris Papa potestate sit obligare, vt in articulo mortis nõ absoluatur pœnitens à casibus reseruatis, non habentibus annexam censuram, quia facultas absoluendi in articulo mortis est concessio, & determinatio Ecclesiæ vniuersalis dicit *Card. de Lugo d. disp. 20. n. 211.*

516 Hoc vero tempus commodum intraquod absolutus cumparere debet, non est sumendum rigorosè, ita quòd cessante impedimento statim absolutus arripiat iter, nam hoc moraliter intelligitur, & dato ad se præparandum tempore modico ad arbitrium boni viri. *D. Anton. 3. p. cap. 24. na.*

47.

47. *Syluest.v.excommunicatio* §.5. *Sayro in thesauro lib.3.cap.28.Sanchez vbi supra num.25.* Quod benignè intelligendum docent, ita vt sat sit non adesse negligentiam, & fraudem. Hoc etiam onus est imponendum sub iuramento. Nam licet hoc non exprimatur in *cap.eos, qui. de sent.excommunicat. in sextò*, tamen exponitur in *cap. Quàmuis, & cap. Ea noscitur, de sentent. excommunicat.* Vnde hoc iuramentum semper exigendum esse præterquàm à pueris, dixerunt *Nauar.cap.27.num.89. Corduba,& Rodriq.* quos sequitur *Sanch.n.26.*

517 Si autem non se præsentet absolutus in tẽpore commodo reincidit non in eandem excommunicationem numero, immò nec specie, quia hæc quæ consurgit est ex contumacia non se præsentandi in tempore, sed est excommunicatio similis, quia pariter est reseruata. *Panorm. cap. de cætero in fin. de sentent. excommunic. Suarez de censf. disp.22.sect.1. num.62. Sanch. nu.28.* Neque tamen onus se præsentandi transit ad hæredem, si absolutus moriatur, quia est onus personale, solum in hæredem transit onus restituendi, si ad aliquam restitutionem tenebatur defunctus.

518 An verò hoc onus sit imponendum omni absoluto in articulo mortis? Respondetur nõ debere imponi pueris, vt supra dictum est, nec habentibus impedimentum perpetuum, *Syluest. v. absolutio 4. n.3. Suarez d. disp.22. sect.1. nu.85. Sanchez num.30. Card. de Lugo disp.20. nu.202.* Quod adeo verum est, vt si perpetuò impeditus miraculosè ab impedimento liberetur, non per hoc teneatur se præsentare, etiam si Confessarius ex ignorantia illum obligauerit, & iuramentum exegerit de se præsentando. Quia per illud iuramentum, iurans se obligauit quantùm de iure est, non quantùm ex falsa opinione iudicauit Confessarius. De iure verò non est, quòd perpetuò impeditus se præsentet, & miraculosus euentus eam obligationem non iniungit, sed ille se habet ac si esset perpetuò impeditus. Econtra verò si Confessarius ei cui debet imponere, non imponeret obligationem se præsentandi sub iuramento, nihilominùs ille teneretur se præsentare sub pœna reincidentiæ. Quia ignorantia Cõfessoris nõ eximit ab obligatione, quę est de iure.

519 Sàtisfactio verò partis ab hac obligatione non eximit, neque ratio adæquata ab quam imponitur hoc onus est satisfactio partis, cum imponatur etiam vbi nulla est necessaria partis satisfactio. Sed causa est specialis satisfaciendi modus, & vt Ecclesiæ exhibeatur obedientia, & vt pars satisfactionis ab Ecclesia pro tali delicto impositæ. *Suarez de pœnit.disp.sect.3.n.6.Sanchez d.c.13.nu.20.*

520 Qui etiam absoluuntur virtute bullæ Cruciatæ, vel priuilegiorum ad se præsentandum non tenentur; absoluuntur enim absolutè virtute à Sede Apostolica delegata. *Suarez ibid.* & ex *Medina & Manuel.Sanchez vbi supra num.3.* Immò qui absolutus fuit cum onere se præsentandi, ab eo onere eximitur, si se præsentet accepta bulla alicui Confessario, qui illum absolutè absoluat ex facultate dictæ Bullæ, vel etiam ex priuilegio.

521 Si etiam moribundus, iam sensibus destitutus nullam cautionem dare potest, vel nullum præbere iuramentum, debet sine his absolui, quia ad impossibile nullus tenetur. *Nauar.cap.27.n.47. Sayro lib.3.cap.25.n.4.Sanche vbi supra n.34. Card. de Lugo disp.20. nu.206.* Et nihilominùs si postea infirmus sanetur, tenetur se præsentare *Sanchez cit. Card.de Lugo n.207.*

522 An tandem sufficiat, si absolutus se præsentet medio procuratore, alij affirmant, alij negant. Verùm cum nullus textus ad personalem præsentationem obliget absolutum, nisi in casu excommunicationis ob violentam manuum impositionem in Clericum, *cap. Quod de his, de sent. excomm.* Alias verò is dicitur se præsentare, qui se præsentat per Procuratorem *cap. Episcopus dist.18.* non videtur imponendum onus personalis præsentationis *Sylu. v.excom.8.§.8.q.7. Caiet. v.excommunicatio cap.69.* & ibi *Armilla nu. 59.* Speculator & Archidiaconus, quos sequitur *Sanchez n.33.* Nisi in casu dicti *c. quod de his*, in quo adhuc si adsit causa iusta sufficiet mittere procuratorem. *Sylu. proximè allegatus et Innoc. D. Anton.3. par.tit.24.cap.47. Tabien. ver.excommunicatio 5. casu 40.n.3. Armilla etiam loco citato* addit sat esse se præsentare per literas, nec impugnat *Sanchez*, sed extensio non est tuta, scribere enim non est se præsentare. Econtra autem qui non potest per se ipsum adire superiorem, non tenetur mittere procuratorem.

523 Aliquarum quoque excommunicationum absolutio petit specialem formam. Sic enim vt quis à censuris bullæ cœnæ absoluatur debet præmittere duo, scilicet iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, & cautionem de satisfactione parti præstanda, si satisfactio nequit præmitti. Prima igitur cautio præstatur per iuramentum, & requiritur in absoluendo etiam ab alijs excommunicationibus saltem in criminibus magnis, vt in incendiarijs, & manifestis Clericorum percussoribus, *Caiet.v.absolutio cap.penult. D. Anton. 3.par.tit.24. cap.vlt.§.1. Syluest.ver. absolutio 3. §.3. Suarez de censuris disp. 19. sect.2.nu.40.Sanchez d.cap.13.n.17. Card.de Lugo de pœnit. disp.20. nu.204.* debet verò præstari etiam à mulieribus, non tamen ab impubere, etiam si, qui absoluitur satisfecerit parti. Quàmuis per hoc iuramentum non obligetur iurans per nouam obligationem ad seruanda Ecclesiæ præcepta, sed tantum id, quod ea occasione fuerit ei iniunctum ab Ecclesia, seu ab absoluente. Secunda causa est de satisfaciendo, quæ non petitur, vel quando nihil debetur, vel quando aliàs fuit satisfactum. Et hæc debet esse pignoratia, vel fideiussoria, vel si hoc haberi non possit iuratoria; & præmitti debet omnino actualis satisfactio si potest præmitti.

524 Si verò Confessarius ex ignorantia & malitia cautionem non præmitteret, non per hoc absolutio esset irrita. Nam certè valdè rationabile est, quòd Ecclesia in casu istius necessitatis articuli mortis, noluerit valorem absolutionis periclitari ex negligentia, vel ignorantia Confessarij. *Sanchez vbi supra nu.35. Card. de Lugo n.206.*

525 Si etiam qui absolutus fuit erat excommunicatus non toleratus, si reincidat in excommunicationem est vitandus, si tamen constet de reincidentia. *Card.de Lugo d.disput.216. & 217.* Requirit verò in casu excommunicationis ob percussionem Clerici, quòd reincidentia sit notoria ita vt non possit aliqua tergiuersatione celari. Sed non credo hoc esse necessarium, sed vbi percussio est notoria, quod necessarium est, ad hoc vt percutiens nõ de-

denunciatus sit vitandus, si aliàs constet de absolutione ad reincidentiam, & de reincidentia, vitandus erit, vt dixit *Bonac. de cens. disp. 1. quæst. 3. par. 3. num. 18.*

SVMMARIVM.

1 *Vbi peccatum habet annexam excommun. absolui potest pœnitens à superiore quantum ad excomm. & remitti vt absoluatur a culpa. n. 526.*
2 *Non potest absolui prius a peccato &c. n. 526.*
3 *Superior potest audire pœnitentem quantum ad reseruata tantum ad effectum tollendi reseruationem. n. 527.*
4 *Sic audiens tenetur ad sigillum, n. 527.*
5 *Superior audiens integram confessionem pœnitentis nec licitè, nec validè absoluit eum solummodo a reseruatis. n. 528.*
6 *Quod superior ex necessitate possit audire, & absoluere a solis reseruatis multi tenent. n. 529.*
7 *Hoc non est verum nisi in casu illius necessitatis, ob quam non est necesse quod confessio sit integra materialiter. n. 529.*
8 *Huiusmodi necessitas non habetur per se ex vi reseruationis, n. 529. 530.*
9 *Ex sola vi reseruationis non potest superior audire & absoluere tantum à reseruatis, n. 530.*
10 *Ex eo quod pœnitens nolit explicare peccatum nisi in confessione non oritur necessitas ex qua superior possit absoluere à solis reseruatis. n. 531.*
11 *Ex eo quod superior velit audire personaliter pœnitentem non oritur per se necessitas, ob quam liceat absoluere eum à solis reseruatis. n. 532.*
12 *Neque delegati possunt pœnitentem absoluere à solis reseruatis remittendo eum ad alium, qui illum absoluat. n. 533.*
13 *Hoc absolutè explicatur. n. 534.*
14 *In ijs casibus in quibus superior absoluere potest a solis reseruatis, conficitur verum Sacramentum, & pœnitens non tenetur ea iterum confiteri. numer. 535.*
15 *Conclusio, & resolutio dictarum. n. 536.*
16 *Inferior non potest absoluere a non reseruatis tantum. n. 537.*
17 *Ne pœnitens agro anima recedat si non absoluatur, non est ratio sufficiens, ad hoc, vt absoluatur a non reseruatis, & remittatur pro reseruatis ad superiorem. n. 538.*
18 *Si pœnitens habens reseruata & qui accedit bona fide absoluatur à non habente facultatem ad reseruata est inualida absolutio. n. 538.*
19 *Nunquam D. Th. dixit, quod inferior possit absoluere à non reseruatis remittendo pœnitentem ad superiorem absoluendum à reseruatis. nu. 539.*
20 *Alij DD. explicantur. n. 539.*
21 *In eo casu necessitatis in quo inferior possit absoluere a non reseruatis, tenetur pœnitens etiam confiteri reseruata. n. 540.*
22 *Nisi talis sit necessitatis articulus, vt nec confessio possit fieri integra. n. 540.*

OBSERVATIO DECIMA.

526 Considerandum est decimò, an & quomodo qui habet peccata non reseruata, & reseruata possit diuisim absolui, à Confessario scilicet à non reseruatis, mittendo pœnitentem ad superiorem, vt à reseruatis absoluat, vel econtra absolui à superiore à reseruatis mittendo pœnitentem ad Confessarium, vt ab alijs absoluatur. Quãdo peccatum habet annexam excõmunicationem reseruatam, non est dubium, quod potest pœnitens à superiore absolui ab excommunicatione, & remitti vt à peccatis absoluatur ab inferiore. Quia absolutio ab excommunicatione dari potest etiam extra Sacramentum, & sic excommunicatus à superiore extra Sacramentum potest absolui. Aliàs verò, nisi priùs absoluatur pœnitens ab excommunicatione non potest absolui à peccatis *Caiet. ver. absolut. impedimenta, Nauar. cap. 26. nu. 7. ex Palud. 4. d. 17. q. 1. & in cap. consideret, §. Cantus num. 4. de Pœnit. dist. 5. & post Toletum l. 3. c. 8. n. 3. Fagund. in 2. præcep. l. 8. c. 3. num. 4.* Quia censura priuat participatione sacramentorum: Tum quia censura pertinet ad forum externum, & nisi tollatur hoc ligamen, quàmuis Confessarius velit pœnitentem absoluere nihil faciet, & sacrilegium committet ablata tamen censura, per absolutionem à superiore reseruatio cessabit ex consequenti, & pœnitens absolui à quolibet Sacerdote approbato poterit. Et quia Papa regulariter non reseruat casus nisi habentes annexam excommunicãtionem, ideò hic est stylus Romanæ Curiæ, vt aduertit *Durandus 4. d. 17. q. 15. n. 13.* vt Papa vel eius Delegatus absoluant à censura, qua ablata pœnitens à quocumque Confessario approbato absolui potest. Et de hac praxi intelligi debet *Caiet. ver. Confessionis conditiones, §. Decima.*

527 Loquendo autem de casibus non habentibus annexam excommunicationem reseruatam, vel pœnitens accedit primò ad superiorem vel ad inferiorem non habentem facultatem absoluendi à à reseruatis. Si pœnitẽs accedit primò ad superiorem, non est dubium, quòd superior potest audire sola peccata reseruata non vt ab illis sacramentaliter absoluat, sed vt reseruationem tollat. Et hunc esse celebriorem Ecclesiæ vsuum asserit *Sotus in 4. d. 18. q. 26. a. 5. ad secundum.* An verò hæc cõfessio, sit sacramentalis, affirmatiuè respondetur cum *Sota 4. d. 18. q. 2. ar. 5. & Suarez de pœnit. disp. 31. sec. 1. & 8. Fagund. in præc. l. 8. c. 3. n. 9.* huiusmodi enim confessio est veluti inchoatio confessionis sacramentalis; vnde est quòd superior tenetur ad sigillum, ac si audiret peccatum illud vel peccata ad effectum absoluendi ab eis sacramentaliter, vt citati DD. docent. Qui verò non sunt superiores, sed inferiores, sed habent facultatem ad absoluendũ ab istis casibus solòm delegatam, non possunt hoc modo audire peccata reseruata, ad effectum tollẽdi reseruationem tantùm, quia eis delegatur facultas sacramentaliter absoluendi, non verò facultas tollendi reseruationem. An verò ad hoc vt superior sic audiat confessionem requiratur iusta causa, seu iustum impedimentum? Respondetur, quòd cum reseruatio ordinetur non adhoc vt superior ipse sacramentaliter absoluat, sed ad hoc vt graniora peccata grauiori iudicio subdantur. Secundò vt subditi meliùs corrigi possint. Tertiò vt si aliqua peccata sint Reipublicæ perniciosiora, faciliùs remedium adhiberi possit. Quartò vt homines acriori metu perterriti, ab huiusmodi grauioribus patrandis coerceantur, vt ex *Soto 4. d. 18. q. 2. art. 5.*

art.5, tradit *Fagund.in 2.prac.l.8.cap.1.n.6.* ad huiuſmodi vtilitates conſequendas ſufficit, quòd ſuperior peccata illa cognoſcat ad effectum illa iudicandi, pœnitentias iniungendi, tollendi reſeruationem, & remittendi eum ad Confeſſorem inferiorē à quo ſacramentaliter abſoluatur. Et quia aliàs ſuperiorum occupationes non permittunt, quòd ipſi in audiendis confeſſionibus detineantur, ideo ordinariæ eorum occupationes præbent iuſtum impedimentum ad hoc vt ipſi non cogantur audire reſeruata ad effectū abſoluendi ab eis ſacramentaliter. Et vt bene aduertit *Sotus d.art.5.* Non grauatur pœnitens in hoc quia ex vna parte ſuperior tenetur ad ſigillum, & ex alia criminum grauitas, & nocendi periculum meritò habet adiunctum hoc onus manifeſtandi peccatum etiam ſuperiori, ſi ipſe ratione ductus, id iudicet expedire.

528 Sed loquendo de abſolutione ſacramentali à peccatis plures caſus diſtinguūtur. Vel enim ſuperior audit integram pœnitentis confeſſionem, vel ſola audit, reſeruata. Si audit omnia, quidquid voluerit in contrarium *Io: de Medina C. de confeſſ.* quod ex parte videtur verum *Card. de Lugo diſp. 20. de pœnit. num. 77.* & probabilius iudicat *Leander tract. 5. diſp. 12. q. 28.* dicendum eſt, nec licitè, nec validè poſſe ſuperiorem abſoluere à reſeruatis, non abſoluendo ab omnibus *Caiet. v. abſolutio, Suarez de pœnit. d. 31. ſect. 1. nu. 2. 3. Sotus 4. d. 18. q. 2. a. 5. ad ſecundum.* Quod hoc non liceat ſi confeſſio eſt plenè integra non eſt dubium. Sed quòd non validè fiat, ex eo eſt euidens, quòd vnum peccatum mortale non poteſt remitti ſine alio. Nec gratia ſanctificans poteſt ſecum compati aliquod peccatum, ſed vel omnia ſimul aufert, vel nullum. Et ſi ergo talis ſuperior directè vellet abſoluere ſolùm à reſeruatis peccaret, quia ſuperior debet adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ, quod eſt iuſtificationis, & confert ex ſui inſtitutione primam gratiam, ſecundùm quod natura iuſtificationis petit, & poſtulat dignitas, & quidditas gratiæ ſanctificantis, cui ab intrinſeco repugnat quòd diuiſim peccata remittat. Sed eius intentione non obſtante pœnitens vel à nullo peccato in eo caſu abſolueretur, vel abſolueretur ab omnibus *Fagund. in 2. prac. l. 8. cap. 3. n. 2. & alij apud eum.* Si enim abſoluens intenderet non abſoluere ab alijs, ſed abſoluere tantùm à reſeruatis, à nullo pœnitens eſſet abſolutus, quia abſolutio & iuſtificatio diuiſim nequit dari, & abſolutio illa ex ea intentione data poſſet eſſe ablatio reſeruationis, non tamen abſolutio ſacramentalis à peccatis. Et iniuſtè ſuperior ageret pœnitenti diſpoſito poſt integram confeſſionem negando abſolutionem ab omnibus peccatis confeſſis. Si verò ſuperior auditis omnibus peccatis pœnitentis intendit conficere Sacramentū abſoluit ab omnibus, quia & ipſe ad hoc habet poteſtatem, & pœnitens eſt diſpoſitus. Vnde talis ſuperior vel abſoluit ab omnibus, vel à nullo.

529 In alio autem caſu, quòd ſuperior poſſit non audire totam pœnitentis confeſſionem, ſed ſolùm reſeruata, & ab illis ſacramentaliter abſoluere, ex cauſa tamen graui, & vigente, & ſic remittere pœnitentem à Confeſſario abſoluendum à nō reſeruatis dicunt *Suarez de pœnit. diſp. 31. ſect. 1. n. 6. Card. de Lugo diſp. 20. num. 77. & 78. Layman. lib. 5. tr. 6. cap. 13. nu. 8. Ledeſma p. 1. cap. 20. de pœnit. dub. 4. poſt ſecundam concluſionem. Fagundez p. 2. l. 8. cap. 3. num. 5. Granados, Luyſius, Coninch, Lublinus, Philippus, Bonacina,* quos ſequitur *Leander d. diſp. 12. q. 39.* Dicunt tamen hanc cauſam debere eſſe valde grauem, & non ſufficere illam cōmunem quam Epiſcopi habent in negotijs communibus *Suarez, & Fagundez citati.* Qui etiam addunt rarò contingere poſſe vt detur huiuſmodi cauſa vndequaq; iuſta ad ſic dimidiandam confeſſionē, & hoc eſſe vnum de grauioribus negotijs, quæ ad Epiſcopos ſpectēt, & melius eſſe in his caſibus delegare iuriſdictionem quàm velle partialiter ſacramentaliter audire pœnitentem, & ſic illum directè à ſolis reſeruatis abſoluere.

530 Verùm hæc ſententia quidem procederet, quādo eſſemus in quo confeſſio non integra poſſet eſſe valida etiam ſi peccata non ſint reſeruata, tunc enim quia cōfeſſio eſt integra quantùm poteſt eſſe, poteſt dari abſolutio, quæ tamen detur reſpectu omnium peccatorum & non tantùm reſpectu reſeruatorum. Sed præciſa ea neceſſitate, quæ excuſaret ab integritate confeſſionis etiam ſi nulla peccata eſſent reſeruata, non poteſt dimidiari confeſſio, nec poteſt ſuperior abſoluere ſacramentaliter à reſeruatis tantùm. Nam tunc ſolùm locum habere poteſt huiuſmodi dimidiatio materialis, & non integritas confeſſionis, quando pœnitens eſt in neceſſitate confeſſionis non patiente moram, & non adeſt alius Confeſſarius qui integrè poſſit audire confeſſionē, & ſuperior ipſe eſt in tali ſtatu neceſſitatis, vt integram confeſſionem audire non poſſit ſi enim vel ille, vel alius poteſt integram confeſſionem audire, & pœnitens poteſt integrè confiteri, non poteſt dimediari confeſſio, quia confeſſionis integritas eſt omnino neceſſaria ad valorem confeſſionis ſecundùm *D. Thom.* communiter receptū *4. d. 17. q. 3. art. 4. q. 4. c.* Illis verò poſitis dimediari poteſt confeſſio quia impoſſibile eſt, quòd ſit integra materialiter. Sed tunc merè per accidens eſt quòd peccator habeat peccata reſeruata, quia etiā ſi non haberet, poſſet non integrè confiteri. Immò etiam ſi habeat reſeruata, ſi neceſſitas vrgeret, nec poſſent illa explicari quia longiorem diſcuſſionem exigerent, & neceſſitas tantam moram non pateretur, ſufficeret aliquod aliud peccatum confiteri, & poſſent taceri reſeruata. Igitur ex pura vi reſeruationis non poteſt ſuperior audire tantùm reſeruata, & ab illis Sacramentaliter abſoluere remittendo pœnitentem ab alijs abſoluendum ab inferiore. Ideò rationabilis cauſa dimidiandi confeſſionem non poteſt ſumi ex eo, quòd pœnitens duobus nolit ſuum peccatum confiteri, quia vt dicebatur in hoc non grauatur indebitè, ſed ſibi imputet, qui tale delictum committit quod ſuperioris iudicio ſubijciendū eſſe Eccleſia iudicauit. Et ideo ſi neceſſitas ita non vrget, quin poſſit reſeruatum manifeſtari ſuperiori impedito & ſimul alteri non impedito, & integrè peccata audire, non licet nō integrè confiteri. Pariter nec ſuperior ex ſola ratione illa quòd iudicat neceſſarium audire perſonaliter pœnitentem, poteſt audire & abſoluere tantùm à reſeruatis, ſed ſi eo ſic audiente confeſſio nequit eſſe integra, quæ integra fieri poteſt eo delegante iuriſdictionem, tenetur delegare; quia magis vrget præceptum diuinum de integritate confeſſionis, quàm Eccleſiaſticum de caſuum reſeruatione.

tione. Et ideò per se loquendo non licet superiori ex vi reseruationis casuum absoluere sacramentaliter pœnitentem à reseruatis tantùm, prout bene docuerunt *Sylu. v. confessio 5. q. 19. Victoria in sum. num. 162.* & apud *Suarez vbi supra. Adrian. q. 5. de confess. Cano Relect. de pœnit. p. 5. circa finem. Viguerius cap. 16. §. 4. ver. 77.*

531 Hinc deducitur, quid dicendum in singulari casu, in quo sacerdos habeat casum reseruatū, quem nollit explicare nisi in confessione sacramētali, & ex vna parte superior non possit integrè audire confessionem, & ex alia sacerdos non possit ampliùs expectare propter necessitatem celebrandi. *Card. enim de Lugo num.* 78. hunc casum admittit, & superiorem posse in eo casu absoluere à reseruatis tantùm concedit. Sed non video quænam sit hic necessitas, & cur in præiudicium integritatis confessionis, quæ est de iure diuino, possit pœnitēs nolle explicare speciem peccati superiori nisi ab eo absoluatur in confessione sacramentali, & qualis esse possit talis ac tanta necessitas celebrandi statim, aut communicandi, quæ non admittat integritatem cōfessionis; quod si necessitas sit aliunde ex parte superioris, qui non possit integrè audire, hæc non est necessitas excusans à confessionis integritate, si pœnitens alteri potest integrè confiteri, ideo superior absoluere nec debet, nec potest, sed remittere pœnitentem ad Confessarium, qui illum integrè audiat.

532 Pariter non admittitur alter casus à *Card. de Lugo ibid.* positus si superior iudicaret necessariū personaliter audire reseruatum, quia propter aliquam circumstantiam id valde expediat. Hoc enim posito posset dari causa audiendi, & absoluēdi dimidiata confessione; quàmuis hic casus rarissimè contingere possit. Sed oppositum potiùs asserendum est; necessitas enim audiendi personaliter in confessione peccatum reseruatum, non potest esse talis, ac tanta, quæ sit causa iusta dimidiandi confessionem, cuius integritas est de iure diuino, reseruatio verò est de iure humano.

533 Colligitur quoq; nec ijs Confessarijs, qui absoluunt ex priuilegio licere absoluere à reseruatis dimidiando confessionem & casus metaphysicus est, si ex vna parte supponatur quòd Confessarius non possit audire integram confessionem, & ex alia, quòd nec pœnitens possit aliquantisper expectare, sed vel ad salutem suam, vel ad vitandū scandalum, non possit integrè confessionem facere, Nam si tanta est necessitas pœnitentis, Confessarius omne aliud negotium relinquere potest, & tenetur, vt integrè necessariā tunc confessionem audiat. Et aliàs moraliter non est possibile præcisa infirmitate, aut externo graui periculo belli, vel tempestatis, aut similis, quòd tanta sit angustia temporis pœnitentis, vt non possit, si velit integrè confiteri. Ideo iterum dicitur, in ijs non licere dimidiare confessionem ratione reseruationis, nisi in ijs casibus, in quibus dimidianda esset etiam si nulla peccata essent reseruata.

534 Quia vel impossibile verè est, quòd confessio sit integra, vel non est impossibile. Si non est impossibile, nullo modo licet vel superiori, vel delegato audire sola reseruata, & ab eis absoluere remittendo pœnitentem ad Confessorem alium, quia contra ius diuinum est dare absolutionem sacramentalem supra confessionem non integram, si integra potest haberi. Sed si sumus in casu necessitatis tali in quo confessio non potest esse integra & tamen confessio est necessaria, dico quòd nunquam hic casus potest oriri ex vi reseruationis, & quòd in casu, in quo licet si superior vel delegatus vult audire reseruata confessio non potest esse integra, tamen si ipse velit delegare, confessio habebitur integra, ipse non potest audire, sed tenetur delegare, vt confessio integrè fiat, & pœnitens directè ab omnib. peccatis suis integrè absolui possit. Et sic tunc solùm vel superior, vel delegatus potest sola reseruata audire, & ab eis absoluere, quando aliàs, seu ex alijs circumstantijs adiunctis casus sit talis in quo sit impossibilis confessio integra, & tamen confessio sit necessaria; in quo casu accidet quòd peccata sint reseruata. Quamuis pœnitens tunc si fieri potest teneatur potiùs confiteri habenti facultatem absoluendi à reseruatis. Quoniam melius est absolui ab eo qui habet facultatē absoluendi ab omnibus, quàm ab illo qui potest absoluere solùm ab aliquibus, & hoc est necessarium ex vi etiam integritatis confessionis, & absolutionis.

535 Sequitur modo, quòd quando superior absoluit sacramentaliter, nisi aliàs pœnitens sit indispositus, sit verum Sacramentum; quia tunc cōfessio est integra essentialiter, & quantum fieri potest, & debet. Sequitur secundò, quòd vbi postea qui dimediatè confessus fuit, alteri Confessario cōfiteatur peccata nō confessa sit aliud verum Sacramentum. Sicut cùm qui peccata oblita in priori confessione confitetur, nouum Sacramentum conficitur. Sequitur tertiò pœnitentem qui absolutus fuit sacramentaliter à reseruatis per superiorem, non teneri illa ampliùs confiteri. Hic enim casus locum non habet, nisi confessio dimediata sit sacramentaliter integra, & pro tali habenda sit. Hoc verò dato non est necessitas reiterandi hanc confessionem, sed sufficit alia peccata confiteri. Nam aliàs si dimediatio fuit talis, quòd confessio integra non fuit, & absolutio data propterea non valuit, tota confessio est iteranda, & omnia peccata confitenda. Sequitur quartò, quòd si contingat superiorem non absoluere pœnitentem, sed illum remittat ad alium Confessarium ablata reseruatione, nihilominus illum teneri ad sigillum, sicut tenetur Confessarius, qui audita confessione pœnitentem ob aliquam causam non absoluit. *Card. de Lugo nu.* 84.

536 Concludendo igitur dicitur, quòd superiori licet sacramentaliter absoluere à solis reseruatis, quādo ex vna parte confessio hic & nunc est pœnitenti necessaria, & ex alia parte impossibile est, quòd hic & nunc tam à superiore, quàm ab alio delegato audiatur confessio integra. Et in hoc casu procedunt, quæ supradicta sunt de integritate & valore confessionis, & quòd non sit necessarium iterum peccata reseruata confiteri, quia tunc confessio illa fuit formaliter integra, & pœnitens fuit absolutus ab omnibus peccatis etiam non confessis indirectè. Et tunc sunt duo Sacramenta, illud scilicet in quo pœnitens fuit absolutus à reseruatis, & aliud in quo fuit absolutus ab alijs; & procedūt quæ habent *Sotus 4. d. 18. q. 2. a. 5. ad secundum. Suarez d. disp. 31. sect. 1. num. 10.* Verùm altera ex præ-

dictis conditionibus deficiente, quia vel deest necessitas confessionis in pœnitente hic & nunc & confessio ad aliud tempus potest differri in quo habeatur integra, vel hic & nunc à superiore aut ab aliquo ab eo delegato potest haberi integra confessio, hoc dato nec superior, nec alius potest etiam si velit absoluere sacramentaliter à solis reseruatis, quia est contra ius diuinum, cum tunc confessio non sit integra. Et in casu quò superior absoluat, eius absolutio resoluenda est vt solùm sit ablatio reseruationis. Vnde tunc, nec conficitur Sacramentum, sed inchoatur, & pœnitēs omnia etiam reseruata tenetur confiteri Confessario. Et in hoc casu procedunt, quæ habent *D.Th. 4.d.17.q.3.a.4.q.2.ad secundum Palud. ibid. q.5. Nauar. in cap. consideres, §. Cantus num. 12. & 18. dist. 5. & alij.*

537 Hinc de Confessario non habente facultatem ad reseruata dicitur ex eadem distinctione, quòd non potest absoluere habentem peccata reseruata à non reseruatis, remittendo pœnitentem ad superiorem pro absolutione reseruatorum, nisi simus in casu tali, in quo vt supra explicatum est, aliàs liceat dimediare confessionem, seu non integrè materialiter confiteri. Quia absolutio nequit dimiatè dari, vnde semper pœnitens vel ab omnibus, vel à nullo peccato mortali absoluitur, & iustificatur. Si ergo detur casus talis in quo sufficeret confiteri vnum, vel aliud peccatum, ad hoc vt pœnitens integrè absolueretur, sic posset absolui aliquibus peccatis auditis. Verùm ex parte reseruationis præcisè talis non est dabilis casus, ideo Confessarius non potest absoluere à nō reseruatis, remisso pœnitente ad superiorem pro reseruatorū absolutione.

538 Quòd verò *Layman lib. 5. tr. 9. cap. 12. n. 11.* admittat posse absolui pœnitentem, cum ipse accessit bona fide, existimans se absolui posse, ne ægro animo recedat quia hæc est aliqua necessitas, meritò id minùs placuit *Diana p. 3. tr. 4. resol. 58.* Quæ enim necessitas est, quæ ad dimediandam confessionem sufficiat, ne pœnitēs discedat ægro animo? si hæc valeret, Confessarij nullo habito respectu reseruationis regulariter absoluere possent remittendo absolutum pœnitentem ad superiorem pro absolutione à reseruatis. Sed & quòd sit valida absolutio si pœnitens bona fide reseruata cum non reseruatis confessus, absoluatur etiam malè, ex Amico retulit *Diana p. 6. tract. 6. res. 40.* & probauit postea *p. 9. tr. 9. resol. 29.* & tenet *Caton. lib. 2. contr. 7. num. 161.* quod inquam sic dicitur rationi minimè congruit, non enim est valor absolutionis, vbi deest absoluentis potestas, quia absolutio nequit valida esse nisi totam materiam attingat ex authoritate legitima absoluentis. Et solùm in casu tantæ necessitatis, quæ excuset à materiali integritate confessionis, absolutio data directè ad aliqua, se extendit ad omnia. Quando ergo non licet super materiam non integram pronunciare absolutionē, ex aliqua necessitate ad id vrgente inanis est absolutio data à non habente facultatem absoluendi directè ab omnibus, sed solùm ab aliquibus.

539 Dices communem sententiam DD. affirmare, quòd Confessarius inferior potest audita confessione sacramentali absoluere eum à non reseruatis, mittendo illum ad superiorem, vt à reseruatis absoluat, Sic enim tenuerunt. *D. Th. 4. d. 17. q. 3. a. 4. q. 2. ad secundum. Mir. ad. q. 15. n. 8. Palud. q. 2. Sylu. v. Confessio p. q. 19. Nauar. in cap. consideres, §. cantus nu. 10. de pœnit. dist. 5. D. Anton. 3. p. tit. 14. c. 29. §. 6. Gabriel, Maior, Almainus, Vequerini, Gerson, Petrus de Soto, Henricus, Medina, Angelus* apud *Suar. de pœnit. disp. 31. sect. 2. n. 1. Fagund. in 2. precep. l. 8. c. 3. num. 13.* Verùm quantùm ad *D. Thomam*, hæc sunt eius verba, ibi. *Etiam si Sacerdos non possit de omnibus absoluere, tenetur sibi omnia confiteri, vt quantitatem totius culpæ cognoscat, & de illis de quibus non potest absoluere ad superiorem remittat.* Hìc nihil de absolutione danda à non reseruatis asseritur. Remissio autem ad superiorem potest fieri ab inferiore suspensa interim absolutione à non reseruatis, donec per recursum ad superiorem ablata fuerit reseruatio. Et hic est legitimus Ecclesiæ vsus, & in hoc sensu *Diu. Thom.* loquitur. Alij autem DD. intelligendi sunt absolutè, quia in alicuius necessitatis casu id licet, tunc scilicet, quando articulus necessitatis sit talis qui non patiatur moram, sed pœnitens sit tunc absoluendus. Sed hac necessitate cessante non potest inferior absoluere pœnitentem à non reseruatis, & eum sic absolutum remittere ad superiorem, vt benè tradiderunt *Richardus in 4. d. 17. a. 2. q. 8. ad secundum. Sotus in 4. d. 18. q. 2. a. 5. & Cano* Relec. *de pœnit. p. 5. Ledesm. p. 2. 4. q. 8. a. d. 3.* apud *Suarez d. sec. 2.* vbi oppositum iudicat improbabile & alij, quos sequitur *Bonac. de Sacram. disp. 5. q. 7. q. 5. p. 3. num. 5.*

540 Hinc sequitur, quòd si tanta sit necessitas nō differendæ absolutionis, vt pœnitens absoluendus sit, etiam si peccata reseruata habeat, & ad superiorem recurrere non valeat, quòd tunc pœnitens tenetur ea peccata confiteri Confessario inferiori eum absoluere non valenti, vt dixit *D. Tho. supra citatus*; quia in eo casu, confessio debet esse materialiter integra quantùm fieri potest; & cum etiam à reseruatis absoluendus sit saltem indirectè debet ille quantùm sit ex parte sua illa subijcere clauibus, & manifestare. *Sylu. v. Confessor num. 20. Suarez disp. 31. sect. 2. nu. 1. 4. 6. P. Sota lec. 10. de Confess. Nugnes q. 9.* addit *a. 2. in 2 parte dub. 3. Fagund. lib. 8. c. 3. nu. 12.* Quidquid in contrarium sentiant *Card. de Lugo disp. 14. de Eucharis. à n. 86. Palaus 1. p. tr. 4. disp. 4. p. 3. §. 6. Leander d. disp. 12. q. 33. Coron. l. 2. contr. 4. n. 117.* Quàmuis verò in huiusmodi casibus in quibus vrget necessitas communicandi, & non adest nisi Sacerdos Confessarius approbatus, qui tamen à reseruatis non potest absoluere, multi velint, talem pœnitentem non teneri confiteri, sed cum sola contritione posse communicare, tanquā ei desit copia Confessarij. In alia tamen sententia sustinente talem pœnitentem debere confiteri, dicendum est eum etiam teneri confiteri reseruata, licet ab eis directè absolui non possit, quia absoluendus est ab eis indirectè, vel à nullis, & ideo vt validè absolui possit ea clauibus subijcere debet, vt absoluens statum pœnitentis integrum sciat. Nisi simus in eo casu necessitatis in quo confessio non possit fieri integra.

S V M M A R I V M.

1 *Diuersæ opiniones. num. 541.*

2 *Facultas penes pro absoluendo ab aliqua peccato* non

non se extendit ad commissum post licentiam. num.542.

3 *Nisi superior concedat plusquam petitur: n.542.*

4 *Facultas data cum clausula super præmissis, non se extendit nisi ad præterita. n.543.*

5 *Facultas illimitata concessa intuitu solemnitatis se extendit etiam ad futura commissa ante vsum facultatis. n.544.*

6 *Facultas illimitata concessa non est per se occasio peccandi. n.544.*

7 *Ad hunc modum intelliguntur concessiones factæ à Prælatis Regularibus in aliquibus festiuitatibus, secundum aliquos. n.545.*

8 *Debet attendi forma concessionis. n.546.*

9 *Pluries conceditur hæc facultas cum clausula, de præteritis. n.546.*

10 *Facultas petita & concessa pro auditis & narratis, non se extendit ad commissa post narrationem. n.547.*

11 *Facultas petita, & obtenta pro vno licet à pluribus superioribus nō se extendit vel ad plura peccata, vel ad plures personas. n.548.*

12 *Facultas illimitata data vsque ad certum tempus, se extendit ad commissa antequam dictum tempus terminetur. n.549.*

13 *Facultas data pro hac vice quantum extendatur num.550.*

14 *Facultas extenditur ad commissa in confidentiam nisi expresse limitetur. n.551.*

15 *Facultas absoluendi a casibus Papalibus, se extendit ad censuras. n.522.*

16 *Facultas generalis absoluendi à reseruatis nulla facta mentione casuum extenditur ad censuras. num.552.*

17 *Facultas illimitata absoluendi à casibus se extendit ad censuras. n.553.*

18 *Facultas absoluendi non se extendit ad dispensandum, vel commutandum. n.554.*

19 *Facultas absoluendi à casibus Papalibus non se extendit ad contentos in Bulla Cœnæ, nec facultas absoluendi ab istis se extendit ad hæresim. num.555.*

20 *Facultas absoluendi alicui concessa an possit intelligi tam actiue, quam passiue. n.556.*

21 *Facultas concessa vni an extendatur ad alios, num.557.*

22 *Facultas absoluendi concessa exercitui comprehendit famulos militum. n.557.*

23 *An qui ignorat mortem Episcopi valide absoluat à casibus reseruatis. n.558.*

24 *An valide absoluat, qui sub conditione iurisdictionis absoluit. num.559.*

25 *Et qui putat se posse, licet ex errore id putet, si vere potest. n.559.*

26 *Ignorans priuilegium, si illud habet valide agit. num.559.*

27 *An absoluat a reseruato, qui intendit absoluere a non reseruatis. n.560.*

28 *Licentia obtenta pro vno casu non se extendit ad alium. n.561.*

29 *Facultas absoluendi non se extendit de diœcesi ad diœcesim. nu.562.*

30 *Peregrinus à casu in sua diœcesi reseruato absolui potest cessante fraude ab omni confessario approbato in diœcesi, vbi ille casus non est reseruatus. num.562.*

31 *Id multo magis fieri potest ab habente facultatem ad reseruata. n.563.*

32 *Parochus non habens facultatem ad reseruata, non absoluit pelegrinum à reseruatis in diœcesi. numer 564.*

33 *Parochus suum Parochianum absoluit vbique à non reseruatis in Diœcesi. n.564.*

34 *Regularis facultatem subdelegandi habens potest subdelegare, n.565.*

35 *Delegatus ad vniuersalitatem causarum potest vnam vel alteram causam subdelegare. numer.566.*

36 *Quis sit delegatus ad vniuersitatem causarum. num.567.*

37 *Regularis cui est data facultas casuum non potest subdelegare illam. n.568.*

38 *Quando electa est industria personæ, delegatus non potest subdelegare. n.568.*

39 *Nec quando est commissum nudum ministerium num.568.*

40 *Pœnitentiarius an possit subdelegare facultatem casuum. nu.569.*

41 *Licentia absoluendi à casibus se extendit ad moniales subiectas Episcopo. nu. 570.*

OBSERVATIO VNDECIMA.

542 QVoniam facultas absoluendi à reseruatis delegatur, considerandum est quātùm se extendat facultas absoluēdi à reseruatis alicui concessa? Ex multis capitibus oriri potest in hac parte difficultas, & plures casus distingui possunt. Interrogo autem primò, an qui obtinuit facultatem absoluendi aliquem à reseruatis, vi talis facultatis eum absoluere valeat à peccato reseruato commisso post obtentam dictam facultatem? Multi multa dicunt. Alij simpliciter negant posse absolui. *Azor.p.1. l.5. cap.23.q.2.* alij absolutè affirmant. *Præpositus de pœnit. sacr. quæst.9. de reseru. dub.3.nu.22.* quem sequitur *Diana p.4.tr.4.res.109.* & videtur tenere *Bonacina de leg.disp.1.q.3.p.7.§.1. num.1.* Alij distinguunt: nam si, qui petit & obtinet licentiam est confessarius, potest pœnitens in prædicto casu absolui; secus si qui petijt, & obtinuit licentiam est pœnitens ipse *Vgol.de potest.Epis. cap.36.§.5.* & alij plures, quos sequitur *Barbosa de potest.Episcopi alleg.52.num.9.* Et ratio est, quia in hoc secundo casu daretur occasio peccandi. Distinguit verò idem Barbosa, quia etiam quando Confessarius petit, si confessario fuit concessa licentia pro aliqua persona, potest eam absoluere à reseruatis, quæ post licentiam commisit pro prima vice tantùm. Sed si confessor licentiam petijt vt absolueret aliquem à casibus in quos incidit, nō potest illum absoluere nisi pro præteritis. Alij distinguunt & dicunt, posse pœnitentem absolui ab omnibus eiusdem rationis commissis ante quàm licentia sit accepta à pœnitente, secus post acceptionem illius. Card. de Lugo aliter distinguit: quia vel datur licentia ad absoluendum pro tali peccato, vel datur absolutè facultas eligendi confessarium qui absoluat pro hac vice. Primo modo non extenditur facultas ad post commissa.

Reso-

542 Resolutio difficultatis est, quòd de hoc non potest dari generalis regula certa, sed consideranda est petitio, & concessio, & forma illius cum omnibus circumstantijs. Si enim petitur facultas absoluendi à quodam peccato, sicut tunc petens nec intendit, nec exprimit, se petere facultatem absoluendi à peccato non commisso; sic neque ad id se extendit concessio superioris. Et licet superior possit concedere facultatem magis amplam, quàm petatur, vt si dicat. *Concedo tibi omnem facultatem, vt possis eum absoluere ab omnibus.* In quo casu maneret absoluibile etiam peccatum post dictam concessionem ante absolutionem patratum. Quia per talia verba conceditur facultas absoluendi ab omnibus, quæ Confessario exposita fuerint. Tamen vbi superior non concedit, nisi quod petitur, & petita fuit solùm facultas absoluendi ab aliquo peccato commisso, nec superior magis concedit. Quod eò apertiùs est manifestum, si (prout solet fieri) superior determinet pœnitentiam pro peccato; quæ certè non est proportionata peccato commisso, & comittendo, & pro quo non est expressè petita facultas absoluendi, & de quo superior non indicat, sed solùm de peccato commisso. *Card. de Lugo d. disp 20. num. 122. & ex Bossio Leander trac. 5. disp. 12. q. 46.*

543 Item si facultas absoluendi iuxta morem sacræ Penitentiariæ datur cum clausula *super præmissis*; certum est quòd facultas non se extendit nisi ad commissa & narrata, nisi aliqua alia clausula apponatur, quæ ad committenda extendat facultatem. *Card. de Lugo d. 20. nu. 123.*

544 Sed si non petitur facultas pro peccato aliquo expresso, sed absolutè, superior vel concedit pœnitenti facultatem vt pro hac vice, vel occasione solemnitatis, aut negotij eligat sibi confessarium, qui illum absoluat à reseruatis, vel Confessario ipsi dat facultatem vt occasione solemnitatis, vel negotij peragendi talem, vel tales, vel ad se accedentes ex sibi subditis absoluat à reseruatis, *Card. de Lugo d. disp. 20. sect. 8. num. 124.* existimat hanc licentiam extendi ad omnia commissa ante vsum licentiæ, etiam si facultas sit concessa pœnitenti, etiam si peccata sint commissa nedum post datam licentiam, sed post eius notitiam habitam à pœnitente; quia ex modo loquendi facultas absolutè datur. Nec obstat, quòd huiusmodi licentia possit esse occasio peccandi subdito, quoniam hoc est per accidens, immò & rarum, nec reddit illicitam concessionem facultatis absoluendi. Sic enim nec est illicita concessio Bullæ, quàmuis per eam detur illam accipienti facultas vt absoluatur à pluribus casibus reseruatis si contingat illum eo anno in aliquos eorum incidere. Item in concessione Iubilæi eàdem facultas conceditur ad duas hebdomadas, & qui vult lucrari iubilæum, potest differre confessionem vsque ad finem 2. hebdomadæ. Item Regularibus conceditur facultas absoluendi à pluribus casibus papalibus, nec tamen est mala concessio licet seculares ea abuti possint, faciliùs committentes peccata illa ex quo à confessarijs Regularibus absolui possunt. In ijs enim superior pro meliori bono habet quòd pœnitentes possint liberari omnino à peccatis suis, & ex difficultate absolutionis non incidant in barathrum desperationis, quàm quòd impediatur illa qualiscumque occasio faciliùs peccandi.

545 Et ad hunc modum intelliguntur concessiones absoluendi à reseruatis, quas in certis festiuitatibus tribuunt superiores confessarijs, ita vt intelligantur nedum pro commissis ante datam licentiam; sed etiam de commissis ante vsum licentiæ datæ, etiam si post notitiam licentiæ commissa sint. *Card. de Lugo d. num. 124. & ex Bardono Coton. l. 2. contr. 7. nu. 157.* qui tamen hoc explicat de commissis ante electionem confessarij. Sed de hoc infra.

546 Verùm & in his, & similibus casibus, & semper forma verborum concessionis attendi debet; vt ex Bardono habet *Moron. d. contr. 7. nu 156.* Nam & pluries ego vidi practicari, quod in solemnitatibus concederetur facultas huiusmodi, cum expressa declaratione, quòd intelligeretur solùm de culpis commissis, seu de præterito, non vero de committendis. Et sic etiam maximè attendi debet praxis, & consuetudo interpretandi dictas concessiones, si alicubi vigeat.

547 Bene etiam aduertendum, quòd vbi confessarius petit facultatē absoluendi à peccatis, quæ commissa narrantur, & superior concedit prout petitur, licentia hæc nedum non extēditur ad commissa post concessionem, sed neque ad commissa post petitionem, seu post confessionem factam confessario, ex qua motus fuit, vt peteret facultatem absoluendi, quia confessarius non petit nisi pro auditis à se, & confessis tanquam commissis, & superior non concedit nisi pro petitis. Ideo si post confessionem, vel manifestationem sui peccati factam confessario, dum interim confessor accedit ad superiorem, vt petat facultatem absoluendi, pœnitens committit alia reseruata peccata facultas à Confessario obtenta non se extendit ad ista; quia nec confessarius pro illis petijt, nec superior pro illis dedit absoluendi facultatem. Vnde cautiùs agerent confessarij si peterent facultatem absoluendi ab omnibus commissis vsque ad illud tempus, vel ab omnibus quæ inuenerint fuisse commissa tempore absolutionis dandæ, & perficiendæ confessionis pœnitentis.

548 Si autem confessarius facultatem absoluēdi à peccato reseruato pro aliquo petat à duobus superioribus, non per hoc potest pœnitentem absoluere à pluribus peccatis etiam eiusdem rationis reseruatis, quia pro vno petijt, & pro illo, & non pro aliquo alio facultatem obtinuit. Et idem dicendum est, si pœnitens ab vno superiore, & confessor ab alio hanc facultatem obtineat. Nunquam enim est petita absoluendi facultas nisi pro casu determinato in intentione petentis, & in intentione concedentium, & ideo facultas ad alia non se extendit.

549 Sed est considerandum, quòd quando datur facultas absoluendi, vel à superiore datur ad certum tempus, vel sine temporis præfinitione. Nam cum v. g. datur vt subditi communicent in aliqua solemnitate, facultas durat, vsquequo est tempus communicandi in die illius solemnitatis. In meo Ordine solent superiores hoc tempus determinare, v. g. vsque ad horam in qua fuerit cantata solemnis missa. Et tunc hoc dato, facultas se extendit ad commissa nedum ante electionem confessarij, vt dixit supra Moronus, sed vsque ad illam

horam,

horam, etiam si pœnitens priùs fuerit confessus, & post absolutionem obtentam inciderit in casum reseruatum; Nam vbi facultas data vsque ad illam horam non sit limitata vt valeat solùm de præteritis, & commissis ante datam licentiam, illa se extendit ad totum illud tempus pro quo concessa fuit, & sic se extendit vsque ad horam cantatæ missæ, vt subditus possit in illo die communicare nulla impediente reseruatione.

550 Sed vbi à superiore non est determinatum tempus durationis *facultatis* concessæ, sed superior concedit facultatem absoluendi aliquem pro vna vice, vel pro hac vice; vel semel, quantùm tempus durare intelligenda est data facultas? Respondetur quòd vbi post obtentam facultatem nō sit commissum aliquod reseruatum, & sic pœnitens sit absoluendus à iam commissis antea, *Card. de Lugo d. disp.20.num.127.* putat hoc tempus extendi ad annos duos, tres, & plures, tunc enim verba illa *pro hac vice* verificantur ex identitate materiæ. Ideo dicitur quòd per se verificantur, & extenduntur vsque ad tempus primæ confessionis, quæ habebitur post illam facultatem obtentam, & absolutio tunc data erit illius vicis, pro qua data est facultas absoluendi. Et nisi aliud exprimatur, concedens facultatem nō obligat pœnitentem ad hoc, vt statim, vel ad tantum tempus vtatur licentia, nisi aliunde colligatur mentem concedentis esse, vt concessio valeat vsque ad certum tempus. Sed quæreans prætendatur, quòd hæc licentia se extendat etiam ad commissa post obtentam licentiam, sic quoniam hæc vices non potest esse determinata ratione materiæ certæ, intelligi debet determinata ratione temporis, vt pro hac vice sit idem, quod pro vice huius confessionis de præsenti habendæ, & sic requiritur quod confessio fiat in tempore quod moraliter dici debeat præsens, nec potest talis facultas ad longius tempus extendi, vt valeat pro commissis in tempore, quod non sit, & dici possit præsens tempus. Putat verò *Card. de Lugo d.20.num.126.* quòd quando à Pœnitentiaria petitur facultas eligendi confessarium, & obtinetur pro hac vice, quòd hoc tempus possit esse longius. Sed rei circumstantiæ attendi debent, nec debet negotium protrahi. Et certè non valebit facultas pro peccatis commissis post tantum tempus à die obtentæ licentiæ, in quo non possit verificari, quòd confessio facta fuerit, & absolutio data pro hac vice. Ideo ad huiusmodi ambiguitates tollendas securiùs dicitur, quòd vbi superior non exprimit tempus ad quod se extendat licentia absoluendi, illa non intelligatur data nisi pro commissis ante licentiam.

551 Tandem ad huius puncti completam intelligentiam aduertendum, quòd licet *Couar. l 2. var.c.2.num.16.* & apud *Card. de Lugo Acosta in explicat. Bulla Cruciata q.33. & Lubli, Iuuan Lupinus in cap. per vestras de donat.* inter virum & Vxor. apud Leandrum existiment licentiam absoluendi à reseruatis datam virtute bullæ, aut Iubilæi, aut à superiore non se extendere ad commissa in confidentiam talis licentiæ, aut facultatis, tamen oppositum est verum, vbi non adsit expressè hæc limitatio, quæ aliàs non debet præsumi, nec intelligi. Neque enim ex eo quòd ex confidentia facilioris absolutionis homo peccat, sequitur quòd tali debeat tolli facilitas remedij, quam nec aufert Christus ex eo quòd homines faciliùs sinunt se duci à concupiscentijs ad peccatum, quia adest remedium sacramenti pœnitētiæ mundantis à peccatis. Nam & aliàs si concessio facultatis absoluendi à reseruatis intelligi deberet vt nō extēderetur ad patrata in confidentiam talis facultatis, non deessent conscientiarum scrupuli, & anxietas; cum non sit dubium quin, si non daretur peccatorum pœnitentia, & remissio multò rariùs peccatores peccarent. Extenditur igitur facultas absoluendi à reseruatis, etiam ad commissa in confidentiam, nisi expressè illa excipiantur. *Sanchez l 4. in decal.c.54. num.18. Ledesma de pœnit.cap.13.d.10.disp.20.n.130.* & apud eum *Villalobos Filliuc. & Sanctarellus. Suarez t.2. de Relig. lib.6. de voto. c.13. ex Syluestr. v. indulgentia q.10. alias 11. Bonac. in præcep. disp.4.q.2. p.7.§.3.num.12. Lublinus, Bossius* & alij quos sequitur *Leander d.disp.12.q.48.*

552 Interrogo autem secundò sub quibus terminis censeatur concedi facultas absoluendi à reseruatis? Est verò circa hoc considerandum primò, quòd Episcopus ex quo dicit se concedere alicui suam facultatem totam, non per hoc intelligitur concedere facultatem ad absoluendum à reseruatis. Quia in generali concessione non veniunt specialiter concedenda. *Nauar. cap.27.nu.261. & ex Zerb. Gambar. Barbosa Moron. Resol.19.num.10.* Quod tamen limitat Nauar. & explicat, dicens concedi casus reseruatos, quando Episcopus dicat, quòd concedit omnes suos casus, quia iuxta communem loquendi consuetudinem, quæ attendi debet. *cap. ex literis. de sponsal. & l. librorum §. quod tamen Cassius ff. de leg.3.* per suos casus peccata illi reseruata intelliguntur. Item idem dicendum, si Episcopus concedat omnem suam facultatem excepto tali casu reseruato. Item, vt addit Moron. si concedat omnem suam facultatem circa reseruata, vel si concedat omnem facultatem personæ, cui non deest, nisi facultas ad reseruata. Et tandem in foro conscientiæ, ait Nauar. quando apparet ex circumstantijs intentionem Episcopi fuisse, concedere facultatem ad reseruata. Potest verò secundò esse difficultas, an si Episcopus priùs alicui cōcessit illimitatā facultatem ad reseruata, & postea concessionis oblitus cōcedat eandem facultatē limitate priorem censeatur reuocare, respondetur, quòd per se concessio limitata posterior non est prioris illimitatæ reuocatio, nisi id ex circumstantijs colligatur, vel superior ex notitia prioris illimitatæ concessionis posteriorem limitatam addat. Tunc enim secundò concedit, non vt concedat, quia priùs concessit, sed vt priorem illimitatam concessionem restringat. An sub facultate absoluēdi à casibus intelligatur facultas absoluendi à censuris? De casibus papalibus loquendo, sine difficultate est sub nomine casuum venire censuras, quia isti casus reseruati sunt principaliter ratione censuræ, & sic Papa concedens facultatem absoluendi à casibus papalibus concedit facultatem absoluendi etiam à censuris, sine quarum absolutione nequit pœnitens absolui à peccatis. Prælati quoque inferiores si sine limitatione delegent suam authoritatem, vt si superior dicat do tibi totam meam authoritatem ad absoluendum à reseruatis: Et do tibi facultatē absoluendi ab omnibus à quibus ego possum absolue-

ſoluere; vel do tibi facultatem abſoluendi ab omnibus reſeruatis, cenſentur dare authoritatem abſoluendi à cenſuris, quia huiuſmodi formæ generales vniuerſales ſunt, nec eſt vnde reſtringi dicantur ad caſus non ad cenſuras, quia eſſe reſeruatum eſt quid commune tam caſibus, quàm cenſuris; neque in illis formis loquendi fit vlla mentio caſuum; ſed ſolùm fit mentio reſeruatorum à quibus omnibus abſoluendi facultas conceditur.

553 Sed quod etiam ſub nomine caſus reſeruati, veniant cenſuræ ſatis probabile putat. *Lezana v. caſus reſeruati, num. 26. ex Suarez. de cenſ. diſp. 7. ſec. 4. num. 13. & Portell. v. caſus reſeruati num. 4.* & propterea quòd ſub facultate abſoluendi à caſibus reſeruatis comprehendatur facultas absoluendi à cenſuris, niſi oppoſitum ex circumſtantijs colligatur. Tum quia etiam cenſuræ veniunt ſub nomine caſus etiam ſi ſint pœnæ, quia abſolutione tolluntur: & communi modo ſicut aliquis dicitur cadere in peccatum, ſic dicitur cadere in cenſuram. Tum ſecundò quia in *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 6.* vbi Epiſcopis conceditur facultas abſoluendi à caſibus papalibus occultis, ſub hac conceſſione ex communi ſententia intelligantur cenſuræ. Nec obſtat ſi dicatur, hoc eſſe peculiare in caſibus papalibus, quibus regulariter ſemper eſt annexa cenſura, quoniam ex illo loco ſufficit quòd deducatur, quòd ſub nomine caſus, veniunt etiam cenſuræ. Nihilominùs latis communis ſententia multorum eſt, vt ſub facultate abſoluendi a caſibus Epiſcopo aut ſimili Prælato reſeruatis, non veniat facultas abſoluendi à cenſuris. *Nau. c. 27. nu. 261. Graff. lib. 5. c. 13. num. 63.* Et hoc idem ſenſerunt, qui ex hoc principio fuerunt moti vt dicerent, quòd ex vi decreti Clem. VIII. ſupra recenſiti Regulares non eſſent prohibiti abſoluere à cenſuris reſeruatis Epiſcopo, quia Clemens VIII. solùm prohibuit Regulares abſoluere à caſibus quos ſibi Epiſcopi reſeruant, quæ opinio cum apud multos præualeret Sacr. Congreg. ſub Paulo Quinto iudicauit opportunum expreſsè prohibere, ne Regulares abſoluerent à cenſuris Epiſcopo reſeruatis. Sed vt verum fatear ſicut ſemper intellexi, quòd in decreto Clement. VIII. ſub nomine caſuum venirent etiam cēſuræ, & quòd Regulares etiam ex vi decreti Clement. VIII. non poſſent abſoluere à cenſuris Epiſcopo reſeruatis, ſic multò magis in conceſſione caſuum reſeruatorum intelligo concedi cenſuras. Quando enim Epiſcopus illimitatè concedit facultatem & authoritatem ſuam ad abſoluendum à caſibus ſibi reſeruatis, ſimul dat facultatem auferendi obſtaculum cuiuſcumque peccati obſtantis ne pœnitentes ſuo Deo ſint vniti per gratiam; ergo dat facultatem abſoluendi à quacumque cenſura ſibi reſeruata; quia ſine abſolutione à cenſura non poteſt haberi abſolutio peccatorum, ſicut ergo non poteſt eſſe reſeruata cenſura, quin ſit reſeruata culpa ob quam cenſura incurritur, ita non poteſt dari facultas abſoluendi ab omnibus peccatis, quin detur facultas abſoluendi à cenſuris ob peccata incurſis, & ſine quarum abſolutione non poteſt obtineri abſolutio à peccatis.

554 Hoc tamen ſine dubio affirmandum eſt, quòd ſub facultate abſoluendi non venit facultas, vel diſpenſandi, vel commutandi. Et ideo nec ex vi facultatis abſoluendi à reſeruatis habetur facultas diſpenſandi in irregularitatibus, aut commutandi vota, valde enim diſtinguuntur abſoluere, quod eſt agere ſecundùm ius, & diſpenſare, quòd non ſit, ſine aliquo veluti vulnere legis, & commutare, quod eſt de vna ad aliam materiam legis obligationem transferre.

555 Pariter cui conceditur facultas abſoluendi à reſeruatis Papæ, non per hoc conceditur facultas abſoluendi a caſibus Bullæ Cœnæ, quia iſti ſpecialem expreſſionem exigunt. *Suarez de Conſ. diſp. 21. ſec. 3. num. 3. Ricc. in praxi aurea reſ. 333. Lezana vbi ſupra num. 28.* Nec cui conceditur facultas à caſibus Bullæ Cœnæ, intelligitur conceſſa facultas abſoluendi ab hæreſi. *Azor. p. 1. l. 8. cap. 10. q. 12. Lezana d. num. 28.*

556 An verò facultas abſoluendi petita & obtenta ſub hac forma, *dà mihi facultatem talium caſuum reſeruatorum* intelligi poſſit de facultate tam actiua, quàm paſſiua, ita quòd obtinens illam, ſi ſit ſacerdos, qui obtinet illam poſſit abſolui, & abſoluere alios. Aliqui abſolutè affirmant, quòd quando petitur à ſuperiore authoritas pro aliquo ſubdito ſuo pro vna vice, in hac petitione includatur ipſe qui petit, & ita quòd poſſit ille abſolui virtute dictæ licentiæ. Ita *Alphonſus de Leon. de off. & poteſ Confeſ. tom. 2. recollet. 6. num. 131. apud Card. de Lugo.* Alij diſtinguunt formas petendi, & ſi quis dicat: *Eſt quædam perſona, quæ indiget veſtra authoritate, placet ne vobis illam mihi dare?* dicunt in ea includi petentem, non includi verò, ſi dicatur: *Rogo te, vt des mihi tuam facultatem pro vna perſona.* Ita *Diana p. 2. tr. 4. de ſacram. reſol. 142.* & apud eum *Floronus. Cardinalis autem de Lugo diſput. 20. ſec. 8. nu. 119.* dicit in hoc caſu attendendam eſſe intentionem concedentis, & conſuetudinem: Nam in Societate nunquam ſuperior per ſimiles formas loquendi intendit comprehendere petentem, quia ſemper concedere ſolet facultatem determinando perſonam, cui abſolutionem committit: quare quando concedit facultatem petenti, concedit illi ſoli facultatem abſoluendi & cum ipſe non poſſit abſoluere ſe ipſum, non intelligitur ipſe incluſus in ipſa facultate. Quando tamen licentia peteretur pro aliquo ſubdito, vt poſſit ſibi eligere confeſſarium, v. g. dicendo: *Vnus ſubditus indiget facultate veſtra pro vna vice, vt faciat ſe abſolui ab aliquo confeſſario;* tunc ſub hac conceſſione poſſet comprehendi ſacerdos petens, niſi ex alijs circumſtantijs excludatur. Et ſic ſi quis à S. Pœnitentiaria peteret facultatem pro vno indigente ad faciēdum ſe abſolui, ſub ea comprehenderetur etiam petens. Similiter *Villalobos tom. 1. tr. 9. diff. 64. nu. 4.* refert de ſuo Ordine, quòd quando ſuperior concedit alicui ſuam authoritatem ſine reſtrictione, intelligitur tam de actiua, quàm de paſſiua, quia hic eſt ſtylus, & hæc eſt mens Prælati. Ita *Card. de Lugo,* quem ſequitur *Leander de ſacram. Pœnit. trac. 5. diſp. 12. q. 45.* Itaque diſtingui debet; Nam vbi expreſsè & manifeſtè petitur pro aliquo ſubdito in genere authoritas paſſiua, ſeu facultas eligendi confeſſarium, qui abſoluat pro vna vice ab aliquo, vel aliquibus reſeruatis, quia ſub illo genere continetur etiam petens licentia ſic conceſſa comprehendit etiam petentem, qui eſt vnus aliquis ſubditus illius a quo petitur authoritas, & petitio eſt clara, & expreſſa, vnde & conceſſio petitioni reſpon-

pondens petentem complectitur. Sed quando sacerdos non petit expresse authoritatem passiuam, sed absolute, & sine distinctione facultatem absoluendi, nisi consuetudo sit in contrarium, petitio de authoritate actiua intelligitur, quia communiter confessarij facultatem absoluendi non vagam, & indeterminatam aut actiuam, simul & passiuam, sed actiuam tantùm petere intelliguntur, & supponuntur, & hoc habetur tum ex persona petente, cui competit actiuè absoluere, tum ex significatione verbi *absoluo*, quæ est actiua, & sic facultas absoluendi est facultas actiuè id præstandi. Et quamuis vox absoluendi sit etiam passiua, quia sub intentione concedentis non cadit incertum, & æquiuocum, aut confusum ex actiuo, & passiuo, ideo superior præsumitur determinatè concedere vel vt aliquis absoluatur, vel vt absoluat, sed dum sacerdos est, qui petit facultatem, nisi aliud exprimatur non est præsumendum quòd illi cõcedatur, vt absoluatur, sed quòd absoluat. Aliàs verò præsumere quòd superior intendat sub illa ambigua forma loquendi concedere petenti & vt absoluatur, & vt absoluat, non est rationi conforme, nam & facultas pro vna determinata persona petitur, & pro determinato casu, & nequit esse vt eadem persona ab eodem determinato casu possit & absolui, & se absoluere, quod necesse esset, si ab eodem determinato casu posset petens & absolui, & absoluere. Ideo licentia superioris ex eius mente determinata est vel pro passiua, vel pro actiua absolutione. Quãdo verò sacerdos petit absoluendi facultatem, ab aliquo casu determinato, non est verisimile id intelligi determinatè de absolutione passiua, confessariorum enim est actiuè absoluere; intelligitur igitur de actiua; quia respectu casus determinati & singularis & vnius personæ ab eo absoluendæ nequit dari facultas per quam petens & absoluatur, & absoluat

557 Interrogo autem tertiò an aliquando facultas absoluendi concessa alicui, ex eius vi competat alijs, vt v. g. licentia concessa Generali exercitus, competat eius famulis? Respondetur, quòd numquam licentia comprehendit aliquem, nisi ille comprehendatur sub verbis concessionis; quia verba non operantur vltra eorum significationem. Ideo licentia concessa pro domino non valet pro seruis, nisi sub verbis concessionis etiam serui comprehendantur, vt quia concessum est iubilæum domino & eius familiæ. Si verò Pontifex concedat alicui exercitui vt possit eligere sibi confessarium, qui pœnitentes à reseruatis absoluat, sub hac concessione comprehenduntur etiam famuli Ducum, etiam si albo militum non sint adscripti, tum quia numerus exercitus non comprehendit solùm milites, sed & nuncium, famulos, & quicumque pro aliquo ad militiam spectante adscripti sunt, quia sine his exercitus non consistit. Tum quia etiam si concessio facta esset expresse solis militibus, hoc nomen sub generali quadam significatione comprehendit omnes ad militiam spectantes, & ad finem belli necessariam operam ex officio nauantes intra exercitum, & sunt necessariæ partes exercitus; omnes enim suo modo militant, & ad victoriam habendam de hostibus laborant. Et non militant solùm, qui pugnant, sed & qui custodiunt res, & qui militibus inseruiunt, vt suo tempore liberè possint pugnare, suo modo pugnant. Et ideo sub licentia concessa exercitui, aut militibus talis exercitus cõpreheduntur nedum qui magis propriè milites sunt, sed etiam qui Ducum famuli sunt. Nisi circumstantiæ aliud suaderent, & verba alium sensum peterent. Essent enim & verba, & circumstantiæ ponderandæ, & semper attendi debet vt concessio non extendatur ad eos, qui sub verbis concessionis non comprehenduntur.

558 Interrogo quartò an in aliquo casu absolutio data à non sciente se habere facultatem valeat, si aliàs habetur facultas. V. g. pœnitens petita, & obtenta facultate absoluendi, confitetur peccata Regulari non habenti de se talem facultatem, & ignoranti illam haberi obtentam à pœnitente si absoluatur, validè ne absoluitur? Affirmat *Naldus v. casus reseru. num. 13.* & fundatur, quia ad hoc vt iurisdictio per reseruationem ablata rehabeatur, non est necesse quòd redonetur, & redonata acceptetur à Confessario, sed sufficit, quòd reseruatio auferatur. Quàmuis enim priuilegiatus non possit vti priuilegio absolutè ante eius notitiam, vt tradit idem *Naldus v. priuilegium num. 1.* & dato etiam, quod vtens iurisdictione sibi concessa, sed à se ignorata nihil ageret, juxta eundem *Naldum v. actus num. 27.* Cum tamen agitur de iurisdictione prorogata, aut restituta, considerandum est, quòd iurisdictio prorogata aut restituta non prohibetur accrescere ignoranti *l. 2. §. 1. de Iudicijs*, vbi sic habetur. *Proinde si priuati consentiunt, prætor autem ignoret consentire, & putat suam iurisdictionem, an legi satisfactum sit videndum est. Et puto posse defendi eius esse iurisdictionem.* De quo puncto videri potest. *Barb. in l. Barbar. num. 18. in p. lect. & Bald. num. 28 in lect. 2. de offic. Prætoris.* Eodem ergo modo, licet Parochus, & confessarius ignoret mortem Episcopi, validè absoluunt à reseruatis, quia ex morte Episcopi cessat reseruatio, & Parochi, & Confessarij re acquirunt iurisdictionem circa reseruata sine acceptatione. Reseruatio enim non est tam ablatio iurisdictionis, quàm eius restrictio, ideo rupto vinculo colligante, & restringente, iam ex natura sua iurisdictio quæ priùs erat ligata, & restricta, manet soluta, & libera. Hoc verisimiliter dici videtur, quia datur in similibus virtualis acceptatio; quia bene censetur habens iurisdictionem ligatam, & restrictam acceptare solutionem illius & libertatem, si contingat illam dari. Et in exemplo de reseruatione cessante ex morte Episcopi res est clara, quia cum esset à iure, sufficit, vt sciatur mors, & qui hoc scit, si vult vti facultate ad iam reseruata, satis acceptat cessationem reseruationis; quàmuis illa non indigeat acceptari, quia à iure cessat, & à iure manet potestas ordinaria libera, vnde liberum est habenti vti illa potestate iam soluta, & libera. Sed vbi ignoratur cessatio reseruationis, vt si Parochus nondum morte Episcopi euulgata & cognita absoluat à reseruatis; an absolutio sit valida, videtur esse difficultas, quia Parochus absoluit in vi facultatis, quam nescit, se habere. Sed distingui debet bonitas actus à valore. Certè enim non ritè absoluit, nisi inuincibili ignorantia excusetur, cum absoluat ab eo, à quo si reseruatio non sit ablata non potest absoluere, & aliàs nescit reseruationem ablatam esse, & ita absoluit ab eo, à quo nescit se posse absolue-

re, immò à quo ftante ignorantia reuocationis referuationis fcire deberet, fe non poffe abfoluere. Sed tamen absolutio valida eft, fi absolnens intendit absoluere quantùm poteft, quia tunc verè poteft ille absoluere, eum refcruatio ceffauerit. Ita & in cafu daro confeffarius qui verè habet authoritatem abfoluendi perfonam illam pro ea vice validè abfoluit, licet nefciat referuationem in .o cafu ablatam fuiffe.

559 Validè etiam abfoluere eum, qui abfoluit sub conditione priuilegij, vel facultatis, quam verè habet, licet ignoret se habere, habetur ex *Bord. tom.2.ref 52.num.60.* cum huiufmodi conditio fic præsens, ideoque non fuspendat actum. *l.3. ff. de leg.2.l.aliquando ff.de cond.& demon.* ubi ex *Portell.v. priuilegium addit.* quòd ignorans priui egium, absoluendi à reseruatis, validè abfoluit, fi verè priuilegium habet. Inde eft quòd in vsu poteftatis & iurisdictionis quotiescumque quis vtitur Iurisdictione, quam putat habere, & verè habet; validè agit, & fic qui ignorat se habere priuilegium, & aliàs nihilominùs putat poffe id, quod in rei veritate non poffet fi priuilegium non haberet, validè agit. Ex ea regula *fi non valet quod ago, prout ago, valeat prout valere poteft*. Et ita qui putat fe poffe absoluere à referuato, licet in veritate non poffit, fi Epifcopus non eft mortuus, & tamen mortem Epifcopi ignorat, validè absoluit, fi Epifcopus verè eft mortuus. Item efto non fit certus de iurisdictione, sed de ea dubitet, fi tamen sub conditione agit, scilicet, fi verè poteft, validè agit. Sed ex hoc concluditur quòd non obftante doctrina Naldi supra relata vtens iurifdictione quam nescit, vel dubitat se habere, fi verè illam habet validè agit; quia ifte sub conditione agit, intendit enim agere quantùm poteft, & fi poteft, nam non debet præsumi, quòd velit agere fi non poteft, effet enim plusquàm fatuus fi hoc intenderet, vnde nec intendit agere fiue poffit, fiue non poffit, sed intendit agere & in quantùm poteft, & ideo fi verè poteft validè agit. Et in propofito noftro licet absoluens a referuatis ex iurisdictione dubia sacrilegè agat, & nulliter agat, fi non habet iurisdictionem, fi tamen illam habet verè de præsenti validè agit. Hic tamen aduertendum, quòd vbi ad habendam iurisdictionem neceffaria eft acceptatio eius cui conceditur, iurisdictio ignorata non prodeft, quia non eft acceptatio fine scientia. *Sanchea l.3. de matrim.difp.36.*

560 Ex *Mor. etiam refponf.19. num.2*, colligitur quòd fi quis putans econtra aliquem cafum effe referuatum, intendit directè absol[illegible] solum à non referuatis, non verò à referuato, ab eo verè non absoluere, etiam fi alias intendat absoluere ab omnibus non referuatis, quia ille expreffè excipit illum casum, quem (licet falsò) putat effe referuatum, vnde eius intentio ad illum non extenditur, sed illum excludit. Secus verò dicendum effet fi [illegible] cafus non effet pofitiuè exclufus, vt fi confeffarius intenderet etiam absoluere ab eo fi non effet referuatus. Sed ifta resolutio non innititur solidæ rationi immò dicendum eft, quòd in hoc casu confeffor vel ab omnibus, vel a [illegible] ab absoluit, absolutio enim sacramentalis ex vi [illegible] pœ[illegible] eni[illegible] ppofitum iuftificans, vel ab omni [illegible] [illegible] abfoluit, vel à nullo, [illegible]

fi [illegible]cationi quòd detur ex parte. Ideo [illegible] licet confeffario absoluere à nò referuatis tan[illegible] & fi confeffarius hoc intendit à nullo absoluit. [illegible] pœnitens iterum omnia peccata confiteri debet, vt ab omnibus abfoluatur, vt satis conftat ex dictis supra obseruatione decima. Alias verò vbi d[illegible]tur confeffor qui intendat absoluere à non referuatis, [illegible] ec Intentio non debet interpretari vt pofitiua ex [illegible]clufio absolutionis casus referuati saltem ind re[illegible]te, sed vt negatio directæ absolutionis, & hoc non absolutè, sed fub conditione, & ex fuppofitione quòd fit referuatus, & ideo fi non eft talis ab eo confeffarius etiam directè abfoluit.

561 Interrogo quintò, an aliquando licentia obtenta pro vno cafu extendi poffit ad alium? Vt fi confeffarius petens facultatem & obtinens abfoluendi ab vno referuato (eo tamen non expreffo, fed mente retento) fi inueniat cafum illum non effe referuatum, poffit eundem penitentem abfoluere vi dictæ licentiæ ab alio cafu verè referuato. Refpondetur, quòd conceffio facultatis cafuum ex intentione petentis determinatur, cui conceffio refpondet, per quam conceditur, quod petitur, non id, quod non petitur, nifi id expreffius expliceturę Ideo ex vi conceffionis datæ ad petitionem prouenientem ex intentione abfoluendi ab vno cafu, etiam fi intentio fit mente retenta, non poteft abfolui pœnitens ab alio cafu à petente non cogitato, nec intento. Eodem modo facerdos qui petijt facultatem pro vna perfona determinatè in mente fua, non poteft vti ea facultate ad aliam abfoluendam, quia fuperior concedendo determinatè concedit iuxta intentionem petentis. *Bordon. contr.27. num.29. ex Beia parte 3. cafu 10.* Addit verò *Bordon.num.40.* quòd fi confeffor petat licentiam pro vno in mente retento, fed cum intentione vt fi ille non appareat, ipfe ea facultate poffit vti cum alio, quando occafio fe obtulerit, quòd tunc ea facultate poteft vti pro illo altero qui aduenerit, quia tunc petitio confeffarij non eft determinata, fed vagatur ad plures. Superior verò cenfetur gratiam facere fecundùm intentionem petentis *l.fi preces ff. de leg bus.cap.inter dilectos. 6. §. Cæterum de fide instrumen.vbi Gloff.v. petitioni* ait refponfum conformari petitioni. Item fuperior cui non debet manifeftari perfona pro qua petitur facultas, fimpliciter concedit pro vno quicumque ille fit. Sed hæc non probant; concedens enim fupponit pœnitētem iam determinatū & defiderantē & qui fe præfentauit confeffario ut ab eo obtineat abfolutionē,& medio cōfeffario fe præsētat ipfi fuperiori, vnde & fuponit in cōfeffario intentionē ad vnum determinatā,& non vagam, & illi Intentioni fe conformat, & pro tali perfona determinatè, licet fibi non cognita facultatem concedit, quam certè non concederet vt vagam, fi fibi exprefsè fub vaga illa intentione concederetur. Et ideo confeffor non poteft vt facultate abfoluendi fibi conceffa, nifi pro perfona quæ inftetit, vt peteretur, & pro qua fuit petita &c.

562 Interrogo fexto an facultas abfoluendi a cafibus referuatis in vna diœcefi fe extendat ad abfoluendum à cafibus in alia diœcefi referuatis? Diftinguitur eft qualiter Pelegrinus [illegible] poffit extra fuam diœcefim à [illegible] Diftingui autem d[illegible] [illegible]am vel cont [illegible] fua diœcefi habet facul-

facultatem absoluendi à reseruatis, vel non habet. Si non habet, alia debet attendi distinctio; Nam vel casus est in vtraque diœcesi reseruatus, & certum est non posse extra propriam diœcesim absolui a peccato, quod est in alia diœcesi reseruatum, & confessarius non habet facultatem absoluendi à reseruatis. Sed si casus est reseruatus in diœcesi pœnitentis, non verò in diœcesi confessarij absoluentis, eum non posse absolui in aliena diœcesi etiam si bona fide venerit, dixerunt *Comitolus, Megala, Vgolinus, Belloch. Floronus apud Dianam p.1. tract.3. Miscell. resol.16. & p.3. tr.4. de sacram. res.103. Fagundez in 2. præc. lib.8.c.8.num.20.* & alij fundantur quia ex Bonifac. VIII. *cap. si Episcopus de pœnit. & remiss. in 6.* Episcopus concedens facultatem eligendi confessorem idoneum, non per hoc dat licentiam vt absoluatur à casibus reseruatis. Tum quia præsumitur illum pœnitentem in fraudem exisse ex propria diœcesi. Sed nullum horum probat. Non quidem secundum quia in foro conscientiæ non statur præsumptioni, sed veritati. Et supponimus in casu peregrinum bona fide exisse, & sua peccata confiteri. Non primum, quia facultas absoluendi peregrinos non est ex licentia data ab Episcopis propriæ diœcesis, vt sic dicatur quòd ex quo dant licentiam suis subditis vt extra diœcesim possint absolui, non per hoc censeantur dare illam, vt absoluantur à reseruatis. Sed est ex praxi & consuetudine consentientibus Prælatis introducta, quam etiam, vt aduertit *Card. de Lugo disp.20. num.70.* confirmauit Eugenius IV. ex qua peregrini habent vt in ijs, quæ spectant ad forum pœnitentiale, habeantur vt incolæ loci: cum confessarij etiam non debeant interrogare pœnitentes an sint, vel non sint incolæ, & non debeant, aut possint scire, qui casus sint, vel non sint reseruati in alienis diœcesibus. Et ideo quòd confessarius non habens facultatem ad reseruata possit absoluere pœnitentem à peccato in sua diœcesi non reseruato, etiam si sit reseruatum in diœcesi pœnitentis dixerunt *Caiet. v. absolutio 2. Suarez de pœnit. disp.30. sec.1.num.4. Diana, & Card. de Lugo* locis supra citatis, & apud eos *Reginal. Homob. Villalob. Leander d.disp.12.q.26. Bonac.disp.5.q.7.p.5.§.2.n.9.*

563 Hinc multò magis sequitur, quòd is, qui in propria diœcesi habet facultatem absoluendi à reseruatis multò magis absoluere potest peregrinum à reseruatis in sua diœcesi quoniam hic habet facultatem à reseruatis ab Episcopo loci, & peregrini vt loci incolæ habendi sunt quantùm ad ea, quæ spectant ad forum pœnitentiale.

564 Parochus verò vbique parochianum suum absoluere potest à non reseruatis in sua diœcesi, etiam si alibi sint reseruata; quia non absoluit in vi iurisdictionis habitæ ab Episcopo alterius diœcesis, sed à proprio Episcopo, quam habet ab eo non limitatam ad casum illum non reseruatum. Econtra verò Parochus loci non habens facultatẽ ad reseruata, non absoluit peregrinum a peccato in loco reseruato, licet non reseruato in loco peregrini, quia absoluit per iurisdictionem ab Episcopo loci sui limitatam, & restrictam, vt se ad prætatum casum non extendat. Et ita quidquid in contrarium dixerit *Fagundez ex Graff. Vega & Soto d. c.8.num.21.* bene docuerunt *Caiet. Suarez locis citati, Card. de Lugo num.72. Leander q.27.* Immò *Sotus* malè ad oppositum citatus, idem tenet *d.18.q.4.a.2.ver. est hic adnotandum.*

565 Interrogo septimo an Regularis cui Episcopus concessit vniuersalem facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis, possit hanc facultatem alteri subdelegare. Non est de hoc dubium, si Episcopus expressè concesserit eidem subdelegandi facultatem. Delegatus enim si ei concedatur a delegante subdelegare potest. *cap. is cui. De off. deleg. in 6. Panorm. cap. Bertoldus n.24. de sentent. & re iud. & cap. super quæstionum. §. porro num.2. de off. deleg. & ibi Felin. §. si verò num.18. Syluest. v. delegatus. q.8. num.12. ver. quarto. Tabien. q.1. Armill. num.7. Sotus 4.d.18.q.4.a.3. vers. circa concessiones, Sanchez* plures referens *lib.3. de matrim. disp.31. num.6.*

566 Cum verò ei qui non est delegatus à supremo Principe non competat facultas subdelegandi, nisi sit delegatus ad vniuersitatem causarum, vt communissimè tradunt DD. & præcipuè *Io: Andr. cap. omnis num.31. de pœnit. & remiss. Panorm. d. cap. cum Bertoldus, num.20. & cap. cum causam. nu.21. de appellat. vbi Fagnanus num.3.4.* latè hoc probans. *Syluest. v. Delegatus q.8. dic.3. Tabien. v. excom.5. casu 11. q.3. num.4.* & quàmplures alij quos refert, & sequitur *Sanchez d. disp.31. num.2.* quod tamen non intelligitur vniuersaliter, quasi possit subdelegare totam suam delegationem, & alteri dare eandem facultatem ad vniuersitatem causarum, sed solùm quia vnam, vel alteram causam potest subdelegare. *Gloss. in cap. cum causam v. delegatus. de appellat. vbi Anton. n.11. Neuo. nu.26. Fagnanus d. num.3. Panorm. in d. cap. cum Bertoldus num.20. de re iudicata. Syluest. & Sanchez vbi sup.* Difficultas puncti quod tractamus est an delegatus ad omnes casus reseruatos possit dici delegatus ad vniuersitatem causarum ita vt possit subdelegare.

567 Sanchez autem *d. disp.31.* quærens quis dici possit delegatus ad vniuersitatem causarum, respondet talem esse, quando ei committitur genus causarum sub vno nomine collectiuo, quàmuis illud genus non sit generalissimum, sed subalternum, & quàmuis aliàs sit restrictum, vel quoad tempus, vt si alicui committantur causæ tali anno occurrẽtes, vel quoad quantitatem, vt si committantur causæ decem librarum, vel quoad locum, vt si committantur causæ talis loci. Quod probat ex *Bart. l. legatus num.4. ff. de off. pro cons. & Azeuedo lib.3. recopil. tit.9. l.1. num.5.* qua stante doctrina videretur dicendum, quòd Regularis præfatus posset in casibus singularibus delegare vnam vel alteram absolutionem a casibus reseruatis. Sed oppositum est dicendum. Tum primò, quia quando Ordinarius in delegando elegit industriam personæ delegatus non potest subdelegare, quia sibi personaliter ratione propriæ qualitatis concessa est illa facultas, non vt illam alteri subdelegare possit. *cap. final. de off. deleg.* & DD. quos refert ibi *Barbosa Layman l.5. tr.6. c.10. num.12.* in fine. Vnde etiam est, quòd multi DD. apud *Barbosam tract. de claus. claus.24.* docent, quòd quando delegans id facit cum clausula *conscientiam tuam oneramus*, quia tunc videtur electa industria personæ, delegatus non potest subdelegare. Modò quando Episcopi alicui Regulari dant facultatem generalem ad casus, id faciunt ratione qualitatis singularis illius & eligentes industriam personæ, ideo non possunt subdelegare. Se-

cundò quia tunc delegatus ad vniuersitatem causarum potest subdelegare, quando datur ei facultas per modum Ordinarij, vnde & talis delegatus dicitur quasi Ordinarius, *Fagnanus ad d. cap. cum causam num. 4. de appellat.* & sic datur ei officium cum plena iurisdictione ad causarum vniuersitatem. Sed, vt aduertit *Layman. d. l. 6. c. 10. num. 13. vers. exinde colligitur*, Religiosis quibus etiam a Papa demandata est facultas audiendi confessiones, & absoluendi a casibus, & censuris iuxta priuilegia supra recensita, concessa est nuda iurisdictio in ordine ad exercitium certum absoluendi non verò illis est concessum integrum officium iurisdictionis. Et sic etiam si Episcopus alicui Regulari concedat facultatem omnium casuum, non censetur tradere hanc facultatem cum plenitudine, & vt quasi Ordinarius in Dioecesi possit ea vti, sed illi conceditur nudum exercitium pro casibus sibi occurrentibus, & ideo subdelegare non potest *c. fin. §. vlt. de off. delegat.* & ibi DD. quos refert *Barbosa*.

569 Et hęc magis confirmantur, quia licet Poenitentiarius Canonicus Cathedralis sit Ordinarius Confessor totius Dioecesis, nihilominùs, quòd suam auctoritatem aut casus Episcopo reseruatos non possit subdelegare nec generaliter nec particulariter dixerunt *Barbosa all. 55. nu. 22. & 24. & ad cap. 8. sess. 24. Concil. Trid. num. 26. & 27. Garz. part. 5. cap. 4. n. 12.* & alij plures apud istos, & hoc est cũ ratione, quia in eo videtur electa industria personæ; Quàmuis *Piasec. p. 2. cap. 1. a. 3. num. 16. ex Nauar.* dicat, quòd Poenitentiarius absolutionem casus particularis, seu nudum absoluendi ministerium possit alteri committere. Sed hoc erit vel de consuetudine, vel de speciali Episcoporum concessione; Nam aliàs Episcopus concedens facultatem absoluendi à reseruatis, censetur eligere industriam personæ, vt præfati DD. dixerunt de Poenitentiario, vel committere nudum ministerium, vt dixit de eodem Poenitentiario Pialec. Quod si in Poenitentiario censetur eligi industria personæ, vel ei committi nudum ministerium, multò magis hoc dicendum est, si Episcopus alicui Regulari huiusmodi casuum concedat facultatem. Et ratio etiam est, quia contra finem reseruationis esset, si reseruarentur casus Episcopo, & postea daretur facultas absoluendi huic vel illi etiam delegabilis, & ita vt iam grauiora peccata, non ad grauiorum virorum iudicium deducerentur, sed ab hoc, vel illo sine scientia Episcopi diiudicarentur.

570 Interrogo octauo an licentia absoluendi à casibus reseruatis se extendat; etiam ad moniales non exemptas, sed iurisdictioni Episcopi subiectas? Respondetur, quòd cum casuum reseruatio ad præfatas moniales se extendat tanquam ad subiectas Episcopo, rationabile est vt etiam illimitata facultas absoluendi data alicui confessario ad illas se extendat. Ita tamen, quòd confessarius nec à reseruatis, nec a non reseruatis poterit illas absoluere, nisi ab Episcopo specialiter sit approbatus ad confessiones monialium audiendas, ex Constit. 18. Gregor. XV. & declarat. Sacr. Congregationis supra num. 391. recensitis. Si tamen contingat confessarium ad monialium confessiones audiendas in aliquo monasterio esse approbatum ab Episcopo, hic verò confessarius aliàs habeat etiam facultatem reseruatorum poterit ea vti, si opus erit, iuxta eius tenorem, etiam cum monialibus Episcopo subiectis.

SVMMARIVM.

1 *Puerorum peccata, sunt reseruata. n. 571.*
2 *Puellarum existentium in monasterijs exēptis peccata reseruare sibi non possunt Episcopi possunt, vt ab eis absoluere non possint Regulares. n. 572.*
3 *Episcopi reseruare possunt monialium exemptorum peccata circa clausuram. n. 573.*
4 *Peccata venialia reseruari non debent. n. 574.*
5 *Peccata interna possunt reseruari. n. 575.*
6 *Peccata interna non sunt reseruata. numer. 575. 576.*
7 *Hæresis pure interna non est reseruata. n. 576.*
8 *Peccata omnia non licet reseruare. n. 577.*
9 *Peccatum dubium potest reseruari. n. 578.*
10 *Peccatum dubium non est reseruatum. n. 578.*
11 *Si post absolutionem cesset dubium, absolutus non est remittendus ad superiorem. n. 579.*
12 *Peccatum sine censura. reseruatur. n. 580.*
13 *Vbi est censura reseruata, est etiam reseruatum peccatum. n. 580.*
14 *Concessa facultate absoluendi à censura potest absolui poenitens à culpa, & econtra. n. 580.*
15 *Reseruato actu externo est reseruatus internus. num. 581.*
16 *Quando non incurritur censura peccatum quod ratione censuræ esset reseruatum, non est reseruatum. num. 582.*
17 *Inter Papales nullus datur casus qui non sit reseruatus ratione censuræ. n. 583.*
18 *An superior possit sibi reseruare casus, vt nec l[illegible] recte possint inferiores ab eis absoluere. numer. 584.*

OBSERVATIO DVODECIMA.

571 VLteriùs vtile erit considerare, quæ possit sibi Episcopus reseruare? Difficultas verò prima est de peccatis puerorum; Nam horum peccata non cadere sub reseruatione dixerunt apud *Dianam p. 2. tr. 15. Miscel. resol. 1. Palud. Graff. & Bellach.* ex eo quòd illi poenæ Ordinariæ in foro externo subiecti non sint, vnde dicendum est eos nec in foro animæ subdi poenæ reseruationis. Sed prout supra dictum fuit; Respondetur quòd hoc ad summum probaret de reseruatione, quæ sit poena; At reseruatio casuum ex sua ratione est medicina, vnde illi subduntur etiam peccata ignorantium ea esse reseruata, & ideo horum peccata non cessare esse reseruata ex eo quòd sint puerorum peccata, dixerunt *Homobon. Lazarius, & Floronus*, quos sequitur *Card. de Lugo disp. 20. numer 10. Leand. tr. 5. de poenit. disp. 11.* Quantùm verò ad reseruationem prout sit poena, iudicandum esset de illa iuxta sententiam veriorem ex diuersis, quæ versantur circa illam quæst. an, & qua ætate pueri incurrant poenas Ecclesiasticas a iure statutas de qua agunt *Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 11. à num. 7. & Diana p. 2. tr. 6 Miscell. res. 88.*

572 Secundò potest esse difficultas de peccatis puellarum quæ manent intra monasteria exempta. Nam *Pelliz. de monialibus cap. [illegible] num. 191.* probabile

putat

putat Episcopum harum peccata non posse sibi reseruare, quia ratione loci exempti se habent ac si essent extra diœcesim. Bacius etiam in *Miscell.t.2. op.3.q.269.* idem eadem ratione docet de committente peccatum intra monasterium Regularium, vt videre est apud *Dianam p.10. tr.14. res.7.* vbi & ipse idem probabile putat. Sed alij arbitrantur monasteria esse exempta ratione personarum non ratione loci. Ita ex *Bord.tom.1.res.7.num.4. Diana ibid.* idem ex alia ratione habet *Coton.lib.2.contr.7. num.88.* Verùm huius casus resolutio non pendet ex ea quæst. an monasteria Regularium sint exempta nedum ratione personarum, sed etiam ratione loci. Nam hoc dato, quòd & ego verum existimo, ad videndum an aliquis casus sit reseruatus, & possit ab eo absolui à simplici confessario, non sufficit quòd peccatum sit commissum extra diœcesim, & quòd in ea diœcesi illud non sit reseruatum, & quòd Episcopus non possit sibi reseruare casus respectu eorum, qui sunt de aliena diœcesi, quia hoc est verum quia non potest impedire, quin qui sunt de aliena diœcesi absoluantur in ea diœcesi à quocumque casu in ea non reseruato. Sed tamen respectu hominum secularium totius mundi, si non sint aliunde priuilegiati ratione personę potest sibi reseruare casus pro propria diœcesi, vt scilicet in illa absolui non possit nec à Regularibus intra suam diœcesim existentibus, & confessiones audientibus. Vnde committens peccatum vel extra diœcesim, vel in loco exempto, à Confessore nullo qui in diœcesi Episcopi reseruantis illud peccatum audiat confessiones potest absolui nisi habeat facultatem à reseruatis. Sed alia ratione credo quòd Episcopus non possit sibi reseruare casus respectu puellarum quæ existunt intra monasteria exempta, quia nimirum tales puellæ, sint etiam personaliter exemptæ à iurisdictione Episcoporum, dum sunt & viuunt intra claustra vt habet *Peliz.de Monial.cap.5.num.190.* Qui tamen hoc probat ex eo quòd locus exemptus æquiparatur loco extra diœcesim, vt ex *Io: Andr. Io: de Lignan. & Io: Calder. habet Syluest. v.excom.5.num.10.& dixerunt Armilla v.excom.num.30.Layman.l.1.tr.4.c.11 num.5.* & pluribus alijs citatis loco intra citato *Donatus*. Sed hæc ratio, vt dicebam non probat quantùm ad fun[ct]ionem absoluendi a casibus reseruatis Ecclesiæ & monasteria non sunt censenda extra diœcesim, cum in hoc exemptionis priuilegium sit ablatum, ex quo regulares prohibiti sunt absoluere à reseruatis Episcopo, vnde nec in proprijs Ecclesijs, nec intra monasteria possût absoluere ab huiusmodi casibus non Religiosos, seu illos quos extra monasteria absoluere non possent. Reseruatio enim vt dixit *Moron. resol.19.* respicit directè confessarios Sed ratio est, quia huiusmodi puellæ habendæ sunt vt moniales, seu vt propriè familiares monialium, ex quo nedum viuunt intra monasteria, & sunt continuæ monialium commensales, sed viuunt sub obedientia Abbatissæ, & legibus clausuræ sunt subiectæ. Quia licet, vt bene contra *Tambur. de iure Abbatiss.disp.5.q.2.nu.14.* docet *Peliz d.cap.5.n.14.* Puellæ istæ si egrediantur non Incurrant excommunicationem latam contra moniales à clausura egredientes tamen si egrediantur non habent ius vt reuertantur sine licentia, & aliàs clausuram violare non possunt accedendo ad ianuam, & parlatoria vt colloquantur cum externis sine licentia. Vnde merito veniunt in hoc sub nomine monialium, & gaudent priuilegio exemptionis, sicut sub nomine monialium veniunt sub lege illa Greg.XV. volentis quòd nullus possit audire cõfessiones monialium nisi sit ad hoc specialiter approbatus ab Episcopo. Sicut igitur tenentur ad plures monialium leges, & commensales continuæ viuunt sub obedientia Abbatissæ licet non ex voto obedientiæ, ideo sunt priuilegiatæ vt & non subdantur iurisdictioni Episcoporum nisi in ijs casibus in quibus subduntur moniales, & possint absolui à casibus reseruatis Episcopo, nisi alia obstet reseruatio. *Donatus tom.3.trac.5.q.33.num.6.*

573 Tertiò difficultas esse potest de monialium exemptorum peccatis contra clausuram. Cum enim per Tridentinum custodia clausuræ commissa sit Episcopo, videtur, quòd possit sibi reseruare peccata, quæ moniales committunt contra clausuram & ita supponere videtur *Reuerendiss. Fagnanus in cap. Dilectus num.33.de temp.ordinan.&* idem tenuit *Peliz.de monial cap.10.num.48. & idem voluit Baucius apud Dianam p.10. tract.13. resol.51.* Sed quòd clausuræ custodia solùm in foro externo commissa sit Episcopis, & quod in foro interno non possint sibi Episcopi reseruare casus huiusmodi vt ex *Pasqual. qq. canon. cent.2, q.161.* habet *Caton. d. contr.7.num.89.* & tenuit Diana vbi supra, & fundantur præcipuè in eo, quia Episcopis non est concessa facultas limitandi iurisdictionem superiorum Regularium circa suas moniales. Quod facerent si sibi in materia clausuræ possent Episcopi reseruare casus, a quibus Prælati Regulares absoluere non possent. Verùm cum per Concilium Trident. *in sess.25.cap.5.*de Regularibus concessum sit Episcopis clausuram sanctimonialium restituere vel cõseruare inobedientes coercendo per censuras Ecclesiasticas, indubitatum mihi est, quòd Episcopus censuras huiusmodi potest sibi reseruare. Et cum etiam alijs pœnis possit inobedientiam compescere, & reseruatio etiam per modum pœnæ imponi possit; hinc quoque patet, quòd inobedientiam in ijs, quæ spectant ad clausuram potest reseruare. Item quia censuræ etiam forum internum penetrant cum obligent in conscientia, & excommunicatio priuet interna participatione absolutionis sacramentalis, constat quòd iurisdictio Episcopi in hoc pertingit etiam ad forum animæ, & quòd propterea inobedientiam hanc potest sibi reseruare. Quatenus verò violatio clausuræ sit reseruata Papæ, eam non debet sibi Episcopus reseruare, vt patet ex decreto Clem VIII. supra num.377.relato.

574 Quartò difficultas est an venialium absolutio reseruari possit? Quæ maximè pendet ex alia, an potestatem absoluendi à venialibus sacerdotes habeant à Christo immediatè, an ab Ecclesia. Sed hoc certum est huiusmodi reseruationem, si fieret esse inutilem, & imprudentem, cum nullus teneatur confiteri peccata venialia & possit vnusquisque vnum veniale confiteri sine alio; & ideo talis reseruatio esset illicita. Quod idem dicitur de peccatis mortalibus semel ritè confessis, & absolutis. *Card. de Lugo disp.20. num.12. Coton. d. contr.7. Suarez de Pœnit.disp.29.sec.3.Nugnus in add.q.8.dub.11. Cand. disq.24.a.68.d.4. Fagundez in 2.præc.l.8.cap.1. nu.18. Layman lib.5.tr.6. c.12. num 3. Contra Hurtado,*

Filliuc.

Filliuc. Villalob. Granado, & alijs quos sequitur *Leander q.6.* Vbi tamen peccato veniali sit annexa vel excommunicatio minor, vel alia pœna, eam etiam vtiliter Ecclesia sibi reseruare posset.

575 Quinta difficultas est de peccatis merè internis. Quidquid autem in contrarium dixerint apud *Leandrum Llamas & Lublinas*, & apud *Fagundez & Bordon.tom.1.res.37.num.9. Coriol.de casib. reseruatis sec.1.a.5.num.6.* dicendum est Ecclesiam sibi peccata interna reseruare posse. In foro enim pœnitentiali Prælati ius habent etiam circa interna. Nam in eo foro pœnitens omnia interna manifestare debet. Immò cum ratio peccati essentialiter formaliter & principaliter sit interna, quia non est peccatum nisi sit electum, & in quolibet peccato initium in quo consistit formaliter culpa, & ex quo ad alios actus imperatos transmittitur sic interior mala electio, sequitur quòd obiectum principale fori pœnitentialis sit internum, nimirum interna mala electio; Vnde Ecclesia in hoc foro maximè respicit internum, vnde non est dubitandum an superiores possint ad sui iudicium aduocare & reseruare cognitionem, sententiam, & absolutionem peccati interni. Et eò magis, quòd confessionis auditio, absolutio, impositio pœnitentiæ sunt externi actus, quos sibi potest superior reseruare. Verùm ad quid vtilis esset hæc reseruatio? Forsan vt emendaretur peccator? Sed ad hunc finem non est necessaria reseruatio, quia internum peccatum non perseuerat quin erumpat in externum, & ideo ad correctionem peccatoris sufficit peccata interna. *Caiet.2.2. q.11.n.3. Ledesm.2.4. q.8. a.2.d.10. Sotus 4.d.18.q.2.a.5. Nugnus q.8 a.5.dub.10. Suarez disp.29.sect.3.n.3. Fagund.d.l.8.n.16. Adrian. quodl.8.* malè citatus pro opposita sententia *Card. de Lugo disp.20.num.14. Coton. lib.2. cent.7. num.94. Leander. dict. disput. 52. quæst.7.* & alijs plures apud istos.

576 Quàmuis vero ex Canonistis plures existimauerint hæresim internam esse reseruatam; quia & crediderunt hæreticum internum esse excommunicatum, tamen certum est oppositum, modò hæresis sit purè interna. Talem enim hæreticum nõ esse excommunicatum, neque tale peccatum esse reseruatum, dixerũt *Palud.4.d.13.q.3. D.Anton.3.p. tit.25.cap.4. Sylu.v.excommun.9.§.5. Nauar.cap.11. num.24. Suar.de cens.disput.21.sect.2.num.1. Toletus Azor. Aragon. Simancas*, quos sequitur *Fagundez in 2.præc.l.8.c.1.n.17. Card. de Lugo disp.20. num.14.* Et peccatorum internorum reseruationem non expedire dixit *Maior.4. dist.17.q.1.* & esse intolerabilem errorem asseruit *Soto 4. d.18. q.2. ar.5.* Et quàmuis *Fagundez*, & alij aliqui videantur non improbare hunc vsum in Religionibus strictioribus, est nihilominùs & in illis res maximè pensanda, & nõ nisi adesset magna vtilitas, non practicanda.

577 Sexto difficultas esse potest de peccatis externis, an possint omnia reseruari. Et certò non est dubium, quòd hæc reseruatio esset illicita, & in animarum perniciem manifestam, quia hoc esset non dari in mundo, vel diœcesibus Parochos, & Confessarios, qui pœnitentes absoluere possent, & necessitarentur fideles diu viuere in statu peccati cum non possent recurrere nisi cum maximis difficultatibus ad superiorem, qui nec omnes audire posset. Hoc igitur non expedire est certum. *Card. de Lugo disp.20.num.30. Coton. lib.2. contr. num.96.* Negat etiam *Bord.d.res.37.* quòd hoc possit validè fieri, sed non tam de facili negari debet potestas Prælatorum & maximè Summi Pontificis. Quàmuis si loquamur de Episcopis, dici potest ex iure positiuo hoc illis esse specialiter prohibitum & in *Conc.Trid.sess.14.cap.7.* illis datur, quòd grauiores causas sibi reseruare possint.

578 Septimò difficultas est de peccatis dubijs. Cum autem certum sit peccata dubia esse materiã confessionis, & necessariò confitenda; neque est dubium an possint per superiores reseruari. An verò sub reseruatione absoluta alicuius peccati in specie veniat peccatum dubium. Et quidem si dubium est positiuum & probabile; iuxta sententiam, quam sequutus fui supra q.186.a.8.num.254. dico Confessarium habere debere peccatum illud vel vt non reseruatum secundùm quod pensatis bene omnibus sibi altera ex partibus videbitur verior, & rationabilior, & ideò securior. Sed in dubio negatiuo satis supra probatum est non comprehendi, si sit propriè dubium negatiuum, quia reseruatio odiosa est & strictè interpretata non comprehendit casum dubium. Scio, quòd *Moron.resol.19.nu.12. & seqq.* distinguit reseruationem in eam, quæ est facta ob bonum commune, & publicam vtilitatem, & ait hanc esse fauorabilem, & latè interpretandam, vnde subdit quòd si sit quæstio an Sacerdos cui iure ordinario competit facultas absoluendi à reseruatis competat vi suæ facultatis absoluere ab hoc vel illo casu, talis quæstio admittat latam interpretationem. Si autem quæstio sit de facultate Sacerdotis cui competit delegata, erit stricta interpretatio facienda. Si verò dubitatio se teneat ex parte peccati, nempe an tale peccatum sit reseruatum interpretatio erit latè facienda, nisi reseruatio sit in odium peccati. Sed huiusmodi resolutio nõ tangit veram causam vnde desumi debeat an lex sit latè interpretanda, & sit fauorabilis, vel potiùs odiosa. Hoc enim non debet accipi ex fine legislatoris, quia hic semper est fauor boni communis, cum hoc sit de ratione legis, vt ad bonum commune ordinetur. *D.Thom.1.p.2.q.90.a.2.* communiter acceptus, & ita ex fine legislatoris omnis lex primò est fauorabilis. Sed distinctio legis fauorabilis à non fauorabilis ex materia legis, & re præcepta debet accipi. Modò cum reseruatio omnis sit restrictiua iurisdictionis Cõfessariorum & exorbitans à iure communi, ideo reseruatio omnis est odiosa, vt communiter tradunt DD. Ideo si dubiũ sit an peccatum sit reseruatum stricta interpretatio est sumenda. Econtra verò concessio facultatis absoluendi est fauor, & ideo nedum respectu ordinarij, sed respectu delegati, si dubium sit an eius facultas se extendat ad aliquem casum lata interpretatio habet locum.

579 An verò si post absolutionem obtentam contingat tolli dubium, & appareat peccatum illud verè fuisse reseruatum, sit necessarium iterum illud confiteri coram habente authoritatem absoluendi. Iam etiam supra dictum fuit, non adesse hanc necessitatem. Et licet oppositum sentiat *Coron.l.2.contr.7.num.99* ex eo quòd in eo casu inferior absoluit licitè, propter dubium, sed nõ validè, quia nõ habebat potestatem, vnde pœnitẽs remanet absolutus tantum indirectè. tamen hoc

meritò

...itò displicet, pœnitens enim in hoc casu d... c... absoluitur, quia non est reseruatio, quæ cadit super facto dubio. Nec obstat quod factum sit in re certum, licet fuerit dubium pœnitenti, aut Confessario. Quia si hoc valeret, & reseruatio innitetur veritati rei, nunquam in dubio liceret absoluere, quia ad minus esset se exponere periculo violandi legem reseruationis. Sed hæc lex non respicit puram rei veritatem, sed respicit confessionem & veritatem vt in confessione, & ex confessione pœnitentis in iudicio fori pœnitentiæ resultantem, & censetur non se extendere ad peccatum, quod in tali foro & iudicio maneat incertum, etsi forsan in veritate alias peccatum sit certum, & certè comprehensum sub lege reseruationis. Et ideo quòd in præsenti casu pœnitens non sit remittendus ad superiorem iterum absoluendus, docent Card. de Lugo disp.20.num.22. Diana p.6. tr.6. ref.40.& p.8. tr.7.ref.72. & p.10.tr.14.ref.63.& p.11.tr.7.ref.19. Leander d.disp.12.q.12.

580 Octauò difficultas est de peccatis non habentibs annexam censuram, an reseruari possint? Certum est omnia reseruari etiam peccata non habentia annexam censuram. Et quando reseruantur habentia censuram annexam non reseruatur sola censura, sed reseruatur etiam culpa Leander dic. disp.12.q.14. ex Suarez de pœnit. disp.29.sec.2. nu.7. attribuit Durand.in 4.d.17.q.5.num.13. & Caiet.v. casus, quód Pontifex reseruans sibi huiusmodi casus solam censuram reseruet. Quod certè Caiet. non dicit, sed dicit, quód reseruat casus ratione censuræ, quód absolutus à censura, potest à quolibet Confessario absolui à culpa; quód longè aliud est. Et iden cum sententia communis sit, quód vtraque & culpa, & censura seu meliùs totum illud quod est culpa affecta censura censeatur immediatè & æqualiter reseruata, aut reseruatum, nihilominùs dicitur quod ex consuetudine totius Ecclesiæ ita hoc intelligitur, vt concessa absolutione à censura intelligatur ablata reseruatio respectu culpæ, vt Caiet. dixit, & hoc etiam econtra est verum, vt scilicet si cócedatur facultas absolutionis à culpa, censeatur ablata reseruatio censuræ. Nauar. cap.27.num.261.Sylu.v.confess.1.num.10. Caiet.citatus. Sanchez l.2.vi Decal.c.8.n.5.Sotus 4.dist.18.q.2. a.5. Suarez tom.4. disp.28. sec.2. numer.11. Sà, Toletus, Emaldus quos refert, & sequitur Fagundez in 2.præc.lib.8.c.1.num.3.Hurtado, Aegid.Barbosa, Conradus, Bonat. Graffius & alij, quos sequitur Leander q.15.

581 Colligit autem Card.de Lugo disp.20.n 17. ... vbi reseruatur actus externus, simul intelligitur reseruatus actus internus. quod est indubitatú, quia actus internus & externus non sunt duo peccata sed vnum, Et externus actus ex eo est peccatum, quod est ex interno, qui sit peccatum; si enim interna electio, aut consensus non esset peccatum, ... esset peccatum actus externus ex eo imperatus. Vnde colligit secundò quòd in casu in quo ... necessitas confitendi casum reseruatum, sed sufficiat confiteri casus non reseruatos, non sit ... esse confiteri actum internum casus externi reseruati, quod in tali suppositione est verum: quid... nunc an vera sit suppositio.

582 Colligit tertiò Leander q.16. quòd si con... peccata reseruata à Pontifice ita committi, vt ignorantia excuset ab inobedientia & excommunicatione, tunc culpa non sit reseruata. Quod probat ex Henriq.l.6.c.14.nu.1. Sanchez l.2. cap.8. num.5.Layman l.5.tr.6.c 11.num.2.Conimb, Granado, Hurtado, & Mendo &c. & quidem in casu in quo possit esse vera suppositio (de quo nunc non agitur) ita quód fiet aliquem incurrere culpam, & non censuram, est verum Leandri assertum. Quia casus reseruatus & illud totum integrum, quod est culpa censura vestita; ideo si adsit culpa sine censura non adest illa inobedientia, & contumacia, quæ sit reseruata.

583 An autem de facto inter casus Papales detur aliquis, qui sit reseruatus, & non habeat censuram annexam cum communiter id negetur, Card. de Lugo d.20. num.25. & Leander id affirmant. Et ratio desumitur tum ex cap.Latorem dist.33.quæst.2. & ex Const. Sixti V. contra malè ordinatos. In qua Pontifex peccatum illud sine aliqua excommunicatione sibi reseruat. Sed licet Sixtus V. ibi non indicat excomunicationem contra malè promouentes, & promotos, tamen inducit contra promouentes suspensionem à collatione Ordinum, & ab executione munerum Pontificalium, & eosdem interdicit ab ingressu Ecclesiæ. Malè autem promotos ipso facto suspendit à ministerio ordinum susceptorum ablata spe ascendendi ad maiores. Vnde ibi non est culpa nuda, sed habet annexam suspensionis censuram, & respectu promouentium etiá interdictú ab ingressu Ecclesiæ, In c.autem Latorem 33.q.2. habetur pœnitentia data à Nicolao Papa cuidam matricidæ. Ex quo solùm colligitur, quód eius Episcopus illum remiserit ad Papam, quód potuit euenisse ex publicitate, & enormitate facti.

584 Nonò difficultas est, an superior possit sibi reseruare casus, ita ut inferior Confessarius nec indirectè ab eis absoluere valeat? Pontificem id posse non est dubium, quia ab eo est omnis iurisdictio inferiorum. In quo tamen casu considerandú est, quód vel necessitas est talis, vt tollat reseruationem, sicut contingit in articulo mortis in quo nulla est reseruatio, & tunc quilibet Confessor absoluit. Vel necessitas est talis, quæ non tollit reseruationem, & tunc si pœnitens ab inferiori nec directè, nec indirectè absolui posset se habere deberet tanquam non habens copiam Confessoris, si non posset adire superiorem à quo absolueretur. Episcopi verò nó possunt impedire quin Confessarij absoluere possint directè à venialibus, & indirectè à reseruatis, quia absoluere directè à venialibus illis competit ex generali concessione Ecclesiæ, & à Summo Pótifice habetur, ut dixerunt Card. de Lugo d.disp.20.num.28. & Leandr. disp.12 q.17. An vero possit Episcopus sibi reseruare vt inferior non possit directè absoluere à mortalibus non reseruatis, & indirectè à reseruatis ... pendere hoc à resolutione illius quæst. an reseruatio illicita sit valida, dixit idem Card.de Lugo.

S V M M A R I V M.

1 An reseruatio illicita sit nulla. n.585.
2 Superiori reseruanti obediendum: licet possit contra eum haberi recursus ad maiorem superiorem num.585.

OBSER-

OBSERVATIO DECIMATERTIA.

585 INspiciendum igitur est. An reseruatio illicitè facta sit valida. Nam etiam factā à Papa esse inualidam si sit illicita, respectu tamen Confessariorum Ordinariorum, tanquam asserit à *Soto in 4.d.18.q.2.a.5.refert* Leander *tract.5. disp. 42.q.18.* Quod falsum esse regenti Sotum apparebit cum expressè sic dicat. *Non potest pro libito saltem Episcopus &c.* Cum ergo in hac difficultate sint variæ opiniones, & non desint qui dicant saltem Episcoporum reseruationem esse inualidam, si sit illicita, alij verò hoc negent, & alij admittentes Episcopos validè reseruare sibi quoscumque casus respectu eorum, qui ex delegatione absoluunt, distinguant, & hoc adhuc limitent, vt non sit verū, de regularibus, alij verò id vniuersaliter intelligāt, Alij inter quos *Suarez de pœnit.disp.30.sec.2. nu.16.* quòd Episcopus non potest plures casus reseruare respectu Regularium, quàm respectu Parochorum & quòd si reseruet inualida sit reseruatio. *Cespedes vero ex Peyrino & Trimarcho cap 6.q.115.* velit quòd si Episcopus occasione alicuius solemnitatis Parochis suis aliquos casus concedat, quòd nisi excludat Regulares ijdem casus eisdem Regularibus concedi intelligantur, quia ex *Clem. Dudum de sepult.* Parochi & Regulares sunt pares. Quod tamen negat *Bordon. ref.6. nu.22.* Ego cum *Card. de Lugo disp.20. num. 32.* existimo controuersiam hanc in ordine ad praxim parùm posse deseruire. Quia etiam respectu Episcoporum vix vnquam cōtingere potest talis reseruatio, quæ vel ex multitudine casuum, vel ex eorum qualitate ita sit illicita, vt manifestè censenda sit nulla, & in destructionē Ecclesiæ, & non in ædificationē, & ita vt hoc sit notoriè adeo nullum, vt sine ope iudicis superioris habendum sit pro nullo. Quare cum reseruare casus sit positum in pendenti arbitrio Episcopi, qui etiam facultatem absoluendi ab eis ex suo arbitrio potest concedere prout sibi bene visum fuerit, existimo, quòd superiori reseruanti obediendum sit, & si adest difficultas illa sit superiori repræsentanda; cum verè dari possit reseruatio adeo illicita, vt sit etiam nulla vel ipso facto, vel quia ex iustitia sit nulla declaranda, tanquam lædens iniustè ius vel Ordinariorum Confessorum, vel fidelium. Vbi verò sicut in Regularibus contingit, dantur à Papa determinati casus reseruabiles, certum est, & notorium, quòd si Prælatus alium sibi reseruare velit, nulliter id facit,

SVMMARIVM.

1 *Episcopi non debent esse difficiles ad delegandam facultatem absoluendi à casibus reseruatis. numer.586.*
2 *Subditi aliquando habent ius petendi Confessorem extraordinarium. n.587.*
3 *Non sufficit licentia petita & non obtenta. numer.588.*

OBSERVATIO DECIMAQVARTA.

586 INterrogabit verò aliquis. An Episcopus teneatur petenti dare facultatem vt absoluat à casu sibi reseruato. Non agimus hic de Prælatis Regularibus, cum nostra inspectio respiciat casus Episcopis reseruatos, & respectu confessionum secularium. In hac parte cum Episcopi habeant Pœnitētiarium generalem, & soleant etiā casus suos pluribus delegare non tam de facili potest contingere casus, in quo Episcopus teneatur authoritatem suam specialiter delegare, alijs ab Ordinarijs suis ministris, vt iste, vel ille ab alio Confessario absoluatur à casu reseruato. Iuuat tamen hic aduertere, & referre verba *S. Thomæ 4. d.17.q.3.a.3.q.4.ad sextum* ibi. *Dicendum quòd in hoc quòd oportet proprio Sacerdoti confiteri, non arctatur via salutis, sed sufficiens ad salutem via statuitur. Peccaret autem sacerdos, si non esset facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri, quia multi sunt adeo infirmi, quòd potiùs sine confessione morerentur, quàm tali sacerdoti confiterentur: vade illi, qui sunt nimis solliciti, vt conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis iniciunt, & per consequens sibi ipsis.* Vnde non debent Domini Episcopi se reddere difficiles ad cōsolandum subditos petentes sibi facultatem cōcedi vt absoluantur etiam ab alijs, quam à ministris ad casus reseruatos deputatis.

587 Quotiescumque enim præter damnum diminutionis famæ apud Prælatum, quod est intrinsecum institutioni Sacramenti, pœnitens sibi timet aliud graue damnum, si Prælato vel à Prælato deputato confiteatur, vt quia timet reuelandam confessionem. vel aliquod scandalum, vel quia Confessarius vtetur notitia confessionis extra forum pœnitentiale, vel aliud simile damnum sibi timet, pœnitens habet ius petendi alium Confessorem. & Prælatus tenetur petenti annuere. Quod & tenetur facere vbi aliàs timeat, in subdito ex eius infirmitate vel non integritatem confessionis, vel communionem sine confessione &c. Ideo bene considerare debent superiores, ne sint faciles ad negandam facultatem absoluendi à reseruatis alijs Confessarijs ab eorum Ordinarijs ministris,

588 Sed vbi Episcopus etiam iniustè neget hanc facultatem, non per hoc pœnitens potest confiteri cuicumque quamuis oppositum teneat *Hostien.* quem sequitur *Palud.4.d.17.q.3.a.2.Sylu.v.Conf. 1.q.6.Richardus 4.d.17.a.3.q.3.Adrian.q.5.de conf. dub.3.* quos refert & probabiliter sequitur *Diana p.3.tr.4.ref.79.* quod æquè probabile iudicat *Leander. q.66* Nam sunt in contrarium aperta iura. In *cap. omnis, de pœnit. & remiss.* ita habetur. *Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta causa, sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat, cū aliter ipse illum non possit absoluere.* Non igitur sufficit licentia petita, & non obtenta. Item in *Conc. Trid. sess.14. cap.7.* Vniuersaliter statuitur, quòd extra articulum mortis sacerdotes inferiores nihil possunt circa casus reseruatos. *D.* etiam *Thomas 4.d.17.q.3.a.3.q.4. ad quintum* habet, *quod in casibus illis, in quibus probabiliter timet pœnitens damnum sibi, vel sacerdoti ex confessione ei facta, debet recurrere ad superiorem, vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi, quòd si licentiam habere non possit, idem est iudicium, quod de illo, qui non habet copiam sacerdotis &c.* Et ita quod nō sufficiat licentia petita, & no obtenta, sed necessaria sit licentia ab Episcopo obtenta vt Confessor inferior possit absoluere à reser

reseruatis dixerunt *Sotus 4.dist.18.p.4.a.2.ad quartū, Layman l.tr.6.c.13.n.3.Card.de Lugo disp.20. n.148. Bassæus v.Confess.5.num.3.Candidus disq.24. art.66. d.8.n.10.Bonac.disp.5.q.7.p.5.§.2.nu.20.Suarez disp. 27.sect.4.concl.2.*

SVMMARIVM.

1 *Quid iuris vbi idem casus pluribus sit reseruatus. num.589.*
2 *Episcopus non potest sibi reseruare casus Papales, num.589.*

OBSERVATIO DECIMAQVINTA.

589 EIusdem peccati seu casus dari ne possunt plures reseruationes,& ita vt ablata vna, alia remaneat? Nam vbi casus sunt distincti, vel etiam vbi pro eadem culpa sunt latæ diuersæ excōmunicationes reseruatæ, tunc bene cōtinget,quòd sint plures etiam reseruationes,eo quòd absolutus ab vna excommunicatione, indigeat absolui ab alia. Ex quo enim quis ab vna excommunicatione absoluitur, non per hoc absoluitur ab alia. Sed vbi vnus solus est casus reseruatus, seu vna culpa cui vna est annexa excommunicatio reseruata, vel intelligitur, quòd sit reseruata ab eodem pluries, siue ab eius successore in officio; & hæc quautùmcumque repetita vnica est reseruatione reseruata; non est enim nisi vnica priuatio facultatis absoluēdi ab eo casu, & reseruatio eiusdem facultatis cui ipse voluit eam reseruari. Et ita huiusmodi reseruatio per vnam facultatem absoluendi totaliter aufertur. Vel intelligitur quòd huiusmodi reseruatio sit à diuersis, vt à Papa, & ab Episcopo. Et in hoc casu ablata reseruatione Papæ, auferri reseruationē Episcopi dixit *Nauar. cap.27.* Sed *Suarez de pœnit.disp.21.sect.4.num.25. & Card. de Lugo disp.20. nu.149.* sentiunt suppositionem esse moraliter impossibilem. Nam ex quo Papa sibi reseruat aliquem casum, ille non est reseruabilis per Episcopum; cum enim Episcopus ab eo absoluere non possit, inaniter illum sibi reseruaret, à quo absoluere non posset, & vbi Papa tolleret suam reseruationem dando facultatem absoluendi ab eo, absolueretur in nihilo obstante Episcopi reseruatione. Quòd si Episcopus sibi casum à Papa reseruatum vellet reseruare sub ea conditione, & spe, quòd si contingeret Papam tollere suam reseruationem simpliciter, tunc casus esset sibi reseruatus imprudens, esset reseruando casum sub incertissima, & moraliter non expectabili conditione. Non enim solent Pontifices casuum sibi reseruatorum tollere reseruationes nisi in casibus occurrentibus dando facultatem & iurisdictionem absoluendi, in quibus casibus velit, nolit Episcopus, pœnitēs absoluitur in nihilo obstante quacūque Episcopi reseruatione. Ita etiam si Episcopus priùs reseruauerit sibi aliquem casum, adueniente reseruatione Papæ cessat Episcopi reseruatio. In decreto etiam Clementis VIII. edito anno 1602. circa casus reseruatos, quod per extensum posui supra num.374. prohibiti sunt Episcopi reseruare sibi casus Pontifici reseruatos. Eandem etiam esse rationē de quibuscumq; superioribus subordinatis, vt moraliter sit impossibile inferiorem Prælatum reseruare sibi casus reseruatos superiori,dixit *Card. de Lugo num.151.* Nam nec inferior Prælatus potest absoluere à casu suo superiori reseruato, aliàs verò non conuenit, vt superior ab inferiori dependeat, quominùs non sit absolutè simpliciter absolutus, qui authoritate superioris fuit absolutus. Si verò detur, quòd sint plures superiores æquales,qui sibi eundem casum reseruent, vt v. Episcopus, & Inquisitor, qui cumulatiuè eandem habent potestatem in materia fidei, & inter eos datur locus præuentioni, per facultatem à quolibet illorū obtentam tollitur reseruatio. Quod verum est ex hac ratione, quia si in absoluendo datur inter similes superiores locus præuentioni, quilibet illorū præuentus absoluere potest, vel dare facultatem absoluendi. Vbi tamen aliquis eorum præuenit, & ad eius forum cognitio negotij sit adducta, alter non habet quòd sit iudex,& causam tractet nisi juxta leges, & consuetudines tribunalis.

SVMMARIVM.

1 *Reseruatio casuum cesat morte Episcopi nisi fiat per statutum. nu.590.*
2 *Etiam à commissis viuente Episcopo potest pœnitens eo mortuo absolui à quocumque Confessario approbato. nu.591.*
3 *An mandata Visitatorum, Prouincialium, & Generalium expirent per eorum remotionem ab officio. n.591.*
4 *Statuta Episcopi facta extra Synodum sunt temporanea. n.591.*
5 *Licentia absoluendi à casibus durat post mortem Episcopi. n.593.*
6 *Gratia facta non cessat ob mortem concedentis. num.592.*
7 *Facultas absoluendi data pro particulari persona re integra expirat morte concedentis. n.592.*
8 *Pro quanto tempore duret. n.593.*

OBSERVATIO DECIMASEXTA.

590 SI verò quæratur, an facultas absoluendi à reseruatis duret Episcopo mortuò? *Præpos. par.3.de Sacram.Pœnit.q.9.dub.2.nu.6.* quem refert *Pasqual.loco citando* arbitratus fuit, reseruationem casuū factam ab Episcopo non cessare per eius mortem,cū hoc ex nullo iure, aut solida ratione colligatur. Sed cōmunis sētentia bene distinguit inter casus reseruatos à iure seu ex lege aliqua,aut statuto, & inter reseruatos simplici reseruatione ab Episcopo. Illi enim casus reseruati manent etiā Episcopo mortuo, quia vis legis æterna est. Sed casus reseruati ab Episcopo per simplicem tabellam aut edictum ob mortem Episcopi cessant, quia talis reseruatio est personalis,& ab homine,& ideo tanquam ordinatio hominis cessat per mortem illius, & sic iurisdictio Confessorum quæ ex reseruatione erat ligata manet soluta, seu quæ erat mortua reuiuiscit. *Sanchez l.8.de matrim. disp.28. n.63. Fagund.in 2.præc.l.8.c.1.n.30. Castellin.de elect.c.20. Tambur.tom.2.disp.13.q.13.nu.5. Pasqual.decis.495. Diana p.6.tr.6.res.41.*

591 Limitat tamen hoc *Diana*, vt non procedat respectu peccatorum quæ pœnitens commisit vi-

viuente Episcopo; non censet, quòd huiusmodi peccata si erant reseruata nô desinant esse ob Episcopi mortem. Sed oppositum est dicendum. Verum quidem est, quòd qui fuit excommunicatus ab Episcopo manet post mortem eius excommunicatus, si non fuit antea absolutus. Censura enim cótracta transit in rem iudicatam, & in quid factū, quod non diceretur, si censura non esset latæ sententiæ sed ferendæ, quia tunc penderet in futurum & mortuo Episcopo non esset lata, nec per ipsum ferri posset. Sed reseruatio est quid ab homine & voluntate Episcopi pendens, & cessat Episcopo mortuo. At verò ad absoluendum vel non absoluendum non debet inspici tempus commissi delicti, sed tempus confessionis illius. Ideo qui commisit peccatum reseruatum quando nullam habebat Confessor iurisdictionem, immò quando ille non erat sacerdos, si tunc cum peccator vult confiteri ille sit sacerdos approbatus ad confessiones, & habens facultatem ad reseruata, bene potest absolui à peccato antea commisso. Ita hic non est inspiciendum tempus in quo peccatum reseruatum fuit commissum, sed si eo tempore; quo peccator illud subdit iudicio Ecclesiæ illud non est ampliùs reseruatum, vel Confessor habet facultatem ab eo absoluendi, validè ab eo absoluit, etiam si antea id facere non potuisset. *Pasqual.decis.496.* vbi cum *Fagundez, & Diana* addit, quòd mandata facta ab Episcopo in visitatione censentur ab homine, vnde est quòd reseruatio tunc facta mortuo Episcopo cessat. Addit verò *Fagundez num.* 31. & cum eo *Diana & Pasqualig. ex Nauar.cap.*27. *num.* 2. idem dicendum esse de mandatis Prouincialium, quæ faciunt in visitatione. Et Pasqualigus idem dicit de visitatoribus, immò & de Generalibus quod cessant eorū officio terminato. Sed certè si mādata visitatorū non durarent officio eorum, terminato pro nihilo mitterētur, & non possent aliquid in futurū ordinare. Ad minus igitur dici debent durare, quantùm durat officium eius qui eos misit. Generales etiam iuxta leges suorum ordinum considerandi sunt. Ideo Fagundez ait decreta facta à Prouincialibus in visitatione non durare post Prouincialium officium, nisi sint confirmata à Generali. In Ord. Prædicatorum Generalis leges perpetuas condere potest, licet quantùm ad censuras & vim præcepti morte eius expirent. Cæterùm in eodem Ordine statuta facta à Generali in visitatione, & extra perpetua censentur, & vti talia habentur. Episcopalea tamen constitutiones & statuta facta extra Synodum temporanea esse. & eius obitu expirare ex *Bald. & DD. in lib.*5. *ff. de verbisignific. Bertachin. Ricc. Sperell. & Genuens.* tradit *Barbos. de off. & potest. Episc. alleg.*93. *num.*23. & supponit *Rota dec.*79. *num.*6. *par.*1. *recent.* & docuit etiam *Pax Iordan tom.*1. *lib.*8. *tit.*1. *num.*44. Vnde sequitur, quòd reseruatio casuum facta extra Synodum morte Episcopi cesset.

592 Quòd si vlteriùs quis inquirat, quantùm duret facultas concessa alicui ad absoluendum à reseruatis? Respondetur, quòd sicut delegatio facultatis audiendi confessiones non cessat mortuo Episcopo, vt pluribus rationibus, & DD. adductis probat *Sanchez l.*8. *de matrim. disp.*28. *nu.*72. ita nec expirat facultas absoluendi à casibus generaliter lata; est enim gratia eiusdem rationis cum facultate simpliciter absoluendi, quæ licet sit concessa in fauorem pœnitentium, is tamen cui conceditur est Confessor, vnde cum illi est concessa est gratia facta. Et in hoc est discrimen inter rescripta iustitiæ, & gratiæ, quòd delegatus per literas iustitiæ re integra perdit iurisdictionem ob mortem delegantis, sed Confessor est delegatus per literas gratiæ, & gratia facta de sua conditione est perpetua. Et ideò facultas audiendi confessiones, vel absoluendi à reseruatis concessa alicui, tanquam gratia facta non expirat morte concedendis, & ita praxis obseruat. Facultas tamen data pro particulari casu, aut determinata persona re integra expirat per concedentis mortem. Data enim est ad fauorem pœnitentis tanquam exequenda à Confessario, & & ideo re adhuc integra non est gratia accepta, sed accipienda, vt habet *Sanchez num.*73. & propterea spirat morte concedentis re adhuc integra.

593 Pro quanto tempore censenda sit durare authoritas absoluendi à reseruatis concessa pro solemnitate Natalis, vel Paschatis, vel alterius celebrioris festiuitatis? Quidam arbitrantur huiusmodi concessionem incipere per dies octo ante solemnitatem & durare per totam octauam, quia in toto hoc tempore solent fideles pro festiuitatis solemnitate confiteri peccata sua. Tum quia sumus in materia fauorabili, & beneficio Principis latissimè interpretando. Sed dico, quòd Domini Episcopi non cōcedunt suam facultatem sine expressa determinatione Initij & finis temporis pro quo erit valitura. Et si contingeret vnquam prouenire huiusmodi confusam & ambiguam concessionem, consulendi essent, & admonendi vt se explicarent, & non relinquerent rem arbitrio huius vel illius ampliandam, vel restringendam cum animarum periculo.

SVMMARIVM.

1 *Pœna contra absoluentes à casibus Episcopalibus, &c. num.*594.
2 *Puniri possunt per Episcopum. n.*595.
3 *Qualiter incurrant excommunicat. Clem. Religiosi de priuileg. n.*596.

OBSERVATIO DECIMASEPTIMA.

594 Tandem videndum est. Qua pœna & à quo puniendi sint Regulares, si absoluant seculares à casibus reseruatis Episcopis sibi non concessis. Contra huiusmodi sic audientes, præsumentes absoluere in decreto Clem. VIII. edito anno 1601. & supra relato num.373. lata est excommunicatio latæ sententiæ Papæ reseruata nisi in articulo mortis, & secundò pœna priuationis ipso facto sine alia declaratione officiorum & dignitatum, aut beneficiorum pariter reseruata. Item tertiò pœna inhabilitatis ipso facto sine vlla alia declaratione ad audiendas confessiones, & ad quæcumque officia prælaturas, beneficia in posterum obtinenda; & hæc quoque pœna est Papæ reseruata. Hanc tamen inhabilitatem ad audiendas confessiones abstulit idem Clemens in decreto edito anno 1602. & relato supra n.374.

595 Ex vi autem Constit. *Inscrutabili* Gregor. XV. supra num. 382. relata Confessarij etiam Regulares in ijs delinquentes subduntur iurisdictioni,

ni, & uisitationi, & correctioni Episcopi tanquam Delegati Sedis Apostolicæ.

596 An uerò ulteriùs incurrant excommunicationem Papæ reseruatam & latam in Clem. *Religiosi* de priuilegijs contra præsumentes absoluere à excommunicationibus Canonis, vel latis in Synodis Prouincialibus, & synodalibus, si ab aliqua ex istis excommunic. præsumunt absoluere, negant aliqui ex eo, quòd Clementina illa per priuilegia sequentia concessa Regularibus fuerit reuocata. Sed fundamentum non est verum. Nam cum Clementina illa expressè excipiat habentes priuilegia, & solùm respiciat absoluentes sine priuilegio, aut licentia, numquam fuit per priuilegiorum concessionem reuocata, sed mansit, & manet in suo robore contra eos, qui sine licentia aut priuilegio à prædictis absoluunt, ideo & illam excommunicationem incurrunt qui ab excommunicationibus quas sibi Episcopi ex statutis Prouincialibus, aut Diœcesanis reseruant, absoluere præsumunt.

597 Sed & præterea obseruandum est, quòd vt dictum est supra n. 439 aliqui arbitrantur, quòd Episcopi absoluentes à casibus reseruatis incidant in excommunicationẽ latam in Bulla Cœnæ can. 18. contra vsurpantes iurisdictiones Papæ, & Episcoporum, eò quòd vsurpent sibi iurisdictionem vel Papæ, vel Episcopi. Sed hanc excommunicationem non incurri dixi supra d. n. 439. vbi etiam n. 433. probaui pœnas Decreti non incurri nisi ab eo, qui præsumat absoluere sub prætextu priuilegiorum.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium Eugen. IV. pro Benedictinis. numer.* 598.
2 *Eiusdem pro monasterio S. Bened. Vallisoleti. numer.* 599.
3 *Sixti Quarti pro Ord. Prædicatorum in Hispania. nu.* 600.
4 *Innocentij VIII. pro Minoribus. n.* 601.
5 *Pauli Tertij & Gregor. XIII. pro Societate. numer.* 602.
6 *Alia priuilegia, & Oracula. n.* 603.
7 *Ex ijs Regulares posse commutare & dispensare in votis colligunt DD. n.* 604.

De facultate permutandi, & dispensandi in votis secularium.

INSPECTIO QVARTA.

598 DE facultate Regularibus concessa commutandi, & etiam dispensandi super votis secularium plura priuilegia referuntur. Nam Eugenius Quartus, in sua Constit. *Etsi quaslibet*, data Bononiæ anno 1436. quæ habetur in Bullar. Cassin. & est 63. & in Bullar. Ord. Prædicatorum fol. 251. Monachis S. Benedicti Congregationis [illegible], facultatem hanc concessit per hæc verba. *Insuper & vota omnia permutare, ac in omnibus, & singulis casibus etiam Ordinarijs, aut per Synodales, aut Prouinciales constitutiones reseruatis cum eis dispensare præter censuras, pœnas, vota, & casus de quibus esset meritò Sedes Apostolica consulenda &c.* In hoc priuilegio nulla conceditur dispensandi facultas, sed solum permutandi, vt aduertit etiam Rodriq. *p.p. q.63. a.3.* Neque enim sub nomine casuum in quibus conceditur dispensatio, veniunt vota, quæ sub nomine casuum minimè significantur. Quàmuis igitur *Miranda p.p. q.48. a.3.* quem sequuti sunt alij nonnulli existimet, quòd ex quo sumus in materia fauorabili, textus iste intelligi debeat, vt concedat etiam facultatem dispensandi in votis eo quia verbum dispensare referri debeat nedum ad casus sed etiam ad vota; tamen legenti textum manifestum est quòd verbum *dispensare refertur ad casus, & dictio ac*, quæ diuersa copulat, & vnit, bene ostendit, quòd duo distincta sunt, vota omnia permutare, ac in casibus dispensare. Et ideo etiam *Lezana p.p. cap. 19. num. 22.* priuilegium hoc dixit esse obscurum, nec ex eo hanc facultatem certò colligi posse. Sed addo, quòd cum sub eadem die detur alia constitutio eiusdem Eugen. IV. pro eisdẽ Cassinẽsibus, quæ incipit *Regularem vitam* & est 9. in Bullar. Cherubini, qui etiam mentionem facit supradictæ Constit. *Etsi quaslibet*, sed dicit se hanc posuisse tanquam pleniorem; in dicta Constit. *Regularem vitam* §. 16. vbi continetur priuilegium hoc absoluendi, nulla datur facultas ad vota commutanda. Facultas autem dispensandi sic exprimitur, vt nullo modo ad vota extendi possit. Hæc enim sunt verba illius constit. *& dispensare super omnes casus, præter ea peccata & eos casus, de quibus ipsis Confessoribus ad eorum Ordinarios videbitur recurrendum &c.* Vnde ex his magis constat, quòd sub nomine casus veniunt peccata, & censuræ, quo quibus absoluendis data fuit ibi facultas.

599 Idem verò Eug IV. monachis S. Benedicti Vallisoleti facultatem dispensandi expressè concessit, non quidem per Breue, nec per viuæ vocis oraculum, sed per simplicem signaturam supplicationis sibi porrectæ, quæ habetur apud Rodriq. in Bullario & est 25. inter Bullas ibidem repertas. In ea verò supplicatione habentur hæc verba. *Ac cum eis, & eorum quolibet dispensare super votis etiam Episcopo reseruatis, & ea commutare in alia pietatis opera totiens, quotiens deuotioni prædictorum videbitur expedire, authoritate Apostolica licitè & liberè possint.* Sed vt aduertunt idem *Rodriq. & Lezana p. p. cap. 19. num. 22.* hoc priuilegium est valde limitatum. Primò enim non est concessum nisi Priori, aut Præsidenti & tribus, aut quatuor monachis dicti monasterij à Priore aut Præsidente deputatis. Secundò virtute illius non potest fieri dispensatio extra monasterium, aut Ecclesiam illam S. Benedicti Vallisoleti, vnde nec Prior ill[illegible], aut monachi possunt extra suum monasterium, aut Ecclesiam vti dicto priuilegio. Et hoc priuilegio frui poterunt solùm quandiu viuant sub regulari obseruantia vt obseruat etiam *Lezana v. motum num. 22.*

600 Ordini quoque Prædicatorum nimirum Vicario Generali Ord. Præd. Regnorum Castellæ & Legionis simile quoddam priuilegium concessit Sixtus IV. quod refert Casarubias *v. absolutio quoad seculares*, & habetur per extensum in paruo bullario Ord. Prædicatorum impresso Venetijs per La-

zarum de Siardis anno 1516. sub num. 152. fol. 124. & in quo inter alia sic habetur; *Ac vota peregrinationis & abstinentiæ per eosdem fideles emissa, quæ loci Ordinarius si præsens esset commutare posset, & ipsi fideles commodè adimplere non poterunt, in ipsius loci Ordinarij absentia in alia pietatis opera commutare.* Priuilegium hoc ad instantiam Ferdinandi Regis, & Elisabeth Reginæ Castellæ, & Legionis fuit concessum Congregationi obseruantiæ Ordinis Prædicatorum in eisdem Regnis existenti. Sed vt apparet est valde limitatum, nedum quia concessum soli Vicario dictæ Congregationis, & Prioribus, seu Præsidentibus Conuentuum, & quatuor confessarijs pro singulo conuentu ad hoc deputatis, sed quia concedit solùm facultatem commutandi vota peregrinationis & abstinentiæ non reseruata Papæ, & hoc solùm in absentia Episcopi. Et prætęrea nulla hic conceditur dispensandi facultas.

601 Ordini etiam Minorum concessit Innocentius VIII. quòd Confessores debitè præsentati possint dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, exceptis votis peregrinationum vltra duas diætas. Ita *Casarub. v. absolutio quoad seculares 2. num. 12.* Sed hæc fuit concessio viuæ vocis oraculo habita, vt patet ibi. Et præterea vt aduertit *Rodriq. tom. 1. q. 63. ar. 3.* & post eum *Lezana p. p.* nec se extendit ad vota omnia Episcopis reseruata. nec conuenit nisi Confessarijs præsentatis & approbatis iuxta formam ab eodem Innocētio Ordinatam. quæ approbatio non erat perpetua, sed ad annum. Ideo nec *Miranda p. p. q. 48. a. 3.* magni facit hoc priuilegium.

602 Paulus porro tertius PP. Societatis hanc facultatem commutandi vota concessit, in sua constit. *Cum inter cunctas*, vt habetur in Bullario societatis fol. mihi 21. ibi. *Nec non illis, & vobis, qui presbyteri fuerint &c. Nec non vota quæcumque per eos pro tempore emissa (vltramarinis, visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum de Vrbe, ac sancti Iacobi in Compostella, nec non religionis, & castitatis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi.* Hanc verò concessionem Gregor. XIII. in sua Constit. *Decet Romanum*, quæ in eodem Bullario Societatis habetur fol. 137. extendit ad vota iurata fol. 143. ibi. *Et insuper facultatem aliàs presbyteris Societatis prædictæ a Sede Apostolica concessam commutandi vota, etiam ad iurata, dummodo commutatio huiusmodi in alterius præiudicium non fiat, extendimus.* Nihil in hoc priuilegio habetur de dispensatione, est tamen amplissimum quantùm ad commutationem, quia non excipit nisi quinque illa vota Papæ reseruata.

603 Referuntur verò etiam priuilegia Martini Quinti, & Iulij II. pro Benedictinis S. Benedicti Vallisoleti, quæ *Antonius a Spiritu Sancto trac. 2. disp. 3. n. 80.* simul cum priuilegio Innocentij Octaui ex Bordono censet esse concessa per Bullas. Sed certè priuilegium Innoc. VIII. apud Casarub. est oraculum viuæ vocis. Priuilegium verò Iulij II. habetur in Bullario Rodriq. constit. 24. Iulij II. & est viuæ vocis oraculum, nec quantùm ad hanc partem aliquid noui continet præter priuilegium supra num. 601. relatum. De priuilegio autem Martini quinti non habeo quid dicam, nisi quòd *Miranda p. p. q. 48. a. 3.* refert illud ex Compendio Societatis, sed an sit, vel non sit oraculum non refert, nec refertur illius priuilegij tenor, vt ex eo po[...] videri quid sit præcisè concessum. *Sorbus autem ap. Casarub. v. dispensatio* inquit, quòd hæc facultas dispensandi a Martino quinto fuit concessa Monasterio B. Mariæ de Monserrato. Quod dicit haberi in quadam declaratione Iulij II. data ad fauorem Congregationis S. Benedicti in Hispania anno 1503. in qua declarat quòd virtute facultatis di[...] Martini Quinti prælati monachi poterant cū adulteria incestuosis dispensare super petitione debiti. Verùm hæc declaratio Iulij II. si est illa, quæ inter huius Pontificis constitutiones est in ordine 24. apud Rodriquez cum in ea declaretur talem facultatem competere præfatis monachis ex vi concessionis factæ monasterio S. Benedicti Vallisoleti, coniectura non leuis desumitur, quòd id quod asseritur de Martino Quinto sit error. Nam prætermisso, quòd declaratio illa Iulij II. est oraculum, facultas illa absoluendi & dispensandi in votis, de qua ibi fit mentio vt facta monasterio S. Benedicti Vallisoleti, & postea extensa ad totam congregationem, illa vnica est, quæ fuit data ab Eugen. IV. & supra num. 599. recensita. Alterius vero concessionis factæ à Martino quinto pro monasterio Mōserrati, seu etiam alterius declarationis factæ à Iulio II. pro monasterio Vallisoleti nullam inuenio mentionem nec apud Casarub. nec in compendio priuilegiorum Christophori de capite fontium, qui diligentissimè omnia antiqua priuilegia collegerunt.

604 Ex his confessarios Regularium deputatos, & approbatos posse commutare secularium vota, aut in illis dispensare, dummodò non sint Papæ reseruata colligunt. *Rodriq. tom. 1. q. 63. a. 3. Mirand. p. p. q. 48. a. 3. Diana par. 3. tract. 5. res. 25.* & alibi sæpe *Coton. l. 1. contr. 12. num. 42. Sanchez. l. 8. de matr. disp. 16. nu. 1. Anton. a Spir. Sancto p. p. trac. 2. disp. 3. num. 80.* & apud eum *Candid. Vdal. & Vrban. Bassans v. votum 7. num. 10. Bordon. tom. 1. resol. 15. Peregrinus v. commutatio §. 1. & v. dispensatio §. 10. Sorbus apud Casarub. v. dispensatio, & v. votum Sayrus in Claui Regia l. 6. c. 11. num. 96. sed Lezana p. p. cap. 19. num. 22.* ait se in allegatis priuilegijs non videre solidum fundamentum ad hoc vt confessores regulares vtantur facultate dispensandi cum secularibus in votis. Et *Lezanam* sequitur *Lucerna regular. v. dispensare num. 3.* Et vt verum fatear rationabiliter de hoc dubitauit Lezana. Nam vsque modò ex sola concessione facta monachis S. Benedicti Vallisoleti deduci non potest, quòd modò hæc facultas competat Regularibus. Et DD. antiquiores plures præcipuè se fundabant in concessione Innocentij VIII. quæ est oraculum nunc reuocatum. In priuilegijs autem Eugenij quarti pro Cassinensibus, vel Sixti quarti pro Prædicatoribus, vel Pauli Tertij pro Societate conceditur sola commutatio. De priuilegio autem Martini Quinti pro monasterio Monserrati non constat nedum an sit oraculum, sed de eius existentia. *Sorbus in v. absolutio* quoad seculares primo refert, quòd Martinus Quintus Congregat. S. Hieronymi de Fesulis concesserit facultatem dispensandi in casibus Episcopalibus. Et iterum quòd possent dispensare in votis ad eorum fauorem cunctis etiam cum absentibus. Et totum hoc refert ex compendio Priuilegiorum dictæ Religionis. Sed nihil dicit vnde c[...]

ligi possit quando & vbi huiusmodi priuilegium fuerit concessum, & an sit oraculum. Vnde hæc omnia sunt incerta. Priuilegium verò Eugen. IV pro Benedictinia Hispaniæ, quidquid dicat Baslæus est omniuo valde restrictum; Et competere potest ad summum quatuor confessarijs, & ij non nisi m accedentibus ad monasterium possunt dispensare, & hoc priuilegium nec illis PP. competere potest, nisi quàmdiu vi erint in obseruantia regulari. Et quia ij quibus communicantur priuilegia non debent esse melioris conditionis, quàm illi, quibus à principio fuerunt concessa, vt considerauit *Rota dec. 177. num. 15. par. 9. recent.* Ideo quatenus alij Regulares communicent in hoc priuilegio, non possunt vti eo nisi cum tribus illis limitationibus, vt scilicet ipsi sint de numero illorum trium vel quatuor, qui à superioribus Domorum ad hoc deputati sunt, & dispensent solùm cum confluentibus aut existentibus in eorum Ecclesijs, aut Domibus, & quatenus ipsi confessores vixerint in obseruantia Regulari sub limitationibus enim istis illis monachis hæc facultas dispensandi in votis fuit delegata, vt videre est in dicto priuilegio, quod per extensum refert etiam *Lezana v. votum num. 25.* sed præterea ego suspicor, quòd nec in dicto priuilegio concedatur facultas dispēsandi propriè, & strictè sed solùm dispensandi commutando. Verba enim priuilegij sunt. *Ac cum eis, & eorum quolibet dispensare supra votis etiam Episcopo reseruatis, & ea commutare in alia pietatis opera potens, quotiens &c.* Cum vero dispensatio votorum genus quoddam sit, & totum comprehendens etiā commutationem, quæ non fit sine aliqua relaxatione & dispensatione super obligatione voti; maximè quando commutatio fit in minus, vnde commutatio est veluti species, aut pars dispensationis, hinc habet hic locum regula illa, quam dictione 100 ponit Barbosa, scilicet, quòd quando dictio & ponitur inter genus & speciem tunc stat declaratiuè, & limitatiuè, vt in proposito sensus sit, quòd concedatur dispensare non quomodocumque sed commutando vota in alia pietatis opera. Nam si Pontifex id intellexisset disiunctiuè facilius erat dicere *dispensare vel commutare*; & cum commutare sit quid minus quàm dispensare; immò cum, vt infra probatur in facultate dispensandi contineatur facultas commutandi, ordo loquendi volebat, vt daretur priùs tanquam quid minus facultas commutandi, quàm dispensandi; Nam data priùs facultate dispensandi, iam data erat facultas commutandi. Ideo planior intellectus dicti priuilegij est, quòd Pontifex solam facultatem commutandi seu dispensandi commutando concedere voluerit. Addo, quòd dispensatio votorum propriè dicta non solet concedi, vnde nec in Bulla Cruciatæ, nec in Bulla Iubilæi conceditur; At verò in ... io, & nisi exprimantur per concessionem generalem non intelliguntur concessa, quæ specialia sunt, & non solent concedi. *Rota dec. 55. p. 5. diuersor. & decis. 214. p. 2. Recent.* & aliàs pluries. Peregrinus locis citatis mentionem facit priuilegij ... uius concessi Religiosis S. Bernardi, Sed eius rationem non inuenio. Vnde his stantibus nec ego video solidum fundamentum quod confessores Regulares possint cum secularibus in eorum votis ... pensare nisi commutando vota.

SVMMARIVM.

1 *Nullum votum propriè Episcopo reseruatum. numer. 605.*
2 *Tria tantum esse vota Papæ reseruata, aliqui sentiunt. n. 606.*
3 *Alij volunt esse plura quam quinque. n. 607.*
4 *Votum non peccandi non reseruatum. n. 607.*
5 *Vota perpetua quæ reseruata. n. 607.*
6 *D. Th. explicatur. n. 607.*
7 *Vota reseruata Papæ ex generali consuetudine sūt quinque. n. 608.*
8 *In eis non dispensat legatus. n. 608.*
9 *Votum ex sola vouentis intentione non est Papæ reseruatum. n. 608.*
10 *Nunc vota Papæ reseruata sunt plura quam quinque. n. 609.*

605 DVbitatur autem primò, quænam & quot sint vota Papæ reseruata? Potuisset autem quæri priùs, quæ sint vota Episcopis reseruata? Sed locum non habet quæstio, quia nullum est votum Episcopis reseruatum; quoniam nullum est votum, in quo inferiores Episcopo possint dispensare, vnde nullum est quod sit Episcopis reseruatum; id enim dicitur reseruari Episcopo, cuius facultas aufertur ab inferioribus, cum de iure ablata reseruatione illis competeret, & Episcopo reseruatur. Nullius autem voti alterius commutandi, aut dispensandi facultas competit inferioribus Episcopo, hæc igitur facultas non est Episcopis reseruata, *Suarez tom. 2. de voto l. 6. cap. 21. num. 1. Sanchez l. 4. moral. cap. 40. nu. 5.* Competit verò tam de iure communi, quàm de iure speciali Episcopis facultas commutandi, aut dispensandi in votis, sed non in omnibus, & si dicatur dari vota reseruata Episcopis quoniam hoc expresse habetur in recensito priuilegio Eugenij IV. monachis S. Benedicti Vallisoleti. Respondetur quòd ibi vox *reseruatu* sumitur comparatiuè & distinctiuè à reseruatis Papæ, vt sit sensus quòd conceditur facultas commutandi vota reseruata Episcopis, idest in quæ possunt Episcopi, non verò vota Papæ reseruata. Non quia dentur aliqua vota non reseruata, quæ ab inferioribus Episcopo commutari possint. Propterea hic quæritur quænam sint hæc vota quæ non sunt Episcopalia, sed sunt Papæ reseruata.

606 Variè autem multùm opinatum fuit circa horum votorum numerum, alijs volentibus ea esse tria, nimirum votum religionis, perpetuæ castitatis, & peregrinationis Hierosolymitanæ. *Richar. 4. d. 38. a. 9. q. 2.* Alij verò existimauerunt esse solùm duo, scilicet votum Religionis, & castitatis, dicentes votum peregrinationis Hierosolymit. Rom. & compostellanæ tunc solum esse reseruatum Papæ, cum promittitur non intuitu solius deuotionis, sed in subsidium eorum locorum. *cap. ex multa, cap. super his de voto. Panorm. in d. cap. ex multa num. 4. Angel. v. votum 4. num. 6.* & satis innuit *Gloss. in d. cap. ex multa, v. incumbit.*

607 Verùm alij voluerunt, quòd huiusmodi vota essent plusquàm quinque. Nam votis religionis, castitatis, peregrinationis Romanæ, Hierosolymitanæ, & Compostellanæ, addiderunt votum

con-

conuertendi debita incerta in subsidium terræ sanctæ *Rosell. v. votum 5. num. 7. & v. votum 6. num. 1. Aug. v. votum 4. n. 13. Sylnest. v. votum 4. q. 3. dicto 5.* Alij addiderunt votum assumendæ crucis in qualibet expeditione, quam Pontifex fecerit. *Host. in sum. tit. de voto §. qualiter. n. 12. Henr. cap. 1. num. 2. de voto Abulensis cap. 30. Num. q. 108.* Alij adiunxerũt votum peregrinationis Lauretanæ. *Nauar. comm. 1. nu. 21. de regul. Sorbas v. votum not. 3. Rodriq. in Bulla Cruc. §. 9. nu. 104.* Nam & hoc votum reseruatum fuit in diplomate cruciatæ de anno 1561. Alij addiderunt votum non peccandi, quod immò dixerunt esse incommutabile, & indispensabile ex eo quòd nec detur bonũ maius vel æquale huic, quod est non peccare, & nec detur potestas, quæ possit auferre obligationem ad non peccandum. Ita *Caiet. tom. 2. opur. tra. 11.* qui est de voto, q. 1. cui fauent Gloss. & Canonistæ plures in cap. p. de voto. Cum tamen hic distingui debeat obligatio ad non peccandum, quæ ex lege oritur, & quæ oritur ex voluntaria promissione voti; nam licet prima non sit dispensabilis, secunda tamen dispensabilis est, & immò de facili dispensari potest, & conuenit, quia simile votum vix est consulendum nisi quando vir est prudens, & ex vna parte propositi tenax, & constans, & ex alia procliuis ad peccatum aliquod; vnde sperari potest, quòd si voueat non peccare, votum seruabit, & à peccato abstinebit, vt considerauerunt *Sotus l. 7. de inst. q. 1. a. 3. col. 9. vers. Tametsi vt verum fatear. Nauar. cap. 12. nu. 65. Azor. p. 1. lib. 11. cap. 14. q. 4. Sayr. in Claui Regia l. 6. c. 3. nu. 17. Sanchez l. 4. moral. cap. 40. num. 12.* Alij superaddunt omne votum perpetuum dantes pro Regula, quòd Episcopi sit dispensare solùm in votis temporalibus, Papæ verò in perpetuis, & videtur hæc regula desumpta ex *D. Thom. supra q. 184. a. 6. c. & q. 185. a. 4. & infra q. 189. a. 7. c. & 4. d. 38. q. 1. a. 4. q. 2. c.* sed tamen D. Thom. non fuisse loquutum de omni voto perpetuo communiter intelligitur, sed vel de voto, quod per se ex natura sua est perpetuum quia ex natura obiecti est tale, quale est votum Religionis, aut votum castitatis, vt dixerunt *Caiet. supra q. 88. a. 12. circa solut. ad 3. Sylnest. v. votum 4. q. 3. d. 6. Tabien. v. dispensatio q. 9. num. 1. Armill. v. dispensatio num. 18. Sotus l. 7. de inst. q. 4. a. 3. ad vltimum. Sayrus in Claui Reg. l. 6. c. 11. num. 43. & 44. Azor. p. p. l. 11. c. 18. q. 4.* Vel loquitur D. Thom. de reseruatione quasi intrinseca, & petita quasi ex natura grauitatis materiæ, qualia sunt vota, quæ constituunt statum perfectionis, interquæ D. Thom. numerat votum non deserendæ Ecclesiæ emissũ ab Episcopo in assumptione Episcopatus, de quo voto loquitur in prioribus locis citatis, & ita in 4. dixit votum religionis, & alia huiusmodi vota perpetua. *Suarez de voto l. 6. c. 21. num. 10. Sanchez l. 4. mor. cap. 40. num. 11.*

608 Quoniam igitur non datur in iure textus in quo enumerata vota decernantur reseruari Papæ, ideo ea non esse reseruata dixerunt *Suarez d. cap. 21. & Sanchez d. cap. 40.* Ideo quòd quinque sint vota Papæ reseruata, nempe votum religionis, perpetuæ castitatis, peregrinationis Romanæ, Hierosolymitanæ, & Compostellanæ, ex generali consuetudine Ecclesiæ, etiam si huiusmodi vota peregrinationis ex sola deuotione fuerint emissa, colligitur ex cap. *Etsi Dominici la 2. de pœnit. & remiss.* vbi excõmunicantur commutantes huiusmodi vota, & vbi non reseruantur, sed supponuntur reseruata. Vnde hoc tenuerunt D. Thom. supra *q. 88. a. 12. ad 2.* & alij DD. communiter, quos abundè refert *Sanchez d. lib. 4. c. 40. num. 8.* Et hæc vota ita sunt Papæ reseruata, vt nec Legatus à Latere possit in eis absque speciali Papæ concessione dispensare. *Panorm. cap. ex multa num. 4. de voto.* Eorum verò reseruatio ex Ecclesiæ dispositione est, non verò ex sola vouentis voluntate; Nam quantùmcumque vouens se obliget, & promittat intendens vt nullus Pontifice inferior in suo voto dispensare possit, non per hoc votum erit papale, sed poterit dispensari ab Episcopo. *Suarez d. l. 6. cap. 21. n. 15. Sanchez d. c. 40. n. 13.*

609 Quàmuis verò hæc de iure antiquiori vera fuerint, nunc tamen dicendum est, quòd vota reseruata Papæ sunt plura quàm quinque. Hoc enim primò constat de voto simplici emisso in aliquibus Religionibus ex vi legum illarum de non procurandis, & admittendis Prælaturis, & dignitatibus extra illas, nisi Religiosus ex præcepto legitimi superioris legitimè ad id compellatur. In hoc enim voto solum Pontificem posse dispensare, vel illud commutare declarauit & decreuit Vrbanus VIII. in sua constitut. *Honorum* quæ est 165. ex quibus satis apertè colligitur idem dicendum esse de alijs similibus votis, quæ v. g. emittunt Religiosi aliqui ex vi legum sui Ordinis propterea supra *q. 185. a. 8. num. 168.* dixi nullum Papa inferiorem posse huiusmodi vota commutare, vel in eis dispensare. Quàmuis enim Pontifex ibi id decernat solùm de voto non procurandi aut liberè admittendi dignitates extra Ordinem, tamen cum illa constitutio sit declaratio, ex identitate rationis se extendit ad omnia similia. Et colligitur etiam ex proemio d. Constit. ibi. *Nihilominùs aliqui ex ipsis Regularibus, etiam translati ad alios Ordines Regularium etiam Mendicantium, qui prædictum aut simile votum non emittunt.* Ex his enim colligitur, quòd Pontifex huiusmodi omnia vota, quæ ex Religionum institutione emittuntur habuerit pro similibus, & ex natura rei ex eadem ratione indispensabilibus. Votum etiam quod finito nouitiatu emittunt simul cum iuramento, Clerici Congreg. Doctrinæ Christianæ erectæ in Vrbe in Ecclesia S. Agathæ transtiberim, promittentes se perpetuò mansuros in eadem Congregatione est incommutabile, & indispensabile nisi per Pontificem ex Constit. 12. Gregor. XV.

SVMMARIVM.

1 *In concessione generali commutandi vel dispensandi in votis non venit facultas dispensandi in votis Papæ reseruatis. n. 610.*

2 *In concessione commutandi vota Papæ reseruata comprehenduntur. n. 611.*

3 *In concessione reseruatorum si excipitur aliquod, exceptio ampliat concessionem ad æqualia & minora, non vero ad maiora. n. 612. 613.*

4 *In concessione reseruatorum expressio vnius cum particula etiam, extendit ad minora non ad æqualia, aut maiora. n. 614.*

5 *Votorum simplicium, quæ ex vi legum aliquarum Religionum cum quadam solemnitate emittuntur*

commu-

commutatia non intelligitur concessa, nisi exprimatur. nu.615.

6 *Prædicta vota sunt maiora voto castitatis, & Religionis. n.615.*

7 *Votorum simplicium, quæ in particularibus Congregationibus emittuntur, & sunt reseruata Papæ, commutatio non intelligitur concessa nisi exprimatur. n.616.*

610 DVbitatur autem secūdò vnde cognosci possit, an Pontifex alicui concedat vel in totum vel in partem facultatem, commutandi, uel dispensandi in uotis sibi reseruatis? De hoc uerò nonnullæ regulæ considerari debent. Prima est ut in generali indulto uotorum hæc uota Papæ reseruata nunquam intelligantur comprehensa, nisi exprimantur. *Sotus lib.7. de iust. q.4. a.3. in fin. corp. Suarez l.6.de voto cap.25. num.4. Sanchez d. cap.40. num.16. Layman.l.4.tr.4.c.8. num.7. Bonac. de legib. disp.4.q.2.p.7.§.4.nu.12. Rodriq. Filliuc. Vega, Henriq. Leon. Lauor. Bass.* quos refert, & sequitur *Pasqual.de Iubil.q.292.num.3. Bassæus v.votum 7.nu.2. arg.sump.ex cap.vn.de voto in 6. & Gloss.ibid.* quia textus ille habet quòd in generali concessione non ueniant, quæ non esset quis in specie uerisimiliter concessurus. Et quòd ratio reseruationis addita alicui casui facit eum esse difficilioris concessionis, & talem, qui non sit verisimiliter concedendus, nisi id exprimatur. Cum ergo illa vota conueniant in hoc, quòd sint reseruata, bene sequitur quòd in generali concessione non intelligantur concessa nedum vota religionis, & castitatis vt voluit *Sotus l.7.de iust.q.4.a.3.in fine corp. & Sanchez l.8. de matrim. disp.9.num.2. & apud Pasqualig. vbi supra Rodriq.in Bullam Cruciata §.9.num.124. & Maldes. in 22. trac.50.cap.5.dub.10.* sed etiam vota peregrinationis vt tradiderunt *Sanchez d.l.4.mor.c.40. nu.16. Suarez, Layman, Bonac.vbi supra Lauor.& Filliuc.* quos sequitur *Pasqualig.d.q.292.num.3.* Quod confirmatur. Quia Sixtus IV. in extrauag.*& si Dominici* de pœnit. & remiss. omnia illa quinque vota æquiparat, vt non sine speciali licentia Papæ possint commutari, vel in eis dispensari.

611 Regula secunda est, vt si Papa alicui concedat absolutè vota sibi reseruata absque limitatione, & restrictione, intelliguntur concessa omnia illa quinque. Satis enim vnum quodque illorum exprimitur expressa reseruatione, nec datur inter ea tanta inæqualitas, vt magis expressa mentio alicuius haberi debeat, huius enim maioris expressionis necessitas ex iure non constat; ideo si Papa alicui det indultum ad vota sibi reseruata, tale indultum ad omnia se extendit. *Suarez l.6. cap. 25. num.5.Sanchez d.num.40.num.17.Bonac.d §.4. n.13. Boss.* quem refert & sequitur *Pasqual.d.q.292. nu.5.*

612 Sed si in indulto votorū Papa aliquod eorum excipit. Quia hoc multipliciter fieri potest, non potest cadere sub vna regula. Nam si excipiet quæ habentur vt minora, non per hoc intelliguntur concessa maiora, vt si excipiat votum peregrinationis Romanæ, non per hoc intelligitur concedere vota religionis, & castitatis, quæ maiora iudicantur. *Sotus l.7.de iust.q.4.a.3.in fin.corp.Sanchez d.c.40.num.20.Suarez d.cap.25. num.7. Bonac.d.§.4. num.13.Bassæus d.votum 7.num.12.Pasqual.d q.292. num.9.* Nec obstat, quòd exceptio firmat regulam in contrarium, quia hoc non procedit vt ampliet ad ea, quæ non sunt de genere regulæ. *Roman.consil.498.in fin.Socin.cons.47.num.2.& 3.l.2.Surd. consil.352. num.12.& decis.100. num.9. Bald. cons.135. lib.1.Alex.cons.28.num.11.lib.1.* Vota verò castitatis in alio genere continentur cum sint strictissimè reseruata, & ex vsu, & consuetudine, vel nunquam, vel rarò concessa. Si verò Papa nedum simpliciter concederet facultatem commutandi vota præter v. g. votum Romanæ peregrinationis, sed concederet vota reseruata præter votum peregrinationis Romanæ, tunc *Pasqualig. vbi sup. num.10.* putat quòd concederetur facultas etiam pro votis Religionis & castitatis citans pro hac sententia DD. supra ab eo num.9. citatos, quia tunc concederetur in generali facultas ad reseruata, & exceptio voti peregrinationis esset de regula, & ampliaret ad omnia reseruata. Sed *Sotus, Suarez, Sanchez & Bonac.* ab eo citati hoc non dicunt, & Sanchez expresſè docet oppositum & ratio allata à cæteris hoc idem confirmat, quia nimirum vota castitatis, & Religionis sunt maiora & dissimilia cæteris, & quæ non solent concedi, & non sunt de communi genere reseruatorum, sed talia, quòd Pontifex non esset illa concessurus. Vnde exceptio alicuius ex votis peregrinationis non ampliat concessionem ad vota castitatis & religionis dissimilia longè, & maiora. Nisi exciperentur omnia minora, vt si exciperentur vota peregrinationis Romanæ, Hierosolym. & Compostell. quia hoc modo intelligerentur concedi vota religionis, & castitatis, quia aliter concessio reseruatorum esset inutilis omnino: quoniam tria alia vota excepta essent expresſè in indulto; si ergo & alia duo intelligi deberent excepta nulla essent concessa.

613 Quàmuis verò excepto vno ex minoribus non intelligatur concessum maius, intelliguntur tamen concessa alia æqualia, vel minora; vt si in indulto excipiatur votum peregrinationis Romanæ intelliguntur concessa vota aliarum peregrinationum quæ sunt æqualia, non tamen vota Religionis, & castitatis, quæ sunt maiora: similiter si in indulto dicatur *concedimus vota reseruata excepto v. g. voto castitatis*, intelligitur concessum votum religionis, quod respectu voti castitatis se habet vt æquale. Excepto autem maiori censetur concessum minus, & sic concessis votis reseruatis exceptis votis castitatis, & religionis intelliguntur concessa vota peregrinationis. Quoniam exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. *cap.dominus.32.q.7. & cap.2.* de coniugio leprosorum *l. nam quid liquidi.ff.de pen.leg. Bart.in l.quæsitum §.denique ff.de fund. instruc.Grat.discept.922.num.31.Dec.cons 552. nu.2. Alex.cons.64.num.4.l.4: Rota dec 51.n.10. & dec.69. num.4.par.1.& dec.224 num.9.p.7.& dec.357. n.17. p.9. recent.* & licet hæc regula intelligatur de casibus, qui aliàs ea non apposita clauderentur sub regula. *Couar. l.2.var. c.5. num.7.* vnde non videtur quòd ea regula locum habere possit in præsenti, quia sub concessione generali omnium votorum nullum reseruatum clauderetur, si non apponeretur exceptio, igitur exceptio maiorum votorum non operatur, quòd minora comprehendantur, quia non apposita exceptione, illa non fuissent comprehensa. Nihilominùs dicitur, quòd licet exceptio non deret ad ampliandam regulam, vt extendatur

ad eos casus, qui exceptione non posita non claudirentur sub regula, tamen hoc fallit, quando exceptio illa, si omissa foret, non clauderetur sub regula, tunc enim exceptio apposita ampliat ad casus minores, & similes, vt comprehendantur sub regula etiam si exceptione non apposita non clauderentur; sicut in præsenti, si Papa concedat reseruata excepto voto castitatis; si enim hæc exceptio omissa esset, nec votum castitatis comprehenderetur sub generali votorum concessione, & ideo ea apposita ampliat & extendit concessionem ad vota minora & similia. Et hoc clariùs potest explicari, quia in concessione votorum si Papa expresse concedit reseruata excepto v. g. voto castitatis, iam nulla est difficultas, quia exceptione ablata alia vota similia caderent sub regula, quia continerentur sub voto reseruato, quod conceditur excepto illo vno. Sed si etiam concessio expresse non concedat reseruata, sed dicat concedimus omnia vota excepto voto castitatis. Ex hoc satis indicat quod conceduntur vota reseruata, quia inaniter poneretur exceptio illa, cum si non conceduntur reseruata, non sit vnde excipiatur votum castitatis, cum nec illud, nec alia concedantur. Ex quo igitur vnum ex reseruatis excipitur, habetur quòd reseruata conceduntur, & quòd exceptio illa ampliat ad alia reseruata minora, vel similia. Et sic regula est quòd vnius, vel duorum votorum exceptio dum vota conceduntur non ampliat quidem regulam ad vota maiora, & quæ expressiori concessione indigent, sed ampliat ad minora & æqualia. Et sic si excipitur vnum ex maioribus, vt v. g. votum religionis, omnia alia intelliguntur concessa, scilicet votum castitatis, quia æquale; vota peregrinationis, quia minora. At si excipitur vnum ex minoribus, vt v. g. votum peregrinationis Romanæ intelliguntur concessa alia vota peregrinationis, non verò vota castitatis, & Religionis, quæ sunt maiora.

615 Sed si concessio fiat non per exceptionem, sed per expressionem vnius, vt si dicatur, *concedimus vota etiam votum castitatis*, concessio non se extendit ad æquale, non enim valet consequentia, cum immò maius sit concedere duo, quàm vnum, *Suarez d.c.25.nu.8. Pasqualig. d.q.292. nn.7.* & apud eum *Lean*, *&* *Bossius Bassaus v. votum 7.nu.12.* sed tamen se extendit ad minora. Quia dictio *etiam* est implicatiua, & importat idem esse in casibus minoribus. Et sic concessis votis cum clausula *etiam voto religionis*, intelliguntur concessa vota peregrinationis minora. Sicut si Papa concederet facultatem absoluendi à censuris etiam ab incursa ob hæresim, intelligeretur concessa facultas absoluendi ab alijs censuris reseruatis. *Sanchez d.cap.40. num.21.*

615 Sed loquendo de votis simplicibus, quæ ex Religionum instituto emittuntur, quale est votum PP. Societatis, & Discalceatorum Carmelitarum & aliorum de non procurandis, immo nec admittendis Prælaturis extra ordinem nisi comferantur præcepto superioris; sub nulla concessione generali veniunt, nisi exprimantur. Quod de præfato voto expresse sanciuit Vrbanus VIII. in d. Const. 165. & de alijs asserendum est ex eadem ratione. Et quia huiusmodi vota perpetua sunt, & sunt veluti substantialia specifico statui perfectionis taliũ Religionum, & non nihil solemnitatis habent, ideo certè maiora sunt votis peregrinationis cuiuscumque, & si non maiora, saltem æqualia votis Religionis, & castitatis, sed credo esse maiora ratione solemnitatis, quam participant & connexionis cum voto solemni professionis, cui annexa sunt, & ad quod quodammodo spectant. Vnde est, quòd attenta speciali constit. Vrbani VIII. decernente, quòd præfatum votum de non procurandis dignitatibus &c. & ex consequenti alia similia non veniant sub concessione generali votorum, si Papa modò concedat alicui facultatem votorum cũ exceptione alicuius, vt v. g. cum exceptione voti Religionis si non concedat expresse præfatum votum, & similia, concessio ad illud, vel illa non se extendit.

616 Sed & vota huiusmodi specialia, quæ in particularibus Congregationibus, vt est illud, quod emittitur in Congregatione Doctrinæ Christianæ, & sunt speciali iure reseruata sanctissimo in generali votorum concessione non veniunt, cum sint particularia quædam, & ex causa speciali reseruata, cuius cognitio non necessariò præsumitur in summo Pontifice; eaque talia sunt, quæ Pontifex verisimiliter non concederet, si ei innotescerent.

SVMMARIVM.

1 *Vota quinque reseruata censentur si sint perfecta. num.617.*
2 *Regulares possunt commutare vota quæ potest Episcopus. n.618.*
3 *Non tamen quæ Episcopus potest commutare vel in eis dispensare ex Epykia. n.618.*
4 *Vota dubia sunt commutabilia. n.619.*
5 *Et ea, ad quæ non est obligatio sub mortali. n.620.*
6 *Et vota disiunctiua quarum vna pars nõ est reseruata. n.621.*
7 *Etiam si pars non reseruata sit facta impossibilis. num.622.*
8 *Et vota à Papa in materiam non reseruatam commutata. n.623.*
9 *Votum non fit commutabile ex metu leui. numer. 624.*
10 *Votum temporale est commutabile. n.625.*
11 *Votum tripliciter conditionatum. n.626.*
12 *Opiniones diuersæ. n.627.*
13 *Motiua secundæ opinionis. n.628.*
14 *Motiua primæ opinionis. n.629.*
15 *Consensus conditionatus ex parte obiecti non est imperfectus. n.630.*
16 *Voluntas absoluta ex parte volentis perfecta. numer.630.*
17 *Consensus de præsenti imperfectus si resoluitur in consensum de futuro, vel est cõditionatus ex parte volentis. n.631.*
18 *In voto conditionato de futuro consensus non resoluitur in consensum de futuro, nec conditionatum ex parte volentis. n.632.*
19 *In votis conditionatis consensus est perfectus. numer.632. & 633.*
20 *Quomodo dicatur suspensus. n.632.633.*
21 *Votum conditionatum purificata conditione est indispensabile. n.634.*
22 *Votum solum obiectiue conditionatum & ex suppositione est perfectum n.634.*

Et

617 DVbitatur tertiò an & in qnibns casibus Regnlares virtute priuileginrum pussint cômmutare, ant dispensare in Illis quinque votis exceptis, & Papæ reseruatis? Nam illa quinque vota censentur reseruata si sint perpetua, absoluta, & perfecta. *Lezana p.p.cap.19.n.24 Card.tom.2. disq.2. a.vnico dub.6. Anton.à Spir.S. trac.2. disp.3. num.81. Bonac.de leg. disp.4. q.2. p.7.§.4.num.17.* & alij DD. in sequentibus casibus referendi. Quia veró in pluribus casibus possūt huiusmodi vota deficere à perfectione, ideo & in eisdem Regulares vi priuilegiorum possunt dispensare, vel cummutare.

618 Datur verò hæc prima Regula, qnia scilicet in ijs casibus in qnibus Episcopi possunt anthoritate ordinaria vota papalia commntare, aut in eis dispensare ex eo quòd illa ex sni imperfectione non censentur reseruata; idem iuxsta prædicta virtute priuilegiornm possunt Regulares. Sciendū est enim, qnód ex duplici causa Episcopi possunt dispensare in votis papalibus. Prima quia illa nō sint resernata ex eorum conditione, & imperfectione. Secunda quia licet veré sint vota perfecta & absolnta & reseruata, nihilominùs vel ex concessinne Papæ expressa, vel ex ea præsumpta ratione alicuins necessitatis grauis, licet eis vota commutare, vel in eis dispensare. Ex hac secunda causa non licet Regularibus commntare, vel dispensare in votis. Oppositum hujus tennit Crousers in Regulam S. Francisci cap.7. lec.29. & fundatur præcipuè in hoc, qnòd Episcopus in casibus necessitatis dispensans seu commutans in votis castitatis, aut Religionis, non faciat hoc ex virtute delegata, sed ex potentia ordinaria. Ex eo quia in iure nulla sit lex quæ illa quinque vota resernet Papæ, sed reseruatio illa inducta sie ex praxi & vsu Ecclesiæ, & sic in Episcopis remansit pro casibus necessitatis residuum illius facultatis, quod de iure habet ad commurandum, vel dispensandum in quibuscumque votis, vt verè huiusmodi vota in casibus necessitatis non sint reseruata, & Episcopus in ijs possit ponere manus auctoritate sna ordinaria. Sed nihilominùs quòd Regulares in nullo casu possint commutare aut dispēsare in votis Papæ reseruatis si sint absoluta, & perfecta, nec in casu necessitatis tenuerunt. *Sanchez l.2. de matrim.disp.40.num.9. & l.8.disp.15. an.10. & l.4.mar.c.43.num.7. Suarez lib.6.c.16. num.18. & 19.* & apud eum *Rodriq. Diana p.6.tr.6.resol.50.* & apud eum *Henriq. Miranda tom.1 q.47.a.4.ex Panorm.cap. verum nu.9. de foro compet. & Felin.cap. cum te.n.17. de Rescrip. Bonac. de leg. disp.4. q.2. p.7.§.4.num.16. Barbosa de off. & potes. Epis.all.37.num.14.* Tum qnia ex vi priuilegiorum nulla eis conceditur facnltas ad vota perfecta, absoluta, & verè reseruata Papæ. Tum quia Reguiares secluso priuilegio nullam vel minimam facultatem habent ad vota commutanda, vel dispensanda; qnid enim illi valeant ad relaxandas obligationes, qnibus fideles sponte se Deo obligarunt? Ideo nihil possunt, nisi quantùm sibi conceditur, cum igitur in priuilegijs expressè excepta sint vota papalia, & declaretur facnltatem ad illa non concedi, non est vnde illa relaxare possint sed episcopi potestate sua ordinaria spectata possunt relaxare in sua diœcesi quæcumque votaea vel commutando, vel in eis dispensando, ideo si aliqua vota à Papa reseruantur reseruatio respectu eorum est odiosa & strictè intelligibilis, atque propterea vt reseruatio non extendatur in aliquibus casibus taliter, quòd Episcopi non possint vti potestate sua iuxta boni communis, & Ecclesiæ exigentiam. Ampliùs dato etiam, quòd Episcopi potestate ordinaria possint dispensare, aut commutare ex epijeia vota illa quinque reseruata in casu necessitatis, non sequitur quòd possint in ea Religiosi, quia ipsi nihil possunt nisi inquantùm eis ex delegatione conceditur, at verò illis non conceditur quòd in illis possint dispensare, vel ea commutare, nec in eis locum habet epijcia, quia immò in facultate concessa expresſè illa vota sunt excepta. Quod verò *Sanchez d.cap.43.num.7.* ponit distinctionem inter commutationem, & dispensationem dicens, quòd ratio magis vrget, vt prohibita sit commutatio quàm dispensatio. Quia in facultate commutādi expresſè excepti sunt illi quinque casus. Sed in facultate dispensandi non inuenitur hæc exceptio, sed solùm intelliguntur excepti, quia ob eorum specialem rationem non veniunt sub cōcessione generali. Habet instantiam, quia immò, vt probatum est nec est satis certum, aut firmum, & rationabile, quòd Regularibus fuerit vnquam concessa facultas dispensandi in votis secularium. Tum secundo quia à fortiori si Regulares non possunt, sed prohibiti sunt commutare illa quinque vota, multò magis sunt prohibiti in eis dispensare. Tum tertiò quia cum non dentur vota propriè Episcopis reseruata, nisi comparatiuè ad reseruata Papæ, etiam si per priuilegium Eugenij IV. supra num.599. relatum fuisset Regularibus concessa facultas dispensandi in votis secularium ex qno datur facultas dispensandi in casibus etiam Episcopo reseruatis, satis significatur, quòd negatur facultas dispēsandi in votis resernatis Papæ. Nullibi uerò reperitur concessa Regularibus absolnta facnltas dispensandi in uotis, sed concessiones examinaræ supra loquuntur uel de notis Episcopo reseruatis uel de uotis in quibus possunt Episcopi dispensare, & sic semper exclusa sunt uota Papæ reseruata. Quantùm uerò ad Cnusers additur, quòd

facultas dispensandi in uotis in quibus possunt Episcopi fuit oraculum Innoc. VIII. etiam non authenticum. In priuilegijs verò Eugenij IV. solùm habetur facultas dispensandi in casibus, & votis Episcopo reseruatis; ergo non à casibus reseruatis Papæ. Quod verò per epijciam aliquando Episcopi dispensent etiam in votis reseruatis Papæ, in hoc siue lex siue praxis industriantij, & dignitatem Episcopalem respexit, nec priuilegia se extendunt ad id, quod Episcopis ex epijcia permissum est. Cæterum in ijs postea casibus in quibus vota censenda sunt imperfecta, & non reseruata, quantùm potest Episcopus, tantùm virtute priuilegiorum possunt Regulares Confessarij aliàs habentes ad hoc requisita. *Suarez tom. 5. de Relig. 6. de voto cap. 26. num. 17. Sanchez l. 4. mor. cap. 43. n. 7. & Miranda Bonac. & Diana citati.*

619 Hac verò regula supposita plures enumerantur casus, in quibus Regulares possunt commutare vota reseruata Papæ. Primus est vbi sit dubium de valore voti, siue sit dubium iuris, siue sit dubium facti. *Suarez d. l. 6. cap. 26. n. 6. Sanchez l. 4. moral. cap. 40. num. 26.* Quamuis enim ibi loquatur de Episcopo, tamen quia *cap. 43. num. 7.* tradit in his tantùm posse Regulares, quantùm Episcopos, & se remittit ad dicta de Episcopis *cap 40.* ideo quę ibi docet ex eius mente sunt communia Regularibus. Idem sentiunt *Raphael à Turre supra q. 88. n. 12. Layman l. 4. tr. 4. c. 8. num. 14. Bonac. de legibus disp. 4. q. 2. p. 7. §. 4. num. 17. Tamburin. tom. 2. disp. 19. q. 8. num. 18. Mocon resp. 98. num. 394. Anton. à Spir. sancto tract. 2. disput. 3. num. 81. Alusfet in Mucenula aurea sect. 3. cap. 5. §. 3. num. 16. Pasqualig. disp. 395.* Sentiens vota huiusmodi dubia non esse reseruata, & apud eum *Pontius Leon, Merol. Bossius, Faustus, & Gabat.* & ratio illius regulæ est, quia votum dubium in ratione voti non est perfectum, & quia cũ reseruatio sit stricti iuris non se extendit ad votum dubium, siue dubium sit an votum sit validum, siue an sit reseruatum, licet dubium non sit tale quod tollat votum, quando tamen verè est incertũ, non censetur Papæ reseruatum, & potest in eo dispensari ab Episcopo, & Confessores Regulares habentes aliàs requisita possunt saltem illud commutare.

620 Secundus casus est, si vouens intendit nõ se obligare sub mortali, sed solùm sub veniali, non enim dubium est, quòd in genere voti, illud quod non obligat nisi sub veniali est quid imperfectum; & eius violatio non est culpa reseruabilis, cum culpa venialis non cadat sub reseruatione. Potest enim peccator talis nolle confiteri peccatum veniale, & illius remissionem aliunde obtinere, vt dictũ est supra nu. 574. Ideo votum obligans sub veniali non est reseruatum. Quod dicitur etiam de voto obligante sub mera pœna & non sub culpa. *Sanch. lib. 4. cap. 40. num. 47. Anton. à Spir. sancto d. n. 81. Alusfet d. §. 3. num. 18. Bonac. de legib. disp. 4. q. 2. p. 7. §. 4. num. 20. Tambur. de iure Abb. tom. 2. disp. 19. q. 8. n. 19. 23. Moron. resol. 98. n. 398. Palaus tr. 15. disp. 2. p. 12. num. 2. Diana p. 1. tract. 11. res. 72. Faustus, Martinus à S. Ioseph, Leon, Bossius, Trullench,* quos sequitur *Pasqual. q. 297. & alij.*

621 Tertius casus est si votum sit disiunctiuum & alternatiuum, & alterutra pars non sit de materia reseruata. Vt si quis dicat voueo castitatem vel ieiunium. In huiusmodi enim voto cum sit in vouentis potestate eligere quam partem voluerit, iuxta regulam, *In alternatiuis, de regulis iuris in sexto,* & ieiunium non sit materia reseruata, inde est, quòd totum votum censetur non reseruatum, quia ex vi illius, non tenetur vouens esse castus, cũ possit velle ieiunare, & nubere. Verum est, quòd si vouens elegit materiam reseruatam, & sic postea obligauit ad illam: cum res non sit iam integra, sed votum alternatiuum transierit in absolutum & determinatum, ideo tunc votum est reseruatum. Sicuti est etiam, si alternatiui voti vtraque pars sit reseruata, quia tunc votum integrum est de materia reseruata. Sed vbi votum alternatiuum habet vnam partem non reseruatam, illud non est reseruatum. *Sayro in claui Regia l. 6. c. 12. num. 62. Azor. p. 1. l. 11. cap. 19. q. 10. Suarez l. 6. de voto c. 24. n. 1. & 2. Sanchez d. l. 4. c. 40. nu. 42. Alusfet num. 17. Portel. v. dispensatio num. 14. Anton. à Spir. sancto d. num. 81. Palaus tr. 15. disp. 12. p. 11. num. 6. Pax Iordan. lib. 9. tit. 3. num. 583. Layman l. 4. tr. 4. cap. 8. num. 12. Bonacin. de prac. disp. 4. q. 2. p. 7. §. 4. nu. 18. v. ollana quando. Tamburin. de iure Abb. tom. 2. disp. 19. q. 8. num. 5. Fillincc tr. 26. num. 262. Diana p. p. tr. 11. res 63. Mocon. res. 98. num. 375. Less. Azor. Leon. Pontius. Malderus, Lanor. Bossius, Faustus, Molfes. Fagundez. Trullenc. Villalobos Ludouicus à Cenee. Martinus à S. Ioseph, & Gobat.* quos refert, & sequitur *Pasqualig. q. 298. de Iubilaa.* Addit verò *Pasqualig. n. 4. decis. 301.* & extendit vt hoc verum sit etiam si vtraq; pars voti alternatiui sit reseruata, & mouetur, quia etiam tunc votum non est perfectum, quia indiget nouo actu ad hoc vt vouens se determinet ad alteram ex partibus, actua verò non est perfectus quando superest aliquid agendũ *l. 2. ff. de orig. iur.* & notant *Gonzales ad reg. 8. Canc. gloss 63. n. 35. Rota decis. 725. nu. 7. p. 2. rec.* Sed DD. citati loquuntur de voto alternatiuo cuius vna pars nõ est reseruata. Et meritò, quia in promissione aliud est promissio aliud executio promissionis. Votum verò alternatiuum in ratione promissionis, ideoque & in ratione voti est perfectum, quia altera ex partibus absolutè promittitur, & promissio à Deo acceptatur. Et sic regula illa iuris non applicatur, quia votum promissione perficitur. Quod verò sit necessarium quòd vouẽs se determinet ad alteram partem, hoc pertinet ad executionem voti non ad voti substantiam. Et nullum votum potest dari executioni nisi homine per alios actus iudicante & eligente, quæ ad executionem sunt opportuna. Et ideo quòd vbi vtraque pars voti alternatiui sit reseruata, etiam votum sit reseruatum expressè dixerunt *Suarez, Sanchez, & Layman citati.*

622 Aduertunt verò *Sanchez num. 44. Suarez num. 4. & 5. Layman, Palaus, Diana, Tambur. Mocon.* vbi supra *& Pasqualig. q. 300.* alios referens, quòd si in voto alternatiuo, cuius pars non est reseruata contingat, quod sit necessariò exequendum votum pro parte materiæ reseruatæ, non ex vouentis electione, sed ex eo quod altera pars facta est impossibilis votum est dispensabile, quia tale votũ nunquam ex natura sua obligauit ad materiam reseruatam, sed obligatio ad eam consurgit per accidens ex sola impossibilitate alterius partis. Addit etiam *Pasqualig. num. 5.* quòd si contingat quòd vouens scruet votum in parte reseruata, absque eo

tamen

tamen quòd absolutè & finaliter eam eligat, sed quia solùm hic & nunc sibi placet sic agere, votum adhuc manet non reseruatum, quia adhuc manet indeterminatum sicut antea.

623 Quartus casus est, vbi Papa votum reseruatum commutauit in materiam non reseruatam, quod tunc votum iam remaneat dispensabile, & non sit ampliùs reseruatum. Quod tamen habet difficultatem. Nedum quia subrogatum sapit naturam rei, cuius loco subrogatur, *l. vnica, de rei vxor. actione*, sed quia Pontifex commutando nō mutat nec relaxat obligationem secundùm substātiam, sed transfert illam, & quidem imponendo vouenti vt votum circa aliam materiam seruet. Vnde & quia remanet eiusdem rationis obligatio, & quia adest Papæ impositio ordinantis voti obseruantiam eandem circa aliam materiam, videtur quòd votum remaneat eiusdem conditionis, & reseruationis. Et ideo hanc partem sequuti sunt. *Archid. & Bellar.* apud *Sanchez l.8. de matrim. disp.9. num.10.* Verùm alia ex parte est, quòd reseruatio nō fundatur in obligatione voti secundùm se, quia hæc est eadem in omni voto; semper enim est obligatio religiosæ fidelitatis ex promissione facta Deo: sed reseruatio fundatur in obligatione voti vt est ad talem materiam; quòd si materialis ista obligatio relaxetur voti reseruatio. Nec vrget in contrarium regula de subrogato, quia illa vera est respectu eorum, quæ per se, & intrinsecè spectant ad subrogationem, non verò quantùm ad ea, quæ extrinsecus accidunt, & quoad qualitates, quæ ab extrinseca voluntate legislatorum pendeat. Sic enim reseruatio accidit voto ratione materiæ, non ab intrinseco, sed ex voluntate Papæ reseruantis sibi votum vbi sit de tali materia, qua mutata, iam reseruatio cessat. Adde, quòd regula illa valet quantùm ad naturam primæuā eius rei cui subrogatur non quantum ad accidentalem, modò vota reseruata, spectata eorum primæua natura nō sunt reseruata Papæ, sed hoc est illis accidentale, ideo vbi pro materia reseruata, manet primæua natura secundùm quam non est reseruatum, sed deficit accidentalis reseruatio, ex quo deficit illius radix & causa, scilicet materia reseruata. Vnde nec vrget aliud, quod addebatur. Quia obligatio manet, sed obligatio ex natura sua non est reseruata. Pontifex verò commutans & transferens obligationem ad aliam materiam nihil de se noui imponit, nec aliquid de nouo præcipit, nec aliquam obligationem de se imponit, sed in gratiam vouentis obligationem voti de materia ad materiam transfert. Sed interim quia relaxat obligationem materialem ad materiam reseruatam, quæ est causa reseruationis, simul reseruationem tollit. Vt ex *Ludouico de Roman. singul.464.* habet *Syluest. v. votum 4. q.7. in fin. Nauarra, Aragon, Sà, Lessius, & Rodriq.* quos sequitur *Sanchez d. l.8. de matrim. disp.9. num.20. & l.4. mor. cap.40. num.46. Sayro in claui Reg. l.6. c.12. num.24. Suarez de voto lib.6. cap.20. num.15. & 16. Layman l.4. tr.4. c.8. num.13. Bonac. de leg. disp.4. q.2. p.7. §.4. nu.18. ver. sextò quando Fillinc. tr.26. nu.264. Tambur. de iure Abb. tom.2. disp.19. q.8. nu.11. Palaus tract.15. disp.2. p.12. num.5.* & apud eum *Sà, Less. & Basilius, Arragon. 2.2. q.68. a.12. ante solut.1. Vasquez, Rodriq. Ludouicus à Cruce, Trulleuch, Corduba, Malderus, Bossius,* Leon, *Lauor. Faustus & Gaba* quos sequitur *Pasqual. q.307. de Iubilæo*. Cùm ergo votum à Pontifice commutatum in materiam non reseruatam desinat esse reseruatum, Possunt Episcopus auctoritate ordinaria, & Regulares virtute priuilegiorum in eo dispensare.

624 Quintum casum ponunt aliqui, quando votū processerit ex metu leui sed iniusto, incusso ad ad extorquendum votum. *Angelus v. votum 4. n.9. Tabien v. dispensatio n.9. Bonac. de leg. disp.4. q.2. p.7. §. n.17. Layman lib.4. tr.4. c.8. num.11. Palaus tr.15. disp.2. punc.12. nu.11. Diana p.1. tr.11. ref.73. Moron. resp.98. num.395. Pasqual. q.302. de Iubilæo* & apud eum *Less. Henriq. Leon, Faustus, Trullench, Ludouicus à Cruce, Martinus à S. Ioseph, & Gobat.* citatur autem *Nauar. cap.12. n.59.* Sed ipse de voto ex magno timore emisso loquitur. *Bassaus ver. votum 7. n.17.* admittit de voto non omnino graui. Et alij, qui fundantur in *cap. Veniens, qui Clerici, vel vouenter*. Ex quo tamen loco hæc opinio fundamentū habere non potest, quia in eo voto à muliere emisso ad vitandum nuptias, quas ipsa promiserat cū viro postea sibi diffamato tanquam seuero, non dispensauit Episcopus, sed Papa, seu Episcopus de commissione Papæ. Qui etiam dispensauit fugiendæ incontinentiæ causa. Nam nec ibi illi mulieri fuerat incussus aliquis metus iniustus ad extorquēdū votū; sed illa quæ timuit cogi ad matrimoniū cū viro seuero, quod ipsa promiserat, & ad quod perficiendum cogi poterat iustè, spontè pro medio ad fugiendum matrimonium elegit votum. Hoc tamen probat *Sanchez d. c.40. num.31.* alia ratione; quia, scilicet, inuoluntarium secundùm quid, quod est in eo voto, ex quo est ex iniuria, & iniustitia in vouentem illata minuit notabiliter rationem voluntarij, ac voti, ac proinde non censetur Pontifex velle quasi iniuriam illam fouens, reseruare huiusmodi vota ex metu iniurioso emissa. Verùm oppositum huius docet *Suarez d. lib.6. c.26. nu.4. & ex Sylu.* idem habet *Iulius Lauor. de Iubil. sec.2. c.27. num.187.* Quoniam si huiusmodi metus, & ratio inuoluntarij sufficeret vt cessaret reseruatio, cessaret etiam in votis emissis ex timore naufragij, vel causa fugiendi aliud simile periculum mortis. Vota enim huiusmodi sunt ex metu. Nec obstat, si dicatur quòd hic vltra metum adest iniuria illata, quia loquimur de metu per iniuriam illato ad extorquendum votum; Nam huiusmodi iniuria non confert ad tollendam reseruationē; cum aliàs votum in se sit liberum, & perfectè liberum quantùm sufficit ad reseruationem; quòd verò metus fuerit ex iniuria quid extrinsecum est, & accidentarium. Nec dici potest, quòd Pontifex reseruans tale votum foueat iniuriam; quia Pontifex respicit quod in voto est per se, & quòd votum est v. g. votum castitatis, cum sufficiente libertate emissum; vnde verò venerit voti occasio non debet Pontifex attendere; & non est iniustum, & iniuriosum, quòd vouens obseruet quod promisit, & Deo vota sua reddat, quæ liberè promisit. Vnde si quis ex motiuo vel odij contra aliquem, vel quia non potuit à Patre habere in vxorem, quam voluerat, vel vt hoc modo contra Patrem, aut alium se vindicet, & illi molestiam inferat, sumeret sacrū ordinem & sic votum castitatis emitteret, nō per hoc votum esset dispensabile, quia ex pessima causa ortum habuisset. Ideò dicendum est, quòd in sententia eorum,

qui dicunt votum emissum ex metu cadente in cōstantem virum esse validum, quód tale votum non sit reseruatum, quia habet valde notabiliter de inuoluntario, & ita quód quàmplures meritò iudicent illud esse nullum; & si non sit nullum tamen in genere voti est valdè imperfectum. Sed vbi metus sit leuis, tale votum sit solùm aliqualiter leuiter & non notabiliter inuoluntarium, vnde est & satis perfectum, & ideó reseruatum.

625 Sextus casus est, si votum sit temporale, vt si quis voueat castitatem ad annum; solùm enim votum castitatis perpetuæ est reseruatum, quód simpliciter dicitur votum castitatis. Fauet *D. Th. supra q.88.a.11. ad secundum. Palad.4. d.38. q.4.a.4. num.43. D. Anton.2.par.tit.11.cap.2.§.9. Syluest.v.votum 4. q.3. dicto 6. Armilla v.dispensare nu.18. Sotus lib.7.de iust.q.4.a.3.col.5.ver. Ex his fit consequens, & 4.d.38.q.2.a.2.col.4. in fine 1.concl. Valentia, Ouandus, Vega, Azor, Lopez, Gattier, & plures alij*, quos sequitur *Sanchez l.8.de matrim.disp.8.num.6. & l.4. moral.cap.40.num.48 Suarez l.6.de voto cap.22. n.9. Martinez de Prado cap.31.q.14.nu.88. Nauar.cap.12. num 76. Tambur.de iur. Abb.tom.2 disp.19.q.8.nu.7. Layman.l.4.tr.4.cap.8 n.8. Sayrus in Claui Regia l.6. cap.11.n.48. Bonac.de leg.disp.4.q.2.p.7.§.4. ver. septimò quando Barbosa de potest. Episc.alleg.37. num.15. Pax Iordan lib.9.tit.1.nu.274. Nugno 3.p.tom.2.trac. de Bulla Cruc. §.11. Diana p.1. tract.11. res.57. Moron.resp.98.num.400. Pasqualig.q.309.de Iubilæo*, & apud istos. *Rodriq. Azor. Malder.* & plures alij. Si tamen hoc votum emitteretur pro tempore longissimo nimirum ad centum annos venturos, vel etiam vsque ad annum centesimum ætatis viuentis, censeretur perpetuum, eó quód vita non præsumitur vltra durare. Ita *Sanchez num. 49.* quem sequuti sunt *Tambur. Pax Iordan. Pasqualig.* & apud istos *Less. Faustus Ludouicus à Cruce, & Bossius, & Martinez de Prado d.num.88.* vbi addit, quód votum seruandi castitatem vsque ad 80. annos censeatur perpetuum, quia tunc, non censeatur homo aptus ad venerea. Verùm quia in his veritas attenditur non præsumptio, si verè vouens intenderet non se obligare si post centum annos vixerit, votum esset temporale, & non obligaret vltra illud tempus. Vnde in his casibus intentio vouentis inquiri, & inspici debet. Nihilominùs licet hoc votum seruandi castitatem vsque ad decrepitæ ætatis annum aliquē determinatum esset votum temporale, non per hoc dico quód esset ab inferiori Papa dispensabile, hoc enim habet difficultatem, quia tale votum in moralibus pro perpetuo haberi potest.

626 Septimum casum ponunt in voto conditionali. Tribus modis votum conditionale emitti potest. Et quidem primó vt solùm in verbis, & in apparentia votum sit conditionale, vel quia particula *si* non sumitur conditionaliter, sed vt est idem, quód quando, vt si filius dicat, *Voueo me Religiosum fieri, si moriatur Pater meus*, idest quando mortuus fuerit Pater meus. Vel si voto apponatur conditio quæ inest voto per se, vt si quis dicat, voueo me fieri Religiosum expleto anno si vixero vel si apponatur conditio necessaria, seu impossibilis vt si dicatur voueo esse castum in perpetuum si sol se moueat secundùm cursum suum. vel si sol stet à cursu suo immobilis. In istis enim casibus vota absoluta sunt quia vel non apponitur verè conditio, vel conditio quia inest & est necessaria non facit votum conditionatum, vel quia conditio si sit impossibilis se habet vt non apposita. Secundò modo votum est verè conditionale, quia voluntas fertur in obiectum sub conditione, vt si quis dicat voueo me esse Religiosum si obtinuero sanitatem. Tertiò modo votum simul est pœnale & conditionale, vt si quis dicat si lusero voueo me daturum in eleemosynam vnum scutum. De hoc voto pœnali erit sermo in sequenti dubio. De primo autem voto conditionali, quód verè est absolutum non habet locum nostra difficultas. Est ergo dubium de voto quód est conditionale, quia est promissio pura alicuius sub aliqua cōditione, seu dependenter ab aliquo vt à conditione sine qua voluntas non se intendit obligare.

627 De hoc ergo conditionali voto loquendo alij existimant, quód hoc votum etiam impleta conditione non sit reseruatum, sed dispensabile per Episcopum authoritate ordinaria. Ratio illorum in hoc consistit, quód hoc votum habeat initium imperfectum, tanquam ortum ex voluntate conditionata, & non absoluta, quæ imperfecta est. Et ita tenent *Sanchez lib.8.de matrim.disp.10. n.13. & lib.4.moral.cap.40.num.99. Toletus lib.4.cap.18. Ledesma p.2.tract.10.cap.8.par.3.pag.mihi 554. Raphael à Turre supra q.88.a.12. dub.3. nu.9.* referens *Orellanam Crux de voto dub.11.post 3.conclus. Candidus disp.25.a.7.conclus.6. Martinez de Prado Theolog.moral.cap 31.q.14.n.95. Palaus tom.4.disp.2 p.12. num.15. Diana p.p.tract.11.res.54. & 69.p.6.tract.8. resol.16. Leander tom.1.tract.5.disp.15.q.130. & 131. Pasqualig.q.296.de Iubil. Moron. resp.98.num.373.* & apud istos *Gomez, Leon, Mendo, Trallench, Malderus Bossius, Faustus, & Martin.de S.Ioseph. Serio in 2.decal.præcep.disp.8.q.17.a.13.* Alij verò distinguentes consentiunt huic primæ sententiæ, si loquamur de voto conditionali ante completam conditionem & re adhuc integra; sed vbi conditio sit completa dicunt votum conditionale esse dispensabile, aut commutabile solùm per Papam si sit de materia reseruata. Ita dixerunt *Suarez lib.6.de voto cap 22. num.3. Layman l.4.tr.4.cap.8.n.10. Sayrus in Claui Reg. l.6.cap.11.n.77. Filliuc.tract.26.nu.269. Bonac. disp.4.de leg.q.2.p.7.§.4.nu.17.ver. Dixi modò. Tambur.de iure Abb.tom.2.disp.19. quæst.18. num.37. Lezana ver. votum, num.13. Candidus disq.26.art.17. dub.5. Pax Iordan.lib.9.tit 1.num.304. Lessius, Lauor. Reginald. Ludouicus à Cruce* apud *Pasqualig. vbi supra*.

628 Hæc secunda sententia probat intentum suum contra primam, scilicet quód votum conditionale de materia reseruata impleta conditione sit reseruatum. Primò quia contractus conditionatus impleta conditione transit in absolutum, ac si ab initio fuisset talis, *l. Potior. ff. qui potiores in pignore* ibi. *Cum semel conditio extiterit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* Igitur eadem ratione votum impleta conditione transit in absolutum ac si ab initio minimè fuisset conditionatum. Nec valet dicere, obligationem quidem transire in absolutū, sed radicem obligationis semper esse imperfectam, quia hæc est voluntas conditionata, quæ est imperfecta. Hoc enim impugnatur, quia in contractibus impleta conditione nedum obligatio, sed contra-

ctus

ctus ipse est æquè perfectus, ac si ab initio fuisset absolutus, vt patet in sponsalibus, matrimonio, emptione, promissione; igitur idem est dicendum de voto. Secundò quia cum obligatio sit veluti effectus formalis consensus, & contractus, vel certè illi valdè intrinsecus & coniunctus, non potest esse maior perfectio in obligatione, quam in contractu & consensu ex quo oritur obligatio. Prætereà dispensatio non cadit in votum prout iam præcessit, & non est, sed prout permanet, & relinquit obligationem; si igitur obligatio voti conditionalis impleta conditione est tam perfecta, ac si votum fuisset absolutum, erit igitur indispensabilis sicuti esset si fuisset votum absolutum. Ampliùs, alij contractus conditionati impleta conditione causant omnes effectus morales etiam pœnales ac si essent absoluti. Sic enim sponsalia impleta conditione causant effectum impedimenti publicæ honestatis, *cap. vnic. de sponf. in sexto*. Item collatio beneficij sub conditione simoniaca non inducit censuram & pœnas non impleta conditione, quas inducit ea impleta. Et sic de alijs cõtractibus, igitur & idem dici debet in voto. Nam dicere quòd in voto attenditur ad originem, & non in alijs contractibus, est gratis dicere, neque aliqua ratio differentiæ assignari potest,

629 Sed prior opinio contra hanc secundam probat intentum suum. Primò, quia cum reseruatio sit odiosa & restringenda, non debet extendi ad vota quæ non obligant directè & simpliciter, sed solùm ex suppositione. Secundò, quia dispensatio non fertur immediatè in obligationem, sed vel in radicem obligationis, & in irritatione votorum religiosorum, & impuberum, vel in determinationem materiæ, sed vota ista ortum habent à consensu cõditionato; ergo deficiunt ab omnimoda perfectione votorum, & ideo non comprehenduntur inter reseruata. Tertiò, quia multi ex sequentibus secundam sententiam nihilominùs sentiunt, quòd vota pœnalia etiam impleta conditione non sint reseruata, sed eadem est ratio etiam de non pœnalibus, quia & impleta conditione transeunt in vota absoluta. Quartò quia huiusmodi uota non tendunt in materiam nisi dependenter à conditione; ergo non sunt uota pura castitatis, Religionis, aut materiæ reseruatæ, sed sunt vota mixta, quia licet conditionis materia non cadat directè sub voto, trahitur tamen à materia voti. Vnde cum reseruatio sit strictè accipienda, non se extendit ad hæc vota mixta,

630 Vtraque hæc sententia fundatur in principio, quod potiùs supponitur quàm probetur, scilicet quòd cõsensus conditionatus sit imperfectus, quod quidem principium examinandum est. Nam si consensus sit conditionatus ex parte volentis de facili intelligitur, quòd sit imperfectus, quia non est consensus, qui fit, sed qui esset si poneretur cõditio, & in se est aliquando velleitas potius quàm voluntas, quæ explicatur per imperfectum tempus modi subiunctiui dicendo *vellem hoc, si adesset hæc vel illa conditio*, & sic non est de præsenti voluntas illius, sed est solum quoddam propositum volendi illud, si conditio hæc vel illa adsit. Sed quòd voluntas absoluta ex parte volentis, & solùm ex parte obiecti conditionata sit imperfecta, seu importet consensum imperfectum; quomodo probatur si huiusmodi uoluntas datur etiam in Deo formaliter, qui uult prædestinatis gloriam sub conditione meritorum? Et certè contractum onerosi omnes per consensum conditionalem perficiuntur, & complentur per huiusmodi consensum *do vt des*. In his enim consensus non dicitur imperfectus, licet feratur in obiectum conditionatum, quia ex parte uolentis consensus est absolutus, licet obiectum sit conditionatum. Nec interest, quòd conditio sit de præsenti, uel de futuro, & an sit uel necessaria, uel contingens, quia hoc totum se tenet ex parte obiecti, quod est conditionatum, sed voluntas est absoluta. Quod explicatur in eo voto, quod plures indicant absolutum, scilicet *voueo Religionem si Pater meus obierit*; idest pro quando Pater meus obierit. Huius enim voti obiectum est conditionatum in ratione voliti, quia non est volita Religio absolutè & independenter à quocumque tempore, sed dependenter à tempore mortis Patris, sed voluntas Religionis est ex parte volentis absoluta. Et si non esset absoluta non esset votum. Et immo addo, quòd tantùm abest, quòd consensus conditionatus ex parte obiecti sit imperfectus, quòd immò hoc perfectionem importat quòd sit in potestate libera volentis velle obiectum sub modo, vel sine modo, sub conditione, vel sine conditione. Est enim ex praeminentia libertatis hæc indifferētia volendi obiectũ eo modo quo sibi placuerit, & potestas volendi rem sub cõditione alterius voliti.

631 Sed quomodo igitur communiter dicitur, quòd consensus conditionatus conditione futura contingenter est imperfectus, & conditio apposita suspendit voluntatem? Distinguendum est, nam aliqui sunt contractus conditionales in quibus cõsensus ex vi conditionis futuræ & contingentis appositæ resoluitur in consensum de futuro, seu in promissionem præsentem de consentiendo in futurum actum adueniente conditione vt sit idem consentire in futurum actum de præsenti, quod de præsenti promittere consensum futurum adueniente conditione. Et talem esse contractum matrimonij quando quis de præsenti consentit in matrimonium sub conditione aliqua contingenti futura, vt sub hac cognitione si Pater consenserit, ita vt hic consensus de præsenti datus resoluatur in consensum de futuro, ac si diceretur, *promitto tibi quod adueniente consensu Patris consentiam in matrimonium*, dixit *S. Thom. 4. d. 29. q. vnic. a. 3. q. 3.* & dicunt illi, qui tenent quòd, vbi quis cõtrahit matrimonium de præsenti, sed sub conditione futura, & contingenti, adueniente conditione necessarius est nouus cõsensus datus de præsenti, vt matrimonium subsistat. Nam & aliàs certũ est, quòd quando quis sic contrahit matrimoniũ sub contingenti conditione futura, si pendente cõditione consensum datum reuocet, licet malè faciat, tamen omnino impeditur ne adueniente conditione contractus perficiatur & sit validus, nisi adsit nouus consensus. Aliqui etiam sunt contractus, qui non perficiuntur sola voluntate, sed præterea ad eorum perfectionem requiritur realis traditio rei. Nam & talis est matrimonium, ad quod requiritur mutua corporum traditio realis, per quam vicissim coniugum quisque tradit corpus suum in potestatem alterius. Et isti contractus solo voluntatis consensu non perficiuntur, quia re-

qui-

quiritur vlterius rei traditio, quæ ante aduentum conditionis non datur, ideo nec ante aduentum conditionis contractus est perfectus. Adueniente verò cõditione ex quo res traditur simul cõtractus firmatur & perficitur, sed hoc fit ex consensu de præsenti, siue qui datur, dum in vi præcedentis cõtractus datur traditio rei.

632 Sed alij sunt contractus (inter quos est votum) qui solo voluntatis consensu perficiuntur, & in quibus ex vi conditionis de futuro non resoluitur consensus datus de præsenti in propositum seu promissionem consentiendi de futuro adueniente conditione, sed statim ex vi solius consensus dati de præsenti licet de obiecto seu materia futura de præsenti perficiuntur. Dantur enim aliqui contractus de contingenti futuro à quibus nedum licitè, sed nec validè licet resilire ante conditionis aduentum, quia ipso solo voluntatis consentientis in futurũ beneplacito essentialiter constant. Inter quos omnium consensu est votum, vt aduertit *Card. de Lugo de iust. disp. 22. num. 384.* Nam aliàs, si qui vouit conditionaliter castitatem, posset pendente conditione resilire à voto, eò quòd promissio castitatis sub conditione contingenti futura non esset votum castitatis, sed promissio vouendi castitatem, adueniente cõditione, sequeretur quòd qui conditione pendente mutasset propositum castitatis, conditione postea adueniente licet teneretur vouere castitatem, tamen ad illam non obstringeretur ex voto, si illam de nouo non voueret, nec contra votum castitatis peccaret, si impudicus esset, quod nullus est qui asserat, & asserere esset absurdum maximè. Votum igitur castitatis sub conditione futura, & contingenti non resoluitur in consensum de futuro, seu in propositum vouendi adueniente conditione, sed ipso consensu de præsenti substantialiter consummatur. Et per cõditionem incertam & futuram suspenditur quidem voti exercitã executio, & eius effectus exercitum complementum, sed nec suspenditur voluntatis consensus, nec voti substantialis perfectio, & complementum. Nec consensus in materiam est suspẽsus, quia voluntas respicit futurum & ex nunc actu consentit pro tempore in quo conditio aderit. Neque hic consensus est conditionatus ex parte vouentis sed absolutus, sicut & absoluta est promissio per quam vouens promittit pro tempore conditionis aduenientis castitatem, vel aliud, vnde bene rem consideranti apparet, quòd in voto, & in alijs contractibus, qui voluntate ipsa substantialiter perficiuntur, dictio *si*, quæ est cõditionalis, resoluitur in dictionẽ *quando*, & sit sensus, *voueo Religionẽ si Pater cõsenserit*, idest voueo ex nunc pro tunc assumere de facto religionem, quando aderit Patris consensus.

633 Non ergo est vnde dicatur, quòd in votis consensus cõditionatus ex parte obiecti sit imperfectus in sui substantia & essentia, sed est & absolutus, & perfectus, & completus sicut perfecta est volũtas Dei quæ ex nunc vult illorũ, qui salui futuri sunt gloriam sub liberrima cõditione suorum meritorũ. Vouens enim ex nunc Deo absolutè quantũm fit ex parte sui promittit v. g. castitatem, cum aderit talis conditio, & Deus acceptat promissionẽ hanc. Et imperfectio quæ adest tota se tenet ex parte obiecti quod nondum est, & forsan non erit. Et votum tale dicitur perfici extrinsecè eo modo quo causa ex effectu producto perfici dicitur, non quia votum in se imperfectum ad perfectionem reducatur, sed quia perficitur voti executio ex aduẽtu conditionis, & fidelitate vouentis reddentis Deo quod promisit. Quod etiam in votis, quæ dicuntur absoluta, si sint de futuro accidit.

634 Dico igitur primò, veram esse secundam sententiam pro quanto contradicit primæ, & asserit quòd purificata conditione votum de materia reseruata est reseruatum & indispensabile per Episcopum & nec commutabile à Regularibus Confessarijs per priuilegia. Et hoc probatur ea eo, quòd tale votum purificata conditione est perfectum vndequaque, etiam ex parte obiecti. Quod euidentiùs fit manifestum soluendo primæ sententiæ argumenta. Primum gratis assumit, quòd ea quo reseruatio strictè sit interpretanda, non se extendat ad votum quod obligat ex suppositione, seu etiam quòd votum, quòd obligat ex suppositione non obliget simpliciter, si suppositio ex parte solius obiecti se teneat. Nam immò nihil futurum contingenter potest homo promittere Deo, quod reddere possit, & debeat, nisi factis quàmpluribus suppositionibus, vt si quis voueat religionem, hoc votum nõ obligat nisi supposito quòd ille viuat, & quòd sit suæ potestatis, & quòd à Prælatis recipiatur, & omnia hujusmodi vota sunt obiectiuè conditionata. Parùm verò interest, quòd huiusmodi conditiones dicantur tacitè inesse: quia inimò ex hoc apparet, quòd voto absoluto, & simpliciter tali non repugnat obiectiua contingẽs suppositio, & conditio, & quòd benè stat, quòd voluntas absolutè, & simpliciter feratur in obiectum conditionatum per votum. Quod fit quando voluntas emittit votum sub conditione, quia non obstante quòd obiectum sit conditionatum, in illud fertur voluntas absolutè. Neque enim vouentis voluntas solùm proponit se voliturum obiectum si adsit cõditio, in quo casu voluntas esset conditionata ex parte volentis, & non voueret rem, sed voueret se emissuram votum de re; sed voluntas absolutè promittit v.g. castitatem quando adsit talis conditio, sicut si promittat post annum Religionem, si vita comes fuerit.

635 Ad secundum dicitur, quòd immò dispẽsatio immediatè relaxat obligationem eamq; tollit, & commutatio obligationem de vna ad aliam materiam transfert. Sed quidquid sit de hoc, argumentum supponit falsum, scilicet quòd radix obligationis sit imperfecta, & non aduertit quòd votum conditionale non importat villeitatem, aue propositum vouendi, aut tandem voluntatem ex parte volentis conditionatam, sed importat voluntatem simpliciter absolutam, ideoque perfectam licet de obiecto conditionato. Vnde radix obligationis talis voti, quæ est consensus, est perfecta, & simpliciter absoluta.

636 Ad tertium dicam dubio sequenti. Ad quartum dicitur, quòd consequentia nulli innititur solido fundamento. Et vt dicebam, omne votum hominis de futuro contingenti necessariò est conditionatum, & non fertur in obiectum nisi dependenter ab aliqua conditione ex qua contingens futurum potest impediri. Velle autem quòd conditio dependenter à qua voluntas vult obiectum ingrediatur obiectum & censeatur res volita per modum

dum obiecti & ita quod uolitum sit quid mixtum, & compositum, nulla apparenti ratione constat. Ita si quis voueat castitatem si vxor moriatur, & post vxoris mortem, numquid vouet mortem vxoris? vel obiectum voti est quid mixtum ex castitate & morte vxoris? Hoc non subsistere & similia satis est manifestum ex terminis ipsis. Qui ergo sub conditione aliqua vouet castitatem, illam absolutè vult & illam solam vouet, licet ea parte obiecti non velit illam nisi dependenter à conditione. Vnde conditione impleta & votum est etiam ex parte obiecti completum & perfectum, & ideo reseruatum.

637 Dicitur verò secundò, quòd vtraque sententia deficit in eo quòd supponit, scilicet quòd votum conditionale in ratione voti sit imperfectũ, & ideo quòd ante adimpletam conditionem sit dispensabile per Episcopum, & commutabile per Confessores Regulares ex vi priuilegiorum; Nam oppositum est dicendum. Quoniam consensus absolutus ea parte volentis, & solùm conditionatus ex parte obiecti non est imperfectus, & in contractibus onerosis, vt dicebatur, nullus est, cuius consensus non sit ita conditionatus, quia omnis iste contractus consistit in *do sides*. Nec obstat, si dicatur, quòd conditio quando est de futuro contingenti suspendit consensum, quia hoc est verum diuersimodè. Vbi enim consensus de præsenti ea vi conditionis appositæ resoluitur in consensum de futuro, seu in promissionem futuri consensus, siue quocumque modo redundat in voluntatem & facit illam conditionatam ea parte volentis, tunc conditio suspendit consensum etiam ex parte volentis, quia tunc nec de præsenti consensit, sed habet in animo quòd consentiet adueniente conditione. Sed vt dictum est, hoc non habet locum in voto. Sed vbi voluntas ea parte volentis absoluta respicit futurum contingens conditionatum, conditio non suspendit consensum quantùm ad se ipsum, sed quantùm ad eius effectum, quia non habebit effectum suum nisi adueniente conditione.

638 Et si iterum dicas, quòd hæc est maxima imperfectio quòd suspendatur effectus consensus, seu voluntatis, quia imperfectio est in causa, quòd non attingat effectum. Respondetur & negatur assumptum, quia immò ex perfectione voluntatis est quòd eius consensus tunc effectum consequatur, quando, & quo modo voluntas ea suo consilio voluerit illum consequi. Si quidem contra voluntatem, & inuito vouente, suspenderetur executio sui consensus, imperfectionis esset, sed quòd suspendatur effectus volente vouẽte nulla est imperfectio, sed est vouentis libertas & potestas, vt possit Deo promittere rem dandam sub conditione honesta sibi bene visa, & quando ipsa voluerit. Et si replicetur, & dicatur quòd iuxta sensum communem DD. votum conditionale adueniente conditione perficitur, & completur, ergo antea est imperfectum. Respondetur quòd hoc dictum non debet malè intelligi. Nulla enim hic est imperfectio priuatiua, cum ante non careat votum perfectione sibi debita, cum ea intentione ipsa vouentis non sibi debeatur complementum effectus nisi conditione purificata. Dici verò potest negatiuè imperfectum, & adhuc non necessariò, sed liberè, quia vouens sub illa conditione liberè vouit. At verò ad hoc vt votum de materia reseruata sit dispensabile per Episcopum non sufficit, quòd sit negatiuè & quidem ea parte effectus imperfectum, si aliàs votum habet perfectionem in ratione voluntatis sibi debitam, & est substantialiter perfectum. Aliàs omne votum de futuro ante aduentum temporis pro quo obligat votum est negatiuè imperfectum ea parte effectus.

639 Sed his addendum est, quòd votum vel non est votum de præsenti, sed vel velleitas, vel ad summum propositum vouendi, vel si est verum uotum, non est conditionale nisi nominaliter, & secundùm modum loquendi. Quia votum si est votum de præsenti est absoluta promissio, & voluntas obiecti licet conditionati. Qui enim vouet v.g. religionem si effugiat naufragium, vel sanetur ab infirmitate, vel liberetur ab insidijs inimicorum, vel si moriatur vxor, vel si redeat in patriam, de præsenti quantùm sit ex parte sua vult religionem, nec vult se velle illam, nec proponit se illam uoliturum, sed illam simpliciter vult, licet obiectum sit conditionatum & obiectiuè uelit illud dependenter à conditione; voluntas verò absoluta ea parte volentis est voluntas simpliciter absoluta: sic enim & in contractibus est manifestum, quod obiecti cõditionati voluntas censetur esse absoluta voluntas simpliciter, si sit absoluta ex parte uolentis. Ideò uerè sic est, quòd cum dictio *si* plerumque accipiatur ut est idem quod *quando*, ut dixit *Card. Tuscus tom. 2. lit. D. Conc. 373. & Barbosa dictione 364. n. 10.* Sic semper debet accipi in uotis conditionalibus, quia cum non importet conditionem ex parte uolentis, quod quidem non est uolitum nisi dependenter à conditione, idem est dicere, si hoc erit, illud ex vi voluntatis absolutæ ea parte volentis erit, quis volens absolutè vult vt *si* hoc est illud fit, ac dicere, *quando* hoc erit ex vi eiusdem absolutæ voluntatis illud erit. Et sic sicut *quando* dico volo esse Religiosus si Pater mortuus fuerit, idest tunc cum Pater &c. hoc votum est absolutum uerè, licet pronuncietur ut conditionatum, ita uota conditionalia facta Deo si vota sunt, sunt vota absoluta, quia in eis dictio *si* non importat conditionem suspensiuam voluntatis, sed est idem, quod dictio *quando* determinatiua obiecti, non voluntatis suspensiua.

640 Hinc colligitur primò, qualiter sit intelligendum quòd habet *Pasqual. d. q. 296. num. 8.* quia scilicet uota huiusmodi conditionalia ante aduentum conditionis nõ obligant nisi ad expectandam conditionem, unde qui conditionatè uouerer castitatem non peccaret contra castitatem si nuberet ante euentum conditionis. Primum enim dictum in præfatis terminis est falsum. Nam aliud est quòd uotum obliget nunc, aliud est quòd obliget nunc, & pro nunc. In hoc secundò sensu uerum est, quod uota conditionata non obligant ante aduentum conditionis, sed hoc non est ea imperfectione uoti, neque quia tunc uotum non obliget, quia & tunc uotum obligat, sed pro tempore pro quo est factum, scilicet pro tempore adimpletæ conditionis. Et sic ante adimpletam conditionem obligat simpliciter non pro illo tempore, quia pro illo nõ est factum, sed obligat & ad expectandam conditionem, & ad uiuendam castè adimpleta conditione. Quod si nubat ante impletam conditionem

non

non peccat contrà castitatem, quia pro illo tempore castitatem non uouit. Sed adimpleta conditione extante matrimonio non potest petere, & mortuo altero coniuge tenetur ad castitatem simpliciter, quia & pro illo tempore obligat uotum.

641 Colligitur secundò, qualiter intelligendū illud aliud, quod habet idem *Pasqual. num.* 10. nimirum, quòd uotum conditionale etiam purificata conditione retinet semper suam imperfectionem quia ab extrinseco determinatur, nec umquam radicatur in pleno affectu uoluntatis. Nam primò nequit dici, quòd uotum determinetur ab extrinseco, cum conditio sub qua materia uoti determinatur sit ex intrinseca libertate uoluntatis electa, & ex eadem intrinseca libertate sit tota illa determinatio. Deinde secundò si ex hoc quòd aliquod non est uolitū nisi sub cōditione ex parte obiecti sequitur, quòd illud non sit plenè uolitum, nec Deus ex plena uoluntate uult salutem electorum, quia nō uult eam nisi sub conditione meritorum. Nec uenditor ex plena uoluntate uendit, quia non uendit nisi sub conditione pretij. Qui ergo uult obiectū dependēter à conditione uult illud ex plena libertate, si nullam uim patiatur, & hoc sufficit ad ualiditatem uoti, & eius perfectionem, & ad hoc, ut si est de materia reseruata sit reseruatum. Cæterùm motiuum uolendi, & finis uoti ex parte uouētis non faciunt ad hoc ut uotum non sit reseruatum quia uotum est reseruatum ex parte materiæ, unde ubi uoluntas cum plena libertate consentit absolutè in materiam reseruatā, nihil interest quòd hoc fiat ex illo, uel alio motiuo, & ideo sub hac uel illa conditione, quia ut ipsemet fatetur *ibid. ad quintum* uouens Religionem ob commodum temporale habet plenum & absolutum consensum, quia commodum temporale est tantùm causa impulsiua uolendi. Sic ergo dicitur etiam, quòd qui uouet Religionem sub conditione, habet consensum absolutum, quia conditio uel erit causa impulsiua, vt si vouet si obtineat sanitatem, vel erit quid volitum ex alio aliquo motiuo pariter impellente, & suadēte vt vouens non velit Religionem nisi sub conditione, cum quo bene stat quòd velit absolutè religionem, voluntate scilicet ex parte volentis absoluta, & plenè deliberata, & libera.

642 Colligitur tertiò, quòd cum sit sententia cō munissima, nedum *Suarez l.6.c.53.n.9. & Sanchez l.8. de matrim. disp.10. num.14. & l.4. mor. cap.30. nu.* 68. quos *Pasqual.* citat *ibid. num.*12. Sed DD. quos pro vtraque sententia retuli, scilicet quòd vbi votū sit conditionatum conditione de præterito, vel de præsenti, votum sit censendum absolutum, & reseruatum, si sit de materia reseruata, non valet limitatio eiusdem *Pasqual.* asserentis nec esse reseruatum, & perfectum votum huc cōditionatum si conditio sit ignota vouenti, & contingens; Nam & in his votis consensus suspensus manet, & expectat verificationem conditionis. Et quia huiusmodi vota non sunt pura sed mixta. Nam esse pura probatū est supra. Quòd verò maneat suspensa notitia verificationis conditionis, non facit quòd sit suspēsus consensus in rei veritate etiam ex parte obiecti, quia conditio voti non est, si conditio sit cognita à vouente, sed si sit in rerum natura, & de facto conditio est. Voluntas verò potest ferri ad absens, & non visum, sed cognitum absolutè vt possibile, & vt existens sub conditione, & ita fertur in conditionem quæ est de præterito, vel de præsenti.

643 Colligitur quartò, quid dicendum in casu proposito à *Diana p.6. tract.8. ref.* 56. de infirmo qui vouit Religionem sub conditione sanitatis, qua recuperata confirmauit votum. Nam & in hoc voto posse dispensari ab Episcopo affirmat *Diana*. Quod sic absolutè prolatum non placet *Martinez de Prado cap.31. q.14. nu.*98. Vnde ipse distinguit, & admittit responsionem *Diana* vt probabilem, si infirmus præfatus post sanitatem solùm ratum habuit votum factum, & ad illud se remittit, quod tamen negat si infirmus præfatus de nouo votum emittit. Sed dato quod etiam sustinendum, quod Episcopus in voto conditionali possit dispensare, prout isti Doctores sustinent, non posset dispensare in præfato casu. Ratio est, quia hic infirmus post assecutam sanitatem confirmans votum factum in infirmitate sub conditione sanitatis non confirmat illud votum vt factum sub conditione; cum conditio sit iam purificata, sed confirmat illud intuitu Religionis, & quatenus est Religionis promissio, ideo hæc confirmatio ad hoc valet, vt auferat omnem imperfectionem, si quæ aderat in voto conditionato. Et non habet hic locum doctrina communis allata à *Diana*, quòd confirmatio non mutat conditionē legis, aut priuilegij confirmati, quia vbi est sermo de confirmatione actus proprij præcedentis, bene confirmatio valet vt tollat prioris actus imperfectiones si quæ adfuerunt, & causa imperfectionum cessauerit. Sic si votum alicuius ex imperfectione voluntarij sit imperfectum, si postea vouens ex plena deliberatione votum confirmet, illius primi voti defectus suppletur per plenam perfectionem cōfirmationis, & ratihabitionis. Et sic in præsenti imperfectio, quæ in voto vt conditionato aderat suppletur, & tollitur per absolutam confirmationem, & ratihabitionem independenter à futura alia conditione habitam.

644 Colligitur vltimò dari tertiam sententiam ab illis duabus distinctam, quæ per directum opponitur primæ, & secundæ ex partè, & quæ tenet & bene, & cum veritate quòd vota conditionalia de materia reseruata, sint reseruata, & quòd in eis non possit Episcopus dispensare aut ea commutare, nec etiam ante purificatam conditionem, & eadem ratione nec id possint facere Confessores Regulares respectu secularium. Hoc enim docuerunt *Soter l.7. de iust. q.3. a.1. ad quartum. Nauar. cap.*52. *nu.* 43. *Azor. p.2. lib.19. cap.20. q.13. Aragon. supra q.88. a.12. Valentia tom.3. disp.6. q.6. p.7. ver. Item possunt. Corduba in sum. q.152. Gutierez l.2. q. Canon. cap.22. num. vlt. Rodriq. ad Bullam Cruc. §.9. num.25. & in addit. eod. §.9. num.116. Ludouicus Lopez p.1. cap.44. Vega tom.2. cap.129. casu 22. & casu 99. Sanctarell. cap.31. de Iubil. dub.2. Barbosa de off. & potest. Episc. alleg.* 37. *num.*6. Vbi hoc probat ex eo quòd contractus conditionalis in sua essentia ab initio est perfectus, ex *l. vsufructus* 26. ad finem, ibi. *Ex præsenti vires accipit, ff. de stipul. seruorum Afflict. dec.* 280. *num.*63. *vel* 6. *Tiraquell. de retract. lign. §.14. gloss.2. num.17. Canar. lib.4. cap.8. a num.6. Velasc. de iure emphyt quæst.49. num.6.* Et quòd conditio suspendit quidem executionem contractus, sed tamen

men contractus conditionatus in sui essentia est perfectus.

SVMMARIVM.

1 *Votum pœnale de materia reseruata an possit commutari alij affirmant, alij negant. numer. 645. & 646.*
2 *Ad votum non est necesse quod res promissa sit per se amata. n. 647.*
3 *In quolibet voto quod Deo datur est res nobis grata. num. 648.*
4 *In voto pœnali pœna consideratur vt iusta vindicta num. 649.*
5 *Obiectio proponitur. n. 650.*
6 *Votum pœnale absolutum de materia reseruata est reseruatum. n. 651.*
7 *In voto motiua vouendi ex parte vouentis materialiter & accidentaliter se habent. n. 652.*
8 *Votum pœnale de materia reseruata est votum reseruatum. n. 652.*
9 *Votum pœnale de materia reseruata impleta conditione est reseruatum. n. 653.*
10 *Votum pœnale de materia reseruata ante impletam conditionem per accidens est dispensabile. num. 654.*
11 *Votum religionis non approbata est dispensabile. num. 655.*
12 *Voti reseruati qualitas est dispensabilis. n. 655.*
13 *Votum religionis vt strictioris est dispensabile. num. 655.*
14 *Item votum de perseuerando in Religione. numer. 655.*
15 *Non potest ab inferiori dispensari vt vouens differat ingressum religionis. n. 656.*
16 *Votum assumendi Religionem Tertiariarum, aut militiarum, quæ non profitentur tria vota est dispensabile. n. 657.*
17 *Ordines militares S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ & S. Stephani non sunt perfectæ Religiones. num. 657.*
18 *Ordo Militiæ S. Io: est perfecta Religio, & ideo votum dicti Ordinis est indispensabile. n. 637.*
19 *Votum quodlibet obedientiæ, castitatis, & paupertatis diuisiue & seorsum sumptum nō est reseruatum. n. 658.*
20 *Vota simplicia in Religione ex vi statuti Religionis cum aliqua solemnitate emissa licet sint simplicia sunt reseruata. n. 658.*
21 *Votum castitatis imperfectum, vt est votum temporale non est reseruatum. n. 659.*
22 *Item votum castitatis partialis. n. 660.*
23 *Votum virginitatis qualiter non reseruatum. numer. 661.*
24 *Vota annexa statui religiosæ reseruata. n. 662.*
25 *Vota partialia si per ea promissa est integra castitas quando sint reseruata. n. 663.*
26 *Votum voti castitatis non est reseruatum. numer. 664.*
27 *Votum non eo reseruatum quod vouens vouerit non petere, vel acceptare dispensationem. numer. 664.*
28 *Votum assumendæ Religionis licet post aliquod tēpus est reseruatum. n. 665.*
29 *Votum peregrinationis in multis casibus non est reseruatum. n. 666.*
30 *Votum peregrinationis quoad qualitates non est reseruatum. n. 666.*
31 *Votum reseruatum nec in materiam euidenter meliorem potest ab inferiori Papa commutari, nisi in Religionem commutetur. n. 667.*

645 OCtauum casum constituunt in voto pœnali, quando, scilicet, vouetur res reseruata, vt religio, vel castitas vi assumenda in pœnam alicuius peccati. Vt si quis dicat, *voueo non ludere, & si lusero voueo religionem*, seu *voueo non fornicari, & si fornicatus vero, voueo castitatem*. Hoc ergo votum nec ante, nec post conditionem impletam esse reseruatum senserunt. *Sanchez l. 8. de matrim. disp. 10. nu. 8. & lib. 4. mor. c. 40. n. 91.* & apud eum *Lopez, Aragon, Rodriq. Gomes, & Vega, Toled. Valentia, & Sà, Barbosa d. alleg. 37. num. 7.* & apud eum *Basil. Pont. Sanctarell. Trullench. Sayr. Miranda, Sayr. l. 6. Clau. Reg. cap. 11. num. 72. Suarez l. 6. de voto c. 23. num. 1. Bonac. de legib. disp. 4. q. 2. p. 7. §. nu. 17. Layman lib. 4. tom. 4. c. 8. num. 9. Fillinc. tr. 26. nu. 270. Tambur. tom. 2. disp. 19. q. 8. n. 39. Val. tom. 3.* Ledesma *p. 2. tr. 10. cap. 8. par. 3. pag. mihi 554. Raphael à Turre supra q. 88. a. 12. dub. 3. num. 7. Martinez de Prado cap. 31. q. 14. an. 93. Palaus 4. tom. trac. 15. disp. 2. p. 11. num. 6. Pasqualig. q. 295.* de Iubilæo, & apud eum *Ludouicus à Cruce, Gobat, Trullench, Bossius, Fernandez, & plures alij*. Huius ratio est, quia cum reseruatio tanquam odiosa sit restringenda, non debet intelligi nisi de voto rei reseruatæ, quod sit rei reseruatæ simpliciter, nimirum quod sit votum religionis simpliciter, aut castitatis, aut peregrinationis; sed votum pœnale non est votum rei reseruatæ simpliciter. Tum quia est conditionatum. Tum quia non oritur promissio ex affectu & amore vouentis, qui hæc potius sibi proponit, vt odiosa, & tanquam talia ea assumit in pœnam delicti, & sic respicit ea vt inuisa, & non amata, & vt aspera; & vt odiosa, & vt pœnam; *igitur* hoc votū non tendit in ista simpliciter per modum voti; quia votum est actus Religionis, quo quis rem sibi gratam & acceptam Deo offert in eius cultum. Et confirmatur, quia in voto pœnali res oblata Deo eligitur vt obiectum timoris & abominationis, ut animus à à peccato ex eius rei timore, aut abominatione arceatur.

646 Alij verò hoc temperant, & dicunt, vota huiusmodi pœnalia de re reseruata post impletam conditionem & incursam pœnam esse reseruata, non verò ante. Mouentur, quia ante incursam pœnam talia vota non sunt vota rei reseruatæ, sed vota non peccandi, solùm verò post commissum peccatum intrat votum religionis, vel castitatis, aut peregrinationis. Et ideo huius sententiæ est *Sanus l. 7. de inst. q. 2. a. 1. ad quartum, & q. 4. a. 3. verum vnā verò. Couar. c. quamuis pactum c. 1. §. 3. n. 12. de pactis in 6. Azor c. 1. l. 11. cap. 10. q. 3. & cap. 19. quæst. 13.* & apud *Sanchez vbi supra Alcozer, Corduba, Angles, Gutierez. Rodriq. Graffius, & Llamas, & multi ex illis*, quos *Barbosa loca citato refert pro priore sententia Par Iordan lib. 9. tit. 1. n. 34.*

647 Verùm nequit negari quin primæ sententiæ fundamentum vacillet, & nutet, & non subsistat. Assumit enim hoc principium: Cum votum sit actus Religionis, quo quis rem sibi gratā, & acceptam Deo offert in eius cultū. id simpliciter dicitur

votum, quod est ex effectu rei promissæ: Multipliciter verò hoc principium deficit. Et quidem primò, quia peruertit naturã voti, quæ non est quod sit ex amore rei promissæ, sed ex amore diuini cultus. Ex eo enim quòd votum sit actus religionis respiciens Dei cultum, sequitur quidem quòd respiciat rem promissam vt aptam ad Dei cultum, & in Dei cultum ordinatam, & ex amore Dei cultus promissam. Sed quòd res promissa aliàs secundùm se sit amata, vel non amata, vel votum sit ex amore eius secundùm se, vel nõ, merè materialiter se habet ad votum, & accidentaliter, nec potest votum variare, quod non respicit rem promissam secundùm se sumptam, sed vt vestitam ordine ad Dei cultum; seu vt comprehensam sub formali obiecto Religionis. Et hoc in omni voto etiam pœnali inuenitur, quia quidquid sit an pœna secundùm se sit vel non sit amata, tamen pœna vt est quid Religiosum simpliciter a vouente eligitur, & amatur & Deo promittitur, & offertur; in quo voti essentia consistit. Nihil ergo ad votum facit formaliter, & per se, quòd votum sit ex amore castitatis secundùm se, vel Religionis, sed bene facit quòd sit ex amore castitatis vt est quid religiosum, nimirum quòd sit ex amore diuini cultus, & sic ex amore castitatis vt est quid spectans ad Dei cultũ. sed hoc in voto pœnali inuenitur; non enim respicit pœnam nisi vt est quid religiosum, & spectans ad Dei cultum.

648 Secundò consideratur, quòd nihil Deo offertur per votum, quod nõ sit sub aliquo respectu gratum, & sub alio non gratum, sed maximè inuisum. Quoniam quantò aliquid plùs amatur, tantò eius priuatio est magis molesta, & sic si res amata Deo donatur, priuatio eius maximè molesta ex vi voti assumitur. In voto ergo pœnali distingui debet id quod datur Deo, & quod ex vi dati resultat in homine: Id quod datur Deo est res valde amata, nimirum in voto Religionis id, quod datur Deo est libertas, quoniam religio seruitus quædam est, per quam per vota paupertatis, castitatis, & Religionis ligatur nostra libertas in seruitutem religiosam, vnde Religio impòrtat statum seruitutis, vt dictum est ex *D. Thom. supra q. 185. a. 1.* ergo etiam in voto pœnali id quod datur Deo, quod est libertas agendi circa materiam aliquam est nobis valde gratum, & ex consequenti eius priuatio, seruitus scilicet assumpta à nobis est res valde inuita.

649 Vnde in hoc omnia vota conueniunt. Differentia est quòd votum non pœnale respicit rem vt secundùm se honestam absque ordine ad præcedentem culpam, & sic respicit & id quod Deo donatur, & id quo ex Dei dono homo remanet priuatus ratione honestatis quam ex se habet, & quatenus ex se est ordinabile in Dei cultum. Sed votum pœnale formaliter respicit priuationem illius boni, quo homo se priuat donando illud Deo, sub ratione iustæ vindictæ, & sic respicit in obiecto honestatem vindictæ. Verùm hoc ad votum merè materialiter se habet; quia votum non respicit formaliter honestatẽm huius vel illius virtutis, sed respicit formaliter Dei cultum; aliàs verò quòd Religio quæ promittitur consideretur vel sub ratione boni ordinabilis ratione suæ bonitatis in Dei cultum, vel ineuodem ordinabilis in quantùm est quædam iusta vindicta & pœna, hæc materialiter se habent ad votum.

650 Sed dices, hæc probare, quòd vota pœnalia sint verè simpliciter vota, quod est indubitatum, sed non probare, quòd sint vota talis materiæ puta religionis, immò ea dictis oppositum sequi. Hic enim distinctionem materialem votorum attendimus, & reseruatio fundatur super voti materialitate, nimirum quia est votum talis materiæ reseruatæ puta religionis; At verò non potest dici, quod votum sit simpliciter votum talis materiæ, si non attingit illam quatenus talis est, & ratione suæ bonitatis & formalitatis, sed sub ratione alterius, puta non sub ratione vindictæ. Sic enim iam votum non est votum religionis, aut castitatis, sed est votum uindictæ alicuius iustæ, seu alicuius iustitiæ Deo redditæ.

651 Sed instatur primò contra obiectionem, & postea soluitur, & à priori, ueritatis punctum explicatur. Instatur ergo ex concessis à priori opinione, ut apud *Sanchez d. l. 8. de matrim. disp. 10. n. 6. & 9.* Quia non desinunt uota pœnalia ut pœnalia esse simpliciter reseruatæ materiæ, & reseruata si fiant absolutè, & sine conditione. Vt si quis post commissum aliquod delictum facti pœnitens in odium & uindictam delicti promittat Deo castitatem, aut Religionem, hoc uotum habetur simpliciter tanquam uotum Religionis, aut castitatis, & reseruatum, & indispensabile nisi à Romano Pontifice, & tamen est uotum pœnale respiciens religionem, aut castitatem sub ratione uindictæ & pœnæ. Item si quis ex eo quòd non obtinuit præbendam, quam desiderabat, uel uxorem, quam amabat, ex indignatione mouetur, ut Deo promittat Religionem, aut castitatem uotum est ualidum, & est simpliciter reseruatum; quia non debet attendi imperfectio, quæ sit in motiuo impellente ad uotũ; huiusmodi enim sunt accidentaria ipsi uoto, sed attendi debet materia Deo promissa, quæ si sit reseruata, & uotum est reseruatum. Constat igitur euidenter, quòd uotum respicere materiam sub ratione iustæ uindictæ, non facit, quòd si aliàs materia sit reseruata, uotum non sit reseruatum.

652 Et huius ratio à priori est, quia in uoti specificatione etiam materiali attendi non debent motiua ad uouendum, quæ concurrunt solum ex parte uouentis, tanquam ueluti materiales dispositiones, & occasiones uouendi, quæ sunt extrinsecæ uoto, & uariabilissimæ iuxta conditiones uouentium, quibus occasio, & motiuum uouendi potest esse, & sæpissimè est, uel paupertas, uel infirmitas, uel necessitas itineris, uel periculum mortis, uel tribulatio aut persecutio, uel non obtinuisse quod desiderabatur, uel tædium uitæ, uel onus matrimonij, uel hoc, aut aliud motiuum etiam de se imperfectum, Deo per gratiam suam sic res ordinante ut concupiscentia huius uel illius boni, aut timor, aut odium mali, aut aliqua alia passio sit nobis occasio, & dispositio ad bonum. Sed hæc omnia extrinseca sunt, & materialiter, & dispositiuè, seu occasionaliter se habent, vnde postea uoluntas vouet Deo; sed iam motiuum huius actus formale, & finale, & ex parte operis est Dei cultus, in quem promissio, & res promissa ordinatur, & ab hoc fine uotum ipsum formaliter specificatur. Pariter & materialis determinatio ea re promissa

desumitur. Quod verò in re promissa sint plures rationes, ex quibus moueri potuerit animus ad vouendum, hæc accidentaliter se habent, & sola materialitas rei promissæ attenditur; quia illa est, quæ promittitur per votum, & siue in ea consideretur quòd sit res de suæ bonitatis ratione ordinabilis in Dei cultum, siue ratione alicuius pœnalitatis, quam in se habet, hoc tanquam accidentale, & extrinsecum quid à specie voti, non attenditur, sed consideratur, quòd res promissa est talis, quæ sit reseruata, & adeo votum est reseruatum, hic ergo ex eo quòd Deo promittatur Religio, vt quædam pœna, non desinit votum esse votum Religionis simpliciter, vt & prima sententia fatetur. Quod verò hoc cõcedat de voto absoluto, & emisso absolutè post commissum delictum, neget verò de voto conditionato; iam ipsa recedit à suo fundamento, & recurrit ad vim voti, vt conditionati.

653 Quod quidem nõ sufficere impleta conditione iam probatum est, & iterum probatur; quia votum conditionatum est absolutum ex parte volentis, & absolutè fertur in obiectum supposita conditione, qua impleta perinde est, ac si tunc voluntas sine conditione promitteret, aut se obligaret, vt constat ex *l. potior 11. ff. qui in pignore potiores habeantur*, ibi: *Cum enim semel conditio extiterit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* Sic enim & manifestum est, quòd contractus conditionati absolutè obligant & ante, & post impletam conditionem, & talis naturæ sunt, quòd impleta conditione transeunt in absolutos, & non impleta conditione rescindi non possunt, sed veram continent obligationem licet dependenter à conditione.

654 Quod verò DD. aliqui secundæ sententiæ addebant, scilicet vota pœnalia ante impletam conditionem non esse vota materiæ reseruatæ, vt v. g. dum dico, *voueo non ludere, & si lusero voueo castitatem*, hoc votum ante incursam pœnam non esse votum Religionis, minimè subsistit, nam aliud est, quòd ante incursam pœnam non intret necessitas exequendi votum, & aliud est, quòd ante incursam pœnam votum non sit. Primum est verum, non secundum. Nam votum est ab initio, licet sit conditionale. Qui enim vouet castitatem, si luserit ex nunc Deo promittit castitatem, licet non absolutè sed sub conditione si luserit. Et ideo votum iam tunc est licet sit conditionatum. Nihilominus tamen dicitur, quòd illa sententia secunda est vera. Quia votum conditionale non obligat nisi dependenter à conditione, qua non posita vel impedita vel extincta nulla est voti obligatio. In voto verò pœnali vouens non se obligauit ad non petendam dispensationem voti quod est materiæ non reseruatæ, potest ergo & dispensationem petere, & recipere si concedatur. Obtenta autem prioris voti dispensatione cessat omnino conditio sub qua votum pœnale de materia reseruata obligabat, quia conditio erat vt subderetur pœnæ si frangeret illud prius votum; quod non frangitur ampliùs nec potest frangi, cum votum non adsit. Et hoc est verum etiam si votum de materia non reseruata commutetur, & non dispensetur. Semper enim tollitur obligatio voti ad illam materiam, vt puta ad non ludendum; ideo si vouens luserit non peccat contra votum, vnde nec tenetur ad pœnam v. g. ad Religionem promissam solùm sub conditione violationis voti de non ludendo. Esto verò votum sit commutatum v. g. in eleemosynam, prius tamen votum est extinctum totaliter. Nam respectu materiæ non reseruatæ, & primò promissæ vt puta non ludendi votum est extinctum & ex consequenti respectu pœnæ, & sic votum pœnale est extinctum: cuius obligatio non transit ad materiam subrogatam, quia pœna sub eius conditione nec fuit priùs promissa, nec postea promittitur, & sic per accidens votum pœnale respectu pœnæ extinguitur.

655 Nonus casus plures continet, in quibus votum Religionis non censetur reseruatum. Primò si non sit votum Religionis à Sede Apostolica approbatæ, quia talis Religio non est religio simpliciter. Secundò si sit votum Religionis strictioris; quia tunc votum prout cadit non super substantia Religionis, sed super qualitate, est dispensabile, & ita dispensari potest ex causa iusta, vt qui vouit Religionem strictiorem ingrediatur laxiorem, *Syluest. v. votum. 4. quæst. 3. dicto 6. ex Palud. Sayro in Claui Reg. l. 6. cap. 11. num. 63. Azor. p. p. lib. 11. cap. 19. quæst. 8. Rodriq. Ledesm. Less.* quos sequitur *Sanchez l. 4. mor. cap. 4. num. 74. & l. 8. de matrim. disp. 9. num. 17. Diana 1. tract. 11. resol. 55. Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 37. num. 7.* & *Bonac. & Trullench. Pasqualig. de habil. quæst. 321.* & apud eum *Arragon. Rodriq. Maldes. Lauor. Faustus*, & plures alii. *Bonac. de leg. disp. 4. quæst. 2. par. 7. §. 4. num. 21. Moron. respons. 98. num. 402. Palaus tract. 15. disp. 2. par. 11. num. 4.* Sed ex *Nauar. com. 4. num. 10. de Regular.* huius oppositum tanquam probabilius tenet *Pax Iordan. lib. 9. tit. 1. num. 289.* attenta praxi recurrendi ad summum Pontificem pro similium votorum commutatione, aut dispensatione. Hoc certum est, quòd qui iam arctiorem Religionem professus est, ad laxiorem inconsulto Papa non potest transire. Sed qui laxiorem professus est, & vouet strictiorem, quod eius votum non sit ita reseruatum, vt non possit commutari virtute iubilæi, & super eo dispensari ab inferioribus Prælatis ex citatis DD. tenet *Pasqualig. d. q. 321. num. 3.* Tertiò si votum sit de perseuerando in Religione, nam hoc votum censetur distinctum a voto Religionis secundùm substantiam. Vnde si quis ingressus est Religionem, dum est Nouitius potest ab Episcopo dispensari super perseuerantia, & vt exeat, si iusta causa ad non perseuerandum ducatur, quia hoc est dispensare in qualitate voti, non in substantia. *Hostiens. in sum. tit. de voto, num. 16. in fine*, quem sequitur *Sanchez d. cap. 42. num. 75. Barbosa d. num. 7.* & apud eum *Trullench, & Ludouic. à Cruce, Pax Iordan. lib. 9. tit. 1. num. 293. Palaus vbi sup.* & non refert an huiusmodi dispensatio de non perseuerando detur ante vel post ingressum in Religionem. Nam & ante ingressum potest Episcopus dispensare, non ne vouens ingrediatur, sed vt ingressus non teneatur perseuerare, si iusta causa sit egrediendi. Et similiter post ingressum, si nouitius iusta causa exijt, potest dispensare, ne teneatur iterum ingredi; secus si non iusta causa exierit; quia tunc nondum satisfecit voto, & sic esset dispensare in substantia voti. Pariter nec refert si vo-

tum ingrediendi, & perseuerandi in Religione factum sit per modum vnius, vel per modum plurium, quia & in voto facto per modum vnius claudidur virtualiter duplex votum,

656 Quartò si dispensatio sit super executionis voti tempore, aut dilatione: Quia v.g. si quis promiserit Religionem intrare intra annum, ex iusta causa potest Episcopus dispensare vt differat, quoniam hoc est dispensare non in substantia, sed in qualitate. Quod tamen limitatur, nisi dispensatio sit ad tantum tempus, vt sit periculum impotentiæ implendi votum, vt si daretur dilatio ingressus vsque ad mortem parentum. *Sanchez d. l.4. cap.40. num.76, Barbosa d, alleg.37. num.16.* & apud eum *Vgol. & Boss. Pax Iordan. l.9.tit.1.nu.294, Pasqual.de iubil, q.322.* & apud eum *Vgol. Malder, Molfes,*& alij *Moron.resp.98.n.405. Palaus tract.15. disp.2. pur.11, num.4. Martinez de Prado cap.31, quæst.14. num.91.*& apud eum *Galiiego*, & alii, quorum aliqui limitationis positæ mentionem non faciunt, ait tamen Pax Iordá, quòd dispensatio sit superuacanea, quia vbi adest iusta causa differendi votum non obligat, Sed oppositum hujus vult *Suarez l.6. de voto cap.26. num.11. & 12.* Tum quia consuetudo est in contrarium; Tum quia hæc temporis qualitas intrinsecè attingit substantiam voti, cuius substantialis executio differtur. Nec certè valet, quòd habet Sanchez, quia, scilicet, non minùs attingitur substantia voti dum dispensatur in voto religionis strictioris, quàm dum dispensatur in tempore; quoniam manifestum discrimen est; quia qualitas strictioris, vel laxioris separabilis est à substantia Religionis, quæ manet sub vtraque qualitate, sed temporis dilatio, non est separabilis ab existentia Religionis, sed temporis circumstantia rei existentiæ est intrinseca, & dum differtur ingressus Religionis, Religio non est, & eius substantia deest, & ex consequenti super substantia voti dispensatur. Ideo dicitur, cùm Suarez, quòd Episcopus propriè non potest dispensare super executione voti Religionis vel alterius ex reseruatis, vt differatur, Quamuis, vt benè ex Angles Floribus aduertit *Sayras in Claui Reg. lib.6. cap.11. num.65.* possit ipse declarare an adsit iusta causa differendi voti executionem etiam authoritatiuè & eius declaratio longè præualeat cuiuscumque Doctoris declarationi.

657 Quintò potest Episcopus dispensare in voto Religionis etiam approbatæ, quæ non sit religio simpliciter, in qua emittantur tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Et sic votum assumendi statum Tertiariarum, quæ non emittunt nisi votum castitatis, vel votum militiarum S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, S. Stephani, & aliarum militiarum in quibus milites non vouent nisi castitatem coniugalem, vel in quibus non emittuntur tria vota substantialia Religioni; huiusmodi, inquam, votum non est reseruatum, quia non est votum religionis simpliciter. Iam enim supra *quæst.186.art.4.à num.12. cum D. Thom. probatum est*, huiusmodi non esse Religiones simpliciter & antonomasticè dictas. Votum tamen ingrediendi Religionem militum S. Io: reseruatum est, quia est votum Religionis simpliciter. *Sanchez d. cap.40. num.73, Barbos. d.alleg.37. num.7. Pax Iordan.l.9.tit.1.num.287.* Verum est, quòd non desunt, qui putent milites præfatos esse rigorosè Religiosos. vnde *Leander de Sacram. Pœnit. tract.1. quæst.121.* existimat, quòd hi DD. consequenter dicerent, quòd votum assumendi aliquam ex his militaribus Religionibus sit votum Papæ reseruatum, & virtute Bullæ indispensabile. Sed ipse nihilominùs putat hoc votum esse dispensabile, quia est dubium an sit de materia reseruata, cum sit dubium an Religiones præfatæ sint propriè religiones. Sed cum certum sit in talibus Ordinibus non voueri totam, sed partem castitatis, etiam si dicti ordines sint propriè & non metaphoricè religiones in genere (quod verum est) non sunt tamen specificè tales, nec eorum vota omnia sunt plena, & perfecta, & totalia, sed imperfecta, & partialia, quia nec totam castitatem, nec totam paupertatem vouent, cum sint domini sui patrimonii, & ideo non sunt simpliciter antonomasticè Religiones, & votum illorum non est reseruatum. *Pasqual. de Iubil. quæst.318.* & apud eum *Trullench. Ludouicus à Grace, Faustus, & Bossius, Martinez de Prado cap.31. quæst.14. num.90.* vbi excipit votum assumendi Religionem Beatarum seu militum S. Iacobi, si collegialiter viuant. Sed ex eo quòd aliqui collegialiter viuant sub certa regula etiam approbata à Sede Apostolica, non sequitur, quòd sint propriè & specificè religiosi simpliciter, si non emittant tria vota substantialia Religionis iuxta doctrinam *D. Thom. quæst.186.a.4. ad tertium, & art.7.* Et ideo ex hoc attendi debet an votum sit votum religionis simpliciter, si religio quam quis vouet obligat ad tria vota Religionis, quia nullum ex illis uotis, nec etiam votum obedientiæ (quod est alijs præstantius) se solo sufficit ad statum religionis simpliciter, ut habet *D.Thom.ibid. art.7.ad tertium,*

658 Vnde est quòd uotorum Religionis quodlibet seorsum sumptum & simplex non est reseruatum, sed est dispensabile *Sanchez num.72,* sic *Suarez d.l.6.cap.21.num.8, & 9.* dixit Episcopum posse dispensare in his uotis extra statum Religionis emissis, & de uoto paupertatis emisso in seculo dixit *Nauar. cons.11 de Regular. num.21.* Vota tamen emissa in Religione aliqua etiam non perfecta, sed approbata a Sede Apostolica, & quæ emittuntur ex ui regulæ à Sede Apostolica approbatæ sunt Papæ reseruata; habent enim solemnitatem ex institutione Pontificia, & perpetuitatem quandam status, & ideo sunt de illis uotis perpetuis, quæ *S.Thom.sup. quæst.184. a.6. & quæst.185.a.4. & infra quæst.189. a.9.* dixit esse Pontifici reseruata. Sic enim, & uota simplicia in aliquibus Religionibus emissa esse reseruata Papæ, dictum est supra *q.185.a.8.num.167, & 168. pag.416,*

659 Decimus casus plures continens est uoti castitatis imperfecti ex parte materiæ, quia non promittitur tota castitas. Vt quia uotum sit temporale, seu ad certum tempus. *D. Thom. supra q.88. a.11. ad 2. Sylaestr. v. votum 4. q 3. d.61. Soto l.7.de iust.q. 4.a.3.vers.ex his fit Nauar. c.15.num.76. Barbos.alleg.37. num.15. Sanchez l.8. de mat. disp.9. num 6, & l.4. mor. c.40. num.48. Suarez l.6. de voto cap.22. num.9. Bonac.de legibus disp.4. q.2. p.7. §.4. num.18. Ledes.2 p.tr.10. cap.8 .par.3.* ubi de iis, qui possunt dispensare dicto 3. *Nugnus 3.p. tom 2. trac. de Bull. cruc.§.11. Diana p.1. tr.11. res.57. Pasqual.*

de

de iubil. q.309. Pax Iordan lib 9, tit.1. num.274. & apud istos plures alij. Limitant tamen Sanchez, Pax, Barbosa, Pasqualig. & alij, vt votum castitatis ad 100. annos, vel vsque ad vouentis centesimum annum, censendum sit perpetuum, quod aliqui dicunt etiam de voto ad annos 80. quia nou præsumitur homo amplius viuere.

660 Pariter si quis voueat solùm vel castitatem coniugalem, vel virginitatem propriè, vt est conseruatio virginalis integritatis, vel non adulterari, vel non ducere vxorem, vel non petere debitum, vel cum vnus coniux alio vel inscio, vel conscio vouet aliquid spectans ad castitatem, sed absolutè totam non promittit, de quo plures casus distinguit *Sanchez l.4.mor.cap.40. à num.52.& lib.8.de matrim.disp.11.* vel cum quis fecerit votum de non tangenda muliere, vel votum emiserit de sumendis sacris Ordinibus, quibus est annexum votum castitatis, & in alijs similibus casibus in quibus non promittitur castitas absolutè, sed aliqua pars illius, vel solùm aliquid, cui sit annexa castitas, vota non sunt reseruata. De quibus videri possunt. *Sanchez loc. citat. Soto 4.d.38.q.2.a.2. & lib.7.de iust.q.4.a.3. Valent.tom.3.disp.6.q.6.p.4. Diana p.1.tr.11.res.60. Moron.res.98.num.412.& seq. Azor.p.1.l.11.c.19. quæst.9. Pasqual. de iubil. q.310. 311. & 312. Nauar.cap.12. num.76. Sayr.l.6. Clau. Reg.cap.11.à num.48. Diana p.1.tract.11.res.57. Barbosa d.alleg.37.num.15. Pax Iordan l.9. tit.p.à n.275.* & plures alij ab istis citati.

661 Circa tamen votum virginitatis considerandum est, quòd illud de se & ex natura rei obligat ad castitatem simpliciter, & solùm est partiale votum, si vouens ex intentione expressa illud limitet ad solum integritatis florum non amittendum, & de reliquo ad aliam castitatem non intendat se obligare. Ideo in dubio tale votum censendum est esse votum castitatis perpetuum, & ideo reseruatum. *Sanchez lib.4.moral.cap.21.num.22. Less. l.2. c.40.num.18. Pax Iordan. d. l.9. tit. 1. num.280. Pasqual.de iubil.q.310.num.3.*

662 Semper etiam sunt excipienda vota emissa in religione seu Ordine approbato à Sede Apostolica, seu ex vi Regulæ. Vnde est, quòd votum coniugalis castitatis emissum in aliquo ex Ordinibus militaribus non est commutabile ex vi Bullæ Cruciatæ, vel iubilei, vel priuilegiorum. *Pasqual. quæst.312. de iubil. ex Sanchez.* Vota enim statui religioso annexa sunt perpetua, & non sunt simplicia, sed solemnia, & si aliqua sint simplicia sunt talis solemnitatis alicuius & perpetuitatis ratione firmata, vt sub priuilegiorum vel indultorum generali concessione non veniant.

663 Quòd si forsan contigerit, vt quis per vota distincta & partialia promiserit integram castitatem, non per hoc huiusmodi vota quorum singulum est partiale, sunt reseruata; quia per nullum illorum seorsum promittitur integra castitas. *Sanchez cap.40.num.68. Diana p.1.tr.11. res.67. Moron. res.98.num.413.Pasq.de iubil.q.317.* Meritò tamen hoc limitant in casu in quo vouens vltimum votum complens promissionem integræ castitatis ex ea intentione emiserit, vt ad integram castitatem teneretur.

664 Si quis etiam voueat se vouere castitatem absolutè & simpliciter, votum hoc non est reseruatum, quia non est votum castitatis. Sicut dicebatur quòd votum suscipiendi sacrum Ordinem non est votum reseruatum. Et licet vtrumque votum ex quo habet annexum votum castitatis, ad quod vtrumque continet obligationem, quia per primum votum castitatis promittitur, & per secundum promittitur Ordo cui est annexum castitatis votum, ideo sit æquiualenter votum castitatis, tamen ad reseruationem inducendam, non sufficit æquiualentia, sed requiritur identitas. *Suarez tom.3.de Relig.l.9.cap.22. num.9.* Vnde est, quòd si quis voueat aliquid obligando se ad non petendam dispensationem, aut etiam non acceptandam nisi veniat à Pontifice, si aliàs votum non sit de materia reseruata, non est reseruatum *Sanchez d.cap.40. num.79.post Azor.p.p.l.11.cap.19.quæst.15.Sayr.l.6. cap.11.num.67.* sua enim voluntate non potest vouens facere vt votum sit reseruatum. *Suarez lib.6. de voto, cap.2.num.15. Barbosa d.alleg.31.num.20.*

665 At verò si quis nunc voueat v. g. Religionem vt assumendam post annum, ex nunc votum obligat, & est reseruatum, quia est votum Religionis, & licet non obliget ad ingrediendam Religionem ante annum, obligat tamen nunc ad Religionis ingressum tempore suo obligatione à quocumque inferiore Papa indispensabili. *Suarez vbi sup.num.2.*

666 Vndecimus casus respicit votum peregrinationis. Hoc enim in multis casibus non est reseruatum, vt si votum non fiat intuitu visitandi illa loca sacra, puta limina Apostolorum sed voueat Romanam peregrinationem ad visitandam Imaginem aliquam B. Mariæ, vel ad osculandum pedes Pontificis, vel ad impetrandum à Pontifice alicuius peccati absolutionem, quia huiusmodi non sunt illa vota quæ sunt Papæ reseruata, sed alia diuersa, cum sint de obiecto diuerso. *Sanchez d.c.40.n.77.Barbosa d.alleg.37.* & apud eũ *n.17. Alzed.Monet tamen Sanchez,* quòd quando vota huiusmodi absolutè fiunt, censentur fieri modo communi, & vsitato, qui est, vt huiusmodi vota fiant intuitu visitandi sacra illa loca, & ideo habenda sunt vt reseruata; & in dubio sic iudicandum esset; quia præsumendum est votum fieri iuxta communem vsum, si vouens aliter non exprimat. Vota etiam harum peregrinationum quantùm ad qualitates à substantia separabiles non sunt reseruata. Vt uotum de eundo Romam ad limina Apostolorum, pedibus, uel mendicando non est reseruatum, sed potest in eo Episcopus dispensare. *Sanchez numer.78.Barbosa d.num. 5.*

667 Duodecimus casus afferri posset, ut quãdo materia commutationis horum uotorum esset manifestè melior, possent Regulares ea in melius commutare. Sed casus non admittitur: quia iudicium de meliori sibi reseruauit Summus Pontifex circa huiusmodi vota, ideo à nullo inferiore possunt etiam in melius commutari, *Sotus l. 7. de iust. quæst.4.a.3.Azor.par.1. l.11. cap.18. quæst.4. Tabien. v.dispensatio quæst.9.n.11.Sanchez l.4.mor.c.52.nu.4. Suarez l.6.de voto c.21. n.17. Immo vt Sanchez n.5. & Suarez num.18.* dicunt, nec unum reseruatum potest in aliud commutari, nisi quòd alia commutati possunt in uotum Religionis per *cap.Scripturæ,* de uoto, quod tamen intelligitur de uoto professionis, in quod alia uota commutari possunt, cum

hæc

hæc commutatio fiat à iure, ex quo alia nota, pet uotum professionis extinguuntur, *Martinez de Prado cap.3 t.quæst.15. num.12.*

SVMMARIVM.

1 *Non datur votum, quod proprie sit Episcopo reseruatum.nu.668.*
2 *Episcopi in præiudicium priuilegiorum nō possunt sibi reseruare vota. nu.669.*
3 *In vno casu potest dari votum Episcopo reseruatum. num.669.*
4 *Episcopus non potest sibi reseruare vota propria, quia id respectu Papæ nullo modo potest, & respectu suorum inferiorum reseruatio non habet locum, quia vota ex natura sua sunt Episcopo reseruata, num.670.*

668 DVbitatur tertiò; an Regulares uirtute priuilegiorum possint commutare uel dispensare in uotis reseruatis Episcopis? Multi ex DD. distinguunt, nam uota uel sunt reseruata Episcopo ex iure communi, & ordinario, uel ex consuetudine aut iure speciali, in ijs in quibus uidetur electa industria personæ. Regulares in primis uotis possunt dispensare non in secundis. Ita *Barbosa d.alleg.37. num.14. Diana* aliter distinguit *p.p.tract.12. res.56.* existimans Regulares posse in ijs uotis in quibus potest Episcopus potestate ordinaria, non uerò potestate delegata. Sed dicendum est, quòd dubium propositum est de subiecto non supponente, scilicet, supponitur dari nota reseruata Episcopo, quod propriè non est uerum. Nullum enim est uotum reseruatum Episcopo, uel omnia non reseruata Papæ sunt illi reseruata si impropriè loquamur. Nam cum nullus inferior Episcopo possit uota commutare, aut in eis dispensare, nisi habeat & ipse diœcesim, & iurisdictionem in suos subditos, in quo casu uenit sub nomine Episcopi, uota omnia sunt illi, uel Papæ reseruata, si reseruatio nihil aliud importat quàm Episcopum posse in uotis dispensare, & alios eo inferiores non posse. Sed hoc non est esse reseruatum propriè quia reseruatio est reuocatio & reductio potestatis quam habent inferiores ad superiorem, ut quod poterant, non possint, limitata eorum potestate, & facultate agendi superiori reseruata. Nullum ergo datur uotum Episcopis reseruatum, sed solùm Pontifici, quia cum Episcopi de iure ordinario possint commutare, uel dispensare in omnibus uotis, Pontifex sibi reseruauit præcipuè illa quinque in primo dubio enumerata. Nullum igitur dari uotum Episcopis reseruatum bene dixit *Sanchez l.4.mor.cap.40.nu.2.* post *Suarez l.6.de voto cap.21.num.1.*

669 Nec est unde aliquis dicat, quòd Episcopus possit sibi reseruare uota respectu Regulariū; qui ea commutant ex priuilegio Apostolico, quia in præiudicium Apostolici priuilegij nihil possunt Episcopi; qui nec possunt uel priuilegia Apostolica tollere, uel in eorum usu Regulares impedire. Nullum igitur omnino uotum propriè loquendo est Episcopis reseruatum, licet nullus eis inferior possit authoritate ordinaria uota commutare, aut in eis dispensare. Regulares igitur hoc solùm attendere debent, an scilicet uota sint reseruata Papæ. Nam circa ista se intromittere non ualent, & licet Papa, uel ius commune aliquid concedat Episcopis circa huiusmodi uota, nam ut dictum fuit supra, causa necessitatis in multis casibus etiā authoritate ordinaria dispensare possunt, hoc nullo modo competit Regularibus, quia de hoc non habent priuilegium, sed solùm habent priuilegium circa non reseruata. Quod si dicatur Episcopum posse sibi reseruare ne uouens propria auctoritate uota commutet? Respondetur, quòd etiam si assumptum concedatur, ita quòd detur, Episcopum posse prohibere ne quis propria auctoritate commutet uota etiam in melius (quod sine dubio facere potest Papa) non per hoc Episcopus potest sibi reseruare ne in ui priuilegiorum huiusmodi uota sint commutabilia etiam in æquale, uel etiam in minus ab habente priuilegium nedum commutandi, sed dispensandi. At uerò ut infra dicetur, uotum uerè propria auctoritate non potest ab aliquo commutari in æquale, potest uerò in melius; Et si hoc sibi reseruaret Episcopus, in hoc sensu dari posset uotum propriè Episcopo reseruatum.

670 Quamobrem, quod dicit *Aluiset in Marenula sect.3.cap.5.§ 7.num.12.* scilicet, quòd priuilegia Regularium se extendunt etiam ad vota, quæ sibi specialiter reseruant Episcopi, & quòd non obstant declarationes Cardinalium reuocantes priuilegia absoluendi a casibus reseruatis Episcopo, quia illæ loquuntur de absolutione, cōmutatio autē aut dispēsatio est quid aliud distinctis ab absolutione; Hoc, inquam, quod sic dicitur supponit dari vota specialiter Episcopis reseruata, & sic supponit quòd non est, immò quod extra casum num. sup. positū nō est possibile. Nequeunt enim Episcopi reseruare sibi vota, Nam respectu Papæ, sibi reseruare non possunt, quia non possunt eius potestatem limitare; sed nec respectu sibi inferiorum reseruare possunt, quia non potest tolli, vel limitari facultas, quæ non est; in inferioribus verò Episcopo nulla est potestas commutandi, vel dispensandi in votis. Et ideo meritò Sacr. Congregat. non sunt loquutæ de votis Episcopo specialiter reseruatis, quia huiusmodi vota non dantur. Quibus tamen competit in multis casibus facultas erga vota Papæ reseruata, quæ Regularibus minimè conuenit.

SVMMARIVM.

1 *Regulares in præiudicium tertij non possunt vota commutare. num.671.*
2 *Votum non ex eo est reseruatum, quod sit factum in vtilitatem tertij.nu.671.& 672.*
3 *Intellectus cap.Ex parte de censibus.nu.672.*
4 *In voto facto ad vtilitatem tertij oritur in tertio actio vtilis, non vero actio propria, vel proprium ius.nu 673.& seq.*
5 *Intellectus cap.scimus 12.q.2.*
Et cap.Iuramenti 22.q.5.
Et c.Quicunq; Episcopi suffragio.12.q.2. 674
Et cap.Quia Io: 22.q.5.
Et l.Illud, Cod de sacros. Eccles.
Et l.2.ff.de Pollitit.
6 *Ecclesia habet ius, & auctoritatem cogendi vouentes ad votorum implementum. nu.674.*
7 *Votum factum in vtilitatem alterius per votum profes-*

professionis commutatur. Non tamen si ex illo tertius acquisiuit ius.nu.675.

8 *Votum non ideo reseruatum, quia sit factum sancta.nu.676.*

9 *Votum in vtilitatem tertij ab eo acceptatum ex eo non dispensabile, quod promissio facta tertio non sit dispensabilis, nisi in aliquibus casibus. numer.677.*

10 *Votum reale defuncti indispensabile. nu.678.*

11 *Qualiter votum reale defuncti adimpleri debeat per hæredem.nu.679.*

671 DVbitatur quartò, an Regulares vota non reseruata possint commutare, vel in eis dispensare, si id redundat in præiudicium tertij? Respondetur, in omni priuilegio concesso, circa vota intelligi clausulam, dummodo id non sit in præiudicium tertij, vnde sine dubio à regularibus votum non potest, vel commutando, vel dispensando relaxari, si adsit præiudicium tertij. Et tamen considerandum, quòd non sufficit, quòd votum sit in vtilitatem tertij; ex eo enim quòd quis voueat Deo eleemosynam pauperis, etiam nominatim, & in indiuiduo, nullum ius acquiritur pauperi, cui nihil promittitur, & licet res promissa sit ad commodum illius, illa tamen Deo promittitur, non pauperi illi; & ideo illi pauperi ex hoc nullum ius acquiritur.

672 Et quidem huius oppositum senserunt Archidiaconus & alij, quos refert *Syluester v. votum 4.num.3.quæst.7.dicto 4.* quos sequutus fuit *Sarmients de reddit. Eccles.par.4. cap.3. num.4.* Hi enim voluerunt, quòd per votum factum ad vtilitatem alicuius illi acquiratur ius, & actio, & ideo quòd tale votum non possit sine illius consensu commutari. Quod probatur ex *cap. ex parte. De censibus*, vbi idem tenuerunt *Innoc.& Panormit.& ex cap.scimus 12.quæst.1.Gloss. ibid.& Gloss. in cap. Iuramenti 22. quæst.5. & ex cap. Quicumque 12. quæst.2. & ex cap. Quia Io. 12.quæst.5.* addunt etiam *leg. Illud, C. de sacros. Eccles. & l.2. ff de Pollic.* sed ex nulla istarum Decretalium, vel legum id colligitur. Et quidem in *cap.ex parte* vt notat *Barbosa num.4.* casus erat de voto emisso à Ramiro Rege, communi Hispanorum consensu dandi Ecclesiæ S.Iacobi primitias frumenti, & vini, ob victoriam de mauris insigni miraculo ope eiusdem S. Iacobi obtentam apud Clauigium. Vnde casus erat de voto prædefunctorum & in quo Ecclesia Compostellana iam præscripserat, & non disputabatur de solutione voti, sed de magnitudine mensuræ ad quam votum soluendum esset, quia quidam, qui longo tempore non soluerant, incipiebant soluere ad minimam mensuram. Primò igitur dicitur, quòd in eo texto sermo est de voto prædefuncti, quod transijt ad hæredes, quod, vt infra dico, non est amplius commutabile. Secundò vt habet Caiet. loco infra citando est sermo ibi non de obligatione voti, sed de debito ax antiqua obseruatione ab Ecclesia iam præscripto, ex quo Ecclesia ius habebat, & ita quòd per accidens erat, quòd initium talis obseruantiæ esset ex voto. Nam & ex quacumque causa initium habuisset illa obseruantia, & consuetudo seruanda erat. Tertiò quia ex eo textu hoc habetur solum, quòd votum obseruari debet, & quòd in Ecclesia est potestas compellendi ad obseruantiam votorum, quod est indubitatum. Sed aliud est quod votum sit obseruandum, dum non est relaxatum, sed viuit eius obligatio, aliud est, quòd eius obligatio sit immutabilis: prius enim est verum, & ideo Episcopus Compostellanus potuit, & debuit compellere Hispanos ad soluendum debitum, & potuit & debuit in dubio de mensura ad quam solutio debiti fieri deberet recurrere ad Sedem Apostolicam, vt mensuram determinaret. Sed inde non colligitur, quòd votum sit immutabile, & nullo modo commutabile.

673 Quartò quia in voto facto ad vtilitatem tertij, puta ad vtilitatem Ecclesiæ oritur quidem in tertio actio Canonica, seu ciuilis, quæ dicitur vtilis, & per quam potest implorari officium superioris, vt compellat vouentem ad soluendum votum, sed nullum proprium ius seu nulla propria actio illi competit. Itaque quia Deo fit promissio, hinc habetur in Christo ius religiosum vt sibi soluatur votum, & ex consequenti in Christi ministris consurgit religiosum ius auctoritatiuè exigendi solutionem debiti, & compellendi ad illam; Et ex consequenti, si votum sit factum ad vtilitatem tertij, consurgit in eo facultas excitandi officium ministrorum Christi, ad hoc vt exigant, & compellant vouentem, si opus est, ad voti implementum. Sed inde nullum ius proprium illi tertio est acquisitum, nec agere potest ex iure proprio, sed ex Christi religioso iure, quod Christi Religiosum ius ex Christi consensu, & suorum ministrorum est mutabile ex iusta causa, & vel per irritationem, vel respectiuè per dispensationem, aut commutationem.

674 Ex *cap.autem scimus 12.q.1.* quod est Vrbani Papæ nihil aliud habetur, nisi quòd vota sunt adimplenda, quod est indubitatum. Et ex *cap. Iuramenti 22.q.5.* solum colligitur quòd homo siue iuret, siue simpliciter loquatur semper debet esse verax. In *cap. verò Quicumque Episcopi suffragia 12.q.2.* quod est Concil. Tolet.4. non est sermo de voto, sed de promissione, & contractu oneroso inito cum laborantibus pro Ecclesia. Et in *cap. Quia Ioannes 12.q.5.* sermo est de donatione facta Ecclesiæ. Quam ob rem, quod *Gloss. in d.cap. scimus 12.q.1.* inquit, quòd ex nuda pollicitatione quam quis facit Deo potest conueniri, verissimum est, si loquatur respectu Prælatorum Ecclesiæ quorum est procurare vt vota adimpleantur. Et sic Ecclesia potest considerari vt persona priuata, & vt persona publica habens administrationem patrimonij Christi. Ex pollicitatione nuda facta Deo Ecclesia vt persona priuata; & ex iure proprio sibi priuatim acquisito non habet ius, & actionem nisi vtilem ad implorandum officium superioris Ecclesiastici. Sed Prælati Ecclesiæ vt administratores iurium Christi, habent ius religiosum & auctoritatiuum conueniendi vouentes, & compellendi eos ad uotorum adimplementum, & in hoc sensu etiã intelligi debet, quod habet *Glossa in d. cap. iuramenti 22. q.5.* scilicet quòd ex nudo pacto oritur actio. Quæ etiam ex iure ciuili adducuntur non probant, quia lex *illud. C.de Sacros. Ecclesiis* non loquitur de voto, sed de donatione & *l.2. ff. de Pollicit.* quæ loquitur de uoto exprimit obligationem adimplendi votum, & ad summum ex ea colligitur, quod datur actio latissimè sumpta, prout

actio

actio importat iudicis officium secundùm *Syluest. v. actio*. Nam & ministri Christi habent ius compellendi vouentem, vt soluat votum, & fideles habent ius vtile, ut implorent quantùm ad hoc officium superioris.

675 Vera igitur manet sententia communis, quòd ex promissione facta Deo de re vtili Ecclesiæ vel alteri nullum ius proprium, nullaque actio propriè acquiritur Ecclesiæ, vel tertio, & quòd propterea tale votum est vel dispensabile, vel commutabile ex iusta causa absque consensu illius tertij. Quod inde etiam magis apparet, quòd vbi tertius habet ius & actionem ad rem promissam per votum, tunc votum nec in votum professionis potest commutari, vnde ex vi professionis non cessat obligatio iustitiæ, quam profitens habet respectu tertij, cum tamen vota facta in vtilitatem alterius si contineant solùm promissionem factam Deo, vt votum dandæ eleemosynæ, vel aliud simile ex vi voti professionis cessant. *Caiet. supra q. 88. a. 12.* Ideo quòd huiusmodi vota emissa ad fauorem tertij in quibus adest vnica tantùm promissio facta Deo sint commutabilia sine tertij consensu dixerunt *Caiet. tom. 2. opusc. trac. 11. q. 3. Syluest. v. votum 4. nu. 3. q. 7. dicto 4. Tabien. v. dispensatio. q. 12. Armilla. v. dispensare numer. 21. Raphael à Turre supra quæst. 88. a. 12. dub. 2. num. 3. Lopez p. p. cap. 49. Candidus disq. 25. a. 4. dub. 4. Nauar. cap. 12. num. 78. & de redd. Eccl. q. 1. num. 60. Suarez l. 3. de voto cap. 15. num. 3. Sanchez l. 4. in Decal. cap. 41. num. 7. Barbos. de potest. Episc. all. 37. nu. 2.* & quamplures alij apud istos, & quos sequuntur *Diana p. 1. tr. 11. resol. 47. & Leander de Pœnit. tr. 5. quæst. 132.*

676 Eadem verò est ratio de voto, quod contineat duplicem promissionem alteram voti factã Deo, & alteram alicui sancto Curiæ Cœlestis sub quibuscumque verbis emissam, quia ius religiosum tã Dei Principis, quàm totius curiæ Cœlestis, quod ex humana promissione oritur, vt loco & opusculo citato aduertit Caiet. est sub administratione Prælatorum Ecclesiæ, & propterea similia vota possunt ex iusta causa commutari, vel respectiuè aut irritari, aut in eis dispensari.

677 Sed si votum contineat duplicem promissionem, nimirum alteram factam Deo & alteram factam homini. *Fagundez in Decal. lib. 2. cap. 49. nu. 11.* quem refert, nec reiicit *Coton. lib. 1. contr. 12. num 46.* permittit, quòd & hoc votum possit commutari sine consensu tertij. Et pro hac sententia *Leander* refert etiam *Trullench. l. 1. §. 7. cap. 3. dub. 8. num. 2. & Caiet. supra q. 88. a. 12. & Petrum Nauar. l. 2. cap. 1. dub. 3. num. 14.* Sed communis sententia vult, quòd vbi votum sit pro sua parte acceptatum à tertio, illud non sit commutabile sine consensu tertij. Ita *Sanchez d. c. 41. num. 13. Raphael à Turre d. dub. 2. num. 5. Diana d. res. 47.* & alij communiter, quod *Leander d. tr. 5. quæst. 133.* ferè certissimum putat. Sed hic distingui debent duæ istæ promissiones. Nam promissio facta Deo, in qua consistit essentialiter votum, semper ex causa iusta spectata natura sua est dispensabilis, vel commutabilis à Prælato Ecclesiæ habente administrationem iuris, quod ex voto competit Deo. Et aliud est, quòd non sit facile dari iustam causam dispensandi, & commutandi huiusmodi votum, aliud est, quòd si iusta causa detur, id non possit fieri. Hoc enim meritò negatur, quia promissio facta Deo, est sub administratione Prælati Ecclesiæ, & semper est eiusdem naturæ, siue hæc promissio respiciat aliam materiam, siue respiciat promissionem humanam cuius obseruantiam homo promittat per votum, & ideo semper ex natura sua talis promissio ex iusta causa potest commutari, aut super ea dispensari. *Suarez d. cap. 15. num. 8. Sanchez d. cap. 41. num. 15.* Aliàs verò, sicut vbi votum detur in confirmationem alicuius præcepti, potest ex iusta causa manente præcepti obligatione tolli obligatio voti. Ita vbi votum sit in confirmationem humanæ promissionis, posset manente obligatione promissionis humanæ tolli vel commutari obligatio voti. Et propterea prior sententia formaliter intellecta est vera de voto formaliter sumpto. Promissio verò humana acceptata non potest tolli sine consensu tertij, nisi vel simus in casu in quo Papa ad bonum commune potest cogere tertium adcedendum iuri suo. *Syluest. v. Papa quæst. 13. Suarez num. 7. Sanchez num. 16.* vel Prælatus dispensans habet administrationem bonorum tertij, & potest remittere aut compositionem facere in debitis illius. *Armilla v. dispensare num. 21. Tabien. v. dispensatio q. 12. Lopez d. cap. 49. Suarez, & Sanchez citati.* Vel secundùm sententiam eorum, qui dicunt promissionem etiam acceptatam, nisi contineat contractum aliquem ex iustitia obligantem, non obligare nisi ex virtute fidelitatis, possit qui promisit ex iusta causa à promissis recedere salua fidelitatis virtute.

678 In hoc quoque casu votum est indispensabile aut non commutabile sine consensu tertij, si sit votum reale defuncti, cuius obligatio transit ad hæredes, quia remanente in morte obligatione virtutis Religionis ad votum implendum, etiam existente immutabili voluntate defuncti, hæres adeundo hæreditatem, iure communi sic disponente se obligat ad implendum votum, vt habetur *cap. ex parte de censib. & cap. 1. de solut. & cap. si hæres de testam. & l. 2. ff. de pollicit. & docent Panorm. Innoc. & alii Canon. cap. licet, de voto. Sylu. v. votum 2. q. 11. ex Raym. & Palud. in 4 Sanchez l. 4. mor. cap. 11. num. 25. Suarez l. 4. de voto cap. 11. num. 6. Bonac. tom. 2. disp. 4. de contract. Palaus tract. 42. disp. 1 p. 16. num. 2.*

679 Quod tamen intelligitur vt hæres non teneatur nisi iuxta vires hæreditatis, etiamsi non cõfecerit inuentarium. *Sanchez num. 36. Bonac. nu. 6. Palaus num. 4.* Et ita quòd si sint plures hæredes nullus teneatur in solidum, sed singuli pro rata hæreditatis, *l. in executione ff. de verb. oblig. Sanch. num. 42. Palaus num. 13.* Nisi res promissa integra sit apud vnum. In quo casu ille habebit actionem contra alios *l. 2. de verb. oblig. Sanchez num. 44. Palaus num. 13.* qui addit, quòd quilibet teneatur in casu, quòd alij ex malitia nolint soluere votum: Sed hoc non credo, quia pars hæreditatis non est obligata nisi cum alia compatte, & pro rata sua, & obligatio super tota cadit hæreditate. Potest etiam hæres detrahere legitimam quæ post mortem Patris nequit grauari ex Patris actu libero, licet ante mortem potuisset ex facto patris minui. *Sanch. num. 38. Laym. in l. 4. tract. 4. cap. 3. num. 13. Bonac. nu. 5. Palaus nu. 5. Barbosa ad cap. licet de voto. num. 7.* Nec hæres ab hac obligatione potest eximi à testatore, quia hæres ex vi hæreditatis aditæ iure com-

communi sic dispenente contrahit obligationem implendi votum, *Suarez num.13. Sanchez num.28. Bonac.nu.12.Layman num.12.Palaus num.3.* Nisi votum fuisset conditionatum, ea conditione, vt eius obligatio ad hæredem non transiret. Aliàs verò hæres compelli potest ad votum implendum etiam excommunicatione, etiam amissione hæreditatis, quia obligatur ex iustitia proueniente ex hæreditate, *Panorm.cap.licet num,vlt.de voto, Syluest. v.votum 2.quæst.11.d.2.Azor. p.1.l.11.c.15. quæst.15. Sanchez num.26.Bonac.nu.4.Palaus nu.6.* Et huiusmodi votum hoc ordine est soluendum, vt post debita iustitiæ ante legata pia soluatur, quia votum adstringit, & obligat vouentem, illumque necessitat; legata verò ex eius beneplacito veniunt, & tanquã soluenda de eo quod superest obligationibus testatoris impletis *Sanchez num. 39. Layman numer.13. Bonac.num.16. Palaus num.10.* Et si plura sunt vota, priùs implendum quod melius, & in dubio quod priùs fuit emissum, & in huius dubio datur hæredi optio, quia in hac voti obligatione succedit defuncto, & obligatio licet sit iustitiæ remanet qualificata qualitate libertatis, quæ erat in defuncto. Quámuis in hoc casu illud votum simpliciter præferendum esset, quod præter obligationem voti haberet specialem obligationem iustitiæ cum aliquo, & sic esset eius impletio nedum debita ex vi promissionis religiosæ factæ Deo, sed ex speciali iustitia erga hominem.

SVMMARIVM.

1 *Ex vi priuilegiorum Regulares commutare possunt vota iurata. nu.680.*

680 DVbitatur quintò, an Regulares possint commutare vota iurata? Respondetur, quod ex vi priuilegij concessi à Greg.XIII. Societati possunt Regulares commutare vota iurata, dum non adsit præiudicium tertij, non tamen possunt in eis dispensare, quia Pontifex concedit facultatem commutandi, non verò dispensandi.

SVMMARIVM.

1 *Potestate ordinaria, qui dispensat in voto dispensat in iuramento. nu.681.*
2 *Iuramentum qualiter dispensabile. nu.682.*
3 *Iuramentum assertorium indispensabile. n.682.*
4 *Assertio simplex de futuro iurata non continere votum aliqui dicunt. nu.683.*
5 *Non datur libera obligatio sine promissione. numer.684.*
6 *Iuramentum promissorium non est sine promissione facta Deo, vel homini. nu.684. & 687.*
7 *Iuramentum promissorium duplex.num.684.*
8 *Iuramentum confirmans simplicem assertionem, aut propositum de futuro est assertorium non promissorium.nu.685.*
9 *Iuramentum assertorium de futuro, quãdo sit promissorium.nu.686.*
10 *Iuramentum comminatorium non est sine promissione.nu.688.*
11 *Iuramentum promissorium non supponit necessario promissionem validam supponit tamen promissionem sine peccato implebilem. nu.688.*
12 *Iuramentum pium non datur sine voto. num.689. & 696.*
13 *An facultas ad vota se extendat ad iuramenta diuersimode opinatum. 690. & seq.*
14 *Obligatio voti, & iuramenti ex diuersis causis.numer.694.*
15 *Obligatio iuramenti promissorij conditionata est, & pendens ex subsistentia promissionis. nu.695.*
16 *Votum & iuramentum non omnino æquiparantur. num.697.*
17 *Habens facultatem circa vota habet per accidens, & indirecte non vera directe circa iuramenta pia. nu.698.& 699.*
17 *Per commutationem voti tollitur obligatio iuramenti pij.nu.700.*
18 *Per facultatem datam ad vnum votum non habetur facultas ad omnia iuramenta. nu.701.*
19 *Facultas ad vota se extendit indirecte ad vota, vt iurata.nu.702.*
20 *Multi casus in quibus facultas circa vota est subreptitia. nu.703.*
21 *Falsitas, vel taciturnitas circa causam dispensandi inducit subreptionem. nu.703.*
22 *Pluralitas votorum explicanda.n.703.*
23 *Facultas ad vota iurata se extendit ad iuramenta pia.nu.704.*
24 *Facultas ad iuramenta quando se extendat ad vota. nu.705.*
25 *Regulares non possunt dispensare, vel commutare iuramenta de materia reseruata.nu.706.*
26 *Nec iuramenta adiecta contractui turpi.nu.707.*

An vero ex natura rei facultas commutandi, aut dispensandi in votis se extendat etiam ad vota iurata, pendet hæc quæstio ab hac altera simul soluenda.

681 DVbitatur igitur sextò an facultas delegata commutandi, & dispensandi in votis se extendat ad iuramenta, ita quòd, ex quo quis habet delegatam facultatem circa vota, illam etiam habeat circa iuramenta? Et quæritur de facultate delegata, quia de ordinaria non est dubiũ, & fatentur hoc omnes, & probat *Caiet. sup. q.89. a.9.* Sed difficultas est de potestate delegata, quæ limitatè interpretari debet, & per quam delegatus tantum potest, quantum sibi delegatur.

682 Est autem præmittendum ex *D. Th. sup. q. 89. art. 9. ad primum*, quòd *dispensatio, quæ fit in iuramento, non se extendit ad hoc, quòd aliquod contra iuramentum fiat. Hoc enim est impossibile, cum obseruatia iuramenti cadat sub præcepto diuino, quod est indispensabile: sed ad hoc se extendit dispensatio iuramenti, vt id, quod sub iuramento cadebat, sub iuramento non cadat, quasi non existens debita materia iuramenti, sicut & de vota supra dictum est. Materia autem iuramenti assertorij, quod est de præterito, vel præsenti, in quandam necessitatem iam transit, & immutabilis facta est. Et ideo dispensatio non referretur ad materiam, sed referretur ad ipsum actum iuramenti. Vnde talis dispensatio directè esset contra præceptum diuinum, sed materia iuramenti promissoris est*

aliquid futurum, quod variari potest: ita scilicet, quod in aliquo euentu potest esse illicitum, & nocuum, & per consequens non esse debita materia iuramenti, & ideo dispensari potest in iuramento promissorio, quia talis dispensatio respicit materiam iuramenti, & non contrariatur præcepto diuino de iuramenti obseruatione. Itaque dispensatio non habet locum vbi manet materia iuramenti, & ideo non habet locum in iuramento assertorio de præterito, vel præsenti, quia eius materia est immutabilis. Sed locum habet in iuramento promissorio, cuius materia potest variari. In hoc ergo iuramento materia est promissio de futuro, vel obligatio ad agendum, quæ de licita illicita fieri potest, & ideo potest esse locus dispensationi.

683 Verùm ad huius quæstionis fundatam resolutionem aliud præmittendum est, nimirum an dari possit iuramentum plum, quod simul non sit votum, vel votum non supponat. Est verò ad hoc cognoscendum considerandum aliud; an scilicet dari possit iuramentum promissorium, sine promissione, quæ alicui fiat. Et difficultas est, quia simplex assertio de futuro nullam promissionem continet, & ad eius veritatem sufficit, quòd asserens se aliquid facturum habeat propositum faciendi non verò quòd se obliget ad faciendum, quod *D. Th. sup. q. 89. art. 7. in primo arg.* probat exemplo Pauli 2. ad Cor. cap. 1. qui quàmuis non iuerit Corinthum sicut dixerat se iturum non est mentitus, quia cum dixit se iturum habebat animum eundi, sed non per hoc promiserat se iturum. Sicut ergo datur simplex assertio de futuro, ita potest dari iuramentum, quod sit in confirmationem huius puræ assertionis, & sic eius materia non erit aliqua vel promissio, vel obligatio in futurum. Et non est dubium, quòd ex intentione iurantis possit hoc iuramentum dari *Palaus tr. 14. disp. 1. p. 2. num. 6. ex Val. to. 3. disp. 9. q. 7.* sed non esset iuramentum promissorium & de re futura, sed erit iuramentum assertorium, & de re præsenti. quia cadet solùm ex intentione iurantis super præsenti veritate, scilicet super præsenti proposito, & voluntate, & licet voluntas erit agendi in futurum, tamen iuramentum non cadet super re futura, sed super præsenti proposito agendi in futurum. Verùm quando quis absolutè asserit se aliquid facturum, & iurat se id facturum, *Suarez lib. 2. de iuramento cap. 1. a. num. 11.* duo docet. Primum quòd ex vi huius iuramenti iurans obligat se ad id faciendum: & secundum addit, quod scilicet hæc obligatio non est ex aliqua promissione propriè, quàmuis nu. 14. dicat assertionem de aliquo agendo in futurum ex quo confirmatur iuramento subire vim pollicitationis vel formaliter, vel eminenter. Quòd verò dari possit obligatio ad verificandum hoc iuramentum sine promissione, probat tum exemplo iuramenti comminatorij, quod propriè non includit promissionem, tum exemplo iuramenti de soluendis vsuris, quod nullam continet validam promissionem, sicut & iuramentum per vim extortum, & tamen obligat ad sui executionem in conscientia; Tum exemplo eius qui intra se iurat se daturum aliquid Petro, vel Confessario iurat se adimpleturum pœnitentiam. In his enim casibus non est promissio, & tamen adest obligatio implendi iuramentum. Tum quia obligatio iuramenti assertorij de futuro est separabilis ab omni alia obligatione, Religionis, iustitiæ, & fidelitatis. Tum quia Pontifices in Bullis concedunt Confessarijs facultatem dispensandi in iuramento dum non sit in præiudicium tertij, & loquuntur de iuramento quod non sit votum; igitur supponunt dari iuramentum sine promissione, quia aliàs iuramentum habens annexam promissionem non potest dispensari sine præiudicio tertij.

684 Sed difficile est intelligere, obligationem ad agendum id quod aliàs liberum esset vt fieret, vel non fieret etiam libertate præcepti, & quod hæc obligatio non veniat ab aliqua promissione, sic enim *D. Thom. sup. quæst. 88. a. 1. dixit*, quòd *obligat homo se homini ad aliquid per modum promissionis, qui est rationis actus, ad quem pertinet ordinare.* Obligatio enim, quæ non venit ab extrinseco sed liberè suscipitur, non est nisi ex voluntate & iudicio se obligantis, & ordinantis se & suos actus ad alium, hoc verò ordinare se & suos actus ad alium, est promittere. Cum verò obligatio quæ est in iuramento sit libera, seu liberè suscepta, non potest aliunde esse quàm ex promissione quæ fiat Deo, vel homini. Pro quo consideranda est doctrina *D. Th. sup. quæst. 89. a. 9. ad secundum*, vbi habet, quòd homo potest *promittere aliquid sub iuramento dupliciter. Vno modo quando promittit aliquid pertinens ad vtilitatem ipsius, puta si sub iuramento promittat se seruiturum ei, vel pecuniam daturum, & a tali promissione potest absoluere ille cui promissio facta est. Intelligitur enim iam ei soluisse promissum, quando facit de eo secundùm eius vtilitatem. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel vtilitatem aliorum, puta si aliquis sub iuramento promittat alicui se intraturū religionem, vel aliquod opus pietatis facturum: & tunc ille cui promittitur non potest absoluere promittentem, quia promissio non est facta ei principaliter, sed Deo.* Nedum verò ex hoc loco habetur quòd duplex est iuramentum promissorium, aliud scilicet, in quo promissio fit homini, & aliud in quo promissio fit Deo: sed habetur vlteriùs, quòd vbi promissio non fit homini dum quis iurat de futuro agendo, promissio fit Deo, & sic iuramentum promissorium non est sine promissione facta uel Deo vel homini, & ratio est, quia promissio, quæ necessariò est ad alterum vel respicit rem promissam vt bonum hominis cui fit promissio, vel vt bonum Dei. Nec dabile est medium nisi quòd nunc ex parte Dei se tenent sancti comprehensores, quia vota facta sanctis continent promissionem per facultatem Ecclesiæ dispensabilem, aut commutabilem. Promissio ergo boni, quæ semper ex natura sua respicit rem promissam vt bonum alicuius, vel respicit illam vt bonum hominis, vel vt bonum Dei, seu respicit bonum vt vtile homini cui promittitur, vel vt in Dei cedit honorem. Primo modo est promissio humana, sed secundo modo est promissio Religiosa & votum. Et licet promissio quatenus honesta formaliter respiciat bonum vt honestum, promissio tamen vt promissio respicit bonum vt vtile ei cui promittitur, & ita vel respicit bonum vt vtile homini, & est promissio homini facta, vel vt vtile Deo, & est promissio facta Deo, & ita vel est promissio facta Deo, vel homini.

685 Ex his ergo dicitur primò, quòd iuramentum

tum emissum in confirmationem simplicis assertionis de futuro nec est promissorium, nec importat obligationem ad futurum, sed est iuramentum assertorium. Nam vbi assertio de futuro contineat obligationem ad verificandum propositum voluntatis de futuro, non est amplius simplex assertio sed promissio. Ratio huius est, quia secundùm *D. Th. supra quæst. 89. a. 7. c.* in hoc distinguuntur iuramentum assertorium, & promissorium, quòd assertorium respicit actum iurantis & non importat obligationem ad rem iuratam, sed solùm ad hoc vt iurans iuret verum, & sic est obligatio ad hoc vt actus iurantis sit verus; sed iuramentum promissorium respicit rem iuratam, & obligat ad eam verificandam. Non datur ergo medium inter hæc duo membra, nam vel iurans intendit se obligare solùm ad veritatem sui actus, vel intendit se obligare ad rem verificandam. Hic enim non est obligatio nisi libetè assumpta, si iurans ex sua voluntate non intendit se obligare nisi ad veritatem sui actus, est iuramentum assertorium, & tale est, quando iurans intendit se obligare solùm ad veritatem suæ assertionis de præsenti, & hoc modo iurari potest assertio simplex, quia simplex assertio etiam de futuro ad sui verificationem non requirit nisi veritatem de præsenti, quia de præsenti sit verum v. g. propositum de futuro, sed vbi iurans se obligat ad veritatem de futuro, hæc non est amplius simplex assertio, sed promissio, quia est voluntas se obligans ad verificandam rem futuram quantùm fit ex parte sui. Item vel iurans asserit solùm veritatem de præsenti, licet in ordine ad futurum, vel asserit etiam veritatem de futuro si asserit solùm veritatem de præsenti, hæc est simplex assertio, quæ non obligat in futurum etiam si sit iurata, quia non asseritur nisi veritas vt de præsenti. Sed si asseritur etiam veritas de futuro, hæc non potest esse simplex assertio. Quia vt habet *D. Th. supra q. 89. a. 7. ad p.* futura veritas secundùm se non est certa, nec est vel esse potest materia voti nisi prout est certa, non licet enim iurare id, de quo iurans non est certus. Veritas verò futura sufficientem certitudinem sortitur, si ad eam se iurans obliget, ideo assertio vt est de futura veritate non est materia voti, nisi vt subest obligationi iurantis, per quam se obligat ad verificandam in facto suam assertionem. Et huiusmodi obligatio ad minus natura antecedit iuramentum, & est conditio necessario ex parte materiæ illius. Assertio verò vt huic liberæ obligationi subest non est simplex assertio, sed est verè promissio, quia huiusmodi obligatio non potest aliunde prouenire, nisi quia asserens promittat se verificaturum suam assertionem.

686 Dicitur secundò quòd quando iurans cõfirmat assertionem de futuro contingenti à se libere habendo, consideranda sunt verba iuramenti, vt obligatio eius cognosci possit. Nam si iurans vel voce vel mente asserit se aliquid facturum & illud iurat, hæc non est simplex assertio, nec huiusmodi loquutio significat solùm veritatem propositi de præsenti, sed suam actionem futuram; quæ actio futura cum non sit certa secundùm se, ideo non est capax vt sit materia iuramenti nisi inquantùm iurans certitudinem suæ obligationis adiungit promittens quantùm fit ex se ipso verificare tem assertam & in hoc sensu verum est quòd sic iurans habet obligationem ad verificandam de futuro assertionem, sed hæc non est simplex assertio, sed promissio iurata. Sed si iurans iurat solùm se de præsenti habere propositum faciendi de futuro, sed non iurat se facturum, tunc iuramentum non continet obligationem ad futurum, sed neque est iuramentum promissorium, sed assertorium. Sic igitur si quis dicat iuro quòd vo o facere hoc, per se ex vi terminorum hoc iuramentum non est promissorium, sed assertorium. Enunciatur enim solùm voluntas præsens faciendi. Sed si quis dicat, iuro quòd hoc faciam; iuramentum est promissorium quantùm fit ex forma loquendi; sed eo est promissorium, quia sic iurans promittit se facturum. Nam si hoc deficit, iuramentum est assertorium.

687 Dicitur tertiò quòd non datur iuramentum promissorium cuius materia non sit propriè promissio, seu quòd sit sine promissione. Hæc assertio patet ex dictis, quia sola promissio est materia capax iuramenti, vt est explicatum, & probatur amplius ex solutione argumentorum in contrarium.

688 Nam ad primum de iuramento comminatorio dicitur, quòd secundùm omnes reducitur ad promissorium, nam & promittitur pœna, & licet pœna non promittatur ei cui est infligenda, Deo promittitur iuxta doctrinam *D. Thom. sup. q. 89. a. 9. ad 2.* supra relatam. Ad secundum de iuramentis vi extortis, aut ex iniusta causa prouenientibus respondetur ex *D. Thom. supra q. 89. a. 7. ad 3.* quòd in similibus iuramentis duplex est obligatio, alia ad hominem quæ est nulla, & alia ad Deum, quæ in conscientia est valida, nisi pro quanto à superiore legitimè est relaxata. Argumentum igitur illud non probat nisi quòd iuramentum promissorium per se non supponit promissionem validam & quæ obliget promittentem. Sed sufficit, quòd supponat promissionem licet non obligantem, sine peccato tamen implebilem. Sic enim iuramenta coacta, vel ex causa iniusta occasionata, si promissoria sunt, promissionem supponunt, & habent pro materia, licet ea promissio ex vi promissionis non obliget promittentem sed solùm ex vi iuramenti, quia licet promissio ex vi sua non obliget, potest tamen sine peccato impleri. Et ita ad tertium iuxta doctrinam ex *quæst. 89. a. 9. ad 2.* supra relatã dicitur in omnibus talibus iuramentis adesse promissionem, vel homini, vel Deo factam. Ad quartum dicitur, quòd non probat nisi quòd iuramentum promissorium non supponit obligationem aliunde, quàm ex ipso promanantem, non quia non supponat promissionem. Quia vt dictum est potest supponere promissionem inualidam, Semper tamen supponit promissionem saltem sine peccato implebilem, & sola promissio est illius materia, & obiectum. Ad quintum dicitur, quòd supponit probandum, scilicet quòd detur iuramentum pium, quod non sit votum.

689 Itaque dicitur vltimò, quòd iuramentum pium nimirum factum intuitu diuini honoris nedum regulariter vt admittit idem *Suarez num. 11.* sed semper est votum vel votum supponit, vt dixerunt *Panorm. in cap. si verò in fine*, de iureiurando, & ex *Io: de Neap. D. Anton. p. 2. tr. 11. cap. 2. §. 2.* nam in iuramento pio promissio per se primò respicit rem promissam vt est Dei bonum, & ad Dei hono-

rem, vnde est promissio facta Deo, & ideo est votum. Vnde est, quod cum regula sit posita in *cap. scripturæ* de voto, quòd votum sit commutabile in melius, hæc eadem regula traditur in *cap. peruenit el s. de iureiurand.* Est enim eadem ratio de voto & iuramento pio, quia hoc est votum. Duo ergo vera sunt, & in proposito supponi debent. Primum est, quòd non datur votum promissorium sine promissione, seu quòd materia voti promissorij est promissio. Secundum quòd si iuramentum sit pium, & hæc promissio pia est, & ideo tale iuramentum non est sine voto.

690 Quibus suppositis accedẽdo ad resolutionem quæstionis principalis cõsiderandum est, quòd circa eam sunt quinque opiniones, duæ extremæ, & tres mediæ. Prima absolutè tenet, quòd facultas commutandi vota non se extendit ad iuramenta. Ita *Nauar. cap. 27. num. 875. & consil. 1. alias 3. num. 6. de iureiur. Azor. p. p. l. 11. cap. 10. q. 8. Valentia tom. 3. disp. 6. q 6. par. 4. Bonac. de leg. disput. 4. quæst. 2. par. 7. nu. 32. Petrus de Ledesma tom. 2. tract. 11. cap. 4. diff. 4.* & alij. Quorum ratio est, quòd priuilegium & concessio non se extendit ad diuersa, *cap. Parra de priuileg.* vbi DD communiter, iuramentum autem est quid specie diuersum à voto. Nec valet illa regula iuris. *qui potest maius, potest & minus*, quia hæc non verificatur in non subordinatis, & non connexis sed disparatis, & quæ ex libera voluntate concedentis donantur. Neq; enim qui donat maius ex hoc cogitur donare minus. Et qui habet equos inæqualiter valẽtes, ex eo quòd donet illũ, qui est maioris valoris nõ per hoc donat omnes alios. Nam & maius quid est maius & minus simul sumptũ, quàm maius tantùm. Et maius quid est commutatio votorum, & iuramentorum simul quàm commutatio votorum tantùm, vnde non sequitur, quòd ex quo Papa concedat facultatem commutandi vota, quod concedat etiam facultatem commutandi iuramenta.

691 Secunda opinio hanc limitans distinguit inter vota iurata, & iuramenta, & inquit quòd facultas commutandi vota se extendit ad iuramenta quæ per se stant, non verò ad iuramenta, quæ confirmant vota, vel cum voto sunt coniuncta. Ita *Lopez 2. p. cap. 9. Rodriq. in Bull. §. 9. num. 110. & p. p. quæst. 63. art. ex Henriq. l. 7. cap. 30. num. 5.* Et horum ratio est, quia votum iuratum est maius vinculum, quàm votum tantùm iuxta *D. Th. sup. q. 89. a. 8.* igitur facultas data ad commutandum votum non se extendit ad vota iurata.

692 Tertia opinio huic 2. contraria esse posset, si diceretur, quòd facultas commutandi vota, se extendit ad vota iurata, non verò ad iuramenta secundùm se emissa. Sed quarta opinio admittens quòd facultas commutandi vota se extẽdit ad iuramenta secundùm se emissa de votis iuratis distinguit, quia vel iuramenta emissa sunt in confirmationem votorum, & hæc commutari possunt, vt dixit tertia opinio, quia commutato voto, remanet ablata ex consequenti obligatio iuramenti, quæ obligationem voti supponit. Sed si iuramentum concomitanter se habet ad votum, ex vi facultatis commutandi votum non potest commutari iuramentum, quia tunc militat ratio opinionis secundæ, quòd votum & iuramentum est maius vinculum, quàm nudum votum. Et ita tenuit *Sanchez l. 8. de matrim. disp. 2. num. 23.* & pro eadem sententia apud *Leandrum tract. 5. quæst. 105.* stant *Ludouicus à Cruce in Bull. disp. 1. cap. 6. d. 6. Candidus disq. 86. a. 15. dub. 11. Bonac. tom. 8. disp. 4. q. 1. p. 17. num. 11. Fagudez l. 8. in Decal. cap. 50. nu. 14.*

693 Quinta opinio extrema absolutè cõcedit, quòd facultas commutandi vota se extendat ad iuramenta, & quòd habens facultatem ad vota, possit commutare iuramenta pia siue simul cum voto emissa, siue seorsum, & quòd id possit nedum indirectè, sed directè, & quòd possit commutare uel uotum tantùm, uel iuramentum tantùm, uel utrumque simul. Et ita sentit *Suarez l. 6. de voto cap. 14. a. num. 6.* quem sequuti sunt *Diana p. p. tract. 11. resol. 43. & par. 3. tract. 5. resol. 25. & par. 5. tract. 15. resol. 57. Leander d. tract. 5. de Pœnit. q. 101.* & apud eum *Pantius, Trullench, Bossius, & Sà, Pasqualig. de Inbil. disp. 178. & 179. Anton. à Spir. S. p. 1. tract. 2. disp. 3. num. 85.* & apud eum *Villalab. Filliuc.* & alij plures. *Pulaus tract. 14. disp. 3. par. 1. num. 5.* Et horum fundamentum est, quia licet metaphysicè uotum, & iuramentum sint diuersæ speciei, moraliter tamen æquiualent, & important obligationem Religionis ad Deum licet ex diuersa causa, quæ obligatio tota pendet ex Deo ut creditore, & ita habet eundem modum dispensationis, & commutationis cum uoto. Quia igitur dispositum in uno æquiparatorum intelligitur dispositum in alio *l. vt tantum, ff. de seruo Corr. C. ad de Furt.* At uerò uota & iuramenta in hac parte æquiparanda sunt, quia vtrorumque obligatio est ex virtute religionis soli Deo acquisita; facultas igitur circa vota extenditur etiam ad iuramenta soli Deo facta.

694 Considerandum ex *D. Thom. sup. quæst. 89. a. 8.* quòd licet vtraque obligatio voti, & iuramenti causetur ex aliquo diuino, & sit obligatio virtutis, & religionis; tamen hoc diuersimodè se habet. Nam obligatio voti oritur ex fidelitate, quam Deo debemus, vt ei promissum reddamus. Sed obligatio iuramenti oritur ex reuerentia diuino nomini debita vt non assumamus nomen eius in vanum, sed verificemus id, quod eius nomine innocato promisimus. Vnde est quòd obligatio voti est maior, quia continet etiam obligationem iuramenti, quæ est reuerentiæ debitum, quia & irreuerentia esset erga Dei maiestatem, si illi, homo esset infidelis. Vbi tamen votum est iuramento firmatum, licet non adhibeatur voto quasi aliquid firmius, maior tamen consurgit firmitas, quia per duas res immobiles promissio ipsa roboratur, & stabilitur, vt habet D. Thomas ibi ad secundum.

695 Considerandum est secundò quòd iuramenti promissorij obligatio est cõditionata & pendet ex subsistentia promissionis, & obligationis eius vt docet *D. Thom. supra quæst. 89. a. 9. ad 2.* cuius verba relata sunt supra nu. 681. Nam vbi quis promittit aliquid alicui, & promissionem firmat iuramento, si is, cui facta fuit promissio illam remittat, cessat vis iuramenti, quod supponebat durare vim promissionis, sed promissionis obligatione aliunde cessante, cessat vis iuramenti, per quod vocatus fuit Deus in testem adimpletionis promissionis obligatione tamen eius durante. Itaque quia in iuramento non cadit dispensatio, seu commutatio nisi ratione materiæ, vt docuit *D. Th. supra q. 89. a. 9. ad p.* in verbis supra relatis nu. 681. & iuramenti

menti promissorij materia est promissio; hinc est, quòd in iuramento promissorio non eadit dispensatio, aut commutatio nisi in promissione posit dispensari, vel illa possit commutari. Nec dispensationis aut commutationis magis directæ capax est iuramentum, quàm sit illa, quæ immediatè respicit promissionem, quæ promissio si sit immutabilis, simul immutabilis est obligatio iuramenti, quæ solùm mutari potest per irritationem, vel dispensationem aut commutationem, aut remissionẽ, seu donationem ab eo, qui possit dispensare in promissione, vel eam commutare, aut irritare, aut cõdonare.

696 Dicitur igitur quòd præfatæ sentẽtiæ omnes deficiuot vel in substantia, vel in fundamento. Et quidem primò in hoc, quòd supponũt dari posse iuramentum pium, quod non sit votum vel votum soppouat, & ideo distinguunt postea de voto iurato, vel de iuramento secundùm se emisso seu de iuramento, quod ad votum se habeat concommitanter, vel vt per se illi annexum, & illius confirmatiuum. Quæ distinctiones omues ex hoc defficere constat, quòd com iuramenti promissarij materia non sit nisi promissio, quæ io iuramento pio est verè votum, sequitur, quòd iuramentum pium ounquam sit disiunctum à voto, & immò quòd nunquam se habet concommitanter ad votum, sed per se est illi annexum, & immò, quòd pro obiecto, & materia non habet nisi votum.

697 Secundò quiuta sententia & aliæ, pro quãto cum ea conueniunt, deficiunt in ratione, & assumunt principium, nimirum quòd votum & iuramentum æquiparantur, quod principium nec probatur, nec est verum, si semel datur pium iuramentum quod non habeat pro materia votũ: quod enim dicitur, obligationem voti esse Religionis, & respectu Dei creditoris & ideo æquiualere, non subsistit, quia votum & iuramentum sunt eiusdem rationis genericè non verò specificè etiam moraliter. Et licet obligatio eorum sit Religiosa, est tamen ex diuersa causa, quia obligatio voti est ex fidelitate, & iuramenti ex reuerẽtia debita diuino testimonio, vt ex D. Thom. probatum est. At verò non sequitur, quòd qui remittit debitum ex vna causa prouenieus, remittat debita, quæ ex alijs titulis sunt. Ideo nec sequitur, quòd Pontifex dans facoltatem dispensandi, aut commutandi in voto cuius obligatio est ex vna causa, concedat facultatem id præstandi in iuramento, quod ex causa diuersa prouenit, licet Deus vtriusque debiti sit creditor. Sic ex facultate concessa alicui remittendi debita prouenientia v. gr. ex contractu emptionis, non sequitur quòd sit concessa facultas circa debitum prouenieus ex contractu locationis. Et ideo prioris opinionis ratio contra alias quatuor opiniones vrget, quia obligatio iuramenti est alterius speciei, & ex veluti contractu longè diuerso, vude noo valet extensio facultatis data ad dispensandum vel commutandum in votis, vt transeat ad iuramẽta. Et regula illa, quòd concesso maiore intelligitur concessum minus, non applicatur, si votum, & iuramentum non sunt connexa, vt dictum est.

698 Et nihilominùs & prima opinio deficit in sui substantia, quia non considerat, quòd votum & iuramentum pium sunt connexa, & vnum in alio clauditur, & quòd dispensato vel commutato voto obligatio iuramenti cessat, quæ tota super consistẽtia promissionis votinæ fundatur. Ideo dicitur, quòd sicut in iuramento promissorio non pio, homo ad cuius fauorem emissum est iuramentum potest vim eius vel tollere, vel mutare, vel condonando & remittendo obligationem promissionis, vel eam commutando. Et ex quo promissio sit iurata, non est ab eo ablata facultas vel totaliter relaxandi promissionem, vel eam commutandi, quo facto cessat obligatio iuramenti, quia deficit materia talis obligationis. Ita in iuramento pio cuius materia est votum, ablata obligatione voti vel per irritationem, vel per dispensationem, vel per commutationem, cessat obligatio iuramenti, quia deficit talis obligationis materia. Ex eo verò quòd votum sit iuratum, non tollitur facoltas, quæ aliàs habetur circa votum, quia habens facultatem ad votum irritandum, vel dispensandum vel commutandum, non possit idem facere etiam si votum sit iuratum. Quia iuramentum non mutat naturam promissionis quam confirmat, nec aufert potestatem aut minuit dominium, quod habeat promissarius super re sibi promissa, quin valeat de ea ad sui libitum disponere.

699 Dicitur igitur quòd absolutè facultas irritandi, dispensandi, & commutandi vota se extendit ad iuramenta pia, vnde confessarij qui possunt dispensare, vel commutare vota possunt etiam iuramenti pij obligationem relaxare, quia dispensando, vel commutando votum per consequens cessat obligatio iuramenti. An verò hæc sit facultas dispensandi, aut commutandi iuramenta directè, vel solùm indirectè? Respondetur, quòd solùm indirectè, quia directè est facultas dispensandi, vel commutandi vota, & per consequens tollendi vim iuramenti. Ideo per se & directè loquendo prima opinio vera est, neque hic datur extensio facultatis de voto ad iuramenta, sed ex vi facultatis erga vota, solùm indirectè, & per accidens habetur facultas relaxandi obligationem iuramenti.

700 Immò hoc modo nulla habetur facultas commutandi iuramenta, quia per commutationem voti tollitur & relaxatur obligatio iuramenti. Neque enim obligatio iuramenti transit ad materiam voti subrogatam per commutationem, sed ex vi commutationis extincta obligatione voti circa priorem materiam relaxatur obligatio iuramenti, & si quis vouit ieiunare, si votum ieiunij commutatur in recitationem Rosarij iuramentum emissũ de seruando voto ieiunij non transit ad recitationẽ Rosarij. *arg. cap. Clericus, de iure iurand. Suarez d. c.14.num.18.* Nisi qui commutauit votum id fecerit sub conditione, quòd vouens sub eadem iuramenti obligatione teneatur ad materiam subrogatam.

701 Hinc sequitur, quòd per facultatem datam circa vnum votum tantùm, non possunt relaxari iuramenta, nisi illud tantùm, si adsit, per quod merè fuit confirmatum illud votum, seu cuius illud votum fuit materia, quia ex vi facultatis circa vota non potest relaxari obligatio iuramenti nisi consequutiuè & indirectè, quatenus votum sit materia iuramenti, vnde vbi habeatur facultas determinatè circa vnum votum, non adest facultas ad relaxandum obligationem iuramenti cuiuscumque non habentis illud votum pro materia. Vnde hæc facultas data ad vnum votum, non se extendit ad iuramen-

mentum concommitans tale votum, vt contra *Suarez* bene docet *Pasqual. q.*280. *num.*7. & ratio est, quia tale votum non est materia iuramenti concommitantis. Vbi verò habetur vniuersalis facultas ad vota, habetur etiam ad iuramenta pia indirectè, & per accidens, quia ablata obligatione voti circa aliquam materiam, relaxatur obligatio iuramenti, quod habet illud votum pro materia.

702 Hinc soluitur prior difficultas principalis posita & dicitur, quòd facultas circa vota se extendit consecutiuè tamen, & indirectè etiam ad vota iurata, nedum vbi iuramentum fuit emissum in confirmationem voti, sed etiam vbi iuramentum de eadem materia se habeat concommitanter ad votum. Hæc assertio partim conuenit cū quinta opinione, & partim cum prima & aliis. Directè enim facultas dispensandi, vel commutandi vota cum non se extendat ad iuramentā, bene DD. tam primæ, quàm secundæ sententiæ negarunt posse ex vi facultatis erga vota, dispensari in votis iuratis; quia vota iurata duplex vinculum & duplicem obligationem diuersæ speciei continent. Vnde ex concessa facultate circa obligationem voti, non sequitur, quòd sit concessa facultas circa obligationem iuramenti; & concesso quòd est minus, non sequitur quòd sit concessum maius; At verò directè loquendo longè maius est relaxare vel commutare obligationes voti, & iuramenti simul, quàm vel voti tantùm, uel iuramenti tantùm. Vnde in hoc quinta opinio est à ueritate aliena, dum cum *Suarez d. cap.*14. *num.*19. sentit, quòd habens facultatem circa uota simul habet tantam ac talem circa iuramenta in ordine ad eandem materiam, ut ad libitum suum possit auferre uel obligationem uoti uel obligationem iuramenti, uel utramque simul, Directè enim nihil potest circa iuramēti obligationem ex ui facultatis circa uotum. Bene tamen illa quinta opinio simul cum quarta & tertia asserit quòd, ex quo uotum sit iuratum, non tollitur quin habens facultatem circa uotum non possit iuxta suam facultatem in eo dispensare uel illud commutare; quia unum uinculum non mutat naturam suam ex consortio cum alio. Nec iuramentum ex ui sua petit quòd eius materia sit immutabilis. Etiā si ergo uotum sit iuratum, uotum naturam suam retinens, si est dispensabile, uel commutabile non desinit esse tale, quia sit iuratum. Potest ergo ab habente facultatem in eo dispensari, uel commutari. Quo facto per accidens, & indirectè relaxatur obligatio iuramenti uoti confirmatorij. Sed etiam si iuramentum sit concommitans prius uotum, quia & hoc iuramentum sic concommitans habet aliud numero uotum de eadem materia sibi connexum, habens facultatem ad uota, & in illo uoto potest directè dispensare aut illud commutare. Et sic potest indirectè tollere obligationem illius iuramenti cuius illud uotum est materia.

703 Hinc soluuntur aliæ difficultates, quas Sanchez proponit num. 24. an, scilicet, dispensatio uoti iurati tacito iuramento, uel iuramenti tacito uoto; uel si falsò dicatur uotum emissum, cum sit iuramentum; uel falsò iuramentum, cum sit uotum; uel falsò affirmetur esse uotum tantùm, uel iuramentum tantùm, cum sit utrumque sit subreptitia? Respondet enim Sanchez non esse subreptionem, si emissum sit uotum tantùm, aut iuramentum tantùm; aut si emissum fuit iuramentum in confirmationem voti; quia tunc solum uotum dispensatione indiget, unde eo dispensato cessat iuramentum; & sic per taciturnitates, aut falsitates præfatas non est aliquod uitium inductum circa substantialia dispensationis. Sed si iuramentum factum est separatum à uoto, & independenter ab eo, tunc sunt duo vincula specie distincta, & ideo oportet vtriusque uinculi mentionem fieri. Sed hæc ratio non ualet, quia non est dabile aliquod iuramentum promissorium Deo soli factum, quod non sit uoti accessorium uel scilicet uoti præcedentis, uel uoti in ipso iuramento clausi. Et ita semper sufficit relaxatio uoti, ut relaxatum maneat iuramentum. Bene attendi debet, an sit unum uotum numero, uel plura uota: cum enim hoc iuramentum non sit in confirmationem uoti emissi, illud continet in se nouum numero uotum; dispensatio autem data super una obligatione, non se extendit ad aliam, nec eadem causa sufficit ad dispensandum in uno, quæ in duobus votis licet numero distinctis. Immò absolutè non eadem causa sufficit ad dispensandum in uoto iurato, & in non iurato; ideo dicendum est quod nedum ubi uotum unum, & postea iuramentum sunt distincta, sed quod in omnibus prædictis casibus adest subreptio, quia taciturnitas, & falsitas circa causam dispensationis, est circa substantialia, cum sine iusta causa uota non possint dispensari. In eo tamen casu dicerem nō adesse subreptionem si exposita fuit causa iusta uerè sufficiens ad dispensandum etiam in uoto iurato, Numerus támen uotorum semper est exprimendus.

704 Hinc quoque soluitur alia difficultas, an, scilicet facultas circa vota iurata, extendatur etiā ad iuramenta. Extendi enim affirmant *Miranda p.p.q.*47.*a.*5. *Rodriq. p. p. quæst.*63. *a.*5. *Rodriq. p.p. q.*63. *art.*5. *Portell. v. Confessor* sed negat *Nauar. cap.*27. *num.* 275. Sed distinguendum est; Nam si iuramentum promissorium sit Deo, quia hoc continet votum potest sine dubio relaxari ab habente facultatem circa vota, & hæc facultas est ad directè dispensandum, vel commutandum. Ex quo enim nullum est simile iuramentum quod non sit votum iuratum; bene sequitur, quòd habens facultatem ad vota iurata, habeat etiam ad hoc iuramenta votiua. Sed si promissio fit homini, quæ confirmatur iuramento ex vi facultatis circa vota iurata nihil potest Regularis circa hæc iuramenta, quæ non sunt votiua. Non enim in gratuitis delegationibus valet extensio de casu ad casum, & de specie ad speciem etiam ex regula de maiori ad minus.

705 An verò facultas dispensandi, seu commutandi iuramenta se extendat ad vota. Affirmāt absolutè *Pasqualig. de Iubil. q.* 278. *num.* 8. *Suarez verò d. cap.* 14. *num.* 24. restrictiùs loquitur, & id affirmat de iuramentis votiuis, seu pijs. Dicitur verò, quòd per se ex vi facultatis circa iuramenta non habetur facultas circa vota: Neque est similis ratio, & dato quòd esset, in ijs quæ ex libertate superioris conceduntur, non valet argumentum neque à similitudine, neque à maioritate rationis. Quantùm tamen ad illa vota, quæ in votiuis iuramentis continentur, quia talia vota sunt connexa iuramentis, ideo habens facultatem ed ea iuramēta

ta votiua habet ad vota in eis contenta, vel eis per se annexa, sine quorum dispensatione, aut commutatione non possunt ea iuramenta dispensari, vel commutari. Non tamen ad alia vota extendi potest talis facultas.

706 Hinc quoque soluitur alia difficultas, an scilicet Regulares possint dispensare in iuramentis Religionis, aut castitatis. Quamuis enim posse virtute iubilæi, aut Bullæ, & consequenter vi priuilegiorum dixeriut *Ledesma*, *Trullenc. Alphonsus de Leon, & alij* apud *Dianam p.4.tr.4.res.69.& p.5. tr.12.res.59.* vbi ille idem iudicat probabile, tamen oppositum est dicendum, quia huiusmodi iuramentum continet votum; votum verò religionis, & castitatis est reseruatum. Et præterea respectu iuramenti, nullam facultatem habent Regulares ad illud directè commutandum, vel in eo dispensandum, & ideo nullo modo possunt commutare vel dispensare in iuramento Religionis, & castitatis. *Sanchez l.8. de matr. disp.13. num.7. & l.4. mor. cap.54. num.21. Layman l.4. tr.5. c.11. num.4. Diana* vbi supra, & alij apud eum *Caiet. Sot. Val. Azor. Aragon, & Pontius.*

707 Hinc quoque colligitur, quid dicendum de hac difficultate; an Regulares possint commutare iuramentum adiectum contractui in quo est adiuncta turpitudo ac iniustitia ex parte creditoris vt est iuramentum de soluendis vsuris, aut in iuramento metu extorto. Affirmant enim *Bartholom. Ledesm. Trllench. & Rodriq.* apud *Sanchez l.4. mor. cap.13. nu.13.* quos sequitur *Diana p.4. tr.4. res.19.* Et mouentur, quia cum per talia iuramenta non acquiratur ius creditori, & sic non sint in præiudicium tertij, sed consideretur in similibus iuramentis reuerentia Deo debita, induunt rationem voti. Sed negant, *Suarez l.2. de iuram. cap.41. nu.13. Sanchez l.2. de matrim. disp.32. nu.17. Ludouicus a Cruce in Bulla disp.1. cap.6. dub.5. num.13.* quos sequitur *Pasqual. de Iubil. q.278. num.9.* quia huiusmodi iuramenta non sunt vota, nihil enim per talia iuramenta Deo promittitur, & quòd Deo reuerentia debeatur, & eius nomen non assumatur in vanum, hoc non est ex vi promissionis humanæ, sed ex natura diuini nominis, vnde illa iuramenta ex nulla parte sunt votum, sed sunt promissiones humanæ voto confirmatæ: & ideo sub nomine voti non veniunt, nec ex vi facultatis circa vota, sequitur quòd Regulares possint huiusmodi iuramenta commutare, vel in eis dispensare.

SVMMARIVM.

1 *Facultas commutandi vota se extendit ad commutanda vota personalia in realia & è contra. num.708.*
2 *Pluribus exemplis hoc explicatur. n.709.*

708 DVbitatur septimò, an facultas commutandi vota se extendat solùm ad commutanda vota realia in realia, vel etiam ad commutandam realia in personalia, vel econtra? Videre enim posset respondendum negatiuè ex *cap.1. de voto.* Verùm dicitur, quòd in his non est attendenda necessariò similitudo physica inter materiam, & materiam, sed similitudo moralis, & moralis æstimatio in ordine ad Deū, & eius gloriam, & ideo potest votum reale commutari in personale, & econtra *Ang. v. votum 4. nu.10. Sylu. v. votum 4. in fine Martinez de Prado cap.31. q.15. nu.84. Suarez l.6. de voto cap.19. num.16. Sanchez l.4. mor. cap.56. num.24.* vbi quòd *cap.1.* de voto loquitur de consilio, sicut & de consilio loquuntur DD. asserentes expensas peregrinationis promissæ commutandas esse, in eleemosynas, & laborem itineris in aliud opus personale, quod & habetur ex *cap. Magnæ, de voto.* Hæc enim de consilio sunt, & quid congruentius ex genere, quia in eis habetur maior similitudo materiæ, & acceditur quodammodo magis fini voti. Quod maximè verum est, vbi ex voto reali redundabat commoditas tertio, cui potest prospici facta commutatione in aliquod reale. *Suarez d.c.19. nu.15. & 16.*

709 Nec huius oppositum tenuit *Panorm. c.1. de voto.* Quia, vt aduertit *Syluest. Panor.* dum dixit quòd votum est commutandum iu votum simile, per simile intellexit æquale. At verò æqualitas ista debet attendi per respectum ad obsequium diuinum, & profectum spiritualem vouentis, non verò respectu materiæ physicè considerata. Hinc est quòd votum eleemosynæ corporalis in eleemosynam spiritualem potest commutari, & votum ieiunij in eleemosynam, & vota personalia in realia, præcipuè vbi conditio personæ ad onera personalia obstat, similiter neque est necesse, quòd votum affixum tempori commutetur in materiam implendam eodem tempore, quamuis si circumstātia temporis faceret ad maius obsequium Dei, eius esset habenda ratio. Quando tamen non commutetur votum affixum tempori quantùm ad tempus, materia subrogata impleri debet in eodem tempore. Posse etiam contingere vt obsequium temporale æquiualeat perpetuo dixit *Martinez de Prado, cap.30. q.15. n.86.*

SVMMARIVM.

1 *Vota absque iusta causa non possunt commutari. num.710.*
2 *Quæ causa sufficiat ad commutandū virtute Bullæ aut iubilæi, n.710.*
3 *Votum sine causa non potest in æquale commutari. num.711.*
4 *In commutatione in melius adest iusta causa. numer.712.*
5 *Ad commutandum in æquale sufficit causa leuis. num.713.*
6 *Etiam vbi sit aliquale dubium de æqualitate. num.713.*
7 *Quid agere debeat Confessarius qui inuenit votū ab alio commutatum in minus. n.714.*
8 *Arbitrarium est iudicare quæ materia sit æqualis. num.715.*
9 *Ad habendam æqualitatem consideranda est materia secundum se. n.715.*
10 *Et quid sit melius vouenti. n.715.*
11 *Quæ sit materia commutationis vt plurimum. num.715.*
12 *Consideranda difficultas materiæ. num.716.*
13 *Habenda est ratio finis vouentis & quomodo. numer.717.*
24 *Habenda est ratio illius ad cuius vtilitatem factū fuit votum. n.718.*

Non

15 *Non est necessaria æqualitas physica sed moralis. num.719.*
16 *Quid considerandum in votis conditionatis, numer.750.*
17 *Quid in votis pœnalibus. n.711.*
18 *Consideranda vouentis fragilitas. n.725:*

710 DVbitatur octauò, an Regulares vi priuilegiorum possint commutare vota absque iusta causa? Non loquimur de commutatione quæ fiat virtute Bullæ, aut Iubilæi, nam tunc sufficit conferre subsidium præscriptum in Bulla, vel implere opera iniuncta in Iubilæo, & causa ob quam Bulla vel Iubilæum conceditur, absque alia causa ex parte vouentis est sufficiens ad votorum commutationem. *Suarez lib. 6. de voto cap.19.n.10 Sanchez l.4.mor.cap.50.n.19. Diana p.2.tr.16. ref.8.* quem sequitur *Pasqual. de iust. q.289. nu.5. Coton. lib.1.contr.12.nu.41.* Sed loquendo de facultate cōmutandi ex vi priuilegiorum, vel etiam ex potestate ordinaria dicendum, quod ad commutandum in melius non requiritur alia causa, quia ipsemet excessus bonitatis in materia præbet iustam causam.

711 Sed ad commutandum in æquale, siue in minus, siue in id, de quo dubium est an sit æquale semper requiritur causa. Scio quòd fuerunt aliqui, qui crediderunt, quòd votum in euidenter æquale possit sine causa commutari. Quia cum omnia sint paria, & si vouens non vouisset Deo æquè gratum fuisset vtrumque opus, & si vouens aliud opus, quòd subrogat ab initio vouisset, æquè gratum Deo fuisset, præsumi igitur potest, quòd Deo sit grata hæc commutatio, in qua nihil minus Deo datur. Item quia in hac commutatione locum non habet dispensatio, & Deo creditori satisfit, si redditur ei æquiualens. Ita *Bonac. disp.4. de leg. q.2. p.7.§.8. ex Henriq l.6. de pœnit. cap.20.§.5. Sà v. votum num.10. & alij*, quòd verò pro hac sententia malè referantur *Caiet. Abulens, Armilla, & Soto*, aduertit *Suarez l.6. de voto cap.19. num.1.* Sed oppositum est dicendum. Cum enim hæc commutatio non fiat potestate dominatiua, sed veluti œconomica, quam Deus Prælatis tradidit veluti suis œconomis, & eius vicem gerentibus, vsus eius nō potest non esse rationabilis; igitur exigit causam iustam. Præterea Prælatus, vel Confessor interpretatur mentem Dei & Dei consensum dum vota commutat, at verò vbi nulla est ratio, sola libera hominis voluntas non est legitima diuinæ voluntatis interpretandæ causa. Tum tertio quia commutatio in æquale indiget fieri authoritate Ecclesiastica; Vbi enim nulla vtilitas, non potest dari certitudo, quòd commutatio acceptetur à Deo, nisi interponatur authoritas superioris acceptantis vice Dei. Præterquàmquòd ad Dei cultum præstat perseuerantia in primo promisso, & opus est vt in recessu à priori voluntate inueniatur aliquid auctius, vel non fiat nisi authoritate superioris accedente; Vbi verò necessaria est authoritas Apostolica, ibi etiam maximè militant rationes allatæ, vt non fiat huiusmodi commutatio sine causa. Nam & certè imprudens esset œconomus, qui debitum Domino suo commutaret in rem æqualem, nulla vtilitate aut iusta causa interueniente. Nequit igitur fieri commutatio sine iusta causa. Quod supponit *D. Thom. supra q.88. art.12. c. Gloss. cap.1. ver. causam de voto iubil. cap.30.*

712 Quamuis verò hæc iusta causa adsit vbi commutatio sit in melius, & dici possit adesse vbi æqualitas materiæ nedum est euidens, sed est probabile esse meliorem, *Suarez d.l.6. cap.18. num.10. Sanchez l.4.c.50. num.16.* qui addit esse hoc verum etiam si sit dubium de meliori. Quia negotium Domini fideliter tractat, qui rem commutat in euidenter æqualem, & est certus de nulla iactura, licet dubius de lucro. Sed vbi nulla est ratio melioris, ibi alia aliqua iusta causa necesse est ut intercedat, ad hoc ut commutatio fiat. *Panorm. cap.1. num.3. & 5. de voto. Sylu. v. votum 4. in fin. Armilla ver. votum 4. nu.14. Caiet. supra q.88. art.12. vers. in commutat. autem bonorum & in sum. v. votum, Couar. de pactis 1.p. §.3. num.4. Suarez l.6. de vota cap.19. nu.5. & 14. Sanchez l.4. mor. cap.50. num.17.* & apud eum *Sayr. Less. Azor. Angles, & alij, Suarez d.l.6. cap.19. num.10. Moron. resp.8. num.444. Leander tr.5. de pœnit. q.158. Pasqual. de Iubil. q.189. & alij apud istos Diana, & Cotan. loca supracitato.* Quòd certè multò magis locum habet ubi sit dubium de æqualitate materiæ, uel sit certum quòd sit in minus, cum cum in his casibus sit certissimum, commutationem fieri non posse sine authoritate Apostolica, ideoque nec sine causa, & ubi commutatio sit in minus, interueniat etiam dispensatio aliqua. *Suar. d.l.6.c.18.n.10. Rodriq. tom.2.c.100. n.4.* quem sequitur *Sanchez num.18.*

713 Quænam verò causa iusta sit necessaria Licet videantur aliqui voluisse, quòd sit necessaria causa aliqua obstans impletioni voti, tamen quia in commutatione longè ac longè minùs, læditur diuinus cultus, quàm in dispensatione, quia in commutatione manet idem vinculum voti mutata & subrogata vna materia loco alterius, dicendum est non esse necessariam causam obstantem impletioni voti, sed leuiorem sufficere. *Caiet. supra quæst. 88.a.11. vers.* in commutatione autem voti *Armilla v. votum num.14. Valentia, Ledesma, Arragon. Nauar. Lessius, Gomez, & Corduba* quos sequitur *Sanchez num.21. Diana, & Cotan. loc. citat.* Ideo quod sufficiat causa *leuis* dixit *Suarez l.6. c.18. num.9. & 10. & c.19. num.10. & 14. Moron. resp.98. num.444. Ledesma t.2. tract.10. cap.8. in 4. parte*, quem sequitur *Leander tr.5. q.160. Pasq. de iubil. q.289. num.2.* Idemque sufficere pro causa vouentis petitionem, ex eo quia cum tali petitione sit in vouente promptior voluntas ad materiam subrogandam, vnde hoc cedit in Dei honorem, & Ecclesiæ vtilitatem, si vouentes experiantur Dei benignitatem Prælato illis gratificante vice Dei, & commutationem acceptante, *Caiet. & Armilla* vbi supra, *Suarez d. cap.19. num.10.* vbi quòd moraliter in commutatione numquam deest causa, *Corduba, Valentia, Lessius, Gomez, & Ledesma apud Sanchez nu.23. Coton. l.1. contr.12. num.47. Moron. Leand. & Pasqual. citati.* Putat verò *Sanchez num.24.* hoc esse verum etiam quando fiat commutatio in materiam de qua dubium sit an sit æqualis; quod verum credo vbi dubium non sit merè negatiuum, sed probabilius sit materiam esse æqualem, licet non sit omnino certum, sed vbi probabilius sit materiam non esse æqualem, sed minorem, vbi verò de hoc meus

sit

sit suspensa, nec possit se determinare *Suarez c.19. num 9.* putat quòd in simili dubio materia haberi possit ut æqualis, quia & in facto si deficiat, parum pro nihilo iudicandum potest deficere, & quia humanum arbitrium non potest in his certius iudicare. Sed in casu quòd probabilius sit materiam esse minorem, eam vt talem habendam esse ratio ipsa suadet, vnde tunc, nisi adsit aliquod obstaculum impediens voti executionem non habebit locum iusta commutatio.

714 Aduertit etiam ex *Diana Coten.d.num 47.* quòd si confessarius inueniat alium Confessarium aliquod commutasse votum in minus bonum, si ille fuit vir doctus, qui commutauit, poterit ipse quiescere existimans alium considerasse aliquam circumstantiam meliùs, quàm ipse; si verò ille confessarius est ignarus, si ipse sperat fructum facere moneat pœnitentem, si non sperat relinquat eum in bona fide.

715 Qualiter autem cognosci possit, & diiudicari æqualitas materiæ, satis operosum est, & prudentis arbitrio remittendum. *ar. cap.s. de voto. Panor.ib.num.* 2.& alij DD. *Nauar.c.12.nu.77. Suarez l.6.de voto cap.19.num.21. Sanchez lib.4.sum.cap.56. num.1.* Plura nihilominùs sunt consideranda, quæ ad huius iustæ causæ materiam faciunt. Est autem primò consideranda materia secundùm se, præscindendo à vinculo voti, quod in commutatione remanet, & solùm noua materia subrogatur. *Caiet. supra q.88.a.12.vers.in commut. autem votorum. Sot. l.7.q.4.a.3.col.6.Sanchez l.4.c.56. num.2. Moron. vbi supra num 48.Pasqual.de Iubil.q.338. num.2.* secundò vt non spectetur solùm quod est melius ex genere, seu excellentia virtutis subrogandæ ex genere, sed quod est melius vouenti, & ad finem voti magis conducit. *Sayro in Claui reg.l.6.c.12.nu.5.& 6. Suarez l.6.de voto c 18.num.8.& c.19.num.21. Sotus l.4.de inst.q.4.a.3.col.8.Moron.resp.48. nu.453. Sanchez.d.cap.56.num.6.Malderus, Faustus, Moneta.Bonac.Boss.apud Pasqual.de Iubil.q.c 32.num.2.* Qui tamen bene aduertit, quòd etiam excellentiæ uirtutis ratio haberi debet, quia quò virtus est perfectior eò cedit in maius Dei obsequium. Sed nihilominùs hæc sola virtutis excellentia attendi non debet. Sic enim si quis ad macerationem carnis promisit flagellationem, & hoc votum sit commutandum, melius erit illud commutare in ieiunia, quàm in orationes, quia ieiunium magis quàm oratio ad mortificationem conducit. Sic quoque *Sanchez l.4.mor.c.56. num.8.* tutiorem cæteris commutationem censet fieri in frequentationem sacramentorum, si uouens sit impleturus, uel in sacra facienda, cum sacramenta maximè communicent merita Christi, & deseruiant emendationi morum, per sacra uerò ualde augeatur Dei cultus, sintque magni valoris.

716 Tertiò haberi debet ratio difficultatis implendi uoti & materiæ subrogatæ, cum difficultas etiam augeat meritum. Vnde in commutatione uoti peregrinationis habenda est ratio laboris itineris, & expensarum, hæ enim augent æstimationem uoti, & spectant ad magnitudinem materiæ promissæ, & ideo de illis habenda est ratio in eligenda materia subroganda. *Hostien.in.de uoto.n.12. Nauar.c.12.num.77.Caiet. in sum. v.votum cap. ult. Armilla num.14. Palud.4. d.38. quæst.4. a.3. concl.3.* *Suarez d.c.19.num.19.Sanchez d.cap.56.num.10.Nauar.c.12.nu 77.* Addit uerò *Pasqualig.de Iub.q.343.* Hoc intelligendum esse de difficultatibus intrinsecis, uel per se connexis materiæ, non uerò de ijs, quæ accidentaliter ei adueniunt, quia istæ nec sub certa intentione cadunt. Verùm, & addendum puto, quòd huiusmodi difficultates considerari debent non solùm ex parte materiæ secundùm se, sed comparatiuè ad uouentem, cui ex conditione personæ aliquod opus potest esse difficilius, conditione personæ redundante in opus. Quamuis difficultas quæ oritur ex mala uoluntate agentis, non ualeat ad augmentum meriti.

717 Quartò haberi debet ratio finis ad quem ordinatur res promissa per uotum, magnitudo enim & dignitas rei promissæ augetur ex finis dignitate. *Sotus l.7.de inst.q.4.a.3.ver.ex istis consequitur Sayr.l.6.c.12.num.5. Suarez d.cap.19. num.21. Sanchez d.cap.56.num.6. Moron. resp.98. num.453.* Nihilominùs *Pasqual. de Iubil.quæst.338.* aduertit, hoc dictum uerum esse de fine primario, qui est Dei obsequium, & spiritualis vouentis. Hic enim finis ille est, ex quo commutatio regulari debet, ut in subroganda materia non minuatur Dei obsequium, & profectus uouentis. Sed finis proximus ob quem uouens uouit non est necessariò attendendus, quia immò nec semper attendi potest. Si enim quis vouit ieiunium ad macerandam carnem superueniente infirmitate cui maceratio carnis est contraria, non potest in commutatione subrogari materia ad macerandam carnem. Itaque quia finis huiusmodi non cadit sub obligatione uoti, licet conueniat habere illius rationem, quantùm fieri potest, hoc tamen non est necessarium. Ex quibus deducitur primò, quòd non est necesse subrogare materiam similem, uel eiusdem generis sed u. g. ieiunij uotum potest commutari in frequentem confessionem, aut communionem, cum Eucharistia sit antidotum præseruans à peccatis. *Concil. Trid.sess.13.cap.2. de Euchar.* Quia in commutatione voti maximè attendi debet Dei obsequium, & vouentis profectus. Secundò quòd eodem modo commutari debet votum non iuratum, & iuratum, *Sanchez d. cap.56. num.4. Moron.resp.98. numer.484.Moneta & Bossius apud Pasqual.num.6.* Ita quòd non est necesse vt in maius opus commutetur votum eò quòd iuratum, quia licet ex vi commutationis relaxetur iuramentum, hoc est consecutiuè & per accidens, vnde pro cessatione obligationis iuramenti non est aliqua materia subroganda. Tertiò quòd eodem modo commutandum est votum cuius non commutandi vouens aliud votum emisit, quia hoc duplex votum eandem materiam habet, & sufficit si habeatur ratio materiæ, vnde non est necesse vt in maius tale votum commutetur, ex quo vouens vouit non petere illius commutationem. Ita *Pasqual.d.quæst.338.num.9.* Sed hoc non placuit *Sanchez d.cap.56.num.5* & meritò, quia hic duplex votum commutatur. Nec vtriusque voti eadem est materia, cum voti de non petenda commutatione materia sit non petitio commutationis, pro qua alia subrogari debet, si vouens commutationem petit. Si tamen obligatio voti de non petenda commutatione relaxaretur per accidens, Prælato non ad instantiam vouentis commutante votum, sententia Pasqual. haberet locum.

718 Quintò licet conuenientissimum sit, vt si votum emissum fuit in honorem alicuius sancti, vel ad commodum alicuius tertij, commutatio eodem modo fiat, tamen vbi tertio per votum, non est aliquod ius acquisitum, non est necessarium vt subrogetur materia cedens in commoditatem tertij, vel in honorem specialem eiusdem sancti, dum aliàs omnibus pensatis materia æqualis, aut melior subrogetur. Sextò vt supra etiam dictum fuit, non est necesse vt votum reale commutetur in reale, vel personale in personale, sed reale in personale, & ecôntra potest commutari.

719 Sextò quòd non est necesse vt materia subroganda sit æqualis physicè in magnitudine, multitudine, & duratione, modò aliàs cedat in æqualem Dei honorem. Sic votum perpetuum in temporale æqualis obsequij diuini, & opus certa die exequendam potest commutari in exequendū altera die priùs, aut posteriùs, si id sit maioris, aut æqualis obsequij diuini. *Suarez d. cap. 19. num. 21. Sanchez num. 27.*

720 Septimò si votum sit conditionale potest commutari substituendo aliam materiam sub eadem conditione, vel mutata conditione cum eadem pœna vel materia, vel commutari potest in materiam absolutam, quo pacto censeri potest seruari æqualitas, etiam si aliàs quantitas rei aliqua minuatur. *Suarez d. c. 19. num. 21. Sanchez num. 30. & seq.* Hinc est, quòd in his votis conditionatis si retenta conditione, vel subrogata æquè dubia sit commutatio, hæc facienda est, ac si votum esset absolutum. Nec est ratio minuendi materiam. Sed si subrogetur conditio magis, vel minùs dubia, erit proportionaliter augenda vel minuenda materia. *Sanchez d. cap. 56. num 31. & ex Moneta & Bossio Pasqual. quæst. 339. num. 2.* secundùm quos DD. si votum conditionale commutetur in absolutum, minui potest materia subrogata; huiusmodi enim commutatio assimilatur contractui assecurationis, & quo magis incertitudo conditionis tollitur, eò magis materia commutationis minor potest assumi. Sed post impletam conditionem cum votum conditionatum transierit in absolutum, in æquale est commutandum, nec materia subrogata minui potest. Quod verò ex *Bossio Pasqual. num. 4.* ponderari velit, quòd votum conditionale non sit à perfecta voluntate, & ideo possit commutari in materialiter minus; non admittitur, quia vt probatum est supra, votum conditionale est ex perfecta voluntate, licet sit obiectiuè conditionatum quod & dicendum esse de voto pœnali satis supra est explicatum. Et quod num. 5. *Pasqual.* addit, scilicet, quòd in executione pœnæ parum obsequij diuini, & consequenter spiritualis profectus adsit, quia non est effectus charitatis sed vindicatiuæ iustitiæ, si probaret, simul probaret quòd in exercitio fidei, spei, iustitiæ & aliarum virtutum esset parum obsequij diuini, & spiritualis profectus, quia non sunt actus charitatis. At verò sic est, quòd qualibet virtus suum obsequium Deo, & profectum animæ præstat, ad hoc verò vt actus sint simpliciter boni, & proficui, sufficit quòd sint imperati à charitate. Et aliud etiam addendum est, quòd executio pœnæ votiuæ vt votiuæ non est actus vindicatiuæ iustitiæ, sed religionis, per quam Deo gratissimum obsequium redditur, & ex consequenti magnus profectus in animam redundat.

721 Debet verò in votis istis conditionalibus pœnalibus attendi nedum quantitas, & qualitas materiæ promissæ, sed etiam pœnæ, vt hoc nedum post incursam pœnam, sed etiam ante. Nam votum non ludendi sub pœna dandi eleemosynam est grauius, quàm sit votum non ludendi solum. *Sanch. num. 35. Moron. num. 48.* Nihilominùs *Pasqual. de Iubil. quæst. 340.* distinguens de voto pœnali, & admittens prædictam assertionem vbi pœna cadat sub voto, vt si dicatur si lusero voueo eleemosynam, vbi pœna non sit materia voti, sed solùm sit nuda pœna accessoria voto, vt si dicatur voueo non ludere sub pœna eleemosynę, tunc inquit, pœna est accessoria nec in commutatione eius ratio est habenda, quia in commutatione non considerantur vtilitates extrinsecæ. Verùm hæc doctrina supponit falsum, quòd scilicet in præfato casu pœna non sit materia voti. Vnde enim qui vouit non ludere sub pœna eleemosinæ si ludat tenetur ad pœnam? Non aliunde certè, nisi quia ille ad pœnam se obligauit, si ludat; hæc verò obligatio nec aliunde est, nisi quia vouens Deo promisit subire pœnam, si luserit. Et ideo in voti pœnalis commutatione etiam pęnæ est ratio habenda, quia & illa est voti materia.

722 Octauò debet attendi etiam vouentis fragilitas, & impotentia, & curandum ne nimis graue, & ne maneat expositus periculo transgrediendi votum, vnde expedit commutare vota in res, quas alioqui solet vouens facere, aut ipsi relinquere facultatem vt alia die possit exequi iniuncta opera, aut diuersa opera relicta optione, vt eligat, quæ maluerit. *Sanc. d. cap. 56.* Aduertendo tamen, quòd commutatio non potest fieri in opus quod aliàs sit de præcepto, quoniam sicut per ea non satisfit voto, sic nec potest satisfieri commutationi voti.

SVMMARIVM.

1 *Ad validam dispensationem est necessaria causa iusta. num. 723.*

2 *Bonum quod est causa dispensandi debet esse melius voto. nu. 724.*

3 *Et commutatio facta sine legitimo auctoritate in minus, vel inæquale est inualida. num. 725. & 726.*

4 *Fur rei traditioni exposita sufficit, quod reddat pretium. nu. 726.*

5 *Commutatio in minus nulla si fiat ab eo, qui non potest in voto dispensare. nu. 727.*

6 *Commutatio in minus non est sine dispensatione, num. 727.*

7 *Commutatio in minus etiam facta superioris auctoritate sine iusta causa est nulla. nu. 728.*

8 *In permutationibus inæqualitas non vitiat contractus, sed æqualitas per supplementum defectus est ponenda. nu. 728.*

9 *Venditio facta à Procuratore excedente mandatum in quantitate pretij valida. nu. 728.*

10 *Commutatio in æquale etiam si facta legitima auctoritate nulla est si fiat sine iusta causa. num. 729.*

11 *Non est simile de Oeconomo, qui in alienando ex institutione regulari debet, & sic sufficit, quod non damnificet dominum, & de commutante vota, qui ex virtute Religionis iustificare debet commutationem,*

tionem, vt non fiat nisi ex causa religiosa. numer.729.

12 *Ad commutationem votorum sufficit æqualitas, & causa moraliter certa.nu.730.*

13 *Vbi commutatio fiat in æquale moraliter aderit semper aliqua causa.nu.731.*

14 *Peccat mortaliter tam Prælatus, quam vouens commutans votum in æquale sine iusta causa. num.732.*

15 *Huiusmodi commutatione non obstante prius votum valet. 733.*

16 *Dispensatio multo magis nulla si vel fiat, vel sine iusta causa, vel propria auctoritate. n.734.*

17 *Non peccat, qui bona fide ex causa putata iusta dispensat, vel qui bona fide vtitur dispensatione. num.735.*

18 *In dubio præsumendum pro valorē dispensationis. num.736.*

19 *Quid agendum, vbi post dispensationem, aut commutationem bona fide factam, & executam inuenitur eam non factam ex iusta causa? numer. 736.*

20 *Prælatus, vel superior non nisi discussa causa potest in votis dispensare, aut ea commutare. numer.737.*

21 *Dispensatio qualiter nulla, si detur sine cognitione causæ, num.738.*

22 *Quid vbi causa ex conscientia erronea iudicatur insufficiens.num.739.*

23 *Dispensatio nulla ex defectu potestatis non validatur per ratihabitionem.nu.740.*

24 *Non est necessaria cognitio causæ iudicialis, numer.741.*

723 DVbitatur nono, an ad validè dispensandum in voto requiratur causa? Certissimum est nec potestate ordinaria nec potestate delegata fieri posse dispēsationem in voto sine causa iusta, & si fiat eam esse inualidam. Dispensare enim in voto est dispensare in alienis bonis, & in voluntate aliena nedum, sed superioris; quod non fit à Prælatis nisi ad instar ministri & Oeconomi, & dispensatoris, cui data est facultas non in destructionem, sed in ædificationem; vnde vt valida sit dispensatio, causa iusta est necessaria. Neque enim credi potest Deum consentire iniquæ dispensationi, quæ non est dispensatio, sed dissipatio, *D. Bernard.l.3.de consid.ad Eug. c.53. D.Th. supra quæst.*88. *a.12. ad* 5. & ibi Commentatores, *Theologi in 4. d.38.& Canon.in cap. Non est, de voto,* & omnes DD. communiter. In casu tamen dubio vouens potest stare iudicio superioris dispensantis. *D.Thom.supra q.88.a.12. ad 2.*

724 Aduertit etiam *Caiet. supra quæst.*88. *a.12. dub.2.fin.* & ex eo *Martinez de Prado c.31.quæst.14. num.108.* quòd bonum, quòd est causa dispensandi debet esse maius nedum bono, quod erat materia voti, sed bono, quod erat ipsum votum, quoniam in dispensatione vtrumque cessat, scilicet votum, & materia voti. In commutatione verò votum manet, licet non maneat materia; & ideo sufficit quò commutatio fiat in meliorem materiam, uel in æqualem ex iusta causa, ex qua tandem redundat ratio melioris in commutatione.

725 Ampliatur hoc, vt sit verum etiam de commutatione, ita quòd commutatio facta sine iusta causa sit ipso facto nulla, & inualida. Oppositum huius tenet *Sanchez l.4. moral. c.51.* Vbi primò vult, quòd cōmutatio facta à Prælato in æquale licet sit facta sine iusta causa sit valida, & quòd nihil sit supplendum. Secundò ait, quòd quando commutatio fit in minus authoritate Prælati commutatio est valida cum sola obligatione supplendi id quod defuit ad æqualitatem materiæ subrogatæ. Tertiò ait idem dicendum quando commutans est delegatus, addens non esse necesse adire superiorem ad supplendam æqualitatem, sed ipsum vouentem eam supplere posse. Quartò inquit, quòd etiam commutatio facta propria authoritate vel authoritate non habentis iurisdictionem sit non omninò irrita, esseque solùm obligationem vel seruandi prius votum, vel supplendi id, quod desuit. Fundatur verò in exemplis aliquibus desumptis ex contractibus humanis, quæ non applicantur.

726 Quamobrem ab hoc quarto eius dicto incipiendo, dicitur primò, commutationem factam sine legitima superioris authoritate in minus, vel etiam in æquale esse irritam. *Caiet. supra quæst.*88. *a.15.& ibid.Raphael à Turre.disput.5.nu.7. Tabien. v.dispensare num.10. Armill.num.14. Sotus l.7. de iust. quæst.7.a.3. Martinez de Prada cap.31.quæst.15.n.21. Toledo, Azor. Sayrus, Alcozer, Couar.* quos sequutus fuit *Sanchez l.4.sum.cap.49.num.12. Fillinc. Reginal. Layman, Tanerus, Molphesius Malderus, Trullench, Faguodez Bardus, & Mendo,* quos refert & sequitur *Leander trac.5 quæst.154.* Vnde quòd nec huiusmodi commutatio possit fieri à simplici Confessario, dixerunt *Sanchez, num.13. Suarez num.6. & Leander quæst.155. citati. Suarez l.6. de voto cap. 20.num.6. Palaus tom.3.tract.15.de voto disp.2. p.17. num.2.* Ratio huius est, quia in prioris voti emissione sola exceptio melioris boni continetur, ex eo quòd votum ex natura sua non sit melioris boni impeditiuum, cæterùm ad æquale ex natura sua obligat, & si obligat, non potest hæc obligatio relaxari, vel mutari, sine Dei voluntate; ideoque sine potestate ab eo suis ministris tradita, & sine authoritate Prælati, seu superioris, qui vice Dei consentiat in materiæ subrogationem & mutationem, vnde multò minùs potest sine hac Dei authoritate subrogari materia inæqualis in minus. Nec valet exemplum allatum, quia scilicet, si vbi res est exposita venditioni fur illam auferat, non tenetur fur rem reddere, sed sufficit, quòd reddat pretium. Et ita quia votum est commutabile, & sic est veluti res venditioni exposita, sufficit, quòd qui commutat furtiuè sine legitima authoritate, reddat pretium, & suppleat æqualitatem. Nam exemplum militat in oppositum; Nam fur semper est fur, & furando peccauit & manet fur nisi reddat pretium. Modò in præsenti votum non est quomodocumque commutabile, nec est res quomodocumque veluti exposita venditioni, aut alienationi, aut commutationi, sed solùm est commutabile in melius, in minus verò & in æquale non est commutabile nisi accedente speciali consensu Dei per suum ministrū exhibito. Sicut ergo si res esset exposita venditioni pro pretio centum, & cum pacto quòd pro minori pretio vēdi non posset nisi ex causa speciali accederet consensus domini, non sufficeret quòd fur propria authoritate redderet nonaginta, quia res pro eo pretio non erat vendibilis, sic quia votum

non est commutabile ex natura rei propria authoritate nisi in melius, in minus verò, aut in æquale non est commutabile, nec est commutationi expositum, immò hoc est prohibitum nisi fiat ex speciali causa consentiente Domino per suum ministrum, quia aliter de consensu Domini non potest nobis constare, sęper hæc commutatio facta in minus, vel in ęquale sine superioris authoritate est contra voluntatem domini, & de se irrita, & nulla, & voti prioris obligatio manet intacta, Ideo peccat qui votum sic commutat, & vbi implendi voti vrgeat tempus peccat vouens non implendo; nec à peccato excusat animus suplendi quod deest; aliter sequeretur, quòd non peccaret, qui non implet interim votum habens animum illud commutandi in melius, vel supplendi subrogando melius, quod prorsus est falsum, nec admittendum. Nec obstat quòd in fure non esset culpa grauis vtendo re illa furata cum animo quàm cito reponendi pretium. Nam hoc eò potest admitti, quòd tunc Domino, qui rem vult vendere parum nocumenti infertur ex parua illa dilatione solutionis pretij. Sed hic commutatio nulla est in substantia, & quando vrget voti executio, si vouens deficit est Deo infidelis, & voti fractor, & ab infidelitate & voti transgressione non excusatur vouens, ex eo quòd habeat animum subeundi statim obligationem reddendi melius.

727 Colligitur ex consequenti, quòd commutatio in minus facta ab eo, qui solùm potest vota commutare est nulla, & irrita, quia non est talis commutatio nisi cum dispensatione, vnde nequit fieri nisi ab eo, qui potest dispensare, non verò ab eo qui solum potest commutare. *Caiet. supra q. 88. a. 12. dub. 2. fin. Soto l. 7 de iust. quæst. 4. a. 3. vers. at verò quando Martinez de Prado cap. 31. quæst. 15. num. 29.* video quòd *Pasqual. de Iubil. quæst. 276. num. 6.* arbitratur, quòd quando votum potest commutari in minus, non per hoc locum habet dispensatio, quia tunc non relaxatur obligatio, quod est proprium dispensationis. Sed eidem obligationi substituitur alia materia. Sed hoc est contra communem sensum DD. quia nequit substitui minor materia sine aliqua relaxatione obligationis, & debenti centum si obligatio reducitur ad 80. hoc non est, nisi quia condonantur viginti, & pro viginti relaxatur obligatio. Sic & in commutatione in minus relaxatur obligatio ad illud maius quod ex vi voti debebatur. Et ideo commutatio in minus participat de dispensatione. Et ideo qui solùm potest commutare votum, non potest illud commutare in minus vnde quod Regulares virtute Iubilæi aut Bullæ cruciatæ non possint commutare vota in minus quia his est concessa sola facultas commutandi, dixerunt, *Palud. 4. d. 38. q 4. a. 3. conclus. p. Caiet. sup. q. 88. a. 12. §. in commut. votor. Syluestr. v. votum 4. quæst. 8. Martinez de Prado cap. 31. q. 15. num. 29. Sanchez l. 4. sum. cap. 50. num. 3. Suarez l. 6. de voto. cap. 12. num. 6. & cap. 19. num. 7. Panorm. ad cap. p. de voto n. 3. & 5. Nauar. de Iubil. not. 27. num. 7. Couar. de pactis p. 1. §. 3. num. 4. Layman, Faustus, Malderus, Sanctarellus, Rosel. supplem. Gabr. Angles, Palat. Azor. Ouand. & Beia apud Pasqual. de Iub. q. 288. num. 2. Moron. resol. 98. num. 447.*

728 Dicitur secundò quòd vbi etiam authoritate superioris commutatio facta sit in minus, sine iusta causa commutatio nulla est, neque vouentem ab obligatione voti liberat & excusat materiæ subrogatæ executio. *Suarez l. 6. de voto cap. 19. nu. 14. & cap. 20. nu. 6. Innoc. cap. 1. de voto. Nauar. cons. 19. de voto. Azor. tom. 1. l. 11. c. 8. q. 12. Palacios, Lopez, Alcozer;* quos sequitur *Palaus vbi sup. num. 3. Layman l. 5. tr. 4. c. 8. nu 22. Sayrus l. 6. Clauis Regiæ c. 12. num. 28. Bonac. de leg. disp. 4. q. 2. p. 3. nu. 11. fin Filliuc. tr. 26 cap. 10. nu. 285.* Prælatus enim neminem à voti obligatione liberare potest, nisi quatenus Dei vice fungitur. Nec obstat, quòd apud nos in permutationibus inæqualitas valoris non semper irritet contractus, sed sufficiat supplere defectum *l. 2. C. de rescind. vend.* quia sic est de iure positiuo, & respublica ad vitandas lites sic disposuit, & ordinauit, vt quando venditio fuit vltra dimidium iusti pretij, detur venditori oblatio, vel vt restituat excessum pretij, vel rem venditam recipiat totò pretio reddito. At nullibi constat, quòd Deus consentiat in permutatione inæquali votorum. Nec Deus est qui sua exponat venalia, seu permutabilia sicut homo, nec qui indigeat permutatione ad sui commodum. Sed votorum permutatio ad publicam vtilitatem, & Dei publicum cultum fieri debet, sic Deo nostræ fragilitati indulgente. Ideo nec valet aliud motiuum, quia scilicet venditio facta à procuratore excedente mandatum in quantitate pretij valet. *l. diligenter ff. mandati.* Hoc enim ex eo verum est, quia dominus censetur dedisse authoritatem procuratori ad venditionem secundùm leges, & secundùm naturam venditionis, quæ iure sic disponente valida est tametsi inæqualitatem habeat. At nullum est ius, quod decernat valere permutationem voti factam in minus, sed contrarium suadet ipsa natura permutationis.

729 Dicitur tertiò nullam quoque esse voti cõmutationem in rem æqualem quæ fiat à Prælato sine vlla causa, ex solo libito suæ volnntatis. *Caiet. supra. quæst. 88. a. 12.* & ibi *Raphael a Turre disp. 5. num. 7. Tabien. v. dispensare num. 10. Armilla num. 14. Suarez d. cap. 20. nu. 7. & cap. 17. num. 5. Layman. l. 5. tr. 4. c. 8 num. 22. Sayrus, & Filliuc. locis citatis. Azor. Graff. & Malder.* quos refert, & sequitur *Diana p. 2. tr. 16. res. 10.* Et ratio est, quia procedit à non habente legitimam potestatem, quia nulli data est potestas permutandi vota in æquale sine iusta causa. Est enim considerandum, quòd oeconomo, seu procuratori dupliciter potest dari potestas administrandi bona domini sui, primò vt hæc potestas non sit limitata nisi ad vtilitatem priuatam domini, & regulata secundùm virtutem iustitiæ; Et hoc modo vbi æqualitas iustitiæ secundùm communes leges seruata fuerit, contractus venient a potestate procuratoris legitima, & validi erunt, quia illius mensura est iustitia ad dominum suum. Verùm si potestas data procuratori non sit regulanda solùm ad normam iustitiæ, sed ad exigentiam alterius virtutis, seu altioris iustitiæ respicientis nedum bonum domini vt priuatæ personæ, sed bonum commune & bonum domini vt personæ publicæ, & superioris, & supra limites personæ priuatæ existentis, ad valorem actuum talis procuratoris non debet attendi sola æqualitas iustitiæ commutatiuæ aut priuatæ, vt censeatur validum totum id, quod non est iniustum & in domini vt priuatæ personæ præiudicium, sed ex altiori iustitia & virtute valor gestorum per procuratorem petendus est, cum procu-

curatori non sit data potestas nisi ad formam illius altioris virtutis, & iustitiæ. Modò inter Deum, & homines non datur iustitia commutatiua secundùm *D.Thom.p.p.quæst.*21. & quatenus dari posset, vota ad huiusmodi iustitiam non spectant, sed ad virtutem altiorem quæ est virtus religionis, cui valde materiale est quòd Deo oblatum sit hoc, vel illud, & secundùm iustitiam commutatiuam in valore rei æquale, vel inæquale, & valor sumendus est in ordine ad Dei obsequium, & cultum ad quod non conducit imprudens actio procuratoris, & facultas agendi ad libitum siue ex causa, siue non ex causa, quia totum hoc ex virtute religionis est mensurandum, agere verò sine causa ad religionem spectante non est religiosum. Ideo Deus suo Oeconomo non dat potestatem ad libitum exercendam circa sua bona, sed constituit eum ministrum Religiosum ad religiosè agendum, & ideo ad non disponendum de rebus sacris nisi religiosè, ideoq; nisi ex causa & fine ad Religionem conducente. Quamobrem fines mandati excedit minister, si nulla existente causa vota commutat, nec Deus hanc commutationem acceptat. Sic ergo licet sit in libertate offerentium offerre Deo hoc vel illud, ex quo tamen hoc & non illud est Deo oblatum, & factum est religiosum subrogatio ipsa religiosè fieri debet, & ex natura petit, vt & ipsa non nisi ex causa spectante ad Dei cultum admittatur, quia non ad alium finem potestas hæc ministris est attributa, vt religiosa religiosè & iuxta diuini cultus exigentiam administrent. Et si dicas, quòd vbi quod subrogatur est religiosum, & æquale in ratione religioni, iam subrogatio religiosa est; respondetur sequelam non valere; quia electio ipsa vnius præ alio, quatenus est vnius præ alio, non potest esse religiosa ex sola re electa, quia cum vtraque res sit æquè religiosa ex nulla illarum habetur quòd religiosè vna eligatur alia relicta, sed huius debet dari aliud motiuum religiosum; sic subrogatio nō potest esse religiosa in ratione subrogationis ex sola æqualitate rei subrogatæ; quia cum res, quæ iam est Dei sit æquè religiosa, nulla religio est, quòd illa relinquatur, & alia æqualis assumatur. Sic enim huius quod est hanc relinqui, & illam præ alia assumi si nulla est causa religiosa, nulla est religio, & si nulla est religio, nulla est in permutante potestas, cum in permutante non sit nisi potestas religiosa. Ideo verò nō possunt permutari vota nisi quodammodo in melius; quia & vbi adsit æqualitas in materia permutata, nisi adsit causa iusta ex qua permutatio ipsa fiat religiosa, & cedat in maius Dei obsequium materiæ mutatio, quàm perseuerantia, permutatio non est religiosa, vbi verò adest hæc ratio, iam permutatio fit quodammodo in melius.

730 Considerari tamen debet, quòd vt contra Valentiam *tom.*3.*disp.*6.*q.*6.*p.*7.§. *Notandum est* aduertit *Raphael à Turre supra quæst.*88. *a.*12.*disp.*5 *num.*3. Non requiritur mathematica euidentia de æquali aut de meliori; quia in moralibus illud est bonum vel melius, quod moraliter est certum esse tale. *Sylu. v.votum* 4.*in fine Lopez p.p.c.*50. *Azor. p.p.l.*11.*c.*18.*quæst.*13.*Sayrus in Claui Reg.c.*12.*n.*11. *Sanchez d.cap.*20.*nu.*6.*Palaus p.*16. *num.*3.*Martinez de Prado cap.*31.*quæst.*15. *nu.*30. Et idem dicitur de iusta causa, quòd sufficit, quòd habeatur de ea certitudo moralis.

731 Verum etiam est, quòd vbi aliàs commutatio fiat in æquale, moraliter aderit semper aliqua causa in Dei cultum ordinabilis, & ad hoc leuis etiam sufficit. Vnde ex hoc apparet, quòd Deus non est exactor durior, quàm sint homines, sed est leuissimus, & benignissimus; Nam cum natura rei hoc requirat, vt huiusmodi religiosæ permutationes non nisi religiosè fiant, & secundùm religiosi finis exigentiam, ex quacumque etiam leui causa hæc fiant contentus est, & ita vt pro causa legitima accipiat etiam desiderium, & petitionem ipsius vouentis, vt *Caiet. Raphael à Turre*, *Suarez* citati & alij dixerunt, quo nihil benignius excogitari potest. Sed quòd religiosum non religiosè fiat, in Dei cedit iniuriam, ideo Deo placere non potest, quòd huiusmodi permutationes sine causa fiat.

732 Vnde colligitur peccare mortaliter tam vouentem, si absque authoritate superioris commutet votum suum in æquale, intendens se liberare à voti obligatione circa priorem materiam, quàm Prælatum commutantem in minus, si intendit vouentem liberare ab eadem obligatione circa prioris voti materiam. Quod & tenuit *Sanchez l.*4. *c.*50. *num.*8. vbi dixit, peccare mortaliter commutantes vota absque debita æqualitatis inuestigatione. Quàmuis *cap.*51 *num.*15.*&* 16. vbi sequitur eum *Diana p.*2.*tr.*16.*resol.*10.*& Leander.*163.*& apud Martinez de Prado Gallego & Candidus.* teneat; solùm venialiter peccare Prælatum sine causa commutantem in æquale, & idem asserat, de vouente sine superioris authoritate commutante votum in euidenter æquale. Sed Sanchez consequenter loquitur, quia putat huiusmodi commutationem esse validam. Sed cum esse inualidam probatum sit, iam etiam consequenter dicitur hanc commutationem etiam in æquale si fiat à vouente sine authoritate superioris, & si fiat à superiore sine vlla causa, esse peccatum mortale, cum fiat actus irreligiosus, & inualidus. Ita *Raphael à Turre supra quæst.*88.*a.*12. *disp.*5.*num.*7.*Martinez à Prado cap.*31.*q.*15.*num.*26. *&* 27. *Suarez l.*6. *de voto cap.*19. *num.*14. *& Palaus tom.*3.*tr.*15.*disp.*2.*p.*17.*num.*8. Hoc verò magis euidens est, vbi non constet commutationem fieri in æquale. Tunc enim recurrendum esse ad superiorem dixit *D.Th. supra quæst.*88. *a.*12. *ad* 2. *& q.*89. *a.*9. *ad tertium*, & superiorem teneri considerare, an compensatio sit in melius dixit Alex.3. cap.1. de voto.

733 Ex quo sequitur etiam quòd huiusmodi commutationibus non obstantibus priora vota obligant, ac si nulla commutatio facta esset: quia quod nullum est, nullum producit effectum. *cap. non præstat, de reg. iuris in* 6. *Nauar. cons.*29. *num.*1. *de voto Azor p.p.l.*11.*c.*18.*quæst.*12.*Palaus vbi supra num.*8. Attendi tamen debet, quòd bona fides superioris credens adesse iustam causam excusat & à peccato, & ab irritatione permutationis; Nam & ipsa bona fides Prælati pro causa est vt ex *Suarez* aduertit *Palaus vbi supra num.*4.

734 Quæ verò de commutatione dicta sunt, multò magis vera sunt de dispensatione, vt nec sine superioris auctoritate, nec sine iusta causa fieri possit, & aliter facta sit inualida. Cum per dispensationem relaxetur obligatio voti quæ in commutatione manet, & solum de materia ad materiam transfertur.

Hoc

735 Hoc ergo stante, quòd dispensatio facta sine iusta causa sit inualida, sicut & permutatio, nonnulla consideranda remanent, & quidem primò, quòd si superior bona fide dispensat ex causa putata iusta, ipse non peccat, nec durante bona fide peccat vouens vtens dispensatione, sed tamen dispensatio est verè inualida, & vt talis habenda cessante bona fide. Oppositum quidem huius tenuit *Sanchez lib.4. cap.44. num.*10. quia hoc petit recta Ecclesiæ administratio, aliter non vitarentur infiniti scrupuli, qui oriri possent. Sed dicitur, quòd orirentur infiniti scrupuli si diceretur quòd ad vitandum peccatum non sufficeret bona fides, sed quòd semel detecta veritate, & nullitate causæ censeatur adhuc valida dispensatio, nec spectat ad rectam Ecclesiæ gubernationem, nec est occasio scrupuli, sed manifestatio veritatis, & cum Deo possit integrum reddi, quod fuit promissum, & non adsit verè causa non illud reddendi, reddi debet, *Palaus trac.15.disp.2.p.9.num.4.*

736 Sed vlteriùs vbi adfuit bona fides, si contingat fuisse defectum in causa dispensandi, aut commutandi votum trea casus considerandi sunt. Primus est, si vouens bona fide opus sibi impositum impleuit, & non est euidens causam fuisse deficientem, sed de hoc dubitat. In hoc enim casu vouentem posse deponere dubium, & scrupulum, dixit *Suarez d.l.6.c.17.num.*30. *& cap.20. numer.7.* Quia in dubio præsumendum est pro superiore dispensante, aut commutante. Non credo tamen rem habendam esse dubiam, si omnibus pensatis simpliciter est probabilius causam pati defectum. Secundus casus est, si constet de defectu causæ, & tamen commutatio bona fide facta fuit in æquale, credendum est Deum acceptasse factum à suo Vicario bona fide. Sed immò additur casum non esse possibilem, quia vbi commutatio fiat in æquale, bona fides præbet causam sufficientem vt dictum est supra cum Palau 3. casus est, si euidens sit defectus causæ, & dispensatum est in voto, vel facta commutatio in minus, tunc si saltem adfuit causa iusta ad commutandum; licet non ad dispensandum, vel ad commutandum in minus, vbi vouens executus fuerit opus sibi impositum valebit id saltem pro partiali solutione, & solùm erit obligatio ad arbitrium boni viri supplendi ad æqualitatem, quod deficit. *Suarez d.cap.*30.*num.*7. quia Prælatus, seu dispensans iam quantùm fit ex se ipso in commutationem consensit. Quòd si superior sine iusta causa dispensauit, sed causa præfata fuit sufficiens ad commutationem, vouens ad arbitrium boni viri potest vti commutatione etiam in minus, si ad id causa sufficit, quia dispensatio data saltem quantùm ad hunc effectum valida esse poterit. *Suarez cap.17.num.*20. Vbi tamen dispensatio, aut commutatio sine iusta causa mala fide facta sit, vt nulla habenda est, nec potest arbitrio boni viri suppleri defectus, quia tunc factum fuit, & mala fide, quod fieri non potuit.

737 Considerandum vlteriùs, quòd ex quo non potest dispensari in votis sine iusta causa, tenetur superior non dispensare nisi negotio examinato, & siue sit supremus, siue non supremus, siue ordinarius, siue delegatus peccat grauiter si vota commutat, aut dispensat sine cognitione causæ, & non examinato negotio, infideliter enim agit contra debitum officij sui, & se exponit periculo nulliter agendi in graue præiudicium etiam vouentis.

738 Sed numquid dispensatio sine cognitione causæ data est nedum illicita, sed nulla, si adsit in rei veritate iusta causa dispensandi? Certum est esse irritam, si sit data à delegato, cui commissa est dispensatio cum clausula *præmissa cognitione causæ* vt fit in litteris S. Pœnitentiariæ, & in multis commissionibus Pontificus. Huiusmodi enim clausulæ, *si per diligentem inquisitionem inueneris ita esse; si preces veritate nitantur; si ita esse repereris;* & similes de iure & praxi important formam, qua omissa corruit actus, Sed vbi superior authoritate ordinaria, aut delegatus, cui concessa est facultas dispensandi sine limitatione, & forma, dispensat causa non examinata, si verè adest causa iusta, rationabile est dispensationem subsistere, nam non deest tunc facultas, nec voluntas, nec causa iusta ad dispensandum; Causæ verò cognitio non videtur esse de forma, quoniam non est lex diuina, vel humana, quæ hoc statuat; Ideo peccat quidem dispensans in votis sine causæ cognitione, sed si causa iusta adsit, valida est dispensatio. *Sanchez l.4.mor. c.45.num.6. Layman l.1.trac.4. c.*53. *num.*12. *ex Armilla v.dispensatio num.*12. *Bonac.de legib.disp.1.q.*3. *p.4.num.*17.

739 Si verò adsit ad dispensandum, vel commutandum causa iusta, sed vouens, vel superior ex conscientia erronea illam putat non sufficientem. Si hic defectus sit solùm ex parte vouentis, sufficiet, quòd ad arbitrium boni viri conscientiam erroneã deponat, quia aliàs dispensatio, aut commutatio ex causa iusta, & ex legitima facultate facta est, consentiente vouente, licet illicitè ex conscientia tamẽ erronea, quod non sufficit ad inualidandum consensum. Sed etiam si hic defectus fuerit ex parte dispensantis, vel commutantis, si nihilominùs ipse intendit facere quod potuit, conscientia illa erronea non inualidat actum, quia valor actus non dependet ex scientia sui valoris, vel ignorantia, sed ex eo quòd in veritate habeat, quæ sunt de eius substantia, & valore. Quod tunc adest, quia adest iusta causa agendi, & in agente potestas agendi, & voluntas, & agens licet erroneè credat se validè agere non posse, tamen agit volens agere validè si potest.

740 Vbi verò dispensatio, vel commutatio fuit nulla ex defectu potestatis, quia vel facta propria auctoritate, vel à non habente legitimam facultatem etiã si adesset iusta causa faciendi, aliqui apud *Suarez d.cap.20.num 6.* dixerunt sufficere petere à legitimo superiore, vt factum approbet, & ratum habeat. Sed hoc non est verum, quia nec ratum haberi potest à superiore, quod suo nomine non est gestum. *Reg.9.de reg. iur. in 6,* nec uotum potest commutari in opera iam facta, ideo in hoc casu iterum obtinenda est dispensatio, vel commutatio. *Suarez ibid.*

741 Verum tamen est, quòd nec est necessaria iudicialis cognitio, & inquisitio causæ, sed sufficit extraiudicialis, & quæ valeat ad instruendam conscientiam dispensantis. Et vbi alias causa sit dispensandi, vel notoria, vel manifesta, & certa, nulla alia est necessaria causæ inquisitio. *cap. manifesta.2. quæst.1. Glossa cap. Qui sine examinatione.d.81.& cap. fin.vers. Qui concubinas dist.51. Panorm. cap. Præterea num.1.*

num.1.de testib.cog.Sanch.l.8. de matrim. d.17.nu.11. & l.4.mor.cap.45. num 9. Suarez l.6. de voto cap.27. num.7.

SVMMARIVM.

1 *Causa iusta ad dispensandum est, qua obstat impletioni voti.nu.742.*
2 *Solus defectus deliberationis vouentis, si alias votum potest impleri, non dat causam iustam ad dispensandum.nu.743.& 744.*
3 *Sola leuitas vouentis, nec est sufficiens causa ad commutandum in minus. nu.745.*
4 *Vota puerorum ex sola leuitate vouentium dispensari non possunt.746.*
5 *Intellectus cap.2.de voto.nu.747.*
6 *Votum ex incusso metu leui extortum, non ex hac pracisa causa est dispensabile, aut commutabile in minus, si alias sine difficultate potest impleri, num.748.*
7 *Idem dicitur de voto alias valido ex aliquo dolo emissum.nu.749.*
8 *Votum dubium est dispensabile videlicet in minus commutabile.nu.750.*
9 *Potest haberi iusta causa ad dispensandum si votum sit vouenti occasio ruina, nu.751.*
10 *Et quid vbi occasio sit ex malitia? nu. 751.*
11 *Ex hac causa habetur fere numquam iustus titulus dispensandi simpliciter. nu.751.*
12 *Difficultas implendi votum cum periculo illud violandi sapius est talis ex qua potest accipi causa dispensandi.nu.752.*
13 *Item necessitas boni communis. nu.753.*
14 *Item si votum cedat in damnum tertij.nu.754.*
15 *Item si votum sit impeditiuum maioris boni, numer.755.*
16 *Si sit euidens votum impedire maius bonum non indiget dispensatione.nu.755.*
17 *Melius bonum, vnde mensurari debeat. n.755.*
18 *Maior causa requiritur ad dispensandum in voto quam in lege.nu.756.*
19 *Ad dispensandum sufficit causa probabilis, aut dubia.num.757.*
20 *Vbi sit causa iusta proportionata non est peccatum simpliciter dispensare. nu.758.*
21 *Rarissimum est quod detur causa adaquata dispensandi simpliciter, & propterea non est dispensandum in votis sine commutatione.n.759.*
22 *Quando superior teneatur dispensare.nu.760.*

742 DVbitatur decimò, quæ sint causæ instæ ad dispensandum in votis? Respondetur illas esse, quæ voti executioni obstant. Cum enim votum cedat in vouentis vtilitatem, & Dei honorem, si aliàs nulla sit difficultas implendi votum, nullumque impedimentum, non est censendus Deus consentire dispensationi, seu relaxationi voti, *D.Thom.22. q.88. a.12.* & cum eo DD. communiter. Huiusmodi verò causæ obstantes sumuntur, vel ex modo vouendi, vel ex materia voti. Ex modo vouendi si vouens imprudenter, temerè, & absque plena deliberatione votum emisit, siue quia in ætate puerili erat, siue quia ira, tristitia, aut aliqua alia passione præmebatur, siue quia ex errore, & ignorantia circa causam impulsiuam vouit, siue quia causa iam cessauit. In istis enim casibus præsumitur adesse periculum violandi votum, quia vouens non sit plenè affectus ad votum. Tum secundò quia prædictæ causæ diminuunt voluntariū ac proinde voti obligationem, quæ ex voluntate procedit, & ideo præfatæ causæ faciunt ad iustam voti dispensationem, vt communiter DD. affirmant.

743 Sed difficultas hic est, an præcisè, & per se solæ causæ istæ sufficiant, si aliàs nullum sit obstaculum implendi votum nullaque difficultas. Nā defectum plenæ, & maturæ deliberationis, vndecumque proueniat præbere iustam causam dispensandi, videtur dicendum, quia DD. æquè assignant pro causa ad dispensandum in votis facilitatem in vouendo, & deliberationis defectum, ac assignant difficultatem exequendi votum, & periculum violandi illud, vt videre est apud *Nauar.cap.12.nu.55. & 77. Azor.p.p.l.11.cap.15.quæst.5. Lopez p.p.instruc. cap.49.vers.leuitas, Arragon.sup.q.88. a.1. conclus.3. Bonac.disp.4.quæst.3.p.7.§ 4.num.24.* Sed difficultas exequendi votum, & periculum violandi illud præbent causam sufficientem dispensandi, ergo & eam præbet, defectus deliberationis. Et ita hoc tenent *Sanchez l.8.de matrim.disp.20.num.12.& l.4. moral. cap.45.num.28. Palaus tr.15.disp.2.p.9. num.7. Martinez de Prado cap.31.disp.14.nu.119.*

744 Sed hæc ratio satis debilis est. Nam ad dispensandum in voto necessaria est causa obstans eius implemento, quia non potest cedere in Dei honorem, & vouentis vtilitatem vt non adimpleat, quod Deo promisit, & potest sine difficultate, & impedimento implere. Et ideo ad dispensandum in voto necesse est vt adsit obstaculum eius executioni, vt habetur ex *D.Th.supra quæst.88. a.12. ad secundum* vbi ait, irritam esse dispensationem in voto Religionis, ubi nulla adsit apparens causa obstans & idem docent *Caiet.ibid.dub.5. Soto l.7.de iust.q.4.a.3.ver.ad istorum errorem col.7.* & communiter omnes. Quod verò dicit Palaus, quòd defectus deliberationis per se obstat adimpletioni uoti cum emittitur, & per accidens est, quòd postea non obstet, constat quòd non satisfacit; quia aliud est emissio uoti, & aliud uoti executio. Ratio uerò ista si probaret, probaret quòd obstaret emissioni voti, non eius implemento. Sed neque id probat, quia si defectus deliberationis est tantus ut tollat simpliciter uoluntarium, uotum est nullum; si uerò non aufert uoluntarium, iam solùm facit in uoluntarium secundùm quid, & solùm secundùm quid imperficit emissionem uoti, quod cum aliàs sit simpliciter voluntarium, simpliciter obligat, & cum possit impleri sine difficultate non adest causa dispensationis, quæ redundat in Dei gloriam, & uouentis utilitatem. Quod uerò etiam addit Sanchez citatus, quia scilicet DD. requirentes ad iustam dispensationem causam obstantem loquuntur de uoto plenè deliberato, dicitur quidem, sed non probatur. Et ratio eorum militat in omni uoto, quæ est, quòd non potest inueniri Christi honor, & uouentis utilitas in dispensatione, & relaxatione illius uoti, quod cum simpliciter fuerit liberum in sui emissione, postea potest à uouente sine difficultate & impedimento impleri. Quod uerò ex DD. aliqui inter causas dispensandi in uoto numerent defectum deliberationis, hoc est quia id facit ad faciliorem dispensationem ob defectum

uolun-

uoluntarij, & quia inde etiam oriri potest aliquod impedimentum ad uotum implendum. Ideo quòd solus defectus deliberationis, præciso obstaculo implendi uotum non sit sufficiens causa ad dispensandum in uoto; dixerunt *Valentia supra disp.6. quæst.6.p.7.ad fin. Suarez l.6. de voto cap.17. num.14.* & fauent *Lessius l.2. c.4. dub.17.nu.120. & Layman l.4.tr.4.cap.8. num.5.* & apud *Martinez de Prado num.118. Villalobos 2.p.tr.34.diff.27.n.5. Trullench. in Bullam dub.43. num.8.* dum dicunt leuitatem in uouendo præbere faciliorem dispensationis impetrationem.

745 Verum est, quòd & DD. prioris opinionis eam temperant. Nam *Palaus d.num.7.* ait, quòd leuitas in uouendo non semper, sed raro præbet sufficientem causam dispensandi absolutè absque aliqua commutatione; sed hoc prudentis arbitrio est iudicandum. *Sanchez verò d.cap.45.nu.28.* uniuersaliùs loquens ait. Placet tamen, ut ex sola hac leuitate non omnino sit in uoto dispensandum, sed admixta aliqua commutatione, ut docet *Ledesma 2.p.tr.10.cap.8.in 4.p.* ubi de causis dispensandi in primo dicto. Quamobrem sentit Sanchez, quòd leuitas uouendi non sit sufficiens ad dispensandum, sed ad commutandum in minus, seu ad dispensandum cum aliqua commutatione. Sed neque hoc admittendum est, ex prædicta ratione; non enim in Dei honorem, & uouentis utilitatem redundare potest, ut non impleatur totum, si sine impedimento totum potest impleri. Quamuis negari non possit, quòd leuitas in uouendo, non sit sufficiens causa uel faciliùs, uel commutandi uotum in æquale, si id uouens desideret.

746 Hinc sequitur nec uerum esse, quòd uota puerorum ex sola leuitatis causa possint dispensando relaxari etiam per se sine commutatione; quod dixerunt *Sanchez l.8. de matrim. disp.20.num.13. & l.4.mor.c.45.num.30. Palaus d.p.9.num.8.* quia benignitati diuinæ expedit, ne obligationem in tenera ætate susceptam ita rigide acceptet, quin Pontifici, & cæteris Prælatis remiserit illius liberam solutionem. Et quia à sponsalibus initis tempore pubertatis adueniente pubertate permittitur resilire. Hæc enim non mouent, non enim benignitati diuinæ expedit, ut quæ impleri possunt sine impedimento, & cum deliberatione sufficienti promissa sunt, relaxentur nulla alia iusta causa adueniente, nisi quia secundùm quid indeliberatè promissa sunt. Et quidquid sit an post pubertatem concessum sit resilire à sponsalibus ante pubertatem initis, non est eadem ratio de contractu humano, in quo sola utilitas contrahentium attenditur, & in cuius dissolutione utriusque contrahentium iustitia seruatur ex quo cuilibet licet recedere à contractu, & de uotu, quod importat obligationem factam Deo & quæ non nisi ex causa religiosa religiosè est relaxanda. Quæ uerò religio erit, vt promissum Deo, quod sine impedimento potest reddi non reddatur? Verum est, quòd huiusmodi uotis adiuncta sunt ut plurimùm obstacula, & impedimenta non præuisa plenè, nec ponderata, & meritò postea à superiore ponderanda, & quæ iustam causam dispensandi præbere possunt; sed quod ubi ista impedimenta non adsunt, sola leuitas uouentis sufficiat ad uoti relaxationem, religiosum non est, nec iustum.

747 Et quod adducitur ex cap.2. de uoto, ubi Pontifex dispensauit in uoto emisso ab impubere, pro nobis est, quia Pontifex ibi non dispensauit in uoto, sed illud commutauit & quidem certè in æquale, cum iniunxerit uouenti pauperis sustentationem pro toto tempore uitæ. Quod uerò dicit Sanchez, potuisse Pontificem dispensare, quamuis admiscuerit commutationem aliquam, ne à suo ordinario recederet; quod inquam sic dicit, ex textu non colligitur, ex quo bene confirmatur, quòd ad relaxandum uotum non sufficit illud fuisse emissũ in pueritia, quia Pontifex in facti cõtingentia illud commutauit, & quidem in equale saltem cum uouenti iniunxerit, vt toto vitæ suæ tempore vni pauperum Christi (dummodò ad hoc suæ facultates sufficerent) deberet prouidere.

748 Colligitur secundò quòd uotum initum ex metu, uel occasione naufragij, uel alterius causa, etiam si sine plena omnino deliberatione non est ex hoc præcisè dispensabile, licet ex adiuncta difficultate & impedimento possit esse commutabile etiam in aliquid minus, vel etiam dispensabile. Et quòd esto votum fuerit ex metu leui iniustè incusso ad extorquendum uotum, non per hoc ex hac præcisa causa est dispensabile. Nec viget ratio *Sanchez d.disp.20.num.15. & d.c.45.num.32. & Palai.d.p.9.num.9.* quia cedit in honorem Dei, vt facilè remittat obligationem, cui iniquitas causam dedit. Tum quia nec iniquitas causam dedit sufficientem, cum metus leuis fuerit. Tum quia obligatio illa sacra, ex occasione non mutat naturam, & exigentiam, & ideo non nisi religiosè, & ex causa religiosa est relaxanda, quæ causa non sumi potest ex occasione voti, cum votum illa occasione non obstante contineat veram religiosam obligationem cui sine impedimento potest satisfieri occasio autem uouendi à uoto extrinseca est.

749 Colligitur tertiò idem dicendum de dolo, qui tamen talis non est, ut uotum reddat irritum, seu etiam de errore circa causam impulsiuam voti, seu etiam si causa cessauit. Nam hæc regula inconcussa est seruanda, quòd vbi votum tenet, solus defectus voluntarij secundùm quid non dat causam sufficientem ad dispensandum in voto; sed si adiungitur difficultas & obstaculum, pro eius qualitate consurget causa vel commutandi etiam in minus, vel dispensandi.

750 Sed vbi sit dubium de sufficientia uoluntarij, seu de intentione uouendi, & se obligandi, quia tunc est dubia & incerta existentia voti, licet non sit tale dubium, quod reddat nullam uoti obligationem sine dispensatione, tamen illud votum sic dubium est dispensabile. Est enim opus dispensatione quando votum est certum, & dubius est animus se obligandi, uel oritur dubium an votum obliget ratione debitæ materiæ, aut finis, aut alicuius circumstantiæ occurrentis. Huiusmodi verò dubia esse iustam causam dispẽsandi tradit *Sanchez d.disp.20.num.11. & d.cap.45.num.39. Palaus d.p.9. num.11.* quia decet Deum esse facilem ad remittendas huiusmodi obligationes dubias. Certè *D.Th. supra q.89.a.9.ad tertium* admittit, quòd vbi dubiũ sit an materia sit licita, vel illicita possit dispensare. Hoc tamen intelligi debet de dubio negatiuo; Nam aliàs vbi omnibus pensatis simpliciter sit probabilius uotum obligare, non habebit ex ratione

dubij

dubij locum dispensatio saltem sine commutatione proportionata voto & securitati illius, licet aliqualiter dubia. Pariter considerandum est, quòd aliud est, quòd votum ex ratione dubij sit dispensabile, aliud est quòd sola ratio dubij præbeat iustam causam dispensandi. Primum est verum. Sed secundum non est simpliciter admittendum. Quia licet dubietas possit præbere causam aliquam ad commutandum in minus, non tamen erit sufficiens causa ad simpliciter dispensandum, nisi adsit alia causa. Quia in voto sic dubio aliquid iuris est diuini de facto, & certo, quod sine iusta causa non potest relaxari.

751 Secundò igitur ex parte materiæ voti sumi potest causa dispensandi, ex difficultate & impedimento illi coniuncto. Et quidem primò si spectata communi hominum fragilitate, & spirituali dispositione vouentis votum est occasio ruinæ. Quia tunc votum iam non est in salutem sed in perniciem & ad Dei honorem conducit, & vouentis vtilitatem huiusmodi dispensatio. Ideo dispensari poterit in voto nunquam peccandi mortaliter & in voto non petendi debitum in coniugatis, ob periculum trãsgressionis, quod communiter adest. Quamuis verò hoc limitent. *Soto l.1. de iust. quæst.7. a.3. §. & si percontaris. & l.7. quæst.4. a.3. §. vtrum verò, & Ledesma 2.p.tr.10.c.8. 4. p. concl.1.* dicentes hoc verificari, quando periculum hoc peccandi ortum non habeat ex malitia vouentis, quia nulli malitia propria patrocinari debet. Quod explicat *Martinez de Prado cap.31. quæst.14. num 113.* vt verum sit, quando malitia actualiter se habet, quia consuetudo mala non est ita radicata, vt non possit facile vinci. Tamen id quod attendi debet est status vouentis siue ex malitia eius, siue aliunde proueniens, & qui si est talis, quòd de facto votum non est nisi occasio peccandi, & est inutile, votum est dispensabile. *Suarez l.6. de voto c.17. nu.9. Sanchez d. disp.40. num.17. & d. cap.45. num.40. Layman l.4. tr.4.c.8. num.5. Palaus d.p.9.n.52. Monet tamen Sanchez* causam hanc ex statu petitam non semper (& dici potest forte nunquam) sufficere ad dispensandum in voto totaliter, vt si coniugatus habeat votum castitatis, sufficiet si cum eo dispensetur, vt possit petere debitum, non verò erit bonum dispensare, vt etiam si fornicetur non faciat contra votum.

752 Secundò magna difficultas implendi votum, cui sit annexum magnum & euidens periculum illud sæpius violandi. Si enim adsit difficultas sine violationis periculo, hæc non sufficit, si verò adsit periculum sed peccandi semel, vel altera vice, nec sufficit, quia immò tunc votum iuuat, vt detineat à frequentia peccandi. Sed talis difficultas, quæ considerata qualitate subiecti, habet adiunctũ vehemens periculum sæpius violandi votum, & frequentiùs potest esse causa iusta ad dispensandum in voto. Recta enim ratio dictat, vt in Ecclesia Prælati sint, qui huiusmodi fragilitatis humanæ infirmitatibus possint mederi. Sic enim *Alex.3 cap. veniens, qui clerici vel vou.* dispensauit cum quadam muliere quæ castitatem vouerat, ex periculo incontinentiæ: & ita quòd huiusmodi periculum sit causa sufficiens dispensandi dixerunt *Sotus d. l. p. q.7. a.3. & l.3. q.4. a.3. & Martinez loco supr. citato. num.510. Sanchez d. disp.20. num.18. & 22. Suarez l.6 de voto c.17. num.12. Palaus d.p.9. num.13.* Et hoc eò magis est verum, quò difficultas & periculum non fuerit bene præuisum, & ponderatum à vouente.

753 Tertiò si causa boni communis id exposcat, votum dispensari potest; vt si ad sedandos animos discordes, & reddendam pacem alicui Prouinciæ aut Ciuitati sit necessarium matrimonium, poterit dispensari cum habente votum castitatis vt matrimonium ineat. Et idem de vouente ieiunium quod publicam lectionem aut concionem valde communitati vtilem impediat. *Suarez nu.13. Sanchez num.24. & d.cap.45. num.49. Layman l.4. tr.4. c.8. num 5. Palaus num.55. Martinez vbi supra numer.116.*

754 Quartò si votum cedat in damnũ domus, & familiæ, vt si quis vouet peregrinationem, & ex eius absentia eius familiæ graue imminet damnum, poterit dispensari, quia & prouidere familiæ pertinet ad pietatem, & grauis esset obligatio, si cum hac iactura conseruanda esset. *Nauar. c.12. nu.77. Suarez num.13. Sanchez vbi supra Palaus n.16. Martinez num.114.* Vnde est, quòd ad conseruandam illustrem familiam poterit votum Religionis, vel Castitatis dispensari admixta commutatione. *Sanchez d.disp.20. num.35. & d.cap.45. num.51. Palaus num.16.*

755 Quintò si votum sit impeditiuum maioris boni, vbi enim etiam sub probabili dubio ex voto timeatur impedimentum maioris boni, præstat tollere de medio votum, ne honor diuinus incertus sit, & vt conscientia vouentis sit secura. *D.Thom. supra quæst.88. a.10. & a.12. ad secundum & ibid. Caiet. & v. votum cap. vlt. §. rationabilis causa. Syluest. v. votum 4. q.3. d.1. & q.6. & 7. Sot. l.7. de iust. q.4. a.1. Nauar. c.12. num.76.* quod strictè accipiunt *Palud.4. d.38. q.4. a.5. concl.3. & D. Ant. p.2. tit.11. c.2. §.9.* dicentes, non sufficere vt æquè bonum impediatur, sed opus esse vt impediatur maius bonum. Cum verò hoc possit intelligi quando est certum impediri maius bonum, & quando hoc est dubium; quia quando id est certum non est necessaria dispensatio, sed votum manifestè non obligat, intelligitur doctrina data quando adest dubium, & timetur maioris boni impedimentum, vt se explicat *D.Thom. supra quæst.89. a.9. ad secundum Syluest. v. iuramentum 5. q.1. d.1. Nauar. cap.12. n.76. Sanchez d. disp.20. num.8. & d. c.45. num.36. & 37. Suarez d.cap.17. num.10. Palaus d. p.9. num.14.* vbi ex *Sanchez num.37.* aduertit, maius hoc malum debere mensurari non spectata materia voti secundùm se, sed vt est sub voto, nimirum si quis vouit ieiunium, non debet considerare solam bonitatem ieiunij secundùm se, sed vt est promissum per votum, & est actus religiosus, vt sic videatur postea an sit melius ieiunare seruando votum, quàm facere id, ad quod votum præstat impedimentum.

756 Est verò aduertendum cum *Martinez de Prado d.cap.31. q.14. num.122.* quòd per se & ex genere loquendo maior causa requiritur ad dispensandum in voto, quàm in lege positiua, cum obligatio voti sit legis diuinæ, vt admonet *Nauar. c.12. num.57.* Quamuis aliàs etiam verum sit, quòd habet *Sotus d.a.3. §. Hic autem*, quòd scilicet potest esse aliqua lex, quam perniciosius sit dispensare quàm aliquod votum priuatum, & econtra potest esse

votum, cuius relaxatio maius sit religionis offendiculum.

757 An autem ad dispensandum sufficiat causa dubia, quando obligatio voti est certa? Respondetur, quod si ad solas causas certas reduceretur facultas dispensandi, in magno periculo essent superiores. Ideo, quòd ad dispensandum sufficiat causa probabilis, aut dubia dixerunt *Sylvestr. v. dispensatio quaest.14. Palacios 4.d.38. disp.3. Sanchez d.cap.45.num.10. Palaus d.p.9.num.17.* & vt dictum est *D.Thom.supra quaest.89.a.9. ad secundum* concedit facultatem Episcopo dispensandi vbi sit dubium an materia sit iusta, vel iniusta.

758 Verùm circa prædicta omnia aduertendū est, quòd licet vbi sit adæquata causa & totalis, & legitima dispensandi nullum sit peccatum totaliter relaxare obligationem voti dispensando sine aliqua commutatione, aut impositione nouæ obligationis, vt docent *Caiet.supra q.88.a.12. dub.2. Nauar.c.12.num.63. Suarez l.6.de voto c.17.nu.18.& 21. Sanchez l.4.mor.c.46.n.2. Raphael d.q.88.a.12.disp.4. num.6.* quia Prælati habent potestatem dispensandi independenter à potestate commutandi, & sic existente legitima causa sunt fideles dispensatores dū dispensant etiam sine commutatione.

759 Rarissimum nihilominus est adesse causam adæquatam dispensandi, & ideo vt patet ex *cap.2.& cap.magnæ de voto*, Sedes Apostolica non consueuit dispensare sine commutatione. Ideo quoque rarissimum erit, quòd aliqua ex causis supra enumeratis sit sufficiens ad dispensandum sine aliqua commutatione, vt aduertunt *Palaus num.17. Martinez de Prado num.123.* & præcipuè in votis grauibus, & perpetuis: quia quò votum est grauius eò requirit maiorem causam, ad sui relaxationem. *Suarez num.14. Sanchez d.disp.20.num.28.& d.c.45. num.19.& 52. Layman d.num.5. Palaus d.num.17.* Nunquam etiam dispensandum est, nisi constet causam adesse, licet dubium speculatiuum forsan sit de eius sufficientia.

760 An verò superior teneatur existente causa legitima dispensare? Dicendum est aliquando teneri, si omnibus pensatis id iudicetur bono communi, vel etiam speciali ipsius vouentis grauiter expedire. *Palaus d.num.17.*

SVMMARIVM.

1 *In voti commutatione extinguitur voti prior obligatio. nu.761.*
2 *Etiam si materia subrogata fiat impossibilis. numer.762.*
3 *Periculum huius impossibilitatis considerandum à commutante.nu.762.*
4 *Eiectus manet solutus à votis per professionem extinctis.nu.763.*
5 *Quod est verum etiam de voto ingrediendi aliam Religionem.nu.763.*
6 *Redeunte obligatione prioris voti cessat obligatio respectu materiæ subrogatæ.nu.764.*
7 *Quando incipiat obligatio ad materiam subrogatam? nu.765.*
8 *An propria auctoritate liceat redire ad priorem materiam alij negant, alij affirmant, num.766. & 767.*
9 *Opinionis affirmantis ampliatio & variæ limitationes.nu.768.769.770.& 771.*
10 *Non licet propria auctoritate redire ad priorem materiam si commutatio facta fuit in æquale, vel in melius. nu.772.*
11 *Commutatio non est conditionata conditione reditus ad prius votum.nu.773.*

761 DVbitatur vndecimò. An per commutationem voti extinguatur prioris materiæ obligatio, ita quòd ad eam non sit reditus? Extingui priorem obligationem respectu materiæ prioris, & manere obligationem solùm circa materiam subrogatam, cum *D. Thom.4.d.38.q.1.a.4. qu.3. & Caiet. sup.quaest.88.a.10.* docent communiter DD.

762 Quod ampliatur, vt sit verum, etiam si materia subrogata postea fiat impossibilis, seu inutilis; & siue commutatio facta fuerit in melius, vel in æquale, vel in minus. Quia semel extinctum non reuiuiscit; igitur prioris materiæ obligatio penitus extincta non reuiuiscit, ex eo quòd subrogata fiat inutilis, seu impossibilis. Nec censendum est commutantem commutare sub conditione, aliter commutando grauaret vouentem, dum illi fauere intendit; quia obligaret illum ad materiam subrogatam, & relinqueret obligatū ad priorem materiam. Et ideo hanc partem tenent *Sayr. in Claui Reg.l.6.c.12.num.24. Suarez l.6.cap.20. n.9. Sanchez l.8.de matrim.disp.9. num.21. & l.4. moral. cap.55.num.15. Layman l.4.tr.4.cap.8.nu.18. Palaus tract.15.disp.2.par.18.nu.2. Martinez de Prado c.31. q.15.nu.100. Moran resp.98. num.502.* Credo tamen quòd commutans considerare debeat periculum, quod possit adesse, vt materia subrogata fiat impossibilis. Quia hoc periculum multum diminuere potest æqualitatem valoris materiæ.

763 Et hoc ampliatur vt verum sit etiam de commutatione, quæ fit per votum professionis, quidquid in contrarium dixerint *Vivald. & Graff.* apud *Palaum num.3.* Vnde expulsus à Religione manet solutus à votis, quæ ex vi professionis fuerunt extincta. Nobilior enim, ideoque efficacior est hæc commutatio omnibus aliis quæ fiant. *Sanchez d.disp.3.num.2.& d.cap.55.num.16. Suarez l.6. de voto cap.20.num.11. Layman d.cap.8.num.29.* Neque ab hac efficacia excludendum est votum Religionis assumendæ siue in genere, siue in specie, vel votum perseuerandi; hæc enim, & alia similia vota, ex quo ex vi professionis religiosæ in dedicationem illam perpetuam, & sacrum sui holocaustum fuerunt commutata, non ampliùs reuiuiscunt. *Sanchez num.48. Sayrus, & Palaus vbi sup.* Qui *Palaus*, nec etiam admittit exceptionem *Lessij*, & *Sanchez*, excipientium votum, quo quis vouisset se ingressurum aliam Religionem in casu in quo eiectus fuisset ab ea, in qua professionem emisit, & hoc ex eo quòd executio huius voti non concurrat cum professione, sed potius assumatur sub conditione cassationis illius. Sed hic attendi debet, quòd ratio quare in professione cessent alia vota, non est incompossibilitas executionis eorum cum voto professionis, vt patet de voto ieiunij, & orationis, sed quia illud votum eminentiùs alia continet, & est altissima quædam, & supereminens aliorum commutatio, per quam aliorum votorum cessat

sat

sat obligatio. Vnde & cessat obligatio illius voti, per quod quis promisit se ingressurum aliam religionem, si contingat eijci ab ea in quam professus fuit. Valet quidem illud votum, si ante professionem eijciatur, quia per professionem tunc non fuit extinctum. Sed post professionem eiectus tenetur ad redeundum in religionem, quam fuit professus si redire sit concessum, nec ad aliam ingrediendam ex vi voti extincti per professionem obligatur.

764 Econtra tamen redeunte obligatione prioris voti, seu respectu materiæ promissæ, cessat respectu materiæ subrogatæ. Hoc tamen limitat *Sanchez l.4. cap. 55. num.28.* vt non sit verum in votis Religionis, & castitatis. Vt si contingat cum aliquo dispensari in voto religionis, aut castitatis ad effectum ineundi matrimonium, subrogando aliquas orationes, & confessionem menstruam, & alia pia opera quotidie præstanda, si contingat matrimonium dissolui per mortem coniugis redit obligatio prior religionis, aut castitatis, & nihilominùs putat Sanchez, quòd remaneat obligatio confessionis menstruæ, & aliorum piorum operum quotidie soluendorum. Hoc tamen negat *Palaus tract.15. disp.2.par.18. numer. 5.* Quia ex quo intrat obligatio ad materiam commutatam, cessat de iure obligatio ad subrogatam, nec in illis duobus votis adest ratio specialis, ob quam redeunte prioris voti obligatione duret adhuc obligatio ad materiam subrogatam.

765 Quando autem in consimili dispensatione, & commutatione, in qua ad effectum matrimonij dispensatur in voto religionis, aut castitatis, incipiat obligatio ad materiam subrogatam, idem *Sanchez num.22.* putat quòd Incipiat ab hora commutationis voti, etiam si ab illa ad initum matrimonium multum tempus intercedat; quia ab illa hora votum est illi commutatum, & ille manet liber à prioris voti obligatione, vt quandocumque voluerit matrimonium ineat, addit verò num.23. quòd Confessarius potest differre commutationem, vt non valeat, neque obliget nisi pro tempore in quo vouens initurus est matrimonium, non deobligando ex tunc à vinculo prioris voti, sed commutando ab eo tempore, quo vouens est contrauenturus voto. Sicut & vouens potest expectare, vt præsentet literas in quibus conceditur facultas dispensationis, vsque ad illud tempus in quo initurus est matrimonium. Quando tamen in voto religionis vrgeret tempus implendi votum, non posset commutatio differri, sed vel tunc deberet impleri votum, vel voti commutatio dari, & acceptari.

766 An verò vouens propria authoritate possit relicta materia in commutatione subrogata redire ad prius votum, vt si votum ieiunij sit commutatum in eleemosynam, possit vouens relicta eleemosyna redire ad ieiunij promissi obseruantiam? Tres casus distinguuntur. Nam vel votum fuit simul dispensatum, & commutatum in minus; vel fuit commutatum in æquale, vel in melius. In primo casu, in quo votum fuit commutatum in minus pro comperto habetur, quòd liceat vouenti redire ad melius, & prius votum exequi. Sed in alijs duobus casibus difficultas esse potest. quia cum propria authoritate non liceat commutare votum in æquale, vel in minus & iam obligatio circa priorem materiam commutatam cessauerit, & votum obliget ad materiam subrogatam, si liceret vouenti redire ad prius votum iam extinctum, iam ipse propria authoritate commutaret votum in æquale vel in minus, quod non licet. Et ideo *Suarez lib.6. de voto cap.20. num.1. & 4. Raphael à Turre supra q.88.a.12.disp.5.num.12. Filliuc. tom.2. tr.26.cap.10. num.288. Reginal. tom.2. l.10.capit.1. num.362.* putant quòd non liceat redire ad prius votum, si illud fuit commutatum in melius, & n.3. existimat probabile esse, quòd nec liceat redire, vbi votum fuit commutatum in æquale.

767 Sed alij considerantes quòd commutatio voti directè fit ad fauorem vouentis, & quòd licet commutetur in melius, hoc non fit directè, & per se ad augendum Dei cultum, sed ad commoditatem & fauorem vouentis, & vel quia votum commutatur propria authoritate, vel vt tollantur scrupuli commutantis & commutatio sit securior, & tutior, arbitrantur, quòd commutatio sit conditionata, & quòd sic maneat extincta prior obligatio ad materiam commutatam. quòd tamen subsit hæc conditio, nisi vouenti placeat ad eam redire, & eius obligationem subire. Et ideo dicunt, quòd vbi votum non sit commutatum in minus, sed in æquale, vel in melius, possit vouens relicta materia subrogata ad prioris voti obligationem venire. Et sic pro hac sententia referuntur. *Azor. p.1. l.11. c.18.q.10.& 12.Sayr. in Claui regia l.6.c.12. nu.22. Less.l.2.c.40.dub.11.num.97.* pro quanto dicunt absolutè, & nulla adhibita distinctione licere transitum de materia subrogata ad commutatam. Quod in terminis tenent *Sanchez d. cap.55. nu.26. Palaus d.p.18.num.10. Layman l.4.tr.4.c.8.nu.27. Diana p.3. p.2.trac.16.& 2.miscell.res.6.tr.5.res.25.* & apud eum *Malderus Bonac.de leg.disp.4.q.2.p.7.§.num.30. Martinez de Prado cap.31.q.15.num.105.* & apud eum *Malderus & Trullenc. Layman. l.4.tr.4.cap.8. nu.38. Sayr.in Clau.Reg.l.6.c.12. num.22. Pasqual. de Iubil. q.335.num.5.* & apud eum *Ludouicus à Cruce, Villalob.& Bossius. Moron.resp.98.num.501.*

768 Quòd ampliatur à *Sanchez num.28. & Palao num.11. ex Lessio d.cap.40.dub.16. nu.111. in secunda edit. Azor. & Sayro* & alijs citatis vt nedum semel, sed quoties vouenti libuerit liceat transirede materia subrogata ad commutatam, & hoc etiam si sæpius facta fuerit commutatio, vt v.g. si votum peregrinationis commutatum est in confessionem menstruam, & hoc in ieiunium hebdomadarium, & ieiunium in certas preces quotidianas, sit adhuc in potestate vouentis quam partem voluerit ex his amplecti, & vna relicta ad aliam redire.

769 Limitant tamen hoc *Sanchez d. num.26. & Palaus num.11.* & alij vt reditus ad materiam commutatam non liceat, si vouens in commutatione renunciauit huic fauori suo in commutatione incluso sed intendit, se prorsus obligare ad materiam subrogatam. Quod & aduertit *Suarez n.13.* Quod fieri non posse putat Palaus nisi vel emittendo de nouo prius votum, vel nouo voto commutationi renunciando.

770 Limitant secundò *Sanchez num.27. Diana. Martinez de Prado, num.108. Moron.nu.501.* & apud *Pasqual.q.339. Ludouicus à Cruce, & Molphes.* si in commutatione voti in melius commutatio facta est consultò in melius ad augendum Dei cultum, & ho-

& honorem, quia ea commutatio facta est per se in Dei honorem non in vouentis commodum. Quòd si sit dubium an commutatio in melius facta sit consultò in melius ad augendum Dei honorem, vel in vouentis fauorem, præsumendum ait esse factam hoc secundo modo, quia sic contingit communiter eam fieri. Sed limitationem non admittit *Pasq.d.q.336.* quia hæc intentio non importat nisi propositum maioris obsequij Dei, a quo recedere non est peccatum mortale. Ideo ex *Palao loc.citat. Martinez de Prado num.109.* ait limitationem non habere locum, nisi vouens nouo voto ad materiam commutatam se obliget, eò quia ad eam obligationem inducendam non sufficiat propositum simplex.

771 An verò postquam vouens rediit simul ad materiam commutatam nolens vti commutatione, possit iterum commutatione vti & redire ad materiam subrogatam *Sanchez num.29.* distinguit nam si votum fuit commutatum in minus, postquam vouens rediit ad prius votum, non potest iterum redire ad materiam subrogatam, quia commutaret in minus & ita docet etiam Suarez. si etiam votum sit commutatum in euidenter æquale, non licebit reditus ad materiam subrogatam, quia nec licet commutatio voti in æquale, si fiat propria authoritate, & idem tradit Suarez. sed si commutatio facta sit in melius, licebit à materia commutata redire ad subrogatam nisi votum sit ex reseruatis Pontifici, quia in alijs votis liceat propria authoritate votum in melius commutare. Verùm *Palaus d.num.11.* existimans quòd hæc renunciatio commutationis alia via præstari non possit, nisi per nouum votum, quia scilicet vel de nouo emittatur prius votum, vel per nouum votum renuncietur sui commutationis, existimat absolutè, quòd vbi votum commutatum est in æquale, vel in melius, nisi per votum renuncietur huic fauori, liberum sit vouenti a subrogata materia redire ad commutatam, & à commutata ad subrogatam, & sic sit ei liberum in quacumque materia implere votum. Non tamen hæc sententia dixit, quid agendum esset in voto pœnali & maximè si sit de materia reseruata, vt v. g. si quis vouit non ludere, & si luserit vouit religionem, an si vouens velit redire ad prius votum de non ludendo, teneatur etiam si luserit ad religionem. Quod tamen in ea sententia esset explicandum.

772 Ego in hac parte considero, quòd huius secundæ opinionis communioris rationes infirmæ sunt. Quod enim dicitur, quòd vnusquisque potest renunciare suo priuilegio, minimè applicatur, quia illud principium non valet in contractibus, & obligationibus ad alterum, in quibus mutuus consensus requiritur ad earum dissolutionem. Nec qui emit ad sui vtilitatem equum potest ad sui libitum pretium recuperare; commutatio verò votorum est contractus in quo vouens se obligat Deo ad materiam subrogatam. Vnde nec valet aliud principium. Quia nimirum, quod in fauorem alicuius est concessum non est in eius præiudicium retorquendum. Quia nullum est præiudicium vouentis quòd non possit retrocedere ab eo ad quod se obligauit. Et in contractibus regulæ huiusmodi non habent locum, in quibus ad mutationem obligationis mutuus partium consensus est necessarius, etiam si contractus in gratiam vnius contrahentium sit initus. Quod verò dicitur, quòd appellanti licitum est appellationem deserere, extra rem est. Quia appellans nulli se obligat, & ideo potest quod sibi bene visum fuerit agere, & vel persistere, vel recedere ab appellatione. Maiorem vim habere videretur, quòd ex quo commutatio fit in fauorem vouentis, censeatur facta sub conditione vt illi liceat transitus ad priorem materiam, si hoc probaretur. Nam in contractibus & permutationibus humanis oppositum experimur, vnde hæc consequentia non valet, permutatio v. g. equi in mulum facta est ad fauorem Petri, ergo facta est sub conditione quòd Petrus si velit possit mulum repetere pro libito. Et quòd Deus sit benignissimus, cum negari non possit, bene sequitur quòd rationabiliter annuat votis nostris, sed de hoc nobis constare non potest, nisi accedente dispositione ministrorum Dei, quibus ipse horum administrationem commisit. Et sic semper procedit argumentum hoc. Regressus iste non est licitus nisi de speciali Dei consensu; igitur nisi accedat superioris & ministri Dei authoritas, quia Deus suo ministro commisit in his suo nomine consentire. Præterea permutatio voti sine dubio est votum, quia obligatio ad materiam subrogatam est obligatio voti, quæ non in alio fundatur nisi quia vouens Deo promittit materiam subrogatam loco prioris; igitur nequit huius voti commutatio haberi sine ministri Dei consensu. Quod eò magis verum apparet, quòd obligatio ad priorem materiam tota extinguitur, & vouens se habet ad illam ac si eam non vouisset. Dicendum propterea est, quòd vouenti non licet propria authoritate regressus ad prius votum, quando commutatio facta est in melius, vel in æquale.

SVMMARIVM.

1 *Regulares ex vi cuius priuilegij possint commutare vota extra sacramentum pœnitentiæ. nu.773. & seq. vsque ad 777.*

2 *Priuilegium Eugen. IV, pro Monachis S. Benedicti nu.774.*

3 *Hoc priuilegium valde restrictum, & forsan non est in vsu.nu.775.*

4 *Priuilegium Pauli Tertij pro Societate non dat facultatem cõmutandi vota extra Confessionem. num.776.*

5 *Hoc habetur ex priuilegijs Eugen.IV.pro Benedictinis Cassin.& Cistercien.nu.777.*

6 *Confessores debent esse approbati ab Episcopis ad Confessiones ad hoc, vt possint vota commutare. num.778.*

773 DVbitatur duodecimò, an Regulares possint dispensare, vel commutare vota extra sacramenta pœnitentiæ. Affirmant *Sanchez Martinez de Prado. cap.31. q.15. num.68.* & apud eum *Gallego*, *Lezana v. votum num.24. lib.4. mor. cap.54.num.16. Layman l.4.tr.6.c.16.num.31. Tambur.de iure Abbat.tom.2.disp.19.q.2.n.5. Diana p.3. trac.2.resol.9. Pasqualig.de Iubil.q.215. n.12. & apud eum Bariola, & Gobat Villalobos tom.2.trac.34.dif.* Ratio horum est, quia priuilegia non sunt restringenda, sed amplianda potiùs, nisi aliud obstet. Hic verò licet obstare videatur, quia licet in priui-

legio

legio Pauli Tertij pro Societate adsit clausula *confessionibus diligenter auditis*, clausula verò in aliqua dispositione posita siue in principio, siue in medio, siue in fine ponatur, refertur ad totum contentum in dispositione. Tamen aduertendum est, quòd hoc est verum vbi militat eadem ratio, prout dixerunt *Decius, & Menoch. l. 4. præsumpt. 182 num. 2.* Modò hic non militat eadem ratio, quia absolutio supponit confessionem, quam non supponit dispensatio, vel commutatio. Hinc colligunt, *Sanchez num. 17. Diana loco cit.* non esse necessarium, quòd confessor dispensans, aut commutans sit confessor vouentis, quia priuilegia solùm petunt confessorem. Et addunt Villalobos, & Diana, Confessores omnium illorum posse commutare vota, quorum confessiones possunt audire. Sed ampliùs pergit *Cespedes dub. 309.* & ait, nec esse necessarium Confessorem esse approbatum ab ordinario, quia priuilegium Pauli tertij non requirit nisi Confessarium approbatum à Prælatis Ordinis, approbatio autem ordinarij est necessaria pro audiendis confessionibus vota autem possunt commutari à Confessario extra confessionem. Et sic *Cespedes nu. 5. ex Pertel. v. Confessor num. 23.* addit, quòd Regulares absque approbatione ordinarij possunt in votis dispensare. Contrarium tamen tenet *Bordon. resol. 5. q. 14.* Et communiter alij dicunt, Confessarium approbatum ab ordinario posse in huiusmodi votis dispensare, aut ea commutare. Addit verò Bordon. Confessarium approbatum pro viris posse commutare vota mulierum. Oppositum verò, quòd scilicet non possint Confessarij Regulares extra sacramentum pœnitentiæ commutare vota, vel in eis dispensare, tenuit *Peregrin. in scholiis ad Priuileg. Theat. v. commutatio §. 3. ex Sorbo v. votum.*

774 Sed quàmuis priuilegia non sint restringenda sine necessitate, neque tamen vim faciendo Papæ literis sunt amplianda. At verò videri potest quòd hæc facultas dispensandi, vel commutandi vota extra Confessionem non potest dici competere Regularibus nisi vim faciendo literis Papæ, & contra tenorem illarum sensum earumdem extendendo. Et quidem quantùm ad dispensationem, quam ex priuilegio solo concesso ab Eugenio IV. Monachis S. Benedicti expresse & cum fundamento colligimus videtur quòd sine vi possit intelligi in sensu prioris opinionis; Nam hic est illius priuilegij tenor, apud Rodriq. in Bulla 25. dicti Pont. *Vt Prior siue Præsidens dicti Monasterij pro tempore existens, vel tres, vel quatuor idonei presbyteri monachi per prædictum Priorem, siue Præsidentem ad hoc pro tempere deputandi, & ad ipsius Prioris, siue Præsidentis nutum reuocandi, quorumcumque vtriusque sexus fidelium ad dictum monasterium, seu ipsius Ecclesiam, aut in ipsis quacumque ex causa pro tempore confluentium, commorantium, siue existentium cuiuscumque gradus existant, confessiones diligenter audire, nec non ipsos à quibuscumque peccatis &c. absoluere, nec non ab omnibus, & singulis Ecclesiasticis censuris, & etiam absoluere, ac eos habilitare in prædictis casibus, pœnitentiasque eis salutares iniungere, Eucharistiæ sacramentum conferre, ac cum eis, & eorum quolibet dispensare super votis etiam Episcopo reseruatis, & ea commutare in alia pietatis opera toties, quoties deuotioni eorum videbitur expedire.* Licet verò alicui videri possit, quòd illud pronomen eis, vel *eorum qualibet*, secundum planum sensum referat illos, quorum illi monachi confessiores audierunt confessiones. Propter hoc enim hæc facultas datur presbyteris Confessarijs, & eis datur priùs facultas audiendi confessiones, & pœnitentes absoluendi etiam à censuris, vt intelligatur facultas data Confessoribus & intuitu confessionis, nihilominùs hic sensus non conuincit, quia relatiuum *eis*, aut *eorum* potest referri non ad eos, quorum confessiones auditæ fuerunt, sed ad eos, qui ad Ecclesiam & monasterium illud conueniunt, pro quibus Pontifex concedit vt Prior & monachi illi possint eorum confessiones audire, & eos absoluere à peccatis, & censuris, & eorum vota commutare. Nec *audire confessiones* ponitur ibi vt conditio ad subsequentia requisita, sed simpliciter ennumeratur tanquam vnum ex concessis. Nec obstat quòd ponatur *priùs*, quia ponitur eò quòd est principalius, cum in eo consistat prima iustificatio, non tamen in eo textu aliquid ponitur ex quo colligi possit, quòd sit positum *priùs* audire confessiones & absoluere ex eo quòd sit quid necessariò alijs omnibus præmittendum, & sub cuius conditione alia fuerint concessa. Nullam ergo inferendo vim textui intelligitur concessa facultas dispensandi in votis, vel ea commutandi absolutè, etiam extra sacramentum pœnitentiæ.

775 Verùm, vt supra etiam dictum fuit, hoc priuilegium est valde restrictum, cum non fuerit concessum eis nisi sub conditione quamdiu fuerint in obseruantia Regulari, & non omnibus, sed Præsidenti & tribus alijs, vel quatuor, & non simpliciter, sed ad id deputatis per Præsidentem, & non vbique, sed solùm intra monasterium seu Ecclesiam, vnde nec ex vi communicationis pro quanto hoc priuilegium sit communicabile Religiosi viuentes in Religionib. in quibus Regularis obseruantia est relaxata, nec Confessarij plures quàm quatuor in qualibet domo, nec ex istis, nisi illi qui sint deputati, nec extra monasteria possunt hac facultate vti. Et tamen nec est in vsu forsan quòd deputentur specialiter huiusmodi Confessarij tres aut quatuor à Præsidentibus ad vota commutanda vel dispensanda, vnde nec habet locum priuilegij vsus.

776 Priuilegium autem Pauli Tertij pro societate nullam dat dispensandi facultatem, & quantùm ad commutationem est conditionatum conditione auditæ confessionis. In terminis enim valde differentibus loquitur Paulus tertius, quàm loquutus fuerit Eugenius: sic enim ipse loquitur. *Nec non illis ex vobis, qui presbyteri fuerint quorumcumque vtriusque sexus Christi fidelium ad vos vndequaque accedentium confessiones audiendi, & confessionibus diligenter auditis ipsos, & eorum singulos ab omnibus, & singulis eorum peccatis &c. absoluendi, ac eis pro commissis salutarem pœnitentiam iniungendi, nec non vota quæcumque per eos pro tempore emissa, &c. in alia pietatis opera commutandi*, clausula enim illa, *& confessionibus diligenter auditis*, conditionem importat sub qua inferiora conceduntur & relatiuū illud *per eos* refert illos quorum confessiones auditæ fuerunt, & sub cuius auditionis confessione facultas commutandi est concessa; illud enim pronomen *eos*, refertur ad illud aliud pronomen *ipsos*, *& eorum singulos*, scilicet *ipsos*, quorum confessiones auditæ fuerunt. Quod verò dicitur, quòd clau-

lula

sula siue in medio, siue in principio siue in fine posita non refertur ad omnis contenta in dispositione nisi omnium eadem sit ratio, hoc admisso considerari debet, quòd comparatio eorum quæ in dispositione continentur non debet fieri inter ipsa secundùm se sumpta, quia cum secundùm se sint diuersa, sorum numquam esset eadem ratio, sed ea debent comparari vt stant sub fine Principis disponentis. Licet verò absolutio & commutatio votorum differant, hic tamen ex eodem motiuo, & fine à Pontifice iunguntur qui est vt quieti conscientiarum consuli possit, & prouideri, & per votorum commutationem tolli eā impedimēta quæ per vota emissa sæpe accidunt, & inquietant conscientias: & vt pœnitentes faciliùs ad præcauendo peccata disponantur, & tranquilliùs Deo seruiune. Cum ergo in eo priuilegio nullum sit verbum ex quo colligi possit, quòd Pontifex concedat absolutè facultatem commutandi vota, aliás verò tenor verborum conditionatus sit, ea conditione & confessionibus diligenter auditis quantum sit ex vi dicti priuilegij dicitur, quòd non est concessa facultas commutandi vota nisi in foro pœnitentiali, & confessionibus diligenter auditis.

777 Verùm à communiori sententia puto non esse recedendum, propter priuilegium Eugenij IV. pro monachis S. Iustinæ. Ord. S. Benedicti, supra nu. 598. relatum, & per priuilegium eiusdem Eugenij IV. pro Monachis Cisterciensibus B. Mariæ in Monte Syon Voletanæ diœcesis, quod etiam habetur supra num. . In illis enim audire pœnitentes non ponitur per modum conditionis, sed absolutè conceduntur facultates audiendi confessiones & commutandi vota, & ideo absolutè possunt Confessarij Regulares huiusmodi vota commutare etiā extra Sacramentum Pœnitentiæ.

778 An verò hi Confessarij debeant esse approbati ab Episcopo ad audiendas Confessiones licet prima facie in rigore iuris dicendū esset, non adesse hanc necessitatem, Quia ex vi Concilij, & Constitutionum Pōtificum approbatio est necessaria pro audiendis Confessionibus secularium. Quòd si vota possunt commutari sine eo, quòd audiantur Confessiones & aliás priuilegium commutandi est concessum Confessarijs deputatis à Prælatis Regularibus ad Confessiones, non est necessitas ad hoc approbationis Episcopi. Et bene Celpedes arguit inconsequentiæ Bordonum, qui ex vna parte vult esse necessariam approbationem Episcoporum & ex alia concedit quòd non approbatus pro fœminis possit earum vota commutare. Nihilominùs dicendum est, nunc approbationem Episcopi esse necessariam per accidens. Priuilegia enim non concedunt facultatem commutandi vota nisi Confessarijs deputatis ad audiendas Confessiones secularium, & quidem non deputatione inutili, sed illis, qui validè possint id præstare. Et quia modò soli Confessarij approbati ab ordinarijs sunt apti ad audiendas Confessiones secularium, ideo nunc soli isti possunt huiusmodi vota commutare. Et hic est vsus, & praxis, quæ est optima legis interpres.



SVMMARIVM.

1 *Confessores Regulares omnium ad se accedentium possunt commutare vota. nu. 779.*
2 *Non tamen absentium. nu. 780.*
3 *Quando possit in votis dispensari cum inuito? numer. 781.*
4 *Votum inuito vouente non commutatur. n. 781.*
5 *Nisi specialis lex obstet vouens alias habens facultatem ad vota potest secum dispensare. nu. 782.*
6 *Hoc tamen non licet Confessarijs Regularibus ex vi priuilegiorum. nu. 782.*

779 Dubitatur decimotertiò. Qui sint illi quorum vota possunt Confessarij Regulares commutare. Certum est, ex prænarratis priuilegijs, Confessarios istos omnium illorum posse commutare vota, quorum possunt audire confessiones, siue illi sint incolæ, siue forenses, & vndequaque accedentes. Quidquid in contrarium dixerit *Rodriqu. addit. ad bullam Cruciata* §. 9. 120. Neque ex quo regulares non possunt commutare nisi vota, quæ possunt commutare Episcopi, sequitur quòd eorum facultas sit restricta ad personas diœcesis; quia illa restrictio respicit vota; & excludit vota reseruata Papæ, circa quæ Regulares non habent potestatem, sed non respicit personas; nec illas restringit, sed priuilegia expressè concedunt Regularibus facultatem commutandi vota omnium ad se accedentium vt patet. *Sanchez l. 4. mor. c. 43. num. 15.*

780 Hoc verò extendunt aliqui etiam ad absentes; sed improbabiliter hoc dicitur, quia huiusmodi facultas datur pro accedentibus ad monasteria, vel Ecclesias, vel Confessarios, *ad vos vndecumque accedentium*, dicitur in priuilegio Pauli tertij pro societate, *In dictis Monasterijs, vel eorum Ecclesijs confiteri volentium, &c.* dicitur in priuilegio Cisterciensium, & sic in alijs etiam; vnde solùm eorum vota commutare possunt isti Confessores, qui ad eos personaliter accedunt.

781 Extendit hoc *Sanchez l. 4. mor. cap. 24. nu. 26. & 24.* etiam ad inuitos, quantùm ad dispensationem tamen, ita quòd superior dispensando possit inuiti votum relaxare. Non quòd hoc posse fieri regulariter, sed ex causa specialissima, si id exigat bonum commune. Vnde ex hoc potest conciliari hæc sententia cum apposita, quam tuetur *Suarez l. 6. de voto cap. 1. ad finem*. Quando enim dispensatio regulariter fit ad fauorem vouentis, eo inuito dispensatio non valebit, cum ille fauorem, & beneficium recipere nolit; sed vbi fiat fauore boni communis sicut votum irritari vonente inuito, sic & dispensari potest. Non tamen commutari, quia in commutatione vonēs liberè recipere debet obligationem ad materiam subrogatam. Si tamen dispensatus inuitè iterum voueret, votum esset validum, nisi superior prohibeat materiam illam voti, & sic vouens illam non possit vouere.

782 Ampliùs hoc extendit *Sanchez l. 4. de matrim. disp. 3. n. 8. & l. 4. moral, cap. 37. num. 45. & 46.* vt Regulares sicut cum alijs sic cum se ipsis possint dispensare vel commutare vota. Quia hoc facere est iurisdictionis voluntariæ, quam nec iure naturæ nec iure Ecclesiastico repugnat ea exercere in se ipsum,

ipsum, vt eadem persona duarum vices gerat. Licet oppositum teneant *Suarez l.6. de voto cap.42. num.4. Sayro in Claui Regia l.6. cap.12. num.207.* Sed certè cum ex hoc appareat, quòd non repugnat aliquem dispensare in lege cum se ipso, cum hoc Prælatis Regularibus conueniat, & expressè in Ord. Prædicatorum illis permittitur, & docet *D. Thom. supra q.185. a.8.* constat non repugnare aliquem in hoc duplicem personam gerere. Quamobrem vbi lex specialis non repugnet, tam Prælatus habens ordinariam iurisdictionem, quàm delegatus habens vniuersalem facultatem ad omnes illius communitatis cuius ipse est pars, non verò determinatam ad qualitatem, aut numerum certum personarum, ea facultate qua potest cum alijs potest secum dispensare, per rationes & DD, quos refert Sanchez citatus. Quia verò facultas concessa Confessarijs Regularibus ad dispensandum, vel commutandum vota est illis concessa pro alijs ad eos, vel eorum Ecclesias accedentibus; ideo illi cum se ipsis non possunt vti illa facultate. Et de illis vera est sententia Suarez.

SVMMARIVM.

1 *Quando & sub qua culpa Confessor teneatur in votis dispensare, aut vota commutare. n.783.*

783 DVbitatur decimoquartò. An Regulares teneantur cum adest iusta causa dispensare, vel commutare vota pœnitentium? Dispensare, vel commutare est gratia, quæ per se loquendo etiam si possit iustè fieri non est debita, nisi alia ratio accedat, quæ obligationem ferat. Sicut euenit virtute Bullæ, aut Iubilæi: cum enim huiusmodi facultas per Bullam, & Iubilæum detur in fauorem pœnitentium, iam illi ius habent, vt existente iusta causa secum dispensetur, nec est in potestate Confessarij delegati negare dispensationem, aut commutationem votorum. *Sanchez l.4. mor. c.54. num.12.* & apud eum *Arragon. Suarez, & Sayrus*, Nisi pro quanto in ordine ad exercitium actus, cum non teneatur Confessarius ex officio ad id nō obligatus audire Confessionem, vel vti exercitè sua potestate, ex consequenti etiam sic possit non dispensare, & non commutare nolendo pœnitentem audire, & se in negotio ingerere. Quod verò *Martinez de Prado cap.31. q.15. num.82.* existimet hoc non peccare contra iustitiam, & mortaliter, sed solùm contra charitatem venialiter, hancque esse mentem DD. habet difficultatem. Tum quia qui habent Bullam habent ius ad priuilegia Bullæ, si sint capaces, & dispositi; ideo fit illis iniuria & iniustitia, si eis dispensatio, aut commutatio negatur supposita iusta causa. Tum quia si aliàs non adest iniustitia, nec aderit peccatum contra charitatem, nisi præter iustam causam, adsit specialis necessitas cui ex charitate sit subueniendum, & cui si sit grauis non erit veniale, sed mortale peccatum non subuenire. Sed loquendo de facultate, quam Confessarij Regulares habent, ex priuilegijs, per se loquendo, quia nullus cogitur inuitus vti priuilegio suo, ideo non tenentur Confessarij Regulares dispensare in votis, vel vota commutare. *Sanchez vbi sup. Bonac. de leg. disp.4. q.2. par.7. §.4. n.33. Diana p.p. tract.11. resol.44.* At verò econtra, quòd etiam Regulares teneantur commutare vel dispensare in votis existente iusta causa id faciendi voluerunt. *Trullench l.1. Bullæ §.7. cap.3. dub.14. num.1. Henriq. l.7. cap.28. num.2. Faustus l.4. quæst.55.* asserentes Confessarium peccare venialiter quos refert, & sequitur *Martinez de Prado cap.31. quæst.15. numer.81.* Sed mihi considerandum occurrit in his, quòd causa iusta ad dispensandum, vel commutandum potest esse multiplex, quia scilicet est præcisè talis, quæ facit vt dispensatio, vel commutatio sit licita, sed cum hoc relinquit exercitam dispensationem, aut commutationem obiectiuè indifferentem, ita quòd illam concedere sit gratia, & quid quod de se nec est determinatè malum, nec determinatè bonum necessarium, sed est bonum de consilio. Et in hoc casu nec Prælati Ordinarij, nec delegati ex priuilegio tenentur dispensare, aut cōmutare nec Confessarij denegantes dispensationem aut commutationem peccant vel etiam venialiter, quia nec ex lege charitatis tenentur ad actum, qui est liberalitatis: vel causa adeo est iusta, quòd spectato statu pœnitentis valde expedit vel bono communi, vel saluti pœnitentis vt dispensatio, aut commutatio non negetur, & tunc nequit negari nedum ex charitate sed ex officij fidelitate, & obligatione. Neque est verum sic absolutè & vniuersaliter, quòd sit liberum non vti priuilegio, quando priuilegium datum est pro vtilitate communi. Neque enim Pontifices dederunt Regularibus priuilegia huiusmodi ad ornatum superfluum, & vt haberentur otiosè, & sine fructu, sed vt eis ad profectum fidelium vterentur. Ideo cum valde expedit vel bono communi vel saluti accedentium vti facultate dispensandi, aut commutandi ea vti debent, & si id detrectent, infideles sunt, & grauiter peccant, & non tantùm venialiter.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegia Regularium ad dispensandum, vel commutandum vota, non suspenduntur per Bullam Cruciatæ. nu.784.*

2 *An suspendantur per Bullam Iubilæi considerandus tenor Bullæ. nu.784.*

784 DVbitatur decimoquintò, an priuilegia hæc Regularium suspendantur per Bullam Cruciatæ, aut Iubilæum. In hac difficultate quidam affirmant. Sic de Bulla Cruciatæ *Nauar. cons.16. de priuil. n.1. Ludouicus Lopez 2.p. cap.2. Rodriq. in Bull. Cruciatæ, §.12. num.4. Ledesma p.p. de pænit. cap.13.* malè à Diana loco infrà citando pro opposita sententia citatus, *Acosta in Bullam q.15. Trullench. l.1. §.9. cap.5. d.3. & l.2. in Decal. cap.2. d.44. num.6. Barnabas Gallego in Bullam cap.12. num.174.* apud *Martinez de Prado cap.31. q.15. n.57.* Et in Iubilæo centesimo idem *Nauar. §. in Leuiticu, notab.18.* Sed huiusmodi priuilegia per Bullam cruciatæ non manere suspensa, eo quòd per eam suspendantur solùm gratiæ concessæ particularibus monasterijs, quales sunt, vt si quis visitauerit tale monasterium consequatur indulgentiam talem &c. non verò suspenduntur priuilegia generalia Religionibus concessa, quæ sunt maximè fauorabilia, & valde cedunt in bonum commune fidelium, & de quibus debuisset fieri expressa mentio. Vnde ita sen-

sentiunt *Less.l.2.d.12.nu.60.Rodriq.in addit. ad Bullam Cruciata, §.12.num.4.& de Regul.q.61. art.14. Henriquez l.6.de pænit.cap.16. num.7. & l.7. de Indulgent. cap.28. num.7.* quos refert & sequitur *Sanchez l.4.mor cap.54.nu.62.Ia: de Cruce de stat. Relig. l.2.cap.3.dub.7.Graff.in suspend.ad dec.lib.1.cap.7.§.9. num.65.* quos refert,& sequitur *Diana p.1.trac.11, res.100.* Vbi quòd hoc in praxi hodie obseruetur. *Lezana par.3.verb. Bulla Cruciata numer.38.Castro Palaus tom.4.trac.25.par.10.num.9.& 10. Martinez de Prado cap.31.quæst.15.num.58.* & apud eum *Gallego, Medina, Bannes, Alcozer, Vzeda, Card.de Lugo de Pænit. disp.20. num.146.* dicunt hanc sententiam communem, & veriorem, *Leander tom.1.tr.5. disp.12. quæst.57.* Addit verò *Martinez de Prado ex Mendo disp. 19. in Bullam cap.9. num.63.* Pium V. de hoc specialiter consultum respondisse,nunquam suæ intentionis fuisse vt præfata priuilegia per Bullam cruciatæ suspenderentur, idque expressè anno 1571. in priuilegijs Ord. Prædicatorum.Huiusmodi verò priuilegia nec suspendi in anno Iubilæi centesimi ex *Henriquez l.7. cap 28. num.7. & cap.21. num.3. in comment. lit.F.* habet *Sanchez d. cap.54, num.62.* Et idem habet *Diana d. resol.10.* & apud eum *Villalobos, & d.S.Fausto*. Ego tamen quantùm ad Iubilæum anni sancti dico, considerandas esse Bullas cujuscumque anni,& attendendas earum clausulas, & restrictiones. Quantùm ad Bullam Cruciatæ cum opinio negans per dictam Bullam auferri priuilegia Regularium sit communis, & praxi confirmata, huic praxi se conformare erit tutum.

SVMMARIVM.

1 *Ex incestu cum consanguineo coniux non potest petere debitum. nu.785.*
2 *Hoc fallit in aliquibus casibus.nu.785.*
3 *Et hoc est verum etiam in cognatione spirituali. nu.786.& 787.*
4 *Non tamen si alter coniux suscipiat communem filium in Cathechismo. n.787.*
5 *Idem impedimentum habet qui vouit castitatem. num.788.*
6 *Et qui vouit virginitatem absolute.nu.789.*
7 *Non tamen qui vouit Religionem. n.790.*
8 *Nisi in casu diuortij.n.790.*
9 *Nec qui vouit suscipere sacros Ordines. n.791.*
10 *Nec qui vouit non inire matrimonium. nu.792.*
11 *Quid dicendum in casu matrimonij rati, & non consumati remissiue.n.793.*
12 *Priuilegium Martini Quinti pro Benedictinis non est securum. n.794.*
13 *Ex eo non habetur facultas dispensandi in impedimento ex voto castitatis. n.795.*
14 *Priuilegium Pij Quinti oraculum viuæ vocis, non subsistit. n.796.*
15 *Etiam si valeret non se extendit ad votum Religionis, nec ad votum castitatis emissum post matrimonium. n.796.*
16 *Oracula viuæ vocis etiam si in aliquo indiuiduo sortita effectum sunt reuocata. n.797.*
17 *Priuilegium Eugenij IV. pro Benedictinis Vallisoleti. n.798.*
18 *Oracula data officialibus Papæ non sunt reuocata. num.799.*
19 *Oracula quæ legem declarant non sunt reuocata. num 799.*
20 *Priuilegium hoc restrictum,& plura ad eius vsum obseruanda. nu.800.*
21 *Confessores Regulares non possunt super hoc impedimento dispensare nisi sint à superioribus ad id deputati. nu.801.*
22 *Confessor obtenta facultate dispensandi, quam non habebat potest ratam habere dispensationem à se prius nulliter datam. num.802.*
23 *Non potest dispensari cum absente. n.803.*
24 *Dispensans potest, & debet dispensando imponere aliquod opus pium. n.804.*
25 *Confessores non possunt dispensare super hoc impedimento vt prouenit ex cognatione spirituali. num.805.*
26 *Si superior facultatem dispensandi concessam reuocet, non est iniustus licet aliunde possit peccare. num.806.*
27 *Super impedimento orto ex castitatis Regulares nõ possunt dispensare nisi possint dispensare in voto. vel illud commutare. n.807.808.*
28 *Id non possunt nisi Confessorij deputati.nu.807.*

De facultate dispensandi super impedimento non petendi debitum coniugale.

INSPECTIO PRIMA.

785 QVod vnus coniugum committens incestum cum aliquo ex consanguineis alterius coniugis sit ipso iure priuatus facultate petendi debitum coniugale habetur *cap.1.de eo, qui cognouit consanguineam, & c. discretionem, ead.tit.& ex Concil. Aurelian.* vt habetur *cap. Qui dormierit.27.quæst.1.* Cum autem antiquitus hoc extenderetur vsque ad quartum gradum, per *Concil. Trident.sess.24.cap.4.de matrim.* restrictũ fuit ad secundum gradum. Hoc verò impedimentum incurri etiam ex copula habita cum cõsanguineis sponsæ de futuro ex *c.2.de eo, qui cogn.consang.* colligunt DD. ad dictum textum scribentes,& alij plures apud *Sanchez l.7. de matrim.disp.25. num.5.* Vt verò hoc impedimentum incurratur,debet adesse copula cum consanguineo coniugis, non verò sufficit copula cum proprijs consanguineis: aut cum cognatis cognatione legali: aut spirituali ad quos non debet fieri extensio, cum simus in odiosis. Secundò requiritur scientia, quia in hac ignorantia quæ excusat à culpa etiam excusat à pœna, hoc verò impedimentum est pœna. Tertiò requiritur voluntas. Nam mulier violenter cognita à consanguineo mariti non incurrit hoc impedimentum; & quæ est immunis à culpa, est immunis à pœna. Consang. *cap. Discretionem, de eo, qui cogn. consang. Syluest.v.luxuria.quæst.4.dicto 3. Sotus 4. d.37. a.2.* Quinimò *Palaus tom.5. tract.28. disp.3.p.7.§.6.num.3.* non improbabile putat idem dicendum,si coniux cogatur metu cadente in constantem virum. Quòd vbi mulieri consentiente viro talis metus incutitur dixit etiam Syluester vbi supra. Et ratio est, quia cum hæc pœna sit inducta ex iure Ecclesiastico credendum sit non esse im-

impositam, vbi coniux hoc modo cogitur. Nihilominus quòd timor non sufficiat ad excusandum hoc impedimentum, quia non excusat à culpa, dixit *Sanchez l.9.de matrim. disp.31. nu.4.* sine dubio autem, dici debet, quòd non valeat excusatio, quam ex *Panorm.* adducit *Syluest. vbi supra d.2.* scilicet excusari hoc impedimentum si incestus sit occultus, ratio enim occulti si excusaret, impedimentum nullum esset, quia incestus non habetur nisi occulte. Quarto requiritur, quòd copula sit consummata. *Sanchez l.7.de matrim.disp.15.nu.11.* Est verò considerandum, quòd si vterque coniux hanc contrahat affinitatem per copulam cum consanguineis alterius consummatam, vterque est priuatus petendi debitum facultate. Et licet *Vincentius, & Goffredus, Io: de Friburgo, & Bassolis* apud *Sanchez l.9.de matrim.disp.28. nu.1.* existimauerint in hoc casu; coniuges posse vti compensatione; & sic licere vtrique debitum petere, tamen hoc meritò reijcitur ab *Host. Io: Andr. Henrico, Panorm.* & alijs *Canonist. ad cap.si vir, de cognat. spir.* Non habet enim locum compensatio in mutuorum delictorum pœnis in odium delinquentium impositis; sicut in præsenti priuatio facultatis petendi debitum inducta est in pœnam incestus commissi ex eo quòd coniux cognoscere audeat sui coniugis consanguineum, ideo neuter coniugum alteri potest hanc pœnam remittere.

786 Pluribus verò ex causis oritur hoc impedimentum petendi debitum. Et quidem primò est dubium, an ex compaternitate, seu affinitate spirituali orta inter coniuges, vt si vnus coniugum scienter, & ex industria extra casum necessitatis baptizet communem filium, aut eumdem suscipiat de sacro Fonte, aut teneat in confirmatione. Negant enim aliqui nimirum. *Gloss.in cap.2.de cognat.spirit. v.debitum,* & ibi *Anchar. Præp. & Card. Durand.4.d.42.quæst.1.a.3.Suarez tom.3. de Sacram. quæst.67. a.8.§.penul Palaus trac.28. quæst.3. p.7. §.5. num.5.* Et ratio eorum est, quia hæc pœna non habetur in iure statuta. Nam *cap.peruenit 30. q.1.* fuit abrogatum per *cap.si vir.de cognat. spirit.* Præterquàm quòd si illud cap. vim haberet, non excusarentur neque ignorantes, quia & de istis loquitur *cap.illud*, cum tamen indubitatum sit ignorantiam ab hac pœna excusare. Immò addit Palaus, quòd in d.cap. est sermo de fœminis, quæ filios in concubinatu susceptos leuarunt. Et in eodem sensu intelligitur *cap. si quis Filiastrum*, eadem causa, & quæs. Ex alijs vero textibus, qui adducuntur, nimirùm ex *cap.nosse*, & ex *cap. ad limina 30. quæst.1. & ex cap. si vir de cognat. spirit.* hoc impedimentum non colligitur, nisi per locum à contrario sensu, qui modus arguendi non est firmus, nec valet ad pœnas extendendas. Econtra verò in *cap.de eo 30.quæst.1.& in cap.si vir de cognat. spirit.* expressè decernitur, quòd etiam vbi scienter coniuges cognationem spiritualem contraxerint, non sunt separandi, quod tamen fieri deberet, si debitum petere non possent. Itaque cognationis spiritualis incursio ante matrimonium impedit contrahendum, sed post contractum matrimonium non priuat iure petendi debitum.

781 Communis nihilominùs sententia contrarium tenet. Nec obstat quòd adducitur ex *cap. si vir de cognat. spir.* Et quod ibi decernat, quòd huiusmodi coniuges non sint separandi. Nã si bene consideretur hoc probat communem sententiam. Dum enim dicit, non esse separandos quia vel ignorantia eos excusat, vel malitia non debat eis patrocinari; bene sequitur eos non esse separandos, quin coniux quilibet teneatur petenti reddere debitum, ne malitia faueat nocenti, & ex illa eximatur ab onere legis matrimonialis debitũ soluendi. Sed si etiam illi competeret facultas debitum petendi, ex malitia fauorem reportaret potiùs, at verò non sic est, sed illi obesse debet dolus, & malitia, vt priuatus maneat facultate petendi debitum. Et hoc magis confirmatur, quia non potest dici quòd *d.cap.Peruenit.30.quæst.1.* sit abrogatum per alia cap. & præcipuè per *c. si vir. de cognat. spirit.* quia vt ponderatum est, immò dictum cap confirmatur; & aliud est, quòd coniuges non sint separandi, & aliud est, quòd possint petere debitum. Horum primum ibi decernitur, & est verum, quia coniux qui malitiosè contraxit cognationem spiritualem tenetur innocenti petenti reddere debitum, ideo non habet locum separatio. Quia etsi ambo malitiosè incurrerint impedimentum, & sint priuati iure petendi, non tamen sunt priuati iure reddendi debitum. Quod verò, vt voluit Palaus, non sit sermo de mulieribus concubinis, in *d.cap.peruenit*, sed de vxoribus est manifestum legenti. Quàmuis verò videatur loqui de nescientibus, non loquitur tamen de ignorantibus ignorantia excludente peccatum; immò licet casus videatur fuisse de nescientibus, resolutio tamen quæstionis est vniuersalis. Et si obijciatur, quia vbi ambo coniuges contraxerunt cognationem spiritualem malitiosè, si essent priuati iure petendi, & aliàs non separarentur remanerent in próxima occasione peccãdi, scilicet petendi debitum, quod nõ esset ab Ecclesia permittendum. Nõ obstat nam ex vna parte possunt ipsi continenter viuere. Ex alia verò eorum malitia non debet eis fauere, vt hac ratione matrimonium quoad habitationem in simul, dissoluatur; & sibi imputent, si se inter angustias posuerunt, & dispensationem petant, quàm sancta Mater Ecclesia non negabit, si adsit iusta causa eam concedendi. Immò vult eam concedi imposita pœnitentia, ex quo non vult coniuges separari, vt pat. ex *d.cap.de eo*. Et sic ad rationem eiusdem sententiæ respondeo, quòd secunda sententia non se fundat in argumento desumpto per regulam à contrario sensu, sed se fundat in *d.cap. peruenit, & cap.si quis Filiastrum 30. quæst.1.* quæ non possunt dici abrogata, vt vult prior sententia, & ideo quòd per cognationem spiritualem coniux qui est in culpa priuetur iure petendi debitum dixerunt. *D.Thom.4.d.42. quæst.1.a.1.cap.Alex.2.p.quæst.170.mem.3.§.3.D.Bonaven.ead.d.42.a.1.quæst.2.num.8.Richard. a.1.quæst.1. ad fin.Palud. quæst.1. a.1. conc.7. num.15. & dist.32. quæst.1.a.2.D. Anton.p.3.tit.1.cap.15. §.3. & cap.20. §.10.Victor.in sum.vbi de confirm. num.vlt. Petrus de Soto lec.11.de matrim.& ad cap.si vir, de cognat sp.rit.Hostien.num.3.Io.Andr.num.5.Anton.num.6. Panorm.num.5.Nauar.cap.22.num.40. Syluestr. v. matrim.8.quæst.7.d.1.& 2. Tabien. v.Imped.5. num.1. Armill.v.matrim.num.9. Turrecrem. cap.sciatis 33. quæst.4.a.1.num.2.casu quarto*, & alij plures, quos refert, & sequitur *Sanchez l.9. de matrim.disput.26. num.6.* Et hoc idem dicendum est, si vnus coniu-

Aa gum

gum ſcienter ſuſcipiat alium de ſacro fonte, aut Confirmatione, quia tunc contrahitur filiatio ſpiritualis. Non tamen hoc impedimentum oritur ex eo quòd vnus coniugũ communem filium teneat de Catechiſmo, quia iura ſolùm loquuntur de tenente in Baptiſmo *Sanchez vbi ſup. num. 11.*

788 Secundò oritur ex voto Caſtitatis. Si quis enim ſimplici voto caſtitatis ligatus ineat matrimonium licet teneatur reddere debitum, tamen non poteſt petere. Votum enim manet obligans ad ſui obſeruantiam inquantum ſaluo iure matrimoniali poteſt obſeruari, vt de iuramento decernitur *cap. quanto, de iureiur.* licet verò talis coniux ex iure matrimonij teneatur debitum reddere, non tamen liber eſt, vt debitum petat; & ideo ex vi voti non poteſt petere, *D. Thom. 4. d. 38. quaeſt. 1. a. 3. q. 2. ad quartum* & ibi *D. Bonau. a. 2. quaeſt. 1. fin. Albertus Magnus a. 15. Scotus q. vn. ad fin. Palud. quaeſt. 3. a. 5. conc. 4. num. 36. Durand. 4. d. 15. quaeſt. 11. ad 3. num. 15. D. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 16. & cap. 20. §. 8. Sotus 4. d. 38. quaeſt. 2. a. 1. concl. 2. Caiet. ſum. v. matrimonium, c. vl. & verb. votum. cap. votorum omiſſio.* & quamplures alij, quos refert & ſequitur *Sanchez l. 9. de matrim. diſp. 33. num. 5.* Quod verificatur etiam in infideli ligato caſtitatis voto.

789 Et verum eſt etiam de eo qui abſolutè vouit virginitatem, quia hoc votum continet votum perpetuæ caſtitatis, *D. Thom. ſupra quaeſt. 88. a. 3. ad ſecundum Turrecrem. cap. quod autem 17. quaeſt. 1. Armilla v. votum num. 19.* Niſi vouens expreſsè intenderit ſe obligare ad puram integritatem virginalem, & abſtinentiam à primo actu venereo; quia tunc amiſſa virginitate, votum ad aliud non obligaret, quia eſſet iam impoſſibile virginitatem ſeruare. *Caiet. ſupra quaeſt. 88. a. 3. circa reſp. ad ſecundum Sotus l. 7. de iuſt. quaeſt. 2. a. 1. ad tertium Nauar. cap. 12. num. 43.* In dubio autem præſumendum eſt votum fuiſſe abſolutum, & promiſſionem integræ caſtitatis continere. Non verò intereſt an votum Caſtitatis ſit emiſſum ante, vel poſt initum matrimonium, quia etiam ſi poſt fuerit emiſſum ſemper priuat vouentem facultate petendi debitum *cap. quidam, cap. placet. de conuerſ. coniugat.*

790 Ex vi tamen voti religionis ſimpliciter nõ contrahitur hoc impedimentum. Nam licet ex vi talis voti non poſſit vouens contrahere matrimonium, immò contracto matrimonio intra illud bimeſtre in quo licet ſibi ingredi religionem nõ poſſit matrimonium conſummare. Et ampliùs, vbi adſit cauſa diuortij teneatur ſe ab vxore ſeparare, & religionem ingredi. Sicut & qui eſt ligatus voto caſtitatis, vbi adeſt legitima cauſa diuortij, debet illud exequi, & nec poteſt reddere debitum, ſed debet ſe ſeparare ab altero coniuge, & ſi velit iniuriam & diuortium remittere alteri coniugi peccat, ſic matrimonio vtendo pro illa prima vice peccat, & tenetur hoc exprimere in confeſſione, vt aduertit *Sanchez diſp. 6. de matrim. num. 14. in fine.* Vbi tamen per carnalem copulam habitam cum coniuge adultero remiſit iniuriam, quia remiſſio illa tenet, iam coniux amiſit ius denegandi debitum, & ſic tenetur reddere, vt idem Sanchez docet. Tamen qui vouit religionem, conſummato iam matrimonio, ad votum religionis exſtante matrimonio in ſuo vigore non tenetur, quia eſt ſibi id impoſſibile pro eo ſtatu, ſed nec ex vi talis voti, tenetur ad caſtitatem, quia illam non vouit; & licet vouerit religionem, quæ eſt ſtatus caſtitatis, tamen, qui vouit ſtatum aliquem aſſumere, non tenetur ex vi voti ad ea, quæ ſunt illius ſtatus, antequam ſtatum aſſumat. Sic enim qui vouit religionem, antequam illam profiteatur, non tenetur ad paupertatem, nec ad alias religioſas obſeruantias. Sic ex vi eiuſdem voti non tenetur ad caſtitatem, vnde conſummato iam ſemel matrimonio, ex quo iam ſibi eſt impoſſibilis religio poteſt nedum reddere, ſed petere debitum, *Caiet. v. matrimonium cap. vlt. §. & bene nota Sotus in 4. d. 38. quaeſt. 2. a. p. concl. 4. & l. 7. de iuſt. q. 2. a. 2. ad tertium Armilla v. debitum num. 14.* & quamplures alij quos ſequitur *Sanchez l. 9. de matrim. diſp. 33. num. 15.*

791 Pariter non incurritur hoc impedimentum per votum ſuſcipiendi ſacros Ordines, quia licet huiuſmodi voto ligatus peccet ineundo matrimonium, eo tamen inito cum iam ſit ſibi impoſſibile ſumere ſacros Ordines, niſi vel altero coniuge mortuo, vel in caſu diuortij ſibi poſſibilis, dum ſic eſt ſibi impoſſibile ſeparari à coniuge, nec ad caſtitatem tenetur, nec eſt priuatus facultate petendi debitum, quia ante ſuſceptionem ſacrorum Ordinum ex vi voti illos ſumendi non tenetur ad caſtitatem. *Sanchez d. diſp. 33. num. 15.*

792 Idem dicendum eſt de voto non ineundi matrimonium. Quamuis enim hoc votum æquiualere voto abſolutæ Caſtitatis dixerint *Caiet. tom. 1. opuſ. trac. 11. quaeſt. 1. & Nauar. cap. 16. nu. 30.* & alij, tamen per ſe loquendo, & niſi aliud intenderit vouens, hoc votum intelligi debet vt ſit promiſſio directè, & per ſe non contrahendi matrimonium, & ita vt non ſit promiſſio abſoluta abſtinendi à copula matrimoniali, ſed ſolùm ſub conditione non initi matrimonij. Quo ſemel inito iam ſibi eſt impoſſibilis voti obſeruantia, & non tenetur ab actibus matrimonialibus abſtinere, quia ad huiuſmodi abſtinentiam non ſe obligauit.

793 In his ergo tribus caſibus voti religionis, ſumendi ordines ſacros, & non ineundi matrimonium eſt quidem obligatio non contrahendi, & in primis duobus eſt ſecundùm quid priuatio non petendi debitum, ſed cum diſcrimine. Nam qui contra votum religionis contrahit matrimonium intra primum bimeſtre initi matrimonij non poteſt petere, quia tunc adhuc poteſt implere votum religionis, vnde nec poteſt reddere. Sed ſemel conſummatò matrimonio poteſt reddere & petere, niſi adueniat facultas diuortij, qua adueniente adhuc nec petere, nec reddere poteſt, ſed ſemel remiſſa iniuria per copulam habitam cum coniuge, iam & petere, & reddere poteſt, quia ſibi impoſſibile eſt religionem ingredi, & ex vi voti ad caſtitatem non tenetur ante profeſſam religionem. Sed in voto ſumendi ſacros Ordines an adſit poſt ſemel initum matrimonium obligatio abſtinendi intra bimeſtre primum initi matrimonij, quia non eſt pro eo bimeſtri ſibi poſſibilis obſeruantia voti, niſi religionem ingrediatur, eſt incertum, & valde controuerſum, multis dicentibus etiam de eo, qui caſtitatem vouit, eum non teneri ad ingrediendam religionem vt obſeruet votum caſtitatis in caſu in quo obſeruantia caſtitatis eſt ſibi impoſſibilis, niſi religionem ingrediatur, quod ſecundùm hos DD. multò magis eſt dicendum de eo, qui non vouit caſtitatem,

cem, sed solùm vouit sumere sacros Ordines, vt ex vi huius voti non obligetur ingredi religionem; sed alijs pluribus id affirmantibus, quòd scilicet, vbi ex initio matrimonii reddita sibi est impossibilis obseruantia castitatis, nisi intra bimestre illius abstinendo à copula, ingrediatur religionem, teneatur ingredi, vt votum castitatis obseruet, quod alio modo non potest obseruare. Quod idem dicendum esset de eo, qui vouit se suscepturum sacros Ordines. In hac enim sententia altero ex his votis adstrictus teneretur nec petere, nec reddere intra illud bimestre. Item in hoc voto non sumendi sacros Ordines, non est omnino certum, an in casu diuortij possibilis, teneatur se separare, & Ordines sumere, hoc enim aliqui negant, licet immeritò; quia tunc ille verè potest uotum suum obseruare medio diuortio sibi possibili, & ad quod habet ius, & ideo tunc nec potest petere, nec reddere; licet ubi remisit coniugi adulterij iniuriam per nouam copulam possit postea & petere, & reddere, quia obseruantia uoti de sumendis sacris Ordinibus non est iam sibi possibilis, & aliàs ad castitatem non tenetur. Sed in tertio uoto non nubendi est quoque incertum an intra primum bimestre teneatur ille qui vouit ingredi religionem ut impleat uotum, quod implere potest, cum matrimonium ratum ex causa ingressus in religionem sit dissolubile, & pariter est incertum an in casu diuortij ad eamdem ingressum teneatur. Sed hæc ad præsentem inspectionem non spectant. Nam in istis casibus in quibus ex ui uoti priuatur coniux facultate petendi debitum, non potest per Confessarios Regulares cum coniuge dispensari, nisi dispensando in uoto ipso, & de dispensatione in uotis abundè tractatum est in superiori inspectione.

794 His verò suppositis plura adducuntur priuilegia per quæ Regulares possunt cum huiusmodi impeditis incestu dispensare, vt possint debitum petere. Primò enim refertur priuilegium concessum Benedictinis à Martino Quinto, quod dicitur confirmatum à Iulio secundo & à Pio quinto, per quod datur facultas Prouincialibus deputandi Cõfessores ad dispẽsandum cum coniugibus incestuosis post contractum matrimonium ad petendum debitum. Et ideo virtute huius priuilegij possint nunc Cõfessores à Prouincialibus deputati dispensare cum huiusmodi incestuosis ad petendum debitum tenet *Antonius à Spiritu Sancto in direct. p.1. tract.2.disp.1.num.108.* malè pro hac sententia referens *Lezanam*, nam *Lezana p. p. cap.19.num.25.* aduertit primò, quòd confirmatio Pij quinti data pro Minoribus fuit viuæ vocis oraculum, & postea subdit, quòd nec sibi constat, an concessio Martini quinti & confirmatio Iulij II. fuerit eodem modo oraculum viuæ vocis, ideo ex *Carduba in ad not. ad collect. priuil.* mendicantium, circa quandam similem concessionem Innocentij octaui *v. dispensatio §.17.* censet securius esse non vti huiusmodi concessionibus. Nam & idem *Anton. à Spir. Sancto* fatetur quòd confirmatio Iulij II. sit oraculum. Et cum non constet an etiam oraculum sit concessio Martini quinti, & in quibus terminis loquatur, non est securum tali priuilegio vti.

795 Quod verò idem *Anton. à Spir. S. nu.109.* hoc amplians, dicat idem dicendum esse de coniugibus, qui post uotum castitatis contraxerunt matrimonium, vel post illud vouerunt castitatem. nam in omnibus his possunt Regulares deputati à suo Prouinciali dispensare ad petitionem debiti, certè ex prædicto priuilegio non habetur. An verò ea alio colligi possit, videndum erit.

796 Aliud priuilegium refertur tanquam concessum Minoribus à Pio quinto, de quo mentio fit in Compendio Societatis *v. dispensatio §.9.* & à Peregrino in compendio priuil. *Theat. v. dispensatio §.7. & in Compend. priuil. mend. v. dispensatio post adnotat. Capucini*, & quòd priuilegium Rodriquez inter oracula Pij Quinti num.13. refert sub his verbis. *Concessit Ministris Prouincialibus, vt possint committere Confessoribus approbatis iuxta Concil. Trid. decretum, authoritatem dispensandi cum his, qui ante matrimonium vouerunt castitatem, vt licitè possint petere debitum, & in hoc in foro conscientiæ tantùm.* Monet verò *Miranda p.p.quæst.47.a.2.* ex vi dicti priuilegij non posse dispensari cum ijs, qui post matrimonium votum castitatis emiserunt, sed solum, cum ijs qui ante matrimonium id fecerunt & addit, ea vi dictæ concessionis soluto matrimonio non posse qui vouit, iterum nubere, & si nubat, non posse petere debitum, nisi cum eo iterum dispensetur. Idem verò priuilegium extendi ad dispensandum etiam vbi matrimonium sit ratum, & nondum consummatum, vt ligatus voto simplici castitatis possit petere debitum dixit *Clau. Reg. l.6. cap.11.num.104.* Quod tamen priuilegium neque extenditur ad votum Religionis, si quis ante matrimonium initum, vel etiam ante matrimonium ratum voueat religionem, vt possit petere, vel reddere tunc cum ex vi voti prohibetur. In hoc enim nec potest Episcopus, sed solus Papa dispensat. *Sot.4.dist.38.quæst.2.a.1. Sanch.lib.4.cap.43.num.12. Fagund.l.2.in decal.cap.45.num.20.* sed cum huiusmodi priuilegium sit viuæ vocis oraculum, vt patet ex *Mirand.d.a.2. & Rodriq.p.p.quæst.63.a.2.* non est quòd modò eius habeatur consideratio.

797 Quidquid in contrarium dixerint *Leander tom.2.trac.9.disp.24.quæst.16. & Bordon. d.decis.474.* Quando autem ex declarat. Sacr. Congreg. dicitur ea oracula non fuisse reuocata, quæ sortita sunt suum effectum, est verum respectu priuilegij personalis. Sed si hoc intelligi deberet de priuilegijs generalibus, ita quòd ex quo de præterito in aliquo indiuiduo sortita sunt effectum etiam in futurum in infinitum respectu aliorum valida essent, nullum omnino esset oraculum reuocatum; quia nullum est, quod in aliquo indiuiduo de preterito effectum non fuerit sortitum. Quod verò oracula viuæ vocis desierint esse oracula ex eo quòd fuerunt per Pontificem aliquem confirmata, non approbatur: quia confirmatio non mutat rei naturam, & Pontifex innouans oracula ea hoc non transfert illa in aliam speciem, sed tanquam oracula illa firmat. Vide *Donatum tom.1.p.1.tract.16.quæst.3.* Et propterea ob hanc rationem, quia scilicet oracula viuæ vocis sunt reuocata. *Diana p.6. trac.8. res.32.* reuocando quæ dixerat *p.3.tr.2.res.14.* absolutè negauit posse Confessarios Regulares ea vi dicti priuilegij dispensare super prædicto impedimento. Quamuis iterum *p.10.tr.14.res.20.* id probabile putet, non obstante dicta oraculorum reuocatione.

798 Tertium priuilegium dicitur esse Iulij II. concessum monasterio S. Benedicti Vallisoleti, de

quo mentionem faciunt *Io:de Cruce lib.2. priuileg. cap.6.dub.9.n.3.Lezana p.3. v.affinitas n.4. Peregrin. in compendio priuileg.Theat.v.dispensatio §.7.& habetur per extensum in Bullar.Rodriq. non sub numero 23.vt communiter refertur, sed sub n.24.* Et quod ita habet. *Nos igitur authoritate Domini nostri Papæ, cuius Pœnitentiariæ curam gerimus, & de eius speciali, & expresso mandato super hoc viuæ vocis oraculo nobis facto. Vt tam vigore concessionis Apostolicæ prædictæ, quàm verborum huiusmodi in illa appositorum vos & pro tempore existentes dictorum Monasteriorum Abbates, Priores, Præsidentes, & Monachi prædicti coniugatos huiusmodi, qui post contractum matrimonium consanguineos vxorũ suarum cognouerunt, vel vxores, quæ à consanguineis virorum suorum se carnaliter cognosci permiserunt, à talibus excessibus absoluere, & eis pœnitentiam salutarem iniungere; nec non cum eis, & eorum quolibet, vt non obstante affinitate superueniente debitum coniugale reddere, & exigere valeant. dispensare liberè & licitè possitis, & valeatis, ac possint, & valeant, perpetuò declaramus &c.* Circa verò hoc priuilegium primò occurrit considerandum quòd non est concessio contenta in aliqua Bulla Pontificia, sed qui talem declarationem dedit fuit Ludouicus Presbyter Cardinalis S. Marcelli, qui tunc erat Summus Pœnitentiarius, qui authoritate Apost.& de mandato Papæ expresso super hoc viuæ vocis oraculo sibi facto præfatam declarationem dedit, vnde videtur, quòd illud sit viuæ vocis oraculum, & ex consequenti reuocatum. Nihilominùs *Lezana d.v.affinitas nu.4.* Putat hoc priuilegium validum esse, & durare, eo quòd non sit in se formaliter viuæ vocis oraculum, sed concessio, quædam data à summo Pœnitentiario, & breue authoritate Apostolica editum.

799 Sed alia ratione puto idem dicendum esse, Tum primò, quia esto sit oraculum, cum datum fuerit officiali Domini Papæ, & in ijs quæ ad officium eius pertinent, non est reuocatum. Nam oracula data officialibus Domini Papæ, non sunt reuocata, vt declarauit Vrbanus Octauus in sua Constit. 139. Ille verò Cardinalis cũ esset summus Pœnitentiarius erat Officialis Domini Papæ, & quidem talis, ad quem ex officio spectabat in huiusmodi impedimentis dispensare. Pœnitentiaria enim dispensat cum huiusmodi incestuosis & adulteris ad petendum debitum. Tum secundò quia hoc oraculum non continet gratiam aliquam cõcessam, neque priuilegium, neque nouam concessionem, cum sit mera, & pura declaratio priuilegij concessi ab Eugenio IV. Monasterio S. Benedicti Vallisoleti, & postea extensio ad omnia Monasteria dictæ Congregationis reformata, & reformanda. Vnde facultas dispensandi non competit ex vi concessionis factæ ab illo Cardinali, sed ex vi priuilegij Eugenij IV. quod apud *Rodriquez est 25.* Cum enim illud priuilegium contineret hæc verba, videlicet, *ac eos habilitare in prædictis casibus*, Cardinalis S Marcelli ex mandato Iulij II. declarauit, quòd præfati Monachi tam vigore concessionis Apostolicæ prædictæ, quàm illorum verborum possunt huiusmodi affines dispensare ad petendum debitum. Vbi verò Oracula sunt meræ declarationes antiqui iuris, non reuocato iure, nec illa censenda sunt reuocata. Quia declaratio nihil de se affert noui, & non continet nisi ius antiquum, & solùm clariùs exprimit, quod verè in antiquo iure esset. Cum ergo illud oraculum sit pura declaratio antiquioris priuilegij non est reuocatum, quia oracula huiusmodi non sunt reuocata, vt post *Nouar.in Lucerna Regul.v.Priuilegia n.5.& Bordon. resol.31. p.1. num.7. tradit idem Lezana ver.oracula num.5.*

800 Plura quoque circa vsum huius priuilegij consideranda monet idem *Lezana.* Et quidem primò, quòd hæc facultas non competit omnibus Confessarijs Regularibus etiam ab Ordinario approbatis, sed illis solis, qui à superiore Monasterij ad hunc effectũ sunt deputati, qui propterea erunt eligendi prudentiores, & doctiores, & magis idonei, Secundò quod quantùm ad numerum non possunt deputari nisi tres, aut quatuor, Sed in hoc numero determinando ratio dictat quod habeatur ratio magnitudinis monasterij, & concursus populi ad Monasterij Ecclesiam; nam in minoribus Monasterijs, & vbi est paruus concursus sufficiet, si deputetur vnus, vel duo. Ratio enim dictat, ita intelligi debere priuilegium. Hoc tamen ego intelligo quantùm ad quandam decentiam; non quia si in paruo Monasterio eligantur quatuor illi non sint validè electi, vel deputati; quia priuilegiũ & eius extensio ad alia Monasteria non limitat, neque distinguit inter magna, & parua. Tertiò quod non est necesse vt huiusmodi sint deputati à Prouinciali, sed sufficit, quod sint deputati à superiore Monasterij. Putat *Lezana*, quòd huiusmodi deputatio morte superioris cesset, quia ipsa est depẽdens ad nutum concedentis, possunt enim sic deputati ad nutum superioris reuocari, gratia verò cõcessa ad nutum concedentis expirat per illius mortem. Et ex tenore ipso priuilegij satis etiam colligitur, quòd intendit huiusmodi deputationem fieri à quolibet Superiori, ideo enim supplicatum est, vt Prior seu Presidens dicti Monasterij pro tempore existens possit dictos Confessores deputare ad eiusdem nutum reuocandos, & hoc idem fuit illis concessum. Quartò, quod hoc priuilegio non licet vti extra Sacramentum Pœnitentiæ. Posset quidẽ hoc fieri in terminis priuilegij Pij V. non vi huius priuilegijs, Verè enim tota hæc facultas in ordine ad illud Sacramentum est cõcessa. Et hoc amplius colligitur ex illis verbis; *ac eos habilitare in prædictis casibus pœnitentiasque eis salutares iniungere*, dictio enim illa *in prædictis casibus*, refertur ad peccata, crimina, delicta, excessus in confessione auditos & à quibus absoluendi dederat facultatem. Nam & postquàm concessa est hæc facultas habilitandi eos in casibus præfatis, subditur facultas iniungendi pœnitentias salutares, quòd ad complementum Sacramenti pœnitentiæ spectat. Quintò ex iam supra probatis, non potest huiusmodi dispensatio dari sine iusta causa. Sed sextò recolendum est, quod vt aduertit idem *Lezana* priuilegium hoc fuit concessum illi Monasterio quandiu Monachi fuissent in obseruantia regulari, & sic fuit extensum solùm ad Monasteria dictæ Congregationis reformata, & reformanda. Septimò solùm in Monasterio, aut Ecclesia Monasterij licet vti præfata facultate.

801 Ex his circa huiusmodi priuilegium consideratis alia explicantur. Disputatur enim, an absolutè Confessarij Regulares omnes possint dispẽsare

sare

fare cum huiuſmodi affinibus ad petendum debitum, licet ad hoc non ſint ſpecialiter deputati. In qua difficultate ſatis obſcurè loquutus eſt *Peregr. tit.diſpenſatio §.8. Et Io. Suarez in Enchir. Caſuum l.5. debitum coniugale apud Dianam* citans *Peregrinum* refert aliquos docere, quod Confeſſarii Prædicatorum & Minorum poſſent huiuſmodi diſpenſationem concedere. *Molfeſium etiam tom.1.tr.4. can.12.n.12. & Leoaem de off. & poteſt.Confeſſ.tom.2. recoll.10. a.135.* dixiſſe Confeſſarios Societatis habere hanc facultatem à Generali, refert idem *Diana p.3.tr.2.reſol.14.* Vbi ipſe omnino exiſtimat quantùm ad primam partem, quod Regulares non poſſint cum huiuſmodi affinibus diſpenſare niſi ſint deputati à Prouincialibus, & hoc idem cenſet docere omnes, qui de Regularium priuilegijs ſcripſerunt diligenter, citat verò plures pro hac ſententia. Et quantùm ad aliam partem arbitratur, quòd etiam in Societate, hæc facultas detur Confeſſarijs à Prouinciali. Idem tamen *Diana par.5.tr.13.reſol.46.* ex Cœleſtino nõ improbabile putat Religioſus, qui non ſunt è Societate IESV poſſe in huiuſmodi impedimento diſpenſare, licet à proprijs Prælatis ad id, non fuerint deputati. Hoc idem ſentit *Anton.à Spiritu ſancto p.1.trac.2.diſp.1.num.13. Dianam autem p.10.tr.14. reſol.20.* idem confirmat ex *Bordon. in Miſcellan.dec.474. & Machado tom.2.l.5.p.3. trac.3.doc.3.n.* Sed difficultas iſta ſoluitur clare ex relatis priuilegija, in quibus omnibus requiritur ſpecialis deputatio ſuperioris. In terminis igitur priuilegij Martini V. & Pij V. dicitur quod huiuſmodi Confeſſarij ad hunc effectum ſi illud priuilegium vrgeret deberent eſſe deputati ſpecialiter à Prouinciali. In terminis verò priuilegij Eugenij IV. & Iulij II. ſufficit deputatio à ſuperiore Manaſterij *Candidus diſq.27. c.vn. dub. 9. Leander tom.2. tr.9.diſp.13.q.17.* ſed quantum difficilè ſit reducere hoc priuilegium ad praxim, dictum eſt etiam. Et quòd *Portel. in reſponſ.moral.* poſt multa concluſerit, ſe non inuenire aliquid per quod oſtendi poſſit clarè, Religioſos Cõfeſſarios poſſe vti huiuſmodi conceſſione, aduertit *Lezana p. 4. v. votum pro Regularibus a.25.* Quod verò *Bordon apud Dianam p.10.tr.14. reſol.20.* dixerit nec eſſe neceſſariam deputationem Prælati alicuius, quia nunc eius loco ſuccedit approbatio Epiſcopalis iuxta Tridentinũ, apparet non ſubſiſtere, nedum quia ea nulla authoritate facta eſt hæc ſubrogatio, quam non licet cuique pro ſua libertate facere; ſed quia Pius V. expreſsè præter deputationem Prouincialis requiſit etiam approbationem Epiſcopi iuxta decretũ Concil.Trident. Vnde abſolutè dicendum eſt, Cõfeſſarios Regulares non habere priuilegium diſpẽſandi ſuper hoc impedimento, ſi non ſint ad hoc deputati à ſuperiore.

802 Interrogabit autem forſan aliquis, ſi contingat aliquem Confeſſarium a ſuperiore non deputatum, credentem tamen ſe habere ad ſic diſpenſandum facultatem, de facto diſpenſare, an ſi cognito errore, obtineat facultatem poſſit datam diſpenſationem ratificare? Non repugnaret hoc poſſe fieri, ſi extra Saramentum Pœnitentiæ poſſet diſpenſari, quia huiuſmodi diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis voluntariæ, quæ etiam extra diœceſim poteſt exerceri. Sed etiam ſi in ſolo Sacramento pœnitentiæ dari poſſit hæc diſpenſatio, ſi Confeſſarius in eo diſpenſauit, credens ſe id poſſe facere, obtenta facultate poterit diſpẽſationem ratam habere, etiam ſi de nouo non audiat pœnitentem; quia huiuſmodi ratihabitio non fit niſi ex ſuppoſitione, & vi auditæ confeſſionis, & eſt tanquam eius vltima perfectio, & complementum. Sed tamen propriè loquendo non hic locum habet ratihabitio, quia quod nullum eſt non ratihabetur. Ideo in præfato caſu Confeſſor poſſet iterum validè diſpenſare, & ſic defectum inualidæ diſpenſationis ratum habere.

803 Si etiam daretur locus huic diſpenſationi extra Sacramentum non deſunt, qui dicunt tunc poſſe diſpenſari cum abſente. Verùm aduertendũ, quòd cum modò ſaltem per accidens neceſſariũ ſit, quod Confeſſarius ſit approbatus ab Ordinario loci, non poſſet etiam in dicta ſuppoſitione diſpenſare cum exiſtente extra diœceſim, ſeu extra locũ in quo ſolo ille poteſt audire confeſſiones. Sed & conſiderandum, quòd in vi priuilegij Eugenij IV, ſeu Iulii II. non poſſunt Religioſi extra eorum Eccleſias, ſed ſolùm cum accedentibus ad eas diſpenſare. Quamuis in hoc non ſit limitatio, quia vndecumque ſint, qui accedunt ad huiuſmodi Eccleſias, poſſunt à Confeſſarijs deputatis abſolui, & diſpenſari. In caſu verò in quo Confeſſarius a bona fide diſpenſaſſet, ſed inualidè ex defectu facultatis detecto errore, & obtenta per Confeſſarium neceſſaria facultate etiam cum abſente etiam extra diœc. poſſet diſpenſare; quia illa diſpenſatio non fieret niſi in vi auditæ confeſſionis intra diœceſim, & non eſſet diſpenſare niſi cum illo, qui acceſſit ad Confeſſarium, alias verò diſpenſatio non petit per ſe præſentiam diſpenſantis, & diſpenſati, & hæc diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis voluntariæ, quam non repugnat exerceri & extendi vltra territorium.

804 An verò diſpenſantes ſuper hoc impedimento teneantur iniungere aliquod opus pium aliqui aſſerunt, eos nedum non teneri, ſed nec poſſe, eo quod *Concil. Trident.ſeſſ.25. cap.18. de reformat.* præcipiat diſpenſationem gratis faciendam. Sed hæc ratio valde aliena eſt à mente Concilij, quod quidẽ vult quod diſpenſatio non detur pro pretio, ſeu recipiendo aliquod tẽporale ad cõmodum diſpenſantis, ideoque præcipit, vt à diſpenſante detur gratis; non tamen prohibet quod diſpenſando nõ imponatur ad vtilitatem diſpenſati aliquod pium opus. Aliter diſpenſando in votis non liceret vti aliqua compenſatione, cum tamen nedum hoc liceat, ſed valde rarò ſit dabilis caſus in quo liceat diſpenſare ſine aliqua commutatione. Cæterùm *ſacri Canones cap. de eo, 30. q.1.* volunt vt grauis pœnitẽtia imponatur illis coniugibus qui poſt matrimonium cõtraxerunt cognationem ſpiritualem, quod eſt dicere, quod non eſt cum illis diſpenſandum vt petant debitum niſi pœnitentia impoſita.

805 Hanc verò facultatem diſpenſandi cum huiuſmodi impeditis ex copula habita cum conſanguineis extendit *Anton.à Spiritu ſancto p.p.tr.2. diſp.1.num.113,* etiam ad eos qui contraxerunt cognationem ſpiritualem, citans ad hoc *Villalob. Bordoa, Martinum à S.Ioſeph, Quatanadaen. & Palaum tom.5.diſp.4.de ſponſal. p.vlt. §.1.num.18.* Sed vnde illi hoc colligant non refert. In vi verò prædictorum Priuilegiorum id fieri non poteſt; cum in illis con-

concedatur solùm dispensatio super impedimento contracto ex eo, quòd vnus coniugum habuerit copulam cum aliquo ex consanguineis alterius.


806 In terminis etiam Priuilegij Pij V. idem *Anton. a Spiritu sancto num.* 115 *post Rodriq. Portel, Dianam p.3.tr.2.ref.14. Martinum de S. Ioseph, & Lezanam v. affinitas num.5.* sentit, quòd Prouincialis licentiam datam Confessario dispensandi in huiusmodi impedimento non possit reuocare sine iusta causa, quia faceret illi iniuriam. Verùm non video quæ iniuria fiat reuocando, quod gratis concessum fuit. In hoc ergo iniustitia non est; erit verò aliud genus peccati, si Prouincialis imprudẽter, & irrationabiliter operetur; & poterit esse iniustitia, si ex causa iniusta ledente famam Confessarij, aut aliquod damnum inferente, licentiam reuocauerit.

807 Tandem super impedimento, quod ex multiplici causa potest oriri ex quo vnus Coniugũ vouerit castitatem siue ante siue etiam post, etiam præscindendo à priuilegio Pij V. supra relato, & quod nunc non subsistit, poterunt Confessarij Regulares dispensare, in ijs tamen tantùm casibus in quibus licet eis dispensare in eodem voto vel illud commutare ex eo quòd non sit absolutum & simul perfectum. Addit verò *Anton. a Spiritu sancto numer.*109, quod hoc possint facere Cõfessarij etiam non deputati à superioribus. Sed neque hoc subsistit, In vi enim priuilegij Pauli III. Regulares in votis non possint dispensare; In vi verò priuilegiorum Eugenij IV. solùm Confessarij deputati à Superioribus possunt hoc præstare.

808 Ex ijs potest ferri iudicium de eo, quod habet *Nicolius in Flosculis v.debitum coniugale*, dicens. Confessarios Regularium posse etiam hodie dispensare in affinitatis & voti simplicis castitatis impedimento ad petendum debitum inter coniugatos, si ad id sint per suos superiores specialiter deputati. & hanc dispensationem concedant intra Sacramentum Confessionis, ac in domibus Regularibus, & citat *Dianam p.6.tr.8.ref.3. & Sayr. in Claui reg.l.6.c.11.n* 98. & 104. Sed *Diana* loquitur solùm de impedimento affinitatis. *Sayr.* verò se fundat in Priuilegio Pij V. quod cum sit oraculum, modò est reuocatum. Vnde modo non est casus in quo Regulares hujusmodi possint dispensare super voti simplicis impedimento ad petendum debitũ, nisi pro quanto possunt in voto dispensare, vel illud commutare.

SVMMARIVM.

1 *Confessores Regulares posse dispensare in irregularitatibus quidam senserunt. n.*809.
2 *Priuilegium Sixti IV. pro Minimis non dat facultatem respectu secularium. n.*810. 811.
3 *Priuilegium aliud Eugen.IV. n.*812.
4 *Aliud priuilegium pro Ecclesia de Guadalupe. num.*813.
5 *Quid possint Missionarij remissiue. n.*814.



De facultate dispensandi in irregularitate,

INSPECTIO SECVNDA.

809 POsse Regulares dispensare in omni irregularitate in qua possunt Episcopi iure Ordinario, sentiunt *Antonius a Spiritu sancto par.p. trac.5.disp.3.num.*65. & apud eum *Vega, Rodriquez Portel. Belasius, Vrbanus, Marcia, & Bauny, & Aluises in Murenula sect.3.cap.5.* § 3. *num.* 2. & apud eum *Cœlest. & Suess.* Et quia Tridentinum connumeratur pro iure communi, ideò iuxta hanc sententiam & Regulares possunt dispensare in irregularitatibus occultis ex delicto prout Tridentinum concessit Episc. sess.24.cap.6. ex quo idem *Aluises* multas irregularitates numerat, in quibus possunt dispensare Regulares.

810 Fundamentum huius opinionis est primò priuilegium Sixti IV. pro Minimis, in Consti. quæ incipit *Sedes Apostolica*, quæ in Bullario Romano est quinta inter Const. eiusdem Pontificis: sed debile nimis est hoc fundamentum. Sixtus enim IV. ibi confirmat Pyrrhi (non quidem Legati Apostolici, vt quidam dicunt, sed simplicis Archiepiscopi Consentini, vt patet legenti eius decretum apud Peyrinum, & Bullam præfatam Sixti IV.) priuilegium datum S.Francisco de Paula, & eius Religiosis; at verò facultas, quam dedit Pyrrhus fuit pro solis Religiosis, non pro secularibus. Iuuat autem ponere hic de verbo ad verbum priuilegium illud Pyrrhi, prout habetur apud Peyrinum in Consti. illa quinta Sixti IV. Est autem tenoris sequentis, videlicet. *Sacerdotibus verò huiusmodi Congregationis, seù secularibus, vel regularibus per vos eligendis, vt missas etiam ante diem, & in quocumque loco ad hoc congruo, & honesto cum altari portatili celebrandi, Eucharistia, & alia quæcumque Sacramenta ecclesiastica liberè, & licitè tibi, huiusmodique tua Congregationis personis, quoties deuotio ingruerit, & necessitas postulauerit, absque quacumque Superioris licentia ministrare, ad quæ suscipienda extra loca huiusmodi compelli non possitis.*

Confessiones audire, & ab omnibus casibus excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, ac super quacumque irregularitate, nobis tam a iure, quam a nobis reseruatis, & permissis, toties quoties absoluendi, & dispensandi, votaque quæcumque permutandi, & relaxandi, ac pœnitentiam salutarem iniungendi.

811 Qui ergo sint Confessores, quibus Pyrrhus illam facultatem absoluendi, & dispensandi in irregularitatibus? si bene consideretur illud priuilegium apparebit, quòd eam dedit Sacerdotibus vel eiusdem Religionis, vel secularibus, aut aliorũ Ordinum ab eisdem Minimis eligendis. Isti enim Sacerdotes sunt, quibus dedit facultatem missas etiam ante diem celebrandi, & in altari portatili, Eucharistiam & alia quælibet Sacramenta licitè, & liberè, tam dicto Francisco, quàm personis dictæ Congregationis administrandi; confessiones audiendi, dispensandi &c. Facultas ergo hæc data Sacerdotibus à Minimis eligendis est pro eorum Confessionibus audiendis, non verò pro audiendis

con-

confessionibus secularium, aut dispensandum cum illis. Et quis vnquam potest rationabiliter imaginari, quòd Pyrrhus voluerit, quòd Minimi etiam per Sacerdotes seculares ab eis electos absoluerent seculares, & cum eis in irregularitatibus, & votis adeo vniuersaliter dispensarent? Sed & insuper cõsiderandum, quod concessiò illa Pyrrhi non potuit valere nisi pro Diœcesi Consentina, nec Sixtus IV. eam concessionem extendit, sed confirmauit; Cum verò Archiepiscopus Consentinus nihil potuerit concedere nisi pro sua diœcesi, extra quam sua non se extendit authoritas, quando etiam illa facultas dispensandi respiceret seculares, nihil valeret extra diœcesim Consentinam. Cum verò Iulius II. in sua Constitutione Dudum, quæ apud *Peyr. est prima, & in Bullar. Rom.* 10. *in* §. 32. vel respectiuè 34. eam facultatem absoluendi concessisset etiã pro secularibus, Peyrin. diligẽtissimus in colligendis sui Ordinis Minimorum priuilegijs, & in eis explicãdis doctus valde, & eruditus ad §. 32. *Const. 1. Iulij II. n.* 61. aduertit quòd Pyrrhus in sua Cõst. §. 8. concessit, vt Minimi possent absolui ab omnibus casibus ipsi reseruatis, quod deinde confirmauit ex certa scientia Sixtus IV. & Iulius II. in præfata Const. §. 1. & quòd in eo §. 32. secundũ eius diuisionẽ addit quod non solùm possint Confessores dicti Ordinis absoluere eiusdem Ordinis fratres, sed etiam quòd possint vbilibet absoluere alias personas. Vbi bene ille cognouit priuilegium illud Pyrrhi, & Sixti IV. respicere ipsos solos Minimos. Iulius verò II. extendens illud, vt Confessores dicti Ordinis possent etiam absoluere seculares, minimè extendit illud quantùm ad facultatem dispẽsandi, sed solùm quantùm ad facultatem absoluendi. Et cum *Casarub. in Compend. priuil. v. absolutio quoad seculares* primò aduertisset non esse securum vti hac facultate dispensandi cũ secularibus, *Corduba ibid.* absolutè docet, & bene, quòd facultas absoluendi se extendit ad seculares, non verò facultas dispensandi, & quòd de anno 1530. Prouincialis vnus Minimorum sibi dixit, eos minimè vti facultate ad dispensandum cum secularibus. Et propterea *Lezana v. Confess. num.* 10 bene aduertit, quòd hæc concessio visa est dubia etiam ipsi *Portel. v. Confess. num.* 33. propter eius amplitudinem, cum non soleat concedi similis facultas nec in Bulla Cruciatæ, nec in Iubilæis. Sed non est dubia, sed manifestè nulla, & nunquam concessa. Nam & licet aliqualis leuis dubitatiuncula esset, an facultas illa Pyrrhi intelligi debeat tantùm de Religiosis illis, tamen est simul euidens eam facultatem ab Archiepiscopo Consentino prouenientem, non extendi vltra illius diœcesim; Sixti verò IV. confirmationem illam non extendisse, quia confirmatio rei naturam non mutat nec ampliat, aut extendit, ex priuilegio ergo Sixti IV. non possunt Regulares dispensare cum secularibus in aliqua irregularitate. Et propterea bene *Diana p.* 11. *tract.* 4. *n.* 3. absolutè tenet, quod Regulares hoc non possint.

812 Addit tamen *Aluiset* aliud priuilegium Eugenij IV. sed quale sit, & vbi reperiatur, & cui datum fuerit, & quanto non refert, nec aliquid addit, vnde prudenter colligi possit. Nam certè in priuilegijs Eugenij IV. supra recensitis vel pro Monachis S. Benedicti Congregationis S. Iustinæ, vel pro Monasterio S. Benedicti Vallisoleti, vel pro Monasterio B. Mariæ de Monte Sion Ordinis Cistercienfis aliquid tale inuenitur. Nec vidi ab aliquo alio fieri huiusmodi priuilegij mentionem. Nec est verisimile, quòd adsit; quoniam Sedes Apostolica non solet concedere Confessarijs facultatem dispẽsandi in irregularitatibus seculares, etiam in priuilegijs, vt putat de priuilegijs Cruciatæ, aut Iubilæi. Quamobrem non est vnde virtute illius assertionis quis tuta conscientia possit eo priuilegio sic enunciato vti.

813 Aliud priuilegium recenset *Portel. v. Confessor num.* 32. *ex compend. D. Hieron. in Hispan. v. absolutio quoad omnes* §. 3. vbi ait posse suos Confessores de Guadalupe dispensare cum secularibus in omni irregularitate contracta ratione alicuius excommunicationis, interdicti, suspensionis, vel celebratione diuinorum, à quibus censuris Episcopi possent absoluere, vel in irregularitate dispensare. Et *eod. verbo* §. 18. concedit, quod semel tantùm dispensare possint in irregularitate Clericorum illã Ecclesiam visitantium, & eos habilitare ex eo solũ quòd existentes publici concubinarij diuina celebrarunt. Idem quoque *Portel. ibid. addit*, quòd Sixtus IV. Minoribus concessit, vt habetur in Monumen. Ord. fol. 68. conces. 131. vt possint suos familiares, qui ad hoc confessorum elegerint absoluere ab omnibus censuris, & dispẽsare cum illis in omni irregularitate, excepto homicidio voluntario, & mutilatione membri. *Lezana autem v. Confes. num.* 10. inquit, quòd cum non viderit illud priuilegium de Guadalupe non potest de illo iudicare. Securum proculdubio non est vti priuilegijs indicatis in compedijs, nisi exprimant an sint oracula, vel priuilegia bullata, & referant Bullas in quibus illa continentur, vt earum tenor possit cõspici, & considerari, & possit videri an priuilegia sint communicabilia, vel potiùs concessa particulari loco ex causa speciali & particulari, & ideo non sint communicabilia.

814 An verò Missionarijs conueniat hæc facultas: dicetur Deo dante, vbi in particulari tractabitur de eorum priuilegijs.

SVMMARIVM.

1 *Ratio, & Ordo dicendorum. n.* 815.
2 *Moniales haberi possunt vt persona extra Ordinem. n.* 815.

De Confessarijs Monialium.

INSPECTIO TERTIA.

815 QVāmuis Moniales, quæ sunt eiusdem Ordinis cum Regularibus non videãtur numerandæ inter seculares, cum sint Religiosæ, maximè si sint subiectæ gubernio Prælatorum eiusdem Ordinis. Nihilominùs quia Moniales non sunt simpliciter eiusdem Ordinis cum viris, & Regulares non habent facultatem audiendi confessiones Monialium etiam suorum Ordinum ex vi intrinseca suæ Regulæ, & potestatis suorum Ordinũ, sed ex speciali concessione, & deputatione Sedis Apostolicæ, quæ in hoc multas dispositiones fecit, ideo

ideo in hac parte possunt Moniales haberi in numero earum personarum, quæ sunt extra Ordines Regularium virorum: & hic locus est inspiciendi qualiter, & sub quibus conditionibus, & modis Regularibus concedatur Monialium Confessiones audire.

SVMMARIVM.

1 *Confessarius debet esse approbatus ab Ordinario. num.819. 817.*
2 *Approbatio quid importet, remissiuè. n.818.*

816 DVbium autem potuerat esse primò, an in Regularibus necessaria esset approbatio Episcopi, ad hoc vt Monialium confessiones audirent. Sed hoc dubium iam est sublatum per Constit.18.Greg.XV. de exemptorum priuilegijs, in qua nedum statutum fuit, quòd Regulares non possint audire Confessiones Monialium etiam suæ curæ subiectarum, nisi sint ad id approbati ab Episcopo, sed ex declarationibus & responsionibus datis à Sac. Congreg. Concilij ad dubia proposita circa eiusdem Constit. intelligentiam in respons. ad 9. dubium habetur, quòd non sufficit approbatio generalis per quam Sacerdos sit approbatus vniuersaliter ad confessiones virorum & mulierum excipiendas, sed requiritur specialis approbatio, pro audiendis confessionibus Monialium. Et quod magis est, quod Confessarius approbatus pro vno Monasterio non potest sine speciali approbatione excipere cõfessiones Monialium alterius Monasterij, vt constat ex respons. d. Sacræ Congregationis ad 10. dubium. Et ampliùs Confessarius datus extraordinarius pro vna vice, non potest nisi pro illa confessiones Monialium audire, sed Confessarij toties sunt ab Episcopo approbandi quoties casus deputationis contigerit. Eadem Sac. Congregat. ad 11. dubium. Vnde est, quod si contingat aliquẽ approbari pro audienda cõfessione vnius, vel duarum, aut trium Monialiũ, non per hoc potest aliarum confessiones audire, sed limitationem seruare debet, nec excedere terminos sibi præfixos.

817 Approbationem verò hanc debere haberi ab Episcopo loci in cuius diœcesi & territorio stat Monialium Monasterium est indubitatum ex dicta Constitut. Gregor. XV. & dixerunt *Barbosa ad sess. 23. cap. 15. num. 10. Concil. Trid.* & tanquam decisum à Sac. Congreg. ex *Barbol. à S. Fausto refert Donatus tom. 3. tr. 13. q. 7.*

818 Quid verò sit hæc approbatio, non desunt qui arbitrentur eam importare iudicium de idoneitate Confessarij. Sed ex *Bordon. tom. 1. resol. 34. Donatus d. tract. 13. q. 7.* arbitratur, qod approbatio distinguatur a iudicio idoneitatis, quia hoc iudicium sit actus intellectus approbatio sit actus voluntatis, sed de puncto hoc satis dixi suprà art. 1. inspect. 1. à num. 187. pag. 41.

SVMMARIVM.

1 *Licentia iniustè negata est valida. n.819.*
2 *Ab approbatione negata datur recursus. n.820.*

819 DVbitatur secundò, an approbatio ab Episcopo iniustè negata haberi debeat vt concessa virtute *Clemen. Dudum de Sepulturis*? Tractat hanc *quæst. Donat. tom. 3. tr. 13. q. 8. & 9.* & tenet negatiuam partem, eamque multis probat. Sed quatenus fundatur in Concil. Trident. & vtitur doctrina, qua DD. hanc partem sequuntur loquẽtes de Regularibus, quibus iniustè negatur approbatio ad confessiones secularium, falsum supponit, nimirum quod ex vi Concil. Trident. sit necessaria approbatio Episcopi ad confessiones Monialium excipiendas, quod certè non est verum, cum sit manifestum, vt probatam etiam est supra, quòd Concil. loquitur de Confessoribus seculariũ, Moniales verò non sunt seculares, sed Religiosæ. Nihilominùs dicitur approbationem iniustè negatam esse negatum validè & Regulares sic non approbatos non posse validè excipere confessiones Monialium. Nam approbatio ista Episcopi est ex vi Constit. præfatæ Gregor. XV. omnino necessaria conditio sine qua Regularis Monialium confessiones audire non potest, & eiusdem Constitutionis determinatio habet derogatorias amplissimas omnium priuilegiorum, aliàs verò licentia, aut consensus iniustè negatus ex natura rei non habetur, nec haberi potest pro cõcesso, & quod adduci potest ex *cap. licet.* de Regularibus, vbi licentia transeundi ad strictiorem Religionem si sit negata, habetur pro concessa, non probat, quia id est verum vbi lex non præcipit, nisi quòd licentia petatur, nõ verò vbi lex vult vt licentia obtineatur, sicut in præsenti vult Constit. præfata, vt habeatur approbatio Ordinarij, & non decernit, vt solùm postuletur. Ideo etiam si Episcopus iniustè denegaret hãc approbationem, non per hoc possent Regulares Confessores à suis Prælatis deputati Monialiũ confessiones audire.

820 Adde, quòd iniustitia huiusmodi non potest esse manifesta, aliàs verò in Prælato causa iusta præsumi debet. Et si Episcopus approbationem iam datam potest reuocare ex causa sibi bene visa, si enim admoniti Superiores ad Episcopi instantiã aliquem Confessarium non amoueant, potest ille remouere, & ita quod non tenetur causam reddere vel Confessarijs remotis, vel Superioribus Regularibus, vt habetur ex præfata Constit. Gregor. XV. & declarat Sac. Congregat. ad 12. dubium; multò magis ex causa sibi bene visa potest approbationẽ negare, & cum hoc sit commissum arbitrio & conscientiæ suæ, nec teneantur sui facti reddere causã nisi suis superioribus; bene colligitur non aliud remedium relinqui si approbatio negatur, nisi quòd potest à facto Episcopi recurri ad eius Superiores, & eorum iustitia implorari. Nam aliàs non est, nec censeri potest nullum illud factum quod in substantia est remissum prudentiæ, & conscientiæ facientis, quæ videri non potest, & à solo Deo cognoscitur. Et ad talis facti probandam iniustitiam nedum probandum esset factum esse iniustum, sed quòd in conscientia operantis fuisset tale. Quoniã nec legi nec iustitiæ contra facit, qui secundùm dictamen suæ conscientiæ operatur, quando agere est remissum prudentiæ, & conscientiæ suæ.

SVMMARIVM.

1 *Confessarij debent esse approbati a suis Superioribus. n.821.*
2 *Monialium subiectarum Regularibus proprius Sacerdos est Prælatus Regularis. n.822.*
3 *Confessarium extraordinarium dare spectat ad Prælatum Monialium. n.823.*

821 DVbitatur tertiò, an Confessarius Monialium debeat esse approbatus à suis Superioribus? Respondetur duplici ratione debere esse approbatum. Prima est communis etiam pro Confessoribus qui deputantur ad excipiendas confessiones quarumcumque Monialium etiam nõ subiectarum curæ Prælatorum Regularium. Quia nimirum facultas confessionum audiendarum tributa Regularibus à Summis Pontificibus, data est ijs, qui sunt ad id munus deputati à suis superioribus, vt abundè satis supra pag.47.num.117. fuit probatum. In administratione enim sacramentorum præcipuè Religiosi subiecti sunt obedientiæ superioris, nec possunt eo inuito illa administrare etiam validè, quia iurisdictionis huius non sunt capaces, nisi de superioris consensu.

822 Secunda ratio respicit Moniales subiectas gubernio Prælatorum Regularium. Cum enim quantùm ad gubernium spirituale, & animarum Moniales istæ sint sub iurisdictione superiorum regularium, ad tales superiores spectat prouidere illis de Confessarijs, & ille est illarum proprius pastor, vnde non possunt illæ absolui nisi à Confessario, qui sit sibi à proprio Pastore destinatus, & qui est proprius earum Sacerdos, & Confessarius. Nec obstat, quòd vt dicemus, nec ille possit Moniales audire sacramentaliter nisi sit approbatus, quia hoc solum probat, quòd ad suum munus proprium exequendum conditio necessariò requisita sit Episcopi approbatio, non verò tollit, quin Regularis Prælatus sit earum proprius Sacerdos, & Pastor. Et quòd locum non habeat Sacrorum Canonum necessitas volentium, vt quilibet proprio Sacerdoti peccata sua confiteatur, alijs verò non nisi de consensu Pastoris proprij, siue immediati & proximi, siue mediati, & superioris, seu vniuersalis. Confessor ergo Monialium exemptarum, & subiectarũ gubernio Regularium debet esse approbatus, & datus ab earum Regulari Prælato. *Tamburin. de iure Abbatiss. disp.16.q.2.n.3. Pelizarius de Monial. cap.10. num.160.*

823 Et hoc est verum tam de Ordinarijs, quàm de extraordinarijs Confessoribus, semper enim militat eadem ratio. Vnde non subsistit, quod dicit *Naldus v. Moniales, num. 2.* extraordinarium Confessarium Monialium etiam exemptarum, dandum esse ab Episcopo. Nam *Zipaus de iure Pontif. nouo l.3.num.3.* probat ex decreto Sac. Congregat. Confessarium extraordinariorum huiusmodi Monialibus exemptis dandum esse à proprijs Prælatis, sicut ab eadem Sac. Congregat. responsum fuit Episcopo Antuerpien. anno 1609. Episcopus enim habet quidem ius approbandi dictum Confessorem, sed nec ex vi *Concil. Trident.* habet facultatem dandi talem Confessarium, cum ex vi *Concil. Tridentin. sess.23. cap.15. de reform.* nec sibi competat ius approbandi similes Confessores, cum non sint Confessores secularium, sed Religiosarum sibi non subiectarum. Habet verò hoc ius approbationis ex Constit.18. Gregor. XV. Sed vt declarauit Sacra Congregatio in respons. ad secundum dubium, ex vi talis Constitut. nihil noui iuris ex hac parte induxit illa Constitutio, nec Episcopus ex ea habet ius tollendi, vel minuendi Regularium priuilegia, ideo in præiudicium iuris Prælatorum Regularium non potest Episcopus Monialibus exemptis dare Confessarium, sed solùm potest datum ab eorum Prælato approbare, vt & praxis ipsa confirmat. *Peliz. vbi supra & Tambur.* & apud eum *Polacc. de Confess. Mon. n.4.*

SVMMARIVM.

1 *Parochus cum præiudicio residentiæ non potest esse Confessarius Monialium. n.824.*
2 *Confessarius vnius Monasterij in eius præiudicium non potest esse Confessarius alterius Monasterij. num.825.*
3 *Vicarius Episcopi, vel Iudex non potest esse Confessarius Monialium. n.826.*
4 *Superioribus Regularium, quomodo non competat esse Confessarios Monialium. n.827.*
5 *Regulares quomodo possint dari in Confessarios Monialium eis non subditarum. n.828.*

824 DVbitatur quartò, an Confessarius Monialium possit deputari quilibet Sacerdos? Ex multiplici capite oriri hic potest difficultas. Nam primò difficultas est de Parochis, an possint eligi in Confessarios Monialium. Non posse ex declarat Sac. Congregat. in vna *Parmen. 10. Aprilis 1615. ex Ganante, Aldano, & Nouar.* tradit *Donatus tom.3. tract.13. q.21.* & idem habet *Tambur. de iure Abbatiss. disput.16. q.2. num.5.* vbi etiam refert literas Sac. Congreg. ad Patriarcham Venetum, in quibus Sac. Congreg. præcipit, quod Parochos à se pro Confessarijs Monialium deputatos, reuocet, & ad suas residentias & Ecclesias redire faciat. Sed hoc non esse in vsu affirmat *Pelizzarius d. cap.10. num.171.* Considero, quod in literis datis ad Patriarcham Venetum Curati relicta residentia, officio Confessarij fungebantur. In quo casu certum est, quòd Parochi in præiudicium residentiæ non possunt esse Monialium Confessorij, neque in hoc dispensare potest Episcopus, Nam præterquàmquòd residentia Parochorum in proprijs Ecclesijs est de iure diuino, si etiam consideretur ius Ecclesiasticum sacrorum Canonum, & præcipuè *Concil. Trident. sess.23. cap.1. de reformat.* nõ potest in eo iure dispensare Episcopus, vt abundè satis probatum est supra *q.185. ar.5. à num.138.* Et ideo indubitatum est, quòd Parochi, & Curati, & Vicarij etiam amouibiles, & temporales in præiudicium residentiæ, & officij Parochialis non possunt deputari pro Confessarijs Monialiũ. Sed vbi Parochus sine præiudicio residentiæ, aut officij Parochi & suorum Parochianorum potest etiam fungi officio Confessoris Monialium, non video quòd adsit lex in contrarium. Immò ex alia Epistola data eidem Patriarchæ Veneto 22. Februar. 1593. quæ habetur apud eundem *Tambur. vbi supra*, Sac. Congreg. ex eo quia in hoc nõ potest dari

regula generalis , remittit arbitrio eiusdē vti opera Parochorum, quando id fieri possit sine præiudicio residentiæ & curæ animarum suæ Parochialis . .

825 Ex his verò colligitur, quòd nullus habens curam animarum, ideoque nec Confessarius vnius Monasterij potest in præiudicium curæ animarum eiusdem Monasterij deputari alterius Monasterij Confessarius.

826 Pariter quòd non licet, quòd Vicarius Generalis Episcopi, vel alius habens super eas iurisdictionem fori contentiosi sit Monialium Confessarius, non enim bene conueniunt simul iudiciū fori conscientiæ, & fori iudicialis respectu earumdem personarum, ne iudicium fori conscientiæ reddatur graue, & odiosum, & pœnitentes ex timore iudicij externi & contentiosi arceantur ab integra & fideli suorum peccatorum confessione.

827 Item colligitur, an liceat deputare in Confessarium alicuius Monasterij superiorem Regularem. Negat enim absolutè *Donatus q.22.* Sed ex prædictis respondetur. Quod respectu Monialium sibi subiectarum minimè conuenit, quòd ipse simul fungatur officio Confessarij Ordinarij, quoniam cum sit iudex fori externi, & adesset periculum quòd ipse notitia sacramentali vteretur ad externum regimen, quod est contra iura, & de facili aliqua subditarum mulierum ex timore potestatis fori externi existentis in Confessario non confiteretur integrè peccata sua. Non repugnat verò, quòd superior audiat eas, quæ voluntariè illum eligunt in confessarium, sicut etiam praxis ipsa demonstrat, & approbat expressè Sac. Congregar. in responsione ad septimum dubium ex propositis circa Const. Gregor. XV. ibi, *in Confessionibus audiendis illarum tantùm, quæ sponte ac proprio motu id ab eis petierint.* Sed si loquamur respectu Monialium non subditarum superiori Regulari eadem est ratio de illo, & de Parochis, seu Curatis, & possunt deputari in confessarios non obstante quòd sint superiores, si id fieri possit sine præiudicio exercitij officij sui.

828 Secunda difficultas est ex parte Regulariū an possint deputari in confessarios Monialium, quæ curæ illorum non sunt subiectæ, sed spectant vel ad Episcopos, vel ad prælatos aliorum Ordinū. Sacram enim Congreg. sub die 1. Octobris 1602. decidisse, quòd Ordinarij non possunt vti opera confessariorum Regularium etiam pro confessionibus extraordinarijs suarum Monialium, nisi in casu necessitatis ex *Barbos. & Guyanto refert Tamburin. de iure Abbat. disp. 16. q. 2. nu. 4.* vbi ex *Polacc.* refert literas Sac. Congregat. ad Patriarcham Venetum, datas 12. Maij 1617. in quibus & asseritur, quòd per decreta generalia Sac. Congreg. prohibitum est Ordinarijs vti opera confessorum Regularium pro Monasterijs Monialium sibi subditarum, & mandatur eidem vt remoueat huiusmodi confessores Regulares, quos deputauerat, & quòd in posterum eisdem non vtatur ad tale munus sine licentia Sac. Congregar. & postea refert alias literas datas 7. Iunij 1620. in quibus eidem Patriarchæ Veneto conceditur, vt Regularium opera vti possit ad audiendas confessiones Monialium ob penuriam Sacerdotum secularium. Et ex his hoc idem docet *Donatus d. tr. 13. q. 28.* Nihilominùs *Pelizzarius de Monial. cap. 10. num. 171.* asserit praxim esse, vt Regulares dentur in confessarios extraordinarios Monialium. Et *Donatus vbi supra q. 26.* censet Religiosos vnius Ordinis posse deputari in confessarios Monialium alterius Ordinis.

SVMMARIVM.

1 *Confessarius Monialium debet esse ætatis maturæ 40. vel 45. annorum. n. 829.*

829 DVbitatur quintò. Qualis ætatis debeat esse confessarius Monialium? De iure cōmuni nulla ætas nisi ad Sacerdotium necessaria, sed huiusmodi confessores debere esse maturæ, & prouectæ ætatis ratio ipsa demonstrat, & ex decretis Sac. Congregar. est manifestum. Vnde in hoc tam generalia, quàm specialia Synodorum statuta seruanda sunt. In literis scriptis ad Patriarcham Venetum apud *Tamburinum loco supra citato* sub die 12. Maij 1617. mandatur, vt seculares eligendi in confessarios superent annum 40. sed in alijs datis 7. Iunij 1620. pro Regularibus decernitur, quòd sint ætatis annorum 45.

SVMMARIVM.

1 *Septem Conditiones Confessarij Monialium. numer. 830.*
2 *Prima Potestas Ordinis, & iurisdictionis expedita.* num. 831.
3 *Secunda, Scientia Iudicis, Medici, & Doctoris.* num. 832.
4 *Tertia, Morum integritas, n. 833.*
5 *Quarta, Prudentia. n. 834.*
6 *Non licet præbere Hostiam non consecratā pro cōsecrata ad experimentum bonitatis Monialis.* numr. 835.
7 *Quinta, Pura Charitas. n. 836.*
8 *Sexta, Discretio. 837.*
9 *Septima, Patientia. n. 838.*

830 DVbitatur sextò, an & quas morales conditiones debeat habere confessor Monialium? Respondetur, quòd conditiones requisitæ in Monialium confessario sunt Septem, nimirum potestas, scientia, prudentia, morum probitas, charitas, dexteritas, seu discretio, & summa patientia.

831 Primò requiritur potestas, quæ summè necessaria est, & sine qua confessiones essent nullæ. Est verò necessaria duplex potestas, scilicet Ordinis, & iurisdictionis, vt scilicet sit Sacerdos à legitimo superiore & seruatis seruandis ad id munus deputatus. Est verò necessarium vt habeat hanc potestatem expeditam, & non ligatam aliqua censura, aut Ecclesiastico impedimento, & si habet limitatam & non extensam ad casus aliquos reseruatos, non debet extendere limites potestatis sibi concessæ.

832 Secundò requiritur scientia. Sed cum Monialium confessarius sit Iudex, Medicus, & Doctor Monialium, debet habere scientiam Iudicis, Medici, & Doctoris. Vt Iudex debet scire formam absolutionis, & quantum ad materiam scire distinguere inter peccata mortalia, & venialia etiam in particulari in singulis præceptis modo talem cō-

muni

muni, & Ordioario; item ſcire ſpecies peccatorum, oumerum, & circumſtantias; item diſpoſitionem neceſſarlam in pœnitenre, vt ſit espax abſolutionis; Item caſus reſeruatos, & quæ peccata habeant annexam cenſuram, aut obligationem reſtituendi. Inquantùm verò eſt medicus debet cognoſcere morbos, & prauss monialium inclinationes, & remedia, quibus morbos ſanare poſſit. Ideoque ſcire communes regulas, quibus pœnitens excuſari poteſt à peccato mortali, vel ab obſeruantia præceptorum, cuiuſmodi ſunt ignorantia inuincibilis, insduertentia, obliuio, impotentia, neceſſitas, leuitas materiæ, metus grauis. Item ſcire debet quæ remedia cuicumque peccato adhiberi poiſint: item qua via, quibus medijs monialis inſtrui & dirigi debear in viam perfeſtionis. Vt Doctor verò ſcire debet quæ ad fidem ſpectant, & ad naturam, & dignitatem ſacramentorum, vt inſtruere poſsit moniales circa huiuſmodi quatenus opus fuerit. Item ſcire debet ad quid obligent vota Religionis Regulæ, & Conſtirutiones, & leges monaſteriorum; item quæ pœnæ latæ ſint in moniales leges ſuas violantes, & ſimilia, quæ ad inſtructionem monialium neceſſaria eſſe poſſunt.

833 Tertiò requiritur morum integritas. Ex duplici ratione hæc eſt neceſſaria In Confeſſario Monialium. Primò ex ratione communi, quoniam nec ſacramenta dignè ab impio adminiſtrantur, & irracionabile proſus eſſet, vt Confeſſor prauo exemplo moniales ſibi ſubditas ſcandalizaret, & tanquam Phariſæus vnum diceret, & contrarium faceret. Sed ſecundò ex ſpeciali ratione ſui officij eſt in Confeſſario Monialium neceſſaria nedum communis, & ordinaria bonitas, ſed perfectionis excellentia. Subiectas enim habet animas, quæ ſunt in ſtatu perfectionis, & quæ ea vi ſtatus ſui tenentur ad perfectionem tendere; ideo ſi ille non ſit in perfectione vitæ exercitatus, orationi daditus, ieiunijs aſſuetus; niſi domitas paſſiones ſuas habeat, & ſe ipſum perfectè non abnegauerit, & operibus ſupererogationis aſſuetus non fuerit, minùs aptus erit, vt ſciat, & valeat Moniales ſibi ſubditas ad orationis frequentiam, paſſionum moderationem, concupiſcentiæ temperamentum, charitatis feruorem, & ad alia quæ perfectionis ſunt inducere.

834 Quartò requiritur maxima prudentia, & circumſpectio in interrogando opportunè, in applicando congruè remedia, in remouendis occaſionibus delinquendi, in bonis motibus ſuggerendis; in extirpandis prauis habitibus, In vitanda nimiæ familiaritatis ſuſpicione, & qualiſcumque acceptionis perſonarum, in pœnitentijs imponendis, & ſimilibus. Sed præcipuè maxima opus eſt prudentia, ne permittat quòd aliqua à malo ſpiritu ſub ſpecie Angeli decipiatur, & vt ſciat diſcernere an monialis quam dicit ſe diuina pati, ad cœleſtes illuſtrationes extraordinarias bono ſpiritu ducatur. Circa quod inſpici primò debent monialis mores, ſi ſit virtutibus prædita; ſi votorum conſtans; ſi Regulam ſeruet; ſi ſuperiorum mandata cuſtodiat; ſi ſit humilis & acquieſcens ſuperiorum monitis, & conſilijs, & Confeſſoris directioni; ſi ſe ſinat duci, & regi cum omnimoda, & humili ſubiectione; ſi occaſione illuſtrationis aut gratiæ conceſſæ aliquid occurrat quod ſit malum, aut minùs bonum, aut quod a bono auocet, & ad minùs bonum ducat, & auertat à propoſito bonitatis, & ſanctioris profectus; ſi occaſione eiuſdem gratiæ aliquid occurrat quod animum defatiget, angat, & perturbet, ablata priori tranquillitate animi; ſi ea gratijs ſibi conceſſis non in ſui demiſſionem, & humilitatem, ſed potiùs in aliquam elationem rapitur; Et multa alia ſimilia conſiderari poſſunt, quæ latiùs, & diffuſiùs conſiderauit & expendit noſter P. Grauina in tractatu de viſionibus.

835 Quamobrem curabit Confeſſor, vt omnia nudè, & candidè ſibi narrentur, & detegantur, ſimilemque monialem in ſui ipſius abnegatione exerceat, aliqua etiam opera mortificationis iniungendo. Quod verò *Pelizar. de monial. cap. 10. ſect. 3. ſubſec. 1. num. 159.* valde inclinat, quòd adhoc vt Confeſſarius cognoſcat an verum ſit, quòd monialis dicit, ſcilicet, ſe viuere ſine alio cibo, ea ſola ſumpta Euchariſtia, liceat præbere illi hoſtiam non conſecratam pro conſecrata, ex fundamentis à ſe ibidem adductis, nullo modo admittendum eſt. Et quidquid ſit de caſibus, & doctrinis ab eo adductis, ex quibus plures nec verè ſunt probabiles, non applicantur ad caſum iſtum, in quo nulla eſt prorſus neceſſitas huius experimenti; Cum aliunde bene cognoſci poſſit, an monialis cibo alio vtatur; Et alias non ſunt facienda mala, vt veniant bona, & mille alijs ſignis malitia monialis, & eius fictio cognoſcetur erumpēte peccato, quod neſcit occultum manere: Et hoc peccatum fictionis huius non erit ſolùm in tali muliere, ſed habebit alia adiuncta ex quibus manifeſtum erit, eam indignam tali gratia. Ideo in hoc ſtandum eſt doctrinæ *D. Th. 3. p. quæſt. 80. a. 1. ad p.* & DD. communiter, aſſerentium non licere præbere hoſtiam non conſecratam pro conſecrata.

836 Quintò requiritur pura charitas, & animarum zelus. Cum enim hoc ſit officium arduum valde ac laborioſum, niſi charitate reddatur facile, & delectabile erit pondus non ſupportabile. Ideo maximè in huiuſmodi Confeſſario neceſſarium eſt vt non quærat, quæ ſua ſunt, ſed quæ Dei, & quòd iuxta Apoſ. documentum 2. Cor. 12. dicere poſſit. *Non enim quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos.* Non ergo hoc munus exerceat ad ſui commodum temporale non ad concipiendam huius vel illius beneuolentiam, non ad percipienda dona, non ad temporale lucrum, ſed ad ſpiritualem profectum monialiū ſibi commiſſarum, ad promouēdas eas in perfectionem, & ad augendum in illis ſancti amoris feruorem, pariterque ad propriam ſalutem medio eo officio promouendam.

837 Sextò neceſſaria eſt dexteritas, ſeu diſcretio. Hac enim opus habet monialium Confeſſor, & ad obtinendam confeſſionem peccatorum grauiorum, quæ mulieres ex verecundia ſolent occultare; Tum ad conciliandos priuatos rancores, & odia, quæ pullulant inter eas; Tum ad reſecandas amicitias pernicioſas: tum ad remouendas occaſiones proximas peccatorum: tum ad moderandam conuerſationem externorum: tum ad vitæ communis, & Religioſæ amorem excitandum, & fouendum; tum ad retinendum ab indiſcretis vigilijs, & abſtinentiis: tum tandem ad vnamquamque illarum ſecundùm viam ei proportionatam ad perfectionem perducendum. Niſi enim maxima dexte-

ritate vtatur moniales, quæ sunt fœminæ ratione sexus, & naturalis complexionis ad malum prociuiores, & proprijs affectionibus addictiores, non habebit eo bonum obsequentes. Omnia ergo omnibus debet fieri, vt omnes Christo lucrifaciat, & gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, vt adaptans se ad omnes, omnes suauiter in bonum moueat, & ducat.

838 Septimò summa est opus patientia in fœminarum confessionibus audiendis, vt Confessor ex causa vtili ad salutem Monialium patienter audiat nugas, quas illæ sæpius confessioni peccatorum inutiliter admiscent, vt expiscetur veritatem sinceram earum, quæ ipsæ referunt modò affirmantes, modò negantes; vt sinat protrahi confessionem ad diffusos discursos, quæ compendio breui posset expediri; vt ferat idem peccatum in eadem confessione iterum, ac iterum exprimi sine vlla necessitate, vt insurgentium scrupulorum nubes dissipet, vt pusillanimes in spem salutis æternæ erigat, vt remissionem iniuriarum animo tenacius adhærentium suadeat, vt inducat ad fugam occasionum peccati, vt priuatas amicitias, & non conuenientes eradicet, vtque sustineat muliebrem leuitatem, inscitiam, & inconstantiam.

SVMMARIVM.

1 *Prælati Regulares non audiunt confessiones monialium nisi sint ad hoc approbati ab Episcopo. num.839.*

839 Dubitari potuisse, an Prælati Regulares sine approbatione Episcoporum possint monialium sibi subditarum Confessiones audire? Sed hoc est iam definitum per Sacr. Congreg. in respons. ad 7. dubium ex propositis circa Constit. 1 S.Gregor. XV. de exemptorum priuilegijs, vbi expressè decernitur hanc Episcoporum approbationem etiam pro superioribus Regularibus respectu monialium sibi subditarum esse necessariam. Arbitratur verò *Pelizer. d. cap. 10. num. 66.* quòd superior Regularis possit independenter ab Ordinario suis monialibus deputare Patrem spiritualem, siue eiusdem, siue alterius Ordinis, siue secularem sacerdotem, qui eas extra Confessionem instruat, & regat, & sine erroris periculo in viam salutis dirigat. Quia Prælati Regulares hoc poterant facere antequam emanasset Constitut Gregor. XV. per illam verò approbatio Episcoporum decernitur necessaria solùm ad audiendas Confessiones. Verùm hic attendi debet, ne dum vnum peccatum fugimus incidamus in aliud. Etenim Episcopus est etiam Clausuræ Custos, & iam in multis locis nō possunt Regulares soli dare licentiam ad loquendum cum monialibus sibi subiectis, sed requiritur etiam licentia Episcopi. Immò nec Episcopi, nec Prælati Regulares possunt Regularibus concedere licentiam accedendi ad monasteria, & loquendi cum monialibus nisi in aliquibus casib. expressis sine licentia Sacr. Congregat. ideo Prælati Regulares in præiudicium legum clausuræ monialium non possunt monasterijs deputare Patres spirituales, sed eorum est moniales per se ipsos, & Confessarios, & Ordinarios Concionatores instruere, & dirigere.

SVMMARIVM.

1 *Episcoporum approbatio necessaria ad audiendas confessiones puellarum existentium in monasterijs monialium. nu.840.*

840 Dubitatur octauo, an Episcoporum approbatio sit necessaria etiam ad excipiendas Confessiones puellarum secularium, vel fœminarum, quæ intra monasteria viuunt, vel etiam nouitiarum nondum professarum. Videtur enim præfatas non comprehendi sub Constit. Gregor. XV. quia ipsa requirat approbationem solùm pro monialibus, sub nomine verò monialium in odiosis non veniunt seculares vel nouitiæ; si ergo aliàs Confessor non approbatus possit accedere ad monasterium, poterit etiam audire præfatarum Confessiones etiam si non sit approbatus ab Ordinario pro monialibus, dum sit approbatus pro secularibus. Ita ex *Neldo, Beldelle, & Stephano de S. Gregorio Pelizerius sed. 10. sec. 3 subsect. 4 nu. 167.* subdens aliquos hoc extendere etiam ad Abbatissam, quæ non veniat in odiosis sub nomine monialium. Verùm præfata resolutio est contra mentem Pontificis in præfata Constit. in qua sub nomine Confessarij monialium non possunt venire nisi Confessarij personarum intra septa monasterij sub clausura viuentium, aliter sequeretur, quòd Confessor, qui aliàs nonnisi esset approbatus ad Confessiones secularium, sed solum ad Confessiones monialium monasterij alicuius non possiet audire Confessiones Nouitiarum, vel puellarum, quæ in eo viuunt: & cum dicitur, quòd in odiosis sub nomine monialium non veniunt Nouitiæ, aut seculares, respondetur hoc non esse verum de dispositionibus quæ dantur intuitu communitatis vt viuentis sub clausura monasterij in huiusmodi enim dispositionibus quod statuitur de monialibus comprehendit omnes sub clausura viuentes. Confessarij autem monialium deputantur pro omnibus sub clausura monasteriorum viuentibus. Et quæ viuunt in monasterio communibus legibus monasterij subdi debent. Vnde etiam dato, quòd Confessarij monialium non approbarentur specialiter ab Ordinario, & hoc præciso, non per hoc puellæ in eo viuentes, possent confiteri Confessario non deputato ad Confessiones monasterij, quia ex quo sub clausura viuunt, subduntur legibus clausuræ, ideoque & legi obliganti ad confitenda peccata confessori ordinario, & non alteri, quia intuitu clausuræ & tecti gubernij Confessarius deputatur & limitatur qui solus, si vnus datur, vel tales si deputatur plures, Confessiones existentium in monasterio audiant. Et præterea dum Episcopus approbat communiter ad audiendas Confessiones secularium, non intelligitur approbare ad audiendas Confessiones viuentium intra clausuram monasteriorum.

SVMMARIVM.

1 *Ex vi Iubilæi Moniales posse sibi eligere quemcumque Confessarium, qui teneant. nu.841.*

2 *Alij oppositum sentiunt; Eorum prima ratio infirmatur. nu.842.*

Non

3 *Non valet arguere à Bulla Cruciata, ad Bullam Iubilai. nu.843.*
4 *Nō probatur eadem sententia ex eo quod Confessarius sine licentia non possit accedere ad monasteria. nu.844.*
5 *Approbati ad confessiones secularium non sunt approbati ad confessiones monialium. nu. 845.*
6 *Moniales ex vi Iubilai non possunt eligere Confessarium non approbatum pro illis ab Episcopo. num.845.*
7 *Hoc probat consuetudo. nu.846.*
8 *Moniales habent ius ex vi Iubilai petendi confessarium à superiore. nu.847.*
9 *Episcopi faciles esse debent ad concedendum Monialibus Confessares tempore Iubilai. nu.848.*
10 *Ex vi Iubilai Moniales non possunt eligere Confessarium à suo superiore approbatum non vero ab Episcopo. nu.849.*
11 *Monialibus non suffragatur Bulla Cruciata, num.850.*

841 DVbitatur nonò, an Confessor monialium pro tempore Iubilæi debeat esse specialiter pro monialibus approbatus ab Ordinario? Id non esse necessarium, sed moniales posse eligere sibi virtute Iubilæi quemcumque Confessarium ex approbatis à locorum Ordinarijs, tenent. *Nauar. cons.19. de pœnit. & remiss. cons.19. Portel. v. confessor pro Iubilæo. in add. num.4. Bonac. de pœnit. sacram. disput.5. q.7. p.4. §.1. nu.22. Diana p.5. tr.13. res.12.* vbi retractat, quod dixerat *p.3. tr.4. res.154. Peyr. tom.3. de Priuil. c.4. num.4. Pasqualig. de Iubilæo. quæst.210. Bordon. decis.21. num.6.* Et ratio illorum est, prima, quia Bulla Iubilæi vniuersalissimè loquitur, & facultatem eligendi sibi Confessarium ex approbatis ab Ordinario loci concedit omnibus & singulis Christi fidelibus vtriusque sexus, tam laicis, quàm Ecclesiasticis, secularibus, Regularibus cuiuscumque Congregationis, & instituti. Propterea *Bardus in select. moralib. lib.5. quæst.10.* pro solutione quæst. indicat considerandum, an Iubilæum etiam amplissimum possit suffragari monialibus quantùm ad electionem Confessarij. Ratio tamen præfata nihil probat, quia concludit quòd facultas eligendi confessarium competit etiam monialibus, quod verissimum est, & indubitatum. Sed hæc facultas non se extendit ad omnem Confessarium, sed ad Confessarium ex approbatis ab Ordinario loci; probandum propterea restat, quòd Confessor approbatus pro secularibus, sit approbatus pro monialibus. Inde est, quòd vbi subiungunt, quòd Iubilæum est gratia amplissima, & vniuersalissima facta cunctis Christi fidelibus, inter quos moniales tenent præcipuum locum. Et quòd fauor Principis est ampliandus. Totum verum est, sed si Confessor approbatus pro secularibus est approbatus limitatè pro illis independenter à Iubilæo, & non pro monialibus, præfatæ rationes, & similes nihil probant, quia tales Confessarij non censebuntur esse ex approbatis ab Ordinario loci.

842 Est ergo alia sententia opposita, quæ tenet, quòd etiam tempore iubilæi Confessor monialium debeat esse approbatus in specie pro monialibus. Ita tenent *Rodriq. in Bulla num.24. Alphonsus de Leon de Iubilæo p.2. quæst.9. num.25. Molf. tom.1. tr.7. c.18. nu.31. Faustus de Iubilæo l.4. quæst.78. Pelizar. de monial. cap.9. quæst.13.* quos refert & sequitur *Donatus tom.3. trac.13. quæst.30.* item *Polacbus de Iubilæo sec.41. n.8. Io: Suarez in Enchir. l.5. vers. Indulgentia §. Tempore Iubilæi,* quos sequitur *Cespedes dub.349. num.5.* fundantur isti primò in Constitut.18. Gregor. XV. in qua statuitur, quòd omnes Confessarij monialium tam Ordinarij, quàm extraordinarij debeant esse approbati ab Episcopo, & eò magis, quòd Sacr. Congreg. Concilij ad nonum dubium ex propositis circa Gregor. Constit. decernit, quòd Confessarius Regularis expositus pro secularibus vtriusque sexus non per hoc intelligitur approbatus pro monialibus. Sed neque hæc ratio valet: Constitutio enim Gregor. non respicit Bullam Iubilæi quæ est priuilegium vniuersalissimū expresse extensum etiam ad moniales, sed loquitur de Confessarijs, qui authoritate ordinaria à Prælatis habentibus curam animarum deputantur. Aliàs verò si semel verum sit quòd sub verbis & clausulis Bullæ Iubilæi comprehenduntur moniales, nihil obstat Constit. Gregor. XV. Tum quia non loquitur de Confessarijs concessis à summo Pontifice, Tum quia in omni casu Bulla Iubilæi derogaret illi Constit. nec est vnde fiat vis in Constitut. Clement. VIII. ad instantiam Carmelitarum editæ anno 1596, & Vrbani VIII. incipientis. *In specula militantis Ecclesiæ,* approbantis & ad omnes mendicantes extendentis Constitut. præfatam Clement. VII. in qua statuitur nullum Regularium virtute Bullæ Cruciatæ, aut aliorum indultorum aut priuilegiorum posse eligere sibi Cōfessarios independenter à consensu suorum superiorum. Quia Constitut. illæ loquuntur de priuatis indultis particularibus, non verò de indulto Iubilæi, quod est vniuersalissimum, & quòd hoc sit verum, & indubitatum constat ex Bullis Iubilæi, in quibus Regularibus vtriusque sexus expressè conceditur vt sibi eligere valeant Confessorem ex approbatis ab Ordinario. Vnde sicut Regulares viri possunt independenter à consensu superiorum eligere sibi Confessarium ex approbatis ab Ordinario non obstantibus præfatis Constitut. Clem. & Vrbani VIII. ita nisi aliud obstet, idem poterunt etiam moniales. Nam & quatenus opus esset, Bulla Iubilæi dictis Constitut. derogaret.

843 Secundò id probant ex quadam declarat. Sacræ Congreg. Concilij, quam ex Rodriquez asserente se vidisse eam authenticam, & emanasse iussu Gregor XIII. ad instantiam D. Io: de Ribera Archiep. Valentini, refert Donatus sub his verbis. *S. Cong. Concilij censuit, quatenus gratia Bullæ Cruciatæ pertinet ad Moniales non posse vigore facultatis dicta Bulla concessæ, alios Confessarios, præter eos, qui ad audiendas ipsarum Monialium Confessiones ab Ordinario approbati fuerant, eligere.* Verùm ex hoc nihil probatur. Non enim valet argumentum à Bulla cruciatæ, ad Iubilæum. Illa enim quæ perpetua dici potest, quia singulis annis Bulla illa accipi potest, si valeret pro Regularibus, & monialibus, eorum statum & regulam subuerteret, & inutiliter monialibus deputarentur Confessarij, quia illæ vi facultatis Bullæ Confessarios sibi bene visos aligerent. Sed Iubilæum est gratia, quæ non nisi post multos annos conceditur, & pro causa vniuersalissima, & vniuersalissimè & à Pontifice expressè nominan-

minante Regulares, & moniales, vnde longè est diuersa ratio, nec valet ab vno priuilegio ad aliud arguere & ex vno aliud restringere.

844 Tertiò idem probant, quia sacerdos non potest sine licentia Ordinarij accedere ad monasteria monialium, ideo nec poterit vocatus à moniali aliqua vt Confessiones illius audiat id perficere, cum non possit monialem alloqui. Nec sufficit (inquit Donatus) dicere cum Bordon. quod talis Confessarius sic electus potest sine alia licentia accedere ad monasterium, & monialis quæ ipsũ vocauit, Confessiones audire; quia hoc est petere principium. Hoc enim est, quod quæritur. Aliàs verò Pontifex non censetur dare iurisdictionem suam impeditis. Sed neque hæc ratio probat. Quoniam licentia alloquendi moniales venit per consequentiam necessariò ex vi concessæ iurisdictionis. Dum verò dicitur non esse concessam iurisdictionem, quia hæc non est concessa impedito, benè respondet *Pasqualig. de Iubil. d. q.* 210. quòd hoc verum est de impedimento, quod tollit capacitatem iurisdictionis, vt est impedimentum censuræ, non verò de illis impedimentis, quæ per accidens se habent, & tolli possunt ex vi concessionis iurisdictionis, seu quando ablatio impedimenti venit per consequentiam ad iurisdictionem concessam. Nam aliàs concessa iurisdictione intelliguntur concessa omnia ad eius exercitium necessaria. *l. 2. ff. de iuris. Ordin.*

845 Quartò igitur id probant, quia approbatus pro Confessionibus secularium audiendis in præsenti casu, non potest dici approbatus ab Ordinario loci, quia non est approbatus pro monasterijs. Consistit autem vis huius rationis in hoc, quia limitatè approbatus ab Ordinario loci non est virtute Iubilæi eligibilis ad Confessiones vltra suam limitationem; approbati autem pro secularium Confessionibus audiendis, sunt approbati limitatè, nimirum tantummodò pro secularibus; non potest igitur eligi vltra suam limitationem, vt audiat moniales. Quod confirmatur. Nam Congreg. Concil. ad dubium ex propositis pro intelligentia Constit. 18. Gregor. XV. declarauit, quòd Regularis approbatus pro secularibus ex vi talis approbationis non potest audire Confessiones monialium, igitur approbatio pro secularibus est limitata nec se extendit ad moniales. Item de facto non omnes Confessarij etiam seculares approbati ad Confessiones permittuntur audire Confessiones monialium; igitur signum est, quòd non omnes censentur idonei ad audiendas monialium confessiones, nec approbantur ad id ex eo, quòd approbentur communiter ad Confessiones. Et si dicatur, quòd licet approbati communiter ab Ordinario loci non sint approbati pro viris Regularibus, sed solùm pro audiendis secularium cõfessionibus, nihilominùs ab eisdem Regularibus possunt eligi; respondetur non esse eandem rationem. Episcopus enim in ordine ad viros Regulares, qui non sunt de eius iurisdictione nec approbat, nec reprobat, ideo non est necesse, quòd Confessarij ab eo eligendi sint pro illis approbati ab Episcopo. Et nec Episcopus approbat ad Confessiones limitatè in Ordine ad audiendas Regulares viros, sed suos approbat ad audiendas quascumque quantùm sit ex se ipso; sed ad audiendas Confessiones monialium nullo modo approbat ex eo quòd approbet ad audiendas Confessiones secularium, seu extra Claustra monialium viuentium. Et si iterum dicatur, quòd approbati ad audiendum confessiones illimitatè simpliciter dicuntur approbari ab Episcopo loci; dicitur quòd non censentur simpliciter totaliter approbati respectu omnium simpliciter, sed solùm respectu viuentium extra monialium claustra. Nam respectu monialium requiritur in Confessario specialis idoneitas tam prudentiæ, quàm integritatis vitæ, & perfectionis, vnde ex vi approbationis vniuersalis respectu eorum, qui viuunt extra monasteria monialium, non censentur Confessarij approbati pro monialibus, sed se habent vt approbati limitatè & ad certum genus personarũ, & ideo ex vi Iubilæi non possunt eligi vltra eorum limitationem, vt etiam moniales audire valeant.

846 Et iam consuetudo & praxis in hoc sensu intellexit & intelligit Bullas Iubilæi, vnde hic sensus præferri debet, & moniales in hoc debent sinere se regi ab Episcopis, & sub eorum obedientia gaudere summi Pontificis priuilegio.

847 Moniales tamen habent ius, vt ab Episcopo petant Confessarios in indiuiduo, & hoc nedum in communi, sed earum quælibet in particulari; quia facultas eligendi Confessarium datur etiam monialibus ex vi Bullæ Iubilæi, quæ continet priuilegium personale, vt patet ex illis dictionibus *omnibus, & singulis &c. Bald. 1. cons. 461. numer. 6.* Et ideo omnibus & singulis competit. Et eò magis, quòd fauore singulorum datur, vt vnusquisque possit liberiùs peccata sua confiteri, qua libertate maximè indigent moniales, quæ aliàs habent limitatum Confessarium, vnde illis maximè competit hæc Iubilæi facultas eligendi confessarium. *Donatus quæst 31. num. 5.* vbi refert hoc idem decisum fuisse die 5. Maii 1603. in vna Bonon. vt constat ex dec. 109. Gregor. *X*V. Immò non tenentur moniales eligere Confessarium ex approbatis pro secularibus, quia respectu earum isti se habent ac si non sint approbati. Et aliàs quia approbati vniuersaliter pro monialibus non dantur, restat quòd illæ eligere valeant indifferenter quemcumque, vt tamen approbandum ab Ordinario.

848 Et Domini Episcopi Reuerendissimi licet in hac parte habeant ius approbandi electos à monialibus, ideoque in eorum arbitrio tanquam in arbitrio boni viri repositum sit electionem monialium reijcere, & electum non concedere, tamen id sine iusta causa facere non possunt, & in hac parte potiùs indulgentes se ostendere debent, & meminisse doctrinæ illius aureæ, quam tradidit *D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. a. 4. q. 4. ad sextum,* vbi sic loquitur. *Peccaret autem Sacerdos, si non esset facilis ad præbendam licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeo infirmi, quòd potiùs sine confessione morerentur, quàm tali sacerdoti confiterentur. Vnde illi, qui sunt nimis solliciti, vt conscientias per confessionem subditorum sciant, multis damnationis laqueum iniiciunt, & per consequens sibi ipsis.*

849 Quod verò Peyrinus loco citato nedum asseruit licere monialibus eligere Confessorem ex approbatis ab Episcopo, sed eas posse eligere Regularem qui solum à suo Prælato sit approbatus, meritò reijcitur a *Donato d. q. 30. nu. 8.* Quia Confessores eligendi virtute Iubilæi debent esse appro-

bati

batio ab Ordinario loci, qui ex communi sententia est Episcopus, seu laicorum Ordinarius, vt colig. ex *cap. Ordinarij 3. de off. ord. in 6. & Gloss.* quæ ibi in *v. locorum* habet. *Hoc quod dicit Ordinarij locorum videtur tantum de Episcopis intelligere &c.* & faciunt ad hoc DD. quos refert, & sequitur *Barbosa ad Jess. 23. cap. 15. num. 14. Concil. Trid. de reform.* Ideo data etiam prima sententia, & quòd liceret monialibus eligere vnum de approbatis pro secularibus, non possent moniales vnquam eligere non approbatum ab Episcopo loci.

850 Quòd verò moniales nec sibi eligere possint Confessarium virtute Bullæ Cruciatæ probatur ex Constit. Clement. VIII. data 1599. & specialiter pro Ord. Præd. & alijs Ordinibus confirmata per Constitut. Vrb. VIII. in qua decernitur quòd nec Bulla Cruciatæ, nec alia indulta particularia suffragentur Regularibus quoad facultatem eligendi Confessores, & præter dictas Constitut. adest etiam declaratio Sacr. Congr. quam ex Peyrino ad Constit. 13. Iulij II, refert. *Tambur. d. disp. 16. quæst. 4.* in qua decernitur, moniales ex vi Bullæ Cruciatæ non posse alios Confessores eligere, præter eos, qui pro ipsis sint approbati ab Ordinario.

SVMMARIVM.

1 *In articulo mortis Monialis si habent copiam Confessarij Ordinarij non potest sibi eligere alium. num. 851.*

851 DVbitatur decimò, an monialis in articulo mortis possit confiteri sua peccata Confessori non approbato ab Ordinario & ab eo absolui. *Pelizar. d. cap. 10. num. 170.* quòd si monialis exempta laboret morbo periculoso, & à proprio superiore petat confessarium extraordinarium, tunc superior poterit deputare Confessariũ Regularem, etsi non approbatum ab ordinario, idque à prima die talis infirmitatis. Sed fundatur in doctrina supra numer. 337. reiecta. Quia scilicet in articulo mortis quilibet simplex sacerdos etiam in præsentia Parochi, aut Confessarij legitimi, possit pœnitentem absoluere; quæ certè doctrina admitti non potest, nec debet, vt satis supra est probatum. Ideo licet Monialis in casu necessitatis, vbi nullus esset Confessarius approbatus posset absolui à quocumque Sacerdote, extra tamen casum necessitatis, & vbi possit haberi proprius Confessarius, vel alius ab Episcopo approbatus pro eius Confessione audienda, non potest à non approbato absolui, prout tenent DD. loco citato relati.

SVMMARIVM.

1 *Tempus Confessarij Ordinarij est triennium. numer. 852.*
2 *In Ord. Præd. est biennium: quamuis Generalis solus possit prorogare illud ad triennium, & non amplius. nu. 853.*
3 *Confessarius confirmatus ad secundum triennium non potest deputari pro tertio triennio. num. 854. & 855.*
4 *Confessoris officium non in Confessarij vtilitatem, sed in bonum monasterij confertur principaliter. num. 856.*
5 *Qui casu, & ad breue tempus pro interim est Cõfessarius Monialium potest dari Confessor Ordinarius ad triennium. nu. 857.*

852 DVbitatur vndecimo, Ad quantum tẽpus duret officium Confessarij monialiũm? Cõfessarij monialiũ S. Claræ non posse durare vltra triennũ ex Constit. Iulij II. tradit *Portel. v. moniales n 13.* Hoc idem tẽpus est vniuersaliter tã pro monialibus non exemptis, quam pro exemptis determinatum ex decreto Sacr. Congregationis Episcoporum, & Regularium, dato 15 Februar. 1593. vt referunt *Lucerna Regul. v. Confessarius num. 11. Barbosa in sum. Apostolicar. Coll. 203. num. 5. Lezana p. p. cap. 25. num. 40.* Sed hoc non esse vbique in vsu dixit *Pelizzarius d. cap. 10. nu. 172. & ex Gauant. verb. monialium cura spiritualis num. 7. & 8.* addit *Donatus d. trac. 13. quæst. 18.* quòd huiusmodi Confessarij possunt mutari post biennium, vel triennium ad summum. Et certè non vbique huiusmodi Confessarij durant per triennium.

853 In Ordine Prædicatorũ Confessarios amouendos esse post triennium statutum fuit Romæ 1601. vt habetur in *Glossa Const. dist. 2. c. 1. §. 4. lit. l.* Sed tamen ordinarium tempus est duorum annorũ quàmuis à Generali confirmari possint vsque ad tres annos, nam Romæ 1569. ordin. 13. statutum fuerat, quòd Confessarij monialium haberent præfixum terminum duorum, & trium annorum & Romæ 1583. Ord. 11. determinatè statutum fuit, quòd non maneant vltra biennium. Et ideo Prouinciales non possunt super hoc dispensare, & extendere officium Confessarij ad triennium, sed hoc est Generalis, qui tamen non potest officium prorogare vltra triennium propter decretum Sacr. Cõgreg. nisi in aliquo casu ex necessitate & epijcia liceat contra verba legis agendo mentem legis obseruare, officium hoc prorogando vltra trienniũ. *Pelizz. d. cap. 10. num. 172. Cespedes cap. 23. q. 350.*

854 Sed si detur Confessarius, qui expleto triennio, ad aliud triennium confirmetur à Sacra Congregatione, hoc secundo triennio completo, poterit ne ab Episcopo vel Prælato Regulari cõfirmari ad aliud triennium, vt sic per nouem annos continet officium Confessarij? Affirmat *Pelizzarius d. num. 172. ex Diana, Naldo, & Bordono,* & viris alijs doctis à se consultis contra Cardinalem de Lugo, & Baldellum, & alios etiam à se consultos, & *Peliz. sequitur Cespedes d. quæst. 350.* Tum quia concessum alicui in gratiam non est in eius odium detorquendum *Reg. 61. de Reg. iuris in 6* Neque enim idem contrarios effectus operari habet. *l. Legatum. ff. de Adim. leg.* Tum secundò quia interstitium vacationis intelligendum est via ordinaria, sicut iure ordinario præscriptum est; nam statura, & leges non comprehendunt ea, quæ raró eueniunt & per accidens. *l. nam ad ea ff. de leg.* sicque priuilegium triennij in præsenti casu intercipiens vacatio. nem non est considerandum, sed vacatio fingitur habere suum effectum. Tum tertiò quia in Religionibus est consuetudo, quòd quis post præfixum tempus maneat in officio secundùm rem, licet non secundùm nomen, Prior enim Conuentus fit Præsidens, aut Vicarius, & postea tempore debito eligitur

gitur in Priorem, ac si verè realiter vacasset ab officio. Tum quartò quia inducta ad augmentum non debeat operari diminutionem, vt notauit *Mādosius de priuileg. ad instar. q. 10. gloss. 8. n. 8.*

855 Sed rationes istæ non suadent, & oppositum puto dicendum. Lex enim quæ præcipit ne Confessarij monialium durent vltra triennium, nō respicit titulum officij, sed officium, & existentiā, & durationem illius, & quia non expedit, sicut verè regulariter & vt plurimùm non expedit, quòd eadem persona per maius tempus in officio confessarij perseueret; maximè quòd quasi ineuitabiliter vt plurimum contingit, quòd per trium annorum cursum confessarius sit vel aliquibus inuisus & minus gratus, & aliquibus gratus nimis, vnde & illis deest cōfidentia illa, & securitas, quam petit libertas confessionis, & facilitas integrè explicandi omnia in confessione; respectu verò aliarum, confessarius est minùs aptus, vt eas corrigat, & in viam perfectionis dirigat. Quòd verò confessarius officium exercens vel ex deputatione ordinaria, vel ex priuilegio aut dispensatione per accidens hoc se habet, & tanquam quid extrinsecum, & à lege non consideratum, cuius motiua, & finis ex substantiali duratione officij desumuntur. Et ideo quidquid sit, an confessarius duret in officio ex dispensatione vel ex iure Ordinario, non potest expleto triennio in officio prorogari siue noua dispensatione.

856 Et ad primum in oppositum dicitur primò, quod non esse confessarium non est dispendiū; Hic enim per se nec est confessarij fauor, nec dispendium; quia confessarij officium non debet assumi propter interesse proprium sed propter commune bonum monialiū, cui continuatio in officio per 9. annos est maxime præiudicialis. ideo dicitur secundò quod gratia cōcessa ad fauorē tertij per se considerari debet vt bona alteri, & vt conferens ad vtilitatē alterius, ideo concessum ob gratiā non est continuandum, si id sit in præiudicium eius propter quem gratia prior fuit concessa. Ad secundum negatur assumptum, quia immò pro nihilo habendum est an officium durauerit ex facultate ordinaria, vel ex dispensatione, cum substantia durationis sit illa quæ attendi necesse est, cum ex illa monialibus præiudicium regulariter cōtingat, si duret vltra triennium. Ad tertium dicitur, negando eam consuetudinem adesse in Religionibus. Adest quidem consuetudo, quòd superior expleto officio maneat pro interim ad aliquod tempus donec nouus superior superueniat, & tunc nisi noui Superioris officium vacet, & iuxta leges interstitium verè transierit non potest in Superiorem reeligi. Probandum verò fuisset, quòd esset consuetudo, vt Prior expleto officio permaneret non pro interim sed absolutus superior sub quocumque nomine, & quòd postea possit immediatè eligi in superiorem. Si enim alicubi est hic mos, non erit ibi lex obligans ad interstitium. Ad quartum dicitur, quòd valde diuertit à natura causæ de qua agimus; quia confessoris officium & lex interstitij non est inductum, vel inducta ad augmentum confessarij, sed ad augmentum boni spiritualis monasterij, quod diminueretur, si confessarius qui durauit in officio per sexennium, duraret per aliud triennium.

857 Bene conceditur, quod si contingat quod à casu, & ad breue tempus aliquis sit pro interim datus confessarius monialium, possit per triennium deputari confessor; Non tam quia lex Sac. Congregationis cum sit odiosa est benignè interpretanda, vt vult *Peliz.* Quia hæc lex non debet censeri odiosa, sed simpliciter fauorabilis, quia hic non debet considerari commoditas, vel incommoditas personæ confessarij, cum officium hoc non sit institutum nec detur pro confessarij commoditate, & vtilitate, sed pro vtilitate spirituali Monasteriorum monialium, quibus interstitium post triennium est per se moraliter valde fauorabile, sed quia lex non considerat hoc modicum durationis quod ex accidenti contingit. Nam alias si per tempus notabile, qui per modum supplementi fuisset confessarius, posset institui confessor in titulum, sed non ad triennium cōpletum, ne lex contra id, quod intendit, scilicet contra id, quod pro vtilitate Monasteriorum statuit, frustraretur.

SVMMARIVM.

1 *Confessor ex causa potest reuocari ab Episcopo, si non reuocet suus Prælatus. n. 858.*

2 *Episcopus non tenetur reddere causam reuocationis. n. 858.*

858 DVbitatur duodecimò, An durante triennio confessor Regularis possit ab Episcopo remoueri ab officio? Clara est huius dubij resolutio ex præfata Constit. Gregor. XV. Ex qua habetur, quod Episcopus ex causa potest admonere superiorem Regularem vt confessarium reuocet, & si superior id præstare recusauerit, ipse eum potest reuocare, & ab officio tollere. *Peliz. d. cap. 10. n. 172. Donat. d. tr. t. 3. q. 16. Cesped. d. q. 350. Barbosa d. Collect. 203. num. 17.* Non potest verò id facere sine causa, vt ex *Sell. in select. Canon. c. 30. n. 18. & Lucern. Regul. v. Confessor num. 11.* tradit *Donatus d. tract. t. 3. q. 19.* Episcopus tamen causam ob quam ad id mouetur non tenetur eisdem Regularibus manifestare, vt declarauit Sac. Congregat. Concilij in respons. ad duodecimum dubium: vbi tamen eadem Sac. Congregat. Episcoporum conscientiam seriò onerauit, ne facultate sibi in hac parte tributa abutantur, eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri. Quod vero hic dicitur de confessarijs tam de Ordinarijs, quàm de extraordinarijs debet intelligi, vt aduertit *Peliz. d. n. 172.*

SVMMARIVM.

1 *Moniales non possunt confessorium sibi datum recusare, licet possint rationes non acceptandi proponere. n. 859.*

2 *Moniales tenentur confiteri confessori Ordinario. num. 860.*

859 DVbitatur tertiodecimò. An Moniales Confessarium sibi ab Episcopo vel Prælato suo deputatum possint recusare? Posse ex causa rationabili affirmat *Donat. d. tract. t. 3. q. 20.* Tum quia cōfessarius æquiparatur Parocho, quem populus ex iusta causa potest recusare, *arg. cap. Vt circa elect. de elect. in 6.* Tum quia confessio sacramen-

mentalis debet esse libera, & voluntariè & libenter facta, vt Theologi ducent cum *S. Thom. 4. d. 17. a. 3. q. 4. & Nauar. c. 5 num. 7.* Quæ rationes etiam magis vrgent in confessarijs extraordinarijs, qui dantur vt moniales possint liberiùs confiteri. Mihi in hac parte displicet hic terminus *recusare*, qui non habet locum, vbi est obligatio obediendi. Sicuti plebi, & Religiosi siue viri, siue moniales tenentur Pastoribus, seu superioribus obedire. Ideo in præsenti possunt quidem moniales recurrere ad superiorem, & eius prudentiam, & charitatem interpellare ostendendo illi causas, ob quas iudicant cōfessarium illis destinatum non esse idoneum, & rationabiliter eis innisum, & tenetur superior eas examinare, & si iustæ sunt eas acceptare, & alium confessarium deputare; quia superior in his non est dominus, vt sufficiat ei pro ratione voluntas, sed est Minister Christi, qui vult vt officia sua fideliter dispensentur ad vtilitatem ouium suarum, & non in destructionem, & scandalum. Et debet in hac parte considerari, quod nimis graue onus est, vt personæ, & præcipuè mulieres obligentur & necessitentur ad confitenda peccata sua homini à quo auersum animum habeant. Sed nihilominùs & sæpe sæpius pessimè prouideretur conscientiæ illarum, si ad earum desiderium deputarentur confessarij, & raro contingeret, quod omnes in eundem conuenirent & quod immo pars illarum non ideo repugnaret, & nollet confessarium admittere, quia est ab alijs postulatus. Ideirco si contingat, quod moniales recusent accipere aliquem in confessariū, earum rationes ponderandæ sunt, & examinandæ, & si sint friuolæ nihili faciendæ; & ex inobedientia proueniant, non admittendæ. Et pro rerum circūstantijs si aliud fieri non possit minus malū est permittendum. Cæterùm vbi ipsis auditis, & earum rationibus cōsideratis superior absolutè velit, quod illæ, accipiant talem in confessarium, illæ tenentur obedire, nec possunt illum recusare. Sicut nec plebs potest recusare Parochum.

860 Ex quo etiam colligitur, quod huic confessario Ordinario illis à superiori deputato, omnes moniales confiteri tenentur. Est enim veluti earū Parochus, & proprius Sacerdos, ad quem omnes tenentur accedere. *cap. omnis vtriusque sexus, de Pænit. & remiss. Donat. q. 23.*

S V M M A R I V M.

1 *Prælati monialium sibi reseruant casus. n. 861.*
2 *Episcopi in ijs, in quibus moniales exempta sunt sibi subiecta potest sibi reseruare casus. n. 862.*
3 *Moniales subiecta Episcopis sunt subiecta ordinaria reseruationi casuum. n. 862.*
4 *Confessores Regulares nec virtute priuilegiorum absoluunt moniales à casibus reseruatis Episcopo num. 763.*

861 DVbitatur decimoquartò. An & quando confessarius possit moniales absoluere à casibus reseruatis? Superiores enim monialium posse sibi aliquos casus reseruare, à quibus Ordinarij confessores non possint absoluere, indubitatum esse debet ex *Concil. Trident. sess. 24. cap. 7. de reformat.* Quàmuis hanc reseruationem debere fieri a Prælatis Regularibus non nisi seruata forma statuta à Clem. VIII. circa casus à Prælatis Regularibus reseruandos, doceat *Donatus to. 3, tr. 13. q. 32.*

862 In hoc vero distinguendum est. Nam cum non possit esse dubium, quod quilibet Prælatus respectu monialium sibi subiectarum possit sibi reseruare casus, dubium esse potest de Episcopo respectu monialium exemptarum. Verùm quantùm ad ea, in quibus moniales exemptæ subduntur iurisdictioni spirituali Episcopi, vt sunt ea, quæ ad custodiam clausuræ spectant, circa quæ Episcopus etiam per censuras potest procedere ex *Concil. Trident. sess. 25. cap. 5. de Regul. & Const. 18. Greg. XV.* sicut Episcopi possunt præcipere, & prohibere obligando in conscientia moniales etiam sub censuris, ita etiam possunt sibi reseruare absolutionē à transgressionibus suorum præceptorum, non vero possunt se ingerere circa alia, & alios casus sibi reseruare in ordine ad huiusmodi moniales eorum curæ & iurisdictioni nō subiectas. *Donatus d. tr. 13. q. 33.* Circa proprias vero, nedum possunt sibi reseruare casus, sed dicendum est moniales Episcopo subiectas teneri, & ligari casibus ab Episcopo generaliter reseruatis, vt tenent *Peliz. cap. 10. sec. 1. subsec. 1. num. 50. Bordon. decis. 51 5.* quem sequitur *Donatus. q 34.* Edicta enim Episcoporum generalia omnes illis subiectos afficiunt, & comprehendunt, qui addit *num.* ex *Homob. p. 3. cap. 1. ad fin.* quod reseruata per Capitulum Generale vel Prouinciale respectu Monachorum, intelliguntur etiam reseruata respectu Monacharum, si sint eiusdem Ordinis, & Prælatis Regularibus subiectæ.

863 Ab huiusmodi igitur casibus reseruatis non possunt moniales absolui à Confessarijs Ordinarijs, vel extraordinarijs, nisi habeant ad id facultatem a Prælato, qui casus reseruauit, vt habetur ex *Concil. Trident. sess. 14. cap. 7.* Sed dubium est, an confessarius Regularis possit huiusmodi moniales absoluere à casibus reseruatis in vi priuilegiorum. Et ratio dubij est, quod decretum Congreg. iussu Clem. VIII. editum anno 1601. in quo Regulares prohibentur absoluere à casibus Episcopo reseruatis, intelligitur respectu secularium, Sed dicitur, quod verum est, illud decretum non comprehendere non subiectus Episc. sed tamen esse vniuersalissimum respectu eorum, qui iurisdictioni Episcoporū subiecti sunt, & ideo Regulares virtute priuilegiorum nullum talem posse absoluere à casibus Episc. reseruatis. Et ideo nec cōfessarij Regulares, nec Prælati etiam moniales sibi subditas virtute cuiuscūque priuilegij possunt absoluere à casibus, quos sibi potest Episc. respectu illorū reseruare *Donat. d. tr. 13. q. 33.* Cæterùm quomodo Prælati, & confessarij Regulares possint sibi subiectos absoluere virtute priuilegiorum à casibus Papæ reseruatis, vel in casu necessitatis etiam à reseruatis Episcopis, non est præsentis inspectionis.

S V M M A R I V M.

1 *Confessionalium locus in Ecclesia in loco patenti esse debet. nu. 864.*
2 *Quid vbi Monialis in infirmitate confiteatur. numer. 865.*

868 Romæ tamen habetur de hoc speciale statutum obseruandum in Constit. Sacrosancti Apostolatus officij, S. D. N. ALEXANDRI VII. data 30. Martij 1658. quod est tenoris sequentis, videlicet. *Præterea interdicimus omnibus, & singulis prædictis sub eisdem pariter pœnis colloquia quæcumque cum sanctimonialibus prædictorum Monasteriorum (comprehensis etiam Abbatissis, Priorissis, ac Officialibus) extra actum confessionum, concionum, ac visitationum huiusmodi: adiecta sub similibus pœnis expressa prohibitione, ne quocumque modo permittant, vt eorum socij, aliique Regulares tam professi sub quouis prætextu cum Monialibus colloquantur.*

SVMMARIVM.

1 *Salarium Confessorum, quale. num.869.*
2 *Quid de donationibus Monialium factis Confessarijs DD. sentiant. n.869.*
3 *Moniales ex motiuo affectus non possunt donare. num.870.*
4 *Episcopis commissum prohibere Regularibus monialibus ne donent, & Regularibus ne recipiant. num.870.*
5 *Confessarijs non est dandus victus dietim. n. 870.*

869 DVbitatur decimoseptimò. Quale salarium tradendum confessario à Monialibus? De hoc sequens decretum Sac Congregat. Episc. & Regular. datum sub did 26. Nouembr. 1605. referunt *Barbos. d. Collect. 203. num. 10. & l.1. de iure Eccles. cap. 44. num. 139. & Peliz. d. cap. 10. num. 176.* nimirum, quòd confessarijs Monialium certa annua merces constitui debet, quæ iuxta morem, & qualitatem regionis victui illorum sufficiat, eadémque merces Monasterio in quo degit idem confessarius, si sit Regularis, persoluatur. Cæterum Ordinarij locorum prohibeant monialibus sub aliquibus pœnis non tamen censurarum, ne vltra mercedem illam aliquid cōmunicent, vel priuatim eidem confessori, vel alijs quibuscumq; Fratribus tribuant eisdemq e Fratribus, ne à monialibus etiam sponte oblatum, aut donatum recipiant, sub ijsdem pœnis inhibeant. Sed neque hoc decretum esse in vsu, ait *Peliz. d. num. 176.* Certè apud Regulares in quampluribus locis monasteria monialium conuentibus nec soluunt id, quod & dimidiam partem victus sufficiat; quod & hoc idem in multis locis de monialibus non exemptis id asserit idem *Peliz.* Quoad tùm etiam ad non recipiēdum à monialibus aliquid vltra salarium, seu stipendium *Diana p. p. tr.6. resol.17. post Scartiam epist.158. Theor.395. Faustum l.8. q.227. Paulinum Berti in explicat. Bullæ de larg. mun. quæst. vlt. cas.6. & Tambur. de iure Abbatis disp. 10. q.8. n.5.* affirmant posse moniales de licentia Prælati, vel Abbatissæ vltra salarium præbere aliquid confessario, eo quia huiusmodi largitio non sit donatio sed beneficij remuneratio, immò vt addit *Peliz.* quædam compensatio residui mercedis debitæ. Addit quoque *Tambur. num.4.* quod donatio remuneratoria non est donatio; & quòd cum gratitudinis sit vt reddatur plusquam est acceptum, secundùm *D. Thom. 2.2. q.116. ar.6.* quando donatio excedit valorem meritorum in 4. parte donatio ista non est propriè donatio, sed est datio remuneratoria. Limitat tamen hoc *Diana,* nisi per superioris præceptum speciale sit eis hoc prohibitum. *Donatus autem tom.3. trac.15. q.34.* latè probans ex Const. Clem VIII. de largitate munerum, quòd monialis etiam ex licentia Abbatissæ non possit frequenter suo confessario pecunias multas elargiri, licet sibi à propinquis datas, tandem n.10. admittit, quod monialis suo confessario dare possit de licentia Superiorum, & quantùm ad quantitatem esse putat arbitrarium superiori, eam determinare pensatis causa largiendi, facultatibus monasterij, consuetudine loci, & alijs similibus, & *num. 11.* refert *Vericell. p.p. moral. tr.8. q.52. num.6.* mordicus defendere, Abbatissam absolutè posse etiam prætermissis præfatis circumstantijs concedere moniali, vt suo confessario valorem triginta aureorum det singulis annis, ob solum affectum, quem erga illum habet.

870 Mihi hoc, quod refertur ex *Vericell.* non placet. Tum quia huiusmodi largitio non est in religiosa laudabilis & permissa, nisi sit ex motiuo virtutis, vnde non sufficit quòd sit simpliciter ex affectu. Tum quia cum res quæ sunt Religionis, & ad vsum Religiosarum sint sacræ, ideoque non nisi in vsus pios erogandæ, nec omnino sufficit purus titulus, & nudus virtutis liberalitatis nisi vt ordinabilis in finem Religiosum, & pium, vt supra *q.185. ar.7. nu.88. & q.186. a.7. à nu.460.* est explicatum. Supposita vero largitione virtuosa, & quæ aliàs non sit nec contra votum paupertatis, nec cōtra Constit. Clem. VIII. de largit. munerum modificata, & explicata per Vrbanum VIII. considero quòd in citato decreto non prohibetur ipso facto huiusmodi largitio, sed mandatur Episcopo vt huiusmodi largitiones prohibeant, vnde non extante præcepto Episcopi lex illa non obligat. Et est aliud considerandum, quòd cum Monasteria exempta non subdantur iurisdictioni Episcopi nec ex parte monialium, nec ex parte confessorum nisi circa ea, quæ concernunt administrationem sacramentorum, aliud esset hic considerandum, an per tale decretum sit derogatum exemptioni quam tam confessarius, quàm moniales habent à Summo Pontifice, & an propterea Episcopus posset huiusmodi largitiones prohibere monialibus exemptis, & Confessarijs. Sed dici poterit, quòd huiusmodi largitiones munerum cedere possunt, in aliquem abusum sacramentorum ad quæ administranda confessarius deputatur, & quòd propterea potuit Episcopis committi vt eas prohibeant. Romæ verò ad est circa huiusmodi Constitut. S.D.N. Alex. VII. data 30. Martij 1658. quæ incipit Sacrosancti Apostolatus officij, quæ est obseruanda. Confessoribus quoque monialium victum non esse tradendum dietim tanquam à Sac. Congreg. statutum tenent *Barbosa d. Collect. 203. num.12. & Pelizz. 22. d. num.176.*

SVMMARIVM.

1 *Habitatio Confessarij. n. 871.*
2 *Quid seruandum Romæ. n.872.*

871 DVbitatur decimoctauò. Vbi Confessor monialium debeat habitare? Posse habitare in domo contigua monasterio dummodo ibi non sint lecta ex decreto Sac. Congreg. 7. Martij 1617. & in dicta habitatione non sint rotæ, neq; crates, neque ianuæ quibus pateat aditus ad Ecclesiam ex eadem Sac. Congreg. 13. Septembr. 1583. apud *Gauantum*, tradit *Pelrz. d. cap. 10. num. 177.* apud *Lezaam* etiam *p.p. cap. 25. num. 40.* Romæ autem S. D. N. Alexand. VII. in Constit. *Sacrosancti Apostolatus officij sub die 30. Martij 1658.* decreuit, quòd Confessarij reducerentur ad claustra, & mādauit vt infra, videlicet, *Mandamus, & præcipimus, &c. neque de cætero ampliùs permittant eosdem, seu alios Regulares infra seu prope septa Monasteriorum huiusmodi habitare, idque etiam sub eisdem pœnis præstare, & obseruare teneantur ipsimet superiores supra nominati, aliique pro tempore eorum successores, cuiuscumque gradus fuerint; quibus omnibus expressè prohibemus nedum apud monasteria prædicta peranoctare, aut degere, verùm etiam ac diurnam quidem refectionem sumere, præterquam in casibus necessitatis à Nobis, & pro tempore* Romano *Pontifice approbanda.*

SVMMARIVM.

1 *Moniales singulis mensibus debent communicare. num. 872.*
2 *Hoc tamen est de consilio. n. 872.*
3 *Quid circa Moniales S. Claræ, & Ord. Prædicat. num. 873.*
4 *Non debet eis permitti nimis frequens communio. num. 874.*
5 *Confessiones generales aliquando nocivæ. numer. 875.*

872 DVbitatur decimononò. Quam frequenter monialibus sit permittendum confiteri, & communicare? Hoc certum, moniales teneri confiteri, & communicare semel in anno sicut alij fideles, ex *cap. omnis, de Pœnitent. & remiss.* Difficultatem quidam faciunt an ex præcepto obligante ad mortale teneantur ad confessionem, & communionem menstruam. Videtur enim eas ad id teneri ex *Clem. Ne in agro, §. sanè de stat. Monach.* vbi Monachis præcipitur menstrua confessio. Et ita tenuisse *Caiet. q. 1. de Confessione numerum tom. 1. opusc. trac. 5. de confessione* refert *Miranda de monial. q. 10.* quod in sensu adeo rigoroso intellexit *Caiet.* vt senserit etiam habentem sola venialia teneri singulo mense confiteri, vt adimpleat præceptum dictæ Clemen. Contra quem pro hac parte sensit *Sotus in 4. dist. 18. q. 1. a. 3.* sentiens nimis hoc rigorosum esse, & *Clem.* illam solùm abbreuiasse pro Monachis tempus confessionis, vt cum alij fideles teneantur confiteri solùm semel in anno, ipsi essent obligati ad id singulo mense. Communis tamen sententia est, quòd moniales ex præcepto de iure communi non tenentur confiteri nisi semel in anno & quòd menstrua confessio sit illis iniuncta de cōsilio non de præcepto. ita *Miranda d. q. 10. Piasec. in praxi p. 2. cap. 3. num. 57. Barbos. ad cap. 10. sess. 25. Concil. Trid. de Regular. Suarez tom. 4. de pœnit. disp. 36. sess. 5. num. 9. Fagund. in secundam præcep. Eccles. l. 2. c. 2. n. 18 Peliz. d. cap. 10. a. 6. q. 3. Pasqual. ad Laeret. de Franchis p. p. n. 38. Reginald. Campanil. Hier. Vea. Homobon, Molfes.* quem sequitur *Tambar. de iure Abbatis, disp. 16. q 6.* Et ratio est, quia *Clemen.* illa non comprehendit nisi Monachos S. Benedicti, nec extenditur ad alios Religiosos, & multò minùs ad moniales, vt colligitur ex *Glos. ibi v. singuli.* Et quatenus illa *Clem.* comprehendisset etiam moniales, fuit moderata per *Concilium Tridentin. sess. 25. cap. 10. de Regul.* Cum enim *Concil. Trid.* præcipiat Episcopis, & Superioribus, vt moniales *admoneantur* vt singulis mensibus confiteantur, & communicent, clarè ostendit, quòd imponit solum consilium & quòd non imponit hoc sub præcepto. In quacumq; tamen Religione & Monasterio propriæ leges seruandæ sunt.

873 Moniales S. Claræ primæ & secundæ regulæ teneri ad confessionem menstruam & vt communicent septem vicibus in anno docet *Miranda d. 1. 10.* Addens nihilominùs ex dispensat. Eugenij IV. in nullius similium præceptorum transgressione eas peccare mortaliter. Moniales Ordinis Prædicatorum tenentur confiteri, & communicare de quindena in quindenam, scilicet singulis quindecim diebus.

874 Verùm circa moniales potiùs attendi debet, ne nimis frequenter velint confiteri, & communicare, quàm vt solicitentur ad huiusmodi frequentiam. *S. Bonauentura l. 2. de perfectu relig. c. 77.* dicit, vix inueniri aliquem religiosum non Sacerdotem adeo Sanctum, cui non sufficiat semel in hebdomada communicare, nisi ex speciali causa, vt ratione alicuius solemnitatis, aut extraordinariæ deuotionis. Vnde regulariter non esse passim concedendam monialibus frequentiorem communionem, quàm singulo octauo die dixit *Pelrz. d. num. 178.* quamuis frequentior communio indulgeri possit, vbi Confessor aduertit monialem ex frequentiori communione valde proficere. Et Constitutio Monialium Ordin. Prædicat. vt communicent singulis 15. diebus est valde discreta. Sed hodie moniales quàm plurimæ etiam pluries intra hebdomadam communicant. An verò moniales possint communicare feria 6. Parasceues, vel in missa nocturna Natiuitatis Domini; non est hoc illis speciali ratione aut permissum, aut prohibitum.

875 Debent etiam animaduertere Confessarij, quòd confessiones generales vtiles esse possunt, & inutiles. Nam quibusdam seruiunt ad fomentum scrupulorum, & ad perpetuam inquietudinem mentis, & impedimentum profectus spiritualis.

SVMMARIVM.

1 *Ad hoc vt confessarij ingrediantur monasteria debet adesse necessitas, & licentia. n. 876.*
2 *Necessitas adest, si quod est monasterio necessarium nequit fieri nisi per ingredientem. numer. 877.*
3 *Sufficit moralis necessitas. n. 877.*
4 *Hæc necessitas debet esse rationabilis & manifesta. num. 878.*
5 *Præter necessitatem requiritur licentia, sed ad confessarium pro necessitatibus ordinarijs sufficit licentia generalis, n. 879.*

6 In casibus specialibus non admittentibus moram sufficit præsumpta. n.880.
7 Confessarius potest ingredi pro administratione sacramentorum. n 881.
8 Toties quoties infirma ait se indigere confessione adest causa legitima ingrediendi. n.881.
9 Et tam de die, quam de nocte potest ingredi. numer.882.
10 Potest ingredi si necesse sit monere moniales de imminenti periculo mortis. n.883.
11 Qui comitantur confessarium cum luminibus non ingrediuntur. n.884.
12 Et quæ de mane communicauit non est necessario dandum viaticum eadem die. n.885.
13 Quoties dandum viaticum etiam eidem infirmæ licet ingredi. n.886.
14 Quoties danda extrema vnctio etiam eidem infirmæ. n.887.
15 Et pro commendatione animæ moribundæ. numer.888.
16 Et pro officio sepulturæ. n.889.
17 Et tunc cum socijs necessarijs. 890.
18 Et etiam si sepeliri deberet cadauer secularis, num.891.
19 Et tunc quando portantes cadauer ingredi possint, num.891.
20 Consuetudo non excusat vt ingrediantur in maiori numero, quam petat necessitas. 892.
21 An si casu aliquis in Ecclesia exteriori ex improuiso decedat ministrare illi Sacramenta spectet ad Parochum. n.893.
22 Si intra septa Monasterij sit moribundus ad confessarium spectat ministrare illi Sacramenta. numer.894.
23 Ratione necessitatis Sacramenta ministrantur à Parocho in cuius Parochia est infirmus. n.895.
24 Si fœmina perpetuum domicilium eligens in monasterio decedat ad confessarium spectat illi ministrare Sacramenta & officium funeris peragere, n.895.
25 Quando fœmina censeatur elegisse domicilium in monasterio. n.895.
26 Puellæ quæ educantur in monasterio sunt sub cura confessarij. n.896.
27 Pro celebratione missæ potest confess. ingredi vbi est consuetudo. n.897.
28 Non licet ingredi ad deferendam reliquiam. numer.898.
29 Nec ad impertiendam benedictionem, aut ad benedicendum domum, aut ad exorcizandum. numer.899.
30 De speciali licentia potest ingredi ad benedicendum locum infestatum à dæmonibus. n.900.
31 Nec potest ingredi ad subleuandum à terra Sanctiss. Christi corpus. n.900.
32 Nec ob multas alias causas. n.900.
33 Præter casus ordinarios confessarius non potest ingredi sine licentia speciali. n.901.
34 Possit ne confessarius aliud negotium expedire. num.902.
35 Ingrediens cum licentia & ex iusta causa, licet cum malo fine non subditur pœnis contra ingredientes clausuram ad malum finem. n.903.
36 Confessarius quoties habet causam iustam & licentiam ingrediendi, toties potest sine alia licentia sumere socium. n.904.
37 Confessarius & socius non se debent separare. num.905.
38 In quo habitu confessor & socius ingredi debeant. num.905.

876 DVbitatur vigesimo. Quando & qualiter confessor monialium possit ingredi septa Monasterij lege clausuræ non obstante? Respondetur legem clausuræ monialium non esse adeo rigorosam, vt in casu rationabilis necessitatis non pateat ingressus intra Monasteria monialium. *cap. Periculoso de stat. monach. ibi nisi rationabilis, & manifesta causa existat* Concil. *Trident. sess. 25. cap. 5. de Regul. ibi in casibus necessarijs.* Et Gregor. XIII in Constit. sua 28. quæ incipit *Vbi gratiæ* statuit licentiam non esse dandam ad ingressum in Monasteria monialium nisi in casibus vrgentibus. Duo igitur requiruntur in confessario, vt possit tuta conscientia ingredi in Monasterium suæ curæ commissum, scilicet necessitas, & licentia.

877 Primo necessitas requiritur, ad quam, vt adsit, tria requiruntur. Primum quòd id quod fieri debet intra monasterium non possit fieri à monialibus. Secundum quod possit fieri ab ingressuro, & tertium quod illud sit necessarium, vt fiat. Vno enim horum deficiente, non adesset necessitas ingressus. Si enim id fieri potest à monialibus decenter & commodè, non est opus aliquo extraneo ad illud perficiendum. Et si id quidem non potest fieri à monialibus, sed nec fieri potest ab ingredi volente, nulla est necessitas vt ille ingrediatur. Sic nequit laicus ingredi vt celebret missam, quam no potest celebrare. Sed & his duobus stantibus; si opus faciendum non est necessarium monialibus, nulla est ingrediendi necessitas ad tale opus perficiendum, quia non est necessarium medium, si finis non est necessarius. Sic nulla est necessitas introducendi comediantes ad repræsentationem comediæ. Hæc verò necessitas non est opus quod sit physica, sed sufficit quod sit moralis, vnde sufficit magna vtilitas quæ vt habet *Bonac.* de clausora confertur necessitati. Ideo quòd confessor possit ingredi Monasterium ad perficiendum ea, quæ nō possunt nisi per eum perfici, & sunt Monasterio moraliter necessaria tradiderunt *Rodriq. p. 1. q. 47. a. 4. Miranda q. 2. de monial. ar. 17. Sanchez l. 6. mor. cap. 16. num. 42. Barbosa de off. Episc. alleg. 102 nu. 50. Peyr. ad const. 6. Pij V. num. 30. Tambur. de iur. Abb. disp. 24. q. 1. Peliz de monial cap. 10. num. 217. Bassians v. Clausura, nu. 8. Nicolius eod. ver num. 32. Lezana eod. verb. num. 26.* Et hoc verum est ex quacumque causa oriatur necessitas, siue hæc sit ex parte totius Monasterij, siue plurium, siue vnius solius Monialis.

878 Hæc verò necessitas debet esse rationabilis, & manifesta, *cap. Periculoso de statut. Monach.* Debet esse rationabilis, quia debet esse ex causa rationi conformi, & honesta, & quæ deceat monialium statum, & sit conformis legibus, & Regulæ. Debet etiam esse manifesta, non quia debeat constare populo, sed quia debeat esse nota danti licentiam ingrediendi, vel etiam ingredienti, & non est necesse quod sit manifesta, idest vel notoria, vel certa, & indubitata, sed sufficit quòd sit probabilis, & rationabilis iudicata. *Tambur. d. disp. 24. q. 1. num. 6. Peliz. de Monial. c. 5. n. 157. Bassiani v. clausura n. 8.*

Sed

879 Sed prætereà stante necessitate adhuc requiritur legitimi Superioris ingrediendi licentia in scriptis. Verùm pro Confessoribus ad casus Ordinarios sufficit licentia generalis, & non requiritur specialis, ad ingrediendum pro necessitatibus sui officij, vt tanquam decisum à Sac. Congregat. in vna *Comen. 9. Martij 1609.* tradit *Nicolius in Flosculis v. clausura num. 32.* & vbi etiam esset necessaria specialis, si necessitas non patiatur moram, vel ex causa iusta, sufficeret licentia rationabiliter præsumpta. *Tambur. d. disp. 24. q. 2. n. 1.*

880 Plures verò sunt casus in quibus Confessor pro necessitatibus sui officij potest ingredi clausuram Monasterij. Primus & præcipuus est pro administratione Sacramentum Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ vnctionis; Hæc enim est indubitata necessitas, vbi moniales pro Sacramentis recipiendis non possint accedere ad loca in quibus ab existente extra clausuram possint illis ministrari. Ita DD. supra citati.

881 Quando igitur aliqua monialis sit infirma, ita quòd ad confessionale seu locum in quo possit audiri à Confessario exteriùs existente non valeat accedere Confessor vt eius confessionem audiat, potest ingredi clausuram, & nedum vbi monialis debet confiteri ex præcepto diuino, vel ex præcepto regulæ, vel in orationibus solemnitatibus, vel quando iuxta morem Monasterij reliquæ moniales confitentur, sed toties, quoties ipsa ait se confessione indigere. Sacramentum enim Pœnitentiæ est summe necessarium, & ea necessitate quæ per se est nota soli pœnitenti, ideo toties quoties monialis petit Confessarium, & ait se confessione indigere, toties est licitum Confessario ingredi. *Rodriq. & Miranda locis citatis. Sanchez num. 44. & 45. Tambur. d. disp. 24. q. 2. num. 1. Barbos. d. alleg. 102. num. 50. Portell. v. claus. num. 50. Bassaus nu. 8. Bonac. de claus. q. 4. num. 4. Peliz. n. 220.* & apud eum *Villalobos tom. 2. trac. 35. diff. 47. num. 4. Diana p. 3. trac. 2. ref. 67.* Et hoc extenditur ad moniales mutatas, quæ in hac parte censentur ac si essent infirmæ, vt decreuit Sac. Congregat. in vna *Anconit. 18. Septembr. 1601.* prout refert & tenet *Nicolius v. clausura n. 83.* Et hoc ampliatur, vt tam de die, quàm de nocte hic ingressus liceat. *Tambur. d. q. 2. n. 2. Lezan. v. claus. num. 26. Nicolius v. claus. nu. 35.* vbi quòd Sac. Congregat. reprobauit edictum Episcopi prohibentis ne Confessarius, Medicus, vel Chirurgi ordinarij possint ingredi de nocte pro quolibet casu, absque licentia speciali in vna *Ferrarien. 10. Februar. 1593.* In hac tamen parte si non vrgeret necessitas impatiens moræ, abstinendum esset ab ingressu nocturno, quia hoc æquitas, & ratio suadet.

882 Addunt verò *Peliz. n. 220. & Bonac. d. nu. 4.* quòd posset Cōfessarius ingredi clausuram admonendam moniale de sibi imminenti periculo mortis, quando casus esset, quòd iudicaretur id vtiliter fieri non posse per Medicum, vel aliquam ex monialibus, quoniam hic est casus magnæ necessitatis salutis animæ monialis, in casibus verò similis necessitatis licet Confessario ingredi clausuram.

883 Ingreditur etiam Confessor ad communicandam infirmam, nedum cum ex diuino præcepto, vel ex regula debet communicare, vel iuxta praxim Monasterij aut ex alia rationabili causa moniales communicant, *Rodriq. d. q. 47. a. 4. Miranda d. 2. a. 17. Portel. v. clausura num. 9. Sanchez d. l. 6. c. 16. nu. 45.* Sed & quando ipsa ex deuotione solita erat communicare. Rationi enim consonum est, vt infirmæ afflictæ non addatur afflictio, & ipsa consolatione & solatio non destituatur. Vnde quando dicitur Confessarium posse ingredi ad audiendam confessionem infirmæ quando ipsa ait se confessione indigere, hoc non debere intelligi adeo strictè vt intelligatur de præcisa necessitate, sed interpretandum esse, vt liceat ingredi quando monialis petit confessionem, aut communionem pro sua spirituali consolatione, dixerunt *Sanchez vbi supra Peliz. n. 221. Barbosa d. all. 102. n. 49. Bassaus v. claus. n. 8. Bonac. d. q. 4. n. 4.*

884 In hoc verò casu, qui comitantur Sacerdotem cum cereis accensis ad ianuam Monasterij ingredi non possunt, sed moniales ipsæ cum accensis cereis Sacerdotem vsque ad cellam infirmæ ducunt, *Sanchez n. 46. Peliz. n. 222. Nicolius v. clausura n. 33.* referens hoc decisum à S. Congr. in vna Neapol. 10. Iun. 1616.

885 Si verò contingat casus, quòd monialis, quæ de manè communicauit ieiuna, incurrat ex accidenti imminens & proximum mortis periculū, quod possit iterum eadem die vesperi non ieiuna communicare per modum viatici ex *Diana par. 5. tr. 3. ref. 33.* & aliquibus alijs tenet *Peliz. num. 223.* Sed hæc opinio, quæ est contra communem DD. sententiam supponit falsum, quòd scilicet præceptum diuinum obliget ad communicandum per modum viatici illum, qui manè cōmunicauit, quod non probat, neque est rationabile, quia satis censetur munitus pro via habenda qui cibum sumpsit paulò antè, nec est vnde fidelibus hoc onus imponatur, vt teneantur bis in die communicare contra Ecclesiæ praxim & præceptum. Ideo non recedendum est à sententia communi quam latè explicat & probat *Suarez tom. 3. in tertiam partem, disp. 69. sect. 3.*

886 Supposita etiam sententia eorum, qui docent infirmum in eadem infirmitate posse pluries communicare per modum viatici, & non ieiunum vbi detur interuallum temporis 6. vel 8. dierum iuxta *Tabien. v. communicare nu. 48. & Armillam v. communio nu. 18. Layman. l. 5. tr. 4. c. 6. n. 20.* vel 8. aut decem dierum, iuxta *Suarez to. 3. in 3. part. disp. 68. sect. 5. & Fagund in 3. præcep. l. 3. cap. 5. n. 10.* Quod *Layman* extendit vt ex iusta causa, vt si persona infirma sit assueta frequenti communioni ex maxima eius deuotione, possit altera statim die imminente proximo mortis periculo etiam non ieiuna cōmunicare, de quarum opinionum veritate nunc non disputo; posset Confessarius monialium occasione sic pluries communicandi infirmam clausuram intrare. Non enim priuanda esset monialis solatio, & auxilio, quod competit alijs fidelibus in ea extrema hora mortis, & necessitate salutis.

887 Quantum etiam ad Sacramentum extremæ vnctionis hoc est considerandum, quòd & illud potest etiam in eadem infirmitate repeti. Nam hoc Sacramentum non tam respicit infirmitatem, quàm infirmitatis statum, scilicet quando ex ea imminet mortis periculum, si in infirmitatibus longis vt in hectica, & paralysi contingat, quòd ex accidenti immineat iterum proximæ mortis periculum, & postea conualescat in-

intantùm quòd euadat imminentem de proximo mortem, si post interuallum temporis arbitrio prudentis determinandum iterum incurrat proximæ mortis periculum, potest iterum iniungi. Quod colligitur ex *Concil. Trident. sess. 14. cap. 3. de extrem. vnct.* vbi docet, quòd si infirmus conualuerit, iterum huius Sacramenti subsidio iuuari poterit. Quia verò sunt infirmitates longæ, & aliàs incurabiles, ex quibus tamen per interualla imminet proximum mortis periculum; huiusmodi infirmi dicuntur conualescere maximè in ordine ad necessitatem, & sumptionem huius Sacramenti, quando redeunt ad solitum statum habitualem suæ infirmitatis, & euadunt proximum quod imminebat mortis periculum. Cum verò aliqui interuallum hoc dicunt esse 15. vel 20. dierum, *Henriq. verò l. 3. c. 9. num. 4.* mensem integrum requirat, sed *Mansuete* apud *Peliz. d. c. 10. n. 216.* putet sufficere 8. dierum, *Diana p. 5. tr. 3. res. 96. & Fagund. d. 1. c. 1. nu. 7.* quos sequitur *Peliz.* totum hoc in prudentis arbitrium reponunt. Et hoc est securius, nec tam de facili Sacramentum hoc debet iterari, sed in hoc necessaria est prudentia & arbitrium viri cordati, & docti. In casu tamen in quo cum eadem moniali intra clausuram in sua cella commorante sit opus iterare extremam vnctionem, licitum erit Confessario ingredi clausuram, & illi eandem ministrare. *Peliz. n. 225.*

888 Secundus casus in quo DD. asserunt licere Confessario monialium ingredi Monasterium est ad assistendum moniali laboranti in extremis. Verùm si vera esset declaratio, quam refert *Gauant. v. Clausur. monial. num. 43.* vt factam à Sac. Congreg. in qua decernitur, quòd Confessarius administrato extremæ vnctionis Sacramento recedere debeat, & relinquere infirmam à monialibus iuuandam ad bene moriendum, non liceret Confessario ingredi Monasterium ad assistendum moniali moribundæ. Sed certè vsus est in contrarium, & maximè apud Regulares. Et negari non potest, quod id non sit satis durum, & difficile præsertim monialibus, & maximè, quòd tunc occurrere possint moribundæ inquietudines animi, scrupuli, tentationes, peccata etiam, vnde adsit præsentanea necessitas Confessarij. Cuius etiam tanquam Sacerdotis officium est adiuuare morientes; & nullus fidelium est, qui pro eo tempore non desideret, & pro posse non procuret sibi in morte aliquem Sacerdotem assistere. Quapropter non esse in vsu, quòd Confessarij monialibus laborantibus in extremis nō assistant, dixit *Tambur. de iure Abbatiss. disp. 24. q. 2. num. 6.* & vsum contrarium assistendi scilicet dictis monialibus esse valde rationabilem, tradidit *Lezana verb. clausura num. 26.* Idque licere voluerunt *Sanchez l. 9. mor. c. 16. num. 48. Peyr. ad Const. 6. Pij V. nu. 30. Portell. v. clausur. num. 10. Bassaus num. 8. Nicol. nu 34. Bonac. de clausur. q. 4. p. 4. nu. 4. Tambur. & Lezana cit. Peliz. d. cap. 10. n. 227.* Sed & quod Sac. Congregat. decreuerit, quòd pro commendatione animæ Cōfessarius possit intra monasterium ingredi cum superpelliceo & stola refert *Nicolius d. nu. 34.* & non semel, sed pluries, nimirum in vna Lucen 30. Martij 1589. & in alia Lucen. 22. Decembris 1620. Vbi addit etiam decretum fuisse in vna Bononien. 22. Decembr. 1622. quòd moniali agente in extremis potest ei permitti pernoctatio in sua solita habitatione. Quamobrem cum liceat Confessario ingredi causa commendationis animæ monialis agentis in extremis, licebit hoc toties agere, quoties opus fuerit; & apud infirmam diuturniori etiā tempore manere, & etiam de nocte, & etiam si Cōfessarius sit secularis. *Peliz. num. 229.* Quamuis in his etiam prudentia opus sit, & simul charitate, cū aliàs hæc assistentia laboriosa sit, & non amabilis de se, sed ex religione, pietate, & charitate assumptibilis. Et tandem in his puto seruandam esse consuetudinem locorum laudabilem, & à superioribus approbatam.

889 Tertia causa pro qua Confessarius potest ingredi clausuram monialium est pro agendo funere, & sepeliendis cadaueribus monialium intra clausuram. Quamuis enim *Gauant. v. Monial. claus.* referat Sac. Congreg. sub 13. Septembr. 1583. statuisse, ne monialium Cōfessores ingrediantur clausuram prætextu sepulturæ, aut officium funerale peragendi; nihilominus in multis locis adhuc viget consuetudo, vt monialium cadauera sepeliantur in eorum Ecclesia interiori, & quod propterea Confessarij simul & eorum socij monasteria ingrediantur ad officium funerale habendum, & hac occasione cum essem iuuenis Bononiæ pluries intra monasteria *S. Agnetis, & S. Petri* Martyris adfui ad ministrandum Sacerdoti; vnde vbi est hæc consuetudo, ibi licet Confessario cum socijs iuxta morem ingredi, & funerale officium peragere. *Sanchez l. 6. mor. cap. 16. num. 44. Portell. v. clausura num. 12. Barbosa de off. Epist. alleg. 102. num. 51. Tambur. de iure Abbat. disp. 24. q. 5. num. 1. Lezana v. claus. n. 29. Peliz. 22. num. 231.* Et huiusmodi consuetudinem vigere in pluribus locis Galliç & Portugalliç refert *Tambur. n. 3.* Et quod in quodem Capitulo Prouinciali Ord. Minorum de Obseruantia statutum fuerit, vt ad hunc effectum assumi possint 6. fratres, tradit *Portel. d. num. 11.* Et quòd de monialibus Sanctæ Claræ statuerit Vrbanus IV, vt hac occasione intret Sacerdos indutus alba, vel saltem superpelliceo considerat *Casurub. ver. Ingredi monasteriu circa tertium casum*, & refert *Barbosa d. alleg. 102. num. 51.* Bononiæ in meo Ordine Sacerdos ingreditur indutus nedum superpelliceo, & stola, sed pluuiali, & clerici duo inducti superpelliceo. Quot verò socij assumi possint, arbitrarium putat *Tambur. de iure Abbat. disp. 34. q. 1. num. 2.* Sed tot tantùm assumi possunt, quot sunt necessarij, & hi non sunt nisi sacerdos, & duo clerici, vt etiam pro monialibus *S. Claræ* statuit Vrbanus IV. Verum est, quòd & aliqui assumi possunt ad aperiendam sepulturam, & deponendum cadauer, vt tradunt *Barbosa d. alleg. 102. num. 51. Portell. ver. clausur. num. 12. Bassaus eod. verb. num. 8. Bonac. de claus. q. 4. p. 4. n. 4.* ad quem effectum assumi potest vnus, vel duo Vrban. IV. pro Monial. S. Claræ, vt habetur ex *Casurub. vbi supra* ad hunc effectum concessit vt posset ingredi vnus cum vno socio, vel duobus. Certè non possunt aliqui præter necessitatem alicuius ministerij assumi.

891 Quamuis verò permitti non debeat, vt secularis aliquis sibi eligat sepulturam intra clausuram monialium, vt aduertunt *Barbosa d. alleg. 102. nu. 51. & Lezana*, & vt declaratum à Sac. Congregat. tradit *Tambur. disp. 34. q. 1. num. 2. & ex eo Peliz. num. 233.* nihilominus si casus contingeret,

extra Parochiam, si monasterium sit exemptum; & cum sit extra Parochiam, & non possit ad illam redire, debet à proprio Sacerdote Ecclesiæ in qua est, recipere Sacramenta. Solùm hoc potest habere difficultatem si monasterium nō sit exemptum, sed vel subditum Ordinario; vnde & Ecclesia monasterij exterior possit dici subiecta Parocho intra cuius fines positum est monasterium. Videtur enim dicendum, quòd infirmo intra hanc Ecclesiam moribundo Sacramenta ministranda sint à Parocho illius parochiæ in qua situm est monasterium, quia infirmus intra suæ parochiæ fines est. Parochus enim quoad iura parochialia exercenda habet assistentiam iuris intra limites suæ Parochiæ etiam priuatiuè quoad alios, vt per *text. in c. Fraternitatem & Clem. Dudum §. verum de sepult. Grat. discep. 298. num. 78. Barbos. de Paroch. cap. 26. num. 66. Rota dec. 259. & 766. a. t. p. 1. & dec. 37. n. 1. p. 5. rec.* Et eo magis quòd Confessarius Monialium est proprius Sacerdos monialium, non verò seculariū. Verùm etiam dicitur, quòd Confess. ex quo est proprius sacerdos Monialiū est proprius sacerdos totius monasterij, & Ecclesiæ, & quorumcūq; ibidem existentiū, si nō possint ad propriā redire parochiā pro suscipiendis Sacram. Et ideo ad illum etiā pertinet in simili casu huiusmodi Sacram. ministrare. Vnde est, quod quæcumque mulier ingreditur septa monasterij, dum ibi habitat debet suscipere Sacramenta à Confessario, si infirmetur ad mortē. Quantùm verò ad sepulturam fieri deberet quod fit Romæ, vbi si quis in aliena parochia moritur, ad leuādum cadauer è domo defuncti assistit Parochus loci & parochiæ in qua defunctus obijt, sed à proprio eius Parocho ad locum sepulturæ ducitur, & eidem Parocho quarta funeralis tribuitur. Sic enim si secularis defunctus intra septa monasterij Monialium non esset ibi sepeliendus, sed extra deferendus, posset proprius Parochus leuare cadauer non ingrediendo tamen septa monasterij, vel Ecclesiam si esset exempta. Nam ad leuandum cadauer non est necesse ingredi domum, in qua cadauer manet. Et quarta funeralis eidem proprio Parocho tribui deberet. Quæ quarta ei deberetur etiam, si intra septa monasterij defunctus sepeliretur; quia licet sepultura sit libera, & possint fideles eam sibi eligere vbi voluerint, tamen hoc est verum vt fiat sine præiudicio iurium parochialium. Si tamen secularis mortuus esset fœmina, quæ in monasterio habebat proprium domicilium; quia illius Parochus iam erat Confessarius, illius esset & leuare cadauer extra sepeliendum & quarta funeralis ei deberetur.

896 De puellis verò, quæ causa educationis sunt in monasterio, cum ex vtraque parte sint opiniones, alijs censentibus eas remanere parochianas monasterij, & quod ibi acquirant quasi domiciliū, ideoque maneant sub cura Confessarij tanquam illius oues, alijs id negantibus, vt videre est apud *Sanchez l. 3. de matrim. disp. 23. à num. 9.* ego existimo eas tanquam monasterij incolas domiciliales, & parochianas esse habendas, cum ex Ecclesiæ lege subiectæ sint curæ Confessarij Monialium, & ab eo etiam & non à Parocho suscipiant communionem in Paschate. Nihilominus si sepeliendæ essent extra Monasterium funus pertineret ad Parochum proprij domicilij, & ei deberetur quarta funeralis.

897 Quarta causa est ad celebrandam missam pro infirmis, seu conualescentibus, vbi adest permissio, & consuetudo, quod ex hac causa missa intra monasterium celebrari possit. *Portell. v. claus. num. 9. Barbosa d. alleg. 102. num. 43. Bonac. de claus. q. 4. p. 4. n. 4. Peliz. d. cap. 10. nu. 243.* vbi hoc extendit nedum ad dies festos, sed etiam ad diem ferialem in quo monialis infirma ex deuotione magna cuperet audire missam, vel communicare, vel occurreret festum alicuius sancti eiusdem Religionis. Quāmuis admoneat in hac parte nimium esse vitandum. Et ità certè fieri debet, & attendendi sunt termini præscripti, & considerandum, quòd ingressus huiusmodi non est licitus nisi ex morali aliqua necessitate.

898 Multæ autem numerantur causæ, quæ non sufficiunt ad hoc, vt Confessarius monasterium ingredi valeat. *Peyr. ad const. 6. Pij V. num. 30.* arbitratur licitum esse ingredi monasterium ad deferendam moniali infirmæ insignem aliquam reliquiam, & sic, ait fieri Genuæ, vbi maxima habetur deuotio erga Capitium S. Francisci de Paula. Sed *Peliz. cap. 10. num. 235.* non audet hanc causam approbare, nisi vbi de hoc sit legitima consuetudo. *Tambur. verò d. disp. 24. q. 2. n. 7.* dicit se in hac re ignorare quid dicat *Lezana* negat, & bene id licere nulla enim est hic necessitas huius ingressus, nam & cur non posset à monialibus ipsis deferri etiam tali modò, vt illam moniales non tangerent, & sic satisfieret infirmæ deuotioni? Quāmuis de facili etiam à Confessario deferri possit tunc, cum adest causa ingrediendi legitima ad ministrandum aliquod Sacramentum.

899 Secundò, nec potest ingredi Confessor ad impartiendam moniali benedictionem Episcopalē, seu indulgentiā à Papa vel Legato, vel alio concessam. *Peliz. n. 236.* Tertiò non ad exorcizandam energumenam, vt tanquam decisū à S. Cong. referunt *Barbos. v. monial. clausura quoad egressum nu. 5. Peliz. nu. 237. Tambur. d. disp. 24 q. 4. Lezana v. claus. nu. 28. Bassaeus v. claus. num. 8.* Quartò ingredi non potest ad benedicendum monasterium in die Sabbati sancti, vt teste *Gauant.* declarauit Sac. Congreg. sub 4. Septemb. 1596. *Tambur. d. disp. 24. q. 2. num. 2. Lezana p. 1. cap. 25. num. 40. Peliz. d. cap. 10. num. 238.* Qui tamen addit, quòd vbi Monasterium grauiter infestaretur à Dæmonibus, tunc liceret ingredi monasterium ad benedicendum illud. Cùm ex vna parte huiusmodi infestatio sit monialibus causa maximæ perturbationis & inquietudinis, & ex alia benedictiones Ecclesiasticæ multùm prosint in simili euentu. Et ita, ait, practicatum fuisse Ferrariæ sub Eminentiss. Cardinali Magalotto. Asseritur verò huiusmodi causa vt iusta, non quia liceat Confessario ex ea ingredi sine speciali licentia, sed quia iudicatur iusta ad hoc, vt specialis licentia à superiore concedatur.

900 Quintò non licet ingredi ad sumendam de terra particulam consecratam, si fortè contingat illam cadere in communicando aliquam monialem. *Peliz. num. 239.* Quia in hoc casu ingressus non est necessarius, quia potest permitti in hoc casu necessitatis, vt monialis tangat patenam & media patena eleuet sacram hostiam & per fenestrellam det illam Sacerdoti. Vel potest fieri, vt monialis cui cadebatur eam è terra lingua accipiat, & as-

sumat. Neque enim hoc esset contra legem prohibentem non Diaconis ministrare sibi Eucharistiam, quia lex prohibet manibus Eucharistiam contrectare & sumere, non verò lingua illam lambere, maximè in casu necessitatis istius. In quo postea iuxta rubricam locus vbi cecidit mundari debet, & abradi aliquantulum, & abratio in sacrarium proijci. Sextò ingredi non licet, si forsan contingeret quod mulier maritata intra existens casu sibi pareret, & infans statim baptizandus esset. Nam posset tunc à monialibus baptizari, nec Cõfessarius extra existens censendus esset præsens. *Pelia. n. 243.* Septimò non licet ingredi ad associandos medicos *Tambur, d. disp. 24. q. 2. n. 2.* Octauò ingredi nõ potest ad renouãdum Sanctissimum etiam vbi custoditur in Ecclesia interiori monialium *Bonacina de claus. q. 4. p. 4. n. 4.* quod indubitatum est, si ex parte Ecclesiæ exterioris adsit fenestella, vel ianua tabernaculi per quam possit Confessarius accipere pyxidem in qua seruatur Sanctissimum. Et sine dubio non esset permittendum, quòd Sanctissimum aliter custodiretur, vt in Ecclesia exteriori à tabernaculo non posset accipi.

901 Est etiam considerandum, quòd præter casus ordinarios, & sub licentia generali comprehensos Confessarius ingredi non potest sine licentia speciali. Sicut v. g. ad subleuandam monialem à grauissima tentatione, ob quam videretur exposita periculo desperationis, & ipsa non posset accedere ad crates, seu parlatorium, haberet Confessarius iustã causam ingrediendi. & vult *Pelrz. n. 242.* Sed tamen ingredi non posset, sine licentia speciali Superioris.

902 Confessarius verò ex necessitate ingressus, an possit expedire aliud negotium, ob quod non potuisset ingredi monasteriũ, pendet ex illa quæst. an Confessarius expedito negotio ob quod fuit necesse illum ingredi, teneatur statim recta via egredi de Monasterio. Nam quòd hoc sit necessarium, probatur ex eo, quòd Sac. Congregat. statuit, quòd Confessarius, qui ingreditur clausuram pro administrandis Sacramentis, recta via ire debet ad cellã infirmæ, & administrato Sacramento tenetur non diuertere, nec causa visitandi infirmas, quæ non indigent administratione alicuius Sacramenti, sed recta via redire, & è Monasterio egredi, vt referunt *Lezana p. p. cap. 25. nu. 26. Barbosa in sum. collec. 203. num. 2. Peliz cap. 10. n. 174.* Nihilominus *Diana p. 3. tract. 2. resol. 51.* putat, quòd hic locum habeat paruitas materiæ, quæ excuset à mortali, addens quòd immò *Sanchez l. 6. mor. c. 16. n. 69. Molfes. in sum. tr. 7. cap. 20. num. 42. Rodriq. tom. 1. q. 46. a. 1. Mirand q. 2. de monial. a. 2.* non solùm à mortali, sed à veniali excusant breuiter immorantem, vt si Confessor causa curiositatis breuiter immoretur in videndis ædificijs monasterij. Et ex *Villalobos*, quem non reprobat, *tom. 2. tr. 2. diff. 49. num. 1.* pro parua mora habet quadrantem horæ semotis alijs malis circumstantijs, & malo fine. In suppositione autem huius doctrinæ *Peliz. d. c. 10. num. 244.* arbitratur, quòd Confessarius ingressus ad Sacramentum aliquod ministrandum, hoc peracto possit intra monasterium immorari ad aliud negotium perficiendum, si id intra quadrantem horæ possit expediri. Huiusmodi tamen asserta præfatæ determinationi Sac. Congregationis non conueniunt, quæ petit quòd Confessarius via recta eat, & redeat, vt nec causa inuisendi infirmas alias à recta via declinet, igitur cõsiderandũ hoc est, an scilicet decretum illud Sac. Congregationis fuerit vniuersale, vel potius prouisionale seu particulare pro aliquo monasterio, & an tanquam lex vniuersaliter imposita iuxta stylũ curiæ fuerit Romæ promulgata, si enim hoc esset nulla ex relata sententijs admitti deberet.

903 Quando etiam Confessarius habet verè iustam causam ingrediendi, si simul habeat malam intentionem, & impudicam, non per hoc incidit in pœnas ingredientium clausuram monialium ad malum finem. Ratio est, quia in hoc casu intentio mala est extrinseca ingressui, qui ex fine operis intrinseco est ex causa iusta. Et quia iste nõ ingreditur sine licentia. Et pœnæ istæ feruntur contra actus externos. & vbi actus externus non sit prohibitus, mala intentio operantis nõ facit, vt exercens actum non prohibitum subijciatur pœnis à iure positiuo inflictis. *Pelrz. d. c. 10. nu. 245.* ex simili doctrina *Diana p. 5. tr. 5. res. 46.*

904 Tandem remanet discutienda difficultas, an quotiescumque Confessor habet iustam causam ingrediendi monasteriũ, possit sibi assumere socium, & quidem sine alia superioris licẽtia? Distinguunt DD. inter Confessorem secularem, & Regularẽ, & dicunt, quòd Confessori seculari non sit necesse assumere socium ex eo quia seculares sacerdotes non dedeceat solos ingredi etiam fœminarum domos ad ea, quæ eorum officij sunt. Sed hoc non conuenit Regularibus, quibus ex Regula, & lege status Religiosi conuenit vt nunquam soli incedant, & maximè inter mulieres. Alij tamen distinguunt inter ministeria, & munera Parochialia. Nam alia sunt ad quæ sacerdos nullo indiget socio, sicut est ministerium audiendi confessiones. Alia sunt, quæ socium requirunt, qui adiuuet Cõfessarium, cũ nec sit decens illum adiuuari à monialibus, non enim decet quod mulieres adiuuent sacerdotem celebrãtem, & communicantem, vel dantem extremam vnctionem. vel agentem funus defunctæ. Ideo dicunt, quòd vbi ministerium requirit audire confessiones, tunc Confessor etiam Regularis debet ingredi solus; nec obstat, quod Regularibus non competat ire sine socio, quia hoc non est vniuersaliter verum, nam & Regularis solus Cubiculũ Principis ingreditur, vt cum eo negotium tractet. Ita *Bonac. de claus. q. 4. p. 4. nu. 4.* & fauet *Bassaus v. claus. n. 8.* Sed certè exemplum est prorsus dissimile & est manifestum, quòd valdè decet Religiosum non inueniri solum inter mulieres, & ideo quod Confessario Regulari conueniat, vt non nisi cum socio ingrediatur Monasterium monialium dixerunt *Sanchez d. l. 6. c. 19 n. 46. Tambur. d. disp. 24. Lec. v. clausura n. 27. Peyr. ad const. 6 Pij V. nu. 30. Diana p. 3. tr. 2. res. 51. Peliz. d. cap. 10. n. 218.* Vbi verò assumendus sit socius, quod non sit necessaria pro illo licentia expressa præter citatos DD. tradunt etiam *Bonac. & Bassaus locis vbi supra.*

905 Bene necessarium est vt Confessarius & socius non se separent quin alter alterum inspicere possit, vt de Confessario & socio ingredientibus Monasteria Monialium S. Claræ decreuit Vrbanus IV. apud *Casarub. loco supra citato*, & aduertit *Barbosa d. alleg. 102. num. 50.* Sic & in Constitut *Cassinen. p. 2. cap. 5. de monial.* statuitur, vt Confessores

monialium nec ingrediantur monasteria sine socio & quòd alter alterum pro custodia semper inspiciat. Voluit etiam idem Vrbanus IV. Vt Sacerdos ingrederetur indutus alba, stola, & manipulo, & socius indutus saltem superpellicio. Sed & S.Congregat.Episc.& Regul.in vna Lucen.29.Mart.1589. & iterum pariter in vna Lucen. 22.Decembr.1620. vt refert *Nicol.in Flosc.v.clausura num.34.* decreuit quòd Confessarius non nisi cum superpelliceo & stola ingrediatur ad commendationem animæ. Immò in vna Cathanen. 29. Ianuar. 1627. vt *ibid.* addit *Nicol.* voluit hoc idem seruari quotiescumq; Cōfessor ingreditur ob aliam necessariam cautom; Et ita esset omnino seruandū etiam à socio, quamuis alicubi non seruetur; Cæterùm quod Confessarius non debeat ingredi sine socio, tanquam ex antiqua consuetudine obseruatum decreuit S.Congregat.Episcop. & Regul.in Nolana 21.Febr.1617. apud *Lezanam v.claus.num.27. & Barbosam collect.* 203. *num.14.* Quod verò in d. decreto S. Congreg. continetur socium debere esse 50. annorum, explicat *Lezana*, vt seruari debeat vbi commodè potest, ita tamen vt semper socius sit ætatis maturæ, & vitæ exemplaris.

SVMMARIVM.

1 *Superiores nedum dare sed offerre tenentur Monialibus Confessores extraordinarios. n.906*

2 *Confessor extraordinarius per se ex vi deputationis potest ingredi ad audiendas confessiones infirmorum nisi vsus sit in contrarium. n.906.*

3 *Superior nedum bis, aut ter, sed pluries potest concedere Confessarium extraordinarium. numer.907.*

4 *Dictio numeralis habet vim taxatiuæ, sed hic taxat in minus, non vero respectu maioris numeri. num.907.*

5 *Superior non tenetur in particulari dare particulari moniali petitum Confessarium. n.908.*

6 *Superiore iniuste negante Confessarium extraordinarium non possunt moniales aliquem sibi eligere. n.909.*

7 *Superiore Regulari negante Confessarium extraordinarium non potest Episcopus illum concedere. num.910.*

8 *In pœnam potest Episcopus negare Confessarium extraordinarium. n.911.*

9 *Non tenetur Episcopus in vno quadrimestri dare Confessarium bis vel ter. n.912.*

10 *Episcopus non potest deputare Confessarium Monasterijs exemptis. n.913.*

11 *Confessor extraordinarius debet esse approbatus ab Episcopo loci. n.913.*

12 *Tempore Iubilæi Moniales habent facultatem eligendi Confessorem, sed his debet esse approbatus ab Ordinario. n.914.*

13 *Monialium est petere Confessarium & Ordinarij approbare. n.915.*

14 *Liberum est Monialibus oblatum Confessarium extraordinarium acceptare. n.915.*

15 *Non tenetur Monialis confiteri Confessario extraordinario. n.916.*

16 *Et quid si Episcopus prohibeat pro tunc Confessario ordinario, ne audiat confessiones? numer.918.*

17 *Arbitrarium est Superiori tempus dandi Confessarium & eius duratio. n.917.*

17 *Regula dies termini non computantur non semper habet locum dum superior determinat tempus durationes Confessarij. n.918.*

18 *Quando tempus determinatur per dictiones infra, per, & in, extremi dies comprehenduntur. num.918.*

19 *Confessarius intra tempus sibi statutum & non amplius potest Monialium confessiones audire. num.918.*

20 *Si Confessarius intra tempus determinatum non perfecit confessionem non potest amplius redire. num.919.*

21 *Confessarius incontinenti reuocatus ad audiendum peccatū oblitum potest ingredi & reintrare clausuram. n.920.*

22 *Confessarius ingressus ad audiendam confessionem infirmæ si illam inuenit non esse in statu confitendi potest redire. n.920.*

23 *Si tamen id fieri possit intra tempus sibi determinatum. n.920.*

24 *Confessor extraordinarius potest dari etiam pro Moniali particulari. n.921.*

25 *Et etiam vt cum infirma gerat vices Ordinarij. num.921.*

26 *Confessor Ordinarius debet esse talis ad minus qualis ordinarius. n.922.*

27 *Arbitrarium est Superiori concedere Confessori extraordinario facultatem casuum. n.922.*

28 *Confessor extraordinarius non debet excedere limites suos vel vt conciones habeat, vel aliud simile agat. n.923.*

29 *Confessor extraordinarius non potest alloqui Moniales de alijs sicut nec ordinarius. n.924.*

30 *Confessor non potest vti notitia sacramentali ad externum gubernium. n.925.*

31 *Non prohibetur vti notitia aliunde habita. numer.925.*

32 *Defectus Monialium rari & particulares ex notitia confessionis non debent exterius corrigi, vel reprehendi. n.926.*

33 *Debet Confessarius attendere & ne reuelet confessionem, & ne infamet Religionem, vel Monasterium. n.926.*

34 *Non potest Confessarius negare se absoluisse Monialem si ex hoc intelligitur in ea peccatum graue, vel tale, quod impediat absolutionem. numer.227.*

35 *Quid facere debeat Confessor vt petat facultatem absoluendi à casu reseruato. n.928.*

36 *Non est prudentia admonere Abbatissam vel Prælatum vt inuigilent clausuræ, vel claudant fenestram &c. nisi defectus externus aliunde sit patens &c. n.929.*

37 *An reuelet confessionem qui dicit talem suis scrupulis obtundere suum caput, n.930.*

38 *Non potest Confessarius audiens confessionem complicis sic eum interrogare, vt reueletur alterius complicis confessio. n.931.*

906 DVbitatur vigesimoprimò. An & quando debeat Monialibus dari Confessor extraordinarius? Respondetur quòd de hoc puncto, ita statuit *Concil.Trid.sess.25.cap.10. de Regul. Præter ordinarium autem Confessorum alius extraor-*

dinarius ab Episcopo, & alijs Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debet. Est verò circa hoc decretum considerandū primò, quòd præcipitur superioribus non vt dent, sed vt offerant Confessarium extraordinarium; vnde mens Concilij nedum est, quod petentibus monialibus concedatur, sed quòd sponte offeratur. Et quidem pro monialibus omnibus tam sanis, quàm infirmus. Quàmuis secundum aliquos vt Confessor extraordinarius ingrediatur clausuram necessaria sit licentia specialis, quoniam ex sola deputatione in Confessarium, non habetur licentia audiendi confessiones intra clausuram, quia sub concessione generali non venit specialis, ex *reg.81.de Reg. iuris in sexto*. Ita *Peliz.cap 10.de monial. num. 240*. Quod tamen habet instantiam, quia cum ex vi decreti *Concil. Trident.* Confessor debeat dari, & detur pro omnibus & singulis monialibus, ex vi talis deputationis deputatur pro infirmis. Neque hæc est concessio generalis seu in communi, sed specialis & particularis, quia est etiam deputatio pro infirmis, quæ in numero monialium computantur; igitur est simul licentia ingrediēdi clausuram, cum sine hoc non possint audiri confessiones infirmarum. In hoc ergo consuetudo Diœcesum seruanda est. Nam aliàs per se, & nisi sit vsus in contrarium deputatio Confessarij vniuersalis etiam pro infirmis continet licentiam ingrediendi monasteria ad excipiendas confessiones infirmarum.

907 Notandum secundò, quòd Superior tenetur hunc Confessarium extraordinarium offerre duabus, vel tribus vicibus. In quo considerari debet verbum *offerre*, quod valde differt à verbo *dare*. Quamobrem licet termini numerales positi in dispositione videantur habere rationem dictionis taxatiuæ impedientis extensionem, & videantur continere negationem omnium aliorum casuum non expressorum, *l.Iulianus §.item tantùm, ff.de negot. gest.* tamen in præsenti non taxant numerum ternarium nisi pro offerendo Confessario, non verò pro dando etiam pluries, si opus fuerit. Quàmuis in præsenti termini illi numerales non sumantur taxatiuè in maius, sed in minus; vult enim consilium quòd ad minus bis vel ter in anno detur monialibus Confessor extraordin. sed non prohibet, quòd non detur pluries, si ratio id suadeat, & spirituale bonum Monialium id requirat. *Peliz.d.cap. 10.num.250. ex Bordon.resol.5. n.11.* vbi ex Galetto, quòd hoc decisum fuerit à Sac.Congregat. vnde deducitur, Episcopos seu superiores ex hoc Cōcilij decreto non debere esse scrupulosiores ad concedēdum monialibus Confessores extraordinarios etiam pluries. Nam & sicut illi pluries concedere possunt, sic & moniales pluries eos petere valent, & si petitio iusta sit, dignum quoque est, vt à superioribus exaudiatur. Immò addit *Pelizzarius numer.212.* quòd in anno Iubilæi moniales nedum habent ius, vt habeant Confessarios extraordinarios iuxta dispositionem Concilij, quod est vnus fauor illis factus à Concilio, sed etiam quod ex alio fauore sibi concesso à Pontifice per Iubilæum, possint sibi eligere Confessarium virtute iubilæi, vel etiam virtute Bullæ Cruciatæ, si ea vti valent.

908 Notandum tertiò, quòd Superior si debet offerre, multo magis tenetur dare extraordinarium Confessorem si petatur. Arbitratur verò *Bordon, decis.154.* quòd nedum si monasterium petat, sed si petat particularis monialis, superior tenetur illi concedere Confessarium in singulari determinatū, & petitum si ille si bonæ famæ. Quia ex *cap.omnis. De pœnit. & remiss.* quilibet potest confiteri cuicumque Confessario aut Sacerdoti de licentia proprij Sacerdotis. Et ideo si monialis rarissimè petat, & petitus Cōfessarius sit bonæ famæ, existimat *Bordon.* quòd superior peccet mortaliter si Confessarium neget. Sed dicendum est, quòd per se loquendo nullum est peccatum in superiore, si neget moniali hunc vel illum in Confessorem, quia nulla est lex, quæ hoc præcipiat. Et ex quo vnusquisque tenetur confiteri Sacerdoti proprio vel alteri de eius licentia, nec pœnitenti datur ius ad obtinendum Confessorem petitum. Non enim ex quo quis potest petere habet ius vt obtineat; nec in superiore est necessitas concedendi, quod petitur. Ex circumstantijs verò posset adesse necessitas ex lege charitatis & fidelitatis officij Pastoralis. Verùm alia ex parte etiam si Confessarius esset vir sanctissimus, tales esse possent circumstantiæ tam ex parte monialis pœnitentis, quàm ex parte totius monasterij, vt prudenter talis Confessarius concedi non posset. Vnde res hæc arbitrio & prudentiæ Superioris commissa est. Et eò magis quòd in Confessario monialium multa alia requiruntur præter bonam famam.

909 Si verò Superior neget etiam sine iusta causa & iniustè, etiam vicibus præceptis, licet peccet contra legem *Concil. Trident.* & immò contra fidelitatem sui officij, tamen negatio est valida, nec per hoc moniales validè possunt sibi eligere Confessorem aliquem, qui illas absoluat, quia nullus potest validè confessiones monialium audire nisi ab Episcopo approbatus. Nec monialium est sibi iustitiam facere, sed bene tunc possunt ad Sac.Cōgregat. recurrere.

910 Putat nihilominus *Pelizzar. d. cap. 10. num.254.* quòd si Prælatus Regularium Superior Monasterij exempti iniustè negat Confessorem extraordinarium suo Monasterio illum possit dare Episcopus. Tum quia ex Naldo Episcopus dat Confessorem extraordinarium monialibus exemptis, tum quia ex Constit.18. Gregor.XV. Episcopus potest remouere Confessorem datum à Prælato, ergo & potest illum dare. Sed hæc consequentia apertè nulla est, nec valet argumentum à remotione ad institutionem. Nam v.g. Generalis potest ex causa cassare Prouincialem, & Prouincialis Priorem, neque tamen Generalis potest Prouincialē sua authoritate instituere, vel Prouincialis Priorem vbi Prouincialis, & Prior eliguntur à Capitulis. Ideo licet data sit facultas Episcopo vt ex causa iusta possint monialium exemptarum Confessores remouere, quantùm tamen ad eorum institutionem nihil illis confertur, nisi quòd institutus à legitimo superiore per Episcopum approbetur. Ideo supra reprobata est opinio Naldi. Cum enim Episcopus non habeat iurisdictionem in moniales exemptas, nec ad eum pertineat illarum cura, neque illius est illis dare Confessarium, sed solùm Confessorem à superiore monasterij deputatum approbare, vel non approbare. Et eò magis, quòd cū Episcopus non habeat iurisdictionē

in superiorem monasterij exempti, non potest de eius factis iudicare.

911 Considerandum quartò, quòd Confessor extraordinarius secundum *Peliz. n.* 255. neque in pœnam potest negari monialibus. Tum quia non potest inferior tollere cōcessionem superioris, tum quia denegatio Confessoris extraordinarij nocet omnibus, & singulis, non est vero probabile, quòd omnes, & singulæ moniales sint in culpa. Sed hoc probat solùm quòd non debeat Confess. negari omnibus, si omnes non sunt in culpa, sed non probat quòd non possit negari inobedientibus. Quod verò dicitur non posse negari concessum à superiori, si est verum, probat nullam pœnam posse infligi. Nam vita, bona naturalia de iure naturæ competunt hominibus, & bona temporalia de iure gētium, quæ iura superiora sunt, & tamen in pœnam homines priuantur bonis temporalibus, libertate, bonis naturalibus, & vita ipsa. Et superiores cōcedentes gratias subditis, nisi aliud explicitè vel implicitè significent, nō censentur concedere adeo inamissibiliter, vt nec in pœnam possint subditi concessis gratijs priuari, vnde non est credendum, quòd Concilium adeo strictè voluerit superiores concedere monialibus Confessorem extraordinarium, vt debeat concedi etiam cum non expedit, vel melius est illum negare; Eò magis, quòd in arbitrio Episcopi est concedere illum hoc vel illo vel alio tempore anni, vnde bene Episcopus in pœnā poterit negare Confess. tunc cum petitur in pœnā inobediētiæ alicuius donec videat emendationem, & vbi maiorem pertinaciam inuenerit, si potest moniales excommunicare, poterit etiam Confessorem negare,

902 Vnde neque rationabile est, quòd subdit *Pelizz. num.* 256. quia scilicet, si moniales petant Confessorem absque temporis interuallis, vt si intra primum quadrimestre anni petant vt sibi tribus vicibus detur Confessor extraordinarius, debeat Prælatus eum deputare, Quia vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, *l. Præses. ff. de off. Præs.* Nam primò hic lex determinatè & distinctè loquitur, cum obliget Episcopum ad offerendum Confessarium bis aut ter in anno; vnde sufficie Episcopo si intra annum det non igitur cogitur dare intra primum quadrimestre. Sed tempus determinatum dandi est positum in arbitrio Episcopi, dummodò bis vel ter in anno concedatur.

903 Notandum est Quintò, quòd licet dare hunc Confess. spectet vel ad Episcopum, vel ad superiorem monasterij, vt patet ex verbis Concilij ibi, *ab Episcopo, & alijs superioribus*, & ita quòd Episcopus non possit illum deputare pro monasterijs exemptis. *Donat. tom.* 3. *trac.* 13. *q.* 27. ex *Bordon. decis.* 303. tamen debet esse specialiter pro monialibus approbatus ab Episcopo diœcesano, scilicet, illius diœcesis in qua monasterium est erectum, vt statutum fuit à Gregor. XV. in Constit. 18. *Inscrutabili*, ibi. *Confessores verò, Regulares, siue seculares quomodocumque exempti tam ordinarij, quam extraordinarij ad confessiones Monialium etiam Regularibus subiectarum audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi priùs ab Episcopo diœcesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur obtineant.* Immò ex declarat. Sac. Congreg. Concil. ad vndecimum ex dubijs propositis circa Constit. Gregor. XV. est aduertendum, quòd in Confessoribus extraordinarijs hæc approbatio iterari debet toties quoties Confessor deputatur, nec sufficit vt pro aliqua vice deputatus sit, ad hoc vt in futurum monialium confessiones audire valeat.

904 Potest verò circa hoc se offerre difficultas pro tempore iubilæi generalis, non quidem quia sit dubium an etiam tunc Confessor debeat esse approbatus specialiter pro monialibus, quia hoc necessarium esse iam probatum est supra num. 845. Sed quia dubium est, an sufficiat quod huiusmodi Confessor sit vnus de approbatis de præterito, vel sit vnus de approbandis ad hunc effectum. Nam Bulla iubilæi absolutè non petit nisi quod eligatur vnus de approbatis; sufficeret igitur eligere vnum de iam approbatis de præterito. Et præterea si nō possent moniales eligere Confessorem nisi specialiter de nouo approbandum, nullum esset respectu monialium priuilegium electionis Confessarij, quia alium habere non possent, nisi sibi ab Episcopo datum, Et ideo *Pasqual. q.* 369. putat Bullam iubilæi respectu monialium intelligendum esse de confessore approbato de præterito, Sed in contrariū est, quòd nullus est Confessor simpliciter pro monialibus de præterito approbatus, sed omnis approbatio Confess. monialium datur limitata ad tempus & locum, & extendi non potest, vnde finito tempore cessat approbatio, quæ non se extendit ad aliud monasterium ab eo, ad quod Confessor fuit approbatus, vt expressè declarauit Sac. Congreg. Concil. in respons. ad decimum dubium ex propositis circa Constit. 18. Gregor. XV. Vnde tempore iubilæi nullus est approbatus de præsenti pro quolibet monasterio nisi Confessor ordinarius eius vel extraordinarius si est concessus. Ex vi verò Bullæ iubilæi Confessor debet esse approbatus de præsenti & in tempore iubilæi. Quapropter dicendum est, moniales habere libertatem electionis Confessarij, & quidem amplissimam, quia quemcumque Sacerdotem possunt eligere, licet dependenter à speciali approbatione habenda ab Episcopo, nisi sibi eligant confessarium ordinarium, vel extraordinarium tunc illis de præsenti concessum. *Peliz. d. cap.* 10. *num.* 259. *Donat. tom.* 3. *tract.* 13. *quæst.* 30. & 31.

915 Notandum est sexto, quod licet modus ordinarius dandi confessorem extraordinarium sit, quod monasteria ipsum petant, Abbatissa monialibus conuocatis proponente, vt quem moniales desiderant exprimant, & sic petente quem vel omnes vnanimiter, vel maior pars desiderauerit, tamen superiores absolutè loquendo deputare posse quem ipsi maluerint, tenet *Peliz. num.* 259. & mouetur: quia Concilium iubet, vt Episcopi offerant, non vero vt concedant quem moniales petunt. Tum quia minus conuenit, quod designatio confessarij fiat à monialibus, quæ non idoneum de facili eligere possunt. Sed ex concilio oppositum concluditur, si ponderetur, quod aliud est non petitum deputare, & aliud est petitum non concedere. Hoc secundum est in facultate superiorum, & maximè Episcopi, qui non tenetur approbare aliquem ad confessiones monialium audiendas, etiam à superiore deputatum, & à monialibus petitum, si iusta causa arbitrio viri boni adsit negandi

di approbationem. Sed deputare non petitum aduersatur verbis Concilij præcipientis Confessarium offerri. Consulto enim Concilium hoc termino vsum fuit, quia voluit vt superior solum offerre & proponere possit confessarium, sed alia ex parte liberum esset monialibus illum oblatum acceptare, vel non acceptare; ideo non debet superior ex se confessorem determinatè deputare, sed solum illum offerre.

918 Hinc est, quòd moniales non tenentur confiteri confessario extraordinario, si nolunt. *Donat. d. tr. 13. q. 23. Portell. v. moniales num. 14. Peliz. d. cap. 10. num. 271.* qui tamen addit expedire, vt omnes Moniales saltem se præsentent coram confess. extraordinario, vt illis dubia spectantia ad earum conscientiam proponant, & aliquod spirituale monitum recipiant, & hunc actum submissionis exerceant, & ab eo benedictionē recipiant, & ex *Tambur.* refert Synodum Florentinam simile quid præcipientem *Portel. verò d. num. 14.* ait, non prudenter facere Prouincialem, qui præcepto cogat omnes moniales confiteri confessori extraordinario. Si tamen cogat, quòd proprio Confessori tunc non confiteantur, tenebit mandatum, & non tenebit confessio, nisi cum extraordinario. Hoc tamen sic absolutè prolatū habet instantiam. Nam nō quælibet prohibitio superioris irritat actum in cōtrarium. Et in proposito si à Confessore ordinario non aufertur iurisdictio, sed solùm prohibetur, ne ea vtatur; iam manente in eo iurisdictione validè ex parte sui vtitur iurisdictione, quam habet, licet peccet contra obedientiam ea vtendo. Et ideo valida est ex parte iurisdictionis, quia si Confessor ordinarius sub mortali prohibitus sit audire cōfessiones, peccat etiam mortaliter monialis, & est incapax absolutionis, si voluntariè inducit Confessarium, vel ei cooperatur ad malum. Sed si illa inculpabiliter accedit, & confitetur, validè absoluitur, quia non est ablata iurisdictio à Confessario illo, & multa facta tenent, quæ fieri prohibentur. Cæterùm cum extraordinarius Confessor sit concessus ex gratia, & liberum sit cuique vti fauore, & beneficio, in hac parte liberum erit cuicumque Moniali vt faciat quidquid sibi videtur melius; & sæpius poterit potiùs expedire alicui, vt non accedat ad Confessorem extraordinarium, quàm quòd accedat, & non est iustum imponere hoc onus monialibus vt accedat etiam pro sola benedictione, aut consilio ad Confessorem extraordinarium.

917 Notandum est septimò, quod tempus dandi Confessorem hunc extraordinarium est arbitrarium Episcopo, quàmuis praxis sit, & ita conueniat vt detur singulo quadrimestri in maioribus solemnitatibus, vel in festiuitatibus Sanctorum eiusdem religionis. Pariter arbitrarium est tempus durationis authoritatis illius & officij, & potest ab Episcopo dari vel ad tempus indeterminatum, vel ad tempus determinatum, & ad octo, vel decem, vel quindecim dies. Primus modus magis placet *Peliz. d. cap. 10. num. 260.* & cum ait omnino consulendum Prælatis, cum sic Confessarius minori sollicitudine munus suum obeat, & maiori cum vtilitate monialium. Et quidem breuitas temporis potest impedire fructum huius deputationis, sed temporis determinatio ad tempus proportionatum, & satis latum, & commodum vtilis est & vt Confessor, & Moniales ex negligentia tempus non protrahant, & ne diu in eodem Monasterio plures adsint Confessores; ex quo non leuia incommoda etiam sequi solent.

918 Tenor autem facultatis horum Confessorum cum illis determinatur tempus sine dubio est, vt intelligatur de diebus sibi continuis, & non de diebus vtilibus, vt si detur Confessor ad quindecim dies, intelligatur eius authoritas durare intra quindecim dies continuos seu continuè succedentes. Aliàs si intelligeretur de diebus vtilibus & interpolatis, posset Confessor ad magnam partem anni protrahere suam commissionem, cum damno etiā salutis Monialium. Facultatem autem datam Monialibus pro octo diebus extendi ad decem dies, ex eo quòd dies termini non debeant computari sentit *Peliz. num. 261.* Sed non tam facile apparet, quem locum hic habere possit illa regula. Credo quidem quòd non debeat computari dies, in qua Confessor recipit commissionem, & non exequitur illam nisi sibi mandatum sit, vt ea die incipiat audire confessiones. Ceterùm sensus huiusmodi deputationis videtur esse, vt infra quindecim dies totum negotium perficiatur. Et sic completo quintodecimo die à die in quo incipienda fuit executio cōmissionis, non possunt ampliùs Moniales confiteri Confessario. Regula verò illa, *dies termini non computatur in termino* multipliciter limitatur à DD. quos refert *Barbosa axiom. 71.* & tunc locum habet, cū terminus assignatur per dictiones *A*, vel *ab*. Sed quando tempus determinatur per dictionem *infra*, vt si in deputatione dicatur, quod Confessarius infra quindecim dies suum munus perficiat, extremi dies comprehenduntur, quia dictio *infra* regulariter extremas dies comprehendit iuxta tradita à *Barbosa dict. 161. num. 3.* Vbi ait, quod tunc sensus est, si dicatur vt aliquod fiat infra 15 dies, id quolibet die infra illud tempus possit id fieri, sed postea non. Et *num. 8.* addit, quod hæc dictio *infra* importat tempus continuum, & occurens de momento in momentum, & ita facit terminum momentaneum. Si etiam commissio datur sub his verbis, *per quindecim dies*, idem sensus erit. Nam & dictio per coniuncta tempori significat continuationem temporis, vt habet *Barbosa dict. 250. num. 1.* & ideo significat, quod res fiat in continuitate tēporis cui adiungitur, & sic idem est aliquod debere fieri per quindecim dies, vel in decursu quindecim dierum, vel intra quindecim dies. Et eadem est ratio si dicatur in quindecim diebus, nam dictio *in*, significat idem quod intra, vt aduertit idem *Barbosa dict. 152. nu. 3.* Debebit igitur Confessarius verba suæ commissionis attendere, & intra tempus sibi statutum commissionem suam perficere.

919 Putat quoque idem *Peliz. nu. 263. & 264.* hic locum habere epijciam, ita quod si aliqua Monialis expectet vltimam diem temporis determinati, vt confiteatur, & reperiatur habere casum reseruatum, possit Confessor post diem illam redire, vt Monialem à casu reseruato obtenta ad id facultate absoluat quanquam in hac re sit opus magna cautela ne offendantur ordinarij. Sed si diceretur, quod talis Monialis fuisset impedita, ne priùs confiteretur peccata sua tunc accedat, vt absolutionem

acce-

acceptat, maiorem apparentiam haberet præfata resolutio. Nam alias, quam indulgentiam meretur illa, quæ ex negligentia sua tempore congruo non accessit? Sed absolutè dicendum est Confessarium transacta die vltima redire non posse, quia non habet ampliùs iurisdictioné, quæ sibi data fuit præcisè pro tempore illo transacto; nec eam acquisiuit ad tempus proliaius, ex quo negotium inchoauit intra illud tempus, & sic res non videatur integra; quia non potest prorogare iurisdictionem suam contra mentem, & intentionem delegantis, qui noluit vt finito tempore sibi præfixo ipse iurisdictionem haberet. Concessum enim ad tempus, eo finito euanescit. Inde eadem ratione reijcitur, quod secundò dixit. Nimirum quòd si vltima die accedat Monialis habens necessitatem confessionis generalis, & longioris, possit idé Confessarius post illam diem redire, & audire illam Monialem. Finito enim tempore eius delegatio expirauit. Vnde multò minùs idem Confessor in his duobus casibus si monialis sit infirma potest post elapsum tempus ingredi Monasterium ad absoluendum Monialem à reseruato, vel ad perficiendam eius confessionem.

920 Bene rationabiliter affirmari potest, quòd subdit, quia scilicet Confessarius habens licentiam ad semel ingrediendum Monasterium pro confessione infirmæ, si contingat vt Monialis alicuius peccatum obliuiscatur, cuius memoriam habeat post confessionem, possit statim reuocare Confessarium vix egressum à Monasterio; quia hoc fit incontinenti antequam Confessor diuertat ad actus extraneos, & ideo ingressus iste censetur non discontinuatus, sed moraliter vnus. Hoc quoque dici potest in alio casu ab eo subiuncto, vt scilicet si Confessor ingressus ad confessionem Monialis ea imperfecta egrediatur ex grauissima causa, possit negotio suo peracto redire & clausuram ingridi ad perficiendam confessionem sine noua licentia, censendus est enim vnus ingressus, qui ex vnitate confessionis vnitatem habet, & non nisi ex causa magnæ, & non differendæ necessitatis fuit materialiter interruptus. Sicut & si contingeret, quòd Confessarius extraordinarius ingressus ex aliquo accidenti inueniret Monialem non esse tunc in statu habendæ confessionis, posset alio tempore redire, & Monialem audire. In nullo tamen horum casuum, si facultas eius esse determinata ad tempus, posset post expletum tempus redire, quia tunc cessasset facultas confessiones audiendi, vnde & cessasset omnino licentia ingrediendi.

921 Notandum est octauò, quod Confessor extraordinarius regulariter loquendo dari debet in communi pro toto Monasterio, & omnibus Monialibus, non verò in particulari pro hac, vel illa Moniali. Sic enim determinasse Sac. Congregat. 15. Februar. 1593. referunt *Tambur. de iure Abatiss. disp. 16. q. 1. n. 7.* & ex eo *Pelizz. d. cap. 10. num. 266.* Nihilominùs in casu speciali, & ex particulari ratione, & causa, possunt Superiores præter Confessorem generalem deputare alium specialem pro Moniali aliqua particulari. Immò ex hac causa possunt in casu infirmitatis, & articuli mortis deputare aliquem Confessorem extraordinarium, qui omnia perficiat circa infirmam, quæ facere posset Confessarius ordinarius, *Donat. d. trac. 13. q. 19.* qui tamen putat hoc non habere locum si Monialis petat Confessarium non pro necessitate, sed pro animæ consolatione, licet contrarium alij dicant cum *Bord. resol. 15. num. 11.* Sed meritò alij contrariù dicunt, nam Confessarius ordinarius est delegatus Superioris, nec ei concessa est facultas priuatiuè respectu cuiuscumq; alterius delegabilis ab eodem Superiore; & cósolatio spiritualis in articulo mortis est gratia valde rationabilis, quæ propterea potest concedi à Superiore. Quàmuis in hoc prudentia Superioris attendere debet, ne subsit aliqua alia causa, & leuis sit prætextus sub quo extraordinarius Confessor postulatur.

922 Notandum est nonò, quod Confessor extraordinarius talis ad minus debet esse, qualis debet esse ordinarius, conueniens verò est, vt qui datur ad extricandas conscientias Monialium accedat suffultus ea maiori potestate, quam prudentia superioris iudicauerit. Quàmuis verò *Pelizz. dicto c. 10. num. 268.* iudicet conueniens quòd Confessoribus Monialium extraordinarijs concedant omné & totam facultatem absoluendi, quam eis delegare possunt, quàmuis Confessor aliàs non debeat vti ea facultate nisi cum magna prudentia & circumspectione, interdum etiam dissimulando sibi concessam esse facultatem absoluendi ab hoc vel ab illo casu reseruato; ne facilitas absoluendi nimiam inducat facilitatem peccandi, & reseruatio frustretur suo fine. Nihilominùs considerato, quod huiusmodi Cófessarius extraordinarius datur admodum bis aut ter in anno, & quod si regulariter daretur cum facultate casuum reseruatorum, iam Moniales possent esse veluti securæ, quod sine difficultate absoluerétur, hinc deduci poterit, quod parù vtilis erit reseruatio casuum respectu Monialium, si illis regulariter detur Confessor extraordinarius cum facultate absoluendi à reseruatis. Ideo hoc arbitrio Superioris relinquitur, & eius prudentiæ. Nec obstat, quod dicitur, nimirum quòd intentio Superioris est vt Confessor plené absoluat Moniales, quia & hanc intentionem habet Superior respectu Confessoris ordinarij, quàmuis meliùs dici debeat, quod Superior habet intentionem, vt absoluantur Moniales, sed prout requirit disciplina Ecclesiastica, & lex reseruationis casuum. Et quod additur, quod si Confessarius non habet authoritatem absoluendi à reseruatis, eum Moniales ipsæ non possint adire Superiorem, & debeat Confessor ipse adire, iam onus reseruationis afficit non pœnitentem, sed Confessarium, æquè probat de Confessario ordinario, & extraordinario, & est argumentum quod militat contra reseruationem casuum absoluté; & quod non probat, quia magnum onus Monialis est, & conueniens ad frenandam inclinationem ad malum, quod si incidat in casum reseruatum non possit absolui, nisi vel ipsa aduocet ad se Superiorem, vel medio Confessore aut alio obtineat facultatem, vt absoluatur. Et ideo quantùm postulat rigor Ecclesiasticæ disciplinæ coniunctus charitati, & misericordiæ & desiderio honoris Dei, & saluti animarum, debet prudens Superior vel retinere, vel concedere facultatem absoluendi à reseruatis, ne reseruatio fit de nomine, & fine fructu.

923 Notandum est decimò, quod Confessor extraordinarius non potest nec debet extendere limi-

tea

tes suæ facultatis. Etenim ex vi deputationis in Confessorem extraordinarium non potest ipse vel celebrare missam in Ecclesia exteriori, vel habere concionem ad Moniales; maximè quòd non multùm expediat, Confessores Monialium habere apud eas conciones publicas, aut exhortationes, ne fortè aliqua Monialis minùs prudens, & plùs æquo suspicax credat Confessorem loqui ex notitia confessionis, quod omnino est vitandum. Sed neque potest ministrare Eucharistiam, nisi forsan in hoc habeat præsumptam licentiam; ad hoc enim non est necessaria licentia expressa, sicuti est ad absoluendum sacramentaliter. *Peliz.17.n.273.*

924 Considerandum est vndecimò, quòd quantùm ad loquendum cum Monialibus de non pertinentibus ad confessionem eadem est ratio illius, & Confessoris ordinarij, vnde non opus est hic addere ad dicta superiùs. In suppositione tamen quòd Confessarius missus ad confessiones possit alloqui cum Monialibus, multos casus distinguit *Peliz. d. cap.10. à num.276.* qui apud ipsum poterunt videri & prudenter examinari. Et iuuat aduertisse, quod si missus ad confessiones audiendas potest Moniales alloqui de alijs, hoc non dependebit ab actuali exercitio confessionis, sed ex facultate confessiones audiendi, & accessu ad hunc finem, quo stante intrabit alloquendi facultas, nec ex fine accedentis extrinseco, & qui non sit finis operis, seu accessus iudicanda erit hæc res, sed dum finis operis seu accessus sit ad excipiendas confessiones, & sit ille paratus excipere, & per ipsum non stet, quin excipiat, & cesset fraus, & dolus, non erit mala allocutio (nisi aliunde vitietur) si contingat Confessarium nullius Monialis confessionem audire.

925 Notandum est duodecimò, quod Confessor tam ordinarius, quàm extraordinarius debet maxima cautela vti, vt nõ frangat sigillũ confessionis & non reddat confessionem Monialibus graué, & reddantur illæ difficiliores ad integrè manifestanda peccata sua. Et quod pro Superioribus Regularibus & Confessarijs statutum est à Clem. VIII. in decreto de casibus reseruatis, debet ab omnibus etiam secularibus obseruari, quia est diuinæ legis præceptum, vt scilicet notitia confessionis nõ vtantur ad externam gubernationem, ideoq; nec ad exhortandum, nec ad corrigẽdum, nec ad aliquod, quod spectet ad externum gubernium. Itaq; vel Confessarius solùm in cõfessione scit aliquod malum, vel scit illud etiam aliunde. In primo casu non licet Confessario ex eo, vel concionando corrigere, aut exhortari, vel Superiorem admonere vt v.g. inuigilet circa clausuram. Et licet non desint DD. qui dicãt licitum esse vti notitia sacramentali ad regimen externum, vbi id fieri possit sine fractione sigilli, quos refert *Sanchez lib.3. de matrim. disp.6.* tamen certum est, quòd Regularibus ex vi decreti Clem. VIII. hoc est prohibitum, sed ex natura rei est illicitum, quia notitia habita nomine Dei tanquam secreta est custodienda, & ea non vtendum nisi in foro sacramentali; & ideo quod non liceat vti notitia confessionis ad externam gubernationem tradunt *Bannes 2.2.q.33. art.8. dub.8. Lopez 2. p. cap.96.q.1. Lezana p.1. cap.15. nu.14. Donat. tom.2.p.3.tr.4.q.29.* & apud istos quàmplures alij. Verùm tamen est, quod habet *D.Thom.4.d.21.q.3. ar.3.* quòd Confessarius ex quo in confessione audiuit peccatum alterius, non est prohibitus vti notitia aliunde habita. Sed & quantum, ad hoc attendi debet, quod non licet vti notitia externa nisi pro quanto illa valear, ac si nulla penitus sacramẽtalis notitia haberetur. Et adhuc in hoc magna opus est prudentia maximè apud Moniales, ne hac occasione illæ imaginentur Confessarium vti notitia sacramentali, & scandalizentur, quia in hoc scandalum omnino vitari debet.

926 Ex his colligitur primo, imprudenter actu rum Confessarium, qui defectus Monialium magis particulares, & raros reprehendet inter concionandum, vel deteget Superioribus Monialium ad eos in posterum præcauendos. Vt enim habet *Malderus tract. de sigillo cap.14. & ex Diana p.5. tract.11. resol.36.* scandalum facile oriri potest, quando quis paucos habet pœnitentes sibi subditos, & coram eis concionatur contra defectus in confessione detectos, vt si Confessarius Nouitiorum aut Monialium coram ipsis concionetur de vitijs in confessione reuelatis, tunc enim facilè contingeret rubore suffundi confessos. Hic enim attendi debet non solùm ne frangatur sigillum confessionis, sed ne generetur aliquod scandalum præcipuè reddendo confessionem odiosam, & sic auertendo pœnitentes à confessione, aut infamando si non in particulari pœnitentem, aliquam Religionem, vel Monasterium, vel familiam. Et hic notanda sunt verba *S.Thomæ 4.d.21.q.3.a.1. q.2.* vbi habet, *quòd sigillum confessionis non directè se extendit, nisi ad illa, quæ cadunt sub sacramentali confessione, sed indirectè id quod non cadit sub sacramentali confessione etiam ad confessionis sigillum pertinet. Sicut illa per quæ posset peccator, vel peccatum deprehendi, nihilominùs etiam illa summo studio sunt celanda tum propter scandalum, tum propter pronitatem, quæ ex consuetudine accidere posset.* Hæc habuit D. Thom. vt probaret, quòd etiam non pertinentia ad confessionẽ in confessione audita celari debent. Et habemus hic duas regulas, prima est, quòd ex vi præcepti sigilli confessionis tenemur celare tam ea, quæ directè ad confessionem pertinent, quàm omnia alia ex quibus deprehendi possit peccator, aut peccatũ. Secunda est, quod alia etiam celare debemus ex quorum manifestatione oriri possit scãdalum. Duo autem mala omnino vitanda de facili oriri possunt. Primum quòd reddatur confessio onerosa & odiosa, & retrahantur pœnitentes à confessione. Secũdum quod infametur, si non pœnitens, eius familia religio, aut communitas. *Nugnus addit. ad 3. p.q.12.ar.1. Fagund.2. præcep.l.6.c.4.n.2. Diana p.2. tr.15. resol.13.* Vnde peccare eum qui ex sola notitia, sacramentali v. g. dicit vnam Monialem talis Monasterij violasse clausuram exeundo à Monasterio, vel in tali Ciuitate aut oppido committi grauia scelera, ex *Nauar. Onuphrio, Siluio, Megala,* & alijs tradit *Diana p.2.tr.15.res.13.* In his enim casibus si ex dictis à Confessario potest deueniri in cognitionem aliquam peccatoris, frangitur sigillum, vt habetur ex *D.Tho. loco citato D.Anton.3.p.tit.17. cap.22.§.3. Suarez de pœnit. disp.33. sec.3. num.8.* & apud *Leand. trac.5. de pœnit. disp 10.q.31. Granados. Ledesm. Dian. Vasq. Aegid. Hurtad.* Sed vlteriùs etiã graue peccatum est, si etiam non frangendo sigillum oritur vel scandalum vel infamia alicui.

Col.

927 Colligitur secundò peccare contra sigillũ Confessorem, si ab Abbatissa interrogatus an aliquã Monialem nominatam audierit in confessione, negat audiuisse, cum eam audierit, & hoc non sit occultum, sed immò ex circumstantijs colligi possit eum negasse se illam audiuisse, quia ei absolutionis beneficium non impenderit. Quàmuis enim per se spectata nuda hac propositione, *ego talem non absolui* non sit reuelare confessionem, quia per hoc nullum pœnitentis peccatum manifestatur, vt habet *Caiet. v. Confessori necessaria. Armilla v. Confess. num. 44.* Nihilominùs quia ex circumstantijs facile est quod generetur non improbabilis suspicio impœnitentiæ pœnitentis, vel alicuius grauis peccati. Ideo fractorem sigilli esse Confessorem si negat se absoluisse aliquem, nisi dictum vestiatur tali ratione, vt præsumi non possit absolutionem fuisse negatam ex indispositione pœnitentis, vel quia pœnitens sit agrauatus peccato aut censura reseruata propter quam non potuit absolui, docent. *Card. de Lugo disp. 23. de pœnit. nu. 85.* & apud eum *Nauar. Sot. dist. 18. ar. 5. q. 4. Suarez disp. 33. sec. 6. nu. 1.* & alij plures quos sequitur *Leander vbi supra q. 33.* Si tamen Confessarius diceret non absolui, quia non habebat materiam confessionis, vel quia pœnitens incepit confessionem generalem, quam nõdum perfecit, vel aliquid simile, ex quo non posset præsumi in pœnitente peccatum aliquod graue, aut tale, quod impedierit absolutionem dari, non frangeret sigillum, Sed nihilominùs his modus loquendi fugiendus est, & respondere debet Confessor, si interrogatur functus sum officio meo.

928 Colligitur tertiò, quod vbi Confessori necesse sit sumere consilium super aliquo casu audito à Moniali in confessione, debet ipse illum proponere vel in genere, & quasi abstracto, vel vt ab alio sibi propositum solerti adhibita æquiuocatione, & cauere, vt non frangat sigillum. Vnde & in petenda facultate absoluendi cautus debet esse, & vbi casus sit talibus circumstantijs vestitus, quòd superior deueniet in suspicionem non improbabilem personæ, poterit submittere aliam personam, quæ non nominato Monasterio facultatem absoluendi petat, ipse verò tali modo petere non potest, nec debet, vt persona pœnitentis non improbabiliter, deprehendi possit. Etenim nec superior cum petitur facultas absoluendi ab aliquo commisso peccato, potest interrogare personam pro qua facultas postulatur, neque circumstantias ex quibus in eius notitiam deueniri possit. Et Confessor sigillum frangit, si vel personam detegit, vel circumstantiam ex qua illa cognosci possit. *Suarez de pœnit. disp. 30. n. 2.*

929 Colligitur quartò quòd licet, si nullum adest periculum vt deprehendatur persona peccatoris, non frangat sigillum confessarius, qui ex notitia habita in confessione moneat Prælatum, aut Abbatissam, vt magis inuigilent clausuræ, vel claudant aliquam fenestram, vel altiùs attollant aliquem murum, aut aliquid tale præstent ad impediendos excessus, qui aliàs occurrere possent, vt ex *Coninch disp. 9. de sacram. d. 4. num. 68. Layman. lib. 5. tr. 6. cap. 14. nu. 11. Bonac. disp. 5. de sacram. quæst. 6. sect. 5. p. 4. num. 22. colligit Pelizz. d. cap. 10. nu. 283.* Nihilominùs dicendum est potiùs id non licere, tum primò, quia cum confessarius ignoret circumstantias facti à se auditi in confessione, & an eius aliqua suspicio, seu notitia sit in monasterio, & apud Prælatum, aut Abbatissam, vnde adiuncto indicio, quod ex monitione confessarij sumi potest, colligi valeat notitia personæ delinquentis, confessarius sua monitione se exponit periculo frangendi sigillum. Tum secundo quia per se est id illicitum ex decreto Clementis Octaui pro Regularibus, vbi prohibiti sunt confessarij Regulares vti notitia confessionis ad externam gubernationem, & absolutè est per se malum, licet absolutè & per se præcisa fractione sigilli, & omni mala circumstantia & periculo alicuius mali aut scandali, id non esset peccatum graue. Verum est, quòd si id de quo confessarius admonet, est per se patens, & sine notitia confessionis aduerti possit, sicut in proposito per se cuilibet prudenti appareat clausuram violari posse de facili non clausa illa fenestra, vel non eleuato pariete, non est prohibitus confessarius præciso periculo mali ea notitia vti. Sed nihilominùs quòd qui admonet sit confessarius, & admoneat tunc cum functus est officio confessarij, & non ex aliqua occasione, quæ ostendat monitionem venire aliunde, quàm ex notitia confessionis, est periculosum. Vnde cum confessor ex notitia confessionis ad nullam talem admonitionem teneatur, ab ea abstinere debet, & externa notitia non debet vti in præiudicium sigilli confessionis aut iustitiæ, & charitatis.

130 Colligitur quinto quid sit dicendum in hac quæst. an scilicet frangat sigillum confessarius si dicat, monialis soror Titia suis minutissimis peccatis & scrupulis caput meum obtundit; quia enim in tali casu non manifestatur aliquod peccatum vel mortale in genere, vel veniale in specie, seu in particulari, & nomen *scrupulosus* communiter denotat hominem timoratæ consciẽtiæ, & qui vult abstinere etiam ab his, quæ licita sunt, sed aliquod periculum afferunt, ideo quòd huiusmodi confessarius non frangat sigillum dixerunt *Diana p. 5. tr. 11. res. 50. & p. 10. tr. 12. res. 34. Leander trac. 5. de sacram. Pœnit. disp. 10. quæst. 35. & 36.* & apud eum *Llamas 2. p. Method. cap. 4. §. 7. Cardinalis de Lugo de Pœnit. disp. 23. num. 60. & apud Dian. & Leandrum Nauar. Palacios, Vega, Lublinus, Villalob. Fagundez, Valentia, Ludouicus, Molphes Sayrus Trullench, & Martinus de S. Ioseph,* nihilominus Diana consulit confessarijs, omnino ab his abstinere, & ex *Coninch. de sacram. disp. 9. d. 1. n. 11.* concludit, quòd licet talis directè non frangat sigillum, malè tamen, & periculosè id facit, nam videtur innuere talem esse scrupulosum, aut facilè audientibus posset talem ingerere opinionem, atque ita indirectè sigillum frangeret. Sed *Granado in 3. p. de sacram. contr. 7. trac. 11. disp. 3. nu. 3, Layman. l. 5. tract. 6. cap. 14. num. 6. Gabriel Hurtado, Aegid. apud Leandrum vbi sup.* tenent in præfato casu frangi sigillum; quia sigillum frangitur, cum manifestatur id, quod pœnitenti potest esse aliquo modo ignominiosum, & gignere erubescentiam, non est verò, qui non doleat, si audiat se esse talem, qui suis næuijs obtundat caput Confessoris, aut impertinentibus scrupulis occupet Confessorem. Præterquàm quòd scrupulosus communiter dicitur quidem, qui est timoratus, sed indirectè, & & ex ignorantia timens, vbi non est timendum, & ex

Et probatur ex *cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remission.* Dum enim ibi statuitur quod nullus Eucharistiam recipiat nisi à proprio Sacerdote vel ab alio de licentia illius, simul prohibetur quilibet alius Sacerdos ne sine licentia proprij Sacerdotis id præstet. Probatur etiam ratione, quoniam pascere oues Christi ad iurisdictionis potestatem spectat, constat verò, quod Sacramentorum administratio, & præcipuè huius altissimi Sacramenti est quoddam pascere Christi fideles, est igitur actus præsupponens in ministro facultatem pascendi, quæ est iurisdictionis potestas. Ideo probatur ampliùs ex perpetua praxi, & consuetudine Ecclesiæ, quæ semper fuit, vt fideles vel de manu proprij Sacerdotis, vel de manu alterius de licentia Sacerdotis proprij Eucharistiam sumant, vt habetur ex *S. Dionys. cap. 3. de Eccles. Hierarch. Iustino Apolog. 2. pro Christianis, Tertulliano lib. de Corona Militis cap. 3. ibi.* Non est sumenda Eucharistia, nisi de manu præsidentium. Et ideo hanc partem communiter tradunt *Sotus in 4. d. 13. quæst. 1. art. 3. Tabien. ver. communicare num. 52. Medina in sum. diff. 31. Nauar. cap. 21. num. 55. & cap. 27. num. 102. Suarez tom. 3. disput. 72. sect. 2. in princip. Bellarmin. lib. 4. de Eucharist. cap. 16. Alano, Castro, Vualdensis, Cuchus*, quos refert, & sequitur *Fagund. præcep. 2. lib. 3. cap. 2. num. 11. Cardin. de Lugo de Eucharist. disput. 8. num. 36. & disput. 17. num. 30. & 31. Palaus, & Leander vbi supra, Layman. lib. 5. tract. 4. cap. 7. num. 3. Tamburin. tom. 1. disp. 5. q. 3. num. 1. & omnes communiter.* Nam & sententia opposita inconsequenter loquitur. Si enim ad ministrandam sacram Eucharistiam non est necessaria iurisdictio, & quare excipiendus erit triplex casus supra exceptus, & non poterit quilibet Sacerdos communicare in Paschate, vel pro Viatico quemcumque fidelem? Aut cur in *Clement. Religiosi de Priuilegijs* excommunicantur Regulares, si hoc Sacramentum administrent? Nam si quoque mens *Conc. Trid.* est, quòd vnusquisq; Sacerdos possit dare sacram Eucharistiam dicendam erit reuocatas prohibitiones antiquas, & licere nunc cuicumque Sacerdoti cõmunicare etiam pro Viatico. Sed Concilium nec dicit quod de facto optet, sed quòd optaret, si felicet hoc aliàs æquè & bene fieri posset. Nec definit à quo Sacerdote communio recipienda sit, sed hoc iuri communi relinquit, nec vel minimam iurisdictionem tribuit simplicibus Sacerdotibus. Bene verò Ecclesia inquit, quod Christus hoc Sacramentum instituit vt Sacerdotes illud sumerent, & cæteris darent. Sed hoc intelligi debet cum subordinatione, & ordine, & ita quod id sit proprium Pastorum, seu eorum, quibus cura fidelium est cõmissa. Sic enim & data est potestas absoluendi à peccatis, sed vt exercenda à Prælatis, & Pastoribus, ab alijs verò non nisi ex eorum commissione.

934 Vnde colligitur, peccatum mortale ex genere esse, si simplex Sacerdos sine licentia proprij Sacerdotis velit Eucharistiam ministrare; quia in re graui sibi vsurpat alterius iurisdictionem: *Fagundez, & Palaus citati.*

935 Sed in alio sensu, & supposito quòd dispẽsare Eucharistiam sit actus iurisdictionis, nihilominùs, quòd simplex Sacerdos id possit præstare, quia de hoc adsit præsumpta licentia, cum semper præsumamus Pastorem hoc gratum, & ratum habiturum, affirmat *Leander tract. 7. de Euchar. disp. 4. q. 3.* Verùm satis euidens est non haberi huius vniuersalis præsumptionis fundamentum, cum & sæpe contingere possit, non expedire vt aliquis communionem sumat, & cum frequens vsus alienæ iurisdictionis in præscriptionem transire valeat, meritò Pastores, si prudentes sunt, inuigilare debeant, ne sine licentia expressa aliquis sibi vsurpet, quæ sunt illorum iurisdictionis. Et ampliùs ex conditionibus etiam personarum oriri possint motiua vrgentia vt huiusmodi licentiæ præsumptio grata haberi non possit. Ideo non est vniuersaliter asserendum, quòd quilibet simplex Sacerdos possit Eucharistiam ministrare, quia semper præsumi possit Pastoris licentia.

936 Admisso igitur, quòd per se simplex Sacerdos nõ possit sine licentia proprij Pastoris præbere communionem fidelibus, nihilominùs dicitur, quòd Regulares Mendicantes, & non Mendicantes, qui vel habent, vel eam habentibus priuilegium communicãt, possunt fidelibus Eucharistiam ministrare. Multiplicia enim priuilegia super hoc fuere concessa.

937 Et quidem pro Monachis Benedictinis Congreg. S. Iustinæ adest priuilegium Eugenij IV. in Bulla *Et si quoslibet &c. data Bononiæ anno 1436.* pridie Cal. Iunij Pontificatus anno 6. quæ habetur in Bullar. Cassinen. in ord. 63. & in Bullar. Præd. fol. 252. in qua sic habetur, *Eisque ac omnibus qui ad præfatos Monachos ob huiusmodi deuotionem recurrerint, Eucharistiæ Sacramentum ministrare valeant, de specialis dono gratiæ in fauorem obseruantiæ regularis licentiam elargimur*, supra verò *nu. 124.* adnotatum est, hoc priuilegium Eugenij IV. concordans in datis haberi sub alijs verbis in Bullario Roman. Constitut. huius Pontif. 9. quæ incipit: *Regularem vitam agentibus.* Quantùm autem est ad rem nostram, habetur idem priuilegium sub his verbis. *Et eis ministrare Eucharistiæ Sacramentum de specialis dono gratiæ elargimur.* Est verò considerandum circa hoc priuilegium, & quatenus respicit facultatem absoluendi, quod fuit datum ad fauorem regularis obseruantiæ, nec tam clarum est, quin remaneat aliqualiter dubium an sit limitatum ad Confessores deputatos, & ad fideles confessos sacramentaliter. Eadem enim serie verborum priùs concedit pro Confessoribus deputatis facultatem audiendi, & absoluendi ad se venientes, & postea eis dispensandi Eucharistiam. Verùm considerata ratione & motiuo finali Pontificis, quæ fuit, vt personæ, quæ ob deuotionem erga dictos Monachos ad eos recurrebant pro suarum salute animarum, desiderij sui implementum obtinere possent, & cõmunio potest dari etiam non confessis in eadem Ecclesia, ideo dicendum est, quòd priuilegium est absolutum & vniuersale tam ex parte Monachorũ Sacerdotum, quàm fidelium recurrentium ad Monachos, & ita quòd & quilibet Sacerdos Monachus habens ad hoc deputationem seu licentiam à suo Prælato possit cuicumque etiam nõ confesso Monachis, communionem dare. Hoc priuilegium quoque extenditur ad hoc vt præfati Monachi in aliorum Ecclesijs de Rectorum consensu eandem Eucharistiam dare possint; quia ratio finalis & ad hunc casum se extendit quæ est deuotio fidelium

extra dictos Monachos, quę deuotio vbique locum habere potest.

938 In mari Magno Prædicatorum idem priuilegium sed magis limitatum continetur §. 47. apud *Lezanam*. *Præterea* inquit, *quia Parochialium Ecclesiarum Rectores præfati, erga illos, qui dicti Ordinis Prædicatorum fratribus eorum peccata confitentur per sæpe in exhibitione Eucharistiæ, & extremæ vnctionis se reddunt difficiles, concedimus ipsis fratribus Ordinis Prædicatorum vt personis eis confessis, quibus Rectores præfati sine rationabili causa denegauerint, seu malitiosè distulerint Eucharistiæ, extremæ vnctionis Sacramenta ministrare, (super quo eorumdem Confessorum assertioni stari debeat) illa petentibus possint impune exhibere*. Idem habetur in mari Magno Minorum apud eumdem *Lezanam* §. 45. & Eremitarum §. 45. & Carmelitarum §. 64. Sed Leo Decimus in Concil. Lateranen. in Constitut. *Sacro approbante &c.* quæ in Bullario Roman. est 22. dictum priuilegium moderatus fuit §. 7. ibi. *Eucharistiæ verò & extremæ vnctionis Ecclesiastica Sacramenta, illis quorum etiam infirmorum, ac decedentium confessiones audierint, dicentibus proprium Sacerdotē illa sibi dare denegasse, dare nequeant, nisi denegatio sine legitima causa facta, vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram Notario publico facta doceretur*.

939 Hoc verò priuilegium amplum est, quia extenditur sine aliqua limitatione etiam ad communionem in Paschate, & per modum viatici. Sed tamen valde restringitur tripliciter. Primò, quod non est nisi pro personis confessis ipsis fratribus. Secundò, quod non valet, nisi vbi à Parocho huiusmodi confessis negetur communio aut differatur sine iusta causa. Tertiò, quod ex Leone Decimo non est in hoc standum assertioni ipsorum fratrum, sed de degata irrationabiliter, idest sine aliqua legitima causa communione debet constare, vel ex testimonio vicinorum, vel ex eo quod requisitio facta sit coram Notario, vnde hoc priuilegium in praxi difficile est, & rarus erit casus, in quo possit habere locum. An verò causa legitima in hoc casu dicenda sit, si Parochi requirant à petente communionem schedulam subsignatam à Confessore, in qua reddatur testimonium cōfessionis præmissæ, respondet Lezana ad Mare magnum Prædicat. num. 152. cum distinctione. Nam si petens communionem sit publicus peccator, malæ fidei, aut suspectus de mendacib., cum talis non sit fide dignus prudenter faciet Parochus denegando cōmunionem, nisi sibi constet de confessione. Nec obstat, quod nemo præsumitur suæ salutis immemor. *l. Sancimus C. de Sacrosanct. Eccles. cap. penul. 1. q. 7. cap. significasti 2. de homicid. Bart. in l. rationes C. de probat. Castrens. cons. 301. num. 4. lib. 1. Abbas in cap. 2. num. 9. de fide instrum. Mantica dec. 363. num. 5.* Tum quia hoc procedit, quando non sunt indicia in contrarium. Tum quia id procedit in spectantibus ad forum conscientiæ duntaxat, non in ijs, quæ pertinent ad externam Ecclesiæ gubernationem, qualis est cōfessio pro communione Paschali, ad quam fideles obligantur, & si non communicent, puniuntur. Sicut ex eadem ratione *cap. Sicut de sentent. excomm.* dicitur non esse credendum excommunicato dicenti se absolutum esse ab excommunicatione, nisi literas absolutionis ostendat, aut alio modo legitimè de eius absolutione constet. Sed si petens communionem est vir bonæ famæ, & opinionis, & consideratis considerandis nulla Parocho occurrit ratio ex qua prudenter possit dubitare, quòd petens communionem velit eum decipere, irrationabiliter Parochus petit schedulam confessionis, & sine causa rationabili petenti negat communionem, & tunc essemus in casu huius priuilegij, si de negatione constaret iuxta requisita Leonis Decimi, vt colligitur ex *S. Thoma quodlib. 1. a. 12. Syluest. v. Confess. 1. q. 17. Valero verb. Pœnit. diff. 5. Sanchez l. 3. de matrim. disp. 37. Bonac. de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 4. num. 36. Barbosa de off. Parochi p. 2. cap. 19. num. 31. 32. Morono resp. 21.* Addit verò Lezana, quod in hoc casu consuleret attendendas esse consuetudines, quæ in diuersis prouincijs, circa hæc obseruantur.

940 Eidem Ordini Prædicatorum Paulus IV. in Bulla, *Ex Apostolicæ Sedis*, data 9. Martij 1556. Pontific. anno primo, quæ habetur in Bullar. Ord. Prædic. fol. 258. concessit vt infra. *Omni tempore*, inquit, *præterquàm in die resurrectionis Dominicæ Sacramentum Eucharistiæ, tam illis, quam alijs quibusuis personis licitè ministrandi facultatem indulgemus*. Hoc priuilegium nec ad communionem Paschalē, immò nec ad viaticum se extendit. Cæterum est vniuersalissimum tam quantùm ad Religiosos Sacerdotes ministrantes, quàm quantum ad fideles, quibus Sacramentum administratur, & expresè conceditur, vt nedum confessis, sed & alijs quibuscumque possint Sacerdotes huius Ordinis (semper tamen Prælati licentia supposita) communionem præbere; nec aliqua loci, aut temporis limitatio ponitur, & sola Paschalis communio excipitur.

941 Pro Ordine Minorum idem concessit Nicolaus Quintus in Constitut. *Scimus*, quæ in Bullar. Rodriq. est secunda vbi sic habetur. *Et in omni præterquàm in die Resurrectionis prædictam Sacratissimi Corporis Dominici communionem dandi authoritate Apostolica concedimus per præsentes*. Et idem sub eisdem verbis concessit Sixtus IV. in Constit. apud Rodriquez 11. Idem Minoribus de obseruantia concessit Paulus IV. in sua Constit. *ex Clementi 1.* in Bullar. Roman. vbi §. 12. habet. *Et omni tempore, præterquam in die Resurrectionis Dominicæ Sacramentum Eucharistiæ tam illis, quam alijs quibusuis personis licitè ministrandi, Apostolica authoritate prædicta indulgemus*. Et ita hoc quoque priuilegium sine limitatione temporis, & loci, aut personarum est vniuersale, excepta tamen Paschali communione. Sed aliud priuilegium ex eodem Paulo IV. refert Rodriq. in Bullar. sub num. 3. & incipit. *Cum sicut &c.* & fuit datum die 20. Iulij 1557. vbi sic habetur; *Quod de cætero tam dictorum quam aliorū quorumcumque Prouinciarum Ciuitatum, & Diœcesum per totum Orbem, omnium vtriusque sexus fidelium pro tempore dicti Ordinis Fratres à suis Superioribus vt moris est, deputati Confessores, confessiones etiam infirmorum vbilibet etiam extra domos, & habitacula eorumdem fratrum audire, eosque in casibus & censuris, quibus eis per priuilegia Sedis Apostolicæ huiusmodi hactenus concessum est, posse absoluere, & ipsi hactenus absoluere consueuerunt, absoluere, & pœnitentiam salutarem iniungere, ac omni tempore præterquam in die Resurrectionis Dominicæ Sacramentum Eucharistiæ tam illis, quam alys quibusuis personis licitè*

citè ministrare possint. Apostolica authoritate tenore præsentium indulgemus &c.

942 Minimis quoque eandem gratiam concessit Iulius II. in sua Constit. *Virtute conspicuos* 10. inter Constit. huius Pontif. in Bullar. Roman. apud *Peyr. prima*. Vbi §.39. secundùm Bull. Rom. & apud *Peyrin.* §. 37. dicitur. *Et quod fratres ipsi Minimi in eorum Ecclesiis constructis, & construendis Curialibus, Mercatoribus, Peregrinis, ac transeuntibus, & alijs quibusuis personis Eucharistiæ Sacramentum, quoties opus fuerit, ministrare ac ministrari facere &c. liberè ac licitè valeant &c.* In hoc priuilegio, quod quantum ad personas est amplissimum, nulla etiam expressa exceptio fit cõmunionis Paschalis, & expressè conceditur quòd communio dari possit Curialibus, Mercatoribus, Peregrinis &c. Et quod magis est, expressè conceditur facultas ministrandi hoc Sacramentum etiam per alios. Limitatum tamen est ad Ecclesias dicti Ordinis, & aduertit *Peyr. num.* 89. quod licet expressè non sit excepta communio Paschalis, tamen ex vi huius priuilegij non possunt Fratres dicti Ordinis illam præbere.

943 Mendicantibus omnibus idem priuilegiũ concessit Pius V. in Const. *Et si Mendicantium* 41. in Bullar. Romano. Nam §.4. sic ibi dicitur. *Ipsique Christi fideles Sacramentum Eucharistiæ (Resurrectionis Dominicæ festiuitate dumtaxat excepta) sumere, eisque illud fratres huiusmodi administrare valeãt, nec ad illud recipiendum per locorum Ordinarios, aut Ecclesiarum Rectores præfatos, seu alios quoscumque (illorum licentia minimè requisita) etiam sub censuris Ecclesiasticis, & alijs pœnis cogi vel compelli possint seu debeant, etiam decernimus, & declaramus.* Hoc verò priuilegium non fuisse reuocatum per Constit. *In tanta* Gregor. XIII. inde probatur, quia ibi reducta sunt ad terminos iuris ea, quæ in præfata Constitut. concessa fuerant, & erant contraria *Conc. Trident.* Quod verò Regulares ministrent Sacramentum Eucharistiæ nullibi prohibitum fuit à *Concil. Trident.* Et ideo in hac parte priuilegium hoc in suo robore permanere dixerunt *Sorbus ad Casarub. in v. communicare fol.* 143. *Peyr.* ad Const. 1. Iulij II. num. 85.

944 Societati etiam IESV simile priuilegium concessit Paulus III. in Constit. *Licet debitum*, 48. in Bullar. Roman & in Bullar. Societatis pag. 28. Ibi enim §.29. sic decernitur. *Nec non omnibus, & singulis Christi fidelibus tam forensibus, quam in ciuitatibus, & locis, in quibus Socij prædicti consistunt, commorantibus, aut illac transeuntibus Eucharistiæ Sacramentum (quod in suis Ecclesiis decenter tenere socios præfatos volumus) quocumque anni tempore, præterquam in festo Paschatis Resurrectionis Dominicæ, & mortis articulo, nisi necessitas vrgeat eorumdem fidelium, Parochialium Ecclesiarum Rectorum licentia minimè requisita accipere liberè & licitè valeant.* In hoc verò priuilegio aliqua singularia exprimuntur, vt quod Socij possint in eorum Ecclesijs Sacramentum decenter tenere, excipitur verò expressè communio per modum viatici, sed simul eadem conceditur in casu necessitatis.

945 Theatinis quoque Pius V. in Constitut. *Ad immarcescibilem* 31. in Bullar. Roman. hoc priuilegium illis à Paulo IV. concessum confirmauit & extendit. Sic enim habet §.13. *Decernens* (scilicet Paulus IV.) *Congregationis Clericorum Regularium ac nunc, & pro tempore existentibus Clericis Regularibus præfatis, vt ipsi, qui idonei forent Eucharistiæ Sacramentum in omnibus, & singulis etiam ad eos non spectantibus Ecclesiis, quibuscumque vtriusque sexus Christi fidelibus debitè, etiam non per eos, sed per alios confessis, & alias vt moris est administrare.* Idem verò Pius V. ibidem §.17. priuilegium extendit, dicens. *Et tam Præpositi, quam cæteri omnes Clerici, Romæ, Venetijs, Neapoli, ac alias vbique locorum degentes, Congregationis huiusmodi, nunc & pro tempore existentes, qui tamen presbyteri fuerint Eucharistiæ etiam pro viatico, & etiam constitutis in articulo mortis ac extremæ vnctionis cæteris Clericis, & Fratribus congregationis huiusmodi, ac etiam mercenarijs famulis, operarijs, & seruis eorumdem Congregationis, ac quibusuis hospitibus etiam secularibus, & extraneis, quos in locis, vel habitationibus Congregationis huiusmodi tunc reperiri contigerit etiam in mortis articulo, & quoties de eo dubitari contigerit, etiam Diœcesanorum locorum & Sacerdotum Curatorum quorumcumque etiam in quorum Ciuitatibus, & Diœcesibus, ac Ecclesiarũ Parochialis respectiuè Ecclesiæ, & loca ipsorum Congregationis nunc, & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcumque licentia minimè petita, nec obtenta, & in casum, quo non daretur spatium petendi talem licentiam propter repentinam necessitatem, etiam quibuscumque alijs personis, quæ in huiusmodi necessitate intra Ecclesias, Collegia, domos, & habitationes Congregationis prædictorum reperiri contigerit, ac extra illa alijs quibusuis infirmis etiam in mortis articulo constitutis vbique in causa necessitatis supradictæ etiam nulla ad hoc per eos petita nec eis concessa licentia earumdem Sacerdotis Curatis, Pœnitentiæ Sacramenta Ecclesiastica ministrare possint.* Plura singularia continet hoc priuilegium nimirum quod Eucharistiæ Sacramentum ministrari possit etiam in aliorum Ecclesijs, Secundò, etiam non eis confessis, Tertiò, quod etiam viaticum famulis, operarijs, hospitibus in eorum domibus repertis. Quartò, quòd in casu necessitatis idem viaticum omnibus possint dispensare.

COROLLARIA.

Quædam deducuntur.

SVMMARIVM.

1 *Regulares possunt in eorum Ecclesiis etiam pro secularibus conseruare Eucharistiam. n.946.*

2 *Et possunt in eorum Ecclesijs extra festum Paschatis illam ministrare. n.947.*

3 *Et id possunt & non possunt præstare in aliorum Ecclesijs. n.948.*

4 *Et in eorum Ecclesijs per Sacerdotes seculares. num.949.*

5 *In Ministro Eucharistiæ non est necessaria approbatio Episcopi. n.950.*

6 *Quod non possit Sacerdos secularis in Ecclesia Regularium inuito Episcopo communicare videri potest ex multis. n.951.*

7 *Sacerdos nulla censura ligatus non potest ab Episcopo prohiberi ne in Ecclesiis exemptis non communicet de licentia Rectoris. n.952.*

Re-

8 *Regulares possunt administrare Eucharist. etiam in Oratorijs. n.953.*

9 *Id eos posse facere etiam inuito Episcopo aliqui dicunt. n.953.*

10 *Priuilegium Pauli IV. pro Minoribus, non concedit expresse, quod illi vbilibet possint hoc Sacramentum ministrare. n.954.*

11 *Regulares non possunt Eucharistiam per plateas deferre. n.955.*

12 *In Oratorijs, & Ecclesiis Confraternitatum non potest reseruari Eucharist. n.955.*

13 *In Oratorijs priuatis non potest celebrari missa nisi de licentia Episcopi. n.955.*

14 *Qualiter Episcopus possit vel non possit prohibere ne Regularis ex legitima licentia celebrans in Oratorio priuato possit adstantem communicare. num.956.*

15 *Qualiter Regulares etiam tempore interdicti possint vel non possint adstantem celebrationi missae communicare. n.957.*

946 CVm igitur Regularibus prædicta priuilegia concessa fuerint, colligitur primò, quod ipsi in præfatis priuilegijs communicantes per præfatum priuilegium Pauli III. pro Societate possunt in suis Ecclesijs conseruare Augustissimam Eucharistiam, & nedum ad vsum Religiosorum, sed etiam ad vsum secularium. Quod licet sit expressum in dicto priuilegio, tamen & ex alijs priuilegijs deducitur; si enim possunt Regulares Sacramentum ministrare, illud possunt etiam retinere.

947 Colligitur secundò, quod huiusmodi Regulares in suis Ecclesijs possunt quibuscumque aduenientibus siue incolis, siue forensibus vtriusque sexus fidelibus extra festum Paschatis, & articulum mortis sacram Eucharistiam dispensare. Hoc enim expressè in prædictis priuilegijs continetur, & tanquam indubitatum tradunt DD. communiter.

946 Colligitur tertiò, quòd hoc idem præstare possunt præfati Regulares in aliorum Ecclesijs, de Rectorum licentia. *Leander tract.7. de Euchar. disp.4.q.4.* putat, quod Regulares ad dandam secularibus communionem in aliena Ecclesia non indigeant licentia Parochi. Et pro hac sententia refert. *Hinojosem v. Euchar. fol.230. Card. de Lugo disp.18.num.38. Granad.tr.12.disp.8.nu.6. Dicastill. tr.4.disp.11. dub.3. num.23.* Sed *Cardinalis de Lugo loco citato* loquitur in casu longè diuerso, & ait Sacerdotes Societatis non posse absoluere à peccatis Religiosum alterius Ordinis non habentem licentiam sui Prælati, posse verò eisdem tribuere Eucharistiam. Idem ex professo tenet & probat *Pasqual. centur.2.q.197.per totam*, ponderans verba priuilegij Pauli IV. & Pij V. ibi, *etiam ad eos non spectantibus Ecclesijs quibuscumque*. Nam dictio *quibuscumque* vniuersalissima est omnia complectens. *Decian. cons.599.nu.2.& 3. Rota dec.791. par.1.diuersorum.* Et habet tam efficacem significationem, vt comprehendat etiam casus priuilegiatos. *arg.ex l.fraudem, §.fin. ff. de testam. Guttier. l.1. cap.34. num.57.* maximè adiuncta dictione *etiam*, quæ exprimit casum magis dubitabilem *cap.vn.de commodato. Clem. Nolentes v.etiam, de hæreticis*. Vbi *Card.num.2. Rota dec.721. num.6. & 7. par.2. recent.* Itaque etiam in alicuius Ecclesijs, & in Parochialibus possunt Regulares sacram Communionem dare. Et quatenus Parochi vellent impedire coercendi essent, tam vi eiusdem Bullæ Pij V. quàm priuilegiorum Regulariũ. Et certè si loquimur de Ecclesia aliena quæ non sit Parochi, vel sub eius custodia, & iurisdictione, assertio procedit cum securitate. Nam & in priuilegio Theatinorum citato expressum est, quod Regulares possint id præstare in aliorum Ecclesijs, & hoc idem colligitur ex alijs priuilegijs non limitantibus hanc facultatem ad proprias Ecclesias. Et alias si Ecclesia non est sub regimine Parochi, nõ est vnde ille velit prohibere ne ibi Regulares operentur, quæ ad illos pertinent. Sed si loquimur de Ecclesia Parochiali vrget in contrariũ; quia nullum est ex dictis priuilegijs, quod concedat Regularibus posse ministrare Eucharistiam in aliorum Ecclesijs sine Rectorum earundem Ecclesiarum licentia, seu illis inuitis. Priuilegia enim non debent intelligi vt perturbatiua Ordinis Ecclesiastici, & iuris, seu iurisdictionis aliorum. Nam & regula est, quod priuilegij verba intelligi debẽt secundùm æquitatis rationẽ, etiam si aliter sonent. *l.nulla, ff. de legit. tradit Iason in l. beneficium nu.2. de Const. princ. Rota dec. 400. num.34 par.9. recent.* At verò æquitas est, vt aliorum ius, & iurisdictio non perturbetur. Et cum plus longè sit posse in alterius Ecclesia eo inuito ministrare Eucharistiam quàm id operare de Rectoris licentia, illud nõ potest, nec debet intelligi concessum, cum illud non sit expressum. Non licet enim extendere priuilegia ad non expressa, vt ea *Burgos de Paz. cons. 29. nu.57. & ex text.in l.quæritur, ff. de stat.homin. Dec. in cap.translato in 2. lectura col.penul. de const. habet Rota coram Coccino dec.8. num.3. par. 8. recent.* Et ideò, quòd Regulares in aliorum Ecclesijs nõ possint ministrare Eucharistiam nisi de Rectorum licẽtia docent. *Castro Palaus tract.21. disp. vnica p.19. num.10. Caton.l.4.contr.8.num.111.* Ego puto, quod hæc difficultas distinctione sit explicanda. Nam communicare in alienis Ecclesijs potest fieri vel ex particulis præconsecratis, & in Tabernaculo sub alterius custodia conseruatis. Et hoc modo vera est, hæc secunda sententia, nimirum quod non liceat Regularibus in aliena Ecclesia communicare inuito Rectore, quia tunc eius iustitia violatur, cũ disponatur de Sacramento sub eius cura custodito eo inuito. Et hoc minùs etiam liceret, si propter hoc subriperetur clauis tabernaculi, aut ianua frãgeretur. Sed secundo modo potest Sacerdos communicare ex cõsecratis à se dum ipse celebrat missam, vel in fine illius missæ, & hoc modo existimo, quod Regulares etiam Parocho inuito possint cõmunionem dare. Nam & Parochus ex quo licentiam dedit celebrandi, non debet negare licentiam communicandi, eò magis quod *Conc.Trid.sess.25. cap.6. de sacrif.missæ*, optat vt fideles missæ assistentes communicent. Et quia nec Priuilegium communicandi in aliorum Ecclesijs concessum Regularibus debet explicari, vt nullum habeat effectum *cap.in his de priuil.* vbi *Gloss.& Panorm. & Fagund. num.4.* quod eueniret, si Regulares non possent id præstare in nullo casu nisi habita Rectoris licentia, Rectorum Regulares sine priuilegio possunt in quacumque Ecclesia communionem dare, ideo *Suarez tom.4.de Relig.tract.10.l.9.cap.3.§. Dices ergo licebit*, quem refert, & sequitur *Portell.tom.2.p.3. casu 39.*

casu 39. num.3. docet quòd vbi Prælatus Ordinarius concessit Regulari licentiam celebrandi in Oratorio priuato, non est necessaria licentia specialis ad dandam Eucharistiam, sed hoc ex vi priuilegij licebit. Neq, contra hunc sensum militant, quæ in contrarium adducta sunt, quia cum iurisdictio ista sit voluntaria, potest vbique exerceri in alienis Diœcesibus, & Ecclesijs absque præiudicio Rectorum, qui in hoc non possunt esse rationabiliter inuiti, cum illis nullum inferat præiudicium, vnde hoc etiam non fuit necessariò exprimendum in priuilegijs, quàmuis & satis in priuilegio pro Theatinis fuerit expressum. De æquitate tamen est, vt inuitis Rectoribus id non fiat, & posset hoc ratione scandali esse graue peccatum.

949 Colligitur quartò, quòd Regulares huiusmodi in suis Ecclesijs nedum per se ipsos, sed per Sacerdotes seculares communionem sacram possunt distribuere. Hoc enim expressè continetur in priuilegio Iulij II. pro Minimis. Hoc tamen non clarè colligi ex eo priuilegio dixit *Lezana p.p. cap.21.num.8.* Sed cum Pontifex absolutè concedat Minimis, quod possint ministrari facere hoc Sacramentum, hoc non potest intelligi nisi per Sacerdotes extraneos; quia in priori parte concesserat fratribus ipsis facultatem id per se ipsos agendi Cum ergo subdit, & ministrari facere, hoc non potest intelligi nisi quòd ijdem fratres per extraneos possint sacram Eucharistiam ministrare. Hoc idem *Palaus tom.4. tr.21. p.19.num.11.* colligit ex supplemento Minorum concess.143. quam dicit relatam esse in Compend. priuileg. Societatis *v. Eucharist.num.4.* Sed nisi habeatur an concessio illa sit oraculum, non possum illi multùm confidere. Sed habetur de hoc praxis, & consuetudo & quidē rationabilis. Et cum ministrare hoc Sacramentum in Ecclesia aliqua spectet ad illius Ecclesiæ Rectorem, satis est cuilibet Sacerdoti, si habeat ab Ecclesiæ Rectore licentiam illud ministrandi. Et ideo quòd de licentia Prælatorum Regularium possint Sacerdotes seculares in Regularium Ecclesijs sacrā communionem dare, dixerunt *Suarez tom.4.de Relig. tr.10.l.6.c.3.n.5. Aegidius q.82.ar.3. circa finem,* quos sequitur *Palaus d.n.11. Cæsarab. v.communicare num.13. Medina & Henriquez,* quos sequitur *Lezana d.n.8. Anton.a Spir.sancto p.1.tr.2.disp.3. n 94. Tambur.tom.1.de iure Abb.disp.5.q.4.num.1. Leander de Eucharist. disp. 4. quæst.5.* vbi quod ad hoc sufficit licentia, tacita seu præsumpta. & immò vt Palaus aduertit sufficit licentia sacristæ.

950 Sed addit *Cespedes c.6.q.128.n.3.* Episcopū non posse prohibere Sacerdotem secularem ne ministret Eucharistiam in Ecclesijs Regularium, quia stante eorum priuilegio non possunt in hoc impediri per Episcopum. Neque enim ad hoc Sacramentum administrandum est necessaria Episcopi approbatio, vt bene tradunt *Palaus vbi supra p.18. & 6. & Cespedes d.n.3. Suarez de Eucharist.disp.72. sec.3. Coninch. q.82. art.3. circa finem. Vasquez disp. 218.cap.5.n.17.* Non enim Concilium præcipit nō ministrari Eucharistiam nisi à Sacerdote approbato, nec licet diffinitionem Concilij requirentis approbationem in Cōfessore extendere etiam ad Eucharistiam, neque enim eadem est difficultas in ministerio Eucharistiæ, neque tanta doctrina, & peritia in eo requiritur, sicut in ministerio Sacramenti pœnitentiæ, licet verò etiam in Ministro Eucharistiæ requiratur iurisdictio, hanc potest dare quilibet Ecclesiæ Rector. Et si dicatur non esse verisimile, quòd Episcopus non possit prohibere Sacerdotem, secularem suum subditum, ne ministret hoc Sacramētum in Ecclesijs Regularium, & quod non possit condere legem, vt nullus ex suis sine sua licentia det communionem, neque enim ad hoc obstat priuilegium Regularium, quoniam illud supponit ministrum aliàs idoneum, & non impeditum ad huiusmodi ministerium. Vnde ex vi priuilegij ministrandi Eucharistiam per alios, non possunt Regulares ad hoc vti laico, vel excommunicato non tolerato; eadem igitur ratione non poterunt vti Sacerdote non approbato, vel prohibito ab Episcopo, si Episcopus prohibuerit ne Sacerdotes sui subditi in Ecclesijs Regularium communionem dent: & si dicatur, quod ex quo Papa concessit Regularibus vt possint vti opera Sacerdotum secularium, simul concessit illis, vt possint ad hoc inseruire. Respondetur id verum esse sub conditione quòd aliàs sint habiles, & à nullo superiore prohibiti, neque enim hoc priuilegium datum est cum præiudicio iurisdictionis Episcoporum, nec Papa censetur concedere vni gratiam in præiudicium, & damnum alterius, nisi id exprimat. Esto ergo in Ministro huius Sacramenti non sit necessaria Episcopi approbatio expressa, & solemnis, in subdito tamen Episcopi necessarius est saltem consensus interpretatiuus, & quod Episcopus non sit inuitus.

951 Verùm hic distinguendum est; Nam vbi subditus Episcopi iustè priuari possit & suspendi ab administratione sacramentorum, si aliquis sit ita suspensus, sine dubio non potest à Regularibus eligi, vt in eorum Ecclesijs administret Eucharistiā. Sed si Sacerdos nulla censura sit ligatus non potest Episcopus prohibere, quod suus subditus illud nō ministret ex iurisdictione sibi delegata, quia non potest Episcopus auferre, quæ Papa concedit. Modò sic est, quòd in Ministro Sacramentorū non requiritur nisi potestas Ordinis, & potestas iurisdictionis, & habens potestatem Ordinis est capax iurisdictionis habendæ, si concedatur sibi ab eo qui potest illam concedere, & hoc est de iure communi, & de iure speciali Religionum; Non potest ergo Episcopus prohibere, quin Sacerdos suus subditus in loco exempto non sit capax iurisdictionis sibi delegatæ à Rectore illius loci, ideo non potest prohibere illum vt ibi Eucharistiam non ministret loci illius inuito. Quoniam Sacerdos & ex vi Sacramenti Ordinis, & ex vi iuris communis non requirentis in hoc Ministro nisi potestatem Ordinis, & iurisdictionem aut propriam aut delegatam, sex vi priuilegiorum Regularium ex quibus possunt vti ministerio sacerdotum, habet sacerdos nulla censura ligatus, vt non possit prohiberi, quin in loco exempto vtatur hac facultate, quam habet à Summo Pontifice medio singulari superiore. Et sicut Episcopus non potest prohibere sacerdoti ne celebret Missam, nisi seruatis seruandis illum à missa suspendat; ita non potest prohibere ne etiam in Parochia sibi non subdita communicet de licentia Parochi, quia & Parochus de potestate Ordinaria sibi tributa potest hanc licentiam concedere, & sacerdos ex iure communi habet quod iurisdictio ad

mini-

ministrandum hoc Sacramentum sibi possit delegari.

952 Colligitur quintò, quòd Regulares hoc Sacramentum administrare possunt etiam in Oratorijs priuatis in domibus secularium existentibus, Quoniam priuilegia sibi concessa sunt sine limitatione loci, & immò expresse per priuilegium Theatinorum, vt etiam in alienis Ecclesijs id præstare possint, *Peyr. ad Constit. 1. Iuly II. num. 90. Caton. l. 4. contr. 8. n. 133. Anton. à Spir. sancto tr. 2. disp. Portell. tom. 3. resp. moral. casu* 39. & apud eum *Suarez tom. 4. de Relig. tr. 19. l. 9. c. 13. Diana p. 4. tr. 4. ref. 14. §. Dices ergo, & Rodriq. tom. 1. q. 61. ar. 3.* Sed difficultas est an hoc possint Regulares etiam inuito Episcopo, Negant enim hoc aliqui inter quos *Bordon. contr. 44. n. 15.* qui refert *Vgolin. de pot. Epis. c. 7. §. 1. n. 6. & c. 20. n. 10. Comnich. de Sacram. p. 2. q. 81. a. 3. n. 31. Lezana p. 3. v. Eucharistia quoad Regulares n. 18. & Caspen. tom. 2. disp. 6. sect. 9. n. 95.* Affirmant verò *Rodriq. Suarez Portell. & Anton. à Spiritu sancto locis citatis,* Sed *Diana p. 4. tr. 4.* hoc probabile putans admonet Regulares hoc ne faciant cum displicentia Episcoporum *Bordon. verò d. contr. 44. nu. 16. & 30.* idem affirmat. fundantur primò in primo in priuilegio Pauli IV. concesso Minoribus de obseruantia relato supra nu. 492. quod *Portell.* iudicat esse clarissimum, & quo nihil clarius possit desiderari, & *Bordon. contr. 44. l. 10.* sentit tollere omnem scrupulum. Ponderat verò *Portell.* quod Pontifex in proœmio refert quòd Vicarius generalis Minorum de Obseruantia apud ipsum conquestus fuerat de quibusdam Parochis Italiæ, eò quod assererent prædictos fratres non posse ministrare Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ secularibus nisi intra Ecclesias suorum Conuentuum non verò extra suos Conuentus. Qua querela audita Pontifex illud contulit priuilegium. Cum verò Episcopus non possit infringere priuilegia Papæ, ideo non potest impedire, quod Regulares in Ecclesijs & priuatis Oratorijs sacram communionem ministrant. Nec obstat, quòd *Concil. Trident. sess. 22.* in decreto de obseruandis in celebratione Missarum decreuerit, quod Episcopus potest prohibere ne Regulares celebrent in priuatis secularium Oratorijs, quoniam non licet arguere de casu ad casū diuersum, & de abrogatione vnius priuilegij, ad abrogationem alterius, sunt verò priuilegia diuersa, posse celebrare in Oratorijs priuatis, & posse ibi communicare.

953 Verùm hic considerandum est, quòd ex vi dicti priuilegij minimè est concessum, posse ministrare Eucharistiam extra Ecclesias Ordinum Regularium nisi pro quanto sicut alia priuilegia sic & hoc est indefinitum, neque est verum, quod affertur ex proœmio citatæ Constitut. Ibi enim Vicarius generalis Minorum de Obseruantia exposuit quidem, quod in aliquibus partibus Italiæ ibidem nominatis Parochi excitabant lites, molestias & perturbationes super confessionibus audiendis, & Sacramento Eucharistiæ, sed postea descēdendo ad particulares molestias nulla fit mentio Sacramenti Eucharistiæ, sed solum narratur, quod Parochi illarum partium molestabāt, & impedire conabātur dictos fratres, ne audirent confessiones infirmorū in eorum domibus, nulla habita mentione Sacramenti Eucharistiæ. Ideò Pontifex in sua dispositione concedit quidem, quod Confessores dicti Ordinis deputati ad confessiones audiendas possint audire confessiones infirmorum vbilibet, sed vbi loquitur de Sacramento Eucharistiæ hoc non concedit; nec potest particula illa & concessio facta pro confessionibus audiendis extra Ecclesias extendi etiam ad ministrationem Sacramenti Eucharistiæ, quoniam non licet in priuilegijs extensio ad diuersa, maximè cum non militat eadem ratio, & longè diuersa ratio sit Sacramenti Eucharistiæ, & Sacramenti Pœnitentiæ, quod potest ministrari vbique in loco decenti, cum aliàs Sacramentum Eucharistiæ non nisi in Ecclesijs soleat, & possit dispensari, excepto casu necessitatis, In quo casu etiā debet cū solemnitate deferri, & illud deferre cum huiusmodi solemnitatibus pertinet ad Parochum, & non est Sacramentum tantæ necessitatis, sicut est Sacramentum Pœnitentiæ. Ex vi igitur dicti priuilegij minimè Regulares possunt extra Ecclesias in domibus priuatis ministrare Sacramentum Eucharistiæ, nisi pro quanto ex quo Pontifex non concedit priuilegium illud limitatè ad locum colligi potest facultas indefinita, & ad locum non limitata, sicut & ex alijs similibus priuilegijs colligitur. Et quod *Rodriquez & Villalob.* hoc priuilegio non vsi fuerint ad huius puncti elucidationem, non est, vt vult *Portell.* quia illi illud non viderint: sed quia viderunt nihil speciale ab eo deduci posse pro eorum sententia comprobanda.

954 Ex supradictis verò resolui potest hæc difficultas, quia vix locum habere vnquam potest hoc priuilegium inuito Ordinario. Nam primò non possunt Regulares ex propria Ecclesia Sacramentum sumere, & illud per plateas deferre, hoc enim speciali iure est prohibitum Regularibus vt bene docent *Suarez vbi supra num. 12. & ex eo Portell. ibid. num. 6. Palaus d. tr. 21. p. 19. n. 8. Peyrin. ad Constit. 1. Iuly II. num. 98.* Aliàs verò in Oratorijs priuatis in domibus secularium non potest custodiri Hostia sacra, quæ permaneat nec in Ecclesijs Confraternitatum laicorum nec in alijs Ecclesijs non Parochialibus, vt tanquam decitum à Sac. Congregatione Concilij dixerunt *Genuen. in praxi Archiepis. cap. 92. Piases p. 1. c. 3. num. 34.* quos refert & sequitur *Barbosa in summa v. Oratoria nu. 9. & de off. Epis. alleg. 32. & de off. Parochi cap. 21. numer. 50.* Immò nec Tertiariarum quæ solemnem professionem non emittunt, nec in clausura viuunt Ecclesijs posse retineri Sanctissimum decreuit Sac. Congregatio Episcop. & Regular. vt post *Gauant. & Io. Mariam Nouarium* refert *Barbosa v. Eucharist. n. 14.* His verò si addatur, quod ex *Concil. Trident.* Regulares sine licentia Episcopi non possunt in priuatis secularium Oratorijs celebrare, bene concluditur, quòd casus iste potest habere locum solùm cum Regularis aliàs habet licentiam celebrandi in Oratorio priuato vel ab Episcopo, vel à Legato, aut Nuntio, aut Pontifice ipso.

955 In quo casu in aliquo sensu admitti potest quòd Regularis possit Eucharistiam assistenti ministrare, etiam si Ordinarius esset inuitus ex vi priuilegiorum: quoniam priuilegia, quæ concedunt Religiosis ministrare Eucharistiam in alienis Ecclesijs hunc casum directè respiciunt, vt scilicet quando Regulares ibi celebrant possint & sibi sumere, & ceteris aliàs dignis distribuere. Et quam-

uis

uis ego in hac parte laudem consilium *Dianæ*, & existimem non conuenire, quod Regulares contemnant Episcoporum decreta, si contingat ipsos huiusmodi communiones priuatas prohibere, tamen etiam aduertere conuenit, quòd non tam facilè causa rationabilis poterit adesse, qua regulariter, & vniuersaliter huiusmodi communiones fieri prohibeantur priuatim & deuotionis causa, in Oratorijs in quibus potest celebrari, & in quibus si adest causa rationabilis celebrandi non adsit causa rationabilis, quòd assistentes extra tempus Paschale causa deuotionis communicent. Nihilominùs negari non potest, quin Episcopus possit vel per legem vniuersalem interdicere ne in Oratorijs priuatis possit Sacramentum Eucharistiæ administrari, vel per statutum particulare vt nō possit administrari huic vel illi personæ determinatæ. In quibus casibus existimo, quod Regulares interdictum Episcopi obseruare deberent, & tenerentur, priuilegia enim illorum non se extendunt, vt Sacramentum hoc administreat in Ecclesijs subiectis Episcopis, & ab eis specialiter ad hunc effectum interdictis, & idem dicitur de personis interdictis recipere hoc Sacramentum in Oratorijs istis priuatis. Quoniam hoc est quid speciale, & dignum speciali expressione, quod non intelligitur cōcessum, nisi sit expressum. Nam aliàs etiam hæc regula seruari debet, vt dum agitur de præiudicio tertij, vel iuris communis, fiat strictа interpretatio, *cap. Relatam de probat. & cap. Archidiaconum Florentinum 85. dist. D.D. in cap. alim de reg. iuris, vbi Reuerendiss. Fagnanus num. 18.* Verba enim priuilegiorum secundum Innoc. ita sunt interpretanda, vt non trahantur ad iniquum grauamen, sed ita vt, quantò minùs fieri potest, iuri alieno præiudicent. Si verò Episcopus directè vellet prohibere Regulari ex legitima licentia celebranti in Oratorio priuato, vt assistentem non posset communicare, credo quod non posset quia non potest ire contra priuilegia Regularium, quia hoc esset ire contra Summum Pontificem, & eò magis quod cum administratio huius Sacramenti sit actus iurisdictionis volūtariæ, potest haberi in aliena Ecclesia sine præiudicio Rectoris illius. Et ideo bene etiam aduertit *Anton. a Spir. sancto citat. n. 96.* quod vbi sit licitum Regulari celebrare in altari portabili, liceat etiam ad communionem seculares admittere. Et hoc vniuersaliter iterum puto quod vbicumque Regulari licet sacrum celebrare liceat etiam ex à se consecratis seculares sacramētaliter reficere, & ad communionem sacri sacrificij admittere.

957 Quod verò aliqui facultatem hanc ascendunt, vt etiam tempore interdicti Regulares possint Eucharistiam ministrare, fundamentum habet in priuilegio concesso Societati à Paulo Tertio in constit. 48. *Licet debitum*, vbi §. 14. ibi *Liceatque Præpositis, & de eorum etiam facultate vniuersis fratribus & socijs societatis huiusmodi in presbyteratus Ordine constitutis &c. Etiam tempore interdicti, quamuis etiam Apostolica auctoritate appositi, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, submissa voce, missas & alia diuina Officia celebrare, ac ecclesiastica sacramenta recipere, & alijs ministrare, dummodò ipsi causam non dederint interdicto, nec contingat id ipsis specialiter interdici.* Hoc verò priui-

legium non competit nisi ijs qui facultatem habēt à Generali, & seruatis conditionibus expressis vt non nisi ianuis clausis priuatim, & submissa voce, & exclusis excommunicatis, & interdictis, & dummodò ipsi causam non dederint interdicto, nec sint specialiter interdicti. Aliud etiam priuilegium Iulij secundi refert *Casarub. verb. communicare numer. 8.* per quod conceditur vt seculares aliàs habentes facultatem audiendi diuina possint recipere Eucharistiam tempore interdicti, iuxta facultates eisdem secularibus concessas. Sed hoc priuilegium est viuæ vocis Oraculum. Et præterea adnotat Cordoba ibi, quòd id intelligi debet iuxta facultates illis secularibus concessas, nimirum si ipsi habuerint tales facultates ad recipiendum etiam tempore interdicti Sacramentum Eucharistiæ &c.

958 His verò sic præmissis Notabilia de administratione Eucharistiæ extra tempus Paschale, & articulum mortis aliqua aduertenda sunt pro praxi licet communia etiam secularibus sacerdotibus. Et primò quidem, quòd ad communionem dandam, & recipiendam à ieiuno nulla est hora diei determinata, *Syluest. v. Euchar. 3. §. 16. Ang. §. 36. Tabiena v. missa. num. 6. Fagundez prac. 3. lib. 3. c. 7. num. 13.* Nam & qui vesperè etiam tardè cenauit posse post mediam noctem communionem sumere dixit *Diana p. 3. tract. 4. res. 44. fin.* Verum tamen est, quòd in hoc ratio scandali vitanda est, vnde est quòd Palaus aduertit, quòd sine rationabili causa non debet permitti sub vesperam aut intempesta nocte Eucharistiam sumi, quia hoc nec sacramenti reuerentiam decet, nec occasionem scandali fugit.

959 Secundò quòd in casu in quo adesset qui nedum ex necessitate, sed ex deuotione communicare desideraret, non esset illicitum si sacerdos hostiæ à se consecratæ particulam auelleret, & adstanti traderet. Quod enim quidam id esse illicitum dicunt ex *Concil. Tolet. 12. cap. 5. & habetur cap. Relatum. de Consec. dist. 2.* non probatur. Quoniam ibi improbatur vsus aliquorum pluries in eodem die celebrantium, & sumentium sacramentum nisi in vltima missa, & præcipitur vt quoties celebrant, toties sacramentum sumant, non verò præcipitur vt totum sumant, quod consecrarunt, & quòd sacrificij participem adstantem facere non valeant. Et ideo quòd sacerdos de parte hostiæ à se consecratæ possit adstantem communicare diserte *Syluestr. v. Euchar. num. 17. Angelus v. missa nu. 29. Scortia, Zanardus, Homobonus*, quos sequitur *Diana p. 2. tr. 14. res. 37. & p. 3. trac. 4. resol. 44. & p. 10. tr. 11. resol. 70. Suarez disp. 85. sect. 2. Bonac. disp. 4. quæst. 5. p. 1. num. 34. Sà, Philibert. Gauant. Possess.* quos sequitur *Leander tract. 7. de Euchar. disp. 4. quæst. 17. Coton. l. 2. contr. 4. num. 192.* Hoc verò non esse mortale etiam si fiat sine causa, ad id faciendum verò iustam causam esse quòd sic communicaturus non habeat aliam missam, nec vnde in Ecclesia illa aliter communionem sumat, vel quòd debeat diu expectare donec aliud sacrum celebretur, aut in sequentem diem differre; aut si persona grauis, & nobilis velit tunc communicare, vt maturè se expediat ad negotia; Aut si famuli vt tempestiuè se expediant ad exhibenda seruitia, nec facilè possint sine officiorum dispendio communicare, ex *Dicastillo tom. 1. tract. 4. disp. 11. dub. 6. numer. 115.* tradit

Diana d.p.10.tract.11.resol.70. Et ad prædictorum confirmationem aptus locus est ille D. Pauli 1. Cor.10. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Vnde hunc cœlestem panem frangere, & fragmenta distribuere conueniens est eius institutioni, & valde vsitatum apud Orientales, qui panem delineatis bucellis solebant consecrare & secundùm lineas diuidere, & diuisum distribuere. Quod verò liceat sacerdoti hostiæ partem dare seculari pro communione etiam si adsint particulæ consecratæ, quidquid voluerit *Sancius disp.22. cap.21.* meritò reijcitur à *Diana p.5.tr.3.resol.54.* quem sequitur *Coton.lib.2.contr.4. num.192.* vbi addit quandam indecentiam videri, in prebendo particulam, ex Hostia quæ non erit decentis figuræ, & ita colligi ex *rubric. part.3. tit. 10.num.3.*

960 Tertiò, quòd dari potest casus in quo liceat etiam intermittere missam pro communicando aliquo, vt nimirũ, si communicãdus subito morbo correptus sit in mortis periculo; tunc enim etiã post consecrationem potest ad breuem morã interrumpi missa, non tamen ad hoc, vt extra Ecclesiam deferatur alicui viaticum, quia hoc non est tantæ necessitatis, vt debeat missa interrumpi, nisi infirmus indigeret etiam Sacramento pœnitentiæ, in quo casu Sacerdos deberet quàm citissimè redire, & interim relinquere qui sanctissimum in altari relictum custodiret. *Layman l.5. trac.5. num.2.* vbi addit idem dicendum si infirmo morti proximo, qui incidit in phrænesim nullum aliud sacramentum dari possit, quàm extremæ vnctionis.

961 Quartò quòd non est alicui danda sacra communio sub specie vini. Etenim etiamsi infirmus vicinus morti non possit deglutire panem, non per hoc medio cochleari argenteo, vt aliàs in Græcia in simili casu fiebat, potest dari vinum cõsecratum. Nec obstat quòd tunc communio est de iuris diuini præcepto, & communio sub specie vini solùm est prohibita humano iure, ius autem diuinum vincit humanum; quoniam moraliter non est in eo casu possibilis communio sub specie vini sine periculo irreuerentiæ sacramenti, quia nimis facile est quòd infirmus, qui non potest paruulam hostiolam deglutire, nec vinum degluciat sine aliqua eius effusione; vnde in eo casu ex periculo irreuerentiæ cessat obligatio communionis ex diuino iure, & manet obligatio iuris humani ad non communicandum infirmum sub specie vini. *Suarez tom.3.disp.71.sect.3.fin.* & ex eo *Fagundez prac.3. l.3.cap.4.num.20.*

962 Quintò, quòd licet nõ desint, qui docẽt sacerdotem in mortali existentẽ nõ peccare mortaliter; ministrãdo Eucharistiã sic enim tenẽt ex *Sylvio, Cabrera, Vasq. Io. de la Cruz, Ledesma, & alijs, Dian.p.2. tract.14.resol.23.& p.3.tract.4.resol.195.& p.5.tr.3. res.47. Card.de Lugo de Sacram.disp.8. numer.155. & de Eucharist.disp.18 num.17.& ex Barbosa de off. Parochi cap.20.num.17. Leander de Sacram.Euchar. tract.7. disp.4.q.25.* hac ratione moti, quòd ministrans Eucharistiam non conficiat sacramentum nec sit minister ad iustificationem nisi applicando actiua passiuis, tamen oppositum est dicendum; Quia sancta non nisi sanctè sunt tractanda, & hæc sacramenti dispensatio est sacratissimum ministerium ad sanctitatem & iustificationem ordinatum & ad quod etiam habendum sacerdos est consecratus, & ideo non nisi sanctè est habendum. Quod & probatur ex Nicolao Papa *cap. vlt.15. quæst.8.* vbi dicit adulterum sacerdotem ministrando hoc sacramentum se tantùm lædere; & vnde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbere. Propterea hæc sententia est communis apud *DD. in 4.dist.13.&* ita tenent ibi *Palud.q.11 Sot.a.4. Sylu. v.Eucharist.3.num.4. Suarez tom.3. disput.72.sect.4. Fagundez in 3.prec.l.3.cap.4.nu.10. Valentia disp.9. quæst.10.pnr.1. Filliuc Coninch. Ocbagauia, Bonacina, Villalobos, Philibertus, Granado, Ortiz, apud Leandrum, vbi supr.* qui hoc idem æquè probabile putat.

963 Sextò, quòd non desunt, qui dicunt Sacerdotem pro communione laicorum particulas etiam si non oblatas simul cum hostia in offertorio illas mentaliter postea oblatas si deferantur ante præfationem, immò ante consecrationem posse cõsecrare. Ita *Diana p.1.tract.14. res.71.& p.6.tr.6. resol.7.* vbi ad hoc adducit *Philibertum, & Megalam in Promptuario tom.2.v.Eucharistiæ materia numer.7.* Quoniam quòd huiusinodi particulæ simul cum hostia offerantur in offertorio, nec est necessarium ex vi sacrificij, nec ex vi alicuius legis præceptiuæ. Sed Paulus Maria Quarti in Rubricali *p.2.tit.7.dub.2.* existimat, quòd consecrare particulas non oblatas ex causa rationabili etiam leuiori, qualem putat esse commoditatem communicaturi, vel si id fiat ad vitandam perturbationem Sacristæ, vel alterius, qui tardiùs particulas attulit, non sit peccatum; sit verò veniale id facere sine causa. Quia cum oblata fuerit hostia consecranda, satisfactum est substantialiter præcepto rubricæ de oblatione materiæ, cui præcepto solùm secundùm quid contra fit, si particulæ non fiunt oblatæ. Sed postea dubio tertio sententiam hanc explicans, sentit quòd vera sit, si particulæ deferantur, vsque ad tempus præfationis inclusiuè, sed quòd si adueniant Canone incœpto, non possint consecrari, quia Canon sit proxima dispositio ad consecrationem, & in Canone censetur moraliter inchoatum sacrificium, & ideo tunc materia consecranda debet esse præsens in altari, ne sacrificium sit imperfectum. Et certè per Canonem supra materiam tot benedictiones fiunt, vt non sit iudicandum leue consecrare materiam non priùs sic oblatam, & sacrificatam, seu benedictam. Ideo idem Quarti existimat, quòd in casu grauis necessitatis potiùs Sacerdos debeat partem suæ hostiæ tribuere, quàm particulas tempore incœpti iam Canonis oblatas consecrare. Sed & absolutè consecrare hostias non oblatas in offertorio vocaliter, etiam si postea offerantur mentaliter, non potest negari, quòd non sit contra rubricas Missalis; ideoque, & contra præceptum Pij Quinti. Quòd verò dicitur hoc esse solùm secundùm quid, minùs satisfacit. Quoniam Rubrica non tantùm præcipit offerre hostiam à Sacerdote sumendam, sed expresè requirit particulas pro communione laicorum esse præsentes, & simul cum hostia offerri; hæc verò oblatio non est ceremonia leuis, sed valde grauis, vnde eius ommissio est, quid graue contra præceptum Pij Quinti, de quo non est dubium quin obliget sub mortali, cum sit præceptum in virtute san-

ctæ obedientiæ; immò & contra *Concil. Trid. sess. 7. can. 13. & sess. 22.* de sacrificio Missæ; vnde non puto secorum particulas in offertorio suo tempore non oblatas consecrare.

SVMMARIVM.

1 *Posse à Regularibus suscipi communionem etiam pro satisfaciendo præcepto Ecclesiæ aliqui dicunt. num. 964.*
2 *Hoc reijcitur. num. 965.*
3 *Congregationes Concilij, & Regularium leges condunt. num. 966.*
4 *Constitutio pro particulari loco declarans legem vniuersalem est vniuersalis. nu. 966.*
5 *Constit. Papæ sufficit esse promulgatas de stylo Curiæ. num. 966.*
6 *Non fuit datum priuilegium, quod Regulares darent communionem Paschalem. nu. 967.*
7 *Priuilegium Martini Quinti pro Ecclesia de Guadalupe incertum, & nunquam vsu receptum. num. 968.*
8 *Constit. 31. Vrbani VIII. In supremo. n. 969.*

964 HIs sic præmissis de communione extra tempus Paschatis, & mortis articulum, dubitatur primò, an Regulares possint dare communionem Paschalem per quam fideles satisfaciant præcepto Ecclesiæ de communicando in Paschate. Nam non obstante quòd tam sæpe in priuilegijs concessis Regularibus sit excepta communio Paschalis, *Virginius Aluiset in Murenula Vermiculata sect. 3. cap. 7. num. 6.* affirmantem partem sustinet citatis, *Io. Henriq. moral. sect. 15. Nerug. in pract. confess. tr. 3. cap. 3. §. 1. Io. de Soria in Epilog. sum. p. 3. tract. 1. sect. 1. d. 7. Martin. à I. Ioseph. in mont. Confess. t. 1. l. 1. tract. 5. de Eucharist. & Ludouico de S. Io. in sum. q. 8. de Eucharist. a. 3. diff. 3.* docentibus posse Regulares in suis Ecclesijs administrare fidelibus SS. Euchar. Sacramentum etiam in ipsa die Dominicæ Resurrectionis. Et ad satisfaciendum præceptum annuæ communionis. Quam sententiam probabilem putat *Leander tract. 7. disp. 3. q. 19.* vbi pro eadem refert *Rodriq. p. p. q. 56. a. 3. Sorbum in v. communicare, Io. de Cruce lib. 2. c. 5. dub. 4. concl. 3.* Probatur primò, quia priuilegium communionis dandæ à Regularibus ipsis fidelibus non est priuilegium Regularium sed fidelium concessum vt satisfiat eorumdem fidelium deuotioni, vt apparet ex Bulla Eugenij IV. pro monachis Cong. S. Iustinæ igitur declarationes Cardinalium reuocantium priuilegia Regularium, non reuocant hoc priuilegium, quod non est regularium, sed fidelium. Secundò quia in *cap. omnis, de Pænit. & remiss. & in Concil. Trid. sess. 13.* præcipitur annua Communio sed de loco & de manu à qua illam recipiant nihil dicitur; igitur vtrumque decretum relinquit fideles in sua libertate quantùm ad hoc, & si dicas fieri mentionem proprij sacerdotis, hic est Papa, vnde habentes ab eo licentiam per priuilegia licitè communionem hanc tradunt. Tertiò quia omne dubium aufert priuilegium Nicolai Quinti & Iulij II. pro Religiosis monasterij S. Mariæ de Guadalupe olim S. Benedicti, nunc S. Hieronymi, in quo monachis dicti monasterij conceditur facultas administrandi Eucharistiam, *Quibuscumque personis sine alia Episcopi, aut Parochi licentia, etiam pro communione Paschali, & ad satisfaciendum præcepto annua Confessionis.* Quod priuilegium ad omnia monasteria eiusdem Ordinis etiam si in eis non militet ratio ob quam fuit concessum illi monasterio de Guadalupe extensum fuit postea à Paulo III. & Pio Quarto, & alijs Pontificibus, vt testantur *Crua in epit. priuil. l. 2. cap. 5. dub. 4. concl. 3. Beia casu 4. num. 4. Rodriq. p. p. q. 56. a. 3. Cæsarub. v. communicare, Diana de celebrat. Miss. resol. 83. Barbosa de off. & potest. Paroch. c. 20. Bauny in Theolog. mor. tract. 5. quæst. 19. Marcellin. à S. Benedicto in comp. priuil. v. Euchar.* Qui omnes inde inferunt posse Regulares habentes priuilegium communicationis cum Ordine S. Hier. virtute huius administrare Euchar. quibuscumque personis, etiam pro communione Paschali, & ad satisfaciendum obligationi annuæ communionis. *cap. omnis vtriusque sexus, &c. de Pænit. & remiss.* Et ita contra quendam Parochum fuisse decisum in quadam Diœcesi refert *Diana loco cit.* Quamuis ipse *par. 11. tract. 2. res. 16.* etiam post *Mirand. p. p. q. 42. a. 2.* consulat, vt abstineatur ab vsu huius priuilegij propter scandalum, & alia inconuenientia, quæ inde possent oriri. Et quàmuis *Card. de Lugo disp. 18. num. 49.* reuocet in dubiũ dictum priuilegium, potiùs ipse iudicat esse credendum alijs de illius concessione fidem facientibus, hoc maximè attento, quòd rationes, quas ipse Lugo ad impugnandum adducit, ita leues videantur, vt se ipsis absque refutatione ruant. Hæc ibidem Aluiset.

965 Contraria sententia est communis, quam tenent *Nauar. cap. 21. num. 52. Sotus in 4. dist. 18. q. 4. a. 2. Nugnus tom. 1. nu. 3. par. quæst. 83. a. 4. conclus. 5. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 20. l. 9. cap. 3. nu. 8. Portel. v. Sacramentorum administratio, num. 5. Villalobos p. 1. trac. 7. dub. 47. num. 4. Fagundez prac. 3. l. 1. cap. 5. num. 9. & 16. Barbosa de off. Parochi cap. 20. num. 11. Sanchez l. 3. de matrim. disp. 23. numer. 17. Granados tr. 12. disp. 2. num. 3. Diana p. 2. de Celebrat. Miss. resol. 73. & p. 6. trac. 7. resol. 58. Ant. à Spir. Sancto p. 1. tr. 2. disp. 3. num. 94. Palaus tract. 21. disp. vn. puncto 19. num. 2. Bonac. disp. 4. de Euchar. quæst. 7. p. 2. nu. 7. Lezana v. Eucharistia. num. 2. Nicolius v. Pascha. n. 6. Tambur. de iure Abb. tom. 2. disp. 5. quæst. 3. a. 3. Peyr. ad Const. 1. Iulij II. nu. 89.* & idem probabilius putat *Leand. vbi sup.* & ita est omnino dicendum. Ratio istius veritatis est, quia in priuilegiis supra relatis Eugenij IV. Pauli IV. pro Prædicatoribus. Nicolai V. & Sixti IV. & duplici Pauli IV. pro Minoribus, & Pij quinti pro mendicantibus, & Pauli III. pro societate, expresè excipitur dies Resurrectionis. Et licet in priuilegijs Eugenij IV. pro Benedictinis Congreg. S. Iustinæ, & Iulij II. pro Minimis, & Pauli IV. pro Theatinis expresè non ponatur hæc exceptio, tamen vt bene discurrit *Peyrin. ad d. Constit. p. Iulij II. num. 89.* illa eadem exceptio ex vsu intelligitur facta; Cum enim perpetuò fuerit excepta communio Paschalis, si Pontifices voluissent concedere Regularibus vt etiam in Paschate communionem sacram dare possent, id expressissent, sicut exprimere debuerunt. In communi enim concessione non veniunt ea, quæ sunt communi sensu excepta, & quæ quis in specie non esset verisimiliter concessurus. Vnde Sacr. Congreg. Episc. & Regular. in vna Bouin. 10. Septemb.

1627: declarasse, quòd seculares non satisfaciunt præcepto Ecclesiæ si extra Parochiam sumant Eucharistiam, refert *Nicolius. v. Paschu num.6.* Sed & hoc idem prius determinauerat 16. Maij 1600. & 5. Aprilis 1604. & quòd in die Paschatis non possint Regulares SS. Eucharis. administrare populo declarauit Sacr. Congreg. Concilij die 2. Martij 1619. vt referunt *Barbosa in sum. v. Eucharis. num.4. & de off. Parochi* cap.20. *num.*10. *&* Lezana *par.2. c.1. num.20. & par.3. v. Eucharis. nu.2.* cuius declarationis tenor hic est. *Fuit dubitatum an die Paschatis Fratres possint administrare populo sanctissimam Eucharistiam: Sacr. Congregatio censuit non posse: stante quòd in priuilegia Eugenij IV, hoc eis interdicitur expresse pro illa die.* Est tamen circa hanc declarationem aliqua difficultas, quia in nullo ex priuilegijs Eugenij IV. supra nu.937. positi reperitur exceptio diei Paschatis, nullius verò alterius priuilegij Eugenij IV. mentionem habent DD. vnde non apparet quodnam sit illud Eugenij priuilegium in quo præfata exceptio fiat. Verùm sensus Sacr. Congreg. Concilij quantùm ad hanc partem antiquior fuit, nam fideles die Paschatis non posse de manu Regularium Eucharistiam sumere declarauit eadem Sacra Congr. vsque de anno 1586. die 23. Februarij, prout ad *cap. Omnis vtriusque sexus, de Pænit. & Remiss. num.43.* refert *Reuerendiss. Fagnanus*, qui fuit eiusdem Sacr. Congreg. secretarius. Vbi num.42. præmiserat, seculares non satisfacere *cap. omnis vtriusque sexus, de Pænit. & remiss.* suscipiendo Eucharistiam de manu Regularium, nisi illam sumant a Parocho, quod vt video plures declarauit eadem Sacr. Congreg. Concilij sed inter alias adest declaratio Sacr. Congreg. in epistola ad Eminentiss. Card. Boncompagnum Archiepisc. Neapol. quam referunt *Diana p.6. tr.7. num.58. & Bassæus v. Communio num.9.* & est tenoris sequentis. *Conquesti sunt coram sanctissimo Domino Rectores Ecclesiarum Parochialium istius Ciuitatis de Patribus Theatinis, & Societatis Iesu, quòd asserere auderent, personas laicas assumentes, in eorum Oratorijs seu Congregationibus Eucharistiæ Sacramentum in die Paschatis Ecclesiæ præcepto satisfacere: cumque id minimè sit permissum, sed fideles sacram communionem temporu Paschali à proprio, vel ab alio de ipsius Sacerdotis licentia suscipere teneantur, sanctitas sua iussit Eminentiæ suæ significandum, vt sub pœna suspensionis à diuinis, & alijs sibi bene visis id prohibeat præfatis Religiosis: moneatque ipsos laicos Sacramentum Eucharistiæ vt supra de manu proprij Parochi teneri suscipere, vt Ecclesiæ præcepta satisfaciant; ita igitur pro sua pastorali pietate omnino curabit Eminentia vestra, cui me humillimè Commendo. Romæ die* 20. *Martij* 1638.

Eminent. V. Reuerendiss.

Humillimus seruus

Cardinalis Verospius.

Et tandem adest Breue Innoc. Decimi in causa Burdegalen. die 7. Februar. 1645. datum ad confirmandam declarationem Sacr. Congregationis Concilij datam 9. Iulij 1644. in qua decernitur posse Episcopum prohibere, ne Fratres Regulares in die Sancto Paschæ Eucharistiam administrent.

966 Sed respondet *Aluiser. d. sect.3. cap.7. nu.13. & 14.* & admittens Congregationes Cardinalium derogare huic priuilegio, sed quia illæ non habent vim, & authoritatem legum, ideo illis non obstantibus dicit quod manet priuilegium in suo robore. Ad Constit. verò Innocentij X. respondet, illam non esse constitutionem propriè dictam, neque munitam clausulis, & derogationibus requisitis ad inualidanda priuilegia Regularium, & tandem quòd illa est pro casu speciali, & quod non est promulgata, & intimata cum solemnitatibus necessarijs, & ideo nec per illam euacuantur priuilegia Regularium, sed si quid operatur, non se extendit vltra Diœces. Burdigal. Sed huiusmodi euasiones ita manifestè contra veritatem pugnant, vt non sit opus multis eas impugnare. Et quidem quòd Declarationes Sacr. Congregat. Concilij habeant vim legis istè probat *Reuerendiss. Fagnanus ad cap. quoniam à num.8. de Constitut.* Congreg. verò Episcoporum, & Regularium condere leges, ex ipsius statutis, quæ quotidiè emanant est manifestum, & cum sit tribunal ad quod ex officio pertinet iudicare, & decernere de negotijs, & causis Episcoporum & Regularium totius mundi, bene potest præcipere, decernere, obligare statuere, & promulgare leges totum mundum obligantes iuxta iurisdictionem & formam sibi datum a Sixto quinto in Constit.74. Quantùm verò ad Constitutionem Innoc.X. vnde deducitur, quòd non sit constitutio propriè? Et quantùm ad derogationes eas continet amplissimas, & cum declarationes legum vniuersalium sint vniuersales tantùm, quantùm sunt leges, & Cōgregationis Cōcilij declaratio sit vniuersalis, & afficiens vniuersaliter Regulares & eorum priuilegia, & Innocentius illam confirmet, non est vnde dicatur eam esse particularem pro Diœcesi Burdegalensi. Quantùm verò ad promulgationem sufficit quod sit promulgata iuxta stylum Romanæ Curiæ. His verò addendum est, quòd præter illam Constitut. Innoc. X. in causa Burdegalensi, est alia in causa Angelopol. in qua vt patet supra nu.177. Ad decimumseptimum dubium decernitur, quòd Regulares nec famolis, mercenarijs, aut Rusticis possunt in die Paschatis administrare sacramentum Eucharistiæ, quæ declaratio vniuersalissima est pro Regularibus omnibus.

967 Ad ea verò, quæ in oppositum adducuntur respondetur, quòd priuilegium ministrandi Eucharistiam in Ecclesiis Regularibus est concessum ad promouendam deuotionem fidelium sed numquam fuit Regularibus concessum vt possint communionem Paschalem dare. Et argumentum militat contra se, quia cum priuilegium Eugenij quarti, sicut & alia datum fuerit, & data in gratiam deuotionis fidelium, respicit igitur & respiciunt receptionem, & administrationem Sacramentorum, quæ sunt actus deuotionis, & superrogationis, non quæ sunt de præcepto; Ideo nec Eugenius IV. nec alij Pontifices vnquam concesserunt, quòd fidelium cōmunio quæ est de præcepto sumi possit in Ecclesijs Regularium, sed immò regulariter hanc communionem expresè denegarunt fieri posse de manu Regularium, sed & quatenus concessissent huiusmodi priuilegium iam nihil valeret. Quia Pontifices priuilegium hoc tale quale est, reuocassent si adesset. Secundum petit principium. Cum enim in *d. cap. Omnis vtriusque sexus* præcipiatur Sacramentum Eucharistiæ sumendum esse de manu proprij sacerdotis, aut de eius licentia, probandum

bandum priùs erat Pontificem hanc licentiam pro die Paschatis concessisse.

968 At dicet, hoc probatur in tertio argumēto, quia id concessit Nicolaus V. Ecclesiæ S. Mariæ de Guadalupæ, quod & ad omnia monasteria dicti Ordinis fuit extēsū per Paulū III. immò & per Piū IV. & V. & Sixtū V. vt videre est apud *Rodriq. p. p. q. 56. a. 3.* priuilegia enim vni monasterio illius Ord. concessa ad omnia alia fuerunt extensa. Sed primò cōsiderandū est, quòd non indicatur huius priuilegij authēticū aliquod, Doctores, qui illud adducūt & in fide Rodriquez steterunt, qui illud refert *p. p. q. 56. a. 3.* An vero Rodriquez (vir doctissimus quidem, & omni fide dignus) huius priuilegij originale aliquod exemplare, aut authenticum transumptum viderit, non apparet. Nam & si habuisset illud reposuisset in suo Bullario, quod post scriptas quæst. compilauit. Sed Rodriq. & ipse (vt puto) ab alio accepit, scilicet à Compēdio priuilegiorum Ord. S. Hieron. §. 2. & §. 6. sed quòd nec etiam illius Compendij auchor transumptū authēticū dicti priuilegij viderit, inde colligi potest, quòd vt aduertit *Card. de Lugo disp. 18. de Eucharist. num. 49. Rodriquez* asserit illud priuilegium concessum à Nicolao quinto anno 1558. quod prorsus est falsum, cum eo anno Pontifex esset Pius secundus & Nicolaus Quintus multò ante obijsset; quia Nicolao V. anno 1555. successit Calistus Tertius, & Calisto Pius secundus. Credibile verò est Rodriq. non aliunde datam falsam huius priuilegij habuisse, quàm ex eodem compendio, ex quo desumpsit priuilegium. Sed prætetea nec constat an illud priuilegium fuerit bullatum, vel viuæ vocis oraculum & ex eodem Rodriq. constat quòd extensio, quæ dicitur facta per Paulum Tertium fuit Oraculum. Quòd si hoc esset, iam illud esse reuocatū per Vrbanum VIII. in reuocatione oraculorum. Et immò non est extēsio ad alia monasteria eiusdē Ordinis, sed ad capellas, oratoria grangias, & loca eiusdem monasterij, vt videre est apud Rodriquez ibidem. Primò igitur de hoc priuilegio non constat an fuerit oraculum viuę vocis. Deinde secundò dicitur cum *Palao tract. 21. p. 19. num. 5.* quòd nec PP. S. Hieron. ea extensione vnquam vsi sunt, & quòd tale priuilegium nunquam fuit à reliquis Ordinibus admissum. Et sic illud priuilegium non dicitur cessasse per non vsum, sed nunquam vim habuisse, quia ab alijs Ordinibus non acceptatum. Ad hoc verò vt priuilegium vim habeat, necesse est, quòd sit acceptatum, vt idem Palaus aduertit. Deinde tertiò etiamsi de hoc constaret, illud censendum esset reuocatum tum per declarationes Sacr. Congreg. authoritate Pontificum emanatas, tum per Constitut. Innocentij Decimi in causis Burdegalen. & Angelopolit.

969 Sed quia sæpe nobis aderit occasio loquēdi de his priuilegijs concessis Regularibus, quorum initium ignoratur, & quæ ex sola narratiua huius vel illius auctoris sciuntur, vtile immò necessarium puto hic reponendam esse dispositionem Vrbani octaui in sua Constitut. *In supremo*, 141. quæ habetur in Appendice Bullar. apud Cherubinum in ordine 31. & fuit data 1. Iunij 1635. Pontificatus anno 12. Et in qua sic disponitur.

§. 2. *Quapropter Nos his fraudibus, & malitijs, ac etiam erroribus, & praeiudicijs, quæ etiam defectu imprimentium multoties occurrunt, quantum nobis ex alto conceditur, obuiare volentes, ipsarumque historiarum, tractatuum, repetitionum, allegationum, compositionum, interpretationum, & assertionum, ac insertionum, & enunciatiuarum quarumcumque aliorumq. præfatorum cuiuscumque generis, & speciei sint, ac super qualibet re, & ex quacumque occasione, vel causa, & à quibuscumque personis factæ fuerint, etiamsi speciali mentione, & expressione, imò etiam de verbo ad verbum insertione, vel relatione indigerent, tenores etiam maiores, & veriores pro insertis, & expressis habentes; Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione declaramus, & decernimus, omnes, & singulas præfatas assertiones, narratiuas, insertiones, & relationes, expositiones, declarationes, & enunciatiuas, ac quascumque expressiones quarumcumque gratiarum concessionum indultarum, priuilegiorum, ac dispositionum Apostolicarum, & quorumcumque aliorum, vt præmittitur, ac aliàs quomodolibet à præfatis, & alijs quibuscumque scriptoribus, & auctoribus etiam quoad alia receptis forsan, & approbatis, etiam antiquis, antiquioribus, & antiquissimis factas, scriptisque exaratas, & typis impressos, nullam fidem, nec iudicium, aut probationis speciem, seu adminiculum fecisse, nec facere in iudicio, nec extra iudicium, in damnum, læsionem, seu præiudicium Sedis Apostolicæ, Ecclesiarum, & locorum piorum, eaque obuenentium, eiusque, & eorum iurium quorumcumque, ac dignitatum, & iurisdictionum, etiam in fauorem cuiuscumque alterius Ecclesiæ, loci pij, & Ecclesiasticæ personæ, nisi si, & postquam constiterit, de originalibus literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, Chirographorum, supplicationum, vel Motuum propriorum; seu in defectum originalium, nisi prius ipsæ gratiæ, indulta, concessiones, priuilegia, & quæcumque aliæ dispositiones, quæ, vt præfertur, per Nos, ac Romanos Pontifices asseruntur factæ, fuerint recognitæ, seu extractæ à Dataria, Secretario Breuium, & Præfectis Archiuiorum, ac Magistris Registrorum, aliisque eiusdem Sedis Apostolicæ officialibus respectiuè, & per eosdem officiales cum earum originalibus auscultatæ, collatæ, & concordare inuentæ, seu respectiuè recognitæ, ita vt quibuscumque scriptorum, aliarumque præfatorum assertionibus, narratiuis, insertionibus, relationibus, enunciatiuis, & expressionibus gestorum, concessorum, & dispositorum, vt dicunt per Nos, seu Romanos Pontifices prædecessores, & successores nostros, nulla fides vmquam adhibeatur; nec adhiberi possit, nisi constito priùs de narrato, relato, inserto, asserto, & enunciato authentica, videlicet per originale exhibendum, vel per sumptum, vt præfertur extrahendum, & respectiuè recognoscendum.*

§. 3. *Et quoad ea, in quibus agitur quomodolibet de aliquo interesse, vel præiudicio Cameræ, & Sedis Apostolicæ, nisi vltra præfata etiam concurrat, quòd prędicta extractio, collatio, & auscultatio, ac respectiue recognitio factę fuerint, citato, & audito Camerę Apostolicę Commissario pro tempore existente; & nisi officiales huiusmodi in eorum, & earum extractione, & subscriptione attestentur de citatione, auscultatione, collatione, & concordia, ac respectiue recognitione prędictis. Et idem statuimus, & decernimus esse obseruandum respectu gratiarum, concessionum, indultorum, priuilegiorum, ac quarumcumque aliarum dispositionum, quę in posterum à Nobis,*

seu

ſeu à Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris canonicè intrantibus, emanaſſe aſſererentur, vt illarum aſſertiones, inſertiones, & enunciatinę, aliaque pręmiſſa, & quodlibet eorum à quibuſcumque ſcriptoribus, & autoribus, vt pręfertur, pro tempore faciendę, & facienda, nullam fidem, inditium, vel probationem faciant in pręiudicium Sedis Apoſtolicę, & aliorum pręfatorum in iudicio, & extra inditium, niſi ſi, & poſtquam auſcultatio, & reſpectiuè citatio, aliaque pręmiſſa omnia, & ſingula pariter interuenerint.

S V M M A R I V M.

1 *Probibitionem de nõ communicando in die Paſchatis multi intelligunt formaliter. nu. 970.*

2 *Iura duo probibent Regularibus. Primum quod non communicent pro ſatisfaciendo communioni annuæ. num. 971.*

3 *Secundum quod nec in die Paſchatis liceat communicare ſeculares ex deuotione. nu. 972.*

970 SVpposito igitur tãquam indubitato, quòd ſeculares non poſſunt ſatisfacere præcepto Eccleſiæ recipiendo Euchariſtiam in Eccleſiis Regularium non Parochialibus, ſeu extra Parochiam, & quòd Regulares in Paſchate non poſſint communionem dare, oritur alia controuerſia; an ſcilicet hoc debeat intelligi formaliter, vel potiùs etiam materialiter de die feſto Paſchæ. Nam quòd debeat intelligi formaliter, vt communio Paſchalis illa prohibita ſit dari à Regularibus, qua ſatisfit præcepto Eccleſiæ. Cæterùm quòd Regulares iis, qui vel ante in Parochiali Eccleſia ſatisfecerunt præcepto, vel poſt ſatisfacturi ſunt, poſſint in die Paſchatis Euchariſtiam adminiſtrare, cenſuerunt *Suarez. tom. 3. diſp. 72. ſect. 2. §. Cenſeo igitur Fagundez in 3. præcept. l. 3. cap. 2. num. 18. Palaus trac. 21. p. 19. num. 10. Rodriq. p. p. quæſt. 56. a. 3. Card. de Lugo de Euchariſ. diſp. 18. n. 50. Sanchez de matrim. lib. 3. diſp. 23. num. 17. Anton. a Spir. Sancto p. p. tr. 2. diſp. 3. num. 98.* vbi quòd declaratio in contrarium Sac. Congreg. relata à Gauanto non eſt authentica, neque vſu recepta. *Ceſpedes cap. 6. quæſt. 126. num. 3. & 129. nu. 3. Coton. l. 4. contr. 8. num. 113. Peyr. ad Conſt. 1. Iulij II. num. 36. Tambur. tom. 2. diſp. 5. quæſt. 3. num. 3. Diana p. 4. tract. 4. reſ. 81.* quod & probabile putat *Lezana v. Euchariſ. num. 2.* vbi quòd ſit ſtandum conſuetudini, & alii plures relati ab iſtis. Ratio autem eſt Tum primò, quia nomine Paſchatis reſpectu adimplendi præcepti Eccleſiæ de communione veniunt dies hebdomadæ maioris, vſq; ad octauam Paſchę, vt expreſsè determinauit Eugenius IV. in ſua Conſtit. 20. Vnde conuenienter per communionem Paſchalem intelligitur communio habita in aliquo die intra illud tempus pro adimplẽdo præcepto capit. *Omnis vtriuſque ſexus*, & ſic exceptio cõtẽta in priuilegiis Regularium optimè explicatur, vt intelligatur de communione Paſchali formaliter, quæ habetur pro adimplendo præcepto Eccleſiaſtico: Tum ſecundò, quia hoc modo ſatisfit Eccleſię Parochiali, & pręcepto Eccleſiæ, quia relinquitur, vt Parochiani ſuos Parochos recognoſcant, & prout Eccleſia vult cõmmunio de eorum manibus recipiatur. Tum tertiò, quia aliàs ſi Regulares prohibiti eſſent dare communionem ſolùm ipſo die Paſchatis ſequeretur quòd in aliis diebus poſſent illam præbere, & ita quòd recipientes ſatisfacerent præcepto Eccleſiæ.

971 Verùm hæc conſequentia non currit, & duo hic ab Eccleſia ſtatuta ſunt. Primum quod nullus ſatisfaciat præcepto Eccleſiaſtico de annua communione recipiendo extra Parochiam à Regularibus communionem ſine licentia Parochi. *Barboſa v. communicare, num. 3. Diana p. 1. tract. 3. reſ. 51. Peyr. ad Conſtit. 1. Iulij II. num. 87.* Secundum quòd in die Reſurrectionis Domini noſtri, nullus Regularium in ſuis Eccleſiis poſſit quomodocunque Euchariſtiam adminiſtrare. Ita ſentiunt *Nauar. cap. 21. num. 52. Enriq. l. 8. cap. 55. Azor. p. 1. lib. 7. c. 41. quæſt. 7. Barboſa v. Euchariſ. num. 4. & de off. Paroc. p. 2. c. 20. num. 10.* & apud eum *Trullench. Sorbus ad Caſarub. in v. Communicare. Nicolius v. Regularis num. 31. & v. Paſcha. num. 6.* Primum horum, ſcilicet quòd non ſatisfiat præcepto Eccleſiaſtico recipiendo Euchariſtiam de manibus Regularium, abundè conſtat ex iuribus ſupra ponderatis. Et ratio etiam eſt, quia priuilegia ſupra relata cum habeant pro motiuo augmentum, & fauorem deuotionis fidelium, ſolùm de communione recipienda ex deuotione loquuta ſunt, non verò de ea quæ ex præcepto debet recipi. Vnde dato etiam, quòd non excepiſſent communionem habendam in die Reſurrectionis, adhuc tanquam excepta debuiſſet intelligi communio vt habenda ex præcepto Eccleſiaſtico, quia hæc nec eſt cõmunio ex pura deuotione, & Pontifices ſi voluiſſent eximere fideles à lege Eccleſiaſtica *c. omnis vtriuſque ſexus*, id exprimere debuiſſent; quoniam non recipere communionem de manu proprij ſacerdotis eſt priuilegium ſingulare, & expreſsè concedendum, eo magis quòd eſt in præiudicium ſubordinationis ouium ad Paſtores proprios. Ideo talis conceſſio non venit ſub communi conceſſione ſuſcipiendi Euchariſtiam etiam quocumque tempore de manibus Regularium. Et neque per hoc exempti ſunt fideles ab obligatione ſumendi eam tempore Paſchatis à proprio Parocho. Atque propterea citata priuilegia hoc non concedunt, & de eo, quod refertur pro Eccleſia Particulari S. Mariæ de Guadalupe non conſtat, & non eſt tale cui tuto credi poſſit in præiudicium obedientiæ debitæ Parochis, maximè ſtante Conſtit. citata Vrbani VIII.

972 Secundum verò probatur. Tum primò, quia prior opinio non diſtinxit ſed credidit, quòd Pontifices excipientes communionem diei Reſurrectionis intelligerent excipere confeſſionem annuam debitam ex præcepto, cum tamen Pontifices diem illum materialem reſpicerent. Quia cum conceſſerint facultatem adminiſtrandi Euchariſtiã recipiendam a fidelibus ex deuotione non verò ex præcepto, non erat opus vt communionem annuam ex præcepto debitam exciperent, ſed bene volentes vt in die Paſchatis fideles frequentiùs ad Parochias ſuas accederent, & nolentes, quòd etiam ex cauſa deuotionis eo die communio in Eccleſiis Regularium diſpenſaretur, ideo in ſpecie expreſſerunt, quòd Regulares in die Reſurrectionis non poſſint Euchariſtiam adminiſtrare. Et hunc ſenſum habuit Sacr. Congreg. Concilij nedum in declarat. de qua mentionem fecit Gauant. & de qua loquutus eſt Barboſa locis ſupra citatis, quam etiã

retuli

retuli supra; sed & vt habetur ex *Nicolio v. Pascha num.6.* Sacr.Congreg.Episc.& Regul.10. Septemb. 1627. decreuit, vt prohibeatur Regularibus administrare secularibus sacramentum communionis etiam deuotionis causa ipso die Paschatis. Sed & hunc sẽsum expressit declaratio data in causa Burdegalen. & ab Innoc.X. confirmata, & Constitut. eiusdem Innoc. in causa Angelop. ad 17. dubium. Et hoc idem sæpius declarasse Sacr. Congreg. tradit idem *Nicol. lib.5. tit.39. de sent.excom.num.159. §.2.* vbi quòd licet Parochus possit dare licentiam communicandi extra Parochiam pro die Paschatis, tamen id non debeat facere generaliter declarauit Sacr. Congreg. Concil. in Cauallicen.7. Nouem.1615.

SVMMARIVM.

1 *Vbi adsit consuetudo Regulares possunt communicare in Paschate.nu.973.*
2 *Item vbi adsit licentia Parochi saltem præsumpta. num.974.*
3 *Quis hanc licentiam dare possit. n.974.*
4 *Necessitatis titulus in communione Paschali locum non habet.nu.975.*
5 *Communionem Paschalem familiaribus, non tamen famulis, & rusticis dare possunt regulares. num.976.*
6 *Tertiarijs viris collegialiter cum Religiosis viuentibus non vero Tertiarijs fœminis dari potest à Regularibus communio Paschalis. n.977.*
7 *Peregrinis, & vagis posse dari communionem Paschalem à Regularibus asserunt multi.n.978.*
8 *Reijcitur.num.979.*
9 *Peregrini à Parocho in cuius Parochia sunt sacramenta suscipiunt.num.979.*

973 DVo tamen principalia, & præfata asserta limitantur primò, quia in hac parte, vt aduertit Lezana supra citatus consuetudo vim habere potest, vbi sit legitimè præscripta. Vnde donec legitimè reuocetur poterunt Regulares, ea vti in locis vbi introducta reperitur.

974 Pariter verum est, quòd de licentia Parochi possunt Regulares etiam communionem annuam ministrare, nam & ex vi *d. c. omnis vtriusque sexus* permissum est administrare Eucharistiam de licentia proprij Sacerdotis. Hanc verò licentiam sufficere tacitam, vel præsumptam dixerunt *Fagundez prac.2.l.7.c.2.n.12.Coton.l.4.contr.8.nu.117. Palaus tr.21.p.8.n.4.Layman l.5.tr.4.c.7.n.4.Lezana ad Mare magnum Minorum §.45.num 130.Tambur. tom.2.de iure Abb.disp.5.q.3.num.10.Leander trac.7. de Euchar.disp.3.q.3.Diana p.3.tr.2.ref.8.& p.7.tr. 2. ref.81.* Verum tamen est, quòd ad communicandum in die Paschatis ex deuotione de facili potest præsumi licentia Parochi, quia hoc non est in præiudicium communionis Paschalis, & reuerentiæ debitæ Parocho, cum ille qui communicat ex deuotione in die Paschatis, vel iam communicauerit in Parochia, vel sit cõmunicaturus vt adimpleat præceptum de communione annua. Sed non de facili potest præsumi licentia Parochi ad dandam communionem pro Ecclesiastico præcepto adimplendo, vt bene notauit *Lezana supra citatus.* Sicue verò sufficit licentia præsumpta, ita etiam sufficit ratihabitio *Coton.d.n.117.Diana par.11.tr.7.ref.28.* Non sufficit tamen licentia data ad confessiones audiendas, vt quis alienum subditum possit communione Paschali reficere, quia hæc diuersa sunt. *Fagundez d.c.2.n.85. Lezana ad Mare magnum Carmelit.num.379.* Nisi esset data pro confessione habenda in articulo mortis. *Fagund.ibid.num.14.& 20.* Hanc verò licentiam pro quacumque suæ diœcesis Parochia potest dare Episcopus *Caiet. v. excommun.cap.64. Coton. vbi supra nu.133.* Eamque dare potest Parochus etiam si nondum Sacerdos, quia habet iurisdictionem & ideo potest dare licẽtiam vt suus subditus communicetur extra Parochiam à Regularibus. Et hanc licentiam censetur Parochus dedisse, si suo Parochiano concessit, vt à Sacerdote à se eligendo communionem Paschalem recipiat. *Palaus vbi supra num.5.Tamb. disp.5.q.3. num.4.* Et hoc etiam Eugenium IV. declarasse viuæ vocis oraculo refert. *Cæsarub. v. communic. num.3.* seu si Regulari concedat facultatem administrandi omnia Sacramenta. *Caiet. v.excommunic.cap.64. Bonac.de excomm.in part.disp.2.quæst.11.p.5. num.6.* Si etiam Parochianus dicat Religioso se habere à Parocho licentiam recipiendi ab eo communionẽ Paschalem, credendum est ei. Nemo enim in ijs, quæ ad propriam salutem spectant præsumendus est mendax. *Peyrin.ad Constitut. prima Iulij Secundi num.84.*

975 Necessitas etiam videtur continere licentiam tacitam, & ideo *Suarez tom.4. de Relig. tr.10. l.9.c.3.num.8.* quem sequitur *Peyr. ad Consti.1. Iulij II. num.91.* existimat quòd in casu necessitatis, vt si Parochianus non possit adire Parochum, vt ab eo vel communionem, vel licentiam petat, vel si sibi à Parocho malitiosè communio denegetur. Fundant se in priuilegio Pauli III, pro Societate, vbi excipiens communionem Paschalem, & in articulo mortis subdit, nisi in casu necessitatis, quod referri tam ad communionem pro viatico, quàm ad communionem Paschalem existimant. Verùm si consideretur, quòd communio Paschalis non est necessaria nisi ex necessitate præcepti Ecclesiastici, quod non obligat in casu necessitatis istius in quo non adsit Sacerdos, qui illam administrare possit, aut velit, vnde cessãte Sacerdote proprio, qui iurisdictionem habeat dandi communionem, præceptum de ea sumenda non ligat, apparet, quod necessitatis titulus in communione Paschali locum non habet, vt ex eodem *Suarez tom.3.in 3.p.disp.72. sec.2.circa finem* aduertit *Palaus tr.21.punc.19.nu.6.* vbi etiam ex *Vasquez disp.119. cap.4. in fin.* concludit, quod ex capite necessitatis non possunt Regulares in Paschate administrare Eucharistiam. Et idem tenent *Fagund.d.l.3.c.2.n.11.& Lezana ad mare magnum Prædic.§.47.n.153.*

976 Limitantur quartò. Nam quòd liceat Regularibus dare communionem Paschalem pro satisfactione præcepti Ecclesiastici familiaribus dixerunt *Cespedes cap.6. q.25. Anton. à Spir. sancto p.p.tr.2.disp.3.num.99.Lezana p.3.ver.Eucharist. num.6.& 9.Diana p.3.tr.2.ref.12.& p.5.tr.3.ref.52. & p.11.tr.7.ref.28.Coton.l.4.contr.8.n.114.Nicolius v.Regularis n.32.Tambur.d.disp.5.num.5.& 9.* Hoc tamen intelligi debet de familiaribus propriè dictis, qui viuont intra Conuentum, sunt commensales, & viuunt sub obedientia Prælatorum, vt supra

pra etiam dictum est. Nam alias (quidquid in contrarium dixerint *Diana par. 11. tr. 7. res. 28. & alij*) quod Regulares non possint in Paschatis festo dare communionem famulis & rusticis habetur definitum in Constitut. Angelopolitana Innocentij Decimi. Familiaribus tamen eam cōcedi posse habetur ex Clem. prima de priuilegijs, vbi prohibentur Religiosi Clericis, aut secularibus ministrare Sacram. Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis, sed in §. *sane* excipiuntur familiares.

977 Limitari videretur quartò hoc, vt suis Tertiarijs liceat Regularibus communionem dare in Paschate, si viri Collegialiter viuant, & Regulares sub expresso voto castitatis cęlibem vitam ducant etiam in suis domibus. Sed hoc quidem verum est de viris qui viuunt intra Conuentus tanquam Religiosi & perpetui commensales Monasteriorum, vt num. super. dictum fuit. Sed de alijs id minimè verificatur. Et quòd Tertiarijs mulieribus, quæ viuunt extra clausuram, etiam si votum expressum castitatis & professionem emiserint declarauit expresè Sac. Congr. Concilij de anno 1616. quod etiam esse obseruãdum eodem anno præscripsit S. Congreg. Episcoporum & Regularium die 30. Decembr. 1616. Et ideo hoc modo tradunt *Nicolius v. Tertiaria num. 3.* vbi etiam decretum Congreg. per expressum refert & *l. 5. tit. 39. nu. 159. § 2. Coton. l. 4. contr. 8. nu. 115. Reuerendiss. Fagnanus cap. omnis vtriusque sexus nu. 64. de pænit. & remiss.* vbi quòd huiusmodi Tertiariæ quantùm ad administrationem sacramentorum se habent ac si essent seculares.

978 Limitant tertiò, multi qui asserunt Regulares posse tempore Paschatis etiam pro implendo præcepto ministrare Eucharistiam peregrinis, & vagis. Ita *Fagund. prac. 3. l. 3. c. 2. nu. 12. Coton. l. 4. contr. 8. n. 114. Anton. à Spir. sancto p. p. tr. 2. disput. 3. n. 10. Palaus tr. 21. p. 19. num. 7.* Quod ad mercatores extra patrias suas occasione mercium existentes idem *Ant. à Spir. sancto Peyr. ad Constitut. 1. Iulij II. num. 92. de iure Abb. disp. 5. q. 2. nu. 6. Sanchez l. 3. de matrim. disp. 23. nu. 17. Diana p. 3. tr. 2. nu. 12. & p. 11. tr. 7. res. 18.* & ad mercenarios existentes extra Parochiam *Tambur. num. 8. & Diana vbi supra. Sanchez num. 18.* Ratio huius est multiplex. Primò quia limitatio quæ continetur in priuilegijs Regulariũ, vt in die Paschatis nõ administrent sacram Eucharistiam, fuit posita ad fauorem Parochorum, sed cum vagi, & aduenæ nullam habeant parochiam præscriptam nulla Parochis fit iniuria, si isti cõmunicent de manu Regularium. Secũdò quia ex proprij Parochi licentia isti peregrini & aduenæ nullibi acquirentes domicilium licentiã habent accipiendi Sacram. à quocumq; aliàs ea legitimè administrãte. Nec obstat quòd Eugenius IV. vt refert *Comp. priuileg. Mendic. v. absolutio 1.* quoad Regulares *num. 5.* decreuerit hos aduenas, & peregrinos, seu vagos acquirere incolatum quoad Sacramenta confessionis, & communionis tempore Paschatis licet in modico tempore steterint, quia hoc concessit ad fauorem peregrinorum, & ad tollendos eorum scrupulos, non verò eos obligauit ad recipiendum Sacramenta de manu Parochorum, sed reliquit eos iuris communis dispositioni. Nec obstat quòd alij dicunt hos aduenas teneri communicare in Cathedrali quæ est Parochia communis totius Diœcesis: Nam huiusmodi aduenæ in Cathedrali etiam sepeliendos esse, licet in alia decedant *Innocent. cap. 1. de sepult. v. vnico* & ibi *Hostien.* & quamplures alij apud *Sanchez d. num. 17.* Hoc inquam non obstat, quia nullo iure probatur, quòd huiusmodi teneantur ad recipiendum Sacramenta in Cathedrali, sed possunt in qualibet Parochia Sacramenta recipere, quando in nulla Parochia domicilium contraxerunt prout tenent *Panormit. cap. 1. num. 1. de celebrat. Missarum. Hostien. de sepult. numer. 3. & 6. in summa & alij plures apud eumdem Sanchez.*

979 Verùm in contrarium nõ paruam vim facit, quòd in Ecclesia debet esse qui tempore necessitatis Sacramenta teneatur cuicumque fideli administrare; sicut enim fideles habent ius ad Sacramenta recipienda, & præceptum vel diuinum vel Ecclesiasticum ea recipiendi, ita debet dari in Ecclesia minister, qui ea teneatur administrare. Quod verò hic sit vel Parochus Cathedralis, vel Parochus intra cuius parochiam existunt, hoc potest pendere vel ex lege particulari Diœcesis, vel ex consuetudine. De iure verò communi, quod ille dicatur proprius Sacerdos, in cuius parochia quis habitat de præsenti, nec potest commodè adire proprium Sacerdotem, dixit *Reuerendiss. Fagnanus in cap. significasti de Parochi nu. 31. post Federicum de Senis cons. 754. & Panorm. in cap. Extirpanda, § qui verò n. 11. de præbend. & Anchar. in cap. vxore nu. 7. de sepult. & in cap. omnis vtriusque sexus n. 13. de pænit. & remiss.* Nam & certè tempore mortis iste Parochus etiam cum suo periculo tenetetur aduenæ in sua parochia morienti ministrare Sacramenta. Vnde etiam ad eum spectant iura funeralium, nisi vbi ex lege speciali, aut consuetudine hoc spectet ad Cathedralem, aut ad aliam Ecclesiam. Respectu igitur Peregrinorum, & aduenarum, qui tempore Paschatis commodè propriam parochiam adire non possunt proprius Sacerdos de iure communi est Parochus in cuius parochia illi de præsenti habitant, & ideo vel ab eo, vel ab alio non nisi de eius licentia Sacramentum Eucharistiæ recipere debent. Ideo cum *Clem. 1. de priuil.* sit prohibitum Religiosis administrare Sacramentum Eucharistiæ alicui sine licẽtia Presbyteri Parochialis, *Glossa in ver. Parochialis* quoad scholares & mercenarios intelligit propriũ Sacerdotem esse Parochum illius parochiæ in qua habitant; & sic de mente eius Religiosi sunt excõmunicati per illam Clem. si sine dicti Parochi licẽtia Sacramentum Eucharistiæ administrent, cum ad id, non habeant speciale priuilegium illud dispẽsandi sine licentia proprij Sacerdotis. Et *Casarub. in v. absolutio 1.* quoad seculares, vbi aduertit, quod Eugenius IV. declarauit (viuæ vocis oraculo) aduenas acquirere incolatũ in loco in quo sunt quantum ad Sacramenta confessionis & communionis, subdit; quod non per hoc Regulares sine licentia Parochi habitationis eorum possunt illis in Paschate communionem tradere. Nec valet dicere, quod huiusmodi aduenæ habent licẽtiam à proprijs Parochis recipiendi Sacramenta à quocumque, quia hoc debet intelligi secundùm iuris communis dispositionem, secundùm quam non sunt in casu necessitatis sacramentorum sine proprio Parocho, ad quem pertineat ex officio illis Sacramenta administrare, ne sint oues sine Pastore, quod non admit-

mittitur in Ecclesia. Nun possunt igitur Regulares in Paschate præbere communionem peregrinis, & aduenis extra propriam parochiam existētibus, nisi de licentia Parochi in cuius parochia de præsenti habitant, aut Parochi Cathedralis aut alterius Ecclesiæ iuxta morem & leges Patriæ. Quod & tanquam verius docet *Suarez. tom.4.de Relig. tr. 11.l.9, cap.3.* Vnde & Vagum debere confiteri illi Parocho in cuius parochia reperitur tempore perceptionis Sacramenti ex *Sylu. v. Confessio q.10. & Soto 4. dist.18.q.4.ar.2.* resoluit *Barbosa de off. Parochi p.2.c.19.n.16.*

SVMMARIVM.

1 *Regulares secularibus non ministrant viaticum. num.980.*
2 *Id praestare possunt in casu præcisæ necessitatis. n.981.*
3 *Item familiaribus propriè dictis. n.982.*
4 *Item existentibus intra monasteria. n.983.*
5 *Item communicantibus ex deuotione. n.984.*
6 *Item qui sunt in aliquo mortis periculo, sed non in extremo. n.985.*

980 DVbitatur tertiò, An Regularibus conueniat in aliquo casu ministrare secularibus viaticum? Supponitur ex communi sententia, quòd Regulares nō possint secularibus ministrare viaticum. Hoc enim illis expressè est vetitum per *Clem. Religiosi 1.* de priuilegijs, nec illis est per aliquod priuilegium concessum, immò in supra positis priuilegijs expressè est exceptum. Nihilominus aliqui sunt casus in quibus hoc Regularibus licet.

981 Primus est casus necessitatis, si vel deficiat Parochus aut ab eo substitutus, seu eius Vicarius, vel Parochus ipse nec per se nec per substitutū velit illud administrare sine iusta causa. *Fagundez prac.2.l.3.cap.2.n.20. Cespedes cap.6.n.129. 1. Anton. a Spir. sancto p.p.tr.2.disp.3.n.104. Palaus tr.21.p 19, n.8. Layman l.5.tr.4.c.7.n.3. Diana p.5.tr.2.res.52.& n.11.tr.7. res.28. Lezana ad mare magnum Prædic. §.47.& n.152. & ad mare magnum Minorum §. 45. n.130. & ad mare magnum Carmel.§.64. nu.381. & p.p.cap.21.nu.8.* De hoc habetur priuilegium Sixti IV. supra relatum. Quod tamen, vt ibidem dictum est, limitatum est, & non licet eo vti nisi in terminis moderationis Leonis X. in Concil. Later. Sed adest amplius priuilegium datum vt supra Societati per Paulum III. Nam in casu necessitatis Regulares laicis Sacramenta ministrantes laudem potiùs, & præmium, quàm pœnam merentur Sac. Congreg. Episc. & Regul. 1582. Tecui 5. Iunij 76. prout refert *Nicolius in Canon. lib.5. tit.39. num.159.§.1.* Sed considerandum, quòd hoc est verum in casu necessitatis præcisæ, & talis quòd infirmus in articulo mortis sit moriturus sine viatico, nisi ei administretur per Regulares aut per Sacerdotem nec Parochum, nec habentem licentiam a Parocho illud administrandi. Nam si possit expectari Parochus, vel per eum, aut per alium habētem ab eo licentiam potest succurri necessitati infirmi, non sumus in casu necessitatis. Vnde est quòd data necessitate hac præcisa sine aliquo priuilegio à quocumque simplici sacerdote potest infirmus communicari, vt bene aduerterunt *Palaus, Layman, Lezana, & alij.* Et aliud quoque est attendendum, quòd pro foro externo & vt sacerdos vitet in externo foro excōmunicationem necesse est, quòd præcisa necessitatis constet, & possit probari vel per testimonium vicinorum, vel quia Parochus coram Notario & testibus requisitus sine iusta causa negauerit infirmo Viaticum absolutè, & ita quòd infirmus esset moriturus sine illo, nisi sibi administraretur ab alio iuxta terminos Constitut. Leonis Decimi.

982 Secundus casus est si secularis sit familiaris Regularium, nam Regulares habere facultatem administrandi Ecclesiastica Sacramenta suis familiaribus ex Mari Magno Prædicatorum, & priuilegijs Nicolai V, & Innocentij VIII. pro eodem Ordine, & Clement. IV. pro Ord. Minorum, & Martini V. pro Monachis Benedictinis Congregat. Obseruantiæ Hispaniæ, & Leonis X. pro Minimis probatum est supra nu.335. de quo videri possunt *Couarub. v. Familiares, & alij DD. ibid. citati.* Hoc tamen priuilegium non habet locum nisi in familiaribus propriè sumptis, vt ibid. declaratum fuit.

983 Tertius casus est, vt Viaticum à Regularibus administrari possit famulis, Mercenarijs, operarijs, seruis, hospitibus, & quibuscumque qui intra Conuentus, Monasteria, aut domos sint infirmi in articulo mortis. *Peyr. ad Constit. 1. Iulij II. nu.2. q.2.* & apud eum *Rodriq. p.p.q.67.a.1. Suarez tom. 4. de Relig. tr.1 n.lib.9.c.3.n.17.* Item *Cesped. c.6. d.125. Anton. a Spir. sancto p.p.tr.2.disp.3. nu.103.* qui *Cespedes n.12.* extendit etiam ad Alumnos Seminarij *Peregrinus in compend. priuileg. Theatinorum.* Hoc enim probat Peyr. ex priuilegio Iulij II. in Constit. illa prima apud ipsum §.37. quod relatum fuit supra num.942. Sed ex eo priuilegio non credo hoc posse colligi, quia ibi non est sermo de Viatico, & *Peyrin.* ipse *nu. 89.* bene dixit ex eo priuilegio non haberi, quòd possint Religiosi Minimi administrare Sacramentum Eucharistiæ in festo Paschatis. Vt enim considerat, communio Paschalis, quam Regulariter Pontifices excipiunt, non comprehenditur, in concessione generali & simplici administrandi sacram Eucharistiam. Vnde multò minùs sub ea concessione comprehenditur Viaticum. Quod eò magis est verum, quòd Iulius Secundus ibi loquitur de administratione Eucharistiæ habēda in Ecclesijs pro confluentibus ad eas. Quod verò ibi Peyr. velit vt sub nomine Ecclesiæ veniat etiam Monasterium, durior est explicatio, cum intra Monasterium non administretur secularibus Eucharistia, sed in Ecclesia, & Pontifex concedit vt illa in Ecclesijs administretur quibuscumque. Fundatur secundò *Peyr.* super concessione Pauli IV. pro Minoribus Obseruantiæ, quam refert *Rodriq. in suo Bullario & est in ordine 3.* eamque retulimus supra in hac inspectione. Verùm vt consideratum est supra ibi Pontifex non concedit, quòd possint ministrare viaticum alicui. Concedit quidem vt Minores de Obseruantia possint audire confessiones infirmorum in eorum domibus, sed non concedit, quòd possint eos in eorum domibus communicare pro viatico. Immò cum ibi excipiat communionem Paschalem, mul-

tò magis intelligitur excepta commonio per modum viatici, quæ ſpectat propriè ad Parochum, & quæ non tribuitur Regulariter niſi deferendo Sacramentum publicè, & ſolemniter, quod non eſt Regularibus permiſſum. Ideo hic caſus tertius pro quanto video non habet fundamentum niſi in priuilegio Pij V. pro Theatinis, quod habetur ſupra nu.945.& quod pro hac parte non eſt cenſendum redactum ad terminos *Concil.Trident.* ſeu abrogatum per Conſtit.*In tanta* Gregor.XIII cum nedum nihil contineat contrarium *Concil.Trident.* Sed eſt de iure communi, ex vi exemptionis Conuentuũ ſeu Domorum Regularium, ex qua etiam ſeculares ibi exiſtentes quatenus ibi exiſtunt, ſunt exempti à iuriſdictione Epiſcopi, & ideo Sacramenta in articulo mortis adminiſtrari eis poſſunt à Regularibus. Et quia probatum eſt numer.979. quod vbi fideles commodè non poſſunt reuerti ad domum ſuæ habitationis, & ad propriam Parochiam, debent recipere Sacramenta à proprio ſacerdote loci in quo ſunt. Proprius verò ſacerdos Monaſterij exempti eſt Prælatus illius Monaſterij:

984 Quartus caſus eſt, ſi infirmo detur ſacra communio ex deuotione. Vbi enim ſermo ſit de commonione ſumpta ex deuotione non ex præcepto, priuilegia Regularium non ſunt limitata ad locum, ſed etiam extra proprias Eccleſias poſſunt Regulares miniſtrare Euchariſtiã, quod & expreſsè eſt illis conceſſum, vt ſupra n.945.& 949.& 955. diffuſiùs eſt explicatum. *Suar.tom.4.de Relig.tr.10. l.9 cap.3.n 13. Palaus tr.21.p.19.nu.8. Peyr.ad Conſt. 1.Iulij II. num.92. Ceſpedes c.6.q.130.nu.1. Lezana v.Euchariſt.num.11.* Quod quidem extenditur vt etiam non ieiunus infirmus poſſit communicari tunc cum iam ſemel ſumpſit viaticum, & iterum poteſt ex deuotione non ieiunus communicare. Verum vt ſupra nu.954.dicebatur, cum Regularis in Oratorijs priuatis in domibus ſecularium ſine licentia Epiſcopi celebrare non poſſit, & in eiuſdẽ Oratorijs non liceat permanenter conſeruare ſacram Euchariſtiam, Regularibus nec licet per plateas deferre, vt præfati DD. bene aduertunt, non tam facilè caſus contingere poteſt, vt Regularis infirmum communicare poſſit in proprijs domibus conſiſtentem, niſi vel ipſe, vel alius tunc de recenti celebrauerit. Quamuis verò Lezana dicat hoc fieri non poſſe contradicente Epiſcopo, hoc verum erit vbi Sacramẽtum deferri debeat per plateas. Sed vbi ſacerdos ipſe celebrauit in Oratorio priuato domus, non poterit prohiberi, quin infirmũ vel adſtantẽ, vel de propinquo iacentẽ ex deuotione nõ poſsit Regularis cõmunicare. Cum tamẽ omnino amplectendum conſilium ſit, vt Regulares in his omnino ſe conforment voluntati Epiſcoporum.

985 Sextus caſus eſt eorum qui non ſunt in extremo articulo mortis, licet ob aliquod mortis periculum intra Eccleſias Regularium communionem petant, vt ſunt qui nauigationem periculoſam aſſumpturi ſunt, mulieres partui proximæ, milites contra inimicos pugnaturi & ſimiles qui ſunt mortis periculo expoſiti. *Suarez d.l.9.c.3.nu.14.* Quamuis enim in rigore iuris, ſi prædicti sũt in eo periculo, in quo præceptum diuinum eos obliget ad cõmunicandum, communionem accipere debeant à proprio ſacerdote, quia Regularium priuilegia non ſe extendunt ad communionem prout eſt de præcepto, tamen in praxi in vſu eſt, vt prædictis detur communio à Regularibus, ſiue ſit quia in prædictis caſibus non præſumitur adeſſe adeo vrgens periculum, quod obliget ex præcepto diuino ad communicandum, aut hic, & nunc non cogitatur de tali obligatione, ſiue quia bona fide in hoc proceditur, fundata in præſumpta licentia Parochorum, qui quoad hoc non cenſentur inuiti, cũ non cedat in eorum contemptum, aut aliud eorũ præiudicium. Quod verò aliqui hoc extendunt etiam ad damnatos ad mortem, non approbo, quia iſti iam ſunt in extremis, & periculum eſt imminẽs & euidens, & ideo non niſi à proprio Sacerdote, vel de eius licẽtia ſpeciali communionem accipere debent, nec cenſetur generaliter adeſſe licentia præſumpta.

SVMMARIVM.

1 *Miniſtrantes hoc Sacramentum in Paſchate vel vt viaticum ſine licentia ſunt excommunicati. num.986.*

2 *Epiſcopus procedit contra ſic miniſtrantes. numer.986.*

3 *Vbi priuilegia ſint notoria Epiſcopus non debet petere vt probentur. n.986.*

4 *Religioſi profeſſi omnes miniſtrantes ſecularibus hoc Sacramentum ſine licentia incidunt in eam cenſuram. n.987.*

5 *Requiritur ad eam incurrendam præſumptio. numer.987.*

6 *Nec in Indijs vbi ſint Epiſcopi vel Parochi poſſunt id præſtare Regulares. n.988.*

986 DVbitatur quartò, in quibus caſibus incurratur excommunicatio reſeruata, & lata in *Clem.1.de priuil.* Contra Religioſos Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrantes? Reſpondetur hanc incurri in omni caſu, in quo eis non licet vel ex priuilegijs, vel ex licentia Parochi illam adminiſtrare, & tamen illam adminiſtrant. Quia in in ea Clem. abſolutè decernuntur excommunicati excõmunicatione reſeruata Papæ omnes Religioſi ſine licentia Parochi Euchariſtiam adminiſtrãtes. Ideo incurritur excommunicatio illa ſi adminiſtratur communio Paſchalis, aut per modum viatici in caſibus prohibitis, ita communiter DD. Et in his caſibus Epiſcopus procedit contra Religioſos ex vi d.Clemen. vt eos faciat denunciari excommunicatos, ſed ex vi *Conſtit. 18. Inſcrutabili* Gregor. XV. procedit vt Delegatus Apoſtolicus ad puniendum, & corrigendum iuxta delicti qualitatem. Et quatenus Religioſus ſe velit defendere allegando ſpeciale priuilegium, illud ipſe debet probare. Tum ex lege communis iuris; quia allegantis eſt probare, & oſtendere cõcludenter fundamentum ſuæ intentionis. Tum quia hoc ſpecialiter declarauit Innocent. X. in Conſtitut. Angelopolit.§.7. ſupra n.163. Si tamen priuilegia hæc ſint notoria, putat *Ceſpedes cap.6. q.126. num. 2.* non adeſſe obligationem ea probandi. Sed vbi Epiſcopus ea petat probari, & aliqua tergiuerſatione ſe muniat, probanda erunt. Quàmuis vbi Epiſcopo ſatis conſtet de eorum veritate, iniuſtè ageret ſi contra Religioſum, qui in eorum virtute operatus eſt, velit procedere &c.

In-

987 Incurrit vero hæc excommunicatio à quocumq; professo etiam Sacerdote Militaris Ordinis, & à Clerico Religioso, siue Conuerso, siue Moniali, si audeant in præfatis casibus administrare Eucharistiam, præter alias pœnas, quas incurrent si nō Sacerdotes, aut in casibus sibi illicitis nō Diaconi sacrum Christi corpus tangere & ministrare præsumpserint *Syl. v. excomm. 7. nu. 32. Lezana v. Eucharist. n. 3. Petrus tamen de Anchar. & Cardinalis in d. Clem.* quos refert *Syl. d. n. 32.* negant hoc Clem. enim illa lata est contra illos qui alias regulariter vel vsurpabant sibi, vel poterant vsurpare administrationem horum sacramentorum; & hi erant illi, quibus ratione Ordinis competebat posse Sacramēta ministrare. De Nouitijs etiam nondum professis dicunt eos non incurrere, *Panorm. ad d. Clem. Suarez de censur. disp. 22. sect. 4. nu. 3. & alij* quos sequitur *Bonac. de cens. in partic. disp. 2. q. 11. p. 5. n. 26. Cespedes c. 6. q. 127. n. 5. Peyr. ad Const. 1. Iulij II. n. 83* quod probabile putat *Lezana d. n. 3.* Aduertit tamē *Peyr.* incurri à professis trium votorum simpliciū, cum hæc professio faciat professos simpliciter Religiosos. Nec etiam incurri ab eiectis dixit *Cespedes d. q. 127. n. 3.* Sed quia eiectus est verè Religiosus, ideo est in numero eorum, quibus non licet hoc Sacramentum administrare nisi in casibus in iure expressis, Eam nō incurrunt Parochi Religiosi suis ouibus administrantes. *Fagund. prac. 3. l. 3. c. 2. num. 14.* Nec Sacerdotes seculares, quoniam Clem. illa solùm id prohibet Religiosis. *Syl. v. excomm. 7. num. 32. Lezana v. Eucharist. n. 3.* Nec (quidquid in contrarium dixerit *Syl. v. excomm. 7. n. 31. fin.*) si Religiosus communicet Religiosum alterius Ordinis, quia in d. Clem. prohibiti sunt Religiosi administrare Eucharistiam secularibus *Caiet. ver. excom. c. 64. Fagund. d. n. 24. Peyr. d. n. 14. Peyr. d. n. 83. Tamb. to. 2. disp. 5. q. 3. nu. 7. Diana p. 5. tr. 3. res. 51.* Et tandem ad incurrendam hanc excommunic. requiritur præsumptio, vt ex textu patet *Caiet. v. excom. c. 64 Fagund. Peyr. Lezana, Bonac. num. 29. & Diana citati.*

988 Excipiunt etiam *Rodriq. tom. 1. q. 56. ar. 11. & Miranda tom. 1. q. 42. art. 6.* Religiosos in Indijs existentes, qui de mandato Regis possunt huiusmodi Sacramentum administrare, & hoc ex vi donationis factæ ab Alex. VI. de illis Regnis, & ex vi Constit. specialis Pij V. quæ in Bull. Rom. est in Ordine aliorum 34. & in qua conceditur, quod in partibus nouarum Indiarum Religiosi ob defectū Presbyterorum obtenta licentia à suis Superioribus in Cap. Prouincialibus, & sine alia Ordinariorū possint fungi officio Parochorū. Vnde est quod Religiosos in Indijs posse administrare hoc Sacramentum iuxta tenorem d. Breuis Pij V. præter *Rodriq. & Mirandam* dixerunt *Sanchez l. 3. de matrim. disp. 26. & Lezana tom 1. cap. 9. num. 31. in fin.* Verùm in contrarium nedum obstat *Constit. Inscrutabili* 18 Gregor. XV. sed Const. Angelopolitana Innocent. X. In qua cum ex parte PP. Societatis fuisset in 3. dubio supra relato nu. 181. quæsitū an Const. præfata Pij V. censenda sit abrogata. Respondit *Sac. Congregatio, agendum cum Sanctissimo an velit declarare Bullam non esse reuocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis, vbi est defectus Parochorum.* Et in eadem Constit. ad 17. dubium pro parte Episc. Angelopol. propositum, supra num. 177. Respondit, Regulares non posse suis famulis, mercenarijs, rusticis Sacramenta Eucharistiæ in Paschate extremæ vnctionis, & matrimonij ministrare sine Ordinarij aut Parochi licentia. Vnde in hac parte vbi sunt Parochi nec in Indijs possunt Regulares hoc hoc Sacramentum administrare secularibus in Paschate, vel per modum Viatici nisi de licentia Episcopi vel Parochorum, *Barbastr. in Pastorali cap. 17. num. 18. & c. 21. in fin.*

SVMMARIVM.

1 *Non possunt Regulares exponere S. Eucharistiam solemniter sine causa cognita ab Episcopo. numer. 989.*
2 *Aliqui hoc negant. n. 990.*

989 DVbitatur quintò. An Regulares possint in suis Ecclesijs exponere SS. Sacramentum publicè extra Tabernaculum adorandum. De hoc puncto ita declarauit Sac. Congregat. Episcop. & Regularium 16. Decembris 1602. prout refert *Nicolius in Flosculis v. Eucharist. nu. 23. Non licent Regularibus etiam in eorum proprijs Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicè adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario. Ex causa autem priuata possint, dummodo SS. Sacramentum è Tabernaculo non extrahatur, & velatum remaneat, ita vt ipsa hostia videri non possit.* Et hoc idem eadem Sac. Congregat. decreuerat seruandum in Ecclesijs secularium, in vna Tortonen. 1. Septemb. 1598. & in Eccles. Confraternitatum in vna Lauden. 20. Augusti 1601. & postea in vna Papien. 2. August. 1652. Et quantum ad Regulares pro supradicti decreti executione data fuit facultas Episcopis tanquam Delegatis Apostolicis contra Regulares in vna Nouarien. 4. Mart. & Tortonen. 26. Maij, & Lauden. 14. Nouemb. 1603. & in Senen. 25. Mart. 1606. & iterum in causa Siluestrin. 5. Mart. 1619. Dummodo tamen non addant pœnam excommunicat. aut suspensionis ipso facto incurend. In vna Cremen. 28. Nouem. 1603 Quamuis possint declarare pœnam priuationis officij incursam à Regularibus propter contrauentionem supradicti decreti; quæ priuatio incurritur ipso facto ex decreto eiusdem Sac. Congregat. In vna Florent. 10. Febr. 1626. Hæc *Nicolius loco citato.* Sed quod eadem Sac. Congregat. decreuerit Episcopū posse procedere hac causa contra Regulares etiam per censuras in vna data 26. Aprilis 1641. refert *Lezana v. Euchar. n. 24.* Idem verò scilicet, quod nō possit hoc Sacramētum publicè exponi declarauit Sac. Congr. Concilij die 17. August. 1630. vt refert *Barbosa v. Euchar. n. 6.* Et pariter idem fuisse statutū per sacram Congregat. Rituum die 26. Febr. 1626. post *Gauant. v. Eucharist. n. 55.* tradunt *Lucerna Regular. sub eodem verb. n. 3. & Barbosa d. nu. 6.* Sed & adest decretum eiusdem Sac. Congregat. Rituum tenoris sequentis. *Toletana die 18. Decemb. 1647. Ad eliminandos abusus qui in Diœcesi, & Ciuitate Toletana nonnisi cum magno diuini Cultus detrimento circa SS. Eucharistiæ Sacramenti expositionem absque ea, qua decet causa, & veneratione inoleuere. S. Rit. Congregatio inhærendo decretis sæpius per orbem terrarum promulgatis Diœc. & Ciuitatis Toletanæ Clero*

tàm seculari, quàm Regulari, Monialibus, atque Confratribus SS. Eucharistia Sacramentum publicè exponere, nisi cum speciali Ordinarij licentia non licere, & inobedientes pœnis, & censuris Ecclesiasticis coercendos esse declarauit.

990 Nihilominùs his non obstantibus, quòd liceat Regularibus publicè exponere SS. Eucharistiæ Sacramentum populo adorandum, sustinent *Bruno de priuil. Regul. p.1. tr.2. c.3. prapos.6. Ant. de Spir. sancto p.1. tr.3. disp.3. n.105. Aluiset in Murenula aurea sec.3. c.7. n.19.* Fundantur primò in declaratione Sac. Congregat. Episcop. & Regul. data 2. Iulij 1580. in qua expressè decernitur hoc Regularibus competere. Secundò quia Prælati Regulares in eorum Ecclesijs sunt veluti Episcopi, & sic possunt, quæ Episcopi possent, nec indigent alienius licentia ad disponendum aliquid in eis. Tertiò quia non vsus & consuetudo præfatas declarationes abrogauit. Nam & eas non esse in vsu dixit *Cotor. l.4. contr.8. n.131.* quod & aduertit *Diana p.11. tr.2. res.5. in fine.* Vbi tamen addit, quod cum hoc fiat videntibus, & non renitentibus Episcopis, dici possit id fieri ex eorum licentia tacita. *Lezana verò p.3. c.1. n.16.* dicit ea decreta seruanda esse nisi forsan alicubi publicata non sint, & consuetudine legitima oppositum alicubi habeatur. *Cespedes quoque c.6. dub.131. n.3.* ait, quòd cum videat Regulares possint hoc facere sine licentia Episcopi, fortè præscriptione obtinuerunt in hac parte exemptionem; exemptio enim præscriptione acquiritur, vt docet *Kocbier. par. p. de iurisd. in exemptos q.6.* Dum hæc scribo, causa, similis agitatur hic Romæ. Cum enim Episcop. Placent. per Edictum prohibuerit Regularibus exponere Sanctissimum publicè adorandum, habitus fuit recursus nomine Minorum Conuentualiũ ad S. Congreg. Rituum, ex eo quod Placentiæ sit cõsuetudo publicè exponendi SS. Eucharistiam irrequisito Episcopo: & S. Congreg. sub die 1. Aprilis huius anni 1662. interlocutoriè rescripsit quod instantes intra bimestre probarẽt immemorabilem, & interim abstinerent.

SVMMARIVM.

1 *Regulares de iure communi non administrant Extremam vnctionem secularib. n.991.*
2 *Nisi in casu necessitatis. n.991.*
3 *Vel familiaribus. n.963.*
4 *Vel existentibus infirmis intra monasteria. numer.994.*
5 *Concessiones facta à Legatis sunt perpetua. n.994.*
6 *Priuilegium Nicolai Franci Nuntij satis incertũ. n.994.*
7 *Persona seculares existentes intra claustra exempta sunt. n.995.*
8 *Non est necesse quod Sacerdos qui in vim priuilegiorum ministrat hoc Sacramentum sit approbatus ab Episcopo. n.996.*
9 *A quo Regulares recipiant oleum infirmorum. n.997.*
10 *Ex duplici iure Regulares non possunt ministrare Sacram. Matrimonij. n.998.*
11 *Solemnizare matrimonium est dare benedictionem nuptialem. n.998.*
12 *Ex Concil. Trid. Regulares nec sponsos coniungere nec benedicere possunt. n.999.*
13 *Modo solemnizans matrimoniũ sine licentia est suspensus, non vero excommunicatus. numer.1000.*
14 *Non conuenit Religiosis solemnizare matrimoniũ. n.1001.*

De facultate ministrandi Sacramentum Extremæ vnctionis.

INSPECTIO QVINTA.

991 DE iure communi non possunt Regulares administrare Sacramentum Extremæ vnctionis, vt patet ex *Clem.1. Religiosi de Priuilegijs*; & si administrent incidunt in excommunicationem Papæ reseruatam, & possunt puniri ab Episcopo nedum intra terminos dictæ Clemẽtinæ, sed ampliùs virtute Const. *Inscrutabili* 18. Gregor. XV. Nihilominùs aliqui sunt casus in quibus ex priuilegijs id possunt.

992 Primus est casus necessitatis præcisæ, quãdo infirmus aliàs esset moriturus sine hoc Sacramento. Quod eò magis esset verum in casu in quo infirmus nullum aliud posset recipere Sacramentum. Ita DD. quos supra num.981. retuli. Et enim in hoc eadem ratio de Viatico, & de Extrema vnctione. Et in hoc casu necessitatis nedum habent locum priuilegia Maris magni, & alia, sed sine aliquo priuilegio necessitas ipsa fert secum licentiam præsumptam Pontificis, & iuris, ad huiusmodi necessitatem subleuandam *Syls. v. vnctio q.4. Sotus 4. d.23. q.28. a.t. Lezana p.p. c.21. n.10. Ant. a Spir. sancto p.p. tr.3. disp. n.107.*

993 Secundus casus est, quia Regulares possunt hoc Sacramentum tradere suis familiaribus intra eorum domos manentibus & perpetuis commensalibus, vt num.982. dictum est etiam de viatico. Sacramenta enim Ecclesiastica posse Regulares ministrare suis familiaribus plures Pontifices concesserunt dicto numer.981. relatum fuit. Et ideo hanc partem tenent communiter DD. quos retuli de Viatici administratione.

994 Tertius casus est, vt etiam famulis, alijs, Mercenarijs, & hospitibus intra septa Monasterij existentibus infirmis & in articulo mortis constitutis ex priuil. Theatinis concesso à Pio V. in Const. 31. de quo facta fuit mentio supra num.945. Ibi enim expressè conceditur facultas administrandi hoc Sacramẽtum Famulis, Mercenarijs, hospitibus, quos tunc in domibus eorum inueniri contigerit. Idem posse fieri arbitratur *Suarez vbi supra num.16.* ex priuilegio concesso Benedictinis, & relato in Compend. Societatis *ver. extrema vnctio.* Et hoc priuilegium concessum fuisse Monachis S. Benedicti Obseruantiæ Hispaniæ à Nicolao Franco Apostolicæ Sedis Nuntio, & Oratore cum potestate Legati de Latere à præfata Sede deputato in Regni Castellæ, & Legionis, & Aragoniæ refert *Miranda p.1. q.49. ar.1.* sub his verbis. *Concessit Monachis S. Benedicti obseruantia Hispania, quod si qui intra septa Monasteriorum infirmati fuerint, Extremam vnctionem dare Apostolica auctoritate liberè, & licitè possint, Parochialis Presbyteri, vel alterius cu-*

ius-

infcumque Episcopi vel superioris licentia vel assensu nullatenus requisitur. Cum verò concessiones Legatorum à Latere sint perpetuæ, vt *collig.ex cap.final. de off.Legat.* & aduertit *Barbos. ad d. cap. num.2. ex Rodriqq.* vt tradunt *Suarez d. cap.3. num.7. Peyr. ad Constit.1. Iulij II. num.93. Anton.à Spir. Sancto vbi sup.num.*111. iam illa concessio nunc quoque durat & ea per viam communicationis vti possunt alij Regulares iuxta communicationis regulas. Aduertit verò Suarez ad vsum huius priuilegij non esse necessarium, quòd infirmus sit famulus, sed sufficit vt quis ægrotet intra septa monasterij siue id contingat ratione hospitij, siue ex quacumque alia occasione. Et ita quòd huiusmodi mercenarijs, famulis, hospitibus intra septa monasterij cõstitutis in articulo mortis possint Regulares tribuere extremam vnctionem dixerunt *Suarez tom.4. de Relig.tr.10.l.9.c.3.num.16.Peyr.ad Const.1. Iulij II. num.93.Portel.v. sacramentorum administratio nu.9. Diana p.3.trac.8. resol.12. Anton.à Spir. Sancto p.1. trac.2.disp.3.num.107.Lezana p. p.c.21. num.10. & p.2.cap.16.num.20. & 21. & p.3. v. extrema vnctio num.8.Miranda d.quæst.49.a.1. Aluiser in Murenula Vermiculata sec.3. cap.7. num.fin.* duoitat tamen *Lezana p.2. cap.16. num.20.* an illud priuilegium Nuncij sit viuæ vocis Oraculum, & *Bassaus v. extrema vnctio 2. num.8.* non licere vti eo priuilegio post Vrbanum VIII. absolutè affirmat. Et ratio eius est, quia licet Pius Quintus declarauerit quòd in conscientia non est derogatum per Concil.Trid. priuilegijs Regularium, tamen cum hoc sit viuæ vocis oraculum, iam per Vrbanum Octauum est sublatum. Sed cum dicatur quòd concessio illa sit facta auctoritate Officij Nuncij cum facultate Legati de Latere, si ita est, non est numeranda inter Oracula. Sed verè cum non videtur tenor litterarum, & non potest videri qua authoritate,causa, & sine aliquid fuit concessum, non potest negari quin concessio ipsa remaneat satis incerta.

995 Quantùm verò ad id quod adducitur ex Concil. Trident. & Pio Quinto, & Vrbano VIII non video quòd difficultatem faciat. Nam quòd possit huiusmodi hospitibus seu famulis dari extrema vnctio per Regulares non est aliquo modo contra Concilium Tridentinum; ideoque est hic necessitas vtendi declaratione & oraculo Pij Quinti nec considerandi Constitut. Vrbani VIII. reuocatoriam oraculorum. Et si dicatur quòd isti famuli, & hospites non sunt familiares ad sensum *Concil.Trident.sess.24.cap.11.* sine dubio conceditur.Sed quid inde ? Si inferatur quòd propterea non sunt exempti à iurisdictione Episcopi, totum etiam admittitur; si loquamur de eis vt sunt extra Conuentum,sed personæ intra monasteria existentes prout intra manent, sunt exemptæ per concessionem Io:22.factam Carmelitis, & habetur in eorum mari magno §.5. apud Lezanam, qui hoc notat u.20. Neque hoc est contra Concilium ibi, vbi etiam solùm tanquam Delegatis Sedis Apostolicæ conceditur iurisdictio super aliquos priuilegiatos exceptis familiaribus Religiosorum. Sed ibi nihil decernitur contra exemptionem Regularium aut Domorum eorumdem,vt intra eorumdem domos existentium. Ideo duplici ratione infirmi existentes intra septa monasterij possunt à Regularibus recipere Viaticum & extremam vnctionem. Primò quia existentes intra monasterium sunt exempti à iurisdictione Episcoporum. Secundo ex priuilegio speciali Regularibus concesso. Vnde idem Lezana refert d.n.20. quod cum Romæ quidam secularis infirmus donationis gratia ingressus fuisset quoddam Monasterium sui Ordinis Carmelit. in vi priuilegij huius illi à Religiosis administrata fuere sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis. Vnde hoc puto extendi debere etiam ad illum, qui casu, & inopinato euentu intra septa monasterij existens incidit in periculum mortis. Nam & ad hunc casũ priuilegia præstita se extendũt. Idẽ verò priuilegiũ eximens degentes in monasterijs & Domibus à iurisdictione Episcoporũ exemptis habetur concessum Minimis à Sixto quarto in Constit. sua 5.§.15.in Bullar.Rom.quæ apud Peyr. est secunda dicti Pontif.§.7.& quæ fuit cõfirmata à Iulio II.in constit. sua decima, vbi Pontifex expresſè priuilegium exemptionis concedit Eremitis, & personis in eorum domibus degentibus,expressè distinguẽs inter Eremitas seu Religiosos dicti Ordinis,& personas in eorum Conuentibus degentes,& tam Eremitas, quàm dictas personas eximens ab omni Episcoporum iurisdictione. Sed & vlteriùs ea eo habetur, quòd ministrare viaticum & extremam vnctionem infirmis existentibus intra Conuentus pertinet ad regulares quod vt dictum est supra numer. 979. dare sacramenta ei qui est extra parochiam & commodè non potest ad eam reuerti spectat ad proprium sacerdotem loci in quo ille reperitur.

996 Aduertunt etiam *Suarez vbi sup. num.17. Lezana p.2.cap.16 num.21.Peyr.d.num.93.* ad administranda in vim horum priuilegiorum sacramenta ista infirmis non esse necessarium, quòd sacerdos sit approbatus ab Ordinario; hoc enim nullibi inuenitur præceptum, nisi minister simul sit auditurus Confessiones infirmi.

997 A quo autem Regulares recipere debeant Oleum sanctum? Respondetur quemcumque Episcopum monasterij intra sua Diœcesi existentibus teneri dare oleum infirmorum, vt tanquam declaratum à Sac.Congregatione Episcoporum, & Regularium, tradunt *Aldan.lib.1.tit.8. nu.10. Nouar. verb. Oleum sanctum num 1.* & in eodem verb. *Lezana num.4.* Vbi quòd ex Constit.57.Clem,VIII. pro Carmelitis hoc idem mandatur Episcopis. Et ex concess. Vrbani III. in sua Constit. t. Cruciferi à quocumque Episcopo Oleum sanctum recipiunt Sed & de iure communi si sedes vacet, vel Episcopus absit possunt Regulares adire proximiorem Episcopum ad hoc oleum habendum. *Barbosa alleg.31.de off. Epis num.19.Lezana vbi sup.*

998 Quantùm autem ad sacramentum matrimonij breuiter dicitur, quòd Regulares non Parochi in nullo casu omnino possunt illud ministrare. Duplex enim lex hoc illis prohibet. Prima habetur in Clem.1. de priuilegijs, in qua Religiosi sub pœna excommunicationis Papæ reseruatæ prohibentur solemnizare matrimonia, sine licentia Parochi. Solemnizare verò matrimonium est benedictionem nuptialem tradere, vt explicat *Glossa ibi & Bonac.de censur.in part.disp.2.quæst.9.p.5.numer.13.* Vnde est, quod non incurritur illa excommunicatio ex sola Regularis præsentia, seu assistentia, sed ex eo quòd solemniter sponsas benedicat nuptia-

nuptiali benedictione. Non enim solemnizat matrimonium ille, qui solùm matrimonio assistit, sed qui etiam nuptialem benedictionem tradit.

999 Sed alia est lex *Cōc. Trid. sess. 24. c. 1. de matr.* vbi irritatur matrimonium non factum coram Parocho, & prohibentur sacerdotes tam seculares, quàm Regulares, vel sponsos coniungere, vel illos benedicere, sub pœna suspensionis, & ideo hæc suspensio incurritur nedum ex benedictione nuptiali, sed ex sola assistentia, seu ex eo solo, quòd quis sponsos coniungat. Duo enim expresè prohibentur, scilicet sponsos coniungere, & sponsos benedicere.

1000 Est verò indubitatum, quòd contra faciendo incurritur suspensio lata à Concilio Trid. quæ est suspensio simpliciter, & ideo ab officio, & beneficio, & durat donec suspensus ab Episcopo Parochi, qui matrimonio interesse debebat, aut sponsos benedicere fuerit absolutus. Sed de excommunicatione Clementinæ est controuersia, quia aliqui existimant, quòd ex quo ius nouum mitiorem pœnam imposuit absoluerit antiquam rigidiorem. Et quidem si remanet excommunicatio in rigore, cur addere pœnam suspensionis, cum excommunicatus sit plusquàm suspēsus? & ideo quòd modo cesset pœna excommunicationis docet *Bonac. de censur. in partic. disp. 2. quæst. 9. num 14.* & apud eum *Rebellus, Henriq. Sayrus, & Suarez* dicens hoc decisum fuisse à Sacr. Congreg. Ita quamuis *Sanchez l. 3. de matrim. disp. 48. num. 8. & 9. Barbosa ad d. Clem. 1. num. 7.* existiment etiam pœnam excommunicationis incurri tamen nulla ex his pœnis incurritur ex eo quòd Religiosus solum sit præsens & testis.

1001 Aliàs verò minimè etiam conuenit, quòd Religiosus etiam de licentia Parochi sponsos vel coniungat, vel benedicat, nisi huius detur aliqua causa specialis & conuenientia. Hæc verò dicta sunt loquendo de eo quod est necesse in Europa. Nam quid possint Religiosi in Indijs, vel missionarij in partibus infidelium vbi non sunt Episcopi neque Parochi, alibi est tractandum.

SVMMARIVM.

1 *Prædicatio necessaria. num. 1002.*
2 *Proprium munus Episcoporum. num. 1003.*
3 *Religiones plures instituta in adiutorium Episcoporum. num. 1003.*

De facultate prædicandi verbum Dei.

INSPECTIO SEXTA.

1002 Post administrationem sacramentorū, quæ pro Republicæ Christianæ vtilitate Regularibus est commissa, sequitur facultas dispensandi Verbum Dei populis, quod quidem ad eorum salutem est maximè necessarium, vt dixit Innocentius III. *cap. Inter cætera.* de officio Ordinarij, ibi. *Inter cætera, quæ spectant ad salutem Populi Christiani, pabulum verbi Dei maximè noscitur esse necessarium, quia sicut corpus materiale, sic anima spirituali cibo nutritur.* Et *Concil. Trident. sess. 5. cap. 2.* docet, prædicationem Verbi Dei non minus esse necessariam, quàm lectionem, & esse proprium Episcoporum munus. Quod & prius dixerat S. Gregor. *in can. si Rector dist. 43.* & antea Anacletus Papa *epist. 2. in can. final. dist. 45. & can. Episcopus nullum 88. dist. Campanil. in diuers. iuris Canon. rubric. 13. cap. 13. num. 13. Suarez tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 9. c. 1. nu. 1. Barbosa de off. Epis. alleg. 76. num. 1. & 2. Pax Iordan l. 6. tit. 1. num. 3. Barbosa in Pastor. p. 2. quæst. 10. num. 12.* Nam & dum Episcopus ordinatur, traditur ei Euangeliorum liber sub hac forma. *Accipe Euangelium, & vade prædica populo tibi commisso, potens est enim Deus, vt augeat tibi gratiam suam.* Nam certe Episcopus dicitur Præco, vt annunciet populo scelera eorum. Isaiæ 14. Vnde in acclamationibus post Concil. Trident. cum D. Cardinalis à Lotharingia acclamasset. *Sanctissimis Episcopis vita, & felix ad Ecclesias suas reditus.* Responderunt Patres, *Præconibus veritatis perpetua memoria, orthodoxo senatui multos annos.*

1003 Cum verò ad Episcopos prædicare verbum Dei conueniat ex officio, nec possit Episcopus per se ipsum omnibus suis ouibus, & in tota diœcesi ea qua opus est frequentia verbum Dei explicare, Spiritus sanctus inspirauit sanctarum Religionum Patriarchas vt Ordines instituerēt suos, qui Episcopis ad disseminādum Verbum Dei adiutores essent, & ministri. Inter alios verò S. P. N. Dominicus ad hunc finem suum instituit Ordinē, qui etiam propter hoc à summo Pontifice Innocentio Tertio Ordo Prædicatorum est nominatus, sic quoque & S. Franciscus suos prædicare voluit, vt ex Regula eius cap 8. Et Societatem erectam ad iuuandos Episcopos ad salutem animarum dixit *Suarez d. cap. 1. num. 1.* Et aliæ etiam Religiones mendicantium præcipuè, Prædicationi diuini verbi cum maximo fidelium fructu incumbunt.

SVMMARIVM.

1 *Prædicare est alloqui totam Ecclesiam. nu. 1004.*
2 *Quid sit publicè alloqui dubitatur. nu. 1005.*
3 *Publicè alloqui est alloqui ex officio. n. 1006.*
4 *Prædicare, & docere distinguuntur. n. 1006.*
5 *Prædicare est alloqui totam Ecclesiam, vt missum & deputatum ex publica authoritate. n. 1007.*
6 *Prædicare est alloqui verbum Dei absolutè, & vt est publicum bonum, non vero ex causa priuata, & ex sola vi præcepti correctionis fraternæ. numer. 1008.*
7 *Prædicare propriè, & impropriè; Prædicare propriè est actus Apostolatus, & publici officij. numer. 1009.*
8 *Ad prædicare propriè est necessarius locus publicus. num. 1009.*
9 *Proponere verbum Dei Monialibus, vel Confraternitati laicorum, vel ex causa priuata, non est propriè prædicare. nu. 1010.*
10 *Prædicare propriè quibus competat. nu. 1010.*

1004 Dubitatur autem primò. Quid propriè sit prædicare? Hoc enim primò præmittendum est, vt priuilegia, & prohibitiones, quæ à Sede Apostolica emanarunt meliùs intelligere

gere valeamus. Nam ex rei quidditate, ea quæ ad rem ſpectant tanquam per veram cauſam cognoſcũtur. Quid verò ſit propriè prædicare, habere poſſumus ex *D. Thom. 2. 2. quæſt. 177. a. 2. cap. vbi ſic ait. Sermone poteſt quis vti dupliciter, vno modo priuatè ad vnum, vel paucos familiariter colloquendo: & quantùm ad hoc gratia ſermonis poteſt competere mulieribus. Alio modo publicè alloquendo totam Eccleſiam: & hoc mulieri non conceditur.* Hic enim vt aduertit Caietanus deſcribitur prædicare ex duobus, nimirum ex hoc quod eſt alloqui totam Eccleſiã, & ex hoc quod eſt eam alloqui publicè. Primum explicatur bene à Caiet. quem ſequitur *Suar. vbi ſup. num. 31.* vt pro tota Eccleſia non intelligatur Eccleſia vniuerſalis toto orbe diffuſa, ſed vt comprehendit partes quaſi eſſentiales Eccleſiæ, quæ ſunt Clerus, & populus, & ſic accipitur Eccleſia particularis cuiuſcumque loci, vt integrata, & completa ex Clero, & populo. Inde eſt quòd alloqui de rebus ſacris mulieres tantùm non eſt prædicare quia non eſt alloqui totam Eccleſiam. Vnde hoc & mulieribus puta Abbatiſſis, & Prioriſſis eſt conceſſum, quæ in ſuis Capitulis, quæ opportuna ſunt pro Regulæ obſeruantia, & correctione morum Monialibus proponunt. Inde eſt, quòd tam in *Clem. Dudum de ſepultur.* quàm in priuilegio Pauli Tertij pro Societate Pontifices dixerunt *Clero, & populo*, vt ſignificarent ibi ſermonem eſſe de propriiſſima prædicatione, quæ importat ſermocinationem ad totam Eccleſiam, ſeu quæ fit pro inſtructione, & ſuaſione totius Eccleſiæ, nimirum tam Cleri, quàm populi. Ideo quòd ad prædicationem propriè ſit neceſſe quòd ſit ſermo generalis, & non determinatus ad aliquod genus perſonarum, dixit *Sylueſt. v. prædicatio num. 1.* Vnde eſt etiam, quòd docere pueros doctrinam Chriſtianam, non eſt propriè prædicare, quia non eſt totam Eccleſiam, ſeu Clerum, & populum inſtruere, ſed ſolùm eſt quoddam inſtruere aliquos, ſcilicet pueros.

1005 Secunda conditio eſt vt allocutio ſit publica. Quod difficile explicatu viſum eſt *Suarez d. cap. 1. nu. 32.* Quia primò ſermocinatio ad totam Eccleſiam non poteſt non eſſe publica, & in publico loco, ad quem conueniat vel conuenire poſſit tam Clerus, quàm populus, & ſic neceſſe eſt vt fiat in loco publico, alta, & publica voce, vt ab omnibus audiatur. Aliàs verò, quòd hoc fieri debeat ex ſugeſtu, vel alio certo eminenti loco, non eſt de ſubſtantia prædicationis. Videtur igitur quòd illa conditio *publicè* ſit ſuperflua; quia ſermocinatio ad totam Eccleſiam non poteſt non eſſe publica. Quod ſi dicatur cum Caietan. quod dictio *publicè*, importat idem, quod ex officio publico, inſtatur, quia hoc ad prædicationem, non eſt neceſſarium, quia aliquis poteſt prædicare ex charitate, vel ex priuata aliqua obligatione. Quòd ſi addatur quòd prædicare ex officio ſit loqui cum aliqua ſpeciali ſolemnitate exteriori, vt cum aliqua oratione, aut ſigno crucis, aut ſuperpelliceo, aut alia ſpeciali veſte; non ſatisfacit, quia huiuſmodi ſolemnitates, aut ceremoniæ non ſunt neceſſariæ ad propriam prædicationem. Reſpondet autem *Suarez num. 33.* quòd exercere publicè munus prædicandi eſt illud habere vt publicum doctorem, iuxta illud Pauli 1. Cor. 12. *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia Doctores*, & ad Epheſ. 4. additur. *ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij in ædificationem Corporis Chriſti.* Quando autem ſe gerat quis vt publicus doctor in ſuo ſermone, ex modo, intentione, & populi conuocatione facile colligi poteſt, maximè tamen ex materia vt Pontifex iudicauit, ſcilicet quia verbum Dei, quod quantùm ſit ex ſe omnem doctrinam ſacram comprehendit, Eccleſiæ proponit, & interpretatur. Sed & contra hoc eſt inſtantia, quia non diſtinguit Prædicatorem à Doctore. Et præterea non ſoluit difficultatem, quia ſermocinatio ad totam Eccleſiam de rebus ſpectantibus ad verbum Dei, neceſſariò eſt publica. Ratione finis, qui eſt totam Eccleſiam inſtruere, vel perſuadere, & quidem modo publico, & de materia, quæ publica eſt, & ad publicam ſpectat vtilitatem.

1006 Reſpondetur igitur ex D. *Thom. quodl. 12. artic. 27.* quòd prædicare eſt alloqui verbum Dei ex officio, & authoritate publica, & ideo idem eſt in propoſito loqui publicè, quòd loqui ex publico officio. *Prædicatio autem*, inquit *S. Thom. eſt exhortatio, & doctrina, ſi ſit publica reſpiciens totam Eccleſiam, & cura publica Eccleſiæ commiſſa eſt Prælatis, & ideo nullus debet aliquid exercere, quod requirat auctoritatem publicam, niſi auctoritate Prælati.* In hoc autem D. Thom. ſequuti ſunt Caietanus loco citato. *Tabien. v. prædicari in princip.* Itaque vt colligatur diffinitio tota propriæ prædicationis, vt etiam prædicatio diſtinguitur à doctrina, Conſiderandũ eſt quòd *D. Thom. d. q. 177. art. 2.* loquitur de gratia ſermonis, vt comprehendit tam prædicationem, quàm doctrinam; quia loquitur de gratia ſermonis abſolutè, & in tota ſua vniuerſalitate. Verùm vt idem docet *d. q. 177. ar. 1.* aduertendum, quòd gratia ſermonis non importat ſolùm quòd aliquis ita loquatur, vt poſſit intelligi, quoniam hoc pertinet ad donum linguarum, ſed importat efficaciam locutionis, ita vt quis efficaciter loquatur. Quòd tripliciter contingere poteſt. Primo quidem, ad inſtruendum intellectum, quod fit, dum aliquis ſic loquitur, vt doceat. Et ſic loqui eſt docere. Qui enim docet, loquitur vt quantùm ſit ex ſe efficaciter ab audientibus ignorantiam expellat, & illis veritatem ſuadeat. Secundò locutio fit admonendum voluntatem. Et hoc dupliciter fieri poteſt. Vel ſcilicet ad generandum in voluntate delectationem, & amorem libenter audiendi verbum Dei. Et hoc eſt, quid commune etiam ad doctrinam. Nam & docentis eſt ſic loqui, vt delectet, & moueat ad libenter audiendum verbum Fidei, ne aliàs ex tædio, & faſtidio doctrinam refugiat, & docentem audire nolit. Et aduertit D. Thom. quod non debet quis hanc delectationem quærere propter fauorem ſuum, ſed vt homines alliciantur ad audiendum verbum Dei. Sed tertiò quis loquitur nõ tantùm vt doceat intellectum, ſed vt voluntatem moueat ad amorem eorum, quæ audiuntur, & ſignificantur, vt audiens velit ea implere: quod fit, quando quis loquitur, vt voluntatem flectat ad obſeruantiam eorum quæ tamquam neceſſaria, aut vtilia proponuntur. Et hoc eſt proprium Prædicatoris.

1007 Vlteriùs verò Prædicator debet habere alias duas conditiones, quæ etiam ſunt communes

Docto-

Doctori, quarum prima est vt loquatur toti Ecclesiæ, quæ est explicata, & solùm iuuat addere, quòd non est necesse ad prædicationem propriè vt actu eam audiant tam aliqui de Clero, quàm aliqui de populo, sed sufficit quòd Prædicator quantùm sit ex se toti Ecclesiæ loquatur, & ad omnes dirigat suum sermonem. Sed secunda circa quam versatur difficultas est, quòd loquatur ex officio, nimirum tanquam deputatus ad tale officium vel ab homine, vel à Deo, ideoque tanquam missus ad tale munus, & tanquam propterea ius habens aut facultatem totam Ecclesiam conuocandi ad se audiendum. Nec obstant superiùs adducta: Nam cum dicitur quòd quis potest prædicare ex charitate, certè hoc non est verum, nisi remotè, & quatenus actus boni ea charitate imperantur. Nã hoc attendi debet, quòd qui ex charitate sermocinatur vt opera fidei suadeat, si id facit vt priuata persona nimirum, & vt habet *D. Th. quodl.* 12. monitione priuata, & familiari ex ea lege generali charitatis, qua Deus vnicuique mandauit de proximo suo, vt illum corrigat & ad bonum persuadeat; hæc non est propriè prædicatio, etiam si priuata persona in occasione suggestum accendat, & siue sit vir, siue mulier. Sicut si in occasione tumultus populi, aut rebellionis publicæ, quis etiam in Ecclesiam suggestum ascendens, vt sedet tumultum, & rebellionem compescat populum adhortetur ad bonum, Nam & hoc posset facere mulier sensata; nec propriè prædicaret, quia loqueretur vt priuata persona ea solo illo iure charitatis, quo vnusquisque potest impedire malum, & promouere salutem proximi. Sed ratio prædicationis propriè consistit in eo quòd quis loquatur ex publico munere Apostolatus Christi, & vt missus à Christo ad prædicandum, & tanquam habens ius aliquod ad conuocandum populum & ad loquendum ei non nomine suo priuato tantùm, sed nomine publico. Siue hoc sit verum ius, siue sit vsurpatum. Et siue qui loquitur prætendat habere hoc ius ab homine, siue à Deo, & siue verè, siue falsò illud habeat.

1008 Verùm puto intimiùs debere rem explicari, & considerari hanc actionem ex obiecto, Nam ex obiecto actiones specificantur, & actio prædicandi propriè talis est, quæ ea obiecto sumpta non possit competere nisi ei, qui ad eam exercendam sit missus, iuxta dicenda in sequenti dubio. Debet igitur attendi, quòd sermonis spiritualis obiectum potest esse vel verbum Dei absolutè vt est vniuersale bonum vel verbum Dei tale vel tale aut vt est bonum huius, vel illius. Et quia proprium Prædicatoris non est præcisè docere, sed est persuadere verbum Dei, hoc potest intelligi dupliciter, scilicet persuadere verbum Dei vt est bonum vniuersale absolutè, seu persuadere Euangelium Christi, & ex consequenti suadere omnibus personis omnem virtutem, & dissuadere omne malum & omni tempore; vel persuadere huic vel illi, in hac vel illa occasione particulari, obseruantiam huius vel illius virtutis, vel fugam huius, vel illius vitij determinatè, Prædicare propriè: est persuadere verbum Dei vt est bonum vniuersale, & Euangelium Christi absolutè. Et hoc est propterea persuadere ex causa communi, & publica, quia est persuadere non quia proximus priuatè & particulariter peccet in te, sed quia peccat in publicum, & quia hoc exigit commune bonum & publicum vt virtus in communitate regnet & vitium remoueatur, & ideo est persuadere verbum Dei vt est commune & publicum bonum; & sic ex causa publica & ea iure Apostolatus Christi. Hoc verò prædicare per se ea obiecto spectat & est proprium habentium curam boni communis Prælatorum scilicet. Quibus dictum est; *Euntes prædicate, &c.* & ideo non conuenit nisi ei, qui ad hoc mittitur à publica potestate. Et qui sibi hoc prædicare assumit loquitur vt missus, quia loquitur tali modo, qui non conuenit nisi ei, qui sit missus, & ideo si non sit missus verè, sibi vsurpat officium Legati, & Nuntij, & missi, seu deputati ad prædicandum. Sed si quis loquatur verbum Dei ex causa priuata, quia quis in illum peccauit, seu ex causa licet communi, particulariter hic & nunc contingente, & vt fraternè corrigens, vt contingit cum quis loquitur ad sedandum tumultum, vel ea particulari occasione, vt quia in communi plurium & Clericorum consortio occasione aliqua accepta quis verbum Dei loquatur, & ad eius obseruantiam persuadeat aut cum quis loquitur intuitu ostendendæ eruditionis, & proferendi artem dicendi, vt fit in Academijs secularium ille propriè non prædicat.

1009 Itaque distinguendo prædicare in prædicare propriè, & impropriè, dicitur quòd prædicare propriè est alloqui totam Ecclesiam ad effectum persuadendi obseruantiam legis, & corrigendi vitia publicè, hoc est ex publico officio, & non præcisè ex vi priuati præcepti de correctione fraterna, sed ea communi & publico fine promouendi Dei cultum, & virtutis obseruantiam. Ideo de mente Syluestri necesse etiam est ad prædicationem propriè, quòd fiat in loco publico nimirum in loco in quo tota Ecclesia cõuenire possit cõmodè & de iure, & de facto et licet in *c. Excommunicamus* 13. *§. quia verò*, de hæreticis excommunicentur etiã qui occultè prædicant, nihilominùs dicitur, quòd hoc non est prædicare propriè, quia non est alloqui totam Ecclesiam, cum sit loqui in loco in quo Ecclesia tota non potest conuenire, sed huiusmodi sermocinatio si fiat de authoritate & scientia superioris est quædam imperfecta & impropria prædicatio, sed si fiat sine superioris scientia & consensu est conuenticulũ ad quod etiã tollendũ se extendit *d. §. quia verò*. Cæteræ verò solemnitates, vt quòd concio habeatur ea suggestu, themate proposito, cum stola, & similibus accidentaliter se habent ad prædicationem propriè dictam. Vnde si quis quærat cuius virtutis actus propriè sit prædicare? Respondetur, quòd remotè quidem est actus charitatis, sed propriè est actus religionis, est enim actus illius Apostolatus & Religiosi officij, quod Christus instituit, dum dixit Apostolis Matt. 10. *Euntes prædicate dicentes quia appropinquauit regnum Dei*. Et Marci 16. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*. Et Lucæ 9. *Et misit eos prædicare regnum Dei*. Et sic finis proprius prædicare est cultus Dei ex fide Christi, materia & obiectum est Euangeliũ, facultas est ea iure Apostolatus, & quòd qui prædicat loquatur vt missus à Christo, & ea Apostolatus officio, & personæ quibus prædicatur sunt omnes gentes, seu Ecclesia tota.

Vnde

1010 Vnde colligitur cum Syluestro, & alijs, quòd neque proponere verbum Dei solis Monialibus, neque soli alicui virorum confraternitati, est propriè prædicare. Neque ex contingenti aliqua occasione, ex particulari causa in particulari euentu, quod iustum est Clero, & populo proponere, & ad illud operandum excitare. Neque aliquid simile agere, vel ex priuata causa, & in casu contingenti, & particulari est prædicare propriè. Sed in Ecclesia, aut platea loqui Euangelium nomine, & authoritate publica, & ex participatione Apostolatus est prædicare propriè, quod propterea, vt aduertit *Panormit.cap.Excommunicamus 13. §. quia verò, numer. 12.* & ex eo *Syluester v. prædicare numer. 2.* conuenit solum Papæ, Episcopis, habentibus curam animarum, vel ijs etiam, quibus à Papa, vel Episcopis facultas prædicandi est delegata.

SVMMARIVM.

1 *Prædicare non esse actum iurisdictionis quidam dicunt.num.1011.*
2 *Non competit laicis.nu.1011.*
3 *Prædicare est actus iurisdictionis.nu.1012.*
4 *Prædicare de formali dicit auctoritatem, & iurisdictionem. nu.1013.*
5 *Qualiter Prædicator ius dicat.nu.1014.*
9 *Nullus prædicare potest nisi missus.n.1015.*
7 *Episcopus extra suam Diœcesim non potest prædicare sine licentia Episcopi diœcesis.n.1016.*
8 *Mulier neque ex delegatione potest prædicare. numer.1017.*
9 *Laicus neque ex delegatione potest prædicare.numer.1018.*
10 *Religiosis laicis non conuenit prædicare. numer. 1019.*
11 *Clerici ex delegatione possunt prædicare. numer. 1020.*
12 *Priuata instructio competit laicis, & fœminis.numer.1021.*

1011 DVbitatur secundò, an ad prædicandum requiratur iurisdictio. *Suarez tom. 4. de Relig.tract.10.l.9. cap.1. num.15* præmissa distinctione, quòd dupliciter intelligi potest, quòd ad aliquem actum requiratur iurisdictio, quia nimirum sit necessaria vt principium illius, seu quia talis actus sit actus elicitus à iurisdictione, vel quia iurisdictio sit conditio necessaria, seu quasi imperans, vt est ministrare Eucharistiam, & benedicere coniuges, quia nimirum huiusmodi actus sit actus imperatus à iurisdictione, respondet, quòd prædicare non est actus elicitus à iurisdictione, vt est per se euidens, quia est docere, illuminare, ac mouere, & ideo passim committitur nullam habentibus iurisdictionem. Amplius verò non est actus Ordinis, quia nullus Ordo ordinatur ad talem actum, in nullius enim Ordinis traditione mentio fit talis actus. Sed neque est actus per se annexus Ordini ex institutione Ecclesiæ, quia nullibi talis legitur institutio. Solum igitur requirit iurisdictionem vt imperantem & ad executionem non requirit Ordinem, vnde est executio iurisdictionis. Et quia ex hoc sequi videtur, quòd Prædicatio possit committi laico, quia licet laicus sit incapax iurisdictionis spiritualis, vt tradunt DD. communiter ad *cap.2.de iudicijs, & ad cap. Ab excommunicato, de Rescript.* & *Couar.cap. Alma mater par.1.§.11. num.13.* tamen executio iurisdictionis spiritualis laico committi potest, vnde videtur quòd munus prædicandi possit committi laico, cùm sit executio iurisdictionis spiritualis. Nihilominus docet num.16.& 17. quòd hoc munus laico committi non potest, quia est munus spirituale, & habet specialem quandam indecentiam ex consuetudine Ecclesiæ, quòd committatur laico. Nam sacram doctrinam requirit, quæ est propria sacerdotum, vel eorum qui ad sacerdotium tendunt per primam saltem tonsuram, iuxta illud Malach.2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore eius; quia Angelus Domini exercituum est.* Ideo cum antiquitus monachi essent laici, illis prohibitum fuit prædicare, iuxta illud Hieron.ad Riparium contra Vigilantium. *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium.* Et ad Eliodorum Episc. p. *Alia causa monachorum est, alia Clericorum: Clerici pascunt Oues, ego pascor.* Verùm satis mirabile esset, quòd prædicare esset proprium Episcoporum, si esset nuda, et mera executio iurisdictionis, nullam in prædicante supponens iurisdictionem.

1012 Dicitur propterea, quòd prædicare propriè est actus elicitus à iurisdictione, quod non competit, nisi habenti spiritualem iurisdictionem. Et ideo nullus licitè prædicare potest nisi missus, & ad tale munus deputatus. Probatur & explicatur hæc assertio. Prædicare enim aliud dicit de materiali, & aliud de formali. Certè loqui ad proximum persuadendo illi bonum sic præcisè ex lege naturali, & diuina potest conuenire cuicumque siue viro, siue mulieri, nam & præceptum correctionis fraternæ obligat omnes, & ignorantes docere est opus misericordiæ spiritualis. Sed hoc quod est persuadere ad bonum, & retrahere à malo, materialiter se habet ad prædicare propriè seu ad officium prædicandi. Nam vt dicebatur in superiori dubio, prædicare non importat quomodocumque loqui verbum Dei, sed importat loqui verbum Dei vt est commune & publicum bonum Ecclesiarum ideoque ex communi, & publica causa & ex munere Apostolatus Christi, & hoc sine dubio est proprium Episcoporum habentium curam vniuersalem diœcesis, iuxta illud Apost.2.ad Timot.cap.4. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa &c.* Et infra. *Opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple &c.* Et ideo quòd prædicandi munus sit proprium Episcopi habetur ex Euaristo Papa *cap. sicut 7. quæst.1. & cap. Diaconi el 2.93. dist. & cap. Episcopi 3.88. dist & ex Concil.Trid.sess.5.cap.5.*

1013 Et ideo Prædicatoris officium non dicit nudum & purum exercitium loquendi verbū Dei, sed de formali importat facultatem, authoritatem, & iurisdictionem id agendi prouenientem ex officio Apostolatus instituto à Christo, qui in persona Apostolorum Ecclesiarum Pastores instituit in suos Legatos, & nuncios, iuxta illud 2. Cor.5. *Pro Christo ergo Legatione fungimur.* et ad Ephes.6. *Pro quo Legatione fungor.* Vnde prædicationis officium importat iurisdictionem docendi et annunciandi Euangelium Christi, nomine Christi, et

tanquam Christi Legatum, et Nuncium. Et ideo Episcopus tanquam Dei Apostolus, et Legatus habet facultatem, auctoritatem, et potestatem prædicandi, ex quo iure et auctoritate habet, vt non possit impediri ne prædicet, et dicta eius vt prouenientia ab eo cui Christus commisit officium prædicationis fidem debitam requirant, et veluti auctoritate hac publica vim maiorem habeant, ad persuadendum, et vt ad hunc effectum totum populum possit congregare, & conuocare. Hanc verò auctoritatem persuadendi ad bonum ex officio, & auctoritatiue communicant Episcopi, cum officium prædicationis iniungunt. Quod significauit Concilium Lateranense sub Innoc. III. cap. 3. quod habetur in *d. §. quia verò*, ibi. *Omnes, qui prohibiti, vel non missi præter auctoritatem ab Apostolica Sede, vel Catholico Episcopo loci susceptam, publicè, vel priuatim prædicationis officium vsurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodentur*. Non ergo Prædicator à Pontifice vel ab Episcopo recipit nudam executionem loquendi verbum Dei, sed auctoritatem id faciendi, & potestatem, & facultatem, ex qua habet verum ius conuocandi Ecclesiã, & proponendi illi verbum Dei, & quidem cum authoritate, & ita vt verba eius sint accipienda non vt dicta priuata, sed vt verba Ecclesiæ per ministrum verbum Dei proponentis, & fidem Ecclesiæ ab audientibus exigentis. Vnde prædicare est proponere verbum Dei ex officio, & in persona Dei, vel Ecclesiæ, seu vt ministrum vel ex speciali inspiratione Dei, vel ab Ecclesia missum, vt habetur ex eodem Innoc. III. in *cap. Cum ex iniuncto eod. tit.* Et ideo prædicare est actus iurisdictionis spiritualis.

1014 Quod confirmatur, quia prædicare est dicere ius, etiam obligando audientes ad executionẽ, non ex vi noui præcepti, quia non delegatur Prædicatori facultas condendi leges, & præcipiendi, seu per præcepta obligandi sed quia committitur facultas directiua nomine publico, & ex publica auctoritate, & vt possit dirigendo obligationem legum intimare, & vt possit nomine publico, & Ecclesiæ instare, arguere, increpare in omni patientia, & doctrina. Item negari non potest, quod prædicare non sit pascere Christi gregem. Hoc enim expressè habetur ex Innoc. III. *cap. Inter cætera, de off. Ordinarij*, cuius verba supra relata sunt, Gregem autem Christi pascere est actus iurisdictionis spiritualis.

1015 Hinc colligitur primò, quòd nullus non habens iurisdictionem Episcopalem, vel curam animarum potest prædicare *cap. cum ex iniuncto de hæret. D. Thom. quodl. 12. a. 27. & 3. p. q. 71. a. vlt.* & si officium prædicandi sibi vsurpare præsumat excommunicandus est, *c. excommunicamus 13. §. quia verò eod. titulo. Panorm. ibid. & in cap. fin. de hæret. Tabien. v. prædicare in princ. Armilla n. 1.* Et colligitur ex eo *Apost. Pauli Rom. 10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Vnde est, quòd nullus prædicare potest nisi ad id accepta auctoritate à Pontifice, vel ab Episcopo loci, vt habetur in *d. § quia verò, Sylu. v. prædicatio num. 2.* Quòd si quis dicat, se à Deo missum fuisse ad prædicandum, admitti non debet, nisi probet, sicut Moyses miraculo se à Deo missum comprobauit, *c. ex iniuncto de hæret. Sylu. v. prædicatio num. 1. Tabien. in princ. Armill. num. 1.* Quàmuis ad probationem sufficere bonum testimonium dixerit ibi *Sylu.* Sed nihilominùs sine Prælatorum auctoritate nullus potest prædicare, quibus etiam incumberet, examinare an verè aliquis à Deo esset missus, vt prædicaret.

1016 Colligitur secundo, quòd licet Episcopis *Matt. 9. Marc. vlt. & cap. in nouo dist. 21.* videatur concessa facultas prædicandi Euangelium in toto mundo, hoc tamen intelligitur seruato Ordine Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & cum subordinatione ad Romanum Pontificem à quo Episcopi iurisdictionem habent non vniuersalem, sed limitatam ad proprias diœceses, Ideo nec Episcopus extra suam diœcesim, sine licentia Episcopi loci potest conciones habere. Vnde in facto contingẽti cum Episcopus Aliphanus Neapoli prædicare vellet in Ecclesia S. Mariæ Annunciationis, Clemens VIII. consultus, respondit dictum Episcopum teneri ad petendam licentiam ab Archiepisc. Neapol. *Grat. discept. forens. cap. 393. & duab. sequent. Tuscus de Visit. l. 2. c. 20. n. 23. & S. Congr. Concil. ad cap. 4. sess. 24. Conc. Trid. in Aquileien. teste Pace Iord. l. 6. tit. 1. n. 16.* dixit, quòd Sedes Apostolica nemini licentiam cõcedere solet prædicandi nisi de Episcopi consensu. *Barbos. de off. Epis. all. 76. n. 2. & in sum. v. Prædicare, & de off. Parochi p. 3. c. 14. n. 8.* & apud eum, *Ricc. & Campanil. Pasqual. ad Lauretum p. p. n. 633.* Et quàmuis ex antiquis DD. aliqui voluerint, Episcopum posse in aliena diœc. prædicare, hoc enim voluit *Turrecrem.* malè citatus à *Pasqual.* pro opposita sententia ad *cap. scriptum 6. q. 3.* vbi idem senserunt *Archid. & Præpositus, & alij apud Pacem Iord. n. 18.* tamen & verè in contrarium vrget dictum *cap. scriptum* quod est *Gregorij respons. 9. ad August. Epis. Anglorum*, & modò stante declaratione Clemen. VIII. non esset practicandum, Neque enim valet ratio illa, quòd scilicet prædicare sit actus iurisdictionis voluntariæ, quia hoc est verum, sed Episcopus respectu alienæ diœc. & subditorum alterius Episcopi nõ habet iurisdictionem, & probat solum, quòd subditis suis Episcopus vbique existentibus potest prædicare; sed alijs contradicente proprio Episcopo prædicare non potest, quia hoc est falcem ponere in messem alienam, quod per S. Greg. ibid. est prohibitum. Vnde si Episcopus in aliena diœcesi Episcopo eius inuito vellet prædicare, quòd diœc. illius Episcopus posset illum impedire, non quidem directè procedendo contra Episcopũ, sed prohibendo Rectoribus Ecclesiarũ ne eum admitterẽt ad cõcionandũ, & sub pœna aut censura interdicẽdo populo ne ad eius concionem accedat dixit *Pasqu. ad Laur. p. p. n. 634.* Vbi addit hoc verum esse, etiam si alienæ diœc. Episcopus prædicaret in Ecclesia Regulariũ. Quia licet Episcopi nõ possint prohibere ne populi accedãt ad Ecclesias Regulariũ, hoc est verũ in ordine ad diuina officia sed in ordine ad actus illicitos. Verùm in hac parte supponitur, quòd ad prædicandum in Ecclesia Regularium requiratur licentia Episcopi, quod non est certum, vt infra dicitur. Et præcipuè in Episcopo, qui ex officio prædicare potest, vnde vt prædicet in Ecclesia exẽpta, sufficit quòd habeat licentiam à Prælato illius & benedictionem ab Episcopo loci, & quod Episcopus loci non contradicat quia locus exemptus in hac parte consideratur ac si esset extra diœcesim, vt notat *Petrus de Vbald. in tract. de Canon. Episc. & Paroch. c. 6. q. 4. num. 11.* quem sequitur

Fagnan. ad cap. quia vos num. 15. de author. & vsu Palij vnde dum Episcopus est in Ecclesia exempta censendus est, ac si esset extra diœcesim, nec indiget licentia Episcopi diœcesis in quo est Ecclesia exempta, nisi nomine licentiæ intelligamus benedictionem, vel quid simile Episcopali dignitati proportionatum.

1017 Colligitur tertiò econtra, quòd munus prædicandi non potest mulieribus cõpetere, etiam ex delegatione. Huius enim oppositũ cũ senserit *Gloss. in cap. Adijcimus 16. q.1.* quam tamen meritò reprehendunt *Panormit. ad cap. Decernimus nu.14. de Iudicijs & Angelus v. laicus num.4.* est enim contra Apostolum dicentem; *Mulieres in Ecclesia taceant 1.Cor.14. & docere mulieri non permitto.* Ex quibus locis *D.Tho. supra q.177.a.2.* colligit, quod munus publicè prædicandi est prohibitum fœminis. An autem hæc prohibitio sit iuris diuini, vel Ecclesiastici, *Suarez d.cap.1. num.13.* putat eam factam fuisse à Paulo, non quia illud sit intrinsecè malum, sed quia minùs decens, & conueniens. Sed non intelligo quod aliquod ab intrinseco sit minùs decens, & non sit aliquo modo malum, quia quod non decet, non conuenit rectæ rationi, vnde est malum. Verum quidem est, quòd mulierem prædicare per se absolutè sicut non est malum, sic nec est indecens, sed ex circumstantijs regulariter, & ordinariè esset malum, & indecens, & ideo meritò fuit à Paulo prohibitum. Quam prohibitionem sacri Canones amplexi sunt. *cap. mulier 33.q.5. ex S.August.q.45. veteris, & noui testamen. & cap. mulier 23. dist. ex Concil. Carthag.4. cap.98. cap. Nena de pœnit. & remiss.*

1018 Colligitur quartò, munus prædicandi nõ competere laicis iure Ordinario nec etiam per delegationem. Quàmuis verò huius oppositum voluerint *Panorm. & Angelus locis citatis, Decius ad d. cap. Decernimus n.29. Alexand. cons.216. Tabien. ver. prædicare §.5.* quos apud *Suarez vbi supra num.12.* sequitur *Didacus Perez l.8. Ordinamenti tit.4.* oppositum dicendum est cum *Sylu. v. prædicatio q.1. n.2. Panorm. in cap. sicut in vna de hæret. ex eo textu, Simant. de Cathol. instit. tit.49. num.2. Suarez vbi supra nu.16. & 17.* & ita quòd munus prædicandi possit committi Clerico nõ verò laico tanquam decisum à Sac. Congreg. Conc. tenet etiam *Pasqual. ad Lauret. de Franch. p.p. n.580.* Vbi quod etiam in *Concil. Later. sub Leone X. sess.11.* concionari fuerit laicis interdictum. Vnde idem tenuerunt *Barbos. de off. Epis. alleg.76. n.45. Rendina, Possenin. & Vgol.* apud *Pasqual. vbi supra,* quia laicus de iure communi est incapax iurisdictionis spiritualis, at verò munus prædicandi, non est sine iurisdictione aliqua spirituali, est enim officium spirituale habens ius conuocandi populum ad audiendum verbum Dei, & propriè continetur inter actus pascendi populum, qui sunt proprij Episcoporum. Vnde nec laico docto officium prædicandi potest committi. Et quod omnis laicus prædicans peccet mortaliter, ex *Panormit. d. cap. sicut vna. De hæret.* aduertit *Syluest. num.2.*

1019 Colligitur quintò, quod nec Religiosis laicis iure communi competit munus prædicandi. Vnde antiquitus, cum Monachi laici erãt, fuit, illis vt supra dictum fuit, prohibitum prædicare. Atque propterea cum Paulus III. Societati concesserit, vt quilibet de dicta Societate deputatus à Præposito Generali possit conciones habere, hanc tamen concessionem non extendi ad laicos dixit *Suarez vbi supra num.17. & 17.* Quia Pontifex aliquid concedens, & disponens simpliciter intelligitur concedere secundùm ius commune, vnde hunc sensum confirmauit Gregor. XIII. in Constit. sua quæ incipit *Vigere priuilegij* vbi expressè clericos nominauit ibi. *Vobis insuper concedentes, vt etiam Clerici vestri prima tantùm tonsura insigniti, prout hucusque fecerunt, valeant deinceps ipsum Dei verbum vbique prædicare.* Nam nec Ecclesiastica consuetudo habet, vt Religiosis laicis committatur officium prædicationis. quod est munus spirituale, & sacrum, ideoque proprium eorum qui vel sunt Sacerdotes, vel ad Sacerdotium tendunt.

1020 Colligitur sextò, quòd hoc idem concionandi munus potest delegari cuicumque Clerico etiam sola prima tonsura insignito. Quamuis enim *Caiet. ad hunc artic. & 3. par. q.64. a.6.* existimauerit actum prædicandi saltem ex institutione Ecclesiæ esse annexum ordini sacro Episcopi, vel Sacerdotis, vel Diaconi, tamen de hac institutione non constat, & ideo DD. communiter sentiunt, quòd prædicare nec sit actus Ordinis, nec sit annexus Ordini, ideoque etiam de iure communi competere Clericis prima tõsura insignitis. *Sotus 4. dist. 1. q.1. a.6. Corduba l.1. q.50. punc.2. Suarez d. cap.1. n.12. Barbos. de off. Epis. alleg.76 n.45. Pax Iord. lib.6. tit.1. n.84. Pasqual. vbi supra n.581. & 582. Anton. de Spir. sancto p.1. tr.2. disp.3. nu.150. Aluiset in Muren. Vermiculata sect.3. cap.22. nu.1.* Et ita hoc concessum fuit expressè Societati per Gregor. XIII. non quia non liceret de iure communi Clericis prædicare, sed quia cum hoc non liceat nisi de licentia Papæ, vel Episcopi, & per Paulum III. fuerit cuilibet deputato à Præposito Generali vt conciones habere posset, Greg. voluit id declarare & intelligentiam Societatis cõfirmare, quæ priuilegiũ Pauli sic interpretata fuerat, & ad praxim deduxerat, vt Clericis prædicatio cõueniret ibi *prout hucusque fecerunt.* Quamuis verò *Tabien. v. prædicare numer.5.* dixerit, quod Prædicatores, & Minores non possunt prædicare nisi sint Diaconi, hoc tamen non probat, & in contrarium est sententia communis. Nam & in extrauag. *inter cunctas de priuileg. & in Clem. Dudum: de sepult.* absolutè datur facultas prædicandi Fratribus dictorum Ordinum sine limitatione aliqua, & in priuil. Gregor. XIII. pro Societate habetur, vt Clericis competat prædicare si à suo superiore ad id fuerint deputati.

1021 Supradicta tamen intelliguntur de prædicatione propriè dicta, & quæ habenda sit in Ecclesia vel vbicumque populus pro concione etiam occultè audienda congregatur. Nam aliàs & Abbatissis seu Priorissis conuenit familiariter exhortari suas Moniales ad obseruantiam Regulæ, & laicis competit inseruire ad Cathechesim, & instructionem puerorũ in doctrina Christiana. Quod & tacitè approbat Ecclesia, admittens in Baptismo patrinos pro cathechizandis & instruendis baptizatis, laicos viros & fœminas. Vnde huiusmodi instructio multò magis potest competere Religiosis laicis.

SVMMARIVM.

1 *Ordo doctrinæ. n.1022.*
2 *Priuilegium Martini IV. pro Ord. Prædicatorum, num.1023.*
3 *Et Gregor. IX. Alexand. IV. & Clem. IV. pro Minorib. n.1024.*
4 *Et Sixti IV. pro Carmel. n.1025.*
5 *Et Pauli Tertij, & Gregor. XIII. pro Societate, n.1026.*
6 *Et Benedict. XI. pro Prædicatoribus & Minorib. n.1027.*
7 *Clem. Dudum de sepulturis. n.1028.*
8 *Const. Leonis X. n.1029.*
9 *Decretum Concil. Trid. n.1030.*
10 *Decretum Vrbani VIII. & Innocentij Decimi. num.1031.*

1022 STante igitur quòd munus Prædicādi nulli cōpetit nisi de licentia Papæ, vel Episc. remanet videndum, quæ priuilegia habeant circa hoc Regulares, & qualiter sint intelligenda, & quæ adhuc persistant, & quæ sint reuocata.

1023 Prædicatorum Ordini Martinus IV. in Const. *Ad fructus vberes*, data quarto Idus Ianuar. Pontificatus anno I. quæ habetur in Bullario dicti Ordinis fol.60. concessit, vt infra. *Tibi (inquit) fili Magister per te, vobis verò Prouincialibus Prioribus cum Diffinitoribus in prouincialibus vestris Capitulis congregatis committendi auctoritate Apostolica Fratribus eiusdem Ordinis in sacra pagina eruditis, examinatis, & approbatis à vobis prædicationis officium, audiendi verò confessiones &c. eisdem quoque præfatis Ordinis Fratribus, quibus dicta officia per vos taliter commissa siue concessa fuerint, quòd eadem liberè valeant exercere, plenam damus, & concedimus auctoritate præsentium facultatem. Districtiùs inhibentes, ne quis Fratres ipsius Ordinis, quibus talia officia taliter concedenda duxeritis, vt præmittitur, seu etiam committenda, in exercitio aut executione officiorum ipsorum audeat quomodolibet impedire.*

1024 Minorum Ordini quoque munus prædicandi cōpetere declarauit Gregor. IX. in sua Const. *Quoniam abundauit &c.* data 11. Calend. Iunij Pontificatus anno II. quæ apud Rodriq. habetur decima, vbi Prælatis Ecclesiæ eos commendans, dicit, *Charitatem vestram rogantes, & exhortantes in Domino, ac per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dilectos filios Fratres eiusdem Ordinis memorati pro reuerentia diuina, & nostra ad officium prædicandi, ad quod sunt, ex professione sui Ordinis deputati, benignè recipere procuretis; ac populos vobis commissos, vt ex ore ipsorum Verbi Dei semen deuotè suscipiant admonentes, etiam in suis necessitatibus personaliter assistatis &c.* Et cum ex vi Regulæ eorum Prædicatores à solo Generali possent approbari, idem Gregor. IX. in Constit. *Prohibente*, data 2. Idus Decembris Pontificatus anno XIV. quæ apud Rodriq. in Bullario habetur vndecima extendit hoc ad Prouinciales, ibi. *Vt singuli vestrum in suis Prouincijs, cum Diffinitoribus in Prouincialibus Capitulis congregatis Fratres in sacra pagina eruditos examinare, & approbare, & eis officium prædicationis Deum habendo præ oculis committere valeant, vobis authoritate præsentium concedimus facultatem.* Idem concessit Alexand. IV. in Constitut. *Prohibente*, data 13. Calend. Februar. Pontificatus anno III. & quæ habetur apud Rodriq. in Bull. quintadecima. Et insuper addit. *Ac illi, qui tam ab ipso Generali Ministro, quam à vobis sic examinati, & approbati fuerint, huiusmodi prædicationis officium plenè exequi, & liberè exercere possint, vobis & eidem Generali Ministro, & Fratribus plenariam auctoritate præsentium concedimus facultatem* Clemens etiam Quartus in Const. *Quidam temerè*, 12. Calend. Iulij Pontificatus anno primo, quæ apud Rodriq. in Bull. habetur decima, sequens concessit priuilegium. *Declaramus, quòd si vobis detur licentia, committatur, seu concedatur à Legatis prædictæ Sedis, aut Ordinarijs locorum (nec dum à Romano Pontifice, de quo proculdubio esset erroneum dubitare an in omnes alicuius consensu, immò inuitis quibuslibet huiusmodi posset concedere potestatem) populis Legatis, & Ordinarijs subiectis eisdem liberè prædicare potestis; audire confessiones, absoluere vobis confitentes, ac pœnitentias vobis confitentibus iniungere salutares, aliorum Prælatorum & Rectorum Ecclesiarum ac Sacerdotum Parochialium assensu minimè requisito &c.* Et hoc idem concessit Alex. IV. refert *Casarub. verbo prædicare n.4.*

1025 Carmelitis quoque, quod Sixtus Quartus concesserit, vt possint liberè populis prædicare in locis publicis, sed absque Parochialium Ecclesiarum iuris præiudicio, refert *Casarub. v. prædicatores num.14.* Vbi quod Pontifex declarauit hoc præiudicium intelligi de decimis & primitiis duntaxat. Sed huiusmodi priuilegij non video, quòd mentionem fecerit Lezana.

1026 Societati pariter amplum priuilegium concessit Paulus III. in Const. *Inter cunctas*, data 3. Iunij 1545. Pontificatus anno II. & habetur in Bullar. Societatis in ordine prima fol. 19. Vbi sic conceditur. *Et cuilibet vestrum, qui ad hoc idoneus repertus, & per vestræ Societatis Præpositum pro tempore existentem deputatus fuerit, in quibusuis Ecclesijs, & locis, ac plateis communibus, seu publicis, & alias vbique locorum Clero & populo verbum Dei prædicandi, proponendi, & interpretandi, ac eos viam veritatis edocendi, & ad bene beateque viuendum ita, vt in vobis verbo pariter, & exemplo ædificentur, in Domino hortandi, admonendi &c. plenam, & liberam facultatem auctoritate Apostolica per præsentes ad nostrum & Apostolicæ Sedis beneplacitum concedimus.* Gregor. autem Decimustertius in Constitut. quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, data 3. Maii 1575. Pontificatus anno tertio, & habetur in Bullar. Societatis fol. 137. concessit vt infra: *Omnibus & singulis ipsius Societatis prædicatoribus ac confessarijs ab aliquo Ordinario semel approbatis, & à suis superioribus ad huiusmodi munera deputatis, vt quandocumque siue mari, siue terra iter fecerint, populos non repugnantibus tamen Curatis Parochialiū Ecclesiarum, prædicatione verbi Dei instruere, ac cōsolari, & quorumcumque Christi fidelium, præsertim ægrotorum, & eorum, qui in vinculis detinentur confessiones audire, eisque pro commissis salutares pœnitentias iniungere, dummodo id non faciant in oppidis, aut locis, in quibus Ordinarij existunt nisi eorum licentia desuper obtenta, liberè, & licitè valeant. eadem auctoritate etiam perpetuò, de speciali gratia concedimus.*

dimus; Idem verò Gregor.XIII. in Constit. quæ incipit. *Vigore priuilegij &c.* quæ habetur in Bull. societatis pag. 254. declarans concessionem factam a Paulo tertio addidit: *Vobis insuper concedentes, vt etiam Clerici vestri prima tantùm tonsura insigniti, prout hucusque fecerunt, valeant deinceps ipsum Dei verbum vbique populo prædicare; districtiùs inhibentes vniuersis, & singulis locorum Ordinarijs, & quibusuis alijs quacumque dignitate, & auctoritate fungentibus, ne quenquam vestrum, quouis prætextu præmissorum occasione impedire, vel molestare audeant quoquo modo.*

1027 Pro Prædicatoribus & Minoribus etiam facultatem prædicandi cōcessit Benedictus Vndecimus, vt habetur in extrauag. *Inter cunctas*, de Priuilegijs, vbi inter alia sic habetur.

STatuimus de fratrum nostrorum consilio, vt priorum ordinum fratres, qui ad hoc deputati fuerint in ecclesiis ac locis ipsorum, quæ in præsentiarum habent, & in posterum obtinebunt, ac in plateis communibus seu publicis liberè absque diœcesanorum, et aliorum Prælatorum petita licentia valeant clero, et populo prædicare, eique proponere verbum Dei. Caueant tamen omnino ne hora, in qua diœcesani prædicti prædicarent, vel coram se facerent prædicari, prædicent iidem fratres: putamus etenim dignum, vt maiori minor, et superiori inferior deferat in hac parte: nisi forsan aliud circa hoc facerent de voluntate diœcesanorum ipsorum, aut in studiis generalibus prædicarent diebus illis duntaxat, quibus sermones ad clerum fieri solent, et solenniter prædicari, seu mortuorum funeribus, vel eorundem fratrum festis specialibus seu peculiaribus, quia in his casibus cum diœcesani in prædicatione concurrere poterunt. Vbi verè iidem diœcesani vocarent generaliter ad se clerum aliqua ratione, vel vrgente causa illum ducerent congregandum, ea hora in studiis memoratis diebus, sæpe dicti fratres ab huiusmodi prædicatione cessabunt. In ecclesiis autem parœcialibus fratres ipsi inuitis eorum rectoribus seu sacerdotibus (nisi iussi à superioribus eorundem) non audeant prædicare.

1028 Sed huiusmodi priuilegia nunc vel reuocata in parte, vel limitata sunt. Nam Concil. Vienen. reuocauit in parte Constitut. Benedicti vndecimi, confirmata altera constitut. Bonifacij VIII. prout habetur in Clem. *Dudum*, de sepult. ibi.

DE ipsorum fratrum consilio, auctoritate apostolica statuimus & ordinamus, vt dictorum ordinum fratres in ecclesiis & locis eorum, & in plateis communibus liberè valeant clero & populo prædicare, ac proponere verbum Dei, hora illa duntaxat excerpta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solenniter prædicari, in qua prædicare cessabunt, præterquam si aliud de Prælatorum ipsorum voluntate processerit, ac licentia speciali. In studiis autem generalibus, vbi sermones ad clerum ea more fieri solent diebus illis, quibus prædicari solenniter consueuit, ad funera etiam mortuorum, & in festis specialibus, siue peculiaribus eorundem fratrum, possint iidem fratres, & liceat eis liberè prædicare: nisi fortè illa hora, qua solet ad clerum in prædictis locis Dei verbum proponi, Episcopus vel Prælatus superior clerum ad se generaliter conuocaret, aut ex aliqua ratione, vel causa vrgente clerum ipsum duceret congregandum. In Ecclesiis autem parochialibus fratres illi nullatenus audeāt, vel debeant prædicare, vel proponere verbum Dei, nisi fratres prædicti à parochialibus sacerdotibus inuitati fuerint vel vocati, & de ipsorum beneplacito & assensu, seu petita licentia fuerit & obtenta: nisi Episcopus vel Prælatus superior per eosdem fratres prædicari mandaret.

1029 Sed & Leo Decimus in Concilio Lateranensi multa statuit pro Prædicatoribus, ab eis omnino obseruanda, quæ iuuat hic ponere per expressum. In Constitut. igitur quæ incipit: *Supernæ Maiestatis* data in Concil. Lateranen. in publica sess. 11. anno 1516. 14. Cal. Ianuar. Pontificatus anno 4. quæ habetur in Bull. Rom. in ordine 21. ita decreuit.

§.3. NOs igitur sanctæ Dei Ecclesiæ (cui disponente Domino præsidemus, quæ quidem vnum est, & Deum vnum prædicat, colit, ac vnam fidem firmiter, & sincere confitetur, iuxta illud Prophetæ vaticiniū: Qui habitare facit vnius moris in domo) vniformitatem, quantum cum Deo possumus, posthabitam reducere, & retentam conseruare, quique populo verbum Dei prædicant, tales esse cupientes, vt eorum prædicatione, Ecclesia nullum scandalum patiatur, & si qui corrigibiles sunt, ab his, quæ proximis nostrisque temporibus præsumpserunt, cum nonnullos eorum, præter illa quæ diximus, in prædicationibus non viam amplius Domini in virtute docentes, non Euangelium, vt deberent, explanantes; sed conficta miracula, & noua ac falsa vaticinia aliaque leuia & ab anilibus fabulis parum distantia, magnumq; scandalum parientia, nulla deuotionis & auctoritatis, eiusque improbantis, ac repellentis hæc, habita ratione, vastis clamoribus imprimere, ac suadere vbique conantes, & ne Pontificali quidem dignitate fulgentibus; & alijs Ecclesiæ Prælatis parcentes, quibus potius honorem, ac reuerentiam exhibere deberent, sed in eorum personas, ac statum audaciter, ac temere inuehi consueuisse, & alia huiusmodi commisisse constat, in futurum abstineant, vt tam periculosum contagiosumque malum, ac mortifera pestis radicitus euellatur, & arefactum, ita penitus deleatur, vt nec memoria eius remaneat, sacro approbante Concilio statuimus, & ordinamus, vt nullus etiam clericus sæcularis, quam cuiuscumque etiam Mendicantium Ordinis regularis, aut quiuis alius ad quem facultas prædicandi, tam de iure, quam de consuetudine, vel priuilegio, aut alias pertinet, ad huiusmodi officium exercendū admittatur, nisi prius per Superiorem suum respectiue diligenter examinatus, (in qua re conscientiā ipsius Superioris oneramus) ac morum honestate, doctrina probitate, prudentia, & vitæ exemplaritate ad illud aptus & idoneus reperiatur, & hic, quocumque postea prædicaturus accesserit de huiusmodi examine, et idoneitate sua per literas authenticas, seu alias sui examinatoris, approbatorisque Episcopis, et alijs locorum Ordinarijs fidem legitime faciat.

§.4. Mandantes omnibus qui hoc onus sustinent,

bent, quique in futurum substinebunt, vt Euangelicam veritatem, et sanctam Scripturam iuxta declarationem, interpretationem, et ampliationem Doctorum, quos Ecclesia, vel vsus diuturnus approbauit, legendosque hactenus recepit, et in posterum recipiet, prædicent & explanent; nec quidquam eius proprio sensui contrarium aut dissonum adijciant, sed illis semper insistant, quæ ab ipsius sacræ Scripturæ verbis, & præfatorum Doctorum interpretationibus, rite & sane intellectis, non discordant.

§. 5. Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel antichristi aduentum, aut certum diem iudicij prędicare, vel asserere nequaquam præsumant; cum veritas dicat: Non esse vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, ipsosque qui hactenus similia asserere ausi sint, mentitos, ac eorum causa reliquorum etiam recte prædicantium auctoritati non modicum detractum fuisse constet; inhibentes omnibus & singulis clericis sęcularibus vel regularibus præfatis, ceterisque cuiuscumque status, gradus, & Ordinis existant, qui hoc onus assument, ne de cętero in sermonibus suis publicis, alia quæque futura ex literis sacris constanter prædicere, nec illa a Spiritu sancto vel diuina reuelatione se habuisse affirmare, & alienas inanes diuinationes asseuerando, aut alio quocumque modo tractanda assumant, sed ex diuinæ vocis præcepto Euangelium omni creaturæ cum vitiorum detestatione, & virtutum commendatione et enucleent et declarent, & pacem ac dilectionem mutuam à Redemptore nostro tantopere commendatum, vbique fouentes, non scindant vestem inconsutilem Christi, sed ab Episcoporum et Prælatorum, ac aliorum Superiorum, eorumque status scandalosa detractione, quos coram vulgo & laicis non modo incaute, sed etiam intemperanter reprehendunt & mordent, & ab eis male gestorum expressis quandoque nominibus aperta & manifesta redargutione abstineant.

§. 6. Denique constitutionem felicis record. Clementis Papæ V. quæ incipit, Religiosi, quam tenore præsentium innouamus & approbamus, inuiolabiliter ab eis obseruari debere decernimus, vt hac ratione ad vtilitatem populi prædicantes, & cum Domino lucrifacientes, talentum quod ab illo acceperant, superlucrari, & eiusdem gratiam & gloriam consequi mereantur.

§. 7. Ceterum, si quibusdam eorum, Dominus futura quædam in Dei Ecclesia inspiratione quapiam reuelauerit, vt per Amos Prophetam ipse promittit, & Paulus Apostolus Prædicatorum princeps, Spiritum, inquit, nolite extinguere, prophetias nolite spernere, hos aliorum fabulosorum, & mendacium gregi connumerari, vel aliter impediri minime volumus. Extinguitur namque ipsius gratia Spiritus, Ambrosio teste, si incipientibus loqui feruor contradictione sopitur, & tunc Spiritui sancto iniuria certe fieri dicitur. Et quoniam res magni momenti est, eo quod non de facili credendum sit omni spiritui, sed sint probandi spiritus, teste Apostolo, an ex Deo proueniant, volumus, vt lege ordinaria tales assertæ inspirationes, antequam publicentur, aut populo prædicentur, ex nunc Apostolicæ Sedis examini reseruatæ intelligantur. Quod si sine moræ periculo id fieri non valeret, aut vrgens necessitas aliud suaderet, tunc eodem ordine seruato, Ordinario loci notificentur, vt ille adhibitis secum tribus, aut quatuor doctis & grauibus viris, huiusmodi negotio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbunt, (super quo eorum conscientias oneramus) licentiam concedere possint.

§. 8. Si qui autem contra præmissorum aliquod committere quidquam ausi fuerint, vltra pœnas contra tales à iure statutas, excommunicationis etiam sententiam, à qua non nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, absolui possint, eos incurrere volumus. Et vt eorum exemplo alij attentare similia minime audeāt, eis prædicationis etiam officium interdictum esse perpetuo decernimus.

1030 Postea Concil. Tridentinum sess. 5. cap. 2. de reform. sequens edidit Decretum: *Regulares verò cuiuscumque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram Episcopo præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, vltra licentiam suorum Superiorum etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in Ecclesiis non suarum Ordinum nullo modo prædicare possint: ipsam autem licētiam gratis Episcopi concedāt.* In sess. autem 24. c. 4. de reform. aliud decretū dedit tale, videlicet: *Nullus autem secularis siue Regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumant.*

1031 Ampliùs circa prædicationem adest Vrbani Octaui decretum ad Episc. Giennen. supra numer. 149. et 154. relatum, et præterea emanauit Constitut. Innoc. X. in causa Angelopolitana, quæ etiam supra num. 170. 183. et 184. posita fuit.

SVMMARIVM.

1 *Plura circa prædicta consideranda. nu. 1032.*
2 *Qualis licentia Prælati sit necessaria. nu. 1033.*
3 *Regulares sine licentia Prælatorum non possunt prędicare. 1034.*
4 *Regularis prędicans sine licentia superioris non est excommunicatus, peccat tamen mortaliter. numer. 1035.*
5 *Prælati regulariter peccant mortaliter approbando ineptos ad munus prædicationis. n. 1036.*
6 *Episcopi non debent dare facultatē concionandi, nisi habentibus licentiam à suis superioribus. n. 1036.*
7 *Approbatio in quo differat à licentia. nu. 1036.*
8 *Pręlatus potest suspendere subditum à concionib. num. 1036.*
9 *Suspensus prędicans non est irregularis. n. 1036.*
10 *Sufficit de iure communi, quod Prędicator sit approbatus à superioribus localibus. n. 1037.*
11 *Quid circa hæc sit statutum pro Ordine Minorum & Societate. nu. 1037.*
12 *Quid pro Ordine Prędicatorum. n. 1038.*

1032 HAE sunt leges, quas Regulares tam Prælati, quàm subditi seruare debēt circa ministerium prædicationis. Circa quorum intelligentiam plura occurrunt obseruanda.

Obserua-

OBSERVATIO PRIMA.

1033 PRimò considerandum est qualis licentia Prælati Regularis sit necessaria subdito vt munus prædicationis exerceat? Nam cum Regulares habeant licentiam Papæ ad prædicandum, etiam si ex præfatis iuribus sit necessaria etiā licentia Episcopi, videbitur forsan non esse necessariam licentiam Prælati. Et dato quòd hæc sit necessaria, aliud remanet dubium an hanc licentiam dare possit Prælatus localis, quoniam in multis ex citatis priuilegijs videtur necessaria approbatio Generalis, vel saltem Prouincialis & Diffinitorum Capituli Prouincialis.

1034 Indubitatum nihilominùs est, nullum subditum posse prædicare nisi sui superioris habeat approbationem & licentiam. Nam nedum licentia prædicandi a Pontifice non est concessa nisi deputatis, & pro munere hoc habendo approbatis a suis superioribus, vt patet ex supra positis priuilegij Martini quarti pro Prædicatoribus, Greg. IX. & Alexand. IV. pro Minoribus, & Pauli III. & Gregor. XIII. pro Societate. Sed expressè in Constit. Leonis X. præcipitur ne aliquis ad prædicandum admittatur nisi a suis superioribus examinatus, & approbatus. Et in *Conc. Trid. sess. 5. cap. 2.* Prohibentur Regulares, ne prædicare possint, nisi priùs a suis superioribus examinati & approbati fuerint, & nisi de licentia suorum superiorum. *Nauar. capit. 25. num. 141. & 143. Lezana p. p. cap. 20. num. 1. Barbos. de offic. Episc. all. 76. num. 17. Pax Iordan. l. 6. tit. 1. num. 87. Anton. à Spir. sancto p. p. tract. disp. 3. num. 141. Bassæus v. Prædicator num. 4. Pasqualig. ad Lauretum p. p. num. 631.*

1035 Vnde Regularem si sine licentia sui superioris prædicet peccare mortaliter dixerunt *Nauar. Lezana, Bassæus, Pasqualig. & Anton. à Spir. sancto citati.* Et eum esse excommunicatum per Constitut. Leonis X. *ex Zerola, & Reginald.* addit *Lezana* cui consentit *Pasqualig ad Lauretum p. p. num. 631.* Quāuis hanc excommunicationem non incurri ipso facto, ex *Bordon.* dicat *Anton. à Spir. sancto.* Et insuper eum esse priuatum officio prædicationis aduertit præterea Lezana. Verùm consideranti verba textus apparet excommunicationem illam non respicere subditos, sed Prælatos, vel eos ad quos spectat Prædicatores admittere, etiam si excommunicatio illa referatur etiam ad disposita in §. 3. eiusdem Bullæ. Nam ibi non præcipitur subditis ne prædicent non admissi, sed præcipitur vt ne aliquis cui facultas prædicandi competit vel de iure, vel de consuetudine, vel ex priuilegio admittatur ad exercendum officium hoc prædicationis, nisi à suis superioribus examinatus fuerit, & idoneus iudicatus, vnde excommunicatio posita in fine illius Constitut. non Prædicatores afficit prædicantes sine licentia superiorum sed qui Prædicatores admittunt à suis superioribus non approbatos, et licentiatos. Quamuis etiam ad huiusmodi excommunicationem aduertit *Gibal. in syntep, verb. Prædicatur ex Nauar. cap. 27. num. 110. & Palao disp. 3, p. 29. num. 4.* Hanc et alias excommunicationes latas à Leone X. in Concil. Lateranen. non fuisse vsu receptas. *Caiet. v. Excommunicatio cap 81. in fin.* ait se nescire an sint receptæ. *Suarez de censur. disp. 21. sect. 6. num. 8.* ait sibi valde dubium esse, an hæc excommunicatio vsu et consuetudine recepta sit. Cū tamen hæc excommunicatio non respiciat Prædicatores, nec afficiat illos pro hac parte, scilicet, si non examinati, et approbati, aut sine licentia suorum Prælatorum prędicauerint, sicut nec respicit eos pro hac parte priuatio officij prædicationis in perpetuum, hinc est, quòd nec ob hanc causam dicendum sit eosdem Prædicatores peccare mortaliter. Sed tamen spectato Concilij Trident. decreto, quod Prædicatores respicit et per quod decernitur, quòd sine approbatione et licentia superioris prædicare non possint; & ita quòd talibus Concilium auferat facultatem & potentiam prædicandi, & vt sic ad tale munus exercendum illos inhabiles reddat, & impotentes, peccatum mortale erit in Prædicatore, si sibi facultatem prædicandi (cum hoc sit grauissima res) quam non habet vsurpet. Quāmuis & in hoc paruitas materiæ excusare poterit, nec mortale censendum erit prædicare semel, vel bis, nisi insuper adsit præceptum superioris obligans sub mortali.

1036 Bene aduertere debent Prælati Regulares, quòd cum Leo X. oneret conscientiam illorum in hac re, peccant mortaliter & incidunt in excommunicationem illam, si illa est latæ sententiæ. De hoc enim potest esse dubium, quia textus vtitur his verbis. *Excommunicationem, à qua non nisi à Romano Pontifice, præterquàm in mortis articulo constituti, absolui possint eos incurrere volumus.* Non est verò certum, quòd hæc verba *incurrere volumus*, importent incursum de præsenti, & ipso facto. Nam & huiusmodi verba. *Volo ducere te vxorem*, non important consensum de præsenti, nec operantur matrimonium de facto. *Barbosa dicto 436. num. 12.* Quare cum non dicatur *Volumus incurrere ipso facto*, vel cum alio simili addito, non est certum, quòd illa excommunicatio sit latæ sententiæ. Talem tamē illam esse ego existimo, quia in eo textu verbum *volumus*, intelligi debet vt sit efficax, & cum effectu (si vsu, & consuetudine non est abrogata), quatenus ipsi non idoneos vel ex defectu scientiæ, vel ex defectu honestatis morum admittant ad officium prædicationis. Hoc enim de se est malum ex genere, vnde negligentia Prælati in hoc est contra ius diuinum, & Ecclesiasticum. Sed & Episcopi obseruare tenentur, vt non admittant nisi approbatos ad Prædicandum à suis Prælatis, vt ex Concil. Later. decernitur, & habentes ab eisdem licentiam ad prædicandum, vt vult Concil. Tridentinum. Cum verò in subditis sit necessaria approbatio, & licentia, approbatio importat iudicium de idoneitate in Generali, & in communi, & est quædam licentia remota, & conditionata, per quam subditus tanquam dignus licētiatur vt possit assumi in Prædicatorem quando opus fuerit, sed nec datur ei absoluta facultas exercitè prædicandi, sed hæc sibi datur per licentiam, quæ est Prælati consensus vt nunc in tali loco conciones habeat; sequitur verò ex his, quòd superior ex iusta causa potest suspendere subditum suum a Concionibus habendis & iustè, & validè. & ita quòd sic suspensus non possit licitè prædicare. Addit verò *Pasqual. ad Lauretum p. p. num. 631.* quòd superior non tenetur reddere causam huius suspensionis, quia exercitium suspensionis dependet ab obedientia

ideo-

ideoque à voluntate superioris. Et quòd ad hanc suspensionem imponendam sufficit extraiudicialis informatio de causa ob quam vel ex vtilitate communi, vel ex bono concionatoris expediat illum suspendi. Quia si hoc possũt facere Episcopi quoad Regulares, vt tradiderunt *Campauil. rub. 12. c. 13. num. 8. Leo in Thes. p. p. cap. 8. num. 9. Barbos. de potest. Epis. alleg. 76. num. 22. Pax Iordan. Tragurien. Episc. lib. 6. tit. 1. num. 24.* à fortiori locum habebit in superioribus Regularibus, cum plenior sit eorum potestas super suos subditos. Quamuis sic suspensi, si prædicent non sint irregulares, quia prædicare non est actus Ordinis. *Lezana v. Concionatores numer. 10. Bassæus v. Prædicator num. 4.* In Ord. Prædicatorum statutum fuit expressè *dist. 2. cap. 12. §. 1.* vt nullus ad Prædicationis officium admittatur nisi examinatus, & approbatus. Et Bononiæ 1564. statutum fuit, vt pœna inobedientibus & proprietarijs debita puniantur, qui Episcopis, vel quibuscumque alijs extra ordinẽ ad officium legendi, vel prædicandi inseruierint.

1037 Sed qui nam sunt hi superiores, à quibus subditi Regulares approbari debent? In vi priuilegij Martini Quarti pro Prædicatoribus, aut Greg. X. Alex. IV. et Clem. IV. pro Minoribus, solus Generalis et Prouinciales in Capitulo Prouinciali cum Diffinitoribus approbare possunt subditos ad prædicationes habendas. At in vi priuilegij Pauli tertij pro societate videri poterit alicui quòd solus Generalis habeat hanc facultatem, per illa verba *& per vestræ Societatis Præpositum pro tempore existentem deputatus fuerit*. Verùm hanc facultatem non restringi ad Generalem docet *Suarez d. cap. 1. num. 21.* quia hæc facultas illi committitur, vt ipse per se, vel per alios, qui ad hoc munus sufficientes sint, id possit. Nam aliter in tanta Religiosorum multitudine et in partibus etiam tam remotis impossibile esset id fieri per solum Generalem. Ideo et quòd in huiusmodi Præpositus quæ sibi committuntur possit per alios perficere, generaliter declarauit Paulus tertius in sua Bulla quinta circa finem. Videtur autem hoc specialiter commissum fuisse Generali, vt intelligat hoc peculiariter ad eius administrationem pertinere, & vt huius rei peculiarem curam habeat. Putat verò idem Suarez, quòd præter Generalem solus Prouincialis de potestate ordinaria possit in societate Confessarios approbare, sicut & in Ordine Minorum. Cum enim ex vi regulæ eorum cap. 8. soli Generali fuisset hoc commissum, postea ex supra citatis priuilegijs fuit extensum ad Prouincialem, & id postea etiam confirmatum à Nicolao Papa in *cap. Exijt, §. Verùm quia expressè, de verb. signif. & à Clem. V. in Clement. Exiui, eod. tit. & à Greg. XI. in expos. Regulæ a. 6.* Sic ergo & in societate iuxta eius Regulam secundo facultas approbandi ad Confessiones est etiam in Prouinciali, & quidem ordinaria, quia ex vi sui muneris, & legis, & priuilegiorum illam participat. Vnde nec repugnat, vt illam delegare possit alicui Rectori, vel alteri. Quod tamen generali delegatione non videtur permittendum, quia nec sit necessarium, nec sufficiens ad hoc vt Prouincialis satisfaciat suo muneri. Sed cum in decreto Concil. Trid. hæc facultas committatur superioribus Regularium, non exprimendo, an id committatur Generali, aut Prouinciali, aut superiori locali dicendum est, quòd iam hoc munus de iure pertineat ad quemlibet illorum indifferenter, seruata semper consuetudine cuiuscumque Religionis. Et ita puto seruandum esse de iure communi.

1038 In Ordine Prædicatorum in ijs Prouincijs in quibus est in vsu titulus seu gradus Prædicatoris, praxis est vt in aliqua vniuersitate, seu studio Generali Religiosus à Regente studij & moderatoribus examinetur, vel extraordinariè ab examinatoribus deputatis à Generali, à quibus examinatus, & approbatus recipit postea gradum & insignia vel à Regente studij, vel à Generali, aut ab eo cui Generalis commiserit. Sed & vbi Prædicatura non est gradus, nihilominùs approbatio Generalis ad officium prædicãdi debet fieri vel in studio generali, vel ab examinatoribus deputatis à Prouinciali, & Diffinitoribus à quibus, saltem à duobus, vel à Diffinitoribus debet obtinere approbationem in scriptis, vt habetur in Constitut. *d. 2. cap. 12. §. 1. vbi Glossa lit. A.* ex Ord. Cap. Rom. 1589. addit, quòd huiusmodi examinatores debent esse quinque, & qui viderint & audierint examinatum prædicantem. Sed non per hoc potest hic, vel illi sic approbatus aut approbati prædicare sine superioris licentia, quam tamẽ pro prædicando in Diœcesi dare potest superior localis, & Prouincialis pro diœcesibus suæ Prouinciæ. Verùm vt aduenĩẽte occasione prædicandi aliquis actu prædicet, nec iudicatur necessarius titulus Prædicatoris, aut approbatio generalis habita in scriptis, sed sufficit quòd Religiosus a Priore coram Patribus à Consilijs examinetur, & approbetur, vnde absolutè loquendo & stando in terminis Concilij Tridentini sufficit, quòd Prædicator sit approbatus à superiore locali, iuxta etiam textum constit. in §. 2. Immò examen non iudicatur de substantia, seu etiam de præcepto, vt aduertit etiam *Suarez d. cap. 1. nu. 22.* Nam vbi sufficientia sit nota nõ est necessitas examinis, quia examen non est necessarium nisi vt sufficientia innotescat. Vnde in substantia duo sunt necessaria, scilicet approbatio superioris, & eius licentia. Et quantùm sit ex vi Concilij Tridentini, vtrumque sufficit si habeatur à superiore locali. Quàmuis in vnaquaque Religione seruandæ sint propriæ leges, & consuetudines. Hinc etiam soluitur alia difficultas, an scilicet ad prædicãdũ sufficiat licentia generalis data alicui Religioso dũ approbatur in Concionatorem. Nam quòd sufficere hanc licentiam generalem videatur voluisse *Bordon. decis. Miscel. 465.* affirmat *Pasqualig. ad Lauretum de Franchis p. p. num. 568.* Vbi tamen ipse tenet oppositum, & meritò. Concilium enim requirit approbationem, quæ consistit in illa deputatione generali, & vlteriùs licentiam, exercendi officium hic, & nunc. Quod certè necessarium est pro regulari disciplina, cum possit contingere quòd non expediat hic, & nunc, eum qui habilitatus est, concionari. Sed & Bordonus ibi loquitur in casu particulari, & ex vi cuiusdam decreti Religionis particularis, non verò absolutè, & ex vi Concilij Tridentini.

SVMMA-

SVMMARIVM.

1 *Ad hoc vt Regularis prędicet in Ecclesiis, quę non suus suorum Ordinum necessaria est benedictio, & licentia Episcopi.n.1039.*

2 *Sufficit sępe vt Regulares se pręsentent, & petant licentiam, & benedictionem per literas. numer. 1039.*

3 *Licentia Episcopi spectato solo decreto Conc.Trid. sess.5.cap.2.non est necessaria ad prędicandum in Ecclesijs exemptis.num.1040.*

4 *Ad prędicandum in alienis Ecclesijs necessaria licentia Rectoris etiam de iure antiquo.n.1041.*

5 *Ad prædicandum in Parochiali sufficit licentia Episcopi etiam Parocho inuito. nu.1041.*

6 *Nec superiores in Ecclesijs Episcopi possunt prædicare, sine eius licentia. nu.1012.*

7 *Abbates in Ecclesijs sibi subiectis, & Parochi in suis Parochijs prædicant sine Episcopi licentia. num.1042.*

8 *Non est necesse quod hæc licentia detur in scriptis. num.1043.*

9 *Etiam oretenus data non expirat morte concedentis.nu.1043.*

10 *Episcopi sine causa non possunt Regularibus negare licentiam prædicandi.nu.1044.*

11 *Licentia valide negatur, etiamsi iniustè negatur. num.1025.*

12 *Prædicans sine licentia non tenetur restituere sibi data.nu.1046.*

13 *Regulares non sunt delegati Episcoporum. numer.1047.*

14 *Regulares mortaliter peccant, si prædicent sine licentia, & benedictione & possunt excommunicari.1048.*

15 *Sufficit licentia Legati à latere intra suam Prouinciam. num.1048.*

OBSERVATIO SECVNDA.

1039 PEtit Concilium Tridentinum, vt concionaturus in Ecclesijs nō sui ordinis benedictionem & licentiā Episcopi obtineat. Vnde huiusmodi duo esse necessaria communiter tradūt *Suarez d.cap.1.num.4.Barbosa ad cap.2.sess.5.nu.17. & 20.Concil Trid.& de off. Epis. alleg.76. num.18. Pax Iordan l.6. tit.1. num.19. Barbastrea. in Pastor. p.3.quæst.11.nu.21.& quæst.11. v.2. Lezana cap.20. num.2.& v.Concionator num.6. Bassęus v.prædicator num.3.Peyr.ad Constit.2. Sixti IV. num.21. Anton.à Spir.S.p.1.tr.2.disp.3.num.143.* Ad huiusmodi verò obtinennda necesse est, quod Prædicator personaliter se præsentet coram Episcopo. hoc enim expressè petit Concil. Trident. quámuis si Prædicator sit legitimè impeditus sufficiet si per nuncium, aut literas benedictionem, & licentiam hanc prædicandi obtineat, vt ex *Zerola, &* Leone aduertit *Peyr.tom.3.priuileg.cap.2.nu.11.* cui consentit *Cespedes dub.199.* Quod si Episcopus sit extra Diœcesim, nec habeat Vicarium, poterit eadem benedictio & licentia per literas postulari, vt ex *Ambar. & Card.* aduertit *Peyr. num.12. Addens numer.13.* quòd si cōtingat Prædicatorem distare ab Episcopo vltra duas diætas potest ab Episcopo vtrumque peti per nuncium aut literas, nisi vt considerat Cespedes consuetudo sit in contrarium, quæ omnino seruanda erit. Cum verò licentia prædicandi sit actus iurisdictionis voluntariæ, potest ab Episcopo dari etiam extra Diœcesim. *Riciull lib.5.lucubrat.Eccles.cap.12.num.7. ex Card.* Quod procedit eadem ratione de benedictione.

1040 Est verò difficultas an licentia Episcopi sit necessaria etiam ad hoc vt Regularis possit prædicare in Ecclesijs Regularium alterius Ordinis. Esse necessariam dixit *Lezana p.p.cap.20.num 2. & p.3.v.Concionator. nu.7.* quia Concilium vtrumque petit, vbi Regularis sit habiturus Conciones in Ecclesijs, quæ non sunt suorum Ordinum. Idem voluit *Pasqual.ad Laurei. de Franshis p.p. num.621.* & fundatur quia Ecclesiæ aliorum Ordinum non sunt propriè Ecclesiæ sui Ordinis respectu prædicatoris. Sed oppositum tanquam certissimum tenet *Cespedes disp.205. num.2.* Tum quia etiam Ecclesiæ aliorum Ordinum sunt exemptæ. Tum quia verba Concilij non important aliud. Non enim dicit Concil. quòd sit necessaria licentia Episcopi, si Regularis velit prædicare in Ecclesijs quæ non sunt sui Ordinis, sed dixit quòd Regulares indigeant hac licentia, si velint conciones habere in Ecclesijs, quæ non sint suorum Ordinum, solæ autem Ecclesiæ, quæ nullius sunt Ordinis, sunt Ecclesiæ, quę non sunt suorum Ordinum. Et ideo ad prędicandum in Ecclesijs Regularibus cuiuscumque sint Ordinis, non est necessaria licentia Episcopi. Quod Cespedes bene extendit etiam ad Ecclesias seculares sed exemptas; ex quo enim Ecclesię sunt exemptæ, & earum Rectores, seu Præpositi, aut Prælati habent facultatem vt in suis Ecclesijs faciant prędicare. sufficit eorum licentia, nec requiritur licentia Episcopi. Et fauet *Riccius p.2. praxis resol. 290.* dicens, quòd Abbas potest dare licentiam Prædicatoribus prædicandi in suo districtu, & eos examinare, & approbare. Et num.6. idem Cespedes hoc extendit etiam ad Ecclesias exemptas, in quibus Rectores non habent iurisdictionem quasi Episcopalem. Non enim ad Prædicandum necessaria est Rectoris secularis duplex licentia, sed vna sufficit. Ideo vbi Episcopus ipse potest dare prædicandi licentiam independenter à quocumque alio, eius licentia est necessaria. Sed vbi licentiam dare spectat ad Ecclesiæ Rectorem, eius licentia requiritur, & sola sufficit. Vnde *Tambur. tom.2. disp.11. quæst.2. num.5.* docet, quòd Abbates, & Prælati Regulares possunt absque vlla requisita Episcopi licentia in suis Ecclesijs prædicare, & prædicari facere. Et cum etiam Pasqualig. admittat, quòd excipiendæ sint Ecclesiæ exemptæ, in quibus Prælati habent iura quasi Episcopalia, bene apparet, quòd infirma est eius ratio, quia magis euidens est, quòd huiusmodi Ecclesiæ non sunt Ecclesiæ sui Ordinis respectu prædicatoris Regularis, & tamen ad prædicandum in huiusmodi Ecclesijs nō est necessaria licentia Episcopi, quia sufficit licentia Prælati eiusdem Ecclesiæ. Et si dicatur hoc esse, quia illi Prælati habent iura quasi Episcopalia, dicitur, quòd hæc eadem iura habent Prælati Regulares in suis Ecclesijs; & ideo illis competit licentiare ad concinnandum, & conferre illud iurisdictionis quod habet officium prædicatoris. & quod in Ecclęsijs exemptis & sibi non subiectis nequit dare Episcopus. Hoc idem satis clarè colligitur

gitur ex quo Concilium *sess.5.cap.2.* equiparat in his Ecclesias Regulares, dum enim dedit facultatem puniendi prædicatorem si disseminet errores, ex eo specificauit hoc locum habere, siue predicator prædicet in Ecclesia sui Ordinis siue alterius Ordinis, vt intelligeremus, quòd in his ob specialem exemptionem quam habent Ecclesię Regularium debet clarè exprimi, quòd detur facultas Episcopo respectu quarumcumque Ecclesiarum, etiam si sint alterius Ordinis, quia si hoc non exprimeretur, facultas ad id non se extenderet; Et ita si Concilium voluisset quòd facultas licentiandi ad conciones se extenderet etiam respectu Ecclesiarum aliorum Ordinum, id expressisset. Ad prædicandum igitur in alicuius Ordinis Regularis Ecclesia, Regulares non indigent licentia Episcopi, Quę quidem vera sunt spectato decreto *Conc. Trid. sess.5.cap.2.* Sed quid dicendum spectato alio decreto *sess.24.cap.4.* dicendum erit infra.

1041 Bene verò hinc colligitur, quòd cum de iure antiquo ad prędicandum in aliorũ Ecclesijs esset necessaria licentia, seu consensus Rectorum Ecclesiarum. *Clem. Dudum, de sepult. & extrau. Inter cunctas, de Priuileg.* Et quamuis in priuilegio Pauli Tertij non sit hoc expressum, tamen, vt considerat *Suarez d.cap.1. num.3.* licet illa concessio sit absolutè data, subintelligitur tamen conditio illa, si Episcopi in suis Diœcesibus contenti fuerint, seu si parochus non contradixerit respectiuę, seu cum proportione illam applicando. Tum quia hoc est consentaneum ad vitanda dissidia, Tum quia est consentaneum ordinario iuri Episcoporum & Parochorum, ad quos ex officio pertinet munus prędicandi, vt de Episcopis habetur in *Concil. Trid. sess.24. cap.4. & in Concil. Carthag.4. cap.20. & Concil. Tolet.11. cap 2. & cap. Episcopus 88 distinct.* Et de Parochis idem habetur in Concil. Trid. loco citato, & expressiùs in *d.Clem. Dudum, & d.extrau. Inter cunctas*, & tradunt Innoc. & alij DD. in *cap. Excommunicamus* de Hęreticis. Hoc autem ius non derogatur expressè per illud priuilegium; ergo non fuit mens Pótificis illud auferre, sed saluo illo iure limitanda est concessio. Quia nihilominus etiam ex iure antiquo, vbi aduuisset licentia Episcopi, qui est Parochus vniuersalis totius Diœcesis, non erat necessaria alia licentia Parochi, immò inuito Parocho potuissent Regulares in Parochialibus Ecclesijs prædicare etiam ex priuilegio Minoribus concesso ab Alex. IV. & postea à Sixto IV. confirmato pro Carmelitis, vt videre est apud *Cæsarub. v. Prædicatores num.4. 12. & 14.* Nunc quia est necessaria licentia Episcopi, & hæc debet obtineri, hæc etiam sufficit, & tum de iure communi, quia Episcopus est supremus Parochus, cui non potest Parochus particularis resistere, tum ex vi dicti priuilegij possunt Regulares habentes ad id licẽtiam ab Episcopo in Ecclesijs Parochialibus nullo alio requisito Parochorum consensu, immò ipsis etiam inuitis conciones habere *Syluest. v. prædicare num.3. in fin.* Nec obstat quòd per *d. extrau. Inter cunctas* requiratur consensus Parochi, & ita quod non liceat prædicare in eorum Ecclesijs ipsis inuitis, nisi iussi à superioribus eorundem. Vnde videtur, quòd ad prędicandum ipsis inuitis non sufficiat licentia Episcopi, sed sit necessaria Episcopi iussio. Tum quia priuilegia pręsara posteriora derogant sufficienter & *Clem. Dudum*, & illi extrauag. Tum quia concessio Episcopi si sit absoluta, continet vim præcepti, quia contra reuerentiam Episcopo debitam esset, si quod concedit Episcopus negare vellet Parochus.

1042 Decretum verò Concilij vniuersale est respectu personarum, & ita quòd nedum Regulares subditi, sed etiam Prælati, siue locales, siue Prouinciales, siue Generales in Ecclesijs, quę non sunt suorum Ordinum non possint sine Episcopi licentia conciones habere. *Pasqualig. ad Lauret. p. p. num.627. Lezana v. Concionatores, num.9.* limitat autem vt non sit hoc necessarium in Abbatibus aut alijs habentibus territorium. Et hoc est verum respectu Ecclesiarum suarum Diœcesum, nam & illæ sunt Ecclesiæ suorum Ordinum, cum Prælati suorum Ordinum illarum habeant administrationem. *Tambur tom.2. de iure Abb. disp.11. quæst.2.* Sed respectu aliarum Ecclesiarum quę sub iurisdictione Episcopi inueniuntur est necessaria Episcopi licẽtia, ad hoc vt huiusmodi Abbates in illis prædicare valeant. Quod verò dictum est de Abbatibus respectu suarum Ecclesiarum, dicitur de Parochis Regularibus respectu earum Ecclesiarum, quarum sunt Parochi, non enim est necessaria licentia aut benedictio Episcopi, vt in eis prędicare valeant. Nam immò in terminis *Concil. Trid. sess.24. can.4.* Parochi id præstare debent, etiam diebus Quadragesimę quotidie, si id fieri possit, vnde ipsi a iure licentiam habent prędicandi. Hic tamen aduertendum est, quòd vbi in Ecclesia Regulari adsit etiam Parochia, ita tamen quòd in ea consuetudo est prędicandi per Prędicatores alios à Parocho & à superioribus deputatos, si contingat quòd superiores pro Quadragesima, vel Aduentu, vel per annum deputent Parochum, vel ipsum superiorem localem in Prędicatorem, poterit quidem superior vel Parochus prędicare sine licentia Episcopi. Non tamen sine benedictione; quia tunc prędicatio illa non est functio Parochialis, sed Religionis & per accidens est, quòd Prędicator deputatus sit ille qui est Parochus, & superior localis nisi sit approbatus ab Episcopo non potest se ingerere in Parochialibus functionibus, Et quatenus esset simul approbatus in Parochum, tamen vt dictum est non prędicat tunc vt Parochus, sed vt *Prædicator* deputatus à superioribus. Vnde debet iuxta infra dicenda obtinere ab Episcopo benedictionem.

1043 Hęc quoque licẽtia non est necesse, quòd detur per scripturam authenticam, vel in scriptis, sed quantùm ad forum conscientiæ sufficit, quòd detur per literas, vel etiam oretenus, Nam Concil. Trident. hanc formam dandi licentiam per acta Cancellarię Episcopalis, aut alterius Notarij non requirit, sed relinquit eam arbitrio Episcopi, qui propterea illam concedere poterit, prout voluerit. *Diana p.5. trac.14. ref.41. ex Reginal. Graff. & Nauar. Barbosa de off. Episc. p.2. all.25. num.22. & ad cap.15. sess.23. Concil. Trid. num.33. Barbastren. in Pastor. p.2. p.22. num.1. Lezana p.p. cap.19. nu.10. Bonac tom.1. disp.5. de Pœnit. quæst.7. p.4. §.1. numer.52. Bardan. t.1. resol.36. num.2.* & ita fuisse declaratum per Sacr. Congreg. 26. Nouemb. 1602. testatur *Sellius* apud dictum *Babastren quæst.23. num.10.* Nam & hoc probatur expressè ex *d. Clem. Dudum §. Verùm ne Parochiales*, ibi vniuersa priuilegia, gratias,

tias, Indulgentias verbo, vel scripto, sub quacumque forma, vel expressione &c. vbi *Gloss. lit. B.* probat idem ex *cap. institutioni 25. quæst. 2.* & latè idem probant *Sanchez l. 8. de matrim. disp. 29. nu. 2. Tamburin. tom. p. disp. 16. quæst. 2. num. 1.* & hoc est certum ex declarat. Sacr. Congreg. & Constitut. Innoc. X. in causa Angelopol. in 5. declarat. pro parte societatis. Et nihilominus valde consultum erit huiusmodi licentiam in scriptis authenticis dari, quia aliàs in foro externo non erit sufficiens probatio, si licentia ista per authenticam scripturam, & Cancellariæ similes patentes non habeatur, vt per allegata à *Sanchez d. disp. 29. num. 2. & Barbosa ad d. Clem. Dudum nu. 13. quæst. 2.* Addit verò *Barbastren. d. quæst. 23. num. 8.* quòd licentia huiusmodi etiam si data per simplices literas, vel oretenus, non expirat morte concedentis. Cum enim scriptura non sit de substantia gratiæ, ideo approbatio seu licentia ad Confessiones, aut ad prædicandum data oretenus sicuti est substãtialiter perfecta, sic id operatur, quod operaretur si in scriptis authenticis fuisset data. *Bonac. de Sacram. Pœnit. disp. 5. quæst. 7. p. 4. §. 1. num. 33. Lezana p. 1. cap. 19. num. 10.*

1044 Episcopus verò hanc licentiam negare non potest sine iusta causa. *Lezana v. Concionatores num. 6. in fine, ex Armendariz ad recopil. leg. Nauar. tit. 30. l. 3. de Prædicatoribus num. 8. & 9. Barbosa de off. Epis. all. 76. num. 21. Suarez d. cap. 1. nu 6. 7. & 8.* Sed contra hoc instari potest. Nam aliud est loqui de benedictione, de qua erit sermo in obseruat. sequenti; & aliud de licentia. Nam cum Regulares per nullum priuilegium habeant licentiam prædicandi in Ecclesijs Episcopo subiectis sine Episcopi, vel Rectorum consensu; Non habent quoque aliquod ius ad habendam licentiam in eis prædicandi; Ideo videtur, quòd hoc sit positum in libera potestate Episcoporum. Et licet, vt supra dicebatur de approbatione ad Confessiones Episcopus vt dispensator mysteriorum Dei non possit nisi ex vtilitatis Ecclesiasticæ intuitu negare hanc licentiam, vel concedere, & sic ex lege fidelitatis sui officij non potest nisi cum causa licentiam prædicandi in suis Ecclesijs concedere vel negare. Tamen si neget, non videtur facere contra ius Regularium, nec facere iniuriam alicui priuilegio illis concesso. Sed bene in oppositum considerat Suarez vbi supra, quòd licet priuilegium Pauli III. habeat implicitam conditionem de consensu Episcopi, vel Parochorum, tamen quia absolutè dat facultatem prædicandi in quibuscumque Ecclesijs, dat ius prædicandi in illis, & quàmuis hoc ius sit conditionatum, vt Episcopo debita reddatur reuerentia, tamen mens Pontificis est, quòd eius priuilegium, & concessio non impediatur nisi ex iusta, & rationabili causa, & sic priuilegium absolutè concessum dat ius Regularibus, & implicitè non continet nisi conditionem vt ex arbitrio boni viri ponendam, & ideo non nisi ex iusta causa negandam. Quod confirmatur, quia aliter priuilegium nihil operaretur, neque aliquam gratiam concederet: Nam aliàs de consensu Episcopi, vt ex libera iurisdictione concedendo possunt Regulares sine Papæ priuilegio in Ecclesijs Episcopi prædicare. Et ita, quòd si Episcopis præsentatus fuerit Regularis idoneus pro concionibus habendis, non sit ei neganda licentia, & quòd non possint ad libitum sine causa suspendere Regularem à prædicatione, tanquam decisum à Sacr. Congreg. Concil. asserunt. *Armendarez in addit. ad Eg. Nauar. l. 4. tit. 30. l. 3. num. 8. Barbos. de off. Epis. alleg. 76. numer. 22. Lezana v. Concionatori num. 6.* quos sequitur *Pasqualig. ad Laeres. de Franchis p. p. nu. 584.* An verò Episcopus teneatur reddere causam quãdo aliquem suspendit à Concionibus. *Pasqual. ibid. numer. 585.* fatetur non teneri, quando Regularis conciones habet in Ecclesijs, quæ non sunt sui Ordinis, quia tunc est necessaria licentia Episcopi, quam ipse potest reuocare. Negat verò Episcopum prædicantem in Ecclesia sui Ordinis posse suspendere à prædicatione non reddita causa. Verùm Pasqual. supponit, quòd Regularis in propria Ecclesia possit prædicare etiam contradicẽte Episcopo, quod tamen vt infra ostenditur, non est conforme decretis *Concil. Trid. sess. 24. cap. 4.* & decretis Pontificum Gregor. XV. & Innoc. X. Quamobrẽ dicitur, quòd in his Episcopus non tenetur reddere causam nisi suis superioribus, vt tanquam decisum à Sacr. Congr. Concil. docuerunt. *Leo in Thes. cap. 8. num. 9. Piasec. p. 2. cap. 3. nu. 41. Antonel. de Regim. Eccles. l. 7. cap. 13. n. 6. Campanil. rubr. 13. cap. 12. num. 8.* & constat ex Constit. Vrban. VIII. ad Epis. Gienen. supra relata num. 157.

1045 Episcopo verò hanc licentiam negante minimè licet Regularibus in Ecclesijs Episcopi prædicare, etiam si iniustè neget, tum primò, quia vt supra de approbatione Cõfessorum dictum fuit, hoc ad praxim minimè expediret, potiùs enim scandalum generaret, quam ex tali prædicatione fructus oriri posset. Tum quia difficile constaret de iniustitia adeo euidenter, vt persona licet aliàs idonea posset in bona conscientia prædicare. Tum quia Concilium, immò & priuilegium Greg. XV. & alia iura Pontificum posteriora petunt licentiam Episcopi, vt obtentam; vnde quacumque causa non sit obtenta, non est impleta conditio necessaria, vt liceat, vti tali facultate. *Suarez d. cap. 1, num. 9.* Vbi bene subiungit, hæc intelligenda de locis subiectis Episcopis; Nam vbi non sunt Episcopi, nec Parochi, non est necesse, vel petere, vel obtinere Episcoporum, aut Parochorum licentiam quantùm sit ex vi Clem. *Dudum*, aut, Concil. Trident.

1046 Dubitant etiam *Syluest. v. prædicatio nu. 5.* & *Tabien. num. 6.* an prædicans sine licentia teneatur restituere bona sibi oblata, & acquisita. Et ex Zabarella bene respondet, quòd præscindendo à fictione, & ab alia causa iniustitiam continente, ex hoc præcisè, quod prædicet sine licentia, non tenetur restituere, quia nec turpiter acquisiuit à volentibus gratis dare. *Lezana v. Concionator numer. 10.* Quod verò *Gloss. in cap Addicimus 26. quæst. 1.* dicat hunc prædicatorem teneri ad restitutionem explicat Tabien. vt id sit verum de falsis prædicatoribus.

1047 Tandem circa huiusmodi punctum, considerandum est, an ex quo Regulares non possunt confessiones audire, sine Episcoporum approbatione, nec prædicare sine eorum licentia, aut saltem benedictione, dicendum sit, quòd sint delegati Episcoporum. Affirmat enim Barbastrensis Episcopus in Pastorali *par. 2. q. 11. num. 11.* vt ex hoc concludat, quòd Regulares teneantur Episcopis exhibere licentiam audiendi Confessiones, aut habendi

bendi conciones. Et probat hoc *quaest.9.num.*10. ex Nicephoro apud Baronium ad annum 56.num.36. dicente, quòd iam ab antiquo Episcopi pertæsi laboris functionem absoluendi delegarunt Monachis Sacerdotibus. Sed certè nec assumptum, nec consequentia ab eo deducta subsistit. Non quidem assumptum innititur rationi; quia eius delegatus est delegatus, à quo accipit iurisdictionem, & potestatem agendi, vt à causa efficiente, & principali eandem iurisdictionem communicante. Nam & eò dicitur delegatus, quia delegatam, & sibi commissam iurisdictionem habet. At verò vt probatum est supra numer. 198. & est euidens ex priuilegijs Regularium tam supra à nu. 132. quam in hac inspectione citat. Regulares à Summo Pont. iurisdictionem habent, & facultatem audiendi cõfessiones, & prædicandi, approbatio verò, aut licentia, seu benedictio Episcoporum est sola conditio necessaria ad hoc, vt Regulares ea iurisdictione vti possint, vel eam obtineant. Sunt igitur Delegati Papæ, non verò Episcoporum, licet sint Episcoporum coadiutores ministri à Papa deputati, vt in animarum cura Episcopos subleuent à labore eamunera exercendo. Quòd si essent Episcoporum delegati, non per hoc sequeretur, quòd tenerentur exhibere licentias Episcopis, quia non est opus, quòd Delegatus ostendat literas delegationis superiori deleganti, qui bene eorum notitiam habet, cum sint ab eo datæ. Sed immò è contra necessitas præsentandi hae literas ex eo sequitur, quòd Regulares cum sint Delegati Papæ ad operandum intra Diœcesim Episcoporum, iustum est, vt literas suæ delegationis exhibeant Episcopis, quia delegatus non potest procedere, nisi exhibitis literis suæ delegationis, vt habetur ex text. in *cap. Cum in iure* 31. de iure delegati, & per DD. quos ibi refert *Barbosa num.*2. Quod verò ex Nicephoro, & Baronio adductum fuit, verum est, quia Monachi illi tunc erant Episcopis subiecti, & ab eis recipiebant iurisdictionem absoluendi, vnde erant etiam Episcop. Delegati. Quod modo locum non habet, cum Regulares exempti a iurisdictione Episcoporum non ab eis, sed a Pontifice huiusmodi iurisdictionem consequantur.

1048 Concludendum autem est, Regularibus necessariam esse benedictionem, & licentiam Episcoporum ad hoc, vt in Episcoporum Ecclesijs prædicent, eosque si sine huiusmodi licentia officium Prædicatoris exerceant peccare mortaliter, vt ex *Caiet. & Nauar.* tradit *Pax Iordan l.6.tit.1. num.*33. *& Bassaus v. Prædicator num.*4. Sed & possunt excommunicari iuxta disposit. *cap. Excommunicamus, §. Quia verò de haret. Anton. à Spirit. sancto tract.*2. *disp.3.num.*222. Sufficeret verò ad euitandum peccatum, & pœnas licentia Legati à Latere intra suã Prouinciam. Quod affirmo non tam priuilegio Clement. IV. pro Minoribus, quod habetur supra numer. 124. per quod conceditur, quòd habentes licentiam prædicandi a Legatis non teneantur interiorum Prælatorum requirere licentiam, quàm quia Legati à Latere in suis Prouincijs in huiusmodi habent ad id auctoritatem, & facultatem: Regulares verò habentes ab vno legitimo superiore licentiam prædicandi non teneutur ab alio petere.

SVMMARIVM.

1 *Ad prædicandum in eorum Ecclesijs Regulares indigent Episcopi benedictione. nu.*1049.
2 *Qualiter eam petere debent. nu.*1049.
3 *Sufficit benedictio petita licet non obtenta quantum sit ex vi decreti sess. 5. cap. 2. Concil. Trident. num.*1050.
4 *Sufficit benedictio semel petita. nu.*1051.
5 *Episcopo se occultante, sufficit moralis diligentia ad eum inueniendum. nu.*1051.
6 *Episcopus non potest cogere Regulares ad accipiendum in suis Ecclesijs concionatorem alterius Ordinis. nu.*1052.
7 *An Episcopus possit in Ecclesijs Regularium prædicare. nu.*1053.
8 *Quæ Episcopus possit facere in Ecclesijs exemptis. num.*1053.

OBSERVATIO TERTIA.

1049 CONcilium *Trident. d. sess.5. cap.2.* distinguit inter Ecclesias Regulares & non Regulares, & cum ad prædicandum in Ecclesiis, quæ non sunt suorum Ordinum præcipiat, quòd Regulares in eis non prædicent nisi se præsentent Episcopis, & ab eis benedictionem, & licentiam obtineant, ad hoc vt in proprijs Ecclesijs prædicent non mandat haberi licentiam, sed solùm benedictionem. Duo ergo sunt necessaria Regularibus vt prædicent in proprijs Ecclesijs. Primum quòd se præsentent coram Episcopo, de quo dictũ est in obseruatione superiori num. Et hic addi potest, quòd de decentia necesse est vt Regularis domum Episcopi adeat. Verùm simpliciter sufficit, quòd se præsentet coram Episcopo vbicumque ille fuerit. In quo tamen cauere debet, ne sic operetur, vt irreuerentiam aliquam ostendat, ne Episcopus conqueri possit. Secundum quod requiritur est benedictio. Obiter tamen aduertendum, quòd non per hoc Ordinarius potest se intromittere circa habitum concionatorum quo vtuntur in concionando, nec præcipere quòd non vtantur stola, *arg. cap. Dnt, qui Ecclesiam, de vit. & honest. Cleric. Cespedes cap.10.dub.206.num.1. Pasqual. ad Lauretum p p. nu.*644. Non enim hoc est Episcopis concessum, & aliàs Regulares ab eius iurisdictione sunt exempti.

1050 Sed considerandum est, quòd quantùm fit ex vi decreti Concilij in *d. sess 5. cap.2.* non est necesse obtinere benedictionem, sed sufficit illam petere, ita quòd ad hoc vt Regularis possit in proprijs Ecclesijs prædicare sufficit benedictio petita licet non obtenta, quoniam Concilium iubet, quòd benedictio petatur, non verò quòd obtineatur. *Cespedes cap.10.dub.100.num.3. Lezana p p. cap.20. num.2. & 3. & p.2.cap.1.num.17. & v. Concionator num.7. Barbosa ad d.cap.2.sess.5. Concil. Trid. nu.18. & alleg.76. de off. Episc. num.*21. *Bassæus v. Prædicator num.3. Peyr. ad const.7. Pij Quinti num.7. Anton. à Spir. Sancto tr.2. disp.3. num.*143. *Pasqualig. ad Lauret. de Franchis num.3. & num.*557. Et hoc quidem sine dubio procedit spectato solo decreto *Concil. Trid. in d. cap.2.* Et hoc habetur expressè statutum ab Vrb. VIII. in Breui ad Episc. Gienen. supra num.

relato

relato. Quod in hac parte non esse limitatum ad Diœcesim Gienen. aduertit *Pasqualig d. num. 3.* cum declaret ius commune, vnde habet tantam extensionem, quantam habet ius declaratum: cum declaratio non inducat nouum ius, sed quid statutum sit ostendat. *l. lesso toto. ff. de hæred. instit. & l. hæredes palam §. si quid post ff. de testamen. & Clem. 1. de Iurepatronat.* & tradunt communiter *DD. cum Gloss. in cap. Cum te, de Vener. & in cap. Per tuas, ver. de nouo, de Donat.* Verùm quid dicendum sit spectato alio decreto *Conc. Trid. sess. 24. cap. 4.* infra est examinandum.

1051 Sed quid dicendum si Episcopus, vel eius Vicarius benedictionem malitiosè negent & ideo dissimulent, vel se occultent. Tunc esse recurrendum ad superiorem si commodè possit, secus Regulares prædicare posse per priuilegium *d. Clem. Dudum in §. si verò*, dixit *Peyr tom. 3. ad const. Sixti IV. cap. 2. num. 13.* sed nec *d. Clem. in §. si verò* loquitur de Prædicatoribus, sed de Confessoribus. Nec ex vi d. Clem. tenentur Regulares ad petendam benedictionem Episcopi. Ex vi verò Concil. Tridentini sufficit quòd eandem benedictionem petant, & ita quòd vt declarauit Vrbanus Octauus sufficiat petere illam, etiam si non obtineatur. Vnde nec ad rem adducitur doctrina *Panorm. in d. Clem. num. 25.* vbi vult, quòd licentia tribus vicibus ab Episcopo sit petenda, quod & notauit *Nauar. in sum. Hisp. cap. 27. 263.* quia ibi Panormitanus loquitur de licentia requisita ad confessiones audiendas, & potest habere locum illa doctrina vbi necessaria est licentia nedum petita sed obtenta, sed vbi sufficit petere non est necesse petitiones multiplicare, sed sufficit semel petijsse. Si verò Episcopus se occultat, tunc quidem opus erit pluries eum quærere, & procurare per moralem diligentiam vt inueniatur, & vti etiam nuncio, aut literis. Sed facta morali diligentia, si Episcopus non sinat se inueniri, debebit Prædicator sic agere vt suam diligentiam in foro externo possit probare, & postea poterit prædicare, seruato tamen quod infra adiungitur ex *cap. 4. sess. 24. Concil. Trid.*

1052 Ex quo verò hic loquimur de concionibus habendis in proprijs Regularium Ecclesiis, obiter aduertendum est, quòd *Venerus Leyua in exam. Epis. l. 6. cap. 9.* existimauit posse Episcopum cogere Regulares ad admittendum in proprijs Ecclesijs concionatorem non sui Ordinis, sed alterios. Sed hoc improbabiliter, & sine vllo prorsus fundamento fuit assertum. Cum Ecclesiæ Regularium sint exemptæ ab Episcopi iurisdictione. Et ideo placitum Leyuæ à se relatum meritò reijcit. *Cespedes cap. 10. dub. 199. nu. 4.* Vbi tamen esset consuetudo, quòd concio haberetur in Ecclesia alicuius Ordinis, Prædicatorem cuiuscumque Ordinis eligente vel populo, vel Episcopo; possent Regulares compelli ad consuetudinis obseruantiam.

1053 An verò ipse Episcopus possit si velit conciones habere in Regularium Ecclesiis, aliquos dubitasse, quia hic sit actus honoris refert *Diana p. 3. trac. 2. resol. 109.* sed affirmat *Reuerend. Fagnanus cap. quia nos de auth. & vsu palij num. 13. & sequent.* Et quia hoc sit comprehensum in facultate celebrandi solemniter in Ecclesiis, quæ sunt intra diœcesim concessa Episcopis, idem sentit *Tragurien. l. 6. tit. 2. num. 13.* referens ex *Barbos. in* Collect. Bullar. declar. Sacr. Congreg. Negat verò *Peyr. ad Constit. 26. Leon. X. num. 47. ex Card. in Clem. Archiepisc. de priuileg. §. si autem num. 2. & 3.* Nam priuilegiatis non præiudicatur in suo priuilegio nisi quatenus exprimitur, & priuilegiatus in aliquo non potest ad aliud extendere suum priuilegium. Et addit, quod si concedatur Episcopo vt prædicet, non per hoc poterit indulgentias concedere. *Diana loco cit. & Cespedes dub. 200. num. 4.* nec affirmant, nec negant *Pasqualig.* autem *ad Lauretum p. p. num. 632.* absolutè negat cum Peyrino, & se fundat in priuilegio exemptionis Ecclesiarum Regularium, vnde cum prædicare sit actus superioritatis, non potest exerceri ab Episcopis in Ecclesiis Regularium ipsis inuitis. Ad declarationem verò Sacr. Congreg. citatam ex Barbosa respondet, quòd cum liber Collect. Bullarum Barbos. fuerit prohibitus tanquam continens declarationes falsas, eius non est habenda ratio. Verum cum Barbosa in summa Bullarum (qui liber nõ est prohibitus) eandẽ referat declarationẽ vt datam die 17. Ianuarij 1594. cuius etiam meminit *Lezana v. concionare. n. 3.* ei credendum, & standum puto. Hoc quoque ex *Peyrin. num. 45. & Dian. ibid.* compertum est, quod ad Regulares pertinet, vt reuerenter excipiãt Episcopos quando ad celebrandum in eorum Ecclesijs venerint. Et quod Episcopi in ecclesijs Mẽdicantium possunt diuina officia priuatim, & publicè audire, & ea etiam in Pontificalibus ibidem celebrare, & solemniter ibidem benedicere populo per illa verba. *Sit nomen Domini benedictum &c.* & ibidem tacere coram se celebrari sed sine pontificalibus, vt habetur *d. Clem. Archiepiscopo. De priuileg.* Non possunt tamen in dictis Mendicantium Ecclesiis ea quæ sunt iurisdictionis exercere, vt Chrismare, Ordinare, degradare vt ex *d. Clem. §. si tamen*, vbi expresse *Gloss. v. etiam celebrare. Card. num. 2. & 3. Fagnan. d. cap. Quia nos. nu. 17. Barbosa ad d. Clem. vbi nu. 4. ex Rota dec. 145. num. 1. p. 2. diuers. Nauar. & Gonzalez*, quòd non potest Episcopus in loco exempto sedere pro tribunali, possunt verò Episcopi in Ecclesijs Mendicantium baldachino vti, & contradicentes pœnis & censuris compellere per decretum Sacr. Congreg. datum Romæ die 10. Iunij 1603. quod referunt *Quaranta v. priuilegia Regularium, Piasec. p. 2. c. 3. praxis. & Peyrin. vbi sup.* Expresse tamen in d. Clem. explicatur, quòd alia iurisdictio Episcopo non acquiratur. *Sic tamen*, inquit, *quod prætextu concessionis huiusmodi in locis ipsis exemptis, vel circa hoc priuilegiatis nullam aliam iurisdictionem idem Archiepiscopus, vel Episcopus exerceat, nec personis exemptis, aut priuilegiatis molestiam inferat, vel grauamen, nullumque exemptioni, vel priuilegijs eorundem aliud præiudicium generetur, nec ipsis Archiepiscopo, vel Episcopo ius aliud quomodolibet acquiratur.*

SVMMARIVM.

1 *An Episcopus possit examinare concionatores, numer. 1054.*

2 *Vbi est consuetudo, vt concionatores examinentur est seruanda. nu. 1055.*

Non

3 *Non est necesse concionatores examinari, numer. 5055.*

4 *Possunt examinari etiam magistri.nu.1055.*

5 *Non est praxis neque necessarium exigere à Concionatoribus professionem fidei.nu.1056.*

6 *Posset tamen exigi. nu.1056.*

7 *Regulares non indigent benedictione, vt prædicent Monialibus.nu.1057.*

8 *Neque vt habeant sermones ad confraternitates. num.1057.*

9 *In vi cap.Excommunicamus de Hæret.concio non excusatur ex eius paruitate, nisi sit paruissima. num.1058.*

10 *In vi Concilij Tridentini prohibita est concio, quæ habetur in Ecclesia cum solemnitate, & non comprehendit sermones breues.nu.1058.*

11 *Neque lectionem sacræ Scripturæ.nu.1059.*

12 *Neque sermones habitos extra Ecclesiã in plateis. num.1060.*

13 *Ad prædicandum in quocumque tempore necessaria est benedictio Episcopi.nu.1061.*

14 *An priuilegium Societat.vt itinerantes de licentia Parochorum possint prædicare, sit reuocatum. num.1062.*

15 *Non sufficit habuisse ab Episcopo licentiam, & benedictionem nu.1063.*

OBSERVATIO QVARTA.

1054 CONsiderandum est etiam, & inspiciendum, quanta sit vniuersalitas præfati decreti, & ad quas actiones tam ex parte Episcopi, quàm ex parte Regularium, se extendat. Etenim ad Episcopum pertinet dare licentiam prædicandi in Ecclesiis, quæ Regularium Ordinum non sunt, & tribuere benedictionem omnibus in quacumque Ecclesia prædicantibus: sed dubium est an adhuc effectum possit Regulares de literarum sufficientia examinare. De illis qui prædicaturi sunt in Ecclesijs non suorum Ord. affirmant *Lezana v. Concionatores num.7. Barbosa in summ.Apos.num.3.& ad cap.2. sess.5.Concil.Trident.num.20. Pax Iordan.l.6. titul.1. num.28.* Negant verò *Campanil.rubr.12. cap 13.* & ex eo *Cespedes cap.10. quæst.194. Bassæus v.Prædicator num.7. Anton.à Spir.sancto d.disp.3. numer.151. Pasqualig.ad Laur.de Franchis p.p.num.577.* id probantes ex eo, quòd Leo X. in Concil. Later.sess.11. hoc examen commisit Regularium Prælatis, & Concil. Trident. hoc idem habet sess.5. c.2. Vnde contra exemptionem Regularium est, quòd ab Episcopo subijciantur nouo examini. *Valerus autem Leyua in exam.lib.6.cap.9.* apud *Cespedem*, vbi supra vlteriùs existimat, quòd Episcopus, nec potest approbare sine examine. Et mouetur, tum quia Pontifex solet semper examinare quos promouet ad Episcopatum, tum ne detur occasio, quod alius indoctus petat admitti sine examine.

1055 In hac parte constat alicubi praxim esse, quòd Prædicatores, pro quibus requiritur licentia Episcopi vt prædicent, ab Episcopis examinentur, & approbentur. De qua consuetudine testantur *Rodriq.Miranda, & Homobonus* apud *Cespedem* vbi supra *Campanilis, Bassæus*, & alij. Vnde vbi hæc consuetudo legitimè præscripta adsit, sine dubio est obseruanda. Præcisa verò consuetudine consideratur, quòd ex vi Concil. Lateranen. sub Leone X. & Concil.Trident. debent Prædicatores examinari & approbari ab eorum Prælatis, nullibi vero legitur, quòd Episcopis sit concessum, aut commissum, quòd examinent Prædicatores. Solùm Barbosa adducit declarationem Congreg.Concilij in Vgentina 22.Ianuarij 1622. quæ si extat dirimit litem. Nam & ex quo ad Episcopum spectat dare licentiam etiam ex natura rei per consequentiam deduci potest, quod possit etiam examinare, nec teneatur stare approbationi Prælatorum Regularium, vt possit ipse scire quantùm valeat ille cui licentiã prædicandi cõcedere debet & ex parte sua prudenter agere, & ex propria notitia deliberare. Vnde est etiam, quòd Regularibus non expedit in his contendere, vel resistere Episcopis, cum resistentia etiam ad nihil valeat. Vbi enim Episcopus examinare velit, si Regulares nolint examen subire, illo negante licentiam prædicandi, non deerunt alij, qui examen subeant, vt licentiam obtineant. Quod verò Leyua dicit Episcopum non posse dare licentiam prædicandi, nisi Prædicatores examinet, ex eo ostenditur non subsistere, quòd examen, neque est necessarium ad approbandum ad Confessiones, vt patet ex Concil.Trident.sess.23.cap.15. Et quod dicitur de Pontifice examinante ad Episcopatum, nec est simile, quia altiùs longè ministerium est Episcopatus, quàm sola prædicatio. Et ad prædicandum supponuntur examinati, & approbati à suis superioribus ij, quibus Episcopus concessurus est facultatem prædicandi, & nec ad Episcopatum sic est necessarium examen, vt sine illo non possit Pontifex tuta conscientia promouere eum, quem aliunde cognoscit esse idoneum. Episcopus verò non per hoc dat occasionem indoctis prætendendi licentiam sine examine: aliter si hoc valeret, non possent Episcopi vni, & non alteri concedere gratias, & omnes omnino tam docti, quàm indocti æqualiter tractari deberent; quod est de se maximè inæquale, & iniustum, & superiores ex iustitiæ distributiuæ ratione, & officij eorum fidelitate talem animi fortitudinem habere debent, vt inæquales inæqualiter tractare possint, & temerariorum iniustas prætensiones nihili facere, & coercere. Quod verò *Bass.num.8.* iudicauit Magistros non egere examine, ex Constit. Pij Quinti, *Et si Mendicantium*, inde reijcitur quod quantum ad hanc partem idem Pius Quintus eam constitut. reuocauit in sua Const.133. vbi decreuit etiam Magistros, & Graduatos posse ab Episcopis examinari, vt approbentur. Vnde in arbitrio Episcoporum est, vt examinentur etiam Magistri, vbi alias est vsus, quod Prædicatores ab Episcopis examinentur. Modum verò huius examinis ex *Homobon.* ponit *Cespedes dub.194. num.5.* & consistit in hoc, quod Prædicatores examinentur in communi circa ea, quæ spectant ad officium Prædicatoris.

1056 Dubium etiam est an Episcopi à Prædicatoribus exigere valeant fidei professionem. Nam Episcopos non debere grauare Regulares ad hanc fidei professionem emittendam dixit *Cespedes dub. 195.num.3.* Et hoc idem praxi esse receptum testatur *Lezana v.Concionator num.8.* E contra verò posse Episcopos ex illam exquirere, & si non emittatur licentiam negare asseruit *Franciscus Leo in Thesaur. p.1.* de verbi Dei prædicatione *cap.8. & nu.9.* & post eum ex *Vulpe Barbosa ad d.cap.2.sess.5.Concil.Trid.*

cil.Trid.num.17.& d.alleg.76.num.33. Diana p. 71. tract.12.resol.24. & apud eum *Gauant. & Nouar. Pax Iordan.l.6.tit.1.1. num.59.* vbi quòd hoc fieri possit saltem prima vice. *Pasqualig.* autem *ad Lauretum de Franchis p.p.num.574.* arbitratur Episcopum non semper, sed aliquando, nimirum quando in ordine ad conseruationem fidei id expedire videbitur, posse hanc fidei professionem exigere, Vnde nisi adsit fundamentum exercendæ iurisdictionis circa res fidei, non poterunt hanc professionem exigere, cum solùm possint illam exigere virtute huius iurisdictionis. Verùm considerata Constitut. Pij Quarti 88.in §.2.posset colligi, quòd non sit præter rationem hanc professionem exigere ante officium Prædicationis, cum Prædicatores verbum Dei profiteantur, & illud doceant, & maximè cauendum sit ne media prædicatione errores disseminentur. In praxi tamen non exquiritur, vt Lezana testatur. Nam neque est necessarium; Quoniam Prædicatores Catholicè enutriti sunt, & quatenus aliquid à fide alienum prædicare vellent; hoc esset tam publicum, vt statim ad aures superiorum deueniret, & coerceretur de facili eius malitia, ipseque per fidei ministros puniretur. Et aliàs sub Constitut. Pij quarti non tam clarè comprehenditur actualis prædicatio, vt ea vi illius dicendum sit professionem fidei præmittendam esse quoties alicui officium prædicationis demandatur; Quoniam Pius Quartus loquitur de Lectoribus, & Doctoribus, non verò de Prædicatoribus, vnde solùm ex quadam identitate rationis potest colligi, quòd Prædicatoribus etiam competat hoc onus. Sed nõ valet ad hoc vt illi censeantur comprehensi sub illa Constitut. sed bene quantùm ad vim directiuam, vt ex ea superiores dirigere se possint, & dispositionem illam extendere etiam de facto, vbi sibi videatur id expedire. Quamobrem ego in hac parte existimo, quòd concionatores ex vi Constitut. Pij Quarti non teneantur ad emittendam fidei professionem, & nihilominùs, quòd Episcopi hanc possint exigere, si eis videbitur expedire, vt tanquam declaratum à Sacr. Congreg. dixerant *Vulpe, & Lucerna Regularium v. fidei professio num.3. & Pasqual. vbi sup.* Et tota hæc determinatio est conformis declarationi Sacr. Congreg. Concil. in vna Brugnaten Apud *Nicolium in decret.lib.1.tit.1.n.11. §.6.* in qua dictum fuit, Regulares prædicare volentes non teneri emittere professionem, nisi ab Episcopo exigatur. Nam & ad hanc exigendam non alia requiritur in Episcopis iurisdictio, nisi quam habent ex eo, quòd sine eorum licentia Regulares prædicare non possunt.

1057 Opportunũ modò est recolere hic, quæ dicta sunt supra circa diffinitionem prædicationis nam cum verba decreti Concil. Trident. sint in sensu proprio accipienda de prædicatione propriè dicta, hinc sequitur primò, quòd Regulares nec licentia nec benedictione indigent ad hoc vt prædicent monialibus suæ curæ commissis. *Cespedes dub.196. Anton.a Spir.S.tract.2.disp 3.num.146. Pasqual.ad Laurtium p.p. num.625.* Cuius ratio est duplex. Prima quia huiusmodi Ecclesiæ seu monasteria sunt suorum Ordinum, & ideo ad prædicandum in illis ad minus non requiritur licentia Episcopi. Secundò quia loqui verbum Dei monialibus non est propriè prædicare, cum non sit loqui verbum Dei toti Ecclesiæ, sed solùm mulieribus illis, & maximè cum hoc fiat aliàs ianuis Ecclesiarum clausis, vel in locutorio, tunc cum nullus alius permittitur intrare, vnde hoc modo prædicare monialibus est priuatim proponere verbum Dei aliquibus tantùm. Sic ergo & praxis habet, vt superiores Regulares mittant ad prædicãdum suis monialibus quos idoneos iudicant minimè licentia, vel benedictione Episcoporum requisita. Limitat hoc *Cespedes* & ex eo *Pasqualig.* dummodò fores sint clausæ. Sed hoc non est necessarium, dummodò aliàs ad concionem non congregetur tota Ecclesia, scilicet Clerus, & populus. Vnde si in Ecclesia exteriori pulsata ad Concionem campana, vt quilibet posset conuenire, haberetur concio, illa esset prædicatio propriè, et non posset haberi nisi petita benedictione Episcopi, vel etiam respectiuè eius licentia, si moniales essent sub eius cura. Eiusdem rationis sunt sermones qui habentur intra Ecclesias confraternitatum laicorum, aut in eorum oratorijs ad eorumdem deuotionem excitandam, dum priuatim & non conuocatis alijs apud eos habentur. *Cespedes vbi supra nu.8.* Huiusmodi enim sermones priuati sunt, & quos possent habere fraternaliter inter se laici ipsi, & ideo non comprehenduntur sub decreto Concil. Tridentini.

1058 Pariter secundò excipitur paruus sermo per breue tempus, vt per quadrantem horæ habitus ad altare. *Lezana p.p. cap.20. num.* vbi dat exemplum de quibusdam paruis sermonibus, qui in Dominicis diebus post vesperas fiunt in monasterio Carmelitarum. Quoniam huiusmodi non sunt propriè prædicationes, & ita sentit etiam *Cespedes dub.196.num.9.* Sed cum non dubitem etiam in hac parte dari paruitatem materiæ, tamen substantia prædicationis non dependet à quantitate temporis vt bene aduertit etiam *Pasqualig. d. numer.625.* Puto itaque considerandum, quòd aliud est loqui in terminis *cap. excommunicamus* de hæreticis, & in terminis Concil. Trid. ibi enim prohibitũ est assumere officium predicationis etiam in priuato. Vnde est, quòd vbicumque conuocetur Ecclesia tota, scilicet Clerus, & populus, & proponatur verbum Dei absolutè, & vniuersaliter, seu prædicetur Euangeliũ Christi, siue hoc fiat de manè, vel de vespere, siue cum solemnitate, siue sine solemnitate, siue per longum tempus, siue per breue, casus sub ea Decretali comprehenditur, & à culpa graui non excusatur, nisi ex vera leuitate materiæ, quæ vbi aliàs materia prædicationis esset contra fidem, aut bonos mores minimè haberet locum. Arbitratur verò *Syluest. v.prædicatio nu.p. fin.* quòd sub ea decretali comprehendantur prædicationes occultæ etiam si ex intentione generales, & multò fortiùs si non sint generales, modò retineant consuetam formam prædicandi. Sed considerandum est, quòd hæc est essentia prædicationis vt sit generalis ex obiecto & materia in qua nimirũ à prædicatore tractetur res fidei & morum vt est commune, & generale bonum, & quatenus propterea sic eam tractare est munus publici officij. Quòd verò actu prædicatorem audiant solùm aliqui viri vel mulieres, seu vnum genus personarum per accidens iudicatur a dicta decretali, cum per se sermo sit generalis, & vt generalis proponatur.

In ea

In ea verò decretali mandatur excommunicari, qui præsumit vsurpare officium prædicationis; etiam in occulto; talis verò est quicumque Euangelium Christi vt bonum commune anuunciat: quia sic est proprium Prælatorum illud proponere, & prædicare. Sed Regulares habent priuilegia posteriora illi Decretali prædicandi priuatim, & publicè vbicumque vnde Regulares sub decreto illius Decretalis non comprehenduntur, nisi pro quanto eorum priuilegia sint reuocata. Sed Concil. Trident. loquitur expresè de prædicatione, quæ fit publicè in Ecclesijs, *Pasqualig. d. num. 625.* ideoque loquitur de prædicatione solemni, quæ fit in suggestu sumpto themate inuocato Spiritu Sancto, & implorato Deiparæ auxilio, vel saltem quæ tantum durat, quòd communiter dicitur prædicatio. Ideo sermones breues, qui ad quadrantem horæ habentur post vesperas, sicut iuxta communem sensum loquentium non sunt prædicationes sic in terminis Concilij Tridentini; vnde Regulares etiam ex consuetudine, quæ sic decretum Concilij Tridentini interpretata est, si sint à suis Prælatis deputati hos sermones paruos vel de manè, vel de vesperi habere possunt. Maximè in ea occasione cum in eorũ Ecclesijs exponitur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Similiter sermones breues, qui intra missam habentur, non sunt propriè conciones, sed potiùs dicendæ sunt exhortationes etenim vt habetur ex *Passerino de off. Curati cap. 3. num. 4. Suarez d. 1. num. 31.* nomine exhortationis venit sermo, qui extra pulpitum aut locum solitum pro concionibus habetur sine solemnitatibus ad concionandum haberi solitis. Quàmuis considerari debeat, quòd etiam in altari inter missarum solemnia solemnis concio haberi solet, sed tamen nomine concionis non venit sermo paruus exhortatorius solemnitatibus concionis exutus. Et licet *Pasqual. d. nu. 625.* hoc limitet vbi sermo paruus sit de materia graui, & dogmatica, considerari debet quòd omne verbum Dei est de materia graui, quia & materia morum est grauis, sed huiusmodi sermones parui etiam si sint de materia graui ex vsu non habentur vt conciones, tum ratione breuitatis, tum ratione priuationis solemnitatum.

1059 Ex materia etiam sermones deficiunt à ratione prædicationis; hinc datur tertia exceptio, vt sub nomine prædicationis non veniat sermo spiritualis ordinatus vel merè & purè ad docendum. Sic enim in Ciuitatibus Lombardiæ, & in mea Lombardiæ vtriusque Prouincia vsus erat, vt in nostris Ecclesijs post Vesperas haberetur lectio sacræ scripturæ: quo munere ego quoque pluries functus sum. Huiusmodi enim sermonis genus non est declamatorium, sed expositorium & post explicationem moralem alicuius textus scripturæ proponitur vnus conscientiæ casus, & resoluitur. Et ideo hic sermo lectio est, non prædicatio. Nec pro eo habendo petebatur Episcopi benedictio. Nunc hic modus legendi sacram scripturam in dissuetudinem venit. Et loco eius successit publica Rosarij recitatio. Quæ tamen non est sine aliquo sermone, sed & hic sermo, nedum ratione solemnitatum quæ ad prædicationem spectant, non est prædicatio: sed ratione materiæ limitatæ, quoniam non est nisi adiutorium Orationi Rosarij deuotè recitandæ, vnde est propositio verbi Dei secundùm quid, & ex parte, & ad finem particularem & determinatum ideo valde deficit à ratione propriæ prædicationis, nec sub decreto Concilij Tridentini comprehenditur.

1060 Quartò excipiuntur sermones, vel etiam prædicationes, quæ habentur extra Ecclesias vbicumque habeantur vel in domibus, vel in vijs, vel in plateis. Ad huiusmodi enim prædicationes non esse Regularibus necessariam licentiam, aut Benedictionem Episcoporum dixerunt *Lezana p. p. c. 26. num. 5. Anton. à Spir. Sancto vbi sup. num. 147. Aluiset in Marennla sec. 3. cap. 22. nu. 2.* Concilium enim loquitur de prædicatione habenda in Ecclesijs, & de prædicatione solemni, quæ regulariter consueuit haberi in Ecclesijs, & ideo sub eius decreto non comprehenditur prædicatio habita in plateis. Nam (inquit Pasqualig.) neque est eadem ratio de prædicatione habita in Ecclesia, & in platea quia conciones habitæ in Ecclesia directè sunt ordinatæ ad erudiendum populum ex ordinatione Ecclesiæ, & ideo, quæ in ipsis traduntur, habent quandam tacitam approbationem. Nihilominùs quòd ægrè ferentibus Episcopis ab his sit abstinendum, aliqui dixerunt. Et *Pasqualig. ad Laureum p. p. num. 626.* addit, quòd Episcopus potest huiusmodi conciones prohibere, & tenebuntur Regulares obedire, vt notat *Rodriq. tom. 3. quæst. 32. a. 5.* Quia priuilegia non concedunt concionari posse inuito Episcopo, quia hoc est quid qualificatum, quod indiget speciali expressione. Verùm si valet hæc ratio, Regulares nec haberent priuilegium prædicandi in proprijs Ecclesijs, & sic Episcopus posset prohibere ne Regulares vnquam in proprijs Ecclesijs prædicarent: quia diceretur quòd priuilegia non se extendunt ad prædicandum inuito Episcopo. Et ratio allata à Pasqual. non militat. Quia ad hoc vt priuilegiati possint prædicare etiam inuito Episcopo, non est necesse quòd hoc concedatur expresè, sed sufficit, quòd Papa facultatem concionandi absolutè concedat. Nam hoc posito, Episcopus non potest esse rationabiliter inuitus, quia non licet ei contradicere dispositioni Pontificis. Et si velit contradicere possunt priuilegiati nihilominùs vti suis priuilegijs. Et in proposito priuilegium hoc non potest aliter intelligi, quia aliter non operaretur effectum, quia Regulares sine priuilegio possunt de consensu Episcopi prædicare. Eò magis, quòd Bonifacius nonus in sua Constitut. *Sacræ Religionis*, quæ habetur in paruo libello impresso Venetijs per Lazarum de Snardis anno 1516. sub numero 126. sic concessit Prædicatoribus prædicare in plateis, quòd Ecclesiarum Prælatis inhibuit retrahere populos, quominùs prædicationes dictorum fratrum audiant. Quapropter conueniendo in conclusione cum Pasqual. dico eius rationem esse. Quia in hac parte priuilegia sunt reuocata per *Concil. Trid. sess. 24. cap. 4.* Consideranda enim est vis significationis dictionis *etiam*, qua vtitur Concilium prohibens Regularibus prædicare *etiam* in eorum Ecclesijs, si Episcopus contradicat. Natura enim talis dictionis est vt ampliet, & extendat ad casum magis dubitabilem, & implicet casum minus dubitabilem cap. vnico de commodato, & ibi *Panorm. Clemen. Religiosi*, & ibi *Zabarella num. 2. de supplendo neglig. Prælat. Clemen. nolentes*, & ibi *Zabarella num. 1. de hæreticis.* At verò ca-

rò casus magis dubitabilis in proposito est, an possint Regulares prædicare in proprijs *Ecclesiis* contradicente *Episcopo*, minùs verò dubitabilis est an eo contradicente possint prædicare extra eorum Ecclesias. Ex vi igitur dictionis *etiam* hic casus minùs dubitabilis implicatur, & comprehenditur sub dispositione Concilij vt sit sensus, quòd Regulares contradicente Episcopo nedum extra Ecclesias eorum. Sed etiam in eorum Ecclesijs prædicare non debeant. Hoc tamen intelligi debet in sensu infra explicando, absolutè enim & vniuersaliter hoc non potest Episcopus prohibere. Aliàs verò ex vi decreti *cap.2.sess.5.* non tenentur Regulares habere licentiam ab Episcopo vt in plateis cōciones habeant, quia solum licentiam Episcopi habere debent vt conciones habeant in Ecclesijs quæ suorum Ordinum non sunt. Aliàs verò Regulares etiam ex *Clem. Dudum* de sepulturis facultatem habent liberè prædicandi in plateis, & quòd ad hoc non sit necessaria licentia Episcopi vel Parochi adnotauerunt *Syluester. v. prædicatio num. 3. vers. Tertiò ibi Tabien. num. 2.* Qui putat tamen esse petendam licentiam à dominis platearum. Nam & terminus liberè, quo vtitur *Clemen. vt ex Laud. & Zenzel.* considerauit *Syluestr. vbi sup. vers. & quarto ibi* importat idem, quòd absque alicuius contradictione, & licentia. Quod in simili tenet *Gloss. ibi. §. si verò & Panorm. in cap. final. de postulat. Prælat. & in cap. constituimus. De regul.* Cum igitur ex vi Clemen. Regulares possint prædicare liberè in plateis communibus, possunt id facere si Episcopus non contradicat, & hoc non est ablatum per decretum *Conc. sess. 5. cap. 2.* quia ibi requiritur licentia Episcopi ad prædicandum in Ecclesijs quæ suorum Ordinum non sunt. Ideo quantùm ad hoc seruari debet decretum *sess. 24. cap. 4.* in sensu eiusdem decreti, quem tradidit Sacr. Congreg. vt videbitur infra inspect. sequen.

1061 Quintò propriè excipitur paruitas materiæ, ita quòd bis aut ter in anno de licentia Parochi, seu Rectoris Ecclesiæ liceat in eius Ecclesia conciones habere. *Cespedes d. 198. Pax Iordan l. 6. tit. 1. num. 32. Bassæus v. Prædicator num. 3. Anton. à Spir. Sancto trac. 2. disp. 3. num. 145.* quod limitat *Lezana d. cap. 20. num. 4.* vt sit verum si vel adsit præsumpta licentia Episcopi, vel consuetudo, vel vt addunt *Barbosa alleg. 76. num. 26. & Pax Iordan. d. num. 32.* si non sit in contrarium constitutio Episcopalis, quæ illud prohibeat. *Pasqualig. verò ad Lauret. de Franchis p. p. num. 607. ex Posseuino* limitat, vt hoc intelligi debeat de concionatore aliàs approbato. Nam aliàs non præsumitur, quòd Episcopus contentus sit. Sed non adest huius approbationis tanta necessitas, quin sufficiat si Parocho satis constet Prædicationem futuram vtilem. Nam & hoc dato præsumi potest Episcopi consensus. Et nimis asperum & durum esset, quòd Parochus cum aliqua occasione non posset permittere vt aliquis semel, vel bis concionem haberet vtilem suo populo futuram. Itaque licentia Episcopi, & respectiuè benedictio, sunt necessariæ ad prædicandum in Quadragesima, & in Aduentu, & etiam tempore æstiuo, vt tradunt *Lezana v. Concionator nu. 7. Diana p 7. trac. 12. resol. 24. Cespedes d. 199.* & quamuis *Bordon. res. 7. q. 11. num. 15.* dicat vsum obtinuisse, vt Regulares petant benedictionem ad prædicandum in proprijs Ecclesijs solùm pro Aduentu, & Quadragesima, tamen de hoc vsu mihi constat in contrarium, & Concilium absolutè & vniuersaliter loquitur, & pro quocumque tempore sit prædicandum etiam in proprijs Ecclesijs ex vi Cōcilij necessariò petenda est benedictio Episcopi, nisi ex Epijcia in aliquo casu particulari, vel ex paruitate materiæ extra tempus prædicandi, si semel vel bis ex occasione accidentali concio sit habenda, & præsumi possit Episcopi consensus. Nam vbi hic præsumi non possit, non erit sine culpa etiam semel concionem habere sine eius benedictione, quàmuis per se loquendo id non erit culpa grauis ratione paruitatis materiæ. Nam aliàs Regulares teneri accipere benedictionem nedum in Aduentu, & Quadragesima, sed omni tempore declarauit Sacr. Congreg. 16. Octobris anno 1601. vt ex Gauanto tradit Diana vbi supra.

1062 Ex priuilegio etiā Gregor. XIII. pro societate, quo per cōmunicationē frui possunt alij Regulares habentes priuilegiū cōmunicationis, Prædicatores à suis superioribus deputati dū iter habēt, nō repugnantibus Curatis *Ecclesiarum* possunt conciones habere, dummodò id non faciant in Oppidis aut locis in quibus Ordinarij existunt, nisi eorum licentia desuper obtenta. *Peyr. in subd. quæst. 1. cap. 22. Belasius v. Concionator num. 10.* quem sequitur *Anton. à Spir. S. tr. 2. disp. 3. n. 156.* qui videtur velle ad vsū huius priuilegij, quod prædicator fuerit semel ad minus approbatus ab *Episcopo* aliquo ad concionandum. Quod tamen ex vi dicti priuilegij non puto necessarium. Quia Gregor. XIII. requirit approbationem respectu Confessorum, non verò respectu Prædicatorum. Quàmuis verò præfati DD. & præter eos *Barbosa d. all. 76. num. 27. & Pax Iordan l. 6. tit. 1. nu. 34.* admittant illud priuilegium tanquàm nunc viuat, & sit per communicationem commune. Tamen an sit reuocatum per Constitut. Gregor. XV. est considerandum. Ex eo enim vim habebat dictum priuilegium, quia erat datum post Concilium Tridentinum. Sed cum modò per Constitut. 18. Gregor. XV. decretum Concilij Trident. sit obseruandum non obstantibus priuilegijs, videri potest fuisse reuocatum. Verùm cum Gregor. non innouet decretum Concilij, sed solùm det facultatem *Episcopis* vt possint procedere contra illud non obseruantes, bene hoc intelligi potest, absque eo quòd priuilegium Gregor. XIII. censeatur reuocatum. Quoniam Constitutio Gregor. respicit illud decretum in casibus in quibus obligat, & dat facultatem procedendi contra illud non obseruantes, proculdubio in casibus in quibus est obseruandum, & in quibus ei non est derogatum. Si Gregor. XV. expressè præciperet de nouo vt decretum illud vniuersaliter obseruaretur nullo admisso priuilegio, derogatum esset illi priuilegio. Gregor. XIII. sicut de facto dictum est supra illi derogatum fuisse per Vrbanum VIII. & Innoc. X. quantùm ad Confessiones. Sed quia Pontifex solùm dat facultatem procedendi contra illud decretum non obseruantes, hæc facultas respicit tale decretum quale erat tempore editæ Constitut. Gregor. XV. & ideo tale quòd non obligabat contra priuilegium Gregor. XIII. & sic facultas illa non respicit casus in quibus Concilium nō obligabat ex concessione Sedis Apostolicæ. Et ita

quòd hoc priuilegium vigeat ex *Rodriq.tom.3.q.32. Barbosa de pot. Epis. all.76. num.27. Miranda t.1. q.50.a.4.Portel.v. Prædicatores n.16. Diana p.3.tr.2. resol.111.* tradit *Pasqual. ad Lauretum de Franchis num.608.*

1063 Non defuerunt verò, qui existimarent, quòd non sit necesse, vt Regulares toties se præsentent Episcopo, quoties prædicationem quadragesimalem, aut Autumnalem, aut æstiuam habituri sunt, sed sufficere si semel in eadem diœcesi se Episcopo præsentauerint, & ab eo licentiam, vel benedictionem obtinuerint. Ita *Sorbus ad Casarub. v prædicare Lezana p.p.cap.20.nu.7.* & apud eum *Mirand. p. p. quæst.50. a.9. Cespedes dub.201. Anton.à Spir.Sancto trac.2.disp.3.num.152. Bassaeus v. Prædicator num.8.* Fundantur, quia sicuti pro Confessionibus semel approbatus ab Episcopo, non tenetur se eidem Episcopo ampliùs præsentare, vt ab eo approbetur, sed solùm à successore potest iterum examinari & approbari, ita eadem ratione dicendum est de Prædicatoribus. Sed hoc est distinctè considerandum. Nam primò ad prædicandum in Ecclesijs suorum Ordinum Regulares nulla Ordinarij approbatione indigent. Quantùm verò ad benedictionem obtinendam hæc toties est petenda, quoties qui vult conciones habere, scilicet in principio cuiuscumque cursus Quadragesimalis, aut Autumnalis. Nec est eadem ratio de approbatione ad Confessiones & de benedictione; quia illa est licentia quæ absolutè data intelligitur & simpliciter, si non limitetur, sed benedictio est actio quæ datur ad determinatum actum. Et nec Prædicatores petentes, nec Episcopi concedentes aliud intendunt. Nam nec Prædicatores habent deputationem, & licentiam ad prædicandum in ea Ecclesia in æternum, sed sunt deputati pro illo determinato cursu Quadragesimali, aut Autumnali, aut æstiuo, pro quo licentiam habent. Et cum tali licentia se præsentant Episcopis, & ad talis licentiæ executionem benedictionem postulant & ab Episcopis obtinent. Sicut ergo sunt deputati ad tempus & actum determinatum, ita & pro tempore & actu determinato & certo benedictionem obtinēt. Vnde quoties cursum prædicationis habere debēt, toties se præsentare debent Episcopis benedictionē accepturi. Quantùm verò ad Ecclesias aliorum Ordinum, si Regulares semel admissi sunt, & approbati simpliciter ad Conciones habēdas in Diœcesi, verum est, quòd non indigent amplius approbari ab eodem Episcopo. Quoniam approbatio quantùm ad literaturam de se perpetuitatem quandam habet, ex eo quòd scientia quæ est in anima non nisi per accidens deficit, sed simul habita perseuerat. Et quia licentia data est gratia facta, quæ non debet, nec potest ab Episcopo reuocari sine causa. Nam & Regulares in hac parte satisfecerunt decretis Conciliorum, & Pontificum quia se præsentauerunt Episcopis, & ab eis licentiam non limitatam, & sufficientem pro toto tempore Episcopatus receperunt. Verùm licentiæ, quæ dantur ad concionandum regulariter non sunt absolutæ, nec vniuersales, sed sunt limitatæ ad tempus, & locum. Datur enim licentia v. g. ad cursum quadragesimalem habendum in tali oppido, tali anno. Vnde hæc licentia nec se extendit ad prædicandum in alia Ecclesia, neque ad prædicandum in alio anno. Et propterea toties quoties habendus est cursus Quadragesimalis, toties Regulares se præsentare debent Episcopis pro habenda licentia, & benedictione respectiuè. Et hic est vsus, de quo fidem facere possunt, qui conciones habent: Et ego pluries id obseruaui, & obseruari vidi. Ideo bene *Rodriquez tom.3. quæst.32.a.* dixit non esse eandem rationem de Confessore, & Prædicatore in hac parte, & non sufficere quòd Prædicator semel se præsentet Episcopo. Immò vbi habeatur concio coram Episcopo, qualibet die ab eo accipi debet benedictio, si ille sit præsens; sic enim habet consuetudo, & rationabile est, vt fiat.

S V M M A R I V M.

1 *Decretum Concil.Trid.sess.24.cap.2. videtur contrarium decreto sess.5.cap.2. nu.1064.*
2 *Huiusmodi decreta non sunt contraria.1035.*
3 *Difficultas an Breue Vrbani VIII. ad Episc. Gitnen.referatur corruptum.nu.1066.*
4 *Quomodo aliqui dicta decreta Conc.Trid. concordare velint.nu.1067.*
5 *Dubium rationabile est de corruptione breuis Vrbani VIII. nu 1068.*
6 *Contradicere positiue, & negatiue sumitur. numer.1069.*
7 *Decreta Concilij explicantur.nu.1069.*
8 *Regulares in petita, & non obtenta benedictione prædicant in suis Ecclesijs, si tamen Episcopus positiue non contradicat. numer. 1069.*
9 *Episcopi ex eo decreto Concil. non habent facultatem prohibendi conciones in Ecclesijs Regularium perpetuo, vel in temporibus consuetis, sed solum in casu particularis contingentiæ, & ex causa ad bonum commune pertinente. nu.1070.*
10 *Constitutio Pij Quinti. Etsi Mendicantium reducta ad terminos iuris.nu.1071.*
11 *Episcopi ex causa rationabili in casibus particularibus possunt prohibere ne Regulares aliquando prædicent in suis Ecclesijs.nu.1072.*
12 *Causa rationabilis non est paucitas populi. numer. 1072.*
13 *Concionatores sæpius magis inutiles, quo maiorem populum conuocant.nu.1072.*
14 *Non possunt impediri Regulares quominus in suis Ecclesijs prædicent etiam, vbi non est consuetum, num.1072.*
15 *In diebus consuetis Regulares conciones habere possunt etiam Episcopo prædicante si ille non contradicat. nu.1073.*
16 *Et etiam si Episcopus faciens coram se solemniter prædicare non prohibeat. nu.1074.*
17 *Hoc extenditur ad Prælatos inferiores Episcopo, Quantum sit ex vi Clement. Dudum. De sepulturis. nu.1075.*
18 *Episcopus non potest prohibere, ne populus accedat ad Conciones Regularium tunc cum ipsi possunt prædicare.nu.1076.*
19 *Priuilegium Bonifacij VIII. pro Ordine Prædicatorum.nu.1076.*

OBSERVATIO QVINTA.

1064 MVlta verò cum dicta sint in superioribus spectato solo decreto *Conc. Trid. sess.5.cap.2. de reformat.* nunc considerandum est decretum eiusdem *sess.24. cap.4.* quod quidem videtur contrarium priori, illudque tollere. In d. enim *cap.4.sess.24.* statuitur, quòd nullus siue secularis, siue Regularis etiam in Ecclesijs sui Ordinis contradicente Episcopo prædicare præsumat. Huiusmodi autem decretum ex directo videtur cõtrarium decreto cap.2.sess.5.Nam primò non sufficit petere benedictionem, vt ibi statutum fuerat, sed necesse est illam obtinere, quia si Episcopus nõ vult dare benedictionem Prædicatori, contradicit illi ne prædicet. Secundò quia iam ad prædicandum in proprijs Ecclesijs non sufficit Regularibus benedictio, sed requiritur licentia, quia requiritur consensus, quæ quidem licentia quædam est; Nam quando aliquid ab aliquo non potest fieri sine consensu alterius, eiusdem alterius consensus expressus licentia dicitur, quia per eum esto non detur, vel iurisdictio, vel facultas, vel potestas agendi secundùm substantiam, sed solum ponatur conditio necessaria ad actu agendum, tamen moraliter dicitur dari agendi facultas, quia datur liber vsus facultatis, & quia sine tali vsu nihil poterat fieri.

1065 Ex altera autem parte incredibile est, quòd Concilium Tridentinum voluerit sibi contradicere, vel quòd per ignorantiam prioris decreti ediderit secundum. Hæc enim in illis PP. minimè omnino præsumere licet, vnde si voluissent oppositum decernere, & decretum illud c.2.sess.5. euertere illud ex actis deleuissent, non enim erat in actis relinquendum, & promulgandum, vt obseruaretur decretum, quod ex eodem Concilio non fuisset obseruandum. Accedit quòd Vrbanus Octauus in Breui directo ad Eminentissimum Card. Sandoual, tunc Episcopum Gienen. negotio maturè, & auditis partibus in S.Congregatione Episcoporum & Regularium discusso, iuxta doctrinam d.c.2,sess.5. respondit, vt ex Breui illo supra per extensum descripto num. 154. patet, ibi, *Ad hæc quod in eisdem præinsertis litteris dicitur Regulares non posse Verbum Dei prædicare sine Episcopi licentia, id locum sibi vendicare in his tantùm Ecclesijs, quæ sui Ordinis nõ sunt, cum in alijs Ecclesijs sui Ordinis sufficiat Episcopi benedictio petita, licet non obtenta, ita tamen, vt si Episcopus non modò benedictionem simpliciter non concesserit, verum etiam Regularibus prohibuerit quominùs prædicent, tunc illo contradicente in sui quidem Ordinis Ecclesijs liceat illis prædicare, quemadmodum Sacri Concil.Trident. decretis salubriter est cautum:*

1066 Scio *Barbastrensem Episc. in Pastorali p.2. quæst.20.num.24. ex Pellizzario tract.8.cap.4. sect.1. num.4.* dicere, quòd immeritò in dictorum confirmationem adducitur illud Breue, quod sonat in contrarium. Nam corruptè refertur. In originali enim ante illa verba *liceat prædicare*, adest dictio *non*, prout eidem Pelizzario testatus fuit Reuerendissimus P. Magister Fr. Hippolytus Bazzanus tunc Ordinis Seruorum Generalis ex originali sibi in contingentia facti exhibito, & attentè lecto. Verùm satis mirum esset, quòd Breue huiusmodi in contrarium sensum fuisset euulgatum, maximè cũ *Barbosæ lib.1.de iure Eccles.cap.43.num.210.* illud referat ad fauorem Episcoporum, & *Tamburin.* idem eodem modo referat *tom.2.disp.6. quæst.11. num 9.* Nec verisimile est, quòd ex Diœcesi Gienen. vel alia diœcesi aliqui hunc errorem non aduertissent. Sed & modus loquendi Pontificis non multũ congruit sensui negatiuo prætenso, quoniã si dictũ fuisset *nõ liceat prædicare*, debuisset præmitti dictio etiã loco dictionis *quidem*, & dici *in sui Ordinis etiam Ecclesijs*, loco clausulæ *in sui quidem Ordinis Ecclesijs*. Nam dictio *etiam*, est implicatiua, & ampliatiua ad casum magis dubitabilem, vt esset sensus, quòd Episcopo prohibente nedum in aliorum Ecclesijs, sed nec in Ecclesijs sui Ordinis liceat Regularibus prædicare. Dictio verò *quidem*, quæ importat idem quod certè, minùs aptè apponi videtur ad ampliandum, & exprimendum casum magis, aut valde dubitabilem; vnde minùs aptè dictũ fuisset *in suis quidem Ordinis*, idest in sui certè Ordinis Ecclesijs, cum hic casus nedum non esset certus, sed valde dubitabilis, immò minimè congruens priori dispositioni eiusdem Pontificis. E contra verò dictio *quidem*, non est ampliatiua, sed cum certitudinem importet explicat id, quod non est dubium, vel non debet habere dubium, vel debet haberi tanquam certum, & ideo potiùs ex natura sua militat, & in proposito sensui citati Breuis maximè seruit, vt limitatiuè accipiatur, & sit sensus, quòd benedictione negata, & contradicente Episcopo non quidem in omnibus Ecclesijs, sed certè in sui Ordinis Ecclesijs possint Regulares prædicare. Aliud verò obijci posset, nimirum, quod Constitutio illa Vrbani VIII. sit particularis pro Diœcesi Gienen. Sed quamuis quantùm ad aliqua particularia possit dici particularis pro illa Diœcesi; In hac parte tamen vbi Pontifex declarat ius commune Constitutio hæc est vniuersalis, vt supra etiam dictum est, & tradunt *Pasqual. ad Lauret. de Franchis p.p.nu.3. & alij.*

1067 Propterea multi conati sunt huiusmodi decreta simul conciliare, vnde dixerunt decretum *d. cap.4. sess. 24. Concil. Trid.* non esse vniuersaliter intelligendum, sed solùm in casu particulari, quando scilicet Episcopus velit ipse in aliqua Ecclesia prædicare, aut coram se facere solemniter prædicari, iuxta decretum etiam *Extrauag. inter cunctas & d.Clem. Dudum de sepulturis. Barbosa ad d.cap.2. sess.5.Concil.Trid.num.18. & alleg.76.nu.29. Tambur.de iure Abb.tom.2.disp.11.q.2.num.5.Peyr.tom.3. cap.2.num.9.Aluiset.cap.2. num.5. Bordon.tom.1. resol.7.num.21.* At verò *Paz Jordan. Episc. Tregurien.* aliter concordat illos textus *lib.6.tit.1. num.21.* dicens Decretum *d. cap. 4.* locum habere in casibus particularibus, & ea rationabili causa. Ex hoc enim non tollitur priuilegium Regularium, quia Concil. supponit quod Episcopi contradictio sit rationabilis, & cum tantopere sit illi iniunctum prædicationis officium, quòd passim, vel temerè, ac indifferenter non sit prohibiturus. Et num.26. ait, quòd vbi opinio Barbosæ vera esset, & extarat declaratio illa Congreg. Regularium data 30. 1629. secundùm quam pũctum hoc explicauit Vrb. VIII. ad Epis. Gienen. nihilominùs id limitandum esset, vt non valeret de Minoribus, quia id ipsis ex eorũ Regula præcipitur expressè. Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis

fuerit contradictum. Vnde nec ipse Seraphicus Franciscus prius exorsus est prædicandi Prouinciam, quàm ab Innoc. III. licentiam obtinuerit. *Miranda p. p. quæst. 50. a. 3. concl. 2 Cordoba super Regulam cap. 9. quæst. 8. Pasqualig.* verò *ad Lauretum de Franchis p. p. num. 560. & sequent.* paulò aliter dicta decreta concordat, & asserit quòd decretum *cap. 4. sess. 24.* intelligitur quando de iure adest causa cõtradicendi. Itaque ille distinguit, quia Episcopus in aliquibus casibus potest de iure contradicere, & sunt isti casus qui expressi sunt in iure, quos idem *Pasqualig. num. 566.* recenset, vt si Prædicator prædicet falsa, aut incerta miracula, aut prophetias non contentas in scriptura, si detrahat Episcopis, si doceat propositiones erroneas, aut scandalosas, aut hæreses. Et alij similes casus in quibus in iure datur facultas Episcopis, vt interdicat prædicationem. Alij verò sunt casus in quibus de iure non adest causa contradicendi, & in his casibus sufficit benedictio petita licet non obtenta, & licet Episcopus contradicat, possunt Regulares conciones habere. Verùm hæc resolutio difficultatem habet, quia aliud est interdicere prædicationem priuando facultate prædicandi, seu ex delicto puniendo prædicatorem, aliud est ex causa altera faciente ad bonum commune interdicere ne hic, & nũc habeatur prædicatio a quocumque: In hoc secundo sensu loquitur Concilium *sess. 4. cap. 24.* Neque enim solùm de ijs qui in prædicatione delinquunt loquitur, sed ait, quòd nullus siue secularis, siue Regularis, & ideo vniuersaliter nemo audeat prædicare contradicente Episcopo. Et in hoc sensu Concilium intellexit Innocent. decimus, in Constit. Angelopolitana, & Greg. XV. in Constit. *inscrutabili.* Casus autem recensiti solùm respiciunt delinquentes, & in eis non interdicitur concio habenda in hac vel illa Ecclesia, sed solùm vt habenda ab illis delinquentibus. Sed alij aliter textus concordant, & distinguũt inter prædicare sine benedictione & inter contradicere, & dicunt, quòd si quis prædicet in propria Ecclesia sine benedictione Episcopi, & ipso non contradicente habet locum dispositio capit. 2. sed ipso contradicente habet locum dispositio *d. c. 4.* Ita *Barbastren. Episc. in Pastorali p. 2. q. 10. num. 23.* allegans *Campanil. rubrica 12. cap. 13. nu. 7.*

1068 Ego in hac parte valde dubito de veritate Breuis ad Epis. Giennens. prout refertur à *Barbosa, & Tambarino*, & etiam à *Peyr. tom. 3. capit. 2. num. 9.* Et ratio quæ me mouet est, quia si verum est quòd ibi dicatur affirmatiuè *liceat prædicare*, & non potiùs negatiuè *non liceat prædicare*, dispositio illius breuis est directè contra decretum *Concil. Tridenti. in d. cap. 4. sess. 24.* Hæc enim propositio, *tunc illo* scilicet Episcopo *contradicente in sui quidem Ordinis Ecclesijs liceat illis prædicare*, quæ habetur in dicto breui est expresse & ex directo contraria huic alteri, *Nullus autem secularis, aut Regularis etiam in Ecclesijs suorum Ordinũ contradicente Episcopo, prædicare præsumat.* Quo stante falsum esset, quod in illo Breui subiungitur, scilicet, *Quemadmodum Sacri Concil. decretis salubriter est cautum.* Non est verò credibile quòd Congreg. Regulariũ, & de eius consilio Vrbanus VIII. voluerit in hoc irritare Concilij Trident. decretum, & expresse contrarium illi disponere, & postea dispositionem suam Concilio contrariam, vt Concilio conformem & ex vi eius emanatam proponere. Nec coniecturæ supra positæ vrgent. Tum quia ratio hæc omnes coniecturas elidit, Tum quia ex quo dictio *quidem* habeat quandam vim explicandi & limitãdi, bene locum habere potuit, etiam explicando textum illius breuis negatiuè, Quia ex quo in dicto Breui dispositum fuerat, quòd Regulares possint prædicare petita, & non obtenta benedictione, ex quo poterat quis velle concludere, quòd etiam hoc liceret eis contradicente Episcopo. Pontifex hoc explicare & limitare voluit, vt non se extendat ad casum contradictionis Episcopi. Quod colligitur satis apertè, ex dictione *ita tamen*, & tota illa clausula, *ita tamen vt si Episcopus &c.* Nam dictio *ita tamen* ex sua vi est modificatiua, limitatiua, & explicatiua præcedentium. *l. vbi adhuc, verb. ita tamen, vbi Salicet. C. de iure dot. l. Lucius. §. qui habebat, & l. ita tamen. ff. de Trebell. Seraphin. dec. 447. Rota decis. 236. nu. 6. p. 3. Recent.* & alij plures apud *Barbosam dict. 183. num. 1.* Et ita sensus clarus dicti Breuis est, vt Regularibus ad hoc vt prædicent in sui Ordinis Ecclesijs sufficiat benedictio petita licet non obtenta, ita tamen vt si Episcopus non modo benedictionem simpliciter non concesserit, verùm etiam Regularibus prohibuerit, ne prædicent, tunc quidem eis non liceat prædicare.

1069 Sed quia hoc stante videtur noua difficultas adesse, quia benedictionem non concedere, est contradicere Regularibus ne prædicent. Respõdetur, quòd bene ponderando verba illius Breuis & cessat difficultas, & habetur vera intelligentia decreti Concilij Trid. Nam contradicere dupliciter contingere potest, vel negatiuè, non dando consensum, aut implicitè aut interpretatiuè, vt ægrè ferendo si aliquid fiat, vel positiuè, & contrariè prohibendo ne aliquid fiat. Nam non consentire distinguitur valde à contradicere, vt voluit *Vulpianus l. lanitum 5. ff. de seruit. præd. Vrban.* ibi. *Ianitam autem in seruitutibus accipere debemus non eum qui contradicit, sed eum, qui non consentit.* Contradicere ergo propriè sumptum importat positiuam contrarietatem per quam quis se opponit, prohibet, & sic contradicit, ne aliquid fiat. Et hoc modo sumitur *contradicere* in decreto Concil. Trid. vt ex dicto Breui Vrbani VIII. habetur. Et sic si Episcopus solùm simpliciter neget benedictionem, possunt Regulares in Ecclesijs sui Ordinis petita licet non obtenta benedictione prædicare. Et idem dicitur etiam si ipsi verè displiceat, quòd in Ecclesijs præfatis concio habeatur; nisi enim cõtrariè obstet, & positiuè contradicat, & prohibeat prædicationem petita per eos benedictione, licet non obtenta possunt Regulares in suorum Ordinũ Ecclesijs prædicare vt tradunt DD. citati supra num. 1137.

1070 Sed & vlteriùs considerandum est non fuisse mentem Concilij, quòd Episcopi ad libitum possint prohibere Regularibus ne prædicent in proprijs Ecclesijs. Quamuis verò *Pasqualig. ad Lauret. de Franchis num. 564.* impugnet *Leonem p. p. Thesauri cap. 8. num. 9. Peasec. p. 2. cap. 3. num. 41. & Barbosam de pot. Epis. all. 76. num. 18.* dicentes Episcopum non teneri reddere causam suæ contradictionis, & dicat quòd Episcopus sine reddita causa non potest prohibere Regularibus ne concionem habeant nisi in Ecclesijs, quæ non sunt sui Ordinis,

dinis, tamen considerandum est, quòd Concilium absolutè prohibet ne aliquis contradicente Episcopo concionem habeat, nec obligat Episcopum ad causam manifestandam sed negotium suo arbitrio relinquit. Vnde sicut Sacr. Congreg. in responsione ad vndecimum dubium circa constit. Greg. XV. dixit, Episcopum non teneri reddere causam ob quam amoueat Confessores monialium vel administratores bonorum illarum, in simili ita dicendū est de Episcopo prohibente concionem. Qui quidem in conscientia non potest sine causa huiusmodi concionem prohibere. Et Concil. Trid. sibi persuasit quòd Episcopi hac facultate non abuterētur, & quòd regulariter non nisi in casibus manifestis & ex causa publicè rationabili prohibituri essent conciones, vt etiam Pax Iordan loco citato considerauit. Et gubernij quoque ordo hoc petit, vt Episcopi pro obtinenda prompta obedientia, causam suæ prohibitionis exponant. Quam si sit rationabilis, nec conuenit abscondere sed euulgare, vt & ipsa rationis bonitas moueat subditos ad obedientiam. Tamen quia & posset contingere casus, quòd melius esset causam non manifestare, & aliàs quia etiam, si obligatus fuisset Episcopus ad reddendam causam parata fuisset via inobedientiæ sub prætextu insufficientiæ causæ. Ideo Concilium absolutè concedit Episcopis, vt ad eorum arbitriū possint contradicere ne conciones habeantur. Et licet hoc arbitrium boni viri debeat esse ex causa rationabili, non obligatur tamen Episcopus ad hanc causam reddendam. In quo casu Regulares possunt recursum habere ad superiorem, à quo Episcopus reprehendi deberet, & corrigi si sine causa rationabili concionem prohibuisset. Et licet etiam nimis ampla sit interpretatio Barbosæ & aliorum volentium, quòd tunc solùm contradicente Episcopo non possint Regulares in suis Ecclesijs prædicare, quando Episcopus contradicit, quia ipse vult prædicare, vel facere solemniter prædicari coram se: quia Concilium absolutè mādat, vt nullus contradicente Episcopo prædicet, Tamen nec est dicendum, quòd per hoc Conciliū dederit facultatem Episcopis prohibendi, vel vniuersaliter, aut perpetuò, aut in temporibus consuetis ne Regulares conciones habeant. Doctrina enim Concilij, & iuri communi priuilegiorum insertorum in corpore iuris, & iuri quæsito Religiosorum contraria strictam debet habere interpretationem, ne iuta iuri, immò ne Concilium ipsum sibi ipsi contrarietur. Ideo dicendum est Concilium respexisse ad casus particulares, vt aduertit Pax Iordan Episcopus *Tragurien. lib.6. tit.1. num.31.* & ex rationabili causa, siue hæc sit quia ipse velit prædicare tunc in aliqua Ecclesia, siue vellet coram se ex aliqua causa congregare totum clerum, & populum, siue tunc indicaret ea causa communem processionem aliquam, siue aliquod commune periculum immineret populo, si ipsi congregaretur ad concionem, vt v.g. euenire posset si tempore pestis populus ad concionem simul in Ecclesia vniretur, siue si aliqua alia rationabilis causa adesset ad Ecclesiæ communem faciens vtilitatem, ob quam in casu contingenti bonum esset, quòd Regulares in suis Ecclesijs à concione abstinerent.

1071 Hinc soluitur illa quæstio, quam inter alios tractat *Diana p.3. tract.2. resol.58.* an scilicet Episcopi possint prohibere ne Regulares prædicent in suis Ecclesijs suorum Ordinum. Posse enim prohibere dixerunt *Leo p.p. Thes. cap.8 numer.9. Prasec. p.2. cap.3. a.7. num.10. Portel. v. prædicare num.7.* sed negarunt *Cenedo in qq. Canon. quæst.26. num.13. Vega tom.2. cap.86. casu 40.* Fundabant verò suam sententiam in Constitut. *Etsi Mendicantium* 41. Pij Quinti, quam non fuisse reuocatam per Constit. *In tanta, 9.* Gregor. XIII. contendit *Peyr. ad constitut.2. Greg.13. §.2. num.25.* Vnde postea tam ipse, quam *Miranda p.p. quæst.50. a.3. & Barbosa de potest. Epis. alleg.76. num.20. & alij sup. num.1137.* relati dixerūt Regulares etiam contradicente Episcopo posse in suis Ecclesijs prædicare, nisi illa hora, & tempore, quo Episcopus prædicare voluerit, quod & speculatiuè verum dixit Diana ibidem. Sed quod dicitur de Constitutione *Etsi Mendicantium*, Pij V. si illa per Constit. *In tanta 9.* Gregor. XIII. non est reducta ad terminos iuris communis, & Concil. Tridentini, illa Constitut. Gregorij est inutilis, & vana, quia in specie data est ad reuocandam illam Constitutionem *Etsi mendicantium*, quæ est illa numero data a Pio Quinto 17. Calen. Iunij, siue 18. Maij 1567. Pontificatus sui anno 2. quam Gregor. expressè nominat in §.1. & quam reducit ad terminum iuris communis, & Concilij Tridentini simul cum alijs de eisdem rebus disponentibus. Vnde nullum in hac parte fundamentum fieri debet in illa Pij Quinti Constitut. sed standum est decreto Concil. Trident.

1072 Ad quæstionem propterea respondetur distinguendo. Nam aliud est quòd Episcopus possit prohibere huic vel illi personæ ne prædicet, & aliud quòd possit prohibere ne ab aliquo prædicetur, seu statuere vt non prædicetur. Et iterum hoc dupliciter potest contingere, vel scilicet prohibendo vt non prædicetur hac vel illa hora, vel ex causa particulari in vno vel altero die, vel ita quòd absolutè non prædicetur. In primo sensu potest Episcopus ex causa iusta quemlibet Regularem determinatè prohibere, ne prædicet. Quoniam hoc expressè decernitur in *Concil. Trid. sess.24. cap.4.* dum dicitur, quòd nullus contradicente Episcopo prædicet; igitur potest Episcopus prohibere cuicumque in particulari & determinatè ne prædicet. In secundo etiam sensu ex causa communi seu rationabili potest Episcopus interdicere ne in Ecclesia Regulari habeatur concio in casu particulari & contingenti, nimirum ne habeatur tali hora, aut tali die determinato. Nam ex extrauag. *inter cunctas*, & ex *d. Clem. Dudum* potest Episcopus interdicere ne prædicetur in Ecclesia Regulari tunc cum ipse vult solemniter prædicare, vel cum vult pro aliqua communi causa congregare populum totum & clerum. Sed in tertio sensu dicitur, quòd non potest Episcopus absolutè interdicere ne prædicetur in Ecclesiis Regularium. Et si dicatur quòd valet hæc consequentia, Episcopus potest præcipere vt nullus prædicet; ergo potest præcipere vt à nullo prædicetur; ergo potest præcipere vt non prædicetur; quia vbi nullus potest prædicare, implicat ab aliquo prædicari. Respondetur, quòd minimè valet consequentia, quæ à sensu syncathegorematico & disiunctiuo transit ad sensum Cathegorematicum & collectiuum, quod non licet. Dictio enim *nullus* vniuersalissima quidem est, & ne-

gando

gando distribuit pro singulis, sed determinatè, idest nec Petrus determinatè, nec Paulus determinatè, nec Ioannes determinatè, & sic de singulis alijs. Sed tamen hoc potest, & debet intelligi syncategorematicè, & disiunctiuè, & per partes, ita quod nullum sit ex indiuiduis determinatum, quod prædicet contradicente Episcopo. Sed eadem dictio potest accipi vt sit cathegorematica, & sumatur non disiunctiuè, sed coniunctiuè, & collectiuè vt excludat à prædicatione nedum quemlibet determinatè, sed quemlibet vagè, & totam vniuersitatem simul coniunctiuè sumptam, & ita quòd ex indiuiduis nullus sit qui prædicet, & ideo nec à Petro, nec à Paulo, nec ab aliquo sed à nullo prædicetur. Concilium in primo sensu loquutum fuit, non in secundo. Quod manifestè probatur ex declarationibus Sacr. Congreg. Nam, vt refert *Pasqualig. ad Lauret. de Franchis p.p. num.623.* Sacra Congreg. 5. Iunij 1590. rescripsit Episcopo Murenti, non debere impedire, ne Regulares in proprijs Ecclesijs concionentur in Quadragesima, etiam si non consueuissent concionari. Et die 17. Nouem. 1592. declarauit, non posse Episcopum generaliter prohibere Regularibus legere, & concionari in proprijs Ecclesijs, sed solùm certo aliquo die ex causa processionum, aut ex alia causa vt populus possit conuenire ad Cathedralem. Et in conformitate harum declarationum anno 1629. rescripsit Episcopo Rheginensi sequentes literas.

Perillustris, ac Reuerendissime Domine vt Frater, Sacr. Congregatio *Illustrissimorum Patrum Concilij Tridentini Interpretum pluries censuit Episcopum non posse absque rationabili causa contradicere Regularibus in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare volentibus: sed satis esse eos ab Episcopo benedictionem petere. Quare ijdem Patres amplissimi tibi significandum duxerunt, vt postquam Frater Timotheus Ordinis Prædicatorum de suorum superiorum licentia in Ecclesia eiusdem Ordinis istius ciuitatis concionari volens, ab ea benedictionem petierit, nullam ei molestiam exhibeat, sed sinat, illum munus prædicationis adimplere: quod diligenter obseruabit amplitudo tua, cui salutem plurimam à* Domino *precor.* Romæ die *6. Martij 1629. Amplitudinis tuæ perillustris, ac Reuerendissimæ vti Frater Studiosus.*

Cardinalis Baldinus.

Franciscus Paulut.S.Congreg. Conc. Secret.

Sic etiam non potest Episcopus prohibere ne in Parochialibus habeatur concio etiam in diebus Quadragesimæ, ne minuatur populi concursus ad Cathedralem. Vnde Sacra Congreg. Concilij apud eundem Pasqual. rescripsit Episcopo Nouocomẽsi die 20. Februarij 1601. Non posse impedire, ne in diebus Quadragesimæ habeatur concio in Ecclesijs Parochialibus, prætextu quòd populus diuidatur, & Cathedralis minùs frequentetur. Quamobrem considerandum est, quòd non est necesse ad bonum commune quòd totus populus vnum concionatorem audiat, vel quòd hic vel ille non prædicet, nisi habeat Ecclesiam populo plenam. Et sæpissimè qui in Ecclesijs cum maiori populi frequentia prædicant minùs sunt vtiles, quia non verbum Dei sed fabulas, aut inutilia prædicant, quæ delectent, in verbis inutilibus, & fallacibus cuiusdam Rethoricæ figuratis loquutionibus, quas ex mille vix decem intelligunt, tempus consumentes, vnde sunt maximè necessarij alij simpliciores concionatores, qui satisfaciant non curiositati, sed deuotioni populi.

1073 Quod verò sæpius dictum fuit, scilicet Regulares non posse in suis Ecclesijs conciones habere ea hora in qua voluerit Episcopus ipse prædicare, vel coram se solemniter prædicari facere, non conceditur ab omnibus, nam licet id prohibitum sit per *Clem. Dudum*, de sepulturis, & per extrauag. *Inter cunctas de priuileg.* tamen quia per priuilegiũ Pauli Tertij sine huiusmodi limitationibus conceditur facultas prædicandi, ideo id possunt facere Regulares. *Suarez tom.4. de Relig. tr.10. l.9. cap.1. num.30. Lezana p.p. cap.20. num.6. Anton. à Spiritu S. trac.2. disp.3. num.* 149. Ego existimo Episcopum iustam causam habere prohibendi Regularibus ne in Ecclesijs suorum Ordinum prędicent eo tempore & hora, qua ipse vult solemniter coram toto populo prædicare, & ideo si prohibeat, Regulares debent abstinere, & obedire vt etiam habetur ex declarat. Sacr. Congreg. supra relata. Sed vbi ipse non prohibeat, possunt Regulares iuxta consuetum eorum in Ecclesijs suorum Ordinum conciones habere, vt docent præfati DD. & *Cespedes dub.197. & 204. num.9. Pax Iordan. l.6. tit.1. num.14. Aluiset d. cap.22. num.5. Pasqualig. ad Lauret. p.p. numer.628.* Quod tamen intelligendum puto, nisi præter Ordinarium & cõsuetum Regulares tunc conciones habere vellent, cũ Episcopus est concionẽ habiturus, vnde & Episcopus non conscius intentionis Regularium non potuit eis concionem interdicere; hæc enim esset irreuerentia punibilis. Sed vbi & quando consuetum est, vt in suis Ecclesijs Regulares prædicẽt, nisi Episcopus illis prædicare prohibeat, possunt illi prædicare, etiam si Episcopus ipse conciones sit habiturus. Et hoc vt adnotauit *Riciull. lib.5. lucubrat. cap.4. num.17.* habetur ex eadem *extrauag. 1. de priuileg. & Clem Dudum*, ibi. *In studijs autem generalibus, vbi sermones ad Clerum ex more fieri solent diebus illis, quibus prædicari solemniter consueuit, ad funestis specialibus, siue peculiaribus eorumdem Fratrum, possunt ijdem Fratres, & liceat eis liberè prædicare.* In ijs ergo diebus in quibus est solitum prædicari, & in funeribus mortuorum, & in festis specialibus Ordinum possunt Regulares concurrere cum Episcopo, & eadem hora prædicare etiam ex vi dictarum extrauag. & Clem. quod tamen nunc intelligi debet Episcopo non contradicente. Addunt *Lezana d. num.6. & Suarez d. nu.30.* & Episcopo ægrè ferente. Quàmuis si Episcopus non contradiceret non esset locus puniendi Regulares tunc prædicantes.

1074 Altera autem causa posita in *d. Clem. Dudum*, si scilicet Episcopus faciat coram se solemniter prædicare, eodem modo impedit. Quàmuis per solemniter prædicare non debeat intelligi prædicatio quadragesimalis solita haberi in quadragesima, illa enim non est solemnis sed ordinaria prædicatio. Et si hæc esset iusta causa prohibendi prædicationem in Ecclesijs Regularium, posset Episcopus vniuersaliter præcipere vt in sola Cathedrali haberetur concio, cum Episcopus accedere soleat regulariter ad concionem in Cathedrali; quod certè non est de mente Concilij Tridentini *Pasqualig. ad Lauret. p.p. num.629.* Ideo tunc Episcopus potest prohibere ne prædicetur in alijs Ecclesijs

clesijs cum ex contingenti speciali causa vult coram se conuocato Clero, & populo prædicari vt habetur ex *d.Clem.Dudum*,ibi. *Nisi fortè illa hora, qua solet ad Clerum in prædictis locis Dei verbũ proponi Episcopus, vel Prælatus superior Clerum ad se generaliter conuocaret, aut ex aliqua ratione, vel causa vrgente Clerum ipsum duceret congregandum.* Aduertit etiam *Barbosa de off. Parochi p. p. cap.14. num.2.* quòd licet in vna Bituricen. facta sibi relatione Sacr. Congreg. Concil. mandauerit sub die 2. Maij 1629. vt cum Episcopus prædicat silere debeant alij concionatores, illisque possit Episcopus inhibere ne prædicent, possunt tamen Parochi inter missarum solemnia sermonem habere etiam quando Episcopus prædicat, vt censuit eadem Sacr.Congregatio in causa Terulen.11.Iunij 1631. *Lezana* autem *v. Concionator num.6.* refert ex *Gauant.* Sacr. Congreg. declarasse, quòd non potest haberi sermo in congregationibus secularium ea hora, in qua Episcopus prædicat, aut facit coram se solemniter prædicari, sed hæc iuxta supradicta intelligi debent. Et *Syluest. ver. prædicatio num.2. vers. Et quintò*, inquit quòd Episcopus potest impedire ne Regulares prædicent illa hora dumtaxat, in qua ille vult prædicare, quia si vellet totam horam matutinalem occupare in alijs, puta in missa non posset impedire prædicationem fratrũ, quia hoc est contra textum. Verùm aduertendum, quòd vbi adsit ratio congregandi totum populum etiam pro tota die potest Episcopus prędicationem impedire, & in hoc modo standum est determinationi Concilij Tridentini, vt nullus contradicente Episcopo prædicet etiam in Ecclesijs Regularium. Ex *cap. etiam* vt officium §. *compescendi*, vt notat *Tabien.v.Prædicare num.4.* Inquisitores possunt per censuram impedire prædicatores quæstuarios, cum ipsi volunt prædicare de fide.

1075 Addunt etiam aliqui ex *Riciull. vbi sup. num.7.* hoc verum esse nedum de Episcopis, sed & de alijs Prælatis Episcopo inferioribus territorium, & iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus. Quod in terminis *d.Clem.Dudum* est verum, vt considerauit *Syluest.v.prædicatio num.3. vers. Et sextò* vt patet ex verbis paulo supra relatis, cum expressum sub disiunctione dicat Episcopus vel Prælatus superior, quid verò sit dicendum in terminis Concilij Tridentini dicam inspectione sequenti.

1076 Ex his sequitur quòd extra illos casus in quibus Episcopus potest prohibere Regularibus ne in suis Ecclesijs prædicent, non potest idem Episcopus prohibere ne seculares dictorum Regulariũ côciones audiant. Ideo quòd nõ possit Episcopus suis subditis præcipere vt in sola Parochia audiant concionem ex *Zerola* dixit *Barbosa d. alleg.76. numer.36. Cæsarub. in v. Prædicare* §.17. mentionem facit priuilegij Bonifacij IX. pro Ordine Prædicatorum, per quod concessit, quod Fratres huius Ordinis verbum Dei in suis Ecclesijs, & Plateis communibus publicè proponere, & prædicare possent, ac iuxta morem dicti Ordinis mendicare, cuiuscumque inferioris Summo Pontifice licentia minimè requisita. *Ex* Corduba ibid. §.13 aduertit, dictum Pontificem sub pœna excommunicationis præcepisse Prælatis, & Parochis, ne populum retrahere possent ab audienda eorumdem Fratrum prædicatione. Inuenio autem Breue dicti Pontificis Bonifacij Noni, in paruo libello impressum inter alia dicti Ordinis Prædicatorum priuilegia Venetijs apud Lazarum de Soardis anno Domini 1516. die 26. Iulij, & habetur in eodem libello fol.72. à tergo, & incipit *Sacra Religionis, &c.* & fuit datum quinto Calendas Maii Pontificatus eius anno 13. Inter alia verò, quæ in dicto Breui continentur habentur sequentia.

Vniuersis & singulis Prælatis, ac Parochialium Ecclesiarum Rectoribus huiusmodi vbilibet constitutis, & alijs quibuscumque personis præsentibus, & futuris sub simili excommunicationis pœna, quam quemlibet contrafacientem incurrere volumus ipso facto, districtiùs iubentes: ne Fratres huiusmodi quominùs Missas, & alia diuina Officia in Ecclesijs suis quotidie celebrare &c. quomodolibet impedire, aut populum, vel Parochianos suos quominùs ad prædicationes dictorum Fratrum quotiens eos, quando voluerint, accedant retrahere quoquo modo præsumant &c. Animaduertere verò iuuat, quòd licet in Bullario dicti Ord. Prædicatorum collecto à Venerabili Magistro Ordinis Stephano Vsusmaris hoc Breue non contineatur, sed aliud quod incipit eodem modo; *Sacra Religionis sub qua dilecti filij Thomas Magister, &c.* Et fuit datum pariter quinto Calendas Maij Pontificatus dicti Pontificis anno 13. nihilominùs quia diuersa continent, nec sunt de eadem re, distincta sunt, licet eadem die data, & vnum alterius fidem non minuit, bene enim contingit, quòd eodem die plures literæ Summi Pôtificis de diuersis rebus dentur etiam ad eiusdem fauorem, & forsan Generalis Vsusmaris illud in quo continetur præfatum priuilegium de non retrahendis populis à concionibus, non collegit inter alia, quia ad manus non habebat authenticum, vel originale, quod traderet, & ostenderet Auditori Cameræ. In eo enim Bullario non continentur, nisi Breuia, aut Bullæ, aut Literæ Apostolicæ ex speciali Pauli Tertij Pontificis commissione per Franciscum de Albericis Auditorem Cameræ visæ, & in publicam formam redactæ 13. Aprilis 1556.

SVMMARIVM.

1 *Prædicantes sine licentia, & benedictione, aut Episcopo contradicente possunt ab eo puniri per censuras.nu.*1077.

2 *Non tamen ex vi Concilij Tridet.nu.*1077.

3 *Episcopus potest sub pœna excommunicat. aut suspensione præcipere Regulari ne prædicet sine licentia, aut benedictione.n.*1078.

4 *Non tamen id facere debet sine iusta causa. numer.*1078.

5 *Non tenetur causam reddere Regularibus. numer.* 1078.

6 *Potest Episcopus suspendere Prædicatorem, sed diuersimode, & non sine causa.nu.*1079.

7 *Iurisdictio concessa Episcopis per Constit. Inscrutabili Gregor.XV. non competit Prælatis inferioribus. n.*1080.

8 *In* Decreto *cap.2. sess.5. & cap.4. sess.24. Concil. Trident. sub nomine Episcopi veniunt inferiores Prælati.n.*1081.

9 *Facultas coercendi Prędicatores ne prędicent sine licentia &c. non transit in Vic.Capitular.n.*1082.

10 *Facul-*

10 *Facultatem dandi benedictionem concionatoribus, vel etsi contradicendi competere Vicarijs Capitularibus aliqui dicunt.nu.1082.*

11 *Vicarium Capitulare dat licentiam prædicandi in suis Ecclesijs.n.1083.*

12 *Facultas dandi benedictionem concionatoribus Regularibus non est ordinaria, sed delegata. numer. 1083.*

13 *Concilium non abstulit exemptionem Regularium. num.1083.*

14 *Facultas dandi benedictionem Regularibus prædicantibus in eorum Ecclesijs, vel eis contradicendi non transit in Vicarium Capitularem, nisi eam præscripserit.n.1084.*

15 *Bulla 18.Greg.XV. dicitur suspensa pro Regnis Hispaniarum, sed quidquid sit de hoc, iam ex alijs Constit. dispositum in ea obligat.n.1085.*

OBSERVATIO SEXTA.

1077 Episcopus sine cuius aut licentia, aut benedictione aut eo contradicente non possunt Regulares habere conciones, iam potest si hoc non obseruent eos coercere etiam censuris. Fuit autem quæstio an hoc potuerit facere *Episcopus* ex vi Concilij Tridentini, nam plures DD. fuerunt, qui dixerunt *Episcopum* in ijs casibus in quibus Regulares ei subduntur posse contra ipsos procedere etiam per censuras, alij verò plures hoc negauerunt, nisi in casibus in quibus expressè hoc illis permittitur. Sed iis modò est definita. Quod quidem *Episcopus* contra non seruantes decreta *Concil.Trid.lata in sess.5.cap.2.& sess.24.cap.4.* possit procedere etiam per censuras, & alijs pœnis coercere, & punire, si vel sine licentia Episcopi in alienis *Ecclesijs*, vel sine benedictione in proprijs, aut eo contradicente statutum fuit in Constitut. *Inscrutabili* 18.§.*Ac demum.* Gregor.XV. quòd verò id non conueniret *Episcopo* ex vi Concilij Tridentini, sed ei competat ex vi Constit. Greg.XV. definiuit Innoc.X. in Constitut. data in causa Angelopolitana in respons.ad 10. dubium ex propositis pro parte *Episcopi* Angelopolit. quam habes supra nu.176. *Et propterea* ita tenent *Lezana p. p. cap.20.nu.3. Aluiset in Murenula sec.3. cap.24. a.11. Barbosa ad cap.2.sess.5.Concil.Trid. de reformat. numer.22.& ad cap.4.sess.24.cap.21.Cespedes dub.196. Pax Iordan.l.6.tit.1. num.31. Reuerendiss. Fagnanus ad cap.sanè nu.14.de off. Iud.Deleg.* vbi bene aduertit, quòd licet Episcopi sint executores Concil. Trid. tamen hoc eis non competit contra exemptos, nisi in casibus expressis in quibus hæc facultas eis specialiter attribuitur. Nam & Pius IV. in sua Constit. *Benedictus Deus* §. *mandamus, Episcopis* præcipit, vt decreta Concilij obseruari faciant, sed à subditis suis. *Et Concil. sess.5. cap.2.* postquàm mandauit ne Regulares prædicent non petita benedictione, aut non obtenta licentia, subdens quòd si Prædicator disseminauerit errores in populum, aut scandala, Episcopus illi prædicationem interdicat, & si prædicauerit hæreses contra eum procedat, vult vt hoc fiat ab Episcopo vt Delegato Sedis Apostolicæ, dans ex hoc intelligere quanta circumspectione vsus fuerit, ne violaret priuilegia Regularium. Ideo Sacr. Congregatio ante editionem Constit. Gregor.XV. de anno 1597. declarauit non ad Episcopos, sed ad Prælatos Regulares spectare punire Regulares sine approbatione *Episcopi* audientes secularium confessiones. Et in causa Hierac.1613. pariter declarauit contra Prædicatores prædicantes contradicente Episcopo non posse Episcopum procedere per censuras, sed eorum punitionem ad Prælatos Regulares pertinere. Hoc verò considerandum in Barbastrensi *Episcopo*, quòd cum bene nouerit decretum Innoc.X. quod per extensum ponit quæst.26. & citat in proposito huius difficultatis *quæst.12.num.40.* Nihilominùs num.33. asserit, quòd secundùm statum antiquiorem probabiliorem putat prima ex à se recensitis sententijs, quæ est illa, quæ asserebat quòd hæc facultas procedendi per censuras in hoc casu contra Prædicatores competebat Episcopo ex vi Concilij Tridentini, & ipse Episcopus sic iudicat ad fauorem Episcoporum probabilius esse vel fuisse, cuius contrarium videt esse determinatum per Sacr. Congregationem Concilij, & per summum Pontificem.

1078 Cum ergo *Episcopus* contra huiusmodi Prædicatores possit procedere etiam per censuras, constat quòd Episcopus potest ex prædicta causa etiam Prædicatores ab officio suspendere, seu etiam potest interdicere sub pœna excommunicationis aut suspensionis ne sine licentia aut benedictione prædicent. Sed opus est circa hanc partem cum distinctione procedere. Quod enim Episcopus possit interdicere etiam per censuras Regulari ne prædicet vel sine licentia vbi illa est necessaria, vel sine benedictione, indubitatum debet esse ex Constit. citata Gregor.XV. quod verò nihilominùs *Episcopus* sine iusta causa non possit benedictionem negare, aut etiam licentiam, explicatum est supra & verè id nequit negari, cum in hoc Episcopus sit dispensator mysteriorum Dei obligatus ad dispensationem iuxta Dei mentem, & ex causa ob quam sibi dispensatio est commissa. & est etiã executor summi Pontificis nõ valens iis, quos inuenerit idoneos secundùm sibi commissam facultatem gratias Pontificis denegare. *Barbosa de off. Epis.all.76.num.21.Lezana v.Concionator num.6. Bassens v. Prædicator num.8. Pax Iordan.l.6.tit.1. num.32.* Tamen quòd nec superioribus, aut ipsis subditis Regularibus tenentur reddere causam cur licentiam neget aut benedictionem, tanquam decisum per Sacr.Congr. referunt & sequuntur *Franciscus Leo in Thes.p.1.cap.8.nu.9. Campanil.rub.12. cap 13.num.8.Barbosa de off.Epis.all.76. num.32.& in sum.v.Prædicatores num.vlt.& ad c.2.sess.5.Conc. Trid. num.23. Lezana v. Concionator num.7. Diana p.7.Pax Iordan.l.6.tit.p.num.23.Barbastren. in Past. p.1.q.40.num.25.& q.11.num.17.*

1079 Non tamen ex hoc sequitur, quòd in quocumque casu possit Episcopus & ex quacũque causa Regularem ab officio prædicationis suspendere, aut iam prædicantem post obtentam licentiam impedire ne prædicet. Pater Augustinus de Bellis in quadam allegatione edita pro defensione vnius Concionatoris sui Ordinis Theatinorum, vt videre est apud *Dianam p.7.tr.12.resol.30.& Cespedem.dub.203.* Octo numerat casus in quibus Episcopus potest Prædicatores suspendere, quorum tres habentur ex Concil.Later. sub Leone X.sess.11. & habes supra num. nimirum dum prædicant mira-

miracula falsa, secundò dum prædicant prophetias in sacra scriptura non fundatas, tertiò si in concionibus detrahant Episcopis aut alijs Prælatis. Et alij tres habentur ex *sess. 5. cap. 2. de reformat. in Conc. Trid.* nimirum primò, si concionator prædicet propositiones erroneas, secundò si scandalosas. Tertiò si hæreticales. Verùm negari non potest, quin sint alij casus in iure expressi in quibus Episcopus potest contra delinquentes Prædicatores procedere, sed iuuat hic distinguere suspensionem. Nam suspensio sumitur largè pro prohibitione officij. Secundò propriè vt est pura pœna Ecclesiastica in vindictam culpæ. Tertiò magis propriè vt est censura, seu pœna medicinalis. Primò modo suspensio nec est censura, nec est pœna, sed est medium à Superiore ad bonum regimen, seu ad bonum commune ordinatum. Et hoc modo infirmitas, Ignorantia, ineptitudo ad officium ex quacumque causa orta, periculum scandali, & alia similia præbere possunt iustam causam suspẽdendi ab officio prædicationis, & de hoc genere suspẽsionis dicitur, quòd Episc. sine causa rationabili non potest suspendere Regularem ab officio prædicationis, & tamen si suspendat non tenetur reddere causam nisi facti, nisi suis Superioribus. Sed suspensionem pœnalem non potest imponere nisi pro culpa, ideoque seruato ordine iuris & reo audito, & conuicto aut confesso. Suspensionem verò vt est propriè censura & pœna medicinalis imponere non potest nisi monitione præmissa, & forma iuris seruata.

1080 Sed hic aduertendum, quod huiusmodi facultas nimirum procedendi contra Prædicatores per censuras est propria Episcoporum, illa scilicet, quæ sibi tributa est per Constit. *Inscrutabili* Greg. XV. Nam Sac. Congreg. Concilij inter dubia proposita, & resoluta ab ea, circa dicta Constitut. à Gregor. XV. ita quæsiuit in quarto dubio. *An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium ac iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus. Et respondit. Non competere.* Facultas igitur quæ per Constit. *Inscrutabili* data est Episcopis, vt Sedis Apostolicæ deputatis minimè competit Abbatibus aut alijs Prælatis, Episcopis inferioribus, licet habentibus proprium territorium & quasi iurisdictionem Episcopalem.

1081 Ex hoc verò videtur colligi, quod nec tales Prælati comprehenduntur sub decretis Concilij cap. 5. sess. 2. & cap. 24. sess. 4. Quatenus præcipitur, quod Regulares non possint conciones habere aut sine licentia, aut sine benedictione, vel contradicente Episcopo, & quòd dicti Abbates nõ habent ius ex vi Concilij vel vt dent licentiam ad conciones habendas, vel benedictionẽ, vel vt contradicãt & prohibeant Regularibus ne in Ecclesijs suorum ordinum prædicent. Nam si Concilium etiam de illis loqueretur, non est verisimile, quòd Gregor. XV. non contulisset etiam illis facultatem quam tribuit Episcopis coercendi, & puniendi eos, qui sine eorum licentia, aut benedictione, aut cum eorum cõtradictione prædicare præsumpserint. Nihilominus oppositum dicendum est. In ijs enim quæ spectant ad potestatem iurisdictionis, sub nomine Episcoporum veniunt etiam Prælati habentes iurisdictionẽ quasi Episcopalem. *Gloss. in Clem. 2. in proprijs de rebus Ecclesiæ non alienan. Innoc.* relatus à *Cardin. in cap. Ex ore in fin. de priuileg. & in cap. At si Clerici §. de adulterijs num. 13. de iudic. Federic. de Senis cons. 14. num. 4. Panor. in cap. sicut vnire nu. 3. de excess. prælat.* & idem *Panorm. post Io. Andr. in Io. num. 2. de testam. & ex Gurz. p. 2. cap. 2. nu. 71. Ricc. decis. 198. num. 4. Rota decis. 338. par. 1. recent. Pasqual. ad Lauret. de Franchis p. 1. num. 557.* Vnde in casu nostro, quamuis in Tridentini decretis dicatur, ad Episcopum pertinere Sacerdotes approbare ad confessiones secularium audiendas, licentias prædicandi concedere, Virginum Deo dicandarum voluntates explorare, pias dispositiones, literas Apostolicas exequi, casus sibi reseruare, & alia plura eiusdem generis, tamen hæc omnia cõpetunt etiam inferioribus huiusmodi Prælatis, vt in casibus contingentibus sæpius resoluit S. Congregatio. *Reuerendiss. Fagnanus cap. Peruenit n. 15. de sent. excomm* Vbi addit, quòd immò licet Concilium *sess. 24. cap. 20. §. Ad hæc* decernat, quod causæ matrimoniales non inferiorum iudicio, sed Episcopi tantùm examini, & Iurisdictioni relinquantur, & sic Concilium loquitur taxatiuè; tamen per ea verba non excluduntur inferiores Prælati proprium territorium & iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, vt similiter Sac. Congregatio declarauit. Et sic Regulares in Ecclesijs subiectis istis Prælatis iurisdictionem quasi Episcopalem & territorium habentibus non possunt prædicare sine eorum licentia & benedictione, in Ecclesijs verò suorum Ordinũ debent solùm petere benedictionem. Et iuxta tenorem decreti sess. 24. cap. 4. non possunt huiusmodi Prælatis contradicentibus etiam in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare, & iuxta terminos *d. Clem. Dudum* vbi isti Prælati velint ipsi prædicare, vel coram se facere solemniter prædicari, aut ex causa aliqua totum populum congregare ad aliquam Ecclesiam, possunt contradicere, & prohibere Regularibus, ne illa hora prædicent. In quo tamen est aduertendum, quòd vbi Regulares ab istis Prælatis habeant licentiam aut benedictionem, non tenentur eam ab alio Episcopo petere vt in Ecclesijs aut territorio dictorum Prælatorum prædicent, quia tales Prælati sunt Ordinarij talium locorum, & vicem Episcopi retinent, & gerunt. Quàmuis verò supradicta, quæ sunt iurisdictionis, & conceduntur Episcopis, intelligantur sæpius cõcedi huiusmodi Prælatis, tamen facultas delegata concessa à Gregor. XV. Episcopis in Const. *Inscrutabili* minimè huiusmodi Prælatis conuenit; quia Pontifex satis esse iudicauit, si Regulares subijceret in administratione sacramentorum & in alijs contentis in d. Const. iurisdictioni, & correctioni Episcoporum.

1082 Hinc quoque habetur, quòd huiusmodi facultas coercendi, & puniendi Regulares, si prædicent sine licentia, vel in suis Ecclesijs sine benedictione, aut Vicario Capitulari contradicente, non competit eidem Vicario, quia cum hæc sit facultas delegata & ex speciali iure competens Episcopo, in ea non succedit Capitulum, vt probatum est supra. An verò Vicario Capitulari seu Capitulo competat vel dare licentiam prædicandi in Ecclesijs suæ Diœcesis, vel dandi benedictionem prædicantibus in Ecclesijs Regularium, aut contradicendi, & prohibendi, seu interdicendi ne ibi prædicetur, quæ à Conc. Trident. concessa est Epi-

ſcopis, variè eſt opinatum. Fiſcalis Capituli Cæſarauguſtani in allegat. quas refert, & ſequitur *Barbaſtren. in Paſtor. q.10. num. 39. & ſeq.* arbitratur, quòd poteſtas licentiandi ad conciones, & ad eas approbandi ſit ordinaria, & propterea, quod tranſeat in Capitulum ſede vacante. Quod verò illa poteſtas ſit ordinaria, probat, Tum ex *cap. Excommunicamus*, De hæreticis. Tum ex *Concil. Trident. ſeſſ.24. cap.4.* Tum auctor. *Card. in Clem. Dudum, verſ. Ab olim, q.3.n.7. de ſepulturis, Gratian. diſcept. 393. num.11. Rit. deciſ.219.* Tum quia cum facultas approbandi ad cōciones ſit conceſſa dignitati eiq; perpetuò annexa ex vi Trident. & Conſt. Greg. XV. iudicanda eſt vt ordinaria. Econtra verò P. D. Auguſtinus de Bellis Theatinus, qui prætenſum reum in cauſa illa concionis Cæſarauguſtana defendebat contra Fiſcalem, voluit hanc poteſtatem approbandi ad cōciones non eſſe ordinariam in Epiſcopo, ſed delegatam. Tum quia facultas huiuſmodi reſpicit exemptos, & per Conc. Trident. alteratur, & augetur; igitur eſt delegata; in exemptos enim locum non habet potentia ordinaria Epiſcoporum. Nec obſtat, ſi dicatur quod Epiſcopi à iure tenent facultatem contradicēdi Regularibus ne prædicent ex *cap. excommunicamus, de hæret.* Quoniam capitulo illi derogatum fuit per *Clement. Dudum*, & per alia priuilegia Regularium. Et ſic Regulares non debent conſiderari vt ſimplices Sacerdotes de quibus loquitur illud capit. Sed vt Sacerdotes priuilegiati & habentes ex priuilegijs liberam facultatem prædicandi, & in quos Epiſcopus non habet iuriſdictionem, niſi quam delegat ſibi Pontifex in caſibus particularibus.

1083 Diſtinguendum eſt in hac parte inter Eccleſias ſubiectas iuriſdictioni Ordinarij, & Eccleſias Regulares. Nam ad prædicandum in Eccleſijs alienis ſine Epiſcoporum, vel Superiorum illarum conſenſu, vt ſupra etiam probatum eſt. Nullum habent Regulares priuilegium, & vt aduertit *Syluest. ver. prædicatio numer. 2.* fuit hoc expreſsè prohibitum per *Clem. dudum, de ſepulturis.* Et ideo de iure Ordinario Epiſcoporum eſt quod Regulares ex quo ad hoc non habent priuilegium non poſſint ſine Epiſcoporum licentia prædicare in Eccleſijs ſubiectis eorum iuriſdictioni. Sed loquendo de Eccleſijs Regularibus ſubiectis Regularibus Prælatis, & exemptis à iuriſdictione Epiſcoporum, ideoque de perſonis, & locis exemptis, & priuilegiatis, dicitur quod neceſſitas benedictionis Epiſcoporum nec eſt, nec eſſe poteſt ex iuriſdictione Ordinaria, quantùmcumque neceſſitas huius benedictionis ſit perpetuò annexa dignitati Epiſcopali & generaliter, quia manente exemptione, & priuilegio Regularium & Eccleſiarum ſuarum implicat quòd Epiſcopus reſpectu eorum agat vt cauſa principalis, cum materia & ſubiectum ex natura ſua ſuperet eius poteſtatem cum Regulares & ſint exempti à iuriſdictione Epiſcopi & ex priuilegijs, & ex *Clem. dudum de ſepulturis*, habeant facultatem vt liberè prædicent in ſuis Eccleſijs abſque alicuius contradictione. Ideo Epiſcopus in habentes talem exemptionem, ſolum poteſt agere vt miniſter, & inſtrumentum Papæ; quoniam ſubiectum & materia eſt Papalis, & immediatè ſubdita ſoli Papæ, & reſpiciens poteſtatem Papæ vt propriam cauſam. Nec dici poteſt, quod Concilium præcipiendo vt Regulares non prædicent ſine benedictione, reuocauerit quantùm ad hanc partem exemptionem hoc enim voluntariè dicitur; & cum hoc ſit in præiudicium iuriſdictionis Pontificis & immediatæ ſubiectionis Regularium ad illum, non eſt dicendum quod fuerit factum, maximè cum id non fuerit expreſſum. & bene ſtent ſimul quòd Regulares ſint exempti, & ſubijciantur Epiſcopo vt Delegato Sedis Apoſtolicæ, quanta enim circumſpectione Concilium attenderit, ne violaret priuilegia, Regularium ſupra ex *Reuerendiſſimo Fagnano* eſt conſideratum. Et in propoſito quod exemptio non ſit ablata inde colligitur, quòd ex quo Concilium voluit quòd Regulares eſſent ſubiecti Epiſcopis quantùm ad neceſſitatem petendi ab eo benedictionem, vel non prædicandi eo contradicente, non per hoc dedit illis auctoritatem coercendi eos, & puniendi ſi contrafacerent, ſed hæc auctoritas fuit illis data à Gregor. XV. ſed expreſsè vt Delegatis Sedis Apoſtolicæ. Solùm igitur vt Delegati puniunt non ſeruantes decretum Concilij ſicut ſolùm tanquam Delegati habent ius contradicendi, aut neceſſitandi ad recipiendam ab ipſis benedictionem, Itaque contrarium opinantes valde in æquiuoco laborant, & conſiderant Regulares tanquā ſimplices Sacerdotes non miſſos à Pontifice, qui quidem prædicare non poſſunt niſi miſſi ab Epiſcopo. Sed Regulares ſunt exempti, priuilegiati, & iam miſſi à Pontifice ad prædicandum, & ad hoc ius habentes, licet ſub conditione, vt ab Epiſcopis benedictionem accipiant, vel vt Epiſcopi non contradicant; In quo Epiſcopi ſunt miniſtri & executores Delegati facultatis à Pontifice datæ Regularibus ad prædicandum,

1084 Cum ergo hæc facultas ſit merè delegata, nec dici poſſit facultas Ordinaria vel pura, vel aucta aut prorogata, ſequitur quòd non tranſit in Vicarium Capitularem ſeu in Capitulum. Niſi quia cum iuriſdictio præſcriptione, & conſuetudine acquiri poſſit, ideo vbi ſit conſuetudo legitimè præſcripta quòd petatur benedictio à Vicario Capitulari, vel quod eo contradicente non habeatur concio in Eccleſijs Regularium, illa ſeruanda erit. De his quoque videnda erunt, quæ dicta ſunt ſupra à num.319. de facultate reuocandi licentias audiēdi confeſſiones, vbi neruosè probatur, quòd huiuſmodi facultates ſunt delegatæ, nec competunt Capitulo ex vi Concilij vel Conſt. Greg. XV. De Vicario autem Epiſcopi alia eſt ratio. *Syluest. v. prædicatio num.3. verſ. & ſexto ibi*, arbitratur quòd in terminis *Clem. Dudum*, ſub nomine Epiſcopi veniat eius Vicarius, ſi volt ipſe prædicare vt Vicarius ſecus ſi per alium coram ſe, vel ipſe non vt Vicarius, ſed vt habens aliam Prælaturam velit prædicare, quia cum vt ſic non repræſentet perſonam Epiſcopi non poterit impedire Fratres, ne prædicent. Sed modò conſiderandum eſt, quòd cum Vicarius ex auctoritate Epiſcopi agat, ex quacumque cauſa Epiſcopus poteſt contradicere Regulari ne prædicet, id poterit facere Vicarius, ſi hæc facultas ſit illi delegata ab Epiſcopo. Et ex eadem auctoritate poterit in vi Conſtitut. Gregor. XV. procedere contra prædicantes ſine licentia, aut benedictione, aut Epiſcopo contradicente, Hanc enim facultatem poteſt illi Epiſcopus ſubdelegare.

Quan-

1085 Quantum verò ad Const. Gregor. XV. ex qua habent facultatem puniendi Regulares si decreta *Conc. Trid.* supra dicta non obseruent, considerandum est, quòd *Lezana p.p.q.19.num.35.* dicit Const. præfatam iussu Vrbani VIII. fuisse suspensam pro Regnis Hispaniarum vt constat ex literis Nuncij Apostolici, qui tunc erat Cardinalis Sacchettus, datis 21. Aprilis 1625. quam suspensionem etiam refert *Tambur. de iure Abbatissarum disp. 16. q.3.num.3. & Cespedes q.196.* Verùm fuerit ne, vel non fuerit data huiusmodi suspensio, considerandum est, quòd quantùm ad Confessiones idem Vrbanus VIII. die 12. Septembris 1628. per Breue speciale reuocauit omnia indulta, & priuilegia audiendi Confessiones Regularium sine approbatione Episcopi. Deinde præcisa Const. Greg XV. ex vi *Concil. Trid. sess.25. capit.11.* in Monasterijs, quibus cura animarum est annexa personæ ad eam curam deputatæ quantùm ad administrationem sacramentorum sunt sub eâdem iurisdictioni, visitationi & correctioni Episcoporum. Sed ampliùs attendi debet, quod Vrbanus Octauus die 30. Ianuarij 1639. dedit Breue pro Diœcesi. Gienen. in quo dat Episcopis eam facultatem coercendi, & puniendi etiam per censuras qui deliquerint contra ibidem statuta, & declarata siue in audiendis confessionibus, siue in prædicatione verbi Dei. Et simile breue obtentum fuisse sub eadem die ab Episcodo Corduben. refert *Barbastren. in Pastoral. p.2. q.9.num.30.* Et quamuis *Pasqual q.* probet, quod Breue datum pro Diœc. Gienen. sit particulare, & valeat pro Diœc. Gienen. vnde idem dicendum erit de alio dato pro Diœc. Cordub. & verè negari non possit, quòd illæ dispositiones nō sint particulares, tamen communes sunt, teste eodem *Pasqual. ad Lauretum de Franc. num.3.* in quantùm continent declarationem iuris communis, vnde ex illis probant DD. quòd ad prædicandum in Ecclesijs Regularium sufficiat benedictio petita, licet non obtenta. Sed & vlteriùs inspiciendum, quòd & in causa Angelopolitana Congregatio pro ea causa deputata primo die 6. Aprilis 1648. in generali declarauit Episcopum Angelopolitanum in vi Constit. Greg. XV. potuisse etiam per censuras punire & coercere in diœc. Angelopolitana vel audientes confessiones sine eiusdem Episcopi approbatione, vel prædicantes in Ecclesijs sine eius benedictione, aut eo contradicente; vnde ex hoc habetur, quòd dicta Gregor. Constitutio non habetur pro suspensa in Indijs. Et postea eadem Congregatio ad quintum dubium ex propositis pro parte Episcopi Angelopol. decreuit absolutè, quod Constit. Gregor. XV. æquè afficit Religiosos Societat. ac reliquos, & quod priuilegia omnia Regularium sunt reducta ad terminos dictæ Constitut. Et in respons. ad decimum absolutè respondet Regulares puniri posse vi Constitut. Gregor. XV. si contra eam delinquant in audiendis confessionibus, aut in prædicatione verbi Dei. Quæ omnia confirmata fuere per Breue Innocent. Decimi. 14. Maij 1648. & 19. Nouembris 1652. & 27. Maij 1653.

SVMMARIVM.

1 *Prædicatoris qualitates, n.1086.*
2 *Quæ prædicare debeant. n.1087.*
3 *Quid sit detrahere Prælatis. n.1088.*
4 *Pœna lata in Clement. Religiosi. De priuileg. num.1089.*
5 *Indulgentiæ indiscretæ quæ sint. nu.1090.*
6 *Excommunicatio lata à Leone X. qualis. numer. 1091.*
7 *Disposita in decretis Concil. Trid. sess.5. cap.2. & sess.24. cap.4. seruanda sunt à Regularibus, & sufficienter est derogatum priuilegijs in contrariū. num.1062.*
8 *Prædicator suspectus de fide puniendus per Inquisitores. n.1093.*
9 *Prædicatores quando peccent mortaliter ratione materiæ. n.1094.*
10 *Sub pœna excommun. non possunt impedire solutionem decimarum. n.1095.*
11 *Non debet Prædicator puniri ob scandalum acceptum. n.1096.*
12 *Quomodo Prædicator propter scandalum vitandum possit, vel non possit omittere veritatem. num.1066.*
13 *Prædicator vitet omnino auaritiam. n. 1097.*
14 *Non potest pro obligatione suæ libertatis recipere pretium. n.1097.*
15 *Prædicatores possunt eleemosynas petere. numer. 1098.*
16 *Prædicator in mortali occultè existens non peccat conciones habendo. n.1099.*
17 *Concio omni tempore conuenit. n.1100.*
18 *Priuilegia Prædicatorum. n.1101.*
19 *Prædicatura non venit sub nomine suspensionis ab officio. n.1101.*
20 *Indulgentiæ concessæ audientibus conciones. numer.1102.*

INSPECTIO SEXTA.

1086 Considerare quoque debet Prædicator quæ prædicare debeat, vel nō debeat. In quo memor esse debet vt obseruet statuta in Conc. Lateranen. sub Leone X. *sess.11.* quę habentur supra nu. 1029. & quæ ordinauit *Conc. Tridentinum sess.5. cap.2. de reform.* Debent verò Prædicatores esse docti, eruditi, maturi moribus, corde impauidi, irreprehensibiles, spiritu feruentes &c. *cap. oportet. 8. q.1.* & præcepta seruare debent, quæ tradidit *S. Gregor. Papa par.2. Pastoralis & cap. Si recto, dist.42.* relata sunt. An verò suspensus vel interdictus possit conciones habere? *Lauretus de Franchis* dixit non posse, si concionator sit nominatim suspensus, vel interdictus. Sed *Pasqualig. p.p. num.587.* id esse verū ait de suspenso simpliciter, non verū de suspenso ex parte. Nam suspensus à confessionibus potest concionari, & interdictus ab ingressu Ecclesiæ poterit concionem habere in platea. Immò si interdictum sit locale, quia non priuat nisi aliquibus Sacramentis, & diuinis officijs, & ecclesiastica sepultura, *cap. Alma & cap. Si ciuitas de sentent. excomm. in 6. & cap. quod in te de pœnit. & remiss.* concio autem non continetur sub diuinis officijs, & consequenter non cōtine-

tinetur sub aliqua priuatione interdicti iuxta *doct. Neuarri cap.27.num.172.& 176. Syluest. v.interdictum 5. num 5. & 6. Suarez de cens. disp.34. sent.* & communiter. Et habetur ex *cap.respons.de sentent. excomm.* bene sequitur, quod interdictum non priuat facultate conciones habendi. Immò vt probo infra in hac eadem inspectione, nec sub nomine suspensionis ab officio simpliciter venit suspensio à concionandi munere. Bene tamen aduertit *Pasq. ad Lauretum p.p.nu.646 ex Peyr.tom.2.ad Const.10. Vrban VIII, nu.5.& Lezana tom.1.quaest.regal. cap. 30.nu.14.* quòd infamia infamia iuris aut facti, nisi pœnitentia infamiam deterserit, non debet admitti ad prædicandum, quia indecens est, quòd annunciatio verbi Dei his personis committatur. Et quia prædicare, & sacrificare parificantur, *cap.Presbyteros, dist.50.* Eiecti quoque à claustro ex decreto *Conc. Trid. sess.5.cap.2.* viuentes extra suorum Prælatorum obedientiam, non possunt ab Episcopis admitti ad officium prædicationis. Quod tamen non procedit in ijs, qui de licentia suorum Superiorum viuunt extra claustra sub eorumdem obedientia. *Pasqual.ad Lauret.p.p.nu.619.*

1087 Ex præscripto Leonis X. Primò prædicare debent Euãgelicam veritatem & sacram Scripturam iuxta explicationem sacrorum DD. quos Ecclesia, vel vsus diuturnus approbauit, neque ex proprio sensu aliquid dictorum adijcere possunt; Secundò non possunt præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, vel certum diem iudicij prædicare aut asserere, neque alia futura ex literis sacris constanter prædicare, nec illa à Spiritu sancto vel diuina inspiratione se habuisse affirmare, nec alienas diuinationes asseuerãdo, aut aliq quocumq; modo tractandas assumere. Nisi huiusmodi futurorũ prædictiones, & reuelationes prius à Sede Apost. examinatæ fuerint, & approbatæ aut in casu necessitatis ab Ordinario loci. Tertiò Euãgeliũ cum vitiorũ detestatione, & virtutum cõmendatione declarantes pacem, ac mutuam dilectionẽ fouere debent, & cauere ne dissensiones, & schismata inducant, & ne detrahant Episcopis, Prælatis, & Superioribus, eorumque statui, & ne eos intemperanter reprehendant, & mordeant, & præcipuè vt ab aperta & manifesta redargutione eorum quandoque etiam nominibus eorum male gestorum abstineant. Quartò seruare debent *Clem. Religiosi, de priuileg. in qua in §. Quibus* præcipitur Prædicatoribus, ne Prælatis detrahant, aut retrahant laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia, vel accessu, seu indulgentias pronuncient indiscretas.

1088 Circa huiusmodi verò est considerandũ, quòd detrahere Prælatis, vt habet *Gloss. in d. Clem. in verba detrahere* est abloqui nominatim de Prælatis, vel per circumlocutionem talem, quæ moraliter nominationi æquiualeat, *Syluest. v. Prædicatio num.6.* Sed in genere possunt Prædicatores omniũ vitia redarguere. Et nihilominus Prædicatores etiam in genere loquentes prudentes sint, & cauti, ne aliquid dicant, quod non sit aptum ædificare, sed destruere, quia qui inconsideratè loquitur sentiat mala 5.q.5.§.*sed alius. & cap. Si rector 44.dist.*

1089 Item quantum ad hanc partem, & alia quæ vetita sunt in *d.Clem. Religiosi,* Prædicatoribus si circa ea delinquant hæc pœna statuta est, vt per duos menses subiaceant pœnis illis, quæ secundũ eorum regulam, vel statuta pro grauibus criminibus seu culpis eis consueuerunt imponi, super quibus absq; manifesta necessitate cum eis non valeat dispensari. *Barbosa ad d.Clem. num.18. post Azor. p.1.lib.12.c.13.q.5. Rodriq.tom.3.q.32.a.2.Farinac.in praxi crim.p.3.q.105.n.406.*

1090 Quantum etiam ad indulgentias, attendi debet, quod illæ dicuntur indiscretæ indulgentiæ, quæ non sunt concessæ, nimirum suppositititiæ subreptitiæ, falsæ, & inanes, *Gloss. ver.indiscretas, Azor d.cap.13.q.5. Rodriq.p.2.q.98.a.2. Barbosa ad d. Clem.q.10. Lezana p.p.c.20.nu.17.* Quæstoribus verò eleemosynarum specialiter interdictum est huiusmodi falsas indulgentias prædicare, per Concil. Later. sub Innoc.III. *cap. cum ex eo. de pœnit. & remiss. & per Concil.Viennen.Clem.absolutionibus, rod. tit.* & per *Concil. Trident. sess. 2, cap. 9.* Sed de his quæstoribus non est noster sermo, sed de Prædicatoribus quibus interdictum est ne possint publicare indulgẽtias indiscretas, sed modò nedum indulgentiæ falsæ, sed non approbatæ ab Ordinario indiscretæ censendæ sunt, nec Prædicatoribus licet huiusmodi indulgentias non approbatas publicare, *Lezana d.cap.21.num.17. Bonac.tom.3.q.3.p.30. n.9. Nicolius v. Indulgentie nu.9.vbi nu.10.* addit, quòd Episcopus debet dare licentiam publicandi Indulgentiam concessam Ecclesiæ nondum consecratæ, ex declar. S.Congr.5.Martij 1648.

1091 Vltimò circa præfata decreta Leonis X. attendi debet, quòd imposita est excommunicatio reseruata Papæ ea non obseruantibus. Circa quam supra num.1035. dictum fuit, quomodo apud multos dubium sit an illa excommunicatio fuerit vsu recepta & vigorem habeat. Circa quod *Lezana p.p.cap.20.n.10.* aliorum arbitrio se remittit. Quod verò hanc excommunicationem incurrant qui prædicant miracula falsa, visum fuit *Lezana d.cap.20. num.17.* Sed non est in Const. Leon.X. verbum vnde hoc colligatur, ibi enim prohibitum fuit prædicare prophetias falsas vel reuelationes non verò miracula.

1092 In *Concilio autem Trident. sess. 5. cap. 2.* statuitur, quòd prædicantibus errores & scandala Episcopi prædicationem interdicant, prædicantes verò hæreses ad eisdem via iuris puniantur. Verùm (inquit *Aluiset in Marconle sess.5 cap.23.nn.5.*) quia Trident. non derogat iuri scripto, immò nullas ibi habet non obstantias, quæ tamen requiruntur ad derogandum priuilegijs, ideo possunt Regulares vti suis priuilegijs, quod habent ex *Clementina citata*, etiam si aduersetur Episcopus. Sed doctrina hæc prorsus est falsa. Nam & licet, vt dictum est etiam & probatum supra huiusmodi non obstantiæ non fuerint necessariæ ad hoc vt Concilium derogaret priuilegijs, si desiderantur non obstantiæ, & derogatoriæ haberi possunt ad satietatem in Const. Pij IV. *In Principis Apostolorũ Sede* data decimo Calend. Martij 1565. In qua omnia priuilegia Regularium reducit ad terminos Concil Trident. eaque reuocat quatenus illi sunt contraria, & in alijs Constit. Pontificum, qui huiusmodi decreta obseruari mandauerunt, ideo communis est DD. sententia decreta *Concil. Trid. in d.capit.2.sess.5. & cap.4. sess. 24.* à Regularibus esse seruanda, quòd nouissimè stabilitum fuit etiam per Innoc. X. in causã Angelopolit.

Sed

1093 Sed vbi Prædicatores aliquid prædicent contra fidem, ex quo se reddant suspectos de fide, & cognitio facti illorum ad tribunal fidei pertineat, seruandæ sunt Constitut. Pontificiæ super huiusmodi causis æditæ, inter quas Constit. Pauli Quinti, quæ incipit *Romanus Pontifex*, & fuit data Calend. Septem anno 1606. in qua reuocat facultatem cognoscendi de huiusmodi causis à Prælatis Regularibus. Vnde si Prædicator quocumque modo se reddat suspectum de fide, puniendus est per Inquisitores, vel Ordinarios locorum.

1094 *Ex* ijs habetur, quòd mortale peccatum sine dubio est, si Prædicatores illicita prædicent, & falsas doctrinas ad fidem, vel mores spectantes: Si verò contingat Prædicatores falsò citare locum aliquem veræ doctrinæ, eos solùm venialiter peccare dicunt. *Lezana p.p. c.30. num.17. & Anton. d. Spir. Sancto p.p. tr. 2. disp. 3. nu. 155.* An verò sit mortale si prædicent fabulas, seu vtantur fabulis, negant ijdem *Lezana d. cap.20 num.16. & Anton. d. Spir. Sancto d. disp. 3. num. 153.* quamuis aliquando esse veniale dicat idem *Lezana ex Nauar. cap. 25. num. 142.* Eos tamen peccare mortaliter, si scurrilitatibus dediti risum, & chachinnos in populo excitare satagunt, & tanquam mimos agerent, trahere populum non ad verbum Dei, sed ad comoediam audiendam, dicit *Pasqual. ad Laures. de Franc. p.p. num. 589.* Nam & quàmuis conuertant scurrilia ad seria, considerare debent, quòd non sunt facienda mala, vt veniant bona. In hoc tamen paruitas materiæ à culpa graui potest excusare. Debent etiam Prædicatores in Epistolis, & Euangelijs, quæ assumunt prædicanda, se conformare Ecclesiæ in qua conciones habent *Lezana d. num. 17.*

1095 Specialiter etiam sub pœna excommunicationis ipso facto est Prędicatoribus interdictum, ne impediant solutiones decimarum, in *Clem. Cupientes de pœnit. Nauar. in manual. cap. 27. num. 145. Lezana p.p. cap. 9. num. 26.*

1096 Quod verò in *Concil. Trid. d. sess. 5. cap. 2.* dicitur, quòd Episcopi interdicant prædicationem ijs, qui prædicant errores, & scandala; non intelligitur de scandalo accepto ab audientibus, & à Prædicatore non dato. Nam immò Prædicator potest, & debet pro bono publico veritatem publicè docere, malè agentes in genere redarguere, virtutem promouere etiam si inde aliquorum sequatur scandalum, tenentur enim Prædicatores ex officio veritatem docere, arguere, & increpare in omni patientia, & doctrina. Quòd si aliqui ex propria malitia hinc capiant scandalum, hoc est per accidens, & non debet Prædicator suo muneri, & bono communi deficere, propter audientium malitiam, vt habetur ex Ambros. serm. 83. ibi. *Ego interdum parcens vobis tacere vellem, sed malo vas contumaciæ causas reddere, quàm negligentiæ sustinere iudicium.* & S. Aug. lib. 1. de bono perseuer. an. capit. 16. *Dicatur ergo verum, maximè vbi aliqua quæstio, vt dicatur, impellit, & capiant, qui possunt: ne fortè cum tacetur propter eos, qui capere non possunt, non solùm veritate fraudetur, verùm etiam falsitate capiantur, qui verum capere, quo caueatur falsitas possunt.* Et ideo hoc idem colligitur, ex *cap. sit Rector, cap. Ephesijs, cap. dispensatia dist. 43.* & docent *Sotus in 4. d. 18. quæst. 2. a. 4. ad secundum Bartholomæus de Ledesma de pœnit. dub. 13. Martinus de Ledesma 2. p. 4. quæst. 8. a. 4. dub. 8. Nauar. in cap. final. num. 79. de pœnit. Couar. 4. p. 2. cap. 6. num. 15. Cano relect. de Pœnit. p. 5. §. Testimonia verò. Sanchez l. 2. de matr. disp. 38. num. 29. Barbosa ad cap. Ephesijs nu. 2. dist. 43. Pasqual. centur. p. quæst. 6. Moron. resp. 56. numer. 41.* & alij quos illi referunt. Qui tamen etiam hoc limitant, vt si timeatur scandalum pusillorum in tota Republica, bonum sit pro tunc abstinere, & melius tempus expectare. Nam & Christus dixit, Io. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò* & Paulus in p. ad Cor. 3. *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi non escam: nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis.* In his igitur attendi debet necessitas boni communis, & considerandum quid ad Dei gloriam, & fidelium profectum vtilius sit, & ex regula charitatis, vel loqui, vel tacere. Hanc verò quęstionem proponit S. Aug. d. c. 16. de bono perseuer. videlicet, *Cum autem res vera ita se habet, vt fiat peior nobis eam dicentibus ille, qui capere non potest, nobis autem tacentibus, ille qui potest, quid putamus esse faciendum? Respondet autem. Nonne potiùs est dicendum verum, vt qui potest capere, capiat, quàm tacendum, vt non solum id ambo non capiant, verum etiam, qui est intelligentior, ipse sit peior? qui si audiret, & caperet, per illum etiam plures discerent. Qui enim est capacior, vt discat, eò magis est idoneus, vt alios doceat.* Per se igitur non debent boni, & capaces veritatis, & qui & si sint peccatores, sunt agri in quibus iactum Dei verbum fructificabit, priuari veritate, ex eo quòd aliqui eam capere non valeant, vel nolint. Quamuis & in his circumstantiæ singulares pensari debent, et ad regulam, et trutinam charitatis omnia ponderare, et quod melius est agere.

1097 Debet quoque Prædicator omnino vitare auaritiam, & licet possit secundùm consuetudinem pro sustentatione recipere eleemosynam & mercedem *Lez. v. Conc. num. 12.* tamen pro illa non debet laborem & opus prædicationis impendere. Et in hoc pessimè loquitur *Barbosa de off. & pot. Epis. cap. 76. num. 10.* affirmans, quòd Prædicator possit pro sola obligatione exigere pretium locando libertatem suam. Quoniam obligatio ad prædicandum, & seruitus ad tale mynisterium res spiritualis est, & superans omne pretium, & quæ sine simonia non potest vendi, vel locari pro pretio. Ad quem verò spectet Prædicatores eligere, illos sustentare, & eis eleemosynam dare, tractant *Reuerendiss. Fagnanus in cap. inter cætera. De off. ordin. Barbosa d. all. 76. a num. 10. Pax Iordan. lib. 6. tit. 1. num. 60. & seq.*

1098 Prædicator etiam maximè cautus esse debet in quærendo eleemosynam, sicut solet fieri in media concione. Nam & prædicatorem non posse miserabiles personas, seu pauperes, seu pia opera populo commendare, & pro eis eleemosynas petere sine licentia Ordinarij tanquam decisũ à Sacr. Congreg. Episcoporum & Regular. in vna Placent. 20. Iulij 1619. tradunt *Barbosa in v. prædicare, Pax Iordan. l. 6. t. 1. num. 95. Cespedes q. 197.* & apud eum *Bariola, & Bordan. ref. 6. num. 30.* ex alia declarat. Sacr. Congreg. in gratiam Epis. Sauon. data 8. Maij 1602. quod explicat Pax Iordan,

vt

vt intelligatur de certis pauperibus, & certis causis, & certa eleemosyna certo tempore colligendai Cum aliàs ad Prædicatores maximè spectet virtutem eleemosinæ commendare. Sed bene Cespedes aduertit praxim esse, quòd Prædicatores huiusmodi eleemosynas petant etiam pro certa persona, & causa, sine Episcopi licentia. Addie quoque *Pasqualig.ad Lauretum p.p. num.630*, quòd relata declaratio Sacr. Congreg. obstare non potest. Quia cum fuerit data ad fauorem Epis. Sauonensis ex specialibus causis, non potest trahi, vt habeat locum vniuersaliter. Prædicatores etiam posse pro suis monasterijs eleemosynas petere, vt tanquam declaratum à Sacr. Congreg. Episcoporum ex *Gauan.* tradit *Lezana d. cap.20. num.17. & Cespedes d.q.197.*

1099 An verò Prædicator existens in peccato mortali peccet mortaliter, affirmat *Caiet.3.p.q.64. a.6.* circa responsionem ad primum quem sequitur *Armilla v. prædicare. num.2. Et* pro hac sententia referri *S.Thomam à Persico l.1.de prac.sacerdat.offic. c.10.num.29.* dixerunt aliqui addentes *D. Thom. se retractasse 3.p.quæst 64. a.6.ad primum.* Sed nec vbi D.Thom. oppositum docuerit referunt, & regula tradita à *D.Thom.in d.resp.ad primum.* est cōtraria & optima, quia scilicet ministrare opera charitatis non consecrata in peccato mortali non est peccatum. Prædicare verò nec ex natura rei, nec ex lege Ecclesiæ est actus Ordinis, ideo non est opus consecratum, vnde illud exercere in peccato mortali per se, & præciso scandalo, aut alia mala circumstantia non est peccatum, vt bene docent *Sotus in 4.d.1.q.5.a.6. Medina C. de pœnit. tr.1. q.5. Bassæus v. Prædicator num.5. Suarez tom.3. in 3. par.disp.16.sect.3. Valentia tom.4.disp.3.q.5.p.3. Syluest in 3.p. q.64. a.6.q.1. concl.9. Diana de Sacram. resol.197.* Peccare tamen venialiter dixerunt *Lezana d.c.an.num.15. & Anton. à Spir. sancto d.disp.3. num.155. Pasqualig.ad Lauretum p.p. num. 645.* Sed cum non adsit lex quæ hoc prohibeat, & prædicare non sit opus consecratum, non video per se vnde peccatorem prædicare, & agere hoc opus misericordiæ sit peccatum. Addit etiam Bassæus, quòd ex contemptu potest esse peccatum mortale, vt si quis parui faciens verbum Dei pro nihilo ducat in eo statu prædicare. Sed si Prædidator malè sentiat de verbo Dei erit hæreticus, Sed si bene sentiens de verbo Dei, illud prædicet dum est peccator, quia non obligatur ad recedendum à statu peccati occulti, vt prædicet, non contemnit verbum Dei. Peccator verò publicus ratione scandali peccat. *Et* qui ex officio tenetur prædicare, si sit diffamatus de peccato debet se emendare, & procurare, ne mala fama præbeat impedimentum fructui prædicationis.

1100 Omni vero tempore competit prædicatio, quamuis de nocte non sit conueniens, vt vtriusque sexus fideles conueniant. Cæterùm & tempore interdicti, & excommunicatis audientibus concio haberi potest, quia immò peccatores illi sunt, quibus competit, vt ad bonum promoueantur, & per verbum Dei efficax, & penetrabilius omni gladio ancipiti eorum corda ad pœnitentiam scindantur *Tabien. v. prædicare num. 3. ex cap. responsio de sent. excommun Barbosa d. alleg. 76. num.46. Pax Iordan.lib.tit.3.num.54. Lezana v.Concionator num.11. Bassæus v. Prædicator num.16*, secus tamen dicendum esset, si Papa specialiter interdiceret prædicationem, tunc enim prædicandum non esset, inferior verò Papa prædicationem interdicere non posset priuilegiatis, cum sit concessa à iure *d.cap.responsum. Tabien.vbi sup.*

1101 Nonnulla verò priuilegia pro Prædicatoribus concessa referuntur. Primùm quantùm ad officium diuinum *Cæsarub. v. prædicare*, refert priuilegium Leonis X. per quod concessit, quòd Fratres Minores de Obseruantia Prædicatores actu prædicantes, vt puta in Aduentu, & Quadragesima, possint anticipare officium feriale, & festa illis diebus reseruare, quibus illos laborare, ampliùs necesse est: non tamen in fraudem diuini officij. Sed hoc priuilegium est oraculum viuæ vocis. Secundum priuilegium eiusdem Leonis X. de quo loquitur *Cæsarub. num.16.* respicit ieiunium, dicitur enim quod Leo X. concesserit Minoribus actu prædicantibus, vt possint anticipare, aut retardare horas comestionis, & serotinæ collationis, Sed & hoc est oraculum, vnde nun valet ampliùs. *Lezana d.cap.20. num.8.* Sed ex communi lege excusantur prædicatores à ieiunio, si impedit illorum officium. *Diana p.1.tract.9. resol.31.* Tertium priuilegium est, quòd Prædicatores actu prædicantes dispensari possunt à sequela chori, & super alijs Religionum statutis, quæ possunt impedire officium prædicationis. Sic enim habetur ex decretis Clem.VIII. de reform. *Lezana p.p.cap.10. num.20. & cap. 20. num.18.* In Ordine Prædicatorum hoc est in specie determinatum, vt lectores actu legentes, & Prædicatores actu prædicantes sint à sequela chori exempti, vt patet dist.p.c.primo *Et* cum ex hac ratione dispensari potest in pluribus. Aliud etiam huic muneri conuenit, vt sub nomine officiorum non veniat, dum imponitur suspensio, vel priuatio ab officio. Potest tamen Prædicator suspendi ab officio prædicationis, & eo priuari, licet hæc suspensio, vel priuatio nō veniat sub communi nomine suspensionis, aut priuationis ab officio. Et quamuis oppositum senserit *Lezana p.p. cap.10. num.32*, tamen hoc non obstante dicitur ex Constitut. Sixti Quinti contra illegitimos, quòd nomen officij absolutè prolatum importat officium habens annexam quandam superioritatem, vt est officium Prouincialis, & Prioris, & ideo officium Lectoris, aut Prædicatoris sub nomine officij non venit, quando simpliciter imponitur pœna suspensionis, vel priuationis ab officio. *Sanchez in sum. l.6.cap.15.num.66. Rodriq in expostt. mot. Pij Quinti. Bonac.de clausur.disp.3.p.5.num.2. Diana p.4.tract.4. resol.224.*

1102 Multas etiam Indulgentias concessas audientibus sermones Fratrum Prædicatorum, & Minorum refert *Cæsarub. v. Indulgentiæ, quoad seculares.* Quintò, & quod ijdem Prædicatores possint etiam aliquas concedere. Sed non est in vsu, quòd Prædicatores indulgentias concedant. *Lezana v. Concionator num.14.* An etiam subsistant aliæ videndum esset, sed de his Deo dante agam ex professo.

SVMMARIVM.

1 *Doctorum necessitas. num.1103.*
2 *Et encomia. nu.1103.*
3 *Eorum defectus ruina Reipublicæ. nu.1103.*
4 *Regulares ipsi ad doctoratum. nu.1104.*
5 *Priuilegium Alexandri IV, pro Prædicatoribus; nu.1105.*
6 *Et maris magni pro alijs Religionibus. n.1105.*
7 *Bonifacij IX. pro eisdem n.1106.*
8 *Constitutiones eorumdem. n.1107.*
9 *Eiusdem. Bonifacij aliud. n.1108.*
10 *Martini V. pro eisdem. n.1109.*
11 *Capitulum Generale Friburgi. n.1109.*
12 *Priuilegium Iulij II. pro eisdem. n.1110.*
13 *Et Alexandri Quinti. n.1111.*
14 *Et Innocentij VIII. nu.1112.*
15 *Pij Quinti pro eisdem. n.1113.*
16 *Martini V. pro Minoribus. nu.1114.*
17 *Eugenij IV. confirmatio. n.1115.*
18 *Constit. Martini V. est lex pœnalis non afficiens alios Ordines. nu.1115.*
19 *Iulij II. pro Prædicatoribus, & Minoribus, numer.1116.*
20 *Vrbani Octaui pro Carmelitis. n.1117.*
21 *Pauli Tertij pro Societate. n.1118.*
22 *Iulij Tertij pro eadem. nu.1119.*
23 *Pij Quarti pro eadem. nu.1120.*
24 *Pij Quinti pro eadem. nu.1121.*
25 *Pro Congregatione S. Benedicti Vallisoleti, numer.1122.*

De facultate docendi.

INSPECTIO SEPTIMA.

1103 DOcendi munus in Ecclesia necessarijssimum constat esse, cum Reipublicæ intersit non minùs repleri doctis hominibus, qui scientias necessarias, & disciplinas doceant, quàm liberis. *Horat. l. vt De priuileg. scholar. priuil.22. & 23. Rebuff. priuil.55. & 64. Barbosa ad l.1. par.7. nu.40. & seq. ff. solut. matrim. Martinez. ad ll. Castellæ tit.10. l.7. gloss.6. num.13.* quos refert, & sequitur *Rota dec.69. num.93. part.7. Recent.* Docti enim homines sunt in Ecclesia veluti diuinitatis splẽdores, *cap. super specula, de magis.* Vnde meritò dicuntur radij Solis æterni, & stellæ quas posuit Deus in firmamento Cœli vt ignorantiæ noctem illuminent. *Baldus Authent. Habita. num.12. C. ne filius pro patre. Mandos. ad reg.16. Cancellar. quæst.15. num.3.* ideo sunt simul firmamentum, & robur quo reguntur, & sustinentur Reipublicæ. *Panorm. in cap. de multa num.5. & 7. de praben. Felin. in cap. si quando num.7. vbi Nauar. excep.16. num.5. De rescrip.* Cum enim per eos mundus totus illuminetur *Flam. de resignat. beneficiorum l.4. c.11. nu.57. Carolus de Grassis de effect. Cleric. in prælud. num.88. Barbos. ad cap. super specula, num.2. De magistro,* per eosdem ignorantia dissipatur, quæ infinitorum vitiorum est radix. Vnde S. Bernard. sess.36. in Cant. *Non ignoro, inquit, quantùm Ecclesiæ profuerint, & prosint litterati sui, siue ad refellendos eos, qui ex aduerso sunt, siue ad simplices instruendos. Legi, qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Denique legi, quia tu repulisti scientiam, & ego repellam te, vt non fungaris mihi sacerdocio.* Vnde est quòd peritorum, & eruditorum carentia est Reipublicæ ruina, vnde Isaiæ quinto dictum fuit. *Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Et Isaiæ 3. *Auferam de Ierusalem & Iuda consiliarium, & sapientem de Architectis, & prudentem Eloquii mystici.* Sic enim Deus perdere volens Ciuitates ac Regna, eaque in manus Inimicorum tradere, aufert ab eis doctos consiliarios, & prudentes, quod est dicere, quòd aufert ab eis defensores, & protectores. Docti enim viri ac prudentes suis consilijs & doctrinis non minùs Regna defendunt quam milites. *l. Aduocati. C. de aduoc. diuers. iud. Cassan. in cathalog. gloria mundi p.7. cons.28. Rausner dec. German. l.4. dec.2. num.49. Rota dec.69. nu.95. part.7. Recent.*

1104 Cum verò ad scientiam acquirendam & veram sapientiam obtinendam aptissima schola sit Religio, quæ à carnalibus affectibus, & secularibus curis maximè est separata, iuxta illud Isaiæ.28. *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.* Quia illi apti sunt maximè vt intelligentia diuinæ legis repleantur, qui habent corda affectionibus vacua, & quorum mentes sunt agri fertiles, nec spinis passionum nec dumetis carnalium desideriorum obsiti. Et ideo Bernard. Epis.108. reprehendit quẽdam, qui Religionis ingressum differebat, vt in seculo studijs vacaret. *Falleris*, inquit, *si te putas inuenire inter mundi magistros, quam* (scilicet scientiam) *soli Christi discipuli, idest mundi contemptores Dei munere assequuntur.* Et adducit illud Oseæ 10. iuxta versionem 70. Interpretum. *Seminate vobis ad iustitiam, metite spem vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ.* Et subdit. *Vides, quia non rectè proceditur ad lumen scientiæ, nisi germen iustitiæ præcedat ad animam, ex quo formetur granum vitæ, & non palea gloriæ. Quid ergo? Nondum tibi ad iustitiam seminasti, nondum spei manipulos messuisti, & veram te præsumis sectari scientiam? nisi fortè pro vera supponatur illa, quæ inflat.* Sic igitur Religiosus status in quo homines fiunt agri ad culturam accommodatissimi quia per studiũ mortificationis spinis & radicibus peccatorum eradicatis, mentes redduntur aptissimæ ad culturam scientificam, & ad sapientiæ profectum, vt exposuit idem Ber. serm.37. in Cant. & trig. trac.12. in Matt. Propterea meritò & institutum est, vt Religiosi studijs literarum vacent assiduè, vt multis probat *D. Thom. opus.19. cap.11.* Iuxta illud Hieron. in Epis.4. ad Rusticum. *Habeto cellulam pro paradiso, varia scripturarum poma decerpe his vtere delicijs, harum fruere complexu.* Et infra. *Nunquam de manu & oculis tuis recedat liber, discatur Psalterium ad verbum;* vt nedum sibi, sed toti Ecclesiæ sint vtiles, nedum exemplo, sed verbo, iuxta illud eiusdem Hieron. *Epis.103.* ad Paulinum. *Sancta rusticitas solùm sibi prodest, & quantùm ædificat ex vita merita, tantùm nocet si destruentibus non resistat.* Sed de his dicendum est vberiùs infra ad quæst.188. a.5. Interim ex his sufficit hoc concludere, quòd & scire ideoque & posse docere maximè competit Religiosis. Et quòd meritò propterea a Sede Apostolica cura docendi

est

est illis commissa, & Doctoratus laurea illis attributa. Vnde ad hunc finem multa eis concessa fuerunt priuilegia, & præcipuè sequentia.

1105 Alex.IV. in Bulla quæ incipit: *Exultate spiritu*, data Calend. April. Pontificatus anno Tertio fratribus Prædicatoribus prout habetur in eorum Bullar. fol.38. concessit facultatem legendi. *Nos*, inquit, *deuotioni vestræ præsentium auctoritate concedimus, vt singuli fratres de Ordine vestro, quos secundùm constitutionis ipsius Ordinis conuentibus vestris deputandos duxeritis in Lectores, sine cuiusdam alterius licentia, liberè in domibus prædicti Ordinis legere ac docere valeant in Theologica facultate, illis locis exceptis, in quibus viget studium generale, ac etiam quilibet in facultate ipsa docturus, solemniter incipere consueuit.* Et hoc idem sub eisdem verbis concessit Greg.XI. in Bulla *virtute conspicuos* & confirmauit in mari magno Sixtusquartus. Et hoc idem sub eisdem verbis concessit Clemens Quartus & confirmauit Sixtus IV; in Mari magno Minorum §.4. apud Lezanam. Idem quoque habetur concessum à Sixto IV. pro Carmelitis, vt habetur in eorum Mari magno apud Lezanam.§.85. vbi deest illa limitatio, *ac etiam quilibet in facultate ipsa docturus solemniter incipere consueuit*. Et additur *districtius inhibentes, ne quis Fratres ipsius ordinis, quibus dicta officia taliter committenda duxeritis, in executione officiorum ipsorum audeat quomodolibet impedire*. In mari etiam magno Minimorum, seu in Constitut. Iulij II. pro Minimis apud Peyrinum §.5. continetur priuilegium, quale est Prædicatorum & Minorum.

1106 Bonifacius IX. in Bulla, quæ incipit *Dilectos filios*, & habetur impressa Venetijs per Lazarum de Soardis 26. Iulij 1516. in quodam libello, & collectione Bullar. pro Ord. Prædicator. pag.8. cõcessit, quòd nullus dicti Ordinis Religiosus eiusdem Ordinis possit fieri Magistri, nisi vel approbatus, vel promotus in Capit. Generali.

Hinc est, *inquit*, quòd nos magistri & fratrum prædicatorum in hac parte deuotis supplicationibus inclinati: auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetua, & irrefragabili constitutione statuimus, & etiam ordinamus: quòd de cætero perpetuis futuris temporibus nullus ex fratribus dicti ordinis absque licentia seu assignatione Capitull Generalis secundum morem eiusdem ordinis ad legendum pro forma seu ad honorem Magisterij in Theologia promoueri: nec gradu huiusmodi magisterij fungi possit aut debeat: nisi per dictum capitulũ huiusmodi fuerit approbatus, vel promotus. Contrarium vero faciens eo ipso sẽtentiam excommunicationis incurrat. Et si per Capitulum prædictum reprobatus extiterit: pro non magistro habeatur. Quodque quicumque fratres dicti ordinis qui infra decem annos proximè præteritos ad honorem magisterij huiusmodi promoti per assignationem prælibati Capituli libros sententiam non legerint; & quorum lectura non fuerit per huiusmodi Capitulum approbata in proximo generali Capitulo morem ipsius Ordinis; vel per eos secundum quibus id prædictum Capitulum committetur examinentur diligenter; & nisi per examinationem huiusmodi digni reperti fuerint ad magisterij honorem obtinendum: de cætero magistri in eadem facultate nullatenus censeantur.

1107 De huiusmodi autem Bonifacij IX. constitut. fit mentio in dicti Ord. Constitut. *dist.2. capit.17.§.p.& 2. ibi.*

I.

Denunciamus D. Bonifacium IX. anno 1402. quinto Kalend. Maij, Pontificatus sui anno XIII. Constitutiones edidisse, quæ per nostrum Ordinem nequeunt immutari, tenoris infrascripti, Authoritate Apostolica tenore præsentium perpetua, & irrefragabili Constitutione sancimus, statuimus, & ordinamus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, nullus ex Fratribus Ordinis Prædicatorum, absque licentia, seu assignatione Capituli Generalis, secundùm morem eiusdem Ordinis ad legendum pro forma, seu ad honorem Magisterij in Theologia promoueri, vel gradu huiusmodi Magisterij fungi possit, aut debeat, nisi pei di..um Capitulum fuerit approbatus, vel promotus.

II. Contrarium verò faciens eo ipso excommunicationis sententiam incurrat. Et si per Capitulum prædictum reprobatus extiterit, pro non Magistro habeatur, Constitutionibus Apostolicis, ac statutis, consuetudinibus Prouinciarum, & locorum dicti Ordinis, nec non priuilegijs, & concessionibus Apostolicis in genere, vel in specie, quibuluis Fratribus, Prouincijs, seu locis, concessis, seu factis, aut concedendis, vel faciendis, sub quauis forma, & expressione verborum etiam si de eis de verbo ad verbum habenda esset in præsentibus mentio specialis) & alijs contrarijs non obstantibus quibuscumque. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secùs super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quod explicans *Glos. ibid. lit. A. subdit*. Authoritate Apostolica tenore præsentium perpetua, & irrefragabili Constitutione sancimus, &c.

Declaramus, à Sede Apostolica statutum, atque ordinatum fuisse, vt nullus Frater *Ordinis* nostri Baccalaureatus gradum possit assumere, nisi à Generali Capitulo ad illum assumendum fuerit promotus, et expositus, nec pariter gradum Magisterij assumere possit, nisi eius lectura ab eodem Capitulo fuerit approbata, et ipse ad Magisterium assumendum fuerit expositus, et promotus. Et si secùs factum fuerit, talium assumptio graduum sit irrita, et inanis, atque assumentes eo ipso in sententiam excommunicationis incurrant. Et hæc Constitutio à nostris Capitulis Generalibus approbata fuit, et renouata etiam Venetijs 1437. Perusij 1477. Romæ 1481. & Cenomanis 1491.

1108 Idem Bonifacius IX. Magistro Generali concessit, vt in quolibet Capitulo Generali vnum Magistrum in Theologia creare posses, per Bullam, quæ incipit. *Personam tuam*. et habetur in supra relato libello fol.84. Bonifacij verò noni hanc cõcessionem eius toto tenore expresso confirmauit Martinus Quintus in Bulla, quæ incipit *Regiminis vniuersalis*, quæ fuit data Florentiæ quinto Calend. Iunij Pontificatus anno tertio, & habetur in *Bullario* eiusdem Ordinis fol.105. et concessio est tenoris sequentis.

PErsonam tuam nobis, & apostolicæ sedi deuotam, ac religionis zelo conspicuam tuis exigentibus meritis paterna beneuolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, quæ ad salutem animarum, ac statum prosperum, & tranquillum fratrum Ordinis Prædicatorum tendere dignoscuntur. Hinc est quod nos tuis deuotis in hac parte supplicationibus inclinati, & fœlicis recordationis Benedicti XI. Gregorij XI. & nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigijs inhærentes, vt tu, & successores tui Magistri dicti ordinis, qui fuerint pro tempore, in quolibet Capitulo Generali secundum morem dicti ordinis pro tempore celebrando, vni ex fratribus dicti ordinis in theologica facultate prouecto, quem tu vel successores huiusmodi, per tuam, vel successorum eorundem, nec non diffinitorum dicti Capituli, vel aliorum Magistrorum ad hoc assumendorum diligentem examinationem, sufficientem, & idoneum inueneritis, Magisterij honorem, & docendi licentiam in facultate prædicta, seruatis Constitutionibus Viennen. Concilij, & aliis solemnitatibus in talibus consuetis auctoritate Apostolica largiri, sibique vt intra dictum ordinem, & extra, quibuscunque gratijs, priuilegijs lætantibus, & indulgentijs tam a sede quam ab ordine prædictis, fratribus eiusdem ordinis in eadem Theologia Parisius Magistratis concessis, perinde vel, & gaudere valeat, ac si in Parisiensi studio huiusmodi Magisterium recepisset.

1109 Idem verò Martinus Quintus in Constitut. quæ incipit *In Apostolica dignitatis specula, &c.* quæ data fuit Florentiæ 11. Calend. Decembris, Pôtificatus anno secûdo & habetur in Bull. d. Ord. fol. 104. confirmauit statutum quoddam Capitul. Gener. Friburgen. editum anno 1419. contra insufficientes, & via legitima non promotos.

IN apostolicæ dignitatis specula inquit, licet immeriti, disponente domino præsidêtes, ad vestri ordinis conseruationis honorem, ac facultatis Theologiæ puritatem, nostræ considerationis dirigentes intuitum; quæ circa hæc salubria statuta sunt et ordinata, vt firmiter obseruentur, partes nostræ solicitudinis adhibemus. Sanè pro parte dilectorum filiorum Leonardi Statij Prioris generalis, et Diffinitorum Capituli Generalis Ordinis fratrum prædicatorum, dudum in oppido Friburgi Basilien. dioc. celebrati, nobis exhibita petitio continebat, quod olim ipsi tunc in dicto Capitulo existentes, prouide attendentes, quòd nonnulli dicti Ordinis fratres minus sufficientes et idonei, ad statum, ipsis (eorum sufficientia et idoneitate ponderatis) non debitum, per viam exquisitam (nimia mundanorum honorum ambitione seducti) ascendere molientes, lectura et actibus scholasticis, circa hoc in studijs generalibus, in quibus illud in dicta Theologiæ facultate viget generale, non completis; extra eadem studia, ad licentiæ gradum, et Magisterij honorem in dicta Theologia promoueri catenus procurauerant, ac etiam procurabant, quod in ipsius Ordinis præiudicium cedebat, ac etiam scandalum. Volentes circa hoc prouidere, de consilio et assensu omnium in præfato Capitulo existentium, statuerunt, et ordinauerunt, (& ad hoc Apostolicæ Sedis accederet firmitatis auctoritas) quod omnes & singuli fratres dicti Ordinis, qui sic licentiati ant magistrati in eadem Theologia à quinquennio citra extiterant, necnon illi, quos huiusmodi lectura & actibus non completis, in ea licentiari aut magistrari contigeret, pro non licentiatis & non magistratis haberentur, nec reputarentur, nisi per huiusmodi Capitulum aut magistrum approbati forent, ac etiam mandauerunt Prouincialibus, ac alijs eiusdem Ordinis Prioribus pro tempore existentibus, sub pœna absolutionis a suis officijs, quam contraueniences incurrerent, quod taliter licentiatos & licentiandos, ac magistratos, ac magistrandos, in eadem Theologiæ facultate, ad honores, loca & priuilegia, ad quæ cæteri in ea licentiati seu magistrati admitti solent, non admitterent, sed ipsos tenerent, & tractari facerent (quoad illa) sicuti ante huiusmodi licentiæ gradum & Magisterium tenebantur. Prohibueruntque insuper Diffinitores præfati, eidem Magistro generali pro tempore existenti, ne cum huiusmodi licentiatis & magistratis, de cætero quoquomodo dispensaret. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt statutum & ordinationem huiusmodi, rata & grata habere, pro eorum subsistentia firmiori, illaque obseruari mandare dignaremur. Nos igitur huiusmodi talium ambitiosis conatibus per debitæ prouisionis auxilium occurrere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac ea rata habentes & grata: discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnes & singulos licentiatos, & magistratos huiusmodi, vel in posterum licentiandos aut magistrandos, in dicta Theologiæ facultate, præfati Ordinis, quos nisi lecturam & actua scholasticos in studio eiusdem facultatis Theologiæ, in quo illud vigeat generale, fieri solitis, compleuerat, & in eodem studio, ad huiusmodi licentiæ gradum, ac magisterij honorem suscipiendum, in eadem Theologia reperti fuerint sufficiêtes & idonei, pro non licentiatis, & non magistratis in dicta facultate apud vos & quoscunque alios haberi volumus: pro non licentiatis & non magistratis habeatis, & reputetis, & ab alijs pro non licentiatis, & non magistratis, faciatis authoritate nostra ab omnibus teneri & etiam reputari. Decernentes authoritate prædicta, quod nullus cum huiusmodi sic licentiatis & magistratis, seu licentiandis & magistrandis dispensare præsumat, nisi de dictæ sedis licentia speciali faciente plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi métionem, & cum assensu Magistri præfati, aut Procuratoris dicti Ordinis in Romana curia pro tempore existentis, & quod ipsi licentiati ac magistrati, ac licentiandi & magistrandi, ante vel post dispensationem huiusmodi, lecturam & actus prædictos compleuerint, aut complere teneantur, & ad huiusmodi licentiæ gradum et magisterij honorem recipiendum idonei reperti fuerint, aut reperiantur. Alioquin dispensatio aliter facta, eis nullatenus suffragetur. Datum Florentiæ XI. Kalen. Decembris. Pontificatus nostri anno secundo.

Huius constitut. Martini quinti mentionem facit Festus in summario Constit. p. 2. cap. 49. Eius etiam mentionem facit, licet diminutè illam referat Plo- dius

dius in vita Generalis Magist. Leonardi statij. Vbi & ait, quòd dictus Generalis celebrauit tria Capitulo Generalia, scilicet Florentiæ, Argentinæ, & Friburgi. Sed Fontana in serie Capitulorum Generalium posuit quinque Capitola sub hoc Generali celebrata, scilicet Florentiæ anno 1414. Argentinæ 1417. Metis 1419. Florentiæ 1421. & Papiæ 1423. sed non potest negari fuisse sub eo Generali celebratum etiam Capitulum Generale Friburgii quod non est ciuitas illa, quæ apud Nuitones est sita, sed est Oppidum Brisgoiæ apud Basileam, vt ex d.Constit. Mart.V. constat. De anno igitur 1419. editum fuit Friburgi statutum illud de magistris, quod fuit confirmatum eodem anno à Martino quinto. Pontificatus eius Secundo. Nam fuerat electus Pontifex anno 1417. 3. Idus Nouembris.

1110 Iulius secundus postea, vt habetur ex Constitut. eius, quæ incipit. *Exposui nobis &c.* & fuit data 3. Augusti 1508. Pontificatus anno quinto, quæ habetur in Bullario d.Ordinis Prædicatorum fol.172. Generali Caietano concessit; *Ad magisterium in Theologia etiam non peracto quadriennio in aliqua vniuersitate (seruata tamen consuetudine dicti Ordinis) licentiam dare:* Et in Constitut. *Considerantes*, data 14.Decembr.1509.quæ habetur ibid.fol.173. concessit. *Binos præterea fratres tibi de more socios, quorum vnus Prouincialis terræ sanctæ, alter scriba esse solet, & laboribus pro tanta Religione susceptis impediti studijs, studiorumque exercitijs commodè interesse non possunt, si aliàs scientia sint idonei, & eos gradus, & honores non habeant ad Baccalaureatus, & Magisterij Theologia gradus, & honores valeat promouere.*

1111 Aliam etiam Constitut. Alexandri quinti refert Fontana tit.de Magis. in sacra Theol.nu.1. ex Capitulo Generali Bonon. 1410. de nunc.4. sub hoc verborum tenore.

AVctoritate Apostolica, tenore præsentium, perpetua, & irrefragabili Constitutione statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus nullus ex Fratribus dicti Ord. absque licentia, seu assignatione Capituli Generalis secundùm morem dicti Ord.ad legendum pro forma, seu ad honorem Magisterii in Theologia promoueri, nec gradu huiusmodi Magisterij fungi, & prosequi debeat, nisi per dictum Capitulum fuerit approbatus, & promotus. Contrarium facientes eo ipso, sententiam excommunicationis incurrant. Et si per dictum Capitulum reprobatus extiterit, pro non magistro habeatur; Constitutionibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus Prouinciarum, & locorum dicti Ord. nec non priuilegijs, gratijs, & concessionibus Apostolicis in genere, vel in specie quibusuis Fratribus, Prouincijs, seu locis factis, seu concessis aut concedendis, vel faciendis sub quauis forma, vel expressione verborum, etiamsi de eis de verbo ad verbum habenda esset in præsenti mentio specialis, & alijs contrarijs non obstantibus quibuscunque.

1112 Ex Innocentio etiam VIII. referunt *Cesarub. v.gradus scholastici num.6.& 7. sequentia qua sunt viuæ vocis oracula.*

INnocentius VIII. statuit, quod nullus Frater Ordinis Prædicatorum Reformatorum, seu de Obseruantia, Prouinciæ, aut Congregationis Hispaniæ, magisterij, vel alium quemquam gradum in Sacra Theologia (nisi ad illum, per Capitulum dictæ Congregationis expositus fuerit) assumere quoquo modo præsumat. Et quod, si qui aliter promoti fuerint, pro non promotis habeantur; & ad huiusmodi gradus inhabiles sint, & esse censeantur, b.ff.o.74.conce.194.

5. Idem Innocentius concessit Fratribus Ordinis Prædicatorum; quia propter magnas expensas, quæ in suscipiendis gradibus in vniuersitate Salmantina fiunt, Fratres prædictæ Congregationis, gradus huiusmodi ibidem suscipere commodè non possunt; quod Regens, & in eius absentia. Prior domus Sancti Stephani Salmant. dictæ Congregationis, possint conferre quoscumq; gradus Fratribus eiusdem Congregationis, per eamdem Congregationem expositis, & admissis per Capitulum, vel Magistrum generalem dicti Ordinis; dummodo sic graduandi peregerint cursus suos, b.ff.o.75.conce.194.

1113 Pius etiam Quintus concessit Magistro Ordinis facultatem creandi magistros; & sic est in vsu & praxi Ordinis.

1114 Pro Ordine Minorum Martinus V. edidit Constit. contra malè promotos ad gradus Magisterij, & Baccalaureatus, quæ incipit; *Cum valde periculosam*, & data fuit 10. Calen. Februar. Pontificatus anno 3. & habetur in Bullar. Rodriq. 2. inter Constit. huius Pontificis, & in qua sic disponit;

NOs igitur ne imperitorum ambitio Christianæ fidei detrimentum afferat, opportunè prouidere volentes, vniuersis, & singulis Cancellarijs, Rectoribus, Decanis, Magistris, Doctoribus studiorum, ac vniuersitatibus eorumdem vbicumque consistentium, in virtute sanctæ Obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ne deinceps prædictis fratribus, aut eorum alicui, nisi cursum per constitutiones, & statuta huiusmodi, vt præmittitur, præfixum perfecerint, & aliàs ad dictum obtinendum idonei existant gradum, & honorem, & insignia prædicta conferre quomodolibet præsumant, decernentes, & eadem auctoritate statuentes, quòd quilibet ex magistris, aut doctoribus, qui aliàs, quam vt præmittitur, gradum & insignia huiusmodi fratribus ipsis aut ipsorum alicui impendere præsumpserit, gradu, & honore ministri careat, ac à lecturis, & alijs actibus gratijsque magistralibus, ipso facto perpetuò sit priuatus, necnon ad gradum, honorem, & insignia prædicta de cætero per eum assumenda, gratijs magistralibus, actibusque legitimis ipso facto sit priuatus, & omnino inhabilis existat. Volumus insuper, vt eisdem pœnis subiectus sit, quicumque præter rigorem huiusmodi gradum, & insignia prædicta suscipere præsumpserit. Volumus autem, quod si alicui ex dictis Fratribus Bachalaureatum pro huiusmodi gradu magisterij consequendo contra constitutiones, & statuta prædicta fuerint adepti: & illius prætextu libros sententiarũ publicè & actualiter legant à lectura huiusmodi sub eadem pœna penitus & omnino cessent, aliàs ab eorum superioribus pœnis grauioribus per censuram Ecclesiasticam arceantur.

Has

1115 Has Martini V. literas confirmauit Eugenius IV. teste *Cæsarab. v.Gradus num.*4. Huiusmodi autem literas continere priuilegium communicabile quo possint vti immò vti debeant aliæ Religiones priuilegium communicationis habentes, existimat *Lezana v. Gradus num.* 3. vt in omnibus Religionibus indigni, & ambitiosi, qui illegitimè ad gradus ascenderunt repellantur. Contra quos pro Ordine S.Mariæ de Merecde Sac.Congregatio Episcoporum, & Regularium 28. Septembris 1635. notabile edidit decretum, de talibus scilicet repellendis à gradibus indignè susceptis, & priuilegijs ipsorum. Quod iure optimo etiam in alijs Religionibus obseruari debet. Maximè quia, vt declarauit Sac. Congregatio Concilij in vna *Capuana* 20. *Martij* 1623. Doctor ignarus habetur ac si non esset doctor. Verum illa Martini V. Constitutio non priuilegium propriè est sed lex, & quidè pœnalis. Neque enim ibi Martinus relaxat ius ad fauorem Minorum, sed statuit ius imponendo pœnam transgressoribus, & ideo huiusmodi lex, præcipuè in quantùm pœnalis non venit sub priuilegiorum communicatione, nec obligat aliorum Ordinum Religiosos.

1116 Et pro vtraque Ordine Prædicatorum & Minorum adest Constit.Iuli II. apud Rodriq. 6 in qua interdicit vt infra, videlicet.

NOs igitur attendentes quàm gratus Deo sit, & acceptus obedientiæ fructus, quodque inter alia Religionis merita abnegatio propriarum voluntatum præcipuum est, ac quod Prælati ipsi optimè scire præsumuntur, quod Fratres literarum studio, & quanto tempore, & qui alijs Religionis occupationibus vacare debent, omniumque præsertim Religiosarum personarum tranquillitatem, ac illis euagandi materiam omnino præcludi, eorumque excessibus obuiari supremis exoptantes affectibus: huiusmodi supplicationibus inclinati, quod de cætero perpetuis futuris temporibus fratres prædicti extra dictas domos, cuiuscumque causa, occasione, vel respectu, etiam studij, siue in Salmantin. siue in alijs ciuitatibus, & locis, quibus litterarum studia vigeant: præter, & absque licentia Prouincialium, Priorum, ac Ministrorum, vel eorum Vicariorum respectiuè, & illa durante etiam de licentia Sedis Apostolicæ prædictæ, etiam prætextu quarumcumque facultatum, indultorum, & aliarum litterarum Apostolicarum Salmantin.& alijs Vniuersitatibus prædictis pro tempore concessorum prædictis Prælatis inuitis commorari nõ non possint. Quodque Superiores prædicti, dum, & quoties opus fuerit, fratres extra domos modo prædicto commorantes, vel ad eorum domos huiusmodi redire debeant, compellere valeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium statuimus, & ordinamus. Præterea Rectoribus & scholaribus dictarum Vniuersitatum, ne prætextu facultatum, & indultorum, ac aliarum litterarum Apostolicarum eis concessarum superioribus, seu Prælatis Ordinis huiusmodi, quo minùs fratres prædictos illis respectiuè subiectos, aut sub eorum obedientia professos extra dictas domos commorantes ad domos huiusmodi vocare, & reducere, ac prout secundum Deum, & eorum conscientias expedire viderint, mutare, & conuocare possint, prohibere, nec eisdem fratribus ad habitandum seu commorandum in eisdem vniuersitatibus contra voluntatem superiorum huiusmodi auxilium, consilium vel fauorem directè, vel indirectè, quouis quæsito colore præstare præsumant, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda eisdem auctoritate, & tenore districtiùs inhibemus.

1117 Pro Ordine Carmelitarum, vt habet *Lezana v.Gradus num.6.* Extant literæ Vrban.Octaui datæ die 26.August.1634. in quibus concedit Gener.Carmelitarum ac Fratribus Prouinciarum Hispaniæ, & Lusitaniæ ab eodem Generali post cursus, lecturas, & exercitia literaria secundùm Ordinem requisita expleta in Magistros creatis,quòd possint gradum Magisterij in Theologia suscipere in Collegio Salmant. Carmelitarum S.Theresiæ à superiore eiusdem Collegij cum rigoroso examine, & approbatione Regentum, & aliorum Magistrorum seruatis aliàs seruandis secundùm regularia instituta.

1118 Pro Societate IESV plura etiam concesserunt Pontifices. Nam primò Paulus III. in Constitut. *Licet debitum in Bull. Societatis pag.* 28. *vbi pag.* 42. concedit *Præposito Generalis eiusdem societatis, vt, quos de suis idoneos in Domino iudicauerit, ad lectiones Theologiæ, & aliarum facultatum, alterius licentia ad id minimè requisita, vbilibet deputare possit.*

1119 Et Iulius Tertius in Constit. quæ incipit *Sacræ Religionis*,& fuit data die 22. Octobris 1552. Pontif. anno tertio & habetur in Bullar. Societ. pag 65. vbi pag.68. hæc habentur.

NEc non Scholaribus Collegiorum Societatis huiusmodi in Vniuersitatibus alicuius studij generalis existentium quod ipsi, si præuio rigoroso, & publico examine in eisdem Vniuersitatibus idonei reperti fuerint, & Rectores Vniuersitatum huiusmodi eos gratis, & amore Dei absque aliqua pecuniarum solutione promouere recusauerint, in Collegijs prædictis, a Præposito Generali, pro tempore existenti, vel de eius licentia, à quouis ex inferioribus Præpositis, vel Rectoribus huiusmodi collegiorum, cum duobus etiam, vel tribus Doctoribus, seu Magistris,per eosdem eligendis;Scholaribus vero collegiorum eorundem,extra Vniuersitates existentium, studiorum suorum cursu absoluto, & rigoroso examine præcedente,à dicto Præposito Generali, vel de eius licentia, à quouis ex Præpositis, vel Rectoribus huiusmodi collegiorum, cum duobus, vel tribus Doctoribus, vel Magistris, per eosdem eligendis, quoscunque Baccalaureatus, ac Magisterij, Licentiaturæ, ac Doctoratus gradus accipere; Præpositis, vel Rectoribus cum Doctoribus huiusmodi, vt eosdem Scholares ad gradus ipsos promouere, eisdemque Scholaribus, vt postquam promoti fuerint, in eis legere, disputare,ac quoscunque alios actus ad hæc necessarios facere, & exequi, ac omnibus, & singulis priuilegijs, prærogatiuis, Immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, antelationibus, fauoribus, gratijs, & indultis, ac omnibus, & singulis alijs, quibus alij in quibusuis Vniuersitatibus studiorum huiusmodi,rigoroso examine præuio,ac alias iuxta inibi obseruari solitos, & requisitos vsus, ordinationes, ritus, ac mores, pro tempore promoti de iure,

iure, vel consuetudine, aut alias quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad ipsorum instar, sed parisormiter, & æque principaliter absque vlla penitus differentia, vti, potiri, & gaudere, in omnibus, & per omnia, perinde, ac si gradus huiusmodi in eisdem vniuersitatibus, & non eorum collegijs huiusmodi accepissent.

1120 Pius etiam Quartus in sua Constitut. quæ incipit. *Exponi nobis nuper* die 29. Augusti 1561. Pontificatus anno secundo & habetur in Bull. societatis pag. 81. & ibid pag. 85. dicitur.

ET insuper tibi moderno, & pro tempore existenti Præposito Generali dictæ Societatis, vt per te, vel illum, seu aliquem, ea Præpositis, vel Rectoribus Collegiorum vestrorum, tam in Vniuersitatibus Studiorum generalium, quam extra illas vbilibet consistentium, in quibus ordinariæ Studiorum artium liberalium, & Theologiæ lectiones habebuntur, cursusque ordinarij peragentur, vt dictæ Societatis Scholares, & pauperes externos qui dictas lectiones frequentauerint, & etiam diuites (si Officiales Vniuersitatum eos promouere recusauerint) cum per examinatores vestræ Societatis, idonei sint inuenti (solutis tamen per diuites suis iuribus Vniuersitatibus) in vestris Collegijs Vniuersitatum quarumcumque, & in alijs extra Vniuersitates consisten. Collegijs vestris, alios quoslibet Scholares, qui inibi sub eorundem Collegiorum obedientia, directione, vel disciplina studuerint, ad quoscunque Baccalaureatus, Licentiaturæ, Magisterij, & Doctoratus gradus præfatos, ac alias in reliquis iuxta litterarum Iulij prædecessoris prædicti tenorem promouere, ipsique sic promoti priuilegijs, alijsque in eisdem litteris contentis plenariè vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, auctoritate præfata concedimus, & indulgemus; ac eiusdem Iulij predecessoris litteras ad præmissa extendimus, & ampliamus.

1121 Pius quoque quintus in Constit. *cum literarum* data 10 Martij 1571. Pontificatus anno 6. & quæ habetur in Bull. societatis pag. 105. & ibid. pag. 107. concessit, decreuit, & declarauit.

QVod Præceptores huiusmodi Societatis, tam litterarum humaniorum, quam liberalium Artium, Theologiæ, vel cuiusuis earum facultatum in suis Collegijs etiam in locis, vbi Vniuersitates extiterint, suas lectiones, etiam publicas legere (dummodo per duas horas de mane, & per vnam horam de sero cum lectoribus Vniuersitatum non concurrant) libere, & licite possint; quodque quibuscunque Scholasticis liceat in huiusmodi Collegijs lectiones, & alias scholasticas exercitationes frequentare, ac quicunque in eis Philosophiæ, vel Theologiæ Auditores fuerint in quauis Vniuersitate ad gradus admitti possint, & cursuũ, quos in Collegijs prædictis confecerint, ratio habeatur, ita vt si in examine sufficientes inuenti fuerint, non minus, sed parisormiter, et absque vlla penitus differentia, quam si in Vniuersitatibus præfatis studuissent, ad gradus quoscunque, tam Baccalaureatus, quam Licentiaturæ, Magisterij, et Doctoratus admitti possint, et debeant, eisque super præmissis specialem licentiam, et facultatem concedimus. Districtius inhibentes Vniuersitatum quarumcunque Rectoribus, et alijs quibuscunque sub excommunicationis maioris, alijsque arbitrio nostro moderandis, infligendis, et imponendis pœnis, ne Collegiorum huiusmodi Rectores, et Scholares in præmissis, quouis quæsito colore, molestare audeant, vel præsumant.

1122 Sed et pro Congregatione S. Benedicti Vallisolet. vt refert *Alusetan Murenule sect. 3. c. 27. num. 6.*

PIus V. concessit Præsid. Congreg. præfatæ facultatem promouendi suos ad gradum magisterij artium, vel doctoratus in Theologia, postquam suos cursus absoluerunt. Bullar. eiusd. Congreg. B. quæ incipit *Regimini*. quæ est ibi ordine 94. Item Clem. VII. pro eadem Congreg. concessit, vt ab his qui legunt in studio Sancti Facundi, possint iidem gradus, cum suis insignis conferri. B. quæ incipit *Hodie* in eod. bullar.

S V M M A R I V M.

1 *Diabolus per Imperatores & Principes studia impugnauit. nu. 1123.*
2 *Sancti Pontifices, & pij Imperatores vniuersitates fundarunt. nu. 1124.*
3 *Decretum Concil. Trid. quod Abbates procurent, vt in Monasterijs sit lectio Sacra Scriptura, data facultate Episcopis, vt negligentes compellant, num. 1125.*
4 *Non afficit alios Regulares. nu. 1125.*
5 *Sufficit si habeatur lectio Theologiæ. n. 1126.*
6 *Non requiritur licentia, aut approbatio Episcopi. num. 1126.*
7 *Statutum Pauli Quinti, vt in Conuentibus studiorum habeatur lectio linguarum. n. 1127.*
8 *Decreto Sacr. Congregat. de Propaganda fide. num. 1127.*
9 *Trium mensium vacantia. nu. 1127.*
10 *Peccat notorius peccator legens Scripturam Sacram. nu. 1127.*
11 *Clem. Ne in agro. De statu Monachorum. num. 1128.*
12 *Regulares publicè docere possunt. nu. 1129.*
13 *Etiam in Vniuersitatibus. nu. 1129. & 1130.*
14 *Et quomodo concurrere possint cum lectoribus Vniuersitatum. nu. 1130.*
15 *Et quid vbi aliquis lector incipit solemniter legere. nu. 1131.*
16 *Et in alienis vniuersitatibus possunt legere. numer. 1132.*
17 *Et cuiuscumque disciplinas præter ius ciuile, & medicinam nu. 1133.*
18 *Antiquitus, pueri educabantur in Monasterijs. numer. 1134.*
19 *Regularibus non disconuenit instruere pueros, numer. 1134.*
20 *Ius Canonicum docere possunt. nu. 1135.*

OBSERVATIO PRIMA.

1123 HViusmodi ergo priuilegia diligentiùs considerando, vt eorum intelligentia fiat magis manifesta, obseruo primò id, quod Rabani Glossa aduertit super illud 1. Reg. 13. *Faber Ferra-*

Ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel; cauerant enim Philistijm, ne forte Hebræi facerent gladium, aut lanceam. Quemadmodum enim Philistijm procurauerant, ne inter Hebræos essent Fabri Ferrarij, sic *Diabolus*, inquit Rabanus, *per Paganos, per Hæreticos, & per falsos Christianos studet prohibere, ut sint Doctores in Ecclesia, qui spiritualia arma faciant, & nobis ad pugnandum tribuant*. Adeo litteris fuit infestus Licinius Imperator, vt eas virus, et pestem publicam diceret, vt referunt Io: Baptista Ignatius in eius vita, *Prateolus l.10 hær.3.* et ex Victore Baronius ad annum 316. In odium verò fidei, et vt Christi fidem, à qua turpiter apostauerat, funditus euerteret Iulianus Imperator, prohibuit Christianis studia literarum. Et ideo Sācti Patres acerbiorem fuisse hāc Iuliani persecutionem, quàm Tyranorum asseruerūt, vt videre est in *S. Aug. l.18. de Ciu. cap.3. Nazianz. orat. p. contra Iulianum, & Theodor. cap.7.* Qui causam prohibitionis huius ibi explicat his verbis. *Veniat ne Galilæi (sic enim fidei Seruatoris nostri consecratos vocabat) Poeticam, Rhetoricam, aut Philosophiam discerent: nam nostris ipsorum (inquit) pennis,* (vt est in prouerbio) *percellimur, siquidem nostrorum scriptorum subsidijs muniti contra nos bellum suscipiunt*. Similem persecutionem in Ecclesiam intulit Habdalus Mahometanus, et Syriæ Tyrannus, qui omnibus Christianis sub potestate sua degentibus studium literarum prohibuit, vt refert *Paulus Diaconus lib.22.* Eodem spiritu ductus Vuicleph dixit, studia, vniuersitates, Collegia, graduationes, et magisteria à Papa et Episcopis esse vana gentilitate introducta, et non plus Ecclesiæ prodesse, quàm Diabolum, vt refertur in Concil. Constant. sess.8. et 29. quem errorem etiam Lutherus postea sequutus est adeo impudenter, vt teste Adriano Papa in Bulla contra ipsum edita circa medium, quæ habetur in tom.5. Concil. dixerit, Scholas Christianas esse Sodomas, et Gomorrhas, et malorum omnium lenitinas. Quod de eo refert etiam *Clicthoueus l.2. de missæ sacrificio cap.29.*

1124 Verùm non est hic immorandum ad confutandam hanc hæresim, quam ratio ipsa naturalis stultam prorsus agnoscit, cum in intellectuali operatione hominis rationalis sit posita perfectio propria, et felicitas, vnde tam Pontifices, quàm Catholici principes tot Vniuersitates, et Collegia, et studia in Ecclesia erexerunt ad colendos iuuenum animos, et scientijs imbuendos, vt Ecclesia semper fructum disciplinæ, et doctrinæ vberimum redderet, et ad hunc effectum etiam studia intra Sacra Regularium Claustra promouentes, dederunt Regularibus facultatem docendi tam Religiosos, quam seculares. Nam vt probabitur vberiùs infra *quæst.188. a.4. & 5. cum D. Th.* hoc docendi munus valde est Religiosis accommodatum, cum totum sit in se sanctum, et aptum ad propriam, et proximorum charitatem nutriendam. Quod igitur docere Regularibus conueniat, habetur ex priuilegio Alexand. IV. pro Prædicat. supra num. et Pauli III. Iulij Tertij, Pij Quarti, Pij Quinti, et Gregor. XIII. pro Societate.

1125 Immò in *Concil. Trid. sess.5. cap.1.* præcipitur, vt in monasterijs Monachorum, et Regularium Cōuentibus habeatur lectio Sacræ Scripturæ, et dat Episcopis facultatem vt tanquam Sedis Apostolicæ delegati Prælatos negligentes compellant, ad hoc vt talis lectio habeatur. Quod statutum *Barbosa de off. Episc. all.56. num.16. & ad d. cap.p. Concil. Trid. num.42. sess.5. & Tambur. tom.3. disp.5. quæst.5. num.3.* extendit, vt comprehendat Regulares, nec distinguit inter monachos, et alios Regulares, cum tamen Concilium Tridentinum distinguat inter eos, ibi. *In monasterijs quoque monachorum vbi commodè fieri queat, etiam lectio sacræ scripturæ habeatur: qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc, vt Sedis Apostolicæ delegati, eos ad id oportunis remedijs compellant*. Hæc de monachis. De alijs regularibus verò subdit: *In Conuentibus verò aliorum Regularium, in quibus studia vigere possunt, Sacræ Scripturæ lectio similiter habeatur, quæ lectio à Capitulis generalibus, vel prouincialibus assignetur dignioribus magistris*. Ex quo patet, quòd solùm super Abbates Concil. dat facultatem compellendi eos, vt in eorum monasterijs habeant lectores legētes sacram scripturam, nihil enim de hoc decernit, vbi de alijs Regularibus loquitur, quod fecisset, si id necessarium esse vidisset, et statuere voluisset. Sed omisit, quia cum in aliorum Regularium monasterijs ex instituto eorum lectiones habeant, non fuit necessarium, quòd Concilium per Episcopos compelleret eos, ad id quod de facto Regulares huiusmodi obseruabant ex eorum Instituto, et legibus. Et ideo *Lezana p p. cap.11. num.11.* bene decretum Concilij pro ea parte in qua dat Episcopo præfatam facultatem, retulit de monachis nihil addens de alijs Regularibus.

1126 Et *tom 4. verb. lectio quoad Regulares nu.2:* præter hoc discrimen ponit aliud. Quia Concilium de monachis loquens, vult generaliter quòd Sacræ Scripturæ lectio habeatur vbi commodè haberi potest. Sed pro Regularibus fratribus solum statuit vt dicta lectio habeatur in Conuentibus in quibus studia vigere possunt. Decretum quoque Concilij comprehendere etiam Carthusianos strictioris Clausuræ ex *Aldano* dixerunt *Nouarius verb. Abbas num.7. & Lezana vbi supr.* Huic verò Concilij decreto satisfieri, si habeatur lectio Theologiæ etiam Scholasticæ aduerterunt. *Rodriq. t.2. quæst.130. a.2. Peyr. ad Constitut.2. Iulij II. §.5. nu.16. Megala p.2. l.2. cap.27. num.14. Naldus v. legere num.2. Lezana d. v. lectio. num.2.* Ad huiusmodi verò lectionem habendam non requiri licentiam, et examen Episcopi tanquam decisum à Sacr. Congregat. ex *Galler. in Margarit. casuum, consc. v. legere, & v. licentia num.3.* dixit *Lezana v. Episcopus num.56. & v. lectio. num.2. ex Barbosa v. Lector Sacræ Scripturæ nu. vlt. ex Sellio*. Quod verò idem *Barb. ibid. num.2.* dixit in Episcopi arbitrio positum esse determinate tempus, et materiam dictæ lectionis habendæ, non hoc intelligitur respectu Regularium, sed respectu eius lectionis super quam ipse auctoritatem habet. In hoc enim monachi, et Regulares seruare tenentur decretum Clem. VIII. in constit.60. vt scilicet bis in hebdomada habeatur et ad eam omnes conueniant. *Barb. num.1. Lezana num.4.*

1127 Pro omnibus autem Regularibus adest mandatum Pauli Quinti, vt in monasterijs sint qui linguas doceant. In constitut. enim 65. §.2. sic habet. *Statuimus, & ordinamus, vt in cuiuscumque Ordinis, & instituti Regularium tam mendicantium,*

quàm

quàm non mendicantium, etiam quomodolibet exemptiorum, & Apostolicæ Sedi immediatè subiectorum studijs omnibus trium linguarum huiusmodi Hebraica videlicet Græca, & Latina, in maioribus verò, & celebrioribus etiam Arabica Doctores, Regulares quidem, & eiusdem Ordinis, si in illo harum linguarum prædictarum sufficientem notitiam habentes fiut, siu minùs seculares, aut alterius Ordinis Regulares, qui illas actu, & diligentor doceant, habeantur. si studia in vrbibus, & locis existunt, vbi linguarum prędictarum peritos conducendi facultas est studijs verò locorum vbi huiusmodi Doctores desunt, cum primùm in alijs studijs vbi linguę huiusmodi docebuntur, scholares tantum profecerint, vt docendis alijs idonei fiut de ijsdem scholaribus prouideatur. In §. verò tertio sub indignationis suæ pœna præcipit vt prouideant, quòd bniusmodi scholæ instituantur, Doctores deputentur, et assignentur scholares. *Et* hoc decretum iussu Vrb.VIII. innouauit Sacr. Congreg. de propaganda fide die 16. Octob.1623. et iussit semper in Capitulis Generalibus et Prouincialibus legi. Qnod decretum habes apud *Peytinum tom.3. ad Const.2.Iulij II.cap.3.num.11.* et apud *Lezanam* ad Mare magnum Minimorum num.19. Quàmuis Lezana arbitretur vel non fuisse publicatum, vel non fuisse vsu receptum, et forsan moderatum per aliud decretum d. Sac Congregationis sub eodem Vrbano VIII. datum die 11. Aprilis 1625. quod idem Lezana refert *v. lectio Sacr. Scripturę. num.6.* Cum verò testibus *Garzia de Benef. p.5.c.4.nu.147. Galett. in Margarita casuum conscien.v. legere nu.2. & Barbos.v.Lector Sacr. Scriptura.* Sacr. Congreg. Concilij declarauerit posse vacari à lectione Sacræ Scripturæ mensibus Iulij, Augusti, & Septembris, hoc posse per Regulares applicari ad lectiones præfatas Sacræ Scripturæ, et linguarum dixit *Lezana v. lectio Sacr. Scriptur. num.7.* Sed et hoc est aduertendum, quòd considerauit *Nauar.cap.25.num.55. ex D.Thom.4.d.19.quæst.1.a.2.quęst.2. ad quartum.* et *D. Antonino*, nimirum quòd mortaliter peccat notorius peccator, qui ex officio Sacr. Scripturam docet. *Lez.num.3.*

1128 Quantùm ad monachos verò, etiam Clem.V. vt habetur Clem. *Ne in agro.* De stat.monach. mandauerat, vt in monasterijs haberentur Magistri, qui monachos primitiuas scientias docerent, si monasterij suppeterent facultates, et quòd tunc poterat Episcopus compellere Abbates ad huiusmodi Magistros adhibendos notat *Gloss.in v. facultates*, et ea *Glosf.Panorm.ibi num. fin.* Et ideo Concil. Trident. voluit, quòd Episcopi tanquam delegati Sedis Apostolicæ possint cōpellere Abbates ad hoc vt si adsint monasteriorum facultates faciant, vt in monasterijs sint Lectores Sacræ Scripturæ, sed, vt dicebatur, nomine Sacræ Scripturæ tota sacra doctrina intelligitur, vnde satisfieri Cōcilio etiam Scholasticam Theologiam scribendo, præter citatos etiam ex *Garz.p.5.cap.4. nu.156. & Aldan.dixit Barbosa ad d.cap.1.sess.5.num.39.*

1129 Sed Regulares nedum habent facultatem legendi inter se, & Scholares suæ Religionis docendi, sed possunt secularibus legere etiam publicè. *D.Anton.p.3.tit.5.cap.2.§.8. Suarez tom.4. de Relig. tract.10.l.5. cap.4. numer.4.* Priuilegium enim Aleand.IV. Clementis IV. Sixti IV. & Iulij II. sicut & Pauli III. pro Societate est absolutum, ideoque & vniuersale. Et ad hoc vt Regulares sic legant etiam secularibus, & nedum priuatim, sed publicè, nullius alterius requiritur, quàm suorum superiorum licentia. Quod enim Concilium Tridentinum d.sess.5.cap.1. statuit, quòd nullus ad legendum admittatur tam publicè, quam priuatim, nisi priùs ab Episcopo examinetur de vita, & moribus. Non intelligitur de legentibus intra Monachorum, & Regularium Claustra, quia id excipit Concilium ipsum, & declarauit Sac. Congreg. vt ea Gallet. & Sell. & Naldo aduertunt, *Barbosa ibi. nu.42. Lezana v.Episcopus quoad Regulares num. 26. & ad mare magnum Minim.num.76.* In Priuilegio autem Pij V. habetur, quòd etiam vbi sunt Vniuersitates, hoc enim continet expresse illud priuilegium, dummodo lectores isti Regularibus cum lectoribus vniuersitatis non concurrant duabus horis de mane, & vna hora de sero. Immo Gregor. XIII. in sua Constitut. *Quanta in vinea*, tempus illud Pij Quinti restrinxit ad vnam horam de mane, & vnam de sero.

1130 Priuilegium tamen antiquum maris magni duas continet limitationes, prima est, vt non legatur in illis locis, in quibus viget studium generale. Est autem studium generale, quod est institutum per Papam; Imperatorem, Regem, aut Principem. *Cassan.in cathal.glor.mund.p.10.consf.32. Barbosa de Episf.alleg.56.num.42. & ad sess.5. cap.1. Conc.Trid.num.48. Perea l.1.tit.10.lib.1.Ordin.Lezana ad mare magnum Minimor.nu.16.* Vbi igitur sunt studia Generalia instituta à Principibus, & vigent, Regulares ea vi illius antiqui priuilegij nō possunt legere. Sed hæc limitatio modò cessat. Primò propter priuilegium Pij Quinti pro Societate, per quod concessum fuit Præceptoribus dictæ Societatis, vt publicè legere possint etiam, vbi sunt vniuersitates. Virtute cuius priuilegij Collegium Cracouiense contra illius Ciuitatis vniuersitatem obtinuit in Rota, vt non posset prohiberi per eandem Vniuersitatem, vt in eo non legerentur artes, & Theologia, vt patet ea dec.71. & 265. & 325. p.5. recent. Et cum Vniuersitas Cracouien. prætenderet se ab immemorabili tempore præscripsisse ius prohibendi ne aliquis publicè in ea vniuersitate legeret, nihilominus Rota attendens, quòd huiusmodi, vel consuetudo, vel præscriptio est irrationabilis, & contraria disposit. cap.3. de magis. Et quòd interest Republicæ, quòd sint multi docentes, & quod priuilegium Pij Quinti clarissimum est, & habet clausulas derogatorias amplissimas, discusso per tres vices huiusmodi articulo coram Coccino, Vbaldo, & Ghislerio semper stetit in primò decisis, & præfatam Vniuersitatem non posse impedire quin Patres Societatis in Collegio Cracouien. legerent publicè Philosophiam, & Theologiam. Quod & esse de iure communi in cap. 1. & 2. cum seqq. de mag. asseruit dec. illa 71. in princ. subdens Pium Quintum hoc solum ad ius commune addidisse, quòd abstulit necessitatem approbationis superioris, quæ de iure communi per dictos textus requiritur. In quo ego aduerto obiter, quòd Rota hoc pro comperto habuit, quòd priuilegia concessa Regularibus à Pio Quinto non sint reuocata per Constitut. *In tanta* Gregor.XIII. nisi pro quanto illa sint contraria Concilio Tridentino. Vnde nec pro parte vniuersitatis fuit allegata dicta Constitut,

ftitut. *In tanta*, cum tamen decisiones Rotæ principaliter fundatæ essent in dicto Pij Quinti priuilegio. Cum verò priuilegium Pij Quinti habeat limitationem, vt scilicet Lectores Societatis non concurrant cum lectoribus vniuersitatum de mane per duas horas, & de sero per vnam. Gregor. XIII. in Constit. *Quanta in vinea*. quæ in Bullar. Societ. habetur pag. 183. restrinxit hanc limitationem ad vnam horam de mane, & alteram de sero, vt videre est ibid. pag. 189. Et vlteriùs etiam addidit, vt tunc non sit concurrendum cum lectoribus vniuersitatis per illas horas, si illi id petierint, vnde si lectores vniuersitatis non reclament seu postulent vt tunc cesset lectio, possunt dicti PP. legere etiam concurrendo cum alijs Doctoribus. Et ex consequenti alij Regulares communicantes in hoc priuilegio cum PP. Societatis. Addit verò Lezana ad Mare magnum Prædicatorum §. 4. *num.* 12. quòd consuetudine etiam introductum est, vt Regulares hac limitatione non obstante in suis Conuentibus legant Artes & Theologiam. Et hoc sine dubio verum est, de lectionibus habitis pro Religiosis. Sed quòd legant publicè admittendo etiam seculares, nescio an vbique etiam vbi sunt vniuersitates, sit consuetum, & solùm in priuilegijs Pij Quinti, & Gregor. XIII. pro Societate fuit expressè & distinctè concessum.

1131 Alia limitatio posita in priuilegio Maris magni fuit, vt Regulares tunc non legerent, cum quilibet in facultate ipsa docturus solemniter incipere consueuit. Quod Peyrinus ad Constit. 2. Iul. 3. §. 5. num. 15. interpretatus est, vt sit sensus, quòd Regulares si debeant legere in illis studijs, in quibus non legunt nisi Magistri solemniter gradu Doctoratus insigniti, id præstare non possint sine licentia Ordinarij, seu studiorum Rectoris. Sed vt aduertit Lezana ad Mare magnum Minimorum n. 16. longè diuersus est sensus dictorũ priuilegiorũ. Quia nimirum est sensus, vt Regulares nõ incipiant legere vbi sit consuetudo, quòd vnus Doctor solemniter legere incipiat, & alij nõ legant nisi ille legere incœperit. Et nihilominùs, quia nec in priuilegio Carmelitarum, nec in priuilegio Pauli Tertij, vel Pij Quinti aut Gregor. XIII. pro Societate adest huiusmodi limitatio, poterunt Regulares eam non attendere, nisi aliàs rationabilis consuetudo legitimè præscripta aliud exigat. Sed nullibi forsan hæc consuetudo nunc viget, vt lectores in vniuersitatibus finito tempore vacationum non incipiant legere, nisi vnus talis solemniter legere incœperit. An verò Religiosi qui graduari non possunt, in vniuersitatibus legere possint, in quibus non nisi Doctores admittuntur ad legendum, affirmat *Peyrinus ad Reg. Minim. cap.* 9. §. 41 *quæst. vn. nu.* 7. afferens ex Minimis dari actu legentes in vniuersitatibus Hispalen. & Catanen. sed subdit id fortè esse ex priuilegio Iulij Tertij pro Societate, vel (quod magis credit) ex concessione particulari. Et ita & ego puto. Nam ex priuilegio Iulij III. quod Peyrinus dicit haberi apud *Rodriq. tom.* 2. *quæst.* 75. *a.* 4. & est positum supra num. 1189. nihil tale habetur, vt legenti est manifestum. Aliàs verò statuta, & consuetudines vniuersitatum seruari debent, nisi adsit priuilegium, quod eis deroget.

1132 In alienis quoque vniuersitatibus legere possunt, & docere. *Suarez d. l.* 5. *cap.* 4. *nu.* 9. & vniuersitates moderari, & gubernare, & regere. *Suarez Ibid. num.* 8. Nam & passim videmus Regulares legentes in vniuersitatibus etiam pro stipendio, etiam se opponendo Cathedris, & seruata præcedentia in sedendo inter alios DD. iuxta consuetum vniuersitatis, in qua legunt. Quantum tamen ad hoc *Suarez d. cap.* 4. *num.* 10. excipit Religiosos Societatis, quibus ex decreto 118. Congregat. primæ est interdictum admittere Cathedras publicas cum disceptatione suffragiorum, & oppositione, sponte tamen oblatas ab ijs, quorum interest possunt accipere consulto Generali gratis prælegendo, nec cuiquam se opponendo, cum quo sit disputandum. Aliàs enim ministerium docendi in vniuersitatibus semper fuit Religionis valde proprium, vt probat *Suarez vbi supra num.* 6.

1133 Est verò etiam considerandum, quòd licet in citatis priuilegijs non fiat mentio lecturæ artium, & philosophiæ, tamen consuetudine sic est introductum, vt Regulares huiusmodi scientias legant. Et ad hoc vis priuilegiorum se extendit. Cum enim artes huiusmodi sint ancillæ Theologiæ, & ad eius pleniorem intelligentiam necessariæ, locũ hic habet Regula quòd concesso maiore concessũ intelligitur minus, quod est annexum, & clausum in maiori. *Barbosa axiom.* 140. *Lezana ad Mare magnum Minorum* §. 4. *num.* 12. Sed & expressè hoc cõtinetur in priuilegio Pauli Tertij & Pij Quinti pro Societate. Ideo Regulares quascumque disciplinas legere possunt præter ius ciuile, & medicinam. Non possunt quidẽ publicè legere ius Ciuile ac medicinam *cap. super specula. Ne clerici, vel monachi Syluest. v. Doctor. quæst.* 8. *D. Anton. p.* 3. *tract.* 5. *capit.* 2. §. 8. *Sanchez in sum. l.* 6. *cap.* 14. *num.* 4. *Suarez d. cap.* 4. *num.* 4. similiter nec possunt legere, quæ non possunt addisci, vt v. g. Magiam legere non possunt *Syluestr. d. quæst.* 8. vbi diffusè tractat, an possint legere Mathesim. Similiter nec legere possunt Astrologiam iudiciariam, cum & libri de ea tractantes prohibiti sint. Verùm alias scientias & artes, quas licet addiscere & decet Religiosos scire, quia sunt in adiutorium Intelligentiæ Sacræ Scripturæ, & Theologiæ etiam Scholasticæ, docere possunt. Et sic possunt docere Metaphysicam, Philosophiam, tam speculatiuam, quàm Moralem, Mathematicam, Rethoricam, & Humaniores literas, Grammaticam; vnde & conuenit illis pueros docere, & quidem à primis rudimentis, nam & antiquitus etiam intra monasteria pueri erudiebãtur. Et quàmuis S. Cæsarius in Regula *cap.* 5. §. 3. *apud Hugonem Menardum cap.* 46. statuerit, quòd *& si potest fieri, aut difficile, aut nullas vnquam in monasterium infantulas paruulas, nisi ab annis sex aut septem, qui iam & literas discere, & obedientiæ possit obtemperare, suscipiatur. Nobilium filij siue ignobilium ad nutriendum, aut ad docendum penitùs non accipiantur*. Per quod statutum monachorum tranquillitati fuit consultum. Et idem quoque fuisse statutum in p. addit. Capitular. Ludouici Imperat. tit. 43. ibi. *Vt schola in monasteria non habeatur, nisi eorum, qui oblati sunt.* Nihilominùs contraria vsus apparet in Epistola Synodica Teodulphi Episcopi Aurelianensis. num. 19. ibi. Si quis ex Presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum ad scholam mittere in Ecclesia S. Crucis, aut in monasterio S. Aniani, aut S. Be-

S. Benedicti, aut S. Liphardi, aut in cæteris ijs cœnobijs, quæ vobis ad regendum concessa sunt, licentiam concedimus. In monasterio etiam Faldensi Scholas fuisse habetur apud *Brounerum cap. 9.* & in monasterio S. Galli, ex Ekkeardo lib. de casibus monasterij S. Galli, & ex actis S. Notkeri, & S. Vldarici Episcopi Augustani. Sed & sanctum Thomam Aquinatem apud monachos S. Benedicti fuisse in sua pueritia literis imbutum ex eius vita est manifestum. Vnde et ab antiquo in vsu fuit, vt pueri in literis erudirentur à Religiosis.

1135 Ius etiã Canonicũ docere possunt Religiosi, et priuatim, et publicè, sicut et illud possũt adiscere aut illius gradũ suscipere, vt tradunt cõmun. DD. ad *cap. super specula. ne clerici, vel monachi, & cap. 1. eod. tit. in 6.* Quãmuis enim illa pars Iuris Canonici quæ foro contentioso deseruit videri posset aliena à Religiosis, qui à forensibus causis etiam Ecclesiasticis alieni esse debent *Suarez. d. cap. 4. num. 4.* tamen neque hæc pars disconuenit Regularibus, qui nedum scire debent, quæ per eos agenda sunt, sed quæ per alios, vt alias instruere valeant, et forensium confessiones audire, et eorum acta in foro pœnitentiæ diiudicare valeant, et nedum verbis, sed scriptis iudices instruere. Præterquàm quòd intra Claustra etiam Prælati Regulares, et alij in foro externo iudicare debent pluries, et id non potest æquè bene fieri sine Canonum notitia. Itaque Regulares omnes scientias et disciplinas docere possunt, quæ illos decent. Medicinam verò aut Ius Ciuile prohibiti sunt publicè docere, nam et præcipuè quantùm ad ius ciuile, quod totum forenses causas respicit et nõ Ecclesiasticas quas tractare non conuenit Religiosis vt dixit etiam Pelagius Papa, vt habetur *cap. de præsentium. 16. quæst. 1* ibi. *Amarissimum est de isto proposito, ad illud officium homines deduci, in quo nullo modo, quæ à monachis Deo promissa sunt, valeant adimplere: amoimoda enim est illius officij, & istius habitus diuersitas; illic enim quies, oratio, labor manuum, et hic causarum cognitio, conuentiones, actus, publica litigio, & quæcumque vel Ecclesiastica instituta, vel supplicantium necessitas poscit.*

SVMMARIVM.

1 *Regularibus conuenit doctoratus. nu. 1136.*
2 *Tres gradus literarij. nu. 1137.*
3 *Vnde dictus Bacalaureatus, Præsentatus, & Magistratus. nu. 1137.*
4 *Doctoratus est dignitas. nu. 1138.*
5 *Fert Nobilitatem. nu. 1138.*
6 *Doctoratus potest sine peccato desiderari. numer. 1139.*
7 *Doctoratum quærere ob inanem gloriam quando sit mortale. nu. 1139.*
8 *Doctrina D. Th. ex quodl. 3. a. 9. n. 1140.*
9 *Requisita ad Doctoratum. nu. 1141.*
10 *Nullus debet promoueri, nisi seruatis seruandis, num. 1142.*
11 *Examen multiplex necessarium.*
12 *Clem. vlt. de Mag. nu. 1142.*
13 *Mortuus an possit doctorari. nu. 1142.*
14 *Legitime promotus non est priuandus titulo Doctoratus, nisi ex culpa. nu. 1143.*

OBSERVATIO SECVNDA.

1136 QVoniam docere in publicis vniuersitatibus eorum est, qui lauream Doctoratus, seu magisterij in aliqua vniuersitate obtinuerunt, Ideo ad Regulares spectat & vt possint lauream doctoratus assumere, & eam suis scholaribus tradere. Conuenientissimè enim in Ecclesia introductum fuit, quòd scholares Laurea Doctoratus coronentur, & tanquam digni, & idonei ad alios docendos publico sapientum testimonio cõprobentur. Cum hoc enim publico doctrinæ testimonio, homines magis apti sunt ad alios docendas, ad quod maximè iuuat, quòd magister doctrinæ famam apud populos habeat. Nam vt dicitur Ecclesiast. 20. & 41. *Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* Sicut enim non facile, quis mouebitur ad fodiendum, & quærendum thesaurum, si de eo notitiam non habeat vbi sit, & qualiter illum inuenire possit, vnde remanet inutilis thesaurus, si sit absconditus, Ita si doctoris scientia & eruditio sit abscondita, non erit, qui ab illo discere curet, & manebit tanquam thesaurus absconditus & inutilis. Propterea in Ecclesia institutum fuit, quòd scholares, qui in scientijs profecerunt per publicum testimonium manifestentur mundo tanquam idonei ad docendum, & docendi facultas illis concedatur, & propterea Doctoratus aut magisterij Laurea condecorentur, vt etiam in honore & pretio apud populos eorum doctrina, & eruditio habeatur, & sic aptiores sint ad alios erudiendos.

1137 Scholastici autem gradus communiter dicuntur esse tres, nimirum Baccalaureatus, Præsentatura, seu licentia, & Doctoratus, seu magisterium Theologiæ, *Nauar. tom. 1. de finib. humanor. actuum num. 45. Noldus v. Doctor num. 2. Lezana v. Gradus num. 2.* qui vocant huiusmodi gradus Mineruales honores, & Laureas, Vt enim aduertit Alciatus in *l. cui præcipua ff.* de verb. signif. sicut antiquitus apud Græcos Athletæ triplici corona donabantur. *l. 1. C. de Athlet.* ita studentes qui in agone literario strenuè se gerunt, triplici hac laurea condecorantur. Ex his Baccalaureatus infimam Lauream importat. Putat verò Lezana, quòd nomẽ Baccalaurei desumptum fuerit à Baccalia Lauri specie a baccarum fertilitate dicta, de qua *Plinius l. 15. cap. 30.* Sed aliunde huius nominis Ethimologia desumitur. Antiquitus enim dicebantur Bacalarij, seu Bacularij, & teste Rhenano à Bacillo sic nominati sunt, quia primi studij auctoritatem, quæ per exhibitionem baculi concedebatur, iam consecuti fuissent: Vt fuerit quoddam mancipationis signũ in huiusmodi aliquod studium baculi traditio. Sic vulgus tales Bacalarios dixit, quos eruditi Bacalaureos vocant. Ita *Calepinus in v. Bacalarij.* Licentiati autem dicuntur, seu præsentati, eo quia post literarium examen licentiam ad accipiendam Lauream Doctoratus acceperint. Et dicuntur etiam Præsentati, quia pro obtinendo Doctoratu præsentati sunt ab vniuersitate. Doctoratus autem & magisterium in Theologia eundem gradum important, & non distinguuntur nisi quòd iuristæ Laureati dicuntur Doctores, & Theologi vocantur magistri. *Glossa in Clem. 2. de magist. v. Do-*

ctore-

*ctoratus, Hostien.in sum.nu.*1. vbi quòd legistæ dedignentur vocari magistri, sed immeritò, cum tales vocentur in prohæm.ff.§.penul.& Christus Dominus Io.12. *Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis sum etenim*. Et rationabiliter magistri dicuntur, qui iam obtinuerunt facultatem alios docendi, magister enim dicitur quasi maior in statione & cuius auctoritatem, & exēplum sequimur, vel cui rei alicuius præcipua cura incumbit. *l. cui præcipua, ff.de verb.signific.* Et Festus magistros inde dictos esse voluit, quòd cæteris magis possint, vel quòd maiorem sollicitudinem rebus, quibus præsunt, debeot. Quamuis alij putent quòd hoc nomen sit desumptum à voce magorum. Persæ enim viros doctrina præstantes magos dicebant. Et hinc factum est, vt magistri dicti sint ij, quorum exemplum, & institutionem iuuenes sequi debent. *Cis. l.11.Epist.* Concil. in hoc sensu vtitur nomine magistri. Et propterea excellentes doctrina habentes facultatem docendi dicuntur magistri, quo nomine in Romana Sapientia nedum Theologi, sed & Doctores in medicina appellantur.

1138 Propterea doctoratus inter dignitates numeratur, & Doctor non est omnis iurisdictionis expers, nam super scholares iurisdictionem ordinariam consequitur statim ac ad legendum in publica vniuersitate deputatur, & Cathedram magistralem ascendit *Felin.Syluest.v.Doctor quæst.4. Barbosa ad cap.3.de magistro num.1.* & apud eum *Tiraquell.de nobilit.cap.8.num.2.Cassan. in Catal. Glor. mundi p.8.consid.12.Cephal.cons.117 nu.23.Caballin. Millel.540. Cened. ad Decret.collec.143.num.3. Rodriq.tom.2.q.130. a.1. Io. Gura. de nobilit. gloss.48. §.3.num.78.* & alij plures. Doctoratum tamen non esse propriè dignitatem dixit *Lezana v.gradus nu.5.* vbi quod possit conferri excommunicato. Sed cum Doctor actu docens habeat iurisdictionem in scholares, & qui actu non docet habitu sit talis, & ex parte sua habeat docendi facultatem, & ideo habeat iurisdictionem in habitu, ideo doctoratus qui est auctoritas & facultas docendi concessa ab vniuersitate publica ob sufficiētiam doctrinæ talis dignitas est, quæ excommunicato dari non potest; maximè cum doctoratus sit facultas communicandi cum discipulis, excommunicatus verò sit communicatione priuatus, ideo est priuatus etiam facultate docendi. Sicut verò doctoratus quædam dignitas est, ita Doctor nobilis est, & nobilium fruitur priuilegijs. *Cassan. in consuet. Burg. rubr.4. §.19.num 1. Tiraquel de nobil.cap.20. num.68. Iacobus Benus de priuil.Iureconsul.p.3. priuil.56. Barbosa ad d.cap.3. De magistro num.3.* vbi quòd si ex statuto Ecclesiarum præbendæ debeantur nobilibus, Doctor admittitur secūdùm *Mohedan.dec.34. Guid. Papam dec.88.num.1. Rebuff.de nomin.quæst.15 n.10. Segura Daualos in direc.Iud.p.2.c.3.num.3.* Et quòd Doctores non numerentur inter plebeios dixit *Rota decis.358.num.6.post Tiraquel. de nobil. cap.8.n.1. & cap.9.num.1.& cap.32.num.2.*

1139 Quoniam verò tota hæc Doctoratus nobilitas, & dignitas ordinatur ad bonum communitatis, ad hoc ultimum vt & scholares ardentiùs studijs incumbant, vt digni Laurea Doctorali sint, illamque possint adipisci, & vt magistri habentes suæ doctrinæ testimonium cum maiori auctoritate docere valeant, & libentiùs à scholaribus audiantur. Ideo Doctoratus seu magisterium est nobilitas, & dignitas, quam licet sine peccato & ambitione desiderare, & petere *D.Thom.opusc.19.c.4. 5.& 6.Syluest.v.Doctor quæst.4. Barbosa ad d. cap.3. num.3. Suarez d.lib.5.cap.3.nu.10.* Quamuis si quis non sit idoneus verè ad docendum, Doctoratum petere, immò & oblatum admittere dicat esse mortale idem *Syluest.d.quæst.4.* immo & retinendo. *Lezana p.p.cap.8.num.25.& p.2.cap.13. num.42.* Sicut & illam per vias malas procurare malum est. Eos quidem, qui se ingerunt vt fiant Doctores, tanquam indignos eijciendos esse dixit *Aluarus Pelagius* libro de Planctu Ecclesiæ, apud S. *Anton p.tertia tit.5. cap.2.§.8.* id probant ex *Greg.lib.7.epist.111.cap.sicut 1.quæst.6.& lib.6.epist.5.cap.in scripturis.8 quæst.1.* & idem tradiderunt *Sylu.v.Doctor quæst.6.Tabiena v. mag.num.1.Rodriq.p.2.quæst.75. a.1. Fagnanus cap. quia, num.10.ex Hostien.* Sed certè vbi quis sit verè idoneus, nec est peccatum petere, aut Doctoratum procurare per se & ex genere. Licet sit peccatum, si qui petit, vel non est idoneus, vel malis artibus illum sibi procurat, vim faciendo superioribus, vel vbi est id specialiter prohibitum in Religiosibus, si procuretur per fauores secularium, vel etiam si ob malum finem, nam si quæratur magisterium Theologiæ non ob rectum finem, esse mortale dixit Archid. sed negat *Syluester d. quæst.4.* bene aduertens hoc considerandum esse ex qualitate finis. Et sic non habere finem rectum aliquod peccatum est, sed si finis ob quem quæritur non est malus malitia graui, nec est hoc peccatum mortale illum appetere ob talem finem solùm venialiter malum, & ita petere magisterium Theologiæ ob vanam gloriam, & excellentiam gradus, nisi in hac ponatur vltimus finis non est peccatum mortale. Nam & vana gloria ex genere non est mortale peccatum, secundum *D.Thom. supra quæst.32. a.3.* & cum gloria, honor, laus, excellentia & huiusmodi sint bona extrinseca, nec de se malus est eorum appetitus si ordinatè appetantur, quàmuis verò aliqua inordinatio sit quærere gradum excellētiæ cui debetur laus, honor, propter ipsam excellentiam, honorem, vel laudem, supposito tamen merito, & idoneitate, & si in his non ponatur vltimus finis non est hoc mortale, vt habet D. Thomas loco citato.

1140 Sed in hac parte iuuat afferre, quod habet idem S.Thomas in quodl.3. art.9. *Oportet*, inquit, *triplicem differentiam considerare cathedræ magistralis, ad cathedram Pontificalem. Quarum prima est, quod ille qui accipit cathedram magistralem, non accipit aliquam eminentiam, quam prius non habuerit, sed solum opportunitatem communicandi scientiam, quam prius non habebat. Non enim ille qui licentiat aliquem dat ei scientiam, sed auctoritatem docendi. Ille verò qui accipit cathedram Episcopalem, accipit eminentiam potestatis, quam prius non habebat, sed quantum ad hoc in nullo ab alijs differebat. Secunda differentia est, quod eminentia scientiæ qua requiritur ad cathedram magistralem, est perfectio hominis secundum seipsum: eminentia verò potestatis quæ pertinet ad cathedram Pontificalem, est hominis per comparationem ad alium. Tertia differentia est, quòd ad cathedram Pontificalem sit homo idoneus per charitatem excellentem, vnde Dominus antequam Petro suarum ouium curam committeret,* quasi-

quæsiuit ab eo. Symon Ioan. diligis me plus his? vt dicitur Io. vlti. Ad cathedram autem magistralem redditur homo idoneus ex sufficientia scientiæ. His ergo consideratis, manifestum est, quod appetere aliquid, quod pertinet ad perfectionem sui ipsius, est laudabile, vnde appetitus sapientiæ est laudabilis. Dicitur enim Sapientiæ 6. quòd concupiscentia sapientiæ perducit ad regnum perpetuum. Appetitus autem potestatis super alias est vitiosus, quia vt Gregor. dicit, contra naturam superbire est, hominem homini velle dominari; vnde si ille qui dat licentiam ad cathedram magistralem possit eminentiam sapientiæ dare, sicut ille qui promouet ad cathedram Pontificalem dat eminentiam potestatis, esset simpliciter expetenda, cum tamen petere excellentiam potestatis sit turpe. Cum autem ille, qui accipit licentiam ad cathedram magistralem, arripiat solam opportunitatem communicandi; quod licet, petere huiusmodi licentiam, quantum in se est, nullam videtur turpitudinem continere, quia communicare alijs scientiam, quam quis habet, laudabile est & ad charitatem pertinens, secundum illud Sapien. 8. Quam sine fictione didici, & sine inuidia communica. Et primo Pet. 4. dicitur. Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes. Potest tamen turpitudinem continere ratione præsumptionis, quæ esset ille si qui non est idoneus ad docendum, peteret docendi officium. Sed hæc præsumptio non æqualiter est in petentibus licentiam ad docendum, & in petentibus pontificatum. Nam scientiam, per quam aliquis est idoneus ad docendum, potest aliquis scire per certitudinem se habere. Charitatem autem per quam aliquis est idoneus ad officium pastoralem, non potest aliquis per certitudinem scire se habere. Et ideo semper est vitiosum Pontificatum petere, non semper autem vitiosum est petere licentiam docendi, quamuis honestius sit quòd per alium petatur, nisi fortè aliquando ex causa aliqua spirituali. Ex quibus concluditur, quòd petere & procurare magisterium etiam in Theologia, non est per se malum, vt voluit *Sylnestr. dicta quæst. 4.* sed solùm ex circumstantia est malum, Et quòd non bene ad hoc allegantur *cap. sicut 1. quæst. 6. & cap. in scripturis 8. quæst. 1.* cum ibi manifestè sit sermo de Cathedra pastorali, non de simplici cathedra magistrali.

1141 Quæ verò sint requisita ad Doctoratum traduot *Syluest. v. Doctor quæst. 5. & Tabien. v. Mag. num. 1.* Potest enim vnusquisque reprobari à magisterio nedum ex defectu scientiæ, sed etiam ex defectu morum, vt probatur *l. magistros C. de profes. & medi. lib. 10. iuncta Clem. 1. de magis.* quod & seruat consuetudo. Quanta verò scientia sit necessaria ad Doctoratum, Syluest. dicit esse eam iudicandum arbitrio doctorantium. Quamobrem sex requiruntur in eo, qui vult promoueri ad dignitatem magisterij. Primò docendi peritia, seu scientia. Secundò docendi facundia. Tertiò subtilitas interpretandi. Quartò docendi copia. Et hæc habentur in *l. vn. C. de profes. qui in vrb. Const. lib. 12.* quintò excellentia morum, vt in *d. l. magistros.* Sextò motus fortitudinis, vt sciat aduersùs vim fortitudine resistere. *l. reddatur C. de profess. & medi. lib. 10.* Vnde pauci sunt, qui pro meritis attingant dignitatem Doctoratus vt dicunt *Barthol. ex Cyn. in l. omnes populi ff. de iust. & iur.*

1142 Nullum actu debere promoueri nisi seruatis seruandis, dixit *Rota dec. 167. num. 11. par. 2. recent.* sicut econtra, quòd idoneo petita licentia facultas docendi non est neganda. *dec. 265. nu. 11. & dec. 325. num. 5. part. 5.* Et quòd præter recensita ad Doctoratum sit necessarium studium quinquennale tradidit eadem *Rota dec. 183. num. 9. part. 6.* Et præterea modò ex Constit. Pij Quarti necessariò ad Doctoratum præmittenda est fidei professio. *Rodriq. tom. 2. quæst. 73. a. 2. Naldus v. doctoratus n. 1. Lezana v. gradus num. 7.* Promouendos quoque debere approbari ter, scilicet primò à præsentantibus, secundò in examine priuato Doctoribus Collegij, & tertiò in publico quando doctoratur, dixit *Syluest. quæst. 6. ex Panorm. cap. cum secundùm de preben. & cap. proposuisti, de probation.* Sed in hoc consuetudines, & statuta vniuersitatum seruanda sunt. An verò examen promouendi ad magisterium, seu Doctoratum sit de forma, & ita quòd etiam vbi est notoria sufficientia non possit prætermitti, negat *Pasqualig. decis. 448.* aduertens, quod ad vitandum scandalum sufficientia debet esse notoria nedum doctorantibus sed alijs. Sed *Palaus trac. 16. disp. 4. p. 13. §. 6.* putat, quòd examen sit de forma, si statuta illud indifferenter requirunt, quàmuis dicat quòd in Societate potest remitti. Sed puto standum legibus proprijs, & consuetudinibus vniuersitatum, & quòd vbi non est sufficienter expressum examen requiri de forma, quod in casu notoriæ sufficientiæ possit remitti. Nam aliàs admittentes ad Doctoratum peccant mortaliter, si vel promoueant indignum. *Syluestr. quæst. 4.* vel non seruent, quæ ex lege aut statuto obligante ad mortale seruanda sunt. Ex vi etiam Constit. Pauli Quinti 65. ad Doctoratus gradum, & alios honores præferendi sunt cæteris paribus, qui in linguis saltem Hebræa, Græca, & Latina peritiores fuerint & ad illas docendas aptiores. Ex vi Clement. vlt. de mag. admittentes ad magisterium debent à promouendis exigere iuramentum, quód non exponent vltra tria millia Turonensium argenteorum in tali doctoratus, seu magisterij solemnitate, & si hoc iuramentum non exigant sunt suspensi per sex menses ab huiusmodi promotione etiam si sint Episcopi: sed bene admonet *Syluest. quæst. 6.* cui consentit *Lezana v. gradus. num. 5.* hoc præceptum esse obseruandum vbi maior expensa timeatur, nam vbi sit certum quòd v. g. vix decem aurei exponuntur, non adest necessitas exigendi illud iuramentum. Concludit etiam ibid. Sylu. mortuum non posse doctorari, quia hæc dignitas potius est animæ, quam corporis. Quàmuis posset post mortem quis recipere per Principem militiæ gladium secundum *Panorm. cap. à nobis el 2. de sent. excommun. & Bart. in l. 1. Cod. de dignit. lib. 12.* quia militiæ cingulum est nobilitas corporis principaliter. Verùm quia hoc non potest rationabiliter fieri nisi in testimonium præteritæ sufficientiæ ad militiam, eadem ratio etiam valere posset ad Doctoratum, si Princeps vellet.

1143 Addit verò Syluest. quòd qui tempore promotionis suæ habuit præfatas conditiones, si postea fiat inutilis, degradandus est à Doctoratu vt in *l. grammaticas, C. de profess. & medi. lib. 10.* Nam quòd Doctor, seu magister possit reprobari habetur ex *l. 2. C. ea. not. Bart. in l. sed & reprobari, ff. de ex. in princ. & in l. vt gradatim. §. reprobari ff. de mu. & ho.* sed non sine causa. *l. Pomponius scribit ff. de*

neg.

neg.gest. Verùm hæc sine explicatione admitti non debent. Nam si Doctor fiat inutilis ex culpa aliqua, ob quam sit dignus, vt priuetur doctoratu, potest reprobari, & gradu priuari. Non tamen si sit culpatalis, quæ non mereatur tantam pœnam. Nam priuatio Doctoratus est pœna valde grauis, quæ nō nisi pro graui culpa imponi debet. Si verò Doctor fiat inutilis, sine sua culpa ob infirmitatem, vel senectutem, vel ex alia simili causa, nunquam est priuandus gradu, & titulo Doctoratus, etiā si fieret fatuus, quia ad iustè possidēdū titulū sufficit sufficiētia de tēpore promotionis, etiā si per accidēs absque culpa Doctoris euanuerit, quia ille per se est talis, qui fuit sufficiens, & de facto esset, si ex accidēti non fuisset impeditus: Potest quidem, & debet remoueri ab exercitio docendi, si sit inutilis ad docendum. Sed adhuc consuetudo est plurium Vniuersitatum, vt qui per aliquem numerum annorum docuerunt fiant iubilati, & sic abstineant à labore docendi, quod tamen fruantur stipendio, & priuilegijs legentium actu iuxta Vniuersitatum statuta, & consuetudines.

SVMMARIVM.

1 *Regulares possunt suscipere lauream Doctoratus. num.1144.*
3 *Necessaria Superiorum licentia.nu.1145.*
3 *Promotio sine licentia irritabilis.nu.1146.*
4 *In Ordine Prædicatorum nulla promotio, vel non facta, vel non approbata à Capitulo Generali. num.1147.*
5 *Generalis dat licentiam, & promouet ad Magisterium.nu.1147.*
6 *In eodem Ordine qualiter promouendus debeat esse idoneus.nu.1148.*
7 *Ab initio Ordinis Fratres promoti ad Magisterium num.1148.*
8 *Promouebantur in Vniuersitatibus secularibus. num.1148.*
9 *Institutæ Vniuersitates intra Ordinem. nu.1149.*
10 *Nunc ad Magisterium non est necesse, quod promouendus perfecerit actus in aliqua Vniuersitate. num.1150.*
11 *In alijs Ordinibus leges propriæ seruandæ. numer.1151.*
12 *Quid in Societate.nu.1151.*
13 *Priuilegium Societatis dandi lauream Doctoralem.nu.1152.*
14 *An hoc priuilegium sit communicabile. numer.1153.*
15 *Doctoratum Ciuilem de licentia possunt Regulares suscipere.nu.1154.*

OBSERVATIO TERTIA.

1144 QVoniam docere valde conuenit Regularibus, vt dictum est, ideo Summi Pōtifices concesserunt, vt illi possent admittere Scholares ad lauream Doctoratus, & respectiuè vt illam suscipere possint. Itaque Regulares possunt lauream Doctoratus suscipere, vt ex præmissis priuilegijs apparet, & nedum intra Religionem in proprijs vniuersitatibus, vel à proprijs superioribus, vbi habeant priuilegium doctorandi, sed etiam extra Religionem in publicis vniuersitatibus. *D.Th,*

opusc.19.cap.1.& 3. D.Ant.p.3.tit 5.cap 2.§.8. Sanchez in sum.l.6 cap.14 num.44. Syluest.v. Doctor.q.6. Suarez d.lib.5 cap.4. nu.9.& 10. Lezana p.2. cap.13. nu.42. Rodriq.p.3.quæst.75.a.1. Tambur.tom.3.disp.3. quæst.6.num.38. Fagnan.sup. Quia num.10. de Magist. Palaus tr.16.disput.4.punct.31.§.6. num.1. Felin.cap. Cum dilecti num.19.de rescript. Et neque Minoribus Magisterium disconuenit, sed dignum est vt in eo Ordine digni laurea Doctoratus decorentur *Sanchez d.cap.14.num.47. Rodriq. d.q.75. a.1. Palaus d. §.6.num.2. Felin. d.num.19.* Vbi quod expensæ Doctoratus fieri debeant à Monasterio, & quod valeat donatio de annuo reditu facta pro aliquo Religioso Ordinis Minorum causa studij, & quòd in eo casu ei Religioso competit vsus facti talis redditus.

1145 Ad hoc tamen, vt Regulares gradum Magisterij, seu Doctoratus recipere valeant, necessaria est suorum superiorum licentia *D. Anton.3.p. tit.5.cap.2.§.8. Syluest.v. Doctor,q.6. Rodriq.p.2.q.75. art.1. Lezana par.2.cap.13.num.42. Palaus tract.16. disp.4.punct.13.§.6 num.1. Tambur. tom.3. disput.3. q.6.num.38.* Adesse verò hanc licentiam tacitam, si Religiosus de licentia superioris eat ad studium, vel ad illud à superiore mittatur, dixerunt *Felin. in cap. Cum dilectu num.19. de rescript. Sanchez l.6 mor.cap.14.num.46.* Sed licet hoc de iure communi posset procedere, si oppositum per statuta particularia Religionum sit dispositum, illud est seruandum.

1146 An verò si Religiosus sine licentia suorum superiorum promoueatur valida sit promotio, quidam dicunt valere, excepta Congregatione Obseruantiæ Hispaniæ Ordin. Prædicatorum propter priuilegium Innocentij VIII. cuius meminit, *Casarub.v.gradus scholastici n.6.& 7.& Rodriq.q.75. art.1.* Quod tamen dicunt non obligare nedum Religiosos aliorum Ordinum, sed neque reliquos Religiosos eiusdem Ord. Prædicatorum. Huiusmodi enim pœnalia non sunt priuilegia in quibus alij Ordines communicant. *Sanchez l.6.cap.14.nu.49. Rodriq.quæst.75.ar.1. Peyrin.ad regul. Minim. cap.9. §.41.num.5. Palaus d.§.6.num.2.* Verùm distinguendo priùs id, quod est ex iure communi Religionis, & ex vi voti Obedientiæ, & status Religiosi, ab eo quod est proprium Ordini Prædicatorum, vel alterius Ordinis, dicendum est, quod Magisterium receptum à Religioso sine licentia superioris saltem interpretatiua, aut tacita non est quidem nullum ipso facto, & irritum, si lex prohibens suscipere Magisterium non contineat decretum irritans. Non enim ex eo aliquid est nullum ipso iure & facto, quia fit contra legem. Multa enim facta teneat, quæ fieri prohibentur. Sed nihilominùs talis Doctoratus sine licentia superioris susceptus, ideoque contra legem habitus est ad nutum superioris irritabilis, iuxta regulam 64. de reg iuris in 6. Quæ contra ius fiunt vtique pro infectis haberi debent. Non enim Religiosus habet velle, vt firmiter, & stabiliter possit contra proprias leges operari. Ideo quæ agit Regularis contra Regulam non sunt ita nulla, vt non possint à superiore ex iusta causa ratificari, & firmiter validari; sed non sunt ita valida, quòd non possint à superiore irritari. Et ideo Doctoratus receptus sine licentia superioris potest à superiore irritari.

1347 Quantum verò ad Ordinem Prædicatorum res est indubitata, quòd magisterium sine licentia, vel approbatione superiorum obtentum est nullum, non quidem solum ex *constit. illa Innoc. VIII.* de quo mihi aliter non constat, quàm ex relatione *Casarub. & Rodriquez*, & vt refertur fuit facta pro Congregatione *Hispania, sed ex Constitut. Bonifac. IX. & Martini Quinti*, *quæ sunt vniuersales*. Primò ergo ad gradum Baccalaureatus, seu ad hoc, quòd aliquis legat pro gradu & forma magisterij, & ad hoc, quòd aliquis sit magister requiritur licentia Capituli Generalis. *Et* nullus potest fungi gradu magisterij, nisi per dictũ Capitulum fuerit promotus, vel approbatus, *Ita exConstit. Bonif. IX. & habetur in constit. Ordinis dis. 2. cap. 17. §. 1. & in Gloss. lit. A.* Quod & approbatum fuit, & confirmatum *in Cap. General. Venet.* 1437. *& Perus.* 1477. *& Romæ* 1481. *& Cenomanis* 149- Est verò nonnulla differentia inter textum Bonifacij Noni, & Glossam. Nam textus quantùm ad Bacalaureatum duo requirit sub disiunctione, nimirum vel licentiam Capituli Generalis, vel assignationem iuxta morem Ordinis. Sed Glossa requirit, quòd nullus possit assumere gradum Bacalaureatus nisi à Capitulo Generali fuerit promotus, & expositus. Pariter quantùm ad magisterium Bonifacius non requirit nisi, quòd promouendus sub disiunctione sit à Capitulo Generali, vel approbatus, vel promotus: sed Glossa copulatiuè requirit, quòd per Capitulum Generale sit promotus, & expositus. Est verò considerandum, quod vel frater ad Bacalaureatum, aut Magisterium promouetur in Capitulo Generali, vel extra Capitulum Generale. Si promouetur in Capitulo Generali, Bonifacius Nonus nullam aliam licentiam aut approbationem requirit, quia promotio est licentia, & approbatio eminentior, & isti in Actia Capitulorum Generalium recensentur tanquam promoti, per verbum *promouemus ad Magisterium &c.* Et quãtùm ad istos, dum Glossa requirit copulatiuè quòd sint promoti, & expositi, dicendum est, quòd pro eodem sumit esse promotum, & expositum. Est etiam in hac parte discrimen; quia alij absolutè promouentur in Capitulo Generali, qui scilicet sunt præsentes, & per examinatores à Capitulo deputatos examinantur, & præmissis præmittendis de commissioneCapituli Lauream suscipiũt vel Baccalaureatus, vel Magisterij. Alij verò promonentur sub conditione, qui nimirum, vel sunt absentes, vel non expleuerunt lecturam, & actus necessarios, vel ex alia causa sub aliqua implenda conditione aut examinis, aut alterius actus promouentur; & hi propriè dicuntur licentiari ad magisterium, vel Baccalaureatum, & vt apparet maximè in Capitulis antiquis, isti describuntur in actis Capitulorum sub hac nomine *licentiamus talem, aut talem ad Magisterium &c.* quocumque autem ex istis modis fratres sint promoti, sufficit, nec maior licentia aut alia approbatio est necessaria. Spectata autem vi verborum Glossæ præfatæ, videtur quòd nulla alia detur via obtinendi magisterium, aut Bacalaureatum, quia ipsa ad vtrumque requirit, quod ad hunc effectum fratres sint promoti, & expositi. Vel vt habetur in Constitut. impressis Venetijs apud Lazarum de Soardis anno 1507. quantùm ad Bacalaureatum, nisi per Capitulum Generale fuerint promoti; & assignati, & quantùm ad magisterium, nisi fuerint per Capitulum Generale licentiati, & promoti. Sed certè praxis ordinis est, quòd fratres extra Capitulum Generale promoueantur. Et hoc est de mente Bonifacij Noni, qui sub disiunctione requirit promotionem Capituli Generalis, vel approbationem, & approbatio respicit gradus ad quos fratres extra Capitulum Generale promouentur. *Et* hoc nedum vsu venit ex quo Iulius II. de anno 1508. vt dictum est supra n. 1380. concessit Generali *Caiet.* facultatem promouendi ad magisteriũ fratres etiam non peracto quadriennio in aliqua vniuersitate, & de anno 1509. quòd posset promouere duos socios suos, & successiuè similes concessiones fecerunt alij Pontifices, donec Pius Quintus contulit Generali facultatem promouendi fratres ad magisterium: sed antiquitus, & priùs etiã ad magisterium suscipiendum sufficiebat licentia Generalis. Vnde Basileæ anno 1473. ord. 5. statutum fuit, quod promoti sine licentia Magistri Ordinis, vel Capituli Generalis, aut sine approbatione vltra excommunicationem Domini Papæ, quam incurrerant, eorum magisterium irritum habretur. *Et in Constit. dist. 2. cap. 4. §. 8.* facultas licentiandi ad Magisterium conceditur Capitulo Generali, & magistro Ordinis. *Extra* Capitulum Generale igitur possunt fratres Ord. Prædicatorũ promoueri ad gradus, sed tunc duo requiruntur, nimirum licentia magistri Ordinis; nullus enim hanc licentiam dare potest nisi, vel Capitulum Generale, vel magister Ordinis, secundum quòd requiritur est approbatio Capituli Generalis. Quia verò Capitula Generalia tardiùs nunc celebrantur hæc est praxis Ordinis, vt promoti de licentia Magistri Ordinis, interim gaudeant priuilegijs iuxta Prouinciarum consuetudines, & statuta, & quòd postea eorum Magisteria approbentur. Et totum hoc sufficit ad seruandam Constitutionem Bonifacij Noni nõ requirẽtis nisi sub disiunctione approbationem, vel promotionem Capituli Generalis. *Et* si dicas hinc sequi, quòd possit dari casus in quo aliquis sine aliqua licentia sit promotus ad Bacalaureatum, aut Magisterium, & tamen nec sit excommunicatus, nec eius gradus sit irritus, nisi postquàm fuerit à Capitulo Generali reprobatus. Respondeo, & ex vi Constitut. Bonifacij Noni totum hoc admittitur, *Et* ipse hoc clarè expressit in illis verbis in constitut. dicto cap. 5. §. 2. relatis, *Et si per Capitulum prædictum reprobatus extiterit, pro non magistro habeatur.* Vnde promotus ad Magisterium extra Capitulum Generale etiam sine licentia ex vi Constit. Bonifacij Noni nõ est excommunicatus, nec eius Magisterium est ipso iure, & facto irritum, nisi per Capitulum Generale fuerit reprobatum. Nec alium sensum habet constit. Alexandri Quinti, quam ex Fontana retuli supra n. 1381. *Et* ad eundem sensum reduci debet Glossa citata. Aliunde verò non video, quòd promotis sine licentia sit imposita pœna excommunicationis, vel nullitas Magisterij multa verò sancita sunt pro promotis per *Breue* aliquod Pontificium, quæ alijs consideranda relinquo. Hoc solum addo, quòd Constitutio Bonifacij Noni cõtinet ius diuinum pro ea parte in qua statuitur, quòd Magisterium reprobatum à Capitulo Gene-

tali

tali sit irritum, quia de iure diuino est quòd Magisterium Religiosi reprobatum à legitimo superiore est nullum, Capitulum verò Generale est superior Religionum, & ille solus superior in Ordine Prædicatorum cui competit Magisterij approbatio. An verò censendum sit irritum Magisterium, quod reprobauerit Magister Ordinis extra Capitulum Generale; irritum censendum puto, quia Magister Ordinis est ad hoc legitimus superior qui sicut potest dare licentiam, ita potest reprobare, & cassare gradum sine licentia, vel aliàs illegitimè receptum. Sed via iuris procedendo etiam Prouincialis, & imò superior localis posset contra sine licentia promotum procedere, & gradum eius nullum declarare. Sed & de facto fratres ipsi possessionem talis Magisterij possent impedire, & contra promotum iustitiæ legibus seruatis iura sua tueri, Sed tamen in pœnas constitut. Bonif. Noni & Alex. Quinti non incideret taliter promotus, nisi a Capitulo Generali eius Magisterium fuisset reprobatum.

1148 Primum autem requisitum est, vt promouendus per quatuor annos compleuerit lecturã, & scholasticos actus in aliqua vniuersitate. Sed est circa hoc sciendum, quòd Regulares capaces, & præcipuè fratres huius Ordinis ab initio Ordinis, & ex iure communi studentium in vniuersitatibus fuerunt capaces recipiendi lauream Doctoratus, cum in oppositum nulla esset lex, vel communis, vel municipalis. Et ideo statim ab initio ordinis fuerunt in Ordine Prædicatorum Magistri. De sancto Thoma legitur in eius vita, & in lectionibus Breuiarij secundùm Ritum Prædicatorũ, quòd vigintiquinq; annos natus Magister est appellatus, publicèque in Vniuersitate Parisiensi librum sententiarum est interpretatus. Nam & ab initio suæ institutionis fratres Prædicatores, & Minores fuerunt incorporati vniuersitati Parisiensi. Et cum in persecutione, quæ cõtra illas suscitata fuit præcipuè opera Gulielmi de Sancto Amore, nollent illius vniuersitatis professores illos ad suum consortium admittere, id facere compulsi sunt per Alexandrũ Quartum summum Pontificem, qui super hoc scripsit literas ad illam vniuersitatem, quas recenset Odericus in Annalibus ad annum 1259. Et in eadem vniuersitate Theologiam professi, & interpretati sunt Alexander de Ales, Albertus Magnus D. Thomas, D. Bonauentura & alij. Duplex ergo modus fuit, & est obtinendi Magisterium. Primus antiquissimus fuit adipiscendi gradum hunc in aliqua generali vniuersitate, in qua de licentia superiorum fratres studuissent, & iuxta antiquum ritum post completa studia, fuissent promoti ad Baccalaureatum, seu quod idem est, ad legendum sententias pro gradu, & forma magisterij, & iuxta consuetum illius vniuersitatis perfecissent actus scholasticos. Et hic modus durat etiam nunc in Ordine præcipuè in Vniuersitate Parisiensi. In qua Mendicantes Religiosi sunt incorporati, & licet iuuenes audiant lectores proprios Ordinis in suis Collegijs, tamen ibi perficiendo actus Auliez, Tentatiuæ, Maioris Ordinaris, & Minoris, & alios iuxta ritum illius vniuersitatis, & eisdem actibus per vniuersitatem approbatis, & eisdem promotis priùs ad Baccalaureatum, postea licentiantur ad Magisterium, cuius gradum recipiunt, & lauream in eadem vniuersitate. Sed non habet locum in Ord. Præd. illa doctrina *Sanchez loco supra citato*, quòd licentia studendi in vniuersitate sit implicita licentia ad Magisterium. Nam imò requiritur specialis licentia primò ad Baccalaureatum obtinendum, & vlteriùs specialis licentia est necessaria, vt postquàm in vniuersitate ad Magisterium fuerint licentiati, illud consequi possint. Fuit enim antiquum huius Ordinis statutum, vt videre est etiam in Constit. quas habeo apud me impressas de anno 1507. quòd fratres postquàm in studio Generali compleuerunt lecturam, & alios actus, non possint Magisterium suscipere, nisi per Generale Capitulum, vel Magistrum Ordinis eius lectura, & actus fuerint approbati, & irritum, & inane est, si aliquid in contrarium fuerit attentatum. De iure igitur antiquo nullus poterat Magister fieri extra vniuersitates, sed præcipuè ex vi statuti *Capit. Friburg. & Constit.* Martini Quinti, tamquam de forma erat necessarium, vt per quatuor annos lecturam, & actus scholasticos perfecissent in aliqua vniuersitate. Institutæ verò postea fuere intra Ordinem huiusmodi Vniuersitates Generales.

1149 Nam ab initio Ordinis vnica erat Vniuersitas studium generale Parisiense ad quod ex singulis Prouincijs tres studentes mittebantur, sed Ordine crescente, & videntes Patres Ordinis, quòd erat impossibile, quòd vnicum Generale studium pro toto Ordine sufficeret, anno 1246. Parisijs, quatuor alias Vniuersitates erexerunt, scilicet in Prouincijs Lombardiæ, Prouinciæ, Theutoniæ, & & Angliæ, & fuit hoc confirmatum in Capit. Mõtispesul. anno 1247. & reductum in *Constitut.* in *capit. Paris.* 1248. Postea verò Bononiæ ann. 1286 decretum fuit, vt Generale studium haberetur etiam in Prouincijs Hispaniæ, & Romanæ & anno 1302. fuit inchoatum in *cap. Bonon.* quòd in qualibet Prouincia exceptis Græciæ, Daciæ, & Terræ-Sanctam esset Generale studium, quòd fuit confirmatũ *Bisunt.* anno 1303. & reductum in *Constitut.* anno 1304. *in Capit. Gener. Tolosano* Et ita nunc continetur *in Constit. dist. 2. cap.* 14. §. 3. *Salmanticæ* autem *anno* 1551. determinati sunt in qualibet Prouincia Conuentus qui essent vniuersitates, & decretum, quòd extra illos non possent validè haberi lectura, & actus scholastici pro gradu & forma, salua concessione Apostolica facta alijs Conuentibus Prouinciæ Franciæ.

1150 Sed cum priùs per Iulium secundum, vt supra dictum fuit concessum fuerit, vt posset Generalis dare licentiam ad magisterium etiam si promouendus non perfecerit actus in aliqua vniuersitate, & per Pium Quintum concessum fuerit Magistro Ordinis promouere idoneus ad Magisteriũ, hodie non est de forma, vt promouendus perfecerit actus in aliqua vniuersitate, sed sufficit, quòd examinatus inueniatur idoneus, *Idoneitas verò ex vi Constit. dist. 2. cap* 14. §. 9. & 10. debet esse tanta, vt promouendus sit iudicatus ab examinatoribus sufficiens, vt sit Regens in studio Generali. Et datur facultas cuilibet Diffinitorio, vt constito notorie de insufficientia promoti subditi absque examine suæ sufficientiæ ibidem statuto, declarent illum habendum pro non promoto in Ordine. Multa alia requiruntur ex legibus municipalibus, vel totius Ordinis, vel particularium Prouinciarium,

rium, quæ non est necesse hic recensere.

1151 Alij quoque Ordines proprias leges habent, quæ in admittendis ad magisterium seruandæ sunt. *De legibus Societatis agit Suarez tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 5. cap. 4. à n. 9.* In Societate quoque Doctoratus est nullus si sine licentia superioris obtineatur. *Palaus tr. 16. disp. 4. p. 13. §. 6. num. 3.* Plura etiam requiruntur, & præcipuè requiritur primò, vt in sedendo Doctores dicti Ordinis non seruent certum antiquitatis ordinem. Sed bene Suarez monet, quòd in hoc leges, & consuetudines vniuersitatum seruandæ erunt salua Religionis humilitate, quia nec erit in potestate Superiorum Ordinis consuetudines Vniuersitatum immutare, quæ eiusdem Ordinis non subsunt iurisdictioni. Secunda conditio est, ne Religiosi in huiusmodi gradus acquisitione faciant sumptus, qui non decent pauperes. Quod tamen non sit contra paupertatem facere sumptus necessarios ad suscipiendam laureã quando hoc petit bonum Religionis, probat *Palaus d. §. 6. n. 6.* & addit hoc maximè habere locum, si sumptus dantur ab extraneo ad hunc finẽ In hac verò conditione includitur, quòd Doctor non debet ex suo gradu, emolumentum aut stipẽdium sperare, aut accipere. Insuper, quòd Religiosus dicti Ordinis non potest gradum ambire, aut procurare. Et quòd in Societate non permittitur, vt bi gradus conferantur propter honorem, seu quasi præmium personarum, sed tantùm pro ministeriorum necessitate, & nec ampliùs multiplicentur, quàm ad munera, & officia Societatis sustinenda sit necessarium. Hæc etiam considerat *Palaus vbi supra, & addit.* quòd in huius gradus collatione nec pilei, aut chirotecæ, aut quid aliud detur. Quomodo autem Religiosis huius Ordinis existentibus, vel in aliquo collegio existente in aliqua vniuersitate, vel etiam extra vniuersitatem cõpetat posse promoueri per priuilegium Iulij Tertij, & Pij Quinti, habetur ex his priuilegijs *supra nu.* 1119. *&* 1121. recensitis. Sic igitur in vnaquoque Ordine Magisterium admitti poterit, seruatis cuiuscumque Ordinis legibus, si illi Magisterij gradum à suis non reijciunt.

1152 Sed nedum Regulares possunt admitti ad Magisterium, sed & scholares (nos etiam seculares possunt ad hunc gradum promouere. Hoc enim competit Societati ex priuilegio Pij Quarti. Quod tamen non est vniuersale, & absolutum. Est quidem hoc priuilegium vniuersale quantùm ad Collegia; quia hæc facultas concessa est nedum pro Collegijs, quæ sunt in Ciuitatibus vbi sunt vniuersitates generales, sed pro Collegijs vbilibet existentibus in quibus ordinariæ studiorum artiũ liberalium, & Theologiæ lectiones habentur, & cursus ordinarij peraguntur. Et ita Præpositus Generalis Societatis per se, vel aliquem ex Præpositis vel Rectoribus Collegiorum potest scholares, qui lectiones præfatas frequentauerint ad quoscumque Baccalaureatus, licentiaturæ, magisterij, aut Doctoribus gradus promouere, si per examinatores Societatis idonei fuerint inuenti. Verùm quantùm ad personas est particulare, aut conditionatum, quia non se extendit nisi, vel ad scholares pauperes, vel ad diuites sub conditione, si Officiales vniuersitatum eos promouere recusauerint. In quo casu vult etiam, quòd isti diuites soluant iura vniuersitatibus debita. Sic verò promoti omnibus priuilegijs Doctorum gaudent, vt ex relatis priuilegijs Iulij Tertij, & Pij Quarti constat. Qui verò veniant nomine pauperum arbitrarium quidem est, sed tamen vt ex *Caiet. & Bannes habet Diana p. 2. trac. 15. resol. 8.* nedum pauperes censendi sunt, quibus desunt ad victum necessaria, sed qui non habent sufficientia ad conuenientiam sui status.

1153 An verò huiusmodi priuilegium sit communicabile alijs Religionibus? *Negat Bordon. tom. 2. resol. 52. n. 83.* eo quia hoc sit concessum Societati ex specialissima ratione (ea ratione, quòd ex instituto habeat debitum docendi, & legendi publicè) sicque in remunerationem laborum in studijs, & meritorum confertur, quæ ratio non vrget in Religionibus non habentibus debitum docendi publicè. Certè non video, quòd hoc sit apud alias Religiones in vsu. Aliàs tamen nec lego, quòd Pontifices considerauerint debitum docendi publicè, sed bene deuotionem, & meritum vitæ, vt patet in Constit. Iulij Tertij, & Pij Quinti in quibus pro ratione concedendi priuilegia huiusmodi assumitur meritum vitæ, & doctrinæ quod est commune omnibus Religionibus officium docendi exercentibus. Imò in Const. Pij Quarti, nulla ratio alia affertur, nisi quod relatis priuilegijs Iulij Tertij, Pontifex promotiuo illa confirmandi, & augendi non adducit nisi dilectionem suam, *Nos igitur*, inquit, *qui votiuam Religionis vestræ professũ sincero paterna charitatis affectu libenter amplectimur literarum prædictarum*, *&c.* Vnde certè ex præfata ratione nequit concludi, quòd priuilegium non sit communicabile illis Religionibus in quarum monasterijs publicè habentur cursus philosophiæ, & Theologiæ. Quamuis, vt dixi, non viderim, quòd huiusmodi priuilegium fuerit in vsu apud aliquam aliam Religionem, & nec credo admitterentur ad iura Doctorum promoti in vi communicationis huius priuilegij.

1154 Tandem quantùm ad hanc partem considerandum, quòd licet Regularibus sit prohibitum studere legibus Ciuilibus, & Medicinæ in publicis vniuersitatibus, & easdem facultates in eisdem publicè docere. *cap. Non magnopere, & cap. Super specula. Ne Clerici vel Monachi*, Nihilominus si ante ingressum in Religionem quis huiusmodi studuit, vel priuatim in Religione tales facultates ex proprio studio didicit, vel imò si in Religione pro illis adiscendis contra sacros Canones deliquit, vnde fit in illis peritus, poterit de licentia superiorum in eisdem facultatibus doctorari, quia nulla est lex, quæ hoc directè prohibeat. Et neque hoc indirectè deducitur ex eo, quòd dictarum facultatum studium sit prohibitum. Tum quia non valet illatio ad diuersa. Tum quia illud studium fuit prohibitum, vt studium Theologiæ cresceret, nullum verò præiudicium fit Theologiæ si post consummatum eius cursum Theologus etiã gradum Doctoratus in iure Ciuili, & Medicina obtineat. *Felin. cap. Cum dilecta nu. 19. De rescr. Nauar. Conc. 2. de Regul. n. 2. Rodriq. p. 2. q. 75. a. 2. Palau. d. §. 6. n. 1. Lezana p. 2. c. 23. nu. 42.* Quidquid in contrarium dixerit *Tambur. p. 3. disp. 3. q. 6. n. 78.*

SVMMARIVM.

1 *Priuileg.a Dallarum n.1225.*
2 *Quibus priuilegijs actu vti non possent, nisi legant n. 1226.*
3 *Loco, & voce etiam cum actu non legunt fruuntur Magistr. n. 1227.*
4 *Vox & pracedentia merito concessa Magistris n. 1227.*
5 *Constit. Vrbani VIII. pro regnis Hispaniarum n.1228.*
6 *Promotus à Doctoribus corruptis qualiter gaudeat priuilegijs n. 1229:*

OBSERVATIO QVARTA.

1155 DOctotibus autem plora priuilegia conceduntut in Religionibus. In generali verò, quòd priuilegia studentium, conueniant Doctoribus, & Lectoribus actu docentibus, ex *Panorm.in Bohem Decret.n.3. & Fel.ib. num.2.* tradi *Peyr. tom.3. cap.13. num.3.* Existimat autem *Lezana p. 2. c. 13. n. 42.* quòd Doctores, seu Magistri in Religionibus nullo priuilegio frui possint, nisi actu legaot, seu doceaot. Et ita quòd nec loco, nec voce gaudere valeant. Quamuis afferat excusandos esse lenes, infirmos, & impeditos. Fundat hoc in decret. Clem. 8. de refotmat. & potest etiam probari ex Constit. Vrbani VIII. data 30. Iunij 1626. Sed distinguendum est, Nam Doctoribus aliqua priuilegia competunt ratione muneris docendi, sicuti est exemptio à choro, dispensationes aliquæ in ieiunijs, seu similes dispensationes, quæ intuitu laboris, & occupationis in docendo conceduntur. Et huiusmodi priuilegijs aut exemptionibus, seu dispensationibus vti non possunt Magistri nisi actu legant, & de his loquuntur Decreta Clem. Octaui Et nihilominùs quantùm ad ista etiam considerandum, quòd *Peyr. ad const. s. Iulij II. num.31.* quem sequitur *Lezana p.p. c. 8. n. 25.* existimat, quòd tempus vacationum numerãdum sit cum tempore actualis lectionis, ex eo quia munus legendi maius valde tẽpus requirat ad studendum, & comprehendendum docenda, eaque distinguenda, & ad claram methodum reducenda & accommodanda captui discipulorum, quàm sit tempus illius diei, in quo lectionem sunt habituri, sed opus habent, vt se præparent etiam diebus in quibus lectiones actu non habentur; quod & de Prædicatoribus est dicendum. Ideo Doctor, qui actu diebus constitutis, & non feriatis legit, censetur actu legere etiam diebus vacantibus, & in eis potest vti priuilegijs actualis Lectoris, nisi aliud consuetudo, vel lex particularis disposuerit. Inter eos etiam, qui actu legunt, computandos esse scriptores, qui actu pro edendis ad communem vtilitatem libris laborant, dicunt *Portell. tom. 2. par.2.casu 31.num.19.Lezana p.p.cap.18.num.70.* & meritò; isti enim occupati sunt, vt in æternum doceant. Et respectu horum quia nullus est dies feriatus, nullus quoque est dies, in quo non possint actualium Doctorum frui exemptionibus, & priuilegijs, si ex deputatione aut licentia superiorum laborent.

1156 Sed alia priuilegia sunt quæ conceduntur Magisteris ratione gradus principaliter, sicut est priuilegium vocis in Capitulis Prouincialibus. Quia enim in his Religiones indigent viris doctis, & prudentibus, qui sciant ea quæ occurrunt ex legibus iudicare, & opportuna ad bonum commune decernere, & in Magistris huiusmodi notitia præsumitur. Doctor enim præsumitur peritus in sua facultate, vt Doctor Theologiæ in Theologia, & Doctor iuris in iure. *Rota decis.485. num.4. p.2. recent.* Ideo in Religionibus huiusmodi Magistris intuitu etiam boni communis datum est priuilegium vocis in Consilijs, & Capitulis. Priuilegium etiam loci intuitu gradus est concessum, quia dignum est vt loco præcedant, qui Doctrina antecedunt; sic enim teste *Portell. vbi supra* & S. Franciscus iussit in suo testamento, vt Theologis honor & veneratio exhibeatur, eò quòd nobis ministrant spiritualia. Et Baldus quem refert *Syluest. v. expensa n. 3.* habet, quòd Abbas debet meliùs vestiri, quàm Monachus, Magister in Theologia, quàm alij fratres; Doctor, quàm scholaris, & sic etiam de cibarijs per *Bartolum C. de Epis. audi*. Et ideo Syluest. ibidem pro regula tradit, quòd expensæ, moderandæ sunt, & secundùm dignitatem eius, cui tribuuntur, & secundùm facultatem tribuentis.

1157 Ex hac igitur ratione locus seu præcedẽtia in sedendo, & dicendo tributa est Magistris in Theologia ratione gradus, & dignitatis, vnde si sunt alia priuilegia, quæ ex lege, vel legitima consuetudine tribuuntur Magistris intuitu gradus, & dignitatis, illis competunt etiam si actu non legaot, vel doceant. Nec de illis loquitur Clemens Octauus in suis decretis, sicuti & praxis ipsa demonstrat, & consuetudo, quæ est optima legis interpres. Nam Clem. 8. in §. 3. dictorum decretorum loquitur de sequela Chori, & de Lectoribus, Prædicatoribus, ideoque & de priuilegijs, quæ intuitu actualis laboris conceduntur. Et in eodem sensu intelligitur illud, quod habetur §.16. scilicet *Nullus nisi actu legat, vel prædicet, aliquo sui gradus priuilegio gaudeat.* Manifestè enim loquitur de gradibus lectoris, & Prædicatoris, & de priuilegijs, quæ talibus conceduntur in legum dispensatione intuitu laboris, & occupationis. Aliàs verò si Prædicatores voce gaudeant in Capitulis, vt in Ordine Prædicatorum habent Prædicatores Generales, huiusmodi priuilegium ab actuali prædicatione minimè pendet, & ita in eo Ordine obseruatur.

1158 Constitutio verò *Pastoralis officij* edita ab Vrb. 8. die 30. Iunij 1626. data fuit pro Regnis Hispaniarum ad instantiam Regis Catholici, vnde alios Religiosos non comprehendit, qui ex ista Regna Hispaniarum sunt. Eam ego non vidi. *Portell.d.casu 31.* contendit eam extendi etiam ad Regnum Portugalliæ, quia Rex Catholicus, qui eam impetrauit, & per suas literas directas Prouincialibus significauit eius obligationem, hoc præstitit etiam cum Prouincialibus Portugalliæ. Sed de hoc ipsi viderint. Hoc considerandum ex eodem *Portell. n. 5.* quòd per dictam Constit. non reuocantur omnia priuilegia Doctorum. Sed illa, per quæ eximuntur ab aliqua Superiorum obedientia nimirum reuocauit priuilegia, prærogatiuas, exemptiones, immunitates, quòd ex particularibus ibidẽ expressis magis innotescit quæ sunt, vt nullus è

Con-

Conuentu exire possit sine licentia superioris, secundò quòd seculares non possint ire ad cubicula Religiosorum toties quoties, & id possit Prælatus impedire, tertiò ne de vno Conuentu ad alium se transferant sine licentia, quartò reuocat licentias datas, ut Religiosi sint obligati interesse choro, & alijs exercitijs spiritualibus, & Religiosis. Et nihilominùs idem *Portel. num.10.* ponderans quòd prohibentur & reuocantur præfata priuilegia vt concessa à Nuncijs, aut Prælatis Regularibus, aut etiam à Sede Apostolica, colligit non reuocari priuilegia concessa per leges aut statuta Religionum, & ideo num.12. deducit non esse reuocatum priuilegium vocis in Capitulis concessum lectoribus iubilatis, quia est datum per statutum. Alia multa circa dictam Constitut. videri possunt apud *Portel. d.casu* 31. Cum enim eam Constitut. non viderim, non possum circa illam aliquid determinare decernere. Quantùm ad commune Religionum addo, quòd quantùm ad huiusmodi priuilegia, & illorum vsum seruandæ sunt leges speciales, & consuetudines cuiuscumque Religionis. In Ordine Prædicatorum in multis Prouincijs Magistri nec loco, nec voce gaudent nisi sint acceptati in Capitulo Prouinciali, in alijs verò Prouincijs statim a cicatione fruuntur dictis priuilegijs. Item in aliquibus numerus Magistrorum horum gaudentium voce & loco est determinatus, in alijs non.

1159 Si verò Doctor sit promotus à Doctoribus corruptis *Archid. in c. de quibusdam locis. dist.* 37. putat non habere priuilegium Doctoratus. Sed hoc explicat Syluest. quando insufficientia laureati est clara, & patens, quia pateat eum contra merita esse promotum: quia tunc non censetur esse Doctor, quantùm ad priuilegia Doctoratus. Verùm non credo, quòd à possessione doctoratus, & ab vsu priuilegiorum quis titulo insufficientiæ exturbari possit via facti, sed solùm ope iudicis, & eò magis quòd sufficientia ad Doctoratum necessaria non est certa, sed arbitrio prudentis iudicanda, & quia non licet via facti expoliare aliquem possessione.

ARTICVLVS II.

Vtrum religiosis liceat secularia negotia tractare?

Inf. q.188. a. 3. d. 2. & c. p. 19. c. a. 11. & Rom. 16. co. 1. fin. & 1. Tim. 2. c. 1. 1. † 2. Item. 16. q. 1. cap. Sdi nonnulli. Rubrica & c. 1. extra ne clerici, vel monachi. gl. inter. [illegible]

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod religiosis non liceat secularia negotia tractare. Dicitur enim in † prædicto decreto Bonifacij Papæ, quod B. Benedictus eos secularium negotiorum edixit expertes fore: quod quidem Apostolicis documentis, & omnium sanctorum Patrum institutis, non solum monachis, sed etiam canonicis omnibus, magnopere imperatur, secundum illud 2. ad Tim. 2. Nemo militans Deo implicat se secularibus negotijs. Sed omnibus religiosis imminet, quod militent Deo. Ergo non licet eis secularia negotia exercere.

2. Præterea, Prima ad Thess. 4. dicit Apost. Operam detis vt quieti sitis, & vt negotium vestrum agatis. gloss. Dimissis alienis, quod vobis vtile est in emendationem vitæ. Sed religiosi specialiter assumunt studium emendationis vitæ. Ergo non debent secularia negotia exercere.

3. Præterea, Super illud Matth. 11. Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt, dicit Hiero. Ex hoc ostenditur rigidam vitam, & austeram prædicationem, vitare debere aulas regum, & mollium hominum palatia declinare. Sed necessitas secularium negotiorum ingerit hominem ad frequentandum regum palatia. Ergo non licet religiosis aliqua negotia secularia pertractare. In hoc loco, 10.9.

Sed contra est, quod Apost. dicit ad Rom. vlt. Commendo vobis Phæben sororem nostram. Et postea subdit, Et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit.

Respondeo dicendum; quod sicut supra dictum est, status religionis est ordinatus ad perfectionem charitatis consequendam. Ad quam quidem principaliter pertinet Dei dilectio: secundario autem dilectio proximi. Et ideo religiosi præcipue & propter se debent intendere ad hoc, quod Deo vacent. Si autem necessitas proximis immineat, eorum negotia ex charitate agere debent, secundum illud ad Galat. 6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi: quia & in hoc ipso quod proximis seruiunt propter Deum, dilectioni diuinæ obsequuntur. Vnde dicitur Iac. 1. Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum. Gl. id est, Succurrere eis, qui carent præsidio in tempore necessitatis. Est ergo dicendum, quod causa cupiditatis secularia negotia gerere, nec monachis, nec clericis licet. Causa vero charitatis se negotijs secularibus cum debita moderatione ingerere possunt secundum superioris licentiam, in ministrando, & dirigendo. Vnde dicitur in Decret. dist. 88. Decreuit

sancta

sancta synodus nullum deinceps clericum aut possessiones conducere, aut negotijs secularibus se immiscere, nisi propter curam aut pupillorum, aut orphanorum, aut viduarum, aut si forte Episcopus ciuitatis Ecclesiasticarum rerum solicitudinem eum habere præcipiat. Eadem autem ratio est de religiosis, & clericis, quia vtrisque similiter negotia secularia interdicuntur, vt dictum est.

Ju co. ar.

Ad primum ergo dicendum, quod monachis interdicitur secularia negotia tractare, propter cupiditatem, non autem propter charitatem.

Ad secundum dicendum, quod non est curiositas, sed charitas, si propter necessitatem aliquis se negotijs secularibus immisceat.

Ad tertium dicendum, quod frequentare palatia Regum propter delicias, vel gloriam, vel cupiditatem, non competit religiosis; sed ea adire propter pias causas eis competit. Vnde dicitur 4. Reg. 4. quod Helisæus dixit ad mulierem, Numquid habes negotium, & vis vt loquar Regi, vel principi militiæ? Similiter etiam conuenit religiosis adire Regum palatia ad eos arguendos, vel dirigendos, sicut Ioannes Baptista arguebat Herodem, vt dicitur Matth. 14.

SVMMARIVM.

1 *Negotium multipliciter dicitur. num. 1.*
2 *Negotium seculare. nu. 2.*
3 *Tractare negotia secularia, quid sit. nu. 3.*
4 *Resolutio articuli. nu. 4.*
5 *Ex charitate licet Religioso tractare negotia secularia. nu. 5.*
6 *Non licet Religioso tractare seculariter negotia secularia. nu. 6.*
7 *Resolutio articuli est vniuersalis. nu. 7.*
8 *Et valde formalis, & propria. nu. 8.*
9 *Plura loca scripturæ explicata. nu. 9.*
10 *Ordo dicendorum. nu. 10.*

1 NEgotium quod interpretatur negans otium secundùm Isidorú l. 17. Ethymolog. & habetur c. *Forus de verb. significat.* multa significat, nam aliquando importat actum alicuius rei, cuius contrarium est otium; aliquando verò actionem causæ, quæ dicitur iurgium litis, & dictum est negotium, idest sine otio. Negotium autem dicitur in causis, negotiatio verò in commercijs, vbi aliquid datur, vt maiora lucrentur. Itaque hoc nomen negotiũ communiter significat actum omnem cui otium repugnat, vt notat *Syluest. v. negotium nu. 1.* vt actus regiminis ciuitatis, aut domus, actus mercaturæ & aliarum commutationum, qui maximam sollicitudinem requirunt. Specialiter verò sumptum negotium est commutatio lucratiua, quæ mercatura dicitur, aut negotiatio. Hic sumitur negotium communiter, prout importat actum practicum externum qui otium excludit, & exercitium dici potest. Inde est, quòd hoc nomen multipliciter in iure vsurpatur; aliquando enim significat litem. vt in *l. error facti, C. de iur. & fact. ignor.* aliquando contractum quemuis in genere. vt *l. 1. ff. de æstimat. l. solent. 15. & l. rogasti. de præscrip. verb. l. 3. ff. de reb. aut. iud. possed. & l. in negotijs. 5. ff. de reg. iur.* Ex quo vulgata illa Iurisconsultorum phrasis emanauit, negotium contrahere, pro contrahere. *l. si in area, l. pen. ff. quod iussus, l. fundum 50. ff. de iure dotium, l. si seruus. 70. ff. de legatis. 1. l. si quis absentes 5. §. tutela, ff. de action. & obligation.* adeo vt actio, quæ datur ex contractu vero dicatur dari ex negotio, gesto in *l. 1. §. si filius famil. ff. de his, qui deiecer.* Omnium veró frequentissimè accipitur pro eo negotio quod quis sine mandato Domini, immò vero etiam ipso ignorante administrat, quomodo negotium in titulo *ff. & C. de negot. gest.* accipimus. Et tandem negotium significat laborem, occupationem, curam, molestiam, sollicitudinem, caussam, potestatem, & alia similia, vt videri potest ex *Bart. l. si pecuniam, C. de negot. gestore.* Hic in communi accipitur, vt importat actum practicum, & exercitium cui contrarium est otium.

2 Verùm limitatur acceptio ex adiuncta dictione *secularia*; distinguitur enim negotium in seculare & Ecclesiasticum, quæ distinctio ex fine desumitur. Nam Ecclesiasticum negotium illud est quod est Religiosum, & ad finem virtutis Religionis ordinatur, qui est diuinus cultus secundùm fidei Christi regulam & exigentiam, & ideo negotia Ecclesiastica sunt administrationes sacramẽtorum Orationes, sacrificia, & alia ad diuinum cultum spectantia, administratio iurisdictionis spiritualis, & similes actiones. Sed negotium seculare est, quod immediatè, seu proximè, & ex fine operis respicit temporalia et ciuilia quæ ad temporale commodum Reipublicæ spectant, vt est iudicare causas et lites, aduocare, procurare, mercaturam agere, et alia similia. Cum igitur in primo articulo D. Thom. tractauerit de ijs, quæ ad negotia spiritualia pertinent, in hoc secundo artic. tractat de negotijs secularibus, & quærit an Religiosis conueniat huiusmodi negotia tractare.

3 Videtur autem difficilis distinctio, quam hic tradit Caiet. distinguens inter negotia secularia secundùm substantiam, & inter actus, quos secularia negotia exigunt; Nam cũ negotium sit actus, vt dictum est, non potest negotium secundùm substantiam suam contradistingui contra actus, quos secularia negotia exigunt, sed dicet Caietanus, quòd licet negotium seculare sit actus, tamen actus

qui versantur circa materiam & obiectum secularium negotiorum, quidam dici debent negotia secularia secundùm substantiam, quia per se proximè tale obiectum attingunt, & respiciunt, vt est mercaturam agere, alij verò magis remotè se habent, & respiciunt immediatè huiusmodi negotia, vt est dirigere mercatorem ne mercaturam exercendo peccet, & huiusmodi dicũtur actus, quos exigunt negotia secularia. Sed clarior doctrina habetur sine hac distinctione, & ita vt se immiscere negotijs secularibus, aut ea tractare, sit habere aliquem actum, qui inter negotia secularia numeretur. Nam aliàs dirigere mercatorem ne peccet, non est negotium seculare, sed spirituale. Est ergo tituli sensus, an Regularibus competat se intromittere negotijs secularibus, vel ea tractare, idest an Regularibus competat exercere illos actus, qui inter negotia secularia computantur.

4 In corpore articuli respondet D. Thomas ad quæsitum, quòd non licet causa cupiditatis negotia secularia gerere, sed bene id licet causa charitatis. Et hoc est dicere, quòd negotium seculare per se est res indifferens, quæ sit bona, vel mala ex fine, & quod ad hoc vt negotium in Religioso sit malum sufficit, quod habeatur ex cupiditate.

5 Nam hoc per se principaliter spectat ad Regulares vt in negotijs spiritualibus occupentur. Profitentur enim statum perfectionis, quæ in charitatis perfectione est reposita, & cum charitas Deũ pro obiecto habeat, licet se extendat ad proximũ propter Deum diligendum, ideo Religiosi studium principale & cura debet esse in ijs, quæ sunt ad Deum, vt scilicet Deo vacent. Sed vbi proximi necessitas aliqua id exposcat eorũ negotia ex charitate agere possunt, ac debent iuxta illud Pauli ad Gal. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*: quia hoc ipso quòd Religiosi proximis inseruiunt propter Deum dilectioni diuinæ obsequuntur. Vnde dicitur Iacobi primo. *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum*. Quod explicat Gloss. interlinealis, quòd sit succurrere eis, qui carent subsidio in necessitate.

6 Hinc ergo deducitur, quòd non licet Religiosis & clericis gerere secularia negotia causa cupiditatis. Et hoc est dicere, quòd non licet ea gerere seculariter, seu prout faciunt viri huius seculi, qui non ex charitate, sed ex auaritia & lucri cupiditate huiusmodi negotia tractant, sed gerere secularia negotia religiose, & ex charitate non est Religiosis prohibitum.

7 Sed dubitat Caiet. an resolutio D. Thom. sit vniuersalis. Videtur enim non posse esse talem, quia non licet Religioso mercaturã agere ex charitate. Dubitat quoque secundò quia non videtur, quòd D. Thom. directè respondeat ad quæstionem, dum dicit, quòd non licet gerere negotia secularia ex cupiditate, sed ex charitate, quia hæc distinctio non ad negotia sed ad causas negotiorum spectat, & ex hac distinctione non habetur quòd negotium Religiosis liceat, nam & Ecclesiastica negotia non licet gerere ex cupiditate, sed solùm ex charitate. Sed respondetur, resolutionem D. Thomæ esse valde propriam, & vniuersalem. Et ita ad primum dubium dicitur, quòd resolutio D. Thom. est vniuersalis, sed cum conditione posita in textu, scilicet cum debita moderatione, quantùm scilicet patitur sollicitudo studij spiritualis, & status perfectionis, & sine eius præiudicio, vt scilicet gerere negotium aliquod seculare sit accessorium, & secundarium, & non per hoc tollatur à Religioso quin Deo vacet secundùm sua instituta. Et enim dicitur, quòd non licet Religioso mercaturam agere ex charitate, id negatur, vbi necessitas sit magna & circumstantiæ tales quæ honestent actum, & fiat cum moderatione. Quámuis enim ex lege positiua sit prohibitum Religiosis, & Clericis mercaturam agere, hoc tamen non facit, quin spectata natura rei, immò & secundum legem positiuam illa in aliquo casu necessitatis & cum moderamine non liceret. Vt ampliùs explicabitur infra.

8 Ad secundum autem dubium dicitur, quòd formalissima est resolutio articuli, quæ consistit in hoc, quod moderate gerere negotia secularis de se est quid indifferens, quod nec est bonum, nec malum. sed fit bonum, vel malum solum ex motiuo & ideo fit malum si sit ex auaritia, fit vero bonum si sit ex charitate. Et quidem immoderate se ingerere negotijs secularibus omittendo propter hoc actus religiosos ad quos Religiosus tenetur ex suo statu est malum, sed moderate tractare negotiũ seculare etiam in Religioso est res indifferẽs, quę nõ fit mala nisi ex malo motiuo, & circũstantia & licet etiã religiosus gerens aliquod huiusmodi negotium intẽdat lucrum temporale eius pro quo negotium gerit, tamen non respicit lucrum proprium, sed proximi ad cuius vtilitatem ex charitate negotiũ gerit, immo & proximi lucrum non respicit nisi sub formalitate misericordiæ aut charitatis. Sic ergo propriè & formaliter gerere negotium seculare, est agere causa commodi temporalis, & secularis ex fine operis proximo, & hoc non licet Religiosis, quorum est non intendere lucris, sed vacare Deo; sed illis competit hæc negotia gerere ex charitate, vt probat *D. Thom. ex capit. decrevit dist. 88.*

9 Ex his in responsione ad argumenta explicat D. Thom. nonnullas auctoritates scripturarum, quæ videntur probare oppositum Conclusionis positæ, vt cum dicitur ad Timot. in 2. Epist. capit. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus*, id intelligitur vt prohibeatur implicare se negotijs secularibus ex cupiditate. Et cum dicitur in ad Thessalon. cap. 4. *Operam detis, vt quieti sitis, & vt negotium vestrum agatis*, dicitur hoc bene obseruari ab eo qui ex charitate negotia pupillorum agit, & viduarum. Et similiter contra documentum Hieron. ad illud *Mat. 1. Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt*, non facit ille Religiosus, qui non ex ambitione & cupiditate, sed ex charitate frequentat aulas & palatia Principum. Nam & Elisæus 4. Reg. 4. operam suam exhibuit mulieri dicens. *Nunquid habes negotium, & vis vt dicam Regi, vel principi militiæ*. Et etiam ad arguendos Reges, & corrigendos licet eorum ingredi domos: Nam & Io: Baptista arguebat Herodem. vt dicitur Matt. 14.

Hæc

10 Hæc sunt in summa, quæ habet D.Thomas in hoc articulo, quæ in particulari sunt à nobis magis explicanda vt deseruiant ad praxim. Hic verò considerandum, quòd negotiorum sæcularium alia spectant ad forum & sunt iudicialia, vnde negotium, vt dictum est, significat litem, alia vero sunt extraiudicialia, prout negotium importat contractum, seu quodcumque priuatum opus lucrosum. Hinc huius articuli explicatio in duas partes principales distinguitur, in quarum prima tractatur de negocijs forensibus, in secunda verò de extraiudicialibus, & non forensibus.

SVMMARIVM.

1 *Plura iura ex quibus tractare negotia secularia est interdictum Religiosis. num. 11.*
2 *Difficultas prima. nu. 12.*
3 *Religiosis omnibus prohibitum tractare negotia secularia. nu. 13.*
4 *Lex ex rationis identitate non extenditur. nu. 14.*
5 *Cap. Monachi 16. q. 1. nu. 14.*
6 *Nouitij non comprehensi sub l. d. cap. Monachi. num. 15.*
7 *Sub duplici conditione licet tractare negotia secularia. nu. 16.*
8 *Necessaria est licentia proprij superioris obtenta, sed sufficit tacita, & habita ante susceptionem negotij. nu. 17.*
9 *Non sufficit vtilitas indirecta lucri consequentis ex negotia. nu. 18.*
10 *Sufficit specialis, & magna vtilitas. nu. 18.*
11 *Solus defectus vtilitatis non irritat negotium. numer. 19.*
12 *Plura genera negotiorum. nu. 20.*
13 *Regulares non possunt esse iudices. nu. 21.*
13 *Nec delegati. nu. 22.*
14 *Possunt esse Vicarij Episcoporum. nu. 23.*
15 *Superiores possunt esse delegati Papæ. nu. 24.*
16 *Religiosus sine superioris licentia inualide iudicat. num. 25.*
17 *Nec possunt esse arbitri. nu. 26.*
18 *Possunt de licentia esse arbitratores. nu. 27.*
19 *Nec aduocati, nisi in aliquibus casibus. nu. 28.*
20 *Præcipue in causa pupillorum. nu. 29.*
21 *In nulla causa seculari possunt aduocare. nu. 30.*
22 *Extra forum iudiciale de licentia possunt sua consilia dare. nu. 31.*
23 *Aduocare est patrocinari in iudicio. nu. 31.*
24 *In pluribus casibus patrocinium non est aduocare. num. 31.*
25 *Nec possunt esse Procuratores nu. 32.*
26 *Ad procurandam extra iudicium est necessaria licentia superioris. n. 33.*
27 *Nouitius nec potest prosequi procurationem quam habebat. nu. 34.*
28 *Religiosus nec ex mandato potest procuratorem instituere. nu. 35.*
29 *De licentia potest procuratorem instituere. numer. 35.*
30 *Religiosi non possunt esse assessores iudicis. nu. 36.*
31 *De licentia possunt esse Cubicularij Episcopi. numer. 37.*
32 *Non possunt esse notarij. num. 38.*
33 *Possunt instrumenta iam confecta partibus tribuere. num. 38.*
34 *In casu necessitatis possunt notariatum exercere. num. 39.*
35 *Possunt esse notarij Inquisitionis. n. 40.*
36 *Priuilegium Pij Quinti pro Ordine Prædicatorum. nu. 41.*
37 *An sit communicabile. num. 42.*
38 *Superiores locales posse creare notarios dicunt aliqui. nu. 43.*
39 *De iure communi in Religionibus sunt scribæ fidem facientes de actis. n. 44.*
40 *Scripturis Prælatorum, & Merentorum, & libris Conuentuum debetur fides. n. 44.*
41 *Priuilegium Vrbani IV. & Clemen. IV. & Iulij Tertij. nu. 45.*
42 *Priuilegium Cisterciensium. n. 46.*
43 *Ex vi priuilegij Pij Quinti non instituuntur notarij nisi ad dandam fidem circa priuilegia, & concessiones Apostolicas. n. 47.*
44 *Possunt eas transumptare. n. 47.*
45 *Et valet solum pro Fratribus Obseruantiæ. numer. 48.*
46 *Non valet pro multis actionibus. n. 49.*
47 *Consuetudo creandi notarios perpetuos non adest. num. 50.*
48 *Ex vi iuris communis in iudicialibus assumitur scriba, qui tamen solum pro illis actibus, & processu fidem facit. n. 51.*
49 *Iudex Religiosus ad quæcumque assumit sibi notarium, seu scribam. n. 52.*
50 *Prælati locales creant notarios, sed non vniuersales. num. 53.*
51 *Scriptura triplex, publica, authentica, & priuata. num. 54.*
52 *Quando notarijs dandum sit iuramentum nu. 55.*
53 *Notario deponenti sine testibus non creditur, nisi sit in contrarium praxis. n. 56.*
54 *Notarij instituti in vi priuilegij Pij Quinti possunt intimare mandata Auditoris Cameræ, Rotæ, & SS. Congregationum. n. 57.*
55 *An illegitimus possit esse Tabellio. n. 58.*
56 *Infamis non potest esse Tabellio. n. 58.*
57 *Notariatus officium ignobile. nu. 58.*
58 *Religiosus nec potest esse actor, nec reus in iudicio. nu. 59.*
59 *Pro iniuria recepta non agit Religiosus sine licentia. num. 60.*
60 *Superior potest remittere iniuriam factam subdito etiam eo inuito. n. 60.*
61 *Absoluendus satisfacta parte sufficit quod satisfaciat Abbati. n. 60.*
62 *Religiosus non potest procuratorem instituere. numer. 61.*
63 *Iudicium agitatum cum Religioso sine licentia superioris est inualidum; sic tamen quod potest ratificari. num. 62.*
64 *Plures casus in quibus Religiosus agit in iudicio. num. 63.*
65 *Existens in scholis, seu absens agit ex præsumpta licentia. nu. 63.*
66 *Item si sit absens Prælatus. nu. 64.*
67 *Item quando subditus vult agere contra superiorem. num. 65.*
68 *Ex eo quod superior eget aliquid malo animo non potest subditus agere contra superiorem, si alias iuste negat, quod negat. n. 65.*
69 *Potest tamen implorare officium superioris. nu. 65.*

70 *Religiosus proprium Abbatem potest accusare. numer. 66.*

71 *Alium accusare non potest, nisi concurrente necessitate, & licentia. nu. 66.*

72 *Cubicularius potest Episcopum accusare. nu. 66.*

73 *Accusatio duplex proprie, & communiter dicta, num. 67.*

74 *Religiosus coram proprio superiore accusat accusatione communiter dicta. nu. 67.*

75 *Accusatio parum decet Religiosos. n. 67.*

76 *Materia accusationis, vel iniuria propria, vel publica. nu. 68.*

77 *Non decet Religiosum accusare ad publicam vindictam. nu. 68.*

78 *Ad repellendam propriam iniuriam, aut Religionis licet Religiosum accusare. nu. 69.*

79 *Denunciare iuridice non potest Religiosus nisi sicut eo accusare. nu. 70.*

80 *Quoties Religiosus potest stare in iudicio, potest instituere Procuratorem. nu. 71.*

81 *Quando accusanti, & accusato debeantur expensa. nu. 72.*

82 *In iniuriis factis Nouitio, Professo, consanguineis ad quem spectet ius accusandi, & pacis ineunda. num. 73.*

83 *In iudicio ciuili Religiosus sine licentia, nec est actor, nec reus. num. 74.*

84 *In iudicio criminali non Monasterium, sed delinquens conueniri debet. nu. 75.*

85 *Testes iudiciales, & extraiudiciales. n. 76.*

86 *Religiosi non possunt esse testes coram iudice non suo. num. 76.*

87 *Licentia ad testificandum contra aliquem in causa criminali non debet dari. n. 77.*

88 *Nec in ciuilibus, si quod prodest vni nocet alteri, num. 77.*

89 *Ad fauorem superior etiam potest compellere ad testificandum. nu. 77.*

90 *In causa sanguinis superior non potest compellere ad testificandum coram iudice laico. nu. 77.*

91 *Nec à iudice seculari, nec ab Episcopo potest cogi Regularis ad testificandum. n. 77.*

92 *Etiam Prælati Regulares habentes iurisdictionem quasi Episcopalem possunt cogere ad testificandum. nu. 78.*

93 *Etiam si intersit Monasterio, non potest superior compellere subditum ad testificandum coram Iudice laico in causa sanguinis. n. 79.*

94 *In casu in quo subditus ex diuina lege tenetur testificare, ad id cogi potest à superiore. n. 79.*

95 *Sine licentia Religiosus nec potest esse testis extraiudicialis, licet hæc de facili præsumi possit. numer. 80.*

96 *Testimonium datum sine licentia superioris parte opponente habendum est vt nullum. n. 81.*

97 *Defectus vtilitatis non irritat ipso facto actus iudiciales habitos à Religioso. n. 82.*

98 *Iudicium datum à Religioso sine licentia esse nullum est controuersum. n. 82.*

99 *Iudicium contra prohibitionem superioris Regularis à subdito habente iurisdictionem, nec est nullum, nec à superiore Regulari irritabile contra ius acquisitum à parte. n. 83.*

100 *Inuito superiore secundum substantiam Religiosus non est capax, vt recipiat iurisdictionem. numer. 84.*

101 *Religiosus officium iudicandi collatum à legitimo superiore vere recipit. n. 85.*

102 *Hæreticus si ordinetur recipit characterem, numer. 85.*

103 *Electus habens requisita iuris naturalis valide est. num. 85.*

104 *Contra prohibitionem superioris non irritantem Religiosus iurisdictionem sibi datam à legitimo superiore vere recipit. n. 85. & 86.*

105 *Si votum paupertatis non redderet incapacem dominij, pauper ex voto posset acquirere dominiũ licet faceret contra votum. n. 85.*

106 *Superior potest sub pœna nullitatis prohibere ne subditus officium iudicis recipiat, vel eo vtatur, num. 86.*

107 *Parte opponente defectum licentia superioris acta per talem iudicem Regularem, sine licentia non subsistunt nu. 86.*

108 *Arbitramentum datum à Regulari sine licentia superioris non est ipso iure, & facto inualidum, num. 87.*

109 *Idem dicitur de actis Vicarij Episcopalis, si sit Religiosus. nu. 87.*

110 *Idem de iudicio, seu voto assessoris iudicis, numer. 87.*

111 *Idem de Procuratore. nu 88.*

112 *Verbum nõ potest non importat semper inhabilitatem. nu. 88.*

113 *Parte opponente defectum licentia Procurator religiosus non admittitur n. 89.*

114 *Idem dicitur de Aduocato. n. 90.*

115 *Contra Aduocatum, & Procuratorem potest excipi etiam post litis contestationem. n. 91.*

116 *Contra Aduocatum, & Procuratorem non potest à parte dari exceptio defectus vtilitatis Monasterij. num. 92.*

117 *Superior potest rata habere gesta à Religioso Procuratore sine licentia. nu. 93.*

118 *Non tamen parte opponente. nu. 93.*

119 *Actoris acta sine licentia superioris non sunt ipso facto nulla. nu 94.*

120 *Notarij Religiosi instrumenta non eo ipso facto irrita, quod sint facta sine licentia. n. 95.*

121 *Etiam si prohibitio superioris sit publica. n. 96.*

122 *Idem dicitur de testium depositione. n. 96.*

INSPECTIO PRIMA.

11 PRimò igitur inspiciendum est, qualiter & quando prohibitum sit Religiosis se immiscere secularibus & forensibus negotijs. De his habemus decretum Concil. Tarracon. quod refertur 16. q. 1. *cap. monachi* el 2. vbi sic dicitur. *Similiter vt nullus monachorum forensis negotij susceptor, vel executor existat, nisi quod monasterij exposcit vtilitas, Abbate sibi nihilominus imperante.* In c. etiam 2. de postulando ex Innoc. III. ad Archiepis. Compostellanum sic statuitur. *Ex parte tua nobis fuit propositum, quòd quidam Canonici Regulares non solùm in Ecclesiasticis verùm etiam in forensibus causis præsumunt aduocati officium exercere, Cumque obijcitur eis, quòd non debent esse forensis vel Ecclesiastici negotij susceptores, vel executores, nisi forte id monasterij exposcat vtilitas, Abbate nihilominus imperante, ad suam proponunt insolentiam excusandam, quòd capitulum illud, per quod prædicta prohiberi videntur,*

de mo-

de monachis, non de Canonicis Regularibus loquitur manifestè. Vnde consultationi tuæ taliter respondemus, quòd idem iudicium de Canonicis Regularibus, quod & de monachis quantùm ad supradicta credimus obseruandum, licet de monachis in canone specialiter sit expressum. In Clement. etiam *Religiosus* 3. De Procuratoribus dicitur. *Religiosus procurator, & si per alium Religiosum sui vel alterius monasterij fuerit cõstitutus, sicut non potest sine sui superioris licentia procurationis officium suscipere, nisi pro sua in eadem lite consortcita non potest aliam Procuratorem constituere, seu substituere etiam si per constituentem hoc sibi expressè fuerit commissum.* Hæc sunt iura ex quibus tractare forenses causas est Religiosis prohibitum.

12 Hic autem primò dubium est, an huiusmodi dispositiones omnes sint quantùm ad personas vniuersales. Videtur enim quòd non. Quia caput *Monachi* expressè loquitur de monachis, at verò sub nomine monachorum in odiosis & prohibentibus non veniunt Religiosi omnes. Nihilominùs dispositiones huiusmodi esse vniuersales docent *Panorm. ad d. cap. 2. de postulat. num. 1. Sanchez l. 6. in Decal. cap. 13. num. 1.* Tum quia hoc declarauit Innoc. III. in cap. illo 2. de postul. Tum quia constitutio fundata in aliqua qualitate se extendit ad omnes eiosdem qualitatis, dispositio verò illius canonis *Monachi* fundatur in qualitate Religionis, & ita se extendit ad omnes Religiosos.

13 Non est dubitandum, quòd omnibus Religiosis sit prohibitum tractare negotia forensia, quoniam hoc duplici iure est illis interdictum Nimirum primò iure diuino. Ratio enim D. Thomæ in texto ex vi diuini iuris procedit, quia Religiosi ex obligatione status sui Deo non mundo vacare debent. Et cum mundum & secularia desideria detestari debeant, cum mundo renunciauerint, bene per euidentiam consequitur, quòd non licet eis negotia secularia immoderate & ex cupiditate tractare, & à quiete Regularis vitæ, se ad tumultus forenses conuertere, nisi necessitate exposcente charitas id suadeat. Sed & ius Canonicum id prohibet, vt in d. Clemen. *Religiosas*, & dum in cap. 2. de postulando Innoc. III. voluit idem esse iudiciò de monachis, & Canonicis Regularibus, idem censendum esse de omnibus Regularibus virtualiter declarauit, & declarasset expressè, si tunc Mendicantes fuissent, & reliquæ iuniores Religiones. Et ideo quòd omnibus Religiosis sit prohibitum tractare negotia forensia tradiderunt *Gloss. l. 3. Religiosas, v. Religiosus,* & ibi *Panorm. num. 1. Imola num. 6. & 10. Syluest. v. aduocatus. quæst. 6. Sayrus in Claui Reg. lib. 12. cap. 22. num. 3. Sanchez d. no. 1. Lezana p. p. cap. 9. num. 14. Anton. à Spir. Sancto part. 2. tract. 3. disp. 6. num. 1434.* Est tamen distinguendum, quia ex iure diuino Religiosi prohibentur tractare negotia secularia non absolute & secundum substantiam sed immoderate, aut ex cupiditate. Sed ex iure humano negotia ipsa secularia prohibentur etiam secundum substantiam ex præsumptione quod illa status Religiosi negotia spiritualia impediant, vel sint occasio auaritiæ, & fomentum irreligiosæ cupiditatis.

14 Verùm, quantùm sit ex vi d. cap. *Monachi*, lex non esset vniuersalis, nisi eam extendisset Innoc. Tertius. Et licet ex rationis identitate, aut similitudine lex extendi possit. Non tamen intelligitur extensa, nisi id fiat superioris authoritate. Verum quidem est, quòd in materia iustitiæ, aut vbi lex positiua continet legem naturalem, & diuinam, non licet à lege recedere etiam in alijs singularibus casibus similibus, quia lex naturalis, & diuina contenta in ea lege est vniuersalis. Ideo si Princeps iudicat ad fauorem alicuius in aliqua causa ex causa vniuersali, sic vniuersaliter est iudicandum à iudicibus inferioribus in similibus casibus. Quia iudicium Principis declarat vim legis iustitiæ esse talem, quæ lex est vniuersalis, & ideo vniuersaliter obseruanda. Nihilominùs hoc non est necesse ex vi legis positiuæ Principis, qui solùm in casu particulari ex ratione vniuersali rem diffiniuit, sed ex vniuersalitate legis naturalis, & diuinæ ex qua Princeps causam particularem iudicauit. Nisi Princeps iudicium suum particulare inter communes leges reponat, & sic ab omnibus obseruandum decernat. Sic ergo in præsenti Capit. illud *Monachi* vniuersaliter est intelligendum, quia illud extendit Innocentius Tertius expressè ad Canonicos Regulares, & virtualiter ad Religiosos omnes; sed præcisa Innocentij extensione quantùm sit ex vi legis positiuæ solos monachos obligaret, quia sub nomine monachi in odiosis Regulares omnes non veniunt, vt ex *Isidor. Moscon. de maiestate militantis Ecclesiæ l. 1. p. 4. cap. 1. de Regularibus* affirmat *Barbosa in appel. v. Monachus. num. 5.*

15 Nouitij tamen nondum professi non comprehenduntur in prælatis iuribus quia nondum sunt simpliciter Monachi, vel Religiosi. *Gloss. in d. Clem. in v. Religios. Panorm. in d. cap. 2. de postulanda num. 1. Sanchez d l. 6. c. 13. num. 2.* Quàmuis in Societate Religiosi trium votorum, quia sunt Religiosi, tractare forenses causas non possint. *Sanchez d. num. 2.*

16 In his verò iuribus sic Religiosis interdictum est tractare negotia forensia, quod duabus conditionibus positis est permissum, scilicet, licentia superioris, & vtilitate monasterij, nec sufficit alteram harum adesse, sed vtraque coniunctim est necessaria, quia textus *d. cap. Monachi, & d. cap. 2.* vtramque petunt. *Gloss. eo cap. 2. v. imperante.* & ibi *Host. num. 2. Ant. n. 1. Panorm. n. 2. Imola n. 1. & 2. Archid. n. 2. Bellam. nu. 12 Glosc. in d. Clem. Religiosus v. licentia, & Rosell. v. aduocatus n. 22. Angelus n. 8. Syluest. q. 6. Tabien q. 7. n. 8. Armill. nu. 8. Sayro in Claui* Regia *l. 12. c. 22. a. 5. Sanchez l. 6. in* Decal. *cap. 13. n. 3. Anton. à Spir. Sancto tract. 3. disp. 6. nu. 1434.* & alij communiter.

17 Quantùm verò ad primam conditionem consideratur, quòd non sufficit licentiam esse petitam, sed necessarium est illam esse obtentam. In d. enim *cap. monachi* dicitur Abbate nihilominùs imperante; At verò nequit dici, quòd Abbas imperet, si saltem licentiam non concedit, & in d. Clem. *Religiosus* dicitur quòd non potest Religiosus sine sui superioris licentia, & dictio *sine* importat eam obtinendam esse, *cap. ne opos. de tempor. ordinand.* & ita docent *Card. d. Clem. Religiosus num. 3. app. 3. Imola num. 10,* quos sequitur *Sanchez d. c. 13. num. 5.* sufficit verò licentia præsumpta, vel tacita. *Sanchez nu. 7. Anton. à Spir. Sancto d. disp. 6. n. 1436.* Qui etiam addunt non esse necesse, quòd hæc licentia præcedat institutionem alicuius in iudicem, arbitrum,

bitrum, procuratorem &c. sed sufficere si sit obtenta ante Religiosi acceptationem. Nam & in *d. Clem. Religiosus* dicitur, quòd Religiosus sine superioris licentia, non possit officium procuratoris suscipere. Sufficit igitur quòd licentia habeatur ante susceptionem officij, *Card. ibi n.3. Barbosa num.4.* Sufficit verò licentia etiam obtenta à superiore locali. Nam & hic verè est superior, & in *d. cap. monachi*, dicitur *Abbate imperante*, Abbas verò est superior localis, igitur localis superioris licentia sufficit, *Card. in d. Clem. Relig. nu.2. not.3.* & ibi *Anchar. num.1. not.2. Imola num.8. Barbosa n.5. Sanchez d. cap.13. nu.8. Anton. à Spir. S. n.*1440. Nisi in Religione aliter sit dispositum. Nam in Ordine Minorum superiores locales hanc licentiam concedere non valent. *Clem. Exiui, de verb. signif.* Et in Societate, quòd solus Generalis eam concedere valeat ex *Constit. p.6. cap.3. §.7.* dixerunt *Sanchez d. cap.13. num.9. Palans tract.16. disp.4. puncto* 12. §.1. *num.2.* Respectu autem Religiosorum exemptorum licentia Episcopi nec est necessaria, nec sufficit. Et Innocent. & alij, qui apud Sanchez dixerunt superiorem esse Episcopum vel Abbatem, intelligendi sunt respectu Clericorũ & Religiosorum, qui Episcopo sunt subiecti, & ab eius iurisdictione non exempti. *Card. in d. Clem. Relig. num.2. not.3. Sanchez num.9. Anton. à Spir. sanct. d. num.*1440. Superior autem regularis, qui potest alijs licentiam concedere, sine alia licentia potest secularia negotia agere.

18 Quantum verò ad secundam conditionem, quæ est vtilitas Monasterij, certum est sufficere si adsit vtilitas directa, quam tunc adesse non est dubium, quando in iudicio agitur de interesse monasterij. Sed est dubium an sufficiat indirecta, illa scilicet vtilitas & lucrum, quod monasterio prouenire potest ex quo Religiosus munus Iudicis obeat vel Aduocati, aut Procuratoris &c. Et in hac parte dicendum est, per se & præcisè ratione lucri quod regulariter acquiritur per exercitium talium officiorum, non licere Religiosis negotijs forensibus se immiscere. Quia si hæc vtilitas quæ per se est annexa talibus officijs sufficeret, frustra adhibita fuisset hæc conditio, quæ semper adest, & sic sola licentia superioris sufficeret, quia aliàs vtilitas monasterij semper adesset, vt bene considerarunt *Io. Andr. reg.78. num.13. De reg. iuris in 6.* & ibi *Francus in fine & idem Io. Andr. cap.2. de postulando num.3.* & ibi *Anton. fin. Card. fin. Anchar. nu.2 not.3. Imola num.2. Bellam. à princ. Syluest. v. Aduocatus q.7.* Verùm præter hanc solitam vtilitatem indirectam potest adesse magna aliqua vtilitas, vel necessitas, quæ indirectè consequatur, & de qua non debet dici quòd non sufficiat, vt si monasterium esset in magna indigentia, & necessitaretur ad id lucrum procurandum; vel si graue damnum sibi immineret, si ad preces magni viri & Religionis amicissimi negaretur quòd pro eo Religiosus munus Aduocati, vel Procuratoris non obiret. In his ergo casibus in quibus adest specialis, & magna vtilitas monasterij, licitum est superioribus licentiam concedere suis Religiosis tractandi aliquod negotium forense, & Religiosis illud tractare. Et sic sufficit etiam vtilitas indirecta si sit necessitas, vel specialis & magna vtilitas. *Panorm. cap.2. num.3. de postul. Nauar. com.2. de Regul. num.6. Rosell. v. aduocatus num.24. Angelus num.9. Tabien. q.7. n.8. Armilla num.8.* Redoan, *Salzedo, Gonzalez, Sà*, quos sequitur *Sanchez l.6. in Decal. cap.13. n.17. Sayr. in Claui* Regia *l.12. c.22. num.5. Palans trac.16. disp.4. p.12. §.1. num.3. Anton. à Spir. Sancto d. disp.4.* 1435.

19 An autem si quis tractet negotia secularia sine his duabus conditionibus, valeat tractatus, seu actus, non potest bene in communi diffiniri, quia non est eadem ratio de quolibet tractatu. Hoc vnum dici potest, quòd solus deffectus vtilitatis monasterij non irritat actum, cum nulla sit lex, quæ hoc decernat, & aliàs vbi sit licentia superioris Religiosus est legitima persona vt possit agere, nisi alia specialis lex resistat. *Sanchez d. c.11. nu.41.* Tum quia DD. asserentes huiusmodi acta esse irrita, loquuntur quando deest superioris licentia. Tum quia *d. Clem. Religiosus* solam requirit superioris licentiam. Alij verò textus, non vsi sunt eo rigore verborum, vt ex defectu vtilitatis acta huiusmodi tanquam irrita sint habenda.

20 Cum verò plura sint genera negotiorum & actionum spectantium ad forum iudiciale, omnes huiusmodi actiones Religiosis interdictæ sunt.

Iudex.

21 ET ideo primò nequit esse iudex. Est verò iudex ille, qui habet publicam iudicandi, & cognoscendi auctoritatem, & potestatem, & sub nomine iudicis veniunt Iudices cuiuscumque speciei siue sint Ordinarij, siue Delegati, siue sint ad causas, siue executores ad gratias, & siue habeant iurisdictionem, siue tantùm notionem, prout à iurisdictione distinguitur, vt probat textus in *l. à Diuo Pio in princ. ff. de re iudic.* ibi iudicum, à se datorum *l. à iudice C. de iudic. l. vlt.* cap. vbi, & apud quem. Verbum enim *Iudex* in iure, vt habet *Barbosa, appellat.* 122. *num.1.* est generale, & comprehendit omnes illos, qui publica iudicandi, & cognoscendi auctoritate & potestate funguntur. *Gloss. in v. si à Iudicib. in Clem.1. de appellat.* Religiosi igitur forensium seculariũ causarum per præfata iura prohibentur esse Iudices.

Delegatus.

22 NEdum ex ratione communi iudicis Religiosi non possunt esse Iudices delegati in causis forensibus secularibus, sed nec in causis Ecclesiasticis possunt esse delegati Papæ ad litteras Pontificis, vel eius Legati exequendas, nisi ex certa scientia à Pontifice destinentur. *cap. statutum in princip. de rescript. in 6.* quia simplex Religiosus non est in dignitate constitutus, Delegatus autem Papæ debet esse constitutus in dignitate *Gloss. fin. in Clem.2 de Rescrip. Panorm. ibid. num.12. Card. n.2. opp.3. Imol. nu.35. Bonif. num.43. Syluest. v. Delegatus q.2. num.3. Angelus nu.3. Nauar. com.2.* de *Regul. ad finem. Sanchez l.6. moral. cap.13. num.74.* Quod adeo est verum, vt nec Priores, qui dicuntur claustrales, & qui in monasterio alium superiorem habent, nec quicumque alius superior, qui in monasterio superiorem habeat dici possit habere dignitatem,

tatem, & posse esse delegatum ad literarum Pontificum executionem. *Clem. 2. de Rescrip. vbi Panorm. num. 6. Anchar. num. 9. Syluest. & Angelus vbi supra, Sanchez num. 45.* Nec Legatus Papæ potest in hoc dispensare, quia nequit dispensare in lege Pontificia, vt tradunt *Gloss. final.* in *Clem. 2. de rescrip.* & ibi *Panorm. fin. Card. num. 2. opp. 3. Imol. nu. 35. Bonif. nu. 45. Sanchez d. c. 13. num. 76.*

23 Ex hoc tamen simplices Religiosi non impediuntur quin possint esse delegati Episcopòrum, seu Episcoporum Vicarij de licentia superiorum, quia *d. cap. statutum* de delegatis Papæ loquitur, & Legatorum non verò de delegatis Episcoporum. *Gloss. in cap. ad præsentiam 16. q. 1. Panorm. cap. fin. de Cler. ægrot.* Rota *dec. 3. de off. Vicarij* in *antiq. Barbosa de off. Epis. all. 54. n. 10.* & plures apud ipsum. *Card. in d. Clem. de rescrip. quæst. 17. in nulla q. 16. Anchar. num. 9. Sanchez d. cap. 13. n. 77. Palaus trac. 16. disp. 4. p. 12. §. 1. num. 5.* Quod tamen limitatur, vt non valeat de Religioso mendicante, qui ad ordinem non mendicantium transijt, hic enim nec potest esse Vicarius Episcopi, *Clem. 1. §. ad Prioratus. de Regular.* vbi communiter Canonistæ. *Sanchez d. cap. 13. num. 93. Palaus dicto punctio 12. num. 5.*

24 Superiores tamen monasteriorum locales, qui in eodem monasterio superiorem non habent, non prohibentur esse Delegati Papæ ex eo quòd non sint in dignitate constituti; hanc enim dignitatem habent, cum habeant administrationem cum iurisdictione in vtroque foro. *cap. nisi essent. de prebend. ibi.* Non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata. Vnde hoc est expressè decisum in *Clem. 2. de rescript. Gloss. ibi. v. per elect. Panorm. num. 6. Card. num. 1. opp. 1. num. 16. q. 13. Anchar. num. 1. Syluestr. v. delegatus q. 2. num. 3. & v. Religio 6. q. 11. Francus in d. cap. statutum de rescrip. in 6. num. 4. Sanchez d. cap. 13. numer. 78. Palaus d. pun. 12. num.*

25 Quantùm verò ad validitatem actuum; certum est, quòd delegatus Papæ ab eo non subreptitiè, sed legitimè, & ex certa scientia deputatus etiam si Religiosus validè agit, nec ad id necessaria est alterius superioris licentia; At vero sine superioris alicuius licentia Religiosus est incapax fieri delegatus cuiuscumque qui nō sit Religiosi superior, vt supra de iudice probatum est. Vnde nec possunt esse delegati Episcopi, & si fiant sine superioris licentia inualida est delegatio, seu ad minus potest à superiore irritari.

Arbiter.

26 NEc arbitri esse possunt Religiosi: Sed considerari debet, quòd distinguitur arbiter, ab arbitratore, & differentias vigintiunam ponit inter eos *Syluest. v. arbiter*, essentialis differentia est, quòd arbiter est iuris partium cognitor, & diffinitor, sed arbitrator est partium amicabilis compositor. Ideo arbiter tenetur iudicare prout iuris est, & iudicis ordine seruato, nec potest tollere de eo quod ex iustitia debetur vni parti, vt tradat alteri, sed seruata iustitiæ exigentia debet iudicare, & exactè vnicuique quod suum est tribuere. Sed arbitrator tanquam amicabilis compositor, non tenetur ad viam iuris seruandam, & ex causa iusta, & bono pacis potest demere de eo quod est iuris vnius partis, & alteri tradere. Itaque arbiter est verè iudex, ad leges iudiciorum seruandas obligatus, & qui ex rigore iustitiæ sententiare debet, sed arbitrator non est iudex sed amicabilis compositor electus ad amicabilem compositionem inducendam ideo non adstrictus ad rigorem iustitiæ. De his videri possunt DD. in *cap. Quintanallis, de iure iurand. &* in *cap. nisi essent. de prabend. & sum mistæ v. arbiter.*

27 Cum igitur arbiter sit verè iudex, constat ex communi sententia, & ex citatis textibus, quòd Religiosi non possunt esse arbitri. An verò possint esse arbitratores controuertitur. Nam posse esse dixerunt *Oldradus, & Io: de Arena apud Panorm. cap. Quintanallis num. 13. De iure iurand.* Sed communis sententia est, quòd non possit esse nisi de licentia superioris. Arbitrari enim est opus pietatis, & componere diffidentes ad pacem non est tractare forensia iudicia, & ideo Religiosus de licentia superioris potest esse arbitrator. *Panorm. d. nu. 13. vbi Imola num. 28.* Neuo *num. 107. Syluest. v. arbiter q. 16. num. 14. Tabien q. 7. num. 10. Armilla nu. 12. Sanchez d. cap. 13. nu. 61. Layman l. 4. trac. 5. cap. 11. n. 6. Palaus d. p. 12. nu. 6.* Et ita vt etiam Religiosus Franciscanus de licentia sui superioris possit eligi in arbitratorem, quia hoc non est esse iudicem, sed pacis compositorem. *Speculator, Socin. Lanfrancus de Oriano* quos sequitur *Sanchez num. 66. Palaus* vbi supra.

Aduocatus, Procurator.

28 FOrensia negotia tractant etiam Aduocatus, & Procurator, vnde nec licet Religiosis huiusmodi officia exercere. Sæpius in iure pro eodem sumuntur Aduocatus, & Procurator vt in *l. 1. §. ait prætor. ff. de postul. & Cod. de aduoc. diuers. iud.* ferè per totum, & in *l. 1. C. de assessor.* Nihilominùs modò distinguuntur secundùm communē vsum loquendi. Nam Aduocatus in consilium aduocatur, Procurator patronus litis est, & causam agit. Aduocatus suscipit personas; Procurator negotia. Ille quasi tutor; hic quasi curator. Aduocato meo sum susceptus aut cliens, Procuratori mandator vel Dominus. Munus aduocati extra locum iudicij peragitur; Procuratoris non nisi in iudicio. Ille causam instruit, iste perorat. Ille magis agis calamo; hic ore. Verùm Romæ Tertius additur, qui dicitur sollicitator, & hic ille est, qui gerit officium Procuratoris in iudicio regulariter. Aduocati enim scribunt in iure, & iuris consultationibus solùm vacant. Procuratores verò scribunt in facto, & secundùm ius causas ex facto instruunt, & causis tractandis incumbunt. Sollicitatores verò in iudicio corā iudicibus causas tractant, & vt omnia validè suo tempore agantur procurant. De quibus videri potest Loter. de re Benefic. in apparat. num. 151. & sequent. Romæ quoque Clericis etiam Sacerdotibus permissum est exercere munus Aduocati, & Procuratoris. Cuius rationem reddit idem Loter. vbi supra num. 158. quia scilicet munus Aduocati & Procuratoris in Curia Romana fit extraiudiciale; quoniam consulere & scribere consulendo, & etiam in priuatis Iudicum domi-

domibus, sine strepitu iudicij causas perorare est, quid extraiudiciale; quòd Clericis non est prohibitum *cap.1. Ne Cler. vel Monach. & cap.1. de postuland.* vt infra etiam dicetur. Verum hæc ratio deficit, quia Romæ Aduocati, & Procuratores etiam cum opus est comparent in iudicio, & cum strepitu iudicij causas apud iudices defendunt. Et Clericis etiam Sacerdotibus est permissum sollicitare causas, illasque iudicialiter coram iudicibus defendere, & subscribere positionibus, & exceptionibus. Vnde vera ratio est, quòd Clericis Romæ non est prohibitum Aduocati, vel Procuratoris munus, quia vidente, & consentiente Pontifice hoc iam est consuetudine introductam, *Nauar. cons. 4. n. 4. de testam. Salzedo ad triam cap. 63. limit.9.* quos sequitur *Bonac. disp.3. de contract. q. vlt. p.2. §. 2. nu.14.* In aliquibus tamen casibus hoc eis licet etiam extra Romam de licentia sui Superioris, imò & aliquando sine licentia. Primus casus est pro negotijs Abbatis, vel Superioris sui Monasterij, immò & cuiuscumque Religiosi, vel eiusdem Monasterij, vel eiusdem Ordinis. Totum enim hoc in monasterij vtilitatem est, quòd Superior, & Religiosi habeant, qui eorum causis coram iudicibus patrocinentur. Vnde per argumétum à contrario sensu hoc colligitur *ex Clem. Religiosus De procurat. & tradunt ibid. Card. n. 8. q. 2. Imola n. 8. Sanchez d. cap. 3. n. 19. & 20. Palaus d. p. 12. §. 3. n. 2.* quod tamen non procedit Religiosis diuersorum ordinum. *Imola in d. Clem. Religiosus num. 8. Sanchez & Palaus citati Felinus cap. cum I. & A. num. 12. de sent. & re iudic.* Bene tamen pro negotijs Episcopi, cum per se sit valde vtile monasterio habere Episcopum propitium, & beneficijs deuinctum. *Hostien. in cap. Sopita nu. 1. De censibus, & ibi Panorm. n. 3. Felin. vbi supra. Pacianus cons. 162. n. 190. Sanchez n. 22. Palaus n. 2.* imò si agendum sit contra Abbatem ad illum accusandum aut denunciandum, nec est necessaria ipsius licentia, sed potest Religiosus ad id procurator institui, vt ex *Hostien. Innoc. Io. Andr. Panorm. Bellam. & Butr. habet Sanchez num. 19.* Pro causa autem alicui Religioso cum alijs communi potest Religiosus de licentia Prælati Procurator designari vt tradunt *ad Clem. Religiosus de Procurat. Gloss. Hostien. Io. Andr. & alij Palaus d. §. 8. n. 2. Sanchez. n. 25.*

29 Secundo cum licentia sui Superioris potest Religiosus fungi officio Aduocati, aut Procuratoris in causis pupillorum, aut miserabilium personarum; cum sit Ecclesiæ proprium personas auxilio destitutas tueri. *Gloss. cap. De præsentium. v. defensor. 16. q. 1. Card. in cap. 2. num. vnico q. 1. De postulando, vbi Anchar. num. 2. not. 3. Imola nu. 3. Bellam. ad finem Sayro Claui Regia l. 12. c. 22. nu. 5. Pacianus d. cons. 162. num. 194. Sanchez vbi supra num. 23. Nauar. cons. 2. Regular. num. 66. Palaus d. p. 22. §. 3. nu. 2. Anton. à Spir. S. p. 2. tr. 3. disp. 6. nu. 1450. & Lucerna Regul. v. Procurator* tanquam decisum à Sacra Congregatione. Quod tamen non est extendédum ad coniunctos, si non sint miserabiles, vt citati DD. animaduertunt. Quidam autem hoc limitant, vt patrocinari in causis miserabilium liceat si id fiat gratis, & sine pretio, quia id eis permittitur solùm ex pietate *cap. 1. & cap. final. de postulan. Panorm. in cap. Multa, n. 4. Ne Clerc. vel Monachi.* *Vbi Petrus, Io. Andr. n. 2. Anchar. nu. 3. Fagnanus n. 5.* Mihi autem sufficere videtur, si id fiat siue pacto, & ex animo liberali, & gratis quantum sit ex parte Aduocati, aut Procuratoris: non tamen quia sit illicitum sponte datum recipere.

30 Tertium casum ponunt aliqui, volentes, quód in vna, vel altera causa liceat Religioso officium Aduocati, vel Procuratoris gerere. *Ita Innoc. cap. vnico in fin. de obligat. ad ratiocinia Archid. in cap. peruenit dist. 86. & ibi Turrec. n. 2. Felin. in cap. Cum I. & A. n. 11. de sent.* & re iudicata *Fagnanus in cap. Magnus n. 4. De oblig. ad ratiot.* quod aliqui limitant, vt sit verum, nisi negotium esset ita arduum, vt multùm distraheret Religiosum. Vnde & alij dixerunt, Religiosum posse aduocare vbi modica sit occupatio, & distractio. Verùm oppositum alij dicunt, quia cum præceptum hoc sit negatiuum obligat semper, & ad semper, ideoque & vniuersaliter debet intelligi. *Collectarius c. Dilecti.* De arbitris *Decius cap. 2. in nona edit. num. 74. de iudicijs. Syluest. v. aduocatus num. 2. quæst. 7. fin. Tabien. q. 7. num. 8. Panorm. cap. 2. nu. 4. De postulan. Sanchez d. cap. 13. num. 34. Palaus d. §. 3. num. 5. Anton. à Spir. Santo d. disp. 6. num. 1452.*

31 Verùm principalis, & tota assertio debet intelligi de aduocatione, & procuratione coram iudice seculari. Nam coram iudice Ecclesiastico Clericus, vel Religiosus potest aduocare etiam pro laico. *Reuerendiss. Fagnanus in cap. magnus n. 3. de oblig. ad rationem.* Item debet intelligi de aduocatione in foro iudiciali. *Nam aduocare vt habetur in l. 1. vers. postulare ff. de postulando est desiderium suum, vel amici sui in iure apud eum, qui iurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere.* Actoris enim aduocatus sui clientuli in iudicio desideriú exponit, & Aduocatus rei actoris desiderio contradicit *Panorm. in rubr. de postulando nu. 1.* Aduocare igitur propriè est in iudicio agere ad tuendam, & promouendam causam sui clientuli; petendo, vel contradicendo. Vnde sequitur, quòd non est aduocare, si quis Iudicem adeat rogaturus, vt concedat terminum non allegando ius partis, imò *Sanch. n. 28.* putat, quòd etiam si allegetur ius partis, id non sit allegare, quia nó est comparere in iudicio, nec tales Aduocati subscribút petitionibus, quòd ad Aduocati munus requiritur, sed Iudici priuatim ius partis exponunt. Nam secundò non est aduocare, si quis consilium præstet in aliqua causa siue verbo, siue scripto, non adeundo Iudicem, quia hic non assistit iudicio, aduocare autem est manifestare desiderium in Iudicio *Panorm. in rub. de postul. n. 1. Syluest. v. aduocatus nu. 1. Tabien. in initio Armillæ n. 1. Sanchez n. 29.* Tertiò non est aduocare, si quis interueniat cóttactui vtramq; parté inducendo, quia hac non est in iudicio assistere. Quartò nec aduocat, qui iura suæ partis deducit coram Arbitratore, quia arbitrumentum non est propriè iudicium, sed quidam contractus transactionis *l. si de meis §. recepisset ff. de Arbitr.* Vnde hoc non est adesse liti, sed contractui. Et ideo contrarium asserendum esset, si quis iura partis deduceret coram Arbitro; qui est verus iudex, & ideo is propriè aduocaret. Et tandem quintò hinc sequitur, quòd extraiudicialiter verbo, vel scripto consulere non est aduocare, nec est prohibitum Religiosis ex vi legum recensitarum supra nu. 11. & tra-

& tradiderunt *Bartol. l. 1. §. postulare n. 1. ff. de postulat. Paulus l. 1. ff. de legationibus. Sylvest. Angelus, Nauarrus Tabien. v. aduocatus in prin. Panorm. in rubr. de postul. a. 1.* Et bene Sanchez d. cap. 13. num. 32. reijcit limitationem, quam dederat Romanus in rubr. de postul. n. 3. dicens hanc verã esse si Religiosos gratis consolat in causis istis, non verò si pretio id faciat. Quia facere aliquid gratis, aut pretio nō variat naturam exterioris actionis. Quãuis si non attendamus legem positiuam, sed naturalem, & diuinam, multùm considerandum fit ex qua intentione actio fiat. *Nam & D. T. in textu dixit*, quòd tractare negotia huiusmodi ex cupiditate alienum est à Religioso. Sed tamen stat Religiosum non consulere ex cupiditate, & tamen aliquid recipere, sicut & recipere potest stipendium sustentationis pro missa celebranda.

32 Et quòd dictum est de Aduocato dicitur quoque de Procuratore, quia scilicet per iura præfata prohibitus est Religiosus procurare in iudicio, non verò extra iudicium, seu in causa extraiudiciali. *In d. cum capi Monachi, & cap. 2. de postulandi* Religiosi prohibentur solùm esse susceptores, vel executores in negotijs Forensibus; huiusmodi verò sunt, quæ coram iudicibus in Foro contentioso tractantur. Nec est eadem ratio de procuratore in iudicio, & extra, quia in iudicio procurare habet adiunctam multò maiorem distractionem. Quamobrem, quòd textus citati *& Clem. Religiosus; de procuratoribus* loquantur solum de procuratore quoad actus iudiciales, siue in foro seculari siue in foro Ecclesiastico caercendos dixerunt *Card. in d. Clem. Religiosus num. 7. appos. 13. & ibi Paulus Rebuff. in praxi tit. de Procur. ad respondendum sum. 17. Azor. tom. 1. l. 7. c. 22. q. 3. Sanchez d. cap. 13. n. 37.*

33 Hoc verò extendit *Palaus d. puncto 12. §. 3. n. 4.* vt Religiosus ad aduocandum, & procurandum extra iudicium nec indigeat licentia Superioris, quia, inquit, non est textus, qui hoc præcipiat. Et quia licet licentia sit necessaria ad accipiendum munus testamentarij, tamen non licet in prohibitionibus arguere de casu ad casum maximè cum non militat eadem ratio: Maior verò occupatio est annexa muneri testamẽtarij, quod vicinum est obligationi reddendi rationem, & cõtinet occupationem vendendi bona defuncti, satisfaciendi creditoribus, exequendi legata, & alia faciendi, ad quæ non obligat officium Procuratoris. Verùm meritò oppositum sentiunt *Sanchez n. 38. Layman. lib. 4. trac. 5. cap. 1 c. n. 2.* Quamuis enim nec mihi placeat in prohibitionibus arguere de casu ad casum; nam vix est dabilis casus, in quo causa adæquata prohibendi vnum actum militet prorsus in alio. Nihilominùs hic adest lex diuina, & Lex Canonica Generalia, ex quibus Illicitum est Religioso tractare negotia sine licentia, cum sine ea, nec possit e domo exire, vnde multò minùs ei licet se extraiudicialibus aliorum litibus, & causis intromittere, tum propter occupationem, tum propter maiorũ periculũ, quod potest imminere Religioni, dum vnius defensio assumitur contra alium; vnde se alienis negotijs immiscere non est res, quæ non indigeat prudentia, & consideratione Prælati.

34 Cæterùm in causis iudicialibus adeo prohibitum est Religiosis aduocare, aut procurare, vt si quis Procurator fiat Religiosus etiam post litem contestatam non possit prosequi procurationem *l. aut Religiosus, iuncta l. praced. ff. de procurat.* Et non tantum post professionem, sed etiam tempore nouitiatus potest etiam post litem contestatam reuocari is, qui in seculo erat procurator, non obstante litis contestatione *Gloss. in cap. a. a. ingredi. De procurat. in 6.* Non enim est dubium hanc esse iustissimam causam reuocandi procurationem; Et Nouitiatui repugnat negotia aliena procurare, nedum in foro, sed extra; quia Nouitius totus esse debet in edificendis sua Regulæ, & Constitut. obligationibus, & in experimento eorumdem, & in disponendo se ad vtilem professionem, & deuotã.

35 Et sicut Religiosus non potest esse procurator, sic neque potest ex quocumque mandato sibi dato procuratorem constituere, aut substituere hoc enim prohibetur *in Clem. Religiosus De procurat.* Si tamen adsit licentiã Superioris poterit Religiosus procuratorem constituere, aut substituere, quòd satis colligitur *ex d. Clem. Religiosus*, & tenet ibi *Gloss. v. substituere Card. na. 4. opp. 7. & to. & 12. Imola n. 15. Bonif. n. 35.* quos sequitur *Sanchez d. c. 13. num. 12. vbi num. 13. ex eisdem Card. Imola, & Bonif. addit.* quòd Religiosus qui de licentia Superioris est constitutus procurator cum facultate substituendi, non indiget ad id præstandum noua licentia. *Etiam Bartol. l. 1. §. item acquirimus au. vlt ff. de Accusat.* voluerit, quòd Religiosus possit esse nuncius ad constituendum procuratorem, quia inhabilitas nuncij non obstat, eò quòd in hoc casu nudum ministerium exerceatur, *& Bartol.* sequutus fuerit *Palaus d. p. 12. §. 3. n. 7.* Econtrario *Panorm in d. Clem. Religiosus in fin.* etiam ad hoc, vt Religiosus sit nuncius ad constituendum procuratorem requirit licentiam Superioris, & *Panorm. sequitur Sanchez n. 14.* Ego existimo, quòd si loquamur in vim d. Clem. non sit hæc licentia necessaria, quia hic nuncius non constituit procuratorem, neque substituit, sed solum nominat personam ab alio in Procuratorem constituẽdam. Sed ex iure communi status Religiosi hanc licentiam necessariam existimo; quia non licet Religioso se intromittere in ijs, quæ possunt prodesse, vt ob esse Religioni, & quæ diuertere possunt Religiosum ab occupatione sibi propria sine licentia.

Assessor iudicis.

36 Assessor secundùm *Azoaem tit. de assessoribus num. 1.* est qui ab eo, cui est data iudicandi potestas, rogatur, vt sibi in cognitione Causæ assideat, vt cum debito fine causam decidere instruat. Et ideo assessor non est iudex, nec fert sententiam, nec habet iurisdictionem, *Gloss. l. 1. ff. de off. assessorum vbi Bart. n. 3. Iason. n. 13.* Sed nihilominus, quia assessoris actus ad iudicialem sententiã spectat, quã assessor ordinat, eiq; subscribit, si non tanquam iudex, tamen tanquam assessor, & consultor, ideo Religioso non competit esse iudicis assessorem. *Sanchez dict. cap. 13. numer. 85. Palaus tr. 16. disp. 4. p. 12. §. 1. n. 7. Aaton. à Spir. Santo p. 2. tr. 3. disp. 6. num. 1446.*

Cubicularius Episcopi.

37 QVoniam, & in eo, quòd Regularis sit Episcopi Cubicularius, reposita est nō parua Monasterij vtilitas, ideo de licentia sui Superioris poterit ipse esse Cubicularius Episcopi. Quod manifestum est ex Synodo Generali *cap.2.& habetur cap.Cum pastoris 2.q.1.*& tenent *Panorm.citata Hostien.in c,Cum I.& A.De sent.& re iud.& c. Quanta n. 1. De Off. Ordin. Felin. d. cap. cum I. & A. fin. Decius cap. Inpræsentia in nou. edit. n. 73.De iudicijs Nauar, com. 2. n.15. vers.9. de Regul.Bald, in rubr. de maior. n. 3.* Et eadem ratione, vt tradunt *Panorm.& Decius* potest esse CubicularisMagni Principis. Imò si Religiosus non sit exempus non est ad hoc necessaria licentia Abbatis, quia Episcopus ipse est Superior, cui Religiosus non exemptus obedire tenetur,vt docet*Gloss.eo cap.Cum pastoris verb.Vt quidem &c.* Et ex hoc concordari possunt *Baldus & Felinus dum dicunt*, quòd non potest Episcopus inuito Abbate assumere sibi Religiosum in Cubicularium, quòd affirmant *Domin. cap. Si Religiosus De elect. in 6. in princip. & Franceus ibi n. 3.* Isti enim intelligendi sunt de religioso non exempto, & illi de exempto. *Sanchez d.cap. 13.num.99.*

Tabellio.

38 SPecialiter est prohibitum ne religiosus sit Tabellio, vnde nec cum licentia superioris potest religiosus tale officium exercere *cap. Sicut. Ne Clerici, vel Monachi cap. Vt officium Inquisitionis §. verum de hæreticis, in 6.* Vbi fauore fidei tanquam quid speciale conceditur, quòd qui erat Tabellio, factus religiosus illud officium possit exercere. *Couar.pract.quest.cap.19. numer.8.vers, Monachi Sanch.l.6.c.13.num.46.Layman.l.4. trac.5, c.11.num.4.Palaus trac.16.disp.4.p.12.§.3.num.8.Fagnanus d cap. Sicut num.61.* Vbi quòd nec in causis spiritualibus liceat Clerico exercere officium notarij, Cum quo tamen stat, quòd qui erat Tabellio factus religiosus possit signare instrumenta,quę confecerat in sæculo, vel ea latiùs extendere, quæ in protocollo successiuè scripserat. Quia hæc signatura seu scriptio non est noui instrumenti confectio, sed præcedentis perfectio, & executio,quæ propterea retrotrahitur ad tempus habile. *Gloss. cap. Vt officium §. Verum quia De hæret. in 6. ver, permissa. Et ibi Francus §. Ad conscribendus, D. Anton.p.3.tit,13.cap.2.§.2.Syluest.v.Tabellio q.3.dic, 4.Armilla num,5,Tabien.q.3.num.4. Nauar. com.2. de Regul.num.32.Cauar.& Palaus vbi supra,Sanchez num.49.* Imò ad hoc teneretur ille religiosus, Et quamuis ad id indigeret licentia Superioris, eam superior non posset negare, sed imò parte petente compellere deberet suum religiosum ad id faciendum, si religiosus instrumenta perficere negaret, quia aliàs periculum esset, quòd pars ad cuius fauorem instrumenta quantùm ad substantiam fuerunt facta, caderet à iure suo. *Rodriq.3. p. q. 8. a. vlt. Sanch.n. 51. Palausd n 8.* Quòd verò ait *Portell. v.Notarius* nimirum, quòd qui fuit Notarius factus postea religiosus potest conueniri coram Iudice sæculari, vt reddat rationem scripturarum, quas antea habebat, est prorsus falsum, cum religiosus sit exemptus à iurisdictione sæculari. *Sanchez d.cap.13.num.51.*

39 In casu tamen necessitatis, vt puta tempore pestis,vbi non adsit alius Notarius, posse eum, qui in seculo erat Notarius rogari de testamento ex Epijcia deducitur *Et ex Sanchez,& Eufcobar.dicit Anton. à Spir. Santo p 2. de trac. 3. disp. 6 nu. 1463.* Notarium quoque si fiat religiosus non perdere officium notariatus, licet illud non possit communiter, & regulariter exercere dixerunt Escobar *v.Tabellio. & Sà v. Iudiciales actus, tit. de Aduocato, & Tabellione,*

40 Hodie etiam in sancto Inquisitionis officio ex Constit. Pij Quarti, quæ incipit *Pastoralis officij* possunt religiosi exercere munus Tabellionis in quibuscumque causis sanctæ Inquisitionis, & Fidei,

41 Ex priuilegio etiam Pij Quinti concesso Ordini Prædicatorum, possunt religiosi dicti Ordini munus Notarij intra religionem exercere. Habetur verò hoc priuilegium in eius Constit.124. & est sequentis tenoris.

§.2. *Nos igitur cupientes,quantum cum Deo possumus in præmissis, Ordini & Fratribus præfatis, ac etiam Monialibus ipsis de opportuno remedio prouidere, & incommodis, detrimentis, expensis, & damnis eorum obuiare, neque mandata, priuilegia, gratias, concessiones, indulta & rescripta Apostolica, in genere vel in specie dicto Ordini,seu ipsius Ordinis Magistro generali,Prouincialibus, alijsque Superioribus, Prioribus, & Fratribus, & eorum singulis, dictisque Monialibus, siue earundem Abbatissis,Priorissis, & earumdem etiam singulis eiusdem Ordinis, siue dictum Ordinem, & illius regulam profitentibus, quomodolibet, in genere vel in specie concessa, aliaque mandata, & rescripta Apostolica, publicam vel priuatam ipsius Ordinis vtilitatem quomodolibet concernentia.& emanata, ob id debito careant effectu, & vacua remaneant, prouidere volentes, ipsosque Ordinem. ac illius Magistrum generalem, Vicarium, Procuratorem, & Fratres, ac Abbatissas, Priorissas, & Moniales, eorumque singulos specialibus fauoribus, & gratijs prosequentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon nomina cognomina Magistri generalis, Prouincialium, Vicariorum, Procuratorum, & aliorum Superiorum. ac dictarum Abbatissarum, Priorissarum, & Monialium, inuocationesq; denominationes, & dependentias Monasteriorum, Domorum, Conuentuum.& aliorum Regularium locorū. tam virorum, quam mulierum dicti Ordinis, ac etiam mandatorum, concessionum, indultorum, & rescriptorum, aliarumque gratiarum tenores, præsentibus pro expressis habentes. Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatę petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, modernis, & pro tempore existentibus dicti Ordinis Magistro generali, Vicarijs, & Prouincialibus, tam citra quam vltra, ac alias vbilibet constitutis.*

tutis: Quod in vnaquaque eorum Prouincia, vnum, duos, tres, quatuor, vel quinque, aut plures eis bene visos dicti Ordinis Religiosos, seu Fratres, probatos tamen, ac fide & doctrina idoneos, & ab ipsis approbatos, in notarios creare, constituere & deputare. Qui sic creati, constituti, & deputati, sine aliquo respectu, & omni cessante recusatione, libere quoties requisiti fuerint, omnia & singula mandata, priuilegia, concessiones, gratias, & indulta Apostolica, aliaque tam vniuersalia, quàm particularia dicti Ordinis, ac quibusuis alijs, quæ de obseruantia sunt tantum locis, domibus, Conuentibus, Monasterijs, & Ecclesijs, tàm virorum quàm mulierum, & seu eiusdem Ordinis Magistro generali, Prouincialibus, Vicarijs, Prioribus, & alijs superioribus Fratribus, ac Abbatissis, Priorissis, Monialibus, & alijs personis sub Regula dictorum Fratrum degentibus, & quæ sunt obseruantiæ tantum, in genere vel in specie, vt ad vniuersam siue priuatã vtilitatem concessa & emanata rescripta Apostolica eisdem Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Dominis, alijsque personis ecclesiasticis, & secularibus quibuscumque, vbi, & quoties opus fuerit, ac ad id requisiti fuerint, notificare, & intimare. Ac eisdem iuxta mandatorum, concessionum, indultorum, priuilegiorum, & rescriptorum huiusmodi formam, continentiam, & tenorem monere, & requirere, aliaque omnia & singula circa ea requisita & opportuna facere, agere, exercere, & exequi, ac de eisdem omnibus & singulis, publicos & publica, actus & instrumenta coram testibus ad hoc requisitis conficere, & stipulari, ac in notam redigere, & exinde semel vel pluries, prout ad id requisiti fuerint, vnum vel plures, ac plura, publicos & publica, actus, & instrumenta quibus eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio & extra, ac vbique, ac si per alios quoscumque publicos & authenticos rogatos notarios stipulata, confecta & publicata, & authenticata fuissent conficere, & debitis signis & characteribus subscribere, publicare, & authenticare, libere & licite possint & valeant. Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam & facultatem impartimur, concedimus & indulgemus, eisdemque actis, notis, instrumentis, & scripturis per dictos Religiosos vt præfertur, Notarios deputatos stipulatis, confectis, & vt præfertur authenticatis, plenam & indubitatam fidem vbique, tàm in iudicio quam extra adhibere, ac eosdem sic intimatos, monitos, & requisitos eis affici & arctari debere volumus, statuimus, & ordinamus.

§. 3. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, & indignationis nostræ, ac suspensionis à diuinis, quoad Archiepiscopos, & Episcopos, quo ad alios vero inferiores sub maioris excommunicationis latæ sententiæ pœnis, locorum Ordinarijs, & alijs quibusuis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, & quacumque etiam dictæ Sedis auctoritate, facultate, seu potestate, etiam Legatis de latere, ac Cardinalatus honore fungentibus, ne ipsos Notarios, vt præfertur deputatos & electos, siue eorum aliquem in executione supradictorum omnium quouis modo impediant, seu impedire aut perturbare audeant vel præsumant.

42 Plura verò circa huiusmodi priuilegium sunt consideranda. Et quidem primò, illud esse commune omnibus Regularibus habentibus priuilegium communicationis priuilegiorum dixerũt *Peyr. ad Constit. 9. Pij V. num.* & *de subd. q. accep. 23. 6. & dicto. Nouar. in Lucerna Regul. v. Notarius nu. 1. ex Rodriquez, Anton. à Spir. S. par. 1. tract. 2. disput. 1. num. 223.*

43 Secundò considerandum est, quòd ex vi dicti priuilegij solùm Generali, & Prouincialibus competit facultas hæc creandi Notarios. Nihilominus quòd hæc facultas ex consuetudine competat etiam Prioribus, Guardianis, & alijs superioribus localibus tenent *Peyr. ad Constit. 9. Pij V. n. 6. & in formular. lit. N. cap. 1. num. 3. Lucerna Regular. v. Notarius num 3. ex Aldrete. Portel. v. Notarius n. 1. ex doctrina Io: Andr. Abbat. Felin. & Imol. Anton. à Spir. S. tract. 2. disp. 1 num. 228.*

44 Sed hic distinguendum est id, quod ex iure communi competit Religiosis ab eo quod illis competit ex præfato priuilegio, cuius nullam notitiam habuere. *Io: Andr. Abb. Felin. & Imola.* Nam cum regularibus Prælatis concessa fuerit facultas processus formandi, & tractandi intra Ordinem, quod ad bonum Religionum est necessarium, vt sunt statuta Capitulorum tam Generalium, quam Prouincialium, confirmationes electionum, institutiones officialium, deputationes Fratrum, dispensationes, concessiones gratiarum, & alia huiusmodi, per necessariam consequentiam simul concessum fuit, vt in Religionibus sint Notarij, vel Secretarij, vel similes personæ publicæ, quæ de actis fidem faciant, & quibus fides publica debeatur. Et ideo ex hac consuetudine potuit introduci, vt superiores etiam locales notarios instituere possent secundùm cuiuscumque Religionis praxim; quia non debuerant Religiones destitui ministerio Notariatus, cum nec conueniret assumere notarios seculares ad interiora Religionis cognoscenda, & vt assisterent superioribus, vt de illorum gestis authentica testimonia darent. Et quidem si consuetudo hoc induxit, vt libris campsorum, mercatorum, vel similium plena fides adhibeatur, vt ex *Vntiano tom. 1. comm. opin. l. 4. tit. 11. num. 316. Mascard. concl. 973. num. 16. de probat. Surd. dec. 312. numer. 3. Gratian. discept. 171. num. 2. Gonan. practicar. cap. 22. num. 8. Barbos. ad cap. Et dilectus num. 6. de fide instrument.* aduertit *Lezana ad mare magnum Seruitorum nu. 11.* Bene idem *Lezana*, & post illum *Anton. à Spir. S. tract. 2. disp. 1. n. 229.* aduertunt eadem & maiori ratione esse deberi fidem scripturis notariorum religiosorum, seu eorum, qui secundùm consuetudinem Religionum assumpti sunt ad publicas scripturas conficiendas, siue dicantur Notarij, siue Secretarij, siue socij, siue quocumque alio nomine vocentur. Vnde *Portel. v. Notarius n. 5. ex Velasco* habet, quòd etiam in iudicio seculari danda sit fides libris ratiocinij factis per notarios, vel notarias religiosas. Siue ergo vocentur, siue non vocentur notarij, qui in Religionibus assumuntur à superioribus ad scribendum tanquam publici officiales fidem faciunt, & eorum scriptis fides est adhibenda. Quod etiam libris Prælatorum credatur de expensis factis per ipsos in Ecclesia, ex *Federico de Senis, & Enriquez cons. 4.* tradit *Nicolaus Genua de script. priuata lib. 3. tit. de libris Prælat. num. 1.* Vbi nu. 2. addit, quod creditur quoque libris computum continentibus censuales debitores, & emphyteutas, & quod solutiones ipsorum probant contra debitores censuales, licet nõ contra alios, nisi esset consuetudo, vt contra omnes

nes probarent *Boer.conf.*105.*nu.*3. & quòd ampliùs tales libri præcipuè probant, quando tanto tempore in eo descriptæ sunt solutiones annuæ; quòd inducta esset præsumptiua probatio iuris Ecclesiastici contra soluentem, tunc enim etiam contra tertium facerent præsumptionem per quam posset deferri iuramentum in supplementum. Ex his enim satis comprobatur, quod vbi superiores elegerint aliquem in scribam, vel secretarium multò magis sit illius scripturis præbenda fides. Sed difficultas est de notarijs propriè dictis, qui sint perpetui, & vniuersales, ita quòd de omni actu, & vbique fidem facere possint.

45 Sed de eligendis Notarijs eisque instituendis alia inuenio priuilegia. Nam Vrbanus Quartus in Constit. *Licet ex omnibus*, data Viterbij Calend. Aprilis Pontificatus ipsius anno primo, Fratribus Ord. Prædicatorum Inquisitoribus in Lombardia, & Marchia Ianuen. concessit, vt Fratres dicti Ordinis, & alij Religiosi quilibet, qui in seculo fuerunt notarij, si requisiti fuerunt, & deputati ab eisdem Inquisitoribus in officio, & pro officio Inquisitionis notariatus officium exercere possent, etiam si dicti notarij essent in sacris Ordinibus constituti. Habetur hæc Vrbani IV. Constit. in Bullar. Ord. Prædicatorum fol. 11. sed idem ex Clem. IV. habetur *cap. Vt officium.* §. *ad conscribendas. De haret. in* 6. Iulius etiam Tertius in Constit. *Cum ad officij*, edita 23. Februarij 1554. Pontificatus anno quinto, quæ habetur in d. Bullar. Ord. Prædicator. fol. 257. Magistro Generali Ord. Prædicatorum concessit, vt infra videlicet. *Vt in quibuscumque Ciuitatibus, terris, & locis, in quibus tibi opportunum videbitur, vnam vel plures personas discretas, & idoneas, etiam tui Ordinis Religiosos, etiam in Sacerdotio constitutas, in Notarios, seu Tabelliones, etiam si dum in seculo fuerunt Tabellionatus huiusmodi officium non habuerint, aut exercuerint, ad effectum, vt inquisitiones, interrogationes, responsiones, attestationes, confessiones, condemnationes, absolutiones, processus, & alia quacumque, qua circa negotium fidei, & officium Inquisitionis huiusmodi pro tempore facienda occurrerint fideliter, & diligenter conscribant, recipiant, & conseruent, & alia ad Notariorum in talibus negotijs officium, & curam pertinentia faciant, creare, constituere, & deputare possis; & valeas, authoritate Apostolica facultatem per præsentes concedimus, decernentes omnia acta per Notarios, &c.*

46 Aliud priuilegium refert Reuerendiss. *Fagnanus cap. Sicut te num.* 31. Ne clerici, vel Monachi, vbi in fine nu. 30. quod S. Congregatio Cardinalium Concil. Tridentin. interpretum declarauit, Regulares non posse exercere officium Tabellionatus. Et postea num. 31. subdit quòd Prior Monasterij de Thomar Ordinis Cisterciensis habet priuilegium à Sede Apostolica, vt duo Regulares illius à Priore electi pro rebus ad ipsum Conuentum spectantibus, & quæ inter eos, seu in eisdem Conuentibus geruntur pro tempore, alium, seu alios illius, vel illorum loco perpetuò create, eosque de notariatus, seu Tabellionatus officio huiusmodi per pennam, & calamarium inuestire, recepto ab eis primitus iuramento, quòd officiũ ipsũ bene, & legaliter exercrant, liberè, & licitè valeant. Quæsitũ propterea fuit an Concilium obstet, quominùs huiusmodi Regulares dicti priuilegij vigore Tabellionatus officium exerceant eo modo, quo in literis Apostolicis exprimitur & Sacra Cõgregatio censuit non obstare, atque huiusmodi priuilegium nullo eiusdem Concilij decreto reuocatum esse. Hæc ille. Quamobrem non est dubium, quòd Regulares in vim præfatorum priuilegiorum possint creare Religiosos in Notarios ad effectus præfatos.

47 Verùm non videtur, quod hoc officium illis competat, nisi pro causis particularibus, vel ad sanctum Inquisitionis officium, vel ad gesta in monasterijs se extendat, vnde inspiciendum est, pro quibus causis possint huiusmodi notarij creari. Et quidem loquentes de priuilegio concesso à Pio V. dicitur Notarios ex vi dicti priuilegij institutos inseruire solùm ad fidem dandam circa priuilegia, & concessiones Apostolicas factas Regularibus, & ita vt eorum fides valeat etiam coram secularibus iudicibus, non verò deseruire posse ad sumendas informationes in causis criminalibus Regularium, neque ad sumendas informationes pro ingressuris Religionem iuxta Constit. Clem. VIII. Verè enim Pius Quintus ad hunc solum effectum concessit creari huiusmodi Notarios. Sequitur tamen ex hoc, quòd huiusmodi notarij possunt transumptare priuilegia, gratias, concessiones, indulta, omniaque rescripta Apostolica tam in publicam totius Ordinis, quam in priuatam cuiuscumque religiosi, vel religiosæ vtilitatem emanata, si enim hoc facere non possent, neque possent exequi quod illis conceditur, scilicet non possent notificare Regibus, Principibus &c. Non enim semper, & vbique præ manibus possunt haberi originalia, quæ notificentur, & ad notificationem hanc sufficit adhibere transumpta authentica. Hoc verò *Peyr. ad Const.* 9 *Pij V. num.* 5. *& Ant. a Spir. S. tract.* 1. *disp.* 9. *n.* 125. extendunt, vt valeat quotiescumque in rescriptis Apostolicis cõtinetur, quod eorũ transumptis præstanda sit fides si sit signata per manum Notarij publici. Sed hoc ex vi dicti priuilegijo non habetur, quoniam restringitur ad rescripta emanata ad vtilitatem vel totius Ordinis Prædicatorum tam virorum, quam mulierum, vel alicuius ex Religiosis dicti Ordinis, vnde ex vi illius priuilegij Notarius institutus non potest transumptare, aut authenticare nisi Bullas, breuia, rescripta continentia præfatam vtilitatem.

48 Immò per se, & directè, nec extenditur ad omnia rescripta quomodocumque vtilia præfato Ordini, vel publicè, vel priuatim, sed solùm ijs monasterijs, & religiosis, qui sunt obseruantiæ tantùm, vt manifestum est ex illis verbis in Const Pij Quinti, *Quæ de obseruantia sunt tantum*, & quæ sunt obseruantiæ tantùm. Quamobrem ex vi dicti priuilegij notarij instituti solùm possunt quibuscumque notificare, insinuare, & intimare mandata, priuilegia, concessiones, gratias, indulta, & rescripta Apostolica emanata ad vtilitatem publicam, & communem, vel priuatam, & particularem Fratrum, & Monialium Ordinis Prædicatorum, qui & quæ sint de obseruantia tantùm, & ex consequenti possunt huiusmodi rescripta transumptare, & authenticare, & de eorum intimatione vnum, vel tot instrumenta conficere, quot erunt necessaria. Verum ex vi dicti priuilegij nec possunt alia instrumenta conficere, nec alias scripturas authenticare, nec processus scribere, nec informationes pro recipien-

cipiendis iuxta tenorem Constit. Sixti Quinti, & Clem. VIII. sumere, nec alia facere, quæ notariorum sunt.

49 Ideo quod dicunt *Peyr. ad d. Constitu. 9. Pij Quinti, & in formular. lit. N. cap. 1. num. 2. & Ant. à Spir. Sancto tract. 2. disp. 1. num. 225.* quòd notarij instituti à superioribus sunt perpetui non solùm pro negotijs communibus Religionis, sed etiam pro particularibus, pro causis criminalibus religiosorum, immò & pro ciuilibus, pro informationibus Nouitiorum, pro transumptandis quibuscumque Apostolicis priuilegijs, quando eorum transumptatio conceditur, si sit cum subscriptione notarij publici, pro intimandis mandatis Auditoris Cameræ, vel aliorum Iudicum Apostolicorum, pro intimandis decretis electionis, & pro alijs similibus casibus, quos notarios vocãt secretarios Capituli, vt dixit *Lezana ad Mare magnum Eremit. S. August. num. 143.* Hæc inquam, & alia fieri non possunt ex vi priuilegij Pij Quinti, nisi pro parte, & iuxta priùs explicata. Possunt verò fieri ex vi priuilegij Cistercienſium, si illud est communicabile. Vel in parte potest competere, aut ex consuetudine, si adest, aut ex iure communi. Dixi ex consuetudine, si adest. Quia quod adsit consuetudo creandi notarios perpetuos præcisis priuilegij Pij Quinti, aut Cistercienſium, mihi non constat, & hæc consuetudo in meo Ordine non est. Sed bene instituuntur socij vel secretarij, & alij similes, qui tamen nec propriè notarij sunt, nec instituuntur cum penna, & calamario, nec sunt perpetui, sed pro tempore quo sunt in officio scribunt.

50. Et pro Electionibus nullus omnino adhibetur notarius, sed scrutatores suffragiorum de electione fidem faciunt, & scripturam, quam dicunt scrutinium, seu decretum electionis conficiunt ei subscribentes proprijs manibus. Et ita nec datur vnus, qui de omnibus, quæ aguntur in Conuentu fidem facere possit, aut de pertinentibus ad singulos Religiosos; sed qui sunt in aliquo officio scribæ solùm de pertinentibus ad eorum officium fidem faciunt, vt v. g. secretarius Consiliorum Patrum fidem facit de actis per Patres à Concilijs, & secretarius Prouincialis fidem facit de actis per Prouincialem, & scrutatores fidem faciunt de electione.

51 Quod verò detur Notarius pro causis tam criminalibus, quàm ciuilibus, hoc est de iure communi. Cum enim causæ Religiosorum non possint cognosci per iudicem secularem aut extraneum, & processus seu acta per aliquem fide dignum scribi debeant, & is non possit, nec debeat esse iudex ipse, ex natura iuris communis concedentis Regularibus iudicandi facultatem oritur, vt simul intelligatur concessa facultas creandi Notarium, seu assumendi scribam, qui acta fideliter conscribat, vt bene tradiderunt *Rodriq. tom. 3. quæst. 8. a. 1. & ex Aldrete lib. 1. de Relig. disciplina cap. 8. a num. 3. Portel. v. Notarius num. 2. & Castellinus de elect. cap. 20.* Sed iste nec est propriè Notarius, quia nec est perpetuus, nec vniuersalis sed solùm ad illum actum, nec instituitur per pennam, & calamarium, sed assumitur toties quoties onus est à iudice pro scribendo processus secundùm praxim & statuta cuiuscumque Religionis.

52 Sic si in sumẽdis informationibus aut Nouitiorum, aut cuiuscumque alterius negotij Religiosus aliquis sit iudex, potest assumere Notarium eodem modo, quo ad alias causas. Et hoc est de iure communi, & potest fieri eo modo & forma, quo est consuetudo in quacumque Religione.

53 Tandem verò omnibus his pẽsatis quid dicendum ad quæstionem hanc, an Prælati etiam locales possint creare Notarios? *Reuerendiss. Fagnanus in cap. sicut te. Ne Cler. vel Monachi nu. 42.* quærit an Episcopus possit creare Tabelliones? Sed ex Rota dec. 5. de fide instrumentorum in nouis distinguit. Nam Notarios, qui per totum mundum possint instrumenta conficere, & officium Tabellionatus exercere, solùm Papa, & Imperator creare possunt. Sed in suo Regno Reges, & in suo Ducatu Duces, & in suo Episcopatu Episcopi, & vniuersaliter Prælati habentes iurisdictionem in suo territorio Notarios creant. *Felin. in cap. cum P. Tabellio. num. 41. de fide instrum. Oldrad. cons. 75.* Huiusmodi verò Tabelliones extra territorium instituentis non possunt conficere instrumenta nisi de licentia illius ad cuius iurisdictionem declinant, licet intra territorium confecta faciant fidem vbique locorum. *Rota vbi supr. Fagnan. ad d. cap. sicut te num. 53. Anchar. ibi num. 3.* qua stante doctrina, cum Prælati Regularium habeant iurisdictionem intra sua monasteria, possunt in eis Notarios creare, qui quidem solum de ijs, quæ intra aguntur instrumenta possunt conficere, quæ tamen vbique fidem faciunt. Et sic duplici titulo creant Notarios etiam perpetuos, scilicet in vim præfatorum priuilegiorum, & ex iure communi, sed tamen huiusmodi Notarij non sunt vniuersales, sed solùm circa ea quæ vel aguntur in monasterijs, vel quæ pertinent ad causas determinatas fidem facere possunt, licet eorum fides de prædictis vbique fidem faciat.

54 Quamuis etiam assumpti in Religionibus loco Notariorum & si non sint creati Notarij non sint propriè Notarij, tamen eorum scripturæ fidem faciunt etiam apud iudicem secularem, si non vt scripturæ publicæ, saltem vt authenticæ, vel vt priuatæ tales, quibus fides adhiberi debet. Etenim ex *Panorm. cap. 2. de fide instrum.* considerandum est dari triplex genus scripturæ, scilicẽt, publicam, authenticam, & priuatam. Publica est illa, quæ est à publica persona, nimirum à Notario, vel simili publico ministro habente facultatem Notarij publici. Authentica est illa, quæ licet non sit a Notario facit tamen plenam fidem in iudicio quocũque neque pars potest illam rejicere, sed ei debetur fides ac si esset instrumentum per Notarium scriptum, & huiusmodi sunt scripturæ Prælatorum ab eorum secretarijs signatæ, & eorumdem Prælatorum sigillo communitæ. Inter priuatas verò numerantur libri computorum, & similes scripturæ, quibus nihilominùs etiam credendum est, si habeant requisita ad hunc effectum.

55 An verò hi qui assumuntur vt Notarij, debeant præstare iuramentum de officio fideliter peragendo, affirmant *Portell. v. Notarius num. 2. ex Aldrete vbi supra num. 8. & 9. Peyr. ad Constit. 9. Pij Quinti num. 9. Anton. à Spir. Sancto trac. 2. disp. 1. numer. 231. vbi num. 232.* cum eodem *Portell.* addit, Prælatos debere suos secretarios electos in principio sui officij creare Notarios præstito eis iuramẽ

to coram testibus. Sed hoc iuramentum puto quidem esse necessarium, quando instituendus sit Notarius propriè, vt in terminis priuilegij Pij Quinti aut Cisterciensium, vel quando Generalis, aut Prouincialis, aut Prælatus instituit Notarium perpetuum, & vniuersalem ad ea quæ in Religione, vel prouincia vel Conuentu aguntur. Verùm absolutè hoc nō est necessarium, nec datur lex, quæ hoc vniuersaliter statuat de ijs, qui non sunt propriè Notarij. *Et* quod dicitur de secretarijs Prælatorum est contra praxim, nec credo quòd Episcopi suos secretarios creent Notarios. Et quidem in meo Ordine ego fui secretarius Prouincialis Prouinciæ Lombardiæ, & postea totius Ordinis, nec vnquam fui creatus Notarius, nec aliquod iuramentum præstiti. Vnde in hoc seruanda est praxis cuiuscumque Religionis. Nam & vt dicebam ex *Panormit. cap. 1. de fide instrum.* scriptura authentica esse potest licet non sit publica idest à publico Notario. Vnde in hac parte standum est consuetudini & legibus cuiuscumque Religionis.

56 Supponunt etiam *Portel, & Anton. de Spiritu Sancto loc. citat.* quòd Notario, aut Secretario de ijs, quæ sine præsentia testium coram illo gesta sunt debeat præberi fides. Quod quidem de iure communi non est verum. Notarij enim assertio sine testibus non probat. *Puteus dec. 5. l. 3. in Corect.* *Rota decis. 624. num. 10. parte prima & dec. 605. nu. 12. parte quinta Recent.* Quàmuis in illis partibus in quibus consuetudo est, vt Notarij attestationi credatur etiam sine testibus, huiusmodi attestatio probet, vt admisit Rota *coram Coccino decis. 404. num. 5. & Coram Buratto dec. 146. num. 3. & 4. & decis. 250. n. 5. parte 9. recent.*

57 Tandem, quòd Notarij instituti in vim priuilegij Pij Quinti possint intimare mandata Auditoris Cameræ, Sacræ Rotæ Romanæ, & Sacrarum Congregationum multùm verisimile est, & probabile. Nam huiusmodi sunt Papæ tribunalia, & eorum mandata Apostolica censenda sunt, cum veniant ex eius delegatione in curia, nec Pontifex per se ipsum sed per huiusmodi Iudices causas cognoscit. Ideo Auditor Cameræ in suis literis præcipiendo vtitur hac forma loquendi, *pro parte nostra, immò veriùs Apostolica auctoritate*, quia ipse Papam repræsentat, & locum eius tenet; quod idē de alijs tribunalibus, & præcipuè de Sacris Congregationibus dicitur. Vnde Notarius qui potest intimare Apostolica mandata, aut Rescripta, potest etiam intimare literas Sacr. Congregationum, Auditoris Cameræ, Sacræ Rotæ &c.

58 Peyr. ad Const. 9. Pij Quinti num. 8. putat quòd illegitimus non possit esse Notarius sine dispensatione; sed hoc incertum est; nam certè id non inconuenit ratione nobilitatis officij, quia notariatus est officium vile, & ignobile secundùm *Panorm. in cap. sicut te. De Cler. vel Monach.* cum Tabellio dicatur seruus publicus, vt in *c. 1. de vsur. in 6. & l. non enim. ff. de adop.* & obid fuit prohibitum Decurionibus, & eadem ratione fuit vetitum Clericis & Dei militibus. Verum est quòd infamis non potest esse Tabellio, iuxta notata per *Bart. in l. 3. ff. ad l. Iul. repet.* Sed ratio infamiæ, quæ potest competere illegitimo est extrinseca, & potest dari illegitimus, qui sit honestæ famæ, & vir valde fidelis & probus; vnde sit aptus ad Tabellionatus officium non obstante defectum Natalium. Ideo an illegitimus possit esse Tabellio esset diligentiùs cōsiderandum.

Actor, vel Reus in iudicio.

59 NOn potest Religiosus in iudicio comparere vel tanquam Actor ad accusandū, vel denunciandum, vel tanquam Reus ad se defendendum sine superioris licentia. In hoc enim comparatur seruo, vel filio familias contra quos, vel pro quibus non potest fundari iudicium. *l. bis nulla, & l. vix. ff. de iudic. l. seruis C. eod. tit.* quia Religiosi pro mortuis habentur, & nihil habent, vt communiter tradunt DD. in *cap. cum dilecta. de rescript. & authent. causa, quæ fit cum monacho. C. de Episc. & Clericis.*

60 Vnde sequitur primò, quòd in iudicio criminali Religiosus pro iniuria sibi illata non potest agere sine superioris licentia, sed id munus ad Abbatem seu superiorem pertinet. *l. si vnius. §. ait Prætor. ff. de iniurijs. Gloss. penul. cap. non dicatis 12. quæst. 1. Speculator tit. de actore §. vn. Felin. n. 5. Card. num. 1. Io. Andr. num. 5. Anchar. num. 4. Panorm. cap. Parochianos nu. 3. & ibi communiter DD. de sentent. excommunicationis Francus cap. 2. in princ. num. 6. ne clerici vel monachi in 6. D. Anton. 3. p. tit. 16. cap. 6. §. 7. Syluest v. Religio 8. quæst. 4. Armilla v. monachus num. 12. Nauar. Com. 2. de Regular. nu. 29. & 64. Sanchez l. 6. in Decal. cap. 12. num. 5.* plures referens *Barbosa in cap. Parochianos num. 4. de sent. excom. Castro Palaus tr. 16. disp. 4. puncto 12. §. 2. num. 2. Anton. à Spir. Sancto tract. 3. disp. 6. num. 1482.* Vnde est, quòd Abbas potest remittere iniuriam monacho factam, quia eius est remittere cuius est agere in iudicio, & cum Religiosus nec velle, nec nolle habeat, etiam eo inuito superior validè iniuriam subdito illatam remittit. *Nauar. d. num. 64. Sanchez num. 6. Palaus, & Anton. à Spir. Sancto vbi supr.* & quàmuis *Farinac. in pract. Crim. tit. de accusat. quæst. 13. num. 26.* putet, ad hoc vt remissio sit valida, quòd sit necessarius consensus Religiosi iniuriam passi, meritò id negant citati DD, quia monachus suum velle in monasterium transtulit. Ipse verò Religiosus iniuriam sibi illatam inualidè remittit inuito superiore, quia sui iuris non est, & agendi facultate est destitutus. *Anton. in cap. Paroch. num. 6. de sent. excom. Card. num. 2. Hostien. num. 3. Anchar num. 4. Sanchez vbi supra n. 7.* & apud eum *Decius, & Ferrer Francus rubr. de testam. in 6. num. 65.* Vnde est, quòd cum absolutioni ab excommunicatione præmittenda sit partis satisfactio, si monacho iniuria illata sit, non ipsi monacho, sed Abbati satisfactio dari debet, vt possit obtineri absolutio, quia non monachi, sed Abbatis est remissio illius iniuriæ. *Gloss. in d. cap. Parochianos, ver. satisfaciant, Anton. ibi nu. 19. Sanchez vbi supra num. 8.* Et similiter si monachus veste, aut alia re fuerit spoliatus agere contra spoliantem est Abbatis, nec spoliatus potest agere sine Abbatis licentia. *Specul. tit. de actore. §. vnico n. 51. Nauar. com. 2. de Regul. n. 64.*

61 Hinc quoque sequitur, quòd Religiosus sicut sine licentia non potest agere in iudicio, sic nec potest procuratorem constituere, qui pro se in iudicio compareat. *Clem. Religiosus, de procur.* Et

quia textus ibi vtitur verbo *non potest*, bene significat inualidam esse huius procuraroris constitutionem, si fiat, nisi eam superior ratificet. Et eò magis quòd prohibita est ob Religiosi incapacitatem ad standum in iudicio.

62 Et pariter sequitur, quòd iudicium agitatum cum monacho sine superioris licentia in casibus, in quibus nequit agere, est nullius valoris quia iudicium constat actore, reo, & iudice. *cap. Forus de verb. signific. D. Th. sup. q. 67. a. 3. c.* At persona monachi non est legitima vt sit actor, vel reus, ideo nullum est iudicium agitatum cum ipso sine superioris licentia. *Bartol. l. filius familias. §. veterani. F. ff. de procur. Panorm. Clem. Religiosus num. 6. de Procur. Baldus cap. causam in fin. de indic. Felin. cap. I. & A. num. 10. de sent. & re iudic. Sanchez vbi sup. num. 12.* Non tamen hoc iudicium est adeo nullum, vt superior illud non possit ratum habere, vt tradunt *Bald. & Felin. citati.* Nec obstat lex finalis §. *necessitatem C. de bonis, quæ liber.* vbi pater non ratificat gesta per filium: Quia filius ibi non gerebat nomen Patris, sed monachus agit tanquam Procurator Abbatis, vel Monasterij.

63 In aliquibus tamen casibus potest Religiosus agere, quia vel in illis licentia superioris præsupponitur, vel ex particulari causa non est necessaria. Primus casus est, quando monachus est in studio de licentia Abbatis. Nam eo ipso, quòd monachus habet licentiam manendi in studio, habet licentiam se defendendi in gestis ratione studij & pro iniuria sibi illata, & pro spolio sibi facto. *Gloss. penult. in cap. non dicatis 12. quæst. 1. Franc. cap. 2. num. 6. ne cler. vel monachi in 6. Henric. cap. ex parte, nu. 3. de accus. Ant. num. 12. Sanchez d. cap. 12. nu. 14. Layman. l. 4. tr. 5. c. 21. num. 1. Palaus d. p. 12. §. 2. p. 4. Anton. à Spir. Sancto tr. 3. d. 6. num. 1486.* Sic enim talis Religiosus in studio manens poterit habere vocem in electione Rectoris, vt docet Francus citatus. Et quæ dicuntur de Religioso manente in studio, dicitur de quocumque Religioso itinerante, aut de licentia Abbatis ex quacumque causa absente à monasterio vbi nec superior, nec eius vices tenens manet, *Nauar. com. 2. de Regul. num. 65. Azor. p. p. l. 12. cap. 11. quæst. 9.* Tunc verò Religiosus aget non nomine proprio, sed nomine monasterij. Et ex *Gloss. cap. cum pastoris v. cum pastoris 2. quæst. 7.* aduertit *Sanchez d. c. 12. num. 14.* quòd tantùm poterit agere de his, quæ pertinent ad studium. Verùm limitatio non fulcitur ratione. Cum enim Religiosus sit absens, & de licentia, si iniuriam patitur, non potest quidem agere nomine proprio, potest tamen agere ex licentia præsumpta, vel tacita nomine monasterij pro quocumque iusta causa omnibus pensatis Religioso statui conuenienti.

64 Secundus casus est, quando superior sit absens, & sit periculum in mora, nec possit haberi eius responsum. In hoc enim casu habetur præsumpta licentia, vt citati DD. tradunt. Idemque dicendum esset in casu in quo monasterium vacaret. Sed hoc non admittitur, quia monasteria vacantia non sunt sine superiore, nisi ad breue, seu breuissimum tempus.

65 Tertius casus est, si Religiosus patiatur iniuriam à superioribus Religionis, vel in Religione in eo, quod sibi de iure debetur, vt si monachus agere velit, vt in Religione retineatur; & ab ea non expellatur; vt expulsus restituatur; vt alimenta debita obtineat; nec expensæ debitæ denegentur; vt non fiat illi iniuria in iure ferendi suffragium, in præcedentia sedendi. *Nauar. d. Com. 2. de Regul. n. 64. Azor. vbi supra Sanchez d. c. 12. num. 16. Palaus d. n. 4. Anton. à Spir. Sancto d. num. 1486.* Aduertendum enim est, quòd pro iure, cui renunciauit Religiosus in professione nequit agere sine licentia, sed pro iure cui non renunciauit, & quòd sibi remanet etiā contra monasterium, & superiorem, habet ius naturalis defensionis, nec indiget licentia superioris, nedum quia cum agere debeat etiam contra superiorem, eam non obtineret, si peteret; sed quia cum natura negotij id requirit, vt non sit necessaria licentia vbi Religiosus habet ius cui ex professione non renunciauit, vel quod oritur ex natura professionis, & per quod etiam contra superiorem potest se defendere. Vnde in his non est distinguendum an Religiosus iniuriam patiatur ab externo, vel à superiore ipso, quia si sine licentia potest se defendere contra superiorem ipsum apud superiorem maiorem, multò magis potest se defendere contra externum. Solùm attendi debet, quòd non potest agere subditus coram iudice non competente. Et quòd potest contingere, quòd non expediat vel subdito, vel monasterio litem prosequi, & agere in iudicio, vnde superior habeat ius impediendi actionem. Sed tunc non aget ex iure cui non renunciauit, vel quod non transtulit in superiorem, cum superior possit iustè illum impedire ne agat coram alio iudice, nec coram se, quoniam potest illatam subdito iniuriam remittere. Sed vbi subditus habet ius ex professione etiam contra superiorem, tunc nec iustè potest impediri à superiore, & potest etiam contra superiorem agere. Ita si superior etiam in his, in quibus potest subdito vel negare quod petitur, vel datum auferre, licet non possit subditus agere pro eo quod non datur, vel aufertur, posse tamen agere contra superiorem si malo animo illum priuauit, dixerunt *Nauar. d. num. 65. & Sanchez d. cap. 12. num. 16.* Quod non admitto, quia malus animus non est iniustitia, si aliquod iniustum damnum non infert. Si igitur quod non datur, aut tollitur non negatur iniustè vel iniustè non aufertur, seu quando in facto non est iniustitia, non est vnde facientis animus ad effectum agendi in iudicio inspiciatur: quia nec bonus animus debetur ex iustitia, nec malus animus qui nullum iniustum damnum infert, violat iustitiam. Sic qui ex malo & pessimo animo negat pauperi eleemosynam, vel cuicumque actum liberalitatis, non præbet pauperi aut alteri cui res negatur ius agendi in iudicio. Sic ergo licet ex pessimo animo Prælatus neget quod non tenetur concedere, vel tollat quod sine iniustitia potest auferre, non habet subditus ius agendi contra superiorem. Nisi pro quanto malus animus est res mala, potest subditus non bene visus à superiore implorare officiū superioris maioris cui incūbit inferiorem vbi malè agat, corrigere, & emendare vt superiorem inferiorem ex malo animo agentem corrigat, & emendet.

66 Hinc quartus casus deducitur, quia scilicet Religiosus sine licentia potest accusare & agere contra Abbatem, seu superiorem, si ipse superior deliquerit, vt si fuerit excommunicatus, cap. de

dece-

deceptione, vel inimicus, vel conspirator. *cap. me minimus, cap. cum oporteat, cap. denenicas. de accus. cap. per tuas.* de simonia. Ad huiusmodi vero accusationem non indiget licentia, tum quia id illi est à iure permissum. *d. cap. ex parte. de accusat.* Tam quia non expedit licentiam petere ab accusato, a quo accusans eam non esset recepturus. *Panorm. d. cap. ex parte num. 6. Sanchez d. cap. 12. num.* 18. *Layman. l. 4. tr. 5. cap. 11. num. 1. Palaus tr. 16. disp. 4. p. 12. §. 2. num. 6. Antan. à Spiritu Sancto tr. 3. disp 6. n. 1486.* Alium verò præter Abbatem accusare non potest vt traditur *d. cap. ex parte. de accusat.* nisi concurrât simul licentia superioris, & vtilitas monasterij, nam ijs conditionibus positis accusare poterit. *Gloss. d. cap. ex parte Panorm. num. 6. Franc. numer. 2. Hostien. num. 1. Farin. tit. de accusat. quæst. 3. nu. 24. Palaus vbi supr. Sanchez d. cap. 12. num. 19. & 17. vbi num. 29.* extendit hoc, vt si monachus sit Cubicularius Episcopi possit eum accusare, cum ad hoc sint Cubicularij, vt vitæ Prælatorum testes sint. *cap. cum pastoris 2. quæst. 7. Innoc. cap. cum P. num. 6. de accusat Io: And. d. cap. ex parte. num. 6. Anchar. num. 4. Card. n. 1. Felin. num. 2.*

67 Verùm ad præmissorum euidentiam nonnulla consideranda sunt. Nam primò accusatio accipi potest propriè & iudicialiter, & hæc est accusatio vestita iuris solemnitatibus. Alia est accusatio minùs propriè & communiter dicta, quæ non tam est accusatio, quàm imploratio officij iudicis. Si loquamur de accusatione communiter dicta, hæc coram proprijs iudicibus, scilicet coram superiore eam accusati, quàm accusantis haberi potest à Religioso vt praxis ipsa & vniuersalis Religionum consuetudo probat. Et dictae ratio. Cum enim iudicium sit inter accusatorem & Reum coram iudice; dum Religionibus concessa est facultas iudicandi, concessa quoque est facultas accusandi. Sed sicut Religiosi ad apices iuris in iudicando non tenentur, ita nec accusatores in accusando. Et in accusatione ista deest essentiale quoddam prædicatum accusationis, quod est iustitia independens à superioris voluntate & arbitrio, ex quo accusans agens coram iudice cogit illum indispensabiliter ad sibi ministrandum iustitiam, nec potest accusantem repellere ab accusatione. Sed in Religiosis etiam iura propria & propria iustitia est subordinata voluntati superioris, qui ex causa sibi bene visa potest offensam factam subdito remittere & sic eum ab accusatione repellere. Itaque loquendo de accusatione communiter, Religiosi coram accusantis superiore legitimè accusare possunt. Quàmuis verè accusatio parum competat Religiosis, quia accusator non tam ex charitate, & zelo iustitiæ, quàm ex liuore & odio præsumitur moueri ad accusandum, iuxta glossam in *cap. Decreto 2. quæst. 6. v. Aemulatum. vnde in c. si quis Episcopus 2. quæst. 7.* accusatio vocatur illaudabilis intentio. Et Anacletus Papa in *cap. si omnia 6. quæst. 1.* accusatorem Deo non placere asserit, quia plus inuidiæ stimulis, quàm charitatis ardore mouetur. Sic enim ex ijs quæ sæpius accidunt præsumitur.

68 Sed aliud quoque est considerandum. Nam materia accusationis, vel est iniuria propria, & personalis, aut Monasterij, seu Religionis, vel est solùm aliquod malum contra aliquam legem ex qua nihil damni Religioso, aut Religioni ortum fuit. Nam nedum accusatio locum habet quando aliquis est iniuriam passus, sed etiam quando delictum non est cōmissum contra personam aliquam sed bene contra aliquā legem, vt si sit statutū quòd Blasphemus, vel deferens arma, vel noctu vadens puniatur, quilibet de populo potest accusare. *Sylvest. v. accusatio q. 4.* sicut si Fisco sit ex delicto debita pœna pecuniaria, tunc etiam quilibet de populo accusare potest, vt ex *Gloss. Cin. & Bart.* habet *Sylvest. vbi sup. & Sanchez l. 6. Concil. cap. 1. dub. 30. num. 1.* Et sic in huiusmodi ad vindictam publicam admittitur cuiuslibet accusatio. Sed tamen valde indecens est Clerico, & multò magis, Religioso ad vindictam publicam accusare alium etiam vbi non sit imponenda pœna sanguinis, nisi delictum sit grauissimum, & contra commune bonum, vt est hæresis, & similia: facit *cap. Sicut Sacerdotes 12. q. 7.* quod est Fabiani Papæ epist. 2. Ex quo hoc idem dixerunt *Panorm. cap. Cum P. De accusat. Turrecrem. ad d. cap. Sicut Sacerdotes numer. 9. Sylvest. v. accusatio quæst. 4.* Clerici enim huiusmodi odiosis se admiscere non debent. Et ideo de huiusmodi accusatione præcipuè intelligi debent supradicta, & quòd Religiosis non licet accusare, nisi interueniat manifesta vtilitas monasterij, & licentia superioris, & non sufficeret quælibet vtilitas, quæ non esset necessitas, & quidem talis, quæ ex circumstantijs honestam reddere posset accusationem. Et quantum ad hoc non approbo, quod retuli supra ex Innocent. Io. Andr. Felin. & alijs, scilicet quòd Cubicularius Episcopi possit accusare Episcopum. Hoc enim in Religioso non potest admitti, nisi adiunctis necessitate, & licentia Prælati, quia non decet Religiosos ad publicam vindictam accusare. Nec ex eo, quòd Cubiculariorum sit esse testes, deduci potest quòd sint accusatores, cum magnum discrimen sit inter accusatorem, & testem. Ideo Cubicularius vbi aliàs prohibitum est accusare ad vindictam publicam non potest accusare Episcopum.

69 Sed vbi materia accusationis sit iniuria propria Religiosi, vel Religionis, potest Religiosus accusare etiam apud iudicem ipsius rei, licet non sit iudex accusantis religiosi, dummodò sit iudex competens ad cognoscendum de iniuria illata, etiam si pro delicto sit imposita pœna sanguinis, dum tamen præmittatur debita protestatio, vt habetur expressè determinatum à Bonif. VIII. in *cap. Prælatis de homicid. in 6.* Verùm tamen est, quòd in religiosis ad accusandum coram huiusmodi iudicibus, qui non sunt superiores religiosi accusantis requiritur semper licentia superioris, quia superior, vt dictum est, potest iniuriam subditi remittere. Sed sufficit licentia interpretatiua, aut præsumpta, & quæ regulariter præsumi potest; nec ad hoc requiritur specialis alia vtilitas monasterij, quia satis interest monasterij, vt non fiat suis filijs iniuria; & quia sic interest monasterij, & religionis; ideo nisi adsit aliquid in contrarium præsumi potest etiam licentia superioris. Vnde ad iniuriæ propriæ, aut religionis satisfactionem possunt religiosi accusare quemcumque nisi ex lege speciali, aut ex superioris præcepto prohibeantur.

70 Et idem dicitur de denunciatione iudiciali, quia hæc accusationem imitatur, secus de denunciatione fraterna, & tendente ad solam emendam, & cor-

& correctionem fratris. Nam immò seruata lege de correctione fraterna hæc est in præcepto, iuxta illud Christi Domini Matt. 18. *Si te non audierit dic Ecclesiæ. Gloss. in d. cap. ex parte, v. licet* & ibi *Io. Andr. num. 9. Anton. num. 11. Card. num. 1. Panorm. num. 6. Felin. num. 2. Henr. num. 4. Sanchez d. cap. 12. num. 30. Palaus d. p. 12. §. 2. num. 4.* Sed denunciatione giuridica rendente ad punitionem proximi nullum potest Religiosus denunciare nisi superiorem, vel nisi concurrant simul licentia superioris, & vtilitas monasterij.

71 Quoties verò Religiosus in iudicio stare potest sine licentia superioris, toties potest sine licentia sibi eligere procuratorem. Quod enim potest per se ipsum, multò magis potest per alium. *Gloss. Clem. Religiosus, de procurat. v. constituere.* & ibi *Imola num. 15. Card. num. 3. opp. 3. Panorm. nu. 7. Nauar. com. 2. de Regul. num. 37. Sanchez d. c. 13. n. 32. Palaus d. §. 2. num. 5. Anton. à Spir. Sancto d. disp. 6. num. 1487.* addunt verò *Panorm. cap. cum 1. & A. num. 26. de sent. & re iudic. Nauar. Sanchez, & Palaus* tunc posse concipi libellum nomine Religiosi sine ipse conueniat, siue conueniatur, pro quo est textus in *cap. dudum. De conuers. coniug.* in quo sententia condemnatoria fuit concepta in personam monialis, in quam etiam concipienda esset sententia condemnans, si condemnaretur, quia habebat legitimam personam standi in iudicio.

72 Quoties etiam Monacho licet stare in iudicio, si non habet peculium, debentur expensæ à Monasterio. Et quidem quando Monachus accusat Abbatem, vel de licentia eius cum monasterij vtilitate alium Fratrem, dandas esse expensas à monasterio dicunt magis communiter *Glossa d. cap. Ex parte in fin. Panorm. num. 9. Felin. num. 4. Henric. n. 6. Sanchez d. cap. 12. num. 20. Layman l. 4. tract. 5. cap. 11. num. 1. Palaus d. q. 2. num. 6. Anton. à Spir. sancto d. disp. 6. num. 1488.* Pariter quando monachus propriam causam agit, & defendit quàmuis multi negent, tamen ratio suadet, tunc etiam illi deberi à monasterio litis expensas. Tum ne Religiosus indefensus maneat. Tum quia interest monasterij ne religiosum coactum habeat, neue eius iura læsa, & irreparata maneant. Tum tertiò quia inutilis esset facultas se defendendi, si non haberet media necessaria, quibus se defendere posset. *Sanchez d. n. 26. Palaus, & Anton. de Spir. sancto. vbi sup.* Quæ tamen dicta sunt in suppositione, quòd religiosus non habeat aliquod peculium. Tunc enim non est æquum vt religiosus petat expensas à monasterio, maximè si propriam causam prosequitur. Nam eo fine vsus peculij conceditur, vt religiosus eo vtatur in casibus occurrentibus, & parcat bonis monasterij. *Panorm. d. cap. Ex parte numer. 9. Felin. numer. 4. Surdus de alim. tit. 1. q. 111. numer. 2. & 137. numer. 1. Sanchez d. cap. 12. numer. 31. et 24. Palaus d. numer. 6. Anton. d. numer. 1488.* Sic quoque superiori accusato, aut denunciato nisi peculium habeat expensæ à monasterio ministrandæ sunt; quia superior in se defendendo rem monasterij gerit, cuius non leuiter interest conseruare suum caput indemne & non priuari sine causa eius gubernatione. *Gloss. d. cap. Ex parte, v. alia & Panorm. num. 15. Io. Andr. num. 8. Anton. num. 9. Surd. de alim. tit. 1. q. 127. num. 1. Sanchez d. cap. 12. num. 34. Palaus vbi sup. num. 7.* Et pariter cum superior inquirit contra religiosum, & illi, & inquisito de bonis monasterij debentur expensæ, si aliunde non habet. Nam tunc superior rem monasterij gerit, cuius interest, vt delicta puniantur, & regularis disciplina custodiatur. Religioso verò inquisito expensæ debentur, ne ob inopiam maneat indefensus, & iniustè condemnetur. *Felin. d. cap. Ex parte in fin. Anchar. num. 7. Sanchez d. cap. 12. num. 35. Palaus d. §. 2. nu. 8.*

73 Quin verò in iniurijs acceptis, & damnis eiusdem est iniuriam remittere, & pacem dare, & compensationem pro parte recipere cuius est accusare, Inde dicendum est, quod nouitius potest pro sibi vel suis illatis iniurijs accusare, & iniurias remittere, & pacem concedere. Et si ille fuerit occisus ius accusandi, & pacis ineundæ non ad monasterium spectat, sed ad alios ad quos pertineret si esset secularis, quia monasterium nondum super illo nouitio ius acquisiuit. Monachi autem iam professi patre aut filijs occisis, non est monasterij, vel monachi ius accusandi, aut pacis componendæ, quia monasterium non fuit iniuria affectum, & monachus non est legitima persona, vt stare possit in iudicio, vnde nec potest recusare, nec pacem inire. *Sanchez d. cap. 13. num. 36. ex Farinac.* Vnde est, quòd precium pacis initæ, non debeatur tunc monasterio, quia non est pœna, vel aliquod pertinens ad hæreditatem in qua succedat monasterium, sed est pretium cessionis iuris accusandi. *l. Item apud labeonem §. si quis seruo. ff. de iniurijs.* Si verò iniuria facta fuit Religioso ante professionem, vel eius pater aut filius tunc fuit occisus, si quidem monasterium est ex illis, quæ non habent bona in communi, & sunt incapacia hæreditatis, ius accusandi & componendæ pacis nec ad monachum pertinet, qui est mundo mortuus, nec ad monasterium, quod nec fuit offensum, nec potuit in locum sui religiosi succedere in eius iuribus, sed ad alios seculares coniunctos spectat defuncto proximos. Et in hoc vera est sententia *Farinac. in praxi tit. 1. quæst. 13. num. 26.* vt aduertit *Sanchez nu. 38.* bene subdit, id non procedere vbi monasterium sit capax succedendi in bona sui religiosi, quia tunc ius accusandi, & ineundæ pacis transit in monasterium, quòd etiam in alia bona eiusdem succedit, nisi ille ante professionem aliter disposuerit. Quòd si religiosus renunciauit suis iuribus, ea acquirit is, cui fuerunt renunciata. Sed si monachus ipse professus interficiatur, rem valde dubiam & controuersam reddiderunt DD. sed naturalis ratio hoc dictat quòd ius accusandi spectat ad monasterium, quod in re sua passum est damnum, cum monachus esset monasterij. Et ex quacumque causa fuerit occisus monachus, vt si fuerit occisus in odium eius Patris, vel filij, vel consanguinei secularis, semper quod directè & immediatè offenditur est monasterium cuius filius interficitur. Et ideo semper monasterium etiam si non sit ex ijs, qui succedunt in bonis monachi habet ius accusandi, & pacis ineundæ & recipiendi pretium pacis quia hoc ius non venit ex iure successionis, sed quia monasterium passum est damnum. *Rodriq. p. 2. quæst. 45. a. 3. Farin. tit. 1. praxis quæst. 13. nu. 26.* quod sequitur *Sanchez d. cap. 12. num. 40.* Nec contra hoc potest præualere statutum aliquod laicale, quia hoc ius est Ecclesiasticum, & consurgens ex damno illato Ecclesiæ in suis bonis. At verò quia negari

non potest, quin etiam consanguinei Monachi interfecti non sint passi iniuriam, & ad illos quoque aliquod ius accusandi pertinet. Non enim ex ea eo, quòd aliquis fit religiosus desinit naturalis coniunctio, & attinentia, ita quòd non remaneat filius, vel Pater eius cuius filius aut Pater erat. Et ideo nedum pax requirenda est à monasterio, sed a consanguineis, qui etiam pro suo interesse ius habent accusandi. Nec monachus ita dicendus est mortuus ciuiliter mundo, vt naturales attinentiæ abolitæ, vel extinctæ sint. *Et* in omni casu etiam si consanguineis ius accusandi non competeret, ab eis pax est obtinenda, quia quantùmuis monasterium remittat, non cessabit eorum indignatio, & vindictæ periculum.

74 Et hæc quidem dicta sunt de iure accusandi in criminalibus. In ciuilibus verò, quia Religiosus nullius prorsus rei habet dominium, sed omnia eius sunt Monasterij, inde est, quòd ipse in iudicio nec actor, nec reus esse potest, & nec conuenire nec conueniri potest. *Nouar. com. 3. de Regul. n. 64. Sanchez l. 6. in Decal. cap. 12. n. 1. Layman. l. 4. tr. 5. c. 11. n. 1. Palaus tr. 16. disp. 3. p. 12. §. 2. n. 1. Anton. de Spir. S. tr. 3. disp. 6. nu.* 1482. Monasterium verò pro ijs, quæ debentur Monacho potest quemcumque conuenire, sed pro ijs, quæ debentur à Monacho alicui ex contractu inito in seculo non potest conueniri vltra bona à religioso accepta. *Nauar. vbi supra num. 67. Azor. p. lib. 12. q. 12. Palaus, & Anton. vbi supra* Ex contractu verò inito post professionem sine licentia Superioris ad nihil tenetur monasterium, nisi pro quanto factum sit locupletius. *Sanchez d. cap. 12. n. 2. Palaus, & Ant. vbi supra* Et sibi imputet is, qui cum persona incapaci contraxit.

75 In causa tamen criminali, si Monachus deliquerit, vel ei delictum aliquod imputetur, ipse vero monasterium conueniri debet, & contra ipsum formandus est libellus, & ipse ad sui defensum potest instituere procuratorem sine superioris licētia, sic enim & seruus pro delicto commisso conuenitur non dominus. *l. penult. in fin. C. de noxal. lib.* bus, & ita in Monacho seruandum esse dixerunt *Bald. ibi n. 1. speculator tit. de reo §. vnico nu. 29. Felin. cap. Cum I. & A. n. 10. de sent. & re iudic.* Potest tamen Superior suo Religioso assistere, & procuratorem instituere, & eum defendere *Sanchez d. cap. 12. num. 3.*

Testis.

76 AD iudicium etiam pertinent testes. Quod verò Religiosi possint esse testes colligitur ex *cap. Nuper De testib. & authen. De Monachis §. cogitandum collat. 1. auth. Impressi C. de sacrosanct. Eccl. & tradunt communiter DD.* Sed distingui debent testes. Nam alij sunt iudiciarij, qui deponunt in iudicio, & extraiudiciarij, qui sunt testes in instrumentis, & testamentis. Certum verò est, quòd religiosus coram iudice non suo, non potest sine licentia testimonium ferre in causa iudiciali. Et quidem, cum talis iudex nō habeat iurisdictionem in religiosum, certum est, quòd non potest eum compellere ad testificandum, & religiosus exactus ab eodem non potest nec debet testificari, sed nec sponte se potest offerre, quia testificando se subdit iudici non suo, qui eam testificationem iureiurando firmatam petit, non licet verò religioso se subdere iudici non suo. *Speculator. tit. de teste §. 1. num. 36. Panorm. cap. Cum nuncius nu. 4. De testibus, & ibi Felin. num 3. Angelus v. testis v. 1. Syluest. q. 1. dicto 1. Sanchez l. 6. in Decal. c. 13. nu. 103. Palaus tr. 16. disp. 4. p. 12. §. 3. n. Layman. l. 4. tr. 1. c. 11. n. 3. Anton. à Spir. Santo troc. 3. disp. 6 num. 1490.*

77 Addit verò Palaus, hanc licentiam in causa criminali ad testificandum contra aliquem nunquam concedi debere; eò quòd aliena sit à Religione criminalis causa contra proximum, in causa verò ciuili neque concedendam esse, si testimonium vni fauens alteri nociturum sit, vt expressè in Societate cāuetur *part. 6. const. cap. 3. n. 7. in declar lit. E.* quod etiam adnotauit *Sanchez n. 104.* Sed addit *Anton. a Spir. Santo n. 1491.* quòd tam in criminali, quàm in Ciuili si desint alij testes, & testimonium religiosi sit necessarium ad liberandum aliquem à morte, vel ab alio graui dāno, nedum licet dare licentiam religioso, vt testificetur, sed superior potest compellere illum ad id agendum. *E*contra verò vbi in causa criminali agatur de pœna sanguinis, aduertit *Peyr. in formul. lit. I. cap. 5. p. 2. cum Farin. Megola, Thoma à Iesu & Spathario*, non posse superiorem dare licentiam testificādi contra aliquem, & imò nec posse cogere suum subditum ad testificandum, & in his subditum nō teneri obedire, idque ob periculum irregularitatis & hoc etiam si testimonium sit necessarium, nec alio modo possit haberi veritas. Quod tamen debet intelligi de testimonio ferendo coram iudice laico, non tamen coram iudice Ecclesiastico, qui non damnat pœna sanguinis. A iudice verò seculari, vel ab Episcopo nunquam cogi possunt Regulares exempti ad testimonium ferendum.

78 Addit verò *Peyr. loco citato cum Rodriq. p. 2. q. 11. a. 4.* quòd cum in Religionibus soli Generales & Prouinciales habeant auctoritatem quasi *E*piscopalem, illis solis conueniat posse cogere ad testificandum; quàmuis facultas etiam sit in superioribus localibus, si non obstet consuetudo, aut particulare statutum Ordinis, quia & istis lato modo competat iurisdictio quasi *E*piscopalis. Sed in Ordine Prædicatorum hoc non habet difficultatē; quia Priores habent iurisdictionem quasi *Episco*palem supra suos Conuentus. In quo tamen Ordine in generali præcipitur, vt fugiant omnia secularia negotia Odiosa, vt habetur in *Prologo §. 3. in Gloss. lit I.*

79 Sed & aduertendum, quòd etiam in causis criminalibus, etiam sanguinis potest interesse religionum, vt religiosi testificentur, vt si quis religiosus fuerit occisus, vel in corpore vulneratus, aut offensus in persona, aut rebus, & factum non possit probari nisi per testimonium religiosorum. Propter periculum nihilominùs irregularitatis non possunt superiores dare licentiam, vt fratres testificentur coram iudice seculari, sed tunc à summo Pontifice accipienda est licentia, quam tamen de facili non concedit ad testificandum coram iudice sæculari. Et in facti contingentia illam ego obtinere non potui, pro aliqua causa, quæ tractabatur Neapoli nisi ad testificandum coram Iudice Ecclesiastico, coram quo sine periculo Irregularitatis

tatis potest ferr testimonium, cum Iudex Ecclesiasticus non damnet ad mortem, sed reum cum solitis protestationibus tradat iudici seculari, vt ab eo iudicetur. In casu tamen singularissimo in quo aliquis frater ex præcepto charitatis, aut iustitiæ teneretur testificari, posset Superior illum etiam compellere ad testificandum, etiam in causa sanguinis, quia lege diuina aut naturali vrgente ei obediendum est.

80 An verò sit opus licentia Superioris ad testificandum extraiudicialiter, negant aliqui, ex eo quòd nullibi prohibitum sit religiosos esse instrumentarios testes. Nam textus in *cap. quamquam 14. q. 2.* loquitur de testimonio iudiciali. Et non prohibet religiosis ne rogati testimonium ferant, sed iudicibus, vt eos rogent, si aliunde veritas cognosci potest. Neque ex generali obligatione religiosi infertur, quod in vno vel altero instrumento ex rationabili causa non possint esse testes, sed solùm ne passim in qualibet scriptura testes assistant, neque in aliquo testimonium præstent, quin honesto fine ducantur *Sanchez l. 6. in Decal. cap. 13. n. 106. Palaus tr. 16. disp. 4. p. 12. §. 3. n. 11. Anton. à Spir. Santo trac. 3. disp. 6. nu. 1493.* Ego non dubito in hac parte de facili adesse licentiam præsumptam Superioris si in vna, vel altera occasione honesta contingat, quòd religiosus in testem instrumentarium assumatur, quia hoc non est indecens adeo religioso, vt ex causa rationabili ei non competat, nec ad disciplinam regularem est adeo necessarium abstinere ab huiusmodi, vt si contingat honesta occasio assistendi alicui contractui alicuius benefactoris, aut honesti viri, opus sit abstinere, nisi habeatur expressa licentia superioris, quia hæc sunt de numero eorum, circa quæ de facili præsumi potest superioris licentia. Verùm alia ex parte nequit negari, quòd esse testem instrumentarium in negotio seculari non sit negotio seculari se immiscere, licet certum est alia ex parte, quòd tractare negotia secularia sit quid, quòd non tantum ex aliqua mala circumstantia, sed ex obiecto est prohibitum religioso nisi fiat cum licentia superioris, & vtilitate Monasterij; vnde dicendum est, quòd per se, & non solùm ex circumstantia mali noua, vel alia simili, est religioso prohibitum esse testem etiam instrumentarium, sine superioris licentia, vt apud eundem *Sanchez dixerunt Faber instit. de testam. §. testes num. 3. Mascard. de probat. concl. 260. num. 2. & 4. Farinac. de test. q. 91. num. 140. Angelus de Aretio cons. 213. Io. de Amicis cons. 137. num. 22.* Etenim vt habetur *cap. final. 14. q. 2.* hoc satis manifestè voluit *Eug. 11.* ibi: *quamquam Sacerdotum testimonium credibilius habeatur, tamen ipsi in secularibus negotijs pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non cogentur, quia eos in talibus rebus esse non conuenit.* Non enim potest dici, quòd loquatur de solo testimonio ferendo in iudicio, cum expressè loquatur etiam de conficiendis instrumentis, Et absolutè Pontifex significat, quòd huiusmodi instrumentis adesse vt testem non conueniat Sacerdotibus. Et quidem hoc prouenit ex generali obligatione abstinendi à negotijs secularibus, tanquam ab eo, quod minus competit Clericatui, & statui religioso.

81 An verò testimonium iudiciale Religiosi datum coram iudice non suo valeat datum sine licentia superioris, respondetur quòd cum fundamentum validitatis testimonij sit testificantis veracitas, & fidelitas, quæ est maximè propria religiosorum, aliàs verò ex lege positiua non irritetur testimonium religiosi datum sine licentia superioris, dicendum est huiusmodi testimonium ex hac parte non esse ipso facto nullũ. Actus enim semper interpretari debet potiùs, vt valeat, quàm vt pereat. *cap. Abbate de verb. signific. Sylvest. v. testis p. 1. Panorm. cap. Cum nuncius num. 4. de testib. Roland. cons. 24. à num. 27. ad 82. Felin. d. test. q. 61. num. 134. Socinus Imolina, Burgos de Paz, Mascardus, Pacianus, Guido Papa*, quos sequitur *Sanchez d. cap. 13. n. 108.* Quod est verum etiam si religiosus sponte se offerat ad testificandum, non tamen si pars aduersa excipiat, & opponat defectum licentiæ, & hac oppositione non obstante admitteretur eius testimonium, vt ex *Socino cons. 17. docet Sanchez num. 109.* Hoc enim ipso, quòd religiosus deponit coram iudice non suo sine licentia superioris, deponit coram non iudice, quodamodo, vnde si pars defectum opponat, non admittitur validè testimonium.

Valor.

82 TAndem circa prædicta considerandum est quantùm valeant si fiant sine licentia Superioris. Dictum enim est, quòd ex duabus cõditionibus necessarijs ad licitum exercitium Forensium in religioso, quæ sunt licentia superioris, & vtilitas monasterij, huius secundæ defectus non irritat factum. Sed difficultas est, an irritetur, si licentia superioris deficiat. Est verò primò dubium de officio iudicis tam ordinarij, quàm Delegati, & de officio arbitri, an iudicium, sententia, & actus per Religiosum iudicem aut arbitrum sine licentiæ superioris valida sint. In quo puncto difficultatis affirmant *Palaus, & D. disp. 4. p. 12. §. 4. n. 3. & Antonius à Spir. Santo trac. 3. disp. 6. num. 1441.* Et pro eadem sententia referuntur à *Sanchez lib. 6. cap. 13. c. 68. Fuluius Pacianus cons. 161. à n. 171.* Et alij quod extendit *Pacianus num. 78.* vt etiam arbitrium Franciscani fratris valeat. Palaus tamen censet iudicium religiosi sic iudicantis sine licentia posse irritari Anton. verò à Spirito Santo ait posse irritari officium iudicis sine licentia à religioso susceptum. Ratio horum est, quòd non adsit lex, quæ huiusmodi iudicium irritet. Econtra communis sententia vult, quòd arbitrium, seu iudicium religioso, qui sine licentia iudicet sit nullum *Glossa in l. Pardum 7. §. in seruum ff. de arbitris*, & loquentes tam de arbitrio, quàm de arbitramẽto fratris Franciscani idem sentiunt. *Angelus de Aretio cons. 272. nu. 5. Decius cons. 494. à nu. 9. & cons. 499. n. 5. Alciatus de præsump. reg. 3. præsump. 18. n. 81. Rodriq. p. 1, q. 65.* & alij quantùm ad arbitrium sequitur *Sanchez d. cap. 13. num. 71.* addens arbitrium Franciscani nullum esse etiamsi adsit superioris licentia, vbi tamen num. 70. vult, quod arbitramentum sit validum. Idem, quod scilicet arbitrium religiosi habitum sine licentia superioris sit nullum, tenet etiam *Layman lib. 4. tr. 5. cap. 12. num. 6. in fine* & horum ratio est, quia arbitrium

ſerui eſt nullum, vt patet ex *d.l. Padius* Religioſus autem aſſimilatur ſeruo. Sed hanc rationem nihil valere probat prior opinio. Tum quia religioſus etiam aſſimilatur filio familias, cuius iudicium eſt validum. Tum quia iudicium ſerui irritatur ratione vilitatis, non quia ſit ſub domino. Tum tertiò quia ſeruus nec eſt, nec eſſe poteſt iudex, etiam de licentia domini, cum tamen certum ſit religioſum eſſe poſſe iudicem.

83 Cum ad iudicandum ſit neceſſaria iuriſdictio, ſeu facultas cognoſcendi de re, duo hic inſpici debent. Primum an religioſus ſit inhabilis, & incapax recipiendi facultatem iudicandi ſine licentia ſuperioris. Secundum an ſuppoſita in eo iuriſdictione non obſtante defectu licentiæ, nihilominùs iudicium eius ſit nullum, vel ſaltem irritabile à ſuperiore. Et quantùm ad hoc ſecundum minùs cõſequenter mihi videtur Palaus loquutus eſt aſſerendo, quòd ſuperior poſſit iudicium religioſi irritare, ſi ſit habitum ſine licentia, ſi loquitur de ſuperiore regulari. Nam ſi religioſus ſine licentia eſt incapax recipiendæ iuriſdictionis iudicium vt pote datum à non habente iuriſdictionem eſt ipſo iure nullum, & inualidabile. Si verò defectu licentiæ non obſtante religioſus validè recepit iuriſdictionem, non eſt vnde ſuperior in eo quod cõcernit intereſſe partium, & vtile aut damnum tertij, velit ſe ex officio ſuo ingerere irritando iudicium, quod à legitima poteſtate proceſſit, & aliàs ſeruato quod de iure ſeruandum erat; hoc enim eſſet contra ius tertij non ſubditi ipſi ſuperiori, cui non eſt iuſtum, quòd ſuperior eo inuito præiudicare velit. Et præterea ad valorem iudicij ſufficit quòd ſit ab habente iudicij poteſtatem ſeruata forma iuſtitiæ, & iuris; nec habet vt irritetur ex circumſtantia aut prohibitione extrinſeca, vnde iudex non inualidè iudicat etiamſi prohibitus iudicare, niſi prohibitio ſit talis, quòd etiam irritet factum, igitur non ex eo erit nullum, vel irritabile iudicium, quòd ſit datum nedum ſine licentia, ſed etiam ſuperiore religioſo prohibente, ſi aliàs in religioſo iudice manet iuriſdictio & facultas iudicandi. Immò talis ſuperior nec poterit prohibere irritando factum, niſi priuet iuriſdictione; quia licet ſit ſuperior iudicis, non eſt tamen ſuperior iudicij & partium, vt in præiudicium iuris quæſiti quod ex iudicio prouenit illis, ſuperior poſſit de eo, quod ad ſe non ſpectat decernere vt non valeat, ſi permittit vt ſuus religioſus habeat iudicandi poteſtatem, cum aliàs ad valorem iudicij ſufficiat, quòd ſit à iudice ſeruata ſubſtantiali forma iuris, & iuſtitiæ.

84 Tota ergo difficultas eſt, an religioſus ſit capax recipiendi iuriſdictionem ad iudicandum ſine licentia ſuperioris. Et hoc quidem ſine dubio erit affirmandum, quod inuito ſuperiore reſpectu ſubſtantiæ receptionis, religioſus iuriſdictionis recipiendæ eſt incapax, cum nec poſſit eam velle recipere, cum eius velle ſit in poteſtate ſuperioris. Sed ſi ſuperior non ſit poſitiuè inuitus, & religioſus ſubditus nedum non habeat ad recipiendum iudicium expreſſam licentiam, ſed nec tacitam nec præſumptam, difficile videtur intelligere quòd ex hoc ſolo ſit incapax recipiendæ iuriſdictionis ab alio, quòd ad id non habet licentiam ſuperioris. Sed nihilominùs id probari videtur ex eo, quòd in *cap. monachi & in cap.* 2. de poſtulando religioſus eſt prohibitus etiam ſuſcipere negotia forenſia. Et propterea in *d. Clemen. religioſus de Procurat.* dicitur & ſupponitur, quòd Religioſus non poteſt eſſe procurator, quod eſt eum eſſe inhabilem ad tale officium ſpectato verbo *non poteſt* & conſiderata natura rei. Iam enim nedum non deeſt licentia, ſed adeſt prohibitio recipiendi officium hoc iudicandi, & ſupremus ſuperior, qui eſt ſummus Pontifex eſt poſitiuè inuitus, quia non vult officium recipi ſine licentia. Sed & abſolutè etiam ſola non exiſtentia licentiæ ſufficit ad impediendum ne verè & validè recipiatur iuriſdictio. Quæ cum importet facultatem legitimè agendi ſpectata conditione ſua etiam requirit ſubiectum non legaliter impeditum ad eam recipiendam; & ad agendum ex illa. Aliàs verò nec religioſus poteſt legitimè in eam conſentire, cum non habeat nec velle, nec nolle. Et ampliùs tractare negotia ſecularia Religioſo ſtatui non conuenit niſi ex neceſſitate, & charitate, & ex conſequenti vbi adſit ſaltem tacita, aut præſumpta ſuperioris licentia, vnde aliquo modo contra diuinam legem eſt, quòd religioſus ſine licentia officium iudicis velit ſuſcipere; Non ergo dicendum eſt, quòd ſolus naturalis conſenſus datus à religioſo contra legem diuinam & humanam ſufficiat ad validè recipiendam facultatem iudicandi, cum huic receptioni omnis lex repugnet. Et ideo tale iudicium eſt nullum, quia à non habente iuriſdictionem proueniens.

85 Nihilominùs dicitur, quòd religioſus ſuſcipiens officium iudicis ab eo, qui poteſt illud conferre, ſeu etiam officium arbitri, recipit iuriſdictionem, & facultatem iudicandi. In hoc enim lex, & ſuperior ſunt inuoluntarij non ſecundùm ſubſtantiam receptionis, ſed ſecundùm modum. Plura namque huius habemus exempla. Nam primò hæreticus, ſeu excommunicatus, ſeu quicumque peccator recipit poteſtatem Ordinis, ſi ab habente poteſtatem ordinetur, & adſit materia, & forma ſacramenti Ordinis, & intentio ordinantis, & recipientis; recipit enim characterem, & eſt ſubſtantialiter ordinatus. Item in opinione quam ſequor, electio habens requiſita iuris naturalis eſt in ſubſtantia valida, licet ei deficiant ſolemnitates iuris poſitiui, & electus, & confirmatus non obſtante eo defectu recipit poteſtatem, & iuriſdictionem. Nam & ſic conuenit bono communi, vt ſi contingat aliquem indignè recipere iuriſdictionem, verè illam recipiat, quia eſſet potiùs in præiudicium boni communis, quàm indignè recipientis, ſi iuriſdictionem non reciperet, & ideo acta eius eſſent tanquam inualida omnino reijcienda. Ideo niſi inhabilitetur perſona ad recipiendam iuriſdictionem, licet prohibeatur illam recipere, validè illam recipit, quia multa prohibentur fieri, quæ facta tenent, vnde eſt quòd ſimplex prohibitio, niſi habeat adiunctam clauſulam irritantem non irritat, & tunc lex non eſt inuita ſecundùm ſubſtantiam receptionis, ſed ſecundùm modum. Sic ergo in præſenti receptio iuriſdictionis in religioſo facta ſine licentia non eſt irrita nec iure naturæ, aut diuino, nec iure poſitiuo. Non quidem iure naturali, aut diuino, quia religioſus non eſt incapax iuriſdictionis ad iudicandum etiam in iudicio forenſi, cum illam recipere poſſit de licentia ſuperioris. Defectus verò licentiæ non reddit religioſum

ſum

ſum in capacem. Quia hæc licentia eſt quid extrinſecum indicio, & facultati iudicandi, & proueniens aliunde, quàm ex virtute iuſtitiæ, ex qua iudicij ſubſtantia dependet; & ideo licentia eſt quidem neceſſaria ex virtute Religionis ad hoc vt religioſus licitè recipiat iuriſdictionem, non tamen ad hoc vt eam ſecundùm ſubſtantiam recipiat; & ad hoc ex parte religioſi ſuſcipientis ſufficit conſenſus naturalis, & alia requiſita ad ſubſtantiam iudicij, ſicut ad hoc, vt recipiat pecuniam ſufficit quod illi detur, & quòd ille velit illam recipere, & de facto recipiat. Et licet recipiendo pecuniam non recipiat dominium pecuniæ etiam ſi illud velit recipere, hoc eſt, quia eſt dominij incapax. Et immo ex hoc prædicta confirmantur. Nam ſi tale eſſet votum paupertatis in religioſo, quod non redderet illum incapacem dominij, reciperet etiam dominium, licet illud recipiendo ageret contra votum. Et in ſententia eorum, qui dicunt, quod incapacitas dominij, quæ eſt in religioſo eſt ex iure poſitiuo, ſi hoc ius non adeſſet, votum paupertatis ex diuino iure non impediret, quin religioſus etiã dominium validè reciperet, & fieret verus dominus, licet in hoc ageret contra votum, ſic ergo licet contra Regulam, aut præceptum ſuperioris ſit, quòd religioſus ſit iudex, tamen validè iuriſdictionem ſuſcipit, niſi lex aut ſuperior reſiſtat iure receptioni etiam ſecundùm eius ſubſtantiam irritando illam, quem effectum non importat, & cauſat ſimplex prohibitio, quia hæc continet inuoluntarium ſolùm quantùm ad modum recipiendi, & habendi, non verò quantùm ad ſubſtantiam. Vnde ex hac ratione patet, quòd nec ex lege poſitiua irrita eſt in religioſo receptio iuriſdictionis ad iudicandum ex hoc quod illam recipit ſine licentia, quia habetur quidem lex poſitiua prohibens, ſed non habetur lex poſitiua irritans. Alias verò regula iuris eſt, vt ſuſtineatur valor actus quantùm fieri poteſt.

86 Dicitur igitur quòd ſi religioſus acceptet officium iudicis ſine licentia, immo ſuperiore prohibente, niſi ſuperior prohibeat ſub pœna nullitatis, religioſus ſecundùm ſubſtantiam recipit iuriſdictionem ad iudicandum, & ex hac parte validè iudicat. Dicitur ſecundò, quòd ſemper eſt in poteſtate ſuperioris, vel prohibere ſubdito ne recipiat officium ſub pœna nullitatis, vel poſt officium receptum, vſum & exercitium illius ſub pœna nullitatis interdicere, ſi religioſus recepit ſine licentia officium. Non quia ſemper poſſit ſuperior regularis ſuppoſita iuriſdictione in religioſo irritare id, quod iam ex iuriſdictione fuit factum, ſed quia poteſt litem ſine licentia receptam ſuſpendere aut auferre. Dicitur tertiò quòd pars poteſt iudici opponere defectum licentiæ ſui ſuperioris etiam poſt litem conteſtatam, ſi in illum non conſenſit, aut defectum illum prius neſciuit, & quòd parte excipiente, & opponente acta per talem iudicem ſunt reſcindenda, & caſſanda iuxta regulam 64. De regulis iuris in 6. ſed non a ſuperiore religioſo, ſi non habet iuriſdictionem ſuper iudicio dato & partibus, ſed à ſuperiore ad quem ſpectat cognoſcere de appellatione à tali iudicio. Malè enim facta ſunt reſcindenda. Sed nulla parte opponente, & conſentientibus partibus religioſus quidem poterit per ſuum ſuperiorem puniri pro inobedientia, ſed acta valida erunt, neque reſcindi poterunt in præiudiciũ partium quibus per illud iudicium eſt ius acquiſitum.

87 Dicitur quartò quòd multò magis apparet, quòd arbitramentum datum à religioſo ſine licentia ſuperioris eſt in ſubſtantia validum, licet datum à quocumque religioſo etiam Franciſcano. Nam quòd hoc arbitramentum dare poſſit etiam ſeruus ex *Gloſſ. in l. Pedius §. in ſeruum ff. de arbitris*, & *Baldo ibid.* ad finem, aduertit *Sanchez d. capit. 13. num. 70.* quia eſt res facti, quod bene cadit in ſeruũ *§. ſed cum factum in ſubſtantia. de ſtipulat. ſeruor.* Sed ex hoc prædicta magis confirmantur. Nam licet arbitrator non ſit propriè iudex, ſed pacis conciliator, tamen facultatem arbitrandi recipit à partibus. Et ſi ex prohibitione iuris diuini, vel humani ſequeretur, quòd huiuſmodi facultas recipi non poſſet, etiam arbitramentum eſſet nullum tanquam datum a non arbitratore. Sicut ergo facultas arbitrandi etiam ſuppoſita ſuperioris prohibitione recipitur & eſt valida, niſi legitimè contra eam excipiatur, & opponatur; Ita non obſtante prohibitione ſuperioris validè recipitur iuriſdictio ad iudicandum, & iudicium eſt validum niſi ab habente facultatem irritetur. Dicitur quintò, geſta per religioſum Vicarium Epiſcopi, qui ſit Vicarius ſine licentia ſuperioris eodem modo valere, vt voluit alijs citatis *Sbrotius de Vic. Epiſcopi l. 1. q. 39.* Quod eſt verum nedum ſi concurrat communis error, aut præſumptio licentiæ, ſed ex natura rei; quia huiuſmodi iudices habentes à legitimo ſuperiore iuriſdictionem, ex eo quòd ſint religioſi & licentiam non habeant, & ita ſint prohibiti iudicare, malè quidem faciunt, ſed eorum geſta non ſunt ipſo iure nulla, quia hæc nullitas ex vi prohibitionis non ſequitur, & aliàs non datur lex, quæ ea ſpecialiter irritet. Dicitur ſextò, quòd hinc ſequitur, quòd multò magis valet actus aſſeſſoris iudicis; *Sanchez d. cap. 13. num. 87.* quoniam hic non eſt actus iudicia, ſed Doctoria, qui quidem fundatur principaliter in doctrina, & peritia iuris, quam ille de facto habet Deo donante, vnde eſt actus fundatus in cauſa, cuius exiſtentia & virtus, & influxus non ſubiacet ſecundùm ſuam ſubſtantiam poteſtati ſuperioris, vnde nec poteſt fieri quin iudicium eius ſit à viro docto, ſi aſſeſſor eſt doctus, quamuis exercitium docendi ſubſit ſuperioris auctoritati, & quantùm ad ea, quæ iuris ſunt ſubiaceat diſpoſitioni legum, & ſuperiorum, vnde & talis aſſeſſoris iudicium poſſet per legitimum ſuperiorem caſſari & annullari parte opponente, ex quo habitum contra obedientiam.

88 De Procuratore quoque aut Aduocato magna eſt inter DD. concertatio. Nam quòd non valeat actus Procuratoris conſtituti ſine licentia ſuperioris dixerunt *Panorm. in d. Clem. Religioſus num. 6. & cap. in noſtra num. 9. de procurat. Card. in d. Clem. Religioſus num. 7. opp. 1.* & ibi *Imola n. 3. Bonif. num. 26. Dec. cap. 2. in 2. edit. à num. 78. de iudicijs.* quos refert & ſequitur *Sanchez l. 6. in Decal. cap. 13. num. 39. & Layman. l. 4. tr. 5. cap. 11. num. 2. & 41.* explicans tamen hoc non valere in procuratore ad actus extraiudiciales, nequam aduocato, ex *Bart. in l. filius familias §. veterani in fin. ff. de procurat.* Fũdamentum principale huius aſſertionis eſt, tum quia in *d. Clem. Religioſus* dicitur, quòd Religioſus

ſus ſine ſuperioris licentia non poteſt eſſe procurator, dictio verò *non poteſt* importat inhabilitatem per ea, quæ idem *Sanchez tradidit lib. de matrim. diſp.38.num.30.* & docuerunt *Gloſſ. Regula non poteſt, de reg.iuris in 6.Couar.cap.ina de teſtam. num.1.* Tum ſecundò quia Religioſus non eſt legitima perſona, quæ vel pro ſe, vel pro alio poſſit ſtare in indicio. Verùm huiuſmodi rationes minimè vrgent. Nam ea lege naturali & diuina non impeditur religioſus agere etiam in iudicio ad proximi vtilitatem, niſi id faciat ea cupiditate, vt D.Thom dixit in hoc artic. & aliàs iura proximi patrocinari tam in iudicio, quàm extra de ſe eſt opus charitatis, & miſericordiæ. Ex iure verò poſitiuo nihil habetur ex quo huiuſmodi irritatio colligatur. Nam quod dicitur, quòd verbum *non poteſt* importat inhabilitatem, non eſt ſemper verum. Nec datur textus, ſeu lex, quæ hanc ſignificationem tribuat illi dictioni, & non eſt DD. tribuere vocibus ſignificationem legalem in præiudicium agentium, & actionum. Et cum de eo, qui non poteſt rectè & licitè agere in omni proprietate dicatur, quòd non poteſt agere, non eſt vnde DD. velint, quòd dictio *non poteſt* vniuerſaliter importet inhabilitatem ad agendum, ſeu negationem facultatis agendi ſecundùm ſubſtantiam, quando præcipuè perſonam aliàs ad agendum habilem afficit. Sic enim cum in *cap.s.de teſtam.in 6.* ſub verbo *non poteſt* prohibeatur religioſis eſſe executores teſtamentorum, nihilominùs multi, quos ſequitur idem *Sanchez c.11. num.44.* docent validam eſſe executionem à Religioſo ſine licentiæ ſuperioris habitam. Vnde dicendum eſt procurationem habitam à religioſo ſine licentia ſuperioris non eſſe ipſo iure nullam. *Caſtro Palaus trac.16.diſp.4.p.12.§.4. num.5. Anton.à Spir. Sancto p.2.tr.3.diſp.6.num.1453.*

89 Qui tamen bene excipiunt caſum in quo procuratori à parte opponatur defectus licentiæ ſuperioris, nam tunc repelli debet à iudicio. Hanc enim exceptionem tenetur iudex admittere, cum ſit legi conformis, vnde ea exceptione data cenſendus eſt religioſus in procuratione ipſo iure reiectus. *Sanchez d c. 13. num. 42. Bellar. cap. ex parte num 2. de Poſtuland. Palaus d. num.5. Anton. à Spir. Sancto d.num.1453.* quod verò ait *Anton. à Spir. Sancto* hanc procurationem eſſe validam dum à ſuperiore non irritatur, non debet hoc intelligi de ſuperiore religioſo, ſed de ſuperiore qui eſt iudex competens in iudicio, & qui parte excipiente tenetur repellere religioſum à procuratione. Cæterùm ſuperior religioſus acta in iudicio per ſuum religioſum nomine alieno, & ea poteſtate ab alio habita non poteſt poſt factum irritare in præiudiciũ tertij. In hac parte tamen antecedenter poteſt eum inhabilitare ad agendum validè etiam nomine alieno priuando illum facultate comparendi in iudicio, & ſic faciendo quòd religioſus non poſſit eſſe legitimus actor, aut contradictor.

90 Quæ verò de Procuratore dicta ſunt, cum proportione dicuntur de Aduocato. In quo tamen, ſicut & in Procuratore conſiderari debent effectus qui ſunt à ſcientia, & à veritate rei repræſentatæ ipſi iudici, ab effectibus legalibus, qui ex facultate iuris illis tributa proueniunt. Nam primi effectus non poſſunt impediri, niſi ablata cauſa, quia conſequuntur connaturaliter. Et ſi Aduocatus bene conſolat, & iuſtitiam ſuæ partis fortiter & efficaciter probet, & iudex ſcripturam Aduocati pro meritis legat, aut eum attentè audiat, & ſit capax doctrinæ, & veritatis agnoſcendæ, ſiue Aduocatus habeatur vt perſona legitima ſiue non, fructum faciet. & præualebit, quia veritas clarè propoſita eſt inuincibilis. Sed quantùm ad legales effectus valent exceptiones.

91 Contra Procuratorem verò, & Aduocatum poteſt excipi nedum ante ſed poſt litem conteſtatam, *Gloſſ.in d.Clem.religioſus, ver.ſuſcipere, & ibi Panorm.num.5.Card.num.13.quæſt.9. Imola num.13. Bonif. num.28.Sanchez d c.13.nu.43.* quia hæc non eſt exceptio dilatoria ſed peremptoria, quæ totam litem dirimit. Bene quoque vt puto *Boniſac. d.n.28.* vt aduertit Sanchez hoc limitat, vt valeat quando pars ignorabat defectum huius licentiæ ante litem conteſtatam, ſed ſi ſciebat forſan non debet audiri pars excipiens, quanuis iudex poterit repellere ex officio ſi voluerit. Ex huiuſmodi enim licentiæ defectu etiam iudex ex officio poteſt Procuratorem repellere.

92 Non poteſt tamen contra huiuſmodi Procuratorem aut Aduocatum dari exceptio de defectu vtilitatis monaſterij ab ipſo aduerſario, cujus non eſt inquirere vtilitatem monaſterij, quæ etiam ſæpius erit occulta, & ei minimè manifeſtanda. Hanc tamen exceptionem dare poſſet monaſteriũ, vel etiam ipſe monachus, & audiri deberet vbi de defectu conſtaret, per *Innoc. in cap. cum I. & A. num.3.de ſent.& re iudic. & ibi Hoſtien. num.2. Io. And num.17. Panorm.num.19.Imolam num. vlt. Bellam.num.6.Sanchez d.c.13.num.44.*

93 Cum vero *Sanchez num.43.* dicat, quòd vbi Procurator religioſus ſine licentia quidem ſed vtiliter geſſit negotium monaſterij, poteſt monaſterium illud ratum habere, etſi Procuratoris officiũ ſine licentia aſſumptum ſit nullius valoris, non eſt dictum conſequenter, quia quod eſt nullum non poteſt haberi ratum, ſeu per ratihabitionem conualidari. Verum igitur eſt quòd monaſterium poteſt ratum habere, quod geſſit religioſus titulo Procuratoris ſine licentia, & collig. ex *l. non minùs. C. de procurat. & cap. bene in fine. diſt. 99. Gloſſ. final. cap. monachi 16. quæſt.1. Imola in Clem. religioſi num.12.* ſed hoc eſt verum, quia Procuratoris officium etiam ſine licentia à Religioſo habitum non eſt ipſo iure nullum, licet poſſit irritari vt ſupra eſt explicatum. Et tamen addi debet, quòd parte opponente defectum licentiæ nõ poteſt ſuperior in præiudicium illius ratum habere quod ſine licentia geſtum eſt. Si tamen antequam pars opponat, ſuperior factum à ſuo ſubdito ratum habeat, factum tenebit tanquam geſtum ex licentia ſuperioris.

94 De actore verò, quòd in iis caſibus in quibus eſt religioſo neceſſaria licentia ad agendum, inualidè religioſus agat docent *Nauar. com.2. de Regul.num.64. Sanchez l.6. in Decal. cap.12. nu.12. Palaus trac. 16.diſp.4.punct.12. §.4. num.3.* quia religioſus caret omni fundamento iudicij, cum nihil habeat proprium, omniaque ſua iura & actiones ſint religionis. Et in hac parte comparatur ſeruo, & filio familias, qui nec agere, nec conueniri in iudicio poſſunt. *l. his nulla. l. vxr ff. de iudic. l. ſeruus C. eod. tit.* Sed peto an ſi religioſus agendo vtiliter gerat negotium, monaſterium poſſit actum ratum habe-

habere. DD nu. super citati affirmant; ergo actum non fuit nullum. Aliud ergo est quòd religiosus in iudicio possit à iudice reijci si compareat sine licentia, & quòd ab aduersario possit opponi licentiæ defectus, & quòd acta per religiosum actorem possint irritari præcipuè instante monasterio, aut superiore; quod est verum & probatur ex iuribus citatis, aliud est quòd huiusmodi actus sint ipso iure nulla, & irrita, & hoc negatur, quia si verum esset, non possent eadem acta rata haberi, & conualidari. Et in religioso licet non sit dominium est tamen vsus facti, & ius illud naturale defendendi sua, seu quæ apud eum habentur cuiuscumque illa sint. Quàmuis in his facillimè præsumi possit licentia superioris, ex qua religiosus poterit se in iudicio defendere.

95 De notariatus officio iudico priùs distinguendum. Quia si religiosus non sit institutus notarius, & sibi officium hoc vsurpet; indubitatum est, quòd nulla sunt instrumenta ab eo confecta; sed hoc non est, quia agat sine licentia, sed quia agit sine officio. Supposito autem quòd religiosus sit notarius legitimè institutus, aut ante ingressum religionis, aut post, dico quòd eius instrumenta non sunt nulla, aut inualida ex eo solùm quòd ab eo sint confecta sine licentia superioris. *Sanchez d. cap.13.num.48.Layman l.4.tr.5.cap.11.nu.4. Palaus trac.16.disp.4.p.12.§.4. num.6.* Ratio est, quia nullus est textus in iure, in quo contineatur hæc nullitas. Nam & in *cap. sicut.* Ne clerici vel monachi nullum est verbum, quod importet hanc irritationem. Et quàmplures DD. quos sequitur *Couar. pract. quæst. cap.19. num.8.* tenent, quod instrumenta confecta à clerico, qui ante clericatum erat Tabellio sint valida. Et tandem ex prohibitione non potest colligi irritatio actus, cum multa fieri prohibeantur, quæ facta tenent, & ita valent acta facta lege prohibente, si lex prohibendo non irritat actũ. Ideo dicitur quòd instrumenta religiosi notarij nõ sunt nulla ex eo quòd facta sunt sine licentia.

96 Limitant hoc Sanchez, & Palaus, si superior interdixisset religioso Tabellionatus vsum, & hoc esset publicum: quia hoc interdictum additum prohibitioni legis, censetur esse actus irritatio ne sit frustraneum & inutile. Et pro hac sententia citant *Panorm cap. cum Nuncius num.4. de testibus, & Syluest. v. Tabellio. quæst.3. d.5.* Sed isti dicunt, quòd si interdictum sit publicum, tunc gesta per Tabellionem non valeat ratione publici officij & erroris cõmunis, quod est verissimum. Sed tamen cum hoc stat quòd hæc gesta valeant, quomodo valent alia prohibita sed non sub clausula irritante. Nec noua prohibitio superaddita antiquæ ex visua fert secum clausulam irritantem; neque est sine effectu, etiam si non irritet, quia potest esse, quòd nouam pœnam addat, & semper hunc effectum habet, quòd magis ligat, & obligat, & arguit inobedientem maioris inobedientiæ, & rebellionis. Ideo nec nouum interdictum superioris huiusmodi instrumenta irritat nisi ferat secum clausulam irritantem, vel superior tollat officium, & facultatem, vel ab officio suspendat, non verò si solùm prohibeat. Idem quoque dicitur de testibus, vt supra num. 81. dictum fuit.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi interdicti sunt tractare etiam negotia secularia extraiudicialia. num.97.*
2 Non *possunt esse executores testamentorum. numer.98.*
3 *Hoc interdictum omnibus Religiosis manentibus intra claustra. nu.99.*
4 *Id est concessum de licentia superiorum. nu.99.*
5 *Et intelligitur de omni dispositione causa mortis: num.100.*
6 R*equiritur licentia obtenta, sed sufficit tacita. numer.101.*
7 *Regula quod vbi est necessaria licentia obtenta non sufficiat tacita est fallax. nu.101.*
8 *De iure communi Ordinarius Conuentus dat hanc licentiam. nu.102.*
9 *Seruandæ in hoc leges Ordinum. nu.102.*
10 *An exequens vltimã voluntatem sine licentia Prælati localis non facit contra ius commune. n.103.*
11 *Superior re non integra non potest licentiam datam reuocare, & cogi potest, vt restituat. n.104.*
12 *Religiosus non ex eo tenetur exequi vltimam alicuius voluntatem, quod ad id agendum licentiam obtinuit. num.105.*
12 *Religioso, qui sine licentia suscepit executionem testam. non tenetur superior etiam re non integra licentiam concedere. Quamuis aliunde teneatur tunc facere quod est melius omnibus pensatis. num.106.*
13 *Officium executoris non transit in monasterium. num.107.*
14 *Nec ad hæredem, aut successorem. nu.107.*
15 *Religiosi administrationis suæ executionis rationem tenentur reddere Episcopis. n.108.*
16 *Executio habita à Religioso sine licentia superioris non est ipso iure nulla. n.109.*
17 *Ex quo iure religiosi nec possint esse commissarij ad conficiendum testamentum, ad nominandos legatarios &c. n.110.111.*
18 *Dare consilium executoribus non est alienum à statu Religioso. n.112.*
19 *Religiosus nominatus in testamento vt consiliarius executorum non potest officium recipere sine licentia. n.112.113.*
20 *Etiam si consilium sit conditio sine qua non, dare consilium non est exequi testamentum. n.113.*
21 *Regularium quilibet in his suas leges consideret num.114.*
22 *Religiosus distributor pauperibus à se eligendis potest sibi pauperi, monasterio, consanguineis vere pauperibus distribuere eo tenore quo potest alijs pauperibus. n.115.*
23 *Intel. cap. tua nobis de testamen. n.116.*
24 *Intell. l. si mandatum. ff. mandati. n.117.*
25 *Intel. cap. per nostras. De iurepatronatus. numer.118.*
26 *Intel. cap. final. de instit. nu.118.*
27 *Idem plurium personarum vices gerere potest. numer.118.*
28 *Etiam si testator sciat executorem à se institutum esse pauperem potest executor sibi vt pauperi distribuere &c. n.119.*
29 *Secus si testator executori reliquit speciale legatum. n.120.*

Execu-

De obligatione non tractandi negotia secularia extraiudicialia.

INSPECTIO SECVNDA.

97 NEdum à forensibus negotijs, sed etiam ab extraiudicialibus abstinere debet religiosus. Conclusio enim D. Thomæ in articulo vniuersalis est, & eius ratio vniuersaliter probat. Cum verò multa sint huiusmodi negotia sigillatim dicendum est, quid iuris sit in singulis.

Executor vltimæ voluntatis.

98 REligiosis ex lege speciali prohibitum est esse executores vltimarum voluntatum. Hoc enim illis est prohibitum cap. 2. de testamentis, ibi. *Religiosus ab aliquo in sua voluntate vltima deputatus, non potest (cum velle, vel nolle non habeat) huiusmodi officium suscipere, vel exequi, nisi à superiore suo petita super hoc licentia, & obtenta.* Hoc idem fuit Religiosis interdictũ in Clem. vnic. de testamen. *Religiosis etiam exemptis deputatis ad executionem cuiuslibet vltimæ voluntatis, circa ipsius executionis officium (quod vtique non possunt, nisi à superiore suo petita super hoc licentia, & obtenta suscipere) volentes præscindere materiam delinquendi. Præsentis constitutionis auctoritate statuimus, quòd tales etiam si prælationis fungantur officio, locorum Ordinarijs debitam reddere, ipsique Ordinarij ab eisdem absque dolo, fraude, seu negligentia de suscepta executionis officio teneantur exigere rationem: illos, quos circa id deliquisse reperierint, in aliorum exemplum, pœna debita (quacumque non obstante priuilegio) puniri.*

99 Huiusmodi verò leges quantùm ad personas sunt vniuersales, & comprehendunt religiosos omnes etiam aliàs exemptos. Prohibentur verò obire munus executoris sine licentia superioris, & cum licentia permittitur. Sed quia Religiosi superiores possunt alijs suis subditis licentiam hanc concedere, & æquum est, vt eo non priuentur, quod ipsi alijs tribuere possunt, ideo superioribus quibuscũque, qui sunt Ordinarij Monasteriorum, etiam si & ipsi alios superiores habeant, licet officium hoc suscipere, & exercere nulla alterius petita, aut obtenta licentia. *Sylu. v. testamentum 2. q. 2. dic. 1. Molina tom. 2. disp. 247. circa fin. Rodriq. tom. 3. quæst. 70. a. 1. Sanchez l. 6. in Decal. cap. 11. num. 5. Palaus tr. 16. disp 4. p. 13. §. 1. num. 4. Anton. à Spirit. sancto tract. 3. disp. 6. num. 1473.* Ita tamen leges istæ comprehendunt omnes Religiosos, quòd tamen de solis claustralibus loquuntur. Vnde si aliquis religiosus sit liber a Claustro, quia sit vel Cardinalis, vel Episcopus, vel alicuius beneficij perpetuus Rector: cum huiusmodi religiosi non sint ampliùs sub obedientia Prælatorum regularium, non indigent horum Prælatorum licentia vt exequantur vltimas voluntates. *Gloss. in d. cap. 2. in v. religiosus, & ibi Franc. num. 5. Domin. num. 6. Gloss. in Clem. vn. verb. quod vtique de testam. & ibi Panor. nu. 3. Card. nu. 4. not. 5. Bonif. num. 16. Sanchez d. cap. 11. num. 4.*

100 Est verò etiam vniuersalis dispositio earundem legum, quantùm ad vltimas voluntates, vnde comprehendit testamenta, codicillos, donationes causa mortis, & quamcumque aliam dispositionem per vltimam voluntatem. Nec limitanda est ad sola legata pia, aut piam dispositionem, ita quòd, vt voluerunt aliqui quos tacito nomine recenset *Card. in d. Clem. num. 10. quæst. 6.* religiosis non competat etiam cum licentia superioris esse executores quantùm ad legata prophana, quia sit illis prohibitum tractare negotia secularia cap. 7. de postulando. Nam dispositio harum legum vniuersalis est, & quod negant fieri sine licentia admittunt vt fiat cum licentia Et cuiuscumque legati executio quid pium est, quod præsumi debet factum ex honesta causa, & virtute, & in executione vltimæ voluntatis defuncti pietas maximè versatur. Præterquam quòd tractare etiam negotia secularia cum superioris licentia, etiamsi sint forensia, permittitur religiosis in d. cap. 2. de postulando, vnde est, quòd religiosi cum licentia possunt officium cuiuscumque executionis vltimæ voluntatis aliàs non illicitæ suscipere, & exequi. *Card. vbi sup. & ibi Imola num. 10. Bonif. num. 71. Franc. in cap. 2. de testam. in 6. num. 1. D. Anton. 3. p. tit. 10. cap. 3. §. n. not. 7. Sanchez d. c. 11. num. 8. Palaus d. §. 1. num. 2.* Et nec in hoc requiritur vtilitas specialis monasterij, quia leges citatæ hanc conditionem non petunt, sed solum exigunt superioris licentiam, & licet *cap. ex parte.* De postulando, requirat etiam monasterij vtilitatem specialem præter licentiam superioris, ad hoc vt religiosus exequatur munus Iudicis, vel Procuratoris: non est eadem ratio de negotijs forensibus, & extraiudicialibus. Nam vt etiam superiori inspectione dictum fuit, religiosi de licentia superioris etiam vbi non adsit specialis monasterij vtilitas, possunt esse arbitratores. Et non licet leges positiuas prohibentes de casu ad casum extendere, maximè vbi est diuersa ratio *Pontif. in Clem. vn. de test. nu. 8. & 9. Sanchez d. c. 11. num. 9. Palaus d. p. 13. §. 1. nu. 2.*

101 Licentia verò non sufficit petita, sed est necessaria obtenta. Et nihilominùs non est necessaria expressa, sed sufficit tacita, vel etiam præsumpta. Quidquid in contrarium dixerint aliqui, quos recenset *Sanchez d. cap. 11. nu. 11.* Principium enim illud, quod vbi lex exigit licentiam obtentam, illa debeat esse expressa, non habet iuris fundamentum, Et licentia dicitur obtenta etiam si tacita sit, vel præsumpta. Nam & præsumpta non dicitur ex eo quòd creditur si licentia peteretur, superior illam concederet, sed ex eo, quod etiam proba-

probabiliter iudicatur, quòd ratum habeat, & habiturus sit, quòd subditus siue licentia expresè petita, & obtenta in eo casu operetur, vnde huiusmodi licentia obtenta censetur. *Syluest. v. testamen. 2. q. e. d. 3. Sanchez vbi sup. Anton. à Spir. sancto tract. 3. disp. 4. num. 147 c.*

102 Et eandem licentiam dare potest de iure communi quilibet superior, etiam si immediatue, seu localis, si tamen sit Ordinarius Conuentus. Vnde etiam superior Conuentus vniti alteri Monasterio, vt v.g. Prior in aliquo Prioratu suo Monasterio vnito institutus ab Abbate, si verè sit constitutue illius Conuentus Prælatus potest hanc licētiem dare etiam si sit ad nutum superioris amouibilis, vt ex *Fuluin Pariano cons. 162. num* 183. probat *Sanchez d. cap. 11. num. 6.* Ex quo colligi videtur, quod etiam Vicarij Connentuum, qui sunt membra alicuius Conuentus principalis, quia sunt ordinarij illorum, possint hanc licentiem concedere. Sed non admittitur; quia tales regulariter non sunt Prælati, nec habent in vtroque foro iurisdictionem, nec propriè sunt Ordinarij, sed Delegati, vnde non veniunt in iure sub nomine superioris. Sed & in hoc seruanda sunt cuiuscumque Religionis statuta. Nam in Societate solum Generalem posse concedere hanc licentiam dicunt *Sanchez d. cap. 11. nu. 17. & Palaas d. p. 13. §. 1. num. 3. ex Constit. p. 6. cap. 3. §. 7.* Et idem de sua Religione fatetur *Anton. de Spir. S. d. disp. 6. num. 1470 ex Constit. p. 3. cap. 1 c. num. 5.* In meo Ordine Prædicatorum probibitum fuit in Capit. Bonon. 1282. Ord. 6. absolutè, ne Fratres executiones testamentorum susciperent, vt habetur in Constit. in prol. §. 3. in Glossa lit. I. Et cum super lege Capituli Generalis, solus Generalie possit dispensare, sequitur, quòd nullus huius Ordinis Frater potest esse executor testamentarius, nisi ex Generalis dispensatione.

103 An verò si in bis Ordinibus aliquis Religiosue cum sola licentia superioris locelis suscipiat hoc officium, sit reus violationis nedum suarum legum, sed iurie communis contenit in recensitis textibus, affirmant *Sanchez d. cap. 11. nu. 18.* Eo quia Prælatus localie, vel quilibet Generali inferior non sit Prælatus legitimus. Sed meritò ex *Card. de Lugo disp. 24. de iust. num. 326.* id negat *Anton. à Spiritu sancto d. disp. 6. num.* 1471. Quantùm enim sit ex vi iuris communis, superior localis est ad hunc effectum superior legitimus, & quidquid obstat est ex lege municipali: ideo qui ex licentia superioris saltem localis acceptat officium executorie vltimæ voluntatis, & illud exequitur, nō peccat nisi contra leges suorū Ordinum præfatorum vel similium, & tali genere pececti quale est non seruare leges Religionis. In Ord. Prædicatorum autem, huiusmodi leges nec per se obligent ad culpam.

104 Hanc verò licentiam superior re non integra reuocare non potest, & si reuocauerit cogi potest ad illam reconcedendam, instante hærede. Quoniam inchoata executione vltimæ voluntatis, quasi contrahitur cum hærede & legatarijs, quorū interest, sicut per aditionē hæreditatie hæres quasi contrahit cum legatarijs. *l. apud Iulianum. §. fin. ff. quibus ex causis in possessionem*. Itaque re non integra licitè non potest superior reuocare licentiam quam concessit. Et licet si reuocetur teneatur subditus obedire, cum non habeat nec velle, nec nolle, nec possit ipse instare, vt iterum concedatur, potest tamen hærec, aut legatarius id petere, & instare apud quem de iure, vt compellat superiorem ad hoc vt reuocatam licentiam concedat. *Sanchez d. c. 11. num. 12. Castro Palaas d. p. 13. §. 1. num. 5. Anton. à Spir. S. d. disp. 4. num.* 1174. Hanc tamen licentiam concessam posse ex iusta causa & validè, & licitè reuocari à superiore dixit *Syluest. v. testam. num. 2. vers. secundam, ex Io: Andr. in Clem. vnica de testam.* & quòd in casu reuocationis executio fiet vel per collegem, vel per Episcopum. Et hæc fuit etiam sententia *Glossa in d. Clem. vn. de testam.* Sed hoc non habebit locum, nisi causa sit talis, ac tanta, quæ sufficiat ad recedendum à contractu inito cum hærede & legatarijs, ex vi acceptationis officij executoris. Quod verò addunt *Sanchez numer. 13. Palaus num. 6. Anton à Spir. Sancto nu.* 1475. quòd religiosus non potest quidem cogi, nisi à suo superiore ad acceptandum officium executoris vltimæ voluntatis, sed si licentiam petijt, & obtinuit tenetur exequi officium, nec potest resilire, & ad id potest cogi, *arg. ex cap. quidam, de renunc.* instantiam habet, quia non sunt extendendæ dispositiones legis positiuæ ad casus diuersos, & maximè vbi non est eadem ratio. Quòd vero qui petijt licentiam renunciendi officio suo coram superiore teneatur postea cedere, non est quid necessarium ex iure naturali, & diuino, sed ex iure positiuo illius *cap. quidam.* Sed ex hac lege non deducitur cum fundamento hæc propositio vniuersalis, quòd quicumque petit licentiam agendi, si obtinet licentiam, teneatur illis agere. Neque enim ex vno singulari licet deducere vniuersale. Maximè quòd dispositionis illius fuit ratio specialis, quam reddidi supra *quæst. 185. a. 4. num. 13.* Quia nimitum cum Beneficiatus non possit iustè & licitè petere licentiam cedendi beneficio nisi ex iusta causa aut vtilitatis *Ecclesiæ*, aut salutis propriæ, præsumit lex, quòd si poeniteat, id faciat ex leuitate, aut aliquo interesse proprio aut amicorum, tanquam ab amicis subornatus, vel aliunde ex motiuo non iusto persuasue. Immo quia lex illa fundata est in præsumptione, si qui petijt licentiam cedendi, & obtinuit, habet vere iustam causam pœnitendi, non debet cogi ad non pœnitendum. Ex ille ergo lege fundata in particulari causa, & præsumptione non potest vniuersaliter vel in alijs casibus deduci, quod qui licentiam petijt, & obtinuit teneatur non pœnitere. In proposito autem, quis est, qui habet ius ad cogendum regularem vt sit executor testamenti? Non hæres, aut legatarius, quia cum nondum incæperit exequi, & res sit integra, non contraxit regularis iste, cum hærede. & legatarijs, sed manet in sua libertate. A superiore vero suo potest cogi etiam si licentiam non petierit, nisi alias particulares leges religionis suæ obstent. Cum enim executio vltimæ voluntatis ad causas pias reducatur, & sit opus charitatis, & sit religiosum id munus exequi, potest superior compellere suum subditum ad illud exequendum. Sed non quia licentiam petierit, & obtinuerit, quia licentia agendi non est præceptum obligens ad agendum.

106 Si vero religiosue sine licentia acceptauit, officium, & illud coepit exequi, vnde res non est amplius integra, tenetur tunc petere licentiam, si hærdis, aut legatarij intersit, & supponatur acce-

prationem valere. Ita *Sanchez num.*14. Verum & in hoc casu non tenetur superior licentiam concedere, quia non tenetur approbare factum sine licentia per suum subditum, sed potest illud cassare, & irritare, quamuis religiosus quantum sit ex parte sui teneatur reddere indemnem hæredem, & legatarium. Et superior tunc etiam teneatur omnibus in singulari perpensis facere id quod sit melius.

107 Susceptum etiam à religioso executoris officium nō potest monasterium loco religiosi exequi; hoc enim ius est personale, & a testatore eligitur industria personæ, ideo non transit in monasterium *Bart. & Imola* quos sequitur *Sanchez d. c.*11.*num.*21.*Palaus d. puncto* 13. §.1.*num.*6. *Anton. à Spir. S.d.disp.*4.1476. Sicut nec transit ad hæredem iuxta *Gloss.in cap.religiosus de test. in 6 in v.mortuo, Syluestr.v.testam.*2.*num.*4. Neque in Prælatum successorem, nisi executio sit data sub nomine dignitatis. *Syluestr.ibid.*

108 Quod etiam religiosi huiusmodi teneantur reddere suæ rationis executionem Episcopo nō obstante priuilegio exemptionis habetur ex *Clem. citata, & ex Concil.Trid.sess.*22.*cap.*8. *Sanchez* vbi supra, *Barbosa* plures referens *de off. Epis. all.*82. *num.*48. *Palaus d.* §.1. *num.*7.*Lezana p.p.c.*9.*num.*9. *& v.test.Layman.l.*3.*tr.*5.*sec.*5. *cap.*11.*num.*4. *Card. de Lugo disp.*24. *num.*327. *Anton. à Spir. Sancto vbi supra num.*1478. Hoc tamen post *Richardum* limitant *Syluest. v. testam.*2. *num.*3. *ver.quartum. Rodriguez t.*3.*quæst.*70.*a.vlt.* & non reprobat *Barbosa* vbi supra allegans pro eadem limit. *Vegam, & Caspens.* vt scilicet assertum sit verum solum respectu religiosorum habentium exemptionem communem, qua non obstante possunt conueniri ratione cōtractus, vel delicti, vel rei, non vero de religiosis, qui etiam de prædictis conueniri non possunt; quia isti ab ordinario non possunt puniri. Verum cum in d. Clem. religiosus hæc facultas tribuatur Episcopis quocumque priuilegio non obstante, limitatio non admittitur, sicut nec eam admittunt Sanchez & alij supra citati absolute asserentes religiosos executores teneri reddere rationem Episcopis.

109 His vero sic stantibus aliquæ remanent difficultates. Et quidem primo dubium est, an executio testamenti facta à religioso sine licentia superioris sit valida. In quo dubio negatiua pars suadetur primo quia in *cap. religiosus de testam. in* 6, habetur verbum non potest, quod importat inhabilitatem, & impossibilitatem agendi. Sed hæc ratio minime vrget, quia assumptum non est vniuersaliter verum, & cum de persona dicitur, quod non potest, id intelligitur, quia non potest licitè, & honestè, nisi aliud ponatur, per quod etiam nullitas inducatur. Secunda ratio validior videtur, quæ est, quam textus citatus adducit, quia scilicet religiosus non habet velle, vel nolle, at vero non valet executoris officium si executor non acceptat officium. Verum neque hæc ratio conuincit. Quia religiosus non habet velle, vel nolle vt honeste operetur sine superioris licentia in ijs, in quibus sine illa agere non potest, habet tamen consensum, & dissensum naturalem, qui sufficit in ijs in quibus licentia superioris non est necessaria ad substantiam & valorem actus. Sic sacerdos contra voluntatem superioris celebrans valide consecrat, & secundum quamplures valide absoluit, licet sacrilege agat. Si ergo aliunde non probetur, quod licentia superioris sit de substantia & valore executoris, id non probatur ea regula generali, quod religiosus non habet velle vel nolle. Tertia ratio desumpta ex *l. non dubium. C. de legibus*, in materia Canonica non facit difficultatem, cum de iure Canonico prohibitio agendi non irritet actum, nisi lex prohibens simul etiam sit irritans, vt latius probaui *tract. de elect. Canon. c.*9.*q.*1. Quoniam vero alias semper standum est pro valore actus, si actus potest sustineri, & nec in *d.cap.religiosus, nec in clem. vnica de testam.* nec in aliqua alia lege habetur verbum, quod importet actus irritationem, & in lege licet sit prohibitum militi esse procuratorem, tamen nisi à iudicio repellatur valent gesta per illum, *l. filiusfamilias §. veteranus. ff. de procurat.* ideo dicendum est executionem testamenti habitam sine licentia superioris esse validam. Nisi superior contradicat nedum prohibendo, sed irritando actum; vel nisi religioso licentiæ defectus opponatur. Hac enim oppositione stante a superiore repelli debet, & si non repellatur consuetudo obtinuit, vt ius ipsum illum repellat, & negligentiam suppleat. Quamuis vero plures DD. & præcipue *Francus in d.cap.religiosus num.*2. *De testam.in* 6. *Syluest.v. Testam.*2.*q.*2.*d.*3. *Couar.cap.tua nos nu.*2.*de testamen. Rodriq.p.*3. *q.*70. *a.*1.*& p.*1.*q.*65. *a.*3. & alij apud *Sanchez d. cap.*11. *num.*43. dixerint hanc executionem esse nullam si eam habeat religiosus sine licentia, vel intelligendi sunt quia ipso iure est irritanda in iudicio parte opponente, vel contra eos ratione præualente est sentiendum illam valere prout sustinent *Felin. c.*2. *de iudic. nu.*6.*Federicus*, Roman. *Ripa, Iason, Hippolytus, Alciat. Greg. Lopez* Roland. *Simon de Patris Paciannis*, *Iacobus à Canibus Rosell. Menoch. Couar. Azor. Matienzo* quos refert, & sequitur *Sanchez d. cap.*11. *numer.*44. *Palaus trac.*16. *disp.*4. *p.*13. §.1. *numer.*8. *Card. de Lugo de iust. disp.*24. *numer.*327. *Lezana v. clausula numer.* 47. *& v. testamentum nu.*4.*Anton. à Spir Sancto trac.*3. *disp.*6.*num.*1479. Nec assentiendum *Palao, qui num.*9. vult quod ad irritandam hanc executionem sufficiat simplex cōtradictio superioris, quia nec est verum quod vbi superior prohibet id, quòd alias est lege prohibitum irritet factum, nisi ipse hanc etiam irritationem exprimat, quia prohibitio vt prohibitio de iure Canonico non irritat factum contra prohibitionem, nec est inutile si quod est lege prohibitum etiam prohibeatur expresse à superiore, etiam si superior actum non irritet, quia prohibitio superioris magis vrget subditum ad legis obseruantiam, & illi maiorem timorem incutit, & facit actum magis honestum, & amabile.

110 Secunda difficultas est de Commissario ad conficiendum testamentum ad eligendos executores, ad nominandas personas, quibus legata distribuenda sunt, & ad præbendum consilium executoribus, vt iuxta consilium talis Commissarij exequantur. Nam neque posse committi religioso vt sit commissarius ad conficiendum testamentum nomine alicuius, sine licentia superioris tenet *Sanchez l.*6.*c.*11.*nu.*48. sed negat *Palaus trac.*16.*disp.*4. *puncto* 13.§.1.*num.*10. Et idem vterque affirmat, aut negat de commissario ad eligendos executores. Distingui vero debet; Nam si loquamur ex vi iuris Canonici *d. cap. religiosus, de testamen. & d.Clem. vn.*

eod.

eod. tit. vera mihi videtur sententia Palai, quoniam non sunt extendendæ leges de casu ad casum vltra & extra significationem verborum legum prohibētium, maxime vbi non est eadem ratio. In executore vero testamenti multo maior inuenitur occupatio distrahens religiosum ab hoc vt soli Deo vacet, quia executoris testamenti est, vt vendat, contractet pecunias, soluat debita, bona distribuat, stet in iudicio ad reddendam sui rationem quæ occupationes, & distractiones non inueniuntur in commissario ad faciendum testamentum, aut ad eligendum executores, & alia huiusmodi, cum hæc omnia in modico tempore perficiantur, & complcantur; ideo non valet consequentia à prohibitione executoris testamenti, ad prohibitionem commissarij prædicti. Et cum in iure Canonico non sit alia lex quæ in specie huiusmodi Commissariatus officium prohibeat, merito dicitur quod illud officium ex iure Canonico in præfatis textibus cōtento non est religiosis interdictum, seu quod ab illo iure non est specialis obligatio petendi & obtinendi licentiam à superiore ad illud suscipiēdum. Sed si loquamur de iure ipso diuino voti obedientiæ seu de iure municipali religiosi status in cōmuni, immo de iure Canonico vt in communi prohibente negotia secularia dicendum est, quod vera est sententia Sanchez, & quod ad licitè suscipiendum tale officium necessaria est licentia superioris saltem tacita, & præsumpta.

111 Et quidem certum est, quòd inuito superiore illud officium non potest à Religioso suscipi & exerceri, & hoc demonstrat ratio illa, quia scilicet religiosus non habet velle, aut nolle, nam nec dubium est, quod abstinere à talibus officijs sit secundum regulam, cum negotia secularia de se sint valde aliena à religioso statu; igitur superior valide & iuste potest suo subdito prohibere, ne acceptet commissionem conficiendi testamentum, vel eligendi executores, vel se immiscendi quomodolibet negotijs testamentorum. Verùm nec puto, quod de iure communi Religiosorū ex vi religiosi status sufficiat quod superior non prohibeat, nisi hæc non prohibitio ex scientia Prælati, & circumstantijs sit licēita interpretatiua, & tacita, sed quod requiratur licentia, quia huiusmodi occupationes de se abstrahunt Religiosum ne Deo vacet, & ideo non sunt assumendæ, nisi ex necessitate inducta ex charitate, quia tales sunt quæ vel plus, vel minus implicant religiosum in litibus, vel rixis, vel maleuolentijs, illumque & Religionem exponunt maledicentijs huius, vel illius, qui vel se indicat grauatum, vel non obtinuit, quod desiderabat. Vnde in istis occupationibus valde periclitari potest bonum nomen Religionis, & affectio seculi ad illam; & ideo huiusmodi negotia tanquam ea, quæ spectant ad commune bonum monasterij, nec sunt assumenda, nisi ex charitate etiam boni communis, non debent suscipi, vel tractari nisi de licentia superioris, ad quem boni communis, & salutis religiosorum pertinet cura. Quod confirmatur, quia eligere executores testamenti, vel nominare pauperes, quibus distribuenda sit pecunia legata à testatore, licet propriè, & in rigore non sit exequi testamentum, quia non est distribuere pecuniam legatam, aut exequi quod est per testamentum dispositum. Nam testator disponit pecuniam distribuendam nominatione facta à religioso cui commissa est facultas nominandi: Nihilominus negari non potest, quod huiusmodi non pertineant aliquo modo ad executionem testamenti: nam immo & facultas nominandi pauperes est ex dispositione testamenti; igitur licet hoc non sufficiat, vt dicatur, quod huiusmodi simpliciter sint prohibita à iure communi dictorum textuum prohibentium religiosis esse executores testamentorum sine licentia; sufficit tamen ad hoc, vt dicatur quod ad huiusmodi se extendit ius religiosum, immo & ius canonicum in communi prohibens religiosis tractare negotia secularia sine licentia ex quo ius Canonicum motum fuit ad prohibendum in specie esse executorem testamentorum sine licentia.

112 Dare autem consilium de agendis ab executoribus testamentorum non est res à statu Religioso aliena, vnde nullibi in iure communi prohibetur religiosis, sed immo vt conueniens statui religioso approbatur etiam in Minoribus in *Clem. Exiui. §. Proinde. de verb. signif. Azor. p. 1. l. 12. c. 11. q. 1. Sanchez l. 6. mor. cap. 11. num. 19* Et ideo *Palaus tract. 16. disp. 4. p. 13. §. 1. num. 13.* arbitratur quod ad dandum huiusmodi consilium, nec sit necessaria licentia superioris; quod non credo, quia licet consulere, quid sit agendum per se non sit prohibitum religioso, immo sit actus charitatis; officium tamen consultoris assumere in rebus testamentarijs, & obligatio, quæ illi officio est annexa, est de ijs, quæ per se cadunt sub administratione superioris, cuius est videre, an id expediat tam Monasterio, quam Religioso. Et ideo quamuis ex iure speciali Canonico non adsit prohibitio, ne id fiat à religioso sine licentia, id tamen prohibitum est ex iure communi status religiosi, vnde petitio huius licentiæ necessaria est iuxta cuiuscumque Ordinis Regulam, & Constitutiones.

113 Si vero testator obliget sui testamenti executores ad petendum à religioso consiliū, licet ipse executor non teneatur sequi illud, tamen eum teneri petere, ita quod huius consilij omissio reddat nullam testamenti executionem, affirmat Palaus vbi supra. Quod tamen in facto esset diligentius considerandum, & videndum an testator imposuerit onus petendi hoc consilium tanquam conditionem, & formam substantialem executionis. Sed si testator obligaret executorem suum nedum ad petendum, sed etiam ad sequendum consilium religiosi, tunc quia videtur quod hoc sit exequi testamentum, si non per se, per alium, ideo *Syluest. v. testament. 2. num. 2. ver. sextum ex Zabarell. & Paulo,* sentit quod vbi consilium petendum à religioso sit id sine quo non, tunc religiosus sit executor. *Et* propterea etiam non defuerunt, qui dicerent Minores esse huius muneris incapaces, & ideo executorem tunc nec esse obligatum ad petendum consilium. Sed & sequeretur etiam quod nullus religiosus posset tale munus consiliarij accipere sine licentia, quia religiosus sine licentia non potest esse executor testamentorum. Nec locum haberet doctrina Sanchez admittentis Minorem posse semel, vel bis præbere consilium ab executore sequendum; quia nunquam licet Minoribus esse executores testamentorum cum prohibitio id faciendi sit absoluta, & generalis. Sed dicitur cum Palao vbi supra num. 14. non esse verum quod dare consilium exe-

cutori ab eo necessarium sequendum sit esse executorem testamenti, quia esto sic fieri debeat, sicut consiliarius decernit, hoc non est ex mandato, & vi consilium dantis, qui ex se consulit, non praecipit, sed est ex mandato testatoris, ideo consiliarius solum consulit, sed executor ex vi mandati testatoris exequitur. Ex hoc tamen magis apparet, quod officium hoc consiliarij est officium pertinens ad negotia aliena, & secularia, & ideo ex se adeo à religioso alienum, vt ex vi status Religiosi non sit assumendum sine licentia superioris.

114 Et ideo circa huiusmodi negotia executionem testamentorum respicientia vnusquisque religiosus tenetur respicere, & obseruare sui Ordinis statuta, si quæ sunt. Nam in Ord. Prædicatorum Paris. 1254. Ord. 2. fuit prohibitum ne Fratres commissiones, causarum arbitria, siue iudicia, nec pignora, siue obsides recipiant, & Bonon. 1555. Ord. 6. prohibitum fuit, ne Fratres essent dispensatores alienarum pecuniarum, & executores testamentorum, & apud Claromontem 1339. Ord. 1. prohibitum fuit ne Fratres quocumque modo verbo, vel scripto se de placitis, vel negotijs secularibus ex se odiosis, vel litigiosis aliquatenus intromittant, nisi in causa multum vtili, & necessaria. Et vniuersaliter dictis Fratribus est interdictum, ne assumant causas arduas, & odiosas ex quibus frequenter perturbatur hominum deuotio ad Ordinē, & Fratres. *Gloss. in prologo Constit. §. 3. lit. 1.* Quidquid vero spectat ad huiusmodi testamētorum executionem continetur sub negotio arduo, & odioso ex quo plusquam frequenter perturbatur deuotio hominum erga Ordinem & Fratres, quia huiusmodi negotia talia sunt, quod si alicui præstatur fauor, alius vel offenditur, vel se offensum iudicat, & murmurat, & conqueritur.

115 Tertia difficultas est an religiosus de licentia sui superioris executor testamētarius possit bona, & pecunias inter pauperes distribuendas monasterio suo, aut sibi applicare. *Syluest. in v. Testam. 2. num. 5. ver. quintum* habet ex *Pau.* quod iste distributor monasterio, & consanguineo pauperi potest relicta in pauperes distribuere, non vero sibi nisi esset in summa necessitate. Respondetur nihilominus quod vniuersaliter is, cui est commissa distributio pecuniæ seu eleemosynæ in pauperes si ipse est pauper, potest se, vel suos filios, aut consanguineos, si vere sint pauperes inter pauperes numerare, & sibi eo tenore applicare, vel suis quo & alijs pauperibus. Ita expresse docent *D. Thom. supra quæst. 35. a. 9. ad tertium & ibi Cajet. & Arragon. Nauar. c. 25. num. 123. & in cap. Placuit. num. 63. de penit. d. 6. Ledesma 2. p. 4. q. 15. Ludouic. Lopez p. p. cap. 107. Petrus de Ledesma p. 3. trac. 4. cap. 3. concl. 16. Armilla v. Eleemos. num. 9 Socin. Anton. de Rosellis Menoch. Segura, Angles, Tolede, Rodriq. Vega, Gomez* quos sequitur *Sanchez l. 6. in Decal. cap. 11. num. 55. Bonec. ed secundum Decal. præceptum disp. 3. q. 3. punct 6. num. 27.* & apud eum *Reginald. Lorca, & Fillius, Diana p. 5. trac. 8. ref. 38. Suarez disp. 7. de eber. sec. 1. num. 9. Castro Palaus tom. 1. trac. 6. disp. 2. p. 14. num. 10. Palat. Afflict. Greg. Mexia Azened. Spin. Surdus Card. Ment. Frenc. Campen. Gonzal. Pereira. Valenz. Hemoben.* quos refert, & sequitur *Barbose de off. & potest. Episc. alleg. 83. num. 51. & 52.*

116 Quæ enim in oppositum adducuntur non probant. Nam in *cap. tua nobis, de testam.* reprehenduntur, qui relicta ad pias causas alijs vsibus applicabant, sed pauper, qui nomine testatoris, & ex eius voluntate titulo eleemosinæ sine fraude applicat sibi tanquam vni de alijs pauperibus, quod pauperibus distribuendum est, applicat relictum ad causas pias, ad piam causam, & veram facit eleemosynam; & quidem secundum voluntatem testantis, vel mandantis principalis, quæ non fuit nisi eleemosina ija distribuenda, quos elegerit is, cui distributio fuit commissa.

117 Minus vrget lex si mandauero tibi. 12. §. *si tibi centum ff mandati.* Nam ex ea lege oppositum deducitur. Inquit enim. *Si tibi centum dedero, vt ea Titio dares, tuque non dederis, sed consumpseris, & mandati, & furti, teneri te, Proculus ait, aut si ita dederim, vt quæ velles dares, mandati tantummodo.* Hic enim primo considerandum, quod est sermo de re certæ personæ à Domino electæ distribuenda, vnde lex illa ad rem non facit, cum non simus in casu, in quo electio personæ cui facienda sit distributio est commissa arbitrio distributoris. Sed praeterea secundo considerandum est, quod ve adnotat *Dyonisius Gothofredus ibi L. k.* in casu in quo mandans commissit alicui vt daret Titio quæ vellet, si non det, sed ea consumat, non est reus furti. non igitur contra mandantis voluntatem rem totam consumpsit, quia aliter reus furti esset rem inuito domino consumendo, licet non nihil inuoluntarij ibi videatur, ex quo nihil Titio fuit datum. Multo igitur magis probatur, quod in nostro casu nulla est iniustitia; quoniam distributio commissa est distributoris arbitrio, nec ille distribuendo sibi vt pauperi excedit fines mandati, quia & persona cui facienda sit distributio fuit eius voluntati relicta, dū eligat vere pauperē, cui titulo eleemosyne res distribuēda sit, Et nō distribuit sibi absolute, de quo modo distribuendi explicatur illa lex a DD. sed distribuit sibi vt pauperi, & tanquam vni ex ijs, quibus de voluntate Domini facienda est distributio.

118 Longe minus probat, quod inter dantem & accipientem debeat dari distinctio, quia hac ratione teatus in cap. per nostras de iurepatron atus decidit, quod non liceat Patrono præsentare se ipsum ad beneficium Nam hoc falsum est euidenter legenti illud cap. nam quod non liceat patrono præsentare se ipsum ad beneficium, probat ibi Innoc. III. quia nullus debet se ingerere Ecclesiasticę prælationis officijs, nec verbulum habet, in quo significet quod idem non possit esse dator & acceptor, & non possit repræsentare plures personas, vt sit dator instrumentalis tanquam minister Domini, seu testatoris, qui pecunias distribuendas reliquit, & sit nomine proprio acceptor ratione propriæ paupertatis, cuius intuitu pecunia distribuenda est. Et si instetur quod *cap. fin. de institut.* Papa decernit, quod non potest Abbas factus retinere custodiam Ecclesiæ, quam conferre spectat ad ipsum, quia debet esse distinctio inter dantem & recipientem. Quod idem pluribus iuribus citatis probat Glossa ibi. Respondetur axioma verum esse de dante nomine & iute proprio, & de nomine proprio recipiente, sed limitatur illud axioma vbi idem plures personas repræsentat, & vel dat in persona alterius, & recipit nomine proprio, vel dat nomine proprio, & recipic

pit nomine alieno. Idem enim plures personas & diuersas representãs potest dare & recipere. Quamuis aliter etiam dicatur, quod hoc est speciale in beneficijs, vt nullus se eligere, vel præsentare, vel instituere possit; quia in his nullus potest oriri à se ipso. *cap. didicimus 24. quæst. 1*, eo quod ambitiosum sit se se ingerere beneficijs. Et ideo non obstat, quod misericordia sit pars iustitiæ, & iustitia sit ad alterum. Quia misericordia non ad iustitiam, sed ad charitatem spectat, cuius est effectus. *D. Th. supra quæst. 28. in introduct. quæst.* Et præterea licet iustitia sit ad alterum, idem potest plurium personam gerere. Itaque igitur in præsenti attendi debet, vt cesset omnis fraus, & quod distributor computet se inter personas extraneas tanquam sit vnus de illis, & in distribuendo seruet leges iustitiæ distributiuæ, & sibi vt pauperi distribuat nomine domini, vt bene Caiet. aduertit.

119 Limitant autem quidam assertionem positam, vt non sit vera, quando testator, vel committens pauperi distributionem, sciebat eum esse pauperem, quia in hoc casu, si testator voluisset eum posse inter pauperes comprehendi id explicasset. Tum secundo quia Commissarius ad eligendum successorem maioratus non potest se ipsum nominare, vt late probat *Mol. lib. 2. de primog. cap. 4. num. 38.* Cuius dicti ratio alia esse non potest, nisi quia committens electionem hanc succedendi capaci censetur illum exclusisse, quia si includere voluisset, id expressisset. Ita ex *Menoch. & Rodriquez sequitur Sanchez d. cap. 11, num. 55.* Sed alij DD. absolutè assertionem admittunt, & in specie limitationem reijciunt *Diana, & Barbosa, & Ledesma citati.* Nam immò ex quo is, cui testator commisit distributionem pecuniæ faciendam pauperibus, & ipse sciebat eius paupertatem, & eum esse capacem eleemosynæ distribuendæ, & tamen illum non exclusit, censetur illum noluisse excludere, quia non est verisimile, neque credibile, quod ex quo illi commisit distributionem, voluerit eum esse deterioris conditionis, quam sint alij pauperes, & pro onere illi imposito loco præmij, aut mercedis, illum voluisse etiam excludere ne esset eleemosynæ, cuius ratione suæ paupertatis est capax. Quod si Molina in sua assertione non fundatur in alia ratione, nisi quia committens capaci succedendi in maioratu vt eligat successorem, ex hoc censetur illum excludere, eius opinio vano innititur fundamento, & contrario æquitati, quia non est æquum vt capax succedendi fiat ex eo solo incapax, quod ei committitur electio successoris. Sic compromissarij ad eligendum, licet nullus ex eis possit se ipsum eligere ad Prælaturam, quia hoc censetur ambitiosum, præcisa tamen ambitione id non esset illicitum, & non est illicitum, quod vnus ex compromissarijs eligatur ab alijs, si id expresse non est prohibitum secundum *Innoc. Panorm.* & alios *ad cap.* cum in iure de electione. Immo secundum *Panorm. ibid. num. 5.* vbi non sit seruanda forma elect. cap. quia propter, idem potest si non eligere se ipsum consentire tamen suæ electioni, & sic consentiendo augere numerum votorum ad sui fauorem, & ex vi talis consensus validare suam electionem, quæ alias ex defectu numeri votorum suo consensu non computato esset inualida. Sic in præsenti, nisi testator expresse illum excludat potest commissarius ad eligendos pauperes quibus tribuatur eleemosyna distribuenda, nominare se ipsum si sit pauper eodem tenore, quo & alios.

120 Limitatur aliter eadem assertio vt non habeat locum, si testator pauperi Commissario à se electo aliquid determinate reliquit & postea ei cõmisit vt aliquam aliam summam distribuat in pauperes. Et in hoc sensu Sanchez loco citato explicat *Anchar. cons. 84. a. num. 4.* vt voluerit, quod si testator reliquit aliquid monasterio, & reliqua sua bona iussit distribui inter pauperes, quod tunc ex præsumptione specialis legati relicti monasterio, censeatur exclusa Abbatissa executrix testamenti, ne possit distribuere aliquid de illis bonis suo monasterio tanquam pauperi, nisi forsan monasterium ex superuenienti & non cognita magna paupertate factum sit pauperius, quam prius esset. Sed cum negandum non sit, quin ex speciali legato desumatur præsumptio, ex qua deducatur voluntatis testatoris esse, vt in numero pauperum quibus reliqua bona distribuenda reliquit nõ numeretur pauper ille, cui in specie ille aliquid determinate legauit. Et vniuersaliter sit etiam verum, quod vbi testator alias significauit se nolle vt inter pauperes, quibus eleemosyna à se relicta est distribuenda, non computetur sui testamenti executor, etiam si sit pauper. Tamen præsumptiones omnes tam pro, quam contra sunt pensandæ, & ponderandæ; & nisi inueniatur quod executor pauper non sit exclusus, non debet excludi ex hac præcisa ratione, quod sit executor nominatus. Et si non est exclusus, ille in ijs casibus potest nominare seipsum & computare inter pauperes pro rata tantæ quantitatis, pro quanta potuisset nominari ab extraneo executore. Et bene Anchar. considerauit, quod paupertas superueniens in hac parte vincit præsumptionem ortam ex speciali legato facto ad fauorem executoris testamenti, & ita quod Abbatissa electa executrix testamenti in quo suo monasterio fuit relictum speciale legatum, nihilominus si postea monasterium factum sit pauperius, quam erat tempore conditi testamenti, possit Abbatissa suum monasterium numerare inter pauperes, quibus relicta à testatore eleemosyna est distribuenda.

121 Tertio hoc limitant aliqui, vt solummodo in foro conscientiæ, & cum auctoritate Episcopi, & Confessarij possit executor pauper sibi eleemosynam inter pauperes distribuendam eodem seruato tenore applicare, nisi grauiores aliorum pauperum miseriæ oculis se opponant. Ita *Sotus l. 4. de instit. quæst. 7. a. 1. ad tertium & pro eadem sent. Barbosa vbi supra refert Ledesmam in 2. 4. quæst. 18. a. 5. post Bald. Anchar. & Calder. apud Nauar. capit. 25. num. 123. & de tract. cap. 7. num. 34.* Sed cum non sit dubium Episcopis esse reddendam rationem dispensationis huius ex cap. tua nobis. de testam. & eius officij esse procurare vt mens testatoris impleatur; & ex consequenti ipsum posse in casu occurrenti decernere an mens testatoris fuerit excludere pauperem executorem à participatione eleemosynæ distribuendæ: Sicut etiam indubitatum est, quod bonum erit consilium si executor iste consulat vel suum Confessarium virum Doctum, vel alios, ne proprium interesse illum decipiat, tamen absolute & in omni foro, qui alias scit se indigere, potest in hoc nullo vel Episcopi, vel Confessa-

festatij expectato consilio, aut decreto, se ipsum numerare inter pauperes eodem tenore seruato, si vere sit pauper; sicut potest sine huiusmodi consilio, aut decreto distribuere alijs Pauperibus. Episcopi enim non est exequi testamenta, sed procurare vt dentur executioni iuxta mentem testatorum. Et sicut executor non tenetur expectare decretum Episcopi, vt eleemosynam legatam distribuat alijs pauperibus, ita nec vt distribuat sibi, si vere est pauper. Nisi in aliquo Episcopatu esset lex specialis, vt nullus executor posset se ipsum ratione paupertatis inter pauperes numerare, inter quos est distribuenda eleemosyna, nisi consulto Episcopo vel alio ad hoc deputato.

122 Sed in proposito nostro cessat difficultas. Quia ex his DD. qui tenent, quod executor eleemosynæ non potest se ipsum inter pauperes numerare quamplures tamen fatentur quod potest numerare filios, *Panorm. cap. final. num. 4. de instit.* & consanguineos, & amicos qui vere pauperes sint. *Panorm. cap. 1. fin. de Cohabit. Cleric. vbi Imola n. vlt. & Clem. 1. num. 19. de testam. vbi Car. quæst. 22. nu. 21. Syluest. v. eleemosyna quæst 2. & fin. & v. testam. 2. q. 2. dicto* 5. & quamplures alij, quos refert *Sanchez d. cap 11. num. 51. & 52.* Quia Pater dando filio, & filius dando Patri, & vniuersaliter dando consanguineo, vel amico, dat alteri à se distincto & idem non est dans, & accipiens. Quando autem religiosus executor, & distributor eleemosynæ tradit eam monasterio, iam in omni rigore saluatur distinctio inter dantem, & recipientem. Et eadem distinctio saluatur etiam si religiosus dat sibi, quia quidquid acquirit monachus acquirit monasterio & sibi non prouenit nisi vsus facti, si monasterio placet illum dare, & sic religiosus nec vsum facti accipit vel à testatore, vel à se ipso, sed à monasterio, & ipse retinendo sibi aliquid de eleemosyna non sibi, sed monasterio acquirit. Et propterea quod Religiosus executor possit monasterio pauperi eodem tenore seruato applicare monasterio dixerunt *Card. in Clem. vn. quæst. 22. nu. 22. de testam. & ibi Imola num. 19. Bonif. num. 86. & 87. Bald. cap. cum in iure num. 6. de elect. Syluest. v. testam. 2. quæst. 2. dicto 5. Nauar. in propugnac. de reddit. monit. 13. n. 12. Bartol, Dynus, Anchar. Paris. Aeneas Fabeo, Rosella, Peralta & Matienzo* quos refert, & sequitur *Sanchez d. cap. 11. num. 59.* Vbi merito reijcit limitationem Dyni nolentis religiosum posse applicare monasterio, si sibi distributio commissa sit facienda ad arbitrium boni viri. Quia quando verba important arbitrium boni viri, sufficit, quod executor eligat dignum, monasterium vero laborans paupertate est dignum vt recipiat eleemosynam. Et quod religiosus executor se ipsum possit numerare inter pauperes, & sibi seruato eodem executionis debito tenore applicare eleemosynam docent; *Sanchez num. 61. Castro Palaus tract. 16. disp. 4. puncto 13. §. 1. num. 15.*

123 Quæ tamen supra dicta sunt, vt liceat executori pauperi sibi distribuere, limitanda sunt, vt non procedant, quando ipsi pauperi à Confessore datur pœnitentia dandi pauperibus eleemosynam. Tunc enim, vt aduertit Bonac. supra citatus non potest sibi dare, quia dare tenetur nomine proprio, & in pœnam, & ideo non potest ipse recipere.

124 Vltima difficultas est qualiter Minoribus sit specialiter interdictum esse executores testamentorum. De hoc ita disponitur in *Clem. Exiui de Paradiso, §. Proinde, vers. Verum etiam cum dicti Ordinis Fratres non solùm à receptione, proprietate, dominio, siue vsu ipsius pecuniæ, verum etiam à contrectatione qualibet ipsius, & ab ea sint penitus alieni, quemadmodum sæpe dictus Prædecessor noster in declaratione huiusmodi regulæ plane dixit. Cumque dicti Ordinis professores pro nulla re temporali possint in iudicio experiri, prædictis Fratribus non licet, nec competit, quin potius considerata sui puritate status, debent sibi scire interdictum, quod huiusmodi executionibus, & dispositionibus se exponant: cum hæc sæpius sine litigio, & contrectatione, vel administratione pecuniæ nequeant expediri. Veruntamen in his exequendis dare consilium ipsorum statui non obsistit, cum ex hoc ipsis circa bona temporalia nulla iurisdictio, siue actio in iudicio, siue dispensatio tribuatur.* Huiusmodi vero prohibitio alios Regulares non comprehendit. *Glos. in cap. 2. v. Mendicans. De testamen. in 6.* & ibi *Domin. n. 4. Sanchez d. cap. 11. n. 25.* Sicut nec comprehendit Minores factos Episcopos, vel aliunde à Claustro extractos, & extra iurisdictionē superiorū eiusdem Ordinis positos, quibus contrectare pecuniam concessum est, & temporalia administrare, *Sanchez num. 26. Palaus tract. 16. disp. 4. par. 13. §. 1. num. 16. ex Card. in Clem. vn. num. 5. not. 7. de testam. & Bonif. num. 4.* Ad alios verò Minores extenditur etiam si distributio per testatorem relicta facienda & exequenda sit ad fauorem eorumdem Fratrum Minorum, & Monialium Sanctæ Claræ, quia textus absolutè, & vniuersaliter loquitur, & semper militant rationes in textu allatæ, vt ex *Baldo, & Syluest.* aduertunt *Sanchez num. 27. Palaus num. 17. contra Rodriq. 3. p. q. 70. a. 2. & 3.* Ita vero huiusmodi Fratribus est prohibitum esse executores testamentorum, vt nec de licentia suorum superiorum, id præstare possint, cum sit illis à Summo Pontifice interdictum. Et tamen si de facto aliquis ex ipsis munus executoris testamentarij acceptet, & obeat valide illud præstat, nisi contra ipsum detur exceptio in iudicio, quia dicta Clem. prohibet, non vero irritat, si fiat in contrarium, vt post quamplures relatos dixerunt *Sanchez d. num. 44. Palaus numer. 17.*

125 Ex vi vero dicti textus non prohiberi eisdem Fratribus esse commissarios ad condendum testamentum, vel ad nominandum executores, vel ad nominandum pauperes, quoniam ad hæc præstanda, nec est necesse contrectare pecuniam, nec vendere bona, nec agere in iudicio, vnde non militant præfati textus rationes, docet bene *Palaus vbi sup. num. 18.* quamuis non desint, qui contradicant; & considerandum est, quod illis interdicitur, quidquid dat iurisdictionem, vel actionem in iudicio, vel quæcumque dispensatio. In his vero etiam suscipiendis, quatenus prohibita non sunt per d. Clem. esse necessariam licentiam superioris, bene aduertit *Sanchez vbi sup. num. 34.*

126 Consilium autem dare eis permittitur. Sed vbi testator obligaret executorem ad petendum nedum consilium, sed & ad illud exequendum, vel vltra consilium requireret etiam consensum, an possint dicti Fratres tale munus suscipere, & exequi *Sanchez num. 38* multis citatis censet eos esse incapaces huius consilij dandi, quod & tenuit *Syluest.*

nest.v.testamentum 1. q. 2. d.8. & ratio est, quia hoc est esse testamenti executorem, quia executor in hoc casu non potest exequi, nisi secundum consiliũ, seu consensum talis Fratris ad hoc electi, qui propterea si non per se ipsum, saltem per alium erit executor. Verum considerandum est, quod duo in d.Clem. prohibentur, scilicet dispensare pecuniam, vel quidquid sine contrectatione pecuniæ nequit expediri, & secundo onus, & ius agendi in iudicio, & quidquid habet annexum hoc onus, & ius. Itaque quoniam si executor nolit hoc consilium, vel exequi, vel petere Religiosus huius Ordinis non potest agere in iudicio ad hoc, vt petatur eius consilium, vel petitum executioni detur, quia actio in iudicio est illi per dictam Clementinam interdicta, ideo vere est etiam eidem interdictum recipere officium consiliarij si hoc officium accipiatur, vt tale, quod per se habeat ius agendi contra non petentem, cuius iuris est iste Religiosus incapax. Et ideo in hoc bene dixerunt Syluester, & Sanchez, & alij ab eo citati, quod si testator imponat onus petendi, & sequendi consilium Fratris Minoris, hoc debet intelligi ex vrbanitate, non ex necessitate, & quatenus testator expresse necessitatem imponeret, quod tunc hæc obligatio nulla esset, quia vere Minor est huius officij consiliarij necessarij incapax, in præfato sensu, non quia propriè consilium dare sit testamentum exequi, sed quia est habere ius ad agendum, seu se immiscere executioni cum iure agendi, vt non fiat, nisi ad eius iudicium, & voluntatem, cuius iuris dictus Religiosus est incapax. Sed hoc modo nec huiusmodi religiosus, est huius officij capax etiam si testator non obliget executorem ad sequendum consilium, sed obliget eum ad illud petendum. Quia per huiusmodi institutionem, & obligationem datur religioso ius aliquod contra executorem, illius iuris iste religiosus est incapax. Verum quia hoc officium Consiliarij potest intelligi, vt nullum ius tribuat consiliario, seu religiosus se habeat solum, vt terminus obligationis executoris, absque eo, quod ipse habeat ius aliquod contra illum. Et obligationes testamentariæ intelligi debent, vt valeant si fieri potest, ideo bene potest intelligi, quod obligatio petẽdi, vel etiam sequendi consilium Fratris Minoris imposita executori testamenti tanquam de forma, & solemnitate substantiali valeat, & sit efficax, & intelligatur vt sit imposita executori obligatio id agendi, sed non sit datum Fratri aliquod ius ad compellẽdum executorem ad sibi petendum consilium. Quo stante bene ex *Matien.* habet *Palau* n. 18. final. Quod esse consiliarium etiam necessarium, & ita vt sit necessitas in executore sequendi eius consilium est Fratri Minori permissum. Quia tunc Minoris erit solum consilium dare si fuerit petitum, quod non dedecet religiosum, cæterum eius non erit, vel obligare, vt petatur consilium, vel vt recipiatur, sed hæc obligatio in executore erit ex mente testatoris, in nihilo perturbata religiosi quiete, qui ex hoc nec ius habet, nec obligationem, vt compellat executorem ad executionem mentis ipsius testatoris.

S V M M A R I V M.

1 *Religiosi non possunt esse Tutores, nu.127.*
2 *Quadruplex tutella, num.128.*
3 *Tutor & Curator distinguuntur. nu.128.*
4 *Religiosi an possint esse tutores testamentarij, & datiui. num.129.*
5 *Possunt de licentia esse tutores legitimi. n.130.*
6 *Ad hanc tutelam possunt cogi. nu. 131.*
7 *Ad tutelam pupillorum possunt cogi. nu.132.*

Tutor, Curator.

127 NEc Tutores, aut Curatores possunt esse religiosi, vnde nec si in testamento assignati sint, & nominati, nec si à iudice sint electi, possunt religiosi acceptare tutelæ aut curatoris officium. Hoc enim illis prohibitum fuit in Concil. Chalced. cap. 3. & habetur cap. *Peruenit.* 86. dist. ibi. *Decreuit ergo sancta, & magna synodus, neminem horum deinceps hoc est Episcopum, siue Clericum, aut monachum conducere possessiones, aut misceri secularibus procurationibus; nisi forte, qui legibus ad minorum ætatem tutelas, siue curationes inexcusabiles attrahuntur, aut cui Ciuitatis ipsius Episcopus Ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula, vel orphanorum, ac viduarum, quæ indefensæ sunt, & earum personarum, quę maxime Ecclesiastico indigent adminiculo propter amorem Dei. Si quis vero transgressus fuerit hæc præcepta, correctioni Ecclesiasticæ subiaceat.* Et quid simile habetur *cap. vlt. 21. quæst. 3. ex S. Cyprian. & in Authent. de sanctiss. Episc. § Deo autem amabilis* quæ refertur *cap. Generaliter. 16. quæst. p.*

128 Hinc vero habetur quod triplex, aut quadruplex est tutela, scilicet testamentaria, datiua, legitima, & miserabilium personarum. Testamentaria est, quando quis à testatore nominatur sui hæredis tutor, datiua est, quando in defectum tutoris à testatore relicti aut consanguineorum quis à judice datur in tutorem, legitima est, quæ competit consanguineis à lege ad tutelam vocatis, & miserabilium personarum est, quæ ab Episcopo alicui committitur, vt miserabilium personarum iura tueatur. Tutela autem absolute secundum Azor. est ius & potestas in cap. libero ad tuendum eum, qui propter ætatem suam sponte se tueri nequit, à iure ciuili data seu permissa. *Instit. de tutela. §. est autem.* Distinguuntur autem tutor, & curator, quia tutor datur primario personæ & secundario rebus, sed curator econtrà. Secundo quia tutor datur impuberi, curator vero adulto, scilicet furioso, prodigo, surdo, muto &c. qui rebus preesse non possunt. Tertio quia tutor datur quandoque à iudice, quandoque à testatore, & datur etiam inuito: secus in curatore. *Syluest. v. tutela num. 1.* Durat vero tutela vsque ad 14. annum completum, & inde incipit cura, quæ durat vsque ad 25. annũ completum. *Instit. quibus modis, fin. & sust. de curat. Tabiea. v. tutela in princ.*

129 Est vero certum ex citatis iuribus, quod religiosi non possunt esse tutores aut curatores testamentarij, aut datiui, nec etiam de licentia suorum superiorum, qui super dispositione legis concilia-

ciliatis, seu Canonice dispensare non possunt. *Cap. vero fin. citatum ex dist.86.* est non Concilij Agatensis, vt refert *Sanchez lib.6.c.14.num.22.* sed Chalcedon. vt notatur in decreto Gratiani, & habetur in actis eiusdem Concil. Actione 15. can.3. an vero si religiosus tutelam testamentariam seu datiuam suscipiat, & exerceat factum sit nullum affirmat *Sanchez l.6.c.14.n.23. ex Azor. tom.1.l.12. cap.11.quæst.3.* & fundatur ex eo quod lex Regia 34. vtitur verbo non potest. Sed nec lex illa Regia obligat vniuersaliter, nec ex verbo non potest colligi potest nullitas, vt aduertit *Palaus trac.16.disp.4. p.13.§.7.num.1.* vt etiam dictum est supra nu.109. Etenim verbum non potest intelligitur, vt exprimat non posse licite, & non est necesse intelligi, vt significet nec posse valide. Id tamen tenet idem Palaus ex alia ratione, quia nimirum religiosus cum nihil habeat, nihil sui potest obligare pro administranda tutela, quod in tutore est necessarium. Quod probat vbi hæc obligatio sit de substantia tutoris, & sit incapax officij huius, qui nihil habet, quod obliget pro tutela administranda.

130 De tutela autem legitima loquendo, quod eius etiam sit incapax religiosus tenent *Anton. à Spir. Sancto p.2.tr.3.disp.6.num.1465. Gloss. Archid. Præpos. Lopez & Molina Sanchez d.l.6.c.14.num.25. & Palaus d.§.7.num.2. & fundantur in d. Authent. & in l. Regia 14. tit.16. par.6.* Verum cum in Concil. Chalcedonen. supra citato expresse hoc permittatur, non est vnde dicamus religiosos non posse esse tutores legitimos de licentia suorum superiorum. Nec legibus Imperatorum aut Regum in materia Canonica est standum, vbi lex Canonica expresse disponit, quid sit agendum. Nec est verum quod Concil. Chalced. solum Episcopis aut Clericis permittat huiusmodi tutelam; quia cum omnibus tam Episcopis, quam Clericis, & Monachis prohibuisset tutelam testamentariam, & datiuam, absolute excipit, & permittit legitimam, ijs omnibus procul dubio, quibus prius tutelam testamentariam & datiuam prohibuerat. Et propterea quod religiosi possint esse tutores legitimi de licentia suorum superiorum dixerunt. *Glossa in d. cap. final. in ver. tutelas. S. Raym. in sum. p.2. cap. vltim. D. Anton. 3. p. tit.13. cap.2. §.1. Turrecrem. ibid. Angelus v. tutela, num.1. & ibi Syluest. quæst.3. Tabien. quæst.1. num.2. Azor. tom.1. lib.12. cap.11. quæst.3. Lezana p.p. cap.9. num.17.* Vnde non obstat d. Authent. vel lex Regia, quia illis derogat Concil. Chalced. neque obstat quod religiosus non habet bona, quæ obliget pro administranda tutela, quia hoc non est de substantia tutoris. De clericis autem, quod possint esse tutores legitimi dixerunt *Grat. discep.57.nu.32.* & pluribus citatis, & tanquam decisum à Sacr. Congreg. Concilij. *Barbosa l.1. de iure Eccles. c.39. num.73. & cap.40. num.113. Sanchez Consil. lib.6. cap.7. dub.6.*

131 Sed dubium remanet, an huiusmodi religiosi cogi possint ad huiusmodi tutelam suscipiendam. Et cum certum sit eos à nullo iudice aut superiori laico posse ad id cogi, cum ab eorũ iurisdictione sint exempti. *Turrecrem ad d.c. fin. dist.86. & D. Antonin. vbi sup.* An autem possint cogi à superiore Ecclesiastico habente in eos legitimam iurisdictionem, negant *Syluest. v. tutela quæst.3. & Tabien. q.1. Angelus num.1.* pro qua sententia *Sanchez* refert etiam *Turrecrem.* Qui tamen expresse loco citato tenet oppositum, & id probat, quia sicut isti succederent ab intestatò in bonis decumbentiũ, & ita vocarentur ad successionem, ita ad tutelam vocandi sunt. Et hoc est magis conforme rationi, & æquitati, & decreto Concil. Chalcedonen. in quo supponitur quod huiusmodi Clerici, & Monachi ad tutelam legitimam inexcusabiles attrahantur. Nec in hoc locum habet Authent. citati quia vt bene aduertit Turrecremata ei derogatur per Concil. Chalced. in *d. cap. fin. dist.86.* A solis tamen suis superioribus cogi possent religiosi ad tutelam hanc legitimam suscipiendam. Et quatenus ex lege speciali in aliqua religione id esset prohibitum, illa seruanda esset.

132 Quantum vero ad tutelam miserabilium personarum, cum sit opus pium, quod maxime decet Ecclesiasticos. *cap.1. dist.87.* quod est sumptum ex Gelasio Papa Epis. ad Gerontium, & Petrum Episcopos, nedum potest, sed debet suscipi à clericis, & religiosis, qui & ad eam possunt à suis superioribus cogi, vt habetur ex d. decreto Concil. Chalcedon. & tradunt *Turrecrem. D. Anton. Syluest. Angelus, Tabien. Rosella num.2. Armilla nu.2.* quidquid in contrarium dixerit *Sanchez d.l.6.c.14.n.26.* Nec obstat quod dicitur, scilicet quod in d. decret. Concil. Calched. nullum est verbum quod significet monachos ad id cogi posse; Cum enim decernatur ibidem quod Episcopus potest hanc tutelam committere, simul decernitur quod potest cogere, & licet modo id non possit Episcopus erga Regulares, si sint exempti, ex vi tamen Concilij Chalced. poterat id Epis. tunc, cum monachi non erant exempti, & modo possunt superiores regularium, qui in locum Episcopi quantum ad hoc successerunt. Quamuis vero Concil. Romanum sub Melchiade Papa vt habetur cap.1. dist.88. loquatur expresse de clericis, quando ait, quod Episcopus potest illis præcipere vt curam habeant pupillorũ; ex quo tamen, & ibi alibi pupillorum cura censetur opus pium & proprium status Ecclesiastici, bene colligitur, quod non dedeceat etiam religiosos, & ex consequenti, quod religiosi à suis superioribus ad hanc curam, si necessitas vrgeret possent cogi. Nec enim obstat, quod tractare negotia secularia sit alienum à religiosis, quia hoc est verum si id fiat ex auaritia, non vero si fiat ex charitate, vt habet D. Thomas in præsenti articulo. Ideo quod clerici de licentia Episcopi possint etiã suscipere gubernationes dixit. *D. Anton. vbi sup.*

SVMMARIVM.

1 *Religiosus non potest fideiubere nisi de licentia, & consensu Capituli. n.133.*
2 *Fideiussio religiosi sine licentia est nulla nu.134.*
3 *Prohibitio facta aliquibus Religiosis non se extendit ad alios. n.135.*
4 *Religiosi non accipiunt mutuum sine licentia. numer.136.*

Fideiussor.

133 NOn potest religiosus fideiubere pro aliquo sine licentia sui superioris, & Capituli.

pituli. De hoc enim habetur præceptum Concil. Lateranen. sub Innoc. III. cap. penul. de fideiuss. ibi. *Quod quibusdam Religiosis à Sede Apostolica est prohibitum, volumus, & mandamus ad vniuersos extendi, ut quis scilicet Religiosus absque maioris partis Capituli, & Abbatis sui licentia pro aliquo fideiubeat, nec ab aliquo pecuniam mutuum accipiat vltra summam communi prouidentia constitutam, alioquin non teneatur Conuentus pro his aliquatenus respondere: Nisi forte in vtilitatem domus ipsius manifeste constiterit redundare. Et qui contra hoc statutum venire præsumpserit, grauiori disciplinæ subdatur.* Itaque igitur fideiussio sic est prohibita Religioso, quod ei permittitur de consensu maioris partis Capituli, & licentia superioris, Vbi vero non est vsus Capituli, sufficit licentia superioris, qui eam valeat concedere, vt in Societate. Ideoque etiam requiritur ex natura rei vtilitas Conuentus, quia in damnum eius non potest quis se obligare. Immo vbi fideiussor obligat bona Conuentus immobilia, vel mobilia pretiosa necessaria est licentia Sedis Apostolicæ, quia fideiussio est species alienationis, vt explicatum est supra q. 185. a. 7. nu. 300. Superior vero in minimis poterit sine alia licentia fideiubere, quantum scilicet ad illam quantitatem, quam potest alienare sine Conuentu. Respectu enim illius non est necessaria alia licentia, quia ipse quam licentiam potest alijs dare, potest & sibi sumere. Quamuis in re graui, & pro ea quantitate, quam non potest alienare sine consensu Capituli, neque possit fideiubere. Consensus etiam Capituli sufficit, quod adsit explicitus, vel implicitus, *Syluest. v. Fideiussor num. 4. Tabien. num. 3. Armill. nu. 4. Sanchez l. 6. mor. cap. 14. nu. 38. Palaus tract. 16. disput. 4. p. 13. §. 4. num. 1. Lezana p. p. cap. 9. num. 18. Anton. à Spir. S. tr. 3. disp. 6. num. 1494.*

134 Cum verò Religiosus nihil proprij habeat, sed omnia quæ habet sint Conuentus, etiam si sibi sit aliquod peculium concessum, ideo si sine licentia, & consensu Capituli, vbi illud est necessarium fideiubat, irrita est fideiussio, & in hoc distinguitur à Clerico, qui habet dominium proprij patrimonij, & fructuum sui beneficij, vnde licet fideiussio Clerici etiam extra casum necessitatis pro laico facta sit prohibita, ideo eius fideiussio non est nulla per se etiam facta in casu prohibito, sed fideiussio religiosi est per se nullius valoris, tanquam alienatio rei alienæ inuito domino. *Hostien. in cap. penul. num. 2. de fideiuss. Io. Andr. in cap. 2. Ne Clerici, vel Monachi in 6. & ibi Archidiac. nu. 7. Domin. num. 10. Franc. nu. 6. Syluest. v. excommunicatio 9. num. 55. in fine D. Anton. tom. 3. tr. 24. cap. 53. fin. Sanchez vbi sup. num. 41. Palaus num. 2. Lezana d. nu. 18. Anton. à Spir. S. nu. 1496.* Quod adeo verum est, vt licet Religiosus sit extra Conuentum de licentia superioris, vt v.g. sit in studio generali, & possit contractus inire, quia hoc verum est solum de contractibus sibi necessarijs, & facientibus ad studium, seu causam, pro qua de licentia manet extra Conuentum, inter quos contractus non numeratur fideiussio, ideo si fideiubat sine licentia, & obliget quæ sibi ad vsum sunt concessa, nihil valet fideiussio, vt tradunt *Domin. Franc. D. Anton. Syluest. supr. citati, & Panorm. d. cap. penul. de fideiuss. num. 2. Surdus de alimen. tit. 8. de priuil. 97. num. 1. Sanchez num. 42. Palaus d. num. 2.*

135 Ex recensito autem textu Concil. Lateranen. habetur vnum valde notandum, scilicet quod prohibitio facta aliquibus Religiosis, non se extendit ad alios etiam ex identitate rationis, nisi extendatur à legislatore. Etenim quod religiosus non possit fideiubere sine licentia superioris, immo & Conuentus est quid communissimum omnibus ex lege diuina, & ex vi voti paupertatis, ex qua religiosus cum nihil habeat proprium, nihil potest alienare Conuentu, & superiore inuito, & tamen prohibitio iuris positiui facta de non fideiubendo aliquibus Religiosis non fuisset vniuersalis omnibus, nisi Papa eam extendisset ad omnes. Innocentius enim Tertius in Concil. Lateranen. non declarat prohibitionem hanc esse vniuersalem, quia eadem sit de omnibus ratio, sed vult, & mandat esse talem, ex quo habetur manifeste, quod antea non erat talis, & quod non fuisset talis, nisi ipse id mandasset.

136 De mutuo etiam, quomodo non liceat accipere mutuum sine licentia Sedis Apostolicæ, obligando bona Cōuentus non alienabilia dictum est supra qu. 185. a. 7. num. 279. & seq. vbi etiam est explicatum qualiter Monasterium nō teneatur respondere de mutuo accepto. Quomodo etiam Religiosus non possit sine licentia accipere mutuum dictum est supra q. 186. a. 7. n. 210.

§VMMARIVM.

1 *Religiosus non potest esse depositarius sine licentia. num. 137.*
2 *Quale peccatum sit esse depositarium sine licentia. num. 137.*
3 *Pereunte deposito apud Religiosum non tenetur Monasterium. n. 138.*
4 *Superior potest à Religioso auferre depositum, vt securius custodiatur. n. 139.*
5 *Si depositum ad fauorem Ecclesiæ, & deponentis est factum eo pereunte, Ecclesia tenetur sicut alij depositarij n. 140.*
6 *Etiam si depositum sit factum ad fauorem solius deponentis, Ecclesiam teneri, aliqui dicunt, alij negant. num. 140.*
7 *Argumentum à contrario sensu, quando non valeat. num. 140.*
8 *Vbi depositum non perijt ex culpa Ecclesiæ, licet perierit ex culpa alicuius de Ecclesia, ipsa non tenetur. nu. 141.*
9 *Vbi Ecclesia depositum consumpsit, tenetur ad restitutionem. n. 142.*
10 *Pro sola negligentia in custodiendo deposito non potest Ecclesia cogi ad distrahenda bona immobilia, vel mobilia pretiosa. n. 142.*
11 *Ecclesia potest in hoc iuuari beneficio restitutionis in integrum. n. 143.*
12 *Quando depositum censeatur datum Ecclesiæ, & non priuatæ personæ. n. 144.*

Depositum.

137 De iure communi non esse illicitum Religioso habere officium depositarij colligitur sump. arg. ex cap. 1. de deposito. Mortaliter tamen peccaturum Religiosum, si depositum

accipiat fins licentia ſuperioris ob contractum tacitum, & obligationem ſuſceptam tradit *Palaus tr.16.diſp.4.p 13.§.4.nu.3.* citans *Molinam, & Sanchez l.6.moral. cap.14. num.27.* Sed Sanchez ex Molina dicit quidem quod religioſus male faciet, ſed non dicit, quod peccabit mortaliter recipiendo depoſitum ſine licentia. Cum *Palao* ſentit *Aaron. à Spir.S.tract.3.diſp.6. num.1497.* Sed non video qua ratione, cum hoc directe non ſit contra votum aliquod; quia habere apud ſe pecuniam, vel aliud pecunia æſtimabile nomine alterius non eſt contra votum paupertatis, cum non habeatur, nec ad vſũ proprium, ſed ſolum pro cuſtodia. Et quod eſſe depoſitarium non ſit contra votum paupertatis ex *Suarez, Sanchez, Layman, & eiſdem Palao, & Anton. à Spir.Sancto dixi ſupra quæſt.186.a.7. num.218.* Vbi ergo non ſit alia lex vel præceptum obligans ſub mortali, hoc neque eſt, peccatum mortale contra votum obedientiæ. *Ex qua ergo cauſa eſt* mortale peccatum? Et licet religioſus contractum ineat, & ſe obliget, hæc eſt obligatio perſonalis, quæ de ſe nihil valet facta ſine licentia, & qui depoſitat ſibi imputare debet, ſi res pereat vt infra probatur. Et ſi ex vi depoſiti periclitari poſſit vel pax, vel reputatio, & honor monaſterij, hoc eſt per accidens & quod contingenter accidere poteſt, & ex quo ratio ipſa depoſiti per ſe non poteſt reddi illicita. Defectus vero licentiæ ad agendum alias rem non illicitam non eſt talis, qui ſit peccatum mortale, ſed tale peccatum eſt, quale eſt in quacunque religione agere ſine licentia ſuperioris, quod etiam in pluribus religionibus nullum eſt peccatum. Vnuſquiſque religioſus propterea in hoc ſuas debet ſeruare leges. In ſocietate eſſe ſpecialiter prohibitum religioſis officium depoſitarij ex regula 64. & 69. probat *Sanchez d.cap.14 num.28.* Idem de ſua Relig. Carmelitarum Diſcalceatorum tradit *Anton. à Spir.Sancto d.trac.3. diſp.6. num.1499. ex p.p.conſt.cap.7. num.8.*

138 Si vero religioſus ſit depoſitarius, & depoſitum pereat, non tenetur monaſterium de depoſito amiſſo culpa religioſi, vel deteriorato etiamſi depoſitum receptum fuerit de ſuperioris licentia; quia licentia eſt neceſſaria ne religioſus illicite agat, non vero vt inde Prælatus, vel monaſterium obligetur: Quin immo ſi ſuperior ipſe depoſitum accipiat, non per hoc de depoſito perdito, vel diminuto tenetur monaſterium, quod in depoſitum non conſenſit, vt colligitur manifeſte ex *cap.1. de depoſ. ibi. Non debemus de iure contra Canonicos eiuſdem Eccleſiæ præciſe intentare iuſſionis inſtantiam, vt tibi eandem reddant pecuniam perſonæ non Eccleſiæ commendatam.* Sic ergo quando depoſitum eſt commendatum perſonæ non Eccleſiæ, non tenetur Eccleſia de depoſito reſpondere, Niſi pro quanto in aliquo depoſitum ceſſerit in vtilitatem monaſterij, quod ex eo factum ſit locupletius, *cap. de licitum. De regulis iuris in 6. Sanchez d cap.14 num.29. ex Mol. & Leſſ. Palaus d.§.4.nu.3. Anton. à Spir. Sancto d.diſp.6.num.1500.* Religioſus tamen ſi eius culpa depoſitum periit tenetur ad reſtitutionem, & reſtituere debet iuxta explicata ſupra *q.186. a.7. a num.466.* Immo licet Dominus teneatur in ſimili caſu dare ſeruum pro noxa, aut reſarcire damnum ex *l.2. ff. de noxalibus actionibus*, non tamen ſuperior tenetur pro noxa dare religioſum; quia religioſus eſt perſona libera, & res inæſtimabilis, quam non licet commutare pro re inæſtimabili addidit *Sanchez citatus num.30. ex Nauar. tom.2.n.62. de regular.*

139 Duplex vero hic occurrit difficultas. Prima eſt an ſuperior poſſit à ſubdito auferre depoſitum, & apud ſe cuſtodire? Reſpondet *Palaus d. §.4.num.4.* non poſſe niſi domino conſentiente, quia illud eſſet depoſitum tollere, & apud ſe vendicare. Poteſt tamen præcipere religioſo vt depoſitum non teneat, ſed reſtituat. Verum additur, quod etiam poteſt depoſitum auferre, vt ſecurius in monaſterio cuſtodiatur. *Sanchez d.cap 14.nu.31.* Licet vero ſuperior non habeat actionem circa rem depoſitatam vt illam petat actione rei vendicationis, quia res illa non eſt monaſterij, nec monaſterium de ea tenetur, ſed hæc actio domino rei competat, tamen ſuperior poteſt religioſum ſuum ſi in cuſtodiendo depoſito deliquerit punire, cum ſit eius legitimus ſuperior & iudex.

140 Secundo & grauis difficultas eſt an Eccleſia teneatur ex lege depoſiti ad reſtitutionem ſi depoſitum ſit culpabiliter deperditum? DD. Conueniunt in hoc, quod ſi depoſitum factum ſit in vtilitatem vtriuſque ſcilicet deponentis, & Eccleſiæ depoſitariæ, vt puta, quia Eccleſia pro depoſito ſeruando accepit pretium, quod tunc teneatur ad reſtitutionem ſicut alij depoſitarij. Verum ſi factum ſit depoſitum ad fauorem ſolius deponentis, adhuc quod Eccleſia teneatur ſicut alij depoſitarij tenent *Gloſſ.in cap.primum verb. perſona, de depoſito. Et ibi Imol.num.15. & 16. Anton. num.5. & 13. Cardinal.num.2.not.3. & nu.7.quæſt.7. & lex regia 7. tit.3. & ibi Greg. Lopez,* quos referunt & ſequuntur *Sanchez l.6.cap.14.nu.35. Palaus tr.16.diſput.4 p.13. §.4.num.6. Barboſ.in d. cap.primum num.8.* de depoſito, & apud eum *Malin. Angelus, & Curdoſ.* Fundantur iſti in *d. cap.p.* vbi intantum Canonici ſeu Eccleſia excuſatur à reſtitutione, quia depoſitum non ipſi, ſed ſingulari perſonæ fuerat commendatum. Ex hoc enim per argumentum à contrario ſenſu colligitur, quod ſi fuiſſet commendatum Eccleſiæ illa teneretur ad reſtitutionem. Sed hæc ratio non probat, quia argumentum à contrario ſenſu non valet ad inducendam vniuerſalem diſpoſitionem. Nam quando quæſtionis reſolutio in vno caſu eſt certa, in alio autem caſu, vel eſt dubia, vel adhuc eſt diſtinguibilis in plures caſus, in quorum vno ſit vera, in alijs non. Ex eo quod lex diſponat in vno caſu certo, non poteſt deſumi regula ad hoc vt dicatur quod in omni alio caſu ab eo diſtincto liceat, vel non liceat, debeat, vel non debeat quis agere. Sic in propoſito certum eſt; quod vbi depoſitum non eſt commendatum Eccleſiæ, ſed perſonæ, Eccleſia non tenetur ad reſtitutionem, depoſiti, & hoc Alexandro Tertio ſufficiebat, vt ſolueret quæſtionem de qua in eo cap. primo diſputabatur. Non licet ergo inferre ergo ſi depoſitum ſit commendatum Eccleſiæ, ipſa tenetur ſicut alij depoſitarij, quia adhuc hoc poſito difficultas eſt ſpecialis an Eccleſia teneatur, & verum eſt in aliquo caſu teneri, ſcilicet ſi depoſitum factum ſit ad vtilitatem vtriuſque. Non licet ergo ex eo textu inferre quod vniuerſaliter teneatur. Præter quam quod, vt habet *Panorm. ibi num.10.* Non eſt certum, quod in eo textu nomine Canonicorum veniret

Eccle-

Ecclesia, quia bene contingere poterat, quod Canonici potuissent compelli, vt ex proprijs restituerent. Propterea quod vbi depositum factum est ad solius depositarij vtilitatem, quod Ecclesia non teneatur ad restitutionem depositi culpabiliter diminuti tenent ad *d. cap. primum de deposito Innoc. num. 2. Panorm. num. 10. Henric. num. 2. Io. Andr. Hostien. num. 3. Gloss. in cap. vlt.* Ne Prælati vices suas *Paulus, & Rebuff. apud Barbosam ibid.*

141 Ego vero distinguerem, quia vel depositum deperditur ex culpa Ecclesiæ, quia v.g. ea iussu Prælati & consensu Conuentus fuit alienatum, vel quia culpabiliter Ecclesia dedit illud custodiendū in loco periculoso, vel apud personam infidelem, & ita scilicet, quod culpa deperditionis depositi redūdat in Ecclesiam ipsam & Capitulum, seu Conuentum; vel quia licet ex culpa ministri vel alterius de Ecclesia, & Conuentu depositum perierit, hoc tamen factum fuit sine culpa Ecclesiæ. In hoc secundo sensu puto quod Ecclesia non teneatur nisi pro quanto depositum conuersum fuerit in eius vtilitatem, & ea eo facta sit ditior. Quia ex quo Ecclesia ea contractu oneroso non se obligauit ad custodiam depositi, ex eo quod ad fauorem deponentis recepit illud custodiendum, non est censendum eam se voluisse obligare nisi ex propria & communi culpa. Et quidem ea culpa lata, quia cum depositum fit ad fauorem solius deponentis, depositarius non tenetur de leuissima culpa, & leui, sed solum de lata culpa, ex regula generali, quod quādo contractus fit ad fauorem dantis accipiens non tenetur nisi de lata culpa, vbi ergo Ecclesiæ culpa lata depositum non perijt, non tenetur ipsa ad restitutionem etiam si apud ipsam depositū illi commendatum perijt culpa eius cui custodiendum traditum fuerat, vel alterius de Conuentu, qui depositum furatus fuit, & dissipauit.

142 Sed si ea culpa lata Ecclesiæ depositū perijt, videtur, quod ipsa ad restitutionem sit obligata. Sed nihilominus alia distinctio adhiberi debet. Nam vel Ecclesia ipsa depositum consumpsit, vel in sui vtilitatem illud destruxit, vel alteri alienauit, vel ipsum destruxit, aut combussit. Et in hoc casu Ecclesia tenetur ratione rei acceptæ, seu damni iniuste dati ad restitutionem quia ipsa est, quæ damnum dedit. Vel Ecclesiæ negligentia solum aliunde perijt, & sic Ecclesia non est in culpa nisi quia non custodiuit, seu non impediuit quin depositum periret. Et in hoc casu datur alia distinctio ad mentem DD. quos retuli pro secunda opinione. Quia vel pro restitutione depositi distrahendum est Ecclesiæ aliquod bonum immobile, vel mobile pretiosum, vel solum aliquod bonum alienabile sine beneplacito Apostolico, In hoc secundo casu dicendum est Ecclesiam teneri ad restitutionem, si depositum ex communi culpa lata & negligentia perijt. Quia non seruauit, quod promisit, & ad quod se obligauit recipiendo depositum. Ex quo enim Ecclesia depositum recipere potest, & recipit, obligat se ad depositi leges quatenus est capax obligationis, si depositum seruatis legis solemnitatibus suscipit. Et in hoc vera est prima sententia, à qua nec omnino abhorret secunda quia Panormit. hanc distinctionem considerauit, & dicit sibi non occurere rationem ad obligandam Ecclesiam saltem quando deueniendum est ad alienationem rei immobilis, vnde non est alienus à sententia obligante Ecclesiam ad restitutionem quando non est distrahendum nisi bonum mobile non pretiosum. Sed si ad restituendum sit distrahendum bonum immobile, vel mobile pretiosum, puto Ecclesiam non teneri in hoc casu ad restitutionem; quia non potuit se ad hoc obligare sine speciali licentia Sedis Apostolicæ. Quod enim in oppositum dicitur, quia scilicet ea quo Ecclesiæ cōcessum est posse accipere depositum esse permissum quoque Ecclesiæ distrahere bona immobilia ad depositum restituendum, quod inquam sic dicitur, probandum esset; cum alias non sit de vtilitate Ecclesiæ, vt ipsa in ijs quæ agit ad fauorem solius dantis, possit se obligare etiam ad alienanda bona inalienabilia; ideo nec censendum est Ecclesiam illi permittere, vt contrahat hanc obligationem. Immo nec quando Ecclesia recipit depositum ad sui vtilitatem potest obligare bona immobilia, vel mobilia pretiosa. Nam si nec potest recipere mutuum obligando bona immobilia, & mobilia pretiosa, vt dixit *Panorm. cap. penul. numer. 4. & 5. de fideiuss.* multo minus potest ea obligare recipiendo depositum. Ideo non potest Ecclesia compelli vt depositum restituat, ex sola negligentia illud custodiendi, si ad restituendum sit necessarium distrahere bona immobilia, vel mobilia pretiosa. Immo hinc sequitur, quod etiam si Ecclesia ea propria vtilitate accepit depositum, non tenetur nec potest cogi ad distrahendū immobilia pro restitutione; quia sine licentia Sedis Apostolicæ non potuit ea obligare. Ideo tunc ad huiusmodi bona distrahenda solum cogi posset, si vel depositū fuisset versum in eius vtilitatem, & alias non haberet vnde restitueret. *Gloss. in d. cap. 1. de mandato verb. vtilitatem.* Vel si ipsa damnum dedisset; & sic esset obligatio vel ratione rei acceptæ, vel ratione damni dati directe & positiue consumendo, vel distrahendo depositum non vero ex sola culpa negligentiæ non custodiendi, seu sola culpa non conseruandi illud, & non impediendi ne ex culpa alterius periret, quia ad custodiendum non potuit sine licentia Sedis Apostolicæ valide obligare bona immobilia, vel mobilia pretiosa.

143 Posse vero Ecclesiam contra hanc restituendi obligationem iuuari beneficio restitutionis in integrum, si non dolo, sed solum ex lata culpa deliquerit in deposito, quia in simili casu etiam minori conceditur beneficium restitutionis in integrum ex *Imola, & Sfortia Oddo* sentit Sanchez *d. capit. 14. num. 36.* cui consentit *Palaus d. §. 4. num. 7.* lata enim culpa non est dolus nisi præsumptus.

144 Quando vero censendum sit depositum datum esse non priuatæ personæ, sed Ecclesiæ custodiendum, hoc certum est, quod Ecclesiæ censetur datum, & ab ea acceptum si hoc fiat de consensu Prælati, & Capituli. Addunt *Sanchez nu. 37. & Palaus num. 8.* idem dicendum esse si depositum sit factum videntibus Prælato, & Capitulo, & minime contradicentibus. Sed hoc explicatione indiget. Nam debet considerari & datio, & acceptio. Si enim depositum datur particulari personæ custodiendum, etiam si detur videntibus Prælato, & Capitulo non per hoc est datum Ecclesiæ, quia Ecclesia tunc solum censetur dare licentiam priuato custodiendi depositum. Nec per hoc Ecclesia

suscipit in se obligationem custodiendi depositū, quod dat particulari licentiam illud recipiendi in custodiam. Sed necesse est vt depositū detur Ecclesiæ, & accipiatur nomine publico & communi cōsentiente Prælato & Capitulo saltem consensu interpretatiuo, quia viderunt dari & recipi depositum nomine Ecclesiæ, & non contradixerunt. Item tertio censetur depositum receptum ab Ecclesia, si fuit receptum a ministro ad hujusmodi deposita recipiēda deputato, si tamen ille non excessit fines mandati sibi præstiti. Si enim fuisset deputatus minister ad deposita quædam specialia, & ipse limites mandati transgrediendo alia recepisset, receptio nulla esset ex parte Ecclesiæ. *Sanchez d.num.37. ex Card. Anchar. Panorm. & Greg. Lopez. Palaus d. n.8.* Non sufficeret vero si depositum daretur alicui officiali Conuentus, etiam si ille esset depositarius rerum Conuentus, nisi esset depositarius deputatus ad res alienas recipiendas in depositum. Et non sufficeret in hoc casu, quod v. g. Sacrista, vel Procurator Conuentus de licentia superioris reciperet alicuius depositum seruandum, quia adhuc Sacrista aut Procurator reciperet illud vt priuata persona, si non esset ad sic recipiendum deputatus a Cōuentu, seu Capitulo, vel de eiusdem consensu illud reciperet.

SVMMARIVM.

1 *Negotiatio prohibita Religiosis. num. 145.*
2 *Non tamen de iure diuino. nu. 145.*
3 *Negotiatio quid sit. num. 146.*
4 *Negotiatio dupliciter mala. nu. 147.*
5 *Negotiatio ex triplici causa habet speciem mali, num. 147.*
6 *Negotiationis quatuor conditiones. nu. 148.*
7 *Prima conditio est emptio rei. n. 149.*
8 *Secunda est emptio, vt res empta vendatur. numer. 150.*
9 *Tertia conditio quod res empta immutata vendatur. num. 151.*
10 *Quarta conditio vt res empta carius vendatur, num. 152.*
11 *Declarationes aliquæ Sacr. Congregat. num. 153. 154. & 155.*
12 *An prima ex dictis conditionibus sit necessaria. numer. 156.*
13 *Negotium illicitum est quidquid agitur propter lucrum. nu. 157.*
14 *De ratione negotiationis est emptio rei venditæ, num. 157.*
15 *Licet vendere fructus suos etiam per conductos ministros collectos, vel mutatos, vt pannum ex propria lana, panem ex proprio frumento, ferrum ex propria vena, &c. nu. 158.*
16 *Conducere operarios ad propria curanda, aut immutanda non est negotiatio. n. 158.*
17 *Deportare propria ad alienas terras etiam ad vendendum non est negotiatio. nu. 158.*
18 *Conseruare frumentum ad vendendum carius non est negotiatio. nu. 159.*
19 *Imprimere opera à Religioso elaborata, etiam vt vendantur, non est malum. n. 160. & 161.*
20 *Esse factorem laici est negotium prohibitum, numer. 162.*
21 *Proxineta esse officium Clericis prohibitum. n. 163.*
22 *Vendere proprium vinum ad minutum non est mercatura prohibita. nu. 163.*
23 *Alchimia prohibita. nu. 163.*
24 *Locare famulos, & animalia non empta pro mercede non est illicita negotiatio. nu. 164.*
25 *Permutare pecuniam propriam non est illicitum, secus exercere artem campsoris. nu. 165.*
26 *Colere proprios agros non est illicitum. n. 166.*
27 *Colere agros Ecclesiæ alterius non est prohibitum, si non fiat lucri causa. n. 167.*
28 *Conducere agros ex præcisa necessitate licitum, num. 168.*
29 *Discrimen magnum inter conducere agros Ecclesiæ, & secularium. Hoc enim est negotium seculare ex sola præcisa necessitate permissum. numer. 169.*
30 *Successor conductoris continuat conductionem. numer. 170.*
31 *Conducere vectigalia illicitum. n. 171.*
32 *Conducere lites illicitum. nu. 172.*
33 *An ad negotiationem sit necesse quod res vendatur immutata. nu. 173.*
34 *Artificium per se non est negotiatio illicita. numer. 174.*
35 *Negotia sordida illicita Clericis. nu. 175.*
36 *Quæ artes Clericis conueniant. nu. 176.*
37 *Difficultas de agricultura, &c. nu. 177.*
38 *Conficere non sordidum artificiatum, etiam vt vendatur, non est illicita negotiatio. nu. 178.*
39 *Artificiata ad vsum religiosorum est licitum, numer. 179.*
40 *Aromatariam possunt Religiosi exercere. n. 179.*
41 *Quid possint Romæ. n. 180.*
42 *Vtilius quod monasteria per religiosos exerceant artificium. n. 181.*
43 *Vt artificium sit iustum negotium sufficit, vt fiat ex fine honesto. n. 182.*
44 *Emi potest artificiatum fructiferum & per ministros conductos colligere fructus vendendos. numer. 183.*
45 *Ars agricultura in proprijs casalibus licita. numer. 183.*
46 *Emi potest ager plenus fructibus maturis, & eos vendere. n. 184.*
47 *Exercere artem ex materia empta & emptos artifices est negotiatio. n. 185.*
48 *Conducere alienos agros vt per alios colendos ad vendendum fructus est negotium prohibitum, non vero est negotiatio. n. 186.*
49 *An empta animalia locare sit negotiatio? nu. 187. 188. 189.*
50 *Emere animalia ex proprijs herbis saginanda & vendenda non est negotiatio. n. 190.*
51 *Quid si Clericus emat venam ferri, vt illud extrahat, & vendat? n. 191. 192.*
52 *Emere agrum fructibus maturis plenum cum intentione vendendi fructus non est negotiatio, numer. 193.*
53 *Fructus pendentes fructus sunt rei. nu. 193.*
54 *Emere vaccam prægnantem cum intentione vendendi fetum non est negotiatio. n. 194.*
55 *Quod emitur vt accessorium etiam cum intentione vendendi illud, non constituit negotiationem, numer. 194.*
56 *Emens venam metalli vt accessorium quid ad agrū potest metallū vendere ad sui commodum. n. 195.*

Si mo-

57 *Si monasteriam iadigens viginti non potest habere nisi emat 30. non est mercator si emat 30. cum intentione vendendi decem. n.196.*
58 *Emere lanam ad conficiendum pannum per conductos ministros ad vendendum est mercatura. numer.197.*
59 *Quarta conditio negotiationis. n.198.*
60 *Appetere lucram secundum se est vitium. n.198. 199.*
61 *Mercatura habet speciem mali, licet non sit per se illicita. n.199.*
62 *In mercatura lucrum est per se volitum. Emere ad vendendam ad fugiendum malum nõ est mercatura. n.200.*
63 *Negotiatio est prohibita secundum substantiam, & non tantam ex causa mala. n.201.202.*
64 *Idem dicendum de conductione possessionam. numer.203.*
65 *Intell. cap. secundum. Ne Clerici vel Monachi. num.204.*
66 *Quid sit agere causa lucri. n.204.*
67 *Non licet Clerico emere in tempore abundantia, vt vendatur carius tempore penuria, etiam si id fiat ex pietate. n.205.*
68 *Negotiatio importat frequentiam actuum. num. 206.*
69 *Negotiari an sit peccatum mortale. n.206.*
70 *In casa vera & pracisa necessitatis negotiatio est licita. n.207.*
71 *An liceat negotiari per alium: opiniones varia. num.208.*
72 *Non datar negotiator per alium, qui non sit talis per se ipsum. n.209.*
73 *Esse socium in negotio mercaturę est esse mercatorem. n.209.*
74 *Intell. Clem. 1. de vita & honest. Cler. nu.210.*
75 *Intell. Clem. 1 de stat. monac. n.210.*
76 *Religiosis omnibus est prohibita negotiatio. num. 211.*
77 *Item Clericis omnibus ordinatis in sacris. numer. 212.*
78 *Clericis non in sacris constitutis non esse illicitam negotiationem aliqui tenent. n.213.*
79 *Clerici non in sacris constituti sunt ministri altaris. num.214.*
80 *Clericis non in sacris prohibita negotiatio. n.214. 215.*
81 *Qualiter Episcopis sit interdicta negotiatio. numer.216.*
82 *Sub nomine Clericoram non veniunt Episcopi in odiosis. n.216.*
83 *Prima pœna lata in negotiatores est excommunicatio. n.217.*
84 *Monachi sub eadem pœna non possunt conducere possessiones. n.217.*
85 *Instituens sacerdotem in tutorem priuatur suffragijs. n.218.*
86 *Sacerdotes si exerceant Prapositi secularis officium excommunicantur. n.218.*
87 *Secunda pœna suspensio. 219. Lata est contra exercentes procurationes villaram & iurisdictiones seculares. n.219.*
88 *Hac pœna non est depositionis, sed suspensionis. num.219.*
89 *Religiosi grauius puniendi. n.220.*
90 *Eadem pœna contra negotiatores. nu.221.*
91 *Non afficit Episcopos. n.221.*
92 *Tertia pœna depositio. n.222.*
93 *Lata contra Clericos in sacris exercentes curas seculares. n.222.*
94 *Et contra eosdem, si sint iudices in causa sanguinis. num.222.*
95 *Clerici in sacris tabellionatus officium exercentes priuandi beneficijs. n.222.*
96 *Clerici negotiatores deijciendi à Clero. n.222.*
97 *Quarta pœna priuatio priuilegij exemptionis. numer.223.*
98 *Clericus negotiator ad hoc vt perdat vniuersaliter priuilegium exemptionis necessaria est trina monitio per internallu &c. n.224.*
99 *Vbi agitur de pœna an sufficit vna monitio pro trina? n.224.*
100 *Nisi imponatar per statutum. n.224.*
101 *De bonis negotiationi expositis debetur gabella à Clerico, ac si esset secalaris. n.225.*
102 *Etiam si negotiatio fiat nomine Ecclesia debetur gabella. n.225.*
103 *Compellere clericum ad gabellam soluendam est iudicis Ecclesiastici. n.226.*
104 *Clericus negotiator non perdit priuilegium fori. num.227.*
105 *Clericus negotiator perdit solum priuilegium exemptionis n.228.*
106 *Si tamen incedat cum habitu, & tonsura. nu.229.*
107 *Roma exercentes artem agricaltura subiecti sũt consulibus artis. nu.230.*
108 *Clericus desistens a negotiatione reacquirit priuilegium. num.231.*
109 *Clerici publice, & personaliter exercẽtes artem tabernarij, qualiter perdant priuilegium clericale na.232.*
110 *Quomodo facilius perdatur priuilegium canonis, quam fori. num.232.*
111 *Vbi sit dubium de negotiatione Clerici standum eius iuramento. n.233.*
112 *In ijs casibus in quibus licita est negotiatio a Clericis non debetur gabella. n.234.*
113 *Pro quocumque mercatura actu debetar gabella. num.234.*
114 *Quinta pœna spoliam. n.235.*
115 *An sub spolio comprehendantar acquisita contra sacros canones. numer. 236. 237. 238. 239. 240.*
116 *Quid intelligatur per sacros canones. n.237.*
117 *Acquisita ex artificio, & agricultura illicita spectant ad spolium. n.241.*
118 *Spolio subduntur acquisita per quamcumque negotiationem illicitum, sed non sufficit eam esse prohibitam per Episcopum &c. n.242.*
119 *Acquisita ex vnico actu negotiationis spectant ad spolium. n.243.*
120 *Et quæ acquisita sunt per negotiationem per aliam exercitam. n.244.*
121 *Non vero quæ ex licita negotiatione. n.245.*
122 *Bona spectant ad spolium, si sint apad negotiatorem tempore mortis. n.246.*
123 *Et si transierunt in eius dominium. n.247.*
124 *Et si ex negotiatione illicita acquisita. numer. 248.*
125 *Vbi constet de negotiatione prasumuntur ex ea acquisita. n.248.*
126 *Ad spoliam spectant acquisita ex illicita negotiatione,*

Negotiatio.

145 Ecclesiasticis prohibitam esse negotiationem habetur ex decreto S Gelasij Papæ in *cap. Consequens, & ex S.Hieron.Epis.ad Nepotianum, in cap.Negotiatorem, & ex S.Aug.in lib.quæst. vet & noui testam.c.127.& in cap. Fornicari dist.88. ex cap. Canonum 14.cap.4. & cap.Placuit 21.q.3. ex Honor.III. & in cap fin.de vita & honest.Cleric. & ex Concil. Mogunt. cap.1. & ex Eug. Papa in cap.2. & Alex.III.c.4.& 6. ne Clerici, vel Monachi & ex Clem. p. de vita, & honest. Clericor. Concil. Trid. sess.22.c.1.de refor.*

146 Negotiatio autem proprie sumpta, quæ per sacros Canones est Ecclesiasticis interdicta, est emptio rei alicuius eo animo facta, vt emens carius illam immutatam vendat, & sic lucrum acquirat. Ita *D.Thom.supra q.77.a.4.ad arg.en* Auctore operis imperfecti in *Matt.hom.38. Syluester v.negotium, num.1.* existimat, quod negotiatio sit permutatio lucratiua. Et in hoc aliqui Syluestrum sequuntur. Sed hæc diffinitio valde deficit, & est communis artificio, & alijs negotijs, qui non sunt proprie negotiatio. Ideo Syluest. se explicat, & diffinitionem præfatam ad eam, quæ data est ex D.Thom.reducit. Illa enim habetur ex S. Canonibus, *can. eijciens, & can.quid est. distinct.88.* & eam communiter admittunt tam Theologi, quam Canonistæ. Hanc verò diffinitionem explicat D.Thom.ibid. ad secundum dicens, *quod non quicumque carius vendit aliquid, quam emerit, negotiatur, sed solum, qui ad hoc emit, vt carius vendat. Si autem emit rem, non vt vendat, sed vt teneat, & postmodum propter aliquam causam eam vendere velit, non est negotiatio, quamuis carius vendat. Potest enim hoc licite facere, vel quia in aliquo rem meliorauit; vel quia pretium rei est mutatum secundum diuersitatem loci, vel temporis, vel propter periculum, cui se exponit transferendo rem de loco ad locum, vel etiam fieri faciendo. Et secundum hoc nec emptio, nec venditio est iniusta.* Est vero considerandum quod negotiatio, quæ de se indifferens est, vt ex D.Thom.in corp.dicti artic.4. aduertit ibidem Caietanus, potest fieri mala dupliciter, vel ex adiuncta iniustitia, quia iniustè fiat cum fraude, & dolo, aut vendendo res iniusto pretio, vel emendo, vel ex adiuncto malo aliquo fine, vt si ponatur vltimus finis in lucro, vel ex aliqua alia mala circumstantia, aut loci, aut temporis prout explicat *Turrecrem.cap.negotiatorem num.3.dist.88. Syluest. v.negotium num.2.Innoc.Panorm.& alij ad cap p. Ne Clerici, vel Monachi*, & alij communiter. Et hoc modo negotiatio est illicita etiam laicis. Sed secundo modo negotiatio potest esse illicita ratione personæ, & status illius, quia minus illi conuenit, & hoc modo est illicita Ecclesiasticis, Si autem quis quærat, an huiusmodi negotiatio sit Clericis, & Religiosis prohibita de iure diuino.

147 Respondetur aliquos ita arbitrari, nam & omni iure, id illis esse prohibitũ dixerunt. & mouentur ex eo Apost.2.ad Tim.2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* Sed aliter prorsus est dicendum, quia vt habet D.Th.sup.q.77.a.4. negotiatio per se & ea obiecto est res indifferens, quæ non sit mala, nisi ex fine, vel mala alia circumstantia. Nec obstat textus Apostoli, quia Apostolus ibi loquitur de omni negotio seculari, constat vero omnium consensu, quòd Clericis, & Religiosis conuenit, quamplura negotia secularia agere si non fiat ex cupiditate, sed ex charitate, vt in hoc articulo probat D.Thom. communiter receptus, & in hoc sensu loquutus est Apostolus; Vnde D.Thom. ad eum locum Pauli optime ponderat illud implicat se, & aduertit aliud esse exercere negotium, & aliud implicari in negotio. Hoc enim importat sollicitudinem auertentem à negotio Dei, quod est illicitum Clericis. Item aliud est implicari, & aliud implicare se in negotio; qui enim ex necessitate, & pietate tractat negotium seculare, implicatur ad id à Deo, non vero ille se implicat. Absolute ergo negotiatio solo iure positiuo est prohibita Clericis, quia vt habet D. Thom. ibid. ad tertium. Negotiatio habet speciem mali ex triplici causa. Prima est, quia immediate ordinatur ad lucrum temporale cuius Ecclesiastici debent esse contemptores. Secundo propter frequentia negotiantium vitia. Quæ sunt mendacium, periurium, deceptio studium auaritiæ. *cap. eijciens 88. dist. cap. qualitas, & cap falsas de pœnit.dist.5.in cap. nauigantis de vsuris.* Tertio quia negotiatio nimis implicans animum secularibus curis auertit a spiritualibus, iuxta illud Apost.2.Tim.2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus*, & propter huiusmodi causas negotiatio etiã si alias nec ex se, nec ex fine, nec ex circũstantijs sit illicita Ecclesiasticis fuit à iure positiuo prohibita. Adeo vt in Concil.4. Carthag. vt habetur *cap.Clericus el 2. dist.91.* sub pœna degradationis ab officio prohibitum fuerit Clericis etiam deambulare in nundinis, & in foro, nisi pro aliquo emendo. Et *S.Hier.Epis.ad Nepotianum* vt refertur *cap. Negotiatorem dist.85.* Clericum negotiatorem, vt pestem vitandum esse fatetur.

158 Quia vero ius positiuum loquitur de negotiatione proprie dicta, hinc considerandum est, quod quatuor conditiones ad illam requiruntur. Prima conditio est, quod negotiator rem emerit.

Secun-

Secunda est ex fine, qui est venditio; negotiator enim ex proximo fine sui operis rem emit vt eam vendat, tertia est rei venditæ immutatio, quia negotiator rem emit vt eam immutatam vendat. Quarta est iterum ex fine, qui est nedum vendere sed carius vendere, & sic lucrari vnde ad negotiationem proprie est necessaria intentio lucri, & quod adhunc finem fiat commutatio scilicet, emptio & venditio.

149 Cum vero altera ex his conditionibus deficiente non adsit negotiatio sequitur primo, quod vendere quæ alias sunt vendentis, & quæ ipse non emit sed habet titulo hæreditatis, vel donationis, non est negotiari. Ideo negotiatio non est vendere frumentum, vinum, oleum, segetes, olera, fructusque agrorum suorum, agnos, hædos, pullos, aliosque fructus suorum gregum, & armentorum vel etiam agros ipsos, vineas, greges, armenta sua, cæteraque quæ quis possidet alio titulo, quam titulo emptionis aut commutationis. Non enim est negotiatio sine emptione. *Et* licet emptio hic sumatur generaliter, vt comprehendit etiam permutationem, tamen quæ titulo hæreditatis, aut donationis, immo quæ ex contractu oneroso militiæ seruitutis, aut exerciti officij alicuius acquiruntur, vt ex Notariatu, aduocatione, procuratione, officio iudicis, & alijs huiusmodi officijs, & obsequijs præstitis acquiruntur, non dicuntur emi, & sic acquisita non dicuntur in sermone communi empta, nec qui ea vendit dicitur negotiari proprie, vnde si Clericus vel Religiosus vendat huiusmodi res non dicitur negotiator, nec per hoc subditur pœnis contra negotiantes impositis.

150 *Ex* secundæ vero conditionis defectu, sequitur quod non est negotiatio emere rem non vt vendatur, sed vt habeatur, vel ad necessaria vitæ, vel ad congruam & honestam delectationem, vel etiam ob pessimum quemcumque finem. Licet enim emptio possit esse mala vel quia iniusta, vel quia ad malum finem ordinata, nunquam tamen est negotiatio si fit ad rem habendam, non vero ad eam vendendam. Et licet qui emit postea mutato animo rem vendat, non per hoc est negotiator, vt bene dixit *D. Thom. supra q. 77. a. 4. & ex Salicet. Stracha de merc. p. 3. num. 6.* quia non emit, vt venderet, licet postea ex causa sibi bene vita vendiderit, Et sic negotiator non est, qui rem emptam ad sui vtilitatem, quia in pretio creuit, eam vendit, sperans se iterum similem minori pretio posse emere. Quia iste non emit, vt venderet sed vt haberet licet postea attendens suæ vtilitati rem vendiderit. *Syl. v. Clericus 3. num. 1. Lezana v. negotiatio num. 4.* Similiter non est negotiator qui fructus proprios vendit animo etiam emendi alios pro se, quia iste non emit vt vendat. Nec qui emit superflua sine fraude vendituros es si superflus inuenerit, vel retenturus si sibi fuerint opportuna. *Card. de Lugo disp. 26. p. 32. Palaus tr. 16. disp. 4. p. 13. §. 3. nu. 3. Anton. à Spir. Sancto tr. 3. disp. 6. num. 1367. Diana p. 11. tr. 3. ref. 10.* & apud eum *Peyr.*

151 Ex defectu vero tertiæ conditionis negotiator non est, qui rem mutatam & a se melioratam vendit, nimirum qui licet rem emat vt vendat, tamen non immutatam vendit, sed mutatam & melioratam. Sic non est mercator, seu negotiator proprie, qui est artifex rem emens vt ex ea artificiata componat, quæ vendat. Sicut si aromatarius simplicia medicamenta emat, vt ex arte artificiata medicamenta componat, quæ pro sanitate hominum acquirenda emat. Eodem modo non est mercator aut negotiator, qui emit animalia, vt ex herbis suis pascantur, & crescant, & meliorentur, & sic meliorata ea vendat, quia non emit vt rē immutatā vendat. Sic etiā non est negotiator qui agrum fructibus plenū emit pro se & familia intendens vēdere, si quid superfluum remanserit, quod suo vsui non sit necessarium, quia iste non emit vt vendat, sed vt sibi ex agro illo veluti ex proprio prouideat, DD. paulo supra citati.

152 Quarta venditio est, quod negotiator emit, vt carius vendat, & sic demptis expensis lucretur aliquid. *Ex* huius vero conditionis defectu habetur quod vendere pro æquali pretio absque lucro non est negotiari. Hinc si tempore penuriæ quis ex charitate emat copiam frumenti, vt eam sine lucro distribuat, non est negotiator. *Card. de Lugo disp. 28. de iust. sec. 3. num. 27.* Et hoc verum est etiam si carius vendat, quam emerit, non tamen carius quam sibi constent empta perducta ad locū venditionis, seu ad locum in quo tradit illa indigētibus, quia bene licitum est sibi computare expensas factas pro re quam vendit, & sufficit quod non lucretur, seu quod carius non vendat, quam sibi res empta valeat computatis expensis factis in illius emptione, conseruatione & custodia, & in eam ducendo ad locum eorum ad quorum commoditatem res fuit empta.

153 Sed ad horum maiorem explicationem opportunum erit afferre non nullas declarationes Sacr. Congreg. Concilij, quas per extensum referunt *Barbosa lib. 2. de iure Eccles. cap. 40. num. 127. & Lezana tom. 4. v. negotiatio num. 8.* Prima quam Barbosa in summa Apost. dicit se vidisse subscriptā manu Card. Vbaldini; & D. Francisci Paulutij tunc Sacr. Congreg. Secretarij continet responsiones ad quamplura dubia & fuit data ad instantiam Cleri Ciuitat. & Diœces. Caputaquen. & est sequentis tenoris videlicet.

Eminentissimi & Reuerendissimi Domini. Capitulum, Presbyteri, & Clerus ciuitatis, & Diœcesis Caputaquen. prout plurimum ob loci, personarum, & temporum qualitatem aliquā ex infrascriptis actionibus, nec non ad suam, & familiæ sustentationem coguntur quærere, ad obuiandas vexationes Commissariorum petunt vt declaretur an liceat infrascripta facere absque reatu illicitæ negotiationis.

Primò an liceat eis terras patrimoniales, & beneficiales per laicos colere?

Secundò pro necessario culturæ vsu an possint emere boues, & alia animalia, & fœtus illorum vendere?

Tertiò an ij, qui ex proprijs bonis habent quercus, & castaneas, quarum fructibus sues vescuntur, possint sues emere, eosvè alere, & pro sua, & familiæ sustentatione vendere?

Quartò an Clerici pauperes ad suam, suæque familiæ sustentationem possint terras Ecclesiæ conducere?

Quintò an ijdem Clerici cum folijs suarum arborum possint in proprijs ædibus arti sericæ operam dare, vel idem opus dare ad medietatem, seu ad quartum, & fructus inde percipiendos vendere

absque

absque reatu illicitæ negotiationis?

Sextò an possint locarę boues, oues, & animalia, quæ habent ex successione, vel alijs debitis, vel decimis, eorumque fructus vendere?

Septimò an liceat ex oliuis, vineis, quercubus, & alijs arboribus existentibus in terris patrimonialibus, & beneficialibus, & aliis obtentis vendere oleum, vinum, glandes, & alios fructus ad sustentationem suæ familiæ, item & granum, & frumentum huiusmodi ex bonis patrimonialibus, aut beneficialibus.

Ad prædicta dubia Sacra Congregatio respondit vt infra.

Ad primum respondit licere Clericis agros beneficiorum, & bonorum patrimonialium laicorum opera colere absque metu illicitæ negotiationis.

Ad secundum posse similiter Clericos pro culturæ vsu boues, & alia animalia emere, illorumque fœtus iusto pretio, & honesta ratione vendere, nec ob id prohibitæ negotiationis prætextu vexari posse, aut debere.

Ad tertium item & posse Clericos habentes in proprijs bonis quercus, & castaneas sues emere, eosque alere pro sua, & familiæ sustentatione, dummodo tamen in emendis, alendis, distrahendisve nihil sordidum, aut indecens Ordini clericali exequantur.

Ad quartum licere Clericis folia arborum in proprijs bonis existentium alicui laico concedere ex pacto adiecto, vt lucrum ex bombicibus inter vtrumque diuidatur, & pariter eisdem licere earūdem arborum folijs per se ipsos absque officij eorum detrimento arti sericæ operam dare pro sua, & familiæ sustentatione, dummodo tamen in artificio huiusmodi personas non suspectas adhibeant, & quoad hoc Episcopi licentia, quæ gratis sit concedenda, obtineatur.

Ad quintum Clericos pauperes ad suam suæque familiæ sustentationem posse terras Ecclesiæ conducere absque reatu illicitæ negotiationis, bona verò laicorum non posse, nisi ex mera præcisa necessitate.

Ad sextum posse retinere, & locare boues, & oues, ac alia animalia, quæ habent ex successione, vel ex decimis, necnon fructus illorum vendere absque reatu illicitæ negotiationis.

Ad septimum eosdem posse vendere granum, ordeum, & alios fructus recollectos ex bonis patrimonialibus, vel ecclesiasticis pro sua, & suorum sustentatione. R. Card. Vbaldinus. Franciscus Paulutius Sacræ Congregat. Concil. Trident. Secretar. Eandem vero resolutionem datam fuisse ad instantiam Cleri Altimontis Diœcef. Cassanen. ex Carolo Marauta refert idem Barbosa.

154 Alteram pariter datam ad instantiam Sacerdotum, & Beneficiator. Eccles. Alexan. & Vgentin. cum à Commissarijs spoliorum vexarentur ex capite illicitæ negotiationis refert Barbosa, non dicens tamen vnde illam habuerit, & ex eo Lezana sequentia enim dubia dicuntur proposita fuisse Sacræ Congregationi, videlicet.

Primò an Sacerdotes, & Clerici beneficiati possint operas suorum bouum, quos pro laborandis prædijs suis patrimonialibus seu beneficialibus, aut ad eos quoquo modo spectantibus, retinent, dum sibi vacant, alijs locare pro certa mercede absque periculo spolij, & pœnarum Clericis negotiatoribus impositarum?

Secundò, an possint boues, quos emerint, vel in suis prædiis natos educauerint, & instruxerint concedere, vt vulgo dicitur *à giouatico* pro certa tritici quantitate quolibet anno persoluenda?

Tertiò, an possint oues centum, vel saltem quinquaginta simili ratione concedere pro certa caseorum quantitate pro eorum, & suæ familiæ vsu?

Quartò, an in suis molendinis pro tritico, & pistrinis pro oleo, postquam suum triticum, & oliuas moluerint, alienum triticum, & alienas oliuas certa mercede constituta molere possint, suppositis infrascriptis: quod id ab immemorabili tempore semper fuerit factum, & obseruatum: quod singulis annis nō expedit pro solo seruitio proprio triginta vel quadraginta ducatos impendere in conficiendis pistrinis, nam fiunt ex iuncis, & alijs materijs, quæ mensibus quinque aut sex corrumpuntur, & in vno equo, & quatuor personis inseruientibus ipsis pristinis: & quod moliticia oliuarum durat per quatuor, quinque, vel sex menses iuxta annorum fertilitatem.

Quintò, an possint assumere onus colligendi, aut faciendi a sua familia colligere oliuas pro certa olei portione domino olioeti reddenda supposita in hoc immemorabili consuetudine?

Sextò, & vltimò an possint in bonis amicorum & propinquorum operas diurnas præstare, vt illi easdem in prædijs proprijs restituant?

Ad dubia proposita responsum fuit vt sequitur.

Ad primum affirmatiuè si tot iuga bouum retineantur, quot sunt pro prædijs necessaria, vel si vltra necessitatem boues illi nati sint ex vaccis, quæ pro necessitate culturæ prædiorum, vel alio licito modo tenentur.

Ad secundum quoad boues emptos negatiuè, quo verò ad boues proprios affirmatiuè.

Ad tertium affirmatiuè, si oues propriæ fuerint, & non emptæ ad illum effectum ex præcedenti Molinæ doctrina, & si emptæ cōtractus, fiat ad cōparandum necessaria ad victum, & non ad lucrum.

Ad quartum affirmatiuè duobus concurrentibus, videlicet, modo ob hanc causam non se subtrahant ab iis, in quibus ex officio clericali incumbere debent, & dummodo non ad lucrum, sed ad necessaria vitæ comparanda pro se & sua familia, non enim huiusmodi artificium sordidum videtur, aut inhonestum in illis partibus, cum per vnum equum, & quatuor famulos, seu operarios fiat, & non per ipsos clericos.

Ad quintum negatiuè, nisi proprij redditus sibi, suæque familiæ non sufficiant, nam hoc casu ad comparandum victum etiam aliena prædia conducere licet.

Ad sextum si opera non sint sordida, & inhonesta, possunt fieri huiusmodi commutationes, per ea quæ scribit.

155 Tertia fuit data ad instantiam Cleri Maiadæ Neocastren. Diœcesis, & eam refert *Reuerendissimus Fagnanus ad cap. multæ num.* 34. Ne Clerici, vel Monachi asserens eam datam fuisse eo existente Secretario Sac. Congreg. Concilij. Infrascripta enim quæsita proposita fuere Sac. Congregationi. nimirum.

Primò

Primò an liceat eis terras patrimoniales, & beneficiales per laicos colere?

Secundò, an pro necessario culturæ vsu possint emere boues, & alia animalia, & fœtus illorum vendere?

Tertiò, an ij, qui in proprijs terris habent quercus, & castaneas, quarum fructibus sues vescuntur, possint sues emere, eosque alere, & pro familiæ sustentatione vendere.

Quartò, an ijdem Clerici cum folijs suarum arborum possint in proprijs ædibus arti sericæ operam dare, vel idem opus alteri ad medietatem cómittere, vt in illis partibus fieri consueuit.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum. Ad primum censuit licere Clericis agros beneficiorum,& patrimoniorum suorũ opera laicorum colere absque reatu illicitæ negotiationis.

Ad secundum, posse similiter Clericos pro eiusdem culturæ vsu boues, & alia animalia necessaria coemere, illorum fœtus iusto pretio, atque honesta ratione vendere, nec propterea eos prohibitæ negotiationis prætextu vexari posse, aut debere.

Ad tertium itidem, posse pro sua, & familiæ sustentatione, dummodo tamen in emendis, alendis, seu distrahendis suibus nihil sordidum, aut indecens ordini clericali exerceant.

Ad quartum, licere Clerico arborum in proprijs bonis existentium folia alicui laico concedere eo pacto, vt lucrum, quod ex bombicibus proueniet, inter vtrumque diuidatur; ac pariter eidem licere earumdem arborum folijs per seipsum, absque officij sui dumtaxat detrimento, ac pro sua, & familiæ sustentatione arti sericæ operam dare, dum tamen in artificio huiusmodi personas non suspectas adhibeat, & quoad hoc Episcopi licentiam, quæ gratis detur, obtineat.

Sed & postea, idest die 21. Augusti 1627. ad exẽplum prædictarum declarationum eadem S. Congregatio censuit Clericos pauperes ob suam, suæque familiæ necessitatem posse terras ecclesiasticorum conducere absque reatu illicitæ negotiationis: bona verò laicorum non posse, nisi ex mera præcisa necessitate.

Item censuit posse retinere,& locare boues, oues, & alia animalia, quæ habẽt ex successione, vel decimis, necnon fructus illorum vendere absque crimine illicitæ negotiationis. *Hæc ex Reuer. D. Fagnan.*

156 His sic suppositis & ad eorum intelligentiam dubitatur primo circa primam conditionem negotiationis, an in aliquo casu sine emptione possit esse negotiatio. Et quod sufficiat venditio rei nõ emptæ probatur. Tũ primo quia illicitũ est Clerico seu Religioso ex propria lana per operarios cõficere pannum ad vendendum, vt ex *Molina* dixerunt *Card. de Lugo disp.26. de iust. num.34. & Antan. de Spirit. Sancto tract.3. disp.6. num.1379.* Quod Card. de Lugo idem dicit de eo, qui ex proprio vino & melle per operarios facit mulsum ad vendendum. Secundo quia negotiationis speciem habet, si monasterium, vel religiosus sumptibus religionis impressis eiusdem religiosi operibus libros impressos suo periculo vendat. Vnde hoc fieri non debere sine necessitate, dixit idem *Card. de Lugo vbi supra, num.35.* Item tertio non potest Clericus, vel Religiosus esse minister vel factor laicorum. *c. peruenit 89. dist. cap. peruenit 22. q.3. cap.1. de postuland. cap. sacerdotibus, & cap.* sed nec procurationes, *ne clerici, vel monachi. Bellet. vbi supra num.32.* Item sexto illicitum est exercere officium Proxenetæ seu mediatoris in nundinis, seu contractibus, vt collig. ex *cap. Clericus 91. dist. & ex Petro Nauar. & Salas tradit Palaus tr.16. disp.4. p.13. §.2. num.9.* Item septimo non licet in monasterijs vendere proprium vinum ad minutum, quia non licet facere tabernam. *Lezana v. negotiatio num.7.* Item octauo prohibita est Alchimia. *Extrauag. spondet de Crim. falsi. Barbosa d. cap.40. num.135.* etiam si fiat ex materia non empta sed propria. Vltimo locare famulos, seu animalia quoddam genus mercaturæ est, licet animalia non sint empta.

157 Respondetur quod aliud est negotium illicitum, & aliud illicita negotiatio. Nam vt patet ex dictis num. 142. negotium in plus se habet valde quam negotiatio, quæ proprie sumpta mercaturam importat, cum tamen, & iudicare, & aduocare, & procurare, & exequi testamenta, & esse tutorem, & alia multa similia, quæ certum est non esse negotiationes, sint tamen secularia negotia Religiosis interdicta, vt ex supradictis patet. Quamobrem ex dictis declarationibus Sacræ Congregat. & ex *D. Thom. sup. q.77. a.4.* Hoc vniuersale principium asseritur, quod scilicet negotium Clericis, & Religiosis illicitum est quodcumque quod fit principaliter propter lucrum, non ordinando lucrum in aliquem finem honestum, lucrum enim quod est de se bonum vtile, non vero est bonum honestum, sed indifferens, nec potest appeti propter se ipsum finaliter, sed solum potest appeti vt medium. & vt honeste ametur debet amari, vt medium ad finem honestum. Ideo dupliciter peccatur in appetitu lucri, nimirum si appetatur lucrum, vel vt finis vltimus, vel etiam proprie, vt finis principalis, & propter se, vel si appetatur, vt medium ad finem illicitum. Igitur absolute, & vniuersaliter negotium seculare Clericis, & Religiosis immo, & secularibus illicitum est, quòd assumitur intuitu lucri non propter aliquem finem honestum. Ideo Alex. III. in cap. secundum ne clerici vel monachi præcipit ne clerici vel religiosi negotientur ratione lucri, Sed tamen non omne negotium est negotiatio proprie sumpta. Dicitur igitur quod de essentia negotiationis vt est species negotij secularis ab alijs distincta est emptio rei quæ venditur, sic enim habetur expresse ex Auctore operis imperfecti in Matt. hom.38. & ex Cassiod. in Psal.70. & habetur cap. eijciens & cap. quid est *dist.88. & ex D. Thom. sup. q.77. a.4.* & alijs DD. communiter. Ideo dicitur quod supra narrata possunt quidem esse negotia secularia & prohibita, sed vbi quod venditur non est emptum, nequit esse mercatura vel negotiatio proprie dicta.

158 Ita ex his ad primum casum dicitur nec necesse esse vt Ecclesiastici fructus agrorum, & armentorum vendant immutatos, nec quod ipsi per se ipsos, & non per alios eos immutent, si volunt eos mutatos vendere, & propterea quod bene licet Ecclesiasticis ex propria lana pannum, & ex proprio frumento panem, & ex proprio vino & melle mulsum conficere etiam vtendo opera secularium, & quod hoc nedum non est negotiatio sed nec est negotium illicitum. Quod probatur ex respons. Sacr. Congreg. in *Caputaquen. ad 4. & Neocastren.*

ad 4. supra num. 153. *&* 155. vbi concedit, quod possit clericus dare propria folia alteri cum pacto vt fructus bombicum diuidatur, & vna pars eidem Clerico cedat, Et amplius quod Clericus ipse per se ipsum potest ex proprijs folijs bombices nutrire, & aliorum opera vti, dummodo suspectis personis non vtatur & intercedat licentia Episcopi. Et ratio est, quia Ecclesiasticis & licet vendere suos fructus, & hoc prouidentia non auaritia est, si eos salua iustitia, & charitate, & misericordia, & sic præciso scandalo maiori prætio vendant, quo possunt, Nec est opus hic multum distinguere in hoc quod est agere ex necessitate sustentationis familiæ, vel monasterij. Quia hæc necessitas adest ex natura rei, fructus enim vel familiæ inutiles, vel superflui non sunt proijciendi, sed ex necessitate vendi debent, & non est necesse vt vendantur immutati, sed eo meliori modo, qui sit maioris vtilitatis Ecclesiæ. Et Ecclesiastici hoc quidem debent aduertere, vt Sacr. Congreg. insinuauit vt in alterando fructus proprius non vtatur personis suspectis, vel opera aliquorum cui sit annexa aliqua indignitas seu indecentia contra statum Ecclesiasticum. Sed si hoc fiat huiusmodi actio erit illicita ex modo, non ex obiecto. Et pariter non valet dicere, quod hic immiscetur emptio, quia si non emitur materia vendenda, emitur opus humanum quo vtitur clericus ad conficiendum pannum, vel multum. Quia hoc non sufficit ad negotiationem, alias negotiatio esset vendere frumentum, oliuas, fructus arborum, & armentorum per alios, scilicet per rusticos collectos, & custoditos. Ideo opera quæ ad proprios redditus habendos, colligendos, & immutandos vel pro vsu familiæ, & monasterij, vel pro illis meliori prouidentia vendendis habentur pro materia propria, & non sufficiunt ad negotiationem; quia nec huiusmodi opera emuntur vt eadem vendantur, sed emuntur vt fructus proprij omni meliori modo & vtiliori habeantur. Immo quod intentio ementium huiusmodi opera fit vendere id quod ex huiusmodi operibus cōparatur est extrinseca & se tenet ex fine operantis; Nam ex fine operis ordinantur ad habendos fructus, & redditus proprios in omni meliori forma; quibus accidit, quod vendantur, vel retineantur. Ideo quod clericis & religiosis liceat vendere panem ex proprio tritico confectum dixerunt *Barbos. de iure Eccles. l.* 1. *cap.* 40. *nu.* 137. *Bellet. lib. de discip. cleric.* §. 21. *n.* 16. *Lezana v. negotiatio num.* 7. *Anton. à Spir. Sancto tr.* 3. *disp.* 6. *nu.* 1375. Et quamuis *Diana p.* 11. *tr.* 6. *res.* 41. circa finem hoc limitet quantum ad religiosos, vt eis ad hoc non liceat in proprijs monasterijs liceat vero si per alios, & extra monasterium ex proprio frumento panem vendant, Tamen immo potius minus licet id facere per ministros conductos, quia hoc non nihil mercaturæ magis participat. Nec de se maior aliqua indecentia est, quod monasterium vendat panem, quam quod vendat sportas, vel alia artificiata à religiosis elaborata. Et quod liceat Ecclesiasticis ex propria vena ferri per operarios ferrum ad vendendum educere tenuerunt *Barbosa numer.* 124. *Lezana num.* 5. *Card. de Lugo d. disp.* 26. *n.* 30. *Diana p.* 11. *tr.* 3. *res.* 10. *Anton. à Spir. Sancto d. tract. d. disp.* 6. *num.* 1381. *Tambur. tom.* 5. *disp.* 15. *q.* 21. *n.* 29. Vbi quod idem dicendum sit, de salinis & quod non sit illicitum sal per cōductos ministros ex proprio fundo collectum in quacumque quantitate vendere. Et vniuersaliter quod liceat Ecclesiasticis vendere frumentum, vinum, oleum, reliquosque fructus suorum prædiorum, & armentorum etiam si per empta opera rusticorum sint collecti habetur ex declarat. Sacr. Congreg. Capuaquen. supra citata ad quæst. 7. & in alia supra num. 155. vbi quod Sacr. Congreg. addit & dicit pro sua & suorum sustentatione non est intelligendum limitatiue, sed declaratiue, & causaliter; quia nimirum vendere fructus proprios per se ex vsu & iure gentium ex natura rei est ordinatum ad vendentis & suorum sustentationem. Vnde quod huiusmodi venditio absolute & ex obiecto præcisa omnia alia mala circumstantia sit licita dixerunt *Gloss.* 1. *in cap. negotiatorem, dist.* 88. *Panorm. in cap.* 2. *ne clerici vel monachi & cons.* 6. *in fin. l.* 1. *Geminianus in cap. vnic. num.* 9. *& ibi Io. Andr. & Franc. de vita & honest. cleric. in* 6. *Syluest. v. excom.* 9. *num.* 46. *Bellet. vbi supra* §. 21. *nu.* 16. *Barbosa d. c.* 40. *nu.* 124. *Card. de Lugo d. disp.* 26. *nu.* 27. *Lezana v. negotiatio nu.* 5. *Tambur. d.* 15. *q.* 21. *nu.* 29. Redoan. *q.* 2. *Diana p.* 11. *tr.* 3. *res.* 10. Et addit Barbosa quod non est illicitū, si Ecclesiasticus proprios fructus & bona ad alias partes exportari faciat vt ibi ea carius vendat, & maiorem fructū percipiat. Quod per se sumptum, & præcisa lege, iusta id prohibente est verum, & dixerunt *Tiraquel. Auendan.* Nat. *Roland. &* Sperel. apud eundem *Barbos.* qui etiam ex *Sperell.* aduertit quod in fructibus ex fundis proprijs, aut Ecclesiasticis collectis non cadit mercatura, vel negotiatio vel lucri cupiditas, quia immo Rector bonorum Ecclesiæ debet pro meliori pretio quo iuste potest fructus Ecclesiasticos vendere.

159 *Et* hinc etiam deducitur, quod non est negotiatio conseruare frumentum vt carius vendatur. Hoc enim nedum non est illicitum, si fiat ex honesto fine, vt pro maiori pauperum vtilitate, vel pro Clerici sustentatione, vt voluit Redoan. *quæst.* 2. *de spol. num.* 58. Sed quidquid idem Redoan in contrarium probare nitatur, id neque per se negotiatio est, neque speciem illius habet, sed est prouidentia propriæ rei. Et cum dicitur quod intendere lucrum est illicitum, & quod mercatura est, quod fit pro lucrando, assumptum & est falsum, & valde æquiuocum. Falsum quidem est, quia non est mercantia nisi emere vilius, vt idem immutatum vendatur carius, vt omnes fatentur, conseruare vero rem propriam non est emere. Sed vlterius hic nisi distinguatur intentio lucri centū mille vicibus errare cōtinget; si enim lucrum intenditur vt finis principalis semper id est illicitum; hoc enim auaritia est, & ideo nec secularibus licitum. Sed si lucrum proprie non intenditur vt finis, sed eligitur vt medium vtile, quia vere lucrum est bonum vtile, ideo talis electio seu intentio de se est indifferens, quæ tamen prohibita est clericis si lucrum intēdatur ex emptione & venditione eiusdem rei immutata, in quo proprie negotiatio consistit, & dum addit Redoan. quod dare occasionem mercandi & carius vendendi, videtur idem esse ac carius vendere, cum paria sint facere, & occasionem faciendi dare. *Gloss. in l. si ita* §. *ea in verit. ff. de verb. oblig.* Vnde videtur quod huiusmodi Clericus aliquo modo se immisceat negotijs secularibus. Respondetur quod numquam ex his probatur, quod conseruare proprium

fru-

frumentum vt carius vendatur sit mercatura subiecta pœnis in Glericos mercatores latis. Quod vero aliunde possit id esse malum præcipue in Clerico quia fit contra charitatem, & misericordiam, & sic causa scandali vel ex alia mala circumstantia, vnde fiet, quod nec à Clerico possit fieri ex honesto fine, & licite, id est verissimum; sed tunc actio erit mala non quia sit negotiatio, aut negotium seculare ex obiecto, & prohibitum ex vi legum prohibentium negotiationem, aut negotia secularia, sed quia aliunde ex mala circumstantia adiuncta est malum. Occasio autem faciendi tunc potest analogice reduci ad facere, quando occasio est data contra leges, non vero si sit accepta, & ex actu non prohibito deducta.

160 De impressione librorum, quod imprimẽs libros à se compositos per impressores conductos, librosque sic impressos vendens sit proprie negotiator voluit *Gherardus Bosellus lib. 1. decisim. mutinen. q. 28.* quem refert *Diana p. 11. tract. 6. resol. 41.* Mouebatur vero his rationibus. Tum quia Clericus iste seu Religiosus vendit carius immutatum, quod emit, quia nec carta, neque scriptura ab eo fuit immutata. Tum secundo, quia si Religiosus libros iam impressos curet reimprimi, & eos vendat, est mercator. Similiter si curet imagines imprimi, easque vendere velit; similiter si lanam emat ex qua pannum venale habeat. Tertio quia illa mutatio excusat Clericum à negotiatione, quæ fit opera, & industria eius, ex *Anchar. cap. quamquam Nauar. cap. 27. numer. 58. Feder. cons. 107.* igitur negotiatio erit ista, in qua venditur artificiatum alieno labore elaboratum. Sed quod imprimere libros à se elaboratos, illosq; vendere non sit mercatura dixerunt *Card. de Lugo d. disp. 26. numer. 35. Pasqual. cent. p. q. 73. num. 1. Anton. à Spirit. sancto 3. disp. 6. num. 1377. Diana p. 11. tract. 6. resol. 41.* post *Vading. de contract. disp. 7. dub. 13. num. 6.* Hoc tamen habere affinitatem quandam ad negotiationem, seu negotiationis speciem dixit Card. de Lugo. Diana vero asseruit consulendam esse priorem sententiam, non tamen hanc esse damnandam. Assentitur vero libenter Pasqualigo, quod scilicet si libri Religiosorum imprimantur ab impressoribus proprijs sũptibus, possint Ecclesiastici ea exẽplaria, quę in recognitionẽ operis accipiunt ab ipsis impressoribus libere vẽdere. Sed respõdetur quod libros à se editos imprimere, & impressos vẽdere pretio currẽti, nec est negotiatio, nec habet speciẽ negotiationis magis quã habeat, si monasteriũ agri proprij a se suisq; magnis laboribus, & expẽsis culti per emptos ministros fructus colligat, quos vendat, quod certe non est negotiatio, sed quotidie fit tam à Clericis, quam à Monasterijs. Et ex communi DD. sententia licet, vt est probatum. Quamuis igitur quantum sit ad præsentem dubitationem dici posset, quod si huiusmodi impressio est negotiatio, ideo est, quia emitur carta, & impressio scripturæ, & sic non datur negotiatio sine emptione. Nihilominus dicitur vlterius, quod hic nulla est negotiatio, quia emptio, & venditio intercedit per accidens, & præter intentionem; Nam finis principalis est colligere fructus doctrinæ ex proprio agro illosque communicare, immo nec illos vendere, sed donare; quia doctrina vera est inæstimabilis, & petit libere communicari, iuxta illud Ecclesiastici. Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico. Sed quia hoc fieri nequit sine impressione, seu fieri nequit, nisi emendo cartam, & conducendo impressores, ideo hic per accidens interuenit emptio, & venditio. Quod non sufficit ad mercaturam, sicut non sufficit, si Monasterium, & emat instrumenta necessaria ad colligendos fructus ex proprio agro, & eos colligat per ministros conductos. Spectata enim natura rei, & fine intrinseco operis, hic finis emptionis non est venditio, neque lucrum, sed est collectio fructuum propriorum. Quod si Monasterium colligens fructus ex proprio agro intendit eos vendere pretio currenti; hæc intentio est circumstantia extrinseca operis, quæ accidit emptæ collectioni fructuum, & se tenet ex parte operantis, nec dat operi speciem intrinsecam, nec solus finis vendendi extrinsecus sufficit ad negotiationem. Maxime secundo, quia nec intentio vendendi propria bona pretio currenti est intentio lucri, sed est intentio vendendi re sua, vel iusto illius pretio ad sui vtilitatem, & commodum, quod non sufficit ad mercaturam. Ecclesia igitur, quæ suorum filiorum agros non paucis vigilijs, & laboribus, coluit, immo non paucis expensis in emptione librorum, qui necessarij sunt ad doctrinam acquirendam, scriptum aliquod vtile Reipublicæ consecuta est, quod est dignum communicatione, cum hoc fieri non possit sine impressione, non minus iuste impressionem emit, vt suæ doctrinæ fructum communicet, quam amat conductos ministros, vt fructus agrorum colligat, quos vendat. Et eo magis, quod hoc regulariter in primis impressionibus est necessarium; quia antequam valor operis, vel scriptoris sit cognitus non inueniuntur impressores, qui proprijs expensis velint scripta imprimere.

161 Quod confirmatur soluendo alterius sententiæ rationes. Ad primam enim dicitur, quod hic nihil est emptum, quod ex fine operis per se sit emptum, vt vendatur, sed principale intentum est proprij fructus collectio, & eius etiam libera, & spontanea communicatio, quod quia non potest fieri sine impressione, ideo impressio assumitur non ad lucrum, sed ad communicandum doctrinam propriam. Hinc patet quod non est eadem ratio de impressione librorum prius impressorum, qui continent doctrinam iam euulgatam, & quæ iam facta est bonum commune, & de scripto quod non est euulgatum, & quod est communicandum. Quamuis vbi iam liber impressus non inuenitur amplius, nec impressores volunt huiusmodi librum reimprimere, non esset mercatura si Clericus, vel Monasterium illud suis impensis imprimere curaret, & iusto pretio impressos libros venderet. Sic v.g. cum Opera Alberti Magni non inuenirentur, nec haberentur impressores, qui solis suis expensis illa edere vellent, Venerabilis Fr. Thomas Turcus Generalis Ord. Prædicatorum, ea per impressores Lugdunenses imprimi curauit maximis Religionis expensis recepturus ab impressoribus tot exemplaria, quot pro pretio conuento adæquarent summam maximam pecuniæ illis datam. In his enim finis non est venditio, sed communicatio doctrinæ ad maximum fidei incrementum. Ex quo vero Ecclesia expendit, & habet exemplaria non ad finem vẽdendi empta, sed pro communi bono elaborata

nunquid tenetur exemplaria donare? vel sua minus iusto pretio vendere? Ad tertiam dicitur, quod etiam mutatio rei per ministros conductos excludit negotiationem, si vel fiat ad vtilitatem Ecclesiæ, vel se habeat per accidens, & non detur emptio ad finem vendendi, vt magis infra explicabitur, cum de artificio erit sermo. Quia nihilominus negari non potest, quin hoc habeat aliquam apparentiam mercaturæ, melius semper erit, vt à Religiosis libri edantur impensis mercatorum, si inueniantur, & ideo merito, vt aduertit Card. de Lugo loco citato in Societate per Decretum 84. Congreg. 7. prohibitum fuit imprimere libros Societatis eiusdem expensis, eosque eiusdem periculo, & lucro diuendendis, sine licentia Generalis. Sed, vt dicebam, necessitas regulariter cogit Ecclesiasticos, qui sumptibus proprijs, aut Religionis imprimunt libros: quia non inueniuntur impressores, qui propris expensis eos imprimere velint. Vbi enim inueniantur, superiores in quacumque Religione bene facient, si non concedant subditis facultatem imprimendi expensis Religionis, nisi alia iusta causa id postulauerit.

162 Pariter sine dubio illicitum negotium est, si Clericus sit minister, seu factor, seu administrator bonorum secularium, *Redoan. q. 2. de spol. n. 44.* Et hoc satis colligitur ex *cap. peruenit dist. 86.* quod est Concil. Chalcedonen. *c. 3. & cap. peruenit dist. 91.* Sed considerandum est, quod hoc officium est officium procuratoris, seu negotiorum gestoris, vel etiam famuli, & ideo faciunt, quæ supra de procuratore dicta sunt. Propterea non licet clerico locare operas suas ad seruiendum pro famulo alicui seculari. *Felin. in rubr. de maior. & obed. num. 5. Carolus de Graffis eff. cler. 6. num. 41.* Quamuis vero pro spiritualibus ministrandis possint inseruire cuicunque tamen semper cauendum est, ne pro pretio id agant, quia id simoniacum esset. Ampliat vero idem Graff. vt clerici non possint locare operas etiam pro seruiendo Ecclesiasticis circa temporalia opera & seruitia. Sed in hac parte placet ponere verba cuiusdam decreti Eminentissimi Card. Iacobi Sabelli S. D. N. Papæ Vicarij editi die 30. Octobris 1566. Pontificatus Pij quinti anno quinto, quod ad verbum refert Redoan de spol. in fine, & in quo inter alia hæc habentur. *Mercaturam ne exerceant, ne ve in rebus contrahendis se medios, vel interpretes adhibeant, prædia ne conducant, pro nemine spondeant, Principum, & omnino laicorum negotia ne procurent, aut eis inseruiant, nisi causa id postulet à sacerdotali officio non aliena, Qua in re tamen concessio nostra (quam hac in re, & alijs à nobis permittendis gratis semper fieri volumus) intercedat, eaque quotannis renouetur. Ne fœminas nobiles assectentur, neue officij causa stent circum mensam, illis accumbentibus. In famulatu vero Ecclesiasticarum personarum vilia officia, aut opera, quæ clericali decori non conueniant, minime faciant.* Itaque igitur clerici secularibus locare operas & inseruire minime licet nisi ex causa aliqua iudicio superiorum approbanda. At vero respectu Ecclesiasticorum solum tenentur non locare operas suas ad officia vilia, sordida & decori clericali non conuenientia. Et nihilominus Clerici locando hoc illicito modo operas suas non sunt negotiatores, licet negotium illicitum agant, & puniri debeant. Alias vero nihilominus neque hoc modo famulari aut procurare res secularium est mercatura propriè, aut negotiatio, sed procuratio.

163 Proxenetæque officium in nundinis est sine dubio negotium seculare. Et de hoc officio præcipue loquitur *cap. clericus quantumlibet 91. dist.* volens talem ab officio suo degradari. *Gloss. ibid. Graff. eff. cler. 6. num.* & apud eum *Maiol. de irregular. l. 5. c. 19. num. 6.* Sed non est mercatura. Sicut neque vendere vinum proprium ad minutum: immo neque est res illicita, etiam religiosis, quidquid in contrarium dixerit *Lezana* vt bene tradiderunt. *Bellet. vbi sup. num. 16. Barbosa d. cap. 40. num. 126.* Et in statu Ecclesiastico hoc in pluribus locis est in vsu, & quatenus solum vendant vinum, nec dent aliquid ad manducandum, vel manducandi commoditatem in domibus eorum aut cellis vinarijs, nec soluunt gabellas, vt pluries declarauit Sacr. Congregatio de Bono regimine, vt videre est apud Iacobum Choellium in Bullario à se vulgari idiomate impresso parte tertia *cap. 8. pag. 201.* quod vero *Antonellus lib. 6. cap. 7. num. 15. & Vulpe in praxi cap. 33. num. 10.* admittant hoc solum cum limitatione, vt scilicet non fiat a Clericis per se ipsos, sed per alios, est ex hac parte verũ, quia minus conuenit quod Clericus se occupet, vt ad minutam mensuram accedentibus vendat, & honestum est, vt id fiat per aliquem ministrum. Sed tamen numquam hoc est mercatura, nec est illicitum clericis per se ipsos contrahere de proprijs bonis, dum propter hoc non deficiant ab officijs suis, id est in his potius excessus est vitandus, & fugiendum scandalum quam substantia actionis quæ secundum se nõ est illicita. Monasteria vero, quæ habent laicos ad curam temporalium destinatos, bene proprium vinum per huiusmodi laicos stylum patriæ ad quãlibet mensuram vendere possunt. Alchimia vero si fiat ex materia non empta certe non est negotiatio sed artificium. Per extrauagant. tamen spondent. De crimine falsi est prohibita nedum religiosis sed laicis. Qualiter vero illa constitutio intelligi debeat, videantur *Syluest. v. Alchimia* & alij summistæ.

164 Vltimo quantum ad hanc partem est difficultas de locatione famulorum, boum, ouium, & similium an scilicet clerici possint locare famulos suos, boues, & oues pro mercede, & vt fructus ex hac locatione perceptos vendant. In quo distinguendum est; Nam famuli, boues, & oues, vel emuntur ad hunc finem, vel non emuntur ad hunc finem, sed aliunde habentur ex iusto titulo vel successionis, vel donationis, vel decimarum, vel etiam emptionis, sed ad alium honestum finem. Primus casus ad præsentem difficultatem non pertinet, quia modo tractatur an sine emptione rei quæ venditur possit esse negotiatio, vnde ille primus casus in sequentibus est tractandus. In secundo vero casu dicitur, quod nedum non est illicita negotiatio, seu mercatura, sed neque est illicitum negotium, vt habetur ex declarationibus Sacr. Congreg. supra recensitis. Nam in Caputaquen. ad sextum habetur, quod clericis licet retinere, & locare boues, & oues & alia animalia, quæ habentur ex successione, vel ex decimis, & fructus illorum vendere absque reatu illicitæ negotiationis. Et hoc idem declaratum fuit post Neocastren. supra n. 155.

Et

Et in Alexanen. ad primum idem asseritur, & ampliatur prior resolutio, dum explicatur, quod prædicta possunt locari, quæ aliquo iusto titulo possidentur. Et ad secundum quod licet dare, vt vulgo dicitur à giouatico boues proprios; & ad tertium ait posse locationes etiam emptas, si sint emptæ ad necessitatem sustentationis, non ad lucrũ; & ad quartum quod Clericis licet in proprijs molendinis molere granum, oliuas, & alia, dum propter hoc non se subtrahant ab eorum officijs, & id fiat non ad lucrum, sed ad familiæ sustentationem; quia huiusmodi artificium non videtur sordidum. Et ad sextum quod vbi opera non sint sordida possunt fieri operum commutationes inseruiendo pro cultura seculari, vt ille simile seruitium restituat. Et ita etiam docuerunt *Syluest. v. Cler. 3. num. 2. Fagnan. ad cap. 1. num. 33. ne cler. vel monach. Redoan. q. 2. num. 13. & 65. Diana p. 11. tr. 2. resol. 10. Molina de contract. disp. 341. num. 4.* quem refert & sequitur *Prosper de August. ad Quarant. v. Vectigal. §. similiter, & §. quæritur, & §. difficultas & Barbos. d. c. 40. n. 126. Bellet. d. §. 21. n. 36. iterũ Barbosa in summ. Clericus* quoad negotiationem, & cæteri DD. communiter. Vbi ergo res sint propriæ Clericorum, & non sint emptæ ad locandum propter lucrum possunt Clerici eas locare etiam vt fructus ex locatione perceptos vendant; Quamuis clerici in sordido aliquo officio nec per famulos suos inseruire possint.

165 Hinc est etiam quod si Clericus habens multam auri pecuniam non emptam ad hunc finẽ, sed aliunde sibi propriam, non dicitur negotiari si illam cum lucro permutet in argenteam. *Lezana v. negot. num. 5. Diana p. 11. tr. 3. res. 10. quæst. 1.* Nihilominus quod dare pecuniam ad cambium sit negotiatio tradit *Bonac. disp. 3. de contr. q. vlt. p. 2. §. 2. num. 14. ex Bald. in l. 1. C. de exercit. Redoan. q. 2. n. 38.* Sed hoc est verum ex eo, quod qui campsoris artem exerceat ex pecunijs emptis, nimirum ex lucro quod per cambia acquirit, iterum permutando pecuniam lucratur, & sic permutat nedum vt lucretur, sed vt permutando & lucrando iterum lucretur. Sed qui pecuniam aliunde iuste possessam permutat, seu dat in vno loco & accipit in alio etiam cum lucro, non negotiatur proprie, quia non vendit emptum, sed vendit suum. Licet peccet si id faciat principaliter propter lucrum, & non ob aliquem finem honestum. Item Diana vbi supra supradictum limitat, vt non sit admittendum in casu in quo Clericus receptas ab alio pecunias aureas, vt aliquid pro eo emat, ipse eas retinet, vt postea cum lucro permutet, interim rem commissam per alias pecunias exequendo hoc enim est permutare ad vendendum cum lucro.

166 Dubitatur secundo circa secundam conditionem, quæ est, vt id quod emitur, ematur, vt vendatur, quia negotiatio prohibita est conducere alienos agros etiam si id non fiat ad vẽdendum fructus. Nam *cap. Ne Clerici, vel Monachi*, absolute prohibitum fuit Clericis, aut Religiosis conconducere secularium agros: quod & prohibitum prius fuerat in Concil. Calcedonen. vt habetur *cap. peruenit 86. dist.* Vnde multo magis est illicitum conducere vectigalia, aut gabellas, seu conducere contentiones, & lites etiam si id quod emitur non ematur, vt vendatur. Respondetur nihilominus: quod conducere alienos agros per se est artificium, non vero negotiatio, *Redoan. d. q. 2. num. 10. d. Graff. eff. cler. 6. num. 31.* est enim ars agriculturæ, seu ars rustica. Quæ absolute per se non est neque negotium illicitum. Et quidem primo colere proprios agros, & vineas, vel venas metalli, etiam si fiat ad vendendum fructus, non est negotiatio, neque negotium illicitum, nisi simul id fiat principaliter ob lucrum non ordinatum in finem honestum. Quod enim liceat Ecclesiasticis colere proprios agros etiam per laicos declarauit S. Congreg. supra num. 153. in Caputaquen. & num. 155. in Neocastren. ad primum. Et quod in Vrbe, nec non in Latij, Campaniæ, & Maritimæ Prouincijs Ecclesiastici possint in proprijs eorum Casalibus exercere artem agriculturæ, aut exerceri facere declarauit Clem. VIII. in Constit. 72. *Inter multiplices §. 5.* & animaduertit *Reuerendiss. Fagnanus ad cap. 1. numer. 45 Ne Clerici, vel Monachi*. Et addition. ad statuta artis agriculturæ Vrbis cap. 22. lit. B. ait artem agriculturæ esse Clericis permissam, sicut & mercaturam, quod tamen non subsistit, quia mercatura est prorsus prohibita Clericis, sicut & agricultura, vt transit in mercaturam. Sed colere proprios agros, nec est mercatura, neque est negotium prohibitum, vt etiam communiter DD. docent, & ex *Bart. in l. legatis, ff. de leg. 3. & Alex. in l. diuortio. ff. solut. matrim. Maccabr. cons. 18. nu. 31.* probat *Graff. eff. cler. 6. num. 31.* Fructus enim, qui à conductore venduntur non emanatur immediate . . .

167 Secundo Ecclesiasticis non est prohibitum conducere bona Ecclesiastica illaque colere, & reddita Ecclesiæ summa conuenta reliquos fructus ex fundis Ecclesiæ collectos vendere. Nam *in cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi*, Ecclesiastici prohibentur solum esse conductores rerum secularium. Et ita quod propterea S. Congr. Episcopor. & Regularium sub die 19. Iunij 1593. rescripserit Nuncio Neapol. non debere Ecclesiasticos intuitu illicitæ negotiationis molestari eo quod locorum piorum bona in affictum acceperint. Quod idem habetur etiam in declaratione Sacr. Congregat. Concilij in Caputaquen. supra relata in respons. ad quæstionem quintam & post Neocastren. supra nu. 153. & 155. Verum quidem est, quod in dicta Caputaquen. requiritur quod conductores sint pauperes, & conductio fiat ad suam, suæque familiæ sustentationem. Verum considerandum est, quod eadem declaratio per hoc non intelligit casum necessitatis, quia in casu præcisæ necessitatis permittit etiam conduci bona laicorum, sed Sacr. Congregatio requirit vt conductio fiat ad conducentis, & eius familiæ sustentationem, quia quod est in se & ex materia negotium circa temporalia, non competit Clericis nisi ex causa honesta, quæ causa non est pura cupiditas lucri. Et ita hæc regula generalis habenda semper est, quod vt dicit D. Thom. in articul. non licet Ecclesiasticis ex sola lucri cupiditate se negotijs secularibus immiscere. Vnde nec eis licet ex sola lucri cupiditate etiam Ecclesiæ agros conducere. Cæterum vbi adsit in hoc alia causa honesta præter indigentiam sustentationis sui, & suorum, non erit illicita hæc bonorum Ecclesiæ conductio. Vt v. g. si sit Ecclesiasticus alias diues, & industrius, & Ecclesiæ bona sint inculta, & indigeat reparatione, & Ecclesia non possit expensas necessarias

sarias ad reparationem, & culturam præbere, nedum illicitum non erit, sed valde conueniens & opus religiosæ charitatis, si diues ille Ecclesiasticus agros illius *Ecclesiæ* conducat & reparet, & ad culturam bonam reducat. Sacra ergo Congregatio expressit causam quæ manifestius adesse potest, & ex qua magis communiter potest huiusmodi cōductio reddi honesta, sed ex hoc simul insinuauit, quod si aliunde etiam hæc conductio honesta sit, nō erit illicita, & tunc erit honesta si non fiat principaliter ex sola cupiditate lucri, sed ex alia causa honesta, & clericis proportionata. Itaque ergo ad rem nostram hoc est per se certum, quod colere agros ad sui familiæ sustētationem non est clericis, vel monachis illicitum, vt dixerunt etiam *Sylu. in v. clericus 3. num. 2, Redoan. q. 2. de spol. Barbosa l. 1. de iure Eccles. cap. 40. num. 125. & in sum. collec. 159. num. 3. Lezana v. negotiatio num. 3.*

168 Conductio etiam bonorum secularium in duobus casibus licet clericis seu religiosis. Primus est casus præcisæ necessitatis. Requiritur vero præcisa necessitas idest stricta & non late sumpta necessitas, quæ non aderit, si clericus aliunde ex licito aliquo negotio & iusto sibi prouidere possit, sed stante præcisa necessitate poterit clericus etiā secularium agros cōducere. Sic enim declarauit S. Congr. in supradicta Gerunden. ad quintum, & in supradicta Alexan. pariter ad quintum & tenuit *Gloss. in cap. primum v. conducteres dis. 88, & Gloss. in cap. peruenit, v. auaritia dist. 86. S. Raym. p. 2. cap. vlt. Panorm. in cap. 1. num. 8. & in cap. 3. num. 2. vbi Host. n. 1. ne clerici vel monachi Grass. off. cler. 6. num. 28. Barbosa in sum. collect. 159. num. 3. Bellett. tit. de discepl. cler. §. 21. num. 35. Lezana v. negotiatio num 4. Palaus tr. 16. disp. 4. p. 13. §. 3. num. 4. Tambur. tom. 1. disp. 16. q. 21, num. 30. Fagnan. vbi sup. num. 29.* & aduertendum quod modus loquendi *Cardinal. de Lugo d. disp. 26, num. 29. Barbos. d. c. 40. num. 125. Palai d. §. 3. num. 4. & Auten. a Spir. Sancto trac. 3. disp. 6. num. 1373.* scilicet quod Clericis huiusmodi sit prohibitum conducere agros vt fructus vendant, satis deficit nec in proprietate punctum explicat, quia immo potest esse quod fructus non possent succurrere necessitati conducentis, nisi venderentur, vt si conduceretur vena metalli, aut salis, aut ager arboribus fructiferis cōsitus, quorum fructus in sua specie necessitati conducentis non conferrent. Sed modus loquendi proprius est, vt dicatur, quod est illicitum conducere secularium bona sine necessitate, & pro necessitate licet. Quia etiam si conducantur alieni agri vt fructus vendantur, tunc venditio mere materialiter se habet, & vt medium ad subueniendum necessitati, quæ est finis proprius, & principalis assumptæ culturæ. Videtur vero quod *Syluester v. clericus 3. & Fagnanus vbi sup. num. 29.* ad nullam conductionem non requirant necessitatem præcisam, sed quod sufficiat si ad sustentationem, & non turpis lucri gratia clerici agros conducant. Sed eorum dictum cum distinctione accipiendum est, vt sit verum de conductione rei Ecclesiæ. Nam alias quod ad conductionem rei secularis sit necessaria præcisa necessitas constat ex declarat. Sacr. Congreg. supra num. 153. & 155. & ex relatis à *Fagnano num. 13.* quamuis & parua prædia laicorum conduci possint pro sustentatione, si proprijs religiosorum manibus colantur *Redoan. n. 13. Grass. off. 6. cler. num. 28. & 29. Quarantē v. vectigal. Bellet. d. §. 21. num. 31.* Et idem dicitur si quis conducat hortum aut aliud paruum prædium ad animi gratiam. *Ricc. p. 2. dec. 475. num. 4. Turrian. tom. 2. de iust. disp. 59. d. 2. num. 2.* Aduertit vero *Gloss. in cap. decreuit dist. 86. v. conducere* quod semper intelligitur cōductio fieri ex cupiditate, si non probetur necessitas. Sufficiet tamen si de hac summariè constet. *Anton. l. 2. variar. Lecol. 3. num. 10. & 11. Vgol. de pot. Epis. c. 16 num. 30. Ric. p. 2. dec. 475.* ad finem.

169 Hinc soluitur difficultas, quæ hic locum habere posset, ex eo quod his stantibus non videtur distinctio inter conducere agros loci pij, & cuiuscumque laici, quia nec bona loci pij possunt cōduci à Clerico ex cupiditate, at vero alias conducere huiusmodi bona ad sui suorumque sustentationem, est idem, quod ea conducere ex necessitate. Nam iuxta citatæ Gloss. doctrinam, vel Clericus indiget ad sui sustentationem, vt conducat agros, & iam est in necessitate, vel non indiget, & iam dicendus est conducere ex cupiditate. Sed respondetur quod longe diuersa est ratio inter conducere res Ecclesiæ, & res seculares; nam conducere res *Ecclesiæ* non est negotium seculare, sed Ecclesiasticum, & quod nec fieri licite potest, nisi in Ecclesiæ vtilitatem. Tractare enim res temporales absoluta nec est *Ecclesiasticum*, nec seculare, sed abstrahit ab vtroque. Fit vero Ecclesiasticum si res quæ tractantur sint Ecclesiæ, & si in eius vtilitatem, aut damnum tractentur tractatus est iam Ecclesiasticus, & vel bonus, vel respectiue malus. Sed conducere res laicorum, est quid laicum ex obiecto, & seculare. Ideo distinguuntur secundo, quod conducere res Ecclesiæ per se ex obiecto, nec est ex iure diuino illicitum, nec est prohibitum iure humano, quod expresse *in cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi*, prohibet conducere agros laicorum, & ideo conducere agros Ecclesiæ, non est illicitum, nisi fiat tale, vel quia id fiat cum damno Ecclesiæ, vel ex alia mala circumstantia, & præcipuè ex cupiditate, idest ex auaritia, vnde etiam si fiat ex desiderio lucri, si hoc desiderium alias sit honestum, sicut potest esse, nam desiderium lucri de se est res indifferens, quæ potest honeste fieri, dummodo illud desiderium fine honesto non careat conductio non est mala, & illicita, vt supra etiam est dictum. Et licet si hæc conductio fiat vt fructus vendantur, ex hoc habeat nonnihil negotiationis. Tamen quia hic principaliter attendi debet totum negotium, quod & ex obiecto est Ecclesiasticum, & ex fine proprio, & principali est honestum, quia & conductio agrorum, & fructuum collectio, & fructuum venditio, & sic totum negotium assumitur non ad lucrum, sed vel ad sustentationem sui, vel ad vtilitatem maiorem Ecclesiæ, vel ex aliquo simili fine pio, ideo huiusmodi conductio, nec est negotiatio, nec est negotium seculare, & prohibitum. Sed conducere agros, aut bona secularium est negotium seculare non excusandum nisi ex necessitate Clerici conducentis, & non sufficit qualibet necessitas, sed requiritur necessitas præcisa, idest stricte sumpta, hæc enim est præcisa necessitas, vt dictum est supra q. 186. a. 7. nu. 237. pag. 553. Ideo non sufficit incommoditas quæcumque, sed requiritur præcisa necessitas. Et cum Palaus loco supra citato absolute asserat Clericum posse agros conduce-

ducere ad sui suorumque sustentationem, quod & affirmat *Diana p.11.tract 3.resol.*10. hoc si absolute proferatur non admittitur, sed debet addi ad præcisam necessitatem sustentationis, si loquamur de conductione bonorum secularium, quia ad hoc non sufficeret necessitas ad bene esse, seu maior quælibet commoditas sustentationis, quæ non esset stricta necessitas. Vnde est quod ad reddendam licitam hanc conductionem non sufficit quilibet finis honestus, quia ex lege diuina conducere agros secularium cum sit quid, quod parum conuenit Ecclesiasticis, qui soli Deo militare, & diuinis incumbere debent, ideo lex positiua illud prohibuit absolute, tanquam seculare negotium à Clericatu alienum: permittens interim, quod ex præcisa necessitate illud possit exerceri. Vnde extra casũ præcise necessitatis, nec absolute admittẽda est limitatio *Turrium de iustitia tom.2. disp.59. d.2. nu.2.* sola magna prædia cõduci nõ posse asserentis, lucri enim gratia nulla, & pro necessitate præcisa omnia cõduci possunt, & pro ordinaria sustẽtatione pariter nulla nisi hortos, & similes agros ad honestã delectatione, uel si sit res tã parua, quod leuitas materię excuset.

170 Secundus casus in quo licet conducere bona secularia est, si quis Clericus, vel Religiosus succedat alieni, qui eadem bona conduxit. In hoc enim casu poterit Ecclesiasticus continuare locationem, vsque ad tempus quo durare debet. Regulariter enim huiusmodi locatio non rescinderetur, sine damno, vel conducentis, vel locantis, & ideo rationabiliter dicitur, quod si Ecclesia sit hæres, vel succedat alicui, qui conduxit bona secularia, continuat in conductione, vsque ad tempus, in quo conductio durare debet. *Gloss. in c.1. v. conductores, &* ibi *Panorm. n.8. Fagnanus n.8. Hostien. n.7 Io. Andr. n. 5. Butr. n.4. Ne Cleric. vel Monachi, Felin. in c. Quia d. n.3. de iud. Syluest. v. Clericus 3. n.2. Redoan. q.2. n.12. & Caroct.* quos sequitur *Bellet. vbi sup. num.* 34.

171 De conductione vectigalium, aut tributorum secularium res est certior, quod sit negotium Clericis illicitum 21. *q.3. cap.2. & 3. Innoc. in cap. magnus, num.4. de oblig. ad ratioc.* Redoan. *q.2. de spol. nu.44. Bellet. vbi sup. nu.*33. Et de huiusmodi conductione præcipue *Gloss. in cap. Placuit, v. conductores,* quod est *Conc. Carthag.3. cap.15.* intelligit prohibitionem dicti textus. Si enim prædium Ecclesiæ propter onus fiscale, scilicet habens annexum tributum & vectigal censetur iuste alienabile per Ecclesiam, ne eius immunitas violetur, & subdatur Ecclesia vectigalibus. *c. hoc ius. §. item prædium* 10. *quæst.2.* multo magis indecens est, vt clericus seculari Principi deseruiat in exigendis vectigalibus, gabellis, & tributis. Et certe existimo quod nec ex causa grauissimæ, & strictissimæ necessitatis aliunde nullo modo reparabilis (quæ iudicio meo moraliter est impossibilis; quia data extrema penuria Clerici non deerunt moraliter loquendo alia ministeria non habentia tantam indecentiam. quibus Clericus poterit sibi prouidere) posset hoc officium alias de se odiosum, & populis valde ingratum, & quod requirit magnam occupationem, & valde distrahit à spiritualibus exercitijs esset clerico permittendum. Sed tamen vectigalia exigere non est proprie negotiatio seu mercatura: quamuis sibi non desit prima mercatoris conditio, scilicet emptio, quia conducens vectigalia & gabellas emit ius exigendi illas, sed non emit, vt vendat; ideo non est mercatura; Nisi emat illud ius, vt illud idem carius vendat. In quo sensu *Gloss. in d. cap. Placuit* interpretatur d. cap. prohibitionem, vt scilicet prohibitum sit conducere agros, vt hæc conductio vẽdatur carius alteri.

172 Emere vero contentiones, lites, & rixas, licet non sit negotiatio proprie, quia nihil emitur, vt vendatur; est tamen negotium seculare, & prohibitum in cap.1. Ne clerici, vel monachi ibi. *Contentiones, vel lites, vel rixas amare.* Distinguuntur vero illa quia contentiones sunt in verbis, lites in iudicijs, rixæ in factis, & percussionibus ad inuicem iuxta interpretationem Petri de Samplone & Abbatis antiqui ibi, *& Io. Andr. num.2. Butr. numer.3. Abbat. siculi nu.4. Fagnani nu.4.*

173 Dubitatur tertio, circa tertiam conditionem. Erit enim tertia conditio, vt quod emitur, vt vendatur, immutatum vendatur. Sed non videtur hæc conditio necessaria, quia artificium etiam videtur species negotiationis illicitæ. Nam emere venam ferri, vel alterius metalli, & metalla eruere per laicos ad ea vendenda est negotiatio illicita, sicuti & artem rusticam ad finem lucri exercere, & pariter ars fabricandi cartas lusorias, & plura alia similia artificia, quæ non decent Clericos.

174 Verum in hac parte conueniunt DD. quod artificium non est proprie negotiatio. Et ideo *Reuerendiss. Fagnanus ad cap. multa num.23. Ne clerici vel monachi*, negotium seculare distinguit in negotiationem proprie sumptam, & in artificium. Sic enim & Gratianus egit de negotiatione dist.88. & de artificio dist.91. & D.Thom. etiam ad hunc, & sequent. articulum hanc distinctionem agnouit tractans in hoc secundo articulo de negotiatione, & in tertio de artificio. Dicitur igitur primo quod artificium non est negotiatio, & quod per se, & ex obiecto est res indifferens, quæ non disconuenit Clericis, & Religiosis, nisi sit malum ex aliqua circumstantia. Probatur primo ex *Concil.4. Carthag.* prout habetur *cap. Clericus 3. & 4. dist.91.* vbi Clericis mandatur, vt artificio, & agricultura victum, & vestitum acquirant, *Turrecrem. ibid. & c.1. Ne Clerici, vel Monachi, vbi Panorm. num.6. & 10. & Hostien. num.7. cap. relatum 2. §. penult. vers. artificio. De testamen. S. Raym. in sum. par.2. tit. vlt. Syluest. v. Clericus 3. num.2. Fagnanus vbi sup. num.* 50. Redoan. *q.21. de spol. num.9. & 35. Barbosa l.1. de iure Eccles. cap.40. num.*118. *Farinac. in frag. Crimin, p.p. num.164. Grass. eff. cler. 6. num.35. & c. Bellet. ti. de discipl. Cler. §.21 num.12. Card. de Lugo disp.26. num.27. Palaus tract.16. disp. 4. p.13. §.3. num.3. Anton. à Spir. sancto tract.3. disp.6. nu.*1370. & alij DD. communiter. Et ratio est quia rudem materiam per artem ad formam deducere non est negotiari, quia hoc non faciunt mercatores sed artifices. *cap. ejciens. ver. quicumque dist.88.* ex auctore operis imperfecti in Matt. hom.38. Negotiatio enim dicitur in commercijs vbi aliquid datur vt maiora lucrentur. *cap. nunquam, de consec. dist.5. ex S. Hieron. ad Rusticum.* Nam & Apostoli artifices fuerunt laborantes manibus suis, ne quenquam grauarent. *Act. 20. 1. Thessal.2. 1. Cor.4. Ephes.4.* vt adnotatur *cap.1. Ne clerici vel monachi,* & explicat *Baron. ad annum* 52. *num.15. & seqq.* & sancti monachi manibus laborabant, vt victum consequerentur; sic enim &

S.Aug.

S. Aug. edidit librum de operibus monachorum in quo grauiter reprehendit otiosos monachos, qui laborem negligebant. & quod hodie etiam in Dioecesi Hispalen. Monachi Basiliani Eremi del Tolon, ex labore manuum suarum viuant, refert *Fagnanus vbi sup. num. 27.* & constat ex literis Clement. VIII. datis Tusculi 23. Septēbris anno 1603. Pontificatus sui 12. Sed & hodie 10. Decembris in quo die hæc scribo habetur in Martirologio memoria S. Deus dedit Confessoris, qui quod in hebdomada lucrabatur proprijs manibus operando die sabbati pauperibus erogabat. Vnde fide certum est, quod artificium ex genere non est negotium clericis, & Religiosis illicitum.

175 Ex circumstantijs tamen & qualitate sua artificium potest esse clericis, & religiosis illicitum. Et quidem primo, si ex qualitate sua sit vile, & sordidum, & turpe, & non conueniens honori, sinceritati, altitudini, & nobilitati status Ecclesiastici. Et huiusmodi sunt artes, quas recenset *Caiet. in sum. in v. clericor. peccata, ibi.* Quoad artes, artes macellariorum seu carnificum, tabernariorum, ioculatorum seu histrionum, goliardorum, & bufonum, & chirurgicorum. Ars macellariorum clericis prohibita est in *Clem. 1. de vit. & honest. cleric.* & Tabernas tenere fuit interdictum *cap. Nulli 44. dist. & cap. 1. de vita, & honest. Cleric.* Vnde etiam est quod multo minus licet deseruire & ministrare alijs in tabernis. Quantum ad hystriones, si clericis interdictum est adesse spectaculis, & scenarum repræsentationib. *cap. Presbyteri dist. 34. ex Concil. Agaten. & cap. Non oportet, de consecratione dist. 5. ex Conc. Sardicen.* Multo magis est illis prohibitum ex arte profiteri hystrionatum, vel comedias repræsentare. Sed & Innoc. III. Epist. Liuonien. scribens, vt habetur *cap. cum decreta. de vit. & honestate Clericor.* interdixit ludos theatrales fieri, vel in Ecclesijs, vel per clericos. *Panorm. ibid, num. 1.* Similiter clericum scurillem, & verbis turpibus ioculatorem ab officio retrahendum esse definitum fuit in *Concil. Carthaginen. 4.* vt habetur *cap. Clericum dist. 46. vbi Turrecrem.* explicat id intelligendum esse, si clericus monitus non desistat. Ioculatores enim goliardi, & Buffones si per annum artem illam ignominiosam exercuerint ipso iure, si autem minus & ter moniti non destiterint carent omni priuilegio clericali. *cap. vn. de vita, & honest. Cleric. in 6.* Chirurgiam vero exercere cum incisione, & adustione prohibentur clerici ab Innoc. *III.* vt in *cap. Sententiam, Ne Clerici, vel Monachi.* Inter huiusmodi sordida ministeria numerari possunt præesse ergasterijs, publice & personaliter artes viles exercere, locare operas suas ad arandum, vel ad aliud vilius ministerium. *Redoan. q. 2. de Spoletana num. 42.* aptare selles, seu mundare cloacas. *Graff. eff. cler. 6. num. 45.* Et vniuersaliter ars omnis & officium habens annexam vel infamiam, vel turpitudinem aut inhonestatem, seu indecentiam decori clericuli contrariam est clericis illicitum. *cap. Placuit 21. q. 3. Card. & Vital. ad Clem. 1. de vita, & honest. Cleric. nu. 37.* & pluribus alijs tenet *Graff. eff. cler. 6. nu. 45. vbi nu. 47.* quod clerico nec licitæ sunt artes alias honestæ, si sint viles, vt exercere artem fabri, vel locare operas ad colendum alienas terras. *Et numer. 50.* quo nec licet huiusmodi artes viles exercere nomine, & vice alterius. Vnde multo minus clericis licebit exercere artes, quæ sunt occasiones peccandi, vt est conficere cartas lusorias, facere colores ad colorandum, & pingendum mulieres, & aliæ similes. Quando nihilominus artes sint honestæ, etiamsi sint viles, quod possint exerceri per aliũm, vt per suum famulum, dixit idem Graff. plures referens, & hoc ex hac parte verum est, quod Clericus exercens huiusmodi artes per alium non incidit in pœnam. *Clem. 1. de vit. & honest. Cleric.* Et quantum sit ex parte indecentiæ potest esse, quod non sit indecens Clerico operari aliquid vile per alium. Verum alia ex parte facilius hic intrat vera negotiatio, vt infra probo. Si etiam Clericus non publice, sed occulte aliquam artem honestam licet vilem exerceat eum non peccare, ex *Paulo de Laez, Capr. & Graff.* dicit idem *Grass. numer. 53.* Et admitti potest, vbi res adeo sit occulta, vt non vituperetur ministerium Clericale, sed bene *num. 54.* reijcit *Vitalin. in Clem. 1. de vit. & honest. Cler. nu. 37. & 38.* volentem, quod ars honesta licet vilis non sit illicita Clerico, & exemplificantem in balneis, & stabularijs. Hoc enim admitti non debet; quia huiusmodi artes sunt contra decorem ministerij diuini ad quod deputantur Clerici. Vt tamen dicebatur ex eo, quod Clericus per se ipsum exerceat huiusmodi artes non est mercator, nec subest pœnis Clerici negotiatoris. Quamuis si sit Clericus in Minoribus priuari possit clericali habitu, & priuilegio si nolit desistere, si vero sit in sacris puniendus sit arbitrio superioris *S. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 2. §. 3. Diaz. & Isid Mos.* quos sequitur idem *Grass. ibid.*

176 Quæ vero artes sint licitæ etiam religiosis primo colligi potest ex *S. Hieron. Epist. ad Rusticum, & ex c. Numquam de consecrat. dist. 5.* Facito aliquid operis, vt semper te diabolus inueniat occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de Euangelio viuere laborabant manibus suis, ne quem grauarent, & alijs tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in vsus tuos cessura non prepares? vel fiscellam texe iunco, vel canistrum lentis plecte viminibus, sarriatur humus, areolæ æquo limite diuidantur, in quibus cum olerum iacta fuerint semina, vel plantæ pet ordinem pŏsitæ, aquæ ducãtur irriguæ, vt pulcherrimorum versuum spectator assistas. Sic etiam ex *capit. Presbyter, & cap. clericum 91. dist.* habetur quod agricultura clericis, & religiosis competit.

177 Nihilominus non leuis difficultas est de artibus Agriculturæ, Atomatariæ, Pistoriæ, textrini, lanicidij & similium, quoniam videntur habere adiunctam mercaturam, maxime si ex rebus emptis, & per colonos, seu ministros conductos huiusmodi artes exerceantur. Verum aliquibus conclusionibus tota hæc res explicatur.

178 Dicitur igitur primo quod conficere per manus ipsorum clericorum seu religiosorum aliquod non sordidum artificiatum, etiam vt vendatur, non est negotiatio seu mercatura, sed artificium, quod ad negotiationem æconomicam clericis, & religiosis minime vetitam pertinet. Conclusio hæc patet ex dictis supra num. 172. & ex DD. ibi citatis, qui in hoc sensu præcipue loquuti sunt. Et exemplo Apostolorum & auctoritate S. Hieron. & Canonum est indubitata. Hac ratione excusantur artificiata plura quæ à monialibus in lino, serico, & auro conficiuntur, & ab ipsis venduntur. Sic

vbi

vbi adsint religiosi pictores tabulas à se depictas vendere possunt de superiorum licentia. Sic quoque, nisi aliud obstet, religiosi aromatarias habere possunt apud se, & medicamenta, olea, & alia pretiola per manus religiosorum confecta vendere possunt sicut & Sanctus Paulus, Apostoli, & monachi viuentes ex laboribus sua artificiata vendebant. Sic ergo etiam patet, quod hoc modo exercere artem Agriculturæ colendo agros per manus religiosorum, similiterque artes lanicidij, & textrini, & alias similes non est religiosis illicitum vt probatur ex *cap. Presbyter, & cap. clericus p. & secundo dist. 91.* Immo secundum Innocentium *in fin. de oblig. ad ratioc.* quem refert, & sequitur *Reduan. q. 2. de spol. num. 44.* cum sit prohibitum Clericis conducere secularium possessiones, tamen vnam possessionem pro opere manuum suarum licitum est conducere clerico ad sui sustentationem, vel ex honesta causa, quia hoc est ex proprio labore victum suum vel pauperum, aut Ecclesiæ vtilitatem quærere,

179 Dicitur vero secundo quod exercere artem etiam per ministros conductos sed principaliter ad vsum Ecclesiæ, solum vero consequenter & secundario ad vendendum artificiatum non est propriè negotiatio, nec est quid, quod sit ex iure communi religiosis illicitum. Sic v.g. ad vsum propriæ fabricæ habere fornacem, seu ad vsum proprium habere cimbam piscatoriam non est illicitum, etiã si per ministros conductos sit vsus fornacis, & cimbæ. Immo si hac occasione, vt commodius & cum dispendio minori propria res habeatur, etiam lateres, aut pisces qui superfluunt, vendantur pretio currenti, non est mercatura, sed est agere rem propriam cum prouidentia œconomica; quia finis operis est propria vtilitas, & venditio per accidens accidit, & accessorie se habet. *Diana p. 11. tract. 3. res. 10.* Et ita etiam quia medicamenta plura sunt talis conditionis vt diu non durent, nisi renouentur suis temporibus, & alia etiam quando sunt recentia non sint vtilia, ideo sine magno incommodo & damno non possent monasteria pro solo vsu religiosorum habere aromatarias nisi etiam medicamenta venderent alienis; propterea de iure communi non est illicita negotiatio ex simplicibus emptis etiam per manus secularium componere medicamenta principaliter ad vsum monasterij, sed secundario & consecutiue vt vendantur alijs. Et item cum proportione dicendum esset de alijs artibus, per quas fiunt artificiata quæ sunt in vsu apud religiosos. *Lezana p. p. cap. 9. num. 39. & v. negotiatio num. 6.*

180 Dictum vero est de iure communi, quia de iure speciali aliter est dicendum. Nam Romæ ex decreto Sacr. Congreg. visitationis dato 29. Augusti 1637. prohibiti sunt regulares exercere artes Aromatarij, Pistoris, lanicidij, & textrini præterquam pro religiosorum & alumnorum vsibus, vt apparet ex eo decreto, quod refert per extensum *Lezana v. negotiatio* quoad regulares *nu. 6.* Sed illud decretum vt sonat, nunquam fuit executioni mandatum. Et quidem in Sacr. Congreg. Concilij pluries de hac re tractatum fuit ad instantiam Aromatariorum Vrbis, & nihilominus fuit per d. Sac. Congreg. permissum regularibus medicamenta chimica secularibus vendere, Teriscam, & alia nonnulla similia medicamenta, sicuti de facto fit. Huiusmodi tamen decretum, aut decreta solum obligant religiosos Romæ degentes & non prohibent harum artium exercitium pro vsu religiosorum, sed solum vt vendant alijs etiam sub prætextu amicitiæ & familiaritatis.

181 Quod vero *Lezana dicto cap. 9. num. 39.* iudicet tunc maxime conuenire religiosis exercere huiusmodi artes, si id faciant per conductos ministros seculares, quia tunc non militent rationes ob quas religiosis est prohibita negotiatio, caute est considerandum. Nam alias religiosis laicis qui præcipue sunt recepti ad labores multum conueniunt huiusmodi artes & alias negotium fidelius tractabitur per ipsos, quam per seculares, & nec potest fieri quin cura principalis tribuatur alicui religioso, aliter monasteria fraudibus, & furtibus essent nimis faciliter subiecta, vnde quantum fieri potest melius est vt huiusmodi artes exerceant religiosi ipsi laici ad opera manualia recepti.

182 Sed circa prædictas duas conclusiones dubium remanet, an artificium sit quidem licitum clericis & monachis sed tamen ex sola causa necessitatis. Videtur enim sic dicendum. Tum primo quia in cap. multa. Ne clerici, vel monachi, iustum negotium permittendum decernitur propter diuersas necessitates. Iustum vero negotium exponitur esse artificium operando proprijs manibus, vt ex *Butr. Abb. & Syluest. habet Reuerendiss. Fagnanus ibi num. 46. item dist. 91. cap. clericus victum*, permittitur clerico sibi victum quærere artificiolo sine officij sui detrimento. Item tertio in relatis declarat. Sacræ Congreg. non videtur concedi artificium nisi causa necessitatis *Grass. off. cler. 6. num. 39.* Sed dicitur, quod vbi artificium non sit sordidum, & dignitati status Ecclesiastici disconueniens, potest exerceri per clericos aut religiosos prædictis duobus modis vel scilicet illud exercendo per manus religiosorum vel ad religiosorum vsum etiam per ministros conductos, dummodo non fiat turpis lucri causa, sed ex fine aliquo honesto, siue hoc sit necessitas clerici, aut Ecclesiæ, aut pupillorum, & pauperum, aut Ecclesiæ vtilitas, & incrementum, aut quicumque alius honestus finis vt satis collig. ex *Clem. 1. de vita & honest. cleric. & ex tota dist. 91. & c. nunquam de consecrat. dist. 5. & dixerunt D. Anton. p. 3. tit. 13. c. 2. §. 3. Praxis Episcopal. p. 3. c. 63. de clerico negotiat. num. 3.* & est de mente *Glossa cap. Canonum 14. quæst. 4. Sebaz. de mercatura p. 3. tr. 5.* & docuit nouissime *& ex Monte Maran. Farinac. vbi sup. num. 165. Reuerendiss. Fagnan. vbi supra num. 50. & 51.* & est de mente *D. Th. supra quæst. 77. a. 3. & in hoc artic. & artic. sequenti.* Nec contrarium probatur ex citatis textibus, quia ad necessitatem reducitur quidquid est vtile vel clerico, vel Ecclesiæ, vel pauperibus vel Reipublicæ, & ad finem honestum conducit. Præterquam quod non est necesse intelligere dictos textus, vt reddiderint causam adæquatam & vnicam ob quam artificium sit iustum negotium, sed communiorem, & manifestiorem reddiderunt. Necesse tamen est quod clerici à diuinis, & debito sui officij ob artificium non desistant. *d. cap. clericus 91. dist. D. Ant. p. 3. tit. cap. 11. & 13. Redoan. de spol. q. 2. num. 5. & 8. Monte Maran. in pract. cap. 77. num. 10. Farin. in fragm. crimin. p. p. numer. 160. Grass. vbi sup. num. 40.*

183 Dicitur tertio quod vbi artificiatum sit res fructifera, ex tali artificiato etiam empto colligere fructus etiam per conductos laicos non est negotiatio illicita clericis, & religiosis. Sic enim eis licet emere Molendinum, & ex Molendino per ministros laicos fructum colligere, illumque vẽdere, vel emere domum, illamque locare. Hoc enim non est emere alienum vt vendatur, sed est ex proprio fundo fructus colligere. Molendinum enim etiam si emptum non est emptum vt vendatur, sed vt habeatur, per artem autem molitoriã fructum lucrari, potest quasi fructũ ex proprio fundo. Huius quidem oppositum videntur tenuisse, qui dixerunt, quod qui emit possessiones, vt fructus vendat dicitur Negotiator. Sic enim ex *Barbat. in apostil. ad Bartol. in l. Legatis. De legat. 3. Redoan. de spol. quaest. 2. num. 44. & Farinac. in frag. crimin. p. prima num. 151.* Vbi ex Angelo v. negotium addit, quod mercatura generaliter dicitur omne illud quod fit lucrãdi causa. Sed isti non loquuntur consequenter ad eorum & communia principia; mercatura enim consistit in hoc, quod eadem numero res quae emitur, vendatur immutata, & quidem vendatur carius quam fuerit empta. At vero qui emit possessionem solum vt vendat fructus pretio currente non vendit quod emit, nam possessionem emptam retinet, fructus vero possessionis emptae sunt fructus rei suae, quos & colligere & vendere potest sine aliqua negotiationis specie vt ex *Monte Maran. in pract. c. 77. num. 45. & 35. in fin.* tradit idem *Farin. num. 168.* sed vlterius deficit praefata positio, quia aliud est vendere, aliud est vendere ex intentione lucri. Qui emit agros, vt vendat fructus, non per hoc intendit lucrum, vt finem, quia bene potest velle vendere fructus, vt ex pretio alia ad sui commoditatem vtilia emat, quod est alienum à negotiatione. Praeterea ex intentione lucri, vt infra explico in quarta negotiationis conditione, si quis habeat lucrum vt lucrum vt finem principalem, omne negotium est illicitum, sed non per hoc est negotiatio; quia negotiatio non specificatur ex mala finis circumstãtia, ex qua omne negotium fit malum sed negotiatio est species actionis desumpta ex proprio obiecto, quod est lucrum ex re empta & immutata vendita intentum, at vero talis actio non est emere rem fructiferam ex fine colligendi ex eo fructus & eos vendendi collectos, quod est licitum etiam si fiat ad vendendos fructus. Inde est, quod ars agriculturae respectu proprij fundi est prorsus licita Ecclesiasticis siue habeatur per religiosos, & siue habeatur per conductos laicos; vt constat ex declarat. Sacr. Congreg. & *Clement. Octaui supra num. 162.* relatis *Gloss. in cap. negotiatorum dist. 88. Panorm. in cap. secundam. num. 1. ne clerici, vel monachi & coaf. 6. circa finem lib. 1. Gemin. in cap. vnicum num. 9. & ibi Io. Andr. & Franc. de vita & honest. cler. in 6. Bertachin. Roland. Cran. Graff. Lopez, & Rite.* quos sequitur *Bellet. d. §. 21. num. 16. Barbosa collect. 159. an. 1. & l. 1. de iure Eccles. cap. 4. nu. 124.* & apud eum *Less. & Fernandez, Consil. lib. p. q. 53. num. 2. Palaus tr. 16. disp. 4. p. 13. §. 3. num. 3.* & alij communiter.

184 Inde est quod si clericus vel religiosus emat agrum fructibus iam maturum, potest fructus agri per quemcumque collectos vendere; neque enim haec est negotiatio proprie sed est agriculturae artificium, quae est fructuum collectio eorumdemque distractio. *Card. de Lugo d. 26. num. 35. Palaus d. nu. 3. Antonius à Spiritu Sancto tr. 3. disp. 6. nu. 1370.* Quamuis si hic clericus vel religiosus non emat agrum, sed maturos fructus ex agro emat vt collectos vendat ob lucrum, haec sit proprie negociatio Innoc. & *Redoan. vbi sup.* Nec obstat si dicatur quod hic non venditur res empta immutata, quia valde mutatur: Nam emitur v.g. spica, & venditur frumentum, emitur vua, & venditur vinum, nam huiusmodi non est mutatio rei venditae in se, sed rei expressio ex corticibus, & nucleis quibus tegitur, quae non sufficit ad excludendam negotiationem, si fiat per laicos conductos, vt infra dicam.

185 Dicitur quarto quod exercere quamcumque artem ex re empta, & per emptos ministros, & ad effectum vendendi artificiata, non est sine propria, & Clericis, & Religiosis illicita negotiatione lucratiua. Hanc conclusionem supponunt declarationes S. Congreg. supra recensitae. Et eam tenent *Syluest. v. excommunicatio 9. num. 46. Rodriq. tom. 3. q. 74. a. 8.* Hic enim licet emere materiam, & ex arte illam ad formam intentam adducere nõ sit mercatura, sed artificium; vendere tamen artificium ex arte factum est vera mercatura, quia totum artificiatum, quod venditur fuit emptum, tum ratione materiae, tum ratione formae artis emptae ab artifice, & ita hoc artificiatum si iam factum, & immutatum vẽditur carius, est vera mercatura, quoniam hoc est rem emptam, & immutatam carius vendere.

186 Hinc secundum aliquos deduci potest, quod sit negotiatio conducere alienos agros ad finem vendendi fructus, si agri colantur, & fructus per ministros conductos colligantur. Ita ex *Tiraquell.* dixit *Barbosa d. cap. 40. num. 125.* Quod alij limitant, vt sit verum si id fiat lucri gratia, non vero si fiat ad sui, & familiae sustentationem. *Bonac. de contract. disp. 2. q. 9. p. 2. num. 4. Diana p. 11. tract. 3. resol. 10.* Verum primo haec limitatio est cõsideranda. Nam si per agere lucri gratia intelligatur agere ex intentione turpis lucri, quale est semper si lucrum, vel intenditur, vt finis principalis, vel in finem non honestum ordinatur, non est facienda distinctio inter negotia, & negotiationem, quia hoc modo omne negotium, tam Clericis, quam laicis est illicitum. Si vero per agere lucri gratia intelligitur intentio lucri etiam ex fine honesto. Sic quidem negotiatio est prohibita Clericis excepto casu verae, & praecisae necessitatis; vnde si conducere alienos agros est negotiatio non sufficit eam exercere ad finem ordinariae sustentationis, si aliunde possit Clericus suae necessitati succurrere. Dicitur propterea, quod conducere secularium possessiones est quidem negotium speciali iure Clericis prohibitũ, sed non est proprie negotiatio, quia quod emitur non venditur, sed fructus rei proprie venduntur. Nam dum conducuntur alienae possessiones, id quod emitur est dominium vtile talium possessionum, & ius modo emptori bene viso colligendi ex eis fructus, & eis vtendi. Id vero quod venditur sunt fructus, qui sunt vendentis non minus ac si eos ex agris proprijs collegisset. Sic ergo si quis nobilis, cui non competit proprijs manibus colere agros, ad emphyteusim accipiat alicuius possessionem non poterit dici mercator, si fructus ex possessione, cuius

solum

solum habet dominium vtile vendat. Sic quoque Clericus non ex eo erit dicendus mercator si possessiones Ecclesiæ conducat, vt vendat fructus viurus pretio ad finem honestum, & non ex turpis lucri fine. Sic ergo nec conducere secularium agros erit negotiatio, sed hoc censetur negotium Clericis illicitum, quia est negotium seculare, speciali iure, *in cap. peruenit dist. 86. & cap. 2. 21. q. 3. & cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi*, prohibitum. Ideo non licet Clericis huiusmodi agros conducere, nisi in casu præcisæ necessitaria. Vnde est, quod assumere onus colligendi alienas oliuas pro certa quantitate non licet; quia hoc est conducere alienos agros; Quod vero *Farin. in Frag. Crim. p. p. num 162.* velit, quod Clericus conducens secularium agros sit priuatus priuilegio fori, non dicitur cum sufficienti fundamento, neque inde deducitur, quod huiusmodi conductio sit per Sacros Canones prohibita. Quia immo, vt dicetur infra priuilegio fori, nec priuantur Clerici negotiatores.

187 Colligitur secundo, quid sit dicendum in ea quæst. An sit negotiatio emere animalia ad finē ea locandi. Videtur enim ita dicendum. Quod enim locatores sint mercatores, dixit *Bartol. in l. legatis, ff. de leg. 3. Molina disp. 342. numer. 14. Stracca de mercat. p. 1. num. 38.* quos sequitur *Graff. eff. cler. 6. num. 11. Et* probatur primo, quia Sacra Congreg. supra in Caputaquen. & in post Neocastren. n. 153. & 155. permittit locari animalia, si habeantur ex successione, vel ex decimis. Quod etiam dixerunt *Redoan. q. 2. de spol. num. 33.* & alij. Vnde per locum à contrario sensu deducitur huiusmodi locationem non licere si animalia sint empta, Secundo, quia eadem Sacr. Congreg. in Alexanen. supra num. 154. ad secundum negat licere dare boues emptos, vt dicitur à giouatico, & in respons. ad tertium negat posse locari animalia empta, in vtraque responsione approbans doctrinam *Molina de contractibus disp. 342. num. 14. & Prosper. de Augus. ad Quarant. v. vectigal. 6. similiter illicita*, Sed in contrarium vrget, quia vt argumentatur *Card de Lugo disp. 26. num. 34.* doctrina ista Molinæ patitur instantiam ex traditis per illam, quia ipse concedit licere locare prædia; immo & animalia propria. At vero eadem est ratio de prædijs, & animalibus emptis, quia huiusmodi empta non minus sunt propria, quam si habita fuissent ex successione, vel ex decimis, vel non empta essent. Nec ideo censeri potest negotiatio, quia animalia empta sint ex fine ea locandi, nam certum est non esse negotiationē, si quis emat prædia, vel domum ad finem locādi, & experientia ipsa probat hoc Clericis & Monasterijs esse licitum. igitur neque est negotiatio emere animalia ad locandum. Quod ratione confirmatur. Nam in hoc casu nihil emitur, quod vendatur. Nam emuntur animalia, non vt vendantur, sed vt habeantur, venditur vero illorum vsus, sed hoc est vendere vsum rei propriæ, quod non est negotiatio, aliter quæcumque locatio esset mercatura, quod est contra omnium sententiam, & sensum Sacr. Congreg. in præfatis declarationibus; quia in quacumque locatione venditur vsus, seu ius vtendi re, quæ locatur. Et præterea, qui locat animalia non intendit lucrum, sed fructum rei propriæ, ad quem habendum conducit locatio. Nunquam vero est illicitum emere rem fructiferam, vt ex ea recipiantur fructus eius.

188 Amplius intendere lucrum, vt finem principalem est cupiditas vitians omne negotium, sed intendere lucrum, vt bonum vtile, nec est bonum, nec malum. Et vbi ex negotiatione, vel alio negotio prohibito non intendatur, & ad honestum finem ordinetur etiam Clericis est licitum, & honestum. Certum vero est, quod locare, nec est negotiatio proprie, nec est negotium illicitum, quia licet locare propria prædia, & domos, igitur neque emere animalia ad locandum erit, vel negotiatio, vel negotium illicitum. Confirmatur, quia Sacr. Congreg. in Alexanen. ad tertium aduertit, quod non sit illicitum oues emptas locare ad comparanda necessaria ad victum, non ad lucrum. Non debet vero intelligi responsio illa de sola præcisa, & stricta necessitate, quia verba adiuncta, *& non ad lucrum*, significant, & explicant sufficere eam necessitatem, quæ valeat ad exclusionem cupiditatis lucri, & ita sensus est licere emptas oues locare ad finem sustentationis honestæ sub qua cōprehenditur etiam Ecclesiæ augmentum, & honesta quælibet commoditas, & pietas erga pauperes, ideoque, & quicumque alius finis honestus Clerico dignus, & cupiditatis exclusiuus. Vnde etiam ex hoc sensu Sacr. Congreg. in alijs declarationibus haberi videtur. Quod enim ex Caputaquen. & postea Neocastren. deducitur per locum à contrario sensu non probat. Nedum quia hoc argumentum non procedit in odiosis, per adducta à *Barbosa loco 27. num. 39. & 42. Et* vniuersaliter non valent in materia stricti iuris. *Rota coram Seraph. dec. 1466. num. 3.* Sed quia certum est tale argumentum non procedere, vbi in iure oppositum est expressum, vt habet idem *Barbosa ibid. num. 51.* At vero, vt est explicatum eadem Sac. Congreg. in Alexanen. ad tertium admittit posse locari oues emptas propter necessitatem quamcūque exclusiuam turpis lucri. Et ita in hoc sensu intelligenda videtur etiam eiusdem Sacr. Congregat. responsio ad secundum, ne sibi sit contraria in responsione ad tertium. Nec obstat, quod Sac. Congregat. suniti videtur sententiæ Molinæ, qui absolute negauit licere emere animalia ad locandum, quia Sac. Congregatio se explicans in illa respons. ad tertium, ostendit in quo sensu approbat sententiam illam Molinæ, & Prosperi de Augustino.

189 His sic stantibus cum viderem rem satis dubiam ex vna parte, propter rationes positas, ex alia vero inspicerē præfatarum declarationum verba valde fauere parti contrariæ, nec admittere de facili interpretationē nisi faciendo vim verbis, decreui consulere Sacr. Congreg. Concilij, sicut feci, quæ dignata est respondere prout infra. Et authenticam declarationem apud me habeo. In Romana Negotiationis.

Posita quod aliae hae Sacr. Congregatio in vna nullius siue Squillacensi sub die 15. Nouembris 1626. declarauerit Presbyteris, & Clericis licere Terras Patrimoniales, ac Beneficiales opera laicorum colere, & pro necessaria culturæ vsu boues, aliaque animalia emere. Illorumque fœtus vendere, eosque, si in proprijs bonis habeant quercus & castaneas posse animalia, quæ illarum fructibus vescuntur, emere, eaque alere, ac pro sua & familiæ sustentatione vendere.

Supplex quærit hodie P. Procurator Generalis PP.

Praditatorum an prædictis Presbyteris & Clericis liceat absque negotiationis Clericis interdictæ nota oues, boues, aliaque huiusmodi animalia emere, eaque locationis aut Societatis titulo conductori, aut socio tradere, ac lucrum ex huiusmodi locatione, siue societate percipere. Die 7. Octobris 1662. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concil. Tridentini Interpretum censuit, non licere.

Iulius Episc. Sabinen. Card. Sacchetus Præfectus.

Loco † Sigilli.

C. de Verebis Ep. Clus.

190 Colligitur tertio quod si clericus vel monasterium emat animalia vt pascat ea suis herbis donec adulta, vel saginata ea vendat, non est mercatura, neque illicita negotiatio. *Syluest. v. clericus 3. num. 2. Card. de Lugo disp. 26. num. 29. Redoan. q. 2. de resol. num. 14. Farin. in Fagn. p. p. nu. 172. Diana p. 11. tr. 3. resol. 10. Palaus d. §. 3. num. 3. Anton. à Spir. Sancto d. disp. 6. num 13 71. Barbosa l. 1, de iur. Eccles. cap. 4. num. 123. Fagnanus vbi supra num. 30. 31.* Sed huius ratio non est quia vendat rem mutatam, sed quia vendit rem mutatam ex proprijs, & vere non emptam in ratione artificiali, quia mutatio non est ex herbis emptis, & forsan etiam potest esse ex arte eiusdem religiosi. Ideo si clericus emeret animalia vt saginanda, seu ad crementum ducenda ex emptis pascuis, & per ministros emptos, vt animalia sic saginata, aut aucta venderet, proprie negotiaretur, quia venderet emptum a se ad effectum vendendi, & carius. *Syluest. v. clericus 3. num. 2. Fagnanus vbi sup. num. 32. Redoan. q. 2. de spol. num. 14.*

191 Infertur quarto quid dicendum si clericus emat venam ferri, vel alterius metalli, & metallum inde extractum vendat. Quidam enim dicunt, quod si clericus emit venam ferri, vt ferrum inde extractum per famulos conductos vendat, est mercator & illicite negotiatur. Sed si ferrum emat vt emat per se ipsum, seu monasterium id faciat per suos religiosos, non est mercator, quia tunc rem non aliunde, sed sua opera mutatam vendit, & ita artificiatum vendit à se elaboratum. Ita *Syluest. v. extom. 9. n. 46.* Alij vero distinguunt nam vena ferrea dupliciter potest considerari, vel scilicet vt sit res frugifera, & ferum ibi renascatur, si fuerit extractum prout de fodinis cretæ, uel auri, uel argenti dicitur *l. diuortio §. sed etsi ff. solut. matrim. & de lapicidinis d. l. diuortio §. si vir. & F. ff. de fund. dotal.* Et in hoc casu etiam si clericus, uel religiosus per conductos ministro eruat ferrum, uel metallum, quia hoc non est nisi colligere fructum in fundo suo & fructum proprij fundi uendere non est negotiatio illicita. Vel uena non est frugifera, quia metallum non renascitur, & quod ibi nunc est, fuit ab initio, & dum extrahitur, vena consumitur, vt de quibusdam lapidicinis dicitur in *d. l. diuortio §. si vir soluto matrim.* Et in hoc casu intrat distinctio syluestri vt sic mercatura per ministros conductos eruere ferrum ad vendendum illud, non vero si per religiosos eruatur. Et ita sentit *Rodriq. tert. tomo quæst. 74. a. 8. sed ex Molina disp. 342.* aliter distinguit *Card. de Lugo d. disp. 26. numer. 30.* quem sequitur *Diana p. 11. tr. 3. res. 10.* Et ait, quod si Monasterium emit agrum in quo adest vena metalli, quod non est negotiatio si per ministros conductos metallum emat, & vendat, secus si non emit agrum.

192 Vnum mihi certum est primo, quod scilicet vbi vena metalli, aut lapidis est frugifera, & in dies augetur, & eruta renascit, & crescit, qui agrum emit in quo est vena, potest ad effectum vendendi eruere metalla per quoscumque famulos, & ministros absque periculo illicitæ negotiationis, quia hoc non est nisi colligere fructus ex fundo proprio, accidit vero, nec interest an fundus habeatur ex successione, vel ex emptione, vel ex donatione, quia fundus non est emptus, vt vendatur; sed fructus fundi, qui non emuntur, sed ex proprio fundo colliguntur, sunt illi, qui venduntur. Certum quoque est secundo, quod si non emitur ager, seu fundus in quo est vena metalli, sed côducitur vena ipsa, seu emitur ius eruendi metalla ex alieno fundo, quod hoc est negotiatio, quæ est prohibita, & ideo si metalla, vel non eruuntur ad vsum Monasterij, vel per Religiosos, sed per seculares conductos est hæc negotiatio illicita, quia quod emitur est materia metalli, seu metallum ipsum, quod licet non vendatur, nisi erutum, & purgatû, tamen & hoc quoque est emptum, si per emptos ministros purgatur, vnde emptum est metallum purgatum, quod sic venditur carius, quam fuerit emptum. Sed si emitur ager, & vena, quæ non sit viua, quæ crescat, & augeatur in dies, sed quod ibi est, ibi fuit à principio mundi, vel à tempore immemorabili, & si erutum fuerit tota vena peribit; hoc tertio mihi est certum, quod per artem extrahere, vel metallum, vel lapides ad reddendum agrum fertilem, & cultum, etiam si metallum vendatur, vel lapides, non est negotiatio; per accidés enim est, quod materia per artem eruta vendatur, quia finis proprius est habere agrum ad culturam expeditum. Sed quarto absolute dicitur, quod vbi monasterium emat agrum in quo est vena metalli vel lapidis quod sine vitio illicitæ negotiationis potest eruere per quoscumque metallum, vel lapides, & illos vendere. Nam huiusmodi censendi sunt fructus terræ ex ea, veluti ex materia per causas naturales actiuas, & præcipue per cœli influentiam producti, non minus ac ex terra gignuntur herbæ, & fructus, & non est necesse aut debet præsumi quod ab initio mundi fuerint metalla illa aut marmores à Deo creati, sed bene potius quod decursu temporis licet per longissimum tempus fuerint à causis naturalibus producta. Et quatenus ab initio mûdi fuerint, cum nec sit verisimile quod Ecclesia sit priuata iure & facultate possidendi agros in quibus sunt venæ & minæ, & quod si possideat, eos vt sibi steriles, & ad nihil vtiles habere teneatur, absque eo quod possit gaudere vtilitate eius quod intra eosdem suos agros continetur. Ideo quod in agro continetur, & latitat tanquam agri fructus habendum est, & vt fructus potest distrahi & vendi. Sed cum limitatione infra ponenda.

193 Infertur quinto quid dicendum sit, si clericus vel monasterium emat agrum fructibus maturis plenum, intendens vendere fructus colligendos per laicos conductos. Cum enim tunc ager emuatur carius ratione fructuum censentur emi etiam fructus, & ita illi fructus emuntur vt vendendi, vnde videtur, quod hæc sit negotiatio. Et ita tenet Rodriquez loco citato, & fundatur in hoc, quod fructus pendentes pars sunt rei. *l. fructus pendentes. ff. de re iudic. Tiraq. de retrac. §. 1. glos. 7.* qui si tempore ven-

venditionis existunt debentur emptori tanquam pars fundi, vt tradiderunt *Bart. ad l. Iul. §. si fundum ff. de act. empt. & ad l. filius famil. §. fin. ff. de verb. signif.* vbi idem tenet *Iason. Couar. l. 1. var. cap. 15. num. 3. & l. 3. c. 4. num. 7.* Verum aliter dicendum est; quia etiam concessa doctrina Bart. & aliorum, quod fructus pendentes censeantur, vt pars fundi in hac parte, quod debentur emptori & sunt illius, tamen considerandum est, quod semper essentialiter sunt fructus, & quid accessorium fundo, & qui in emptione fundi emuntur, vt quid accessorium. & non emuntur principaliter, vt vendantur, quia nec fundus emitur, vt vendatur, sed emuntur simul cum fundo, vt simul cum fundo habeantur, & vt emens vtatur eis ad suum commodum, nimirum vt eis vtatur si indigeat, & si non indigeat, vt de illis faciat, quidquid sibi licet facere de fructibus sui fundi, ideo non est hic negotiatio illicita, vt bene dixerunt *Card. de Lugo disp. 26. n. 31. ex Molina, Filliucio, & Palaus tract. 16. disp. 4. p. 13. §. 3. num. 3. Anton. à Spirit. sancto tract. 3. disput. 6. numer.* 1370.

194 Inde est quod multo minus dici potest negotiatio, si Monasterium pro vsu suo emat vacas, vel oues prægnantes, & postea vendat fœtus illarum, quia tempore venditionis fœtus non erat. Et ita etiam Rodriquez loco citato ex Bartolo ponit discrimen, quod si Monasterium emit agrum cum fructibus pendentibus, & iam maturis, si vendat fructus decima debetur, sed si emit agrum sine fructibus, & postea natos colligit, & vendit, gabella non debetur. Sed si emit prægnantes vaccas, aut oues, & postea vendat fœtus cum nati fuerint, ad nullum tenetur tributum, quia fœtus non emit, cum nondum fuerint nati. Quod tamen minus consequenter dicitur; quia fœtus qui iam erant in vtero multo magis censentur, vt pars rei emptæ. Nam & carius emitur vacca prægnans; si ergo hoc sufficit ad negotiationem, quod fructus censentur pars agri, & quod emantur, & postea vendantur: etiam hoc sufficiet ad hoc, vt negotiatio dicatur si quis emat vaccam prægnantem, & postea fœtum natum vendat. Quamuis hoc aliud discrimen his esse possit, quod fœtus natus non est res immutata, sed naturaliter valde mutata, ideo emens fœtum in vtero existentem, & vendens natum non vendit rem emptam immutatam. Sed ratio propria, & vniuersalis ob quam emens animalia prægnantia potest vendere fructus est, quia in emptione rei fructus emuntur, vt accessorij rei, & non emuntur, vt vendantur, quia quod emitur est res, & fundus, qui emitur, vt habeatur, fructus vero emuntur, vt accessorij, & sine quorum emptione commode non potest emi fundus, & emuntur consecutiue ad rei emptionem, ideo emens potest de illis disponere tanquam de fructibus suis. Et ita vniuersaliter, quidquid emitur, vt secundarium, & accessorium eius quod emitur, vt habeatur, etiam si ematur, vt vendatur non est mercatura, quia per accidēs emitur & emitur, vt accessorium eius, quod emitur, vt habeatur, & non ut uendatur. Et ita si hoc accessorium uenditur, non uenditur intuitu mercaturæ, & lucri, sed quia Dominus eo non indiget, & si eo emptor indigeret, illud non uenderet.

135 Et ex hoc modo declarantur dicta supra num. 192. & dicitur quod in casu in quo uena metalli, uel lapidicina non sit fructifera, & ablata non augeatur iterum, & crescat, uel uena illa est principale emptum, uel est empta, ut quid annexum agro ex intentione principali empto. Si enim ager in quo est uena præfata metalli omnibus pensatis, ad nihil aliud est utilis, unde nec emitur principaliter, nisi ratione uenæ in eo inuentæ, quæ non est nisi massa quædam metalli rudis, quæ proprie, nec est fructus, neque est res fructificans, emere talem agrum, & uenam ad eruendum metallum, & illud uendendum, seu, ut formalius loquar emere metallum ex intentione uendendi illud prius erutum per ministros conductos, est proprie negotiari; adest enim emptio tam uenæ, seu metalli rudis, quam artificii ad effectum uendendi, & uenditio. Sed si uena se habeat, vt accessorium, & secundarium. Nam ex alia utilitate principaliter intenta emitur ager in quo est uena metalli, uel lapidicina, tunc non est mercatura eruere metallum per famulos conductos etiam ad illud uendendum, quia tunc finis emptionis non est uenditio lucrosa, sed est in re sibi utili, & empta ut habeatur, & possideatur non retinere rem sibi, uel damnosam, uel minus utilem. Et sic emptor agri non uendit metallum principaliter ut lucretur, sed ne retineat in suo agro rem sibi inutilem, & ut re sua ad sui commodum utatur. Tunc uero ager censendus erit, ut emptus principaliter, si præter uenam metalli habeat suam utilitatem perpetuam etiā paruam in se, quæ ablato metallo duret. Parua enim utilitas perpetua maxima est, & ualde principaliter expetenda. Ideo emens agrum habens perpetuam utilitatem, & perennem fructus alicuius prouentum censendus erit emere agrum principaliter ratione utilitatis perpetuæ, & ut illum perpetuo possideat, et metalli uena tanquam accessoria ad sui commodum, uti ualeat.

196 Sic quoque si monasterium indigeat frumento pro sui sustentatione, ad quam sufficerent viginti modia, si venditor nolit dare, nisi monasterium accipiat modia triginta, potest monasterium absque vitio illicitæ negotiationis emere triginta modia cum intentione vendendi decē sibi superflua; nō enim emit illa decē principaliter vt vendat, sed vt simul cum illis decem habeat viginti, quibus indiget; quamuis illa postea vendere intendat non vt lucretur; sed ne rem sibi inutilem retineat, quam emi fuit sibi vel necessarium vel vtile, & retinere est superfuum.

197 Infertur sexto quod emere lanam vt ex ea confectus pannus per ministros conductos vendatur carius est mercatura. Sicut & est emere vuas & per conductos ministros vinum educere ad vendendum. *Diana p. 11. tr. 3. resol. 11.* refert opinionem *Antonelli, de regim. Eccles. Epis. lib. 6. c. 7. num. 14 & Vulpes in praxi cap. 3. num. 4.* dicentium non esse illicitum Clerico emere vuas vt faciat vinum, quod vendat, seu emere lanam ad faciendum & vendendum pannum; cuius oppositum ipse tenet cum *Castro Palao, & Gutierez. Filliuc. etiam tr. 43. cap. 4. numer. 31. vers. infertur 4.* vult quod non sit illicitum Clerico emptis, tela, coloribus, & pictoris artificio picturam factam vendere. Pariter *Fagundez de contract. l. 5. cap. 11. nu. 29.* sentiens tales saltem non peccare mortaliter, neque esse negotiatores, quia non vendunt rem immutatam, arbitratur tamen eos

eos teneri ad gabellam, quia talia facere sit quid indecens Clericis, & ideo ex voluntate interpretatiua Principum & Canonum, eos non esse à tributis exemptos. Sed ex iam positis fundamentis res ista manifesta manet. Nam vbi artificiatum totum est emptum, & sic emptum venditur carius, nihil interest quod sic emptum totum simul, seu per partes, sed artificiatum emitur vt vendatur carius & ideo adest propriè negotiatio. Sic enim quæ differentia est in hoc puncto inter emere uinum ut uendatur carius, & inter emere uuam, & opera educentium uinum, ut uinum eductum uendatur carius? Vtrobique quod uenditur est uinum, & utrobique est uinum emptum, nisi quod in primo casu uinum factum emitur, & in secundo casu emptio fit per partes, quia emitur uua, & expressio uini ex una. Ideo id non fit sine propria mercatura, ut dixerunt *Molina disp.342. Lassarte de decimis capit.19. num.56. Card. de Lugo disp.26. num.34. & alij communiter.* Quamuis mercatura non sit si Clericus artificium conficiat manibus suis. Quod credo uerum etiam si utatur adiutorio famulorum, quos non ad hunc finem, sed ad seruitia domus conductos habet, unde est quod nec magis eis soluit ex hoc adiutorio; Nam & illi alias sunt sui, & uti illorum opera est uti opera propria.

198 Quarta conditio est, quod mercator emat vt carius vendat, seu vt lucretur. Circa quam considerandum est ex *D. Th. supra quæst.118. a.p.* quod cum res istæ temporales bonæ nisi inquantum sunt vtiles non sint secundum se amabiles, sed solum inquantum sunt vtiles ad finem, qui quidem finis est temporalis vita hominis secundum eius conditionem, ideo appetere illas secundum se est vitium, & sine peccato non possunt amari nisi secundum certam mensuram, seu vt commensuratæ necessitati humanæ vitæ. Hoc vero non facit qui vendit principaliter vt lucretur, quia hoc est appetere lucrum vt bonum secundum se, & sine mensura, & fine, quod est illicitum, & est peccatum auaritiæ oppositum liberalitati, cuius est mensuram ponere rationi debitam in appetitu diuitiarum. Et licet vt habet *D. Thom. ibid. num.4.* auaritia, vt hoc modo opponitur liberalitati, non sit peccatum mortale ex genere, est tamen peccatum saltem veniale.

199 Quo stante intrat quarta difficultas. Tum primo quia iam videtur, quod mercatura sit per se illicita, quia cum finis mercaturæ sit emere & vendere ex intentione lucri, si hoc est de se illicitum; erit quoque illicita mercatura, quod certe est falsum. Tum secundo quia iam non esset discrimen inter laicos, & Clericos sed etiam laicis esset mercatura illicita, quoniam est illicitum vendere principaliter propter lucrum. Respondetur nihilominus, quod mercatura licet intendat lucrum, non tamen per se & ex natura sua intendit illud vt finē principalem, & propter se ideo ex *D. Thom. supra quæst.77. a.4.* duo dicuntur. Primum quod mercatura seu negotiatio habet speciem mali, & *iuste vituperatur: quia quantum est de se deseruit cupiditati lucri, quæ terminum nescit sed in infinitum tendit. Et ideo negotiatio secundum se considerata quandam turpitudinem habet, inquantum non importat de sui ratione finem honestum, vel necessarium.* Secundum nihilominus est, quod mercatura non est illicita per se & ex obiecto. Nam *lucrum, quod est negotiationis finis, & si in sui ratione non importet aliquid honestum, vel necessarium, nihil tamen importat de sui ratione vitiosum, vel virtuti contrarium. Vnde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, vel etiam honestum, & sic negotiatio licita reddetur. Sicut si quis lucrum moderatum, quod negotiando quærit ordinat ad domus suæ sustentationem, vel etiam ad subueniendum indigentibus, vel etiam cum quis negotiationi incumbit propter publicam vtilitatem, ne scilicet res necessariæ ad vitam patriæ desint, & lucrum expetit non quasi finem, sed quasi stipendium laboris.* Si igitur intenditur lucrum sed non vt finis, neque propter se, sed vt medium vtile ad sustentationem sui, vel aliorum, seu vt stipendium laboris, intentio lucri non est mala. Sed si lucrum intenditur vt finis, si quidem hoc fiat tendendo in lucrum vt in finem principalem & vltimum, sic negotiatio est peccatum mortale. Hoc enim modo voluntas fertur in lucrum vt in finem etiam præferendo illi charitatē Dei, & proximi, quod est manifestè peccatum mortale, vt habet *D. Thom supra quæst.188. a.4.* Sed si voluntas mercatoris fertur in lucrum secundum se & vt in finem principalem proximum, sed non primum seu vltimum, & ita quod mercator licet superflue & ut ait Caiet. ibi in infinitum & non secundum mensuram amet lucrum, non tamen præfert amorem lucri amori Dei, & proximi, sic huiusmodi auaritia est peccatum ueniale. Hinc igitur patet quod emere & uendere propter lucrum formaliter & principaliter est malum, quia est agere propter lucrum ut propter finem principaliter & secundum se amatum. Et licet hoc non sit de ratione mercaturæ, tamen mercatura hoc non excludit, sed immo illi deseruit. Et ideo licet mercatura non sit de se mala habet tamen mali speciem, & propterea merito est Clericis prohibita.

200 Et nihilominus considerandum quod ad mercaturam proprie necesse est quod lucrum sit per se intentum & non sufficit quod homo ex emptione & venditione per accidens lucretur. Ideo si contingat u. g. quod existens Neapoli transiturus Romam, si deferat secum pecuniam in specie passurus sit maximum damnum uel quia pecunia illa Romæ longe minus illi ualebit, uel quia imminet sibi periculum, ut ea expolietur per latrones, uel quia pecunia de Regno illo non possit extrahi, si ut reddat se indemnem ex ea pecunia emat aliquid uendendum Romæ, non est proprie mercator, quia non emit uenditum ex intentione lucri, sed ut se conseruet indemnem. *Card. de Lugo disp.26. nu.33.* Semper tamen uitanda est fraus, & attendi debet quod defectus lucri cessantis non est damnum, sed damnum est amissio eius, quod possidetur; ideo non licet emere ut uendatur cum lucro, quod non haberetur sine emptione, & uenditione, sed non est mercatura si ematur aliquid uendendum, ut non amittatur, seu diminuatur, quod habetur. Ideo negotiatio est si Clericus tempore messis emptum frumentum non conseruat ut carius uendat quia non emit directe ut uendat carius. *Redoan. q.2. de spol. num.44. & 58.*

201 Sic explicata diffinitione negotiationis dubitatur quinto an dentur aliqui casus in quibus Clericis uel religiosis liceat negotiari? Et dicitur dari aliquos. Primus casus est si negotiatio non fiat principaliter propter lucrum. Nam *Panormit. in cap.*

in cap. secundum. Ne Clerici vel Monachi, tenet, quod negotiatio, quæ non sit lucri causa non est prohibita. Nam Clerici possunt emere, & vendere prout eorum necessitas exigit, non tamen principaliter propter lucrum. Immo cum Innocent. ad d. cap. secundum, dicat quod lucrum non est prohibitum Clericis, quod prouenit ex opera sua, seu rebus eorum, hoc ipse explicat, vt intelligatur quando Clericus operatur propter lucrum suadente necessitate, alias non debet negotiari. Et sic secundum Panormitanum primo negotiario non est prohibita secundum substantiam, sed ex causa, scilicet si fiat causa lucri principaliter. Secundo nedum proprie sumpta negotiatio, sed etiam improprie dicta, vt cum Clericus vendit opus suum, vel rem suam, est prohibita si fiat causa lucri. Item cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi, arbitratur ex Innocentio, quod Clerici tempore abundantiæ possint emere, vt tempore penuriæ vendant carius sicut fecit Ioseph. Gen. 41. dū tamen id fiat ne causa lucri, sed ex pietate, vel communi vtilitate. Quod & admittit. Redoan. q. 2. de spol. num. 45. & 48. sententiam Panormit. amplectitur etiam Reuerend. si. Fagnanus ad d. cap. secundum num 5. Idem sentit Fillinc. tr. 43. cap. 4. num. 30. Vbi tamen dicit hoc procedere in foro conscientiæ; nam in foro exteriori, qui vilius emit, vt carius vendat negotiator habetur. Probatur autem hæc sententia ex d. cap. secundum, & ex cap. quamquam de censib. in 6. Fagundez autem de Contractibus lib. 5. cap. 1. num. 5. hoc idem asserit non de negotiatione, sed de conductione agrorum, & prædiorum, vt sit prohibita non si fiat ad sui sustentationem, sed si fiat auaritiæ, & lucri causa. Refert vero plures pro hac sententia inter quos Franc. ad cap. quamquam. De censibus num. 4. & 5. qui hoc non dicit sicut, nec Sotus l. 6. de iust. q. 2. a. 2. Id etiam probat ex cap. peruenit dist. 86. & cap. 1. & 2. 21. q. 3. & cap. 1. Ne Cler. vel Monachi.

202 Verum communis sententia casum non admittit, sed tenet, quod Clericis, & Religiosis sit prohibita negotiatio secundum substantiam, nimirum hoc, quod est emere vilius, vt immutatum carius vendatur. Et ita quod illis sit prohibita etiam negotiatio honesta. Graff. eff. Cler. 6. num. 8. ex Rosell. v. Clericus il 2. in princ. Maccabrun. consi. 18. numer. 260. Anchar. in cap. multa. Ne Cler. vel Monachi. Nam, vt ex D. Thom. dicebatur, cum lucrum sit de genere eorum, quæ non sunt bona, nisi quia sunt ad finem amabilia, lucrum non est amabile propter se, seu vt finis propriè, sed solum per aliud, & vt medium ad aliquem finem, vnde amare lucrum vt finem, & propter se est contra rectam rationem, & est auaritia illicita etiam secularibus. Clericis vero non est prohibita illa sola negotiatio, quæ etiam secularibus est illicita, qualis est, quæ fit causa lucri, sed prohibita est negotiatio absolute, ex eo quia mali speciem habeat, vt D. Thom. dixit sup. q. 77. a. 4. ad tertium. triplici illa ratione, nimirum primo, qua Clerici, & Religiosi lucrum terrenum, quod negotiatio quærit, contemnere debent. Secundo quia est multorum peccatorum occasio, vnde eam quamplurima vitia committuntur. Tertio quia implicat animum secularibus curis, & à diuinis auertit. Ideo Gelasius Papa ad Epis. per Lucaniam cap. 17. vt habetur cap. consequens dist. 86. præcipit Clericis, & Religiosis abstinere ab omni negotiationis ingenio. Et S. Hieron. epist. ad Nepotianum, iudicat absolute, negotiatorem Clericum fugiendum esse vt hostem, cap. Negotiatorem dist. 88. & S. August in lib. quæst. vet. & noui testam. absolute pronunciat, quod negotiatio, quæ erat licita seculari, fit ei illicita facto Clerico cap. Fornicari ead. distinct. Et idem habetur ex auctore imperfecti in Matt. cap. eijciens. ead. dist. & cap. Canonum 14. q. 1. sic absolute statuitur. Canonum statutis firmatum est, vt quicumque in Clero esse voluerit, emendi vilius, vel vendendi carius studio non vtatur. & Honor III. cap. fin. de vit. & honest. Clericorum, absolute præcipit negotiantes Clericos priuari priuilegio immunitatis, si ter moniti à negotiatione non abstineant. Et in cap. quamquam, de censibus immunia à gabellis decernuntur illa sola, quæ Clerici non causa negotiandi deferunt, sic enim, vt videbimus infra, omnia ex negotiatione acquisita sub spolio cadunt.

203 Sed & loquendo de conductione possessionū licet in c. peruenit. dist. 86. & c. 1. & 2. 21. q. 3. pro motiuo legis assumatur, quod ex Clericis non deerāt, qui causa auaritiæ prædia conducerent, tamen dispositio Concil. Calcedonen. cap. 3 ibi relata est absoluta. Nam & vere sic est, quod quia huiusmodi negotio de facili adiungitur auaritia. ideo merito tale negotium meruit, vt prohiberetur Clericis absolute. Sicut fuit absolute prohibitum, cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi, & per Alex. III. cap. sed nec. ead. tit.

204 Neque contrarium probatur ex textibus citatis; quod enim in cap. secundum. Ne Clerici, vel Monachi, prohibentur Clerici negotiari lucri causa, ad summum probaret, quod pœna excommunicationis non sit lata, nisi contra sic negotiantes, non tamen probaret, quod sola negotiatio lucri causa esset prohibita, cum in alijs Canonibus sit absolute, & secundum substantiam interdicta. Sed aliter respondetur, quod illa verba lucri causa, non dicunt causam finalem proprie cuius est proprium, vt propter se appetatur, & non vt vtile alteri, vt sit sensus, quod non liceat negotiari propter lucrum, vt propter finem propter se amatum, quod quidem etiam ex lege diuina est illicitum. Sed verba illa dicunt finem vtilem, vt sit idem lucri causa, quod causa illius vtilitatis, quā fert lucrum, & ita quod in ratione boni vtilis, & amari vt vtilis, lucrum proxime sit per se primo intentum, vt habendum ex negotiatione. Et ita idem est negotiari lucri causa, quod negotiari vt carius vendatur, quidquid sit, an hoc accipiatur, vt finis vltimus, quod esset peccatum mortale, vel vt finis si non vltimus saltem principalis, & per se amatus, quod non esset sine aliquo peccato, vel etiam vt medium ad finem honestum, quod in seculari nullum esset peccatum. Sic ergo non licet causa lucri negotiari, nimirum ex quacumque vel intentione, vel voluntate plus habendi, seu lucrandi, seu carius vendendi. Et particula causa lucri dicit causam finalem, secundum quid, & eo modo quo medium vtile quod principaliter ratione suæ vtilitatis per se eligitur, dicitur finis. Et cum negotiatio assumatur ratione vtilitatis, illa est causa lucri, quæ est causa vtilitatis, quæ inuenitur in carius vendendo, quod est emptum, qui finis est intrinsecus, & essentialis negotiationi, & quo deficiente non est negotiatio. Et

huuc

hunc finem habet etiam negotiator, qui ex causa pietatis, uel boni communis negotiatur semper enim intendit carius uendere, licet hoc ordinet in finem honestum, quo posito negotiatio non est illicita seculari, cum tamen sit illicita Clerico cui est prohibitum uilius emere, ut carius uendat. E contra uero quod dixit Innoc. absolute uerum est, scilicet quod lucrum, quod Clericus consequitur ex opera uel re sua, præcisa negotiatione non est prohibitum; & sic non est prohibitum Clerico uendere fructus propria causa lucri in præfato sensu, & sic uendere eos quo carius potest salua iustitia, & præcisa mala circumstantia ut lucretur, intendendo lucrum ut finem ultimum, non tamen propter se, sed propter honestam suam sustentationem, aut alium finem honestum. Et hic est sensus communis DD. qui Clericis negant esse licitam negotiationem, & concedunt uendere sua, & artificiata componere & uendere. Cum tamen alias agere causa lucri, ut propter finem principaliter intentum semper sit malum.

205 Hinc vero colligitur, nec admittendum esse casum illum Panorm. de Clerico tempore abundantiæ & zelo boni communis ementis triticum conseruandum pro tempore penuriæ, sicut fecit Ioseph in Aegipto. Quem casum admittit etiam *Graff. affec.cler.6.num.34.* citans pro se *Redoan.q.2.de spol. num.48.& Molinam disp.342.num.13.* quamuis Redoan. talem casum ex *Panorm.* relatum non approbet. Licet enim huiusmodi negotiatio si prouenial ex zelo boni communis sit honesta, non per hoc tamen est licita Clerico, vel Religioso quibus etiā honesta negotiatio est prohibita. Nec exemplum Ioseph. Gen. 41. iuuat. Quia ille erat secularis, & agebat nomine publico, & indubitatum est talem prouidentiam si fit Regia, & à Principe esse honestissimam, & licitam, sed in priuato Ecclesiastico licet ex natura rei non esset illicita, est talis ex lege prohibente illam prohibente.

206 Secundus casus est, vbi quis semel vel iterum, non vero frequenter negotietur. Nihilominus *Palaus tract.16. disp.3. p.13. §.3. num.6.* existimat, quod sit culpa mortalis etiam vnum simplicem actum negotiationis exercere, vt si semel Clericus vilius emat, vt carius vendat causa lucri, quia talis vnicus actus est negotiatio. Verum sententia communis est in contrarium: nam regula iuris est, quod nomina significantia actum, vel actum alias licitum, non verificentur ex vno exercitio. *Anchar. Domin.& Franc.in cap.vn.de v. 'ta & honest.Cler.in sexto.* Et ideo negotiatio impo. frequentiam actuum, ac propterea ad incurrendum pœnas iuris positiui, seu ad hoc vt fiat contra legem positiuam negotiando, necessaria est frequentia actuum, & non sufficit, quod aliquis semel, aut iterum negotietur *Gloss.in l.1.§.licet, & ibi Bart.ff.de trib. act. Panorm. in cap.1.num.38.& ibi Ripa, de indic. Preban cap.vn. de Cler. coniugat in 6. Anchar. Gemin.& Franc. in cap. vn.de vit.& honest.Cleric.in 6. Bellet.tit. de discipl. regal.§.21.num.18.Barbosa lib.p.de iure Eccles.cap.40. num.120.* & apud eum *Salzad.Cened. & Graff. Diana p.1.tr.8.res.72. & p.11.tr.3.resol.10. Card.de Lugo disp.26.num.24.* & apud eum *Salas, & Turrian. Lezana v.negotiatio.num.4 Fagundez de contract.l.7. cap.11.num.14. Redoan quæst.2. de spol.num.65. Graff. eff.cler.6.nu.19.* & apud eum *Salzed. Diaz & Cened.*

Limitat tamen hoc Lezana, vt quantum ad solutionem gabellæ pro quocumque actu negotiationis illa sit soluenda. Quod tamen negant loco citato *Fagund.& Redoan.* quoque censet ad spolium spectare acquisita ex quocumque actu negotiationis. Cardinalis etiam de Lugo non excusat à transgressione legis vnum actum negotiationis in maxima summa. Ego credo quantum ad hanc partem considerandas esse leges negotiationem prohibentes tam respectu pœnæ quæ negotiando incurritur, quam respectu culpæ, quam negotiator Clericus committit. Nam vbi ad pœnam incurrendam est præmittenda monitio certum est, quod non sufficit vnus actus negotiationis, quia nec sufficiunt plures sine contumacia, vt infra magis patebit, cum erit sermo de huiusmodi pœnis; sed vbi ad pœnam non requiritur contumacia, adhuc verba legis pensanda sunt; Nam vt dixit Redoan sub constit. Pij Quarti de spolijs comprehenditur qui semel negotiatur, cum tamen alias etiam verum sit, quod nomina significantia actum ad hoc vt de aliquo verificentur requirunt frequentiam actuum. Quantum etiam ad culpam, certum mihi est, quod dixit *Caiet. in v. Clericorum* peccata, quod negotiatio in Clericis adiuncta contumacia, vel contemptu, vel graui scandalo est peccatum mortale. Pariter econtra credo quod ex eo quod aliquis Clericus semel, bis, aut ter negotietur sine animo perseuerandi non peccet mortaliter. Considero etiam quod ex cap. Negotiatorem, quod est Hier. & cap. Fornicari, quod est August. non habetur lex positiua obligans totam Ecclesiam, cum illi in totam Ecclesiam iurisdictionem non habuerint. Et capita illa legem naturalem, & naturalem honestatem continent, ex qua tamen negotiatio per se non est illicita. *cap. autem peruenit dist.88. quod est Conc. Carthag.& cap. consequens d.88. quod est Gelas. Papæ. Et cap. Canonum 14.quæst.4. quod est Concil. Prouincialis Tarraconen. & cap. multa, & cap. secundum* quod est Alex. III. continent legem indicentem pœnam sententiæ ferendæ, & ideo pœnam supponentem contumaciam, Ac propterea an lex huiusmodi præciso cōtemptu, contumacia, & scandalo obliget ad mortale, pendet ex ea quæstion similis lex imponens pœnam non ferendā nisi in contumacē obliget sub mortali facientem contra legem sine contumacia. Nihilominus communis sententia est, quod frequenter negotiari etiam præcisa contumacia sit peccatum mortale, Quod tamen negat *Caiet. loco citat.* & *Lezana v.negotiatio num.4.* ait, Tunc esse peccatum mortale negotiari, vel cum Clerici negotiatores facti fuerint digni vt excommunicentur, aut suspendantur, vel cum tam grauis fuerit negotiatio, & talib. circumstantijs vestita vt prudenter iudicetur esse peccatum mortale,

207 Tertius casus est casus necessitatis, si Clericus non habeat aliunde vnde se, & familiam suam sustentet. *Panorm. in cap.p.num.8.& cap. secundum nu.2. vbi Hostien. num.1. ne Clerici vel Monachi Gloss. in cap. peruenit v. auaritia dist 86. & in cap. dilecti, verb. conduxistis, vbi Panorm. num.4. de decim. Gloss. in cap. decreuit, v. conducere 88. dist. Syluest.v. Clericus 3.num.2. Cardinalis de Lugo disp.26. nu.37. Graff. effec.ver.6.num.24. Palaus tr.16. disp.4. p.13. num.7. Bellet. disquisit. Cler. tit. de disciplin. Cler. §.21. nu.35. Barbosa l.1. de iure Ecclesias. cap.40. num.119. vbi ex* San-

Sanchez de matrim. l. 7. disp. 46. num. 26. & Clarin. controu. for. 53. nu. 27. quod præcipue in Clerico coniugato licita sit honesta negotiatio victus causa. Iuxta sensum tamen Sacr. Congr. in Caputaquen. supra relata ad quintum, hæc necessitas debet esse mera & præcisa. vnde non sufficit vtilitas, & commoditas, & multo minus priuatio lucri cessantis, sed requiritur vera, & præcisa necessitas strictè sumpta. Quæ non tam de facili nunc potest in Clericis locum habere, cum Clerici non ordinentur in sacris nisi habeant patrimonium. Et multo minus in religiosis, qui ordinantur ad titulum paupertatis & qui per quæstum & eleemosynas viuere possunt. Quia non habent aliunde, & ex alio exercitio Clericis licito unde uiuāt. *Graff. eff. cler. 6. nu. 27. post Bonib. ad c. fin. n. 7. de vit. & honest. Cleric. & Host. in c. cler. eod. tit.* Quamuis vero requiratur vera necessitas sufficit tamē quod hæc sit proportionata statui Clericorum, aut Religiosorum. Vnde quod qui existūt in Brasilia, & pro necessitate pecunias non habent, possint emere merces, quibus Brasilia abundat, & eas mittere in Hispanias uēdendas ibidē, ut ex earū pretio sibi necessaria emāt, quæ nō nisi ex Hispania habere possunt, ex *Molin.* dixerunt *Card. de Lug. disp. 26. n. 37. ex Gutier. q. 93. n. 75. Palaus d. n. 8.* aduertens nō plus merciū transmittendū esse, quam sit necessitas. In dubio uero negatiuo an negotiatio sit facta ex causa necessitatis censendum esse quod fuerit facta causa cupiditatis; ex *Vgolino dixit Barbosa d. num. 119. & ex Gloss. Lopez, & Montemarsn. Farinac. in fragm. Crim. p. p. num. 371.*

208 Quartus casus est, si Clericus vel monasterium non negotietur per se ipsum, sed per alium. Hunc tamen casum non omnes admittunt. Quia vero ex iure naturæ, vel diuino negotiari non est prohibitum, ideo etiam non est dubium quod negotiari per alium ex naturali iure vel diuino nō est prohibitum Religiosis, & quod nihilominus hoc in illis potest esse peccatū vel mortale, vel veniale, ratione scādali vel auaritiæ, vel nimiæ distractionis à sibi debitis vel ex quacumque alia culpabili causa. Ideo difficultas est an ex vi legis positiuæ prohibentis Clericis & Religiosis negotiari, intelligatur prohibitum etiam negotiari par alium. Sed & est certum, quod si alius sit famulus & minister quod id est prohibitum, quia per se ipsum censetur negotiari, qui negotiatur per famulum, seu ministrum. Sed si alias non sit famulus, sed sit mercator & principalis, qui nomine suo tanquam patronus negotium gerat, quæstio est an Clericis, & Religiosis, sit ex vi legis positiuæ prohibitum negotiari per illum dando scilicet & pecuniam. vel materiam aliam vt ex ea ille mercaturam exercens fructum reddat pro rata pecuniæ vel materiæ receptæ. Hoc enim non licere dixerunt *P. Megala 2. 2. l. 2. c. 5. q. 6. num. 157. Genuen. in praxi cap. 62. num. 6. Riccius in praxi p. 3. res. 205. num. 2. Vgolin. de pot. st. Epis. cap. 13. §. 17. num. 1. Salzed. & August. apud Dianam p. 1. tr. 8. resol. 72.* Idem tenent *Barbosa lib. p. de iure Eccles. cap. 39. §. 5. num. 68. Bonac. de contr. disp. 3. q. vlt. p. 2. §. 2. num. 14. Bordon. tom. 2. resol. 53. num. 98.* Non esse vero prohibum sub mortali, sed solum sub veniali voluerunt *Molina de contract. tom. 2. disp. 342. num. 10. dub. 2. num. 6. Faustus disp. 6. p. 203.* Alij absolute, & sine distinctione censent id non esse prohibitum. *Panorm. cons. 6. lib. 1. Tabien. v. empto n. 16. Armilla num. 26. Nauar. de spol. Cleric. §. 8. in fin. Malder. Less. à Cunna Fernandez apud Barbosam l. 1. de iure Eccles. num. 121. Squillante, Rebellus, Salas, Turrianus* quos sequitur *Diana p. 1. tr. 8. res. 72. & p. 8. trac. 7. resol. 69. Cardinal. de Lugo disp. 26. num. 36. Fagundez de contra. 3. l. 7. c. 12. num. 1. Lopez ad Diaz,* quem sequitur *Bellet. d. §. 21. num. 17. Turian. in 22. disp. 59. dub. 2. num. 3. Graff. eff. Cler. 6. nu. 23.* & apud eum *Medin. Caball. & Aegid. Molina disp. 342. n. 10.* Ratio primæ opinionis est quia regulariter non potest quis per alium facere, quod facere personaliter prohibetur, *Glos. in Clem. 1. v. publice, de v. ta & honest. Cler. Conar. in cap quamuis pactum p. 1. §. 5. num. 8.* Secundo quia militat eadem ratio, quia nimirum intendere lucrum habet mali speciem, vt dictum est ex *D. Thom. supra q. 77. a. 4.* & hæc est ratio ob quā prohibita est Clericis negotiatio. *Econtra* opposita opinio se fundat in *cap. 1. de vit. & honest. Cler. & Clem. 1. eod. tit.* vbi solum prohibentur Clerici personaliter habere tabernam, vel incumbere venationibus. Tum secundo quia cessat finis legis, quia negotiari per alium non habet adiunctam occupationem, quæ animum distrahat ad seculatia à spiritualibus exercitijs, vel ab ijs, quæ spectant ad officium Ecclesiastici.

209 Videtur mihi quod hæc opinio supponat falsum, scilicet quod possit dari casus in quo aliquis negotietur per alium, & ipse non sit propriè negotiator per se ipsum. Nam iste qui dicitur negotiari per alium, sine dubio aliquid exponit pro negotiatione vt media emptione, & venditione licet exercenda per alium, ipse aliquid lucretur. Sed certe hoc nequit fieri, nisi ineat contractum societatis in negotio, vt scilicet ipse ponat negotiationis materiam, & mercator operam & industriam, & lucrum proueniat vtrique ad ratam; sed esse socium in negotio vere est per se ipsum negotiari; non datur igitur casus in quo quis negotietur per alium, & non per se ipsum. Tota hæc ratiocinatio explicatur. Qui enim dat mercatori materiam negotij, vel transfert dominium in mercatorem, vel non transfert. Si transfert ille nullo modo est mercator nec per se nec per alium. Sed si transfert dominium ex contractu oneroso, non potest iuste prætendere nisi rei suæ pretium: si per contractum mutui non potest sine vsura exigere aliquid vltra sortem: si per contractum liberæ donationis, nihil potest ex iustitia & pacto expectare. Sed mercator iam factus dominus rei nomine proprio solummodo negotiatur, & ex suo, & totum lucrum sibi remanet, nec tenetur aliquid illius dare ei, qui sibi materiam negotiationis dedit transferendo dominium. Si vero non transfertur dominium, potest hoc fieri per contractus aliquos qui non sint negotiatio. Nam v. g. dominus tabernæ potest illam locare tabernario; sed hæc non est negotiatio, sed locatio domus, & locatus non est particeps lucri ex negotiatione tabernarij prouenientis, sed iuste solum pretium locationis domus prætendere potest, & hoc sibi debetur siue domus conductor sit tabernarius, vel non sit, & siue exercendo tabernam lucretur, siue non lucretur. Quamobrem quod ex *Franc.* habet *Redoan q. 2. de spol. num. 47.* quia scilicet Clerici per alios possunt exercere tabernas, erit verum in hoc sensu, quod domum tabernariam possunt locare; sed hoc non est exercere tabernam nec

etiam per alium. Sic igitur si quis tradat mercatori materiam negotij, sed per cōtractum locationis, aut similem non negotiatur, nec per se, nec per aliū, sed sui contractus habet pretium, & nihil aliud. Tunc igitur solum dicetur iste negotiari per alium quando dat materiam negotij per contractum societatis in negotio; quia si det per alium contractum locationis, vel similem neque dicetur negotiari, neque poterit esse particeps lucri in negotio, sed solum pretium locationis, aut similis contractus poterit expectare. Sed esse socium in negotio non est quidem esse vnicum mercatorem, sed tamen est esse proprie mercatorem, quia est dare materiam propriam, vt aliud ematur, vt immutatum carius vendatur. Per accidens vero est, quod emptio vel venditio fiat materialiter per mercatorem, vel per famulum, vel per socium in negotio, quia dans materiam dat, vt ea emantur merces, quæ carius vēdatur, quod quidem est proprie quoddam negotiari, quia est esse socium in negotio.

210 Nec iura pro ea sententia allata illā probāt. Quod enim affertur ex *Clem. 1. de vita, & honest. Clericor.* quoniam nimirum Clemen. illa requirit copulatiue; quod Clericus exerceat tabernam publice, & personaliter, non probat, quia id dictum est, nō quia totum sit necessarium ad vitandam culpam illicitæ negotiationis, sed quia Pontifex pœnam ibi latam, noluit incurrere nisi Clericos publice, & personaliter tabernarios, *vt Gloss. ibid.* aduertit *v. publice*. Et ita verum est, quod Clementinæ illius pœna non afficit, nisi Clericos publice, & personaliter tabernarios, sed tamen non per hoc dici debet, quod tabernarius occultus non sit illicitus negotiator. Et minus dici potest, quod Clericus publicus mercator, non tabernarius non sit illicitus negotiator, quamuis pœnis illius Clementinæ latæ in tabernarios non subijciatur. *Clem. vero 1. §. porro, De stat. Monach.* est contra illam sententiam, quin ibi absolute interdicitur, ne Clerici etiam per alios venationi incumbant, solum vero in casu particulari eis permittitur venatio per alios exercenda, nimirum si habeatur in proprijs eorum saltibus & syluis, aut in alienis in quibus Clerici habeant ius venandi. Quamobrem dicendum est Clericos, aut Religiosos, nec per alios posse negotiari. Quod quidem *Gelasius Papa epist. ad Episc. per Lucaniam cap. 17.* expresse satis prohibuit, vt habetur *cap. Consequens dist. 88.* ibi. *Proinde huiusmodi, aut ab indignis post hoc quæstibus nouerint abstinendū, & ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio, vel cupiditate cessandum &c.* Negari enim non potest, quin sit aliquod negotiationis ingenium esse socium in negotio; & quod hæc non sit cupiditas, iuxta doctrinam *D. Th. sup. q. 77. a. 4.* etiam supra explicatam agere propter lucrum, vnde & hoc negotiari ex contractu societatis de se speciem mali habet, & fuit propterea Ecclesiasticis prohibitum. Vnde euidenter deficit ratio contrariæ opinionis ex eo sumpta, quod mercatura per alium non habeat adiunctam illam sollicitudinem, & auocationem à studio diuinorum, quam habet mercatura exercita per se ipsum. Omisso enim, quod nec talis mercatura caret sua sollicitudine, ne socius furetur, vel pecuniam consumat, vel imprudenter negotietur, &c. Ratio propria, & adequata ob quam est Clericis interdicta negotiatio est, quia mali speciem habet, & difficiliter reperitur sine auaritia, quam præsefert lucri cupiditas; vnde hic etiam locum habent regulæ illæ. Non licet suo nomine, quod nec alieno licebit *cap. 67. de reg. iur. in 6.* & quia quando quid vni prohibetur vna via, ad id alia non debet admitti. *cap. 84. eod. tit. in 6.* His sic præmissis quantum ad culpam ego existimo eam incurrere etiam eum, qui negotiatur per alium. Et in eo etiam habere locum pœnas, quæ in negotiatorem contumacem latæ sunt per sacros Canones. Quantum vero ad alias pœnas iudico considerandas esse leges illas statuentes; Nam quia negotiari per alium est quid aliqualiter diminutum in genere mercaturæ, poterit esse, vt aliqua pœna talem mercatorem non afficiat.

211 Dubitatur sexto. An omnibus Clericis, & Religiosis sit interdicta negotiatio? Hoc habetur pro certo apud omnes quod Religiosis, siue sint Clerici, siue laici interdicta est negotiatio. Nam *cap. 1. Ne Cleric. vel Monachi*, sine distinctione absolute negotiatio est contradicta, *& eod. tit. cap. secundum*, expresse negotiatio tam Clericis, quam Monachis est prohibita. Sic & in *cap. peruenit distin. 86.* Monachis interdictum fuit possessiones conducere. In Religioso vero vlterius considerari debet, quod ex negotiatione vulnerari potest votum paupertatis, quo dato negotiatio in eo erit sacrilegium.

212 Certum quoque est negotiationem esse prohibitam omnibus Clericis ordinatis in Sacris, tales enim sunt ministri altaris, quibus expresse interdictum est negotiari *cap. 1. Ne Cleric. vel Monachi.*

213 Difficultas vero est de Clericis non constitutis in sacris, & quidem hoc eis non esse prohibitum etiam si sint beneficiati dixerunt aliqui quorum sententiam probabilem putat *Filliutius tr. 35. cap. 1. quæst. 8. nu. 20.* Et hoc idem indicare *Molinam & Syluestrum dixit Card. de Lugo disp. 26. num. 26* sed *Syluester v. Clericus tertio bis num. 5. & 8.* expresse docet oppositum nimirum quod Clerici beneficiati negotiari non possint etiam si non sint in sacris; quod docuerunt etiam. *Panorm. in cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi num. 12.* & ibi *Innoc. & Hostien. Nauar. Rodriq. Redoan & Rier.* quos sequitur *Bellet. d. 5. 3. num. 19. Card. de Lugo disp. 26. num. 26.* & apud eum *Vega, & Sà.* Hi vero admittunt quod reliqui clerici non constituti in sacris, & non beneficiati non sint prohibiti exercere negotiationem. Quod probant duplici ratione. Tum primo, quia in *cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi*, solum ministris altaris contradicitur negotiari, ministri vero altaris sunt Clerici ordinati in sacris. Tum secundo, quia Clerici non ordinati in sacris, possunt renunciare Clericatui, & sic eis non sunt prohibita illa, quæ secularibus sunt concessa.

214 Verum rationes hujusmodi debiles sunt. Et quidem prima si id quod assumit est verum scilicet quod soli Clerici in sacris constituti sint ministri altaris, sequitur quod Clerici non constituti in sacris etiam si beneficiati possint negotiari; quia isti non sunt ministri altaris, & ideo sub prohibitione illius legis non comprehenduntur. Dantur enim plurima beneficia simplicia, quæ non obligant ad ministrandum altari, sed solum ad aliquod officium recitandum, & non requirunt In

bene-

beneficiato aliquem Minorem ordinem. Immo ex hoc sequitur quod Clericis non constitutis in sacris liceant alia secularia negotia, vt esse iudices, testes, procuratores, conductores alienorum agrorum, & similia, ex eo quia in d.cap.1. solis ministris altaris huiusmodi negotia interdicuntur, & tales Clerici dicuntur non esse ministri altaris. Quamobrem vt bene aduertit *Reuerendiss. Fagnanus ad d.cap.multa num.95.* dicendum est, quod etiam ordinati in minoribus sunt ministri altaris, licet non tam proximi, & immediati: nam generaliter omnis Ordo, prout est sacramentum ordinatur ad sacramentum Eucharistiæ. *cap.Perlectis 25. distinc. Concil.Trid.sess.23.cap.2.de Sacr.Ord.D.Th.4. d.24. quæst.3.a.2.q.2.* Et distinctio omnium Ordinum est propter altaris sacrificium, in quo est consummatio totius diuini cultus. *Turrecrem. in cap. Cleros. num.16.21 distinct.* Vnde bene apparet, quod verba illius decretalis conueniunt etiam Clericis in minoribus constitutis, qui vere, & proprie sunt ministri altaris. Secunda ratio etiam eodem defectu laborat. Nam & beneficiati non constituti in sacris possunt relinquere Clericatum, ideo & illis licebunt, quæ secularibus non prohibentur.

215 Propterea idem *Reuerendiss. Fagnanus vbi sup.num.83.cum Butrio à d cap.multa num.4.* Bene docet, quod Clericis omnibus habentibus vndecumque congruam in vniuersum est prohibitum negotiari dum manent in Clericatu. Quod pluribus probat, & consideratis Sacr. Canonibus constat. Nam nequit negari quod mercatura seu lucratiua negotiatio non sit propriissime negotium seculare; cum immo sit negotium de se etiam non laudabile, & quod mali speciem habet iuxta doctrinam *D. Th. supra q.77.a.4.* At vero Clericis omnibus in vniuersum interdicta sunt negotia secularia. Sic in Synodo Romana Melchiades Papa vt habetur *capit.1. dist.88. Decreuit nullum deinceps Clericum aut possessiones conducere, aut negotijs secularibus se miscere, nisi propter curam pupillorum &c. & ibid. capit. 2.* ex Gelasio Papa ad Episcopos per Lucaniam constituros in specie Clericis prohibentur negotiationes, & ad hoc probandum Pontifex vtitur illis verbis Apost. 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus*, & illo loco Psalmi 70. prout ipse legit. *Quoniam non cognoui negotiationes introibo in potentias Domini.* Propterea concludit à Clericis cessandum esse ab omni negotiationis ingenio. Ideo Hieron. ad Nepotianum, vt habetur ibid. cap. Negotiatorem. dixit Negotiatorem Clericum vt pestem esse fugiendum. Et *Aug. in lib.quæst.veteris, & noui testam.c.127.* prout refertur *ibid.cap.Fornicari*, bene conclusit, quod antequam Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiarij facto iam, non licet. Et *Alex.III.ad Episc.Lodonen.* vt habetur *cap.secundum. Ne Clerici vel Monachi*, expresse Clericis prohibet ne causa lucri negotientur. Et *cap. final. de vita, & honest. Cleric.* Honorius tertius præcipit Clericos negotiatores, si moniti non desistant, priuari priuilegio Clericali. Quamobrem dicendum est omnes Clericos comprehendi sub prohibitione Canonum interdicentium negotiationem, ideoque eos ad vitandam negotiationem sub eo genere culpæ, sub quo tenentur Clerici in sacris, quamdiu viuunt in statu Clericali. Nec eos iuuare, quod possint relinquere Clericatum ex causa iusta, quia si hoc iuuaret, sequeretur quod Clerici non constituti in sacris ad leges Clericorum seruandas non tenerentur. Sed hoc nihil est, quia Clerici sub conditione status Clericalis, dum sunt, & manent in eo statu, subduntur legibus Clericorum. Neque excusantur ex hoc Clerici coniugati. Quamuis quià vt dictum est negotiatio ratione necessitatis licita est Clericis; hæc necessitas facilius potest habere locum in Clericis coniugatis habentibus familiam, quam alere tenentur.

216 Maior difficultas esse posset an sub nomine Clericorum in præfatis canonibus veniant Clerici in dignitate cõstituti, & præcipue Prælati, Episcopi, Archiepiscopi &c. Nam quod in stricta interpretatione sub nomine Clericorum non veniant Clerici in dignitate constituti vt Abbates, Archidiaconi, Canonici Cathedralium dixit *Panorm. in rubr. de vita & honest. Cleric. num.9. & in cap. Bona el p.num.2. de postulat.* Quod multo magis est verum de Episcopis, & eis maioribus Prælatis. *cap.sedes* & ibi *Butr.num.3. & 9. Imola num.2. & DD.de rescriptis cap. Inquisitores*, & ibi *Gloss de hæret.in 6.cap.quia periculosum*, & ibi *Gloss.v.mandati de sent.excom.in 6.cap.si compromissarius §.huiusmodi. de elect.in 6.cap.2.de off. delegati in 6. Panorm. in rubr.de vita, & honest.Cler. num.9. Syluest.v.Clericus t.q.1. Bellet.disquisit. Cleric.tit.de discipl. Clericorum num.36.* & apud eum plures alij. Quia in Episcopis est qualitas particularis supra alios, quæ non reperitur in simplicibus Clericis. In ijs igitur legibus in quibus negotia secularia prohibentur Clericis, & quidem sub grauibus pœnis cum huiusmodi leges quæ circa materiam odiosam versantur sint strictæ interpretationis, sub nomine Clericorum non veniunt Clerici in dignitate Constituti & præcipue Episcopi. Nihilominus *Panorm.in cap.sed nec in fin.* vult quod illa decretalis se extendat etiã ad Prælatos, quod Rubrica. *Ne Clerici vel Monachi*, comprehendat in vniuersum Clericos omnes etiam Prælatos. Nam vbi ratio legis se extendit vniuersaliter etiam ad Prælatos, Prælati veniunt sub nomine Clerici. Ratio vero ob quam Clericis interdicta sunt negotia secularia, & inter illa, negotiatio lucratiua est, quia iuxta doctrinã Apos. 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus*, quæ ratio maxime habet locum etiam in Prælatis. Ego existimò in hac parte non posse dari Regulam vniuersalem, sed leges quascumque esse considerandas, & præcipue si sint pœnales, & iuxta illarum tenorem quæstionem hanc esse resoluendã. Nam cum in *Concil.Trid.sess.22.cap.1.de reformat.* innouatæ fuerint leges & pœnæ omnes, quæ circa viranda huiusmodi negotia Clericis impositæ fuerunt, sub nomine Clericorum, non intelligit Episcopos, quia Concilium ibidem committit Episcopis facultatem coercendi Clericos per pœnas à iure latas, & sic distinguit inter Clericos, quibus præcipit abstinere à negotijs secularibus, & Episcopos quibus committit vt faciant leges illas à Clericis obseruari. Cæterum negotia huiusmodi secularia specialiter Episcopis fuerunt interdicta *cap.3. 4. 5. 6. & 7. dist. 88. & cap. Placuit 21.q.3.* Verum quia licat ratio vniuersalis, militet, vt Episcopi etiam non se immisceant secularibus negotijs, non tamen ratio eadem militat vt sub eisdem pœnis coerceantur Clerici, & Episcopi. Ideo leges pœnales & eo-

rum tenores considerari debent, vt videatur an se extendant etiam ad *Episcopos*.

217 Dubitatur septimo quæ pœna lata sit in Clericos negotiatores? Respondetur vero plures fuisse impositas. Sed pro diuersis negotijs, vnde singuli textus considerandi sunt. Prima pœna est excommunicationis sententiæ ferendæ imposita ab *Alexand.III.in cap.secundum.Ne Clerici vel Monachi*. Contra Clericos & Monachos, qui lucri causa negotiantur, & contra Monachos qui á nomine proprio á clericis; vel laicis firmas habent, idest habent possessiones conductas. Vbi vt aduertit *Panormit.num.2.* cum etiam Clericis sit prohibitum conducere possessiones, *cap. peruenit dist.86.* nihilominus solum contra Monachos conductores intulit excommunicationem, quoniam vt habet Hostien. Clericis secularibus non est prohibitum conducere aliorum bona causa necessitatis, immo non est prohibitum conducere bona Ecclesiæ. Hoc vero prohibetur Monachis, sed si ab illis fiat nomine proprio; Et ratio distinctionis est, quia Clerici seculares possunt habere proprium, non vero Monachi. *cap.requisisti §.fin.de restit.cap.* Nolo, *& cap.* Non *dicatis.12. q.1 cap.si Religiosis. de elect.in 6.* Quamobrem Monasterium sicut & Clerici seculares potest firmas habere causa necessitatis; sed Monachus nomine proprio in nullo casu potest id facere, quia est contra votum paupertatis.

218 Quædam etiam species excommunicationis habetur in *cap. final. d.*88. vbi iubetur, vt non recipiatur oblatio, nec fiat deprecatio pro quodam Victore defuncto, qui quemdam sacerdotem instituerat tutorem in suo testamento. Disputant vero DD. ex illo textu an, & quomodo Defunctus possit accusari, & damnari, sed hoc dictum fuisse ad terrorem, & modo locum non habere dixerunt *Glofs. & ex Hug. Archid. & Laur. Turrecremata*. Eadem pœna pro eadem causa habetur *cap. Cyprianus.21. q.3. in cap.etiam Clericis.Ne Clerici vel Monachi*, & iubentur excommunicari sacerdotes, si sint Vicecomites, aut Præpositi seculares, & moniti non desistant. Per hunc textum autem non prohibentur sacerdotes exercere iurisdictionem temporalem si sit annexa dignitati, vel competat ex iure successionis, vt notat *Panorm.num.5.* Qui tamen non bene extendit nomen sacerdotis ad Diaconos, aut Subdiaconos, cum simus in pœnalibus. *Sylu.Tabien.Sayr.Suarez* quos sequitur *Barbosa nu.6*, Quidam etiam existimant censuram esse latę sententiæ, quod repugnat, cum eam præcedere debeat monitio. *Sylu.Suarez, & Barbosa num.7.*

219 Secunda pœna est suspensio sententiæ ferendæ, quæ habetur imposita ab *Alex.III.in Concil. Lateran.* & habetur *cap. sed nec. Ne Clerici vel Monachi*. Circa quam considerandum est primo, quod non est lata contra negotiatores vniuersaliter, sed solum contra exercentes procurationes villarum, aut iurisdictiones etiam seculares sub aliquibus principibus, vt iustitiarij eorum fiant. *Panorm.not.1.nu.2.* Quamuis vero ex eo textu per argumentum deduci possit, quod Clericis prohibitum sit vniuersaliter exercere officia secularia, tamen pœna in eo lata non afficit nisi eos qui sunt Procuratores villarum laicorum & exercent iurisdictionem vt sint alicuius secularis Principis iustitiarij, seu ministri ad iudicandum. Dispositionem vero textus extendi ad omnia officia iurisdictioné seu iustitiam administrantia, & ideo Clericum non posse esse Viceregem, Vicecomitem, locumtenentem, Gubernatorem Prouinciæ, vel Ciuitatis bene aduertit *Panorm.num.6. in d.textu.*

220 Vlterius vero considerandum est, quod Panorm. pœnam latam vult esse pœnam depositionis, quæ est communis antiquorum Canonistarum interpretatio apud *Barbosam* & idem videtur *Lezana v.negotiatio num.3.* & quia hæc pœna sibi videtur nimis grauis, maxime temporum considerata qualitate, ideo num.6. inquit, quod plus sibi placet, quod illi sint excommunicandi, quam deponendi. Verum alij verba textus interpretantur, vt contineant suspensionem, non vero depositionem. Nam clausula illa *ab Ecclesiastico fiat ministerio alienus*, satis verificatur, si Clericus suspendatur ab Ecclesiastico ministerio. Et ideo clausulam illam continere suspensionem sentiunt *Barb. lib.1. de iure Eccles.cap.40. num.114.Bellet.disq.Cler.tit. de pœnis Cleric.§.51.num.2.In cap.etiam peruenit dist.86.* conducentes possessiones secularium, aut se immiscentes procurationibus secularium iubentur correctioni Ecclesiasticæ subiacere, quod Glossa ex Laur. interpretatur, vt contineat pœnam suspensionis. In *d.autem cap.sed nec*, dicitur quod Religiosi in ijs delinquentes grauius puniantur; vnde vt habet Panormit. poterunt pro grauitate delicti etiam detrudi in arctius Monasterium ad agendam pœnitentiam, *arg.cap.Tuæ. De pœnit.*

221 Eadem vero pœna á Gelasio Papa in epist. ad *Episcopos* per Lucaniam constitutos fuerat imposita contra negotiantes. *cap. consequens dist. 88.* ibi. *Aut in quocumque gradu sint positi mox á Clericalibus officijs abstinere cogantur*. An vero huiusmodi pœna afficiat etiam *Episcopos* si eos negotiari inuentum fuerit. *Panorm.in cap.sed nec.* in fine affirmat. Quia sub rubrica, Ne Clerici, vel Monachi comprehenduntur etiam *Episcopi*. Verum cum huiusmodi leges datæ sint in epistolis directis *Episcopis*, quibus iniungitur, vt illam pœnam Clericis negotiatoribus imponant, sub nomine Clerici veniunt Clerici sub iurisdictione Episcopornm positi, non vero Episcopi ipsi, qui in illis Decretalibus nominantur, vt iudices, qui leges pro alijs Clericis datas seruare faciant, Nihilominus tamen, & Episcopi si huiusmodi negotiationes exercerent ad arbitrium Summi Pontificis puniri possent.

222 Tertiam pœnam præter suspensionem ponunt depositionem *Card.de Lugo d.disp.26.num.23. Anton.á Spir.sancto tract.3.disp.6.num.1362.Barbos. d.num.119.* Vbi ad hoc probandum adducit *cap. Clericus dist.94.* Sed in ea distinct. nullum est, cap. quod incipiat Clericus. Habetur vero *cap.Clerici 4. q.4.* quod est Gelasij Papæ ad Episcopos per Lucaniam, & Siciliam, sed non continet nisi id quod habetur in *d.cap. Consequens dist.88.* quod continet pœnam suspensionis. In *cap. tamen Episcopus 3. d.88.* Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus iubentur deijci, si seculares curas assumunt. Vnde hæc pœna; quæ respicit vniuersaliter procurationes seculares non afficit nisi *Episcopos*, Presbyteros, aut Diaconos. Pœnam etiam depositionis continet decretalis Clericis. *Ne Clerici, vel Monachi* vbi Clericis constitutis in sacris prohibetur agitare causam sanguinis, & membrorum truncationes,

vel per se ipsos facere, vel iudicare inferendas, & decernitur, quod si quis contrafecerit honore priuetur, & loco, hoc est priuetur officio, & beneficio, & ex consequenti deponatur, vt explicat *Panorm.num.2.* Hanc vero depositionem esse sententiæ faciendæ, aduertit *Panorm.* quem multis citatis sequitur *Barbosa num.5.* Clericis etiam in sacris interdicendum esse tabellionatus officium per beneficiorum subtractione decernitur in *cap. sicut te. Ne Clerici, vel Monachi. In cap. etiam Canonum 14. q. 4.* statuitur, vt Clerici negotiatores, si à negotiatione desistere nolint, cohibeantur à Clero.

223 Tertia ergo pœna est priuatio priuilegij Clericalis. Continetur hæc pœna in cap. fin. de vita, & honestate Clericorum, quod est Honor. III. in Epist. ad Ambian. Episcopum, & est expressa per hæc verba. *Tu quominus, dum his se implicant de suis facultatibus statutis, & consuetudinibus patriæ subtrahant, non defendas eosdem.* Indicta est hæc pœna contra Clericos negotiatores, sed ea vi dictæ decretal. requirit trinam monitionem. Continet vero priuationem priuilegij exemptionis rerum suarum à tributis, & exactionibus ad quas secundum statuta patriæ, aut consuetudines subijciuntur bona laicorum, vt ex citatis verbis constat *Card. in Clem. fin. de cens. specul. in tit. de immun. Eccles. Gemin. in cap. quamquam, de censib. in 6. vbi Franc.* & alij quos sequitur *Scbac. de mercatura p. 3. num. 8. Syluest. v. Clericus. 3. quæst. 3. Card. de Lugo d. num. 23. Bellet. d. §. 31. numer. 3.* Hoc tamen priuilegium recuperant statim, ac cessauerint à negotiatione, vt ex *d. cap. colligitur.*

224 Sed est hic aduertendum quod in duplici sensu potest intelligi, quod huiusmodi Clericus amittat beneficium exemptionis à tributis, vel scilicet vniuersaliter, quantum ad omnia sua, vel particulariter quantum ad bona negotiationi exposita. Cum hac enim distinctione prætermissis quamplurimum DD. sententijs, quos referunt *Sanchez lib. 2. consil. cap. 4. dub. 51. Diana p. 1. tract. 1. resol. 46. Fagundez de contrac. l. 7. cap. vndecimo, Card. de Lugo de iust. disp. 36. num. 117.* dicitur quod ad hoc, vt negotiator Clericus amittat exemptionem suorum bonorum requiritur trina monitio iuxta Decretũ *d. cap. fin. de vit. & honest. Clericor.* & tamen hæc pœna non respicit bona Ecclesiastica, & Ecclesiasticos redditus, sed bona patrimonialia, & quæ vt propria possidet, seu quæ ad vsum suum defert, vt contra *Layman. ex Comitolo, Assuna, & Barbosa,* tradit *Diana tom. 2. tract. 1. resol. 44. Card. de Lugo disp. 36. num. 118.* & trina monitio requiritur ad hoc, vt talia pœna ei imponatur, & non sufficit vna pro trina, nec habet hic locum dispositio, *l. tres denunciationes, C. quo. & quand. iud.* volentis, quod vbi petitur trina citatio sufficiat vna pro trina, quia vbi agitur ad pœnam infligendam, monitio, seu citatio vna pro trina non sufficit. *Panorm. in cap. fin. numer. 4. de vit. & honest. Cleric. Gloss. in Clem. 1. de vit. & honest. Clericor. & ibi Imola num. 3. Io. Andr. in cap. ex tua de Cler. non resident. Syluest. v. Cleric. 3. q. 3. Tabien. num. 2. Nauar. cap. 27. num. 80. Sanchez vbi sup. num. 2. Card. de Lugo. & Diana vbi supra.* Vnde hæc trina monitio debet fieri per interuallũ aliquorum dierum. *Nauar. Gloss. & Imola,* citati. Verum tamen est, quod sufficeret vna pro trina, si fuerit per statutum, seu legem. Prælatus enim statuendo potest augere pœnam legis, & hoc sine monitione verbali. *Panorm. Syluest. Tabien. Sanchez vbi sup.* Vnde est quod vt refert idem *Sanchez. Greg. Lopez l. 49. v. Amonestar. tit. 6. p. 1. & Hostien. l. 3. sum. tit. Ne Clerici, vel Monachi.* Dixerunt, quod si Episcopus per Constitution. Synodalem iuberet, quod Clerici abstinerent à negotiatione, illa lex haberet vim trinæ monitionis. Nec sufficit monitio generalis, sed necesse est, vt Clericus personaliter, & nominatim moneatur, sic enim habet textus *d. cap. final. & Clem. 1. de vit. & honest. Clericor. & ibi Gloss. v. nominatim. Panorm. & Tabien. vbi sup.* Et non spectat ad iudicem secularem mouere Clericum mercatorem, sed ad Prælatum Ecclesiasticum. Textus enim *d. cap. fin.* habet, *si tertio à se moniti,* literæ vero Papæ directæ fuerant Episcopo Ambianen. Sic *Syluest. Tabien. Imol. vbi sup. Panorm. cap. contingit el 2. de sent. excomm. Sanchez nu. 5.* Considerat etiam *Panorm. d. cap. final.* quod si Clericus ex bonis Ecclesiæ negotietur, quod non per hoc Ecclesia in bonis suis perdit priuilegium ex debito Clerici.

225 In secundo tamen casu, nimirum quantum ad ea, quæ Clericus negotiator exponit negotiationi, vt vendat carius tenetur ille ad tributa soluenda, ac si esset secularis. Nam in *cap. penult. & in Clemen. fin. de censibus,* solum de bonis Clericorum, quæ non negotiandi causa deferunt, prohibentur laici exigere gabellas à Clericis, vnde bene colligitur, eos non prohiberi exigere tributa de his, quæ causa negotiandi deferunt. Et hoc argumentum per locum à contrario desumptum non potest infirmari, dicendo tale argum. non procedere, quando oppositum est in iure expressum, & vel prohibitum, vel respectiue concessum. Quia nullibi in iure est expressum, quod Clerici negotiatores, quãtum ad ea, quæ causa negotiandi deferũt sint exempti à tributis, vel quod ad hoc vt sint priuati huiusmodi exemptione debeant citari. Nam *cap. fin. de vit. & honest. Cleric.* loquitur de priuatione exẽptionis bonorum Clerici in vniuersum, vt est explicatum, & etiam respectu eorumquæ ad eius vsum defert, vt ex verbis supra relatis apparet. Et ita argumentum est validum, quia in *d. cap. quamquam in 6. penult. & Clem. vlt. de censib.* Clerici declarantur exempti à tributis solum in illis bonis, quæ causa negotiandi non deferunt, & alias nullibi concessa est illis exemptio à tributis quantum ad ista bona, igitur quantum ad eadem bona exemptionem à tributis non habent, sed ad ea tenentur, ac si essent seculares. *Anchar.* Lupus, *Domin. Francus, ad d. cap. quamquam. Card. in Clem. fin. de censib. Caietan. v. vectigalia. Sotus 4. dist. 25. q. 2. a. 2. circa fin. Card. de Lugo d. disput. 31. num. 117. Sanchez l. 2. Consil. c. 4. dub. 51. numer. 6.* & apud eum quam plures, *Bellet. d. §. 51. num. 4. Lezana v. gabella, num. 19. Fagundez de contract. cap. 11. num. 18.*

226 Quod vero *Panorm. d. cap. fin. de vit. & honest. Cler. num. 10.* insinuat limitationem ad prædicta, quia scilicet vbi Clericus nomine Ecclesiæ mercaturam faciat, non teneatur soluere tributa, pro qua limitatione *Anchar. Imola. Duennas, & Bertach.* referuntur à *Sanchez vbi sup. num. 5.* non est conforme alijs DD. qui absolute docent Ecclesiasticos pro rebus negotiationi expositis non esse immunes à tributis neque hoc respicit personam à qua exercetur negotiatio, sed negotiatio, sed negotia-

gotiationem, sed in odium eius Ecclesia non vult vt negotiatores sint exempti à tributis. Ideo in omni casu illicitæ negotiationis est obligatio soluendi gabellas, ac si Clericus negotiator esset laicus. Et inde est etiam, quod vbi Ecclesia vel monasterium vtitur aliquo artificio puta aromatariam exercet, & vt illam exerceat ad vsum monasterij sine damno vendit alijs medicamenta, rationabile est, vt pro parte qua emit ad vendendum alijs gabellam soluat, & ita de facto fit Cremonæ in Cōuentu Ordinis Prædicatorum.

227 Est vero alia difficultas, an scilicet Clericus negotiator post trinam monitionem amittat aliud priuilegium, quam priuilegium exemptionis. Nam *Hostien. in cap. fin. de vit. & honest. Cleric.* talem Clericum priuari omni clericali priuilegio censet. Et sic eum esse priuatum priuilegio canonis, & fori sustinet *Syluestr. v. excommun. 6. vers. 5. post Innoc. sum. Pisan. Archidiac. & Verucc.* & idem sentit *Nauar. c. 27. n. 80. sed Innoc. add. c. vult vult* quod huiusmodi Clerici moniti & contumaces Clericatu dimisso spolientur beneficio, & Ecclesijs, & sic dimittantur sub dominio seculari hoc modo, vt per Ecclesiam non defendantur. Vnde videtur velle, quod huiusmodi non sint priuati priuilegio Clericali nisi prius Clericatu, beneficijs, & Ecclesijs sint priuati. Vnde est quod *Panorm. ibid. post Io: Andr. & Imolam* arbitratur, quod Clerici huiusmodi tūc solum sint priuati priuilegio fori, quando negotiatur sine habitu, & tonsura. Quod nihilominus absolute isti Clerici sint priuati priuilegio fori dixit *Farin. Fragm. Crimin. par. 1. num. 152.* Quod igitur huiusmodi Clerici sint priuati omni priuilegio etiam canonis, & fori, probatur primo ex *d. cap. final.* Tum quia ibi dicitur, quod Clerici isti priuilegium Clericale facto abijciunt. Tum quia subduntur consuetudini, & statutis patriæ; hæc vero sunt patriæ statuta, quod quis aliquando pro rebus conueniatur coram iudice laico, arestetur, incarceretur, damnetur. Secundo quia in *cap. Canonum 14. q. 4.* Clerici negotiatores iubentur cohiberi à Clero. Tertio quia ex *Concil. Carthag. 3. cap. 17.* Clerici negotiatores deponendi sunt ab officio Clericatus. Limitant alij hanc sententiam distinguentes, & dicentes Clericum negotiatorem ter monitum amittere priuilegium fori non indistinctè, & in omnibus causis, sed solum in ijs, quæ pertinent ad negotiationem, circa quæ ista opinio habet quod Clerici subduntur Iudici seculari & iurisdictioni consulum negotiationis illius, aut artificij quod Clericus exercet. Ita sentiunt *Fagundez de contract. l. 7. cap. 11. nu. 20. & apud Carolum de Grassis, de eff. Cler. eff. 1. num. 845. Auser. de pot. iud. laici in pers. Eccles. reg. 1. fall. 26. num. 24. Addent. ad decin, in c. cæterum num 25. in l. C. de for. compet. Bertachin. in repert. v. Clericus Artifex. Item Add. ad stat. artis agriculturæ Vrbis cap. 22.*

228 Alij cum alia distinctione supra insinuata rem explicant distinguentes inter Clericos deferentes habitum, & tonsuram, & non deferentes. Et quia hæc sententia ex veris fundamentis procedit, ideo est explicanda. Dicitur igitur primo, quod ex vi *cap final. de vita, & honest. Clericor.* Clerici non priuantur priuilegio canonis, vel fori, ita sentiunt *Gloss. ibid. in v. 3. Panorm. num. 7.* & apud eū *Io. Andreas Syluest. v. Clericus 3. q. 3. Angelus v. Clericus 3. quæst. 3. Angelus v. Clericus numer. 3. Redoan. quæst. 2. de spol. num. 73. Bellet. tit. de pœnis Cler. §. 51. numer. 3. Card. de Lugo disp. 26. numer. 23. Diana p. 1. tr. 1. res. 41. & p. 2. tr. 1. res. 44. Comit. resp. moral. p. p. quæst. 53. Grass. elec. Cleric. 6. num. 6.* Et alij infra citandi. Et ratio est ex verbis illius textus manifesta. *Tu*, inquit, *quo minus, dum his se implicant de suis facultatibus statutis, & consuetudinibus patriæ subiaceant; non defendas eos.* Per hæc enim verba nullo modo subijciuntur Clerici iurisdictioni laicorum, sed res Clericorum subduntur obligationi tributorum iuxta patriæ statuta, & consuetudines, Prælatis vero Ecclesiasticis solum mandatur vt nō defendant similes Clericos. Hic enim sermo est de statutis, & consuetudinibus, quæ directè respiciunt res, qualia sunt statuta obligantia res ipsas ad tributa, seu vt pro rebus tributa soluantur, qualia non sunt statuta, quæ dant facultatem compellendi ad huiusmodi tributa soluenda; quia ista directè, & immediate & per se dant iurisdictionem, & non sunt statuta de rebus, sed de personarum subiectione aut superioritate; de quibus textus ille non loquitur, nec ad ea in præiuditium iurisdictionis, & immunitatis Ecclesiæ debet vel potest extendi. Quod inde magis clare constat; quod ex quo solum mandat, ne Prælati Clericos sic negotiatores defendant contra talia statuta, cognoscit & approbat iurisdictionem, & ius Prælatorum ad defendendum via iuris & protegendum Clericos, quam non aufert, sed solum præcipit vt huiusmodi iurisdictione non vtantur ad defensam, sic illos relinquens in possessione suæ iurisdictionis ad compellendum eosdem, vt statutis præfatis obediant.

229 Ideo dicitur secundo, quod quandocūque Clericus, non est priuatus Clericatu, & alias ipse incedit cum habitu, & tonsura iuxta statuta Concilij *Trident. sess. 23. cap. 6. de reformat.* non amittit ex negotiatione priuilegium fori etiam si monitus & contumax à negotiatione non desistat, & siue sit, siue non sit coniugatus. Hoc est quod voluit *Innoc.* & tradiderunt *Io. Andr. & Panorm. ad cap. fin. Redoan. de spol. q. 2. num. 73.* & alij DD. supra citati. Ex vi enim negotiationis præcisè fori priuilegium non amittitur. Ex vi enim *d. cap. final.* non amittitur hoc priuilegium, ut est probatum, non est vero alibi lex, quæ id decernat. Nam neque ex alijs iuribus citatis a contraria sententia hæc amissio priuilegij fori colligitur. Nam ex quo *cap. Canonum 14. q. 4.* mandatur Clericos negotiatores cohiberi à Clero, colligitur quidem, quod Clerici possint priuari Clericatu, quod quidem verum est iuxta decretum *Concil. Chartagin.* & mentem *Innoc. in d. cap. final. & Redoan. q. 2. de spol. num. 72.* quod intelligi debet de Clericis in Minoribus constitutis, si omnino contumaces à negotiatione desistere non vellint. Sed ex eodem textu propterea concluditur, quod vbi Clerici non sint Clericatu priuati, gaudent fori priuilegio. Immo si Clericus dimiserit habitum, quod eum, non obstante irregularitate superueniente, & Episcopi prohibitione possit reasumere dixit *Barbosa ad cap. 6. sess. 23. Concil. Tridentin.* tanquam decisum in Maioricen. 17. Iunij 1630. Et sic bene apparet, quod Clericus manens Clericus non est fori priuilegio priuatus. Sed bene *Concil. Trid. sess. 23. cap. 6. de reformat.* determinat vniuersaliter, quod Clerici etiam

etiam in minoribus instituti si habeant beneficium aut deferant habitum, & tonsuram, & inseruiant alicui Ecclesiæ aut de licentia Episcopi maneant in seminario, vel in schola in aliqua vniuersitate, gaudeant priuilegio fori, quod idem de Clericis coniugatis decernitur, si iuncti cum vnica, & ex ordinatione Episcopi alicui Ecclesiæ ministrãtes habitum deferant, & tonsuram; igitur huiusmodi Clerici ex eo, quod negotiatores non perdunt fori priuilegium, si alias iuxta modum statutum in Concilio Tridentino habitum, & tonsuram deferant, Si vero habitum, & tonsuram dimittant, sic quidem, si solum sunt ordinati in minoribus, vel coniugati, amittunt fori priuilegium iuxta sancita in Concil. Trident. Clerici vero ordinati in sacris etiam si apostatentur ab habitu, & tonsura fori priuilegium non perdunt, nisi ter moniti ab Episcopo, vt habitum, & tonsuram reassumant, contumaces persistant in Apostasia, vt multis probat *Reuerendiss. Fagnan. ad cap. perpendimus, & ad cap. contingit el 2. de sentent. excom.* quamuis priuilegium canonis ex sola habitus & tõsuræ demissione amittatur, vt ex *d. cap. Perpendimus*, & alijs iuribus colligitur.

230 Nec obstat quod Romæ Clerici exercentes agriculturã sint subiecti iurisdictione Consulũ illius artis in ijs, quæ artem concernunt. Quia immo ex hoc prædicta confirmantur, quoniam, vt hoc modo subijcerentur necesse fuit, vt id auctoritate Apostolica decernerentur, sicuti factum fuit per Pium quintum in sua *const. 16. §. 4.* qua Constit. præcisa, Clerici exercentes artẽ agriculturę in nullo subijcerentur Consulibus, & statutis dictæ artis, nisi aliunde per similem auctoritatem eis fierent subditi.

231 In sententia etiam volente, quod Clerici negotiatores amittant priuilegium fori, & subijciãtur Iudici seculari hoc communiter admittitur, vt non subijciantur quantum ad pœnam corporalem, sed solum puniri possint ciuiliter in rebus ad negotiationem spectantibus. *Carulus de Grassis effect. Cler. primo num. 844.* Et quotiescumque Clericus desistit à negotiatione recuperat priuilegium. Nam textus ipse *d. cap. final.* id exprimit per illam clausulam, *dum his se implicant*. Vnde vbi Clericus à negotiatione desistat, etiam priuilegium fori amissum recuperat. *Gloss. Innoc. Hostien. Io. Andr. Panorm. Barbos. ad d. cap. final. Redoan. d. num. 73. Guido Papa dec. 392. Grassus d. eff. p. num. 846. Fagundez l. 7. de contr. cap. 11. nu. 21. Cornit. d. quæst. 53.* & alij communiter.

232 Si autem Clerici publice, & personaliter exerceant officium macellarij aut tabernarij, & ter moniti non destiterint, aut resumpserint, si coniugati omnino, si non coniugati in rebus, & si omnino incedant vt laici, etiam in personis priuilegium Cleri alt quamdiu præmissis institerint, eo ipso amittunt, ex *Clem. 1. de vit. & honest. Cler.* Requiritur vero, vt Clericus coniunctim publice, & personaliter ea officia exerceat. *Gloss. & Panorm.* Neque ex alia specie negotij huiusmodi pœna incurritur. *& num. 2.* aduertit bene *Panorm.* quod per hanc constitut. non datur Episcopo aliqua iurisdictio super exemptos. Est vero considerandum, quod ex quo Clericus amittat priuilegiũ circa res, non sequitur, quod amittat priuilegium personale nisi id exprimatur. Nam ex *hac Clem.* Clericus Tabernarius monitus amittit priuilegium circa res, non vero circa personam nisi sine habitu incedat, vt laicus. Quo magis confirmantur supradicta, quod scilicet Clericus etiam ter monitus si deferat habitum, & tonsuram, non est priuatus priuilegio fori Nec potest à iudice seculari priuari bonis suis; hoc enim nequit fieri nisi exercendo iurisdictionem in personam, quæ suis bonis priuatur, & ideo nisi violando exemptionem personalem. *Diana par. 1. tract. 1. resol. 4.* Ex quo etiam Clemens Quintus volens non incurri hanc pœnam ab eo, qui per alium officium tabernarij exerceret, id explicauit per dictionem *personaliter*, colligit *Panorm.* eum qui per alium exercet officium prohibitum à lege, seu contra legem facit subdi, pœnis legis, *vt in cap. mulieres de senten. excomm.* nisi contrarium exprimatur. Quod an sit vniuersaliter verum esset considerandum. Satis tamen probabile argumentum ex hac Clem. desumitur ad probandũ, quod non liceat negotiari per alium, quia in alijs iurib. non est expressũ per dictionẽ personaliter, quod solũ prohibeatur negotiari per se ipsum, sicut factum fuit in illa Clemen. Et alias absolute interdicta fuit negotiatio. Aduertit etiam *Gloss. in v. eo ipso*. Quod ad incurrendam priuationem priuilegij Clericalis in hoc casu non est necessaria priuatio iudicis Ecclesiastici, sed sufficit trina monitio, qua supposita Clericus est priuilegio Clericali priuatus. Sed hoc habet instantiam, quia non sufficit trina monitio sine contumacia moniti, vnde ad minus erit necessaria sententia iudicis Ecclesiastici, per quam declaretur quod Clericus ter monitus sit contumax. Sed vbi clericus sit simul apostata ab habitu, & tonsura, & simul sit tabernarius, vel etiam quocumque modo negotiator, ad hoc vt sit priuatus priuilegio fori sufficiet ne, quod ter moneatur, vt desistat à negotiatione, & si non destitit declaretur contumax, vel erit necessarium, vt etiam ter moneatur, vt redeat ab apostasia ad clericatum, & declaretur contumax si non redierit? Respondetur vero, quod quia clerici priuilegium personale, seu fori non perdunt ex vi negotiationis etiam si ter moniti non desistant, ad hoc vt hoc priuilegium perdant non sufficit eos monere vt desistant a negotiatione, sed necesse est, vt moneantur, vt redeant ad clericatum, ad quod si redierint recuperant priuilegium canonis, & fori, etiam si alias à negotiatione non desistant. In Clericis tamen ordinatis in minoribus huiusmodi citationes non sunt necessariæ ad priuationem priuilegij fori; quia ex vi *Concil. Trident. sess. 23. cap. 6.* Ex eo solum quod dimittant habitum, & tonsuram sunt priuilegio fori priuati. Clerici autem ordinati in sacris ordinibus licet ex eo quod dimittant habitum clericalem sint priuati priuilegio canonis, si se immisceant enormitatibus, secundum *Fagnan. ad d. cap. Perpendimus numer. 13.* qui id asserit ex *cap. Cum non ab homine, §. in artic. & d. cap Perpendimus de sent. excomm.* & secundum Barbosam, & multos ab eo citatos *in d. cap. cum non ab homine. num. 3. & d. cap. Perpendimus num. 2.* tamen non amittunt priuilegium fori, nisi vt supra ter fuerint moniti. *Suarez de cens. disp. sect. 1. num. 13. Diana p. p. tract. 2. resol. 129. Barbosa ad d. cap. Perpendimus num. 2. & ibi Fagnan. nu. vlt.* vbi quod ita seruat curia. Quod vero facilius

perda-

perdatur priuilegium canonis; hoc ideo est, quia illud est indultum iuris positiui, sed priuilegium fori est indultum iuris diuini. *cap. Quamquam de censib. in 6. Gloss. penul. in cap. si imperator dist. 96. Barbos. ad d. cap. Perpendimus. Socin. consil. 12. num. 20. vol. 1. Rolan. cons. 3. num. 30. vol. 1.* quos referunt & sequuntur *Bellet. tit. de fauor. Clerican. §. 2. num 44. & Barbosa ad d. cap. Perpendimus. num. 3.* Quamuis, vt aduertit *Fagnan. ad d. cap. Perpendimus nu. 16.* Clerici in Minoribus difficilius perdant priuilegium canonis quam fori. Quia illud, non perdunt ex sola habitus, & tonsuræ dimissione, sed necesse est, vt vel ter sint moniti *cap. contingit el 2. de sen. excom.* vel se immisceant enormitatibus. *cap. cum non ab homine. §. in articulo eod. tit.* Ex quibus capitibus priuilegium canonis amittunt etiam Clerici in sacris constituti. Sed priuilegium fori perdunt per solam dimissionem habitus, vel tonsuræ, vel seruitij Ecclesiastici, licet non fuerint ter moniti, vel se non immiscuerint enormitatibus. Sed Clerici in sacris priuilegium fori, non perdunt nisi ter moniti, vt reassumant habitum, vel etiam à negotiationibus, & enormitatibus abstineant & contumaciter resistant.

233 Quando vero dubitatur de negotiatione Clerici, an scilicet, quod defert Clericus, sit res ad suum vsum, vel ad negotiationem destinata standum est Clerici iuramento nisi contrarium probetur. *Gloss. in Clem. fin. de censib. in v. negotiandi. Vbi Card. & Imola. Sanchez d. dub. 52. Card. de Lugo, disput. 31. num. 148. fin.* Vbi quod idem dicendum, si sit dubium an res sit Clerici, vel secularis, & quod id statuitur in lege Hispanæ quæ est *l. 12. tit. 2. part. 5. leg. extrauag. Lex. v. negotij num. 19.* Iuramentum vero non à iudice laico, sed ab Ecclesiastico deferri debet.

234 In casibus vero in quibus Clericis, vel Religiosis licita est negotiatio, non tenentur ipsi ad gabellas pro rebus negotiationi expositis, quia tunc lex Canonica id eis permittit, & res illæ negotiationi expositæ censendæ sunt Ecclesiastici, & immunes. *Barbosa lib. 1. de iure Eccles. cap. 39. §. 5. num. 67. Bellet. d. §. 53. num. 6. Lezana v. gabella nu. 19. Molina de Contrac. disp. 362. nu. 8. Palaus tr. 16. disp. 4. p. 13. §. 3. num. 8.* Quod vero neque videantur obligati Clerici ad soluendas gabellas, si semel, aut iterum mercaturam exerceant, quia mercator est nomen verbale, quod requirit frequentiam, vt habet *Sanchez d. cap. 4. d. 53. num. 7. Lezana v. gabella num. 19.* & dictum est supra, non credo valere; Mercatura enim etiam pro vno actu est Clericis prohibita, quia est illis vetitum agere propter lucrum, & nunquam Clericis fuit concessa exemptio quādo negotiantur, & ideo licet ad hoc, quod Clericus amittat exemptionem quantum ad alia bona, non sufficiat vnicus mercaturæ actus, hoc tamen, non esse ita certum si loquimur de exemptione à gabellis pro illa re quæ negotiationi exponitur, dixit *Card. de Lugo d. disp. 31. num. 120.*

235 Quarta pœna est spolium; acquisita enim per illicitam negotiationem vbicumque sint, & qualiacumque spectant ad spolium, & adiudicata sunt Cameræ Apostolicæ per Pium IV. in Constit. sua 19. & Pium Quintum Sixtum quintum. constit. 100. §. 16. quæ incipit decens esse censemus. Antiquitus vero, quod bona à Clericis per mercaturam acquisita, pauperibus elargienda erant *cap. qui habetis 14. q. 5.* Quod tamen non fuisse de necessitate salutis docuit *S. Anton. 3. p. tit. 13. c. 2. §. 3. fin. & ex Cardin. in Clem. 1. de vit. & honest. Cler. in fin. & ex Abb. & Redoan. Farin. in frag. Crim. p. p. num. 180. & Innocent. Scach. de mercatura p. 3. num. 7.* & habetur *ex cap. Non sane eadem causa, & quæst.* Sed modo huiusmodi bona Cameræ Apostolicæ debentur, ex præfata Constit. Pij IV. *Rota dec. 1015. nu. 8. coram Penna. Redoan. q. 2. de spol. num. 81. Farin. vbi sup. numer. 161.* Circa quam constitut. considerandum est primo sub ea comprehendi bona omnia Clericorum tam secularium, quam Regularium, quæ acquisita fuerint per illicitam negotiationem, vel cōtra sacros canones.

236 Sed quia in prædicta Constitut. Pij quarti subijciuntur spolio nedum acquisita per illicitam negotiationem, sed etiam acquisita contra sacros canones sic enim habet illa Constitut. *ex negotiatione illicita, aut alias contra sacros canones acquisita.* Vnde & in Const. 100. §. 16. Sixti Quinti Thesaurario Cameræ datur facultas colligendi spolia de bonis, quæ sunt, *aut ex causa illicita negotiationis, vel alias male acquisita.* Ideo magnam esse hanc extensionem dixit *Nauar. de spol. §. 7. num. 5.* Sic enim cōprehendit bona acquisita ex beneficijs contra iura retentis, ex officijs secularibus contra iura exercitis, vt ex officijs Iudicis, Aduocati, Procuratoris, Tabellionis &c. ex arte medicinæ, vel Chirurgiæ, ex Venatione, ex ludo alearum aut taxillorum, aut ex quocumque alio exercitio Clericis illicito. *Nauar. vbi sup. Azor. tom. 2. l. 8. c. 2. q. 8. Rodriq. t. 1. q. 30. a. 13. Suarez tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 2. nu. 15. Bellet. d. §. 51. num. 3. Scorna Theor. 144. Thesaurus v. negotiatio num. 4. Redoan q. 2. de spol. num. 86.*

237 Qui etiam num. 82. explicat, quid sit esse contra Canones, quia scilicet est facere contra mentem, & verba legis, vel saltem contra mentem, si non contra verba. Et quod nomine canonum, non veniunt sola decreta Conciliorum generaliū, sed omnes constitutiones Ecclesiasticæ. Et certe, quod in latiori significatione nomine canonum veniant omnes constitutiones Ecclesiasticæ dixit *Reuerendiss. Fagnanus ad cap. Canonum statuta n. 18. de Constitut.* Nihilominus tamen varia est, & ambigua huius nominis significatio, & proprie importat constitutionem Concilij generalis, & quod de stylo Concil. Trident. significet definitionem in materia fidei apparet ex *sess. 6. 7. 13. 21.* & tribus sequentibus. Quia tamen eodem *Reuerendiss. Fagnano* teste hoc nomen canon frequentius vsurpatur pro constitutione Apostolica inserta in corpore iuris; Nam aliæ Pontificum constitutiones, non consueuerunt vocari canones. Prout etiam intellexit *Concil. Trid. sess. 25. cap. 20.* distinguens sacros canones à Concilijs generalibus. Et Pontifices in confirmationibus priuilegiorum in forma communi consueuerunt ponere clausulam hanc. *Dummodo tamen sacris Canonibus, Tridentini Concilij decretis, & Constitutionibus Apostolicis non sint contraria;* hoc modo distinguentes canones, a Concilij decretis, & reliquis Constitutionibus non insertis in corpore iuris. Dicitur quod etiam in Constit. Pij quarti per verbum canones intelligantur decreta, & constitutiones Apostolicæ insertæ in corpore iuris. Quia verba accipienda sunt iuxta vsitatam, & frequen-

quentiorem significationem, maxime vero in lege odiosa, qualis est lex spoliorum, non sunt accipienda in impropria, & latiori significatione, vt sic etiã iuxta hanc primam sententiam ad spolium pertinere dicantur, non quæcumque acquisita contra constitutiones Apostolicas quascumque, sed contra insertas in corpore iuris, nisi in alijs Constit. spolio subdantur male contra illas acquisita.

238 Altera sententia est eorum qui dixerunt, quod sola bona ex negotiatione illicita acquisita subduntur spolio. Hanc sententiam sub tacito nomine auctorum refert, nec reijcit *Bonac. de contract. disp. 3. q. vlt. p. 8. §. 2. num. 5. Filliucius etiam tract. 43. cap. 4. num. 28.* dubitat de primæ sententiæ veritate, quia sibi ait, non constare de praxi, an scilicet sola bona ex negotiatione illicita acquisita subdantur spolio. *Nicolaus etiam tom. 1. lib. 3. tit. 1. num. 78.* asserens priorem sententiam esse de iure veriorem, posteriorem ait esse frequentiori vsu comprobatam. Ratio autem huius sententiæ est, quia talis videtur sensus verborum Constitut. Pij quarti, cum quia hunc sensum habet Constit. 42. Pij Quinti data ad explicationem Constit. Pij IV. in §. 6. ibi, *Dummodo ab omni illicita negotiatione, & a sacris Canonibus prohibita abstinuerit.* Tum tertio quia in materia pœnali, non est facienda extensio.

239 Mihi in hac parte constat, quod in literis patentibus quæ à Thesaurario Cameræ dantur Collectoribus, seu subcollectoribus, non reperitur illa clausula aut alias contra sacros canones acquisita, sed solum datur eis facultas colligendi acquisita ex illicita negotiatione. Sic enim apud Impressorem Cameralem vidi in literis patentibus impressis nomine Eminentiss. Card. Fransoni tunc Thesaurarij, & moderni Thesaurarij Illustriss. Domini D. Nerij Corsini, & pariter in instructionibus impressis, quæ Collectoribus dantur, & quas vidi apud eumdem impressorem, vbi in §. 14. datur regula seruanda in partibus, quæ inierunt compositionem cum Camera, & ordinatur, vt nihilominus in casu, quod vel Clericus moriatur extra residentiam, vel Regularis extra Claustra, vel mortuus fuerit aliquis, sine hærede, vel Clericus testauerit ad fauorem illegitimi, vel suorum consanguineorum, vel qui illicitam negotiationem exercuerit, nulla fit alterius clausulæ additio, prout vidi in instructionibus datis sub Eminentiss. Card. Pio anno 1652. & Eminentiss. Card. Fransono anno 1654. & Illustriss. Domino Constantio Patritio anno 1618. & Illustriss. Donato Cesio anno 1634. & Illustriss. D. Nerio Corsino de præsenti Thesaurario. Et quia Pius quartus in altera sua Constitut. quæ incipit Romanus Pontifex, & data fuit pro declaratione constit. Decens esse, & habetur in Bullar. Rom. sub eodem nu. 29. abstulit clausulam illam, & alias contra sacros canones, licet *Redoan. q. 2. de spol. nu. 101.* dicat id factum fuisse solum ad fauorem incolarum Vrbis & Curialium, & vere illa constitutio ad horũ fauorẽ edita fuit. Nihilominus quod illa Const. pro hac parte contineat dispositionem vniuersalem, & ita, quod vniuersaliter Constitut. illa *decens* debeat intelligi sine dicta clausula de sola illicita negotiatione cõsideratur ea eo, quod in eo loco in quo Pius IV. decernit priorem Constitut. *Decens esse* intelligendam esse, sine additione illius clausulæ, & alias contra sacros canones, ac si illa in d. constit. posita, non fuisset, loquitur vniuersaliter. Quod colligitur tum primo, quia immediate ante vniuersaliter declarauerat omnes habentes facultatem testandi, non comprehendi sub d. const. *Decens esse*, & postea subiungit, *& alias easdem nostras literas etiam absque verbis aut alias contra sacros canones in illis appositis in omnibus, & per omnia, ac si illa in eis apposita non fuisset, sive illa sine eis emanassem, stare, & in suis robore, & efficacia permansisse, & permanere debuisse, & debere.* Cum igitur ad omnium vbique existentium fauorem immediate ante decreuisset eorum bona non spectare ad spolium, si habuerint facultatem testandi, ad fauorem eorumdem omnium pariter debet illa clausula in suis literis posita, *aut alias contra sacros canones*, quoniam nullam apponit limitationem, vt tantum de incolis Romæ intelligi debeat. Secundo nam pro personis, declaratis priuilegiatis in d. constit. Romanus Pontifex nulla erat necessitas delendi a prioribus literis clausulam illam, *aut alias contra sacros canones.* Quia cum declarasset eas personas, non comprehendi sub dispositione illarum priorũ literarum, iam certum erat, quod illa clausula ad eos, non pertinebat, nec illos afficiebat, qui sub integris illis literis non comprehendebantur, igitur defectio illius clausulæ, ne sit irrationabilis, & superflua debet respicere vniuersaliter alios, qui nec sunt Cardinales, nec incolæ Romani, nec facultatem habent testandi vnde comprehẽdebantur sub literis *Decens esse*, in quibus illa clausula cõtinebatur; quia respectu illorum tantum deletio illius clausulæ poterat habere effectum, cum iam absque clausulæ illius deletione, nec clausula eadem nec literæ illæ afficerent præfatos priuilegiatos. Et propterea Thesaurarij in constituendo spoliorum Collectores, vel in instructionibus ad eos datis, nullam præfatæ clausulæ mentionem faciunt, sed bona ex illicita negotiatione acquisita colligenda præcipiunt. Stylus igitur Cameræ seruandus est, qui quantum ex præfatis Thesaurariorum dispositionibus colligi potest non est, vt tanquam spolia colligantur nisi ex illicita negotiatione acquisita.

240 Nam iuxta etiã priorem sententiam non ex omni actione contra sacros canones oritur spoliũ, sed necesse est, quod lucrum ipsum, sit per sacros canones prohibitum, quia spolium est de acquisitis negotiatione illicita, aut contra sacros canones. Fieri vero potest, vt quis faciat aliquid contra sacros canones, sed lucrum inde perceptum, non sit prohibitum per sacros canones, vt ex *D. Th. Raym. & Innoc. habet Armilla v. restitutio num. 19.* Et ideo etiam iuxta illam sententiam, non omne lucrum ex actione illicita proueniens spectat ad spolium, sed illud, quod in ratione lucri est prohibitum. *Filliuc. tr. 43. cap. 8. num. 10. Bonac. d. p. 2. §. 2. in fin.*

241 Iuxta secundam sententiam vero loquendo, quia artificium si fiat ex materia empta, & per ministros & artifices emptos ad effectum vendendi carius artificiata non fit sine propria mercatura, ideo bona à Clericis, vel Religiosis per huiusmodi artificium acquisita spectant ad spolium. De agricultura vero posset esse dubium, quia numquam videtur esse mercatura proprie. Nam esto quis conducat alienos agros, vt vendat fructus, & hæc conductio sit illicita, & prohibita per sacros canones,

nes,vt probatum est supra nu.166.tamen vt dictum est nu.186.non est proprie mercatura, quia quod emitur non venditur, emitur enim agrorum dominium vtile,& venduntur fructus ex agro veluti proprio collecti. Nihilominus quantum ad conductionem possessionum secularium,& ad artem agriculturæ, quæ in hoc consistit, quod est conducere alienos agros ad colendum eos, & fructus collectos vendendos, quod bona eius subdantur spolio habetur ex Constit.72.§.5.Clem.VIII.ibi *Statuimus etiam quod Clerici in casalibus tamen proprijs,& non conductis possint dictam artem agricultura per se vel alios exercere, & exerceri facere*. Et infra, *Declarantes dictam artem agricultura etiam ipsis Clericis in eorum casalibus licitam & permissam*. Ex his enim colligitur mentem Pontificis fuisse quod exercere artem agriculturæ in agris conductis, sit illicitum Clericis, & quod ex ea acquisita spectent ad spolium. Nam & hoc nedum est specialiter prohibitum per ius canonicum, sed habet maximam speciem mercaturæ, & negotiationis illicitæ ideo acquisita per Clericos ex conductione agrorum secularium, vel ex arte agriculturæ in possessionibus conductis spectant ad spolium. Simplex tamen locatio prædij empti non est negotiatio illicita. Alias etiam ad hoc, vt bona spectent ad spolium non sufficit, quod aliqua negotiatio sit illicita ex circumstantia, etiam ex circumstantia finis, vt quia Clericus agit propter lucrum, vt propter finem principalem, ideoque ex illicita cupiditate aut auaritia, sed requiritur, quod actio sit ex obiecto mercatura, & quidem illicita, seu in casu non permisso exercita, quia bona ad spolium spectant ex eo, quod ex negotiatione illicita sint acquisita.

242 Item secundum primam sententiam non comprehenduntur sub illa Pij Secundi dispositione bona contra quamlibet legem, seu quocumque modo illicite acquisita v. g. ex ludo interdicto per constitut. synodalem, aut per generale, aut speciale mandatum Episcopi. *Scortia vbi sup. ex Azor.d.q.8* sicut nec quæ à Religioso sũt acquisita præcise contra Regulam, sed solum, quæ sunt acquisita per exercitium specialiter per Sacros Canones prohibitum. *Suarez vbi sup.numer.25. Bellet.d.num.5.Lezana p.p.cap.10. num.5. & v.negatiatio numer.10.* Nomine enim sacrorum Canonum non veniunt leges Episcopales,aut Synodales,vt late probat *Rmus reuerendiss. Fagnanus cap.Canonum statuta à numer.27.de constit.* & multo minus Canones dicuntur leges Regulares.

243 Multi etiam tenent,quod acquisita ex vno vel altero actu illicitæ mercaturæ non subsint prædictæ Constitut. dispositioni, ex regula iam superius data, quod negotiatio importet pluralitatem, & frequentiam actuum. Verum distingui debet inter negotiatorem,& negotiationem. Nam verum est,quod nõ dicitur,quis negotiator simpliciter,nisi mercaturam per plures, & frequentatos actus exercuerit, sed quilibet mercaturæ actus est proprie, & simpliciter negotiatio; ideo quæ ex vno actu illicitæ mercaturæ acquisita fuerunt, subsunt spolio, vt ex *Redoan.de spol.q.2.num.61. Azor.vbi sup. q.5.* tradit *Scortia d. theorem.194. Farinac. vbi supra numer.174.*

244 Pariter multi tenent, quos refert,& sequitur *Scortia d.Theor.194.* quod non comprehendatur sub ea Constitut.bona acquisita per negotiationem exercitam per alium, eo quia hæc non sit contra sacros Canones. Sed merito contradicunt *Barbosa lib.1.de iure Eccles.cap.39. §.5. numer.68. & Palaus tract.16.disp.4.p.13.§.3.num.7.vbi ex Malina,& Gutierez*, etiam asserit ex huiusmodi negotiatione soluendam esse gabellam. Nam & nequit negari,quod talis non sit mercatura quædam, vt satis supra numer.209. fuit probatum.

245 Bene verum est, quod in casibus in quibus negotiatio non sit illicita, bona ex ea acquisita non spectant ad spolium,cum Pius Quartus expresse loquatur de bonis ex illicita negotiatione acquisitis.

246 Verum quoque est, quod huiusmodi bona spectant ad spolium non absolute, sed sub duplici conditione. Prima est si maneant apud Clericum, vel Religiosum tempore mortis. Secunda est si Clericus, vel Religiosus mercator in vita sua eis non fuit priuatus. Ratione primæ conditionis illicitus iste mercator, quæ acquisiuit potest consumere, & donare. Sic ex *Filliuc.tract.43.cap.4.numer.33. & Azor.vbi sup.q.3.* aduertit *Thesaur.v.negotiatio num.4.Bonac.vbi sup.num.8.* sit propterea si sit Religiosus potest suæ Religioni donare,& si donauerit Religio poterit ea retinere, nec moriente hoc Religioso mercatore talia bona sunt de spolio. *Suarez num.27.* Non tamen potest hic illicitus mercator de his bonis testari, vel ea donare causa mortis, quia resistit Constitut.Pij Quarti expresse, vnde illius hæredes siue ex testamento, siue ab intestato talia bona reddere tenentur Cameræ Apostolicæ. *Rota dec.974. num.6. & dec.988. num.4. & decis.1015.num.2.8.& 9. coram Penia.*

247 Adhuc vero considerandum est, quod ad hoc, vt bona hæc spectent ad spolium, non sufficit quod quomodocumque inueniantur apud Clericũ tempore mortis, sed necesse est quod sint sua, & transierint in eius dominium. Sic enim quia acquisita per simoniam, aut vsuram non sunt ea acquirentis, nec eorum dominium transfertur in simoniacum, vel vsurarium, ideo huiusmodi bona non veniunt sub spolijs, nec etiam spectant ad hæredes Clerici, sed omnino restitui debent ijs, quibus de iure. *Nauar. de spol.§.8. num.8. Sopranus apud Filliuc.tract.43.cap.4.q.13. num.14. Redoan.de spol.q.2. num.93. Azor.p.2.l.8.cap.2.quæst.7. Bonac. vbi supra num.8.*

248 Necesse est etiam quod negotiator Clericus lucratus fuerit ex negotiatione. Id enim quod ad spolium pertinet est lucrum ex negotiatione acquisitum. In foro tamen externo, vbi constat de negotiatione Camera bona Clerici potest apprehendere. & ad hæredes defuncti pertinebit ostẽdere, quod clericus nihil fuerit lucratus, & totum quod superest ad bona patrimonialia pertinere, *Bonac.d.punct.2.§.2.num.4.*

249 Secunda vero conditio, passiue intelligi debet, quia nimirum hic illicitus mercator in vita sua sit priuatus huiusmodi bonis inuoluntariè. Verba enim extrauagantis sunt ista; *Etiam eis viuentibus priuari, & ais destitui contigerit.* Nullus vero in proprietate sermonis dicitur priuari, & destitui eo, quod ipse voluntarie per contractum liberalem,aut onerosum distraxit, Ita *Suarez*

vbi

vbi sup. num. 28. licet aliqualiter dubius. Et vere ille sensus est probabilis, & rationabilis, quando enim huiusmodi bona non inueniuntur apud aliquem ex vi testamenti, aut donationis causa mortis, sed vel ex donatione inter viuos facta tempore competenti (vt latius explicatum est supra q. 185. a. 8. à n. 231.) non potest dici quod Clericus fuerit priuatus, vel destitutus bonis, quæ voluntarie ipse in alium contulit. Et eo magis, quod si titulo oneroso ea dedit, si remaneat id, quod loco illorum recipit, illud sub spolio cadet. Tanquam existens in loco eius, quod fuit ex negotiatione illicita acquisitum. Quamuis quæ licite ex industria sua licet ex acquisito per illicitam negotiationem acquisiuit non cadant sub spolio, quia non sunt acquisita modo illicito, seu ex negotiatione illicita, sed ex industria licita.

250 In dubio autem, an bona Clerici defuncti sint ex illicita negotiatione acquisita, si non constat de negotiatione illicita, non esse talia censendum est, quia nemo censetur malus, nisi probetur. *Panorm. cap. 1. numer. 5. de pecul. Cleric. & ex Roman. consil. 159. Redoan. q. 15. num. 30. de spol. Cler. & Azor. vbi sup. q. 11. Scortia d. Theor. 194. fin. Rot. dec. 974. num. 6. & 988. num. 4. & 1015. num. 8. & 9. coram Penna.*

251 Quod vero aliqui apud *Benac. de comr. disput. 3. q. vlt. p. 2. §. 2. num. 4.* amplient supradicta, vt si negotiator Clericus sit beneficiatus, etiam fructus beneficij ex vi illicitæ negotiationis subyciantur spolio, non dicitur cum fundamento veritatis; hoc enim nullo iure est cautum. Nec quia milites incumbentes negotiationi priuantur etiam stipendio, iuxta *Gloss. in l. milites, C. locati*, ideo & beneficiati debent priuari fructibus beneficij. Quia in pœnalibus non valet extensio de casu ad casum, & præterea leges ciuiles, vt prouenientes ab Imperatoribus, qui non habent iurisdictionem in Clericos, eos non ligant, & præcipue circa ea, de quibus ius Canonicum disposuit. Ideo quod alij apud eundem *Bonac. ibid. num. 5.* voluerint spectare ad spolium, etiam bona patrimonialia Episcoporum, & Archiepiscoporum ex §. Deo amabiles, Auth. de sanctis. Epis. negandum est prorsus, eo magis, quod vt habet *Bonac. in d. Authent.* nihil de hac re agitur.

252 Si autem queramus, qui sint, qui comprehenduntur sub dicta Bulla Pij Quarti, quorum bona acquisita ex negotiatione spectent ad spolium, dicitur primo comprehendi omnes Clericos. Verum est, quod *Nauar. de spol. §. 7. numer. 5.* quem sequuti sunt *Azor. p. 2. l. 8. cap. 2. q. 9. Scortia Theor. 195.* excipit clericos non beneficiatos, & non in sacris ordinatos; saltem si non habeant sibi ad victum necessaria; eo quod istis videatur licitum exercere officia, & artes, præstare obsequia regibus, & alijs secularibus: conducere item prædia, & villas, sicut & alij laicis. Verum quidquid sit in vniuersum de officijs secularibus, seu secularibus negotijs, quorum aliqua non tantam indecentiam possunt continere, per quam impediti sit clerici non in sacris, ab eorum exercitio, vnde bene *Reuerendiss. Fagnanus in cap. multa. Ne Clerici, vel Monachi, num. 96.* aduertit non valere argumentum ab officio Aduocati, quod est valde vtile Reipublicæ; nam Aduocati non minus prosunt Reipublicæ, quam si armis, & sanguine illam defenderent, *l. Aduocati, C. de Aduoc. diuer. iud.* ad negotiationem, vt ex quo ex *p. cap. de postul.* videatur colligi licere clericis in minoribus gerere officium Aduocati, si Ecclesiasticis redditibus, aut stipendijs non sustententur, ideo idem dici possit, & debeat de negotiatione. Et sic in præsenti relictis alijs officijs, aut negotijs secularibus, si forte sit aliquod, quod ex sacris Canonibus non sit clericis in minoribus ordinibus constitutis prohibitum, de negotiatione loquendo dicitur; quod nulla est clericorum exceptio, & quod omnium omnino clericorum bona, quæ ex negotiatione, sunt acquisita pertinent ad spolium, quod vt ferme indubitabile tradit *Reuerendiss. Fagnanus vbi sup. num. 67.* ponderatis illis verbis Bullæ Pij Quarti. *Per quoscunque Clericos &c. etiam in sacris &c. Cuiuscumque status Ordinis, & conditionis.* Nam dictio etiam implicat etiam Clericos in minoribus cōstitutos, & dictiones *quoscunque, & cuiuscumque Ordinis*, quæ vniuersales sunt distribuunt pro omni Clerico in vniuersum. Ideo indubitatum est, quod sub Constitut. ista Pij quarti comprehenduntur etiam Clerici in minoribus constituti, quatenus in statu clericali vsque ad mortem permanserint. Item ex Constitut. 42. Pij Quinti Clerici habentes pensionem infra ducatos 30. non eximuntur à spolio nisi ab illicita negotiatione se abstineant. Quia vero pensio non est beneficium, quia Constitut. Pij alternatiue loquitur, & disiunctiue de habentibus beneficium, vel pensionem; bene apparet, quod Clericus in minoribus etiam non beneficiatus tenetur abstinere ab illicita negotiatione, vt spolium vitet. Item Paulus Quintus in const. 14. indulsit, vt habitantium Romæ, & intra 10. milliaria bona ibidem existentia etiam ex illicita negotiatione acquisita non subdantur spolio, & hoc competit etiam Clericis minoribus constitutis, & ita habet praxis, igitur præciso indulto huiusmodi Clericorum bona, ex illicita negotiatione habita caderent sub spolio. Non igitur ex hac parte est exceptio, neque ex eo Clericorum bona ex illicita negotiatione acquisita sunt exempta à spolio, quia sint bona Clerici nec beneficiati, nec in sacris constituti. *Redoan. quæst. 2. de spolys. Nicolius tom. 1. l. 3. tit. 1. num. 78. Benac. vbi sup. num 10.*

253 Aliunde tamen multi Clerici sunt ab hac lege spoliorum excepti. Et quidem primo S. R. E. Cardinales vbique decedentes, & quoad bona vbicumque existentia ex Constit. eiusdem Pij IV. Romanus Pontifex anno 1560. & habetur in Bullar. Rom. annexa præfatæ Constit. 29. Secundo Ciues, Curiales, & incolæ Romani in Vrbe, vel eius districtu ad decem miliaria decedentes, & quoad bona ibidem existentia, & dummodo extra debitam residentiam ibi non decesserint, ea eadem Constit. Pij IV. & constit. 5. Iulij III. & 18. Pauli quinti. Tertio excipiuntur, qui habent facultatem testandi à Sede Apostolica, quorum bona ad spolium non spectant nisi disposuerint, ad fauorem illegitimorum, aut extra debitam residentiam decesserint. Et pariter qui huiusmodi testandi facultatem habent ex officij eorum aliquo priuilegio, vel aliunde, vt ex eadem Pij IV. constit. præfata Romanus Pontifex. Credo tamen cum *Redoan. quæst. 2. de spol. num. 111.* non eximi à spolio Clericorum ex illicita negotiatione acquisita per facultatem testandi ub-

tentam à Sede Apostolica cum clausula *licite tamen acquisita, & acquirenda*, quam lego in facultatibus concessis suis conclauistis à Gregor.XV. constit.c. §.14.& ab Vrban.VIII. const.1.§.15.& suis Capellania à Gregor.XV. const.49.§.3.& Dapiferis ab Vrb.VIII.in const.9.§.14. Non enim licite acquisita dici possunt, quæ ex negotiatione illicita acquiruntur. Et ideo vt videatur,an aliqua bona huiusmodi non spectent ad spolium ea prætexta facultatum,videnda sunt indulta, seu literæ Apostolicæ. Quamuis vero *Filliuc.tract.33.cap.4.num.34.* existimet, quod non sufficiat testandi priuilegium etiam amplum, ad hoc vt de illicite acquisitis possit testari. Quantum tamen colligere possum ex d.constit. Romanus Pontifex Pij IV. & ex traditis per alios DD.communiter sufficit testandi facultas absoluta, & vniuersalis sine limitatione præfata, aut simili concessa, etiam si expresse non concedatur facultas de acquisitis ex illicita negotiatione. Quia Pontifex ibi absolute declarat suas priores literas, non se extendi ad eos, qui habent facultatem testandi, siue habent facultatem, seu priuilegium, vt eis decedentibus, sine testamento succedant hæredes ab intestato. Sed Redoan vbi supra aduertit, quod in facultatibus testandi à Romana curia venientibus,vel per viam Breuis sub annulo piscatoris expeditis,vel per Bullam in forma Cancellariæ sub plumbo, vel per viam sacræ Pœnitentiariæ expeditis de quacumque summa pecuniæ semper inest, & apponitur clausula licite tamen acquisitis. Et subdit se nullam vidisse facultatem aliquam, sine tali clausula. Ego tamen aliquam vidi, sine talis clausula, sed cum alia expressa,in qua concedebatur licentia testandi etiam de illicite acquisitis.

254 Ex Regularibus autem, quod non comprehendantur Religiosi non Clerici, quia Constitutio Pij quarti solum loquitur de Clericis dixerũt *Suarez tom.4.de Relig.tr.8.l.3.cap.2. num.14. Bellet. d.§.51.num.5.Lezana p.p.c.10.num.5.* Omnes nihilominus comprehendi, & laicos, & Nouitios dixit *Turrian.tom.2.de iust.disp.59.dub.2.num.5. & 6.* sed non est,cur velimus vltra significationem suam extendere nomen Clerici in lege hac pœnali. Laici vero non sunt Clerici, & Nouitij non sunt Religiosi, nec Clerici, nisi tales essent ante ingressum, vel facti sint postea: sed tamen comprehenduntur acquisita à Regularibus nedum Apostatis, sed intra Religionem viuentibus, si sint ex negotiatione illicita. *Suarez n.39. Bellet.& Lezana vbi sup.* Excipiũtur vero Religiosi milites S.Ioã quia sic declarauit idẽ Pius IV. in sua constit.29 quæ incipit Romani interest. *Bellet.& Lezana, vbi sup. Scortia d. Theor.* 195. Quod vero priuilegium, & facultas testandi concessa Ciuibus, Curialibus, & Incolis Romanæ vrbis, de quo supra dictum fuit, non suffragetur Regularibus ex *Bonac.vbi supra p.5.nu.3.* dixit *Nicolius loco citat. num.86.* Sed vnde hoc collegerint, non video, quia in constitut. Pij quarti Romanus Pontifex, quæ habetur in Bull. sub nu.19. expresse disponitur, etiam Cuiusuis Ordinis regulares Clericos in Vrbe existentes, non comprehendi sub constit. *Decens esse*, per quam illicite acquisita posita sunt sub spolio. Si etiam Religiosus de licentia Superiorum tutelam legitimam receperit, poterit, seruato Ordinis decore, & non sordide de bonis pupilli, & ad pupilli vtilitatem negotiari, non tamen poterit sub tutoris prætextu ad sui vtilitatem id facere.

255 Tandem difficultas est, an huiusmodi spolium à defuncti hæredibus debeatur Cameræ Apostolicæ in conscientia reddi antequam petatur, vel antequam per iudicem illud esse spolium pertinens ad Cameram Apostolicam declaretur. Respondetur sententiam multorum esse spolia deberi Cameræ Apostolicæ ante sententiam iudicis; lex enim spoliorum non est pœnalis, sed dispositiua, & summus Pontifex tanquam summus Rerum Ecclesiæ dispensator reseruat huiusmodi bona Cameræ Apostolicæ. Et quamuis in proposito nostro lex huiusmodi spoliorum facta sit in odium negotiationis, non tamen huiusmodi spolium, quod habet locum solum Clerico negotiatore defuncto, est impositum, vt pœna infligenda delinquenti, qui iam est defunctus sed est impositum, vt medicina, & mediũ retrahens Clericos à negotiatione, vt dum sciunt eos nõ posse de sic acquisitis tẽpore mortis disponere, sed ea pertinere ad Cameram Apostolicam facilius retrahantur à negotiatione, & quia dignum est vt huiusmodi male contra leges acquisita, non perueniant ad hæredes defuncti, sed cedant in subsidium summi Pontificis legum supremi custodis. Et propterea Pontifex, non imponendo pœnam, sed subrogando Cameram Apostolicam in locum Ecclesiæ, vel successoris defuncti negotiatoris incorporat, appropriat, applicat eidem Cameræ huiusmodi bona, & declarat ad eam pertinuisse, & pertinere. Ideo quod tanquam sua debeatur Cameræ nulla alia sententia iudicis interueniente dixerunt. *Azor.vbi supra l.8.c.2.q.5. & 6. Sopranas apud Filliuc.tract.43.cap.4. q.11.num.38.* quos sequitur *Bonac.de Contract.disp.3.q.vlt.p.4.num.1. Thesau.v.negotiatio num.4.* Nihilominus, quod non debeatur hoc spolium ante sententiam late probat *Nauar. cons.3.de testam.* per totum, & voluit *Molina tom.1. disp.147.§.postea vero. Prosper Augustinus,& Naldus v.Clericus apud Lezanam v. negotiatio. nu.7.* Hi enim arbitrantur hanc legem spoliorum ex illicita negotiatione esse pœnalem, nec obligare nisi post sententiam. Ego in hoc cum Lezana dico standum esse consuetudini, & praxi Cameræ Apostolicæ; Nam alias spectato solo iure scripto prior sententia in iure magis est fundata. Vbi vero negotiationi, sit adiuncta iniustia, & damnum tertij, illi satisfaciendum est in conscientia nulla expectata sententia aut petitione. Et hæc non pertinere ad spolium te probat *Redoan.q.3.de spol.num.11.*

256 Etiam si autem Clericus viuens compositionem fecerit cum Camera Apostolica, si nihilominus contra eum viuentem inchoatus fuerit processus de illicita negotiatione, vel de ea post illius mortem manifeste constiterit, bona ex tali negotiatione acquisita subijciuntur spolio. *Bonac. vbi supra p.2.§.2.num.3.* vbi hoc confirmat ex quodam chirographo Sixti quinti data 16. Aprilis 1590. sed & in Prouincijs, quæ composuerunt cum Camera Apostolica, quod nihilominus sub compositione, non veniant acquisita ex illicita negotiatione, sed illa cadant sub spolio, dixit *Nicolius tom.1.l.3.tit.1. num.78.* & constat ex instructione quam Thesaurarius dat Collectoribus sub num.14.

257 Quis vero sit iudex spoliorum, si quis quærat. Respondetur, quod tempore Redoani, etiam

ad

ad Vicarium Papæ spectabat huiusmodi causa, quia ipse refert q.2.de spol.num.44. sepe se vidisse in Bannimentis, & ordinationibus Vicarij Papæ, & præcipue in editis per Cardinalem de Sabellis die 30. Octobris 1566. statutum ne Clerici mercaturam exerceant &c. Vnde tunc saltem pro Vrbe etiam Vicarius causam negotiationis Clericorum cognoscebat. Auditorem etiam Cameræ aliquando contra Clericos de negotiatione illicita inquisitos processisse, se vidisse refert *Farinac. Fragment. Crim.p.1.n.147.* Verum nunc propter facultates cõcessas Thesaurario Cameræ ad eũ solum priuatiue quo ad alios spectat de hoc delicto cognoscere *Farin. ibid.* & habetur præcipue ex constit.100. Sixti quinti §.10. 30. & 32.

258 Quintam pœnam ponunt aliqui nullitatem contractuum initorum à Religiosis, & Clericis negotiantibus. Ita sensit *Port. cons.16. num.41. & seq.* quem refert *Grass.eff.Cler.6.num.16.* Sed merito ab eodem reijcitur ex *Maccabrun. cons.18. numer.258. Molin.de contract. disp.342. num.1.* Nam certe Clerici habentes rerum dominium, quæ negotiationi exponunt, licet in hoc male faciant dominium tamen rerum suarum in secum contrahentes transferunt, & vicissim recipiunt. In Religiosis vero contractus nulli erunt, si sint contra votum paupertatis, quia ipsi dominij incapaces, nec valide tribuunt, quod suum non est, nec dominium recipiunt eorum, quæ sibi traduntur, cum sint dominij incapaces.

259 Tandem circa hanc partem considerandũ est, quod magnũ discrimen est inter Clericos seculares, & Regulares, qui sũt adstricti voto paupertatis, & quibus repugnat habere aliquid proprium in particulari. Ideo licet monasterijs quibus licet habere dominium rerum in communi licere possint multa ex ijs, quæ Clericis licent saluo semper decore status Religiosi, tamen quæ sonant in mercaturam, non sunt aliquo modo permittenda Religiosis in particulari. Et nedum hoc illis est prohibitum, si fiat ab illis nomine proprio, quod est contra votum paupertatis, sed nec permitti debet, vt fiat ab illis de licentia superioris, & nomine monasterij, si lucrum, quod acquiritur in eorum vsus est conuertendum. Quia negari non potest, quod etiam si id fieret sine violatione voti paupertatis metaphysice loquendo, tamen cedit in maximum periculum, & relaxationem disciplinæ Regularis, vnde illis concedi non debet etiam in casibus alias licitis, vel conducere agros, vel animalia habere eaque locare, & similia, quæ voti paupertatis sunt destructiua. Vnde huiusmodi in Ord. Prædic. fuerunt prohibita Romæ anno 1601. or.23. *Barbos. ad ad d. cap. sententiam num.3. Tambur. tom.3. disp.3. quæst.6. num.31. Leander à SS. Sacram. tract.11 disput.9. q.5.*

SVMMARIVM.

1 *Medicina negotium seculare. nu 260.*
2 *Clericis in sacris prohibita medicina cum incisione. nu 260.*
3 *Etiam causa pietatis. num.260.*
4 *In casu necessitatis licita Chirurgia. nu.261.*
5 *Quibus Clericis sit prohibita chirurgia secundum multos. nu.262.*
6 *Ars medicinæ est negotium seculare. nu.263.*
7 *Ideo prohibitum Clericis, & Religiosis, si fiat ex cupiditate. nu.263.*
8 *Non est idem mederi causa pietatis, & mederi gratis nu.264.*
9 *Chirurgia cum incisione prohibita Clericis ordinatis in sacris. nu.265.*
10 *Clericus in sacris ex Chirurgia fit irregularis, si sua causa mors sequitur. nu.266.*
11 *Et etiam si mors sequatur sine sua culpa. numer.267.*
12 *Secus si solum secundum regulam applicet emplastrum. nu.268.*
13 *Et si solum consulat incisionem. nu.269.*
14 *Quid si Clericus solum incidat venam nu.270.*
15 *Non est irregularis Clericus ex eo quod adiuuet ad incidendum. nu.271.*
16 *Quid vbi incisio non sit causa mortis. nu.272.*
17 *In casu præcisæ necessitatis non incurritur irregularitas. nu.273.*
18 *Non sequuta morte non incurritur irregularitas ex incisione. nu.274.*
19 *Medicina citra incisionem, & vstionem est prohibita ex eo quod sit negotium seculare. nu.275.*
20 *Medicinam hanc esse prohibitam ex lege speciali, qui asserant. nu.276.*
21 *Medicina citra incisionem non prohibita ex lege speciali. nu.277.*
22 *Medicina cum incisione non prohibita Clericis in Minoribus. nu.278.*
23 *Clerici & Religiosi si inculpabiliter medentur, non fiunt irregulares. n.279.*
24 *Priuilegium Societatis. nu.280.*

Ars Medicinæ, & Chirurgiæ.

260 INter negotia secularia computatur ars medendi. Est vero diuersa ratio medicinæ, vbi exercetur cum adustione, & incisione, & vbi sine illis habetur, & distincte oportet ista considerare. Hoc vero est certum primo quod exercere artem medicinæ cum incisione, & adustione est Clericis, & Religiosis illicitum. *cap. sententiam. Ne Clerici. vel Monachi. & cap Tua nos. De homicidio.* Certum est secundo, quod huiusmodi exercitium est prohibitum adeo, vt nec causa pietatis liceat illud exercere. *Panorm. in cap. Tua nos.19. De homicid. num.5. Anton. num.4. Socin. num.3. Sanchez l.6. de matrim. cap.14. num.16. Palaus tract.26. disp.4. p.13. §.2. numer.1. Anton. à Spir. sancto tract.3. disput.6. numer.1554.* Et deducitur hoc ex *d. cap. Tua nos*, & cõsiderat *Glossa in v. post satisfactionem*; quia Innoc.3. ibi loquens de Monacho, si ex causa pietatis artem chirurgiæ exercuit, sic permittit, vt ministret in altari, quod tamen exigit satisfactionem, sine dubio pro culpa, quia si sine culpa fuisset nullam satisfactionem ab eo expostulasset.

261 Quamuis in casu necessitatis; vbi nullus alius adesset chirurgus, vt in tempore pestis posset Clericus etiam in sacris, officium chirurgi exercere, vt ex *Rodriq. p.1. cap.177. Molina de iust. disp.75. Sayro, Auila, & Henriq.* tradit *Barbos. ad d. cap. Tua nos. num.3. Bonac. de cens. disp.7. q.4. p 6. num.4. Antonel. de reg. Epis. Eccl. l.6. cap.7. numer.10. Tambur. l.3. d.3. q.6. num.32.* Quod quidem ampliatur, vt sic

verum

verum etiam si Clericus, vel Religiosua non sit peritus in arte. Quia vbi adest vera necessitas incisionis, vel adustionis, & deest in arte peritus, satis est, vt vnusquisque faciat, quod scit, & potest pro salute infirmi, & infirmo consentiente, seruata semper regula iustitiæ, & charitatis, vt nihil fiat sine necessitate, & alias adhibeatur omnis possibilis diligentia, & stante casu necessitatis præcisæ in dubio tutior pars, & quæ saluti securius, vel cum minori periculo conducit, eligatur bona fide. In his enim casibus necessitatis minus malum est eligendum, si omne malum non potest vitari. Et charitas dictat, vt vrgente necessitate quisque pro salute proximi faciat, quidquid scit, & potest, minori malo electo, vt maius vitetur. Ideo quod dicunt *Bonac. citatus, & Barbosa num.4.* vt explicent textū in *cap. Tua nos.* Quia scilicet Monachus, de quo ibi est sermo præsumitur non fuisse peritus chirurgiæ, non sufficit ad textus explicationem; quia si casus de quo in textu illo est sermo fuisset præcisæ necessitatis, non fuisset damnandus, vt culpabilis ille Monachus, sed veritas est; quod ille non erat casus necessitatis præcisæ; & ideo merito ille Monachus fuit culpabilis iudicatus etiam si causa pietatis apostema mulieris incidarit. *Iunoc. vero ad cap. Tua nos, de homicid.* arbitratur securius esse relinquere infirmum in manu Dei, quam medicinæ de qua dubitatur quocumque modo, an sit profutura. *Et* addit num.3. quod medicus potius debet relinquere infirmum, sine incisione, quam iubere incisionem per eum faciendam de quo dubitatur, an sciat incidere. Sed hæc doctrina non placet *Syluest. v. medicus. q.4.* Et in casu necessitatis, vbi constat de necessitate incisionis, & ex consequenti certa est mors, quæ potest vitari. si contingat dari bonam, seu sufficientem incisionem, cur non erit omni meliori modo tentanda incisio, sine qua mors est certa, & cum qua vita potest sperari? In bisergo casibus hoc spectandum, vt eligetur id quod omnibus pensatis est minus malum, cum omne malum non potest vitari.

263 Difficultas vero est, an huiusmodi prohibitio afficiat omnes Clericos, & omnes Religiosos. De Clericis enim, & Religiosis in sacris constitutis res est certa ex *cap. sententiam. Ne Clerici, vel Monachi*, ibi. Nec *vllam chirurgiæ artem, Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem, vel incisionem inducit.* Et Monachus de quo est sermo *in cap. Tua nos, de homicid.* erat Sacerdos. Quo stante quidam existimant, quod huiusmodi artis exercitium sit prohibitum etiam Clericis sufficiēs beneficium habentibus, non vero alijs in minoribus constitutis. Quod vero prohibitio extendi debeat ad Clericos sufficiens beneficium habentes affirmant ex eo, quod quæ in iure interdicta sunt Clericis in sacris constitutis censentur etiam prohibita habentibus sufficiens beneficium. *Panorm. cap. sententiam. num. 21. Syluest. v. Medicus, q.2. Angelus num. 11. Tabien. q.3. Armilla num.4. Nauar. c.25. num. 110. Couar. in Clem. si furiosus par. 2. §.4. num.3. Sanchez l.6. sum. c.14. num. 15. Palaus tract. 16. disp. 4. p.13. §.2. num.4.* quem sequitur *Anton. à Spir. sancto tract. 3. disp. 6. nu. 1554. Barbosa ad d. cap. sententiam. num.3. Belles. tit. de discipl. Cleric. §.3. num.7.* Sed contra quod Clerici in minoribus constituti etiam si beneficium obtineant possint artē Chirurgiæ exercere, etiam cum adustione, & incisione, si sint in arte periti dixerunt *Bonac. disp. 7. de cens. q.4. p.5. nu.4. post Molin. de iust. disp. 75. num.2. Antonel. d. l.6. cap.7. num. 81. Diana p.4. tract. 2. resol. 23. in fine. Banny & Machado*, quos refert, & sequitur *Leander tract. 11. disp. 9. q.2.* At nihilominus, quod nullis Clericis liceat chirurgia cum incisione, & adustione videtur voluisse *Armilla v. irregularitas num. 47.* De Religiosis autem quidem absolute dicunt chirurgiam esse illis prohibitam. *Sanchez vbi sup. Anton. à Spir. sancto d. disp. 6. num. 1551. Palaus d. num.1.* Sed quod talibus constitutis in sacris sit prohibita dixerunt *Molin. d. disp. 75. num.2. Leander vbi sup. q.4.*

263 Mihi videtur distinguendum inter generalem prohibitionem, & specialem. Nam spectatis legibus in vniuersum prohibentibus Clericis, & Religiosis negotia secularia, quia non potest negari, quod mederi corporeis morbis, non sit, quid temporale, & ad rempublicam naturalem, aut ciuilem, & mundanam pertinens, & ex consequenti, quod non sit vnum ex negotijs secularibus; ideo dicendum est, quod ex communi lege prohibente negotia secularia, prohibitum est Clericis omnibus etiam non beneficiatis, & sola tonsura insignitis, & Religiosis omnibus etiam laicis exercere artem chirurgiæ nedum cum incisione, & adustione, sed etiam sine illis. Verum quia iuxta D. Th. in artic. & communem sententiam negotia secularia licita sunt Clericis, & Religiosis de licentia superiorum si fiant ex pietate, & charitate, aut necessitate, non vero si fiant ex cupiditate, Ideo spectata sola lege naturali prohibente negotia secularia, non est interdictum Clericis, aut Religiosis etiam in sacris constitutis, etiam sacerdotibus exercere artem chirurgiæ etiam cum incisione, & adustione, si fiat ex pietate, aut charitate, immo ex quocumque motiuo honesto, & pensatis pensandis imperabili à charitate, per exclusionem cupiditatis malæ.

264 An vero sit idem agere ex pietate, & agere gratis, ideoque idem sit mederi ex pietate, & mederi gratis. & propterea, non liceat Clerico vel Religioso mederi nisi gratis; existimo illa duo in foro conscientiæ, & coram Deo longe esse diuersa. Nam certe sacerdos celebrat ex Religione & pietate in Deum, licet non celebret, sine stipendio sustentationis, immo licet, non esset celebraturus si tale stipendium, non reciperet. Nam & ex charitate, & pietate imperari possunt emptio, & venditio, & actus artis cuiuscumque licitæ, & honestæ, & quicumque contractus onerosus licitus, & honestus; vnde non est idem operari ex charitate, & pietate, & operari gratis. Sic & qui ædificat, vt pauperes plures operarios sustentet, agit ex charitate, & tamen non donat, sed ex contracto oneroso pauperibus laborantibus pro labore mercedē tribuit. Charitas igitur, & pietas per se excludunt cupiditatem, & auaritiam; Et ideo Clericis maxime, & Religiosis, multo magis illicitum est mederi ex auaritia, & habendo lucrum, vt lucrum pro fine principali. Alias vero ex communi lege prohibente negotia secularia non tenetur Clericus, vel Religiosua mederi gratis, si vult mederi, & medetur. Sed in his tenetur vitare cupiditatem omnem & auaritiam & scandalum, semper attendendo, quod Religiosos in his decet summa liberalitas,

ralitas, & *misericordia*, vt sint perfecti sicuti perfectus est Deus, qui cum summa liberalitate suas dispensat. Et quod pro pretio exercere artem medicinæ habet nonnullam speciem mali tanquam, quid deseruiens cupiditati, vnde minus decet Clericos, & multo minus Religiosos.

265 Sed loquendo de prohibitione speciali, per quã in specie sit prohibita Chirurgia, dicitur quod hæc non est prohibita, nisi habeatur cum incisione, aut adustione, & solis Clericis, & Religiosis in sacris constitutis est interdicta. Nam in *cap. sententiam*. Ne Clerici, vel Monachi expresse chirurgia solis Subdiaconibus, Diaconibus, & Sacerdotibus prohibetur. In *cap. vero Tua nos, de homicid.* est sermo de Monacho, qui erat Sacerdos, Et propterea Pontifex ad culpam illi adscripsit, quod officiũ Chirurgi vsurpauerit. Alias vero non est in Iure fundatum principium illud, quod quæ prohibita sunt Clericis ordinatis in sacris, censeri debeant prohibita inferioribus Clericis beneficiaris; nullum enim ius affertur in quo hoc decernatur, alias vero maximum discrimen est inter ordinem sacrum, & beneficium, & aliquod bene potest requirere ordo sacer, quod non petat beneficium collatum Clerico, vnde non valet hoc est prohibitum ordinatis in sacris, ergo est prohibitum beneficiatis. Et cum iura expresse chirurgiam cum incisione, & adustione prohibeant solum ordinatis in sacris, hæc prohibitio non debet extendi ad beneficiatos in sacris non ordinatis. Ordinatis vero in sacris, sic huiusmodi chirurgia est prohibita, vt nec liceat eis eam exercere, etiam ex pietate, etiam de Episcopi, aut Superiorum Regularium licentia respectiue, quia per sacros Canones hoc est illis prohibitum.

266 An vero ordinati in sacris si huiusmodi chirurgiam exerceant, sint irregulares. Hoc vnum est certum. quod si mors sequitur ex culpa talis Clerici ille remanet irregularis, vt si non peritus in arte, & extra casum necessitatis se periculo peccati, & infirmum periculo mortis exposuit, vnde de facto ex incisione mors sequuta fuit, vel si negligenter incidit, vel si ex culpabili negligentia non admonuit infirmum à quibus cauere deberet, vel ex quacumque causa mors sequuta fuerit ex talis Clerici culpa. Sed si ordinatus in sacris sic peritus in arte, & exactissimam diligentiam adhibeat, & admoneat infirmum à quibus cauere debeat, ita quod sit certum, quod mors sequuta fuerit non ex medentis culpa, sed vel ex morbi qualitate, vel ex infirmi negligentia, & incuria, aliqui adhuc sustinent talem non esse irregularem, quoniam huiusmodi irregularitas non incurritur, nisi ex culpa homicidij, vel mutilationis membrorum, quæ culpa hic non interuenit. Et quia in *d. cap. Tua nos, de homicid.* Monachus Sacerdos, de quo ibi est sermo iudicatur non fuisse irregularis, si mors illius mulieris sequuta fuit, sine eius culpa. Ita sentiunt *Coninch. de sacram. disp. 18. dub. 9. num. 83. Sotus l. 5. de iust. q. 1. a. 9. circa fin. Gibalin. cap. 4. de irregul. q. 2. numer. 8 & consec 1. & consec. 11. Gaspar Hurtado disput. 3. diff. 8. num. 28. & diff. 11. num. 43. Præpos. in 3. p q. 5. de irregul. dub. 10.* Et probabile putant *Diana par. 4. tract. 3. resolut. 23. Leander tract. 11. disput. 9. quæst. 9.*

267 Verum ex *c. Tua nos*, de homicidio oppositum cum communi sententia est dicendum; Nam ibi monachus ille sacerdos etiam in casu, quod ex causa pietatis ipse peritus in arte diligentiam necessariam adhibuisset, & mulier ex eo, quod nõ obseruauerat monita illius monachi Chirurgi obijsset, adhuc iudicatus fuit irregularis. Hæc enim sunt verba Innoc. III. in eo textu. *Si tamen causa pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, omnemque studuit, quam debuit diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium eius accidit, adeo reprobandus, quod non post satisfactionem condignam, cum eo misericorditer agi possit, vt diuina valeat celebrare, alioquin interdicenda est ei sacerdotalis ordinis executio de rigore.* Consideratis enim bene his verbis constat Innocentium habuisse dictum monachum pro irregulari. Ponderanda enim est primo illa dictio *adeo*, ibi *non est adeo reprobandus*. Dictio enim illa declaratiua est, & significat idem ac si diceretur, non est intantum, & in eo rigore reprobandus; vnde consignificat illum esse reprobandum, sed non in eo rigore, vt post condignam satisfactionem cum eo non dispensetur, vt diuina valeat celebrare. Nam & hunc sensum habet clausula illa, *quod non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit*. Sic enim iudicatur culpabilis, & vere irregularis, sed non adeo, vt sit indignus misericordia, si condigne satisfecerit. Eundem sensum habent illa clausula, quæ sequitur, scilicet, *alioquin interdicenda est ei sacerdotalis Ordinis executio de rigore*. Non enim dicitur absolute, quod alioquin sit habendus vt irregularis, sed quod habendus est talis de rigore tali, vt cum eo non dispensetur, sed de rigore cum eo agatur interdicendo illi executionem sacerdotalis Ordinis. Manifeste igitur constat, quod Innoc. III. habuit præfatum monachum pro irregulari etiam in casu, in quo mors sequuta fuisset sine eius culpa, & ex culpa mulieris, in hoc solum distinguens, quod casus mortis inculpabiliter sequutæ, sit dignus misericordia, & dispensatione. Et ita textum illum in hoc sensu intellexerunt summator illius textus, & ibi *Panorm. num. 2. Innoc. num. 1.* (licet etiam in alium sensum textum intelligat) *Barbosa num. 7. Reuerendiss. Fagnanus. num. 1.* & reliqui Canonistæ communiter. *Nauar. cap. 27. num. 238. Couar. in Clem. si furiosus 2. p. §. 4. num. 3. & 10. Molina t. 4. tr. 3. disp. 75. nu. 3. Suarez de Censur. disp. 45. sec. 4. num. 10. Fillinc. tr. 20. c. 4. num. 74. Sayrus l. 7. cap. 5. num. 13. Layman. tr. 3. p. 3. cap. 10. num. 3. Bonac. de cens. disp. 7. q. 4. p. 7. nu. 6. & 9. & p. 5. num. 4. Turrian. de cens. disp. 64. num. 1. Palaus de cens. disp. 6. p. 15. §. 4. num. 8. Diana p. 4. tr. 3. resol. 23. Reginal. l. 30. num. 14.* quod & probabilius putat *Leander d. quæst. 9. Bassens v. irregularitas n. 7. Bellet. d. §. 31. num. 6.*

268 Hoc tamen nonulli explicant, & limitant in aliquibus casibus. Nam si sacerdos, non incidat, aut adurat, sed applicet emplastrum mollificatiuum, quo apostema se se aperit, si mors inde sequatur sine culpa sacerdotis, ille non est irregularis quia non exercuit medicinam cum incisione, aut adustione, quia ipse non scidit. *Molina num. 4. Bonac. d. p. 5, num. 5.* & apud eum *Rodriq. p. 1. c. 77. Diana d. resol. 23. Gibal. c. 4. quæst. conf. 11. Leander quæst. 13.*

269 Item si Sacerdos consulat, vel mandet incidi infirmum per medicum peritum, vnde non est

incul-

in culpa, si mors sequatur, non fit irregularis; quia huiusmodi pœna, non extenditur ad mandantes, & consulentes, *Molina, Bonac. Diana Giball. & Leand. citati.*

270 Item si sacerdos solam incidat venam infirmi, vt emittatur sanguis *Molina, & Rodriquez apud Bonac.* dixerunt non esse irregularem ea eo, quod incisio venæ, non sit operatio Chirurgi, sed barbitonsoris. Quod & tenuerunt *Giball. d. cap. 4. q. 2. cons. 11. & Leander q. 13.* Sed ea *Auila p. 7. disp. 6. sec. 1.* bene hoc reijcit *Bonac.* quia venā incidere maxime propriū est chirurgi quamuis, quia est actus, non multum difficilis, & vsitatus permittatur tonsoribus, vt ministris Chirurgiæ. Diana vero vtramque opinionem putat esse æque probabilem.

271 Item si sacerdos solum adiuuet Chirurgū ad incidendum, vel vrendum, & aliunde non sit causa mortis, ea eo solo non est irregularis sequuta morte, quod adiuuerit Chirurgum alias incidentem secundum artem, & inculpabiliter operantem. Cum enim tunc Chirurgus ipse incidens secundū artem non fiat irregularis sequuta morte, minus erit irregularis, qui illum solum adiuuat. Nec in iure est lex, vel indicens irregularitatem contra ordinatum in sacris, si adiuuet Chirurgum ad incidendū, vel id prohibens specialiter. Nec est eadem ratio de Iudice, vel de eo qui cooperatur iustæ sententiæ in causa mortis, & de adiuuante Chirurgum ad incidendum. Tum quia de illis statutum est, quod fiant irregulares. Tum quia & iudex, & cooperator ad executionem iustæ sententiæ in causa mortis respiciunt vindictam & malum rei intendunt licet sub ratione iustitiæ, quod non est conforme mansuetudini Christi, & habet quandam speciem, & similitudinem crudelitatis; & ideo Ecclesia voluit, quod huiusmodi essent irregulares. Sed Chirurgus sanitatem infirmi intendit, & curare infirmorum etiam incidendo est opus misericordiæ, & charitatis, ideo merito Ecclesia non imposuit irregularitatem Chirurgis secundum regulas artis inculpabiliter incidentibus, & illos adiuuantibus. *Nauar. cap. 27. numer. 218. Auila p. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 10. concl. 2. Molina d. disp. 75. num. 1. Couar. in Clem. si furiosus 2. p. §. 4. num. 6. Sayr. l. 7. cap. 18. num. 27. & 28. Bonac. de cens. disp. 7. q. 4. p. 5. num. 6. Giballinus cap. 4. quæst. 2. consec. 11. Suarez disp. 47. sec. 7. nu. 2. Leander tr. 21. disp. 9. q. 16. Bassaus v. irregularitas num. 9.*

272 Item si sacerdos Chirurgus agat secundū artem, & sit diligens, & ita quod licet sequatur mors, constat illam non fuisse causatam ex incisione, aut vstione, non est irregularis secundum *Sayrum l. 7. c. 6. num. 9. Bonacinam disp. 7. q. 4. p. 5. num. 5. in fin. & Molinam, & Auilam* apud eum, Sed contrarium docet *Suarez disp. 47. sec. 7. num. 4.* Et bene Suarez loquitur. Tres enim casus hic distingui debent. Primus si ex incisione, & culpa medici sequitur mors. Et in hoc casu certum est medicum etiam laicum esse irregularem. Secundus si ex incisione mors sequitur, non tamen ex culpa medici, sed aliunde, vt ex eo, quod infirmus noluit stare monitis medici. Et hic est casus. *cap. Tua nos.* Et in hoc casu medicus laicus, non est irregularis, sed bene irregularis est clericus in sacris. Et in hoc casu loquitur Suarez. 3. casus est, si adustio, vel incisio nulla fuit causa mortis, quæ etiam incisione non posita nihilominus sequuta fuisset. Et in hoc casu vera est prior opinio; quia consideranda est incisio ac si facta non fuisset, quia etiam si facta non fuisset, mors eodem modo fuisset sequuta, cum eius nullo modo causa fuerit incisio. Sed in hoc casu idem dicendum esset si incisio non fuisset facta secundum artem.

273 Itē in casu veræ, & præcisæ necessitatis sacerdos Chirurgus si secundum artem, aut inculpabiliter operatur faciendo quod potest, etiam morte sequuta, non est irregularis nisi mors fuerit sequuta ex eius culpa, quia non est prohibitus mederi in casu necessitatis, sed immo in eo euentu ius naturæ vrget præualens iuri positiuo. *Molin. d. disp. 75. num. 3. Sayrus d. num. 9. Auila loc. cit. Bonac. d. p. 5. num. 4. vers. Addo. Barbos. in d. cap. Tua nos. n. 3. Diana p. 4. tract. 2. res. 23. Palaus de cens. disp. 6. p. 15. §. 4. num. 8. Giball. cap. 4. q. 2. cons. 11. Leander. tract. 13. disp. 9. q. 10.*

274 Sed quid dicendum, si ordinatus in sacris intuitu sanitatis infirmi secundum regulas artis incidat aliquod membrum illius, illumque mutilet? Erit ne irregularis, si mors non sequatur. Responderunt hunc non esse irregularem ex delicto, quia vt supponitur mors non est sequuta. Sed neque est irregularis ex defectu lenitatis, quia hoc genus irregularitatis, non est in iure illatum contra incidentes, & mutilantes ea causa sanitatis ferendæ ægrotis. Ideo in dicto casu nulla incurritur irregularitas. *Bonac. d. p. 5. num. 5. fin. Giball. cap. 4. consec. 11. Diana p. 4. tract. 2. resol. 23. fin. Leander q. 15.*

275 His vero sic explicatis de Chirurgia cum incisione, & adustione, remanet quæstio de alia Medicina, seu etiam Chirurgia citra incisionem, & adustionem. Est vero certum hanc artem ex lege generali prohibentem negotia secularia esse prohibitam; sed tamen hæc prohibitio non tollit, quin ea causa pietatis liceat præfatam artem, exercere. Quamuis in Religiosis ad id licite agendum, sit necessaria licentia superioris.

276 Et nihilominus etiam ex lege speciali hanc artem esse Clericis & Religiosis interdictam, si tamen habeant sufficiens beneficium voluerunt *Syluest. v. Medicus q. 2. Armilla n. 4. Tabien. q. 3. Rosell. fin. Angelus num 11. Nauar. cap. 25. numer. 110. Panorm. in cap. sententiam. Ne Clerici, vel Monachi, Sanchez l. 6. sum. cap. 14. n. 18. Palaus tract. 16. disp. 4. p. 13. §. 2. num. 2. Redoan. q. 2. de spol. num. 93. Antonell. de Reg. Eccl. Epis. l. 6. cap. 7. num. 10.* Qui tamen admittunt, quod causa pietatis id possit fieri, cum miserabilibus personis, & consanguineis extra tamen periculum mortis subsequendæ. Vnde dicunt non posse exerceri pro pretio, quia quando pretio accepto id munus obitur, non dicitur causa pietatis obiri. *Rosell. Ang. Syluest. Armilla, Tabien. Sanchez, Redoan, Palaus &c.* Fundatur vero hæc sententia primo in eo, quod Religiosis, & Clericis sit prohibitum studium medicinæ, *cap. final. Ne Clerici, vel Monachi.* ita *Panorm.* citatus; sed hanc rationem soluunt *Sanchez*, & alij ea citatis, quia non valet consequentia. Nam pariter eisdem prohibitum est studium legum, cum tamen non sit illis interdictum legum exercitium, & possint ex legibus tam verbo, quam scripto consulere, Tum quia etiam si finis illius legis esset, quod Clerici non exercerent medicinam, tamen finis legis non cadit sub lege. Tum quia finis illius legis fuit ne villesceret

tet studium Theologiæ: Tum quia si ratio valeret dicendum esset, quod Clerici, & Religiosi medendo incurrerent excommunicationem, quam incurrunt, qui in Vniuersitatibus student medicinæ; quod quidem nullus affirmat. Ideo *Sanchez ex Nauar.* alia vtitur ratione, quia nimirum ars medicinæ sit negotium seculare. Sed hoc dato, DD. isti non loquuntur consequenter. Nam prætermisso, quod iam non ex ratione speciali, sed solum in genere medeti probatur prohibitum, male ab ea sententia excluduntur Clerici non beneficiati. Nam nec Clericis non beneficiatis licet se immiscere negotijs secularibus, quandiu viuunt sub clericatu, seu in statu Clericatus.

277 Dicendum propterea est, quod ex iure communi prohibente negotia secularia, nullis Clericis licet exercere medicinam etiam sine incisione, & adustione, nisi causa pietatis, idest nisi ex causa necessitatis, vel misericordiæ, vel charitatis, vel cuiuscumque finis honesti; quia vt habet D. Tho. in artic. ex communi lege prohibente negotia secularia, Clerici sunt interdicti illa agere ex cupiditate, non vero ex charitate. Cæterum nulla est lex specialis ex qua Clerici, vel Religiosi prohibeantur exercere medicinam sine incisione, & adustione, immo ex *cap. Ad aures. De ætate, & qual.* probatur hoc licere, quia ibi Canonico, qui artem medicinæ exercuerat pluries, non prohibetur ascensus ad maiores ordines, & sacros, si conscientia illum non arguet nimirum nisi exercendo artem culpabiliter fuerit alicui causa mortis. Et propterea quod non sit illicitum Clericis, & Religiosis exercere artem medicinæ dixerunt. *Card. in d. cap. Ad aures, num. 2. Hostien. in cap. significasti, el 2. de homic. Felin. in cap. Tua nos. de homicid.* vbi testatur de praxi *Rom. Couarr. in Clem. si furiosus. 2. p. §. 4. num. 3. de homic. Mol. tract. 3. disp. 75. num. vlt. Suarez de cens. d. 47. sec. 7. num. 4. Auila p. 7. disp. 6. sec. 1. dub. 10. Giball. cap. 4. q. 2. conf. 11. Sayrus l. 7. cap. 9. num. 1. Bonac. disput. 7. de cens. q. 4. par. 5. num. 4. Diana p. 4. tract. 2. resol. 23. Bassaus v. Irregular. num. 10. Leand. tract. 11. disp. 9. q. 6. & ex Gaspar. Tristan. de Clerico medico. Paulus Zachias in quæst. Medico legal. l. 6. tit. 3. q. 4. n. 23.*

278 Ideo hoc ampliatur, vt sit verum etiam de medicina, quæ fiat incidendo, & vrendo. Quia hoc solis Clericis in sacris fuit prohibitum in *cap. sententiam. Ne Clerici, vel Monachi*, vt supra est dictum. Vnde & Clericis in minoribus, & Religiosis, tam in minoribus Clericis, quam laicis non est specialiter interdicta.

279 Vnde consequenter dicitur, quod si contingat mors infirmi cui & medicina data à Clerico, vel Religioso non ordinato in sacris, vt videatur, an sit irregularis seruanda est regula data à *Clem. 3. in d. cap. Ad aures, de ætat. & qual.* Vt scilicet videatur, an Clericus sit in culpa, quia vel non erat peritus in arte, vel negligenter se habuit, vel quocumque modo culpabiliter defecit, vel non est in culpa, quia erat peritus in arte, & necessariam diligentiam adhibuit vsus regulis artis. Nam vbi non sit in culpa, non est irregularis. Nec habet hic locum regula illa, quod sit irregularis, qui dat operam rei illicitæ, si inde etiam inculpabiliter sequatur mors. Quia exercere hanc artem non est prohibitum huiusmodi Clericis, aut Religiosis, prohibitio vero illa in genere negotij secularis non sufficit ad inducendam irregularitatem, cum non sit data ratione periculi, seu ad hoc, vt Clericus periculum mortis causandæ euitet. Et ideo quod huiusmodi Clerici, aut Religiosi, si sint in arte periti, & secundum regulas artis inculpabiliter medeantur, sequuta morte infirmi, non sint irregulares, dixerunt DD. citati. Quod esse verum etiam si tales vsi fuerint incisione, & adustione expresse dixerunt *Molina, & Bonac.* loco citati, & *Leander q. 4.*

280 Societati autem priuilegium concessit Gregor. XIII. vt quilibet Religiosus eius Ordinis medicinæ peritus de licentia sui superioris, & citra adustionem, & incisionem per eum faciendam possit, quando medici seculares commode non habentur, medicinam quibuscumque infirmis adhibere. Huius priuilegij mentionem habent Sanchez, & Palaus locis citatis, & fuit concessum à Gregor. XIII. in Constit. quæ incipit *Vnigeniti Dei filij*, & habetur in Bull. Societatis pag. 148.

SVMMARIVM.

1 *Venatio de se non est mala. nu. 281.*
2 *Prohibita Clericis. nu. 281.*
3 *Venatio oppressiua iniusta. nu. 282.*
4 *Venatio adulatoria mala. nu. 283.*
5 *Arenaria venatio illicita, nisi sit necessaria, aut secura. nu. 284.*
6 *Locans operas ad pugnandum cum feris est infamis. nu. 284.*
7 *Agitatio taurorum prohibita, & quando. n. 285.*
8 *Agitatio taurorum illicita si non excluditur mortis periculum. nu. 286.*
9 *Priuatio sepulturæ quando locum habeat in agitatione taurorum. n. 287.*
10 *Regulares interessentes agitationi taurorum qualiter excommunicandi. nu. 288.*
11 *Venatio sultuosa. nu. 289.*
12 *Venatio licita Clericis ex causa necessitatis, vtilitatis, & honestæ recreationis, non vero ex causa voluptatis. nu. 290.*
13 *Venatio an sit illicita in die ieiunij, & in die festo. nu. 291.*
14 *An & quomodo sit opus seruile. n. 291.*
15 *Venatio clamorosa, & ex canibus proprijs illicita Clericis. nu. 292.*
16 *Venatio illicita Clericis ratione personæ. n. 293.*
17 *Illicitum Clericis alere canes ad venandum. numer. 293.*
18 *Honesta venatio competit etiam Episcopis. numer. 294.*
19 *Venatio prohibita etiam Clericis in minoribus constitutis. nu. 295.*
20 *Venatio interdicta Regularibus. nu. 296.*
21 *Pœna suspensionis lata in venatores requirit trinam monitionem. nu. 297.*
20 *Clerici in minoribus arbitraria puniendi. numer. 297.*
23 *Pœna lata in Monachos Nigros venatores. numer. 298.*
24 *Non habet locum in alijs Regularibus. n. 298.*
25 *Qui tamen arbitrarie puniendi sunt. nu. 298.*
26 *Frequens venatio Clericis illicita. num. 299.*
27 *Venatio est peccatum mortale per accidens. num. 299.*
28 *Clericus honeste venando non peccat. nu. 299.*

29 *Vnde venationi culpa sit annexa. nu.299.*
30 *Clericus quod venatione acquirit facit suum. numer.300.*
31 *In dubio quando præsumitur venator honestus, num.300.*
32 *Venari per alium non est prohibitum. n.300.*
33 *Interesse venationi aliorum non est prohibitum. num.300.*
34 *Piscatio non est prohibita. nu.301.*
35 *Piscatio ad vendendum non est negotiatio. numer. 302.*
36 *Resolutio dictorum. num.303.*

Venatio.

281 VEnatio est exercitiũ ad capienda terrestria animalia sicut aucupium ad capiendas Cœli aues, & piscatio ad capiendos pisces. Licet vero huiusmodi de se non sint illicita, quia ex ordinatione diuina animalia sunt propter hominem, vnde ipse iuste vtitur illis ad sui sustentationem, vt probat *D.Thom.supra q.64.a.1.* negari tamen, non potest, quod non sit, quid temporale, & mundanum, & inter secularia negotia numerandum. Et propterea venatio prohibita fuit Clericis per Nicolaum Papam, *cap.1.dist.34.& per S.August. in Ps.102. cap. Qui venatoribus, & sequent. dist.86. & in Ps.147. cap. vident.ead. dist.& per S.Hieron. in Ps.90.cap.Esau.ead.dist.& per S.Ambros.epist.33.cap. Quid prodest. & cap.An putatis.ibid. & in Decretalibus cap.1.& 2.de Cler.venat.& Concil. Trid.sess.24. cap.12.de reformat.*

282 Sed ad huius explicationem antiqui DD. vt videre est apud *Glossam in cap. primum de Cler. Venat.& Panorm.ibid.& Gloss.in cap.Qui venatorib. dist.86.* & apud *Turrecrematam ibid.* distinxerunt venationem in oppressiuam, adulatoriam, arenariam, & talsuosam. Oppressiua venatio dicitur, quæ fit ad homines capiendos, & opprimendos, qualem exerceat Piratæ homines in captiuitatem rapientes, & eorum bona diripientes. Talem venatorem fuisse Nembrot de quo dicitur Gen.10. quod incœpit esse robustus venator coram Domino, idest hominum oppressor, tradunt communiter expositores illius loci, & aduertit *Gratian. dist.6. §.* His itaque, & huiusmodi venatio extra casum iusti belli habita est sine dubio illicita, quia iniusta.

283 Venatio adulatoria est, quæ fit per verba adulatoria ad capiendos animos hominum, eosque veluti retibus implicandos, & compedibus detinendos, & hæc quoque vitium est, vt patet ex *D.Thom.supra quæst.225. & ex S.Greg ibid.18.mor. cap.3. ad cap.27.* Iob, prout habetur *cap. sunt nonnulli dist.6.*

284 Arenaria vero venatio fit per eos, qui in arena luctantur, cum bestijs dentatis, aut cornutis. Hæc vero venatio illicita est, quia prohibita, sed diuersimode. Nam primo ij, qui locant operas suas ad pugnandum cum bestijs in arena sunt infames. *l.1.§. item senatus ff. de postuland.* Sed ij, qui ostendendæ virtutis gratia in arenam descendunt pugnaturi cum bestijs, licet non sint infames, pro quanto tamen se exponunt discrimini vitæ illicite agunt. Ex Guidone vero Carmelita aduertit Turrecremata, quod huiusmodi venatio illicita non est, si fiat ex necessitate, nam si quis per vim, sit traditus bestijs, vel etiam, si sit damnatus ad bestias, putant Guido, & Turrecrem. quod sic damnatus possit se defendere, & quod tunc non peccet, quia non gratis, sed coactus pugnat, vt suam vitam tueatur. Et certe quidquid sit modo de hoc, an iuste damnatus mortem per bestias illi inferendam, & ideo traditus bestijs possit se defendere, quod iustum, non credo, nec in hoc sensu loqui Guidonem puto, sed si quis iniuste sit ad bestias damnatus, vel si sit damnatus, non ad mortem, sed ad pugnandum cum bestijs, vel ex quacumque alia causa hæc pugna, sit illi necessaria, non peccat pugnando, quia tunc ius habet defendendi vitam suam. Sed gratis pugnare, cum bestijs pro quanto, hoc sit cum periculo vitæ est illicitum, & iniustum. Maxime vero est illicitum Clericis, & Religiosis.

285 Et circa huiusmodi concertationes cum bestijs adest Constit.48. Pij Quinti in qua militibus cæterisque omnibus, ne cum tauris, cæterisque bestijs tam pedestres, quam equestres congredi audeant interdicit, & ibidem mortuos priuat Ecclesiastica sepultura, Clericis tam Secularibus, quam Regularibus beneficia Ecclesiastica obtinentibus, vel in sacris Ordinibus constitutis sub pena excommunicationis prohibet, ne huiusmodi spectaculis intersint. Et quamuis Gregor.XIII. in quibusdam literis suis editis die 25. Aug.1575. præfatæ Constitut. Pij Quinti pœnas pro regnis Hispaniarum, quantum ad laicos, & fratres milites non ordinatos in sacris sustulerit, duas tamen adhibuit conditiones, vt scilicet agitationes taurorum non fiant festis diebus, & quod per eos ad quos pertinet, prouideatur quantum fieri potest, vt mors alicuius sequi non possit. Et Clem.VIII. die 13. Ianuarij 1596. pro eisdem Regnis Hispaniarum dumtaxat, easdem penas sustulit quoad omnes in d.Constitut. Pij Quinti expressos, exceptis Regularibus cuiuscumque instituti, sicque constitut. illam ad terminos iuris reduxit. De quarum Constitut. intellectu multa tradunt *Nauar.in manual.cap.15. numer.18.& seq. Petrus Nauar. de rest.l.2. c.3. num.20. Spin.in spec.testamen.gloss.2.a. num.27. Rodriq. in sum. p.2.cap.73.la.Garz.de expens.c.21.num.29.Gutier.l.1. cap.7. Cened. collec.13. num.3. Azor. p.3.l.2.cap.18. A Cunna ad cap.Presb.19.nu.4. dist.34. Marian.tract. de spectac.cap.23.n.25. Amescua de potest.in se ipsum l.2.c.11. Amaria l.3.abseruat.iuris cap.5.4.nu.69. Hier. Rodriq.resol.134 Barbosa ad cap.1.de tarneamtnt.n.3. Thesaur.de pœnis p.2.v.ludus cap.2. Scartia Theorem. 244. 245. 246. Barbosa de Paroch. p.p.c.6.n.26.*

288 Sed pro nunc tria mihi consideranda videntur. Primum quod agitationes bestiarum, seu taurorum huiusmodi merito reprobant *Gloss. in cap. Qui venatoribus dist.86.* & ibi *Turres. Gregor.Lopez in l.57.tit.5.p.1. Azeuedo l.4.tit.10.l.1.rec. Alcozer tit. de ludo c.53. speculum conscientiæ l.1. c.74. Syluest. v. Torneamenta & v.ludus §.8. D. Anton.2.p.tit.3.cap.7. §.11. Bernar. Diaz.in praxi q.66. Rodriq. tom.3. q.68. Nauar.cap.15.num.18. Scartia Theor.244.* Alij vero, sic congredi cum bestijs, sit peccatum mortale affirmant *Gloss. & Turrecrem.* speculum conscientiæ, & Diaz, & alij ob mortis periculum. Nam & Nauar. fatetur se cum esset adolescens vidisse tres viros in vno certamine à tauro discerptos. Sed pu-

to in

to in hoc, non posse esse controuersiam. Nam vbi sic res agitur, vt periculum excludatur, iuxta constitut. Gregor. XIII. & Clem. VIII. huiusmodi congressus mali, non sunt; quia ex hoc dicuntur mali, quia in illis homo se exponit periculo. Sed hoc opus, hic labor est, vt iuxta mentem illarum constitutionum excludatur vitæ periculum, quo non excluso vera est, sine dubio sententia Glossæ, & Turrecrematæ, & aliorum.

287 Secundo considerandum est, quod priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ lata fuit, etiam in *cap. 1. de torneamentis*. Verum cum agitatio taurorum, non sit proprie torneamentum, non debet, hæc pœna ex vi illius capitis extendi ad huiusmodi taurorum congressionem, seu agitationem. *Rodriq. tom. 3. q. 68. a. 2. Alcozar tr. de Ludo cap. 53.* quos refert; & sequitur *Scortia Theor.* 245. Quamobrem, cum hæc pœna prout fuit lata à Pio Quinto, sit sublata pro regnis Hispaniarum per Clem. VIII. sequitur, quod modo decedentes in eisdem regnis in huiusmodi agitatione, non sint priuandi Ecclesiastica sepultura ex *Hier. Rodriq. resol.* 534. *num.* 3. *Barbosa ad d. cap. primum de torneamen. num.* 7. Quæ tamen pœna vbi locum habet, se extendit etiam ad omnes decedentes in tali agitatione, etiamsi contriti, & confessi decedant, vt ex *Gutierez l. 1. cap. 7. num. 3.* tradit *Thesaurus p. 2. v. ludus cap. 2.* & sic explicatur in *cap. 1. de torneamentis*, in priuatione sepulturæ ibid. lata. Et pariter consimili pœna puniuntur morientes in duello ex *Concil. Trid. sess. 25. cap. 19 de reform. Barbosa ibid.* & apud eum *Carillo, & Reginald.*

288 Tertio considerandum, quod pœna excommunicationis lata in Constitut. Pij Quinti est sententiæ ferendæ, quæ pœna etiam in Regnis Hispaniarum, non est sublata quoad Regulares, vnde illi, si sint beneficiati, aut in sacris, non possunt talibus agitationibus interesse.

289 Quarta demum venatio dicitur saltuosa, quæ fit in saltibus, & syluis ad bestias capiendas. Et hæc est illa de qua in præsenti est sermo principalis, & de qua dictum est, quod ex natura rei, non est illicita, & tamen est Clericis prohibita, sed non semper. Vnde considerandum est, quod cum venatio possit esse illicita quatuor de causis iuxta Turrecremat. vbi supra, scilicet ratione causæ, ratione temporis, ratione modi, & ratione personæ.

290 Causæ venationis possunt esse necessitas, vtilitas, recreatio animi & voluptas, necessitas interuenit si alias non habeat aliquis vnde viuat, vel si redditus ad eius sustentationem ordinati consistunt in venatione animalium, aut aucupio, vel piscatione, sicuti de multis Ecclesijs in Gallia, & in Anglia aduertit *Panorm. in cap. 1. de Cler. venat.* quarum redditus in venatione consistunt. Necessitas etiam venationis est, si bestiæ greges, & fructus deuastent, vnde necesse sit illas dissipare, tollere, & occidere. Vtilitas vero est, quam ferunt animalium carnes ad victum, & pelles ad vestitum, & eorum partes ad medicamentum. Aliud quoque genus vtilitatis est, quod prouenit ex labore, & motu per quem calor excitatur, & dissipantur praui humores, & roborantur humana membra. Ex labore enim & exercitio crescit virilitas, hoc est corporis vigor. *Hipocr. de vers. aq. & loc. num.* 54. Nam vt idem *Hipoc. habet lib. 3. de diæt. num.* 54. labor siccat, & corpus robustum facit. Nam & secundum *Celsum lib. 1. suæ med. cap.* 1. labor firmat, & adolescentiam longam reddit. *Paulus Zach. in quæst. medico legal. lib. 9. consil.* 48. *nu.* 4. & 5. Has vero vtilitates, eo magis parit venatio, quo in ea motus, & labor delectationem non paruam comitem habet. Recreatio consistit in animi iucunditate, inde consequente, quod homo à curis anxijs, & lædentibus caput, & membra diuertens occupat se in eo exercitio, in quo simul valet ingenium, & corporis robur, & meditatio naturæ, & eius prouidentiæ, quæ maxime relucet in animalium sagacitate, & naturali quadam participatione prudentiæ, roboris, & fortitudinis ad propriam vitam tuendam, & seruandam libertatem. Voluptas autem potius in malum sumitur, & excessum in delectatione importat, & secundum Isidorum in Synonim. est cum quadam suauitate ad illicita inclinatio, & huius seculi voluptates iuxta doctrinam Christi Luc. 8. impediunt, ne qui audiunt verbum Dei referant fructum. Sic ergo si venatio consideretur ex causa, non est distinctio inter laicos & Ecclesiasticos, sed ex voluptate venatio semper est mala; nisi voluptas sumatur in bono sensu pro honesta recreatione, & honeste amata. Sed quantum, fit ex causa necessitatis, vtilitatis, & honestæ recreationis animi venatio etiam Clericis & Episcopis est licita. *Gloss. in cap. Qui venatoribus. d. 86. & ibi Turrecrem. num. 3. Gloss. in c. 1. De Cler. Venat.* & ibi *Panorm. num.* 1. qui tamen voluit, vt causa voluptatis venatio sit licita laicis; sed non bene, quia si voluptas sumitur in malum, sicut communiter accipitur hæc est etiam laicis illicita Sed si voluptas dicit delectationem honestam, nec Clericis est illicitum venari gratia honestæ voluptatis, eo tamen modo quo licitum sit agere propter delectationem. In asserto autem posito scilicet, quod non sit illicitum Clericis venari ex necessitate, vtilitate, & honesta recreatione conueniunt etiam *Innoc. Hostiens. in summa tit. de venat. Syluest. v. venatio. num. 1. Tabien. ibid. in princip. Card. de Lugo de iust. disp 6. num. 51. Bellet. tit. de discipl. regul. § 19. num. Barbos. ad cap. 1. de Cler. venat. num.* 2. & apud istos plures alij.

291 Secundo venatio potest esse illicita ex tempore. Eam enim esse illicitam tempore pœnitentiæ, vt tempore quadragesimæ, & ieiuniorum voluerunt *Gloss. in cap. Qui venatoribus dist. 86. & ibi Turrecr. nu. 3. Syluest. v. venatio. Hostien. in summa. tit. de Cler. venat. Bellet. d. § 19. num.* 7. Et probatur *cap. si nulla* 23. *q.* 8. & ex *cap. An putatis dist.* 86. Sed certe non adest lex positiua, quæ directè prohibeat venationem in tempore ieiuniorum, & in d. cap. si nulla, nec verbum est de ieiunio & venatione, sed de bello, & *cap. An putatis*, quod est sumptum ex S. Ambros. non continet legem, sed consilium, quia dies ieiunij sunt dies pœnitentiæ, & afflictionis, non vero recreationis, & ita venatio tunc fit tempore non conuenienti, quod totum respicit cõsilium non præceptum. *Faguad. de præc. Eccl. l. 1. c. 11. nu. 18. ex Suarez tom. 1. de Relig. l. 2 cap. 28. nu.* 4. Supplementum etiam apud Syluest. dixit à fortiori venationem prohibitam esse in die festo, sed hoc absolute dictum improbat Syluester, subdens eamdem esse rationem illius, & de alijs recreationibus, vt de ludo. Hoc vero certum esse debet, quod venati

nari tunc cum oportet eſſe in Eccleſia, & ſic vniuerſaliter ob venationem relinquere miſſam vbi eſt de præcepto, vel in Clerico relinquere diuinum officiũ, vel functiones parochiales, vel aſſiſtentiam Chori, vel quodcumque aliud officium quando eſt de præcepto illud exercere eſt illicitum, non ratione venationis, ſed quia venator omittit id, ad quod ex alio præcepto tenetur, & ſic per accidens in illis temporibus eſt peccatum venari. Ad quod etiam reſpexit D. Ambroſ. ex quo deſumptum fuit *capit. Non putans*, vnde ex hoc conſiderandum etiam eſſet, an lex ieiunij obliget venatorem, ſeu an liceat extra neceſſitatem ex recreatione venari, ſi ex hoc venator impeditur à ieiunij obſeruantia. Seu etiam an venatio ſi fiat ob lucrum, ſit opus ſeruile prohibitum haberi in die feſto. Sed nunc huic intentui ſufficit, quod venatio, non eſt illicita in hoc, vel illo tempore ex vi venationis, & niſi illa ſit impediens obſeruantiam alterius præcepti in eo tempore vrgentis, & exigentis eius obedientiam. Et quidẽ an venatio, aucupium, & piſcatio ſint opera ſeruilia prohibita in die feſto controuertũt valde DD. alijs volentibus eſſe talia, ſi fiant ob lucrum, alijs negantibus intentionem lucri efficere opus ſeruile, ſi alias non ſit tale ex ſui natura. Quod quidem verum eſt, & tradiderunt *Sotus l. 2. de inſt. q. 4. a. 4. Nauar. cap. 12. num. 6. 11. 12. & 14. Suarez tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 19. num. 7.* & alij plures, quos refert, & ſequitur *Fagundez lib. 1. cap. 10. num. 3.* Alijs negantibus, quod huiuſmodi, ſint ex genere eorum opera ſeruilia, & alijs id affirmantibus; quod & verum eſt, & id ſupponunt *Caiet. d. q. 122. a. 4. fin. & Sotus l. 2. de inſt. q. 4. a. 4.* & docent *Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 28. num. 3. & Fagundez lib. 1. capit. 11. num. 16.* Et nihilominus ex conſuetudine excuſantur nobiles, qui recreationis gratia venantur, aut piſcantur, alias vero venatio, & piſcatio in *cap. licet de ferijs*, ſupponitur opus ſeruile, & quod piſcatio in mari nunc neque ex conſuetudine liceat, dixit *Fagund. d. cap. 11. num. 18.* & de hoc loquitur, *d. cap. licet, de ferijs*. In quo cauſa neceſſitatis fuit permiſſa piſcatio in diebus dominicis, & alijs feſtis, præterquam in ſolemnioribus. In ijs igitur conſuetudo attendi debet, ex qua aliqua venatio, uel piſcatio, non eſt iam illicita in die feſto, quæ alias eſſet illicita. In quo etiam conſiderari debet paruitas materiæ, ex qua habetur, quod poſt auditum ſacrum à prandio ad paucas horas venari, vt ad duas, vel tres horas non cenſeatur peccatum mortale. *Suarez vbi ſup. num. 5. Fagundez. num. 17.* Sed & debet attendi diſtinctio inter Clericos, qui diuinis officijs ſunt deputati, & quæ eis non licet omittere, & laicos, qui in diebus feſtiuis ad ſolam miſſam audiendam ſub mortali ſunt obligati.

292 Tertio venatio poteſt eſſe illicita ex modo. Sic enim diſtinguitur venatio in clamoroſam, quæ fit cum magno numero canum, & multitudine hominum, & magnis clamoribus. Alia vero eſt quieta, quæ ſine ſtrepitu exercetur. Prima venatio extra caſum neceſſitatis eſt Clericis illicita. *Gloſſ. in cap. qui venatoribus, diſ. 86. & ibi Turrec. num. 3. Gloſſ. in cap. 1. de Cler. venat. & ibi Panorm. num. 2. Hoſtien. in ſum. eod. tit. Syluеſ. v. venatio*. Sed venatio quieta, & pacifica, non eſt Clericis illicita, ſi alias fiat ex honeſta cauſa. Et bene conſideranti *cap. 1. de Cler. venat.* apparebit, quod id, quod maxime diſplicet in Clericis eſt alere canes, & aues ad venandum, vnde illa venatio eſt ibidem interdicta, quæ fit ex multitudine canum, & animalium, quæ a Clericis ad hunc effectum ſuſtententur. Nam & huiuſmodi venatio, non fit ſine multitudine hominum habentium animalium curam, & adiuuantium ad capturam animalium, ideoque, nec fit ſine tumultu, & clamore. Ideoque non conuenit Clericis, qui tenentur ex bonis Eccleſiæ alere non canes, ſed pauperes, & quos decet honeſtas, & modeſtia. Sed & in eo cap. 1. venatio, non eſt prohibita, niſi fit ex voluptate. Vnde nec clamoroſa venatio eſt prohibita, ſi ſit ex neceſſitate, vel etiam ex honeſta recreatione. Quamuis illa, quæ fit ex proprijs canibus extra caſum neceſſitatis ſemper ſit illicita, non ratione venationis præciſe, ſed ratione nutritionis canum, quæ de ſe eſt prohibita.

293 Quarto nihilominus illicita eſt Clericis venatio ex ratione perſonæ. Et quamuis DD. citati aſſerant ſolam venationem clamoroſam, non vero quietam eſſe prohibitam Clericis; quod eſt verum quantum ſit ex modo venandi. Tamen conſiderandum eſt, quod Clerici bona Eccleſiaſtica, non poſſunt conſumere, niſi in honeſtam ſui ſuſtentationem, & vſus pios, vt cum *D. Thom. ſupra q. 185. a. 7. & præcipue a numer. 80. conſiderauit Turrecrem. ad d. cap. Qui venatoribus*. Cum vero venatio, non ſit vſus pius, non licet Clericis habere ſumptus ad alendos canes, & conficiendas retes, & inſtrumenta venatoria, niſi mere & pure inquantum venatio ad ſuſtentationem honeſtam Clerici ordinari poſſit, reducendo ad hoc etiam honeſtam animi recreationem, quæ etiam ſuſtentationi eſt neceſſaria. Cum igitur bona Clericorum, ſint pauperum, aut Eccleſiæ, & conſumi non poſſint niſi in vſus pios, ſine dubio omnis grauis exceſſus expenſarum pro venatione factarum eſt ſacrilegium, & peccatum valde graue, vnde Clerici & Religioſi bene videant, ne ſe coram Deo reos faciant, quod bona eius diſſipauerint, loco pauperum alendo canes venaticos, & equos, & famulos voluptatis gratia conductos.

294 An vero venatio, ſit eodem modo prohibita omnibus Clericis, viſum fuit aliquibus, ex *cap. 1. diſt. 34.* quod omnino ſit prohibita Epiſcopis. Sed conſideratur, quod Epiſcopus, de quo Nicolaus Papa ibi loquebatur, erat ſimul de inhoneſta familiaritate difamatus, & circa ſpiritualia deſes, & negligens, vt conſiderauit *Turrec. ad d. cap. Qui venatoribus, diſt. 86.* Vnde in venatione excedebat, quamobrem nec Epiſcopis omnino prohibita eſt venatio, ſed & illis competit nedum cauſa neceſſitatis, ſed etiam modeſtæ, & honeſtæ recreationis.

295 In cap. autem primo, de Clerico venatore, ſolũ Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus interdicta eſt venatio; vnde nulla eſt lex poſitiua quæ in ſpecie venationem prohibeat Clericis in minoribus conſtitutis. Nam & in cap. 1. diſt. 34. ſermo eſt de Epiſcopo. Cap. vero qui venatoribus, & alia ſequẽt. deſumpta ex Sancti Auguſt. Hieron. & Ambroſio conſilium continent. Immo cum ſancti illi DD. non loquantur de Clericis, ſed abſolutè reprehendant venationem, certum eſt, quod de ea loquuntur ratione adiunctæ al cuius circumſtantiæ malæ, ſiue hæc ſit, quia venatio proueniat ex voluptate, ſiue quia propter illam omittuntur ea, quæ ſunt de præce-

præcepto, siue ratione iniustitiæ propter damna, quæ venatores causant in prædijs aliorum. Nihilominus ratio communis omnibus Clericis est lex diuina prohibens consumi bona Ecclesiastica non in pios vsus, & quòd voluptates minus decent Clericos, & lex positiua interdicens eis negotia secularia. Ideo *Panorm.in cap.1.de Cler. venat.* nec venationem honestam permittit Clericis frequenter, quia non decet Clericos consumere tempus in his corporalibus oblectamentis, cum eorum officium sit venari, & piscari animas, non animalia. Et cum Clerici sint in sortem domini, & ad eius officia specialiter vocati, *cap.Cleros.21.dist. & cap.cum secundum de præbend.* non debent ijs ministerijs vacare, per quæ contingit eos vagari, & à diuinis officijs retrahi: quemadmodum contingere potest in venatione. *Bellet.d.§.19.num.1.*

296 Regularibus vero, vt talibus etiam minus conuenit venatio, cum huiusmodi non sit de ijs, quæ ducunt ad perfectionem. Et quamuis nec eis sit illicita ex necessitate, & vtilitate, immo nec etiam ex animi recreatione si sit quieta, priuata, modesta, & non frequens, tamen Religiosi est studere, orare, sacramenta, & verbum Dei administrare, operibus misericordiæ incumbere, non vero venationibus operam dare. In quo quiliber Religiosus etiam sui Ordinis leges seruare debet. Vniuersalis tamen lex Canonica non datur, quæ expresse, & in specie Religiosis prohibeat venationē. Nam *Clem.1.de stat. Monach.* pro Monachis Nigris fuit edita, & eos solos afficit. *Gloss. ibi in v. nigrorum. Panorm.num.1. Anton.de Spir.sancto tr.3. disp.6. num.1246. ex Bonac. disp.3.de cens.q.8.par.15. nu.3.* Quod tamen maxime dedecet Religiosos, est alere canes, & aues ad venandum. Nam hoc etiam minus conuenit, immo valde repugnat statui paupertatis. Non enim pauperum est ita abundare, vt etiam canes ad voluptatem nutriantur. Ideo venatio, quæ fiat ex canibus in monasterio nutritis, maxime est Religiosis interdicta, vt etiam collig. ex *d.Clem. §.porro.*

297 Pœna contra Clericos venatores non est eadem. Nam cap 1.de Clerico venatore. Episcopis imposita est suspensio bimestris à communione, Presbyteris suspensio trimestris, Diaconibus vero suspensio ab omni officio. Quamuis vero videatur minor pœna, quæ imponitur Episcopo, quam Presbytero, aut Diacono, non ita est, quia minor pœna fit maior maiori, si imponatur personæ in maiori dignitate constitutæ, & ita maior est suspensio bimestris à communione lata in Episcopum, quam suspensio ab omni officio duratura ad beneplacitum, quæ datur Diacono. *Gloss. in verb. officium. Panorm.in fin.* Hæc vero pœna non pro vno, vel altero actu venationis debetur, sed si huiusmodi Clerici sæpius in hac voluptate detineantur. Et requirit etiam monitionem, ad hoc, vt imponatur. *Menoch.cons.121.num.32. Bellet.tit. de discipl. Cleric. §.19.num.6. Barbosa ad d.cap.1.de Cler.venat.num.6.* Vbi & aduertit differentiam inter pœnam impositam Presbytero, & impositam Diacono; quia in illa, cum sit imposita ad determinatum tempus non potest Episcopus dispensare. Quamuis vero in iure contra Clericos venatores infra Diaconatus ordinem constitutos non sit expressa pœna, tamen Subdiaconos esse eadem pœna cum Diaconis puniendos ex *Diaz.d.cap.70.num.2.* dixit *Barbosa vbi sup. num.10.* quod tamen incertum est, nec est necessario asserendum, cum certum sit Subdiaconum esse inferiorem Diacono; in d. vero *cap.1.de Cler. venat.* solum Clericis in Diaconatu, & maioribus ordinibus constitutis pœna illa suspensionis imponatur. Alios vero Clericos in minoribus constitutos esse puniendos voluerunt Dom. & Anton. quos concordat Panorm. vt hoc verum sit, si Clerici non renunciauerint Clericatui, sed in Clericatu viuunt. Nam certe frequens venatio in quolibet Clerico est vitiosa, & fugienda, & punienda. *Bellet.d.§.19.num.6. Barbosa vbi sup. num.10.*

298 Contra Monachos nigros si sint venatores in *Clem. Ne in agro, §.si quis, de stat. Monach.* imposita est pœna suspensionis per biennium à collatione beneficiorum, vel respectiue ab administratione, vel etiam inhabilitatis per annum si venationi, aut aucupationi clamorosæ, aut alijs cum canibus, & auibus ex proposito interfuerint. Vbi ex Gloss. aduertendum quod si intersint venationi, quæ non fit cum canibus, & auibus, aut si non ex proposito, sed casu intersint, non datur locus censuræ præfatæ. Quæ etiam non afficit piscationem, & secundum *Panorm.ibid. num.14.* non prohibentur præfati Monachi habere canes ad custodiam domus. Nā quantum colligitur ex §. porro, nedum prohibentur interesse venationi, aut aucupationi, sed etiam alere canes venaticos per se, vel per alios, & etiam per familiares secum morantes. Et cum venatio in duobus casibus illis permittatur nimirum in proprijs saltibus, & syluis, aut alijs locis, vel etiam in alienis si monasterium habeat in illis ius venandi; tamen in his casibus duo prohibentur, scilicet alere intra monasterium, seu intra clausuram tenere canes venaticos, & personaliter interesse venationi. Quod Glossa adeo ampliat contra *Hostien.in cap.2. de Cler.venat.* vt nec ex necessitate liceat Religiosis illis etiam in proprijs prædijs personaliter venationibus interesse. Sed rationabiliorem puto sententiam Hostien. Quia vbi adest necessitas, deest vagatio, & prætextus voluptatis, & causa scandali. Pœna vero suspensionis, aut respectiue inhabilitatis lata in d.§.si quis, est latæ sententiæ ex significatione illius verbi *incurrant*, *Nauar.etiam com 4.q.9. numer.26. de Regular. & Albert.tom.2.disp.17.cap.1. col.4.* quos refert *Bonac.disp.3.de censur.in part. q.8. p.15.num.3.* putant hanc suspensionem afficere Religiosos omnes. Sed Nauar. fatetur per Clem. illam prohiberi venationem solis monachis nigris, licet bene asserat omnibus Clericis, & Religiosis esse prohibitam per alios canones. Religiosi igitur alij non subduntur præfatæ suspensioni, vt dixit etiam *Anton.de Spir Sancto tr.3.disp.6.num.1246. & Bonac. d.num.3.* Sed tamen puniendi essent arbitrarie, si alerent canes venaticos, aut aues, aut si personaliter ex proposito venationibus clamorosis nimis frequenter interesse vellent.

299 Itaque igitur resoluēdo concluditur, quod Clericis, & Religiosis est interdicta venatio, & aucupium, si fiant clamorose cum proprijs canibus, & auibus, & venantium strepitu, & rumore. Deinde etiam quieta, & honesta venatio prohibita est, si fiat nimis frequenter, & sine necessitate, & præseferat animi distractionem, & vagationem ab ijs, quæ sunt propria Clericorum, & Religiosorum.

Nedum

Cler. venat. in numero plurali prohibentur canes, & aues, vnde alere canem ad honestam venationem non est ibi prohibitum. Secundo est prohibita venatio, vt habita ex proprijs canibus, & ex voluptate, & haec est, quae dicitur clamorosa venatio, & poena decernitur inferenda, si venatio habita fuerit saepe. Vnde non est vetitum venari etiam clamorose cum canibus aliorum, & ex honesta recreatione. Ex lege tamen diuina per accidens fit illicita, nedum ex iniustitia, vel ex omissione alicuius praecepti, sed facillime ex abusu bonorum Ecclesiae, & ex distractione à diuinis, & proprijs officijs. Nam & valde difficile est, quod non sit illicitum extra necessitatem plures canes alere ad venandum, si ex bonis Ecclesiae nutriantur.

SVMMARIVM.

67 Hi-

67 *Histriones, Mimi, Ioculatores. num.356.*
68 *Interesse comedijs prohibitio. nu.357.*
69 *Quale peccatum sit. nu.357.*
70 *Chorea prohibita. nu.358.*
71 *Conuiuijs non possunt interesse, nisi charitatiuis, & qualiter. nu.359.*
72 *Cogere ad potus aequales non possunt, nu.359.*
73 *Benedicere mensam teneatur. nu.359.*
74 *Ludus carnales prohibiti. num.360.*

Ludus.

304. LVdus qui est contractus quidam per quem ludentes res suas exponunt periculo sub spe acquirendi res alterius secundum se non est illicitus, & malus, sed virtutis Eutropeliae actiua esse potest, vt probat *D. Thom. supra q.168. a.2.* & docent *Caietan ibi & Sotus l.4. de iust. q.5. a.2.* Vnde solum ex circumstantia malus esse potest si rei natura pensetur. Et ideo indubitatum est licere vti ludo, non turpi, sed honesto, nemini nociuo congruo tempore, & personae, & rei de qua agitur congruenti, accedentibus alijs circumstantijs scilicet temperate adeo, vt tollatur totaliter animi grauitas, vel resoluatur. Et sic vtens ludo ab Aris. Ethic. 4. dicitur Eutrapelus, idest iucundus, vrbanus, festiuus. Qui vero à ludo deficit, illumque omnino abhorret subrusticus est, sed qui modum excedit est scurra. Sed quia ex ludo alearum, seu taxillorum quamplura mala sequuntur quae ex *S. Raym. in sum. p. 2. cap. vl. §. 1 t. & ex Hostien.* refert *Turrecrem. ad c. t. dist. 35.* De qua re etiam tractant speculum fatuorum turba 77. Raus inuectiua 20. & 21. *Bassaus in Pandec. v. ludus alea. Passus disc. 7. de hominum sordibus. D. Anton. p. 2. tit. primo cap. 23. §. 6. Peyrin. in Praelat. Reg. q. 2. cap. 2. §. 5.* & plures alij, ideo huiusmodi ludi tam per sacros canones, quam per leges ciuiles fuerunt prohibiti, vt videre est can. 41. & 42. Apost. qui etiam habentur *cap. 1. dist. 35. & cap. Clerici, officia penul. de vita & honest. cler. & cap. Inter dilectos, de excessib. Praelatorum. Et in Concil. Trid. sess. 22. c. 1. de reformat. Item in Authen. de sanctis. Epis. §. Interdicimus & part. t. tit. 9. l. 34.* Secularibus vero interdicitur alearum vsus in *tit. ff. de alea vsu, & in Auth. de relig. & sump. fun. Et iure Hispan. in ordin. Reg. tit. 10. l. 8. & in repert. pragmat. Caroli Quinti l. 8. tit. 8.* Verba autem Canonum Apost. sunt sequentia. *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui vel alea, vel ebrietatibus indulget, vel desinito, vel deponitur. Subdiaconus, aut cantor, aut lector, qui consimilia facit, vel desinito, vel a communione seiungitor. Similiter, & laici.* Innocent. autem 3. in Concil. Lateranen. prout habetur *cap. Clerici officia, de vit. & honest. Cleric.* ita habet. *Ad aleas & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint. Peyrin. autem in Praelat.* Regul. *q. 2. cap. 2. numer. 92.* citat etiam canon. 50. sextae synodi asserens in eo praecipi excommunicari aleatores. Et quidem in eo canone Clerici aleatores iubentur deponi, & laici segregari. Sed cum canones illi, nec sit sextae synodi Constantin. nec alicuius Concilij legitimi, sed cuiusdam Concialiabuli, siue Papae Legatis celebrati Constantinop. multos post annos à synodo 6. Constan. vt videre est in tom. 3. Conciliorum Rom. impress. in praefatione ad dictos Canones, & apud Baronium anno 692. non debuit canon ille allegari, vt cuius, non est habenda ratio, vbi de lege obligante Ecclesiam est sermo.

305 Circa huiusmodi leges autem, primo considerandum, quid veniat nomine aleae, & quis proprie sit ludus alearum. Nam omnem ludum esse prohibitum dixit *Gabriel. in 4. d. 15. q. 13. a. 3. dub. 2.* quem refert *Card. de Lugo disp. 31. num. 11.* Sed hoc communiter reijcitur, sub nomine enim aleae, non venit ludus omnis. Nam alea est taxillus, quo fortunae periculo ludimus. Sic enim accipitur in edicto praetoris *l. 1. ff. de aleat.* Et quidem, quod alea proprie significet tesseram habemus apud Theatrū vitae humanae, & apud Calepinum, & Thesaurum linguae latinae verbo alea, & v. tessera vbi etiam habetur quomodo antiquitus differrent tessera, talus, & taxillus, & varij modi ludendi, & quod ludum alearum, & Pilae inuenerint Lidij ex Celio refert idem Thesaurus latinae linguae. Quia tamen tesserarum ludus fortunae oritur, hic significatio nominis aleae extensa est ad significandum fortunae ludum, & per translationem dicitur de euentu fortuito, vt pro fortuna, & periculi cuiusuis dubitatione sumatur, vt iacere aleam dicitur is, qui se fortunae periculoque cōmittit, iuxta illud Titi Liuij *in dubium imperij seruitijque aleam ituus.* Et aleam emere apud Iurisconsultos dicitur, qui incertae rei spem emit, veluti captum piscium, aut auium. *Pompon. in l. Nec emptio 8. ff. de contract. empt. Vlp. in l. Nam hoc 2. ff. de hered. vel act. vend.*

306 His stantibus oritur statim difficultas, an & quantum extendatur significatio ludi aleae, nimirum an ludus chartarum, seu etiam tabularum veniant, sub nomine ludi aleae, Etenim cum huiusmodi ludi, sint mixti ex fortuna & industria, videntur quod veniant sub nomine aleae, quae ludum fortunae importat, cum quia in huiusmodi ludis praeualet fortuna, licet etiam valeat industria. Tum quia ratio legis viget etiam circa huiusmodi ludos ex quibus eadem mala & inconuenientia sequuntur. Et ita quod ludus chartarum, & tabularum veniant sub nomine ludi alearum dixerunt *Sylvest. v. ludus q. 5. ex Verucc. Nauar. cap. 20. num. 6. & 7.* dicens hoc esse de mente omnium. *D. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 23. §. 2. ex Guillel. Sanchez l. p. Consil. c. 8. dub. 28. num. 1.* Vbi tamen cognoscens distinctionem inter huiusmodi ludos ait, quod licet iura loquantur de aleis & taxillis, vsus tamen iam recepit, vt intelligantur de omni ludo potissimum in fortuna cōsistente, vt est ludus chartarum &c. Et idem sensit apud eum *Palacios in summa v. ludus. Lezana v. ludus num. 3.* & apud eum *Lessius, Sayrus, & Toletus. Peyrinus in Praelat. Regul. q. 2. cap. 2. §. 5. nu. 63. Martinez de Prado in quaest. moralibus cap. 29. q. 3. num. 12. Thesau. in praxi p. 2. v. ludus cap. 4. num. 2. fin. Sanctorius de poenis cap. 20.* vbi tamen male, & contra vim significationis per ludum tabularum intelligit ludū chartarum. *Layman. l. 3. tr.* cap. 21. *nu. 2. Anton. à Spir. Sancto trac. 3. d. 4. nu. 321. Palaus tr. 16. disp. 4. p. 13. §. 5.* Sed econtra, quod sub nomine ludi alearum, non veniat ludus chartarum, seu etiam tabularum cum taxillis, videtur dicendum. Tum quia alea ex sui significatione significat tesseram, seu talum, aut taxillum. Tum quia ludus chartarum, aut tabularum cum taxillis, non sunt ludi fortunae simpliciter, sed sunt ludi mixti in quibus, multum valet

let industria. Et quidem quod iure communi, non sit prohibitus ludus chartarum dixit *Sotus l. 4. de iust. q. 5. a. 2. ad conclus. 3. Panormit.* etiam idem sentit *ad cap. Clerici officia, de vit. & honest. Cleric. vbi numer. 4.* duplicem intellectum dat textui, primus vt idem sit alea, & taxillus. Secundus vt distinguantur, & nomine taxilli intelligatur ludus tabularum cum taxillis, & sic secundum illum nullo modo comprehenditur ludus chartarum, sed ludus taxillorum simpliciter, & taxillorum cum tabulis. *Baldus etiam ad d. c. Clerici* officia de ludo taxillorum nulla chartarum facta mētione exponit textū.

Sed quod etiam ludi mixti ex industria, & fortuna contineātur sub ludo alearū, & ideo quod ludus cōtineatur tabularum cū taxillis dixerunt *Panorm. loc. citat. Caccialup. de Ludo q. 4. nu. 10. Costa de Ludo. a. 3. num. 36.* vbi quod hic ludus, sit nutritiuus otij, quod est fomentū carnalis concupiscentiæ, & quod ex eo multa flagitia contingunt. *Paris de Puteo de Ludo num. 11.* Econtra vero, quod ludus tabularum non sit prohibitus, esto sub ludo alearum cōprehendatur, quia consuetudo facit eum licitum dixerunt *Caiet. supra q. 168. a. 3. d. 3. circa finem Nauar. cap. 20. num. 7. Lezana v. ludus num. 9. Peyr. in Prælat. Regul. cap. 2. num. 98.*

307 Mihi videtur in hac controuersia hoc esse certum, quod iure Canonico Clericis est prohibitus ludus omnis tesserarum, talorum, & taxillorum. Posset vero probari, quod ludus alearum sit alius à ludo taxillorum, quia in cap. Clerici officia aleæ, & taxilli ponuntur vt res distinctæ, ibi, ad aleas, & taxillos non ludant. Sed alia ex parte videtur, quod secundum primum intellectum Panormitani ibi alea, & taxillus sumuntur vt synonima, & quod dictio *&* ibi accipitur pro dictione *idest*, vt in primo intellectu illius textus dixit Panormitanus. Nam nec est nouum in iure, quod dictio *&* sumatur declaratiue, & explicatiue, ideoque, & limitatiue pro dictione *idest*, vt per relatos à *Barb. dict. 110. num. 26.* & præcipue quando ponitur inter idem sonantia, certum vero est quod alea significat taxillum. Nam & si diceretur, quod alea sit quid communius, hoc dato intrat illa regula, quam ibi tradit idem Barbosa. quod vbi dictio *&* ponitur inter genus, & speciem, sumitur declaratiue. Nam aliter apponeretur superflue. Itaque, vel alea accipi debet vt synonima cum taxillo, vel vt communior, & genus ad chartas, & taxillus. Et vtroque modo sequitur intentū; quia si alea est communior, & se habet ad taxillum vt genus intrat regula præfata, & alia, quia sufficit tunc dictio *&* limitat, & restringit dispositionem ad speciem, iuxta *Rotam apud Paulum de Rubeis tom. 3. diuers. dec. 57 num. 13. & Card. Tuscum lit. D. concl. 274. num. 61.* quos sequitur *Barbosa vbi supra num. 36.* Cum igitur sub nomine aleæ certum sit contineri tesseram, seu taxillum, hoc enim est magis proprium illius significatum, vnde indubitatum est, & manifestum, quod dicendo Clerici ad aleas non ludent, prohibitus est illis ludus taxillorum, quod igitur subditur, & taxillos positum est ad declarationem, & explicationem, & limitationem, & ad significandum, quid nomine aleæ intelligatur. Hinc est quod Canonistæ communiter ad illud cap. Clericofficia, nullam mentionem fecerunt ludi chartarum, vt videre in *Io. Andr. Hostien. Anton. Anan. Zabarel. & Henr.* Huic etiam sensui fauet, quod in Constitut. Ord. Prædicat. *dist. p. cap. 8.* de grauiori culpa solum ludentes ad taxillos enumerantur, & nihil de ludo chartarum dicitur. Quauis postea in Capit. Vallisol. 1605. ord. 29. etiam ludus chartarum fuerit prohibitus. Et hoc amplius confirmatur, quia qui senserunt aleam, & taxillos in dicto textu sumi, ut distincta, per aleam intellexerunt tesseram, seu purum ludum taxillorum; indubitatum enim est, aleam taxillum significare, per taxillos uero intellexerunt significari ludum tabularum cum taxillis, ut Panorm explicat. Quod certe est minus proprie dictum, quia licet talis ludus, non sit sine taxillis, tamen communi nomine, non ludus taxillorum, sed tabularum nuncupatur: Et ideo intellectua illius textus esse videtur, ut alea, & taxillus pro eodem sumantur, & dictio *&* accipiatur pro idest. Et sic quod ea iure communi Canonico solus ludus taxillorum, sit prohibitus.

308 Nihilominus dicitur, quod nulla forsan est Diœcesis aut Prouincia in Ecclesia, in qua ludus chartarum non sit expresse prohibitus, si non in totum, saltem quantum ad illos ludos, qui sunt uel puræ fortunæ inter quos *Stephanus Costa de ludo §. 1. num. 1.* numerat ludum chartarum, qui dicitur ad tertiam, & quartam, uel multum habent de fortuna, licet sint mixta inter fortunam, & industriam. Inter quos idem Costa numerat ludum chartarum, quando luditur ad exhibendum foris. Et ubi lex huiusmodi ludum expresse non prohibuit, communis usus, & praxis id fecit, & dim significationis ad omnem ludum fortunæ extendit, ut dixit *Paulus l. 26. ff. de iniurijs* & alij DD. Vnde in hoc tam leges municipales, quam consuetudines legitimæ cuiuscumque diœcesis, aut Religionis attendi debent, & obseruari. Et in hoc bene procedit communis sententia, nimirum quod sub nomine aleæ modo ueniat ludus chartarum præcipue, qui sit puræ fortunæ, non quidem ex ui nominis, sed per extensionem factam, uel à lege, uel a consuetudine, & communi intelligentia. Quæ maxime inspici debet præcipue respectu ludi chartarum, qui sunt mixti ex industria. quia consuetudo, non comprehendit ubique omnes istos ludus sub ludis uetitis, sed eorum aliqui sunt liciti, & permittuntur.

309 Dicitur propterea tertio, quod ludus tabularum nec per se, nec ex consuetudine est prohibitus. Non per se; quia simpliciter non est ludus aleæ, sed habet adiunctio maximam artem, & industriam. Ex consuetudine uero, quod liceat, patet, nam in aulis Principum Ecclesiasticorum publice huiusmodi ludi tabularum cum taxillis exercentur, & in Religionibus etiam permittuntur. Peyr autem loco citato consuluit hunc ludum in Religionibus non esse permittendum iuuenibus, quia aliquando excitat choleram vsque ad excandescentiam. Sed & ob hanc causam in exercitium patientiæ permitti potest, & choleræ remedium dabitur, si in ludo nihil aut valde parum exponatur. Et hoc est, quod apud Religiosos seruari debet ne ludus transeat in abusum, vt nihil, uel fere nihil ludatur. Nam & huiusmodi ludos concessisse S. Carolum suis Clericis refert. *Peyrinus in Prælat. Regul. q. 2. e. v. num. 97.* Vnde nullo modo admittendum est, & est contra omnium sententiam, quod habet

Bellet.tit.de discipl.Cler.§.24.num.1.& Farin.q.109.num 98 nimirum quod Regulares,non possunt ludere etiam ludo alias honesto, & licito nec cum alijs, nec intra se. Nullibi enim. hoc est prohibitum, & Religionum praxis seruat contrarium. Nec nisi inaniter adducitur lex Deo nobis C. de Epis. & Cler.quæ cum non sit approbata per canones nullius est valoris, tanquam lata à non habente iurisdictionem. Nam & ratio recta postulat, vt seruato decore sui status habeant Religiosi vnde aliquando defatigatum animum subleuent. Immo quod Prælatus suo subdito possit præcipere aliquando, vt ludat,vel vt intersit ludo ex doctrina *D.Th. sup.q.168.a.4 probat Peyr.vbi sup.n.92.*Itaq; tã Clerici,quam Regulares ludere possũt ludis industriæ præfatis, & similibus dummodo aliquis ludus ex eis, non sit illis speciali iure prohibitus. Vel dummodo per ludum. non distrahatur à choro,aut alijs officijs tempore debito. Existimat autem *Bellet. d.§.24.num.16.* quod nec Clericis liceat in publico ludere, quod etiam dixit *Sylnes. v ludus num.1. & Farinac.d.q.109.num 99.*Item idem *Bellet.num.17.* putat, quod non liceat Clericis ludere cum laicis, & idem habet *Barbos.de Paroch. p.p.cap.6.num.28.* Quod tamen esse bene cogitandum ex *Azama* aduertit *Farin. d. q.109. num.100.* Quia nulla est lex communis, quæ hæc prohibeat, ideo poterunt quidem esse mala, vel ex lege speciali. vel ratione scandali, aut alterius circumstantiæ malæ, sed his præcisis talia per se non sunt prohibita. Ideo nec Religiosis est prohibitum ludere cum secularibus licite, Quamuis ludere in publico, sit statui Regulari indecens. Ludere etiam, cum mulieribus maxime iuuenibus habet mali speciem,etiam in Clerico seculari, vnde hoc non conuenit, sicut nec ludere cum improbis, & infamibus.

310 De ludo tamen pilæ minoris videtur esse aliqua difficultas. Nam & eum non probare *Nigron.tract. de animi relaxat.capit.14. numer.8.* dixit *Peyr. d.capit.2.* Nihilominus hunc ludum Clericis, & Religiosis permittunt omnes. Nam illum esse valde aptum ad conseruandam valetudinem dixerunt *Cels.l.1.cap.2.Gal. de ludo parua pila cap.4.* Et quod apud antiquos ludus pilæ fuerit præcipue commendationis, & magni prætij refert *Alexand. ab Alex.Gen.l.3.cap.21.* Sed nec ludus pilæ maioris disconuenit Clericis aut Religiosis, si inter se ludant, sine scandalo. Vide *Farinac. quæst.109. à numer.111.* Vnde Clerici huiusmodi ludis possunt ludere dummodo, per hoc non distrahantur à diuinis officijs ad quæ tenentur. Hoc enim semper aduertendum, quod si ludus impediat officium Clerici vel Regularis semper est ex hoc capite illicitus, sicut & quotiescumque impedit aliquid quod ex aliqua lege sit agendum. Quod verum est etiam in laicis. Non enim licet causa ludi omittere id, quod est in præcepto, vt fiat.

311 De ludo autem schacorum, seu latrunculorum, aut calculorum, multi tribuunt *Caiet.supra q.168.* quod inter ludos prohibitos comprehendatur. quod nec somniauit Caiet. sed optime aduertit, quod talis ludus ob nimiam applicationem ingenij, quam requirit pessimus est in ordine ad finem ludi, quamuis valeat ad fugiendum otium, vel somnum. Cum enim finis ludi sit delectatio animalis, quæ consistit in quiete intellectualis motus, vt habet *D.Thom.d.q.168.a.2.* vnde finis ludi proprius hic est, vt deseruiat quieti intellectualis motus per delectationem quandam animalem, in qua ingenium, non multum defatigandum sit, & ludus schacorum maximam ingenij industriam, & occupationem requirat, ideo est pessimus in ordine ad finem ludi, idest parum utilis ad finem ludi consequendum. Non tamen per hoc sequitur, quod sit ludus aleæ, cum sit meræ industriæ; uel quod sit prohibitus ex ui legum, quæ ludum aleæ prohibent, sed solum sequitur,quod ex natura rei parum conducat, immo potius repugnet fini ludi, qui est subleuare ingenium, & non defatigare mentem, sed illi quietem ferre ex delectatione aliqua animali. Vnde est, quod talis ludus parum conuenit uiris literatis, aut studiosis, quia seruit illis, non ad quietem, sed ad maiorem ingenij defatigationem. Itaque hic ludus, nec est ludus aleæ, nec prohibitus. *D. Anton.p.2.tit.1.cap.23.§.2. Panormit ad cap. Clerici officia num.4.de vit.& honest.Cler.vbi Anton. & Io.Andr.num.13.Costa de Ludo §.2.nu.25. Caccialup.de Ludo q.4.num.8. Farin.q.109.num.114.Comitol.l.1.quæst.91. Bellet. tit. de discipl. regul. §.24. numer.7. Cost. & Vivian.* quos sequitur *Barbosa ad cap.Clerici num.8.Lezana v. ludus num.9.*Sed tamen minus conuenit studiosis *Barbos. numer.9.Lezana d. num.9. Paris de Puteo de ludo num.5.*ubi quod ludus scachorum, & tabularum,cum taxillis fuit inuentus per Palamedem contra Troiam dimicantem, quod uero dicitur de S.Petro Damiano, quod reprehenderit Episcopum Florentinum, & illi grauẽ pœnitentiam imposuit, quia scachorum ludo interfuit, ut ex epist. eius 10. ad Alex.2. lib 1, habetur; Respondet *Peyr.num.102.* id factum fuisse, quia ille Episcopus tempore recitandi diuinum officium interfuit ludo secularium altercantium. Quod uero Bernard.ad milit. templi cap.41. eos laudet, quia à ludo scachorum, & aleatum abstinebant, hoc probat, quod sit melius ab eis ludis abstinere, sic enim, & laudantur, qui Cælibatum eligunt relicto matrimonio, quod,tamen non est malum. Quod uero Farin. & alij hoc limitant, ut non liceat ex auaritia, uel causa uoluptatis, dicitur quod hæc sunt limitationes communes omni ludo, & tam Clericis, quam laicis, & quod addit, quod non liceat ludere in pecunia sine fundamento asseritur; quamuis possit esse peccatum, si ludatur quantitas pecuniæ immoderata.

312 Considerandum est secundo quibus ludi sint prohibiti. Certe nedum in supra citatis Imperialibus legibus, sed & in can.42.Apol.etiam laicis interdictus est alearum ludus.Cum uero sit difficultas an leges Ciuiles interdicentes ludum alearum, sint abrogatæ, quam relatis de ea DD, sententijs tractat *Comit.quæst.mor.lib.3. q.10.* & de qua uideri possunt, quid senserint *D.Thom.q.132.a.7.ad secundum & 4.dist.15.q.2.a.4.quæstiunc.vlt.& D.Anton.in 2.p.tit.1.cap.23.§.3. Nauar. in sum. cap.20. Sanchez l.1.Consil.c.1.disp.25.Diana p.2.tr.15.res.55. & p.7. trac.9.res.2.Martinez de Prado cap.19. q.3.§.2.* Quia enim nos modo, non loquimur de laicis, sufficiat dicere, quod canon ille Apost. quantum ad laicos

fuit

fuit ex vsu abrogatus. *Caiet. supra q. 168. a. 3. dub. 3. in fin.* quem sequuntur *Nauar. cap. 20. num. 11. Sanchez d. dub. 25. num. 7.* & apud eum *Alcozer de Ludo cap. 10. Lezana v. ludus num. 4.* & apud eum *Sayrus, & Lessius.*

313 De Clericis autem secularibus loquendo, hoc primo constare debet, quod illos non afficiunt Imperiales, vel Principum secularium leges, qui in Clericos iurisdictionem non habent *Card. de Lugo disp. 31. ex Molina disp. 512. & Salas de Ludo dub. 3.* Nullum vero est dubium, quod ludus alearum sit Clericis interdictus ex supra citatis iuribus canonicis, sed bene dubium esse potest, an prohibitio sit vniuersalis ad omnes Clericos. Nam non extendi ad Clericos in minoribus constitutos, & non beneficiatos; sed solum ad ordinatos in sacris aut beneficiatos dixerunt *Nauar. cap. 20. nu. 9. & 10. Sanchez l. 1. Consil. cap. 1. dub. 28. num. 8.* & apud eum *Lopez, Cardinal. de Lugo de iust. disp. 31. num. 18.* & apud eum *Lessius, & Salas. Barbosa ad cap. primum sess. 22. Concil. Trident. num. 5. & lib. 1. de iure Eccl. c. 40. n. 66. ex Vgol. de off. Episc. cap. 13. §. 22. num. 2. verum Caiet. Turrecrem. Syluest. Hugo*, & communiter alij DD. infra sepe citandi absolute, & indistincte asserunt ludum alearum esse Clericis prohibitum. Quod expresse, & in terminis docet *Alcozer de Ludo cap. 11.* Et certe cum nedum in *cap. 1. dist. 35. ex canon. 42. Apost.* etiam subdiaconis, cantoribus, & lectoribus, immo laicis prohibeatur ludus alearum, sed etiam in cap. Clerici officia absolute, & indistincte Clericis idem interdicatur, non est vnde huiusmodi prohibitio restringi debeat ad Clericos in sacris aut beneficiatos, Et ex eodem cap. euidenter colligitur, illis enim eisdem Clericis Innocentius Tertius seu Concil. Lateranen. prohibet aleas, quibus præcipit, vt coronam, & tonsuram habeant congruentem, & vestes clericales deferant, & alia multa faciant ibidem sancita, quæ euidens est esse omnibus Clericis communia. Sed nec dandus est locus erroneæ consequentiæ, vt quia Clerici in minoribus constituti possunt renunciare Clericatui deducatur, quod dum permanent in statu Clericali possint viuere, sine freno legum Ecclesiasticarũ. Ideo sine dubio dicendum est, quod sicut decretum d. Concil. Lateranen. & etiam *Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. de reformat.* quantum ad alia ibidem definita comprehendit omnes Clericos, sic etiam quantum ad hanc partem, in qua prohibet aleas.

314 Sed maior difficultas est, an lex illa obliget sub mortali spectata re per se, & præcisa omni mala circumstantia. Nam certum est, quod etiam apud seculares, nedum ludus alearum, sed omnis ludus potest esse malus. Vnde S. Thomas sup. q. 168. 2. 2. c. aduertit quod in ludo tria præcipue sunt cauenda. Primum quod ludus in honestis consistat actionibus, non vero in factis, aut verbis turpibus, & nociuis. Secundum ne totaliter grauitas animæ resoluatur. Tertium vt ludus congruat personæ, tempori, & loco, & secundum alias circumstantias debite ordinetur. Sic ludus malus est, si vel habeat adiunctam iniuriam, seu iniustitiam contra tertiũ, siue in rebus, siue in honore, & fama, siue in vita; vel si ob ludum obedientia necessaria omittatur, vt si omittatur sacrum in die festo, aut quodcumque ad quod quis obligatur ex officio, aut ex lege; vel si ludus comites habeat blasphemias in Deum, vel conuitia in proximum; vel si habeatur fraudulenter contra leges ludi, & patrias consuetudines, aut quocunque modo dolo, vi vel fraude iniuste ledatur colludens, vel cum adest aliqua alia similis circumstantia mala.

315 Disputant vero DD. an si quantitas rei, quæ exponitur in ludo sit magna, sit circumstantia reddens ludum ex natura rei illicitum. Et quamuis prodigalitas pura non sit peccatum mortale, quia nec auaritia, vt est contraria liberalitati, si sit pura est mortale peccatum secundum *Caiet. v. prodigalitas, Armilla ibid. & Nauar. cap. 23. num. 74.* Vnde per se, & nude præscindendo à legis specialis obligatione, & ab alia mala circumstantia perdere magnam quantitatem in ludo non est peccatum mortale secundum *Sotum l. 4. q. 5. a. 2. 6. quod autem rem, Sanchez l. 1. consil. cap. 1. dub. 24. num. 7. Alcozer de ludo cap. 6. & 40.* etsi sit peccatum perdere magnam quantitatem, quando hoc est in notabile damnum filiorum, & vxoris subtrahendo illis alimenta debita, vel si ludens ob hoc fiat impotens ad soluenda debita, vel si ob hoc sit causa, vt filiæ, vel vxor exponantur periculo amittendi honestatem. *Sanchez vbi sup. Martinez de Prado d. q. 3. num 41.* & apud eum *Lopez, Medina, Candidus, & Thomas Hurtado.* Nihilominus loquendo de Clerico ludente magnam quantitatem de fructibus beneficij, seu quomodocumque de bonis Ecclesiasticis dicendum est peccare mortaliter, quia vsus tantæ pecuniæ aut boni Ecclesiastici expositi in ludo, non est pius. Dicitur enim magna quantitas in proposito, quæ excedit proportionem personæ, & beneficij reddituum, & aliarum circumstantiarum. Intantum enim ludus de bonis *Ecclesiæ* est licitus, inquantum vel pertinet ad congruam sustentationem Clerici, qui etiam indiget subleuari à laboribus Clericatus, vel ex aliqua alia circumstantia in vtilitatem Ecclesiæ potest ordinari, vt ad conciliandam, vel conseruandam alicuius potentis amicitiã pro Ecclesiæ vtilitate, vel pro aliqua alia simili causa, ex qua distractio bonorum Ecclesiæ in ludo possit ordinari in diuinum cultum, vel in Ecclesiæ vtilitatem. Quo sine supposito, quantitas, quæ possit distrahi ratione ludi colligenda est spectato officio, persona, redditibus, loco, consuetudine, & alijs, prout magis explicatum est supra q. 185. a. 7. num. 78. pag. 230. Quamuis ergo verum sit, quod spectata conditione personæ, & alijs circumstantijs vnus Clericus maiorem quantitatem potest ludere salua honestate, quam alius, nihilominus in Clerico prodigalitas in ludo in quantitate satis graui est peccatum mortale, & sacrilegium contra Christi iustitiam. Est enim infidelis dispensatio patrimonij Christi. Et cum *Sotus l. 4. de iust. q. 5. a. 2. post 3. concl.* dixerit absolute, quod dum ampla pecunia exponitur vita ludi possunt exerceri sine peccato mortali, vbi de Clerico sit sermo, qui ludat in magna quantitate de bonis Ecclesiæ, & tam magna, vt iudicanda sit prodiga, dicendum est eum omnino mortaliter peccare.

316 Quando vero ex circumstantijs loci, aut temporis ludus fiat malus moraliter explicant tractantes de ludo; nunc sufficiat aduertere, quod ludere principaliter ex auiditate lucri non est culpa mortalis, quidquid in contrarium dixerint *Gabriel*

4. *d.15. q.13.concl.3.& Abulen.q.33.& 35.in cap.6. Matt.* quod *Abulenſ.* extendit etiam ad ludum paruæ quantitatis, quia eſt contra proximi charitatem velle ab eo lucrari. Sed verum quidem eſt, quod in ludo habere lucrum pro fine principali quærendo lucrum ſecundum ſe eſt malum, nam eſt auaritia. Lucrum enim cum ſit bonum vtile non eſt amabile ſecundum ſe, ſed ſolum propter finem aliquem, & ideo amor lucri, vt finis principalis eſt diſſonus rectæ rationi, & auaritia quædam. Sed niſi in lucro ponatur finis primus, ſeu vltimus, non eſt id peccatum mortale. Nam auaritia præciſa iniuſtitia, vt merè opponitur liberalitati non eſt ex ſuo genere peccatum mortale, vt docet D.Thom. communiter receptus ſupra q.118.a.4. Et ideo ludere principaliter propter lucrum eſt quidem peccatum veniale, non tamen eſt mortale. *Caiet.ſupra q. 168. D.Anton. 2.tit.1.cap.23.§.6. Sylueſt. v.ludus, q.6. Sotus l.4.de inſt.q.5.a.2.Lopez 2.p.cap.31. Alcozer de ludo cap.6.Nauar.cap.20.num.3. Sanchez l.1. conſil. cap.8.dub.24.num.11.Martinez de Prado cad.19.q.3. num.34.* Obijcit vero *Card.de Lugo diſp. 31. num.4.* Quia nullum malum eſt ordinare medium ad eum finem ad quem eſt vtilis, ſi finis ſit honeſtus, & licitus. Sic enim homo ſine peccato poteſt comedere cibum potius delectabilem, quam ingratum, licet vterque ſit ſufficiens ad ſuſtentationem, & hoc propter delectationem illam moderatam, quam licite percipere poteſt ad recreationem naturæ. Cum igitur lucrum de ſe ſit licitum, & honeſtè appetibile ad neceſſaria vitæ conſequenda, poterit ludus licite amari ad eum finem, ad quem eſt vtilis. Sed *Martinez de Prado num.36.* retorquet argumentum, quia *S.Greg. l.30. moral. cap.27.* inter ſpecies gulæ numerat lautiores cibos quærere, vel præparari accuratius appetere, & D Th.ſupra q.148. a.4. docet quod eſt gula quærere cibos lautos, Ideſt pretioſos, ſeu nimis accuratè præparatos. Vnde quamuis non ſit gula, vt habet *Caiet. v.gula*, cibum delectabilem, delectabiliter edere, tamen gula eſt inordinatam delectationem in cibo quærere, ſic ergo quærere ludum propter ludi delectationem, quæ alium habet bonum finem bonum eſt, ſed quærere ludum propter lucrum, turpe lucrum eſt.

317 Verum dicendum eſt, quod obiectio Cardinalis de Lugo verum concludit in bono ſenſu intellecta, & quod communis concluſio eſt explicanda. Sciendum igitur eſt, quod bonum vtile cum in ratione boni ſit bonum ad aliud, non vero ſit bonum ſecundum ſe, ideo proprie non poteſt amari vt finis, ſed ſolum, vt medium ad finem, quia finis propter ſe amatur, quod vero non eſt bonum ſecundum ſe, & propter ſe, non eſt propter ſe, & ſecundum ſe amabile, & vt finis, & ſi ita amatur, irrationabiliter amatur. Et ideo D.Th. ſup. q.118. a.1. docuit, quod appetere lucrum propter ſe, & vt finem principalem eſt auaritia. Verum quia inter bona vtilia datur ordo, & vnum eſt via ad aliud, & hoc reſpectu illius habet rationem termini, & cuiuſdam finis, ideo datur etiam in bono vtili, quædam ratio finalizationis ſecundum quid, pro quanto vnum bonum vtile eſt terminus ſecundum quid in via ad finē principalem. Sic enim qui marito vult ire Romam, vt viſitet limina Apoſtolorum, totius iſtius itineris non habet alium finem, quam actum religionis, qui eſt viſitatio deuota ſepulchri Apoſtolorum, & qui eſt honeſtum bonum propter ſe diligibile, verum quia ad hunc finem plura media inter ſe ordinatā conducunt, quia vt commode id fiat neceſſarius eſt equus, & iter primo ad hunc locum, & poſtea ad alium, ideo inter iſta media vnum eſt finis alterius ſecundum quid, & poteſt dici finis vtilis, quia iter commodum eſt finis aſſumptionis equi; ſed non per hoc iter eſt proprie finis, quia non aſſumitur iter propter ſe, ſed eſt finis vtilis, quia eius vtilitas eſt terminus, & finis reſpectu vtilitatis ex equo conſurgentis, cum tamen tam equus, quam iter non aſſumantur, niſi vt media ad finem, nimirum, vt media ad actū religioſum viſitationis ſepulchri Apoſtolorum. Sic ergo dicitur, quod agere cauſa lucri, ſi importatur lucrum, vt proprie ſit finis propter ſe, & ſecundum ſe amatus eſt auaritia, & ſi in lucro poneretur finis vltimus, hic amor eſſet peccatum mortale, iuxta doctrinam D. Tho. ſupra q.118.a.4. ſed ſi agere cauſa lucri importat finem ſecundum quid, ſeu finem vtilem, & in genere boni vtilis, ſic agere ob lucrum eſt res indifferens, iuxta doctrinam *D.Thom. ſupra q.77. a.4.* vt etiam explicatum eſt ſupra, cum de negotiatione eſſet ſermo. Sic ergo ludere propter lucrum, & edere propter delectationem, & alia ſimilia agere, & vniuerſaliter habere pro fine proprie, & propter ſe amato id, quod ex ſua ratione, non eſt bonum honeſtum, & propter ſe amabile eſt peccatum. Et in hoc ſenſu quærere delectationem in cibo eſt malum, & ſic eſt malum quærere cibos laute præparatos, ſicuti malum eſt in cibo aut ludo quærere delectationem ſiſtendo in ipſa delectatione. Sed ſi lucrum ſit mere finis vtilis, tunc amare lucrum de ſe eſt res indifferens, & ſic ludere cauſa lucri eſt res indifferens, quæ erit mala, ſi non ordinetur in finē honeſtum, & bona ſi in finem honeſtum ordinetur. Et ſic bene inquit Card. de Lugo, quod cum lucrum ſit bonum vtile ad ſuſtentamentum vitæ, ſi quis ludat, vt ſi poteſt iuſte lucretur ad ſui ſuſtentationem, non male agit.

318 Hinc etiam explicatur qualiter verum ſit quod ludus eſt recreationis gratia, ſeu gratia delectationis. Nam ſi hoc dicat finem proprie, & ita quod delectatio ſit finis ſecundum ſe, & propter ſe amatus, & voluntatis amor ſiſtat in delectatione, ludus, non eſt licitus, ſed malus. Quia delectatio operationis licite non amatur, vt finis principaliter, & ſiſtendo in ipſa delectatione. Delectatio enim eſt quid conſequens finem amatum, non vero eſt finis principaliter ſimpliciter amandus. Et ideo quod ludere cauſa recreationis, & delectationis ſiſtendo in ipſa delectatione ſit peccatum ſaltem veniale dixerunt *Alcozer de Ludo cap.6. Sanchez l.1.Conſil.cap.8.num.24.* Sed nullum peccatum eſt ſi tam ludus, quam delectatio ludi eligitur, vt medium ad honeſtum finem, vt ad naturæ leuamen, ne laboribus opprimatur, & ſtudio. Verum ſicut ludi non eſt, hæc vnica vtilitas, quæ ex delectatione conſurgit, ſic neque ſola ratio delectationis, aut recreationis eſt vnica, & adæquata cauſa ob quam ludus honeſte ametur; Nam & poteſt licite amari ad vitandum otium, ad fugiendum ſomnum, ad honeſtam conuerſationem, cum amicis, vel etiam ad lucri vtilitatem. Et hoc in ludo omnino ſeruandum eſt, vt ipſe, & delectatio quæ ad illud conſe-

qui-

quitur simpliciter non assumatur, vt finis, sed vt medium ad finem, & quod ad finem honestum ordinetur. Quibus stantibus ludus alias ex obiecto, seu materia non illicitus est bonus, & est virtutis alicuius actus.

319 Hoc etiam in ludo Clericorum, & Religiosorum est considerandum, an scilicet ludere res sacras, puta Auemaria, sit malum. Negant enim *Nauar. in sum. c. 10. nu. 7. Sanchez d. cap. 8. dub. 24. num. 15. Nicolius in Flosculis v. ludus nu. 6. ex Bonac. de rest. disp. 3. quæst. 3. p. 1. nu. 8. Anton a Spir. Sancto tr. 3. disp. 4. num. 328.* & apud eum *Blasius. Lezana v. ludus nu. 13.* qui addit etiam licere Religioso ludere sub pacto dandi seculari collusori spirituale, puta recitandi rosarium, si fuerit victus, vel recipiendi gallinam, si fuerit victor. Fundatur hæc sententia, quia hic nulla est irreuerentia rei spiritualis. Tú quia commutatur pro re spirituali in primo casu, quod non est simonia. Tum quia etiam in secundo casu, non est species simoniæ, cum ibi non interueniat pretium. Tum quia Religiosi viri docti & pij ita ludere consueuerunt. Oppositum nihilominus tenuerunt, *Lopez 2. p. c. 52. Vega p. 9. cap. 10. numer. 20. Nald. v. ludus casu* 14. quos refert, & sequitur *Peyr. in Prælat. Regul. q. 2. cap. 2. num. 103.* Et sine dubio ita est dicendum, quia talis ludus in vtroque casu est manifeste simoniacus, quia datur ludus, seu ludi actio, aut obsequium sub pacto conditionato, & obligatione rei spiritualis, quod est dare temporale pro spirituali. Non valet igitur prima ratio oppositæ sententiæ, nedum quia commutare spirituale cum spirituali ex pacto est simonia, omnia enim pacta circa spiritualia sunt prohibita, *capit. fin. de pactis*. Sed quia hic non debet comparari materia ludi ad materiam ludi. Quia in ludo non datur vna materia pro alia, sed comparari debet actio ludi, & obsequiũ delectabile, quod vnus alteri præstat ad materiam ludi, sub cuius conditione, obligatione, & pacto ludentes ludunt, quæ actio est quid temporale, pro quo sine simonia non datur ex pacto spirituale, quod exponitur pro ludo. Vnde est, quod secunda ratio euanescit, quia vbi est pactum, & contractus onerosus, ibi est pretium late sumptum, & quale sufficit ad simoniam. quia non datur spirituale, nisi ex pacto ludi, & victoriæ obtentæ in ludo. Vsus vero Religiosorum non sustinetur, nisi quia ipsi non paciscuntur, nec intendunt se obligare, sed orationes illas vt gratis dandas promittunt, sine contractu proprio, & pacto.

320 His igitur præmissis, & stante quod in Clerico prodigalitas de bonis Ecclesiæ est peccatum, & quidem mortale, si res sit grauis, vnde Clerico ludus de bonis Ecclesiæ, nisi sit vsus pius est illicitus, quia non potest vti bonis Ecclesiæ, nisi in vsus pios: Et stante quod ludere principaliter causa lucri, aut etiam delectationis, sit aliquod peccatum, & ludere res sacras sit simonia, quod remanet inquirendum est, an præcisis istis, & alijs omnibus circumstantijs ex quibus de lege naturali, aut diuina ludus sit malus, & spectata sola, & nuda lege positiua, ex vi illius sub mortali sit prohibitũ Clericis aleis ludere. Non esse enim mortale, sentiunt *Caiet. in sum. v. Clericorum peccatu. Armilla v. ludus nu. 4. & v. Clericus num. 16. Henriq.* apud *Sanchez d. cap. 8. dub. 28. num. 3. Innocent.* etiam *cap. Clerici officia*, dixit illam decretalem continere consilium non præceptum, & fauet *Lessius l. cap. 20. d. cap. num. 5.* pro quanto dicit Canones prohibentes alearum ludum non esse vsu receptos, nisi quatenus prohibent fieri cum periculo scandali, neque per superiores curari, quod executioni mandentur. Idem indicat *Fillius. tract. 37. cap. 4. num. 59.* addens vix posse contingere, quod sine magno scandalo publice ludat Clericus magnam pecuniæ quantitatem, & multo tempore ludo vacet. Alij existimant esse mortale peccatum in Clerico si ludat ludo alearum. Huiusmodi enim ludus est prohibitus Clericis ex ratione speciali, quia est contra Clericatus honestatem *Nauar. capit. 20. num. 9. Gloss. in Auth.* in *§. interdicimus. Hugo ad capit. Episcopus dist. 35. S. Raym. p. 2. cap. vlt. §. 11. Lezana v. ludus num. 3.* Et quod Sacerdotibus, & præcipue Antistibus, & Religiosis vix citra mortale peccatum, vti liceat ludis vetitis dixerunt *Sotus lib. 4. de iust. q. 5. a. 2. post 5. conclus. & Salzedo apud Sanchez num. 5.* Vbi quod adeo acriter ludum prohiberi Clericis senserit *Diaz in praxi cap. 70. num. 3.* vt censuerit posse iudicas procedere contra Clericos ludentes ludis prohibitis duos argenteos: quod tamen valde rigidum vocat *Alcozer de ludo cap. 15.* Sed alij hoc non nisi cum varijs limitationibus affirmant. Nam aliqui peccatum mortale dicunt esse frequentiam, & consuetudinem ludendi, ponderant enim verba Canonum *vacant, deseruiens, aleator*, quæ consuetudinem important. Nec obstat quod consuetudo non mutet speciem actus, nec faciat actum de veniali mortalem. Quia hoc est verum quando consuetudo speciali lege non prohibetur; At vero speciali lege prohibetur consuetudo ludendi aleis in *cap. Episc. dist. 35.* ponderato verbo illo deseruiens ludo, idest vt explicant Glossa, Turrecrem. & Hugo, valde serui ens. Item hic consuetudo mutat materiam actus prohibiti; semel enim, vel iterum ludere aleis non est Clericis valde inhonestum, est vero inhonestum valde frequenter ludere. Pro hac vero sententia *Sanchez num. 7.* citat *Caiet. sup. q. 168. a. 3. dub. 3.* sed ibi *Caiet.* dicit quidem, quod si Clerici vere deseruirent aleæ, iam contemptores essent legis, quam abrogatam, quoad se non putant, sed potius confirmatam in *cap Clerici officia de vit. & honest. Clerici* sed non per hoc dicit, quod hoc in Clericis esset peccatum mortale, quia apud *Caiet.* non omnis transgressio legis positiuæ est mortale peccatum, vt patet in *sum. v. Clericorum peccatu*. Et ibi etiam tenet ipse, quod ludere aleis citra scandalum, non sit in Clerico peccatum, & subdit quod in hoc cõsuetudo excusat. Quamuis postea addat, quod etiam dici potest, quod Clerici deseruientes ludo sint trangressores legis, quam non putant, idest si putant illam non esse vsu, & consuetudine quoad se abrogatam. Eam ergo sententiam, quod scilicet consuetudo ludendi aleis sit mortale peccatum sustinent *Sanchez*, & apud eum *Alcozer, Angelus, Palacios, & Palaus tract. 16. disp. 4. num. 13. §. 5. numer. 2.* & apud eum *Azor. tom. 3. l. 5. 27. 2. Salas. de ludo dub. 24. num. 2. Molina disp. 512.* Apud quem ex parte hanc sententiam sequitur *Less. vbi sup. num. 5.* asserens mortale esse si Clericus crebro ludat, & ad longum tempus, secus si licet crebro, tamen solum ad breue tempus ludat. Alij ad quantitatem materiæ recurrunt, & affirmant, quod est mortale si

ludatur magna quantitas principaliter ob lucrum. Ideo excusant a peccato Clericum si recreationis gratia modicum ludat secreto, & sine scandalo. *Barbosa lib. 1. de iur. Eccles. cap. 40. num. 66. & ad c. t. sess. 22. Concil. Trid. sess. 23. num. 5.* & apud eum *Vgol. de off. Episc. cap. 13. §. 22. num. 1.* Addunt vero alij tunc peccatum esse ludere, cum ludus transit in negotiationem, vt cum luditur magna quantitas principaliter propter lucrum, seu ex cupiditate, & auaritia. Non quod isti sentiant absolute, quod ludere ex cupiditate sit peccatum mortale. Sed quia supposita prohibitione ludi, id ex eo est peccatum, quod est per viam illicitam velle depauperare proximum, & amicum. Et ita sentiunt *Turrecrem. in cap. Episcopus dist. 35. a. 1. ad primum. D. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 23. §. 2. Syluest. v. ludus num. 4.* Et apud *Sanchez d. dub. 28. Abul. Lopez. & Gutierez*, item *Molina d. disp. 112.* Ex istis vero aliqui ad vitandum peccatum requirunt, quod ludus fiat gratis. *Tabien. & Syluest.* qui vult quod vbi ludatur aliquid modicum non ex recreatione, semper in Clericis ludus sit peccatum mortale ludentibus, participantibus, & inspicientibus, Turrecremata vero exigit, vt non ludatur pecunia. Sed quod econtra etiam Clericis sit licitum ludere aliquid modicum causa recreationis, & in conuiuio tenuit *Rota dec. 426. numer. 5. par. 1. diuersor.*

321 Circa huiusmodi vero sententias considerandum est, quod sententia, quæ vult prohiberi solam consuetudinem ludendi, non habet solidum fundamentum. Nam in *d. cap. Clerici, de vit. & honest. Cleric.* absolute ludus aleæ interdicitur, Verbum autem illud *deseruiens*, quod ponderant DD. in *cap. Episcopus dist. 35.* est ex dictatura Gratiani, nam in textu Canon. 41. Apost. non habetur verbum *deseruiens*, sed verbum *indulget*. Indulgere vero importat facilitatem, & promptitudinem in concedendo, & tribuendo, vt *l. 2. §. ignominiæ causa. ff. de his, qui not. infam.* Vnde est, quod indulgentia est permissio, obsequium, & leuitas quædam propensior, siue patrum in filios, siue quorumuis in alios, & sic indulgere ludo importat esse facilem ad ludendum. Et licet hæc facilitas habeatur maxime ex consuetudine, tamen & aliunde potest prouenire, vnde ex hoc, non potest colligi, quod sola consuetudo ludendi aleis, sit prohibita. Et præterea aliud est, quod pœna legis debeatur solum consuetudinatio, aliud est, quod lex solam consuetudinem prohibeat; & si ex primo infertur secundum, prior opinio Caiet. concludenter probat intentum suum, Quia pœna depositionis, vel excommunicationis contenta in in *c. Episcopus p. dist. 35.* nedum supponit consuetudinem, sed etiam contumaciam, & sic si obligatio legis quantum ad culpam, non se extēdit amplius quam pœna, cum hęc nō debeatur ex vi dicti canon. nisi contemptus sequatur, etiam sequitur quod solus aleator contumax peccet mortaliter, Sed huius puncti difficultas consistit, quia lex Cōcil. Lateran, contenta in *d. cap. Clerici*, absolute prohibet ludum aleæ, vnde si illa lex continet præceptum obligans sub culpa mortali, etiam semel ludere erit mortale, nisi ludus sit tam leuis, vt à mortali excusetur.

322 Contra sententiam vero aliorum, qui ad cupiditatem recurrunt semper militat, & viget hæc ratio, quia scilicet, si ludere aleis non est prohibitum secundum substantiam, non potest esse peccatum mortale ex ratione auaritiæ, quia præcisa iniustitia, auaritia non est peccatum mortale secundum *S. Thomam supra q. 118. a. 4.* Nullam vero iniuriā facit Clericus lusor suo collusori, si ex libero contractu, sine dolo, & fraude ludit exponens suum æquali periculo, Et ideo vnum de duobus asserendum est, vel scilicet, quod ludus aleæ sit prohibitus per legem secundum substantiam suam, & hoc posito si lex obligat ad mortale, erit mortale etiam ludere modicum ex recreatione, & non ex cupiditate; vel si non est mortale, hoc erit, quia lex ad mortale non obliget. Sed si ludus aleæ secundum substantiam non est prohibitus, ostendendum remanet, quomodo per legem prohibentem absolute ludum alearum intelligatur prohibitus sub mortali ludus solum ratione auaritiæ, & eo magis, quod auaritia, non est peccatum mortale.

323 Et quia alias valde durum videtur, quod ludere aleis, sumendo aleas pro omni ludo fortunæ etiam mixto cum industria, sicuti ex vsu communi dicitur sumendum, sit ita prohibitum Clericis sub mortali, vt in nullo casu liceat, & praxis est in contrarium; vnde & DD. vnam, vel alteram limitationem imaginati sunt. Alterū autē de duobus mihi videtur asserendum, vel scilicet sentiendo cum Caietano, & Innocentio, quod lex ista citra contumaciam non obligat ad mortale, Quod habet fundamentum, nedum quia vel non imponit pœnam, vel eam non imponit nisi contumaci, sed quia lex imponens pœnam eam fert contra illum, qui indulget ludo, non potest vero dici proprie, quod indulgeat ludo is, qui non nisi ex legitima, & rationabili causa ludit, vel si ponderetur etiam verbum deseruiens, quod habet *c. Epis. dis. 35.* quia non seruit ludo, sed ludo dominatur, qui honeste seruata omni lege naturali, & diuina eo vtitur, ideo lex puniens eum, qui ludo seruit, non est contra illum, qui alias honeste ludit. Et sic asserere quod lex canonica prohibens ludum respectu ludi prout spectata lege diuina non est malum, contineat consilium, quia adhuc melius ex genere est non ludere aleis, quam ludere etiam in casu honesto; respectu vero ludi, prout est prohibitum, etiam lege diuina sicuti fere semper est ludus alearum ratione circumstantiarum malarum, quæ illi, vt plurimum adsunt, contineat admonitionem, & intimationem, & excitationem ad abstinendum à tali ludo. Et quod insuper addat pœnam inferendam contumaci, si monitus nolit abstinere. Vel si volumus, quod eadem lex præcipiat, & obliget, & sic ludum constituat in ratione vitij oppositi virtuti eutrapeliæ, cuius virtutis actus est ludus honestus, dicendum est cum *Cardinali de Lugo disp. 38. num. 12.* in fine, quod qualitas peccati in ludo attendi debet spectata vi legis prohibentis, consuetudine patriæ, scandalo, quantitate pecuniæ ludo expositæ, qualitate ludi, (neque enim omnes ludi sunt æque indecentes) & alijs circumstantijs, quæ variari possunt. Et hæc sententia est securior, & tutior, & magis conformis sententiæ communi, quæ legem prohibentem ludum intelligit vt mandantem, & præcipientem.

324 Hoc amplius tamen considerandum, mihi videtur, quod scilicet lex positiua, etiam si non obliget sub mortali, vim maximam habet ad coercendum

cendum homines, ne contra legem operentur, & hoc nedum ratione pœnæ, quam transgressoribus imponit, sed quia refundit in subditum onus probandi, quod ex legitima causa operatus sit. Vnde in proposito cum lex prohibens ludum alearum, ex eo moneatur, quod huic ludo, vt plurimum, sunt coniuncta quam plurima vitia; vbi si lex ludum non prohiberet, non deberet præsumi, quod lusor esset malus,& male, seu sub mala circumstantia luderet, quia nemo præsumitur malus, nisi constet; nunc cum lex prohibet ludum, non est vnde lusor se excuset, quod luserit sine vitio, si confiteatur de ludo, sed præsumptio est in contrarium, quia contra prohibitionem legis lusit, & ideo eius est suam innocentiam probare, quod est motiuum valde vrgens ad abstinendum à ludo etiam in casibus alias licitis. Alias vero quod & ad bonum regimen conducat, quod leges non obligent ad mortale, nisi illud expresse, & clare explicent, constat quia in Religionibus ipsis institutores, vel gubernatores eorum declararunt leges earum non obligare ad aliquam culpam, nisi sub certa forma præcipiant, quod in multis Religiosorum ordinibus est statutum, quos recensui supra q. 586. a. 9. num. 42. pag. 733.

325 Posset quoque dubitari, an Clericis sit interdictum ludere per alium, aut pro alio. Qui quidem ludit per alium potest quidem peccare, vel ratione quantitatis materiæ, quam ludo exponit, vel quia inducat alium ad malum, aut eius peccato cooperetur. Quia tamen non ludit, ideo non violat legem prohibentem illi ludere. Qui vero ludit pro alio, & nomine alterius, potest excusari à peccato ex parte materiæ, quam ipse non exponit. Ideo Regularis pro alio ludens magnam quantitatem non esset proprietarius. Quia tamen ludit, violat legem ludorum, & pœnis illius subditur.

326 Lex vero Canonica nedum Clericis prohibet ludum alearum, sed earum prohibet interesse ludo *cap. Clerici penult. de vita, & honest. Cleric.* An vero sit mortale peccatum in Clerico interesse ludo, affirmat *Nauar. cap. 20. num. 14.* si ludus sit mortalis, si Clericus per notabile tempus illum inspiciat, pro qua sententia Sanchez citat etiam *Lopez, a. p cap. 31.* Sed econtra quod Clerici interessentes ludo etiā mortali non peccēt mortaliter, nisi vel sint causa ludi, vel omittant corrigere, quādo tenentur voluerunt *Caiet. v. Clericorum peccata, Angelus v. ludus num. 6. Syluest. q. 8. Sanchez d. cap. 8. dub. 28.* addit *Syluest.* eos peccare mortaliter, si delectentur de ludo mortali, quod intelligitur si delectentur de eo, vt tali, non vero si delectentur de eo quod non est malum, vt de arte, & industria ludentium.

327 Alij autem ludi, qui non sunt fortunæ, permittuntur Clericis, quia nulla est lex Ecclesiastica vniuersalis, quæ illos prohibeat. Adsunt quidem Conciliorum Prouincialium leges, qui etiam aliquos ludos industriæ, aut fortitudinis prohibent, nam quod *Concil. Mediolan. 1. p. 2. tit. de armis ludis &c.* prohibuerit Clericis ludere aleis, talis, tesseris, globis, qui malleis ligneis impelluntur, & pila maiori, & tales ludos inspectare, immo quocumque ludo ludere pro pecunia, aut pecunia æstimabili, refert Branch. in Epitome v. Clerici à quibus tenentur abstinere. Sed sacri Canones solum prohibent ludum alearum, & taxillorum, non vero ludos industriæ, & virtutis. Statuta vero laicorum prohibentia ludum, siue odiosa, siue fauorabilia, non afficiunt Clericos. *Far. q. 109. n. 104.*

328 Verum est, quod & huiusmodi ludi ex circumstantijs possunt esse illiciti. *Archidiac. in capit. Episcopus num. 1. dist. 35.* quem sequitur *ib. Turrec. num. 3.* existimat peccatum mortale esse si Clericus ex auaritia ludat ludo scachorum. Sed nec omnis ludus causa lucri est ex auaritia, vt dictum est, nec auaritia ex genere est peccatum mortale, vnde, nec est mortale peccatum: Quamuis verum sit, quod ludere causa voluptatis, non honestæ, vel ex auaritia aut alio malo semper sit malum, vel mortale, vel veniale iuxta malitiam finis, quod & tradiderunt multi, quos refert, & sequitur *Beliet. d. §. 24. numer. 10.*

329 Pœnæ autem Clericorum ludentium aleis sunt depositio, & respectiue excommunicatio sententiæ ferendæ. Pro Episcopis Presbyteris, & Diaconibus pœna est depositio: quod enim in *cap. Episcopus dist. 35.* dicitur de hoc aleatore, quod si non definit, *damnetur* in canon. 41. Apost. dicitur deponitor. In subdiaconos vero, Cantores, & Lectores, immo & laicos lata est excommunicatio. Ad hoc vero, vt huiusmodi pœnis sit locus duas conditiones requirunt aliqui, scilicet consuetudinem ludendi, & admonitionem, solum enim pro contumacia huiusmodi pœnæ inferuntur. *Sylu. v. ludus num. 10.* Et quidem, quod sit necessaria consuetudo tenent etiam *Panorm. d. c. Clerici, n. 11. & ex S. Raym. D. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 23. §. 2. Farin. in praxi q. 109. num. 102.* & apud eum *Diaz & Menoch. Molin. disput. 512. Sanchez l. p. Consil. cap. 8. dub. 24. num. 7. Barbosa ad d. cap. Episcopus d. 35. num. fin.* Fundantur in verbo deseruiens d. cap. Episcopus, quod significat valde seruire, sed econtra, quod sufficiat sola admonitio, sine consuetudine uoluit *Turrecrem. ad cap. Episcopus in expos. textus num. 12.* Et sic est dicendum, quia vbi dicebatur, in originali canon. 41. inter canon. Apostolorum, non habetur verbum deseruiens, sed verbum indulget, ludo vero indulget Clericus, si contra legem ludit. Ideo non est necessaria consuetudo ludendi, sed sufficit trina monitio. Quam esse necessariam dixit etiam *Glossa in cap. Clerici el. 2. de vita & honest. Cleric. in verb. ad Aleae & ibi Butr. num. 13. Boic. num. 1. Panor. nu. 15. Paris. de Puteo de Ludo num. 61. Syluest. ludus num. 10.* & alij plures quos sequitur *Farin. q. 109. num. 96.* quamuis ad hoc, vt Clericus, sit ad beneficia inhabilis, vt dicam infra, sufficiat, quod sit publicus aleator.

330 Nunc etiam, quod subdiaconi, cum Diaconis in prima parte præfatæ legis numerari debeant, quia modo subdiaconi sunt in numero ordinatorum in sacris ex *Hostien. dixit Sylu. v. ludus numer. 10. D. Anton. p. 2. tit. 1. c. 23. §. 2.* Quod potest habere difficultatem ex quo subdiaconus expresse ponitur in secunda parte textus, in qua aleatori est imposita excommunicatio si admonitus, non desistat. Sed forsan modo, nec vna, nec altera pœna est in vsu. & *Bernard. Diaz in praxi. cap. 73. num. 2.* quem sequitur *Thesaurus in praxi. v. ludus cap. 3. n. 3. fin.* putat hos aleatores Clericos pro arbitrio esse puniendos. Quod est conforme *Concil. Trid. sess. 22. cap. 1.* ex cuius decreto, etiam maiori pœna puniri possunt.

possunt. *Farinac. p. 3. quæst. 109. numer. 97.*

331 Secunda pœna est, quod publicus aleator sit infamis. *cap. inter dilectos*, de excessibus Prælatorum, & ibi *Panorm. num. 6. Barbosa num. 3.* plures referens, *Peyrin. d. cap. 3. num. 93. Thesaur. in praxi p. 2. v. ludus cap. 4. num. 3. Lezana v. ludus, nu. 5.* Quam tamen infamiam esse infamiam facti dicunt *Thes. & Lezana*: talem tamen, vt ea durante aleator non possit ad ordines promoueri, & ita quod sit inhabilis ad beneficia, & si promoueatur nulla sit promotio ipso iure, si vero sit occultus, promotio sit irritanda. *Barb. ibid.* Et quia, inquit Lezana Officia Regularia Generalatus, & Prouincialatus sunt beneficia, ex *Castell. de elect. can. cap. 4. num. 58.* sequitur, quod Regularis publicus aleator sit inhabilis ad sui Ordinis Prælaturas. Publicum vero aleatorem dicunt esse illum, qui indifferenter, seu cum diuersis, & ad longum tempus, & de notabili quantitate, & frequenter ludit. *Rota decis. 426. p. 1. diuersorum.*

332 Sed hic notanda sunt verba textus in *cap. Inter dilectos. De excessib. Prælatorum*, quæ sunt ista. *Nos tamen, qui ex officij nostri debito pestes huiusmodi exstirpare proponimus: atque ludos voluptuosos (occasione quorum sub quadam curialitatis imagine ad dissolutionis materiam deuenitur) penitus improbamus excusationem, quæ per prauam consuetudinem (quæ corruptela dicenda est) palliatur, friuolam reputantes cum in illis magis plectibilis sit offensa, per quos ad excusandas excusationes in culpis delinquendi auiditas vsurpatur, quod circa eundem P. de succentoria factum esse dignoscitur propter indignitatem, & vilitatem ipsius duximus irritandum.* Plura enim verba sunt in hoc textu ponderanda. Et primo quidem, quod Pontifex alearum ludum vocat voluptuosum. Vt vero supra etiam dictum fuit, licet voluptas aliquando sumatur in bonum, *potius tamen in malum*, sonat, iuxta illud Isaiæ 13. *Sirenes in delubris voluptatis*, & Ezech. 31. *Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram vltimam.* Et 2. ad Timot. 3. *Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati &c. & voluptatis amatores magis quam Dei*, nimirum, vt explicat D. Thom. tanquam Sirenæ in delubris vanitatis. Et ad Titum 3. *Eramus aliquando &c. errantes seruientes desiderijs, & voluptatibus varijs, &c.* Et 2. Petri 2. *Percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias.* In omnibus enim his locis voluptas importat delectationem non conformem rectæ rationi, eiusque metas, & terminos excedentem, vel quia ex re rationi contraria quæsita, vel nimio amore, & per excessum amata.

333 Merito igitur ludus alearum dicitur voluptuosus, quia regulariter non nisi ex voluptate assumitur, & vix ex honesta delectatione est amabilis. Duo enim habet ludus taxillorum, primum quod consistit in casu, secundum quod est breuissimum, vnde pro momentaneo iactu tesserarum exponitur ludi præmium, vel pretium. Ex his consequitur, quod parua, vel fere nulla est delectatio in ludi actione, & substantia; tum quia breuissima est; tum quia secundum substantiam nihil habet de arte, & ingenio, aut rationali discursu; nam & fatuus, immo, & simia iactare posset tesseras, & ludere; vnde breuissima illa delectatio, nec fere est humana, cum actio ad quam consequitur posset haberi à fatuo, immo & à bestia. Delectatio autem talis ludi est in euentu, & in victoria, quod est dicere in lucro; vnde talis ludus est instrumentum auaritiæ, & cupiditati irrationabilis lucri deseruiens, ac proinde voluptati. Nam & cum hæc victoria, non sit delectabilis, quia sit parta ex arte, & ingenio, sed ratione casualis lucri; ideo delectatio in ludo taxillorum vix potest reperiri, nisi quæ fundetur in lucro, quod quidem auare appetitur, si principaliter quæritur. Vnde est, quod qui ludunt huiusmodi ludo regulariter id faciunt intuitu lucri, & propter lucrum tanquam ob finem principalem, & ideo ex voluptate. Ludus igitur alearum est ludus voluptuosus, & vix ex honesta delectatione amabilis, quia est ludus, qui non ratione sui affert humanam delectationem, sed ratione lucri in quo victoria ludi consistit.

334 Dicitur secundo de hoc ludo, quod ratione eius sub quadam curialitatis imagine ad materiam dissolutionis deuenitur. Talis enim ludus dissoluit animum, non recreat. Cum enim consistat in casu, & delectatio eius sit posita in lucro ex fortuna obtinendo, & quod regulariter non nisi auare quæritur & obtinetur, hinc est, quod vt plurimum, & regulariter tria mala ex eo sequuntur, quæ sunt blasphemia in Deum, qui casum regit, & fortunam gubernat, conuitia in proximum, cui fortuna arridet, & dilapidatio substantiarum, cum sæpissime contingat, vt breui iactu tesserarum magna quantitas perdatur. Parisatem enim Persarum Reginam matrem Artaxarsis ludentem cum filio vno iactu mille Daricos amisisse data opera narrat Plutarchus in Artaxerse. Ad huiusmodi vero tria vitia huic ludo connexa, sequuntur postea lites, percussiones, vindictæ, mortes, furta, & mille mala, de quibus videri possunt S. *Cyprian. tractat. de aleatoribus. S. Ephrem de renunc. in baptismo facta. S. Basil. hom. 6. in Hexam. D. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 23. §. 6.* Vbi tot mala oriri probat ex hoc ludo, quot sunt puncta in taxillis.

335 Hinc tertio considerandum, quod Innocent. III. non admisit excusationem consuetudinis ludendi aleis, sed hanc corruptelam fuisse dixit, & quidem merito, quia cum de ratione veræ consuetudinis sit, vt sit rationabilis, vix possibile est dari causam rationabilem, quæ reddat honestum ludum alearum in Clericis. Et quidem si loquamur de alea proprie, quæ est tessera, vel talus, aut taxillus, vel etiam de ludo chartarum, quod conueniat cum tessera in eo, quod sit circa breuem iactum fortunæ, moraliter loquendo, non potest dari causa rationabilis, quæ similes ludos excuset, quia hæc non potest peti ex parte delectationis, & recreationis, quia ludus huiusmodi præcisa delectatione victoriæ & lucri, conctam habens, vt plurimum auaritiam, & quæ non decet Clericos, parum aut nihil humanæ delectationis habet. Et licet valere possit ad fugiendum otium; tamen non desunt quamplures alij ludi, quibus Clerici, & ad recreationem, & ad fugiendum otium tempore, in quo non possunt se in terris occupare, vtantur. Ideo moraliter loquendo omnis consuetudo ludendi tesseris, aut alijs ludis puræ fortunæ, in quibus, vel nihil, vel fere nihil est de industria, est corruptela, & abusus. In alijs vero ludis; qui sunt mixti, & in quibus simul cum fortuna multum est de industria, locum potest habere consuetudo. Quia in istis præcisa victoria, & lucro, mul-

tum

tum est de industria locum potest habere consuetudo, quia in istis præcisa victoria, & lucro, multum est industriæ, & humanæ delectationis, vnde valeant ad animum recreandum. Vnde est, quod ludus tabularum cum taxillis consuetudine licet, sicut & nonnulli ludi chartarum. Et nihilominus considerandum est, quod lex prohibens ludum quatenus est pœnalis consuetudini est subiecta, & posset dari causa rationabilis, ea qua abrogaretur, sicut in hoc sensu esse abrogatam quantum ad laicos docent communiter DD. sed tamen, non est abrogata quantum ad clericos, sed immo à Concil. Trid. est confirmata.

336 Quarto considerandum, quod aleator, si sit publicus, dicitur indignus, & vilis, ideoque infamis, quod sine dubio intelligitur de infamia facti. Ille vero dicitur publicus aleator, qui cum diuersis indifferenter, ad longum tempus, magnam quantitatem, frequẽter ludit. Ita *Rota p.1. diuers. decis.426.* Nam in ludo maxime in ordine ad forum externum datur paruitas materiæ, quæ in proposito secundum duo attendi debet. Primum secundum quantitatem materiæ, quæ ludo exponitur, quia Clericus de bonis Ecclesiæ magnam quantitatem ludere non potest. Et cum hoc sit contra ius diuinum obligans clericum ad non abutendum bonis Ecclesiæ eisque non vtẽdum nisi in vsus pios, hinc est, quod nec consuetudine introduci potest, quod Clericus magnam quantitatem ludat, & si sic publice fiat, Clericus est ex hac parte peccator publicus. Sed secundo ad publicum aleatorem requiritur frequentia ludendi. Non enim habetur pro publico peccatore quantum ad forum externum, qui solum aliquando peccat, & non est publice in malo habituatus; nec aliquando peccare tollit famam boni viri, quia humanum est peccare, & diabolicum perseuerare, ideo non censetur publicus aleator, qui aliquando publice ludit, sed qui est habitualis lusor alearum, vnde frequenter & indifferenter cum sibi se se offert occasio publice ludit aleis. Sed dices, nunquid vtraque harum conditionum est necessaria ad publicum aleatorem? Seu nũquid ludens indifferenter cum diuersis, & frequenter, licet in modica quantitate, est publicus aleator? Respondetur interrogationem ex parte supponere falsum, nimirum, quod possit dari frequentia ludendi ludo prohibito, & non adsit quantitas magna bonorum Ecclesiæ, si hic frequenter ludat, & perdat. Sed quia iste in singulo ludo potest paruam quantitatem exponere, & numquam ludendo perdere, & sic nunquam in materia, & quantitate graui violare legem diuinam obligantem ad non vtendum bonis Ecclesiæ nisi ad vsus pios, hoc dato. Respondetur, quod est publicus aleator quicumque est habitualis, & frequens lusor ludo alearum prohibito, & nec legitima consuetudine approbante permisso. In foro enim externo, hic est publicus legis violator. Nec valet dicere, quod lex non prohibet ludũ nisi in magna quantitate. Quidquid enim sit in foro conscientiæ, an ludens aleis frequẽter paruam quantitatem peccet; Nam non peccare dixerunt expresse *Sà v. ludus num.1. Val. disp.5. q.6. p.5. §.1. & 2. relati à Palao tr.16. d.4. p.13. §.5.* & tenent illi, qui existimant, quod præcisa contumacia, lex de non ludendo aleis, saltem non obliget ad mortale, in foro externo aliter est dicendum; Nam lex absolute prohibet ludum alearum, non præcise ratione materiæ, quæ in singulo iactu aleæ luditur, sed ratione qualitatis ludi secundum se, & ratione malorum, quæ regulariter illi adiuncta sunt, & ratione periculi etiam perdendi magnam quantitatem ad quam ludens se exponit. Ideo qui ludit vel semel ludo alearum violat legem. Et aliud est, quod non violet legem in re graui, vel in ordine ad pœnam grauem, si pœna est imposita solum ludenti frequenter, vel contumaci in ludo, aliud est quod legem non violet; hoc enim secundum est falsum, quia lex prohibet ludere absolute, quod si quis indifferenter, vel immo solum frequenter, & habitualiter publice ludat, etiam si cum eodem solum ludat, iste est publicus aleator, quia est publicus habitualis, & impœnitens, seu consuetudinarius violator legis de non ludendo aleis, & ideo in foro externo est infamis. Adde quod coram Deo hic ludus etiam in parua quantitate vix potest haberi sine aliqua culpa. Quia hic ludus est voluptuosus, & vix amabilis nisi ex auaritia, & cupiditate lucri, vnde publicus aleator præsumptiue saltem est publicus voluptuosus lusor, & contra legem voluptati indulgens, quod in Clerico non bene stat, & malæ famæ odorem exhalat.

337 An vero infamis infamia facti promotio ad beneficia, & dignitates, sit ipso iure nulla, esse quidem irritandam; non vero esse nullam probaui *tr. de elect. Canon. c.25. n.592.* Et habetur, hoc ex hoc textu, & deducitur ex illis verbis duximus irritandum, sic enim Pontifex, non censuit promotionem P. publici aleatoris, & vsurarij esse irritam, sed esse irritandam. Quod vero addebat Lezana ex Castell. scilicet, quod Prælaturæ Regulares sint beneficia, non habet fundamentum, cum illis nullæ sint annexæ præbendæ & redditus, quorum domini sint Prælati. Beneficium autem iuxta *Sylaest. v. beneficium*, est actio gaudium tribuens accipienti, Ecclesiasticum redditum propter officium tributum. Nec ad probandum, quod publici aleatoris electio ad Prælaturam regularem sit irrita, vel irritanda est necesse probare, quod huiusmodi Prælaturæ, sint beneficia, nam ad hoc sufficit, quod sint dignitates Ecclesiasticæ, quia infamibus patere non debent portæ dignitatum, vt dicitur in hoc textu. Bene vero *Glossa in cap. Inter dilectos v. aleatorem, & Panorm. ibid. num.4.* aduertunt, quod ad cassandam electionem, seu irritandam præsentationem, aut collationem aleatoris, non est necessaria monitio, & contumacia, ita quod confirmanda sit electio, si electus aleator velit desistere, sed sufficit, quod constet, quod sit aleator. Quamuis vbi tractetur de deponendo eo, qui est legitime promotus, aut beneficiatus requiratur monitio, nec possit immediate deponi, si velit ludum desinere. *d. c. Episc. d.35.*

338 Quod etiam Clericus lusor aut ludi inspector damnandus sit ad triennalem in monasterio inclusionem, & ad triennalem suspensionem ab altaris ministerio, reseruato iudici arbitrio dictum tempus minuendi ex authen Interdicimus, de Episc. & Cler. voluerunt *Caccialupus de Ludo num.61.* & alij apud *Farinac. in praxi p.3. q.109. num.93.* Sed hæc pœna inaniter ab Imperatore fuit lata sine iurisdictione, nec fuit à iure canonico approbata. *Lopez ad Diaz. cap.70. lit.C. Menoch. de arbit. l.2. casu.339. Farinac. d. num.63.*

339 De Regularibus porro Clericis aut etiam Religiosis loquendo, si quæratur an ludus aleatum in illis sit peccatum mortale. Respondent ita esse, qui & in Clericis secularibus volunt id esse mortale, & *Val. tom.3.disp.5. q.6.p.5.col.31. Peyr.in Pral. Regal.q.2.cap.2.num.93.* vbi refert pro eadem sent. *Nauar.cap.20.num.6.* qui nihil ibi habet de Regularibus, sed de Clericis loquitur, nec absolute docet eos peccare mortaliter, si ludant aleis. Probatur vero hæc sententia. Tum ex *cap.Episcopus.d.35.& cap.peault.de vit.& honest. Cleric.* tum ex præcepto *Concil.Senonen.cap.25.apud Cresp.verb. ludus.tum ex can.50.Concil.6.Constant,* in quo aleatores iubentur excommunicari. Tum ex *l.solent ff.de alea lud. & aleat.& auth.aliarum ludus.C.de relig.& sumpt.fun.* Tum quia ludentes huiusmodi ludis censentur infames. Alij vero distinguunt inter Religiones magis strictas, vel minus, sic enim Magistrum Bannes dixisse, si vidisset Patrem societatis semel ludentem aleis, se iudicaturum eum peccare mortaliter, refert *Card. de Lugo disp.31. num.12.* Vbi ipse idem iudicandum censet de Religioso Carmelita discalceato. Cuius ratio sumitur ex indecentia, quam talis ludus secundum præsentem statum tali Religiosorum statui afferre videtur. At vero in Religionibus in quibus ludus cartharum sunt in vsu, possunt Religiosi etiam sine culpa veniali ludere inter se aliquam paruam pecuniæ quantitatem ob honestam causam, vt ad recreandum socios, & se ipsos, nisi adsit scandalum, vel præceptum in contrarium. *Anton.à Spir. Sancto tr.3. disp.4. num.323,* & apud eum *Belasius, & Dicastillas,* Idem tenet *Diana p.7.tr9.resol.4.* quorum vnusquisque de sua Religione affirmat, quod esset peccatum mortale, si Religiosus, vel semel luderet carthis. Vnde subdit idem *Anton.à Spir.Sancto ex Bannes, Dicastillo, & Diana.* quod Prælati talium Religionum mortaliter peccarent, si huiusmodi ludos permitterent, propter scandalum, quod daretur alijs Religiosis aperiendo viam ad similes ludos hucusque in illis Religionibus, nec visos, nec auditos. Alij aliter distinguunt, & in duobus casibus ludum alearum in Religionibus, & Episcopis dicunt, non esse peccatum mortale. Primus est casus alterius necessitatis, vt ad leuandum, & consolandum infirmum, vel in carcere coniectum, vel ob similem causam. Secundus est si Episcopus, vel Religiosus parum ludat recreationis gratia. In reliquis casibus dicunt esse peccatum mortale, *Alcozer de Ludo c.11,* quem sequitur *Sanchez l.1.Conf.cap.8.dub.28.nu.9.* id confirmans ex *Medina l.1.sum.cap.14.§.28.* dicente Episcopos, & Religiosos his ludis sæpe ludentes peccare mortaliter. Alij de Clericis, & Religiosis in vniuersum dicunt eos non peccare mortaliter si citra scandalum semel, vel iterum dictis ludis ludant recreationis gratia, & tem paruæ quantitatis, in his enim casibus, vel similibus quando prædictæ, & aliæ circumstantiæ occurrerint, vt prudentis arbitrio iudicetur legem de non ludendo non obligare Clericos, & Regulares tunc ludentes, nec venialiter peccare. *Lezana v. ludus. num.4.* vbi addit ex *Bordon.resolut.33.num.3.* quod ad hoc, vt ludus dicatur frequens, sufficit, si quis ludat semel in hebdomada.

340 Punctum huius difficultatis est videre ex qua lege ludus aleatum sit prohibitus Regularibus. Nam quidem certum est, quod vbi ex lege sui Ordinis Religioso sit prohibitum sub mortali ludere aleis, quod peccat mortaliter ludendo. Si vero lex obliget sub veniali, vel sub nulla culpa, Religiosus ludens, vel venialiter, vel nullo modo peccat sic ludens per se loquendo, & præcisa mala circumstantia. Ex lege autem diuina Religiosus mortaliter peccat ludendo, siue aleis, siue quocumque ludo in duobus casibus. Primo scilicet si ludat pecuniam, vel pecunia æstimabile sine licentia superioris. Tunc enim est proprietarius etiam si ludat cum Religioso sui Ordinis, & Conuentus, & tunc semper peccat mortaliter, nisi leuitas materiæ excuset à mortali. Secundo ex lege diuina prohibente vsum bonorum Ecclesiæ, & patrimonij Christi ad profana peccat mortaliter Religiosus etiam si cum centum mille licentijs superiorum ludat, si pensatis pensandis per se vsus pecuniæ expositæ ludo est talis, & tantus, vt dici debeat prodigus, seu si non sit vsus pius. Neque enim licet Ecclesiastico causa solius recreationis animi consumere, vel expendere aut alienare quam cumque quantitatem. Quamuis in hac parte vbi Religiosus cum Religioso ludit, quia pecunia non extrahitur, sed semper remanet de patrimonio Christi, & parum interest per se, & præcisis circumstantijs, quod res, sit apud hunc, vel alium Religiosum, ex hac parte non fit contra hanc Christi legem, si Religiosus cum alio Religioso ludat magnam quantitatem, quia patrimonium Christi non consumitur ad prophana, sed de vno Ecclesiastico ad alium transfertur manente eadem obligatione ad non vtendum illa quantitate nisi in vsus pios. Quod non verificatur in Clerico seculari capaci dominij, & qui bona ludo acquisita habet tanquam profana, seu temporalia, & mundana. Addo etiam tertio, quod Religiosus ex vi licentiæ generalis vtendi aliqua pecunia ad vsus honestos, nō potest ludere pecuniam ludo alearum, seu quocumque alio ludo vetito, sed nisi leuitas materiæ excuset peccat mortaliter ludendo. Dico etiam quarto, quod ex vi legis naturalis aut diuinæ tenetur in ludo abstinere ab iniustitia, dolo, fraude, conuicijs, & ab omni alia circumstantia mala.

341 Remanet ergo dubium an ex vi legis communis Ecclesiasticæ obligetur Religiosus sub peccato mortali abstinere à ludo alearum. Duæ autem sunt leges ponderandæ. Nam quæ adducuntur á Peyrino, vel ex Concil. Prouin. Senonen. vel ex sexta Synodo Constantinopol. non obligant. Nam lex illa Concil. Senonen. est Concilij Prouincialis, non inserta in corpore iuris, vnde non obligat totam Ecclesiam. Concilia enim Prouincialia non habent vim obligandi extra Prouinciam, etiam si confirmata per Papam. *Fagnanus cap. Canonum statuta num.14. & 15. de Constitut.* Et quantum habetur ex Brancato in Epitome, verb.Clerici à quibus abstinere debent in eo Concil.Senonen. & in Concil.Mediol.1. fuit prohibitum Clericis publice ludere pila, aleis, vel similibus ludis, vnde non fuit prohibitus ludus aleæ absolute, sed publicus Canon vero 50.6. Synodi Constantinopol. cum vt dictum fuit supra, nec fuerit sextæ synodi, sed cuiusdam Conciliabuli celebrati anno 692. non est habendus in aliqua consideratione dum agitur de legis obligatione.

Rema-

342 Remanent igitur duæ leges, altera *Concil. Lateranen. sub Innoc. III. quæ ex cap. 16. dicti Concil. exposita est in cap. Clerici officia de vita, & honest. Clericor. & canon Episcopus 35. dist. desumptus ex can. 41. & 42. Apostolorum Palaus vero tr. 16. disp. 4. p. 13. §. 5. num. 2.* quærens an prohibitio, non ludendi se extendat ad Religiosos non Clericos arbitratur, quod cap. illud Clerici officia se extendat ad Religiosos etiam laicos, quia sub nomine Clericorum veniunt Religiosi, quando prohibitio decentiam status respicit. Sed bene consideranti textum illius Capitis de facili constabit, quod in eo non comprehenduntur Religiosi, nec laici, nec Clerici, nec sacerdotes, sed solum Clerici seculares. Nam primo si in Concil. Lateranen. consideremus titulum illius cap. qui est. De indumentis Clericorum, deinde attendamus, quod in eo cap. vere agitur de indumentis Clericorum secularium, & nihil commune habent ibi decreta de habitu Clericorum cum habitibus Regularium, & si amplius inspiciamus, quod in eo *Concil. in c. 12. & 13.* ordinata fuerant, quæ ad statum Monachorum, & Religiosorum pertinebant, & postea in c. sequentibus dispectantibus ad Clericos decernit, tractans in c. 14. de incontinentia Clericorum punienda, & cap. 15. de arcenda ebrietate Clericorum, & cap. 16. de indumentis Clericorum, clare apparebit Concilium ibi loqui, non de Religiosis, vel de statu Ecclesiasticorum in communi, sed de Clericis secularibus. Vnde nedum ex ea ratione communi, quod sub nomine Clericorum non veniunt Religiosi, sed ex ratione speciali, & ibi expressa, quia de ijs Clericis loquitur, de quorum indumentis agit, & hi sunt soli Clerici seculares, apparet quod sub lege dicti cap. & ex consequenti sub ea parte in qua prohibet ludum alearum, non comprehenduntur Religiosi. Et ad rationem in oppositum respondetur, quod regula illa assumpta, scilicet quod sub nomine Clerici in ijs, quæ respiciunt decentiam status, veniunt Religiosi est regula fallax. Et fallit nedum vbi ex verbis legis constat, quod est sermo de Clericis secularibus, sicuti in præsenti contingit. Sed fallit etiam, quia & in ijs, quæ concernunt decentiam status, bene potest esse, quod ratio boni communis dictet per nouam legem positiuam prohiberi aliquid Clericis, cuius legis nulla sit necessitas respectu Religiosorum, vel econtra, sic enim, & de facto Pontifices noua lege vni Religioni, non omnibus prohibent aliquid, vt patet de Clem. ne in agro, de vita & honest. Cleric. vnde est, quod sub lege prohibente aliquid vni Religioni, non comprehendantur aliæ Religiones. Ita & sub lege prohibente aliquid Clericis, non veniunt Religiosi, quia lex prohibens Clericis, si voluisset comprehendere Religiosos omnes, id expressisset; legislatores enim bene sciunt vim verborum, nec imprudentes sunt, vt si intendant ligare omnes vtantur verbo vnam solam partem comprehendente. Ex vi ergo legis d. cap. Clerici officia Religiosi, nec sub mortali, nec sub veniali prohibentur ludere aleis, quia sub ea, non comprehenduntur. Et cum per proprias leges ab huiusmodi abusu arceantur, & maxime, quod ex voto paupertatis non conuenit Regularibus parum etiam ludere, nisi de licentia superioris, pro illis, non fuit necesse nouam aliam legem condere.

343 Remanet ergo lex d. c. Episcopus habens vim ex Apostolorum traditione, & praxi totius Ecclesiæ à temporibus Apostolorum, & expresse comprehendens etiam laicos. Quamuis vero dicta lex quantum ad laicos seculares dicatur abrogata, & quantum ad Clericos seculares multi sentiant esse abrogatam ex parte aliqua, vt patet ex dictis. Nihilominus ex citato cap. Inter dilectos, de excessibus Prælatorum, ego considero, quod consuetudo ludendi multo magis est abusus, & corruptela in Regularibus, si adsit quam in Clericis, sic quamuis etiam *Concil. Trid. sess. 22. cap. 1.* loquatur de Clericis secularibus, nihilominus ratio eius etiam magis viget, & necessitat, vt nulla obstante consuetudine ludus alearum, si alicubi irrepsit tollatur. Certe enim ludus taxillorum est ita voluptuosus, & malus, vt in Regularibus nulla sit dabilis consuetudo rationabilis, quæ illum permittat, vt ex supradictis patet. Et eadem est ratio de ludo chartarum, & omni alio, qui sit ludus puræ fortunæ. Posset vero esse, quod aliquis ludus chartarum, qui etiam sit industriæ magnæ admitti posset, & eius vsus non sit irrationabilis. Verum semper considerandum est, quod ludi chartarum maxime cupiditati, & auaritiæ deseruiunt, & quod de vno ex illis ad alium est facilis transitus, & huiusmodi ludi in secreto de facili haberi possunt, & valde distrahunt animum Religiosorum à negotijs spiritualibus, vnde peculiaris pensandis difficile est, quod possit in Regularibus dari consuetudo ludendi aliquo ludo chartarum, quæ non sit abusus. Et eo magis, quod non desunt alij ludi, qui honestæ recreationi Religiosorum possint deseruire.

344 Inde est, quod nedum in Religionibus obseruantioribus, sed in omni Religione Prælati huiusmodi pestes, & ludos voluptuosos, nulla consuetudine obstante, iuxta sancita in *Conc. Trid. sess. 22. cap. 1.* extirpare debent, & grauiter peccant, si id non faciunt, & si huiusmodi ludos permittunt, & multo amplius si dant licentiam eis ludendi suis subditis; manifestum enim est, quod per vsum horum ludorum, sub prætextu recreationis Fratrum, sternitur via ad dissolutionem Religionum, & præcipue sancta paupertas euertitur.

345 Cæterum lex contenta in dictis Canonibus Apostolorum, quantum sit ex se eodem modo obligat Clericos, Religiosos, & Laicos, licet in Religionibus dici non possit, neque debeat, quod sit contraria consuetudine rationabili abrogata. Neque est vnde quis dicat, quod si lex d. cap. Episc. sit abrogata ex parte quoad Clericos seculares, sit etiam eodem modo abrogata quoad Religiosos, quorum institutum posterius cum sit, supponit iam legem abrogatam, nec obligantem amplius. Quia falsum supponitur. Status enim Religiosorum tam antiquus est in Ecclesia, quam status Clericorum, & à temporibus Apostolorum cœpit, vt dictum est supra. At vero in hoc statu nunquam potuit, ex rationabili consuetudine, ideo nequam vnquam fuit rationabiliter abrogata præfata lex, sed viuit, & obligat Regulares, nullo obstante abusu, nisi forsan secundum quid (quod tamen valde difficile est) & circa aliquam particularem speciem ludi habentis multum de industria, & non continentis indecentiam considerabilem ad statum Religiosum.

346 An vero prohibitio ludendi afficiat omnes Religiosos; dicendum est omnes obligare. De Episcopis ex Religione assumptis, aliqui dicunt eos posse ludere huiusmodi ludis, vt Episcopi, non vero vt Religiosi. Sed cum lex Canonica, sit vniuersalissima se extendens etiam ad laicos, quantum sit ex vi sua; adeo tenentur tam vt Episcopi, quam Religiosi vt Episcopi l. d. capit. Clerici officia. Tenentur etiam legibus suorum Ordinum prohibentibus huiusmodi ludos iuxta doctrinam D. Thom. explicatam supra quæst. 185. artic. 8. Nouitij quoque licet non subdantur legibus Ordinum, eas tamen experiri debent, & præterea legi Canonicæ subduntur, neque consuetudine excusari possunt, quia hæc consuetudo non datur respectu Religiosorum, & eorum qui viuunt intra claustra, intuitu status perfectionis. Laici Religiosi quoque dato, quod non subdantur legi Concil. Lateranen. sub Innocentio III. subiecti tamen sunt legi can. Episcopus dist. 35. Vnde & Religiosi milites, nisi eos excuset consuetudo legitime præscripta, peccant ludendo aleis contra præscriptum S. Canonum.

347 Quomodo etiam liceat Religiosis ludere paruam quantitatem de licentia superiorum, etiam cum secularibus sine scandalo, & vnde hæc parua quantitas sit mensuranda; & qualiter, & quomodo Religiosus, si ludat sine licentia teneatur ad restitutionem tam ipse, quam qui cum eo ludit, dictum est supra q. 186. a. 7. à nu. 495. pag. 617.

348 An etiam Religiosus possit vnico ludo perdere totam illam summam, quam posset perdere pluribus vicibus per annum, cedando in hoc iuri suo, & proponendo omnino abstinere à ludo per annum. Respondetur quod, vt dixi supra q. 186. a. 7. num. 463. primo in hoc quæsito supponitur, quod sit determinata quantitas, quam Religiosus possit ludere per annum, quod non admittitur; quia hæc pendet ex occasionibus, & iustis causis ludendi, quæ possunt esse plures, & variæ, & mutabiles. Ideo dicimus quod difficile est, quod sine aliquo peccato possit Religiosus simul vnico actu ludere totam illam quantitatem, quam plus, vel minus posset ludere per annum, quia difficile est, vt adsit ratio, quæ honestet ludum tantæ quantitatis, & iustificet periculum ad quod se exponit talis Religiosus ludendi maiorem quantitatem ex occasionibus per annum occurrentibus. Nihilominus re spectata metaphysicè non erit in dicto casu proprietarius Religiosus habens licentiam ad tantam quantitatem, nec peccabit contra Canones, si alias ludus non sit illi prohibitus, ita vt possit tunc ludere paruam quantitatem, & adsit de præsenti causa honesta ludendi eam quantitatem quam ludit. Et sic nec sufficit licentia ludendi, & facultas respiciens diuisim quantitatem v. g. duorum scutorum, sed necessaria est licentia ludendi nunc simul hæc duo scuta, & ratio honesta id faciendi.

349 De ludo etiam sponsionis posset esse difficultas, an liceat Religiosis. Est vero sponsio contractus ludi per quem aliqui pro futuro euentu se obligant vnus si res eueniat, alius si non eueniat. Quem ludum esse vanum, & malum, quia nulli vtilitati, sed cupiditati deseruit ex *Archid.* dixit *Sylvest. v. negotium num. 4.* Verum supposito, quod de se non sit malus ludus, sicuti non est, quod liceat etiam Religiosis, dixit *Peyr. in Prat. Regul. q. 2. cap. 3. num. 102.* Qui tamen addit nunquam fuisse licitas sponsiones super extractione Senatorum Genuæ, quia solum fiebant ob cupiditatem lucri. Verum nec omnis amor lucri est cupiditas, & auaritia, quia auaritia non est quærere lucrum ad sui sustentationem. Quod potuissent facere Clerici, & Religiosi spondentes. Quod vero præfatæ sponsiones sint prohibitæ Clericis, & Regularibus, & Genuæ hic sit casus Archiepiscopo reseruatus, alia res est. Ego vero cedo, quod cum sponsio sit ludus fortunæ, sit prohibitus Clericis, & Religiosis, sicut & alij fortunæ ludi. Huiusmodi enim sponsiones non sunt, nisi iactus quidam taxillorum, vt pro puncto, qui aduenerit, ludentes, vel lucrentur, vel perdant.

350 Plures quoque alij ludi sunt Clericis, & Religiosis prohibiti, præter ludos alearum. Nam primo interdicti sunt ludi omnes, qui fiunt cum armis. Nam Clericis prohibitum est arma portare, nisi in casu necessitatis, vt *cap. 2. de vit. & honest. Clericor.* ibi. *Clerici arma portantes, & vsurarij excommunicentur.* Et in *d. Clem. Ne in agro, §. quia vero.* Monachi prohibentur tenere arma intra septa Monasterij sub pœna excommunic. vt patet ibi. *Præfata quoque sententia Monachos infra septa Monasteriorum, sine licentia Abbatum suorum arma tenentes decernimus subiacere.* Quod in Prouincia Mediolanen. omnibus Regularibus est prohibitum sub excommunicationis, & aliis pœnis, ipso facto incurrendis ex eo quod Concil. Prou. ex auctoritate Pauli Quinti extensum sit etiam ad Regulares, vnde de hoc extat etiam decretum Sacr. Congreg. Regularium apud *Peyr. ad Constit. 4. Clement. 8. num. 9. Lezanam p. 1. cap. 9. nu. 27.*

351 Armorum autem nomine, quod veniant non tantum scuta, balistæ, sclopi, gladij, galeæ, sed etiam fustes, & lapides plures affirmant, *l. armorum. ff. de verbor. significat. & l. 3. §. armis. ff. de vi & vi armata,* sed certe lapides, fustes, & saxa nomine armorum non veniunt, nisi persecutione loquitur. *Barbos. in Apellat. v. arma nu. 1.* & nisi in eo loco versentur, in quo sit consuetum habere saxa pro armis. *Tuscus l. A. conc. 514.* Immo armorum nomine licet regulariter veniant, etiam quæ ad defensam parata sunt, in odiosis tamen sola offensiua comprehenduntur. Vnde sub statuto prohibente arma, solum offensiua comprehenduntur. *Barbos. num. 2. Glossa* tamen, *& Panorm. num. 22. in Clem. Ne in agro, de stat. Monac.* volunt, quod arma defensiua, stricte arma dicantur. Sub nomine vero armæ non venit cultellus ad frangendum panem, quia nec comprehenditur sub gladij appellatione, *Panorm. in cap. lator num. 3. de homicid. & cap. 12. nu. 7.* & ibi, *Bald. num. 1. de vit. & honest. Cleric.*

352 In casu necessitatis tamen Clericis permittuntur arma, vt si per loca periculosa iter faciant, ad terrorem latronum. *Gloss. in d. cap. Clerici. Bald. num. 2. Panorm. num. 8.* & vbi supra *Farin. num. 110. Bellet. num. 15. Graff. num. 33. Barbos. num. 53.* Vel si haberent inimicitias, vel ex alia iusta causa, *Bald. num. 7. Barbos. d. num. 53. & l. 1. de iur. Eccles. cap. 40. numer. 139.* Sed Religiosis competit se defendere. *Turrecrem. num. 23. q. 8. num. 3.* etiam sine licentia superioris, licet hæc si commode haberi possit sit postulanda, *Panorm. d. cap. Clerici num. 7. Barbosa*

autem

autem d.cap.40.num. Et in casu necessitatis possunt etiam & debent patriam, & Religionem defendere prout explicat *Caiet.sup. q.40.a.2.num.140. & 141.* bene probat, quod si Clericus contra leges, aut statutum Principis deferat arma prohibita, etiam proditoria, etiam si statutum si generale, & datum ad communem vtilitatem, non per hoc Clericus potest spoliari armis à iudice laico. Quidquid multi DD. sine lege, & fundamento loquentes in contrarium senserint. Nam vt habetur ex *cap. In audientia, de sent.excom.* Clericus portans arma, etiam sine habitu, & tonsura, si non se immiscet enormitatibus, non perdit priuilegium clericale, nisi ter monitus à iudice Ecclesiastico militaria arma noluerit deponere. *Panorm.ibid. num.8. & in d.cap. Clerici numer.8.* Vbi male habet, quod Religiosi tenentes arma intra septa Monasterij sint excommunicati ex *Clem. Ne in agro, de vit. & honest. Clericor.* Cum illa Clem. afficiat solos Monachos.

353 Et quamuis *in d.cap.Clerici 2.de vit. & honest Clericor.* contineatur, quod Clerici portantes arma excommunicentur, tamen bene aduertit, ibi *Panorm.num.9.* quod contra huiusmodi Clericum procedendum sit successiue, vt primo suspendatur, deinde si contemnat excommunicetur, & si iterum fit contumax, deponatur, iuxta textum in *cap. quicumque 23.q.8. & in cap. Clerici*, eadem causa, & quæst. adiungitur, quod etiam pœnitentiæ causa in Monasterium detrudantur.

354 Præcipue vero Clericis, & Religiosis interdictum est, ne adsint bello. *cap. Cum à Iudæis, cap. Eos qui.20.q.3.cap.Clerici 23.q.8.cap.ex multa, § final.de voto, vbi Gloss.ver.inhabiles ad pugnandũ, D Thom.sup.q 40.a.2.& ibi Caiet.& Panorm.in cap. penult.& ibi Card.& Felin.& alij de homicid. Peyr. in Prælat. Regul.q.1.cap.3.num.9.* Et ideo pro Clerico in bello mortuo non debet offerri oratio secundum statutum *Concil.Tiburien. in cap. quicumque el primo 23.q.8.* plures rationes vero affert *Turrecrem. causa 23.q.8. in princip.* ob quas non licet Clerico pugnare, quæ apud eum videri possunt, & etiam apud expositores D. Th. supra loco citato. Et inter alias hæc vna est, quod Religiosorum arma sunt orationes. *cap.conuenior 23.q.8. §.quid ergo.Gloss.in cap.continentia.ver.ad Subdiaconatus, de Cler.peregr.* Vnde S Bernardus ad Ludouicum Regem epist.221. dixit. *Profectò stabimus, & pugnabimus vsque ad mortem, si ita oportuerit, pro matre nostra armis, quibus licet, non scutis, & gladijs, sed precibus fletibusque ad Deum.* Vbi tamen bellum esset causa Religionis, nedum Religiosi de licentia suorum superiorum possent hortari seculares ad fortiter pugnandum, *cap. omni timore, cap.Hortatu 23.q.8. Grat. cap. quicumque §. Istis ita 23. q.3. D.Thom.vbi sup. Nauar.cap.27.numer.215. Peyr.vbi sup* Et hoc nedum ante, sed etiam in ipso conflictu. *Molin. t.1. tract.2.disp.108.* quem sequitur *Peyr. vbi supra*, sed etiam per se ipsos possent Clerici, & Religiosi, qui sunt ciues ciuitatum in quibus habitant arma bellica sumere de licentia Papæ. *Innoc.in olim.1.de restit.spol. Panorm.in cap. Ego N.num.8.de iure iurand. Bald.consil.439.in fin.vol.5.* Sed de tota hac materia armorum prohibitorum Clericis, & Religiosis videri possunt DD. ad *cap.secundum de vit.& honest. Cleric. Carol.de Grass.effect. Cleric.20. Barbosa de off. Parochi p.cap.6.num.51. Bellet.tit.de discipl.Clericor. §.18. Azor.p.2.l.7.cap.15. Farin. in praxi Criminal q.108.* & plures alij, quos isti referunt. Videri etiã debet cap.peruenit, & ibi DD. de immunitate *Ecclesiæ*, vbi decernitur Clericos in necessitate teneri ad custodiam murorum ciuitatis. Vnde licet etiam Ecclesias fortificare, vt illuc fugiunt obsessi *Io. Andr.apud Peyr.vbi sup.num.11.*

355 Cum igitur Clericis prohibitum sit arma portare, nisi in casu necessitatis, ad propriæ vitæ defensam. *Gloss.in d cap.2.* quod decretum afficit etiam Regulares, quorum tam Clericorum, quam Regularium arma sunt orationes, & lachrymæ, *cap.fin.dist.36 cap.porro.16.q.3.cap.conuenior, & cap. non pila, cum alijs. 23.q.8.* sequitur quod nec Clericis, aut Religiosis conueniat ludus aliquis, qui fiat cum armis *Syluest. v. ludus numer.2. Sanchez. de capit.28. Lezana v. ludus num.8.* citatur autem ad hoc *cap. continebatur, de homicid.* in quo Diacono imputatum fuit homicidium casuale ortum ex ludo, in quo iuxta morem patriæ, qui iaciendo in directum baculum suum alterius baculum feriebat, subdebatur huic pœnæ, quod victor victo pro equo vtebatur. Ex eo enim dicũt plures homicidiũ cuiusdã volentis vti aliquo Diacono pro equo, & ob hoc à falce Diaconi vulnerati fuisse imputatũ, quia Diaconus dabat operam rei illicitæ, nimirum ludo sibi prohibito, vel saltem prohibito haberi cum laico. Sed hoc alij negant, & culpam referunt in hoc quod Diaconus subiectus legibus ludi debebat remouere falcem, vnde ex illo loco non colligitur quod ludus ille, qui solum cum baculis agebatur esset prohibitus. Vnde potius debet dici, quod ludi cum armis sint prohibiti Clericis, vel quia fiant cum armis, quæ Clerici portare non possunt, vel ratione periculi mortis, aut multilationis membrorum, aut etiam vulneris, & grauis damni, vel etiam ratione alicuius indecentiæ adiunctæ: Vnde in casu prædicto aduertit ex Hostien. Panorm. quod ludus præfatus erat illicitus non ratione ludi, sed ratione pœnæ, & conditionis, quia indecens erat, quod Diaconus se subijceret laico, vt eo tanquam equo laicus vteretur. Vnde Clericis est etiam prohibitus ludus hastiludij, vt per iura, quæ refert *Barbosa l.1.de iur. Eccles.cap.40.* qui ad hoc plura iura citat, quæ de hastiludio nihil dicunt, vnde huiusmodi ludus ex communi ratione indecentiæ, aut periculi est prohibitus.

357 Item prohibẽtur ludi histrionales. Histriones sunt, qui personam agunt in fabulis, seu qui personati in scenis fabulas agũt, & antiquitus oportet fuisse perditissimos homines, & vitæ deploratæ, cum Romæ pro ciuibus non haberentur, cuius tam multa millia flagitiosorum hominum ciues erant. Notati etiam fuerunt infamia *l.1.& 2. ff.de his, qui notantur infamia & cap.1.4.quæst.1.& cap.pro dilectione de consecr.dist.2.* vnde non possunt promoueri ad Clericatum. *cap. maritum 33.dist cap.1. 51. distinc.& d.cap.pro dilectione. Innoc. Io: Andr. Panorm. Card.in cap.cum decorem, de vita & honest.Clericor.* Histrionum vero nomen alij desumptum dixerunt ab Histria regione, vt Festus; alij ab Hister vocabulo Hetrusco, vt *Liuius l.7.de vrbe condita*, & Plutarchus in problem. Rom. c.17. Nam Hister idem valebat, quod ludio, seu ludius. *Cic. l.4. Tuscul.* Mimi vero dicuntur, qui gesta aliorum imitantur,

num.54.Item illis conuiuijs possunt adesse, qui habenent in anninersarijs defunctorum, sed tamen curandum est, vt in huiusmodi conuiuijs nulla absētiū vita morderi permittatur, ac nullus ex irrisione ssprehendi, nec in eis inanes secularium negociosum fabulæ, plausus, risus incondiri audiendi, seu tesfrendi, ant cantandi, nec turpia ante se fieri, vt in omnibus honestas fulgeat, & modestia *cap. conuiuia, cap. nullus. & cap. pro reuerentia 44.dist.cap.non oportet 2.de consec. dist.5.* In bibendo autem & vinum aqua temperare debent. *cap.à crapula de vit.& honest.Cler.& ibi Host.num. 2.Panorm. num.1.& 2.* Sed etiam prohibentur alios ad bibendum cogere, vel ad potus æquales obligare. *cap. nullus 44.dist.cap.nullus, de consec.dist.5. d.cap.à crapula.* Prohibentur etiam Clerici Tabernas frequentare aus intrare nisi in itinere causa necessitatis *cap. non oportet, cap.nulli, cap.Clerici 44.dist. & cap.Clerici officia, de vit.& honest.Clericorum.* Quod etiam in omni sacerdotali cōuiuio habeatur lectio S. Scripturæ voluit *Conc.Tolet.3.* & hab.*d.cap.pro reuerentia dist.44.* Tenentur quoque Clerici mensam benedicere. *c.quando autem dist.44. D.Io: Chris.hom 79. ad popal.Antioch. D. Hier.epis.22.ad Eustach.c.16.* Quamuis vero *Prepos.in d.cap.non liceat dist.44.teste Barbosa de Paroch.p.p.cap.6.num.14.* crediderit esse mortale sacerdoti, si mensam non benedicat, nihilominus *Nauar.de orat.cap.18.num.42.* hoc esse solum peccatum veniale iudicauit. Pœna autem lata in ebriosos Clericos, vel eos, qui cogunt ad potus æquales est, quod si monitus non satisfecerit suspendatur ab officio, vel à beneficin *d.cap.à Crapule.* Videre autem an Clericus satisfecesis, vel non, & an sit suspensioni locus, est positum in arbitrio superioris. *Gloss.in v. vel beneficia, Suarez de cens. disp.2 sec.2.num.12. Barbosa de Paroc. p.p.c.6.nu.15.* Et nihilominus, quod aliquando liceat Clericis, cum modestia, & temperantia sibi inuicē propinare, voluit. *Concil. Nannetén.c.quando autem.dist 43. & ad idem facit cap. quando Presbyteri ead. distinct.* Hinc quoque solui potest illa quæstio, an scilicet in Clericis locum habeat illa exceptio, quæ est de iure ciuili, vt liceat ludus taxillorum etiam in conuiuio, quam late disputat *Farin.q.109. num.118.* Dicendum enim est hoc Clericis non licere, nēdum quia illis prohibita sunt conuiuia, quæ non sint charitatis, sed quia concessiones iuris ciuilis illis non suffragantur contra legem Canonicam.

360 Pariter ludus laruares Clericis interdicti sunt. Adducitur ad hoc *cap. Cum decorem, de vit. & honest. Cler.* Sed ibi huiusmodi ludos theatrales, aut laruares prohibet fieri in Ecclesia. Qua nihilominus textus ibi vocat monstra laruarum, benę ostendit, quod sint quid de se non conuenientes Clericatui, vnde absolute illicitum est Clericis incedere laruatos, quia dedecet ens fictam personam repræsentare. *Panorm.ibi num.1.Lambert .de iure patr. l.2.p.2.q.9.a.26. Barbosa* plures referens *d. cap.40. num.64. Bellet.tit.de discipl.Cleric.§.23.num.8. Lezana d.num.8.* Regularibus vero prohibitum est specialiter incedere laruatos, quia sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibiti sunt temere proprium habitum dimittere, *cap.2.Ne Clerici, vel Monachi.* Seculares vero, si vt laruati incedant per ludibrium, aut iocum habitum Religionis alicuius assumant mortaliter peccant. *Gloss.in d. cap. Cum decorem Syluest.v.habitus num.5. Rodriq.2. q.76. a.7. Bellet.§.23.num.10.Barbosa num.65.* & tales seculares per iudicem puniendi erunt. Et quidem puniēdos esse pena corporali & tradendos exilio ex § *fin. auth.de sanctiss. Episc.* tradit *Bellet. d. §.23. num.11.* Si tamen sine ludibrio graui, & irrisione per curiositatem & leuitatem secularis vtatur habitu Religioso non est hoc mortale, & posset etiam non esse peccatum, si adsit iusta causa, & cesset penitus irrisio habitus, & Religionis. *Syluest. ibid.*

ARTICVLVS III.

Vtrum Religiosi manibus operari teneantur.

AD *tertium sic proceditur. Videtur, quod religiosi manibus operari teneantur. Non enim excusantur religiosi ab obseruantia præceptorum. Sed operari manibus est in præcepto, secundum illud 1. Thes. 4. Operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. Vnde & August. in lib.de operib. monachor. dicit, Cæterum quis ferat homines contumaces (id est religiosos non operantes, de quibus ibi loquitur) saluberrimis Apostoli monitis resistentes: non sicut infirmiores tolerari, sed sicut etiam fortiores prædicari? Ergo videtur quod religiosi teneantur manibus operari.*

3.di.17.q.1. ar.5. q.4. & quo 9. a.4. & op.19.c.4. 4.co.7.& c. 17.ad 1.ca. 30.param 1 prin.1.5.

2. *Præterea, 2.ad Thess. 3. super illud, Si quis non vult operari, nec manducet, dicit † glos. Dicunt quidam de operibus spiritualibus hoc Apostolum præcepisse, nō de opere corporali, in quo agricolæ, vel opifices laborant. Et infra. Sed superfluo conantur, & sibi & cæteris caliginem obducere, vt quod vtiliter charitas monet, non solum facere nolint, sed nec etiam intelligere. Et † infra. Vult seruos Dei corporalia opera operari, vnde viuant. Sed præcipue religiosi serui Dei nominentur, vtpote se totaliter diuino seruitio mancipantes: sicut patet per Dionys 6.cap. Eccles. hier. Ergo videtur, quod teneantur manibus operari.*

† Est August. in li. de operibus monach.c.1. & 3. t.5. eod. lib.c.3.in fi.

† cap.5. in prin.

p.1.nō procul à fin.

3. *Præterea, Aug. † dicit in lib. de Operib. monach. Quid agant, qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent, scire desidero. Orationibus, inquiunt, vacamus, & psalmis, & lectioni, & verbo Dei. Sed quod per ista*

† cap 17. in princ. t.5.

aan

non excusentur, ostendit per singula. Nam primo de oratione dicit. Citius exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris: illos contemptores intelligens, & indignos exaudiri, qui manibus non operantur. Secundo de diuinis laudibus subdit, Cantica vero diuina cantare etiam manibus operantes facile possunt. Tertio † subiungit de lectione, qui autem se dicunt vacare lectioni, nonne illic inueniunt, quod præcipit Apostolus? Quæ est ergo ista peruersitas, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare? Quarto subiungit de prædicatione, Si autem alicui sermo erogandus est, & ita occupatur, ut manibus operari non valeat, numquid hoc omnes in monasterio possunt? Quando ergo non omnes possunt, cur omnes sub hoc obtentu vacare volunt? quamquam & si omnes possent, vicissim facere deberent, non solum ut cæteri necessarijs operibus occuparentur, sed etiam quia sufficit, ut multis audientibus, unus loquatur. Ergo uidetur quod religiosi non debeant cessare ab opere manuali, propter huiusmodi spiritualia opera, quibus uacant.

[Margin: ga.c.17. pa- gum à prin.]

[Margin: † Ibi. circ. fin. lib. de oper. monach. c. 18. in prin. 10.5.]

4. Præterea, Lucæ 12. super illud. Vendite quæ possidetis, &c. dicit glos. Non tantum cibos uestros communicate pauperibus, sed etiam uendite possessiones uestras: ut omnibus uostris semel pro domino spretis, postea labore manuum uestrarum operemini, unde uiuatis, uel eleemosynam faciatis. Sed ad religiosos pertinet proprie omnia sua relinquere: Ergo uidetur, quod etiam eorum sit de labore manuum suarum uiuere, & eleemosynas facere.

[Margin: In gloss. ordin. ex Aug. de oper. monach. cap. 3. to. 3.]

5. Præterea, Religiosi præcipue uidentur teneri Apostolorũ uitam imitari: quia statum perfectionis profitentur. Sed Apostoli manibus proprijs laborabant, secundum illud 1. ad Cor. 4. c. Laboramus operantes manibus nostris. Ergo uidetur, quod religiosi teneantur manibus operari.

Sed contra. Ad præcepta obseruanda, quæ communiter omnibus proponuntur, eodem modo tenentur religiosi, & seculares. Sed præceptum de opere manuali communiter omnibus proponitur, ut patet secunda ad Thess. 3. Subtrahatis uos ab omni fratre ambulante inordinate, &c. Fratrem autem nominat quemlibet Christianum, sicut & 1. ad Corinth. 7. Si quis frater uxorem habet infidelem, &c. Et ibidem dicitur, Si quis non uult operari, nec manducet. Non ergo religiosi magis tenentur manibus operari, quam seculares.

Respondeo dicendum, quod labor manualis ad quatuor ordinatur. Primo quidem, & principaliter ad uictum quærendum. Vnde & primo homini dictum est, In sudore uultus tui uesceris pane tuo. Et in Psal. 127. Labores manuum tuarum, quia manducabis, &c. Secundo ordinatur ad tollendum otium, ex quo multa mala oriuntur. Vnde dicitur Eccl. 33. Mitte seruum tuum in operationem, ne uacet: multam enim malitiam docuit otiositas. Tertio ordinatur ad concupiscentiæ refrænationem, in quantum per hoc maceratur corpus. Vnde 2. ad Corinth. 6. dicitur, In laboribus, in ieiunijs, in uigilijs, in castitate. Quarto autem ordinatur ad eleemosynas faciendas. Vnde dicitur ad Ephes. 4. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. Secundum ergo, quod labor manualis ordinatur ad uictum quærendum, cadit sub necessitate præcepti, prout est necessarium ad talem finem. Quod enim ordinatur ad finem, a fine necessitatem habet, ut scilicet intantum sit necessarium, in quantum finis sine eo esse non potest. Et ideo qui non habet aliunde, unde uiuere possit, tenetur manibus operari, cuiuscumque sit conditionis. Et hoc significant uerba Apostoli dicentis, Qui non uult operari, nec manducet. Quasi diceret, Ea necessitate aliquis tenetur ad operandum manibus, qua tenetur ad manducandum. Vnde si quis absque manducatione posset uitam transigere, non teneretur manibus operari. Et eadem ratio est de illis, qui non habent alias, unde licite uiuere possint. Non enim intelligitur aliquis posse, facere quod non licite facere potest. Vnde & Apostolus non inuenitur opus manuum præcepisse, nisi ad excludendum peccatum eorum, qui illicite uictum acquirebant. Nam primo quidem præcipit Apostolus

opus

opus manuale ad euitandum furtum, vt patet ad Ephesios quarto. Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis. Secundo, ad vitandam cupiditatem alienarum rerum. Vnde dicit prima ad Thessalon. 4. Operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, & vt honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt. Tertio, ad vitanda turpia negotia, ex quibus aliqui victum acquirunt. Vnde secunda ad Thessalon. 3. dicit. Cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes, curiose agentes: gloss. qui fœda cura necessaria sibi prouident. His autem qui huiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus, vt cum silentio operantes, suum panem manducent. Vnde Hieronim. dicit super epist. ad Galat. quod Apostolus hoc dixit non tam officio docentis, quam vitio gentis. Sciendum tamen, quod sub opere manuali intelliguntur omnia humana officia, ex quibus homines licite victum lucrantur, siue manibus, siue pedibus, siue lingua fiant. Vigiles enim & cursores, & alij huiusmodi, de suo labore viuentes intelliguntur de operibus manuũ viuere. Quia enim manus est organum organorum, per opus manuum omnis operatio intelligitur, de qua aliquis victum licite potest lucrari. Secundum autem quod opus manuale ordinatur ad otium tollendũ, vel ad corporis macerationem, non cadit sub necessitate præcepti secundum se consideratum: quia multis alijs modis potest vel caro macerari, vel etiam otium tolli, quam per opus manuale. Maceratur enim caro per ieiunia, & vigilias, & otium tollitur per meditationes sacrarum scripturarum, & laudes diuinas. Vnde super illud Ps. 118. Defecerunt oculi mei in eloquium tuũ, dicit gloss. Non est otiosus, qui verbo Dei tantum studet: nec pluris est, qui extra operatur, quam qui studium cognoscendæ veritatis exercet. Et ideo propter has causas Religiosi non tenentur ad opera manualia, sicut nec seculares, nisi forte ad hoc per statuta sui ordinis obligentur: sicut Hieron. dicit in epist. ad Rusticum monachum, Aegyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus mens. In quantum vero opus manuale ordinatur ad eleemosynas faciendas, non cadit sub necessitate præcepti, nisi forte in aliquo casu, in quo ex necessitate aliquis eleemosynas facere teneretur, & non posset alias habere, vnde pauperibus subueniret: in quo casu obligarentur similiter religiosi, & seculares ad opera manualia exequenda.

glos. ex. ibid.

In prooemio l. 2. ad Galat. c. 3.

Psal. 118. in gloss. ex Aug.

Ad primum ergo dicendum, quod præceptum illud quod ab Apostolo proponitur, est de iure naturali. Vnde super illud secunda ad Thessal. tertio. Vt subtrahatis vos ab omni fratre inordinate ambulante: dicit gloss. Aliter quam ordo naturæ exigit. Loquitur autem de his, qui ab opere manuali cessabant. Vnde & natura manus homini dedit loco armorum, & tegumentorum, quæ alijs animalibus tribuit, vt scilicet per manus hæc, & alia omnia necessaria conquirat. Ex quo patet, quod communiter ad hoc præceptum tenentur, & religiosi & seculares, sicut ad omnia alia legis naturalis præcepta. Non tamen peccant quicumque manibus non operantur: quia ad illa præcepta legis naturæ, quæ pertinent ad bonum multorum, non tenentur singuli, sed sufficit quod unus vacet uni officio, alius alij: puta quod quidam sint opifices, quidam agricolæ, quidam iudices, quidam doctores, & sic de alijs secundum illud Apostoli prima ad Corinth. 12. Si totum corpus, oculus, vbi auditus? & si totum auditus, vbi odoratus? &c.

gl. interl. ibid.

Ad secundum dicendum, quod glossa illa sumitur ab Augustino in libro de operibus monachorum, in quo loquitur contra monachos quosdam, qui dicebant non esse licitum seruis Dei, manibus operari, propter hoc quod Dominus dicit Matthæi sexto. Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis. Nec tamen per hæc verba inducitur necessitas religiosis, manibus operandi, si habent aliunde unde viuere possint. Quod patet per hoc quod subdit. Vult seruos Dei corporaliter operari, vnde viuant. Hoc autem non magis pertinet ad religiosos, quam ad

c. 4. in arg.

c. 1. in princ. to. 3.

seculares. Quod patet ex duobus. Primo quidem, ex ipso modo loquendi, quo Apostolus utitur dicens, Ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate. Fratres enim omnes Christianos vocat. Nondum enim erant tunc temporis religiones institutae. Secundo, quia religiosi non tenentur ad alia, quam seculares, nisi propter regulae professionem. Et ideo si in statutis regulae non continetur aliquid de opere manuali, non tenentur aliter ad operandum manibus religiosi, quam seculares.

(capit. 17. l. de operibus monachor. to. 3.) Ad tertium dicendum, quod omnibus illis operibus spiritualibus, quae ibi tangit Aug. potest aliquis vacare dupliciter. Uno modo, quasi deserviens utilitati communi. Alio modo, quasi insistens utilitati privatae. Illi ergo qui praedictis operibus spiritualibus publice vacant, excusantur per huiusmodi opera spiritualia ab opere manuali, duplici ratione. Primo quidem, quia oportet eos totaliter esse occupatos circa huiusmodi opera. Secundo, quia huiusmodi opera exercentibus debetur subministratio victus ab his quorum utilitati deserviunt. Illi vero qui praedictis operibus non quasi publicis, sed quasi privatis vacant, non oportet quod per huiusmodi opera a manualibus operibus abstrahantur, nec etiam sit eis debitum, ut de (c. 17 parum a pr.) stipendiis fidelium vivant. Et de talibus loquitur Aug. Quod enim dicit, Cantica divina decantare etiam manibus operantes possunt, exemplo opificum, qui fabulis linguas dant, cum tamen manibus ab opere non recedunt, manifestum est, quod non potest intelligi de his, qui horas canonicas in Ecclesia decantant: sed intelligitur de his qui Psalmos, vel Hymnos dicunt, quasi privatas (capit. 18. in princ.) orationes. Similiter quod dicit de lectione, & de oratione, referendum est ad orationes & lectiones privatas, quas etiam laici interdum faciunt: non autem ad illos, qui publicas orationes in Ecclesiis faciunt, vel etiam publicas lectiones in scholis legunt. Unde non dicit Qui dicunt se vacare doctrinae, vel instructioni: sed qui dicunt se vacare lectioni. Similiter etiam de praedicatione loquitur, non quae fit publice ad populum, sed quae specialiter fit ad unum vel ad paucos per modum privatae admonitionis. Unde signanter dicit. Si alicui sermo erogandus est. Nam sicut gloss. dicit 1. ad Cor. 2. Sermo est qui privatim fit: praedicatio, quae fit in communi. (gl. interl. super illud: Sermo ... praedicatio ...)

Ad quartum dicendum, quod illi qui omnia propter Deum spernunt, tenentur manibus operari, quando alias non habent unde vivant, vel unde eleemosynas faciant, in casu in quo facere eleemosynam cadit sub praecepto: non autem aliter, ut dictum est. Et secundum hoc loquitur glossa inducta.

Ad quintum dicendum, quod hoc quod Apostoli manibus laboraverunt, quandoque quidem fuit necessitatis, quandoque vero supererogationis. Necessitatis quidem, quando ab aliis victum invenire non poterant. Unde super illud 1. ad Cor. 4. Laboramus operantes manibus nostris, dicit gloss. Quia nemo dat nobis: supererogationis autem, ut patet per illud quod habetur 1. ad Cor. 9. ubi dicit Apostolus, quod non est usus potestate, quam habebat vivendi de Evangelio. (gl. interl. ibid.) Hac autem supererogatione utebatur Apostolus tribus de causis. Primo quidem, ut occasionem praedicandi auferret pseudoapostolis, qui propter sola temporalia praedicabant. Unde dicit 2. ad Corinth. 11. Quod autem facio & faciam, ut amputem eorum occasionem, &c. Secundo, ad vitandum gravamen eorum, quibus praedicabat: unde dicit 2. ad Corint. 12. Quid minus habuistis prae caeteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos? Tertio, ad dandum exemplum operandi otiosis. Unde 2. ad Thess. 3. dicit, Nocte & die operantes, ut formam daremus vobis ad imitandum nos. Quod tamen Apostolus non faciebat in locis, in quibus habebat facultatem quotidie praedicandi, sicut Athenis, ut August. dicit in lib. de operibus monach. (cap. 18 t. 3.) Non autem propter hoc religiosi tenentur Apostolum in hoc imitari, cum non teneantur ad omnes supererogationes: unde nec alii Apostoli manibus operabantur.

SVMMARIVM.

1 Messalianorum haeresis. num. 1.
2 Gulielmi de S. Amaro intentum. num. 2.
3 Contra utrosque procedit doctrina articuli. num. 3.
4 Religiosi non magis tenentur ad opera manuum, quam seculares. num. 4.
5 Pro acquirendo victu non est Religiosis necessarius labor manuum, si habent, unde vivant. numer. 5.
6 Nec pro vitando otio, aut reprimenda concupiscentia, si aliunde id praestant. nu. 6.

Nec

6 *Nec pro facienda eleemosyna, si ad id non tenentur. num.7.*
7 *Per opera manuum intelliguntur opera mechanica, & seruilia. num.8.*
8 *Quid sit opus seruile, & mechanicum. n.8.*
9 *Ex solis operibus mechanicis homines lucrantur victum, quamuis operantibus spiritualia debeatur substentamentum. nu.9.*
10 *Opera mechanica sunt de precepto natura, sed non pro singulis. num.10.*
11 *Omnibus, & singulis est necessarius labor manuum, sed sub conditione. num.11.*
12 *Vbi spirituales operationes sunt de præcepto, ob laborem manuum non sunt omittenda. n.12.*
13 *Ex priuata deuotione faciendum, quod est melius. num.13.*
14 *Publica oratio non debet haberi laborando manibus. num.14.*
15 *Priuata oratio etiam de precepto, quando possit haberi manibus laborando. nu.14.*
16 *Prædicatores non petere sustentamentum, sibi debitum est opus supererogationis. n.15.*
17 *In Religionibus in quibus labor manuum est de regula, si sit obsoletus consuetudine, an & quomodo possit restitui. num.16.*

1 MEssaliani qui & Encharitæ, seu Precatores dicti sunt male intelligêtes illud Christi Lucæ 18. Oportet semper orare & nunquam deficere, in eam dementiã deuenerunt, vt Sacramenta Ecclesiæ non prodesse, nec obesse dicentes, & matrimonia tanquam inutilia dissoluentes, & per Baptismum peccatum originale deleri negantes, in sola oratione salutis causam ponerent, eamque solam ad salutem sufficere faterentur, & ab ea nunquam desistendum esse dicerent, ideoque ei tam rigorose insisterent, vt habet S.Aug. hær.57. vt credi re non possit, quantum temporis orando consumerent. Penetrauit hoc serpentis antiqui virus Monachos qui erant in Mesopotania, dum per aliquos Pseudo Monachos, quorum nomina refert *Theodoretus hæret.fabul.l.4 cap.3. Deodem, Sabam, Adelphum, Simonem, Hermam*, & alios quosdam, inter eos hæresis ista spargeretur. Prodijsse hanc hæresim temporibus Valentiniani, atque Valentis Imperatoris scripsit Theodoretus, sed eam à temporibus Constantij coaluisse in Mesopotamia auctor est Epiphanius, cui prope illa tempora viuenti, & qui contra eam heresim scripsit, magis esse credendum censuit Baronius anno 361. num.34. De his hæreticis videri possunt S. Ephiphan. hær.80. S. August. hær.57. *Theod. l.4. fabul. hæret cap.3. Alphonsus à Castro v. oratio hær.p. Prateolus v. Euchitæ seu v. Messaliani, Sanderus hær.85. Gualt. cap.21. seculi 4. num.7. Salelles l.3. de mater. tribunal. fidei cap.8. reg.238. Baron. ad annum 361. n.34. & 35.* August. autẽ tempore aliquos ex huiusmodi Monachis extitisse, qui dicerent Religiosos non posse manibus suis operari sine suæ perfectionis detrimento, ex eo colligitur, quod vt habet *D. Thom. opusc.19. cap.5.* S. Augus. hunc errorem confutauit, in lib. de opere Monachorum. Isti igitur hæretici tam alte commendantes orationem, & perpetuo orandum esse sentientes, adeo vt etiam comedendo orarent, testibus D. Epiphan. & D. Damas. Alphonso de Castro, & Salelle, affirmarunt laborem manuum etiam pro sustendenda vita Monachis præcipue esse illicitum. Quem errorem damnauit Concil.4. Carthag. cui interfuit, & subscripsit S. Augustinus.

2 Econtra vero Parisienses illi qui cum Gulielmo de S. Amore Religiones mẽdicantium & præcipue Ordinis Prædicatorum, & Minorum persecuti sunt, vt habet *D. Thom. opusc.19. cap.5.* quia per sufficientes rationes Religiosos à fructu animarum media prædicatione, doctrina, & sacramentorum administratione arcere non potuerunt, eos indirecte impedire nisi sunt, imponentes eis necessitatem manibus operandi, vt sic saltem retraherentur à studio, quo ad prædicta redduntur idonei. Sic igitur vbi Messaliani Monachis numquam manibus laborandum esse dixerunt, vt semper orarent, Gulielmitæ semper manibus operandum esse indixerunt, ne lectioni, meditationi, & doctrinæ insisterent, qua apti fierent vt prædicatione, & sacramentorum administratione animas lucrarentur.

3 Licet vero S. Thomas in hoc artic. directe contra Gulielmitas agat, vt probet non adesse Religiosis speciale præceptum operãdi manibus, simul tamen & contra Euchitas pugnat; Nam & testimonia scripturarum, quibus Gulielmitæ probare conabantur necessitatem operandi manibus conuincunt, quod si hoc non est semper necessarium, sed aliquando, proculdubio est opus de se licitum, & Religiosis proportionatum.

4 Est vero huius articuli conclusio, quod Religiosi per se, & præcisa lege speciali suorum Ordinum, si quæ sit, non magis tenentur ad operandum manibus quam seculares. Quam veritatem D. Thomas probat ex eo, quod ex quadruplici causa oriri potest necessitas laboris manuum, vel scilicet ad victum obtinendum, secunda ad fugiendum otium, tertia ad macerandum corpus, & quarta ad eleemosynas faciendas. At vero ex nulla harum causarum magis ad opera manuum tenentur Religiosi, quam seculares, non est igitur vnde speciale aliquod præceptum id præstandi illis imponatur, nisi ipsimet Ordines Religiosorum spectato eorum fine opportune iudicantes suos Religiosos aliquando manibus laborare, id in suis Regulis, aut constitutionibus mandauerint, sicuti de facto in aliquibus est constitutum.

5 Primo igitur necessitas laborandi manibus oritur ex necessitate acquirendi victum, & vestitum, iuxta id quod Deus primo homini dixit. *In sudore vultus tui vesceris pane* Gen. 3. & Psalm. 127. *Labores manuum tuarum quia manducabis* : Vnde est quod quanta necessitate tenetur quis vitam tueri per cibum, & vestitum, tanta obligatur vt victum sibi acquirat manuum labore, si aliunde non habet vnde viuat. Si igitur alicui non sit necessarius victus, quia viuere possit sine cibo, & veste, vel si aliunde habeat victum, & vestitum nulla est ei necessitas operandi manibus vt victum, & vestitum obtineat. Commendat ergo laborem manuum Apostolus in locis citatis in textu, sed ad victum quærendum, & non per furta, & turpia negotia, aut illicitam cupiditatem rei alienæ, sed licite per proprios labores, acquirendum; sed vbi quis aliunde habeat vnde viuat, non est necessitas laborandi, sicut nec furandi, nec turpia negotia agendi, vt obtineatur

victus necessarius, cum aliunde debeatur. Aliud ergo est, quod Religiosis liceat laborando manibus sibi victum quærere, quod verissimum est, & ex Concil. 4. Carthag. probatur dist. 91. cap. 3. *Clericus victum, & vestimentum sibi artificiolo vel agricultura absque officij sui dumtaxat detrimento paret*, & cap. 4. *Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus artificiolo victum quærat.* Sic enim antiquitus S. Monachi labore manuum victum parabant, & de S. Seuero Presbytero narrat S. Gregor. lib. 1. dialog. capit. 12. quod accersitus ad visitandum infirmum, in putãda vinea occupatus repertus fuit. Sed & Theodosium ipsum Maiorem Imperatorem scribendis libris sibi victum quotidianum comparasse refert Glicas hist. p. 4. narrans quod propterea cuidam monacho reuelatum fuerit eum non habiturum aliam mercedem in cœlis, quam habiturus fuisset Imperator. Aliud est quod labor manuum sit Religioso necessarius, & de præcepto. Et hoc est verum solum sub conditione, si scilicet aliunde victũ non habeat. Et hoc modo ex naturali lege ad laborandum tam seculares tenentur quam Religiosi.

6 Secunda causa laborandi est necessitas fugiendi otium, & tertia causa est necessitas macerandi corpus. Otiositas quidem inimica est animæ, vt dixit S. Benedictus in regula cap. 48. Propterea & ad otiũm fugiendum, & ad carnis petulantiam laboribus frangendam multi Religiosorum institutores laborem manuum suis Religiosis ordinarunt, vt patet de *S. Bened. cap. 48. sua regulæ S. Macario cap. 10. & 11. Patrum, cap. 5. & 9. S. Pachomij cap 58. & 59. 60. & 62. S. Basilij in Regulis inter 37. 38. 39. 40. & 42. S. Isidori cap. 7. S. Fructuosi cap. 6. S. Ferioli cap. 26. & 28. & alijs plurib.* Monachorum Regulis, quas refert *Hugo Menardus in concordia cap. 55.* De qua re scripserunt etiam *S. Hieron. Epist. ad Rust. S. Aug. in lib. de opere Monach. Cassianus l. 2. instit. cap. 3. & 5. & l. 5. cap. 37. 38. & 39. & l. 10. fere per totum & collat. 24. cap. 11. & 12. Auctor Epist. ad fratres de Monte Dei apud S. Bernard. S. Franc. cap. 5. sua Regulæ, S. Bonau. in reg. Nouit. cap. 8. & de reformat. Nouit. c. 4. S. Ignatius 3. p. Const. cap. 1. §. 6.* Et quod huiusmodi institutio de labore manuum habendo ad vitandam otiositatem, & concupiscentiam frenandam non sit consilium, sed præceptum, aduertit *Lezana ad Mare magnum Carmelit. num. 151. & Thom. de Iesu parte 4. super Reg. in princip. & in cap. Reg. 15.* & idem considerauit *Anton. à Spirit. Sancto tract. 3. disp. 6. num. 438. & Caramuel in reg. S. Bened. cap. 48. num. 1636.* Sed & hoc quoque præceptum est sub conditione, & pro casu in quo aliunde non vitetur otium, & concupiscentia non dometur. Nam, vt dicitur in textu, maceratur caro per vigilias, & ieiunia, & vitatur otium per meditationes sacrarum scripturarum, iuxta illud Psal. 118. *Defecerunt oculi mei in eloquiũ tuum, & Gloss. ordin. ibid. sic enim & Apost. in 2. ad Cor. 6.* enumerans ea per quæ fugitur otium, & caro comprimitur dixit in laboribus, vigilijs, ieiunijs.

7 Quarta causa laborandi manibus est necessitas tribuendi eleemosynam alijs, sed constat ex hoc capite non adesse necessitatem laborandi manibus nisi in casu illius necessitatis in quo quis teneretur eleemosynam facere, nec haberet, vnde facere, nisi labore acquireret. In quo casu secularis quoque obligaretur ad opera manualia exequenda.

8 Verum circa punctum huius quæstionis consideranda sunt illa verba textus in quib. D. Thom. aduertit, quod sub opere manuali intelliguntur. *Omnia officia humana ex quibus homines victum lucrantur siue manibus, siue pedibus, siue lingua fiant. Vigiles enim, & cursores, & alij huiusmodi de suo labore viuentes opere manuum intelliguntur viuere. Quoniam enim manus est organum organorum, per opus manuum intelligitur omnis operatio, per quam aliquis licite victum potest lucrari.* Propterea sub opere manuum multi intelligunt quamcumque operationem in qua manus, vel pedes, vel lingua operantur, & laborant, vnde sub opere manuum comprehendunt nedum officia monasteriorum, vt officia Procuratoris, Sacristæ, Oeconomi, & similia, sed etiam officia lectorum, nedum grammaticæ, & philosophiæ, sed etiam Theologiæ; immo officia spiritualia, qualia sunt prædicare, confessiones audire, sacramenta administrare, scribere, docere &c. Ita *Lezana vbi sup. num. 152. Anton. à Spir. Sancto tr. 3. d. 6. num. 441.* Et videtur hoc deduci ex D. Thom. quia huiusmodi officia per linguam exercentur. Tum secundo quia per huiusmodi officia homines licite victum lucrantur. Nam Prædicatoribus, Doctoribus &c. debentur stipendia in vitæ sustentamentum, vt dicit D. Thom. hic ad tertium igitur docere, prædicare &c. sunt officia per quæ Religiosi victum possunt lucrari. Sed certe hæc expositio est contra mentem Gulielmitarum, qui immo ex eo conabantur probare quod Religiosi tenerentur manibus laborare, vt sic impedirentur à studio Theologiæ, & scripturarum, & à prædicatione, & administratione sacramentorum, vt *D. Thom. opusc. 19. cap. 5. aduertit.* Præterea etiam in psalendo in choro fatigatur lingua, & in legendo oculi, & in quacumque actione extrinseca aliquod organum temporale, vnde hæc omnia comprehendi possent sub labore manuali. Quod aperte est contra mentem sanctorum, qui suis Religiosis distinxerunt tempora pro opere manuum, & pro psalmodia, & pro lectione, distinguentes etiam dies festos, à non festis, & opus manuale in diebus festis prohibentes, vt patet ex Regulis supra citatis. Sic enim & Apostolum inter opera manualia sua non computabat prædicationem suam, & valde distinguebat inter hoc, quod est viuere ex Euangelio, & viuere operando manibus, vnde idem Apost. in p. ad Cor. 9. dixit, quod ipse non est vsus potestate, quam habuit viuendi ex Euangelio, sed magis labore manuum suarum vixit. Quamuis igitur verum sit, quod opus manuale non est præcise quod impletur manibus, sed quodcumque quod exercetur per pedes, linguam, & organa corporalia, debet tamẽ esse opus, quod sit mechanicum, & seruile; opus enim seruile secundum *D. Thom. supra q. 122. a. 4. ad tertium & 3. d. 37. a. 5. quæst. 2. ad secundum,* est corporale aliquod opus, ex ijs ad quos seruos deputatos habemus, & in quibus debent arte, mechanicæ dirigere, quæ à liberalibus distinguuntur. Quamuis vero opus mechanicum, & liberale conueniant in hoc, quod vtrumque est ab anima vt à principio vt dixit *Caiet. ad d. a. 4. S. ad primum huius,* quia vtrumque est ab animo, & à mente dirigitur,

& vtrumque dici potest corporale, quia per corpus exercetur, nihilominus spectato termino, & sine distinguuntur, quod opus mechanicum habet principalem effectum, qui est quid corporeum, & ad vtilitatem corporis ordinatum, & tales effectus sunt vestes, domus, cibi, & alia, quæ per artes mechanicas fiunt. Sed artium liberalium effectus sunt quid spirituale seu vt dicit *Caiet.* quem sequitur *Suarez tom.* 2. *de Relig. tr.* 2. *l.* 2. *cap.* 20. *numer.* 4. passim intenta per actum liberalis artis est spiritualis, docere enim, loqui, prædicare ordinantur ad hoc vt anima interius scientiam, notitiam & cognitionem acquirat, aut interius de mala ad bonam voluntatem transeat. Opus ergo manuum est opus mechanicum, & seruile. Et tale quod ex obiecto & principaliter est opus quod habet effectum corporeum, & quod ratione corporeæ alicuius vtilitatis exercetur, siue hoc sit conficere aliquod artificiatum manibus elaborandum, siue sit iter lubendum pedibus, siue sit vigilia corporea, & custodia corporalis siue sit corporale, & sensibile quoddam obsequiū, quod lingua exerceatur, siue quodcumque aliud exercitium corporeum, quod per se principaliter propter corpoream vtilitatem quæritur. Ad ea vero, quæ in oppositum adducta sunt, respondetur, quod D.Thom. ad opus manuale in præsenti duas conditiones requirit, scilicet quod sit opus licitum, secundo, quod ex eo aliquis licite possit victum lucrari, tale vero non est nisi opus extrinsecum, & corporale terminatiue, cuius effectus per se principaliter intentus potest vendi, & sic ex eo potest victus acquiri. Quidquid enim sit an vendere liberalium artium effectus, qui sunt spirituales, sed naturales, sit proprie simonia, quod multi negant volentes, quod simonia proprie respiciat supernaturalia, quæ sunt dona gratiæ Spiritus Sancti, quæ ordinant homines in vitam æternam, tamen vendere effectus spirituales liberalium artium est peccatum graue & illicitum, vt habet *D.Thom.* 4 *d.* 25. *q.* 3. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 8. ibi. *Dicendum, quod docere artes liberales est actus spiritualis secundo modo* (scilicet terminatiue) *& ideo licet magistros artium vendere labores suos, sed non scientiam & veritatem, quæ spiritualis est, vnde dicitur Prou.* 23. *Noli vendere sciantiam, & doctrinam, & gloriam.* Et idem docet *D.Thom. sup. quæst.* 100. *a.* 3. *ad tertium.* Per opus manuale igitur D. Thom. accipit opus vendibile etiam ex parte termini, quod scilicet sit opus corporeum, per quod aliquod corporeum vendibile producitur, quod licite sit pretio æstimabile, & ideo per opus manuale intelligit opus mechanicum & seruile & probibitum in die festo, siue postea hoc opus fiat per manus, siue per pedes, siue per linguam, nam & architecti per linguam imperantes artificibus mechanica exercent. Licet vero spiritualia supernaturalia ministrantibus docendo, prædicando &c. detur sustentamentum, tamen proprie non potest dici, quod Religiosi hæc facientes ex talibus operibus lucrentur victum, quia quod illis datur non datur vt pretium operis, quod est spirituale nedū terminatiue, sed initiatiue, & quod petit fieri gratis, sed datur in sustentamentum; sed opera mechanica & seruilia sine peccato venduntur, & ideo ex eis homines victum lucrantur, quia operis pretium est pecunia conuenta per quā operans victum sibi parat.

10 Et nihilominus considerandum est, quod opera hæc mechanica, & seruilia seu vilia, ex quibus victum acquirimus sunt in præcepto ad quod tenentur tam seculares, quā Religiosi iuxta Gloss. ad illud 2. Thesal. 3. vt subtrahatis vos ab omni fratre inordinate ambulante, ibi enim Apost. eos inordinate ambulare arbitrabatur, qui à labore manuū cessabant. Verum est aduertenda regula D.Thom. hic ad primum quam etiam expendit Caiet. quia nimirum præceptorum naturæ alia sunt, quæ respiciunt bonum omnium, & singulorum per quorum implementum non prouidetur directe & primo nisi implenti, sicut est præceptum manducandi, quod bonum singulorum respicit, & per cuius obseruantiam prouidetur manducanti, non vero alijs, sed alia sunt præcepta, quæ respiciunt bonum multorum, & per quorum implementum prouidetur directe communitati, & multitudini; quale est præceptum generandi filios. Et huiusmodi est præceptum de labore manuali, quia labor manualis est quidem necessarius communitati hominum, quæ maxima damna pateretur, nisi essent agricolæ colentes terras, pastores custodientes greges, artifices domos, vestimenta, cibos, & alia necessaria conficientes. Sed huiusmodi præceptum non obligat omnes & singulos simpliciter, sed sufficit quod inter homines aliqui sint agricolæ, alij pastores &c. alij vero sint qui nobilioribus artibus aut operationibus incumbunt, & pro quibus agricolæ agros colunt &c. Vt sunt ij, qui administrationi Reipublicæ dant operam, vel ad communem vtilitatem student, legunt, docent, prædicant, sacramenta administrant. Et in hoc consistit vniuersitatis pulchritudo, quod non omnes agricolæ, non omnes pastores &c. iuxta illud Apost. 1. Cor. 12. *Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus.*

11 Etiam vero omnibus & singulis est præceptus labor manualis, sed conditionate, & in casu necessitatis alicuius, vt explicatum est. *Præterea* etiam ea lege particulari suorum Ordinum labor manualis est sub regula, & aliquo mandatur, vt ex supra relatis regulis est manifestum. Quod adeo rigorose intelligit *Anton. à Spir. S. num.* 439. vt dixerit quod Religiosus se eximens ab omni opere & manuum labore peccat mortaliter. Sed hoc est nimis rigorose dictum. Sed & præfatus Doctor nimis late accipit laborem manualem, vt se extendit etiam ad liberales actiones, immo & spirituales. Et adhuc suum assertum limitat, vt sit verum saltem quando labor manualis præcipitur. Sic enim verum est, quod Religiosus sub mortali non tenetur ad obseruanda nisi vota & præcepta regulæ; quia non promittit obseruantiam omnium eorum, quæ sunt in regula nisi prout sunt in regula, vt dictum est supra cum *D.Thom. q.* 186. *a.* 8. *&* 9. In regula vero non est obligatio sub mortali, nisi ad vota & præcepta legis diuinæ, Ecclesiasticæ, & regulæ. *Suarez tom.* 4. *de Religione tract.* 8. *lib.* 1. *capit.* 10. *num.* 9.

12 Verum obijci posset, quia licet non sit de præcepto labor manualis, tamen videtur quod sit melior in Religiosis quam sit studere, legere, prædicationi incumbere &c. propter auctoritatem S. August. quam D.Thom. refert in 3. argumento sed bene *D.Thom. ad tertium & op.* 19. *c.* 5. distinguit,

nam

nam opera spiritualia, quæ sunt docere, prædicare, orare, psallere in choro, & reliqua omnia, quæ non veniunt sub nomine operis manualis, possunt exerceri dupliciter, vel ratione publicæ vtilitatis, vel respectu profectus priuati. Primo modo huiusmodi opera exercentur vel ex officio, vel etiam ex aliquo præcepto, vel ex charitate publicæ vtilitatis, & proximi dilectione. Et hoc modo non est melius manibus laborare, sicut nec in quocumque casu, in quo impeditur aliquod melius opus. Immo quia talia operantibus debetur subministratio victus, & vestitus, nec ratione quærendi victum abstinendum est à dictis operibus, nisi de facto victus denegetur, nec aliunde habeatur. Sic enim nec Paulus laborabat manibus, vbi hoc erat illi impedimentum prædicandi. *Et aduertit* D.Thom. ex S. August. de opere monachorum, quod quando Paulus versabatur inter Iudæos, vbi eis solum in sabbatis prædicare consueuerat, alijs diebus laborabat, Sed quando erat Athenis, vbi poterat quotidie prædicare, manibus non operabatur, sed viuebat de his, quæ sibi detulerant fratres de Macedonia. Vnde bene concluditur, quod officium prædicationis nõ est propter laborem manuum dimittendum. Nam & Apostoli Act.6. dixerunt. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Et Dominus Lucæ 9. dixit. *Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, & annuncia verbum Dei.* Vbi gloss. ait, quod Dominus docet bona minora pro vtilitate maiorum esse prætermittenda.

13 Si vero opera contradistincta operibus manualibus exerceutur intuitu priuatæ vtilitatis, tunc non est quidem necesse ob talia opera abstinere à labore manuum; sed neque est necesse ob talem laborem abstinere ab illis spiritualibus operibus; sed considerandum est quod nam sit melius. Nam in Religionibus in quibus labores manuum sunt de præcepto, vel de regula, non licet temporibus deputatis ad opera manualia velle ab eis abstinere intuitu orationis, meditationis, lectionis &c. Sed omnia tempore congruo haberi debent, & hoc est quod intendebat S. August. lib. de opere monachorum. Vnusquisque enim debet seruare regulam, quam professus est, ideo & orare, & laborare, & meditari, & manibus agere debet tempore à Regula disposito, Sed vbi non est lex seu Regula, quæ laborem manuum ordinet, & mandet, vbi & quando sit melius manibus aliquid agere, agendum est, sed ab hoc labore est abstinendum, vbi ipse sit melioris operis impedimentum. Cæterum quod Religiosi possint a manuum labore abstinere, vt incumbant studio sacrarum literarum, & vt prædicent Dei verbum, vel doceant, vel libros conscribant, probat *D.Thom.op.19.c.5.* ex S.Gregor. in Pastorali, S. Hier. in prologo super Iob, S.Aug. lib. de op. monachorum, concludens quod inter Ecclesiasticas occupationes, prædicatio est dignior, & vtilior iuxta illud 1. Tim.5. *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime, qui laborant in verbo, & doctrina*, Religiosi ergo, qui in prædicatione occupantur, non debent manibus laborare.

14 In ea autem respons. ad tertium cum obijceretur quod oratio potest haberi non desistendo à labore manuum, aduertit D.Thom. hoc non esse verum de publicis orationibus. Nam & indecentia summa esset, si Religiosi in choro existẽtes simul manibus laborarent, & psallerent, esset enim hæc irreuerentia in Deum, scandalum in proximum, & impedimentum non paruum internæ deuotionis & attentionis c. *cap. Dolentes, de celebrat. Missarum. Caiet. hic ad 3.* priuatim tamen orare licet simul & manibus operari, si oratio fit ex priuata deuotione, quia *tunc* sufficit quod laborans attendat orationi, quantum potest. Vbi tamen oratio est in præcepto, & non publice in choro, sed priuatim habetur, si labor manuum parum aut nihil sit impediti mẽti attentionis debitæ, aut nullum peccatum, aut leue committitur qui orando simul laborat, & si voluntarie non distrahitur satisfacit præcepto, vt docent *Caiet. hic. & sup.q.83.a.13. Sotus l.10. de iust. q.5.a.5.col.8. Nauar. de orat. cap.13. num.47. Barbosa ad cap. Dolentes de celebr. Miss. num.10.* & apud eum *Grass. Vasquez, Azorius, & alij. Suarez tom.2. de Relig. cap.26.* & alij plures quos sequitur *Bonac. de iur. Canonicis disp.1.q.3.p.2.num.12.*

15 In respons. etiam ad quintum habet D.Th. quod ij, quibus pro operibus spiritualibus & non manualibus debetur sustentatio, si manibus laborent, est opus supererogationis, non vero necessitatis. Quod opus supererogationis exercuit Apostolus, vt patet 1. ad Cor.9. quod fecit Apostolus, vt tolleret pseudo Apostolis occasionem prædicandi, qui propter temporalia sola prædicabant, secundo ad subleuandum Ecclesias quibus prædicabat, tertio in exemplum laboris, & fugæ otiositatis. Ex qua doctrina occasionem sumit Caiet. admonendi, vt diligentissime notent præsides Ecclesiæ, quanta solicitudine oporteat, vt illi subtrahant occasionem Prædicatoribus, & Confessoribus prædicandi, vel confessiones audiendi propter temporalia bona, vt hodie videmus accidere: quoniam si Prædicatores, & Confessores nihil lucrarentur, pauci inuenirentur. Nunc autem quærunt, supplicant, soluuntque interdum, vt loca habeant. Desiderat autem Gaiet. à Præsidibus Ecclesiæ, vt ab Ecclesia huiusmodi ministros eijciant, & paucos habeant gratis dantes, quod gratis receperunt. Sed certe si isti prædicent, & sacramenta administrant vẽdendo opera spiritualia sicut simoniaci extirpandi sunt, nec permittendi. Sed si temporalia quærunt vt sustentamentum sibi debitum, cum non operentur male, non est vnde reprehendantur. Immo D. Th. expresse docet, quod prædicare & sustentamentum prædicatori conueniens non petere est opus supererogationis, in quo non est necesse imitari Apostolum. Et vbi in his esset etiam aliqua venialis culpa in prædicatoribus, certe vtilius est Ecclesiæ, vt non desint illi ministri, qui verbum Dei seminent, quam quod Ecclesia paucos habeat ministros, qui omnino inculpabiliter ministerium Prædicationis exerceant.

16 Quærit etiam Caramuel in Reg. S. Bened. num.1637. an manuum labor reuocari possit ad vsum, in illis monasterijs in quibus obsoletus est? Et respondet non posse, si ex Pontificis priuilegio sit ex regula Benedictina expunctus, quia tunc labor non esset secundum regulam, quæ quoad illud monasterium censetur non habere cap.48. cum id dicatur mitigatum Pontificia auctoritate. Addit vero nec reuocari posse ad vsum, si consuetudo legitima,

gitima, & immemorabilis contrarium inuexit ante plurium professionem iuxta dicta ab eodem n.635. & postea à num.646. & præcipue à nu.655. Verum vbi labor est ex regula; nulla est consuetudo tam fortis contrarium inducens, quæ reuocari non possit ex iusta causa per superiores ordinis legitimos, seu per Ordinem ipsum, quia non est maior vis consuetudinis contra legem, quam sit legis contra consuetudinem. Videnda sunt, quæ supra dicta sunt. q.186.a.8 dub.12. à num.177. Bene vero *Caramuel num.1636*, aduerterat, quod huiusmodi labor non debet esse nimius. Et etiam considerandum quod cum labor manuum in Religionibus sit introductum ad fugiendum otium, & frenandam concupiscentiam vbi in Religionibus in quibus labor manualis est de regula consuetudo legitima illum expunxit, si alias per alia opera melius prouidetur contra otium, & concupiscentiam non est vnde labor manuum reducatur in vsum. Vnde est, quod neque omnes Religionum regulæ, quæ laborem indicunt loquuntur determinate de labore manuum, sed vel de opere eijciente otium in communi, vel sub disiunctione ad libitum Religiosorum. Sic in Constit. Societatis *p.3.c.1.§.6.* dicitur. *Omnes quandiu corpore bene valent, in spiritualibus vel exterioribus rebus habeant in quo occupentur*. In Regula etiam Carmelitarum nihil de labore manuum expresse continetur, dicitur enim *cap.15. Faciendum est vobis aliquid operis*. Et quamuis teste Lezana ad Mare magnum Carmelit. num.152. communis consensus expositorum sit, vt intelligatur de opere manuum; tamen & ipse & alij hoc tandem explicant, vt sub labore manuum comprehendant etiã docere, prædicare, legere, sacramenta administrare, quod tandem est cum loquendi impropprietate; sub opere manuum comprehendere omne opus quo vitetur otium, & sic nihil aliud est dicere, quod in ea regula contineatur, quod Religiosi nunquam sint otiosi, quod est omnino de lege naturali.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Religiosis liceat de eleemosynis viuere?

Opusc. 18. artic. A *D quartum sic proceditur. Videtur, quod religiosis non liceat de eleemosynis viuere. Apostolus enim 1. ad Timoth. 5. præcipit, vt viduæ quæ possunt aliunde sustentari, non viuant de eleemosynis Ecclesiæ, ut Ecclesia sufficiat illis, quæ vere viduæ sunt. Et Hieronymus dicit ad Damasum Papam, quod qui bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt. Et per abusionem talium iudicium sibi manducant & bibunt. Sed religiosi possunt de labore manuum sustentari, si sint ualidi. Ergo uidetur quod peccent eleemosynas pauperum comedendo.* (Habetur 1. q. 2. cap. Clerícos. & 16. q. 1. c. Quoniam.)

2. Præterea, Viuere de sumptibus fidelium, est merces deputata prædicantibus Euangeliũ pro suo labore uel opere, secundum illud Matt. 10. Dignus est operarius cibo suo. Sed prædicare Euãgelium non pertinet ad religiosos, sed maxime ad prælatos, qui sunt Pastores & Doctores. Ergo religiosi non possunt licite uiuere de eleemosynis fidelium.

3. Præterea, Religiosi sunt in statu perfectionis. Sed perfectius est dare eleemosynas, quam accipere. Dicitur enim Act. 20. Beatius magis est dare, quam accipere. Ergo nõ debent de eleemosynis uiuere, sed magis ex operibus manuum suarum eleemosynas dare.

4. Præterea, Ad religiosos pertinet impedimenta virtutis, & occasiones peccati vitare. Sed acceptio eleemosynarum præbet occasionem peccati, & impedit virtutis actum. Vnde super illud secundæ ad Thessalonicenses ultimo, Vt nosmetipsos formam daremus vobis, dicit gloss. Qui frequenter ad alienam mensam conuenit, otio deditus, aduletur necesse est, pascenti se. Dicitur etiam Exod. 23. Nec accipies munera, quæ excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorũ. Et Prou. 22. dicitur, Qui accipit mutuum, seruus est fœnerantis: quod est religioni contrarium. Vnde super illud secundæ ad Thessalon. ultimo, Vt nosmetipsos formam daremus, &c. dicit gloss. Religio nostra ad libertatem homines aduocat. Ergo videtur, quod religiosi non debeant de eleemosynis viuere. (Est gl. ex Amb. ibid. to. 5.) (gl. or. ibid.)

5. Præterea; Religiosi præcipue tenentur imitari Apostolorum perfectionem. Vnde Apost. dicit ad Phil. 3. Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus. Sed Apostolus nolebat viuere de sumptibus fidelium, vt occasionem auferret pseudoapostolis, sicut ipse dicit 2. ad Cor. 11. Et ne scandalum poneretur infirmis, vt patet 1. ad Corint. 9. Ergo videtur, quod propter easdem causas religiosi debeant abstinere, ne de eleemosynis viuant. Vnde & Aug. dicit in lib. de operib. monachorum. Amputetis occasionem turpium nundinarum, quibus existimatio vestra læditur, & infirmis offendiculum ponitur: & ostendite hominibus non uos in (c. 28 in fin. to. 5.)

otio

otio facilem victum, sed per angustam & arctam viam regnum Dei quaerere.

Sed contra est, quod sicut Gregor. dicit in 2. Dialogorum, B. Benedictus tribus annis in specu permanens, de his quae à Romano monacho ministrabantur, refectus est, postquam domum parentesque reliquerat: & tamen validus corpore existens non legitur de labore manuum quaesiuisse victum. Ergo religiosi licite possunt de eleemosynis viuere.

Respondeo dicendum, quod unicuiq. licet viuere de eo quod suum est, vel sibi debitum. Fit autē aliquid alicuius ex liberalitate donantis. Et ideo religiosi & clerici, quorum monasterijs, vel ecclesijs ex munificentia principum vel quorumcumque fidelium sunt facultates collatae, ex quibus sustententur, possunt de eis viuere licite, absque hoc quod manibus laborent: & tamen certum est eos de eleemosyna viuere. Vnde & similiter si aliqua mobilia religiosis a fidelibus conferantur, possunt de eis licite viuere. Stultum est enim dicere, quod aliquis in eleemosynam possit accipere magnas possessiones, non autem panem, vel paruam pecuniam. Sed quia huiusmodi beneficia religiosis videntur esse collata ad hoc, quod liberius religiosis actibus insistere possint, quorum cupiunt se fore participes, qui temporalia subministrant, redderetur eis usus praedictorum donorū illicitus, si ab actibus religiosis desisterent: quia sic quantum est de se, defraudarent intentionem eorū qui talia beneficia contulerunt. Debitum autem est alicui aliquid dupliciter. Vno modo, propter necessitatem, quae facit omnia communia, ut Ambrosius dicit. Ideo si religiosi necessitatem patiantur, licite possunt de eleemosynis uiuere: quae quidem necessitas potest esse tripliciter. Primo quidem propter corporis infirmitatem, ex qua contingit quod non possint sibi labore manuum victum quaerere. Secundo si illud quod ex opere manuali conquirunt, eis ad victum non sufficiat. Vnde Augustinus dicit in libro de Operibus monachorum, quod bona opera fidelium subsidio supplendorum necessariorum deesse non debent illis seruis Dei, qui manibus operantur, ut hora quibus ad expediendum animum ita uacatur, ut illa corporalia opera geri non possint, non opprimant egestate. Tertio, propter pristinam conuersationem eorum, qui non consueuerant manibus laborare. Vnde Augustinus dicit in lib. de Operibus monachorum, quod si habebant aliquid in seculo, quo facile sine opificio sustentarent istam vitam, quod conuersi ad Deum indigentibus dispertiti sunt, & credenda est eorum infirmitas, & ferendo. Solent enim tales delicatius educati laborem operum corporalium sustinere non posse. Alio modo efficitur aliquid alicui debitum ex eo quod ipse exhibet, siue sit aliquid temporale, siue spirituale: secundum illud prima ad Corinth. 9. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si carnalia vestra metamus? Et secundum hoc quadrupliciter possunt religiosi de eleemosynis viuere, quasi sibi debitis. Primo quidem, si praedicēt auctoritate praelatorum. Secundo si sint ministri altaris: quia ut dicitur prima ad Corin. 9. Qui altari deseruiunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinauit his, Qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. Vnde & Augustinus dicit in lib. de Operibus monachorum, Si Euangelistae sunt, fateor, habent potestatem viuendi de sumptibus fidelium: si ministri altaris, dispensatores sacramentorum, bene sibi istam non arrogāt, sed plane vendicant potestatem. Et hoc ideo, quia sacrificium altaris vbicumq. agatur, commune est toti populo fidelium. Tertio, si insistant studio sacrae Scripturae ad communem vtilitatem totius Ecclesiae. Vnde Hieronymus dicit contra Vigilant. Hic in Iudaea vsq. hodie perseuerat consuetudo, non solum apud nos, sed etiam apud Hebraeos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & partē non habent in terra nisi solum Deum, Synagogarum, & totius orbis foueantur ministerijs. Quarto, si bona temporalia quae habebant, monasterio largiantur de eleemosynis monasterio factis possunt viuere. Vnde Aug. in lib. de operib. monachorum, quod illi qui relicta vel distributa, siue ampla, siue qualicumque opulenta facultate, inter pauperes Christi pia & salubri humilitate numerari voluerunt, vicem sustentandae vitae eorum res ipsa cōmunis & fraterna charitas, debet qui laudabiliter agunt, si manib. operantur.

Quod

Quod quidem si nolint, quis audeat eos cogere? Nec attendendum est, vt ibidem subditur, in quibus monasterijs, vel in quo loco, indigentibus fratribus quisque id quod habebat impenderit: omnium enim Christianorum vna respublica est. Si vero aliqui sint religiosi, qui absque necessitate, & vtilitate, quã afferant, velint otiosi de eleemosynis, quæ dantur pauperibus, viuere, hoc est eis illicitum. Vnde Aug. dicit in libro de operib. monachorum, Plerumque ad hanc professionem seruitutis Dei, & ex conditione seruili aliqui veniunt, & ex vita rusticana, & opificum exercitatione, & plebeio labore, de quibus non apparet vtrum ex proposito seruitutis Dei venerint, an vitam inopem, & laboriosam fugientes, vacui pasci, atque vestiri voluerint, & insuper honorari ab eis, à quibus contemni, conteriq. consueuerant. Tales ergo se, quo minus operentur, de infirmitate corporis excusare nõ possunt: præterita quippe vitæ consuetudine conuincuntur. Et postea subdit, Si nolunt operari non manducent. Neque enim propterea ad pietatem diuites humiliantur, vt pauperes ad superbiam extollantur. Nulla enim modo decet, vt in ea vita, vbi senatores fiunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi; & quo veniunt relictis delicijs suis, qui fuerant prædiorum domini, ibi sint rustici delicati.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritates illæ sunt intelligendæ tẽpore necessitatis, quando scilicet non posset aliter pauperibus subueniri. Tunc enim tenerentur non solum ab eleemosynis accipiendis desistere, sed etiam sua, si quæ haberent, largiri ad pauperum sustentationem.

Ad secundum dicendum, quod prælatis competit prædicatio ex officio: religiosis autem potest competere ex commissione. Et ita cum laborant in agro dominico, possint exinde viuere, secundum illud 2. ad Tim. 2. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Vbi dicit glos. id est, prædicatorem, qui in agro Ecclesiæ ligone verbi Dei excolit corda auditorũ. Possunt etiam de Euangelijs viuere, qui prædicatoribus ministrant. Vnde super illud ad Rom 15. Si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare eis, idẽ est gl. scilicet Iudæis, qui miserunt prædicatores ab Hierosolymis. Sunt & aliæ causæ, ex quibus alicui debetur, vt de sumptibus fideliũ viuat, vt dictum est.

Ad tertium dicendum, quod cæteris paribus, dare est perfectius quam accipere: & tamen dare, vel relinquere omnia sua pro Christo, & modica accipere ad sustentationem vitæ, melius est quã dare aliqua particulariter pauperibus, vt ex supra dictis patet.

Ad quartum dicendum, quod accipere munera ad diuitias augmentandas, vel accipere victum ab aliquo sibi non debitum, absque vtilitate & necessitate, præstat occasionem peccati: quod non habet locum in religiosis, vt ex supra dictis patet.

Ad quintum dicendum, quod quando apparet manifesta necessitas & vtilitas, propter quam aliqui religiosi de eleemosynis viuant absq. opere manuali, non scandalizantur ex hoc infirmi, sed malitiosi: more Pharisæorum, quorum scandalum contemnendum Dominus docet Mat. 15. Sed si non esset euidens necessitas, & vtilitas, posset exinde generari scandalum infirmis: quod esset vitandum. Idem tamen scandalũ imminere potest de his, qui facultatibus communibus otiose vtuntur.

SVMMARIVM.

1 *Quod non liceat Religiosis viuere de eleemosynis voluerunt Gulielmistæ. num. 1.*

2 *Licet cuique viuere de suo, vel de eo quod sibi debetur. num. 2.*

3 *Licet Religiosis viuere de eleemosynis sibi donatis. num. 3.*

4 *Religiosi sunt capaces redditũum in communi: remissiue. num. 4.*

1 INter alia quæ Gulielmus de S. Amore & eius sequaces obijciebant contra Religiosos, hoc vnum erat, quod non liceret eis de eleemosynis viuere; & hoc D. Thom. impugnat in hoc articulo. Satis vero longus cum sit articuli textus, & multa contineat, in plures partes charitatis gratia diuidendus est. Præmisso enim quod cuicumque licet viuere de suo, vel de eo quod sibi debetur, primo ostenditur quod licet Religiosis viuere de suo, quod sibi ex liberalitate fidelium donatum fuit, secundo ostenditur qualiter eleemosynæ sint illis debitæ ratione necessitatis, tertio quomodo sint illis debitæ ratione ministerij quod habent pro fidelium vtilitate. Vnde ex his nedum manet probatum, quod licet Religiosis viuere ex eleemosynis, sed quod eleemosyna illis debeatur.

2 Distinguit D. Thomas primo inter hoc quod est viuere ex suo, & viuere ex eo quod sibi debetur. Dubitat vero Caiet. quia in hac distinctione secundum membrum coincidit cum primo, quia non licet viuere de alieno, nisi illud prius factum sit suum, & ita solum licet viuere de suo. Sed respondet, quod diuisum in hac diuisione non est res, vt est communis ad suam, & non suam, sed est res sua, quæ res sua distinguitur in suam absolute vndecumque sit sua, & in suam ex debito. Et valet hæc distinctio ad augendam honestatem vsus rei. Quia si licitum est vti re sua vndecumque facta sit sua, multo magis licet vti re illa, quæ fit sua non ex pura alterius liberalitate, sed ex aliquo debito, & ad quã vtens habuit ius, vt fieret sua. Ita Caiet. quamuis etiam distinctio alium sensum habeat, quia licet vti re non sua, sed sibi debita, quia stat vsus rei debitus sine dominio, vt patet in Religionibus incapacibus dominij etiam in communi, in quibus religiosi vtuntur eo, quod non est suum. Et aliud est, quod non suo non possint vti sine licentia eius, cuius est suum, vel nisi non suum sibi tradatur ab eo cuius est suum, & aliud est quod non possint vti non suo. Primum enim est verum, sed secundum est falsum, quia vbi alicui debetur vsus rei alienæ, potest re aliena sibi tradita etiam manente non sua licite vti, si illius vsus sit sibi debitus. Et sic vera est regula D. Thomæ, quod vnicuique licet viuere de suo, vel de eo, quod sibi debetur.

3 Hic ergo est prima textus Conclusio, quod scilicet, licet Religiosis viuere de eleemosynis, quæ eorum monasterijs ex liberalitate principum donata sunt: quoniam licet vnicuique viuere de suo, prædia vero & possessiones, quæ ex fidelium liberalitate donata sunt monasterijs aut Ecclesijs, sunt monasteriorum, & Religiosorum; ipsi igitur ex talibus eleemosynis sibi donatis viuere possunt. Eadem vero ratio est, si quod donatur non sit res immobilis fructifera, sed sit res mobilis & vsu consumptibilis, Si enim Religiosis licet titulo eleemosynæ recipere prædia, & possessiones, stultum esset negare quod non possint recipere mobilia vt panem, vinum &c. Ex ijs igitur liberaliter donatis, quia fiunt monasteriorum, possunt Religiosi licite viuere.

4 Hic vero esset locus tractandi an & quomodo Religiosis & præcipue mendicantibus competat dominium rerum in communi; sed quia D.Th. de hoc tractat ex professo q.seq.a.7. vbi quærit an habere proprium in communi diminuat perfectionẽ religionis, ibi de hoc tractandum erit.

SVMMARIVM.

1 *Illicitum Religiosis cessantibus ab operibus Religiosis viuere de eleemosynis. nu 5.*
2 *Religiosi qui nolunt viuere secundum Regulam reprehensi. num.6.*
3 *An Religiosus non seruans regulam peccet ex eo quod viuit ex redditibus Monasterij à pijs donatis. nu.7.*
4 *Religiosus contra Deum, & Religionem peccat mortaliter non obseruando præcepta. n.8.*
5 *Difficultas proponitur. nu.9.*
6 *Religiosi regulariter non tenentur ex iustitia erga Benefactores ad opera religiosa. nu.10.*
7 *Nisi vbi de hoc adest pactum speciale. n.11.*
8 *Religiosum negligentem regulam peccare mortaliter peccato ingratitudinis contra benefactorem, fuit diuersimode opinatum. nu.12.*
9 *D.Thom. loquitur in suppositione alicuius pacti, dum dicit, quod Religiosis sit illicitus eleemosynarum vsus. nu.13. & 18.*
10 *Per bona opera, quæ fiunt in communitate satisfit debito gratitudinis erga benefactores sufficienter ad vitandum peccatum mortale. n.14.*
11 *Non retribuere ex contemptu est peccatum mortale, sed non retribuere ex negligentia est veniale. num.15.*
12 *Ex vi gratitudinis non tenentur Religiosi ad semper bene operandum. nu.15.*
13 *Ingratitudo materialis non est speciale peccatum. num.16.*
14 *Ingratitudo materialis non est mala mortaliter, nisi ratione actionis, vel omissionis, quæ sit contra præceptum alterius virtutis. n.16.*
15 *Ingratitudo non est perfecta, nisi quæ prouenit ex peccato mortali. nu.16.*
16 *Religiosi ex eo quod non obseruant præcepta, non sunt nec formaliter, nec materialiter ingrati in benefactores temporales. nu.17.*
17 *Nisi secundum quid, & venialiter. nu.17.*
18 *Religiosi mali non peccant peccato ingratitudinis viuendo de eleemosynis absolute, & non sub conditione donatis. num.18.*

Quod Religiosi ad opera Religiosa teneantur ex debito gratitudinis erga benefactores.

INSPECTIO PRIMA.

5 NVnc consideranda est limitatio, quam D.Thom. ponit, quia scilicet vsus eleemosynarum donatarum sit illicitus Religiosis, si ipsi ab actibus Religiosis desistant. Quia qui hoc faciunt, quantum fit ex se ipsis defraudant piam intentionem donantium, qui eleemosynas dederunt, vt Religiosi liberius religiosis actibus insistere possent.

6 Vtinam vero in Religionibus non essent, qui ab operibus Religionis non desisterent, & otiosi non viuerent. Sed & hoc pessimum est, quod tales inter Religiosos inueniuntur aliqui, quod cum in seculo viles, & pauperes, non nisi in sudore magno panem nudum comederent, facti Religiosi incrassati, & impinguati, superbiunt, laborare erubescũt dominari prætendunt, & de Cesarum & Imperatorum sanguine se natos iactant. Hos descripsit *S. August. l. de oper. monachorum cap. 25.* quem refert *D.Thom. in fine corp.*

7 Est vero primo difficultas, an otiosi Religiosi, qui regulam non seruant, & ab operibus religiosis desistunt, peccent mortaliter viuendo ex monasteriorum redditibus. Debet vero hic distingui; quia aliud esset quærere an Religiosi non seruantes regulam peccent, & aliud quærere an sic in regulam peccantes, nouum peccatum committant ex eo, quod de eleemosynis donatis monasterio viuant

uant. De primo satis dictum est supra *q. 186. a. 66. & 9.* & est certum quod mortaliter peccant violando precepta Regulæ, non custodiendo vero alias Regulæ obseruantias peccant venialiter, vel etiam nullo modo peccant secundum quod regula obligat ad culpam, vel non obligat. Sed dubium præsens est, an Religiosus speciale peccatum committat ex eo quod cum sit violator regulæ, & omittat actus religiosos, viuit de redditibus monasterij, qui ex piorum eleemosynis habiti sunt.

8 Fuit vero circa hoc aliquorum opinio, quos tacito nomine refert *Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 11. num. 9.* qui dixerunt Religiosum ex iustitia commutatiua teneri ad obseruantias regulares, nimirum ad actus ad quos in professione deputantur, vt ad chorum, ad spiritualia exercitia circa proximos vel ad seruiendum in actionibus corporalibus, quia inter Religionem, & Religiosum initur pactum implicitum per quod Religio se obligat ad tribuenda necessaria ad victum sub pacto quod Religiosus munus suum exequatur. Sed & huius opinionis sensus alienus est à præsenti difficultate. Non enim modo quæritur quale sit peccatum non obedire superiori, vel violare pactum illud tale quale inuenitur in professione religiosa respectu Dei, & Prælatorum Religionis, sed an inobedientia habeat malitiam ex eo quod sit contra mentem benefactorum, quos videtur defraudare, qui peccat. Cæterum si comparetur Religiosus suæ Religioni & eius Prælatis cui, & quibus se donauit sic interuenit semper aliqua ratio iniustitiæ ex eo quod Religiosus non stat promissis, quamuis simpliciter inobedientia sit sacrilegium contra virtutem religionis, quia donatio religiosi, qua Religiosus se donat religioni etiam si non sit votum, quia vt sic non sit Deo, sed Religioni, actus religionis est; se enim Religiosus donat Religioni in obsequia religiosa. Sed hæc iniustitia talis qualis est non est peccatum mortale nisi vbi Regula, vel superior præcipit, vt habet Suarez loco citato, quia nec Religiosus se obligat nisi ad viuendum secundum regulam, quæ nec obligat, nec vult obligare sub mortali, nisi vbi datur præceptum vel Iuris, vel hominis. Sed de his videri possunt, quæ dicta sunt supra *q. 186. ar. 6. & art. 9.*

9 Stando igitur in terminis nostræ quæstionis posset videri, quod Religiosus otiosus, vel male viuens sit iniustus, si viuat ex redditibus monasterij, seu ex eleemosynis. Tum quia secundum D. Thom. est fraudolentus. Tum quia ex quo Principes & fideles dant monasterijs redditus ad eum finem, vt regulariter viuant, videtur iniri inter eos pactum saltem implicitum, per quod seculares dant Religiosis bona temporalia sub pacto sub pacto operam Religiosorum.

10 Nihilominus dicitur primo, quod Religiosi communiter & regulariter loquendo, & præciso speciali contractu inito inter donantes & monasteria, non tenentur ex iustitia erga benefactores ad obseruantias regulares. Ita *Caiet. hic & Valentia. Suarez vbi sup. num. 8. Peyr. in Relig. Prælat. q. 1. cap. quinto num. 44.* Et ratio est, quia aliud est dare aliquid alicui sub pacto, & dare illud sub spe alicuius operis. Hoc enim secundo modo nec est pactum, neque obligatio iustitiæ. Et hoc modo seculares Clericis, Ecclesijs, Monasterijs, Conuentibus eleemosynas maximas dederunt sub spe diuini cultus, & Religiosæ vitæ, non vero sub pacto, vt etiam probaui supra *q. 185. a. 7. nu. 50. 57. & 58.* Religiosi igitur otiosi vel discoli viuentes ex eleemosynis abutuntur quidē re sua, sed non sunt iniusti.

11 Nisi vbi aliquid expresse est donatum sub cōditione tanquam sustentamentum operis alicuius, Nam tunc intrat iustitia proprie, & Religiosus, qui non stat pacto, quia non facit rem suam conditione non impleta tenetur ad restitutionem. Quod ratione dicta regulariter non currit; quia bona Ecclesiæ non fuerunt data sub pacto.

12 Stante igitur quod abuti eleemosynis non sit iniustitia, nihilominus, quod sit peccatum asseritur communiter, quodnam vero peccatum sit, dicitur quod est peccatum ingratitudinis, & quod hoc est peccatum mortale in duplici casu, nimirum Primo, si adsit contemptus benefactoris, secundo si Religiosus transgrediatur præceptum regulæ aut superioris. Ita *Caiet. hic, & Suarez vbi supra nu. 8.* Sed *Valentia* obijcit contra secundum casum. Quia non constat, quod obseruantia præceptorum regulæ aut Prælatorum sit necessaria ex vi præcepti virtutis gratitudinis erga benefactores, vnde nec constat, quod inobedientia præceptorum sit speciale peccatum ingratitudinis. Propterea ipse addit, forte dici posse probabilius, quod peccatum mortale ingratitudinis interueniat in duplici alio casu. Vel quia Religiosus nunquam ferè recordatur benefactorum, secundo quando notabiliter sit negligens ita vt nullam aut vix aliquid regulæ obseruet. *Peyrin. autem in Præl. Reg. q. 1. cap. 5. num. 43.* alios casus ponit, nimirum si Religiosus fundatorem monasterij contemneret; si eum in benefactorem cognoscere nollet; si eundem in paupertatem redactum, & senectutem despiciat, & in necessitatibus non subueniat; si non laudet illum vbi laudandus est, præcipue si ad hoc sequatur monasterij infamia; si benefactorem odio habeat, vel eum vituperet. Quamuis si prædicta omitteret ex negligentia quadam, & indispositione naturali non peccaret plusquam venialiter.

13 Mihi tamen in primis dicendum videtur D. Thomam dum dixit illicitum esse Religioso viuere ex eleemosynis si desistat ab operibus religiosis, loqui in suppositione obligationis ortæ ex pacto aliquo saltem implicito, nō vero ex vi obligationis ortæ ex gratitudine. Nam D. Thom. non loquitur absolutè, sed in suppositione intentionis participandi de bonis spiritualibus Religiosorum, quæ videtur adesse in benefactoribus, qui monasterijs eleemosynas dederunt, & ideo fundat rationem illiciti ex hac intentione supposita, quia Religiosi desistentes ab operibus bonis, illam quātum est ex se defraudant. Verum ingratitudo non est illicita ex eo quod sit defraudatio intentionis benefactoris, quia nec benefactor, si ex pura liberalitate benefacit, intendit quod sibi aliquid retribuatur, nec obligatio gratitudinis fundatur in intentione benefactoris, sed in natura beneficij, quod petit, vt qui recepit beneficium conuertatur in benefactorem per gratiarum actionem, ideo ingratitudo est peccatum, non quia defraudatur intentio benefactoris per se, & proprie, sed quia impeditur connaturalis ordo beneficij, qui est, vt beneficij effectus conuertatur, & redeat ad suum prin-

cipium per gratiarum actionem. Cum vero D.Th. loquatur de peccato orto ex defraudatione intentionis benefactoris, & non de illius intentionis, quę adsit, sed quæ videtur adesse, loquitur de intentione obligationis, quę nimirum consurgat ex aliqua donatione sub cōditione aut sub modo, vel alio simili pacto aliquo saltē implicito, quod videtur adesse, ex quo benefactores dāt eleemosynas ex intētione participādi de operibus bonis Religiosorum, & in suppositione, quod hoc pactum adsit D.Thom. inquit, & bene, quod in huiusmodi Religiosis sit illicitus vsus eleemosynarum relictarum.

14 Et nihilominus dicitur secundo, quod vbi etiam D.Thom. loqueretur de intentione, quæ sit spes habendi ex gratitudine; nihilominus considerandum esset, quod cum benefactores prudenter nō possint sperare, quod in monasterijs non sint discoli deserentes opera spiritualia; immo nec prudenter possint sperare quod monasteria, & communitates Religiosæ non repelcant in operibus Religiosis decursu temporum, & non deficiat ille feruor, quem in institutoribus experimur, alias vero non sit proportio inter bona temporalia, & spiritualia, & modicum spirituale superexcedat quælibet temporalia, sine dubio simpliciter satisfit intentioni benefactorum ex operibus bonis, quæ in communitate habentur, quidquid sit, an in communitate sint aliqui discoli male agentes, & ab operibus Religiosis desistentes. Vnde si non adsit specialis aliqua alia obligatio sub mortali, non potest esse, quod in Religiosis sit ingratitudo, quæ sit peccatum mortale, etiam si aliqui omnino desistant ab operibus Religiosis; Nam ad vitandum peccatum mortale proculdubio sufficiunt opera bona, quæ fiunt in communitate, & quæ sola prudenter potuit sibi sperare benefactor, & per quæ abundanter, & superabundanter retribuitur pro beneficijs temporalibus ab eo collatis.

15 Verum dicitur tertio, quod ingratitudo non est speciale peccatum, nisi sit formalis, quæ scilicet sit ex contemptu. Et ita ingratitudo, siue sit omissiua, siue commissiua, non est peccatum in genere ingratitudinis, nisi sit ex contemptu, vel etiam ex negligentia, aut aliqua indispositione hominis ad virtutem vt infra S. Th. dixit sup. q. 107. a. 3. c. Est vero contemptus voluntas non retribuendi absolute, vel nolle esse gratum absolute. Et ita non retribuit ex contemptu, qui non retribuit, vt beneficio non retribuat, vel vt benefactori non sit gratus. De quo videri possunt, quæ supra q. 186. dicta sunt de contemptu præceptu a. 3. à n. 35. & de contemptu perfectionis a. 9. à num. 10. Semper vero est peccatum mortale non retribuere ex contemptu, sed non inueniuntur inter Religiosos viri, tam inhumani, vt non retribuant, ex contemptu. Quidam vero imperfectus contemptus est negligentia, seu indispositio vitiosa ad virtutem, & ideo ingratitudo est non retribuere ex negligentia, vel indispositione ad virtutem. Sed hoc est peccatum veniale. Et quia sine dubio Religiosi ad illos præcipue benefactores, qui redditus perpetuos monasterijs dederunt tenentur, vt retribuant spiritualia, dum ex temporalibus ab eis donatis viuunt, & hoc debitum obligat omnes, & singulos, quia omnes & singuli viuunt ex eleemosynis donatis: ideo singuli Religiosi, si vel ex negligentia, vel ex indispositione ad virtutem non retribuant sunt ingrati, & peccant, sed venialiter; non mortaliter. Vbi etiam est considerandum, quod titulo gratitudinis non tenentur Religiosi absolute ad semper operandum bonum, quo participent benefactores; quia multum illis retribuitur, si pro modico temporali, & quotidiano victu, aliquod opus spirituale, vel aliqua dantur, in quæ participent. Sed gratitudo petit, potius vt si opera bona dantur eorum sint participes benefactores, quarum proportio grata requirat. Ideo nec ex quacumque desertione operum intrat ingratitudo, sed solum, ex tali, ac tanta, quæ spectata proportione ad beneficia prudenter iudicetur talis, & non conformis debito gratitudinis.

16 Sed dicitur quarto, quod non retribuere si non fiat ex contemptu, vel etiam ex negligentia recognoscendi benefactorem est ingratitudo, sed materialis non vero formalis; hæc vero, nec est speciale peccatum, nec est peccatum contentum in specie ingratitudinis, sed est circumstantia aliorum peccatorum, quæ trahitur ad speciem illius peccati, cuius est circumstantia, vt tradit *D. Tho. sup. q. 107. a. 2 ad primum*, & clarius 3. *p. q. 88. art. 4.* Et ideo docent *Sotus 4 d. 16. q. 1. a. 4. & Suarez. to. 4. disp. 11. num. 6. de pœnis.* Sed hoc modo ingratitudo non potest esse mala malitia mortalis peccati, nisi sit adiuncta alteri peccato mortali; immo vt habet *D. Thom. sup. q. 107. a. 3. c. in f.* sola ingratitudo, quæ prouenit ex peccato mortali habet perfectam ingratitudinis rationem. Quamobrem hæc ingratitudo materialis, quæ est de se circumstantia peccati, est perfecta ingratitudo, & peccatum mortale, si alteri peccato mortali sit adiuncta, nimirum si aliquis contra præceptum alicuius alterius virtutis offendit benefactorem, vel quia negat illi, quod ei debet ex charitate, vt si illum odio habeat, vel ex misericordia, vt si in necessitate illi non succurrat, vel ex iustitia, vt si illi male ablatum restituere renuat, vel si ex quacumque alia causa, vel omittat, vel committat aliquid in benefactorem contra alicuius alterius virtutis præceptum, sed si actio cui adiungitur materialis ingratitudo, sit peccatum veniale, illa non est perfecta ingratitudo, nec est peccatum mortale. Vnde etiam est, quod nec est ingratitudo materialis, si actio ipsa nullo modo, sit contra benefactorem. Vnde nullo modo est ingratus pauper, qui recepit à Titio eleemosynam solius suæ necessitatis intuitu, si postea percutit alium pauperem, qui nihil attinet specialiter ad Ipsū Titiū, vnde ille nullu speciali iure potest dici offensus.

17 Quoniam vero præcepta regularia communiter, & regulariter non dantur intuitu gratitudinis in benefactores, vnde quantum sit ea vi præceptorum nulla fit benefactoribus iniuria, vel offensa, ex eo quod Religiosus illa præcepta violet: ideo in Religiosis contemnere præcepta superiorum, non est nec formalis, nec materialis ingratitudo contra benefactores temporales, nisi pro quanto est negligentia aliqua retribuendi bonum, quæ tanquam quid imperfectum, & veniale reducitur ad ingratitudinem formalem, ideo non est dicendum, quod Religiosi peccantes mortaliter per inobediētiam præceptorum, sint mortaliter materialiter ingrati, quia in hoc non offendunt benefactores, nec malum illis inferunt, quod vero bonum non retri-

buunt,

baunt, cum hoc non faciant ex contemptu non est in illis peccatum mortale. & si esset, esset ingratitudo formalis, sicuti de facto est aliquid imperfectum in eo genere.

18 Et tandem concluditur quod in Religiosis deserere actus religiosos, citra contemptum, est peccatum veniale; proprie autem loquendo huiusmodi Religiosos viuere ex bonis donatis nullum est peccatum, quia est vti re sua, quod nullo modo est illicitum per se, & ex obiecto. Et hinc magis patet, quod D. Thom. vbi dixit illicitum esse Religiosis viuere ex eleemosynis defraudando intentionem benefactorum loquitur in materia alterius obligationis & vbi bona non sunt simpliciter donata sed sub aliqua conditione aut modo. Quia vbi nullum prorsus est pactum, & bona sunt absolute donata, potest quidem esse peccatum, si beneficiatus non retribuat benefactori, sed hoc peccatum non redundat in vsum bonorum, vt illū reddat illicitum; quia bona absolute donata cadunt sub vsu libero eius, cui donata sunt. Verum quidem est, quod ingratus dignus est beneficio priuari, vt habet *D. Thom. q. 107. a. 4.* non tamen quia beneficium donatum possit ab eo tolli, sed quia benefactor vbi videat beneficiatum peiorem fieri, debet à beneficijs cessare. Verum beneficiatus factus dominus absolutus rei donatæ peccat quidem si quando debet non est gratus, non peccat tamen vtendo re donata. Sed vbi aliquid est donatum sub pacto retribuendi illicitus est rei donatę vsus, si nō retribuitur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosis licet viuere de eleemosynis, quæ illis debentur ratione necessitatis. nu. 19.*
2 *Necessitas multiplex, & ex multiplici causa est in Religiosis. num. 20.*
3 *Religiosis licet viuere de eleemosynis, quæ illis debentur ex eo quod ipsi exhibent. nu. 21.*

19 IN secunda parte textus D. Thom. incipit tractare aliud membrū suæ diuisionis per quod asseruit licere Religiosis vti eo, quod eis debetur. Et subdiuidendo hoc membrum distinguit, quia Religiosis aliquid debetur ratione necessitatis, & aliquid ratione eius, quod ipsi exhibent alijs. In hac ergo secunda parte ostendit, quod Religiosis licet viuere ex eleemosynis ex eo quod illæ sibi debentur ratione necessitatis. Cum vero necessitatis plures sint gradus, inter quos primum locum tenet necessitas extrema, quia hæc facit omnia communia, & ita quod, qui est in necessitate huiusmodi suum facit, quod proprio authoritate vbicumque capit, siue sponte sibi datum, siue si opus sit & clam, & aperte, & per vim sublatum, vt habet *D. Thom. supra q. 66. a. 7. c.* ideo si contingit Religiosum esse in extrema necessitate potest nedum ex eleemosynis, sed si opus sit, & furto, aut rapina (quod tunc neque furtum est, neque rapina) suæ necessitati succurrere. Si vero necessitas sit grauis, licet non extrema immo & ordinaria; adhuc superfluum vitæ & status diuitum sibi debetur, vt tradit idem *D. Thom. ibid. ex S. Ambros. serm. 81.* vt refertur *cap. sicut, dist. 47.* ibi. *Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis; miserorum redemptio, & absolutio est pecunia, quam tu in terram defodis.* Et ideo Religiosis in simili necessitate constitutis superfluum vitæ & status secularium illis est debitum, si ergo eis tribuatur, licite de eo viuere possunt.

20 Aduertit vero D. Thom. quod in Religiosis ex triplici capite potest esse necessitas ista licet non extrema, nimirum primo ratione infirmitatis corporis, ob quam victum labore manuum sibi non possunt parare. Secundo si acquisitum opere manuum non sufficit. Tertio ob pristinam consuetudinem eorum, qui non consueuerunt laborare. Ex quo colligitur quod personæ nobiles non assuetæ labori manuum sunt in graui necessitate si non habeant vnde viuant, etiam si labore manuū illud acquirere possint. Quia hic labor est medium illis improportionatum, ad acquirendum victum.

21 In tertia parte textus ostendit D. Th. quod Religiosis debētur eleemosynæ ratione illius, quod ipsi exhibent, nimirum ratione obsequiorum, & eorum, quæ ipsi in communem vtilitatem exhibent. Quatuor vero enumerat, quæ exhibent Religiosi, ad quæ cætera reducuntur, primum est prædicatio, secundum sacrificium altaris, tertium studium Theologiæ, quartum temporalia quæ monasterijs largiuntur. Ex ijs igitur & similibus, quæ Regulares exhibent, tenentur fideles eisdem tribuere eleemosynas, quibus propterea ijdem viuere possunt. Sed de istis in specie multa consideranda remanent, quæ vel ex iure communi antiquo, vel ex nouo statuta sunt.

SVMMARIVM.

1 *Titulo prædicationis debentur eleemosynæ Religiosis. num. 22.*
2 *Decretum Conc. Trident. sess. 24. cap. 4. de reform. num. 23.*
3 *Episcopi impediti per alios prædicare debent. num. 24.*
4 *Parochi per se ipsos prædicare tenentur, & non possunt impediri, & si id non præstent debent compelli. num. 25.*
5 *Episcoporum est Parochos eligere, & deputare. num. 26. & 27.*
6 *Parochi pro aliquibus vicibus admittunt ad prædicandum. num. 26.*
7 *Parochus non potest Prædicatorem missum ab Episcopo reijcere. nu. 27.*
8 *Episcopus etiam contra consuetudinem, potest prædicatorem in ecclesijs suis eligere. nu. 27.*
9 *Tempus habendorum contionum. nu. 28.*
10 *Magistratus temporales non possunt contra voluntatem superioris Ecclesiastici auctoritatiue facere prædicare. nu. 28.*
11 *Prædicatoribus etiam de iure diuino debetur sustentamentum. nu. 29.*
12 *Episcopo, & Parocho nihil debetur pro prædicatione. nu. 29.*
13 *Qui teneantur ad dandam eleemosynam Prædicatoribus. nu. 30.*
14 *Episcopus si contra consuetudinem velit eligere Prædicatorem tenetur ad dandam ei eleemosynam. nu. 30.*
15 *Prædicator eligitur ab ijs, quibus ex consuetudine id competit. nu. 30.*

16 Præ-

16 *Prædicator sine simonia, quando possit conuenire de eleemosyna.nu.51.*

17 *Prædicator debet se omnino alienum ab auaritia ostendere.nu.32.*

De eleemosyna Religiosis concionatoribus debita.

INSPECTIO SECVNDA.

22 EPiscoporum proprium munus & præcipuum est prædicare populis verbũ Dei. Et nihilominus ex commissione competit Religiosis, qui ad hoc multa habent priuilegia, prout explicatum fuit supra art.p.vbi ergo Religiosis committitur, vt populis prædicent, eisdem à populis debetur eleemosyna in sustentamentum illorum. Quoniam Dominus ordinauit his,qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere, vt 1.Cor.9. D.Th. ex S.August.l.de oper.monach.cap.13. Cum vero de hoc habeatur decretum Concil.Trident.sess.24.c.4. illud diligenter est custodiendum.

23 Est vero sequentis tenoris .videlicet: *Prædicationis munus, quod Episcoporum præcipuum est, cupiens sancta Synodus, quo frequentiùs possit ad fidelium salutem exerceri. Canones aliàs super hoc editos, sub fel.rec.Paulo III. aptiùs præsentium temporum vsui accommodando, mandat, vt in Ecclesia sua ipsi per se, aut si legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus assument; in alijs autem Ecclesijs per Parochos, siue ijs impeditis, per alios ab Episcopo impensis eorum, qui eas præstare, vel tenentur, vel solent, deputandos in ciuitate, aut in quacumque parte Diœcesis censebunt expedire, saltem omnibus Dominicis, & solemnibus diebus festis; tempore autem Ieiuniorum, Quadragesimæ, & Aduentus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, Sacras Scripturas, Diuinamq; legem annuncient, & alias, quotiescumque id opportunè fieri posse iudicauerint. Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri vnumquemque Parochiæ suæ interesse, vbi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei. Nullus autem secularis, siue regularis, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat. Idem etiam saltem Dominicis, & alijs festiuis diebus pueros in singulis Parochijs fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes, diligenter ab ijs, ad quos spectabit, doceri curabunt: &, si opus sit, etiam per censuras Ecclesiasticas compellent: non obstantibus priuilegijs, & consuetudinibus. In reliquis, ea, quæ de prædicationis munere sub eodem Paulo III. decreta fuerant, suum robur obtineant.*

24 Ex hoc vero Concilij decreto colligitur primo, quod Episcopi, si per se ipsos possunt, tenentur ad populum suæ diœcesis conciones habere. Quod si detineantur legitimo impedimento, ne tale munus exercere possint, debent saltem eligere ad prædicandum viros potentes in opere, & sermone, qui plebes sibi commissas verbo simul & exemplo ædificent.*cap.Episcopus dist.88.Concil.Trident.sess.5.cap.2.& d.sess.24.c.4. de reformat.Barbosa de off.Episc.all.76.num.4.*

25 Colligitur secundo quod Parochi etiam per seipsos suis Parochianis prædicare tenentur. Hoc enim illis præceptum fuit in *Concil.Trid.sess.5.c.2.& sess.22.cap.8.de sacrif.Missæ & sess.23.cap.1.* vbi quod hoc illis incumbat ex præcepto diuino, & *d.sess.24.cap.4.& 7.* de quo puncto videri possunt *Nauar.c.25.nu.135.Vgolin.de pot.Episc.cap.16.§.3.num.& c.Præses.p.c.c.3.num.16.Machado l.4.p.2.tr.3.docum.2.num.1.Barbos.de off.Parochi p.1.c.14.num.1.* Vnde est, quod si Parochi per se ipsos velint conciones habere ad populum, non possunt per Episcopos impediri, vt tanquam decisum à Sacr. Congregatione Concilij tradidit *Barbosa de off.Episc.all.76.num.9.& de off.Parochi d.cap.14.num.5.& ad cap.4.sess.24.Conc.Trid.num 6.* Et quamuis in vna Bituut. Vrbanus Octauus facta sibi relat. per Sacr. Congreg.sub die 2.Maij 1629. mandauerit, vt cum Episcopus prædicat silere debeant alij Concionatores, & quod Episcopus illis possit inhibere, ne tunc prædicent, tamen Parochi etiam tunc possunt per se ipsos inter missarum solemnia ad suos sermonem habere, vt censuit eadem Sacr. Congregatio in causa Terulen.11. Iunij 1631. quod tamen non esse intelligendum respectu Presbyterorum in Ecclesia Parochiali dixerunt *Lezana tom.1.c.20.num.6 & Barbosa de off.Parochi d.c.14.num.3.* Et alias vbi Parochi sint negligentes in habendo conciones, possunt & debent, etiam si alias sint exempti, ad id compelli ab Episcopo, etiam per censuras, & ita vt de beneficij fructibus alteri, qui id præstet honesta merces persoluatur. *Concil.Trid.sess.5.cap.2.*

26 Colligitur tertio, quod vbi Episcopus, vel Parochus sint impediti, ne per se ipsos prædicent, possunt id præstare per alios. Cum discrimine tamen. Nam licet de iure antiquo Parochus posset dare licentiam prædicandi in sua Ecclesia. *Clem. Dudum, de sepult.* nunc tamen ex decreto *Concil. Trid.sess.5.c.2.& d.sess.24.cap.4.* non possunt Parochi admittere in Ecclesijs suis nisi Prædicatores approbatos ab Episcopo: etiam si conciones habiturus sit Episcopus, vt ex declaratione Clem.VIII. resoluunt *Zypa in Analit.postremi Iuris Ecclesi. enarrat l.3.tit.de Parochis num.3.& Bertis Lucen. in praxi Reg. cap.34.de visit.Eccles.Paroch.* quos sequitur *Barbos.de off.Par.d.c.14.num.8.* Quamuis vbi aliquis Cõcionator sit bene notus Parocho possit admitti vt semel aut bis prædicet. *Nauar.cap.25.num.141. Vgol.de off.Episc.cap.42.§.1.num.3.* & alij, quos supra *art.p.regiali.*

27 Colligitur quarto quod solius Episcopi est nedum Prædicatores approbare, sed eos eligere pro Ecclesijs Diœcesis suæ iurisdictioni subiectis. Nec Parochus potest impedire Prædicatorem missum ab Episcopo, ne in sua Ecclesia conciones habeat. *Barb.ad d.c.4. Concil.Trident.* Cum enim prædicandi munus sit illi proprium, nulli hoc competit nisi ab eo misso. Mittit vero Parochos cum illis beneficium Parochiale confert; alios vero eligit secundum suæ prudentiæ arbitrium. *capit.inter Cætera de off. Ordin.* & ita est proprium Episcopi Prædicatores eligere, vt Capitulum Cathedralis de hoc se ingerere non possit, nec etiam intuitu consilij, & nec etiam pro deputando Prædicatore in Cathedrali. *Barbos.de off.Episc.all.76.num.7.& 8.* & apud eum *Armend.* Quod adeo verum est, vt licet vbi adsit consuetudo, quod aliquis alius eligat concionatorem, vt v.g. quod in Cathedrali eligatur Præ-

dicator

dicatoe à Capitulo vel de consensu Capituli, & in Ecclesijs Parochialibus ab Vniuersitatibus locorum, possit quidem, & sit laudabile, quod Episcopus consuetudini deferat, & nihilominus possit ipse nulla obstante consuetudine Prædicatores in Ecclesijs suis eligere, & mittere quos ad sui arbitrium elegerit. *Lezana v. Concionator. num.12. Barbos. de off. Epis. all.76.num.6.12.& 12.*

28 Colligitur quinto quod tempus in quo habendæ sunt conciones est tempus ieiuniorum & festorum, & præcipue diei Dominicæ. Per tempus autem ieiuniorum non intelligitur tempus vigiliarum, sed tempus quadragesimæ, & Aduentus *Armend. in addit. ad recopil. leg. Nauar. l.4.tit.30.l.3. de prædicatorib.nu.28.& 29.Barbos. de off. Epis. alleg.76. num.31.* vbi ex *d. Armend.num.31.* habet fuisse decisum per d. c.4. manere in arbitrio Episcopi decernere an in Quadrages. & in Aduentu prædicandum sit singulis diebus, vel tribus, vel pluribus aut paucioribus. In quo consuetudo in diuersis partibus est varia, nam in Italia in Quadrag. per eundem Prædicatorem habentur conciones singulis diebus in Quadrag. excepto die Sabbati, & in Aduentu solum in diebus festis, sed in alijs Regnis aliæ sunt consuetudines, & in quadragesima non per eundem, sed per varios deputatos in diebus destinatis conciones habentur. Quod vero Correctores Ciuitatum possint, teniente etiam Vicario generali, facere vt saltem omnibus diebus Dominicis & festis solemnibus populo prædicetur habet idem *Barbosa de off. Epis. all.76.num.32. & ad d. cap.4. sess.24.Concil.Trid.num.13.* Sed ego credo quidem quod seculares magistratus, seu vniuersitates possint apud Episcopum procurare & eius officiũ implorare, vt non deficiat Concio in diebus festis: sed nullius secularis est in spiritualibus, vel ius dicere, vel de facto aliquid in præiudicium spiritualis iurisdictionis agere.

29 Colligitur sexto, quod Prædicatoribus ex iure diuino per ius etiam Pontificium denunciato Prædicatoribus missis ab Episcopo debetur sustentamentum corporale. Dico Prædicatoribus missis; quia si Episcopus prædicare velit, cum hoc illi ex officio sit debitum, nullum aliud sustentamentum pro prædicatione potest prætendere, vel recipere. Sic enim fuisse decisum dixit *Gauan. v.concio nu.1. & Sell. in select. canon. cap.23. num.18.* attestans sic fuisse resolutum in Vestan 20. Martij 1621. *Barbosa ad d.cap.4.Conc.Trid.nu.4.* quod idem in eadem Vestan. fuisse decretum de Parochis tradit idem *Barb.de Paroch. p.1.cap.14.num.7.* Sed Prædicatoribus missis ab Episcopo debetur eleemosyna in sustentamentum. Et quidem de iure diuino. Viget enim illud Apos.in 1.ad Cor.9. dicentis. *Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Hæc enim & alia exempla adducit Apost. vt Gloss. aduertit, ad ostendendum, quod Apostoli non sibi aliquid vltra debitum vsurpabant, si sicut Dominus constituit ex Euangelio viuentes panem gratuitum manducabant ab eis sumptum, quibus gratiam gratuitam prædicabant. Cum ergo in prædicando laborent nedum Prælati habentes ratione officij sustentamentum à plebibus, sed etiam delegati Prædicatores, ideo & illis sustentamentum debetur. Nam & vt dicit ibidem Apos. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Sed cum multa ad hoc probandum adduci possent, sufficiat ex eod. Apos. ibidem, quod hoc est Christi Domini ordinatio. *Ita,* inquit, *& Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere.* Propterea & Concilium Tridentinum in citato textu iussit quod Prædicatores mittantur impensis eorum qui eas præstare tenentur, & solent.

30 Quærenti igitur quis ad huiusmodi impensas teneatur? Responderi debet quod per se ex iure communi Episcopi, & Parochi ad huiusmodi expensas teneantur. Quia Episcopi & Parochi tenentur prædicare per se ipsos; quod si impediti id non faciunt, sed per electos qui eorum officium gerant, ad eos spectat huiusmodi pascere, & sustentare. Nihilominus in hoc attendi debet consuetudo, vt ex præfato textu Concilij habetur. Et quidem si constat de consuetudine illa seruanda est, & adeo seruanda, vt Episcopus nec permittere debeat vt quantitas consueta diminuatur. Vnde adest sequens Sacr. Congreg. declaratio, nimirum. *Prædicatorum eleemosynam, ne vniuersitates moderentur, Episcopi curent.* Quam ex *Gauant. v. Concio sacra* refert *Lezana d.num.12.* vbi quod Sacr. Congreg. de mense Ianuar. 1635. præcepit Episcopo Imolem. vt adstringeret Archipresbyterum de Fusignano ad soluendam certam quantitatem pecuniæ solui solitam concionatori. Et si ij, ad quos spectat, eleemosynam consuetam negent, Episcopus debet eos compellere ad eam tribuendam *Armend. vbi supra n.19. & 17. Barbosa d.alleg.76.num.11.& 14.* Quod etiam eleemosyna quæ solet dari Prædicatoribus non sit à pensionarijs exigenda dixerunt *Armend.num.23.& Barbosa d. all.76.num.13.* Hoc tamen quantum ad hanc partem attendi debet, quod si qui habent consuetudinem soluendi expensas Prædicatoris habent simul ab immemorabili ius eligendi Prędicatorem, si Episcopus ipse vellt sibi assumere electionẽ Prædicatoris, tenebitur quoque ad expensas. *Barbosa d. alleg.76.num.12.num.12. Peyr. tom.3. ad Constit. Sixti IV. cap.2.n.13. Lezana v. Concion.nu.13.* vbi addit, quod Sacr. Congreg. Epis. & Reg. 17. Februar. 1634. præcepit, quod Episcopus non prohiberet concionari Prædicatorem quendam designatum ab vniuersitate de Francauilla. Et quantum ad Prædicatorem Cathedralis, si Episcopus prætendat adesse consuetudinem immemorabilem, vt vniuersitas soluat eleemosynam Prædicatori, ad eum spectat eam consuetudinem probare. Sell. in Select. can. c.23. num.21. referens sic decisum in Sutrina 10. Martij 1628. & 10. Iulij 1627. quem sequitur *Barbosa d. cap.4.num.10.* si vero non adest consuetudo aliqua soluet Episcopus vel respectiue Parochus, si habet sufficientes redditus, vel si non habet, tenebitur populus, cum sit rationabile vt Prædicatores tunc ab ijs, pro quibus seminant spiritualia, temporalia metant. Barbosa, & Peyr. citati. Sed prædicta confirmantur & explicantur ex vna declaratione Sacr. Congreg. Concilij quam sub hoc tenore verborum refert vbi supra Peyr. *Congregatio Concilij censuit, esse in electione Episcopi, vel deputare in sua cathedrali Prædicatorem, etiam quod populus illum ab immemorabili tempore eligere consueuisset, vel præteritam nominationem ipsi populo relinquere, ita vt si Episcopus Prædicatorem eligat, populum ad eleemosy-*

nas

nas Prædicatori erogandas non compellat. Verum si populum prædictum facultate eligendi Prædicatorem vti permiserit, tunc populum ad solitas eleemosynas præstandas Episcopus cogere poterit. In alijs ecclesijs ad Episcopum similiter pertinet electio, & deputatio Prædicatorum, impensis eorum, qui illas præstare vel teneatur, vel soleat. Concilium tamen non sustulit immemorabilem consuetudinem, qua facultas nominandi Prædicatorem in Ecclesijs non Cathedralibus alteri, quam Episcopo, competeret in sua diœcesi.

31 Quomodo vero Prædicator sine simonia possit prædicare etiam petendo eleemosynam, immo conueniendo de ea, & paciscendo & prædicando, vbi melius tractatur, & cessando vbi nullum emolumentum tractat *Lezana v. Concionator num.12.* admonens vt non petatur maior quantitas quam sit proportionata labori, quia aliter videretur vendere spirituale. Sed hæc late explicaui in tractatu *de elect.cap.7.q.2.& 3.* Sed & infra loquendo de missa disputabitur, an illa spiritualia possint dari paciscendo de eleemosyna. Nunc aduerto omnino reijciendum esse modum loquendi *Barbosæ d. all.76.num.10.* dicentis Prædicatorem posse pro sola obligatione recipere pretium, locando libertatem suam. Nam obligatio ad administranda spiritualia est res spiritualis, & est gratia Spiritus Sancti & Dei donum non æstimabile pretio. *Et* Prædicator non pro pretio debet agere, sed solum temporale potest petere vt sustentamentum. Hinc est, quod caute cõsiderãdus est modus loquẽdi Lezanæ dicentis habendam esse rationem laboris. & eius quantitatis aut valoris in cõueniendo de eleemosyna recipienda, quia hæc non potest peti vt laboris pretium & vt merces quantitati & valori laboris proportionata, & adequata, sed & hoc esset simonia, quia labor Prædicatoris formaliter est res spiritualis. Sed debet attendi ratio necessitatis, & sustentamenti, & indigentiæ tam ad victum, quam ad libros emendos, & alia agenda, habito tamen etiam respectu ad tempus quod insumitur, & ad Prædicationem ipsam; quia pro vno die prædicationis non debetur sustentamentum pro anno. Dum tamen id quod petitur, non petatur nisi vt sustentamentum, & vt medium necessarium ad viuendum ex *Euangelio.*

32 Et quamuis nihilominus non sit simonia conuenire de eleemosyna, vbi non petatur vt pretium prædicationis, est tamen aliquid, quod pessimam speciem habet, & sapit auaritiam, vnde non est laudabile in Prædicatore, qui ab auaritiæ suspicione & vmbra debet esse omnino alienus, vt sit in numero eorum, de quibus Isaias cap.60. quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Quæ verba considerans S. Gregor. in Ps.101, num.15. dixit. *Per pedes, euangelizantium, affectus intelligimus Apostolorum, qui quidem speciosi erant, quando non sua commoda, sed auditorum vtilitatem quærebant.*

SVMMARIVM.

1 *Ordo doctrinæ. num.33.*
2 *Sepultura est opus misericordiæ, quod in necessitate est de præcepto. nu.34.*
3 *Sepultura ab initio mundi exercita, & à SS. PP. commendata. nu.35.*
4 *Si quis mandaret suum corpus non sepeliri non esset audiendus. nu.35.*
5 *Gentes aliquæ inhumanæ non sepelientes corpora defunctorum. nu.36.*
6 *Nationes omnes curam sepeliendorum corporum professæ sunt. nu.36.*
7 *Quid de sepultura in Ecclesia multi senserint. num.37.*
8 *Nunquam fuit in Ecclesia lex vniuersalis prohibens mortuos sepeliri in Ecclesia. nu.38.*
9 *A tempore S. Augustini mortui in Ecclesia sepeliebantur. nu.38.*
10 *Ab initio Ecclesiæ corpora sepulta in cæmeterijs, quia extra vrbem sepelienda erant. n.39. & 41.*
10 *Sepultura Romanorum extra vrbem prope vias num.40.*
11 *Sepulchra Christianorum ab initio Ecclesiæ. n.41.*
12 *In principio Ecclesiæ non aptæ ad sepulchra mortuorum. nu.41.*
13 *Quando mortui cœperunt sepeliri in Ecclesia. numer.42.*
14 *Vtilitates quæ ex sepultura in Ecclesia proueniunt tam viuis, quam mortuis. n.42.*
15 *Præter Ecclesias dantur cæmeteria, quamuis non omni Ecclesiæ conueniat habere cæmeterium. numer.43.*
16 *Tam cæmeterium quam Ecclesia debent saltem esse benedicta. n.44.*
17 *Non est necesse quod cæmeterium sit adiunctum Ecclesiæ. n.44.*
18 *Ecclesia & cæmeterium qualiter consacrentur & polluantur. n.45.46.*
19 *Locus sepulturæ est Ecclesia vel cæmeterium. numer.47.*
20 *Sepulturam non debere eminere supra terram. numer.47.*

De eleemosynis debitis Religiosis ratione sepulturæ.

INSPECTIO TERTIA.

33 SEcundum ex quo D. Thomas ait deberi eleemosynas Religiosis est ex altaris ministerio, ad quod reducuntur omnia, quæ in suis Ecclesijs Religiosi secularibus exhibent. Inter quæ maximæ æstimationis est sepultura, quæ etiam est occasio vnde Religiosis committuntur sacrificia Missarum & orationes pro animabus defunctorum habendis, eisque plura in testamentis legantur. Ideo prius tractandum duxi de eleemosynis, quæ Religiosis ea ratione debentur, quod in eorum Ecclesijs cadauera tumulantur. Huius tamen inspectionis materia quæ ampla est, in plura capita est diuidenda.

Locus sepulturæ est Ecclesia, aut Cæmeterium.

INSPEC. III. CAPIT. I.

34 NAtura sic docente & ordinante humana cadauera sepelire semper fuit iudicatum pium opus, ac religiosum, ac inter opera mise-

misericordiæ numerandum. Vt enim habet *D.Th. supra q.32.a.2. ad primum. Pertinet ad defunctum, quid de eius corpore agatur, tum quantum ad hoc, quod viuit in memorijs hominum, cuius honor dehonestatur, si insepultus remaneat: tum etiam quantum ad affectum, quem adhuc viuens habebat de suo corpore, cui piorum affectus conformari debet post mortem ipsius*. Et licet Dominus Matt.25. commemorans opera misericordiæ mentionem non fecerit sepulturæ mortuorum, hoc factum fuit, teste D.Thom. ibid. quia Christus enumerauit solum illa, quæ sunt euidentioris necessitatis. Vnde est, quod cum opera misericordiæ cadant sub præcepto in casu necessitatis, vt habet idem *S. Thom.d. q.32.a.6.* Ita necessitatis est, & de iure naturę mortuorum corpora sepelire. Vnde peccat mortaliter, qui mortuum non sepelit, cum nullus alius adest, qui illud officium præstet. *Baffeus v. sepulturæ n.1.* Et hæc eleemosyna etiam infidelibus debetur, quâuis non in loco sacro, quia hoc spectat ad ius naturæ, & debetur ratione humanitatis, quod etiam agnouit Iurisconsultus *l. scriptus hæres. ff. de Relig. & sumpt.fun.* Et vt argumentabatur S.August.lib.1. de Ciuit.Dei cap.3.& lib.de cura agenda pro mortuis cap.3. *Si paterna vestis, & annulus, ac si quid huiusmodi tanto charius sunt posteris, quanto erga parentes maior affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique multo familiarius atque coniunctius, quam qualibet indumenta gestamus.* Et propterea non minus interresse viuos conseruari, quam mortuos sepelire dixit *Surdus dec.215.nu.19.* quem sequitur *Barbos. in rubr. de sepult.* Et ideo hæc est gratia, quam non esse negandum mortuo dixit Eccles.c.6. *Mortuo non negabis gratiam.* Ob hoc misericordiæ opus Tobias meruit diuinũ patrocinium. Tob.12. Quod sepelissent corpora Saul & Ionatæ optime sensit Dauid. Sed & S. Greg. *ser.1.* de consolat. mortuorum eius pietatis causam eleganter scripsit dicens. *Iacet corpus inanime, ac gelidum, homo sine homine, cadauer sine spiritu, acclamatur, nec respondet, vocatur & non exaudit, deperditis vitalibus functionibus, qui fuit non est, nemo suorum adiuuare, nec ipse auxilium postulare potest, quam ob causam nos eo magis commoueri æquum est. Potest enim, qui fame aut siti laborat, vel ex pane, vel ex profluente recreari, qui nudus est solus vestes contexere, qui ægrotat, maiorem in alijs miseriam cogitando se consolari, & captiuus in captiuitate, & peregrinus frigido cælo respirat. At mortuus cum anima, sensuque careat, nec quo se vertat, nec quid imploret amplius, nec vim habet implorandi. Nimirum igitur si insit a natura in humanis pectoribus singularis erga defunctos pietas ac miseratio &c.*

35 Hinc est, quod & viuentes morituri curam diligentem habuerunt de suis corporibus sepeliendis. Et vt habet S. Aug.lib.1. de Ciu. Dei c.13.& l.de cura agen.pro mor.cap.3. *Antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa, ipsique cum viuerent, de sepeliendis, vel transferendis suis corporibus filijs mandauerunt.* Sic enim Iacob.Gen.49.mandauit filijs vt ex Aegypto corpus eius sepeliendum in Palestina in sepulcro Patrum suorũ deportarent. Ioseph quoque Gen. 50. præcepit, vt cum Deus educeret Israeliticam gentem de Aegypto ossa sua secum deferrent. Tobias quoque filio mandauit, vt corpus suum sepeliret. Cuius facti rationem reddidit *S.Thomas 4. d.45. q.0. a.3.q.3.ad secundum* dicens. *Ideo sancti Patres de suis corporibus tumulandis curauerunt, vt ostenderent corpora mortuorum ad Dei prouidentiam pertinere, non quod corporibus mortuis aliquis sensus insit, sed propter fidem resurrectionis astruendam.* Quod etiã dixerat locis citatis S. Aug. sic igitur & natura, & fides petit, vt defunctorum corpora sepeliantur; vnde ab initio mundi corpora primorum parentum, & successiue aliorum Patriarcarum, & Patrum honorifice fuerunt tumulata, vt Scriptura sacra recenset & historiæ etiam profanæ testantur. Et inde est, quod etiam si quis nollet suum corpus sepeliri, & hoc testamento relinqueret, & mandaret, non deberet eius mandatum impleri. *l.quid.ff.de condi.instit. & dist.21. §. nunc autem.in Gloss.Tabien.v.sepultura num.21.*

36 Verum est, quod aliquæ barbaræ nationes inhumanitatẽ ferarum imitantes honorem sepulturæ, defunctorum cadaueribus negauerunt. Mesagetas enim, & Derbices miserrimos putasse, qui ægrotatione morerentur, & parentes, cognatos, propinquos, cum ad senectam venissent, iugulatos deuorare consueuisse, rectius esse dicentes, vt à se potius, quam à vermibus comederentur. Hircanos vero volucribus, & canibus semiuiuos proiecisse, & ad hunc effectum canes nutriuisse, vel ex priuato, vel ex publico ære, vt mortuorum cadauera deuorarent. Caspios bestijs suos mortuos proiecisse, Scytas hunc morem tenuisse, vt inter epulas, honoris causa mortuos vorarent, vel etiam eos, qui à defunctis amati fuerant, viuos infodisse cum ossibus mortuorum. Lotophagos suos in mare defunctos capedunculis & loculis prorsum neglectis abijecisse parum interesse asseuerantes humo ne, an aqua, an igne dissoluerentur. Albanos curam mortuorum agere nephas arbitratos fuisse. Sabæos corpora defunctorum æque ac stercus duxisse, eo etiam reges in sterquilinium reiecisse. Trogloditas mortui ceruicem pedibus alligasse & raptim cum risu, & iocis detulisse, nullique loci habita cura terræ mandasse ad caput cornu caprinum affrigentes. Aliaque similes inhumanos mores referunt ex Teodoreto *Baron.ad an 44.num.24. & Celius Rodiginus l.17.de Z.antiq.cap.15.* Verum hos, vt immanitate ac barbariæ notissimos nemo non vituperandos execrandosque censuerit. Cæterum quantum gentes omnes curam in sepeliendis corporibus posuerint, quot sepulchrorum genera, quantas in curandis corporibus expensas, nouendialia sacra, vicennalia, tricennalia, pothus, coronas, flores amaranthos, vina, cæremonias in funerandis corporibus haberi solitas, late refert idem *Celius Rodiginus ibid.cap.20.& 21.*

37 Nobis nunc sufficiat, quod Christiani ab initio etiam nascentis Ecclesiæ nedum mortuos suos sepelire, sed in loco sacro ea conseruare consueuerunt. In Ecclesijs quidem ab initio *Ecclesiæ* non sepeliebantur mortui, nam immo quod prohibitum tunc esset sepelire mortuos in Ecclesia ex *cap.Præcipientium, cap. nullus, cap. quibus 13.q.2.* dixerunt *Turrecrem. ad d.cap.Præcipientium*, & ibi *Barb. num.3. & l.2. de iure Eccles. cap.10.num.6.* & alij apud ipsum, indeque magno honore affectum fuisse Constantinum, quod pro foribus Ecclesiæ sepultus fuerit, factusque fuerit Piscatoris ianitor

ex Chryf. hom.66. ad popul. deducunt. Et idem de vtroque Theodosio, & Arcadio sepultis in Apostolorum porticu ex *Niceph. retulit Steph. Durant. de ritib. Eccles. lib.1.cap.23.nu.6.* Huius vero prohibitionis rationem triplicem reddit Turrecrem. Prima quia domum Domini decet sanctitudo, non spurcitia sepulchrorum. Secunda quia Ecclesia est locus viuentium non morientium, vbi spiritualiter mortui peccatis, per sacramentum pœnitentiæ reuiuiscunt. Tertia quia Ecclesia est locus dicatus Christo, qui resurgens ex mortuis iam non moritur. Addunt vero, quod honor iste sepulturæ intra Ecclesiam primum Episcopis, alijsque insignibus personis deferri cœpit, vt ex *Concil. Magunt. in cap. Nullus 13.q.2.* Et cum in dicto textu inter eos, qui in Ecclesia sepeliri permittuntur, numerentur fideles hunc terminum explicant, vt non importet fideles ex fide Baptismi, sed de ijs qui ex fide viua sancti effecti sunt, Turrecremata, Barbosa, & apud eum plures, Consuetudine postea introductum fuisse, vt fideles omnes in Ecclesia sepeliri possent tradiderunt. *Durand.d.c.23.nu.7.& 8.Cened. collec.46. num.1.Barbos.ad d.cap. Præcipientium num.6. & l.2. de iure Eccles. capit. 10. & de off. Parocb. capit.26.* Et nihilominus prohibitionem sepeliendi in Ecclesia etiam nunc vigere, sed intelligendam non de tota Ecclesia, sed de parte eius, scilicet de capella maiori ex Rota in Calagur. de Amario 12.Decembris 1603. coram Gregor.XV. *dec.145. num.3.* tradit *Samuel de sepult.tit.1.Controu p.num.7.* Et quod postea indistincte sit concessum omnibus sepeliri in Ecclesia in *cap.Nullus 13. q.2. & capit. cum liberum de sepulturis* dixit Rota in Rom. iuris funeralium coram Zarate 4. Iulij 1653.

38 Verum hanc vniuersalem prohibitionem sepeliendi corpora defunctorum in Ecclesia, non inuenio. Caput enim Præcipientium 13. *quæst.2,* quod *Gratianus* refert ex *Concil. Varensi Burchard, l.3. cap.159. & Iuo p.3. cap.222.* citant ex *Concil. Nannet.cap.6.* in quo vere illud inuenitur. Et in Epitome Concil.cap.3. habetur Concil. Vasense ex cuius cap.3. illud desumitur. Hæc vero Concilia fuere Prouincialia, nec vltra suam Prouinciam obligabant. Sed quod magis ad rem nostram facit, consuetudo Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ sepeliendi fideles quoscumque in Ecclesia antecessit illa Concilia, & durauit, & durat in Ecclesia. Nam Concil. Nannet. sub Formoso Papa 1. celebratum fuit anno 894. Varensis vero Concilij mentionem non inuenio nec in Baronio, nec in Binnio nec in Brancato; plura autem fuerunt Concilia Vasentia, seu Vasionensia, nimirum primum sub Iulio primo circa annum 342. secundum sub Leone primo anno 442. & 3. quod dicitur secundum sub Ioanne primo anno 529. Aduertit vero Baron. ad annum 442. num.3. quod sub nomine Concilij Vasionensis continentur Canones omnium illorum trium Conciliorum Valentium, quæ in diuersis temporibus fuerunt celebrata. Verum in collectione Conciliorum apud Binnium hæc tria Concilia habentur distincta: sed in nullo eorum habetur illud cap. Præcipientium, nisi quod in fine vltimi Binnius ex Gratiano illud cap. addidit ad acta illius Concilij. Quod vero huiusmodi Conciliorum decreta non fuerint vniuersalia, neque vbique recepta & posteriora vsu sepeliendi in Ecclesia, inde colligitur, quod tempore S.Augustini, qui obijt iuxta Baron: num.75. anno 430. in Ecclesijs sepeliebantur defuncti, vt clare habetur in *lib. de cura agend. pro mortuis capit.vlt.* & refertur *cap. Non æste mens 13. quæst.2.* vbi S. Aug. sic habet. *Quod vero quisquam apud memoriam martyrum sepelitur, hoc tantum mibi videtur, vt commendans eum martyris patrocinio, affectus pro eo supplicationis augeatur.* Sed & tempore S. Gregorij, qui obijt anno 604. vt habet Baron. ad illum annũ n.16. & 17. Mortui sepeliebantur in Ecclesia, & patet ex *l.4.Dial.cap.50.* & habetur *cap.Cum grauia 13.quæst.2.* Tempore etiam Theodulphi Abbatis Floriacen. & Epis. Aurelian. antiquam consuetudinem fuisse sepeliendi defunctorũ Corpora in Ecclesia testatur ipse in Epis. ad Clerũ suæ Diœces. apud Baron. ad annum 835. num.9. quam consuetudinem ipse tollere conabatur. Concil. etiam Mogunt. expresse fidelibus permittit sepulturam in Ecclesijs. Quod vero nomine fidelium ibi soli sancti intelligantur, satis manifeste apparet limitationem facere vim textui, cum titulus fidelis omnibus Christianis sit communis. Et eo magis, quod nostrum non est distinguere non sanctos, a sanctis, sed solius summi Pontificis est sanctos canonizare, & à non sanctis distinguere.

39 Et licet ab initio Ecclesiæ mortui sepeliebantur in Cœmeterijs, hoc non fuit, quia prohiberentur sepeliri in Ecclesijs, sed quia vt bene aduertit Baron. ad annum 226. num.7. & seq. Cum ex lege 12. tabularum, vt habetur apud Cicer. l.2. de leg. prohibitũ esset Romanis sepelire intra mœnia Ciuitatis, nisi pro quanto hoc erat concessum ijs, qui triumphauerãt, prout narrat Plutarchus in Apoch. q 79. Ideo necesse fuit vt fideles corpora defunctorum extra Ciuitatem sepelirent; quamuis in abscondito, vt poterant, reliquias martyrum intra priuatas domos conseruarent. Et cum lex ista consuetudine fuisset abolita, Theodoricus Rex Italiæ illam pristino vigori restituit, donec per Leonem Philosoph. Imperatorem constit.53. cassata fuit, & abrogata. Christiani propterea, qui mortuorum corpora ad vsum Gentilium non comburebant, sed potius vnguentis, & balsamo conseruare nitebantur, ea extra Vrbem sepeliebant in Cœmeterijs, quæ etiam dicebantur areæ. catacumbæ, griptæ, arenariæ. Quamuis communius dicerentur Cœmeteria, quasi defunctorum dormitoria, in signum creditæ felicis resurrectionis, vt significaretur Christianos non tam mori, quam dormire, & requiescere, expectantes interim beatam spem & gloriam æternæ resurrectionis. Horum Cœmeteriorum quadraginta tres numerat Baron. ad d. annum 226. In quibus fidelium omnium corpora tumulabantur, quamuis distinguerentur sepulchra martyrum ab alijs, vnde & nunc ex Cathacumbis, seu Cœmeterij multa corpora sanctorum in dies extrahuntur, relictis ijs, in quibus nullum signum adest, ex quo martyrium aut sanctitas certo colligatur.

40 Præfatæ autem legis 12. tabularum meminit *Iurisconsul. in l.3. §. diuus ff. de sepulcb. violat. & l.mortuor. C.de Relig. & sumpt. fun.* Cuius legis duplex causa fuit. Prima fuit ad cauendam pollutionem sacrorum publicorum, quæ contaminata iri existimabant, si mortui intra mœnia sepelirentur. Secunda fuit ne aer putrefieret. Huiusmodi vero loca extra vrbem deputata alia erant publica

alia

alia priuata. Publica duo erant, vnus pauperum extra portam exquilinam in campo exquilino dictum, alius ad virorum, qui de Republica erant bene meriti, in Campo Martio. Priuata vero loca illa erant, quæ vnusquisque habebat in fundo suo, *l. cum in ff. famil. hercisc. l. a de tassa, ff. de contrahend. empt. l. 1. ff. de relig. & sumpt. fun.* & solebant antiqui, si eorum fundi apud vias publicas essent, in ea parte, quæ viam spectat sepulchra condere, vt viatores mortalitatis monerentur, ita tamen vt viam ipsam sepulchra non impedirent *l. 2. ff. de loc. publ.* Vnde viæ sepulchris nobiles Romæ fuerunt, Apia, Aurelia, Flaminia, Latina, Lauicana, Laurentina, Ostiensis, Prænestina, Salaria, Tyburtina. De quibus mentio multiplex habetur in Martyrologio, & Breuiario Romano. Sed & in sacra Scriptura de sepulchris extra vrbes positis habentur exempla, vt de spelunca empta ab Abraham. Gen. 23. de sepultura Lazari extra Bethaniam. Io. 11. de iuuene mortuo, quem suscitauit Christus. Lucæ 7. & de eiusdem Christi sepulchro Matt. 27. & Io. 19.

41 Iuxta igitur hunc morem sepeliendi mortuos extra Ciuitates, Fideles ab ortu Ecclesiæ nedum extra Ecclesias, verum etiam extra Vrbes mortuos sepeliebant, & sicut iam Abraham pro sepultura vxoris suæ Saræ, sui, & suorum descendentiũ elegit, & emit speluncam duplicẽ, ita fideles pro tumulandis mortuis criptas arenarias, & catacumbas, eligebãt & tamẽ sicut sepulchrum Christi fuit excisum in petra, ita fideles corpora martyrum in sepulchris marmoreis intra catacumbas collocabant, vt experientia ipsa etiam his temporibus manifestum facit, latera quoque sepulchrorum ornabant sculptis sacris imaginibus, quarum quamplures referuntur in Roma subterranea. Hæc igitur est ratio propter quam ab initio Ecclesiæ nascentis intra templa corpora mortuorum nõ sepeliebantur in Ecclesijs. Quamuis etiam tunc cum fideles templa haberent abscondita, & in priuatis fidelium domibus, & quidem etiam in domorum summitatibus; qualis fuit, quam descripsit Lucianus apud Baron. ad ann. 57. n. 101. sic enim priscis illis temporibus antequam per fideles Imperatores cõcessa fuisset facultas libere sacra templa erigendi, priuatæ domus, seu domorum partes ampliores, seu cœnacula inseruiebant fidelibus pro templis, vt patet Act. c. 12. & 29. & ad Eph. 6. bene colligitur quod tunc Ecclesiæ non erant aptæ pro tumulandis communiter defunctis, tum ratione loci, tum quia per idolatras impediti fuissent, nec potuissent ab eorum impia persecutione se defendere, & priuatas illas Ecclesias habere, & frequentare; quoniam funera mortuorum occulte haberi non potuissent, quin valde infidelibus fuerint manifesta.

42 Cum vero reddita Ecclesiæ pace, & per Constantinum Imperatorem, & alios concessa est Christianis templa erigendi facultas, in eisdem templis cœperunt transferri, & reponi sacræ Martyrum reliquiæ, simul quoque fideles, vt Baronius aduertit ad annum 226. num. 12. edocti animas defunctorum existentes in purgatorio iuuari posse meritis sanctorum cœperunt defunctos sepelire apud martyrum memorias intra ipsas Ecclesias. Quod quidem multo rationabiliter fuit introductum. Tum ex ratione S. August. lib. de cur. agen. pro mortuis cap. vlt. cuius verba supra relata sunt & habetur cap. non æstimemus 13. quæst. 2. & ponderauit *D. Thom. 4. d. 45. q. 2. a. 3. q. 3. corp.* aduertens quod sepultura in loco sacro non iuuat defunctos ex opere operato, sed bene ex opere operantis, *dum, scilicet, vel ipse defunctus, vel alius corpus eius tumulari in loco sacro disponens, patrocinio alicuius sancti eum committit, cuius precibus per hoc credendus est adiuuari*. Secunda causa est, quam reddidit S. Gregor. lib. 4. Dial. cap. 50. & refertur cap. cum grauia. d. c. 13. q. 2. ibi. *Cum grauia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi quoties ad eadem sacra loca veniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt. Nam quos peccata grauia deprimunt, non ad absolutionem potius, quam ad maiorem damnationis cumulum, eorum corpora in Ecclesijs ponuntur*. Tertiam causam reddidit D. Th. vbi supra dicens. *Et etiam patrocinio eorum, qui in loco sacro deseruiunt, qui pro apud se tumulatis frequentius, & specialius orant*. Sed hoc etiam spiritualiter prodest viuis, qui nedum per hoc protestantur fidem resurrectionis, sed etiam in suæ mortalitatis memoriam reducuntur, dum in Ecclesia, quam frequentant, tot monumenta conspiciunt mortuorum. Nam & sepulchra ideo monumenta dicit, quia moneant mentem aduertit S. Aug. lib. 1. de Ciu. Dei c. 13. & lib. de cur. ag. pro mort. cap. 4. Aliam rationem reddit *Barbosa ad d. cap. Præcipientium numer. 6.* quia nimirum corpora defunctorum in Ecclesia minus ab immundis spiritibus vexantur, & ideo in Cœmeterijs dicitur esse requies sanctorum. *cap. aurum 15. q. 2.* Sed quod & Paganorum error fuerit, quod sepultura iuuaret mortuos, vt eius anima quietem haberet; Non enim credebant animam posse quietem habere prius quã corpus traditum fuisset sepulturæ refert *D. Th. 4. d. 45. q. 2. a. 3. quæst. 3.* Sed Paganorum figmentum merito ridiculum putat Angelicus Doctor & absurdũ. Sed quod etiam corpora fideliũ defunctorum vexentur à Dæmonibus, nõ video quo solido fundamẽto asseratur. In alio sensu à S. Ambrosio l. 4. de off. cap. 28. relato in d. c. Aurum Cœmeteria dicuntur esse requies sanctorum, quia ob spem resurrectionis centenent ibi quiescere & dormire vt excitentur à somno in die vniuersalis resurrectionis. Qualiter etiam iuuent sepulchrorum ornamenta explicat D. Thom. vbi supra dicens. *Sed illa, quæ ad ornatum sepulturæ exhibentur, prosunt quidem viuis, inquantum sunt viuorum solatia, sed possunt, & defunctis prodesse, non quidem per se, sed per accidens, inquantum scilicet per huiusmodi homines excitantur ad compatiendum, & per consequens ad orandum vel inquantum ex sumptibus sepulturæ vel pauperes fructum capiunt, vel Ecclesia decoratur. Sic enim sup. 4. sepultura inter cæteras eleemosynas computatur*. Impios vero sepultura sacra non iuuat, sed nec per se nocet, nisi per accidens vt *Tabien. v. sepultura num. 1.* aduertit ex *D. Thom. 3. p. q. 50. a. 2. ad secundum*, quia nimirum indignus sibi eam procurauit ob inanem gloriam.

43 Quamuis vero consuetudo Ecclesiæ fuerit, & sit sepeliendi defunctos in Ecclesia, non tamen per hoc reliquit vsum Cœmeteriorum, sed immo Ecclesiæ habent sua Cœmeteria, in quibus defuncti sepeliuntur, qui in Ecclesia proprias non habent sepulturas. De his Cœmeterijs multi interpretantur

decretum Nicolai Papæ in cap. sicut antiquitus, vbi decernit, quod Ecclesia maior per circuitum habeat 40. passus & Ecclesiæ minores, & Capellæ 30. & præcipit excommunicari, qui huiusmodi confinia violauerit, Sed hæc non sepulturas respiciunt, sed Ecclesiæ immunitatem. Neque enim Cœmeteria extendebantur per circuitum totius Ecclesiæ, vt vndequaque circum illam mortui sepelirentur; aliter necesse fuisset, vt Ecclesiæ, etiam intra mœnia Ciuitatum erectæ, domos nullas propinquas haberent, sed ad distantiam 40. vel 30. passuum vndequaque liberæ essent. Sed & canon ille etiam quantum ad immunitatem in dissuetudinem venit. Et quantum ad Cœmeteria, etiam non esse attendendam huiusmodi distantiam 40. vel 30. passuum, dixit *Barbosa l.2. de iur. Eccles. cap.9. numer.6.* Vbi quod neque omnibus Ecclesijs conuenit habere Cœmeterium, sed solum illis, quæ habent populum, nimirum Parochialibus, quamuis vel ex consuetudine, vel ex priuilegio, vel ex Episcopi concessione, etiam non Parochiales Ecclesiæ habere possint Cœmeterium secundum *Hostien. in cap. quia nonnulli num.7. vbi Io. Andr. n.8. Butr. num.10. Zabar. q.11. de Cler. non resid. Rota decis.228. num.7 p.2. Recent. &* in *Mediolan.* quartæ funeralium 14. Mart. 1652. coram Merlino.

44 Tam vero Ecclesia, quam Cœmeterium debet esse saltem benedictum, vt sit locus religiosus sepulturæ fidelium deputatus. Non est quidem necessaria consecratio; Et quamuis Angelus existimauerit necesse esse, quod Cœmeterium sit adiunctum Ecclesiæ consecratæ; hoc merito negat *Syluest. v. sepultura num.1.* Quoniam ad effectum sepeliendi nec Ecclesia debet esse consecrata. Necesse tamen est, vt Ecclesia sit benedicta, sicut & Cœmeterium debet esse ab Episcopo ad fidelium sepulturas deputatum, & ab eo benedictum; nam & Cœmeterium non est aliud, quam locus ab Episcopo deputatus, & benedictus pro sepeliendis cadaueribus fidelium defunctorum. Vnde est, quod est locus Religiosus, iuxta decretum Vrbani IV. in cap. ad hæc, de Religios. dom. Quamuis de iure Ciuili religiosus censeatur locus, in quo quicumque fit sepultus. *l. cum in diuers. ff. de relig. & sump. fun. §. religiosum, instit. de rerum diuis.* Et ita quod vbi etiam vnus solus fuerit sepultus, vel caput etiam, locus efficitur religiosus, non tamen vbi aliæ partes sine capite sepeliantur. *Barbos. l.2. de iure Eccles. c.9. n.5.* Aduertit tamen *Syluest. post Gloss. in cap. Ecclesiastica 13. q.2.* quod est necesse quod de licentia domini loci corpus sit ibi sepultum eo animo, vt ibi perpetuo remaneat, aliter remanet prosanus, *l. si quis eo animo ff. de relig.* Cæterum, vt ex *Panorm.* habet *Syluest. v. locus num.1.* locus iste etiam de iure Canonico dici potest Religiosus, quia est ad pium vsum deputatus; Nihilominus de iure Canonico locus sepulturæ non censetur Religiosus, nisi ad hunc effectum sit ab Episcopo deputatus, & benedictus, vt habetur ex d. cap ad hæc, & adnotatuor. *Io: Garz. de expens. cap.8. Gratian. d. disc. pt. 110. a princ. Innoc. cap. ad abolenda, de Relig. dom. Sylu. v. sepult. in princ. Rota decis. 30. numer.8. p.2. Recent.* Econtra etiam si actu nullus sit sepultus in loco ad sepeliendum ab Episcopo deputato, & benedicto, locus religiosus est. *cap. ad abolenda, de sepult. capit. præcipiendum, capit. quæsta, capit. postquam 13. quæst. 2.* *Syluest. vbi sup.* Et inde est, quod Cœmeterij nomine, hodie veniunt quæcumque loca per Episcopum ad sepeliendum mortuos deputata & benedicta, seu in quo defunctorum corpora possunt, & debent sepeliri *Clem.1. de sepult. vbi Card. & Imol. num.12.* Et quamuis Cœmeteria debere esse apud Ecclesiam dixerit *Innoc. ad cap. Abolenda, de sepult.* tamen hoc non esse necessarium, sed Cœmeterium posse aliquantulum distare ab Ecclesia ob fœtorem dicit *Syluest. v. sepultura num.1.* Vbi addit non posse hospitali, vel alio loco Religioso accedere sepulturam nisi habeat Ecclesiam.

45 Quamuis vero ad effectum sepeliendi mortuos non sit necesse, quod Ecclesia vel Cœmeterium sint consecrata, tamen consecranda sunt *cap. si e. de consecr.* Quomodo autẽ debeat fieri eius consecratio habetur in Pastorali. Consecrata vero Ecclesia remanet consecratum Cœmeterium, quamuis specialiter quoque soleat consecrari. Et de eius consecratione, pollutione, & reconciliatione idem tenendum est, quod de Ecclesia dicitur secundum *Syluest. v. Cœmeterium num.1. Durand. in ration. diuin. off. l.1. c.6. num.45. Fagund. in præcep. Eccl. præc.1. l.3. c.14. n.51. Mirand. tom.2. q.39. a.1. concl. p. Lezana v. Ecclesia num.6. & 13. Barbosa l.2. de iure Eccles. c.9. num.9.* Sicut ergo consecrata Ecclesia consecratum censetur Cœmeterium illi contiguum, ita Ecclesia polluta illud polluitur. Quod tamen non verificatur si Cœmeterium non sit Ecclesiæ contiguum, quia nimirum extrema Ecclesiæ non contingunt Cœmeterium. Et item polluto cœmeterio nõ censetur, Ecclesia polluta *cap. vlt. de cons. Eccles. in 6. vbi DD. Syluest. v. Cœmeterium num.2. Fagund. vbi sup. nu.18. Miran. d. q.39. a.2. Sanch. l.9. de matrim. disp. 15. num.23. & 35.* & plures alij apud *Barbosam vbi supra.* Quatuor vero modis polluitur cœmeterium, scilicet polluta Ecclesia, secundo per effusionem sanguinis, & tertio per effusionem seminis in eo factam, & quarto per sepulturam prosani, nec aliquis debet in eo sepeliri, donec reconcilietur. *Syluest. vbi supr. num.2.* Quod si sint Cœmeteria plura & distincta, vno polluto non polluitur aliud, si inter ea mediat paries diuidens, & vnum non sit accessorium alterius, & etiam si in pariete sit porta per quam de vno transitur ad aliud. *d. cap. vnica; Syl. num.3. Azor. p.2. l.9. cap.5. q.2. Mirand. tom.2. q. 36. a.2. Lezana vbi sup. num.4. Barb. num 19.* Sed si pollutio accidat in media parte, & paries diuidens sit communis & in fundo vtriusque erectus, vtrumque remanet pollutum; sed si ab vna parte tantum, illud tantum est pollutum: sed si paries diuidens totus pertineat ad vnum Cœmeterium illud solum remanet pollutum per pollutionem in porta accidentem; quod idem dicitur si porta vnius ex illis causa facta sit, & sic sit veluti accessoria illius. *Io. Andr. ad d. cap. vnicum. Syluest. v. Cœmet. nu.3.* Quod si sit dubium causa cuius cœmeterij porta sit facta, censenda erit facta propter vtrumque, & sic vtrumque polluitur. *Ita Syluest.* quod tamen intelligi debet, si pollutio medium partem attingat; nam si ex vna parte tantum, illud solum cœmeterium erit pollutum ex cuius parte accidit pollutio.

46 Similiter vbi Cœmeterium sit Ecclesiæ cõtiguum, reconciliata Ecclesia illud remanet reconciliatum. *d. cap. vnica, & ibi DD.* sed si cœmeterium seorsum sit reconciliandum, si prius erat solemni-

solemniter consecratum, huiusmodi reconciliatio fieri debet per Episcopum aqua solemniter cum cinere, & vino per eum benedicta *capit. consuluisti de consecrat.* Et in hoc sensu reconciliationem cœmeterij nō esse alteri ab Episcopo committendam censuit Sacra Rituum Congreg. in Camertucen. Februarij 1608. teste *Barbosa vbi sup. n. 12. & Lezana nu. 6.* Sed si cœmeterium non sit solemniter benedictum, sed tantum ad sepeliendum destinctum per Parochum sacerdotem poterit aqua exorcizata reconciliari. Vbi verò cœmeterium sit pollutum per sepulturam hæretici, excommunicati, &c. prius horum corpora sunt exhumanda, si discerni possūt. Non tamen exhumari debent corpora fidelium ex eo quod ibi per hæreticos, vel schismaticos fuerint sepulta. *Sylu v. cœmeterium num. 4.*

47 Locus igitur sepulturæ est Ecclesia, vel Cœmeterium. Vbi autem quis sepelitur in Ecclesia, quod sepulchra non debeant super terram, eminere præcepit suo Clero Theodulphus Episc. Aurelian. auctor illius hymni, qui canitur in Dominica in Ramis Palmarum. Gloria laus & honor tibi sit Rex Christe redemptor, Cui puerile decus prompsit osanna pium. prout refert Baronius ad ann. 835. num. 9.

SVMMARIVM.

1 *Sepultura in loco sacro competit defunctis fidelibus. num. 48.*
2 *Non tamen impænitentibus. nu. 48.*
3 *Damnati non sunt de Ecclesia. nu. 48.*
4 *Excommunicati maiori excomm. sunt priuati sepultura sacra. nu. 43.*
5 *Etiam si excommun. sit iniusta si sit valida. numer. 49.*
6 *Qualiter hoc sit verum, & sententia iniusta liget. nu. 49.*
7 *Excommunicati minori excomm. sepeliuntur in loco sacro. num. 49.*
8 *Excommunicati non tolerati sunt, qui priuantur sepultura. 50.*
9 *Qui in morte dat signa pœnitentiæ potest absolui, & sic sepeliri. nu. 51.*
10 *Etiam post mortem potest absolui, per eum tamen à quo viuens erat absoluendus. nu. 51.*
11 *Debet statim absolui, & quid si ante absolutionem fuerit sepultus. nu. 51.*
12 *Excommunicati extra Ecclesiam licet prope illam possunt sepeliri. nu. 52.*
13 *Omnes excommunicatum sepelientes in loco sacro sunt excommunicati. n. 53.*
14 *Et interdicti ab ingressu Ecclesiæ. nu. 53.*
15 *An etiam excommunicati minori excommunicatione. nu. 54.*
16 *Non est excommunicatus sepeliens excomm. in loco non sacro nu. 54.*
17 *Sub nomine Cæmeterij venit Ecclesia. nu. 55.*
18 *An veniat locus deputatus ad sepulturam, sed non benedictus. nu. 55.*
19 *Excommunicati sunt priuati solemnitate Ecclesiasticæ sepulturæ. nu. 56.*
20 *Non tamen Clerici sunt irregulares ex eo quod sepeliunt cum solemnitate. nu. 56.*
21 *Qui dici debeant sepelientes diuersimode opinatum. nu. 57.*
22 *Nec cooperantes, nec admittentes, sed mandantes, & sepelientes excommunicatum in loco sacro sunt excommunicati. nu. 58.*
23 *Admittentes sunt interdicti. nu. 58.*
24 *Sepelientes sunt, qui fossam cooperiunt, & Parochi, qui ex officio assistunt sepulturæ, & qui mandant sepeliri cadauer. nu. 59.*
25 *Excommunicati priuati sunt sepultura, & quia excommunicati, & quia impœnitentes. n. 60.*
26 *Infideles non baptizati sunt priuati sepultura. num. 61.*
27 *Fidelium filij non baptizati non sepeliendi in loco sacro. num. 62.*
28 *Cathecumini sepeliendi in loco sacro. n. 63.*
29 *Hæretici, Apostatæ, Schismatici, & eorum fautores non sunt sepeliendi in loco sacro, nec etiam sine pompa. nu. 64.*
30 *Et sunt excommunicati, qui eos sepeliunt. numer. 64.*
31 *Hæc excommunicatio non incurritur à sepelientibus ignoranter. nu. 65.*
32 *Nec à sepelientibus hæreticum toleratum. numer. 65.*
33 *Nec a sepelientibus in loco profano, etiam cum ritu sacro. nu. 65.*
34 *Qualiter ab hac excommunicatione detur absolutio. nu. 66.*
35 *Cadauer hæretici exhumandum. n. 66.*
36 *Locus perpetuo caret sepultura. nu. 66.*
37 *Sepelientes hæreticum sunt priuati officio. n. 66.*
38 *Et suspecti de fide. nu. 66.*
39 *Sepelientes hæreticum extra locum sacrum, sine sacro ritu non sunt excommunicati. n. 66.*
40 *Interdictum priuat sepultura. nu. 67.*
41 *Interdictum priuat sepultura sacra directe, & non solum accessorie. nu. 67.*
42 *Infantes non possunt sepeliri in loco sacro tempore interdicti. nu. 68.*
43 *Laici non interdicti ad locum non interdictum deferre possunt cadauera sepelienda. num. 69.*
44 *Laici possunt sepelire defunctos tempore interdicti in loco non sacro. nu. 70.*
45 *An in loco deputato ab Episcopo pro sepultura, sed non benedicto? nu. 70.*
46 *Habens priuilegium insistendi diuinis officijs, non per hoc potest sepeliri in loco sacro tempore interdicti. nu. 71.*
47 *Nisi habeat priuilegium vniuersale ad diuina, num. 72.*
48 *In quatuor festiuitatibus ex vi cap. Alma mater, non possunt mortui sepeliri in loco sacro. numer. 73.*
49 *Clerici in tempore interdicti secrete sepeliuntur in loco sacro. nu. 74.*
50 *Etiam Clerici coniugati, sed non omnes. nu. 75.*
51 *Etiam Religiosi. nu. 76.*
52 *Confratres etiam* Religiosorum. *nu. 77.*
53 *Etiam familiares Religiosorum magis proprie sumpti. nu. 78.*
54 *Priuilegium Eugen. IV. pro Benedictinis. numer. 78.*
55 *An Religiosi publico ritu possint sepeliri tempore interdicti. n. 79.*
56 *Priuilegium Iulij II. nu. 79.*
57 *Laici vbi sepeliendi tempore interdicti. n. 80.*
58 *Si fuerint sepulti in loco sacro, an exhumādi. n. 80.*

59 In

59 In cessatione à diuinis non est prohibita sepultura in loco sacro. num. 81.
60 Tunc etiam in casa possunt Clerici sepeliri. numer. 81.
61 In interdicto locali speciali non est licita sepultura in loco interdicto. n. 82.
62 In interdicto speciali quod aequiualenter est generale Clerici possunt sepeliri in loco sacro, etiam secundum priuilegium cap. Alma mater. n. 82.
63 In interdicto speciali Clerici Ecclesiae interdictae, non possunt in ea sepeliri. n. 83.
64 Multo minus in ea sepeliri possunt Clerici Ecclesiarum non interdictarum. n. 84.
65 Interdicti personaliter, quicumque sint, non possunt sepeliri in loco sacro. n. 85.
66 In interdicto generali sufficit, quod sit nominatim interdicta communitas. n. 86. & 89.
67 In interdicto generali adaequato loco interdictum generale postulat seruari interdictum locale. numer. 87.
68 Denunciatio generalis, an sufficiat ad hoc, ut singuli de uniuersitate sint vitandi. n. 88.
69 Haereticos nominatim non denunciatos non tenemur vitare. n. 88.
70 Etiam qui non est de communitate interdicta est id probare si est in loco communitatis. n. 89.
71 Non omne interdictum priuat sepultura. nu. 90.
72 Interdictum a diuinis, vel simpliciter priuat sepultura. nu. 90.
73 Interdictum ab ingressu Ecclesiae priuat sepultura. num. 91.
74 Interdictus poenitens potest absolutus sepeliri in loco sacro. n. 92.
75 In interdicto locali nullus potest sepeliri in loco interdicto. n. 92.
76 In interdicto mere locali innocentes alibi ad diuina admittuntur. n. 92. & 93.
77 In interdicto personali generali nullus admittitur ad diuina. n. 92. & 93.
78 Interdictum locale est personale respectu eorum qui dederunt causam. n. 93.
79 Sepelientes interdictos nominatim, sunt excommunicati. nu. 94.
80 Vsurarij publici priuantur sepultura, nisi poeniteant. num. 95.
81 Qui sepeliunt vsurarios sunt excommunicati, & suspensi. n. 95.
82 Qui moriuntur in torneamentis sunt priuati sepultura. num. 96.
83 Si tamen accesserint causa pugnandi, & ibi mortui fuerint, etiam si poenituerint. n. 96. & 97.
84 An qui ludunt bastiludijs. n. 98.
85 Non incurrunt, qui ludunt sine periculo vitae. numer. 98.
86 Morientes in duello, priuati sunt sepultura, etiam si poeniteant. n. 99.
87 Haec poena extensa, etiam ad duella priuata. numer. 99.
88 Non iniuncta nisi contra eum, qui moritur in ipso conflictu. n. 100.
89 Necessaria est sententia iudicis, vt moriens priuetur sepultura. n. 101.
90 Vbi constat de duello, & morte, probare, quod defunctus non sit priuandus sepultura, spectat ad eum, qui agit partes defuncti. n. 101.
91 Non confessus intra annum, & non communicatus in Paschate, est priuatus sepultura, nisi poenituerit. n. 102.
92 Ad eum priuandum necessaria iudicis sententia, seu declaratio. n. 102.
93 Regulares proprietarij sepeliendi in sterquilinio. num. 103.
94 Occidens se ipsum ex industria, nisi poenituerit, sepellitur extra Ecclesiam: & quomodo hoc cognosci possit. n. 104.
95 Raptores, & violatores Ecclesiae, priuantur sepultura. nu. 105.
96 Clerici hos sepelientes deponantur, & beneficio priuantur. n. 105.
97 Non restituentes decimas, sunt priuati sepultura. num. 106.
98 Item blasfemi recusantes poenitentiam. nu. 107.
99 Item cadauera diuisa in terminis extrau. Detestandae, de sepult. n. 108.
100 Item parricida. nu. 109.
101 Quid de Sacerdote instituente sacerdotem in tutorem. nu. 110.
102 Episcopus si exigit procurationem in terminis cap. exigit, de censib. interdicitur ob ingressu Ecclesiae. nu. 110.
103 Quid de sepeliente vsurarium. num. 110.
104 Quid de concubinario publico. n. 110.
105 Quid de meretrice. n. 110.
106 Quid de admittente excommunicatum in Ecclesia. num. 110.
107 Peccator notorius impoenitens non debet sepeliri in loco sacro. n. 111.
108 Quomodo in praefatis casibus Parochus gerere se debeat. n. 112.
109 Exceptis defunctis in torneam. & duello nullus alius peccator priuatur sepultura nisi sit impoenitens. n. 113.
110 Ex duplici capite negatur sepultura, vel ratione delicti specialis, vel ratione impoenitentiae. numer. 114.
111 Ad priuandum sepultura ratione delicti necessaria est iudicis sententia. n. 115.
112 Peccat mortaliter Parochus si contra iudicis sententiam, aut inhibitionem sepelit mortuum. n. 116.
113 An in casu notorij, sit necessaria sententia iudicis. num. 117.
114 In casibus publicis possunt Parochi negare sepulturam. n. 118.
115 Iudex competens in istis est Ordinarius, & apud Regulares est Praelatus. n. 119.
116 Quid vbi cadauer Religiosi sit extra Conuentum. num. 119.
117 Notorium Haereticum, vel peccatorem impoenitentem etiam non declaratum sepelire in Ecclesia est peccatum mortale. n. 120.
118 Idem dicitur si impoenitentia sit certa, & publica. num. 121.
119 Et ita quod superiori praecipienti huiusmodi sepelire non esset obediendum. n. 121.
120 Vbi impoenitentia sit occulta tam actu, quam potentia, non potest defuncto negari sepultura. nu. 122.
121 Parochus in dubio non potest admittere ad sepulturam defunctum. 123. 124.
122 Si impoenitentia sit occulta, sed possit probari, quid agendum. Parocho. n. 124.
123 Iudex in dubio defunctum admittere debet ad sepulturam. n. 125.

Nisi

Quibus sepultura Ecclesiastica competat.

INSPEC. III. CAPIT. II.

48 HAec regula generalis datur, quod omni Christiano competit sepultura in loco sacro, nisi ex delicto vel à iure, vel ab homine ea priuetur. Quibus enim communicamus viuis, communicamus etiam defunctis *arg.cap.sacris,de sepult.* Sicut ergo fideles viui admittuntur ad Ecclesiam, & Ecclesiastica officia, ita admitti debent & mortui. Quia nihilominus communicatio viæ est in ordine ad communicationem Patriæ, cuius incapaces sunt damnati, qui propterea nec sunt de Ecclesia nec eorum caput est Christus, vt docet *D. Thom.3.p.q.8.a.3.* Ideo sepultura Ecclesiastica, quæ non competit nisi ijs, qui sunt membra Ecclesiæ, & Christi, non debet dari ijs, quos Ecclesia habet vt ad æternam pœnam damnatos. Ideo secunda regula est, quod sepultura sacra ijs solis competit, quorum est aliqua spes, vt sint in statu salutis, & quibus saltem prodesse possunt Ecclesiæ suffragia, vt eorum animæ ad possessionem beatitudinis perueniant, quales sunt animæ fidelium, de quibus non constat, quod impœnitentes decedant. *cap. Cum gratia,cap.Pro obeuntib.cap. Animæ, cap.Tempus 13. q.2.* Quoniam tamen iuste in pœnam delictorum Ecclesia iniungit etiam priuationem sepulturæ sacræ: Ideo plures sunt casus, in quibus fideles non sunt in loco sacro sepeliendi.

49 Primo igitur Ecclesiastica sepultura priuati sunt excommunicati maiori excommunicatione si sint notorij percussores clerici, vel denunciati. *cap. sane 24.q.2.cap.is, qui de sent. excom.in 6. cap.sacris, de sepult. & Clem.1. eod.tit.* Hoc vero extendit *Tabien. v. sepultura num.13.* vt sit verum, etiam si excommunicatio sit iniusta, & idem habent *Syluest.v. sepultura num.10. vo Decimo, & Rodriq.3. p. q.61. a.1.Lauor.tit.2.c.12.num.3.* quia Pastoris sententia licet iniusta est timenda. *capit.1. & §. Cum.11. q.3.* Verum hoc continet valde controuersiam difficultatem, an scilicet excommunicatio iniusta sit vera excommunicatio, & obliget in conscientia, & an illam non seruans sit irregularis. Certum vero est, quod si excommunicatio sit nulla, etiam in foro externo, quod nec est excommunicatio, nec obligat. Sed si sit valida in foro externo, & iusta, quia seruato iuris ordine secundum allegata, & probata iudex sententiam tulit, per quam tanquam nocentem damnauit eum, qui est in rei veritate innocens, ego existimo quod sententia sit iusta, etiam coram Deo & obliget in conscientia prout expresse docet *D. Thom. in 4. d.18.q.2.a.1.q.3.* Sed etiam considero, quod aliud est, quod sententia obliget, & aliud est, quod obliget tantum quantum obligaret, si non esset materialiter iniusta. Hoc enim secundum non est verum; quia talis sententia obligat solum pro foro externo: vnde innocens satisfacit, si in facie Ecclesiæ se habeat vt excommunicatus, quod docent etiam *Caiet. supra q.72. a.4. Sotus in 4 q.22.a.3.Suarez.de cens. disp.4.sec.3* & alij plures apud *Leand. trac.1.disp.9. q.31.* Et hanc obligationem puto prouenire ex vi sententiæ, & non per accidens ratione scandali, sed quia sententia ex sua vi ad id obligat. Eum tamen, qui est sic excommunicatus, non esse irregularem coram Deo, nec subdi alijs pœnis latis contra violantem excommunicationem, quia hæc excommunicatio sit quid imperfectum in suo genere dixerunt *Suarez vbi sup. num.10. Filliuc.tr.11.num.237. Leand. d. q.31.* Et est satis probabile. In nostro tamen casu defunctus esset sepeliendus extra locum sacrum, quia in facie Ecclesiæ esset excommunicatus *Gulielm.* etiam apud *Tabien.d num.13.* extendit hoc ad excommunicationem minorem. Sed merito reijcitur, quia excom. minor priuat participatione passiua sacramentorum non vero diuinis officijs, aut sepultura. *Innoc.in cap.sacris, de sepult.Tabien.vbi sup.Bordon resol.51.num.96.Lauor.tit.2.cap.12. nu.4. Armilla v. sepultura num.18.*

50 Quod vero hoc intelligatur de excommunicatis non toleratis dixerunt *Barbosa l.2. de iur. Eccl. cap.10.num.40. & de off. Paroch.cap.26.num.40. Lezana v.excommun.num.53. Nauar.cap.27.numer.36. & 37.& consil.15.num.38.de pœnit. & remiss.Suarez de censuris disp.12 sec.4. num 5. Filliuc. tr.12.cap.4. q.8.* & alij quos sequitur *Bonac. de cens. disp.2. q.2. p.4.§.3.num.2.contra Auila cap.6.disp.4.num 9 Item Diana p.5 tr.9.res.97.& tr.3. res.140. Bassæus v. excommunicatio 3.num. 14. Layman p. tr.5. p.2. num.8. Bordon.resol.51.numer.94.Turr.p.2. de cens. disp.11. dub.3.Cornego. disp 10. de excom. §.7.q.3. Leander de cens.tr.2.disput.8.q.4.*& apud eum *Henriq.Vgol.Hurtad.Gordonus, Machado, & Toletus.* Vbi etiam quod male ab *Henriquez* pro contraria sententia citantur *Sotus 4.d.22.q.1.a.4.col.3. Couar.cap. Alma 1.p.§.6. num.4. Caiet.* vero, & alij antiquiores loquuti sunt in terminis ante Concil. Constantiense.

51 Debet quoque intelligi de eo, qui signa pœnitentiæ non dederit. Nam ijs datis potuit absolui etiam a simplici Confessario quoniam in casu mortis nulla est reseruatio. *Concil. Trid. sess.14. c.7.de pœn.* & sic absolutus humari in Ecclesia. *cap. vlt.de sepult.Suarez de cens.disp.12.sec.4. num.3. Lez. d.num.53.* Et si non potuit absolui ante mortem, poterit post mortem, si per eum non steterit, quod ante mortem absolutus non fuerit, & sic sepeliri in loco sacro *cap.vlt.de sepult. vbi communiter DD. & cap.*

cap. a nobis 2. cap. sacris, de sent. excom. Suarez vbi supra, Lauor. tit. 2. c. 12. num. 6. Grat. discep. 410. nu. 5. Barbos. ad hoc referens decisionem Sacr. Congreg. Episcop. & Regulariũ in vna Nolana 19. Iulij 1619. *Lezana d. num. 53.*

52 Vbi vero pro absolutione præmittenda sit satisfactio partis, si absoluendus adhuc viuit debet ipse satisfacere, vel prout forma iuris exigit dare cautionem pignoratitiam, aut fideiussoriam, aut saltem iuratoriam. Si vero absoluitur post mortem, satisfacere debent hæredes. *cap. vlt. de sepult. & ibi DD.* Qui quidem hæredes certe etiam in conscientia tenentur satisfacere non solum pro debitis ex contractu, sed etiam ex delicto ex viribus hæreditatis; An vero etiam debeant hæredes satisfacere vltra vires hæreditatis si non confecerunt inuentarium, consule DD. *ad d. cap. fin.* & quos *ibid. num. 4.* refert *Barbosa*. Hæres enim in debitis ex iustitia, siue ex iniusta acceptione, siue ex re aliena accepta, succedunt in loco principalis, cuius sunt hæredes, vnde parti in istis satisfacere debent. Sic ergo nec potest absolui excommunicatus defunctus, nisi restituat parti damnum, quod illi aduenit ex eo quod fuerit sepultus excommunicatus. *Gloss. in ver. eis quib. Bonac. d. 6. 3. Palaus de cens. disp. 3. p. 34. numer. 2.* qui tamen putat, quod absolutio data non satisfacta parte sit valida, licet iniusta; quod merito reijcit *Bonac.* quia particula satisfacta parte importat conditionem absolutionis, sine qua absolutio non est valida, sed de hoc puncto videri possunt, quæ dixi de *elect. cap. 26. nu. 80.* in quo etiam hoc aliud considerandum, quod nec debet sepeliri defunctus nisi prius absoluatur ab excommunicatione, *Nauar. cap. 27. num. 137. Suarez d. sec. 4. num. 6. Bonac. de cens. disp. 2. q. 2. p. 4. 6. 3. num. 3. Leander de cens. trac. 2. disp. 8. quæst. 5.* & apud eum *Vgol. Reginal. Fillius. & Agio.* & cum iam transierit articulus mortis, pro quo cessat omnis reseruatio, post mortem defunctus non potest absolui nisi ab eo, cui fuerit excommunicatio reseruata, vt expresse decernitur in *d. cap. a nobis el 2. de sent. excom.* Sed & si non dederit signa pœnitentiæ, absolui debet, si alias excommunicatio probetur iniusta. *Lauor. tit. 2. c. 12. num 6.* Et tunc nisi alias constet illum fuisse peccatorem, & impœnitentem decessisse debet sepeliri in loco sacro. Quod si ante absolutionem sepultum fuerit corpus excommunicati huius, qui viuens dedit signa pœnitentiæ, non est necesse quod exhumetur, sed potest absolui, & sic sepultum relinqui; debet tamen absolui quam primum, & etiam locus debet reconciliari. *Suarez d. disp. 12. sec. 4. num. 3.* Et interim dum non absoluitur, nec locus reconciliatur, in loco nec diuina officia celebrari, nec aliud corpus potest sepeliri. Vnde si non possit defunctus statim absolui, vel debebit exhumari, vel relinqui locus vt violatus, quod quidem non est faciendum; non enim debet populus remanere priuatus diuinis officijs, & *Ecclesiastica* sepultura ob culpam alterius. An vero possit sepeliri in loco sacro excommunicatus à laico absolutus; affirmat *Diana p. 8. tr. 7. resol. 79.* multis hoc probans, Sed ex dictis respondetur, quod quidquid sit an excommunicatus in articulo mortis possit absolui à laico, si excommunicatus dedit signa pœnitentiæ, debet prius per Ecclesiastica sepelientes absolui, si non est præsens is, ad quem spectat absolutio, & postea in loco sacro sepeliri. Sed si non dedit signum pœnitentiæ, etiam si millies absolutus à laico sepeliri in loco sacro non debet, quia huiusmodi absolutio inutilis prorsus & inanis fuit.

53 Omnes vero tam Laici, quam Clerici seculares, vel Regulares scienter & ex præsumptione excommunicatum denunciatũ in loco sacro sepeliẽtes sunt ipso facto excommunicati excommunicatione maiori etiam si sint Regulares, per *Clem. 1. de sepult.* nec possunt absolui nisi prius ad arbitrium Diœcesani ijs, quibus irrogata est iniuria competentem dederint satisfactionem. *Clem. 1. de sepult. Suarez vbi sup. num. 8. &c. & ibi Panormit. Caiet. 5. excom. c. 46. Syluest. v. excom. 9. casu 37. Nauar. c. 27. Naldus v. excommun. num. 29. Lezana d. num. 53.* Præterea seculares, siue Regulares id facere præsumentes nisi quatenus eis à iure conceditur incurrunt etiam pœnam interdicti ab ingressu *Ecclesiæ ex c. Episcoporum, de priuil. in 6.*

54 An vero huiusmodi sepelientes excommunicatum incurrant etiam excommunicationem minorem tanquam communicantes cum excommunicato, negant *Suarez num. 13. & Bonac. num. 9.* eo quia videatur per speciale ius d. Clement. commutata excommunicatio minor in maiorem. Sed oppositum ex *Nauar. cap. 27. nu. 36. ad 2. & 3. Auila 2. p. c. 6. disp. 4 dub. 8. Corneto disp. 10. de excom. § 8. q. vlt. Armilla 5. excom. num. 49.* & alijs tenet *Leander. q. 11.* Quod enim ex sepultura excommunicati incurratur excommunicatio minor, ea tex. in dicto cap. sacris, ibi non communicamus defunctis colligit *Panorm. num. 1.* Sed mihi magis rationabile videtur primum, quia nulla hic est necessitas multiplicandi censuras. Hanc etiam censuram maioris excommunicat. non incurrit, qui excommunicatum in loco non sacro sepelit, etiam si id faciat cum pompa *Ecclesiastica*. Licet enim in hoc peccet & incurrat minorem excommunicationem communicando in diuinis cum excommunicato, tamen non per hoc incidit in pœnam d. Clemen. quæ lata est contra sepelientes excommun. in loco sacro. *Caiet. Nauar. Cardinal. Suarez num. 14. Bonac. num. 6. Corneto q. 8. Armilla casu 44. Leander. q. 12.*

55 Quid vero nomine loci sacri significetur diuersimode est opinatum. Quamuis vero in Clem. 1. de sepult. fiat sola mentio cœmeterij, nihilominus, quod etiam Ecclesia comprehendi debeat, habetur apud DD. pro indubitato. Sic enim nomine cœmeterij venit omnis locus ab Episcopo deputatus ad sepeliendum, & benedictus. Difficultas vero aliqua est de hac secunda conditione an sit necessaria, nimirum an sit necessarium quod locus sit benedictus ab *Episcopo*. Nam prima conditio scilicet, deputatio est omnino necessaria, nec ex eo locus erit sacer, quod ibidem fidelium cadauera sint sepulta, si ad id, ab Episcopo locus non est deputatus. *Grat. d. discep. 110. Lauor. tit. 2. c. 7. numer. 15.* Et habetur expresse ex cap. Ad hæc de Relig. domibus, & tenent DD. infra immediate citandi, sed quantum ad benedictionem aliqua difficultas est. Eã enim esse necessariã videtur. *Gloss. in d. Clem.* tenere *in v. cœmeterijs & voluit ibid. Card. Sylu. v. excommunicatio 9. num. 67. Tabien. v. excom. quinto casu 42. n. 1.* ita quod si contingat v. g. quod Religiosi extendant cœmeterium benedictum ab Episcopo. si sepeliatur corpus excommunicati in parte addita,

non

non fit locus huic excommunicationi, nisi vt dicunt Syluest. & Tabien. si locus diu haberetur pro benedicto, vnde necesse est, quod locus sit benedictus totus, alias sepeliens excommunicatum in parte non benedicta, vel diu non habita pro benedicta est excommunicatus. Econtra alij solemnem benedictionem non esse necessariam dicũt, & sentiunt in hac parte omnem locum censeri sacrum si in eo missæ celebrantur; si sit ab Episcopo ad missas aut diuina officia deputatus; si licet non benedictus ab Episcopo sit pro sepultura deputatus; si ex consuetudine sit vt in eo defuncti sepeliantur, quia huiusmodi consuetudo non est sine aliquo consensu & deputatione Episcopi. Ita *Saarez de cens. disp. 12. sec. 4. num. 6. Bonac. de cens. disp. 2. q. 2. p. 3. §. 3. num. 3. Leander de Cens. disp. 2. tr. 8. q. 5.* Hæc tamen sententia suas habet difficultates. Nam Oratoria priuata licet ibidem celebrentur missæ de licentia Episcopi non sunt loca sacra *arg. cap. fin. de censibus, & cap. 1. §. deinde liceat. eod. tit. in 6.* Vnde nec gaudent immunitate. *Innoc. cap. inter dilector. num. 1. de donat. Panorm. cap. fin. num. 4. de cens. Syluest. v. immunitas 1. q. 1. Tabien. ib. q. 14.* Sed respondetur, quod oratorij priuati non sunt deputati perpetuo ad diuina officia. Quamobrem dicitur quod sola Episcopi deputatio vel ad missas aut diuina officia perpetuo celebranda, aut ad fidelium perpetuam sepulturam habet vim cuiusdam benedictionis, & consecrationis. *Sanchez de matrim. disput. 5. num. 39.* Et quidem Ecclesiam ex sola missæ celebratione in ea habitam censeri benedictam, habetur ex cap Ecclesiæ, de immunit. & ex *cap. fin. de consecr.* & aduertit *Saarez d. num. 6.* Sed etiam dato quod nec Ecclesia sit benedicta solemniter, & nondum sint in ea celebratæ missæ, aut diuina officia, vt est Ecclesia de recenti erecta, quod ad effectum immunitatis sit locus sacer tenet Sanchez vbi supra pluribus citatis. Verum non valet consequentia ab immunitate ad sepulturam, nam & domus contiguæ Ecclesiæ sunt immunes, & horti intra septa monasteriorum clausi, & tamen in ordine ad sepulturam censebuntur locus profanus, nam & de facto in hortis monasteriorum sepeliuntur proprietarij, & Cremonæ, dum essem ibi, cum quidam miles in morte se declarasset Iudæum, & in Iudeorum superstitione mortuus fuerit, ex commissione S. Officij fuit depositatus in horto monasterij Prædicatorum. Et ibidem vt tempore pestilentiæ in horto sepelirentur defuncti pars horti fuit benedicta, & ad sepulturam deputata. Quamobrem ex eo quod Ecclesia recens erecta nondum benedicta sit locus immunis, non potest concludi, quod sit locus sacer in ordine ad sepulturam. Nihilominus rationabiliter dicitur quod deputatio ipsa loci, vt sit locus perpetuæ sepulturæ, sit quædam moralis consecr[illegible]o, aut benedictio, & iam sit locus sacer: & ce[illegible] est, quod si in eo sepeliretur excommunicatus, non posset in eodem alius sepeliri, nisi exhumato excommunicato rebenediceretur. Et sic quod nomine loci sacri veniat locus ad sepulturam, vel alia diuina officia deputatus dixit etiam *Barbos. in cap. fin. num. 6. de celebr. missarum ex Regi. nal. lib. 3. 2. num. 16.* Quod meo iudicio maxime verum est, cum iam actu corpora fidelium sunt ibi sepulta, arg. ex cap. *Ecclesia de immun.* Vnde vbi locus aliquis ex consuetudine sit cœmeterium, est locus sacer. Tum quia præsumi debet deputatus ab Episcopo; Tum quia tacitus eius consensus ad hoc sufficit. Verum cum non sit praxis Ecclesiæ, vt in templis, vel cœmeterijs celebrentur diuina, vel sepeliantur defuncti, nisi prius huiusmodi loca sint benedicta, vel ab Episcopo, vel ab habente ab eo facultatem, raro potest contingere casus, vt sepeliatur quis in loco deputato & non benedicto, nisi id fiat in tempore intermedio inter deputationem, & benedictionem; Quod si fiat est contra Ecclesiæ mentem, & ritum. Et si ibi tunc sepeliatur excommunicatus, male fit, sed an sepeliens sit excommunicatus non est mihi certum.

56 Excommunicati vero nedum sunt priuati Ecclesiastica sepultura, sed etiam omni Ecclesiastica pompa, nimirum Psalmis, orationibus, Precibus, Cruce, ornamentis, omnique honore, quo fidelium funera honestantur. Tum quia hæc omnia ordinantur ad sepulturam, qua ex vi censuræ priuatus est excommunicatus. Tum quia hæc est moralis quædam communicatio cum excommunicato. Tum quia hoc etiam prohibitum fuit ex Concil. primo *Bracharen. c. 34. in cap. Placuit 23. quæst. 5. Gloss. ibid. Saarez num. 14. vbi num. 15. ex d. cap. sacris, & cap. a nobis 2. de sentent. excom.* quod Clericis prohibitum est pro huiusmodi viris eleemosynas recipere, & oblationes offerre. *Bonac. num. 6. Coraeco quæst. 4.* quem sequitur *Leander vbi sup. q. 8.* Non tamen Clerici, si huiusmodi pompam exhibuerint, incurrunt irregularitatem, quia nullus est textus in iure, vbi hoc statutum sit & pœna *cap. super eo, de Raptor.* lata est in odium raptus, nec est ad alios casus extendenda. *Saarez. d. sec. 4. in fin. Bonac. Fil. liuc.* & alij locis citatis *Leand. q. 9.*

57 Qui vero dici debeant sepeliẽtes, & ex consequenti subiecti Censuræ excom. latæ in d. Clemẽtina, est controuersum, hoc est certum tamen per sepelientes intelligi eos, qui proprijs manibus inferunt cadauer in tumulum, quia isti proprie sepeliunt. Quo supposito tres sunt hic sententiæ duæ extremæ, & altera media. Prima extrema docet solos illos dici sepelientes, & comprehendi sub excommunicatione Clementinæ, qui proprijs manibus cadauer deponunt intra sepulchrum. Ita *Caiet. v. excom. cap. 46. Nauar. cap. 27. numer. 137. Auila p. 2. cap. 6. d. 10. dub. 6. nu. 2. Bonac. vbi sup. num. 8. Hurtado disp. 5. de excom. diff. 4. Villalobos tom. 1. tract. 17. diff. 10. num. 2. Leander vbi supra q. 25.* Horum ratio est, quia isti soli proprie sepeliunt; At vero leges pœnales, non sunt extendendæ vltra propriam significationem. Secunda opinio extrema vult vt sub nomine sepelientium veniant quicumque proxime concurrunt ad sepeliendum, cuiusmodi sunt inuitantes ad funus, Parochus leuans corpus cum suis Clericis, & ministris cereos & crucem deferentes, portitores cadaueris, fodientes caueam, cooperientes cadauer terra, vel lapide, remouentes eundem lapidem, feretrum concedentes, parentes instantes, vt sepeliatur, isti enim omnes dicuntur mortuum sepelire. Quod probatur ex *cap. ad hæc. 5. de priuil. cap. quia in omnibus. 3. de vsuris. c. quanquam 2. de vsuris in 6. & cap. Episcoporum. 8. de priuileg. in 6.* & ita hanc sententiam tenuerunt *Anchar. in Clem. 1. de sepult. Faber 4. d. 25. q. 1. disp. 4. numer. 188. Bordon. resol. 51. num. 145. Lauor. tit. 2. c. 12. num. 5.* Et confirmatur, quia si sub excommunica-

tione d. Clem. comprehenderentur soli inferentes cadauer intra sepulchrum, illa excommunicatio esset ludibrio, quia cum tales personæ regulariter sint viles, rudes, & idiotæ, quæ vel leges ignorant, vel eas non intelligunt, vel ex aliorum directione viuere possunt, fere numquam in similibus personis inuenitur posset præsumptio, & temeritas, vnde sic sepelirentur excommunicati, & fere nunquam haberet locum censura Clem. lata contra præsumentes sepelire. Tertia sententia media distinguit inter cooperantes, & mandantes, & vult quod soli mandantes sepeliri, aut qui de facto corpus excommunicati tradunt sepulturæ sint excommunicati, & ratio est, quia illi propriè non sepeliunt, licet ex quadam translatione dicantur sepelire. In Clemen. vero non excommunicantur fauentes aut dantes auxilium, aut consulentes, aut cooperantes, sed solum sepelientes. Quod vero comprehendantur mandantes probatur, ex eo quod in proposito non sit spectanda sola proprietas dicti verbi sepelire, sed quod eius significatio sit extendenda etiam ad moraliter sepelientes, nimirum ad mandantes, & facientes sepelire; quoniam etiam in lege pœnali fit extensio ad non propriam nominis significationem, si aliter lex esset inutilis, & infructuosa, & ludibrio exposita; sicut esset lex ista ratione supradicta. & ita hanc partem tenent *Suarez de censuris disp. 12. sect. 4. num Coninch. disp 14. dub. 8. n. 68 Filliuc. tr. 12. cap. 4. num. 111. Palaus vbi supra. Diana p. 5. tr. 9. resol. 98. Serinus de Cens. disp. 10. diff. 10. q. 12. num. 27. pag. 137. Nicolius Canont, lib. 5. tit. 39. num. 180. §. 5. pag. 311.* Et hoc confirmatur ex *cap. mulieres, §. Illi vero de sent. excom. ibi. Cum is committat vere cuius auctoritate vel mandato delictum committi probatur.* Ex hoc enim colligitur, quod satis vsitate dicitur agere is cuius auctoritate vel mandato fit aliquid, & sic sepelire dicuntur illi, cuius auctoritate aut mandato corpus sepelitur. Sed & *in cap quia in omnibus de vsuris* ijs, qui vsurariorum corpora tradiderint sepulturæ Ecclesiasticæ imponitur pœna suspensionis ab officio, quæ quidem respicit Clericos Parochos aut similes officium Ecclesiasticum habentes, qui quidem manibus non tradunt corpus sepulturæ, sed sua auctoritate id facere iubent, vel admittunt. In *capit. etiam quanquam de vsuris in sexto* admittentes vsurarios ad sepulturam Ecclesiasticam subijciuntur pœnæ latæ a Concil. Later. in d. *cap. quia in omnibus*, contra tradentes sepulturæ Ecclesiasticæ vsurarios. Et *in capit. Episcoporum de priuilegijs in sexto* iniungitur pœna priuationis ab ingressu Ecclesiæ, ijs, qui excommunicatos, aut interdictos admiserint ad sepulturam Ecclesiasticam.

58 Ego in præsenti distinguo tria genera personarum concurrentium ad sepulturam Ecclesiasticam. Nam alij sunt cooperatores extrinsece, & dispositiue, & remote, alij sunt mandantes, & alij admittentes. Cooperatores, extrinsece, remote, & dispositiue, sunt illi, qui immediate non sepeliunt, nec sua vi attingunt ipsum actum sepeliendi immediate, sed aliquod illi præuium præstant, vt qui pulsant campanam conuocantes ad sepulturam, qui defuncti corpus lauant, & vestiunt, qui illud deferunt ad sepulchrum, qui caueam fodiunt, vel quid simile faciunt, quæ actum sepeliendi præcedunt tanquam via, aut dispositiones ad illum. Et quia isti, nisi valde impropriè dici possunt sepelientes, licet sint cooperantes, & auxilium dantes ad sepeliendum, ideo non comprehenduntur sub excommunicatione d. Clementinæ, & in hoc verum affirmat tertia sententia, quod etiam est de mente primæ sententiæ. Admittentes vero ad sepulturam, nec ipsi propriè dicuntur tradere corpus sepulturæ, licet dicantur permittere, vt id fiat. Et de istis dico, quod comprehenduntur sub pœnis latis *in cap. quamquam de vsuris in sexto. Et cap. Episcoporum de priuileg. eod. lib.* Sed ex eisdem capit. colligitur, quod nec sunt sepelientes, nec subduntur excommunicationi Clement. Quia cum *in cap. Quia in omnibus, de vsuris*, Concil. Lateranen. imposuerit pœnam suspensionis ab officio contra tradentes sepulturæ vsurarios manifestos. Gregor. X. *in Concil. Lugdun. seu in d. cap. quanquam, de vsur. in 6.* extendit hanc pœnam ad admittentes. Quod enim dispositio dicti capitis sit extensio, non vero antiqui iuris declaratio habetur ex verbo, *statuimus subiacere*. Verbum enim statuimus nouam dispositionem importat, non vero antiqui iuris declarationem. Cum ergo pœna lata contra sepelientes, aut sepulturæ tradentes extendatur ad admittentes ad sepulturam; igitur in iure admittentes ad sepulturam non sunt sepelientes, quia si essent sepelientes, non fuisset opus, vt pœna lata contra sepelientes extenderetur ad admittentes ad sepulturam. Ita etiam *cap. Episcoporum* extendit, & nouam pœnam iniungit, non vero præcise declarat. vnde verum quidem est, quod admittentes ad sepulturam *Ecclesiasticam* vsurarios incurrunt pœnam suspensionis ab officio latam in Concil. Lateranen. in *d. cap. quia in omnibus*, de vsuris, quia Gregor. X. illam ad admittentes præfatos extendit. *Et* pariter admittentes excommunicatos, aut interdictos, incurrunt pœnam priuationis ingressus Ecclesiæ, latam per Clem. 4. in *d. cap. Episcoporum de priuil. in 6.* Sed non incurrunt excommunicationem Clemen. latam postea contra sepelientes; quia ipsi non sunt sepelientes, vt ex eisdem iuribus colligitur. Ideo eandem excommunicationem non incurrunt, qui sepulturam permittunt, etiam si alius ex officio eam impedire teneantur, quia licet male faciunt, non tamen sepeliunt, & excommunicatio est lata contra sepelientes. Sed qui sepulturam iubent, & mandant, secundum etiam vsitatum loquendi modum sepelire dicuntur. Nam vt ex *d. cap. mulieres*, habetur, facit per alium, qui mandat vt aliquid fiat, vnde homicida dicitur, qui per alium occidit.

59 Sic ergo sub nomine sepelientium veniunt qui corpus inferunt in sepulchrum. Item illi qui sepulturam claudunt, vel terra corpus sepultum cooperiunt. Hoc enim est de substantiali integritate sepulturæ, seu actus sepeliendi, quod cadauer laudatur intra sepulturam. quia immo haberetur pro non sepulto, quia esset expositum canibus, & bestijs, & fœtore suo corrumperet aerem, si esset repositum intra foueam, aut sepulturam apertam. *Ad hoc* vero vt quis dicatur aliquid facere, & subdatur pœnis latis contra aliquid facientem, non est necesse, quod sit causa totalis faciendi, sed sufficit, quod ex sua parte ad id concurrat. Sic ergo qui sepulturam claudit, aliquid facit quod est pars integralis

actio-

actiones sepeliendi, & ideo sepelire dicitur pro sua parte. Non est vero eadem ratio de fodiente cauean, seu fossam; quia hoc non est sepelire, nec quid illi intrinsecum, sed est quid ab ea præsuppositum, & quidem per accidens, quia accidit sepelitioni, quod cauea sit facta à natura, vel arte, vel ad eum finem, vel ad quemcumque alium. Præterea sepelientes sunt, qui ipsam sepelitionem mandant, nimirum consanguinei, qui iubent defunctũ sepeliri. Diana vbi supra inter istos numerat etiam Rectorem, seu Clericos illius Ecclesiæ, in qua defunctus sepelitur. Et hoc habet fundamentum in d. cap. quia in omnibus, de vsuris vbi inter eos, qui corpus tradunt sepulturæ sine dubio comprehenduntur Clerici, quia imponitur illis suspensio ab officio. Dicendum nihilominus est, quod Clerici ex eo præcise quod admittant ad sepulturam in Ecclesia eorum non sunt sepelientes, vt probatum est, vnde requiritur, quod aliquo positiuo modo immediate ad actum sepeliendi sua auctoritate concurrant. Hoc autem faciunt nedum si iubeant; sed si auctoritatem suam interponant. Quod facit Parochus assistendo sepulturæ ex officio, & tanquam habens iurisdictionem aliquam in cadaueris sepulturam, leuando cadauer, & ducendo illud ad Ecclesiam, & ibi funerale officium perficiendo, quod est causare sepulturam vt Ecclesiasticam, seu Ecclesiastice sepelire; quia de integritate sepulturæ vt Ecclesiasticæ est Parochi assistentia. Nec est eadem ratio de alijs Clericis non assistentibus ex officio; quia huiusmodi assistentia ex accidenti se habet, & spectat ad ornatum sepulturæ, non ad substantiam. Si vero officium sepulturæ spectet ad Capitulum, tunc Clerici de capitulo assistentes censeri debent sepelientes, tanquam sua auctoritate perficientes actum sepulturæ, vt est Ecclesiasticus, & immediate in illum influentes. Si tamen sepultura actualis non sequatur, & perficiatur, non habet locum excommunicatio; vnde si officio funeris completo, cadauer excommunicati deportaretur extra locum sacrum, & ibi sepeliretur, nullus esset excommunicatus, quia nullum tunc cadauer excommunicati fuisset sepultum intra Ecclesiam seu locum sacrum. Quod si essent duo Parochi ad quorum vnum spectaret leuare corpus, & ad alium persoluere officium funeris super cadauere in loco sepulturæ, quia tunc vterque ex officio assisteret, vterque sequuta sepultura esset excommunicatus. Vbi vero qui assisteret esset Parochi Vicarius, ipse non vero Parochus subderetur censuræ; quia ipse esset qui sepeliret. Et tamen etiam Parochus esset excommunicatus si mandasset Vicario, vt assisteret.

60 Hic tamen & pro dictis, & pro dicendis considerandum est, quod cum excommunicatus sit priuatus sepultura sacra & quia excommunicatus, vt in d. Clem. 1. & quia est peccator impœnitens. In præsenti loquuti sumus in primo sensu & tradita est doctrina, quæ deseruiat ad videndum qualiter ex vi sepulturæ excommunicati, aliquis sit vel non sit excommunicatus. Sed quia impœnitentia communis est etiam alijs casibus explicandis, ideo infra post casus enumeratos considerabitur quale sit peccatum defunctos, eo quia sint impœnitentes in loco sacro sepelire.

61 Secundo non possunt sepeliri in loco sacro infideles. Horum autem plures sunt differentiæ. Nam primo sunt infideles non baptizati, vt Pagani, Iudæi, Saraceni, ad quos reducuntur etiam infantes filij fidelium, qui sine baptismo qui est Sacramentum fidei decedunt. Quod igitur horum corpora non sint sepelienda in loco sacro habetur ex *Conc. Antelian. cap. 3. in cap. Ecclesiam 27. & ex Concil. Agrypinen. in cap. Ecclesiam 28. de consecrat. dist. 1.* Sed puto hoc de lege diuina esse prohibitum, & non habuisse ortum suum hanc prohibitionem ex aliquo Concil. Prouinciali, sed ex diuina lege perpetuo ab Ecclesia custodita. Indecentia enim est contra fidem & sanctitatem Ecclesiæ vt ad communionem in sacris ritibus, & locis admittantur, qui non communicãt nobiscum in fide (sine qua nullus saluus fit) & qui sũt perpetuo exclusi ab Ecclesia, & in æternũ extra Ecclesiam mãsuri. Ecclesia locus fidelium est: Et in ea permittuntur sepulturæ defunctorum vel in fidem resurrectionis gloriosæ promissæ credentibus in Christum, vel vt per hoc sanctis in quorum Ecclesia sepeliuntur animæ sepultorum commendentur, Ecclesia etiam temporalis spiritualem Ecclesiam, quæ est fidelium congregatio repræsentat, fides ergo, quæ requirit vt infidelibus non communicemus, exigit etiam vt non admittamus sepellenda in Ecclesijs cadauera infidelium qui baptismum sacramentum fidei non receperunt.

62 De filijs tamen fidelium hoc obseruandum est, vt si non sint ab vtero Matris fidelis extracti, quia sic non censentur aliud corpus à matre, cum ea sepeliendi sunt in Ecclesia nec sit necesse incidere matrem vt filius mortuus ex eius vtero extrahatur. *Syluest. v. sepultura num. 10.* Quamuis si dubium esset, an filius viueret, in eo casu mater mortua scindi deberet, vt baptizaretur filius, si viuus inueniretur. Quod si inueniretur mortuus extrahi deberet, & extra Ecclesiam sepeliri. *Syluest. vbi supr. Lanor. tit. 2. c. 12. num. 42.* Vbi etiam esset dubium, an filius esset baptizatus, vt v. g. quia fuit baptizatus baptismo dubio vel quantum ad formam, vel quantum ad materiam deberet in loco sacro sepeliri, quia maius malum esset si fidelis sepultura canina sepeliretur, quam si non baptizatus admitteretur intra Ecclesiam. *Lezana v. sepultura num. 23. Diana 4. tr. 3. res. 69.*

63 Dubium etiam esse potest de Cathecumenis an si nondum baptizati decedant sepeliendi sint in loco sacro. Quod enim non possit sepultura concedi illis, qui baptismum petijt ante mortem, arbitratur *Bassæus v. sepultura num 5.* Quia non est visibilis filius Ecclesiæ, subdit tamen eum nec sepeliendum sepultura canina, vel inhumatum relinquendum. Sed econtra Cathecumenos tanquam in voto baptizatos debere sepeliri in loco sacro, voluit *Lezana v. sepultura num. 23. Bordon. res. 51. numer. 119.* & merito, quia potest esse quod sit saluus ex vi contritionis & voti Baptismi, si tamen constaret eum ex negligentia & culpa non fuisse baptizatum, culpa tamen tali, quæ ad mortem duraret, talis tanquam in peccato mortali decedens non esset sepeliendus in loco sacro. Et huiusmodi Cathecumeni esse *Lanor. tit. 2. c. 15. nu. 92. & Bord. res. 55. num. 20.* sunt illi pro quibus *Concil. Brachar. cap. 34. & 35.* prohibuit missas celebrari.

64 Hæreticorum quoque corpora, qui infide-

les sunt, licet baptizati non possunt in Ecclesia sepeliri. Extat de hoc decretum quintæ Synodi in *cap. sane 24. q. 2. & Concil. Lateran. in c. sicut, & Innocent. 3. in Concil. Lateranen. in cap. excommunicamus §. credentes, de hæreticis, & Alexand. 4. in cap. quicumque eod. tit. in 6.* Hujusmodi tamen hæretici considerari possunt vt hæretici, & vt excommunicati; nam ex vtraque causa sunt priuati sepultura Ecclesiastica. Sed si considerentur vt excommunicati, constat ex iam dictis qualiter in loco sacro sepeliri non possint, Verum etiam vt hæretici priuati sunt sacra sepultura. Quod idem dicitur de Apostatis à fide & de schismaticis. Et nedum hæretici, sed & eorum credentes, fautores, defensores, & receptatores, vt in *d. cap. excommunicamus §. credentes.* Quod extendi debere etiam ad eum, qui hæreticum bonorum suorum relinquit hæredem diacerunt. *Hostien. in cap. si quis Episcopus, nu. 3. de hæret. Henr. num. 1. Socin. nu. 11. Farin. q. 190. de hær. §. 8. num. 107.* quos sequitur *Salelles l. 6. Regula 458. numer. 141.* Pœna vero lata contra sepelientes huiusmodi hæreticos aut eorum fautores in loco sacro est excommunicatio latæ sententiæ lata ab Alex. quarto in *d. capit. quicumque de hæret. in 6. Gloss. in figurat. casus. Gemin. in summ. num. 1.* Et extat etiam pro eadem re Bulla Nicolai III incipien. *Noverit vniuersitas*, in fine direct. relata. Ita *Calder. in trac. de hæret. rubr.* de pœnis eorum post mortem *num. 1. Sylu. v. hæreticus §. 1. num. 14. Tabien. num. 18. Farin. d. §. num. 45. Salelles d. Reg. 458. num. 249.* Hanc vero excommunicationem incurrit sepeliens, nedum si hæreticum in loco sacro sepeliat cum solemni ritu Ecclesiæ, sed etiam si sine solemnitate id faciat. Vt si hæreticum in campo inuentum mortuum secreto intra Ecclesiam ibi vicinam, aut Cœmeterium tumulet. *Sayr. l. 3. c. 25. num. 6. Bonac. de Cens. in part. d. 2. q. 2. p. 30. num. 5.*

65 Et tamen attendi debet, quod huiusmodi excommunicatio lata, cum sit in sepelientes scienter hæreticum, præsupponit præsumptionem, & dolum. Et ideo, quod non contrahatur dicta excommunicatio ab eo, qui ignoranter sepelit hæreticum nesciens eum esse talem, vel non certo sciens, sed per famam, tamquam certum, & communi omnium sententia comprobatum tenuit *Salelles d. regul. 458. num. 253. ex Anan. in cap. si quis Episcopus, num. 3. de hæret. & Gloss. d. cap. Quicumque, v. scienter. Vgolin. de cens. & Farin. q. 192. §. 3. nu. 11.* Sed præterea supponit, quod hæreticus sit per sententiam iudicis damnatus, & vt talis declaratus. Quod colligitur ex d. cap. quicumque, ponderato verbo, *damnatorum*, & quatenus non colligeretur ex eo, haberetur ex extrau. ad euitanda. Et propterea, quod non incurratur hæc excommunicatio ex sepultura hæretici tolerati, & non damnati, dixerunt *Nauar. c. 27. num. 137. Suarez de cens. disp. 12. sect. 4. num. 13. Henriq. l. 13. cap. 11. num. 3. Auila p. 2. cap. 6. disp. 10. nu. 6. Diana p. 5. tract. 9. res. 98.* & apud eum *Aegid. Vercell. de mission. q. 98. num. 39. Bonac de cens. in partic. disp. 2. q. 2. p. 30. num. 4. Layman. l. 1. tract. 5. p. 2. cap. 4. num. 8.* Collegit quoque Diana, & est de mente horum Doctorum, quod ex sepultura hæretici tolerati non violetur Ecclesia. Cum vero aliqui crediderint excommunicationem hanc incurri etiam à sepelientibus hæreticum in loco profano, cum ritu tamen Ecclesiastico, & solemnitate funeria, merito hoc negarunt *Suarez d. num. 13. Sayrus l. 3. cap. 35. num. 6. Bonac. vbi sup. num. 3.* Quia in *d. capit. quicumque*, excommunicantur tradentes hæreticum Ecclesiasticæ sepulturæ; at vero sepultura in loco non sacro, non est Ecclesiastica.

66 Infra vero considerandum erit, quale peccatum sit sepelire in loco sacro, vel cum sacro ritu hæreticum, quatenus sit hæreticus defunctus impœnitens etiam si non denunciatus. Nunc enim consideratur sepultura hæretici, vt prohibita per ius positiuum sub pœna excommunicationis. Hæc etiam excommunicatio non est proprie reseruata, sed ab ea simplex confessarius potest absoluere, non tamen absolute, sed sub conditione, nimirum sub conditione; quod absoluendus prius publice proprijs manibus hæreticum sepultum extumulet, & cadauer proijciat. *Bonac. num. 7.* Vbi hoc limitat vt verificetur tantum vbi hæreticus publice sepultus fuit; Nam si tumulatio fuit secreta intrat epijcia, præcipuè si ex publica extumulatione scandalum oriretur. Neque etiam cadauer hæretici est extumulandum, si ossa eius ab ossibus fidelium non possunt discerni, *Socin. cap. si quis Episcopus num. 11. de hæret. Gloss. in d. cap. quicumque, Farin. d. §. 3. nu. 32. Salelles d. reg. 358. nu. 245.* Qui *num. 246.* bene etiam ex *Farin. num. 43. & Gemin. in d. cap. quicumque* aduertit, quod vbi plures fuerunt sepelientes, & vnus ex eis cadauer hæretici extumulauit, & proiecit satisfactum est pro omnibus quantum ad necessitatem extumulandi, vnde alij absolui poterunt. Statuitur quoque in d. cap. quicumque, vt locus in quo hæreticus fuit sepultus perpetuo carere debeat sepultura; quod tamen non esse intelligendum de tota Ecclesia, sed de loco loci, seu de loco illi adæquato in quo hæreticus fuit sepultus, aduerterunt *Suarez d. num. 13. & Bonac. d. num. 7.* Deinde si sepeliens hæreticum sit Clericus præter citatam excommunicationem incurret etiam priuationem sui officij, ad quod non poterit restitui sine dispensatione Sedis Apostolicæ per textum *in cap. excommunicamus, §. credentes, de hæret. Farin. d. §. 3. nu. 46. Salelles d. reg. 358. num. 250.* Vbi *num. 251.* subdit, quod huiusmodi sepelientes hæreticum sunt etiam suspecti de fide, vt contra eos Inquisitores procedere possint. *Penna 3. p. direct. p. 40. com. 89. vers. Sed alteram. Farin. d. §. 3. num. 49.* addentes huiusmodi suspicionem aliquando esse leuem, aliquando vehementem iuxta personarum, & circumstantiarum qualitatem, Sepelientes tamen hæreticum non fauore hæresis extra locum sacrum, sed ex amicitia priuata, aut consanguinitate, aut ad vitandum fœtorem, & corruptionem aeris non contrahunt præfatas pœnas. *Penna d. com. 89. vers. si quis Farin. d. q. 192. §. 3. num. 50. Salelles d. reg. 3596. num. 254.* immo nec peccant *Vercell. de Mission. q. 98. num. 40.* & apud eum *Nauar. Azor. Becanus, Sanchez, Duardus Ricciullus, & Thomas à Iesu Maria.* Sepultura enim de iure naturæ debetur, nisi quis per iudicem in pœnam sit ea priuatus, & ideo opus bonum est quemcumque sepelire, & excommunicatio non priuat hac communicatione, vt in necessitate non possit quis sepelire excommunicatum. Et ad hoc adducit Vercell. l. humanum, quæ est Martiani Imperat. C. de hæreticis, quam latine sic vertit Auconius Contius. *Humanum ac pium esse hoc arbitrantes, hæreticos permittimus sepeliri legitimis sepulturis.*

Vbi

Vbi tamen ageretur de hæretico denunciato non liceret ei communicare eum sepeliendo extra casum necessitatis sepulturæ, vel alium similem ex ijs, in quibus excommunicatio non priuat communione excommunicati, vnde non posset sepeliri extra locum sacrum, nec etiam cum pompa ciuili, & politica.

67 Tertio sepultura priuati sunt nominatim interdicti *Clem. 1. de sepult. & cap. cum & plantare §. si Templarij*, vbi quod vniuersaliter prohibita est sepultura in loco sacro tam in interdicto locali, quā in interdicto personali. Duo ergo casus hic distinguuntur, scilicet sepelire in loco interdicto, & sepelire interdictum in loco non interdicto; vnde tertius casus esse posset, scilicet sepelire interdictum in loco interdicto, qui tamen ex dictis circa alios duos casus erit manifestus. Quantum vero ad primum casum distingui etiam debet interdictum generale, ab interdicto particulari, vt cum in aliqua ciuitate sola vna Ecclesia, vel altera, non vero omnes sunt interdictæ. In hoc ergo casu regula certa est quod in loco interdicto nō possunt defuncti etiam non excommunicati, nec interdicti sepeliri sic enim statutum fuit per *Alexand. 3. in Concil. Lateran. cap. Cum & plantare §. Quod si Templarij, de priuil. & per Innoc. 3. in Concil. Lateranen cap. Vt priuilegia, eod. tit. & per Innoc. 3. cap. quod in te de pœnit. & remiss. & per Clem. 1. de sepult.* Et quamuis *D. Anton. p. 3. tit 26. cap. 4. post medium vers. moneor ad dicendum*, videatur velle, quod sepultura in loco interdicto sit prohibita indirecte, ex eo, quod ibi sint prohibita diuina officia, tamen sine dubio directe iura prohibent etiam sepulturam, & expresse tres priuationis effectus enumerant, scilicet priuationem sacramentorum, diuinorum officiorum, & sepulturæ, vt in *cap. si Ciuitas, de sent. excom. & cap. 16. & cap. Episcoporum de priuilegijs, eod. libr.*

68 Hæc vero conclusio vniuersalis adeo est, vt comprehendat quoscumque laicos etiam infantes baptizatos, hi enim in loco interdicto sepeliri non possunt; sepultura enim negatur in tempore interdicti ad hoc vt populi citius à contumacia recedant, & Ecclesiæ obediant, & in generali interdicto omnium laicorum sepultura in loco sacro est prohibita, etiam si non dederint causam interdicto, & sint innocentes. Et cum alias in sepultura corpus mere passiue se habeat, & non requiratur ex parte sepulti aliquis sensus, cum id quod sepelitur sit corpus mortuum, ideo nihil obstat, quod Infantes non habeant vsum rationis, sed sub prohibitione absoluta cadunt. Eo magis, quod prohibitio directe respicit viuentes, & vsum rationis habentes, quibus prohibetur sepelire mortuum quemcumque in loco sacro. *Couar. in cap. Alma. p. 2. §. 4. num. 5. Nauar c. 27. num. 169. Suarez de cens. disp. 35. sec. 1. num. 2. Leander. de cens. tr. 5. d. 6. q. 6. Bassæus v. interdictum 2. num. 20.*

69 Laici tamen existentes in loco interdicto possunt suorum cadauera deferre ad locum non interdictum, & ibi cessante personali eorum interdicto ea sepelire, ex eo quod interdictum locale afficiat personas in ordine ad locum vt dixerunt & bene *Suarez d. disp. 35. sec. 1 num. 3. Bonac. de cens. in com. disp. 5. p. 5. num. 5.* & apud eum *Reginal. & Henriq. Bordon. res. 50. num. 100.*

70 Secundo laicos posse etiam sepeliri in loco non sacro etiam si sit deputatus ad sepulturam dummodo non sit per Episcopum benedictus, ex eo quia sepultura in eo loco non sit proprie & in rigore Ecclesiastica *cap nemo, de consec. dist. 1. docuit Sylvest. v. interdictum 5. num. 10. ex Io. Andr. & Calder. & Bonac. d. disp. 5. p. 5. num. 5. de cens.* Verum hic considerandum est, quod locus potest esse ab Episcopo ad sepulturam deputatus dupliciter, nimirum secundum quid, & pro casu particulari & pro interim. Nam in tempore interdicti generalis Episcopi est pro interim deputare locum, in quo fidelium corpora depositentur. Et talis locus non est sacer. Et in eo tempore interdicti dari potest sepultura. Alio modo potest esse deputatus simpliciter pro sepultura Ecclesiastica. Et in hoc sensu redit quæstio supra discussa, an locus deputatus ab Episcopo pro sepultura sit sacer, si non sit benedictus, & sit excommunicatus qui tempore interdicti in eo sepeliat mortuum. Iterum vero mihi dicendum occurrit de præcepto Ecclesiæ esse vt locus sepulturæ sit benedictus, sicut quod non nisi in Ecclesia benedicta celebrentur missæ. *capit. 1. de cons. dist. p. D. Thom. 3. p. q. 83. a. 3. & ibi DD.* Et quod locus ab Episcopo deputatus simpliciter pro Ecclesia aut Cœmeterio, si in eo de consensu Episcopi simpliciter sepeliuntur mortui, ex hoc potest censeri benedictus. Cæterum, quod locus ex hoc precise, quod est deputatus ab Episcopo pro sepultura non vero est benedictus, sit in proposito ita sacer, vt sepeliens in eo excommunicatum aut interdictum subdatur pœnæ Clemen. mihi est incertum.

71 Tertio dicunt aliqui, quod si laicus habeat priuilegium vt tempore interdicti possit assistere diuinis officijs, etiam si in priuilegio, nulla fiat mentio sepulturæ, possit etiam sepeliri in loco sacro ex regula cui communicamus viuo &c. *cap. sane 24. q. 2. sic enim ex Calder. dixit Sylvest. v. interdictum 5. num. 10. vers. sextum.* quem secuti sunt *Nauar. capit. 27. num. 181. Sayrus de cens. lib. 5. c. 7. nu. 9. & 16. Bonac. d. p. 5. num. 6.* & apud eum *Auila, & Aegid.* & hanc sententiam benignam esse, & iure & æquitate defendi posse dixit *Couar. in cap. Alma. p. 2. §. 5. num. 6. Diana p. 5. trac. 10. resol. 68* & apud eum *Megala Io: de Cruce, & Moscosas, Sà Angelus, & Auila*. Adducit vero *& Sotum in 4. d. 22. q. 3. a. 3. post 4. conclus.* qui ibi nihil de hoc habet, sed loquitur de clericis, qui alias vt dicetur possunt tempore interdicti sepeliri in loco interdicto. idem tenet *Bassæus v. interdictum 2. num. 18.* referens pro hac sententia *Suar. disp. 35. sec. 1.* vbi tamen Suarez totum oppositum docet & ex professo probat, refert etiam Fillinc. qui & ipse contrarium tenet. Sed oppositum sentiunt alij, ex eo quod sepultura in loco sacro tempore interdicti, non sit prohibita vt accessoria diuini officij, sed per se, & ratione sui; nec sepultura contineatur sub diuino officio, licet regulariter sine ea non habeatur, quia sepultura non est per se & ratione sui nisi participatio loci sacri; igitur non licet facultatem ad diuina officia extendere ad sepulturam. Quia etiam in fauorabilibus non licet extendere priuilegia vltra & extra nominum significationem. Quod confirmatur, quia ex eo quod quis sit interdictus à diuinis officijs nō est interdictus ab ingressu Ecclesiæ; igitur & econtra ex eo quod quis est restitutus ad vnum effectum ex istis, non intelligitur restitutus ad alium, nisi vbi huius-

modi

modi sint inter se connexi. Item hoc ex iure declaratur, nam *cap. quod in te, de Pœnit. & remiss.* restituuntur Clerici ad sepulturam, & tamen ex vi præciso illins cap. non sunt restituti ad diuina officia. Econtra vero in *cap. Cum & plantare §. si Templarij, de priuil.* permittuntur diuina officia in Ecclesia interdicta, per quoddam priuilegium, & tamen expresse negatur sepultura. Et ita hanc partem, quod scilicet habens priuilegium assistendi diuinis officijs, qnod nihilominus non possit ex hoc sepeliri in loco sacro, tenuerunt *Gloss. in Clem. 1. de sepult. in principio*, *Suarez d. disp. 35. sec. 1. num. 13. Vgol. tab. 5. cap. 9 §. 3. Alter. disp. 6. cap. 2. cal. 3. Lauor. tit. 2. cap. 13. num. 13. Corneco in 3. p. tr. 5. disp. 3. §. 4. q. 1. Filliuc. tr. 17. c. 3. num. 96. Palaus disp. 5. p. 4. § 3. num 5. & 7. Præpos. Hurtad. Aegid. Gordon. Villalob. Mercer. apud Dianam vbi supra, Leander tract. 5. disput. 6. q. 14.*

72 Aduertit tamen *Suarez d. disp. 35. sec. 1. n. 18.* hæc vera esse, quando priuilegium determinate, & in specie concedit solum posse admitti ad diuina officia, quia sub diuinis officijs, non venit sepultura. Aliter tamen est dicendum vbi priuilegium loquatur in terminis communioribus, & concedat v. g. posse admitti ad diuina. Quia sub nomine diuinorum sepultura in loco sacro comprehenditur. Et huius argum. sumit ex *cap. si sententia, de sent. excom. ibi. Vno interdicto ipsorum, alius licite admittitur ad diuina*, quod est dicere alius interdictus non est; igitur per illa verba *ad diuina* significatur exclusio, vel suspensio (iuxta subiectam materiam) omnium effectuum interdicti, & sic qui in tempore interdicti habet priuilegium, vt admittatur ad diuina, habet priuilegium, vt respectu eius cesset omnis effectus interdicti.

73 Quarto ijdem DD. supra relati pro priori opinione eodem modo arbitrantur, quod in illis quatuor festiuitatibus In quibus ex cōcessione Bonifacij VIII. *in cap. Alma mater de sent. excommunicationis* tempore interdicti possunt publice celebrari Missæ, & diuina officia, liceat etiam publice in locis sacris sepelire defunctos non excommunicatos, neque nominatim interdictos, & fundantur quia ratio ob quam prohibita est sepultura est primo ratione diuini officij annexi, secundo ratione dependentiæ ad ordinem sacrum propter consecrationem, aut benedictionem Cœmeterij; vnde nec in Cœmeterio sine officio, nec extra cum officio fieri potest; At vero, inquit Syluester, ea in qnibus ista duo concurrunt in prædictis solemnitatibus licent, vt consecrationes, & benedictiones. Tum secundo, qnia priuilegium *d. cap. Alma*, positum in iure late est interpretandum, vt comprehendat nedum officia viuorum, sed etiam mortuorum. Verum hæc intentum non probant. Nam sepultura non ratione alterius, nec tanquam accessorium, sed, vt probatum est, ratione sui est prohibita, quia dignum est, vt tempore interdicti non participetur locus sacer. Immo officia mortuorum potius sunt accessoria sepulturæ, quia occasione illius fiunt, & dignum est, vt fidelis corpus ob spem gloriæ, & resurrectionis non ducatur ad tumulum, nisi cum psalmis, & orationibus, sic protestando fidem æternæ mercedis, & quatenus anima defuncti opus habeat, intercedendo pro ea, vt citius liberetur à pœnis purgatorij. Cæterum sepultura ipsa Ecclesiastica in se, & de se res magna est, & per Ecclesiam merito prohibetur tempore interdicti, tanquam quid contradistinctum à sacramentis, & diuinis officijs, vt patet in *d. cap. Episcoporum de Priuil. in 6. & d. cap. si Ciuitas de sent. excom. eod. lib.* Et licet vbi communicemus cum viuis, possimus communicare cum mortuis, hoc est verum respectu rei non prohibitæ specialiter. Et ita sit communicamus cum viuis in officijs diuinis, possumus quantum ad ista etiam commnnicare cum mortuis. Sed non licet communicare in ijs, quæ specialiter sunt prohibita, sicut est sepultura in loco sacro. Vnde qnod (esto in quatnor festiuitatibus Natalis, Paschę Pentecostes, & Assumptionis B. Virginis, liceat celebrare diuina officia,) non liceat tamen sepulturа colligitur efficaciter, *ex cap. Cum & plantare, § si Templarij*, vbi concessa eis facultate diuinorum officiorum in tempore interdicti, negatur facultas sepulturæ. Nec valet dicere, qnod ex vi concessionis officiorum diuinorum concessa etiam fuisset sepultura, nisi fuisset excepta; hoc enim non probatur. Sed potius apparet, qnod illa exceptio fuit iuris declaratio, & voluit Pontifex ostendere, quod vnius concessione non infertur aliud, sicut econtra *in cap. quod in te de pœnit. & remiss.* ex concessione sepulturæ non infertur concessio diuinorum officiorum, sed ex parte illius capitis potius illa denegantur. Et ideo hæc est communior sententia, quam docuerunt *Gloss. ad Clem. 1. ver. d iure de sepult. Cardin. in d. cap. Alma mater, Bonif. & Imola*, & ibi *Domin. Francus num. 2.* & apud eum *Io. Andr. Io. de Lign. & Feder. de Senis, Lauor. tit. 2. cap. 11. numer. 43.* præter alios num. super. pro secunda sententia citatos.

74 Quinto in generali Interdicto possunt in loco sacro sepeliri Clerici duplici existente conditione. Prima quod nec dederint causam interdicto, nec fuerint nominatim interdicti. Secunda quod seruauerint interdictum. Ita enim concessit Innocentij III. *in cap. quod in te, de pœniten. & remiss.* Quamuis vero ibidem dicatur, qnod huiusmodi Clerici possint sepeliri in Cœmeterio, tamen nomine Cœmeterij, intelligitur locus ad sepulturam deputatus, & ideo etiam in Ecclesia sepeliri possunt, prout etiam praxis, & consuetudo obseruat. *Syluest. v. interdictum 5. num. 10. vers. Quartum. Suarez de cens. disp. 35. sect. 1. num. 5. Tambur. tom. 2. disput. 8. q. 7. num. 2. Bordan. res. 51. num. 101. Lauor. tit. 2. cap. 11. num. 43. Palaus d. §. 3. num. 3. Bonac. d. par. 5. num. 13. Leander d. disp. 6. q. 8.* & est sententia communis. Quamuis vero ex vi dicti capitis, qnod in te, hæc sepultura fieri deberet in silentio, sine pulsatione campanarum, & solemnitate, nihilominus ex concessione Bonifacij VIII. in *cap. Alma mater*, possunt huiusmodi Clerici sepeliri cum officio funerali, & missa, seruata moderatione dicti capitis, vt scilicet dicantur submissa voce; clausis ianuis. &c. *Syluest. v. interdictum 5. q. 8. num. 10. v. Quartum*, & apud eum *Feder. de Senis, Armilla num. 48. Angelus v. interdictum 6. num. 31. Suarez vbi sup. num. 9. Bonac. num. 13. Leander q. 10.* & alij *Palaus num. 4.* qui & notat, quod in quatnor festiuitatibus priuilegiatis ex *d. cap. Alma mater*, poterunt Clerici sepeliri in Ecclesia cum publica solemnitate, cum in illis diebus non sit prohibitum diuina officia cum solemnitate celebrare. Quoniam vero in alijs diebus

bus officia in tempore interdicti celebrari non possunt, nisi clausis Ecclesiæ ianuis, & voce submissa, itaut psallentes foris audiri non possint, ideo dum per viam ducitur funus Clerici in eo tempore, aut si corpus eius extra Ecclesiam sit tumulandum in Cœmeterio, non poterunt Clerici alternis choris psalere, & officium funerale peragere, quia hoc non esset clausis ianuis diuina officia celebrare: *Suarez nu. 10.* quamuis priuatas preces solitas haberi à laicis, & quæ non sunt prohibitæ tempore interdicti recitari poterunt. *Portel. v. interdictum. num. 43. Leand. q. 11.*

75 Hoc autem priuilegium non competere Clericis coniugatis etiam si non bigamis, sed cum vna & virgine iunctis, & etiam si per Episcopum ad alicuius Ecclesiæ ministerium sint adscripti, voluerunt *Nauar. cap. 27. n. 176.* & alij nonnulli apud *Leand. tract. 5. disp. 4. q. 41. & disp. 6. q. 12.* Sed contrarium dicendum est de Clericis cum vna, & virgine iunctis, & ad Ecclesiæ ministerium per Episcopum deputatis. Hi enim iuxta *Conc. Trid. sess. 23. cap. 7.* gaudent priuilegio assistendi diuinis officijs, vnde sunt ministri altaris, ac propterea in proposito bene veniunt sub nomine Clericorum. Et ita nunc iuxta hanc dispositionem intelligi debet. *cap. vnic. de Cleric. coniug.* Vnde huiusmodi Clerici tempore interdicti possunt iuxta moderationem c. Alma, assistere diuinis officijs, & in Ecclesia sepeliri, iuxta priuilegium *d. cap. quod in te, Bonac. d. num. 13. Leand. tract. 5. disp. 6. quæst. 12.*

76 Tandem aduertendum quod nomine Clerici veniunt, qui ordinati sunt aliquo ordine, vel etiam prima tonsura insigniti, & insuper Religiosi omnes tam viri, quam mulieres, & tam incolæ, quam aduenæ. In fauorabilibus enim sub nomine Clericorum veniunt Religiosi etiam Nouitij. *Syluest. v. Clericus 1. num. 1. & v. interdictum. 5. q. 1. Angelus v. interdicti 6. num. 3. Nauar. cap. 25. num. 95. & c. 27. num. 175. Bonac. d. p. 5. num. 13. Tambur. de iur. Abb. t. 1. disp. 16. q. 7. Bordon. resol. 51. num. 104.* Quidquid enim in contrarium dixerit *Megala l. 6. cap. 2. de interdicto. num. 39.* existimans solos Clericos Religiosos gaudere hoc priuilegio; dicendum est extendi ad omnes professos vtriusque sexus, & etiam ad Nouitios, & Tertiarios collegialiter intra claustra sub obedientia viuentes. Hi enim omnes sicut sunt in sortem domini vocati, ita veniunt sub nomine Clerici. Et in iure multoties pro eodem sumuntur Clerici, & personæ Ecclesiasticæ. *Leand. d. q. 12. & disp. 4. qu. 40.* & alij apud ipsum. Qui hoc extendit etiam ad hæremitas, & sacristas, & omnes personas Ecclesiasticas deputatas ad seruiendum in diuinis officijs. Qui enim sunt huiusmodi simul possunt diuinis officijs interesse, vnde sicut in hoc sunt participes priuilegij assistendi diuinis officijs, ita etiam priuilegij sepulturæ in loco sacro, cum loco sacro deseruiant. Verum hæc consequentia non valet, vt enim probatum est, ex concessione assistendi diuinis officijs, non valet consequentia ad concessionem sepulturæ, quæ concessa est Clericis non laicis. At vero quod nomine Clericorum veniant, qui non sunt nec Clerici, nec Religiosi, sed laici, licet inseruiant Ecclesijs in ijs, quæ non sunt propria Clericorum, non est asserendum. Imo quod tempore interdicti ad diuina officia non possunt admitti laici familiares Collegiorum, & Monasteriorum statutum fuit in *cap. licet de priuil.* & dixit *Syluest. v. interdictum. 5. num. 1.* & infra explicatur.

77 Sexto in Ecclesijs Regularium tempore interdicti possunt aliqui sepeliri. Nam Regulares in suis Ecclesijs possunt recipere ad diuina, & ad sepulturam suos confratres, si per confratres intelligimus illos, qui licet remaneant in seculo, etiam tamen Ordini sunt oblati mutato habitu seculari, vel etiam, qui inter viuos dederant illis bona sua retento vsufructu in vita, iuxta dispositionem Innocentio III. *in cap. vt priuilegij, §. 1. de priuilegijs, & Alex. III. in cap. Cum & plantare, §. De confratribus eod. tit.* vbi DD. communiter, & *Syluest. v. interdictum 5. num. 11. vers. quintum.* Simile quoque priuilegium concessum fuisse Ord. Prædicatorum a Io: XXIII. refert *Casarub. v. interdictum 2. num. 5.*

78 Sed quod vlterius quam pluribus alijs familiaribus dari possit sepultura in Ecclesijs Regularium tempore interdicti, videri potest ex priuilegio bullato Eugenij IV. concesso Benedictinis Congregationis Hispaniæ, quod refert *Casarub. v. interdictum 2. num. 11.* in quo Pontifex eis concessit, quod tempore interdicti generalis, vel specialis à iure vel ab homine quomodocumque lati, libere, & licite in suis monasterijs, siue Ecclesijs, aut Capellis eorumdem, possint recipere ad audiendam missam, & alia diuina officia, omnes, & singulos Donatos, Oblatos, Commissos, aut quoscumque familiares, officiales, & seruitores quorumlibet monasteriorum huiusmodi, ac eis Eucharistiam & alia Ecclesiastica sacramenta ministrare, eorumque corpora tumulare, siue tumulari facere; dum tamen nullus istorum dederit causam interdicto: Secreto tamen modo, ianuis clausis, & campanis nō pulsatis. Huius priuilegij etiam mentionem facit *Pereg. in compend. Priuil. Theat. v. interdictum §. 3. ex compend. Priuileg. Minor. § 11.* Vbi tamen Casarubias Bullam Eugenij quarti concedentem præfatum priuilegium viderit, seu vnde collegerit, non explicat, & nec eius initium, datam, tempus expressit; Nec in Bullario Rodriquez reperitur, vnde de eo plenum, & adæquatum iudicium ferri non potest, & nec plene constare, an sit oraculum viuæ vocis, vel non. Nihilominus quantum ad materiam eius, si loquamur de familiaribus proprie sumptis continuis Religiosorum commensalibus, est in terminis *Conc. Trid. sess. 24. c. 11. & sess. 25. c. 11. de reformat.* Quia illi cēsentur de numero Religiosorum, vnde Regulares illis ministrare possunt Ecclesiastica sacramenta, eosque in proprijs Ecclesijs sepelire vt patet ex certis priuilegijs, quæ habentur supra in hac *ead. q. art. p. nu. 337.* sed & de iure communi, eo nimirum iure, quo & Religiosi ipsi possunt secreto ianuis clausis, & non pulsatis campanis in Regularium Ecclesijs sepeliri tempore interdicti possunt & ipsi in eisdem Ecclesijs sepulturam accipere; quia in hoc sub nomine Religiosorum veniunt, non minus quam sub nomine exercitus, aut militum famuli ducum; quoniam hi omnes sūt de integritate monasteriorum, & exercituum. Sed loquendo de alijs famulis pensandum esset, an per nōn vsum illud priuilegium, etiam si adfuisset, esset perditum, vel etiam an per *Concil. Trid. sess. 25. c. 12. & 22. de Regularibus* sit abrogatum. De qua quæstione alias dicendum erit. *Ex Compend. autem*

priuileg.

priuileg. Ord. S. Hieron. in Hispan. aliud priuilegium Benedicti 13. referunt *Portell. v. interdictum. nu. 69. & Bordon. resol. 51. num. 172.* per quod concessum dicitur PP dicti Ordinis posse in tempore interdicti admittere ad sacramenta, diuina officia, & sepulturam omnes familiares continuos commensales, & alios viuentes stipendijs monasterij, & eorum familiam vtriusque sexus, quamdiu manserint in seruitio monasterij. Sed non constat an sit viuæ vocis oraculum. Alias vero considerandum est, quod in Clem. cum ex eo 3. de sent. excom. prohibentur Minores admittere ad diuina officia Tertiarios, quos dicunt continentes (hi manebant cum vxoribus, nec vouebant castitatem, vt explicat Glossa) sub pœna excommunicationis. Quæ tamen excommunicatio alios Ordines non afficiebat.

79 Vnde est etiam quod illud priuilegium respiciens Regulares ipsos vt possint suos sepelire tempore Interdicti cum solemni ritu, & pulsatis campanis, requirit suam considerationem. Refert hoc priuilegium liber, qui dicitur monumenta Minorum pag. mihi 312. sub nu. 506. tanquam datum à Iulio II. in Bulla incipien. exponi nobis, data Romæ die 23. Februar. 1509. Pontificatus anno 6. sub his verbis, *Vobis quod etiam tempore interdicti ordinaria auctoritate appositi corpora dictorum fratrum decedentium cum ceremonijs prædictis, ac & pulsatis campanis, ac missa, & aliorum diuinorum officiorum in similibus celebrari solitorum celebratione, in Ecclesijs vestris libere & licite absque alicuius censuræ incursu sepelire possitis in omnibus, & per omnia tenore præsentium concedimus, & indulgemus.* Huius priuilegij meminit etiam *Cæsar. v. interdictum p. num. 13.* Sed & an hoc priuilegium sit abrogatum per Concilium considerandum erit; nunc enim adhuc mihi non constat, quid de hoc dicendum. Hoc tamen considerandum quod in hoc priuilegio non conceditur sepultura ianuis Ecclesiæ apertis, sed solum vt Religiosi possint suos Religiosos tumulare cum eorum solitis cæremonijs, & officijs. Conceditur vero pulsatio campanæ, non ad conuocandum populum ad funus, sed ad inducendum populum vt priuatim oret pro defuncto. Deinde hoc priuilegium non est vniuersale pro omni interdicto, sed solum pro opposito auctoritate ordinaria, vnde non se extendit ad interdictum auctoritate Apostolica appositum.

80 Cum igitur tempore interdicti sit sepultura prohibita in loco Ecclesiastico corpora laicorum interim extra locum sacrum ab Episcopo ad hoc deputatum deponi debent, sepelienda in loco sacro, vbi cessauerit interdictum. Quod si in tempore interdicti aliquod fuerit sepultum in loco sacro, debet quidem durante interdicto exhumari, si ipse cuius est corpus, dedit causam interdicto, sed si non sit interdictus & sit innocens, licet illicite sit sepultus, quod non debeat exhumari tenet *Bassæus v. interdictum 2. numer. 11. post Sà. v. interdictum numer. 27. cap. 8. num. 21. Henriq. l. 13. cap. 41. numer 5. Fillius. tract. 18. 3. num. 97.* finito autem interdicto corpus non est tumulandum, cum ad eum statum res deuenerit, à quo potuit incœpisse, *Syluest. numer. 10. vers. primum.*

81 Cum vero cessatio à diuinis si sit generalis æquiparetur interdicto in Clem. 4. de sent. excom. videri posset, quod etiam in cessatione à diuinis laici sint priuati Ecclesiastica sepultura. Verum ex eo textu hoc non colligitur, ibi enim interdictũ, & cessatio à diuinis officijs æquiparantur in hoc, quod vtraque seruanda sit, & custodienda maximè à Regularibus, sed ibi interdictum, & cessatio à diuinis officijs non comparantur, neque æquiparantur quantum ad effectus, vt eosdem effectus omnino producant. Ideo quod in cessatione à diuinis officijs, si sit pura, & non mixta interdicto non priuetur fideles Ecclesiastica sepultura, quamuis priuentur officio funerali, dixerunt *Suarez de censuris disp. 39. sect. 2. num. 31. Tambur. de iure Abb. tom. 2. disp 16. q. 7. num. 3. Bonac de cens. disp. 6. par. 3. num. 8. Filliuc. tract. 18. cap. 7. num. 280.* In iure enim & in antiquis Canonistis nunquam inuenitur expressum, quod cessatio à diuinis priuat sepultura sacra, prout importat puram tumulationem cadaueris in loco sacro, quamuis ex quo priuat diuinis officijs, priuet etiam administratione sacramentorum, & officio funerali, quod fit recitando sacras preces, & celebrando Missas. In casu vero, quod cessatio à diuinis priuaret Ecclesiastica sepultura, nihilominus hunc effectum non esse intelligendum contra Clericos, sed priuilegium illis concessum pro tempore interdicti, vt possint sepeliri cum moderamine *cap. Alma, de sent. excommun. in 6.* extendi etiam ad cessationem à diuinis, dixerunt citati *Bonac. d. num. 8. Tambur. nu. 4.* & alij apud istos. Quamuis spectato iure non appareat hoc concessum in cessatione à diuinis, sicut est concessum in interdicto. *Suarez d. disp. 39. sect. 2. num. 29. Filliuc. num. Bonac. d. num. 8.*

82 Si vero interdictum non sit generale, sed speciale, tunc quidem si in loco non sit, nisi vna Ecclesia, coincidunt ferè in idem interdictum speciale, & generale, quia tunc in loco illo nullus laicorum potest alicubi sepeliri, cum ibi non sit, nisi vna Ecclesia, quæ est interdicta. Sed si plures sint Ecclesiæ, tunc in sola interdicta Ecclesia prohibita est sepultura, & qui alias non sunt excommunicati, vel interdicti, aut alias personaliter impediti possunt in loci Ecclesijs non interdictis sepeliri. Nonnullæ tamen sunt hic difficultates. Prima est, quid dicendum vbi in loco est vna sola Ecclesia, quæ interdicto speciali est interdicta, vel vbi plures sunt Ecclesiæ, sed singulæ sunt specialiter interdictæ, an in eo casu Clerici possint in Ecclesia interdicta tumulari ex priuilegio *cap. Alma, de sent. excom.* nimirum cum celebratione officij, & Missarum habita secreto in Ecclesia clausis ianuis. Multi enim hoc negant, quia d. cap. Alma, loquitur de interdicto generali, igitur eius concessio non potest se extendere ad interdictum speciale. *Suarez d. disput. 35. sect. 2. Palaus de cens. disp. 5. par. 4. §. 3. numer. 9.* Sed ego considero, quod Pontifex in d. cap. Alma, sic loquitur de Interdicto generali, quod non attendit per se, & principaliter formam interdicti, sed effectum eius, qui est, quod ex vi iuris antiquioris nulla in loco interdicto celebrarentur officia, vel etiam (certis casibus, & sacramentis exceptis) alia non administrarentur sacramenta, ex quo effectu Pontifex ait, quod sequebatur indeuotio populi, pullulabant hæreses, & infinita animarum pericula insurgebant, ad quæ pericula vitanda rigorem antiquioris iuris moderatus fuit, & inter alia concessit, vt diuina officia

secreto

secreto ianuis clausis, & campanis non pulsatis haberi possent. At vero hic effectus reperitur etiam si interdictum sit speciale vbi vna sola est Ecclesia, vel omnes sunt interdictæ; igitur militat ratio legis, & moderationis, vnde & habet locum extensio legis intelligentia, vt etiam in hoc casu non sint prohibita in eo loco diuina officia secreto vt supra habita. Quamuis igitur communis sententia & quidem verissima sit, quod in d.cap. Alma sit sermo de interdicto generali; Communis tamen sententia non negat, quod ibi non sit sermo de interdicto speciali, quando hoc æquiualet generali, & de eo militat eadem ratio ob quam Pontifex moderatus est rigorem antiqui iuris. Additur quoque quod etiam *cap. quod in te. de pænit. & remiss.* loquitur de interdicto generali, vt patet expresse, ibi. *Licet autem per generale interdictum &c.* igitur vnum de duobos est dicendum, nimirum quod vbi interdictum sit speciale licet æquiualenter generale, non liceat sepelire clericos in loco sacro, quia *capit. quod in te*, in quo hoc clericis permittitur loquitur de interdicto generali non vero de speciali. Quod quidem nedum citati DD. negant, sed negant etiam expresse *Syluest. v. interdictum. nu. 10. vers. quintum. Suarez disp. 35. sec. 4. nu. 3.* quia licet huiusmodi casus non comprehendatur sub verbis formalibus dicti textus comprehenditur sub intentione illius, quia Pontifex voluit, vt Clerici tempore interdicti haberent vbi sepelirentur, quidquid in contrarium dixerit *Lauor. tit. 2. cap. 13. num. 10.* non admittens sic extensionem ex identitate rationis. Vel si ibi admittitur extensio ad interdictum æquiualenter generale, multo magis hic debet admitti, cum in *d. cap. Alma*, expresse consideretur vniuersalitas & generalitas effectus interdicti respectu eiusdem loci, quæ adest in interdicto æquiualenter generali. Sic igitur vbi in loco est vna sola Ecclesia, aut omnes sunt specialiter interdictæ, vel in nulla earum possunt Clerici sepeliri ex vi *d. c. quod in te*, quod negatur, vel si possunt sepeliri, possunt etiam ex vi *d. cap. Alma* sepeliri cum priuato funeris officio, & DD. ijdem, qui hoc negant non loquuntur consequenter.

83 Altera difficultas est, an vbi sunt plures Ecclesiæ ex quibus vna sola, vel aliquæ sunt interdictæ, aliæ non Clerici Ecclesiarum vel Ecclesiæ interdictæ possint in eis, seu ea Interdicta sepeliri ex vi *capit. quod in te. de pænit. & remiss.* Communem enim sententiam affirmare, dicit *Palaus vbi supra num. 8.* quia *cap. quod in te*, mentionem faciens de interdicto generali non exclusit speciale, & illa mentio facta est, quia interdictum generale est frequentius, non vt fieret restrictio. Hanc sententiam tenuerunt *Syluester v. interdictum 5. num. 10. vers. quintum, & Panorm. ad d. cap. quod in te num. 10. & Couar. c. Alma. p. 2. §. 2. num. 7.* Dicitur nihilominus quod Innoc. 3. *in d. cap. quod in te*, loquitur de interdicto generali vt excludit mere speciale, quia innititur vniuersalitati effectus interdicti, quia *per generale interdictum denegatur omnibus tam vnctio, quam Ecclesiastica sepultura.* Et quia visum illi fuit conuenire vt ab hac generalitate exciperentur Clerici, ideo illis concessit, quod vbi interdictum est generale, & ipsi sepeliri possint in Ecclesia aliqua licet interdicta. Sed vbi interdictum est mere speciale, & dantur Ecclesiæ non interdictæ, in quibus Clerici possunt sepeliri, tunc nec in propria Ecclesia sepeliri possunt, si illa sit interdicta, vt tradiderunt *Innocentius cap. fin. de excess. Prælat. Io. Andr. in d. cap. quod in te. summa. Asten. p. 2. l. 7. tit. 16. a. 3. Suarez de cens. disp. 35. sec. 7. num. 4.*

84 Vnde quidquid in contrarium dixerint *Palaus num. 8. Leand. trac. 5. disp. 6. q. 9.* & alij ab ipsis citati, multo magis illicitum est Clericis aliarum Ecclesiarum sepeliri in Ecclesia specialiter interdicta, quia cum expresse textus *d. cap. quod in te*, loquatur de interdicto generali & nulla sit ratio extendendi dispositionem illius ad interdictum speciale, cum in casu hoc non desint Clericis propriæ vel alienæ Ecclesiæ non interdictæ, in quibus possint sepeliri, dicendum est dispositionem *d. capit. quod in te*, illis non suffragari vt in aliena Ecclesia interdicta sepeliri possint. Quod præter DD. supra citatos pro secunda sententia, tenent etiam *Panorm. & Syluest. vbi supra Tabien. v. interdictum 5. num. 12.*

85 Vbi vero interdictum est personale hoc certum est, quod personæ nominatim interdictæ in loco sacro non possunt sepeliri; & in hoc dispositio est vniuersalissima quantum ad personas, siue sint seculares, siue Clerici, siue Religiosi, siue quicumque alij, & etiam quantum ad Ecclesias, quia in nulla Ecclesia sepeliri possunt, siue sit illius, siue alterius loci. Et ita quod etiam si superior mandet sepeliri interdictum nominatim in Ecclesia non sit ei obediendum. *cap. si Dominus 11. q. 3. cap. 1. de maior. & obed. Lauor. tit. 5. cap. 13. num. 5.* Verum tamen est, quod hoc limitatur ex parte interdicti, vt non verificetur in interdicto tolerato, sed necesse sit vt interdictus sit denunciatus, ita quod ex sepultura data interdicto tolerato nec sepelientes incurreant pœnas latas contra sepelientes interdictos in loco sacro, nec locus ipse sacer ex hac sepultura violetur, nec sit sepultus extumulandus. Nam & in textu expresse est sermo de interdictio nominatim. Vnde hanc partem tenent *Nauar. c. 27. n. 187. Suarez disp. 33. sect. 3. a nu. 5. Coninch. disp. 17. dub. 5. num. 62. Layman l. 1. trac. 5. p. 4. c. 5. num. 4. Palaus de cens. disp. 3. p. 4. §. 3. num. 10. Bonac. de Cens. in particulari disp. 2. q. 2. p. 31. num. 5. & de cens. in communi disput. 5. p. 5. num. 10. Leander tract. 5. de interd. quæst. 15. Bordon. ref. 51. num. 97.* Et hoc idem dicitur de interdicto locali generali, aut speciali, quia ad hoc vt in loco sacro non possit sepeliri ex vi interdicti necesse est vt interdictum sit denunciatum per sententiam, vt præfati DD. docent. Et quia in loco sacro non possunt sepeliri etiam illi, qui causam dederunt interdicto, quia tales habentur vt personaliter interdicti *Syluest. v. interdictum. 5. nu. 10. vers. quintum. Palaus vbi supra num. 10.* nihilominus ad hoc vt non possit aliquis talis Clericus vel laicus sepeliri in loco sacro alias non interdicto, necesse est, vt declaretur talis; quia modo per extrau. ad euitanda non est prohibitum communicare ligatis censura toleratis, seu non declaratis vt talibus.

86 Quamuis vbi interdictum personale sit simul generale, quia interdicitur totum collegium, vel vniuersitas, vel Ciuitas, non sit necesse secundum DD. citandos, vt singuli de communitate nominatim, & sigillatim declarentur interdicti, sed sufficit quod declaretur vniuersitas; ex eo enim singuli de dicta communitate censentur denunciati.

Aliter cum difficillimum sit denunciare nominatim in indiuiduo singulos de communitate, interdictum generale esset frustratorium & sine effectu. *Suarez de cens. disp. 37. sec. 2. num. 3. Coninch. disp. 17. dub. 2. num. 56. Layman. l. 1. tr. 5. par. 4. c. 2. fin. Palaus disp. 5. p. 4. §. 3. num. 10. Bonac. de Cens. in com. disp. 5. p. 5. num. 10. Bordon. resol. 51. num. 98.* Sed nihilominus aliorum sententia est, quod in hoc interdicto generali personali, si solum communitas declaretur interdicta, ipsa sola sit vitanda, non vero sint vitandi singuli in particulari, quia illi non sunt denunciati. Et ita sensisse videtur *Nauar. c. 27. num. 187.* vbi quod nullus interdictus est vitandus, nisi denunciatus. Et pro eadem sententia referuntur *Sã v. interdictum. numer. 3. Alterius disput. 8. capit. 5.* Et posset hoc confirmari, quia vt plurimum non constabit Petrum, Paulum, Franciscum &c. esse de communitate interdicta, nisi sint declarati.

87 Sed mihi distinguendum videtur, nam si interdictum sit generale & adæquatum loco, quia vnius loci communitas interdicitur, hoc interdictum simul continet interdictum locale secundum, *Couar. in cap. Alma post. §. 1. num. 7. & Federicum de Senis consil. 188.* vel certe per accidens obligat ad seruandum tale interdictum, ac si esset interdictum locale, in nulla illius loci Ecclesia celebrando diuina apertis ianuis, & pulsatis campanis; quia aliter communitas ipsa vitari non posset, prout deberet, si ianuis apertis diuina administrarentur, vt bene considerauerunt *S. Anton. 3. p. tit. 26. cap. 3. col. 3. Syluest. v. interdictum 2. num. 9. & Franc. ad cap. si senten. tia, de sent. excom. in 6.* Et sic vitare populum loci interdictum non est nisi seruare interdictum, ac si esset locale, claudendo Ecclesias, non pulsando campanas, non celebrando diuina officia nisi sectero, & ac si interdictum esset locale; quia non nisi hoc modo excluditur communitas à diuinis; nec propter paucos aduenas non interdictos liceret tunc ianuis apertis diuina celebrare.

88 Sed vbi communitas interdicta non est adæquata loco, sed est pars loci, vt si sit interdictum collegium, vel familia aliqua, vel senatus, tunc difficultas est. Quoniam declaratio generalis non sufficit ad hoc, vt vitandi sint excommunicati, aut interdicti. Sic enim licet in Bulla Cœnæ singulis annis declarentur excommunicati Lutherani &c. non per hoc tenemur vitare Lutheranum etiam notorium, nisi sit in particulari nominatim denunciatus, vt praxis confirmat, & docent *Suarez disput. 21. de fide sect. 3. num. 3. & de cens. disp. 18. sect. 1. conclus. 5. Filliuc. tract. 16. cap. 2. nu. 30. Bonac. de censur. disp. 2. q. 5. sect. 2. num. 9. Sanchez l. 2. cap. 9. num. 3. Azor. l. 8. cap. 13. q. 7. Palaus tract. 4. disp. 4. p. 1. num. 2. Sallel. l. 6. Reg. 452. num. 16.* Sic ergo etiam si aliqua familia, vel Collegium denuncietur interdictum, nullus de Collegio vel familia erit vitandus nisi sit in indiuiduo denunciatus. Sed negatur consequentia & similitudo. Sententia enim Bullæ Cœnæ datur ex cognitione delicti, sed non ex cognitione delinquentium, qui nec citantur in indiuiduo, nec audiuntur per Pontificem sententiantem, sed per eum delictum hæresis cuiuscumque speciei damnatur, & anathematizatur; & ideo nihil mirum, si huiusmodi declaratio non sufficiat, ad hoc, vt sit in nobis obligatio vitandi personas, donec ipsæ per sententiam denuncientur esse excommunicatæ.

89 Sed interdictum generale per sententias iudicum non fertur ex sola cognitione delicti, sed ex indiuiduali cognitione delinquentium, siue illæ sint singulares, siue plures simul, & constituentes vnum indiuiduum morale, quod est collegium, vel senatus, vel populus, quod morale indiuiduum per huiusmodi sententias denunciatur interdictum. Cæterum quod sufficiat huiusmodi generalis sententia, aut denunciatio habetur ex eadem extrau. ad euitanda. Vbi dum statuitur non esse uitandos excommunicatos subditur hæc exceptio. *Nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit contra personam, Collegium, Vniuersitatem, Ecclesiam, aut locum certum à iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expresse.* Bene igitur potest communitas interdici, & ad hoc, vt sit obligatio vitandi eam, sufficit quod sententia contra eam sit publicata. Nec valet dicere, quod hoc sufficit ad vitandum communitatem, sed non singulos de communitate. Quia vbi communitas damnatur in eo, quod ei conuenit ratione singulorum, sicuti sententia, & censura priuat singulos de communitate, & fertur, vt singuli de communitate sint priuati in singulari aliquo bono, *cap. si sententia, de sent. excom. in 6.* sic sententia afficit omnes, & singulos, & est sufficienter publicata, aut afficiens omnes, & singulos, & omnes, & singuli habendi sunt, vt damnati, & sententiati, & pœnæ subiecti. Interdictum vero priuat sacramentis, officijs diuinis, & sepultura, quæ conueniunt communitati ratione singulorum, & ita quod intentio interdicentis generaliter communitatem est, vt omnes, & singuli de communitate sint illis tribus priuati, & quod nulli ex communitate illa, aliquod illorum trium tribuatur, vt manifeste habetur *d. cap. si sententia*, non igitur potest illis aliquod eorum tribui, & quilibet de communitate debet vitari. Nec obstat, quod potest dari ignorantia facti, per quam nesciatur quod aliquis sit de communitate interdicta, quia hoc solum probat, quod vbi ignorantia sit inuincibilis non sit peccatum aliquem de communitate interdicta non vitare. Sed interim tamen Prælatorum, aut Rectorum, & ministrorum Ecclesiæ erit, & vitare quos sciunt esse de communitate, & diligenter aduertere, qui sint, quos ad diuinorum cognitionem admittunt. Et interim vbi constet de interdicto communitatis, si sit dubium facti, an aliquis sit de communitate, non erit ad diuina admittendus manente dubio; quia possessio stat pro censura. Et illius erit ostendere se, non esse de communitate interdicta. Nauar. autem male refertur pro contraria sententia solum enim dicit, quod interdictus non est vitandus, nisi sit denunciatus, quod verum est. Et habetur ex d. Clem. 1. vbi pœna excommunicationis imponitur sepelientibus interdictos nominatim. Sed qui est de populo satis est denunciatus, si sit denunciata communitas.

90 Limitanda tamen, & simul amplianda est principalis assertio. Nam interdictum partiale, non semper priuat sepultura, vt si quis solum esset interdictus præcise à receptione sacramentorum non esset priuatus sepultura in loco sacro, sicut neque si esset præcise interdictus ab assistentia diuinorum officiorum, vel si esset interdictus à iurisdictione, vel ab aliquo officio, vt ex *Panorm.* habet

bet *Tabien.v.excommun.5.casu* 42. Sed quid dicendum, si quis sit simpliciter interdictus à diuinis? *Bordon.resol.51.num.97. Lauor.tit.2.cap.13.numer.4.* putant quod huiusmodi interdictum sit partiale, & quod non priuet sepultura. Et probant, quia sub nomine diuinorum veniunt sacramenta, & diuina officia, inter quæ non est sepultura Ecclesiastica. Sed certe sepultura Christianorum non est sine diuinis officijs, & ritu sacro, vnde interdictus à diuinis non posset sepeliri cum solemnitate Ecclesiastica: & præterea non potest negari, quod sepultura in loco sacro, & ad hunc effectum benedicta, non sit res diuina, & ideo licet si quis esset præcise interdictus à diuinis officijs, hic non esset interdictus à nuda sepultura in loco sacro, sed à solemnitate Ecclesiastica funeris, si tamen sit interdictus à diuinis, vel si sit simpliciter interdictus, est interdictus, & priuatus sacramentis, officijs, & sepultura.

91 Et nihilominus aliquod interdictum partiale, priuat sepultura Ecclesiastica, nimirum interdictum ab ingressu Ecclesiæ, *cap. is cui, de sent. excomm. in 6.* quod adeo verum est, vt qui est interdictus ab ingressus Ecclesiæ; nec possit sepeliri in Cœmeterio, vt expresse decernitur in *d. cap. is cui*, Quod *Glossa ibi in verb. Cœmeterio*, quam sequitur *Suarez d. disp. 35. sect. 3. num. 15.* explicat, vt sit verum etiam de Cœmeterio disiuncto ab Ecclesia. Et hoc asseritur ob peculiarem, & expressam dispositionem absolutam dicti textus in quo statuitur vt interdictus ab ingressu Ecclesiæ non possit sepeliri in Ecclesia vel cœmeterio.

92 Ex eodem tamen textu habetur limitatio, & explicatio generalis totius assertionis, ibi, *nisi pœnituerit*: Interdictus enim personaliter, si antequam decedat pœniteat, vel signa pœnitentiæ ostēdat, debet sepeliri in loco sacro, præmissa tamen absolutione ab interdicto, quam tunc etiam simplex sacerdos in casu necessitatis dare potest; Pœnitentibus enim pro proprio delicto sepultura sacra non negatur. *Sayrus l.5. cap.8. num.22. Palaus de cens. disp.5. p.4. §.3. num.12.* & apud eum *Rodriquez, & Auila*. Quod tamen non est verum vbi locus est interdictus, quia tunc in eo, nec innocentes sepeliri possunt, qui tamen sepeliri poterunt in alia Ecclesia non interdicta, vel pro interim vbi determinauerit Episcopus, donec cessante interdicto cadauer ad Ecclesiam exportetur. In interdicto etiam generali innocentia particularis non suffragatur, Quia tunc etiam innocentes ob culpam Rectoris. vel Principis, vel Magistratus, vel alterius similis etiam sine eorum culpa subijciuntur interdicto, interdictum enim etiam non culpabiles ligat. *Couar. cap. Alma p.2. §.1. a num.6. & variar. l.2. c.8. num.10. Suarez disp.36. sec.3. a num.2. Sayr. l.5. c.4. num.12. & cap.10. nu.4. & 7. Barbosa ad cap. si sententia, de sent. excom. in 6. num.4.* Ideo non sufficit innocentia priuata, vel priuata pœnitentia, vbi interdictum ex culpa aliena est latum. *d. cap. si sententia de sentent. excom. in 6.* Quamuis vbi ex culpa aliena oritur interdictum, si interdictum sit mere locale, & non generale personale, tale interdictum non ligat nisi culpabiles, & ideo licet innocentes non possint in loco interdicto ex aliena culpa audire sacra, & sepulturam accipere, id tamen facere possunt in loco, seu Ecclesia non interdicta. Nam assertum nostrum est expressum in *d. cap. si sententia Angelus v. interdictum 2. in princip. Sayr. l.5. cap.2. nu.5.* quos sequitur *Barb. ad d. cap. si sententia. num.6. Lauor. tit.2. c.13. num.15.* Sed si interdictum sit etiam personale, & ex causa populi vel domini latum, quilibet de populo etiam si sit innocens subijcitur interdicto, & sic quod nullibi potest admitti ad diuina, vel sepeliri in loco sacro, vt expresse decernitur in *d. cap. si sententia.*

93 Cæterum hæc etiam regula seruanda est, quod interdictum locale simul est personale respectu eorum, qui causam dederunt interdicto, & non solum in eo loco, sed nec alibi possunt admitti ad diuina, *Syluest. v. interdictum 2. q.2. vers. sextum. n.7. Nauar. c.27. num.169. Suarez disp.37. sec.1. num.15. Sayrus l.5. c.12. num.11. Bonac. de interdicto in particulari disp.4. q.1. p.1. Leand. trac.5. disp.1. q.36.* Sed ad punctum nostrum consideratur, quod non sufficit eis pœnitentia delicti, quando interdictum est latum ex culpa communi; quia tunc Ecclesiæ satisfacere debet populus, vel communitas vt vniuersa, sicuti vt vniuersa fuit interdicta. Quamobrem non video quomodo subsistat, quod ait *Lauorius tit.2. c.13. num.16.* quod scilicet si interdictum respicit personam, non comprehendit inculpabiles, qui possunt extra Parochiam interdicti populi sepeliri. Nam vel interdictum est mere locale, & non personale, vt cum interdicitur ciuitas. Nam vt habet *Gloss. in v. interdicti*, aliud est interdicere ciuitatem solam, & aliud est interdicere ciuitatem & ciues. Vbi igitur interdictum est mere locale, tunc verum est, vt dicitur in *d. cap. si sententia*, quod ciues inculpabiles in alio loco possunt admitti ad diuina, & sepulturam. Sed tunc interdictum non respicit personas nisi in ordine ad locum. Sed si interdictum est personale, & nedum ciuitas, sed ciues sunt interdicti, tunc nullus est de ciuitate, qui alicubi ad diuina admitti possit, vt in vltima parte dicti cap. expresse continetur. Si tamen plures, vt singuli essent interdicti, pœnitentia singulorum iuuaret pœnitentibus; quia pœna illis vt singulis data, per pœnitentiam singulorum tolli deberet, & ideo si quis eorum pœnitens moreretur, deberet absolui, & in loco sacro sepeliri.

94 Sic igitur sepelientes in loco sacro huiusmodi interdictos denunciatos vel quoscumque laicos in loco interdicto sunt excommunicati per Clement. 1. de sepulturis. Sed quomodo hoc sit intelligendum iam satis est explicatum supra, vbi de sepelientib. excommunicatos fuit sermo.

95 Quarto sepultura priuati sunt publici vsurarij, & eos sepelientes in loco sacro sunt excommunicati. *Clem. 1. de sepult.* Per publicum vero vsurarium, illum qui conuincitur de vsuris ex suis scriptis. *Lauor. tit.2. c.12. num.11.* vel publice exercet vsuras, seu de quo publice constat esse vsurarium intelligunt *Filliuc. trac.14. cap.5. quæst.3. numer.71. Nauar. Molina, Salas Alterius cap. Bonac. de cens. in part. disp.2. q.2. p.31. num.7.* Sed quoniam per extrauag. ad euitanda, neminem prætextu cuiuscumque sententiæ, prohibitionis, aut censuræ vitare tenemur nisi per iudicem sententia, prohibitio, vel censura sit publicata vel denunciata specialiter, & expresse, ideo per publicum vsurarium illum intelligere debemus, qui fit per iudicem denunciatus. *Suarez de cens disp.31. sec.2. num.10. Bonac. vbi supra.*

Vbi quoque vsurarius signa pœnitentiæ dederit, sepeliendus erit in loco sacro data prius satisfactione, vel cautione de satisfaciendo, *cap. quia de vsuris, cap. quanquam eod. tit. in 6. Clem. 1. de sepult. Syluest. v. sepultura num. 10. ver. 8.* Contra sepelientes vero huiusmodi vsurarios in Clem. 1. de sepulturis lata est excommunicatio, quæ explicata manet ex dictis supra de sepelientibus excommunicatos. Contra eosdem vero iam prius in Concil. Lateranen. sub Alex. III. & habetur *d. cap. quia*, lata fuit suspensio ibi. *Qui autem acceperit* (nimirum vsurarij oblationes) *vel Christianæ tradiderit sepulturæ, & quæ acceperit, reddere compellatur; & donec ad arbitrium Episcopi sui satisfaciat, ab officij sui maneat executione suspensus.* Vnde ex hoc textu bene supra nu. 57. & 58. deductum est sub nomine sepelientium comprehendi etiam Clericos quorum auctoritate mortuus datur sepulturæ. Cum enim non sint Clerici, Parochi, vel Rectores, qui manibus suis cadauera tradunt sepulturæ, si sub nomine tradentium sepulturæ non intelligerentur etiam illi quorum auctoritate id fit, suspensio lata in eo textu à Concil. Lateran. contra tradentes sepulturæ vsurarium esset frustratoria; quia hæc suspensio ab officio, Rectores, Parochos, & Ecclesiarum Præsides respicit, qui quidem non sunt ij, qui physice manibus suis cadauera inferunt in sepulchrum, sed solum sua auctoritate id fieri permittunt.

96 Quinto sepultura sacra priuantur, qui moriuntur in torneamentis. Torneamentum vero est pugna in qua probabiliter est periculum mortis, quia ibi sæpe homines moriuntur. *Syluest. v. torneamentum*, Sed ex textu *cap. 1. de torneamentis* torneamenta dicuntur nundinæ, seu feriæ, in quibus milites ex condicto conuenire, & ad ostentationem virium suarum & audaciæ temere congredi solent, vnde mortes hominum & animarum pericula sæpe proueniunt. Hinc est quod nomine torneamenti, non tam venit ludus pugnæ periculosæ, quam etiam locus, in quo huiusmodi ludus exercetur. Quod colligitur ex *cap. 2. de torneam.* vbi defunctus de quo ibi est sermo, non erat mortuus pugnando, sed quia (vt habetur in Epist. Alex. 3. ad Anaten. Epis. ex qua desumptum fuit illud cap.) accidit quod ille qui accesserat ad torneamentum causa inquirendi debitum violenter & inconsiderate, ab equo in quo insidebat super eum cadente compressus mortuus est. Itaque igitur hinc primo colligitur, quod nedum ludentes, sed existentes in loco ludi, seu in torneamento, si accesserunt gratia ludendi, & ibi moriuntur, etiam si casu id contingat, non sunt in loco sacro sepeliendi, vt ex d. cap. 2. ibi. *Nos attendentes, quod his tantum Ecclesiastica sepultura debet interdici, qui ad torneamenta animo, id faciendi tantum accedentes decedunt ibidem, &c.* Vbi etiam aduertenda est dictio *tantum*, ex qua haberi videtur quod priuationi sepulturæ subijciuntur illi soli, qui accesserunt tantum causam ludendi ludo illo temerariæ, & periculosæ pugnæ. Sed non credo hunc esse legitimum sensum, quasi non subdatur pœnæ, is qui non tantum venerit causa pugnandi, sed venerit & causa pugnandi, & causa debitum recipiendi, sed dictio tantum adiungitur verbo accedentes, vt sit sensus, quod illi tantum pœnæ subduntur, qui veniunt causa pugnandi, ideo qui ibi assistunt causa curiositatis non subduntur huic pœnæ. *D. Anton. 3. p. tit. 10. c. 5. §. 8. Lauor. tit. 2. c. 12. nu. 18.* cui tamen subduntur, qui veniunt causa pugnandi etiam si nõ ob eam causam tantum venerint, sed etiam ob aliam aliquam.

97 Sed quid dicendum, si quis vulnus ibi accipiat, sed ibi non moriatur, sed ad vnum, vel duos dies superuiuat. Eum subijci pœnæ dicti cap. seu priuandum esse sepultura dixerũt *Hostien. & D. Anton. 3. p. tit. 10. c. 5. §. 8. Rodriq. 3. p. q. 61. a. 1. Barbosa ad d. cap. primum num. 7.* sed cum textus *d. cap. 2.* expresse dicat, *decedat ibidem*, & textus *cap. 1. dicat ibi mortuus fuerit*, satis manifeste colligitur, quod decedens extra torneamentum, seu locum torneamenti non subditur pœnæ priuationis sepulturæ. Pœnæ enim non sunt ampliandæ, & extendendæ. Alias vero ab hac pœna non liberat pœnitentia, sed si cõtingat vulneratum in torneamento post recepta sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ decedere, extra locum sacrum debet sepeliri, si ad torneamentum animo pugnandi accessit; sic enim in *d. cap. p.* aperte decernitur, & docent *Gloss. in v. sepultura. Card. nu. 2. Anchar. in 3. notab. Hostien. in fin. Panorm. q. 2. D. Anton. vbi supra Nauar. cons. 1. in fin. eod. tit. num. 18. Grat. discept. 110. num. 1. Barbos. l. 2. de iure Eccl. cap. 19. num. 25.* Hoc vero ad armigeros seruientes pugnantibus in armis extendunt *D. Anton. loco citato Syluest. v. sepultura num. 9. ver. 2. Rodriq. 3. p. q. 61. a. 1. Barbos. ad d. cap. 1. num. 7.* Sed quo fundamento hoc dicant, non video, cum ex tex. cap. 2. clare habeatur eos solos priuandos esse sepultura Ecclesiastica, qui ad locum pugnæ animo pugnandi accedunt si ibidem decedunt. Qui vero accedunt vt pugnantium arma deferant, vel pugnantibus inseruiant, non accedunt animo pugnandi. Aliud ergo est, quod huiusmodi armigeri famuli quatenus cooperantur malo, male agant, quod verum est. Aliud quod sint priuandi sepultura, quod non colligitur ex textibus illis. Pœna vero non irroganda est contra aliquem, nisi sit in iure expressa. Dubium etiam est, an hastiludium comprehendatur sub torneamento. Affirmat enim *Rosella post Ricardum in 4. d. 37. apud Syluest. v. sepultura nu. 9.* qui tamen id negat ex sum. Ang. dicens pœnam hanc habere locum in hastiludio, quando in eo imminet periculum mortis. Sed ego considero, quod torneamenta dicuntur nundinæ, & feriæ in quibus milites ex condicto temere & cum periculo vitæ ludunt pugnant; vnde qualibet pugna periculosa ex ludo ad ostentationem virium assumpta à Cõcil. Lateran. in *d. p. cap.* prohibetur, & nihil interest quod huiusmodi pugna fiat vel ferro, vel ligno, vel quocumque alio instrumento. Necesse tamen est vt fiat in nundinis, nimirum in loco publico & publice ad huiusmodi ludum indicto, & præparato; vnde si priuatim aliqui ludant, & alter eorum moriatur non est priuatus sepultura; quia torneamenta sunt nundinæ, & feriæ ad huiusmodi pugnas institutæ, sed vbi ludus & pugna fiant sine probabili periculo vitæ, vt in currentibus ad brauium interuenit. *Syluest. v. sepultura num. 9. vers. secundo moriens Lauor. tit. 2. c. 12. num. 19.* quia in simili pugna nunquam vel raro contingit aliquem mori, illa ad fortitudinis ostentationem non est prohibita, vt communiter DD. aduertunt, & dictum est supra, vbi de ludo tractatũ est, vbi etiam ostensũ est, quomodo priuentur sepultura Ecclesiastica ludẽtes cũ tauris.

Sexto

99 Sexto priuantur sepultura Ecclesiastica, qui decedunt in duello ex *Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. de reformat.* vbi inter alias pœnas latas contra Principes concedentes locum ad duellum, contra duellantes, & consilium dantes, & spectatores, pœnam priuationis sepulturæ fert contra duellantes, & patrinos, si contingat eos mori in conflictu, ibi. *Et si in ipso conflictu decesserint perpetuo careant Ecclesiastica sepultura.* Hoc vero extendere videtur *Laymor. tit. 2. cap. 12. num. 16.* etiam ad consilium dantes. Sed hi quidem excommunicantur, sed pœna priuationis sepulturæ in solos duellantes & patrinos imponitur. Ex vi veró Concil. hæc pœna locum habet in duello solemni. Et ita in eo verificatur, quod ad vitãdam pœnam non sufficiat pœnitentia, vt de torneamentis decernitur *cap. 1. de torneam.* Ad tollendum enim detestabilem duellorum vsum opus fuit iniungere hanc pœnam, quam fidelis quisque summopere horret, tanquam infligendam nulla obstante pœnitentia, vt ipsi à tam barbaro duellorum vsu detineantur. *Rituale Romanum titulo de exequijs, Suarez. de cens. disp. 23. sec. vlt. num. 11. Lorca 22. q. 41. a. 2. num. 6. Sanchez in sum. l. 2. c. 39. num. 12. Laymor. tit. 2. c. 12. num. 16. Grat. discep. 410. num 1. Barbosa ad d. cap. Conc. Trid. nu. 26. Bonac. de censur. in partic. d. sp. 2. q. 3. p. 48. num. 22. Bassaus v. sepultura nu. 5.* Ratio tamen quam ex Gloss. reddit huius assertionis *Laymor.* quia scilicet, qui moritur in torneam. vel duello moritur excommunicatus, nulla est; quia excommunicatus qui dedit signa pœnitentiæ absolui debet, & sic in loco sacro sepeliri. Sed qui moritur in duello, etiam si absolutus ante mortem est priuatus sacra sepultura. Quod vero Greg. XIII. in sua constit. 78. & Clement. VIII. in const. 21. extenderint pœnas Concil. Trid. etiam ad duellum priuatum aduerterunt *Suarez, Sanchez Lorca, & Barb. locis citatis, & iterum Suarez de fide disp. 13. sect. vlt. num. 2.*

100 Est vero difficultas an priuatio sepulturæ, ijs solis debeatur, qui in loco duelli decedunt, vel potius se extendat etiam ad eos, qui accepto vulnere in duello, ex eo postea alibi non statim, sed alia die moriuntur. Affirmant enim *Bonac. d. nu. 22. Barbosa d. num. 20. & l. 2. de iur. Eccles. cap. 10. nu. 45. post Pelegrinum de duello cap 7. numer. 4.* Sed negat *Diana p. 2. tract. 16. & 2. & p. 4. tract. 4. resol. 192. Bassaus v. sepultura. num. 5. Miscel. resol. 54.* male relatus à Barbosa pro opposita sententia. Sed cum in Concilio Tridentino expresse imponatur hæc pœna solum sub conditione, si in ipso conflictu decesserint, manifestum est eam non habere locum in eo, qui mortuus fuerit ex vulnere in duello accepto, si extra locum duelli altera die, vel quacumque hora & tempore decesserit, ita quod non possit dici, quod vere in conflictu decesserit. Et in his non debet fieri extensio, nedum vltra nominis significationem, sed nec ad latiorem, sed verba proprie, & in rigore sunt accipienda, ex regula odia, de reg. iur. in 6. Et violenta est expositio, *Bordon. resol. 51. num. 112.* Vbi vult, quod in textu Concilij præpositio *in* non sumatur localiter, sed causaliter, vt sit idem, quod *ex.* Connaturalis enim, & vsitata significatio dictionis *in* est, vt importet tempus, & locum dictionis cui præmittitur. Et in *cap. 1. de torneam.* hoc idem explicatur per dictionem *ibi*, & in cap. 2. per dictionem ibidem; Et sic etiam sensus Concilij est, vt non sit sepeliendus in loco sacro ille qui in conflictu, idest ibi in loco ipso, & tempore conflictus moritur. Vnde illi soli causa duelli priuandi sunt Ecclesiastica sepultura, de quibus in proprietate dici possit, quod in ipso duelli conflictu decesserint. Non tamen puto assentiendum *Portel. par. 3. casu 10. nu. 3. & 4.* vbi á pœna Concil. eximit eum, qui cum signo pœnitentiæ moritur in duello, quia iste non moritur in duello, sed post duellum. Nam quod neganda sit sepultura etiam signum pœnitentiæ dantibus habetur ex rituali Romano. Nec potest dici non mori in conflictu qui moritur in eodem loco ex vi habiti conflictus, sicut & de moriente in torneamentis dicitur. *Diana p. 4. tract. 4. num. 192. post Homobon. & Ricciam.* Quamuis vero huic sic morienti neganda sit sepultura sacra, non tamen negandæ sunt orationes, cum nec fuerit declaratus excommunicatus, & signa pœnitentiæ dederit, vt supponimus. *Diana ibid.*

101 Monet etiam dubió Bonacina, an ad hoc sit necessaria sententia iudicis, & ait extra casum notorij esse necessariam, non tamen Parochum posse defunctum admittere ad sepulturam, sed debere remittere negotium ad Episcopum, qui est iudex ordinarius harum causarum. Et quidem vbi de morte in ipso conflictu ita constat, vt nulla possit tergiuersatione celari, superfluus erit recursus ad iudicem, & sic vsu receptum esse, vt huiusmodi notorie defūcti in ipso duelli cōflictu nulla alia expectata sētētia iudicis priuat fior sepultura aduertit idē *Bonac. ex Alexand. Peregrino de duello q. 7. n. 3.* Sed de his dicam latius infra. In rigore tamen in his sētentia declaratoria iudicis esset necessaria. Vbi etiam constet de duello, & morte, in dubio an simus in casu in quo defunctus debeat priuari sepultura Ecclesiastica, defuncti vel eorum qui petunt eum sepeliri in loco sacro erit probare, quod non sit priuandus. Parochorum vero erit in his expectare Episcopi decretum, cuius est de his decernere. Et multum cauti debent esse Parochi etiam ex debito sui officij, ne errent in huiusmodi, & præcipue cum scandalo Ecclesiæ, & periculo, vt sepultus sit extumulandus. Defunctus enim huiusmodi perpetuo caret Ecclesiastica sepultura, vnde extumulandus esset, si in iudicio constaret eum obijsse in ipso duelli conflictu.

102 Septimo priuari debet Ecclesiastica sepultura, qui semel in anno non confitetur peccata sua, & non communicat in Paschate. *cap. omnis, de pœnit. & remiss.* Arbitratur vero *Bordan. res. 51. numer. 115.* quod requiratur omissio vtriusque sacramenti copulatiue, & quod qui eo anno alterum ex dictis sacramentis percipit, non debet priuari sepultura sacra, quia præsumitur bonus fidelis. Sed spectata vi *d. cap. omnis* contra omittentem quodlibet ex duobus illis sacramentis hæc pœna fuit lata. Verum quidem est quod quia regulariter, qui communicat in Paschate, etiam tunc confitetur, ideo regulariter hæc pœna locum non habet, nisi contra eum, qui in Paschate non communicat. Communicans tamen in Hebdomada sancta, vel infra octauam Paschæ satisfacit huic præcepto ex declaratione *Eugenij Quarti* in sua Constit. 24. & non obligat hoc præceptum, nisi eos, qui ad annos discretionis peruenerint. Concil. Trid. sess. 13. can. 9. de Euchar. Et non subditur huic pœnæ ille, qui de confi-

consilio sacerdotis, ex rationabili causa, ad tempus differt communionem, *d.cap.omnis, de pœnit,& remiss.* Et sic sacerdos non debet esse alienus, sed propriua. *Panorm.num.3.* Et qui non communicauit in Paschate, si in morte signa pœnitentiæ dederit sepeliendus est in loco sacro. Et ad probandum signa pœnitentiæ vnus testis sufficit, *cap. qui recesserunt.16.q.6.Syluest. v.sepultura numer.9. vers.4. Rodriq.3.p.q.63.a.1.* Nec etiam priuandus est sepultura, qui intra annum confessus, vel communicatus, postea morte casuali præuentus, sine confessione decesserit, quam tamen per annum non contempsit. Si etiam non sit notum, quod mortuus contempserit communionem, vel confessionem per annum, sed de hoc sit dubium, eum non priuandum esse sepultura Ecclesiastica, tum quia in dubio nullus præsumi debet suæ salutis immemor. *cap. sancimus.1.q.7.D.Anton.3.p.tit.10.cap.5.§.9.Syluest. vbi sup.* Tum quia potest esse, quod fuerit confessus alicui Religioso illorũtum quia occulti peccatores sũt sepeliẽdi, & propter hoc peccatum manifestari non debet: Sed tamen si sit certum, & manifestum, non debere in loco sacro sepeliri, dicerunt *Sylu.vbi sup. & num.10. vers.3.Tabien. num.13. Rodriq. d. art.1.* Verum in his non sufficit notitia priuata; non est enim particularium non habentium iurisdictionem damnare peccantes ad pœnas legis, ideo necessaria est sententia iudicis ad hoc, vt qui non est confessus in anno, vel non communicauit in Paschate priuetur Ecclesiastica sepultura. Et vsus Ecclesiæ est, vt huiusmodi publice denuncientur; quo supposito postea eis sepultura Ecclesiastica, sine alia sententia denegatur.

103 Octauo Regularibus proprietarijs non potest concedi sepultura Ecclesiastica, *cap.Monachi, de statu monach.* Sed de hoc casu satis dictum fuit supra *q.186.a.7.inspect.19.n.num.559.*

104 Nono in loco sacro sepeliendi non sunt, qui se ipsos occidunt ex industria. Citatur ad hoc. *cap.Placuit 23.q.5.* quod est Concil. Bracharen. primi, sed ibi prohibentur sepeliri cum solemnitate Ecclesiastica. Neque inquit, *cum Psalmis ad sepulturum eorum cadauera deducantur.* Vnde potius supponit horum cadauera esse in loco sacro tumulanda; sed non cum Psalmorum cantu & ritu sacro. Et tamen, quod huiusmodi non sint sepeliendi in loco sacro supponitur *cap.ex parte 2.de sepulturis.* Et hæc sine dubio est Ecclesiæ praxis. Ex industria vero non se occidit, qui id facit ex amentia, vel phrenesi, quia isti cum non habeant expeditum vsum rationis, non agunt voluntarie. *Lauor. tit.2.c.12.num.33.* excusat etiam eos, qui ex desperatione, & tædio huius vitæ, se occidunt, quia sentit, quod horum bona non sint fisco adiudicanda. Sed nisi alienatio mentis fuerit tanta, vt abstulerit vsum rationis, qui se occidit ex tædio huius vitæ, aut desperatione voluntarie & ex industria id facit, & ideo sepultura sacra carere debet, *D. Ant. tom.3. tit.10. c.5.§.8.* Non dicitur vero se occidere ex industria seu voluntarie, qui ob aliam causam aliquid fecit licet periculosum, & contra intentionem suam mortuus fuit, vt si quis, vt effugiat inimicum, se proijcit de fenestra vel in mare, *D.Anton.3.p.tit.10.c.5.§.29.* & debet propterea nedum constare de morte, sed quod mortuus voluntarie se occiderit; vnde ex eo quod quis inueniatur mortuus, etiamsi inueniatur suspensus, vel ferro vulneratus, non debet ex hoc præcise concludi quod ipse se occiderit, si id potuit fieri ab alio, vel si ab eo potuit id prouenire ex phrenesi, vel amentia, & quod ita factum fuerit, possit ex aliquibus coniecturari, ideo inuentus in puteo mortuus, est in loco sacro sepeliendus, quia bene potuit contingere, quod ab alio fuerit proiectus. *Lauor. tit.2. cap.12. nu.31.* Nemo enim præsumitur delinquere nisi probetur *l.merito ff.pro Socio Socin.cons.51.vol.2.Couar. l.2.variar.cap.1.num.11.* Et in hoc casu non est priuandus defunctus sepultura, nisi constet clare, & plene de morte sibi ex industria illata. Quod probare pertinet ad fiscum, vel ad eum, qui illum priuare velit sepultura sacra; *Lauor.tit.2.c.12.num.33.* quia alias nemo præsumitur sibi mortem intulisse contra naturæ inclinationem, & diuinæ legis præceptum. In dubio tamen an qui se ipsum occidit, id scienter fecerit, præsumendum esse, quod scienter id fecerit, nisi constet illum prius fuisse amentem, dixit *Bassæus v. sepulturæ num.5.* Non vero esse priuatam sepultura puellam, quæ se occidit pro defensione pudicitiæ sentit idem *Bassæus ex Diana p.6.tr.7.res.47.* maxime si hoc fecit ignorantia inuincibili. Et quidem & ego credo, quod qui se occidit ex simili ignorantia, cum non sit peccator non sit puniendus hac pœna. Secus vero si ignorantia non excuset. Vbi tamen defunctus ante mortem pœnituerit, vel signa pœnitentiæ dederit, debetur ei Ecclesiastica sepultura, & de Christiano hæc pœnitentia de facili præsumi potest, & debet. Videatur *cap.ex parte 2.de sepult. & ibi Panorm. & alij Palud.4.d.20.q.1.Nauar.cons.6.al.7. de sepult.& cons.1.de pœnit.Syluest. v.sepultura num.9. Rodriq.3.p.q.61.Barbos.ad cap.placuit 23.quæst.5.& l.2.de iure Eccl.cap.10.num.40.Couar.Var.l.2.c.1. num 11. Beller.disq.Cler.p.1.tit.de Cler. debit. §.3. num.3. Farin. in praxi, crim.p.1.q.20.num.133.& p.5.q.128.nu.26. Bassæus v. sepult.* & alij ab istis citati. Vbi tamen constet de morte sibi illata, præsumetur etiam eius impœnitentia finalis, nisi aliunde colligi possit, quod pœnituerit, quia mutatio animi est quid facti, quod non præsumitur, nisi probetur. Hic etiam multum attendi debent circumstantiæ antecedentes, & præcipue locus vbi mortuus reperitur. Nam si hic sit publicus, vel talis ad quem pateat aliorum accessus, non est vnde præsumatur, quod defunctus seipsum occiderit, cum facile contingere potuerit, vt ab alio fuerit occisus. Sed si locus erat occlusus, & non patebat ad eum aliorum accessus, & inueniatur aliquis mortuus morte violenta, vt v. g. suspensus, maxime si antecedenter habuit aliquam molestiam, adest vehemens præsumptio, quod defunctus sibi mortem intulerit. *Bord.res.52. num.110.Lauor.tit.2.c.12.num.33.* Sed tunc etiam si inueniatur genuflexus, aut habens præ manibus coronam, aut imaginem alicuius Sancti, aut Breuiarium, præsumenda erit in defuncto pœnitentia. *Nauar.cons.7.de sepul.Lauor.tit.2. c.12. num.31. Portel.v.sepulturæ num.1.*

105 Decimo raptores, & violatores Ecclesiæ puniuntur pœna carentiæ sepulturæ cap. super eo, de Raptoribus. Requiritur vero quod violentus alienarum rerum raptor, vel Ecclesiæ violator sit manifeste in hoc crimine deprehensus; vnde huiusmodi pœna contra raptores non est latæ. sed ferendæ

rendæ sententiæ, & supponit iudicium, quia supponit raptorem esse manifeste deprehensum in crimine. Sed secundo supponit impœnitentiam; Nam pœnitenti ex eodem textu danda est sepultura. Si vero pœniteat, saltem ante mortem, vel potest satisfacere, & vel satisfacit, vel dat sufficientem cautionem de satisfaciendo, & tunc sepultura, & solemnitas sepulturæ ei non negatur. Sed si in sanitate non pœniteat, in infirmitate vero sic pœniteat, quod tamen satisfactionem, aut cautionem dare non valeat, non negatur ei sepultura, sed solemnitas sepulturæ, & præcipitur Clericis, vt eius sepulturæ non intersint, vt explicant *Gloss. Panorm. Tabien. v. sepultura num. 13. & alij*. Ex quo confirmatur, qnod ex *cap. Placuit 23. q. 5.* in quo decernitur, quod si quis occidat se ipsum cadauer, illius ad sepulturam cum psalmis non deducatur, non potest deduci, quod decernatur occidentem se ipsum priuari debere sepultura. quia alia est priuatio solemnitatis funeris consistens in eo, quod per Clericos orantes, & psalmos recitantes cadauer deducatur ad sepulturam, & alia est priuatio cœmeterij aut sepulturæ, & harum prima est separabilis à secunda, vt patet in *d. cap. super eo*. Coutra Clericos autem, si contra statutum *d. cap.* vel sepeliant, vel respectiue intersint sepulturæ raptoris, aut violatoris Ecclesiæ imponitur hæc pœna, vt ordinis sui damnum irreparabiliter perdant, vt beneficio Ecclesiastico careant, & sic deponendus est & priuandus beneficio. Cum vero *Lauret. de Franchis p. 1. q. 80 ex Rebuff. de decim. q. vlt. num. 16.* ex hoc textu colligere velint, negãdam sepulturam non soluentibus decimas. Bene aduertit ibid. *Pasqual. n. 2.* in d. textu non iniungi hanc pœnam non soluentibus decimas, sed sibi eas vsurpaueribus & non restituentibus vt explicant *Gloss. in v. sepultura, Panorm. & alij DD.* Quamuis quia, vt habetur in *Clem. dispendiosam de iudic.* non soluentes decimas notorie delinquunt, ex eo capite neganda sit sepultura eas non soluentibus, quo notorij peccatores sunt, vt dicemus.

106 Vndecimo sacra sepultura priuari debent laici, qui decimas in eos translatas restituere Ecclesiæ noluerint: sic enim decreuit Alex. 3. in Concil. Later. & habetur *cap. prohibemus de decimis*.

107 Duodecimo Blasphemantes Deum, si pœnam illis ex decreto *Greg. 9. in cap. 2. de Maled.* impositam non persoluerint. *d. cap. 2. de maled.*

108 Tertio decimo carent sacra sepultura cadauera, si contra præscriptum *extrauag. Detestandæ, Bonifac. VIII. de sepult.* fuerint exenterata, & diuisa, & immaniter discerpta, vt ossa à carnibus separata ferantur ad locum vbi viuentes elegerunt sibi sepulturam. In quo aduertit *Lauor. tit. 2. c. 11. num. 45.* quod huiusmodi defuncti sic puniuntur vel in pœnam præcedentis delicti, sicut & honor fit eis ex signis, quæ in eis viuentibus apparuerant. *cap. a nobis 1. de sent. excom.* vel puniuntur ob detestationem facti, & sequelæ eiusdem, sicut sæpe fieri solet. *cap. cognoscentes de constit. cap. Antiqui de priuil. Gloss. in d. extrauag. vers. sepultura.*

109 Quarto decimo inter priuatos sepultura Ecclesiastica parricidas numerant *Lauor. vbi supr. num. 49. & Barbosa locis citatis ex Arist. in l. quod si nullæ num. 16. ff. de Relig. & sumpt. fun. & Menoch. de arbitr. l. 2. cent. 4. casu 387.* Sed hanc pœnam non probant iniunctam fuisse per ius Canonicum.

110 Quintodecimo *Rodriquez 3. p. q. 61. a. 1. citans cap. Neque autem dist. 88.* putat priuandum sepultura sacerdotem qui filijs suis hæredem instituit. Sed *Syluest. v. sepultura num. 9. ver. duodecimo.* citans eundem textum, arbitratur carere debere sepultura, qui sacerdotem filijs suis tutorem instituit. Sed hoc ex eo canone, qui est S. Cypriani non deducitur, solum enim prohibet, ne pro Victore sacerdote, qui presbyterum tutorem reliquerat acciperentur oblationes, & fierent deprecationes, sed hoc, vt patet etiam ex dictis supra longe est diuersum à sepultura. Et præterea pœna illa certe non est in vsu, vt aduertit *Lauor. tit. 2. cap. 12. num. 40.* nec forsan fuit vnquam in vsu in Ecclesia vniuersa, fuit enim canõ conditus à S. Cypriano non à Papa, vt idem *Lauor. considerat.* Idem vero *Lauor. num. 39.* inquit carere sepultura Ecclesiastica Episcopum, qui in visitatione occasione procurationis aliquid sumpserit contra formam *cap. exigit*, de censibus, sed ibi, similis Episcopus interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, si infra tempus ibi statutum non restituerit duplum, vnde directe & per se non priuatur sepultura sacra, sed solum si ab interdicto non absoluatur, *Sallelles etiam lib. 6. regul. 458. num. 236.* enumerat inter istos priuandos sepultura eũ, qui vsurarium publicum in Ecclesia sepelierie. citans *cap. quia in omnibus de sepulturis*. Verum sub titulo de sepult. nullum est *capit. quod incipiat. Quia in omnibus*. Bene simile *cap. est in tit. de vsuris*, in quo vsurarij priuantur sepultura, sed sepelientes non priuantur sepultura sed ab officio suspenduntur, vt supra visum fuit. Pariter *Barbosa l. 2. de iur. Eccles. cap 10. num. 53.* ait Clericum concubinarium notorium impœnitentem non esse in loco sacro sepeliendum, sed iura, quæ citat, loquuntur de quolibet peccatore notorio. Quod vero meretrices, etiam si ostenderint signa contritionis, debeant priuari sepultura in odium criminis notorij deducit *Lauor. num. 58. ex cap. qui recedunt 26. q. 6. quamuis ex Sebast. de Medicis. tract. de sepult. q. 11. nu. 31.* dicat posse sepeliri in loco sacro si constet de pœnitentia. Verum ex *d. cap. qui recedunt*, nihil tale deducitur. sed oppositum prorsus. Nec ibi est sermo in specie de meretricibus, sed de peccatoribus in genere, quibus pœnitentibus in morte communionem dandam esse decernitur. Idem vero *Laur. num. 6.* Inter priuatos sepultura Ecclesiastica numerat sacerdotem, qui admisit excommunicatum in Ecclesia, ex *Clem. 1. de sepult.* Sed hæc pœna ibi non iniungitur, sed excommunicatio ponitur sepelienti excommunicatum, siue sacerdoti, siue laico.

111 Tandem igitur vniuersaliter peccator notorie impœnitens, & in impœnitentia decedens non est in loco sacro sepeliendus. *cap. quibus, & cap. quæsitum 13. q. 2. & cap. placuit 13. q. 5.* Quod nedum de iure canonico, sed diuino est verum, quia hunc talem de quo notorie constat esse in æternum à numero sanctorum exclusum, Dei inimicum, ab eo ad inferos inter reprobos damnatum, cui nec sanctorum iuuat intercessio, & quem sancta Mater Ecclesia habere debet vt Etnicum & publicanum sepelire in loco sacro non est sine iniuria Dei, sanctorum, loci sacri, & iustorum, quorum corpora in eo loco requiescunt expectantes futuram

resurre-

resurrectionem in gloria. Ex hoc tamen capite non est priuandus sepultura, nisi is de quo indubitate constet cum decessisse impœnitentem, & ita quod ad eum, qui velit defunctum excludere incumbit onus probandi finalem impœnitentiam, quæ præsumi non debet in viro fideli, quia non potest præsumi, quod finaliter sit immemor suæ salutis æternæ; ideo vbi ponderatis omnibus non constet euidenter de impœnitentia finali, non potest quis ex hoc capite sepeliri extra Ecclesiam. *Gloss. capit. ex parte 2. in de sepult. Rodriquez. 3. p. q. 61. a. 2. vbi ex Nauar. cons. 4. de sepult.* vnde meretrix in domo amici sui inuēta confossa & mortua, non potest ex hoc priuari sepultura sacra, quia potuit esse vt contrita fuerit mortua. Et nec licet cuique ex quacumque notitia hoc exequi, nisi præcedente notitia publica, & iudicis sententia. Nec obstat *text. in cap. fures. s. de vsuris*, vbi decernitur, quod non sit orandum pro furibus, qui in furando occiduntur vbi *Io. Andr. & Io. de Anania* dicunt non esse sepeliendum in loco sacro eum, qui verisimiliter moritur in peccato mortali. Vnde si aliquis deprehendatur occisus in facinore, quod nullo modo potest excusari a peccato mortali, non præsumitur contritus decessisse: quia mutatio animi est quid facti, quod non præsumitur; nisi probetur, *Bussans v. sepultura num. 5.* Quia hoc verum est vbi aliunde non colligatur peccatoris pœnitentia, vt per *Panorm. & DD. in d. cap. fures, de furtu*. Sed de hoc latius in sequentibus.

112 Hi sunt igitur casus celebriores in quibus defuncti iuste priuantur Ecclesiastica sepultura. Circa quos tamen multa generalia remanent maiori explicatione digna. Nam primo dubium esse potest, an Parochi possint, aut debeant in præfatis casibus negare sepulturam Ecclesiasticam non expectata iudicis sententia. Posset enim videri, quod non sit necessaria sententia iudicis. Tum primo, quia in multis ex prædictis casibus priuatio sepulturæ incurritur ipso iure, sicut de excommunicatis patet in *cap. Sacris de sepultur.* ibi, *vt careant Ecclesiastica sepultura*. Secundo. Nam ad hoc vt subditi teneantur obedire mandatis superiorum, non est necessaria alia iudicis sententia, sed sufficit præcepti notitia. At vero per sacros canones præcipitur vniuersaliter tam Clericis, quam laicis, ne in enumeratis casibus tradant aliquem sepulturæ Ecclesiasticæ; vbi igitur quicumque notitiam habebit aliquem esse, vel excommunicatum, vel hæreticum, vel sui ipsius occisorem &c. nullus poterit eum tradere sepulturæ Ecclesiasticæ. Tertio, quia saltem in casu notorij poterit quilibet negare sepulturam ei, qui in aliquo ex dictis casibus continetur, quia in casu notorij, ordo iuris non est seruandus, *cap. manifesta, cap seq. cap. de manifesta, & cap. cælum secunda dist. 2.*

113 Respondetur præmittendo, quod exceptis duobus casibus pugnantium in torneamentis, & in duello, in nullo alio defunctus, qui vel pœnitēs, vel signa pœnitentiæ dedit est priuandus Ecclesiastica sepultura. *Tabien. v. sepultura num. 13.* Et in articulo mortis nulla est reseruatio *Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. de pœnit.* vnde si non adsit superior, vel ab eo delegatus, in articulo mortis, quilibet à simplici confessario potest absolui ab omni peccato, & censura, quæ illum impedire possit, ne sepeliatur in loco sacro. Et in eo mortis articulo pœnitens habet ius, vt absoluatur, & absolui debet. *Anton. Riccul. de iure person. extra gressu. Eccles. c. 60. num. 38. Barbos. ad cap. sacris num. 6. de sepult.* Signa vero pœnitentiæ sunt actus doloris, vocatio confessoris, tunsio pectoris, genuflexio, inuocatio nominis Dei, & B. M. V. & Sanctorum, suspiria in Deum, osculatio crucis sacræ, & similia indicantia emendationem vitæ. Vide *Nauar. cons. 6. de sepult. & Lauor. tit. 2. cap. 18. num. 21. Burdon. res. 11. nu. 123.* Post mortem tamen, si habeat censuras reseruatas, aut ad similes pœnas sit damnatus, quondam iam tunc cessat necessitas articuli mortis, cum absoluendus sit iam defunctus, ideo tunc non potest absolui nisi ab illis à quibus viuens absolui potuisset, vt ex *Nauar.* tradit *Suar. de censuris disp. 7. sect. 1. n. 7.*

114 Præmittendum vero est secundo, quod priuatio sepulturæ ex duplici capite iniuncta esse potest, prima in pœnam alicuius delicti particularis, sic enim excōmunicati, interdicti, hæretici, &c. ex speciali delicto priuati sunt sepultura sacra, nimirum ex hæresi, vel ratione censuræ, quæ non infertur, nisi propter speciale peccatum, Secundo ex causa generalissima, & communi omni delicto, quæ est manifesta impœnitentia finalis. Discrimen vero est, quod priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ ob speciale delictum, vel censuram pro delicto latam est pœna à iure positiuo promanans, vnde regulanda est per regulas iuris positiui, vt locum habeat iuxta positiui iuris exigentiam. Sed priuatio sepulturæ ratione manifestæ impœnitētiæ finalis non est inducta ex solo iure positiuo, sed etiam ex iure diuino, quod fortius, & vniuersalius ligat, vt supra probatum est, ideo diuersimode loquendum est in vtroque casu.

115 Dicitur igitur primo, quod ad excludendum defunctum à sepultura Ecclesiastica ratione delicti specialis, aut censuræ, & ex consequenti ratione legis positiuæ hanc pœnam iniungentis, necesse est, quod præcesserit sententia iudicis, vel declaratoria, vel inductiua huius pœnæ. Hæc est sententia communis DD. quos supra retuli pluries, & qui dicunt, excommunicatum, vel interdictum, vel hæreticum toleratum &c. posse sepeliri in loco sacro, si non sit denunciatus, aut declaratus, sed toleratus. Et hoc est verum, tum quia aliquando lex positiua sic statuit, expresse. Vt in *cap. excommunicamus, el 2. §. credentes*, ibi. *Vt postquam quis talium fuerit excommunicatione notatum*. Et infra. *Si qui autem tales postquam ab Ecclesia fuerint denotati, &c.* Non prohibentur Clerici sepelire credentes &c. in loco sacro, nisi fuerint tales declarati ab Ecclesia. Idem etiam de hæreticis colligitur ponderando verba illa *cap. 2. de hæret. in 6. Nec absolutionis beneficium mereantur &c. nisi proprijs manibus publice extumulent. Et proijciant, huiusmodi corpora damnatorum*. Ex his enim colligitur excommunicationem ibi latam fuisse contra sepelientes hæreticos per iudicem damnatos. Pariter in Clem. 1. de sepulturis solum nominatim interdicti priuaodi sunt sepultura in loco sacro. Tum secundo ex regula generali sumpta ex extrauag. ad Euitanda. In qua decernitur vt nullus prætextu cuiuscumque sententiæ, vel prohibitionis, vel censuræ teneatur aliquem vitare nisi per iudicem sententia, prohibitio, vel censura fuerit denunciata.

Ideo

116 Ideo quantum sit ex vi legis positiuæ priuantis defunctum sepultura Ecclesiastica, Parochus, vel Clerici peccant quidem mortaliter, si per sententiam iudicis priuatum sepultura Ecclesiastica, aut denunciatum vt talem sepeliant in loco sacro, & respectiue incurrunt excommunicationem, vel suspensionem ab officio, vel alias pœnas si id faciant. Et pariter mortaliter peccant, si contra inhibitionem iudicis legitimi causa huiusmodi iam introducta in foro contentioso, defuncti corpus tradiderint sepulturæ, quia tunc violatur iustitia iudicis inhibentis in materia graui. Et in hoc sensu vera est sententia communis, quod sepeliēs contra ius in aliquo ex præfatis casibus aliquem defunctum in loco sacro peccat mortaliter. *Syluest. v. sepultura q. 11. Rodriq. 3. p. q. 61. a. 3. Barbosa de off. Parochi cap. 26. & l. 2. de iure Eccles. cap. 10. nu. 53. Bassaus v. sepultura num. 6.* & alij communiter. Nihilominus quantum est ex vi legis positiuæ nullum est peccatum sepelire defunctum nō denunciatum, aut non priuatum per iudicem sepultura, quia per extrauag. ad euitanda liberati fuerunt fideles à necessitate vitandi huiusmodi delinquentes, nisi per iudicem promulgata fuerit sententia contra illos aut declaratiua incursæ priuationis sepulturæ, aut iniunctiua ipsius. Et certe cum priuatio sepulturæ sit pęna grauis, *Gloss. in cap. 1. de torneam. v. careat. Lauor. tit. 8. c. 52. nu. 1.* Nam est quædam excommunicationis species, cum defunctus huiusmodi priuetur illis suffragijs, quibus frueretur si esset sepultus in loco sacro, de quibus plura *13. q. 2. per totam*: pœna vero non sit sustinenda ab eo in quem nondum lata est sententia, iuxta illud Gregorij *lib. 2. indic. 11. Epis. 9. ad Antonium subdiac.* quod habetur *d. 11. q. 3. c. Nou debet pœnam is sustinere canonicam, in cuius damnatione non est canonica prolata sententia.* Et bene sequitur, quod defunctus non est priuandus sepultura Ecclesiastica ex iudicio particulari nisi præcedat sententia iudicis.

117 At dices, quod vbi est notorium delictum non est ordo iuris necessarius, nec est opus sententia secundum *Innoc. in cap. ex parte el 1. num. 1. ver.* Nec ibi necessaria est sententia, *de verb. signific.* Et quidem quod necesse sit vitare excommunicatum notorium percussorem Clerici, habetur in *d. extrauag. ad euitanda.* Nihilominus considerandum est primo aliquos, quos refert, & sequitur *Reuerendiss. Fagnanus in cap. vestra. numer. 96. de cohab. Cler. & mulierum* dicere, non posse dici delictum notorium, quod excusationem non habeat, nisi priua fuerit super hoc cognitum, & declaratum per iudicem illud esse notorium citato etiam ipso reo. Et hanc opinionem testatur esse communem. *Aret. cons. 163.* quem referunt *Ferret. cons. 31. & numer. 5. & 35. & Cler. in pract. crim. § fin. q. 9. vers. præterea quæro.* Nam certe, vt aduertunt *Hostien. & Io. Andr. in c. cum sit Romana in fin. de appel.* multi casus dicuntur notorij, qui non sunt *cap. consuluit, de appellat.* Et ideo iudicis est videre, an simus in casu notorij, vel non. Et secundo attendendum quod nec in casu notorij potest omitti omnino ordo iuris. Vnde Clarus in *pract. crimin. §. final. q. 9.* tenet, indistincte, quod etiam in casu notorij reus sit citandus etiam ad sententiam, & quod honestius sit, & tutius vt in omni casu fiat citatio, & monitio post *Calder. ad d. cap. vestra num. 47.* dixit *Reuerendissimus Fagnanus ibid. num. 95. in fin.* Et pariter quod etiam in casu notorij sit aliqua sententia necessaria, & quod quidquid sit de iure certe indistincte obseruetur vt etiam in criminibus notorijs requiratur sententia declaratoria testatur *Clar. d. q. 9. vers. Præterea quæro*, & approbat idem *Reuerendiss. Fagnanus d. cap. vestra num. 96.* Quam sententiam esse in praxi receptam dixit *Cauar. in cap. alma mater p. p. §. 2. num 9. de sent. excom. in 6.* Vbi ergo essemus in casu vere & euidenter notorio alicuius excommunicati ob percussionem Clerici, tunc ille percussor notorius esset vitandus; Sed in alijs casibus locum non habet notorium, sed sententia requiritur ex vi dictæ extrauag. ad euitanda, vt nos teneamur vitare peccatores, & delinquentes.

118 Et si dicas, quod fideles licet possint non vitare excommunicatum, ad id tamen non tenentur, & ita Parochus, vel Clerici, vel quicumque, poterit si voluerit negare sepulturam sacrā in præfatis casibus, si sint notorij, vel certi; Respondetur id verum esse in casibus notorijs, & etiam certis si sint publici, immo & in dubijs quæ possint licite ad tribunal deduci, & iudicio examinari. Quia cum defuncti in similibus casibus sint vel ipso iure priuati, vel priuandi Ecclesiastica sepultura, nec extrauag. ad euitanda sit edita ad fauorem delinquentium, sed innocentium, vt non teneantur huiusmodi delinquentes vitare; id tamen possunt facere si volunt, nec alicui iniuriam faciunt, si sibi consulentes nolunt admittere ad sepulturam aliquem defunctum, nisi media sentētia iudicis. Immo ad hoc aliunde possunt esse obligati; vel ex lege speciali, vel ex praxi, & consuetudine, vel etiam alias ex lege aliqua diuina, seu alicuius virtutis, vt ad vitandum scandalum, & vt vitent periculum necessitatis exhumulandi defunctum, vel ex alia causa, vt dicam infra. Nunc enim solum dicitur, quod ex vi præcisa legis positiuæ prohibentis sepulturā in præfatis casibus Parochi seu illi ad quos spectat non tenentur negare sepulturam nisi illis, qui ea priuati sunt per aliquam iudicis iustam sententiam.

119 Iudex autem competens in hac causa respectu secularium non exemptorum est ordinarius. Et non refert ad quam Ecclesiam cadauer sit deferendum, quia cum sepultura incipiat à leuatione cadaueris, quæ spectat ad Parochum, immo cum defuncti cadauer sit de iurisdictione ordinarij, in nulla Ecclesia poterit sepeliri, nisi prius per sententiam Ordinarij decernatur, an sit sepeliendum in loco sacro. Exemptorum autem iudex est eorum Ordinarius, vt Regularium est eorum Prælatus localis, negotium enim huiusmodi non patitur dilationem, vt cognosci debeat à Prouinciali vel Generali: Quod si cadauer Religiosi sit extra Conuentum in aliquo loco non exempto, non per hoc Episcopus directe habebit ius cognoscendi de sepultura dicti cadaueris, quod non est sub eius iurisdictione; sed hoc spectabit ad proprium illius Prælatum; quo iudicante Religiosum non esse priuandum sepultura, non poterit Episcopus impedire, quin sepeliatur in loco sacro; quia nequit impedire sententiam à iudice sibi non subordinato latam. Nisi pro quanto sententia proprij Prælati esset manifeste iniusta, itaut deferre cadauer illius Religiosi ad locū sacrū esset delictū scādalosum cō-

missum extra conuentum. In quo casu intraret dispositio *Concil. Triden sess. 25. cap. 3. nu. 14. de regular.* vel etiam si Religiosus non viueret intra claustra, & haberet locum alia eiusdem Concil. dispositio. *sess. 6. cap. 6. de reform.*

120 Verum si loquamur de priuatione sepulturæ, vt consequitur ex vi impœnitentiæ finalis, sic quia de iure diuino est, vt defunctus damnatus ideoque & ab Ecclesia præcisus, & qui non est mēbrum Christi, non sepeliatur in loco sacro, dicendum est esse peccatum mortale sepelire huiusmodi in Ecclesia, & quod ad negandam sepulturam non est necessario expectanda sententia iudicis. Sed plures casus distingui debent. Primus in quo impœnitentia finalis est notoria, vt si contingat notorium hæreticum, schismaticum, Iudæum &c. in sua secta mori. *Et* in hoc casu dico esse peccatum mortale sepelire in loco sacro notorium peccatorem huiusmodi. Sic de hæretico hoc tradunt *D. Anton. 3. p. tit. 10. cap. 5. §. 8. Nauar. cons. 12. num. 8. de heret. Layman. l. p. tract. 5. p. 2. cap. 4. num. 9. Filliuc. tom. 2. tract. 22. cap. 7. num. 229. Baldel. tom. 2. l. 1 disput. 42 num. 1. Diana p. 9. tract. 8. res. 1.* & apud eum *Palaus, Vericell. de sacr. mission. q. 98. num. 36.* & apud eum *Trullench. & Riccuilius.* Est vero eadem ratio de omni impœnitente, quia omnis talis qui viuens Ecclesiam non audiuit obstinate, nec in æternum est audiendus, habendus est ab Ecclesia tanquam Ethnicus, & publicanus, & ab omni fidelium consortio segregandus.

121 Secundus casus est, si impœnitentia licet non omnino sit notoria est tamen certa, manifesta, aut publica, vel famosa; ita quod cumulatiue duo adsunt scilicet certitudo impœnitentiæ, & eiusdem publicitas. Et in hoc etiam casu peccat mortaliter, qui in præfatis casibus impœnitentem sepelit in loco sacro, & quicumque illi cooperatur *D. Anton. loco cit.* & DD. communiter. Nam tali vel talibus certo constat & publice, aut sibi constare debet esse illicitum talem certo iam in iudicio Dei damnatum, non esse in loco sacro tumulandum. Ideo etiam si superior illi præciperet, quod eum sepeliret in Ecclesia, non esset illi obediendum, quia superioris præceptum certe esset illicitum, & contra ius diuinum. Quamuis quia sepultura hæretici, vel cuiuscumque ad inferos damnati non est adeo manifeste & in omni casu cōtra diuinum ius, vt ex circumstantijs estrinsecis non possit hoc aliquo casu tolerari, in dubio obediendum esset superiori legitime præcipienti, sic enim *Layman. loco sup. cit.* refert, quod in Germania in locis vbi viuunt permixti Catholici cum Lutheranis consuetudo est, vt hæretici à suis ministris in locis sacris sepeliantur. Quamuis bene addat hanc consuetudinem tolli debere, si id fieri posset. Si etiam alicubi Princeps secularis compelleret ad sepeliendum hæreticos non declaratum in loco sacro, si Ecclesia non posset resistere nisi cum maximo damno sui, posset violentiam licite pati.

122 Tertius casus est, si impœnitentia sit certa, sed tam actu, quam potentia occulta ita quod nedum occulta est de facto, sed nec probari posset in iudicio. Et in hoc casu non licet Parocho, aut Ordinario huic impœnitenti, negare sepulturam in Ecclesia. *Syluest. v. sepultura num. 10. vers. secundum. Lauor. tit. 2. cap. 12. num. 23. D. Anton. 3. p. tit. 10. cap. 5. §. 9.* Tum ex charitate, quia publicatio talis delicti non esset sine scandalo. Tum ex iustitia, quia cum talis defunctus sit in possessione sui honoris, & famæ, non potest cum sua & suorum infamia priuari honore sepulturæ, sibi non neganda nisi ex demerito. Neque enim licet publica pœna delictum occultum punire, & vt ex Aug. habet *S. Anton. vbi sup. §. 86.* latentia peccata vindictam non habent. Et si superior non preuia cognitione causæ, ex priuata sed occulta cognitione huius impœnitentiæ præciperet talem impœnitentem non sepeliri in loco sacro male faceret, nec esset illi obediendum, si de iniustitia mandati constaret; quamuis alias in dubio an materia præcepti sit illicita, superiori obediendum sit, vt probatum est *sup. q. 186. a. 8. inspect. 3 à num. 232. pag. 689.*

123 Quartus casus est, si impœnitentia sit dubia; & tunc distingui debet, quia Parochus, vel quicumque alius inferior, qui non est iudex, non potest, nec debet dare sepulturam huic defuncto sub dubio finaliter impœnitenti, quia in dubio Parochus & alij similes recurrere debent ad superiorem, vt expresse decernitur in Rituali Romano, iussu Pauli Quinti edito, tit. quibus non licet dari Ecclesiasticam sepulturam, ibi. *Vbi vero in prædictis casibus dubium occurrerit, Ordinarius consulatur.* Et Ratio est, quia sanctitas Ecclesiæ certa, & lex tam diuina, quam humana præcipiens in consimilibus casibus impœnitentem non sepeliri in loco sacro, non debet ea casu dubio negligi, non præmissa per iudicem Ecclesiasticum debita inquisitionis veritate.

124 Quintus casus est, vbi impœnitentia sit certa, vel dubia sed occulta in actu, non tamen in potentia, quia certum est, vel probabile, vel etiam dubium quod ipsa deducta ad forum contentiosum probabitur. Et hunc casum cum quarto coincidere dicendum est: quia adminus est dubium, quid in hoc casu agendum sit. Et quia sumus in materia religionis, & iustitiæ respectu actus publici, & non nisi ea publica notitia iudicis regulandi, inferiores quorum non est ius dicere, superiores consulere debent, ne vel ex vna parte sacrilege agentes sint iniusti contra Deum, vel ex alia iniuriam proximo inferant. Si tamen certum esset impœnitentiam nunquam deducendam ad forum externum, ideoque nullum subesse periculum, quod si corpus defuncti sepeliatur, vel adsit scandalum in populo, vel corpus sepultum sit exhumandum, ex alia vero parte immineat grauis scandali, aut infamiæ viuentium, aut alterius similis damni periculum, si negotium deferatur ad superiorem, vel si sepultura differatur, vt ad tribunal deportetur, prudentiæ Parochi erit vt minus malum eligat, & iuxta fortioris virtutis exigentiam & præceptum agat. Sepultura enim impœnitentis, & præcipue impœnitentis non omnino publici sed occulti non est tam mala, & non continet tantam indecentiam, vt non possit ad vitanda scandala, vel alia damna magna permitti, & tolerari. Quando vero impœnitentia vel certa, vel dubia est simul publica, tunc non iam priuatorum Parochorum & subditorum, sed iudicis, & superioris est decernere quid sit agendum.

125 Sextus casus est si omnibus bene pensatis adhuc impœnitentia defuncti remanet dubia. Et

tunc

tunc Ordinarij erit admittere defunctum ad sacrã sepulturam. *Syluest.v.sepultura.num.10.verſ.ſecundum,Lauor.tit.2.c.12.num.23*, Quia maius malum est si sepulturæ caninæ sit expositum corpus, cuius anima est in statu salutis, & in numero beatorum in cęlo Deum videntium adnumerata, vel adnumeranda, quia sit de numero purgantium, quam quod intra foueas Ecclesiæ maneat sepultum & absconditum corpus illius animæ, quæ in inferno est sepulta; ideo nulla est irreligiositas si hoc minus malum admittitur, vt illud euitetur. Vbi tamen esset dubium de baptismo, & non solum de pœnitentia, quia v. g. inuenitur cadauer defuncti non cogniti, sine aliquo signo Christianitatis, non esset omnino eadem ratio; non baptizatus enim nullum ius habet ad sepulturam Ecclesiasticam; igitur si baptismus est dubius, simul dubium est an defunctus vel minimum ius habeat, vt sepellatur in loco sacro. Ex hoc igitur iure dubio non est debitum sibi concedere sepulturam contra ius certum Ecclesiæ, quod habet, vt non detur non baptizato sepultura Ecclesiastica. Sed baptizatus habet ius ad huiusmodi sepulturam, neque Ecclesia habet, vt eam neget nisi ex delicto, aut simili causa, vbi autem quis debet alicui aliquid & solum ex conditione delicti aut similis causæ non debet, eius est probare delictum, & causam, vt non reddat debitum. Vbi igitur agitur de baptismo, eius qui sepulturam petit est probare baptismum in dubio, quia ex solo baptismo oritur primum ius ad sepulturam hanc sine quo nullum ius habetur. Sed vbi constat de baptismo constat de iure baptizati, & de Ecclesiæ debito; igitur si Ecclesia vult negare sepulturam, eius est probare baptizati delictum, vel causam, vel impœnitentiam, quæ non præsumuntur. Itaque vbi est dubium de baptismo possessio certa est pro Ecclesia, seu pro iudice, qui dubium baptizatum, nisi sibi constet de baptismi voto non tenetur admittere ad sepulturam. Sed vbi constet de baptismo, & sit dubium de delicto, vel de impœnitentia, possessio certa est pro baptizato, cui ex dubio delicto, vel impœnitentia sepultura non est neganda. Scio, quod *D.Anton.3.p.tit.10 cap.5. §.9. fin.* quem sequitur *Lauor.tit.2. cap.12. num.71.* inquit, quod si de cadauere dubitatur an sit fidelis, vel infidelis, item an sit humandum in loco sacro, vel non, erit interpretandum in meliorem partem, nisi aliqua probabilitas sit in oppositum, nam vt habetur *cap.non æstimemus 13. q.2.* melius supererunt huiusmodi Ecclesiastica ijs, quibus nec prosunt, nec nocent, quam deerunt ijs, quibus prosunt. Sed tamen discrimen est, quod vbi baptismus est certus, in dubio hæc baptizato debentur, non vero debentur ei, de quo dubium est an sit baptizatus.

126 Hæc quoque consideranda sunt. Primum quod delictum defuncti in dubio non præsumitur, & id probare spectat ad eum, qui defunctum vult priuare sepultura. Delictum enim non præsumitur, & ideo in dubio debet fieri explicatio, quæ excludat delictum *cap.estote &c.de reg.iuris. Tuscus lit.D. conc.165.per totam.* Secundum est quod vbi constet de delicto, pœnitentia non præsumitur, nisi probetur, & eam probare spectat in proposito ad eum, qui petit delinquentem sepeliri in sepultura sacra. Nam semel malus amittit præsumptionem bonitatis, *cap. semel malus, de reg. iur. in 6. Panorm.in cap testimonium num.14.de testib.* Et emendatio non præsumitur nisi probetur. *Tuscus l. M. concl.28. ex Anchar.conſ.45.* Nam cum emendatio sit quid facti, non præsumitur nisi probetur. Tertium nihilominus quod aliæ circumstantiæ, & coniecturæ omnes sunt ponderandæ. Nam neque de facili præsumi potest, vt quis voluerit esse adeo suæ salutis immemor, vt nec in morte pœniteat. Quartum, quod tamen pœnitentia & emendatio vnico teste probatur *Panorm.d.cap.testimonium num.14. Tabien. v.sepultura num.53. Maſcard.de probat. concl.12. numer.3. Barboſa ad cap. à nobis el 2.num.2. de sent. excomm. Lauor.tit.2cap.12.num.22.ex Nauar. conſ.6.de sepult. D. Anton. 3.p. tit.10.cap.15. §.8.* Et qui agit pro defuncto, sufficit quod probationes aduersarij conquasset, aut turbidas reddat, & rem dubiam faciat. Et præsumptiones contrariæ ita se habent, vt si vna non sit fortior altera, & vehementior, se inuicem elidunt, *cap.literas,de præsump. Panorm.in cap.cum inter 16.nu.5.de elect.* In dubio autem cum potius fauendum sit reo, *cap. cum sunt partium, de reg.iur.in 6.* ideo vbi omnibus pensatis iudex inuenit in defuncto pœnitentiam dubiam, debet pronunciare ad fauorem defuncti, & ei sepulturam in loco sacro concedere. *Bordon.reſ.51.nu.196.* Quod intelligendum est iuxta dicta n.125.

127 Sed si contingat aliquod corpus sepeliri contra ius in aliquo ex dictis casibus, tunc illud corpus iuxta dicta & limitata aut explicata in superioribus exhumandum est. *cap.sacris, de sepult.* & Rector Ecclesiæ, qui illud sepeliuit in sua Ecclesia tenetur corpus reddere, seu permittere vt exhumatur, *Panorm. in cap. Cum liberum de sepulturis*, & restituere quidquid emolumenti inde consecutus est, cum id mala fide sit ab eo perceptum *Gloſſ. in d.cap.cum liberum. Sylu. Rodriq. & Barboſa citati*; Qui tamen Barbosa ait, quod Parochus non perdit quartam funeralem, quod sic vniuersaliter dictum, non est dictum consequenter. Et duo casus distingui possunt. Primus in quo defunctus non est priuatus sepultura Ecclesiastica, sed cum sepeliendus esset in aliena Ecclesia, Parochus illum sepeliuit in sua. Et in hoc casu multi dicunt, quod Parochus non perdit quartam funeralem. Sed de hoc casu non loquimur in præsenti, sed infra erit considerandus. Secundus quando cadauer est priuandus sepultura Ecclesiastica. Et in hoc casu si simul verum est, quod acquisitum mala fide, & ex mala actione sit restituendũ, non est vnde Parochus possit retinere quartam funeralem, dum sepelit non sepeliendum sed proijciendum ab Ecclesia, quia tunc nec quarta funeralis ei debetur, sed eam Parochus mala fide & ex mala actione acquirit. Sed illud principium, quod scilicet acquisitum mala fide sit restituendum, si per acquisitum mala fide intelligimus acquisitum ex mala actione, & turpi causa, non est verum, nisi acquisitio sit iniusta, vel nisi ex lege speciali sic acquisitum sit restituendum, vt bene tradit *D.Thom.ſupra q.62. a.5, ad ſecundum*, & est communis DD. sententia. Sic ergo in proposito si Parochus sine fraude, & dolo aut aliqua iniustitia pro illicita sepultura à scientibus, & libere dantibus aliquid accepit, non tenetur illud restituere, sicut nec meretrix tenetur restituere turpe lucrum ex abusu sui corporis acquisitum. Nisi adsit alicubi lex specialis obligans in hoc casu sepelientem

lientem illicite, ad restituendum id, quod ex sepultura acquisiuit.

128 Cum vero corpus defuncti, qui viuens incurrit pœnam priuationis sepulturæ, si fuerit sepultum in loco sacro, sit exhumandum, quæri posset, an vbi huiusmodi corpus sit sepultũ in loco exempto, Episcopus illud auctoritate propria possit facere vt extumuletur. Cum distinctione DD. respondent huic difficultati, nam si loquamur de sepultis excommunicatis, vsurarijs, aut interdictis, Episcopus ex vi *Clem. 1. de sepult.* hoc ex quacumque Ecclesia, vel Cœmeterio in sua diœcesi posito, potest facere exhumari, & extra locum sacrum proijci, quia sic decernitur in d. Clementina derogando priuilegio exemptionis. Addit *Bardon. ref. 51. numer. 195.* posse Episcopum præcipere vt exhumantur corpora infidelium, hæreticorum &c. ex *capit. quicumque 2. de haret. in 6.* Ibi tamen nulla talis datur facultas *Episcopo*. Verum poterit hoc Episcopus ex alijs iuribus ex quibus sibi competit cognoscere de causis fidei. Sed in alijs casibus Episcopus potest quidem impedire antecedẽter, ne corpus tradatur sepulturæ impediendo ne ad locum exemptum deducatur, nam potest impedire ne delinquatur in suo territorio, & facere vt cadauer in loco non sacro sepeliatur; sed vbi in loco exempto fuerit sepultum non potest sua auctoritate illud extumulare, & extra Ecclesiam proijcere, quia non potest exercere auctoritatem in loco exempto. *Panorm. in cap. sacris nu. 7. de sepult.* Rodriq. *tom. 3. q. 61. a. 4.* vbi addit hoc confirmari per *Concil. Trident. sess. 25. cap. 14. de Regular.*

129 Addit vero Rodriq. quando corpus exhumatur, quod proijciendum est extra Ecclesiam procul ad tantam distantiam, quod ibi voces Clericorum non possint audiri, *per text. in cap. quod in te, De pœnit. & remiss. & Panorm. & DD. ibid.* Lunor. *tic. 2. cap. 12. num. 66.* Sed supra probatum fuit, quod dictio *procul*, seu clausula illa, *procul ab Ecclesiastica sepultura iactari*, ex phrasi latina non importat, nisi quod corpus exhumatum proijciatur extra Ecclesiam vel Cœmeterium. Nam immo & procul proijcitur ab eo loco particulari, in quo erat sepultum corpus, si nedum extra illum, sed extra totam Ecclesiam, aut Cœmeterium iactatur.

SVMMARIVM.

1 *Ius sepeliendi actiue, & passiue. nu. 130.*
2 *Quid sit ius sepeliendi. num. 130.*
3 *Cui conueniat de iure varie fuit opinatum. numer. 130.*
4 *Ius ducendi funus est proprium Parochorum. numer. 131.*
5 *Ius admittendi ad sepulturam in hoc, vel illo loco est proprium Papæ. & Episcoporum, & nulli alij competit, nisi ex gratia. 132.*
6 *Priuilegium dicitur gratia Principis. nu. 132.*
7 *Nulli Ecclesia competit ius funerandi, nisi ex gratia. num. 132.*
8 *Nulla Parochia habet, vel vnquam habuit ius absolute, & simpliciter necessitans Parochianos ad sepulturam in ipsa eligendam. n. 133.*
9 *Ius funerandi de iure communi competit Ecclesijs habentibus populum, sed originaliter illis competit ex consuetudine, & ex gratia. nu. 134.*
10 *Non inuenietur ius scriptum in quo sepultura concedatur Parochijs antiquius, quam sit illud in quo etiam conceditur Ecclesijs Regularium. num. 134.*
11 *Quacumque Ecclesia habet ius funerandi, numer. 135.*
12 *Hoc ius modo est commune, & scriptum, sed originaliter obtentum fuit ex gratia, & consuetudine. nu. 135.*
13 *Proprium Parochialis est habere ius funerandi necessitans eos, qui nec maiorum, nec propriam sepulturam alibi habent. n. 136.*
14 *Ecclesiæ Regulares habent ius funerandi. numer. 137.*
15 *Et quidem ex iure scripto. n. 137.*
16 *Et de iure communi. n. 138.*
17 *Et ab immemorabili tempore ante Innocentium Tertium. nu. 138.*
18 *Per Concilium Nicænum non fuit Monachis interdictum ius funerandi. n. 139.*
19 *Ius funerandi exemptum concessum fuit Regularibus partim de iure communi partim ex priuilegio. nu. 139.*
20 *Etiam in Ecclesijs Monialium possunt cadauera sepeliri. n. 140.*
21 *Etiam in Claustris, & Capitula Regularium sepeliuntur defuncti. n. 141.*
22 *Eligentibus sepulturam apud* Regulares *concessa indulgentia. n. 142.*
23 *Corpora sepelienda infra terram. n. 143.*
24 *Deposita marmorea non prohibita. n. 143.*
25 *Ex iure, quod quis habet in Ecclesia, non potest impediri magna Ecclesiæ vtilitas. n. 144.*
26 *Deposita tollenda si sunt nocumento Ecclesiæ. numer. 144.*
27 *Sepultura non possunt poni prope altare, vel sub bradellis. nu. 145.*
28 *In Cœmeterijs Crucis vexillum ponendum. numer. 146.*
29 *Cadauera aqua benedicta aspergenda. nu. 146.*
30 *Plura statuta in antiquis Concilijs circa sepulturas. nu. 147.*
31 *Factum mirabile: corpus à Dæmonibus exhumatum. nu. 148.*
32 *Plura Regularium priuilegia. n. 149.*
33 *Priuilegium Pij Quinti. nu. 150.*
34 *Et Vrbani Octaui. n. 151. & 152.*
35 *Decretum, Licet &c. Sacr. Congregat. Episcop. num. 153.*
36 *Monitorium Auditoris Cameræ. n. 154.*
37 *Decreta plura SS. Congreg. num. 155. 156. 157. 158. & 159.*
38 *Sepultura in Ecclesijs Regularium libera, numer. 160.*
39 *Non est necessaria licentia Episcopi, vt quis apud Regulares sepeliatur. n. 160.*
40 *Non potest per Episcopũ impediri sepultura apud* Regulares. *nu. 160.*
41 *In funeribus præsentia Parochi est necessaria. num. 161.*
42 *Non possunt Regulares intrare Parochiam cum Cruce, nisi monita Parocho. nu. 161.*
43 *Leuare corpus est proprium Parocho. n. 162.*
44 *Clero morã trahente limitandũ tempus per Episcopum. nu. 163.*
45 *Parocho recusante venire Regulares leuant cadauer, & ad Ecclesiam deferunt. n. 164. & 169.*

Quan-

46 Quando Parochus censendus sit omnino recusare. num. 165.

47 Parocho sub conditione probabili recusante iudex adeundus. nu. 165.

48 Quando Parochus sub iusta conditione censendus sit recusare. nu. 165.

49 Sepultura sub praetextu quartae funeralis non debet retardari. n. 166.

50 Parochi non possunt plus exigere pro sepultura in Ecclesia Regularium. n. 167.

51 Constit. Clem. viij. Pauli Quinti, & Vrbani VIII. pro Indijs. nu. 167.

52 Quantum ad poenam non sunt communes. n. 167.

53 Faueat omnibus Regularibus. n. 167.

54 Non possunt Parochi plus exigere pro sepultura forensium. n. 168.

55 Pauperes sepeliendi gratis. n. 169.

56 Pro debitis defuncti non debet retardari sepultura. num. 170.

57 Vbi est consuetudo quod Regulares sepeliant mortuos non vocato Parocho est seruanda. n. 171.

58 Pacta in materia funerum seruanda. n. 172.

59 Concordia Cleri Maioricen. confirmata ab Innocentio X. n. 172.

60 Posse Regulares irrequisito Parocho sepelire defunctos, qui sentiant. n. 173.

61 Non admittitur. nu. 174.

62 Etiam attento iure antiquo multi voluerunt praesentiam Parochi esse necessariam. n. 175.

63 Monitoria Audit. Camerae, non decernunt literas Apostolicas non esse reuocatas. n. 175.

64 Dictio libere. quid importet. n. 175.

65 Parochus tenetur interesse funeribus. n. 176.

66 In Ecclesia nondum benedicta haberi potest sepultura per Regulares. n. 177.

67 Etiam in Ecclesiis Monialium est libera sepultura. num. 178.

68 Parochus non habet assistentiam iuris in Ecclesiis Regularium. n. 178.

69 Nec Episcopus, nec Parochus possunt in Ecclesiis Regularium aliquem sepelire inuitis illis. nu 178.

70 Regulares manutenendi in possessione sepeliendi, num. 179.

71 Et sufficit ad hoc vnus actus. nu. 179.

72 An Regulares per acquiescentiam sibi praeiudicent. num. 179.

73 Ad perdendum ius sepeliendi non sufficit patientia parui temporis. nu. 180.

74 Ecclesia contra Ecclesiam non praescribit, nisi spatio quadraginta annorum. n. 180.

75 Manutentio non neganda possidenti ex assistentia iuris aduersarij. n. 180.

76 Vbi est vehemens praesumptio resistentiae iuris non datur manutentio. n. 180.

77 Vbi incontinenti probatur titulus inualidus non danda manutentio. n. 180.

78 In causa sepulturae non potest agi nudo possessorio, sed debet probari titulus. n. 181.

79 In causa sepulturae an admitti debeat appellatio. num. 182.

80 Causa celeritatem petentes non admittunt suspensiuam appellationem. n. 181.

81 Causa mixturam habentes possessorij, & proprietatis admittunt appellationem. n. 182.

82 Regulares nulla consuetudine obstante congregari non debent in vijs. n 183.

83 Congregari debent in Ecclesia secundum loci consuetudinem. n. 183.

84 Non sit fauore Parochi, vel Parochialis. nu. 183.

85 Posset esse tanta incommoditas loci, vt sustineri posset, quod Clerus congregaretur prope defuncti domum num. 183.

86 Determinare numerum vocandorum, & expensas funeris spectat ad haeredem defuncti. n. 184.

87 Haeredes defuncti non tenetur ad nouennalia, &c. habendam Parochiali. n. 184.

88 Confraternitates non vocatae non accedunt ad funera nu. 184.

89 Cadauer non debet ad Ecclesiam regularem deferri ad recipiendum vltimum vale. n. 185.

90 Vna Crux illius Ecclesiae ad quam defertur cadauer debet eleuari. n. 186.

91 Si Capitulum conuocatur ad funus Crux Cathedralis est deferenda. n. 187.

92 Praecedere debet Capitulum Cathedralis, alios vero Clericos praecedit Parochus. n. 187.

94 Vbi sit consuetudo plures Cruces deferri possunt. num. 188.

95 Consuetudo multum valet in materia funerum. num. 188.

96 Regulares possunt propria Cruce erecta accedere ad funera. n. 189.

97 Regulares etiam non inuitati, quando possint ad funera accedere. n. 189.

98 Stolam deferunt Parochi etiam Regulares. numer. 190.

99 Stola signum Parochialis officij. n. 190.

100 Determinare viam spectat, ad quem ex praxi. num. 191.

101 Parochus ducens funus potest ingredi Ecclesias Regularium, sed sine stola. & quocumque signo authoritatis. nu. 192.

102 Officium funeris peragere intra Ecclesias Regularium spectat ad Regulares. n. 193.

103 Vniuersaliter officium funeris spectat ad Parochum, vel Rectorem, vel Superiorem Ecclesiae in qua defunctus sepelitur. n. 194.

104 Officium funeris in Ecclesia Monialium habet Cōfessarius, vel superior. num. 195.

105 Canonici Cathedralis possunt intra alienas Ecclesias sine stola. & alio signo iurisdictionis cantare Psalmum De profundis. n. 196.

106 Vbi de hoc non est consuetudo, non debet admitti. num. 196.

107 Parochus nec praetextu consuetudinis potest habere officium funeris in Ecclesiis Regularium, quia consuetudinem reprobant Sac. Congregationes. num. 197.

108 Secus si consuetudo esset immemorabilis. n. 197.

109 In Ecclesiis Regularium sepeliuntur, qui sunt induti eorum habitu. n. 198.

110 Priuilegium Maris magni. n. 198.

111 Priuilegium Bullae aureae. n. 199.

112 Fideles vtriusq; sexus possunt hunc habitum Religiosum cum quo sepeliantur petere. n. 200.

113 Necesse est vt hic habitus sit concessus ab aliquo superiore, &c.

114 A quo superiore concedi debeat n. 200.

115 Necesse est, quod habitus postuletur, sed non ab aegroto, qui habitu est induendus. n. 201.

116 Necesse tamen est, quod aegrotus mandet habitum postulari. num. 201.

Postu-

117 *Postulanti habitum debet protestari quod sepeliẽdus erit in Ecclesia cuius habitum postulat.n.202.*
118 *In habitu Religioso possunt illum assumentes alibi eligere sepulturam. n.203.*
119 *Hi qui habitum Religiosum obtinuerunt,vt in eo sepeliantur,nisi alibi sepulturam elegerint sepeliendi sunt in Ecclesia Ordinis cuius habitum portant. n.204.*
120 *Contradictores ne huiusmodi sepeliantur apud Regulares sunt excommunicati. n.205.*
121 *Et excommunicandi præmissa monitione vna pro trina. n.205.*
122 *Habitus concessus non potest tolli, & reijci. numer.406.*
123 *His qui sepeliuntur in habitu Religioso concessæ indulgentiæ.n.207.208.*
124 *Quæ sint necessaria ad lucrandum has Indulgentias. num.209.*
125 *Priuilegium Pauli II. pro Minimis.n.210.*
126 *Priuilegium Adriani 6. pro Ordine Sanctissimæ Trinitatis.n.211.*
127 *Est commune alijs Religionibus. nu.211.*
128 *Religiosi sepeliuntur in suis Ecclesiis.nu.212.*
129 *Religiosus defunctus extra ordinem, si commode fieri potest in monasterio suo sepeliri debet. numer.213.*
130 *Et quidem vt non sit necesse vocare Parochum, vel soluere quartam.n.214.*
132 *Prior in Ecclesia Prioratus vel sui monasterij sepelitur.n.215.*
133 *Nouitius permanens in probatione non potest eligere sepulturam. n.216.*
134 *Nouitius, qui non eligit sepulturam in monasterio est sepeliendus. n.217.*
135 *Etiam si proposuisset redire ad seculum. nu.217.*
136 *Nouitij cuius expensis sepeliuntur. n.218.*
137 *Tertiarij intra Claustra commorantes sepeliuntur in monasterio.n.219.*
138 *Oblati non habent liberam sepulturam.n.220.*
139 *Oblatorum duplex genus. n.220.*
140 *Oblati plene qui sint.n.220.*
141 *Oblati particularem habitum gestant.nu.221.*
142 *Qualiter extra septa habitari non possunt.n.222.*
143 *Oblati possunt esse coniugati. n.222.*
144 *Conditiones oblati ex Concil. Trid. non necessariæ ad hoc vt oblatus fruatur priuilegijs, sed ad hoc vt sit exemptus ab Ordinario.nu.223.*
145 *Cap.penul.de priuileg.n.224.*
146 *Oblatum non habitare in domo,quæ fuit sua,necessariũ ad fugiendam malã præsumptionem.n.224.*
147 *Declarationes S. Congreg.225.*
148 *Cohabitare cum vxoribus quomodo licitum oblatis. n.226.*
149 *Oblati plene non possunt sibi eligere sepulturam. num.227.*
150 *Familiares proprie dicti sepeliuntur in Ecclesia Regularium. n.228.*
151 *Hospes, vel qui casu moritur intra claustra vbi sepeliendus. n.229.*
152 *Hospes, qui moritur intra claustra sepeliendus est vbi sepeliri deberet si extra claustra moreretur. nu.230.*
153 *Generalis non potest sibi eligere sepulturam extra Ordinem. n.231.*
154 *Nullus Prælatus etiam Generalis potest sibi eligere sepulturam etiam intra Ordinem.232.*
155 *Prælatus sui dominus non est, & vt administrator non disponit valide de ijs, quæ effectum habent post mortem. num.232.*
156 *In loco remoto Religiosus eligit sepulturam. nu. 233. 237.*
157 *Vbi sit monasterium ordinis, hospes in eo est sepeliendus, nec hospes habet tunc libertatem sepulturæ. n.234. 235.*
158 *Quid vbi sunt plures ordines sub eadem Regula. num.236.*
159 *Quid vbi sunt plura monasteria eiusdem Ordinis. num.236.*
160 *In loco remoto non electa sepultura Religiosus sepelitur, vbi sepeliuntur aduenæ.nu.237.*
161 *Idem dicendum si decedat in monasterio alterius Ordinis. n.238.*
162 *Religiosorum debet esse proprium sepulchrum. num.239.*
163 *Religiosi Prælati, Doctores defuncti non deferendi per Ciuitatem cum musicis &c. n.240.*
164 *Tertiariæ vbi sint sepeliendæ. n.241.*
165 *Leonis Decimi dispositio de Tertiarijs. num.242.*
166 *Decretum S. Cong. Episc.de anno 1615. n.243.*
167 *Priuilegium Maris magni pro Carmelitis.n.244.*
168 *Tertiarias sepeliendas esse irrequisito Parocho in Ecclesiis Regularium, qui senserint.n.244.*
169 *Decretum SS. Cong. Episc. & Concilij. nu.245.*
170 *Tertiariæ possunt eligere sepulturam.n.246.249.*
171 *Ea non electa, vel in sepultura communi si illam habent in Ecclesia Regularium, vel in sepultura maiorum,vel in Parochia sepeliri debent.n.246.*
172 *Proprius sacerdos Tertiariarum est Parochus. num.247.*
173 *Decretum S. Congr. Regularium de sepultura Tertiariarum. n.248.*
174 *Tertiariæ comprehenduntur sub decreto Concil. Trid.sess.23.cap.15.*
175 *Tertiariæ non sunt propria religiosæ. n.249.*
176 *Non comprehenduntur sub c.fin. de sepult.n.249.*
177 *Tertiariæ comprehenduntur sub decreto Concil. Trid.sess.23.c.3.n.250.*
178 *Tertiariarum proprius sacerdos est Parochus. num.250.*
179 *Tertiariæ communionem Paschalem, & viaticum, & extremam vnctionem recipiunt à Parocho, nu.250.*
180 *Tertiariæ per Parochum sepeliri debent. n.251.*
181 *Cadauer in aliena Ecclesia sepultum inuita Ecclesia ad quam pertinet,debet exhumari & ei restitui. num.252.*
182 *Etiam si illius non remanserint nisi ossa. n.252.*
183 *Et simul debent restitui oblationes. n.253.*
184 *An Parochus perdat quartam funeralem.n.253.*
185 *In causa restitutionis cadaueris non agitur nudo possessorio.n.254.*
186 *Vbi cadauer non possit restitui Parochus declarare debet ex hoc non fuisse præiudicatum Ecclesiæ Regulari. n.253.*
187 *De facto cadauer sepeliendum in sua Ecclesia auferens à Parocho iniuste & per vim deferente illud ad proprium Parochiam, an sit puniendus. n.256.*

Quod

Quod Ecclesiæ Regularium habent ius sepulturæ.

INSPECT. III. CAP. III.

OBSERVATIO PRIMA.

130 IVs sepeliendi potest accipi actiue, & passiue. Passiue quidem est ius quod habet quis, vt admittatur ipse vel alius ad sepulturam in aliquo loco, cui in Rectoribus Ecclesiæ respondet debitum admittendi & permittendi vt ille sepellatur vel alius. Et de hoc iure agendum erit *r. sequent.* Ius vero sepeliendi, seu funerandi actiue est ius cōpetens Ecclesiæ ad sepeliendum cadauera defunctorum in Cœmeterio suo, vel sepulturæ loco, *D. Anton. 3. p. tit. 10. cap. 5. §. 2. Syluest. v. sepultura numer. 1. Tabien. num. 2. ex S. Raymundo.* Hoc autem iue cōpetere Ecclesiæ vel ex iure communi, vel ex consuetudine, vel ex priuilegio, dixerunt dicti *D. Anton. Syluest. & Tabien.* Quod vero hoc ius funerandi de iure communi competat Parochialibus Ecclesijs quoniam ius funerandi est de iure parochiali, sicut & administrare sacramenta, senserunt. *Hostien. in cap. 1. de sepulturis, Archid. & Io. Andreas in cap. p. eod. tit. in 6. Panormitanus cap. certificari num. 7. Fagnanus ad cap. fraternitatem num. 1. de sepult. Lezana v. sepultura nu. 2. Syluest.* quoque *D. Anton. Tabien.* vbi supra dixerunt, quod hoc ius generaliter conuenit Ecclesijs Parochialibus. Et quod Ecclesiæ, quæ habent populum sint illæ quibus iure vel priuilegio competit ius funerandi, ex *Gloss. in Clem. Dudum, in v. sepult. de sepult. Innoc. in cap. 1. eod. tit. in 6. Archidiac. in cap. Certificari. num. 89. afferunt Lanor. Variar. lucubrat. tit. 2. cap. 9. num. 7.* Quod vero Ecclesia omnis etiam nō Parochialis sit capax habendi priuilegium ex consuetudine vel Episcopi auctoritate. Post *Hostien. in cap. quia nonnulli nu. 7. Io: And. num. 8. Butr. num. 10. Zabarel. q. 1 t. de Cler. non residen. Rota decis. 228. num. 7. p. 1. rec. & in Mediolanen. 4. Funeralis 14. Maij 1632. Coram Merlino, Barbosa de Parocho cap. 26. num. 14.* Sed certe Innoc. in *cap. fraternitatem*, vt notat etiam *ibi nu. 3. Reuerendiss. Fagnanus* regulam vniuersalem negatiuam statuit, nullam scilicet Ecclesiam habere ius funerandi, nisi ex priuilegio; quod in bono sensu intellectum est verissimum.

131 Sed alia distinctio est necessario præmittēda. Nam ius funerandi duplex est. Aliud enim est ius ducendi funus Ecclesiasticum, quod est ius cum ritu Ecclesiastico sepeliendi cadauera, & aliud est ius admittendi vt in hoc vel illo loco cadauera sepeliantur. Dicitur igitur primo, quod ius ducendi funus de iure competit habenti curam animarum. Nam & hoc ad specialem prouidentiam ouium Christi spectat, vt in spem æternæ & beatæ resurrectionis eorum cadauera in loco benedicto, & sub ritu Religioso sepeliantur. Idenq; supposita institutione Religiosi funeris & officio Pastorali Episcoporum, & Parochorum, ex vi & iure huius institutionis Parochis competit ius ducendi funera. Et in hoc sensu cuiuscumque Parochi est proprium ducere funus suorum Parochianorum. Et hoc est, quod voluerunt DD. supra p. loco citati & quod habetur ex cap. 1. 13. quæst. 1. nimirum ex diuisione Parochiarum, quam instituit S. Dyon. Papa. Ex vi cuius diuisionis cuicumque Parocho priuatiue quoad alios competit diuina suis parochianis administrare, inter quæ est officium funerale. Et hoc etiam est, quod supponitur in Clem. dudum, & ratione cuius Parochis debentur eleemosynæ, & sustentamentum, & propter quod Clem. Dudum funeralem portionem adiudicauit Parochis.

132 Sed loquendo de iure admittendi cadauera in hoc vel illo loco ad sepulturam, dicitur secundo, quod hoc ius est proprium summi Pontificis & Episcoporum, & nulli alij competit de iure, sed solum ex gratia, ideoque & ex priuilegio (accipiendo priuilegium large, vt importat id, quod ex liberali & beneuola Principis libertate conceditur. Omnis enim Principis gratia priuilegium appellatur). *Io. Andr. in cap. olim de verbor. significat. Bald. in præłud. feud. num. 18. Gumma decis. 59. nu. 29. Donat. p. 1. tract. 7. q. 15. num. 2.* Et in hoc sensu optime dixit Innocentius quod nulla Ecclesia habet Cœmeterium nisi ex priuilegio. Etenim cum ex superius probatis ad substantiam cœmeterij Ecclesiastici spectet quod sit locus ad hunc effectum deputatus ab Episcopo, & secundum Ecclesiæ ritum debeat ab Episcopo benedici, vel ab aliquo habente ab eo auctoritatem: Solum igitur Episcoporum, & Papæ est deputare loca in sepulturam. Et sic supposita institutione sepulturæ religiosæ, & Christianæ, hæc deputatio, & benedictio competit Episcopis ex officio seu ex iure sui officij. Quod vlterius probatur, nam illius est proprium de iure disponere de sepulturæ Christianæ loco, ad quem tanquam causam principalē pertinet cura animarum, & sacrorum rituum & Religiosi cultus; hæc vero solis Episcopis competit vt ex D. *Th.* probatum est *sup. q. 184. a. 6. à num. 25.* Episcoporum igitur est proprium decernere vbi sint fideles sepeliendi, & hoc pro tota Ecclesia statuere, est solius summi Pontificis. Quod cōfirmatur, nam separabilia sunt ius ducendi funus, & ius vt funus ducatur ad hūc locum, vel ad alium. Ex quo igitur Parocho ex officio competit ducere funus suorum Parochorum; non per hoc competit sibi, quod ducat funus ad suam Ecclesiam; sed in libertate Ecclesiæ fuit determinare & deputare Cœmeteria, & potuisset, si voluisset, deputare locum, qui nullius Ecclesiæ particularis, nec etiam Cathedralis esset, sed sub immediata solius Episcopi gubernatione esset collocatum, ex cuius solius deputatione terra fit cœmeterium. *Syluest. v. sepultura num. 5.* Et cum dicitur quod Parochiales Ecclesiæ habent ius funerandi, hoc intelligitur, si illis ab Episcopo deputatum fuerit Cœmeterium, vt explicant *Io. Andr. in cap. 1. de sepult. in 6. & Panorm. in cap. certificari num. 7. & Fagnan. ad cap. fraternitate num. 4. de sepultur.* Ideo quod nec in Cathedrali possit fieri sepultura, etiam de consensu Capituli, sine licentia Episcopi aduertit *Lanor. tit. 2. cap. 8. num. 6.* Et tandem, quod ius funerandi ad Epis. spectet ex *Panorm. cap. abolendæ de sepult. Hostien. in sum. eod. tit. num. 2. Card. in Clem. dudum num. 1. de sepulturis*, & alijs probat *Lanor. d. cap. 8. num. 8.*

133 Dicitur propterea tertio quod ius sepelien-

liendi priuatiue quantum ad aliam Ecclesiam, & ita quod cadauer alibi non possit sepeliri etiam id volentibus hæredibus defuncti absolute, & simpliciter nulli vnquam Ecclesiæ fuit concessum. Nec in toto Iure inuenietur textus; in quo hoc surrit pro Parochiali Ecclesia dispositum, & potuit quidē de facto contingere, quod nullus extra Ecclesiam Parochialem sepeliretur, vel extra eius Cœmeterium, quia nulla alia esset ibi Ecclesia, vel Cœmeterium, non tamen itaur lex esset, vt extra Parochialem sepeliri non posset. Et ratio est, quia talis lex valde restringeret & lederet libertatē humanam. Sicut enim in libertate hominum de iure naturali & gentium est, vt habitent vbi voluerint, & domicilia sua mutent, & eligant, dum viuunt, ita in libertate eorumdem est, vt de loco sepulturæ decernant. Et quamuis intuitu Religionis Ecclesia voluerit, & quidem sanctè, quod locus sepulturæ fidelium sit benedictus, vbi tamen locus eligendus sit benedictus, semper Ecclesia in libertate fidelium reliquit sepulturam, vt eam sibi eligere possint *cap. cum liberum, cap. de vxore, de sepult.* nullum decernens in quo loco vel in Cathedrali, vel in Parochia, vel alibi sint sepeliendi defuncti in casu, in quo per ipsos, vel respectiue per maiores eorum non fuerit de loco sepulturæ dispositum.

134 Dicitur quarto, quod de facto modo ius funerandi pluribus Ecclesijs conuenit etiam de iure communi. Nam primo hoc conuenit Ecclesijs habentibus populum, vt dixerunt DD. supra citati. Et nihilominus inuenientur quidem textus in quibus hoc supponitur, quod Ecclesijs Cathedralibus, & Parochialibus competit ius funerandi, sed vel non inuenietur textus, in quo hoc expresse concedatur, vel non inuenietur antiquior illo, in quo etiam Religiosorum Ecclesijs hoc fuerit concessū, vt ponderatur infra; quāmuis dubium non sit, quod mos sepeliendi in Parochialibus, & Cathedralibus Ecclesijs sit tam antiquus, quam sit mos sepeliendi in Ecclesia, quia ab initio Ecclesiæ, quæ non essent Parochiales, raræ habebantur, & credibile est elegisse sibi fideles sepulturas in illis Ecclesijs in quibus diuina audiebant, & recipiebant. Et ideo mos sepeliendi in Parochijs consuetudine introductum fuit, potius quam lege scripta.

135 Dicitur quinto, quod ius funerandi conuenit omni Ecclesiæ, & omni Cœmeterio; Nam immo Cœmeterium non est nisi locus ab Episcopo deputatus pro sepultura. Ex quo vero etiam in Ecclesia sepultura permissa est, Ecclesia omnis ab Episcopo deputata ad diuina officia & consecrata, vel benedicta venit sub nomine Cœmeterij, & est locus sepulturæ. Ideo quod vnusquisque habens liberam electionem sepulturæ possit eam sibi eligere in quacumque Ecclesia dixit *Rota dec. 508. num. 2. p. 3. recent.* Et in quocumque loco sacro. *decis. 380. num. 37. par. 5.* quod *Rota desumpsit ex cap. 1. & capit. cum liberum, & cap. de vxore, & cap. sequen. de sepulturis & ex Gloss. in cap. 1. de sepult. in 6.* Idemque postea tradidit *Rota in sequent. iuris sepeliend. 86. apud Tambur. tom. 3.* Eadem quoque *Rota dec. 552. nu. 20. p. 5. recent.* probauit licitum esse viro Christiano eligere sepulturam in quacumque Ecclesia etiam si non sit Parochialis ex *Hostien. capit. quia nonnulli, num. 7. & ibi Io. And. num. 8. Butr. num. 10. Card. q. 11. de Cleric. non residen. Feder. de Senis cons. 135. num. 19. Rota dec. 228. num. 7. p. 2. recent.* Et quod hoc casu libere dictæ Ecclesiæ possunt cōcedere sepulturam. *Innoc. cap. 1. Panorm. cap. certificari de sepult. Nauar. cons. 1 num. 1. de sepult.* Vnde est, quod ex sepultura non colligitur, quod alia Ecclesia sit Parochialis, quia & alijs Ecclesijs competit ius funerandi, *Feder. cons. 253. & 254. Rota dec. 387. numer. 12. coram Gregor. XV. & in Recanaten. Parochialis 20. May 1577. coram Lauretano. & d. decis. 552. p. 5. recent. & alias Rotas*, & DD. quos sequitur *Lauor. tit. 2. c. 9. num. 6. & Barb. de Paroc. cap. 26. num. 14.* Nec obstat *quod Rota d. dec. 552. p. 5. & 387. coram Gregor. XV.* dicat alijs Ecclesijs competere hoc ius ex consuetudine, vel priuilegio. Quia hoc est verum originaliter, & antiquissimo iure spectato, quia etiam mos sepeliendi in Parochialibus ex priuilegio, & consuetudine ortum habuit, ex eo quia Episcopi, hoc ex gratia permiserunt, & concesserunt, non ex aliquo communi iure scripto, quod hoc concessisset, vel mandasset. Cæterum modo ex Iure communi scripto habetur, libertas *cap. 1. cap. cum liberum, cap. de vxore, cap. seq. de sepulturis.*

136 Dicitur tamen sexto discrimen esse, quod aliæ Ecclesiæ habent ius sepeliendi, sed non necessitans, nisi in casu quo defunctus ipse, vel alius ad id habens facultatem, vel sui maiores in Ecclesia aliqua sibi elegerint sepulturam. Sed Parochialis Ecclesia nedum habet hoc idem ius cum alijs, sed habet ius necessitās ad hoc, vt in ea sepeliatur, quicumque alibi sepulturam non elegerit. *cap. fraternitatem de sepulturis. Barbosa ad cap. 1. num. 2. eod. tit. Lauor. num. 44.* Sed hoc ius originaliter non habet nisi ex gratia, & priuilegio, quod modo est de iure communi. *cap. 1. cap. cum liberum de sepult. cap. is, qui ex cap. licet de sepult. in 6. Clement. dudum de sepult.*

Ecclesiæ Regulares de iure communi habent ius funerandi.

OBSERVATIO SECVNDA.

137 Ecclesijs etiam Regularibus competit ius funerandi. *Panorm.* autem *in cap. fraternitatem notab. 1.* dixit se nunquam legisse aliquam constitutionem, in qua caueatur, vt monasteria habeant Cœmeteria, nisi pro suis, vt *cap. 1. 16. q. 1.* Verum in contrarium posset adduci textus in *cap. vbicumque 6. 13. q. 2.* in quo sancitur defunctum sepeliri debere in Cathedrali, vel si hoc sit difficile in Ecclesijs Canonicorum Regularium, Monachorum vel si hoc etiam iudicetur ineptum, in Ecclesijs Parochialibus. Nam & licet hoc sit decretum Concilij Triburiensis, quod fuit Prouinciale, nihilominus ex eo constat, quod ab anno 895. in quo illud Concil. Tempore Formosi Papæ fuit celebratum, nedum Ecclesiæ Regulares habebant ius funerandi, sed ex vi dicti Concilij sic in hoc post ponebantur Cathedralibus, quod præferebantur Parochialibus Ecclesijs. Sed ad intentum probandum plusquam sufficit decretum S. Gregorij Papæ in epist. ad Io: Epis. de Vrbe veteri lib. 2. epist. 11. quod

refert

refert. *cap. Agapitus* 13.16.q.1. ibi. *Agapitus Abbas Monasterij S. Gregorij insinuauit nobis plurima se à vestra sanctitate grauamina sustinere: quod in eodem monasterio missas prohibeas celebrari mortuos etiam ibidem interdicas sepeliri. A qua inhumanitate vos hortamur suspendi & sepeliri ibidem mortuos, missas celebrari, nulla vlterius habita contradictione permittas.* Quamuis vero *Gloss.Hugo, Laurent. & Io:* dixerint illud monasterium habuisse populum, tamen vt ex Archidiac. ibi circa medium aduertit *Reuerendiss. Fagnan. ad d. cap. fraternitatem num.6.* praefati DD. errauerunt in facto, quia monasterium Sancti Gregorij non habet populum. Et si habuisset populum, cum certum esset ius funerandi competere Ecclesiae habenti populum, non est verisimile, quod Episcopus ille ita manifeste contra ius prohibuisset missas celebrari in dicto monasterio, & in eo mortuos sepeliri. Habetur ergo constitutio in qua non ex nouo priuilegio sed tanquam quid quod erat de iure, & cuius oppositum potuit dici esse inhumanum, decernitur esse sine aliqua contradictione admittendum.

138 Quid ergo dicendum? Ecclesiae Regularium habent ne ius sepeliendi ex iure communi, vel ex priuilegio? Habere ex priuilegio dicunt *Lauor, tit.2.cap.9.num.10.Samuel prælud.10. num.2. Bossaus v.sepultura num.2.Lezana v.sepultura num.4.* Ex iure autem communi, & priuilegiorum id eis competere habet *Bordon.resol.51.num.6.& 7.* & videtur hoc probari tum ex *Clem. Dudum de sepultur.* tum ex concessionibus Pontificum, quae gratiam continent, & summi Pontificis liberalitatem. Verum si priuilegium large sumitur, prout priuilegium dici potest gratia Principis vt dictum est num.132. sic ius sepeliendi concessum Regularibus est priuilegium, quia est gratia. Sed in hoc sensu dictum est etiam, quod nulli Ecclesiae hoc ius competit nisi ex priuilegio, quia nisi ex gratia. Sed si priuilegium proprie sumi ur, vt est priuata lex contra ius commune *cap. Abbate de verb. signific.* concessum Regularibus non est priuilegium, quia non est contra aliquod ius, sed est iuris communis dispositio, vt sentit *Reuerendiss. Fagnanus ad cap. fraternitatem num.6.de sepult.* & probat ponderando verba *d. c. mortuorum sepulchra & cæmeteria apud illas Ecclesias, & monasteria ab antiquo esse disposita, in quibus Religiosorum fratrum Conuentus sunt constituti, & orationes, atque missarum solemnia tam pro viuis, quam pro defunctis frequentius celebrantur.* Iam enim & tempore Innoc. III. ab antiquo, quod est dicere ab immemorabili constitutum erat, vt monasteria ius famulandi haberent; cum illud haberent etiam à tempore S. Gregorij ut dictum est supra, & hoc quidem ex dispositione Ecclesiae. Nec vnquam legitur quod Ecclesia prohibuerit mortuos sepeliri in monasteriorum Ecclesijs.

139 Quod si obijciatur ex *Conc. Niceno cap. placuit.* 1.16. q.1. in quo monachis prohibetur ne poenitentiam tribuant, & mortuos sepeliant. Dicitur primo, quod vt adnotatum est in Decreto recognito iussu Gregor.XIII. caput illud, nec in primo nec in secundo Concilio Niceeno continetur; quamuis non nihil simile habeatur in canonibus Niceenis ex Arabico translatis canon.76.& dicitur secundo quod aliud longe est admittere mortuos ad sepulturam in proprijs Ecclesijs, & aliud est lepelire mortuos. Hoc enim importat vel opus mechanicum famulorum deponentium cadauera intra sepulchra, vel opus religiosum habendi officiũ funerale, quod proprium est habentium curam animarum. Et hoc est, quod in eo Canone negatur monachis, prohibentur enim ne egrediantur monasterium, ad hoc vt iure proprio ducant funus, *Bordon.resol.51. num.6.* non vero illis negatur quin possint in eorum Ecclesijs admittere mortuos ad sepulturam. Sic igitur nullibi fuit prohibitum mortuos sepeliri in Ecclesijs Regularium, sed bene hoc ab antiquo fuit illis concessum. Nec obstat, si dicatur quod in Clem.Dudum,& per quamplures summos Pontifices hoc fit etiã expresse concessum. Nam in Constitut.istis Pontificum plura continentur, nimirum sepultura, & libertas sepulturae nedum non impedibilis per Parochum, sed ita quod Parochus in huiusmodi Ecclesijs non habeat ius nisi ad quartam funeralem, licet sint intra fines Parochiae. Quantum ad primum priuilegia illa nihil noui concedunt, sed solum quod erat de iure antiquo, & quod forsan dubitabile potuisset esse, explicarunt, & declararunt;sed quantum ad secundum ius nouum induxerunt per priuilegium. Vnde modo Ecclesiae Regularium nedum non sunt subiectae Parochu,sed Parochus non habet contra Ecclesias Regulares suscipientes Cadauera ius nisi ad quartam funeralem, & vt infra probatur Parochus nihil iurisdictionis, aut ex officio suo potest exercere intra Regularium Ecclesias. Et ideo bene dicitur quod Ecclesijs Regularibus competit habere sepulturam etiam ex priuilegio, tum quia sepultura nulli Ecclesiae originaliter competit nisi ex gratia, tum quia Priuilegium est, quod in Ecclesijs Regularibus sepelientibus Parochus non habeat ius nisi ad quartam funeralem.

140 In Ecclesijs etiam monialium possunt defuncti sepeliri. Sed tamen non in Ecclesia interiori, nisi de speciali licentia, sed solum in exteriori. Nam sic declarat Gregor.XIII.vt ex *Marzilla habet Portell.v.sepultura num.14.Lez.ad M.M. Carmel. num.345.Lauor.tit.2.c.11.num.23. Bordon. resol.51. num.83.*

141 Nedum vero Regulares in eorum Ecclesijs, sed etiam in Sacristia, Choro, Claustro, Capitulo sepulturam concedere possunt. Tum quia sic habet vsus, tum quia hoc fuit concessum in M. M. Prædicatorum, §.28.*apud Lezanam, & in M.M. Eremitarum S.Aug.§.2. & in M. M. Minimorum §. 21. Lezana ad M. M. Carmel. num.345. & Minimorum num.71.Bordon. res.51. num.8.* Et pariter non interest quod Ecclesiae Regularium sint in Conuentibus formatis, sed in omnibus Ecclesijs etiam Vicariatuum, & locorum, quae non sunt Conuentus formari possunt saeculares eligere sepulturam, Sacr. Congreg.Episc.in Mediol.13.Maij 1603.

142 Eligentibus vero sepulturam in Ecclesijs Regularium esse concessas omnes indulgentias cõcessas fratribus illius Ordinis in quorum Ecclesia eligunt sepulturam & participationem suffragiorũ eiusdem monasterij aduertit *Peyr.ad Const.2.Iulij 2. num.56.ex Casarub.v.Commun priuilegior.§.39.& v. sepultur §.28.* Quod & aduertit *Lezana v.sepultura. num.19.* Concessio ista facta fuit à Leone Decimo, & promulgata, & publicata ab Hadriano 6. ad fauorem Ordinis SS. Trinitatis in regnis Castellae, legionis,

gionis, & Granatæ, & habetur *Bulla sub num.4. apud Bullar. Rodriq.* Priuilegium vero hoc esse cōmune habentibus priuilegium communicationis asserunt *Cesarub. & Lezana locis citat.* De hoc tamen priuilegio sermo redibit infra.

OBSERVATIO TERTIA.

143 IN concedenda vero sepultura intra Ecclesias nonnulla obseruanda sunt, quæ ex diuersis iuribus sunt inducta. Primo vero obseruandum occurrit, quod statuit Pius Quintus in sua quinta constitut. incipiente. Cum primum, sub data Calend. Aprilis anno 1566. §.6. ibi. *Et vt in Ecclesijs nihil indecens relinquatur, ijdem prouideant, vt capsæ omnes, & deposita, seu alia cadauerum conditoria super terram existentia omnino amoueantur, prout alias statutum fuit, & defunctorum corpora in tumulis profundis in terram collocentur. Lezana v. sepultura num.10. & ad M.M.Carm.nu.346. Peyr.ad constit.4. Iul.2.num.1. Moron.resol.51. nu.36. Bordon. resol.51. num.201.* qui addit Pontificem loqui de cadaueribus, quæ iussit extrahi, & sub terram sepeliri relictis supra terram eorum sepulchris, & monumentis suis locis, quæ non prohibentur, vt consuetudo ipsa confirmat. Sic enim sub d. Constitution. Pij Quinti non comprehendi deposita marmorea supra terram existentia, maxime cum ab ijs sunt amota cadauera, quia hæc ornamentum potius & decorem, quam indecentiam vel impedimentum aliquod afferunt Ecclesijs tanquam decisum à S. Congreg.Epis. & Regul.1579. Mantoua 13. Octob. 114. refert *Nicollus tom.1. lib.4. tit.15. num.29. §.2. pag.420.* Vbi quod neque comprehenduntur insignis siue Vexilla apposita in Ecclesijs in signum alicuius Victoriæ contra sanctæ fidei hostes obtentæ.1580. Crema 22. Mart.68. Sed capsæ omnes, & alia similia deposita, licet aureis velleribus contecta, omnino debent amoueri. 1579. Mantoua. 15. Decembr.114.

144 Iuuat tamen hic cōsiderare quod ad huiusmodi propositum adnotauit *Tabien. v. sepultura num.20. & v. Ecclesia num. final.* scilicet, quod nullus potest impedire magnam vtilitatem Ecclesiæ propter aliquod ius, quod habet in ea. *cap. Cum accesserint de Constit. Panorm. & Gloss. ibid. circa fin.* Ex quo sequitur, quod huiusmodi defunctorum deposita seu monumenta si impediant Ecclesiæ decorem, incrementum, & renouationem, vel eam valde notabiliter deturpent, auferri possunt. Sicut & attendi debet ne in illis depositis sculptura, vel pictura aliquid repræsentetur vel turpe vel ridiculū, vel profanum, quod fidem, & religionem, & sanctitatem loci non deceat. In capsis seu depositis pro seruandis Cadaueribus cōsueuisse priscos Christianos sculpere sacras historias, & sanctorum imagines refert Baronius ad annum 395.num.9.

145 Sepulturæ etiam non possunt construi prope, vel sub altari. Et quod præcipue non possit quis sepeliri in Capella maiori Ecclesiæ dixit *Rota decis.145.num 3.coram Greg.XV.* Sed vnde hoc prohibitum sit, non ostendit. Fundatur vero in eo, quod prohibitum sit de iure sepeliri cadauera mortuorū in Ecclesia, *cap. nullus, cap. præcipienti. §. prohibemus 13. quæst.2.* sed ex *d.cap. nullus* bene *Rota*, & alij collegunt, quod vnicuique indistinctè liceat sibi in Ecclesia eligere sepulturam, sicuti vere licet etiā ex iuris communis dispositione, & ab initio Ecclesiæ vsque modo licuit, non obstante decreto Concilij Prouincialis Varens. aut Nannaten. *d.cap. præcipiendum*, contenti, vt probatum est supra. Et in Ecclesia igitur & in quacumque Capella Ecclesiæ potest haberi sepultura fidelis defuncti. Non tamen prope altare, seu sub bardella altaris. *Peyr. ad const.4. Iulij 2. num.1.* Sic enim disposuit Sacr. Congreg. Episc. & Regular. scribens 8. Febr.1594. Episcopo Termulat. & 13. Septemb.1593. Epis.Interamnensi, & 2.Maij 1601. Epis. Messanen. Immo quod si sepultura constructa sit non debeat sub eo altari celebrari, sed debeat interdici, donec corpus alio transferatur, scripsit eadem Sacr. Congregatio Epis.Tranensi.10.Nouembris 1599. vel nisi tumba repleatur, & ossibus amotis muro obstruatur. 15.Iun.1635. prout referunt *Lauor. tit.2. cap.8. numer.14. Lezana v.sepult. num.10. & ad M. M. Carmelit.num.346. Moron. respons.55. num.36. Bordon. resol.51.num.201. Nicolius lib.3. tit.40. numer.1.* & fuerat antiquitus prohibitum in *d.c. præcipiendum §. prohibemus, quod cap. inuenitur in Conc. Prou. Nannet.* & apud *Lauor. vbi sup. in Conc. Tribur. cap.26. & in Synod. Soran. tit. de exequijs decis.7. an.1624. & in Actib Eccles. Mediolanen. p.2. decr. Visitat. Apostolica v.sepultura fol.171. & in Concil. Prouinc.4. tit. de sepult. fol.121.* Et in actis præfatis Eccles. Mediolan. expressius hæc prohibitio explicatur sub his verbis. *Sepulchrorum ipsorum in posterum ædificandorum ostium longe absit ab altaris scabellis ligneis, vel bradella, cubitis ad minus tribus, sepulchra vero ipsa ad scabellum ligneum non pertingant.* Quod idem statutum fuit in eisdem. *Act. cap.28.§. Alia fol.129.*

146 In Cœmeterijs vero sepeliuntur, qui in Ecclesia sepulturam non habent, sed in eis depingi debet, aut affigi Crucis vexillum. *Gloss. in capit. Graues 13. q.2. Tuscus l.1. cap.12.a.5.* Et quoniam accedentes ad Ecclesiam sepulchra suorum aspiciētes, eorum recordantur, & pro eis preces fundunt. *cap. cum grauia 13.q.2. ex Greg. l.4. Dial. cap.50.* ideo ad hanc etiam causam Ecclesia in Cœmeterijs vas aquæ benedictæ consueuit apponere, vt possint defunctorum ossa aspergi ex actis *Eccles. Mediolanen. lib.4. tit. de Cœmeterijs. Direct. visitationis p.1. c.40.* Et quod aqua benedicta corpora defunctorum aspergenda sunt. *Concil. Nannet. cap.4. apud Lauor. tit.2.c.8.num.18.*

147 Plura etiam in Concilijs Prouincialibus antiquis vt idem *Lauor. aduertit num.19.* statuta fuerunt circa sepulturarum constructione vt in *Auernien. can.3. Altissiodoren. can.12. & 14.* vbi quod in baptisterio non licet sepelire corpora defunctorum. Et *Bracaren.1.can.36.* Ne intra Basilicam, sed deforis circa murum Basilicæ. Item *Concil. Arelat.4. can.21. Mogunt.1.can.52. Melden. can.72.* vt etiā *Burchard.l.3.cap.158. Concil. Tribur. can.15. & can.17.* vbi prohibitio est tantum de laicis non sepeliendis in Ecclesia. Sed huiusmodi decreta particularia fuerunt, & alias consuetudo Ecclesiæ fuit, vt in Ecclesia fideles sepelirentur.

148 Quod quidem confirmatur ex eo, quod ex *S.Greg.l.4.Dialog. cap.53.* refert *Concil. Triburien.* vbi supra, tanquam mirum & expauescendum à multis, quia nimirum corpus cuiusdam Valentini Ecclesiæ Mediolanen. defensoris per Dæmones extra

tra Ecclesiam S. Syri in Ciuit. Genuensi in qua sepultum fuerat deportatum fuit, & in alio sepulchro repositum.

Quæ iure nouo statuta sint circa sepulturam in Ecclesijs Regularium habendam.

OBSERVATIO QVARTA.

149 CVm iure antiquo, vt visum fuit, sepultura in Ecclesijs Regularium libera sit, nihilominus occasione plurium litium, quæ ortæ fuerunt inter Parochos & Regolares quam plura ad Regularium fauorem, & libertatem sepulturæ conseruandam statuta fuerunt per Pontifices, & sacras Congregationes, quorum tenores hic colligendi sunt, vt ex eis tam hic in his scriptis, quam semper in casibus occurrentibus colligi possit, quid sit secundum iura agendum.

150 Pius quintus in Constit. ad hoc nos Deus, data die 23. Septembris 1571. quæ in Bull. Rom. habetur sub num. 41, in §. 9. sic decernit.

NEc non fratres ipsi quæcumque corpora defunctorum, qui se in eorum Ecclesijs sepelliri ordinauerint, vel si à defunctorum hæredibus, siue curam funeris habentibus vocari fuerint, ipsorum fratrum cruce eleuata, etiam sine dictorum Canonicorum, & Capitularium personatuoi, nec non Curatorum, vel aliorum Presbyterorum interuentu ex ipsorum defunctorum domibus leuare, atque accipere, & associare, ad ipsorum fratrum Ecclesias directe deferri, & in eorum Ecclesijs (non tamen tempore interdicti) sepeliri facere, saluo duntaxat iure parochiali. Nec fratres ipsi ad alterius cuiusuis contrariæ consuetudinis, vsus, siue moris obseruationem teneri, vel super præmissis à quoquam quauis auctoritate, molestari, seu perturbari possint, vel debeant.

151 Vrbanus etiam 8. nonnullas determinationes Sacr. Congreg. Rituum confirmans dedit Breue die 25. Iunij 1633. quod referunt *Peyr. tom. 3. Priuileg. & Bordon. resol. 51.* & est sequentis tenoris, videlicet.

NVper pro parte dilectorum filiorum procuratorum generalium Ordinum Prædicatorũ, S. Fracisci, S. Augustini, & B. M. de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, nobis expositum fuit, quod alias à venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus sacris Ritibus præpositis emanauit Decretum sequentis tenoris, videlicet, Instantibus Procuratoribus generalibus Ordinum Prædicatorum, S. Francisci, S Augustini, & Discalceatorum Carmelitarum declarari. Primo, an liceat Curatis, saluis eorum iuribus parochialibus, impedire contra voluntatem hæredum defunctorum, ne Regulares vocati ad funus, corpora defunctorum ad quasuis ecclesias deferenda vna cum Parochis, & clericis processionaliter associent? *Et* ad hoc S. Congr. Rituum respondit, Regulares in casu proposito non posse impediri. Secundo, an prædicti Curati possint cogere hæredes, seu executores testamentarios, vt pro defunctis, qui tumulantur in Ecclesijs Regularibus, in *E*cclesijs etiam Parochialibus celebrari faciant officia nouenalia, & anniuersaria, prout celebrantur in Ecclesijs Regularibus, in quibus cadauera sepeliuntur, *Et* Sacra Rituum Congreg. respondit non posse cogere. Die 23. Aprilis 1633. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes, Decretum præinsertum Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desiderent. Nos illos specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, &c. supplicationibus illorum nomine nobis super hoc porrectis inclinati, Decretum præinsertum apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inuiolabilis apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint supplemus. Decernentes Decretum præfatum, nec non literas præsentes valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, inuiolabiliter obseruari; sicque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, & causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere: Ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, &c. Datum Romæ die 25. Iunij 1633.

152 Idem vero Vrbanus Octauus præcipiens ne Parochi plus percipere possint in sepulturis quæ fiunt in Ecclesijs Regularium, quam in illis, quæ fiunt in Parochialibus, dedit aliud Breue sub die 11. Martij 1638. Quod pariter refert Bordon. vbi supra, & est sequentis tenoris, videlicet,

CVm sicut dilectus filius Blasius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, diuersæ extorsiones excessiuæ à dilectis filijs Capitulo, & Canonicis secularibus, & Collegiatæ loci Vegliæ Brundusinæ diœcesis; necnõ etiam à diuersis Parochis aliorum locorum, fiant pro impedienda libertate electionis sepulturæ in Ecclesijs ordinis huiusmodi; Nobis propterea supplicari humiliter fecit, vt de opportuno in præmissis remedio prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum exponentem specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibuscumque excommunicationis, &c. huiusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotijs Regularium præpositorum consilio, Ordinarijs locorum per præsentes committimus, vt prouideant omnino, ne diutius abusus huiusmodi tolerentur, & decernant, ne Parochi plus percipere possint in sepulturis, quæ fiunt in Ecclesijs Regularium, quam in eis, quæ fiunt proprijs, seu aliorum clericorum. Non obstantib. &c, Datum Romæ die 11. Martij 1638.

153 Pariter *Quaranta v. priuilegium, Lauor. l. 2. cap. 3. num. 807. Nicolius tom. 1 lib 4. tit. 15. n. 25. §. 2. & Grat. discep 492. nu. 45. Peyr. ad const. 26. Leonis X.* referunt per extensum decretum. S. Congregationis Episcop. & Regul sub tenore sequenti.

Passerini Tom. II.

Iii 2 Licet

LIcet in sacro generali Lateranensi Concilio statutum, & ordinatum fuerit, vt fratres Ordinis Mendicantium, ceterique Religiosi, non possint intrare parochias cum Cruce ad leuanda funera eorum, qui apud Ecclesias domorum, & locorum eorumdem elegerint sepulturam, nisi prius præmonito, & requisito, ac recusante Parochiano Presbytero; & tunc sine eius, & Ordinarij præiudicio: significatum est tamen Sacræ Congregationi S.R.E. Cardinalium, negotijs Episcoporum, & Regularium præpositæ, nonnullos fratres, præsertim Minorum de Obseruantia, cuiusdam consuetudinis prætextu, quam neque antiquitate vallari, neque obseruantia viridi inniti, neque pacifica, & non incorrupta possessione firmatam esse constat, contendunt sibi licere, defunctorum funera, proprio eorum Parocho absente, eoque irrequisito, leuare, & efferre, idque haud leues controuersias, & altercationes aliquibus in locis, non sine populi scandalo, & Dei offensione, excitasse. Ideo volens eadem S.C. omnem eiusmodi dissensionem, & scandalorum materiam occasionemque præcidere, vt tam Parochi, quam Fratres ipsi, vnanimi inter se voluntate, & ea qua par est caritate, vltima hæc Christianæ pietatis officia defunctis præstent: declarat, & huiusmodi decreti tenore statuit, prædictis Fratribus Ordinis Minorum de Obseruantia, alijsque quibusuis Regularibus, quorumcumque Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantiũ, quam non Mendicantium existant, nullo modo licere, etiam specialis alicuius consuetudinis prætextu, Parochias cum Cruce processionaliter aut alias, ad leuanda, & efferenda defunctorum funera intrare, vel illa leuare, & efferre, nisi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho, eoque ibidem interessente; si tamen ipse aliter fieri non consentiat; vel nisi requisitus venire expresse omnino recuset. Atque ita obseruari mandat, & districte præcipit. Firmis cæteroqui, & in suo robore permanentibus ijs omnibus, quæ super quarta funerali, & canonica portione, alijsque iuribus ad sepulturas pertinentibus, à sacris Canonibus, & Conciliorum decretis, summorumque Pontificum constitutionibus, hactenus sancita, & ordinata sunt, aut alias ex particulari consuetudine, vel alio iure obseruantur, Romæ 12. Ianuarij 1604. à car. 1.

154 Plura quoque decreta data fuere à SS. Rituũ & Episcoporũ Cõgregationibus, quibus in authentica forma præsentatis ab Auditore Cameræ, super eorum obseruantia ad fauorem PP. Minorum strictioris obseruantiæ fuit obtentum monitorium, quod per extensum referunt *Lezana v. Defunctus num. 7. & Samuel de sepul. tr. 1. disp. 3. contr. 1. pag. 68.* Et inter alia in eo continentur sequentia.

NOueritis ex parte, & ad instantiam RR. Fratrum S. Francisci Minoris, & strictioris Obseruantiæ, ac quorumcumque eorumdem RR. Fratrum Conuentuum in quibusuis mundi partibus existen. principalium instantium decretum Sacræ Congregationis Rituum de, & super declaratione quod officium super Cadaueribus in Ecclesijs Regularium spectet ad ipsos Regulares ad supplicationem dictorum instantium emanatum sub die 17. Nouembris 1638. Nobis præsentatum fuisse sub infrascripto tenore videlicet. SACRA Rituum Cõgregatio, iuxta alias resoluta respondit, officium super Cadaueribus in Ecclesijs Regularium spectare, & pertinere ad ipsos Regulares, non autem ad Curatos defunctorum, & ita in posterum seruari mandauit non obstante contraria consuetudine. Die 27. Nouembris 1638. C. Episcopus Portuen. Cardinalis Pius, Iulius Ciccius Secretarius; loco † sigilli. Necnon pariter aliud decretum Sacr. Congregationis Eminentissimorum DD. Cardinalium negotijs Episcoporum præpositæ ad supplicationes pariter eorumdem RR., instantium emanat. die 14. Ianuarij 1639. de, & super eo quod defunctorum cadauera sepelienda ab Ædibus defunctorum ad eorumdem Fratrum Ecclesias recto tramite deferri licitè possint, nobis præsentatum pariter fuisse, sub infrascripto tenore videlicet. Sacr. Congregatio Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium præposita censuit defunctorum Cadauera in Ecclesijs dictorum Fratrum sepelienda ab Aedibus Defunctorum ad eorumdem Fratrum Ecclesias recto tramite deferri licitè posse, monito tamen prius, & requisito, ac expectato proprio Defunctorum Parocho, à quo Benedictionem, & vltimum vale recipere possint, quo venire expresse recusante, possint ijdem Fratres etiam ipso inuito dicta Cadauera ad suas Ecclesias trasportare. Consanguinei verò talium defunctorum illis parentare in Parochialibus, & alijs Presbyterorum etiam Cathedralibus Ecclesijs compelli nullo modo possint. Si quæ vero immemorabilis consuetudo in contrarium super præmissis existere prætendatur, legitimè probetur, interim præsens Decretum, ad vnguem seruetur, prout eadem Sacra Congregatio seruari mandauit. Romæ die 14. Ian. 1639. Cardinalis Antonius Barberinus, C. Fachinettus, Loco † sigilli. Necnon aliud Decretum Eminentissimorum DD. Cardinalium Sacri Cõcilij Tridentini Interpretum de, & super declaratione, quod quoties Cadauera defunctorum, & alia quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solet ab ipsis met Fratribus peragi debeant ad instantiam eorumdemmet RR. Fratrum pariter editum die 3. Decembris 1639. Nobis præsentatum fuisse, sub infrascripto tenore, videlicet. Die 3. Decembris 1539. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Cõcilij Tridentini Interpretum, censuit quoties Cadauera defunctorum ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, Officia mortuorum, & reliqua quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed à Fratribus obiri, & peragi debere. I.B. Cardinalis Pamphilius, Franciscus Paulutius Sacræ Congregationis Concilij Secretarius. Loco † sigilli. Necnon aliud Decretum Sacræ Congregationis Rituum sub die 14. Ianuarij 1640. ad supplicationem dictorum RR. instantium emanatum sub eo quod electio, & numerus Religiosorum pro associandis Cadaueribus ad libitum hæredum defunctorum spectet, Nobis præsentatum fuisse, sub infrascripto tenore, videlicet. Sacra Rituum Congregatio iuxta alias resoluta respondit, electionem, & numerum Religiosorum pro associandis Cadaueribus ad libitum hæredum defunctorum spectare, & pertinere, & ita vbique seruari debere declarauit, Die 14. Ianuarij 1640.

P.Car-

P. Cardinalis Crescentius, Iulius Ciccius Secretarius. Loco † sigilli.

155 Alia etiam eiusdem Sac. Rituum Congregationis decreta recensentur, quæ per extensum referuntur à DD. Quorum vnum datum fuit 19. Iulij 1636. & habetur apud *Peyr. tom. 3. de priuileg. & Bordon. d. resolut. 51. numer. 318.* sequentis tenoris.

QVæsitum fuit, an Rectores Parochialium Ecclesiarum loci de Baraxas Toletanæ diœcesis, habeant, aut prætendere possint ius sepeliendi cadauera defunctorum in Ecclesijs conuentus Conceptionis, dicti loci absque vlla desuper licentia superioris conuentus? Sacra Rituum Congregatio respondit. Non licere Curatis sepelire cadauera defunctorum, nec officia facere in Ecclesijs Regularium absque expressa licentia Guardiani, aut Superioris Ecclesiarum ipsorum Regularium, non obstante contraria consuetudine.

156 Aliud apud eosdem datum 21. Nouemb. 1637. tenoris qui sequitur.

REgulares Terræ Mathelicæ Camerin. proponunt Eminentijs vestris infrascripta dubia, eaque petunt humiliter declarari. Primo, an possint hæredes defunctorum vocare numerum Religiosorum sibi bene visum in deferendis cadaueribus ad Ecclesias? Secundo, an cadauera afferri, seu tolli possint ab alijs etiam Regularibus, & quibuscumque non vocato, nec expectato Parocho, nisi ipse Parochus aliud permiserit, vel adesse recusauerit? Tertio, an cadauer quodlicumque ad Ecclesias Fratrum Mendicantium, aliorumque Regularium deferri officia mortuorũ, & reliqua munia, quæ in huiusmodi ministeria adhiberi solent, fieri debeant à Canonicis, & Clero, vel ab ipsismet Regularibus ipsius Ecclesiæ, vbi cadauer sepelitur? Quarto, an Crux Parochialis deferri etiam debeat, quando cadauer defertur ad Ecclesiam Regularem, attenta consuetudine, & semper delata fuit vna tantum Crux illius Ecclesiæ, ad quam corpora fuerint delata?

Sacra Rituum Congregatio supradictis dubijs sic respondendum censuit. Ad primum posse hæredes Defunctorum vocare numerum Religiosorum sibi bene visum. Ad secundum, negatiue. Ad tertium, non à Canonicis, nec alijs, sed ab ipsismet Regularibus in proprijs eorum Ecclesijs officia super cadaueribus peragi debere. Ad quartum, vnicam tantum Crucem in cadaueribus efferendis esse deferendam, & illam esse debere illius ecclesiæ, ad quam corpus defuncti effertur.

157 Item aliud datum 19. Martij 1639. per Sacr. Congreg. Concilij quod refert *Bordon. vbi supra num. 25.* sequentis tenoris.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridenti interpretum sæpius censuit, quoties cadauera Defunctorum ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, ac reliqua, quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent, non à canonicis, neque à clero, sed à Fratribus obiri, ac peragere debere. Colm. Card. de Torres. P. Fagnanus. Die 19. Martij 1639. eadem S. C. Eminen. Cardinal. Concil. Trident. interpretum censuit, supradictum decretum habere locum etiam in ecclesijs monialium ordinis Mendicantium J. B. Card. Pamphilius. Fran. Paulutius Sac. Congreg. Conc. Secretarius.

158 Sacra quoque Congregatio Regularium die 20. Ianuar. 1640. sequentem determinationem edidit, quam referunt dicti *Peyr. & Bordon. n. 318. & Lez. ad Mare magnum Prædicatorum num. 85.* & est tenoris, qui sequitur.

SAcra Congregatio Cardinalium negotijs Regularium præposita sæpius censuit, licere parentibus, in quacumque Ecclesia voluerint, etiam Regularium eorum filijs minoribus, qui ad annos pubertatis nondum peruenerunt, eligere sepulturam; nec à Parochis eorum impediri posse, aut debere, præsertim vero si in dictis Regularium Ecclesijs sepeliri consueuerint, vel in eis habeant sepulcrum maiorum.

159 De vnica cruce etiam ferenda in funeribus defunctorum adsunt declarationes Sacr. Congregationum, & inter alias. *Samuel de sepult. tract. 1. disput. 3. controuer. 3. numer. 2.* refert declarationem Sacr. Congregatio Regularium, datam anno 1640. sub his verbis. 1. *Non licere ferre in processionibus cruces vel noua insignia præter solitum 2. Presbyteros alicuius Parochiæ non posse Crucem propriam erigere in processionibus, sed incedere sub Cruce Parochiæ 3. quod in funeralibus vna tantum crux deferri debeat, illius Ecclesiæ, ad quam corpus defuncti defertur dummodo non interueniat Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, sub qua omnes attrocienter funus incedere debent.* His igitur sic relatis successiue totus ordo & ritus sepulturæ considerandus est, ve appareat quid de iure possint Regulares in sepeliendis corporibus in earum Ecclesijs.

Ius sepeliendi, habent Ecclesiæ Regularium.

OBSERVATIO QVINTA.

160 LIbertas sepulturæ in Regularium Ecclesijs per ius nouum non est ablata, sed confirmata, quamuis sit in parte modificata. Primo igitur nedum quilibet potest sibi in Ecclesia Regularium eligere sepulturam, nec tenentur Regulares petere licentiam ab Episcopo vel Parocho, vel quocumque alio vt sepulturam ei concedant. Quod & ex antiquis priuilegijs habetur, & ex nouo concesso expresse PP. Discalceatis colligit *Rota in sequent.* Iuris sepeliendi *coram Manzanedo;* quæ est 86. *apud Tamburin. tom. 3. Lezana ad Mare magnum Prædicator. num. 86.* sed vbi eam elegit, non potest Episcopus, vel Parochus impedire quin defunctus ibidem sepeliatur tam ipse, quam sui successores nisi ipsi, & alibi suam elegerint sepulturam, & ita

quod

quod nulla etiam synodali, aut Episcopi constitutione potest statui vt in Ecclesijs Regularibus non detur sepultura nisi de licentia Episcopi, vel alterius. Nec simili constitutioni tenerentur Regulares obedire; quia validæ non sunt huiusmodi leges contra priuilegia Apostolica. *cap. vt animarum de const. in 6. Lezana ad Mare magnum Carmel. nu. 344. Peyr. ad const. 2. Iulij II. num. 55.* sed tamen sine Parochi præsentia, & assistentia non potest mortuus aliquis sepeliri. In hoc ergo primo remanent moderata antiqua priuilegia, quod necessaria est Parochi præsentia, quoniam ducere funus est officium spectans ad curam animarum, & ideo inter functiones Parochiales numeratur. Leo Decimus in Concil. Lateran. seu in const. dum intra mentis, 22. §. 9. ibi, *Parochias autem cum cruce ad leuandum funera eorum, qui apud Ecclesias domorum, & locorum eorundem suam elegerint sepulturam intrare non possint, nisi prius præmonito, & requisito, ac non recusante Parochiano presbytero, & tunc sine eius, ac Ordinarij præiudicio; nisi eisdem fratribus super hoc antiqua consuetudo, quæ sit in viridi obseruantia, & eam pacifica possessione, suffragetur.* Et habetur hoc idem declaratum à *Sacr. Congreg. Epis. & Regular. supra num. 155. & num. 156.* & est prorsus certum. *Lauor. tit. 2. cap. 9. num. 118. Nicolius t. 1. l. 4. tit. 15. numer. 25. §. 2. Moron. resol. 51. num. 15.* vbi quod etiam declaratum fuerit per Sacr. Congreg. Rituum in vna Montispilosi, de anno 1581. Et hoc idem tenuerunt *Imola in Clem. Dudum col. 16. n. 66. Card. ibi in §. huiusmodi in fine, de sepult. Oldrad. cons. 82. Grat. discep. 292. num. 28.* & multis probat *Grat. discept. num. 12. & 14.* Si enim Regulares cum cruce fines Parochiæ non possunt intrare pro sepeliendis corporibus defunctorum, nisi Parocho monito, & requisito, *Gratian. discep. 492. num. 37.* Vbi quod antiquitus hoc idem tenuerunt *Lapus in cap. vt animarum num. 14. de Constit. in 6. Richardus de Senis vnus de Compilatoribus sexti decretalium, Cardinal. Marescotus in repet. d. cap. vt animarum num. 42. & 43. Vgolin. de potes. Epis. cap. 17. num. 3.* Idem vero nunc sentiunt *Fusc. de visit. c. 25. nu. 8. sesse Arag. dec 413. Villar in sum. p. 2. tr. 31. diff. 5. num. 3. Hieron. Rodriquez resol. 109. num. 7. Barbosa lib. 2. de iure Eccles. cap. 10. num. 67. & de Parocho cap. 26. num. 67. Moron resol. 51. num. 26.*

162 Nam & leuare corpus defuncti de propria domo illique benedicere est proprium munus Parochi; vnde de iure est, vt Regulares non possint deferre corpus defuncti, nisi Parochus prius cum solito ritu corpus leuauerit, nimirum vt in rituali dicitur asperso cadauere aqua benedicta, dixerit antiphonam si iniquitates, Psalmum De profundis, vers. Requiem æternam &c. Ab hoc enim ritu funus Ecclesiasticum, seu processio funeralis initium habet, *Sacr. Congregatio Regular. supra num. 153. Grat. discep. 292. num. 28. Ant. Nonor. in sum. Bullar. de ass. super Cadau. defuncti num. 4. Vgolin. de potest. Epis. cap. 17. num. 3. Barbosa l. 2. de iure Eccles. cap. 10. num. 66. & de off. Parochi cap. 26. num. 66. Nicolius tom. 1. lib. 4. tit. 15. nu. 25. §. 2.* Et nihilominus attendi debet non esse functionem Parochialem in domo defuncti recitare officium defunctorum, antequam ducatur ad sepulturam, vnde non possunt hæredes impediri, quin per Regulares huiusmodi officia recitentur, & orationes pro defuncto habeantur,

163 Si tamen Regulares à Parocho vel Clero nimium tardantibus vilipendio afficerentur, quod ordinarius debeat præscribere terminum competentem expectandi post peruentionem, & requisitionem, quo elapso leuare possint corpus auctoritate propria tanquam decisum à Sacr. Congregatione Regularium 1585. 8. Octobris refert *Nicolius d. §. 2. in fin.*

164 Limitatur etiam præfata assertio, vt si Parochus requisitus nolit conuenire, tunc possint Regulares cadauer leuare, & illud ad suas Ecclesias deferre. Sic habetur expresse declarat. *Sacr. Congregationis supra num. 153.* & tanquam decisum à S. Rituum Congregat. in Capuana 22. Decembr. 1629. tenet *Moran. res. 51. num. 25. Lauor. tit. 2. cap. 3. num. 207. Bordon. tom. 2. res. 51. num. 40. Lezana v. sepultura num. 4. & v. Defunctus. num. 2. Barbosa l. 2. de iure Eccles. cap. 10. num. 82.* Et ex Sacr. Congr. Episcop. & Regular. in vna Brixien. 8. Iunij 1591. & in vna Nicotoren. 5. Iunij 1615. *Samuel disput. 3. contrau. 14. an. 19. pag. 181.* & apud eum *Aldan. & Monticius. Nicolius t. 1. l. 4. tit. 15. num. 25. §. 2.*

165 Sed nunquid Parochus expresse omnino recusare dicendus est, si neget venire sub conditione, vt si nolit interesse, nisi hoc vel illud fiat, vt nisi detur sibi tanta pecuniæ summa, vel nisi ad funus aduocentur etiam tales, vel tales sacerdotes sui amici, vel de sua Parochia? Videtur enim quod hoc non sit omnino recusare, nam dictio omnino significat idem, quod absolute, seu simpliciter, at vero volitum, vel nolitum sub conditione non est volitum absolute, & simpliciter, seu penitus, sed secundum quid, & imperfecte, volitum namque conditionatum est volitum imperfectum, & non absolutum. Verũ econtra si Parocho ad impediendum ne Regulares sine illo deferrent cadauera ad sepulturã sufficeret, quod ipse recusaret sub quacumque conditione, ipse ad libitum etiam sine ratione mentem legis irrideret, & funera, quæ vellet iusta, vel non iusta impediret. Tres ergo casus hic distingui possunt, vel enim conditio apposita est manifeste & notorie iusta, vel est manifeste & notorie iniusta, vel est dubia. Si est manifeste & notorie iusta, vt si sibi negaretur quarta funeralis notorie sibi debita, certe non censeretur omnino expresse recusare, quia immo hoc esset velle interesse, & simul velle quod sibi ex interessentia debetur, vel quod si interfit, non potest, nec debet negari. Sed si conditio sit notorie turpis, vt quia conditio notorie est contra legem, vt si neget interesse nisi aliquod turpe sibi concedatur, censendus est absolute nolle, quia conditio turpis habenda est pro non adiecta; *Syluest. v. conditio num. 8.* & quia lex iniustitiæ, & turpibus non patrocinatur, quod faceret, si concederet Parocho, vt ex conditione turpi sibi negata posset impedire funus, & molestiam tam hæredibus defuncti, quam Regularibus inferre. Sed si conditio sit probabilis & dubia, quia probabile est quod de iure Parochus illam apponere possit, & iuste sibi deberi, vel Parochus habet probabilem rationem dubitandi, & iudicium iudicis implorandi, tunc recusans sub illa conditione non omnino recusare dicitur. Sed hic tamen considerandum est, quod

si con-

si conditio non est sibi debita, illic censeri debet vt turpis & iniusta. Qui enim tenetur agere, non potest actioni imponere conditionem, vt sic dicam, lucratiuam, & quæ importet aliquid sibi non debitum, quia sine illa ipse tenetur agere, nec potest cogere ad onus non debitum & in proposito nostro vellet ex pacto obligare hæredes, vel Regulares ad id, ad quod non tenentur, sub pacto interessendi funeri defuncti, vel est simonia, vel est iniustitia, quis est obligare ad bonum supererogatorium, & indebitum; vnde omnis ista conditio turpiter adiungitur à Parocho, & vel simoniaca, vel iniuste. Solum igitur Regulares Parocho sub conditione nolente interesse non possunt de facto ducere funus defuncti ad eorum Ecclesias, si conditio sub qua Parochus negat interesse importat aliquid sibi manifeste debitum, vel sit probabile sibi deberi. Sed in hoc casu recurrendum est ad iudicem, & lis statim est decidenda. Nam quia causa sepulturæ est de his, quæ non patiuntur dilationem, Ordinarius vnum de duobus debebit facere, vel statim scilicet litem diffinitiue dirimere, vel interim præcipere Parocho vt intersit, vt sepeliatur defunctus, vel corpus eius in aliqua Ecclesia depositetur, si sit dubiũ vbi sit sepeliendum; & non possit statim difinitiue hoc determinari, vel iusto alio modo sibi bene viso prouidere accepta à quibus est expectanda debita cautione de stando iuri, causa enim sepulturæ dilationem non patitur. *l. Ne corpora. ff. de Relig. & sump. fun.* Quod si Parochus renuat, vel iudex non prouideat, poterunt hæredes vel ij ad quos cura sepulturæ pertinet per Regulares suum mortuum inuito Parocho, & Iudice sepelire, quia tunc vterque est manifeste iniustus, & cadauer non debet diu manere insepultum.

166 Ideo aduertendum est, quod sepultura non debet retardari sub quouis prætextu compositionis, aut quartæ funeralis, aut iuris sepulturæ non soluti. Nulla enim ratio patitur, & Christianæ pietati repognat maxime propter interesse pecuniarum cadauer insepultum remanere. Et ideo quod sub quouis prætextu compositionis, aut quartæ funeralis non sit retardanda sepultura tanquam decisum à Sacr. Congreg. in Catanen. 5. Maij 1617. tradunt *Barbosa l. 2. de iure Ecclesias. cap. 10. num. 55. Lezana v. sepultura num. 13. & verb. defunctus num. 5. Moron. resol. 51. num. 12.* Vbi quod cum ad Sacr. Congreg. perlatum fuisset cadauer cuiusdam Leonoræ Forestæ occasione iuris sepulturæ prohibitum fuisse humari, scripsit Epis. Crotonien. vt statim dictum cadauer sepulturæ tradere faceret.

167 Quod eo magis est faciendum, si prætensio Parochi sit iniusta, vt si plus velit, eo quod sepultura electa fuit in Ecclesia Regulari, vel quia sepeliendus est forensis. Non enim potest Parochus prætendere plus, ex eo quod extra Parochialem Ecclesiam in alia seculari, & Regulari electa fuit sepultura. *Bordon. t. 2. resol. 51. num. 139. Lezana v. sepult. num. 5. Barbosa de iur. Eccles. l. 2. cap. 10. numer. 84* Quod quidem fuit expresse determinatum per Sacr. Congregat. Epis. & Regular. 27. Octob. 1603. & per Vrbanum Octauum confirmatum supra num. 52. & iterum per Sacr. Congreg. Epis. & Regul. 26. Aug. 1641. declaratum fuisse Parochum non posse accipere vnum scutum vltra quartam funeralem ab his, qui sepeliuntur in Ecclesia Regularium, refert Lezana vbi supra. Existimat vero Bordon. quod Parochus hoc faciens sit simoniacus, *ex cap. non satis 8. ex cap. cum in Ecclesia 9. & cap. audiuimus 41. de simonia cap. quæst. 12. & cap. præcipiendum 13. q. 2.* Sed certe vnum de duobus peccatis est, scilicet vel simoniæ, si illud plus exigatur tanquam precium sepulturæ in aliena Ecclesia permissæ, vel certe iniustitiæ si exigatur, non vt precium sepulturæ, sed vt sustentamentum; quia non sibi debetur maius, ex eo quod defunctus hic vel alibi sepeliatur, cum sepultura sit libera: & indirecte contra libertatem sepulturæ est, si plus exigatur ab eligenti sepulturam in Ecclesia Regularium, quam in Parochia, aut alijs Clericorum Ecclesijs. Adest etiam de hoc pro Indijs speciale decretum Clem. VIII. quod refert *Portell. v. sepultura in addit. n. 2.* & habetur in Bullar. *Rodriq. const. 2. Clem. VIII.* & in Bullar. Rom. 96. per quod prohibitum fuit sub pœna excommunicationis Parochis, ne plus reciperent occasione sepulturæ habendæ in Minorum Ecclesijs. Arbitratur vero Portel. quod hoc sit priuilegium communicabile omnibus Conuentibus dicti Ordinis, ex quo Lezana ait posse dici quod sit commutabile omnibus Regularibus communicantibus in priuilegijs Minorum. *Portell.* consentit etiam *Peyrin. tom. 3. priuileg. cap. 4. num. 8. Samuel. de sepult. disp. 3. contr. 4. numer. 3.* Qui addunt etiam aliam rationem, quia scilicet, illa constituti Clementis sit declaratio iuris communis, & ideò vim habeat extensam ad omnes, sicut habet ius commune. Sed prima ratio non valet pœnales enim Constitut. Pontificum non sunt priuilegia, sed leges. Secunda quoque ratio probat quidem, quod quantum ad vim directiuam lex declaratiuã iuris communis extendatur ad omnes, ad quos extenditur ius commune, sed tamen non quantum ad vim coactiuam, & pœnam excommunicationis, vt bene aduertit Bordon. Cæterum quantum ad rem præsentem spectat adest alia Constit. Pauli V. quæ incipit. *Expositum nobis*, & est in Bullar. Roman. 47. in qua sub pœna excommunicat. reseruatæ sibi, præterquam in mortis articulo prohibet Parochis In Indijs Orientalibus, vel Occidentalibus existentibus ne ab ijs, qui in *Ecclesijs* Minorum de Obseruantia, sepeliuntur maiorem eleemosynam exigant etiam de consilio, & mandato suorum Ordinariorum, quam sit illa, quæ fuit determinata à *Concil. Trid. sess. 25. cap. 13. de Regul.* Et iuxta explicationem Pij Quinti in sua Constit. dat. Romæ 7. Cal. Iunij 1567. nimirum in Const. *Et si Mendicantium*. Et idem prorsus statuit idem Paulus Quintus contra Parochos Indiarum Orientalium, & Occidentalium in constit. sua 32. ad fauorem Minor. de Obseruantia, quæ fuit postea confirmata ab Vrbano VIII. 12. Calend. April. anno 1623. constit. sua 21. eiusque executio fuit commissa Inquisitoribus hæreticæ prauitatis. Fauent vero omnes istæ Constitut. omnibus Regularibus, quia Pontifices isti hunc morem accipiendi maiorem eleemosynam occasione sepulturæ habendæ in Ecclesijs Regularium vocant abusum, & tanquam abusum prohibent, vnde est quod illud non solũ est malum, quia prohibitum, sed eo est prohibitum, quia secundum se, & ideo vniuersaliter est malum, & tanquam tale sæpius prohibitum etiam à Sacr. Congregationibus, vt à S. Congreg. Episc. & Regular.

gulat. 27. Octobr. 1603. in Mataranen. 25. Martij 1642. & à S.Congreg.Rit. 21. Nouemb.1627.

168 Pariter non possunt Parochi maiorem eleemosynam recipere pro sepultura forensium, aut extraneorum, quam incolarum. Sicut fuit determinatum per Sac.Congreg. Concilij sub die 27. Maij 1617. *Lauor.tit.2. cap.10. num.7. Barbos.l. 2. de iur. Eccles.cap.10.num.83.Moron.res.51,num.19. Bordon.res.51 num.200.Samuel d.contr.4.nu.7.*

169 Nam & immo quod Parochi pauperum cadauera gratis teneantur sepelire, prout declarauit. Sacr.Congreg.Regul.in Cassanen.5.Maij 1617. docent *Barbosa vbi sup. num.84.& Samuel vbi sup. num.8.* & Romæ ex præscripto Pij Quarti in sua Const. hoc fieri mandauit Confraternitati mortis. De his vero præfatis assertionibus videri possunt etiam *Bannes.2. 2.quæst.32. a. 2. conclus. 3. Valen. tom.3. disput.3. quæst.9.par.2.Sà v. sepultura, & Bassæus, Layman lib.3. tractat.5.cap.12. numer.2. Aldau. in compend. Canon. resolut. lib. 4. t.17. numer.25, Gennetus.resol.638. & alij.* Quamobrem si ex aliquo istorum capitum Parochus nollet interesse funeri, & leuare corpus, iuxta regulas supra num.165.traditas posset Regulares sine Parocho corpus ad suas Ecclesias ducere, & illud sepelire, si alias in eis esset sepeliendus. *Bord.res.51. num.44.*

170 Tantum vero abest, quod pro interesse pecuniario Parochi possit impediri aut retardari alicuius sepultura, vt nec ad instantiam creditorum, possit defuncti sepultura retardari. Nam vt habet *Syluest.v.sepultura num.12.* accedens ad domum moribundi, & ipsum, vel alios molestans, aut rebus eius insignia ponens ipso iure ab actione, & in tantundem condemnatur hæredibus defuncti, & publicatur tertia pars suorum bonorum, & est infamus; & idem in eo, qui circa funus peccat. Authen. Item qui domum *C. de sepult. vit.* Nec debet impediri sepultura prætextu cuiuscumque obligationis. Cum sit, *C. de sepult. vial.* Nec debet fieri molestia intra decem dies ab obitu; alias pro tunc est inutile, vt ibi *in Authent. sed nec ante. Syluest. vbi supra.*

171 Limitatur secundo assertio posita, vt vbi viget consuetudo quod Regulares Parocho non requisito intrent cum Cruce fines Parochiæ, & corpora defunctorum deferant ad suas Ecclesias, & eos sepeliri faciant, illa sit seruanda sic enim expresse voluit *Leo Decimus sup.num.161.& S. Cangr. Regular.in declarat. posita supra num.153.* improbat consuetudinem, quæ neque erat antiquitate vallata, neque viridi obseruantiæ nitebatur, neque pacifica & non interrupta possessione firmatam esse constabat. Cæterum eadem Sacr. Congreg. ibi in fine decreuit firmata esse debere & in suo robore permanere circa iura ad sepulturam spectantia, quæ ex particulari consuetudine, aut aliò iure obseruantur. Vnde in his standum est consuetudini locorum legitime præscriptæ & possessioni pacifice vallatæ. Nam in materia funerum statur semper consuetudini. *Grat. discept.462. num 7.ex Glass. in Clem. Dudum §.verum, v. integre de sepult.*

172 Sicut & pacta seruari debent. Ideo teste *Lezana ad Mare magnum Minorum §.30.num.78.* per Innocentium Decimum sub die 22. Februar.1645. confirmata fuit cōcordia inita inter Clerum & Regulares Regni Maioricæ, vt exceptis aliquibus Conuentibus nominatis, Regulares aliorum Conuentuum possint absque interuentu Parochi atque Clericorum secularium ingredi Parochias, indeq; ad suas parochias leuare & efferre corpora defunctorū, qui apud ipsos Regulares elegerint sepeliri, prout vsq; ad illud tempus consuetum fuit, atque adeo in hoc nihil esse Innouandum. Fuerunt vero excepti nonnulli Conuentus ex pacto in eorum fundatione inito, vt fratres dictorum Conuentuum non possent sepelire defunctos sine interuentu Parochi & Cleri. Vnde ex eo breui Innoc.X. bene colligitur, quod in his consuetudo, & pacta seruari debent. Sic enim si etiam contingat, quod Regulares cum Parocho ineant pactum de non sepeliendo aliquo in eorum Ecclesijs, quod pactum valeat, dixerunt *D. Anton. p.3.tit.10.cap.5.§.2.Syluest. v. sepultura num.3. Tabien.ib.num.2.* sed de hoc infra.

173 Limitatur tertio vbi Parochus ipse concesserit, vt sine eius præsentia defunctus aliquis sepeliatur. Ita *Leo X. supra num.161.& Sacr. Congreg. Regul.sup.num.153.*

174 Et nihilominus quod prædicta non obstantibus etiam hodie possint Regulares per se loquendo sepelire mortuos in eorum Ecclesijs sine interuentu & præsentia Parochorū tenet *Samuel de sepult.disp.3.contrav.14.* Et mouetur primo quia hoc fuit illis concessum per *Benedictum 11. in extrauag. Inter cunctas, de Priuileg. & per Clem. Dudum, de sepul.& per Pium Quintum in Const.ad hoc nos Deus supra num.150.* Quæ Pij Quinti Constit.non fuit reducta ad term. iuris per Gregor.XIII. cum in hac parte nihil contineat, quod aduersetur Conc.Trid. & Gregor.XIII. Constitut. Pij Quinti autenticare fecit per D. Hieron. Matteium Auditorem Cameræ. Nec priuilegia præfata abrogata fuerunt per Leonem X. in Concil. Later. sess.11. vt apparet ex verbis Concilij in Bulla sacro approbante, quæ habetur in Bull. Prædicatorum fol.176. Noluit enim Leo X. derogare cōsuetudini pacificæ Regularium, qui erant in possessione vtendi iuribus & priuilegijs suis. Et in decreto Sacr. Congregat. non derogatur iuribus priuilegiorum. Et dato quod Concil. Lateranen. derogasset antiquis priuilegijs, ex noua concessione Pij Quinti id modo licet. Et hoc confirmatur ex Rota in Segunt. Iuris sepeliendi, Mercurij 5. Iunij 1613. vbi decretum fuit Priorem & fratres Conuentus Sanctæ Mariæ de Carmelo, Discalceatorum esse manutenendos in possessione sepeliendi cadauera mortuorum sine licentia Capituli, seu Capellani maioris. Ratione etiam hoc probatur, quia Regularibus, per iura præfata concessa fuit libera facultas sepulturæ, dictio vero libere excludit omnē moram & conditionem, *cap.exstirpanda.§.penult.de praben.& cap.si benef. de prabend. in 6.* Et importat prærogatiuam quandam, & dominium super actum. *l. Procurator cui libera. ff. de iure iuran.cap. Cum nobis, de elect.Panor.cap.cum Liberum de sepult.* Et de essentia dictionis libere est, vt alterius consensus non exigatur. *cap.de multa, de Preb.& c.licet Episcopus, de praben. in 6.* Cum ergo Regularibus concessum fuerit, vt libere in suis Ecclesijs, possint sepelire defunctos, ad hoc nullius alterius indigent præsentia vel consensu. Et confirmatur quia concessa sepultura defuncti intelligitur concessa processio necessaria ad deferēdum corpus sepeliendum. *Barbos.de iure Eccles.l.2. c.10.num.56.*

Sic

Sic enim concesso potu aquæ, intelligitur concessũ iter ad aquam sumendam, & concesso fine conceduntur media ad finem.

175 Sed hæc minime probant. In extrauag. enim inter cunctas non potest haberi fundamentum, cum per Clem.Dudum, sit reuocata, & ad terminos iuris redacta, saltem in ijs, in quibus dissentiat *d.Clem.Dudum* vim non habet. Solum posset dici, quod nulla est contrarietas inter dictas Constit. quia & in *Clem. Dudum*, licet non tam expressè, tamen satis clare conceditur illud idem priuilegium, quia conceditur libera sepultura nulla alia conditione apposita, nisi quod Parochis soluatur quarta funeralis. Verum considerandum est, quod neque in *extrauag. inter cunctas*, neque in *Clem. Dudum* expresse conceditur quod Regulares irrequisito Parocho aut sine eius licentia assumant cadauera ex eorum domibus, & deferant sepelienda in eorum Ecclesijs, sed hoc deducitur ex eo, quod non est exceptum, & expressum, quod peti debeat licentia Parochi, sed absolute est concessum posse ingredi Parochias, & cadauera ad sepulturam deferre. Vnde secundum Iura antiqua adhuc disputabile erat, an huiusmodi Parochi præsentia aut licentia esset necessaria. Sed Leo X. omnem abstulit dubitationem, & voluit quod necessaria esset Parochi præsentia, si ipse vellet adesse, & quod propterea monendus esset solumque preseruauit consuetudinem aliter faciendi, vbi illa esset introducta & in viridi obseruantia pacifice possessa, vt ex eius Constitut. est manifestum. Et sic etiam hodie est verum, quod in hoc consuetudo est seruanda. Quantum vero ad Pium Quintum *Grat.discep. 292.num.17.* inquit quod illa Constitut. fuit reuocata & reducta ad terminos iuris communis, & Concil.Trid. per Const. In tanta Gregor.XIII. Et pro reuocata in hac parte eam habuit Sacr.Congr. volens obseruari decretum Concil. Lateranen. & quod dicitur eundem Gregor.XIII. per Auditorem Cameræ authenticasse Constit. Pij Quinti, seu iussisse illas authenticari, non habet fundamentum. Neque enim Auditor Cameræ consulit Papam quādo expedit monitoria, vel hoc fit Papa specialiter iubente, vel etiam sciente. Nec per talia monitoria habetur quid amplius, nisi quod literæ Apostolicæ Auditori Cameræ præsentatæ & ab eo recognitæ, & approbatæ veræ sunt, & sub eo tenore expeditæ. Sed an de facto subsistant, & sint, vel non sint reuocatæ, non decernit Auditor Cameræ in Monitorijs, quæ etiam in simplicem citationem resoluuntur. Sed huius cognitio spectat postea ad causæ cognitionem, quæ partibus auditis, & de nullitate, vel subreptione literarum excipientibus habetur, & auditis audiendis definitur. Vnde etiam quæ ex vi dictionis libere adducuntur non habent vim, nedum quia *Oldrad.cons.82. Rebuff. de sentent. execut.art.3.Gloss.1.num.3.& Euerard. argum.à concess. consequentis ad concess. antecedentis col.2. vers.2. limitatur num 2.Lap.in cap. vt animarum num.24. de Const. in 6. & alij apud Grat. d. discept.492. num.34.* senserunt quod non obstante concessione liberæ sepulturæ Regulares non possent propria auctoritate accipere cadauer, & illud sepelire, sed quia Concil. Lateran. & Sacr. Congreg. explicarunt, & limitarunt vim illius dictionis *libere*, & determinationi eiusdem Concil. Lateranen. est standum, vt necessaria sit Parochi præsentia, si velit ipse interesse, nisi adsit in contrarium specialis consuetudo, quæ si adsit seruanda est, & iuxta *decis. Rotæ incitata Segunt.iuris sepeliend.* Vbi Regulares sint in possessione sepeliendi mortuos irrequisito Parocho sunt in ea manutenendi, vt infra explico.

176 Parochus vero ex officio suo tenetur interesse funeribus suorum Parochianorum. *Barbos. l.2.de iure Eccl.c.10.num.75.Lezana v. sepultura n.5.* Vbi quod si non assistat nō lucratur eleemosynam debitam ratione associationis.

177 Cæterum adeo libera est Regularibus sepultura in eorum Ecclesijs, vt si quis in eorum Ecclesia nouiter erecta, & nondum benedicta eligat sepulturam, ibi sit sepeliendus. *Bord.resol.51. nu.1.* Etenim Ecclesiæ Regularium à puncto erectionis priuilegijs suis frui possunt, & ad hoc nulla Episcopi licentia indigent. Neque obstat, quod Ecclesia nondum sit benedicta, quia sufficit si locus sepulturæ benedicatur, sic enim extra Ecclesiam in Cœmeterio, & in Claustris monasteriorum sepeliri possunt defuncti vt supra probatum est. Vnde etiam in Ecclesia nondum benedicta, quæ ex consensu Episcopi ad diuina officia est ædificata possunt defuncti sepeliri loco per modum Cœmeterij iuxta Rituale Romanum benedicto.

178 Ecclesiæ quoque Regularium etiam Monialium ex dictis priuilegijs liberam habent sepulturam. *Bordon.res.51. num.83.* In eisdem vero Parochi nullam habent iurisdictionem. Parochi enim non habent iuris assistentiam in Ecclesia Regularium ex eo, quod sit posita intra eius confines. Vt per *Panorm.in cap.Dilectus num.3. & 11. de Capell. Monach.& in cap.cum venerabilem nu.46.de except.* tenuit *Rota in Veronen. Iur.Parochialium 23. Martij 1629. penes Tambur.dec.87.num.2.& 3.tom.3. & in Romana iurium Funeralium 4.Iulij 1653.coram Zarate.* Ideo nec Parochus, nec Episcopus possunt in Ecclesijs Regularium vtriusque sexus aliquem eisdem Regularibus inuitis sepelire. *Bordon.res.51. nu.8.Lezana v.sepultura num.12.* Quod fuit expresse declaratum per Sacr. Congreg. Rituum in Toletana de Baraxas die 19. Iunij 1636. prout refert *Peyr.in tom.3.in 9.* decreto sub his verbis. *Quæsitum fuit an Rectores Ecclesiarum de Baraxas habeant, aut prætendere possint ius sepeliendi Cadauera defunctorum in Ecclesia Conuentus Conceptionis dicti loci absque vlla desuper licentia superioris Conuentus. Sacra Rituum Congregatio in casu proposito respondit. Non licere Curatis sepelire Cadauera Defunctorum, neque officia facere in Ecclesiis Regularium absque expressa licentia Guardiani aut superioris Ecclesiarum ipsorum Regularium, non obstante contraria consuetudine.* die 19. Iulij 1636. Quod quidem verum est, & seruari debet etiam si defunctus elegisset sepulturam in Ecclesia Regularium, & etiam si ob hanc causam adesset aliqua donatio, vel legatum. Econtra vero Regulares, ad hoc vt aliquis sepeliatur in eorum Ecclesijs, nec indigent Ordinarij, aut Parochi licentia, vel consensu, nec ab eis impediri possunt, vt ex supra adductis priuilegijs constat, & tenent DD. communiter.

179 Propterea si Regulares sint in quasi possessione sepeliendi in sua Ecclesia in ea sunt manutenendi sicut dixit *Rota coram Manzanedo in Segunt. iuris sepelien.5.Iunij 1613. ex §.retinendæ Instit.de Interdi-*

*ctis. Caputaq.decis.*198.*p.*2.*Rota decis.*4. *num.*11. *&* 19.*p.*2.*diuersorum*, *Lauor.tit.*2. *cap.*9. *num.*20. Et ad hunc effectum sufficit quod præcesserit vnicus actus. *cap. cum Ecclesia Sutrina, vbi Panorm. num.*23. *de causa possess.Ruin.cons.*106.*vol.*5.*Put.dec.*192. *l.*1. *&* *dec.*17.2.*p.inter impressas*. Arbitratur autem *Lauor. vbi supra num.*23. quod si Curatus prohibeat Religiosos de non sepeliendo in eorum Ecclesia, cum acquiescentia fratrum, prout requiritur ad acquirendum possessionem contra aliquem, fratres sibi præiudicent. Et id probat ex *l. in Prouincia. C. de seruitut.But.in cap. significante num.*11. *de appellat.l. l.fin ff.de vsucap.vbi DD.§.flumina, Instit. de rer.diuis.vbi DD.Rota dec.*33.*num.*1.*p.*1.*diuers.& in d.Segunt.*15.*Iunij* 1613.& addit *num.*23. quod ex depositione testium extraiudicialiter de sepultura corporum in aliqua Ecclesia resultat acquiescentia Curati. *l.*3.*§.an opere, vbi Gloss.& DD.ff.de nou.op. enunciat.Rota in Vlisipponen.concordiæ* 5.*Maij* 1599. *Coram Iusto*. Sed econtra *Bordon. res.*51. *num.*70. docet per hanc acquiescẽtiam Regulares non perdere ius sepeliendi; Quia iuri publico, cuiusmodi sunt priuilegia Regularium, nec vnus Conuentus, nec vnus superior renunciare potest, aut ea amittere. Ea enim acquiescentia est pro illo actu tantum, & sic cum sit causa limitata, limitatum producit effectum. *l. In agris. ff de acquir.rerum domin.* Confirmatur quia prohibitio Parochi nulliusroboris est, cum sit prohibita per Constitutiones Pontificum, & decreta Sacr. Congret. vt ex præcedentibus est manifestum, ergo non potest esse in causa, quod ius sepeliendi perdatur. Distiuguit etiam inter acquiescentiam, & licentiam, quia vbi superior Regularis det licentiam, vt sepeliatur in Parochia aliquis sepeliendus in Ecclesia Regulari, non sibi præiudicat, inquit idem *Bordon. num.*55.*&* 69. quia gratiam faciens non sibi præiudicat, quia immo in hoc dominium exercet, quo non se priuat ex eo quod in casu singulari aliquid faciendi, quod sibi est proprium, licentiam concedit.

180 Et quidem ad perdendum ius sepeliendi certum est, quod non sufficit patientia seu acquiescentia per quam Conuentus aliquis, vel eius superior permittat semel, vel aliquando per breue tempus sepelire in Parochia eos, qui sunt sepeliendi in Ecclesia Regulari, cum ad hoc quod Ecclesia contra Ecclesiam præscribat requiratur tempus quadraginta annorum *cap.ad illud, & cap.quarta*, cum ibi notatis, *de præscrip.Authent.quas actiones C.de Sacros.Eccl.Put.decis.*252.*num.*3.*l.*3. *Rota decis.*208. *num.*1.*p.* 1.*recent.* Sed difficultas est quantum ad effectum manutenendi in quasi possessione sepeliendi. Considerandum autem est, quod licet manutentio detur possidenti ex vulgato *§.retinendæ. Inst. de interd.Rota dec.*170.*num.*2.*p.*8. *recent.* Et ita quod assistentia iuris communis non operatur, quando aduersarius est in possessione. *Rota dec.*501.*nu.*4. *p.*2. *recent.* Nihilominus nedum considerandũ est, quod manutentio sine titulo non datur habenti contra se vehementem resistentiam iuris communis *Bellam. dec.*453.*Menoch.de retinen. remed. vlt.num.*24. *Rota dec.*752.*num.*4.*p.*2.*recent.* & nedum, quod manutentio non debet dari, quando in continenti probatur, quod possidentis titulus est inualidus. *Panorm. & Innoc.in cap.cum Ecclesia Sutrina, de caus. possess. Grat.discep.*399. *num.*1. *Rota apud Caputaquen. decis.*296.*p.*1.*& coram S. M. Gregor.XV.dec.*404.*nu.*1. *& decis.*56.*num.*1.*p.*8. *recent.* Sed præcipue attendi debet doctrina *Innocent.& Panorm. in cap.cum liberum de sepultur.* quod in materia sepulturæ cadaueris humani non potest agi nudo possessorio, sed debet probari titnlus proprietatis, quia eo non probato, vt aduertit Innoc. iudex exponeret periculo exhumandi humanum corpus, si postquam illud sepultum fuisset in parochia, Regularis Ecclesia titulum proprietatis suæ probaret, corpora vero humana non ita sunt tractanda. *l. Nec corpora ff. de relig.& sump.fun.* Tum quia corpus Christiani de cuius possessione disputatur, vt aduertit *Anchar.* res est religiosa habens causam proprietatis annexam. *l.*1.*§.quadam ff.de interd.vel secundum Panorm.* pro homine non potest agi nudo possessorio, quia homo liber possideri non potest, etiam si teneatur vinculatus. *l.cum heredes in f. ff.de acquir. possess.* ita non potest haberi possessio cadaueris, cum ius pariter resistat possessioni vtriusque siue causa. *arg.ex d.l.cum haredes*, addito textu in *Authent. vt defun. seu fun. eorum in princ.* Volens ergo agere possessorio in huiusmodi debet prius probare titulum possessionis. Ad quod facit *cap. ad decimas, de restit. spol.in* 6. Ecclesia igitur agens pro cadauere habendo debet probare titulum possessionis, & nudo possessorio uon potest agere. Quantum vero ad modum probandi non conueniunt *Innoc. & Panorm.* quia ille vult quod titulus possessionis plene probetur. *Panorm.* autem putat satis esse in possessorio probare titulum apparenter iustum, nec admitti debere exceptiones concernentes intrinsecum defectum tituli, sed debere reseruari in causa proprietatis. Sed certe valde vget ratio Innocentij, vnde in casu occurrenti prudens arbitrium iudicis illam cum circumstantijs deberet ponderare.

182 Hic tamen etiam est aduertendum, quod quia sepultura hominis non recipit dilationem. *l.nec corpora ff.de relig.& sump fun. Bellencinus de subsidio charitatiuo.q.*55. *num.*5. quem sequitur *Lauor. tit.*2. *c.*9.*num.*115. Ideo idem *Lauor.* deducit, appellationem in huiusmodi causa non habere locum per *Gloss. & Io: Andr. in cap. ex parte* 1. *de sepult.* & ibi *Anchar.num.*4. Sed dicitur quod primo hoc non potest intelligi nisi de appellatione suspensiua, *Rota decis.*537.*num.*8.*p.*1. *Recent.l.fin.ff.de appell.recip. l.quisquis.C.quorum appell.non rec.cap.fin.*2.*q.*6. alias enim de iure naturæ est appellatio, quæ non debet negari. Sed neque consequentia est necessaria quantum ad effectum suspendendi, si causa appellationis potest sine dilatione cognosci. Immo absolute locum potest habere appellatio etiam quantum ad vim suspendendi, non quia interim corpus non sit sepeliendum, sed quia debebit depositari in aliquo loco, vsque quo apparebit, vbi sit in perpetuum sepeliendum. Nam & conuenientius, & cum maiori reuerentia tractabitur cadauer si depositetur inclusum in aliqua capsa & in loco sacro, & postea sepeliatur, quam si perpetuæ sepulturæ traditum contingat illud exhumari debere, & ad aliam sepulturam deferri. Ideo hæc sunt arbitraria iudici, qui secundum suam prudentiam attentis circumstantijs facti decernet quid melius sibi videbitur vel admissa, vel reiecta appellatione. Alias enim cum causa sepulturæ, vt ex *Innoc. Anchar. & Panorm.* Sit causa habens mixturam possessorij & petitorij, admittit

admittit appellationem quantum ad vtrumque effectum, hanc enim admittit causa sic mixta, per DD. quos refert, & sequitur *Rota dec. 133. nn. 2. & 3. p. 8. recent.*

Qualis ritus seruandus in funere defunctorum apud Regulares.

OBSERVATIO SEXTA.

183 EX eisdem declarationibus sacrarũ Congr. supra recensitis colligitur qualis ritus sit obseruandus in sepeliẽdis corporibus defunctorum in Ecclesijs Regularium. Circa quod primo considerandus est locus in quo Regulares ipsi congregandi sunt, pro habenda funerali processione. Circa quod hæc est Regula vt in hoc seruetur consuetudo quantum ad hoc quod est eos congregari vel in Ecclesia Parochiali, vel in alia, ita quod nulla obstante consuetudine in contrarium non congregentur in publica via prope domum defuncti. Sic enim decreuit Sacr. Rituum Congreg. in Bononien. 9. Decembr. 1617. in Tropien. 16 Februar. 1631. & Theles. 12. Februar. 1633. & in Liman. 15. Decemb. 1632. & Sac. Congr. Episcopor. & Regular. in Vigleuanen. 13. Nouembr. 1600. & in alia 28. Nouembr. 1642. & Sacr. Congreg. Concilij 16. Ianuarij 1622. Etiam non obstante quod non adesset Clerus sed solus Parochus. Sacr. Congreg *Episc.* & Regular. 23. Mart. 1646. 29. Maij 1648. 28. Aprilis. 1651. Vbi tamen cadauer defuncti esset depositatus in aliqua Ecclesia, in ea congregandi essent Regulares & Clerus pro deferendo cadauere ad sepulturam S. Rit. Congr. in Senugall. 26. Aug. 1616. Quamuis vbi cadauer contingat sic depositari, ratione ius nihil emolumenti dandum sit Parocho, vt determinauit Sacr. Congr. in Placent. 23. Martij 1619. *Barb. de Paroch. c. 26. num 72.* Itaque igitur ex his Sacr. Congr. declarationibus, quod nulla obstante consuetudine, permittendum non sit, quod Regulares in via seu ad domum defuncti congregentur, vt Parochum expectent vel Clerum, seu tempus ducendi funus, quia huiusmodi consuetudo vere nõ est rationabilis, sed est abusus nõ tolerandus, si alicubi inuenitur, sed quod huiusmodi congregatio iuxta consuetudinem fieri debeat vel in Parochia, vel in aliqua alia Ecclesia, dixerunt. *Barbosa l. 2. de iure Eccles. cap. 10. nu. 63. 64. 65. & v. Defunctus & de off. Parochi cap. 26. num. 63. Moron. resol. 51. num. 22. 23. & 24. Lezana p. p. cap. 12. num. 41. ad quartum & p. 3. v. defunctus. nu. 3. Nicolius tom. 2. lib. 4. tit. 15. num. 25. § 6. & in Floscalis v. sepultura Lauor. tit. 2. cap. 3. nu. 101. Bordon. autem tom. 2. ref. 51. num. 63.* addidit Regulares debere accedere ad locum determinatum à Parocho, qui fere Ecclesia Parochialis defuncti est, quia in potestate Parochi est dispositio viæ funeris. Sed hoc non habetur ex præfatis declarationibus, quæ nullum ius in hoc tribuunt Parocho, neque in gratiam illius, vel in aliquam Parochialis Ecclesiæ prærogatiuam id statuerunt, vnde nec absolute decreuerunt Clerum congregandum esse in Ecclesia Parochiali, sed in vel ea in alia iuxta consuetudinẽ, sed ratio fuit quia indecens & minus Religiosum est, quod Clerus, & Regulares viri Religiosi expectent in publicis vijs tempus ducendi funus; quamuis vt plurimum consuetudo sit, vt Romæ, Bononiæ, Cremonæ, &c. quod huiusmodi congregatio fiat in Ecclesia Parochiali tanquam proximiori ad domum defuncti, & commodiori. Nam alias vbi valde incommodum esset congregari in Parochia, tunc in Ecclesia commodiori congregandus potius esset Clerus, & posset esse tanta Parochialis incommoditas, vt toleranda esset consuetudo loci conueniendi non ad Ecclesiam sed ad domum defuncti.

184 Qui vero ex Clericis & Regularibus conuocandi sint ad funus determinare est hæredum vel habentium curam sepeliendi defunctum, non vero Parochorum. *Et* circa hoc sequentes declarationes Sacr. Congreg. attendi debent. Nam quod hæredes defuncti non teneantur inuitare ad funus nisi Parochum decreuit Sacr. Congreg. Episcoporum, & Regul. 28. Septem. 1646. excepta cõsuetudine immemorabili in contrarium, quę censeatur assignasse Capitulo vel Clero hæc emolumenta in locum decimarum. 14. Iulij 1593. Anglona & 9. Martij 1604. Giouenazzo & 23. Iulij 1602. Nardo. Alias vero Episcopus prohibere non potest, ne vocentur Regulares, nisi prius vocato Capitulo, vel Clero. Eadem Sac. Congregatio 16. Iulij, & 17. Septemb. 1601. Neque hæredibus etiam in Synodo onus imponere, vt si Regulares inuitent, singulis interstitium date teneantur. eadem S. Congreg in Mediolanen. 5. Septemb. 1606 Hæc quidem ex *Nicolio tom. 1. lib 4. tit. 5. num. 25.* Propterea quod Parochus non possit ad funus vocare alios sacerdotes, quam destinatos ab hæredibus mortui statuit eadem Sac. Congreg. *Epis.* rescriben. *Episc.* Lauden. die 20. Augusti 1601. apud *Lauor. tit. 2. cap. 3. num.* 1021. Vbi *num. 103.* quod non potest Episcopus astringere hæredes defunctorum, vt in funere conuocent Clerum Ecclesiæ Parochialis tantum exclusis alijs donec numerus eorum fuerit impletus. Nam cum conuocatio ista respiciat priuilegium totius Cleri, vtique restringendo, & moderando illam ad proprios Ecclesiæ Clericos libertatem Ecclesiasticam restringere videtur *Rota in Calagur. funerum 22. Iunij coram Orano, Syluest. v. immunitas 2. numer. 7.* Et huiusmodi consuetudines detestatur, *Sotus de iust. l. 9. q. 6. a. 2.* Nec obstat, quod ius sepeliendi pertineat ad Ecclesiam Parochialem, quoniam ex hoc non habetur alia necessitas, nisi conuocandi Parochum, alias vero cum & sepultura, & expensa funeris sint in libertate, non sunt cogendi hæredes, vt magis hos, quam illos conuocent. Et ideo quod Episcopus non possit adstringere hæredes defunctorum, vt in funeralibus conuocare teneantur Clericos, & Regulares Parochiæ, tantum exclusis alijs tenuit etiam *Aauret. de Franchis p. 2. quæst. 65.* quem sequitur *Barbosa loco infra citand.* Sic nec Episcopus potest ordinare, vt prius non vocentur Regulares ad funus, quam vocetur Capitulum, vel quod diminuatur eis solita eleemosyna. Vnde est, quod vt adnotauit idem *Barbos. lib. 2. de iure Eccles. cap. 10. num. 58. & de Paroch. cap. 26. nu. 58. & in summa v. hæres,* cui consentit *Moron. resol. 51. num. 13. & Bordon. resol. 51 num 26.* defunctorum hæredes pro defuncto ad sepulturam associando numerum sacerdotum sibi bene visum conuocare possunt, &

nnmerum ceræ ad cadaner sepulturæ associandum, quolibet contrario prætextu pee Parochum deducto non obstanre subministrare valenr . vt apud citatus DD. respondit S.Congreg.Episc. & Regular. in Cassanen. 5. Martij 1617. & Sac. Congreg. Rit. in Camerinen. 21. Nouemb.1637. & iterum in alia supra num,154. relata sub die 14. Ianuarij 1640. Et ita quod hæredes possunt inuitare ad funus solos Regulares excluso seculari Clero , & solo vocato Parocho , eadem S.Congreg. Episc.& Regular. 11. Decemb.1601. & 15. Septembris 1603. Quamuis vbi hæredes nullum determinent , sed relinquant Parocho huiusmodi determinationem , tunc & eo casu ius conuocandi alios sacerdotes pro obeundis funeribus Parocho competit, Rota in Alexandrina Funeralium 1. Iulij 1630. coram Merlino , & ideo Sacr. Rit. Congregat. in Ferrarien. 7. Septembris 1613 censuit Parochum posse ad libitum vocare ad funus clericos , quos voluerit , nec cogitur vocare viciniores , nisi aliter disponant hæredes defuncti , quorum voluntas est seruanda . Quamuis quod Clerici Ecclesiæ debeant externis præterri , quando electio non fit ab hæredibus , tanquam decisum à Sac.Congreg.Episcop.& Regular. tradat *Nicolius vbi sup.§.7.* Propterea vsum in aliquibus ciuitatibus introductum , vt hæredes defunctorum non possint inuitare Regulares ad funus , nisi in tanto numero inuitent etiam Clericos seculares , quoe Regulares merito reprehendit, *Bordon.tom.2.ref.51, num,26.* Tum quia hoc est mittere manum in alienam crumenam , quod est contra iustitiam. Impensa enim funerum non in libertate Parochorum, sed hæredum defuncti est,*l.2.ff.de Relig.& sump.fun,* Tum quia talis vsus potest esse contra mentem testatoris , si decreuerit in sua vltima voluntate suum corpus ad sepulturam duci per Religiosos alicuius Conuentus ; quod si hæredes compellantur ad vocandos tot Clericos , vel contra iustitiam compelluntur ad expensas,ad quas non tenentur , vel si eas expensas facere non possunt , mens testatoris defraudatur . *Tum* tertio , quia hoc est causa , quod diminuantur suffragia pro defunctis , cum ex hoc multo plures Religiosi omittantur. Sed & Vrbanus Octauus in sua Constit. relata supra num. 151. decreuit, iuxta declar. S.Congr. Rit.23. April.1633. quod Curati non possunt cogere hæredes vt pro defunctis,qui tumulantur in *Ecclesijs* Regularibus, in Ecclesijs etiam Parochialibus celebrari faciant nouenalia,& anniuersaria,proue celebrantur in Ecclesijs Regularibus, in quibus corpora sepeliuntur. Et propterea quod determinatio vocandorum ad funera, & ceræ , & expensarum sit in libertate , & potestate hæredum , vel executorum testamentorum , vel eorum , qui curam habent sepeliendi defunctos , præter citatos DD. tenet *Peyrin. tom.3. priuileg.ad const.10.Leonis X.num.2.* Possunt vero ad funus vocari etiam Confraternitates laicorum,quæ tamen nisi vocatæ conuenire non debent , & tunc sine cruce. *Barbos.l.2.de iure Eccles. c.10.num.61.& Moran.resol.51.num.20.*

185 Conuocatis igitur omnibus qui ad ducendum funus adesse debent,Parocho leuante corpus de domo defuncti cum solita benedictione(quod facere ad ipsum pertinet etiam inuitato , & præsente Capitulo Cathedralis Ecclesiæ)incipitur processio. Fuit vero opinio *Gloss.in Clem. Dudum, in verb. integre ,de sepultur.*& quorumdam aliorum quod cadauer primo deferendum esset ad Ecclesiam Parochialem,ad vltimum vale recipiendum.Quod etiam determinasse Sacr.Congreg.Episcop. & Regular. in Nepesin.11. Decemb,1615. in casu , in quo aliquis defunctus fuerit extra propriam Parochiam , & velit sepeliri in aliqua Ecclesia Regularium referunt *Barbosa v.defunctus num.6.& l.2.de iure Eccles. capit.10.nu.70.& de Parocho cap.26. num.70. Nauar. in lucerna Regular.num.1. ex Aldara* , Sed bene aduertit *Lezana v.defunctus num.3.*quod hoc non fuit vsu receptum nec etiam Romæ , vbi etiam ex statutis Cleri hoc tantum seruatur vt conuocato clero in Parochiali *Ecclesia* itur ad domum defuncti , & leuato cadauere de defuncti domo per Parochum, qui in hoc dat ei vltimum vale , illud recto itinere defertur ad Ecclesiam, in qua debet sepeliri. Sed & quod ita sit faciendum , nimirum , quod cadauera de domo defunctorum recto itinere adEcclesiam in qua sunt tumulāda,deferri licite possint monito tamen prius & expectato Parocho declarauit eadem Sacr.Congreg.14. Iulij 1639. prout supra nu 154. Et quod ita etiam declarauerit. Sacr. Rit. Congregatio in vna Polignanen. 21. Maij 1618. In qua etiā prætendebatur consuetudo , refert *Lauor.tit.2.c.11.num.24.* & in Vmbriaticen. 25. Februar 1606. *Lucerna Regular.v.defunctus num.2.*Et ita seruandum est . Nam & hoc expresse concessum fuit in *Mari magno Prædicatorum §.5.in Bullar.Rom. & in Mari magno Minorum §.6.& in Mari magno Carmelitar. §.57. apud Lezanam & in Mari magno Seruitarum apud eundem §.29.* ibi . *Nec cogantur inuiti , etiam prætextu cuiusuis consuetudinis ipsi , vel defunctorum consanguinei ,illa (scilicet corpora defunctorum) ad parochiales Ecclesias , aut alia loca deferre , & cum illis vel sine , inibi celebrare , vel celebrari facere pro eisdem defunctis aliqua diuina officia ante vel post sepulturam eorumdem .* Quod & expressius concessit Pius Quintus in Constitut. Romanus Pontifex data die 9. Iulij 1571. & habetur *num.2.in Bullar. Rodriquez.* Vnde nec Episcopus potest præcipere,vt cadauera sepelienda in Ecclesia Regulari prius deferantur ad Cathedralem , vt ibi diuina officia celebrentur . Neque est vnde dicatur huiusmodi priuilegia fuisse reuocata ; nam per ius nouum solum expresse statutum est, vt non sepeliantur mortui sine præsentia Parochi, si ipse præsens esse voluerit, non tamen quod cadauera prius deferenda sint ad Ecclesiam Parochialem, vt ibi aliquid vale recipiant. *Lauor.tit.2.cap.11.num.24 Naldus v.sepultura in fine Bordon.tom.2.ref.51.nu.59. Barbosa l.2.deiure Eccles. c.10.num.56.fin.& v.defunctus num.13.Lezana v.defunctus num.3.Barbosa l.2.de iure Eccles.c.10. nu.56. fin.& v.defunctus num.13.Lezana v Defunctus nu 3. Anton à Spir.S. tr.2.disp.3.num.226.* & apud eum *Belasius. Lucerna Regular.v. defunctus num.6. Cespedes cap.24.dub.364.in fine. Peyrin.ad const.2.Iuly II. num.54.& ad constitut.26.Leonis X. num.19.* Vnde cum de anno 1595. Clerus Medugni prætenderet quod Cadauera eorum , qui sibi elegerunt sepulturam in Ecclesia Prædicatorum dicti loci prius deferri deberent ad Parochialem , & inibi fieri debere officium , & integra funeralia posse Parochum retinere. Sacr. Congreg. Epis.& Regul.iussit dictos fratres super his non molestari . Quod decretum iterum confirmauit de anno 1616. & iterum tertia vi-

cete-

ce referente Card. Senen. idem dixit vt mihi constat ex scripturis & actis causæ præfatæ quæ apud me sunt. Et in quibus inter alia habetur transumptum literarum Sacr. Congregat. datarum die 2. Octobris 1595. & 12. Augusti 1616. & 9. Octobris 1618.

186 Processionem vero hanc à domo defuncti ad Ecclesiam, in qua cadauer est sepeliendum, ducendam, præcedere debet Crucis sacrosanctæ vexillum. De iure autem scripto vna tantum crux deferri debet, & illius Ecclesiæ in qua cadauer defuncti est tumulandum. Sic enim decreuit S. Rit. Congreg. in Baren. terræ Medugni 2. Aug. 1631. & in Mesanen. 12. Februar. 1633. & in Camerinen. 21 Nouembr. 1637. Postquam sequuntur immediatæ personæ illius Ecclesiæ, deinde cœteri secundum eorum antiquitatem, seu præcedentiam. Eadem Sac. Congreg. in Narnien. 30. Septembr. & in Andrien. 22. Nouemb. 1631. Hoc idem, scilicet quod vna tantum crux, & quidem illius Ecclesiæ in qua est habēda sepultura decreuit etiam S. Cong. Episc. & Regular. de anno 1640. & 28. Decembris 1642. Crucem quidem in omnibus processionibus deferre solet Ecclesia. Gregor. Turon. de gloria *Confess. cap. 10. & 29. Surius in vita S. Huberti Epis. Leod. Rupert. l. 7. de diuin. offic. cap. 20. Baron ad an. 1398. num. 10.* Quod tanquam consuetum, & solitum supponit *Benedic. 12. in extrauag. {Inter cunctis, de priuilegijs*, & Sixtus IV. in Mari magno, }& Leo X. in *Concil. Lateranen. sess. 15. Panorm. in cap. cum liberum, de sepul.* Quid vero significet crux in funeribus explicant. *Rup. Abbas l. 6. de diuin. off. c. 9. & Vital. in Clemen. abusionib. de pænit.* Sed ratio aperta & manifesta in præsenti est, quia Crux est Militiæ Christianæ vexillum, sub quo militant, qui in Christum credunt, vnde merito antecedit funeralem processionem in signum, quod defunctus dum vixit, sub Crucis vexillo Christo militauit, vnde & est in eorum numero quos consecututos præmia Christi militibus promissa speramus. Merito vero vnam tantum Crucem deferri conuenit, ad vitandas dissensiones & etiam funerum expensas & quia vnius funeris conuenit esse vnum vexillum, sub quo omnes incedant. Et merito hæc vna est crux illius Ecclesiæ, in qua defunctus sibi eligit sepulturam, quia cum processio Ecclesiam ingrediatur, & delatio Crucis cuiusdam iurisdictionis sit signum, sæpius vero Ecclesiæ, in quibus sepelienda sunt cadauera sint exemptæ, ad tollenda omnia dissidia, & seruandam exemptionem Ecclesiarum statutum fuit, vt sub cruce illius Ecclesiæ, quam processio ingredi debet, omnes conueniant. Sic ergo sub vna cruce huiusmodi Ecclesiæ processio funeralis procedere debet. *Barbosa l. 2. de iure Eccles. cap. 10. numer. 78. & de Parocho cap. 26. num. 7. Lezana v. crux Nicolius l. 4. t. 15. num. 25. §. 4. & in Flosculis v. sepultura num. 14. Moron. res. 51. num. 1. Samuel. disp. 3. contr. 3. 2. &c.* & alij communiter.

187 Limitatur tamen primo in casu in quo Capitulum Cathedralis Ecclesiæ conueniat ad funus, tunc enim sub cruce Capituli processio duci debet. *Barbosa d. num. 78. Moron. d. num. 21. Lezana d. nu. 2.* qui id colligunt ex declar. Sacr. Congreg. Rit. in Andrien. 22. Nouem. 1631. addunt vero *Barbosa, & Moron*, quod in tali casu Curatus, & Sacrista Cathedralis, etiam si sint amouibiles, præcedunt Parochum proprium defuncti ex eadem Sac. Congr. in Pisantien. 22. Martij 1631. Vbi etiam contingat ferri crucem Parochiæ, si noua Parochia effecta sit, & ab antiqua dismembrata, tunc non sub antiquæ, sed sub nouæ Parochiæ cruce incedere debent omnes. Ead. S. Rit. Congreg. in nullius Prouin. Baren. 22. Maij 1613. Habetur etiam circa hæc alia declaratio eiusdem Sac. Congreg. Rit. in Viterbien. 25. Iunij 1611. quam per extensum refert *Lauor. tit. 2. cap. 3. numer. 210.* sequentis tenoris. *Quibus auditis Sacr. Rit. Congregatio à decretis factis in similibus non esse recedendum censuit; nempe vt locus dignior in funeralibus semper relinquatur Capitulo & Clero Ecclesiæ Cathedralis Parochum vero defuncti, vel Parochum Ecclesiæ ad quam corpus defuncti defertur, digniorem locum obtinere debere, & præcedere quoscumque alios Presbyteros, non autem Ecclesiæ Cathedralis. In Ecclesia vero vbi Corpus defuncti sepelitur, ad Parochum ipsius Ecclesiæ pertinere officium facere, vt expresse declaratum fuit in vna Pisantien sub die 20. Decembris 1603. Et sic etiam in Ciuitate Viterbij seruandum esse censuit, nisi alias immemorabilis consuetudo ad fauorem Parochorum legitime probetur, & ita declarauit die 25. Iunij 1611.* Cum vero ideo *Lauor. cap. 11. à nu. 75.* multis conetur probare, quod etiam præsente Capitulo Cathedralis Parochus suam crucem in funeribus deferre possit, supponit etiam nu. 76. quod Regulares inuitati ad funus suas cruces deferant. Verum hodie stantibus præfatis decretis Sac. Congreg. Rituum, vna sola crux in funeribus erigi debet, & hæc est Cathedralis si Capitulum eius interueniat.

188 Limitatur tamen secundo, vt vbi sit consuetudo quod Parochus, vel etiam Regulares omnes in funeribus suas erigant cruces, consuetudo sit seruanda, & admittenda. Hic vsus Cremonæ est. *Samuel disp. 3. contr. 3. concl. 3.* multis conatur probare, quod non possit introduci consuetudo, vt Parochi in funeribus Crucem propriam deferant in præiudicium Ecclesiarum, in quibus corpora defunctorum sepeliri debent. Sed ea quæ adducit extrinseca sunt, & probant præfatam consuetudinem non esse validam, si non habeat requisita ad legitimam consuetudinem, vt si sit ex auaritia, ideoque non rationabilis, si non sit legitime præscripta, & auctoritate necessaria vallata, &c. Verū & hæc cōsuetudo posset introduci, & nō ad lucrandū medietatem funeralium, quæ Ecclesiæ dantur, in quo defunctus sepelitur, sed ad habenda alia similia ab hæredibus; & præterea vna Ecclesia contra aliam præscribere etiam potest, vt per *Panormit. cons. 95. in 3. c alum.* Et quod in huiusmodi attendi debeat consuetudo colligitur ex declar. Sac. Congreg. Rituum supra num. 187. relata, vbi admittit, quod vbi adesset consuetudo, quod Parochi induti stola & Cota præcederent Capitulum Cathedrale, illa consuetudo seruanda esset. In hoc enim erat posita lis decisa per Sac. Congreg. quod Parochi prætendebant præcedentiam supra Capitula Cathedralis in funeribus, vt videre est in *Lauar. d. c. 3. num. 210.* Et hanc eis conuenire negat Sacr. Congreg. nisi ad eorum fauorem adsit immemorabilis consuetudo. Et quod circa funeralia consuetudo legitime præscripta multum operetur per *cap. certificari, & DD. ibi. & per Lap. tr. de Canon. port. c. 1. n. 41 &* Bull. 41. Pij V. *Etsi mendicantium* probat *Lau. tit. 2. c. 17. n. 22.*

Regu-

189 Regulares igitur cum defunctus sepeliendus est in eorum Ecclesia, possunt admonito prius, & requisito Parocho erecta cruce ingredi illius Parochiæ fines, cum tota processio tunc sub eorum cruce sit ducenda, nisi conueniat Capitulum Cathedralis. Vel vbi est consuetudo vt Regulares deferant suas cruces, cum illis erectis ingredi possunt fines Parochiarum, si sint ad funus inuitati. Et hinc colligitur etiam non esse verum, quod habet *Bonac. de contrac. d. 3. quæst. 21. p. 5.* nimirum quod Regulares contradicente Parocho nō possunt cum cruce ingredi Parochiam illius occasione funerum. Nec DD. ab eo citati, hoc dicunt, & si aliqui dicunt, nec ipsi nec illi loquuntur cōsequenter. Quidquid enim sit de alijs processionibus, quia Regulares habent facultatem funerum, & sepeliendorum defunctorum in suis Ecclesijs, habent etiam facultatem deferendi mortuum processionaliter *Oldrad. 125. num. 13, & 14. Panorm. c. cum liberum num. 4. de sepult. Med. q. 7. Sy. n. v. sepultura num. 4. Tabien. nu. 3. Tuscus lit. A. concl. 77. num. 8. & Barbosa l. 2. de iur. Eccl. c. 10. num. 56. 9. Moron. ref. 51. num. 27. Cespedes dub. 219. num. 30.* Debent vero Regulares monere Parochum, sed si ipse renuat fungi officio, ipso milies inuito possunt Regulares cum cruce ingredi Parochiam, & etiam corpus leuare, & ad sepeliendum processionaliter deferre vt constat ex dictis, & fat tur idem *Bonacina ibid.* Sed immo etiam si non sint inuitati. Nam Regulares etiam non inuitati habent ius accedendi ad funera. Vel cum mortuus sepeliendus est in eorum Ecclesia, & præsumi possit, quod hæc fuerit mens eius, qui sibi elegit apud eos sepeliri. Hoc enim præsumi posse affirmat *Bordon. d. ref. 51. num. 61. arg. l. illud ff. de acquir. hæred.* Nam ex quo testator reliquit suum corpus sepeliri, præsumitur quod etiam voluerit eosdem prosequi eius funus, quia præsumitur voluisse antecedens, qui voluit consequens. Sed vt idem aduertit, licet huiusmodi argumentatio possit valere contra Curatum, non tamen contra hæredes, à quibus si Regulares non sint vocati non debent accedere ad funus sub spe eleemosynæ, bene tamen gratis, quia tunc melioratur conditio defuncti sine damno hæredum. Ex eo enim quod absolute Regulares possunt accedere ad funera, possunt ad quemcumque gratis sepeliendum accedere. Et si sit consuetudo quod crucem deferant, possunt eum cruce interesse.

190 Stolam vel etiam pluuiale defert Parochus, vt habetur in Rituali Romano. Conceditur vero Parocho stola in signum Parochialis officij, & iurisdictionis. Arbitratur autem *Lauor. tit. 2. cap. 3. num. 75.* quod etiam præsente Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Parochus stolam deferat & idem tenet *Barbos. de Canon. cap. 18. num. 59.* Sic vero competit Parocho deferre stolam, vt nedum intra limites propriæ Parochiæ, sed processione funerali egrediente Parochiæ limes eam deferat etiā intra fines Parochiæ in qua sepeliendus est defunctus. Et hoc competit etiam Parochis Regularibus, vt tanquam decisum à S. Rit. Congreg. die vlt. Septem. 1628. & die 29. Ianuar. 1629. ex Albano & Bonfadio. tradit *Barbosa in summa verbo stola n. 2. & 3. & l. 2. de iure Eccles. cap. 10. n. 76. & 77.*

191 Per quam viam autem ducenda sit processio à domo defuncti ad Ecclesiā, & ad quem spectet illam determinare diuersimode est opinatum. Nam *Peyrin. tom. 3. de priuileg. c. 4. num. 51.* ex declarat. Sac. Congregat. 22. April. 1588. arbitratur hoc pertinere ad Regulares, idem habet *Lauor. tit. 2. cap. 9. num. 116.* sed econtra, quod id sit officij Parochi ad quem spectet disponere omnia, quæ sunt disponenda vsque ad ianuam Ecclesię in qua mortuus est sepeliendus, tanquam decisum à Sacr. Congregatione Episcop. & Regular. in Castellana 3. Ianuar. 1594. dixerunt *Barbosa l. 2. de iure Ecc. cap. 10. nu. 74. Nouar. in Lucerna Regular. v. defunctus num. 4. Bordon resol. 51. num. 60. Lauor. tit. 2. c. 9. num. 116. Bonac. de contrac. d. 3. q. 21. p. 5. nu. 1. Cespedes dub. 219. nu. 29.* sed bene respondet *Lezana v. sepultura*, quod in hoc attendi debet consuetudo, eique standum est, vel authenticæ declarationi Sac. Congregat. Consuetudinem Genuæ esse, vt hoc pertineat ad hæredes, dixit *Peyr. vbi sup. nu. 51.* Parochus tamen ex officio tenetur ducere funus, & prosequi vsque ad ianuam Ecclesiæ, in qua debet sepeliri per decretum Sacr. Congreg Regul. In Brixien. 18. Iunij 1591. & Nicoteren. 5. Iunij 1615. quod refert *Barbosa d. cap. 10. num. 75.* Regulares quoque quando ad Ecclesiam in qua sepeliendus est defunctus peruenerunt, in reditu non tenentur associare Capitulum Cathedralis ad Cathedralem, nec possunt ad id cogi, sed recta redeunt ad proprios Conuentus.

192 Quando vero defunctus sepeliri debet in Ecclesia exempta omnis Parochi iurisdictio cessat, dum ille ad ianuam Ecclesiæ peruenit; non quia non possit ingredi Ecclesiam, si velit, sed quia deponere debet stolam, & si contingat eum deferre crucem Parochiæ, non possit est ingredi cruce erecta; nec potest super defuncto officium sepulturæ peragere, & nec ipse, nec Clerus potest ibidem Psalmos canere, aut recitare; aut aliquas orationes dicere, vel quoccumque vel minimum agere, quod sit signum iurisdictionis. Hæc vero omnia probantur. Quod enim Parochi Ecclesias Regularium exemptas possint ingredi, & præsentes esse sepulturæ, dummodo tamen non faciant officium, nec prætendant præcedentiam, tanquam decisum à Sacr. Congreg. Episc. & Regular. in Catanzaren. 8. Maij 1595. tenent *Nicolius l. 4. tit. 35. num. 25. §. 3.* & ex vna Nicoteren. 5. Iunij 1615. *Barbosa l. 2. de iure Eccles. cap. 10. num. 80. & v. Parochus quoad funeralia num. 7. Barbosa de contr. d. 3. q. 3. p. 5. num. 1.* & DD. infra citandi. Propterea Parochus vbi duxit funus ad Ecclesiam Regularem stolam deponere debet, & quodcumque aliud signum iurisdictionis, aut auctoritatis, vel quod ibi intersit ex officio, vt decidit Rota in Veronen Iurium Parochial. 23. Maij 1629. apud *Tambur. tom. 3. decis. 87. Bordon. resol. 51. num. 66. Tambur. tom. 1. disp. 15. q. 17. num. 21.*

193 Quod vero peragere officium sepulturæ spectet ad Regulares, multoties determinatum fuit per Sacras Congregat. sic enim inter approbatas ab Audit. Cameræ supra num. 154. habentur declarat. Sacr. Congreg. Rituum sub die 17. Nouembr. 1698. & Sacr. Congreg. Concilij sub die 3. Decembr. 1639. Aliam etiam declarationem vtriusque Sacr. Congreg. refert *Barbosa l. 2. de iure Ecclesiast. cap. 10. num. 81.* datam à Sacr. Congreg. Rituum sub his verbis. *Quoties cadauera mortuorum ad Ecclesias fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum & reliqua omnia, quæ solent, adhiberi in huius-*

modi

modi monasterijs non à Canonicis, vel Clero, sed ab ipsis Fratribus peragi debent, vt in sequenti declaratione. Sacra Congreg. Cardinalium Concilij Trident. interpretum sæpius censuit, quoties cadauera mortuorum ad Ecclesias fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, & reliqua omnia, quæ in huiusmodi ministerijs adhiberi solent, non a Canonicis, neque à Clero, sed ab ipsis fratribus peragi debere. Datum Romæ die 22. Aprilis 1625. Cosmas Card. de Torres. Prosper Fagnan. Secretarius. Habetur etiam hoc idem determinatum ab eadem Sacr. Rit. Congr. in Toletana 19. Iunij 1606. apud *Peyr. tom. 3. in fin. decr. 9.* Sed & Sacra Congregat. Episcop. & Regular. vt videre est apud *Nicolium vbi sup.* idem declarauit pluries, scilicet 20. Septembris 1594. 20. Iunij 1615. 22. Ianuar. 1619. 9. Decembr. 1619. 9. Decembr. 1622. 22. Februar. 1641. Vnde ita esse faciendum docent. *Lauor. tit. 2. cap. 9. nu. 120. Peyr. tom. 1. ad const. 2. Iulij 2. §. 22. nu. 57. & tom. 3. in fine. dec. 9. Peregrin. in compend. priuileg. Thear. verbo sepultura in Scholio §. 3. Tambur. de iure Abb. t. 1. disput. 15. q. 17. num. 21. & 23. Lezana p. p. cap. 12. nu. 38. & p. 2. c. t. num. 47. & p. 3. verbo defunctus nu. 6. Moron. resol. 51. num. 27. Bordon resol. 51. num. 66. Barbosa lib. 2. de iure Ecclesiast. cap. 10. num. 80. & 81. & de off. Parochi cap. 26. num. 80. & in summa v. defunctus num. 13. & v. funus. num. 2. & v. officium num. 4. & 5. Lauret. de Franchis p. 2. q. 68. & ibi Pasqualig. num. 2. Samuel disp. 3. contr. 3. num. 34. pag. 92.*

194 Et immo vniuersaliter quod Parochi possint omnia officia circa corpus sui Parochiani defuncti, qui sepeliendus est in Ecclesia Regularium, vel in alia domi, & per viam facere, postquam vero cadauer fuerit collocatum intra Ecclesiam, debeant recedere, & officium facere debeant ipsi Regulares, vel respectiue Parochus intra cuius Parochiæ fines est Ecclesia, ex declar. S. Rit. Congreg. in Engub. 12 Maij, & 5. Iulij 1614. & in Placent. & Licien. 23. Maij 1619. & in Cutauien. Ciuit. Platiæ 12. Octobris 1619. tradit *Barbosa de Parocho cap. 26 num. 80.* Vbi quod facere officium super Cadaueribus pertinet ad Parochum non ad Clericos aut sacerdotes talis Ecclesiæ Sacr. Congreg. Rit. in Mediolanen. 29. Nouem. 1632. Et quod hoc adeo est verum, vt procedat etiam si adsint Canonici in sua Parochiali Ecclesia. Sacra Rit. Cong. in Ostien. Ceren. 28. April. 1607. & in Prænesten. Cauarum 18. Aug. 1618. quod & ex Aldan. repetit idem *Barbos. v. officium defunctorum num. 1. & 2.* Et ex declarat. Sacr. Congreg. in Viterbien. supra relata num. 187. constat quod officium sepulturæ etiam si funeri interfit Capitulum cathedralis spectat ad Parochum Ecclesiæ, quod & habetur apud *Barbosam de Canon. cap. 18. num 62.* Vnde patet quod hoc officium sepulturæ nunquam spectat ad Parochum ex cuius parochia defunctus educitur, sed ad rectorem illius Ecclesiæ ad quam deportatur & in qua sepelitur. *Bonacina de contrac. d. 3. q. 21. p. 5. num. 1.* Et ideo vbi cadauer sit sepeliendus in Ecclesia alicuius Confraternitatis, officium sepulturæ pertinet ad Parochum intra cuius fines est Ecclesia: Parochus enim habet assistentiam iuris in omnibus *Ecclesijs* non exemptis, quæ sunt intra fines suæ Parochiæ.

195 Cum vero in Ecclesia exteriori monialiū, vel in eorum cœmeterijs possint secularium cadauera sepeliri, vt supra dictum est. num. 140. Quæ dicta sunt de Ecclesijs Regularium, procedunt etiā in Ecclesijs Monialium exemptarum, ita vt officiū sepulturæ spectet ad eos, qui Monialium curam habent, nimirum ad Confessorem, vel Priorem, aut Vicarium Monasterij nullo vero modo ad Parochum etiam illius Ecclesiæ intra cuius fines monasterium est erectum. Quod eo magis est verum si contingeret quod aliquis secularis haberet sepulturam intra septa Monasterij monialium. Quod licet de iure communi non liceat, potest tamen verificari ex priuilegio, & de facto ita fieri Florentiæ in Ecclesia S. Petri Maioris, & S. Felicitatis refert *Sebastianus Medices. q. 9. num. 18.*

196 Limitatur tamen assertio primo, vt Capitulu Cathedralis dum accedit ad funera defunctorum, etiam in Ecclesias Regularium liceat ingredi, & ibi super defuncto recitare aut decantare Psalmum Miserere, vel Deprofundis cum versiculo, responsorio, & Oratione sine tamen stola, & pluuiali. Sic enim fuisse declaratum per Sacr. Congr. *Epis.* & Regul. 1604. Cremona 9. Aug. 6. Septem. 30. Obseruanti 16. Aug. 39. 1606. Conuentuali 1. Iul. 54 §. 4. 1646. 13. Iul. 18. refert *Nicolius in Flosculis v. sepultura n. 17.* Declarationem vero illam datam 9. Aug. 1604. refert ad verbum *Lauor. tit. 2. cap. 9. num. 120.* sub hac forma. *Canonici Cremonenses, si corpora defunctorum comitari contigerit ad alienas Ecclesias, recitato Psalmo Miserere, vel Deprofundis super corpus defuncti cum versiculo & oratione, discedere poterunt ab illa Ecclesia. Officium vero mortuorum recitari debet à Ministris illius Ecclesiæ.* Quamuis vero in hoc decreto non fiat mentio Regularium, vel Ecclesiarum exemptarum, tamen de facto in ea Ciuitate Canonici etiam in Regularium *Ecclesijs* statim introducto cadauere & reposito intra Ecclesiam cantant Psalmum Deprofundis, versiculum, & orationem sine stola tamen, & pluuiali aut aliquo superioritatis signo, & postea recedunt. Et nihilominus vbi esset consuetudo in contrarium, non possent Canonici nouum hunc ritum inducere, quia consuetudo, quæ est lex non scripta resisteret nouitati. Neque hoc est contra citatas declarationes Sacr. Congreg. quæ de consuetudine in contrarium non loquuntur, cui in materia funeralium multum est deferendum. *cap. certificari vbi D D. de sepult. Lap. de Canon. port. cap. 1 num. 4. Lauor. tit. 2. cap. 17. num. 22.* Immo determinatio Sacr. Congreg. inixa fuit consuetudini Canonicorum, quam probauit die 16. Augusti 1604.

197 Limitatur secundo vt Parochus, seu Clerici possint intra Ecclesias Regularium habere officium sepulturæ, si vel Regulares consentiant, vel adsit consuetudo. Nihilominus quod in hoc puncto nihil valeat consuetudo dixit *Bordon. resol. 51. nu. 66.* Et hoc inde probatur, quod prout referunt *Barbosa de off. Parochi cap. 26. num. 82.* officium in tumulandis Cadaueribus in Ecclesijs Regularium non per Parochum vel alios Presbyteros seculares sed per eosdem & Regulares fieri debet, non obstante quauis contraria consuetudine, vt censuit Sacr. Congreg. Rit. in Eugub. 12. Maij 1612. & 5. Iulij 1614. & in Placent. & Licien. 23. Martij 1619. & in Catanien. Ciuit. Platiæ 12. Octobris eiusdem anni & in Sulmonen. 8. Aug. 1629. & in Andrien. 2. Februar. & 2. Martij eiusdem anni. Et has easdem declarationes refert *Barbosa in summa v. of-*

ficium

ficium defunctorum num.5. Et earundem declarationum meminit *Lucerna Regularium v. officium n.11.* Nihilominus idem Auctor ibid. subdit, quod si Parochus sit in quasi possessione officium hoc faciendi, tunc manutenendum esse decreuit eadem S. Rituum Congreg. in Rauennaten. 28.Aug.1615. Idem ex Seil. refert *Barbosa in summa in verb. Parochus,* quoad funeralia, addens præfatam declarationem habitam fuisse die 28.& die 31. Augusti. Propterea *Lezana in v.defunctus nu.6.* inquit quod in hoc stare debemus vel posterioribus declarationibus, vel patriæ consuetudini. Et certe multo posteriores & plures sunt Sacr. Congreg. declarationes, quæ in hac parte consuetudinem reprobant, & quibus est standum. Quamuis pro concordia dici possit, quod vbi declaratio illa data de anno 1615. vere fuit data intelligi debet de consuetudine immemorabili, quæ locum habeat priuilegij, & quæ ex reprobata consuetudine in communi potest intelligi non reprobata, si ipsa nec est iniqua & irrationabilis & eius non est facta mentio specialis, vt per *Rotam decis.71.num.3.part.5.recent.* Et sic tunc Parochum manutenendum esse in possessione habendi officiũ funeris in aliqua Ecclesia, si ab immemorabili id habuerit.

Qui cum habitum Religiosum sepeliuntur, in Ecclesijs eorumdem sepeliendi sunt.

OBSERVATIO OCTAVA.

198 POntifices deuotioni secularium & Religionum fauentes concesserunt, vt seculares in habitu Regulari sepeliri possent, & voluerunt vt huiusmodi in Ecclesijs illorum Ordinum sepelirentur, quorum habitum petierunt. Concessit hoc priuilegium Ordini Prædicatorum Sixtus Quartus in Mari magno seu in Bullar.Rom.const. eius 7. §.cc. & apud *Lezana* §.49. vbi sic habetur. *Insuper cum nonnulli ad Ordinem prædictum Fratrum Prædicatorum specialem gerentes deuotionis affectum ordinent, eorum cadauera cum habitu Fratrum dicti Ordinis Prædicatorum, aut sororum dicti Ordinis de Pænitentia sepeliri: ne ex eorum corporum delatione ad aliqua loca, Ordini, & Fratribus prædictis iniuria irrogetur, decernimus, tales apud Fratres ipsos esse sepeliendos, etiamsi alibi suam elegissent sepulturam: nec posse etiam in loco per eos electo cum habitu prædicto quomodolibet sepeliri, aut ad sepeliendum portari, absque Fratrum domus, loci, in quo tales decesserint expressa licentia, & assensu.* Habetur vero idem priuilegium in Mari magno Minorum apud *Lezanam* §. 47. & *Eremitarum S. Augustini* §.47. & *Carmelitarum* §.57. vbi additur. *Contradictores vero excommunicamus, Seruitarum* §.38. Idem quoque priuilegium concessit idem Sixtus quartus Minimis, in Constit. Apostolicæ mansuetudinis sub datis Romæ octauo idus Septem.1472. quæ apud *Peyr.tom.1.est 3. inter Constit.d.Pontif.* Et in qua sub pœna excommunicationis, Papæ reseruatæ nisi in mortis articulo, incurrendę, tamen monitione præmissa, præcipit Prælatis, & Ecclesiarum Rectoribus, ne impediant sed permittant fideles in habitu dicti Ordinis publice sepeliri sine tamen præiudicio iustitiæ Parochialium, & cuiusuis alterius personæ.

199 Sed præterea idem Sixtus Quartus Prædicatoribus, & Minoribus idem expressius & extensius concessit in Bulla aurea, quæ habetur in Bullario Ordin. Prædicatorum fol.163. & in Bullar. Rodriquez, in ordine 20. & apud *Peyr. tom.1.constitut.4. Sixti IV.* in qua in §. *Cum autem nonnulli.9.ap.Peyr.* habet vt infra. *Cum autem nonnulli ad Ordines prædictos Prædicatorum, & Minorum specialiter gerentes deuotionis affectum, eorum cadauera cum habitu Prædicatorum, vel Minorum, seu fratrum, vel sororum de pœnitentia vtriusque Ordinis prædictorum sepeliri mandent, & persæpe antequam moriantur, habitum huiusmodi eis postulant exhiberi, decernimus, habitum huiusmodi per Priorem domus Ordinis Prædicatorum, aut Guardianum domus Ordinis Minorum loci, in quo tales decedere contiget, vel per Superiorem Prælatum ipsorum Ordinum, domorum, seu Prioratus, & Guardianiæ, vel cui illi duxerint committendum dumtaxat, & non per alium quauis auctoritate, vel prælatione fungentem exhiberi debere. Qui prædictum habitum recipientibus declarare teneãtur, apud eorum Ordinum Ecclesias debere sepeliri in eorum habitu, quorum habitum suscipiant, & illorum sic induiorum cadauera discooperta, nullo pallio, vel tegumento superimposito, cum habitu huiusmodi ad sepulturam deferri posse, Ordinariorum etiam sub censuris prohibitione locorum qualibet in contrarium edita non obstante, quas quo ad hoc modificamus.*

200 Substantia igitur huius priuilegij est, quod fideles vtriusque sexus possunt in morte, & petere, & obtinere, vt sepeliantur cum habitu Fratrum Mendicantium, aut sororum Tertij Ordinis, & sic vestiti palam habito minime cooperto deferri ad Ecclesias eorumdem Fratrum, & in eis tumulari. Sac.Congreg.Regular.in Nepesi.11. Decemb.1616. apud *Nicol. p.p l.4. tit.55. num. 24.* vbi ex eadem Sac.Congr. 29. Ianuar.1649. quod Capuccini possunt hunc habitum dare. Plures tamen conditiones requiruntur ad valorem huius priuilegij. Prima est, quod habitus concedatur à superioribus dictorum Ordinum. Non sufficit ergo, si moribundus sibi habitum assumat, vel hæredes illius habitu Religioso horum Ordinum illum induant, sed necesse est, quod habitus sit concessus à superioribus, vel saltem quod superiores approbent factum. Isti vero superiores sunt superiores locales Conuentuum, & multo magis superiores maiores, & mediati, vt Prouinciales, & Generales; nullus autem alius ab istis, ex vi Bullæ aureæ, etiam si quacumque auctoritate, & dignitate fulgeat, potest hunc habitum concedere. *Rodriq.tom.2.q.77 a.9. Peyr.ad Const.3.Sixti 4. num.3. Lezana p.3. v. habitus nu. 7. Bardon.v.sepultura num 49. Portell. v.sepultura. numer.9.Peyr. ad const.3. Sixti 4. num.3.* Nomine vero superiorum hic veniunt etiam in absentia Prioris, Guardiani, vel alterius Ordinarij Prælati localis, Suppriores, Vicarij, & alij qui locum Prælati Ordinarij in conuentu tenent. Non vero alij subditi, vel officiales Conuentus, quicumque illi sint, sed neque à quibuscumque non superioribus extra Ordinem, quacumque fulgeant dignitate. Nonnulla vero hic manet difficultas, an hoc priuilegium se extendat ad loca in quibus non sit Conuentus.

Quoniam

Quoniam in Bulla aurea conceditur potestas concedendi hunc habitum superioribus locorum in quibus ægroti decessefint, ibi. *Per Priorem Ordin. Prædicator. & Guardianum Minorum loci, in quo tales decedere contingeret.* Sed dici potest Pontificem respexisse ad id, quod vt plurimum contingit, quia nimirum rarius est, quod corpora defunctorum deferantur de loco ad locum, & ita quod possit contingere, quod aliquis decedens extra locum Monasterij petat habitum Religiosum, & sit propterea sepeliendus in Ecclesia Regularium. Nihilominus quia alia priuilegia hoc non exprimunt, bene potest intelligi, vt non sit dictum taxatiue, sed demonstratiue, & attento eo, quod vt plurimum accidit. Verum in consimilibus casibus dicendum est, quod sicut in eadem Ciuitate si sint plures Conuentus eiusdem Ordinis, ad eum superiorem pertinebit concedere habitum à quo vel ab ægroto, vel ab alio illius nomine fuerit postulatus, & in his faueri debet deuotioni, & libertati postulantis. Ita si contingat, quod ex existentibus extra locum illum indiuidualem, & physicum, in quo est Conuentus, plures sint hinc inde superiores, à quibus habitus possit postulari, erit in libertate postulantis accedere ad quem sua deuotio illum direxerit. Et censentur ægroti esse in loco monasterij, quandocumque sint vbi pro deuotione sua habitum petere, & obtinere, & sepulturam pro sua deuotione consequi possunt. *Et* immo nec est necessarium, vt à superiore illo recipiant habitum in cuius Ecclesia eligunt sepeliri, sed sufficit quod ab aliquo superiore locali, vel maiori, vel ab eo, cui ipsi commiserint, habitum recipiant. Cum enim ex assumptione huius habitus, si alibi sepulturam non elegerint, assumentes sepeliendi sint in Ecclesia illius Ordinis, cuius habitum portant, huius habitus postulatio est sepulturæ electio, quæ libera est, & est actus voluntatis, & libertatis. *Rota dec. 552. num. 21. par. 5. & decis. 745. num. 3. p. 2. recent. & decis. 164. & 165. apud Cæsar. de Grassis*, verum cum postulans hunc habitum, si velit possit sibi eligere sepulturam, etiam extra Ecclesiam Ordinis cuius habitum postulauit vt dicam ex vi Constit Leon. X ideo potest petere habitum ab vnius Conuentus superiore, & in alio sepeliri, si ipse sic declaret; secus si id ipse non exprimat, quia postulare habitum ab vno superiore, per se est eligere sepulturam apud illum, vt infra magis explicatur. Tripliciter igitur soluitur difficultas proposita ex verbis Bullæ aureæ, vel dicendo quod non loquitur taxatiue, vel quod superior cuiuscumque Conuentus censetur esse superior eius loci, in quo decedit is, qui à se habitum postulauerit, vel quod Bullæ aureæ derogatum fuit ex quæ Leo 10. statuit, quod postulantes, & obtinentes habitum habeant liberam electionem sepulturæ, ex hoc enim sequitur, quod à quocumque superiore Ordinis possunt habitum obtinere, sicut & apud quemcumque possunt sepulturam eligere. Quod magis confirmatur ex posterioribus priuilegijs Iulij II. & Hadriani 6. infra adducendis, ex quorum vi sufficit habitum obtineri ab aliquo Ordinis superiore.

201 Secunda conditio est, vt qui volunt sepeliri in hoc habitu illum petant, ita *Bordon. num. 50.* qui tamen existimat, quod sufficiat, quod hæredes id præstent, cum hæres reputetur vna persona cum defuncto *§. Authent. de iure iur. l. 1. C. de impuber.* & hæres est eiusdem potestatis, & iuris cuius erat defunctus *l. hæredem ff. de reg. iur.* cum alijs citatis *A. M. Anton. l. 2. resol. 59. casu 26. §. & quamuis* subdendo id procedere tam in iure actiuo, quam passiuo. Et confirmatur, quia clausula petendi fuit posita ad fauorem Religionis, ne aliquis extraneus sibi hoc ius arrogaret, non autem contra ipsum ægrotum aut hæredes, qui habent ius petendi, & superior concedendi; ergo non est in eorum dispendium retorquendum. *Regul. 61. in 6.* Sed præfatos textus intuenti patet primo, quod non est necessaria ægroti petitio, quamuis & hæc persæpe interueniat, sed sufficit quod ægrotus ordinet, mandet, velit sepeliri cum habitu Religioso, & sic sufficit quod voluntatem suam manifestet, & tunc postea ad eius voluntatis executores pertinet procurare illi habitum vel ante, vel postquam obierit, & illum a superioribus petere. Cæterum si ægrotus ipse non ordinauit aut mandauit, vel voluit sepeliri cum habitu Religioso, non erit in potestate hæredum habitum valide petere, & obtinere; quia priuilegia data sunt mandantibus, aut volentibus sepeliri in habitu Religioso. *Et* quod dicitur quod hæres & defunctus censentur vna persona & sunt eiusdem potestatis est verum in materia iustitiæ, aut in ijs, quæ defunctus disposuit, & quidem tam actiue, quam passiue, non vero in personalibus voluntarijs & liberis; In istis enim potest hæres valide velle, quod non voluit defunctus, vnde nec hæres tenetur ad adimplenda vota personalia defuncti, nec defuncti dispositiones potest mutare, quæ potuisset mutare defunctus, nec consentire in loco defuncti in ijs, in quibus personalis consensus illius fuisset necessarius: nec assignatur propria ratio concessionis priuilegij, quæ fuit fouere, & fauere deuotioni personali, quam fideles habent erga habitum mendicantium, non vero deuotioni hæredum illorum; hæres vero non succedit defuncto in his personalibus, vt eam deuotionem iuridice habeat nomine defuncti & valide in ordine ad effectus legales requirentes defuncti deuotionem, quam non habuit defunctus.

202 Tertia conditio posita in Bulla aurea est, quod potenti sepeliri in habitu Religioso denuncietur, quod erit sepeliendus in Ecclesia Regulari eius Ordinis cuius habitum petit. *Peyr. ad Const. 3. Sixti IV. num. 3.* Putat vero *Bordon. num. 52.* hanc expressionem non esse necessariam, quia ipsa includitur virtualiter in concessione habitus. Neque illa declaratio est de substantia actus, sed tanquam directiua eius ad fugiendas dissensiones. Verum licet hoc verum esse posset, vbi ægrotus sciret suum corpus cum habitu Religioso nō esset sepeliendum in proprio & maiorum suorum sepulchro, sed in Ecclesia Regulari, cuius petit habitum, quia tunc satis hæc qualitas exprimeretur, tamen quia huiusmodi scientia in ægroto præsumi non potest, nec debet, cum eorum non sit scire conditiones ex iure necessarias ad vsum priuilegiorum Regularium, & alias bene posset contingere, quod ægrotus nollet sepeliri extra sepulchrum suorum maiorum, optimo iure Sixtus Quartus voluit, vt petenti habitum expresse denuncietur, quod ex vi priuilegiorum ex quo conceditur sibi habitus, necessitatur (modo tamen infra explicando) ad sepulturam in Eccle-

sia Regulari. Et vbi non fiat hæc expressio in foro externo admissio Religiosi habitus præsumetur inuoluntaria, nisi aliunde probetur, quod ægrotus bene sciebat præfatam necessitatem, nec fuit opus iam illi explicare. Debet ergo fieri illa expressio, etiam ad valorem admissionis habitus, quamuis nõ sit de substantia, vbi petens habitum scit habitui coniunctam esse sepulturam in Ecclesia cuius habitum petit.

203 Verum considerandum est, quod priuilegium hoc moderatus fuit Leo Decimus in *Concil. Lateranen. sess 11. & in const. sua* 22. Dum intra mentis arcana, § 11. *ibi. Volentes quoque sepeliri in habitu eorumdem fratrum in claustra non degentes, sed in proprijs domibus habitantes, in eorum vltima voluntate sepulturam sibi libere eligere possint.* Quidquid igitur in contrarium dixerit *Bardon. d. resol.* 51. n. 48. volens quod petentes huiusmodi habitum & illud obtinentes ad Ecclesiam illius Ordinis, cuius habitum portant, sint deferendi, etiam si alibi elegerint sepulturam, ad quam deferri non possunt cum habitu prædicto sine expressa licẽtia Religionis cuius habitum susceperunt, dicendum est quod cum habitu religioso fideles habitatores extra claustra possunt sepeliri vbicumque sibi elegerint sepulturam; quia quantum ad hoc pariter priuilegium Maris magni, aut Bullæ aureæ non viget, sed ex dispositione Leonis Decimi possunt vbi voluerint sepeliri, vt bene aduerterunt *Casarub. v. sepul. nu. 9. Peyr. ad constit. 3. Sixti quarti num. 3. Lezana v. habitus num. 6. & ad Mare magnum Carmel. §. 66. num.* 391. *Anton. à Spir. Sancto tr. 2. disp. 3. num. 125. Rodriq. t. 2. q. 77. a.* 8. Si tamen huiusmodi sibi non eligant sepulturam alibi, non poterunt sepeliri in sepulchro maiorum suorum, vel vbi habent sepulturam nisi id exprimant dum petunt habitum religiosum, vel postquam illud habuerunt. Nam in hoc antiquiora priuilegia non sunt reuocata, sed solum si huiusmodi habitum religiosum volentes in vltima voluntate sepulturam elegerint, vt de non sufficit, quod elegerint ante habitus petitionem, & concessionem, nam ex vi petitionis habitus censetur mutasse omnem priorem electionem, cum de se habitus Religiosus habeat annexam sepulturam in Ecclesia, cuius habitus petitur, nisi alibi sepultura eligatur.

204 Vbi ergo habitus Religiosus legitime fuerit alicui defuncto concessus non potest Parochus impedire, quod talis non sepeliatur in Ecclesia Regulari, cuius habitum portat, nec licebit illi cooperto habitu sepelire cadauer alibi, vt aduertit *Bordon.* quia hæc est fraus iniusta, & contra ius sepulturæ, quod habet Ecclesia regularis, & ex vi Bullæ aureæ debet habitus patenter deferri, & cum eo minime cooperto, & abscondito ad Ecclesiam deferri Regularem, *Portel. v. sepultura num.* 8. nisi iuxta Leonis X. dispositionem alibi defunctus sepulturam elegerit. Et hic propterea attendi debent decreta Sacr. Congreg. Episc. & Regul. quæ per extensum ponit *Samuel de sepult. disp. 3. contrau.* 15. *num. 74. pag.* 205. sub his verbis. *Prædicta Cadauera recto tramite sunt ad Ecclesias Regularium deferenda eam Parocho; quo requisito expresse venire recusante, vel licere tunc ijsdem Regularibus, etiam ipso inuito, portare ad suas Ecclesias. Romæ 11. Decembr.* 1615. *Antonius M. Card. Gallus. V. Theatinus Secret.* Eadem vero Sacr. Congreg. interrogata à PP. Minoribus an in eorum Ecclesijs sepelienda sint cadauera illorum, qui dicti Ordinis habitu induti, ex hac vita migrarunt. Respondit. *Id fieri debere, si tamen à Guardiano domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio superiore, vel altero cui id superior committendum duxerit habitum receperint, ac prædicti Guardianus, vel alius superior habitum huiusmodi suscipientes, præmonuerint, eorum cadauera, propter habitus concessionem ac receptionem penes ipsos fratres, quorum habitum gestant, esse sepelienda.* Merito igitur huiusmodi fideles vtriusque sexus, nisi vbi alibi secundum dispositionem Leonis decimi elegerint sepulturam, sepeliendos esse in Ecclesijs Ordinis, cuius habitum portant, dixerunt *Lanor. tit. 2. cap. 11. num.* 102. *Barbosa lib. 2. de iure Eccles. cap. 10. num. 73. Peyr. tom. 1. ad Constit. 3. Sixti IV. num. 4. Rodriq. t. 2. q. 77. a. 8. Bordon resol.* 51. *num. 48. Lezana v. sepultura num. 19. & v. habitus num. 5. & seq. Casar. in v. habitus nu. 11. Confectius in Sixto IV. & in Compend v. sepultura in fine. Anton. à Spir. Sancto tr. 2. disp. 3. num. 25. Samuel disp. 3. contr. 15. nu.* 71. *pag* 200.

205 Contradictoribus vero imponitur pœna excommunicationis, & quidem in Mari magno Carmelitarum hæc excommunicatio est latæ sententiæ, cum sit lata per verbum directum, & de præsenti, quod alterius opem non requirit scilicet per verbum *excommunicamus*, iuxta communem sententiam DD. vt aduertit *Lezana ad Mare magnum Carmelit. num.* 390. & præcipue *D. Anton. 3 p. tit. 24. cap. 74. Sylaes. v. excommunicatio 5. num. 25. Tabien. v. excommunic. 2. Armilla ibid. num. 17. Nauar. in manual. cap. 27. num. 12. Henriq. l. 13. cap. 20. §. 2. Sayri de cens. l. 1. cap. 11. num.* 6. Excommunicatio autem lata per Sixtum quartum in Constitut. Apostolicæ mansuetudinis pro Minimis prout habetur apud *Peyr. Constit.* 3. non est vniuersalis quantum ad personas, sed respicit Prælatos, & Rectores Ecclesiarum, & non est latæ sententiæ, sed ferendæ præmissa monitione. Hoc idem, vt dispositum per Sixtum IV. ad fauorem Minorum ex supplemento tradit *Rodriq. tom. 2. q. 77. a.* 8. Sed huiusmodi constitutionem non vidi. Cum ergo huiusmodi excommunicatio requirat monitionem, *Bordon. d. res.* 51. *num.* 14. arbitratur huiusmodi monitionem fieri debere a conseruatore monasterij & non esse necessariam trinam, sed sufficere vnam pro trina, quia in his pendentibus vna pro trina sufficit, per *cap. Constitutionem, de sent. excom. in 6. At Peyr. ad Const. 33. Sixti IV. num.* 6. existimat non sufficere vnam monitionem pro trina. Sed sufficere clare habetur ex *d. cap. Constitutionem. Couar. in cap. Alma mater p. 1. §. 9. num. 5. Bellet. in de fauore Cler. cau. §. 4. num. 22. Barbosa ad d. cap. Constitutionem. Suarez de cens. disp. 3. sec. 9. n.* 2. Bene tamen idem *Peyr.* ait, hanc monitionem debere esse personalem, cum sit ad morum correctionem, & posse fieri in die festiua. *Bald. in rapit. fin. na. 8. & 9. de vit. & honest. Cleric.* Sed vbi non est Conseruator quid erit agendum? Tenebitur Episcopus loci monere Parochum instante Religionis procuratore, & sic contra Parochum etiam ad fulminationem excommunicationis procedere si in contumaci inobedientia persistat. Et quantum ad id quod dicitur de conseruatore iniuria illata Religioni debebit esse manifesta, vt Conseruator de ea cogno-

cognoscere possit, & seruari debebit *Constitut. fel. mem. Greg. XV.*

206 Bene etiam aduertit *Bordon. num.* 57. quod habitus iam concessus reijci non potest, quia aliter fit iniuria Religioni, quæ concessit, & præiudicatur defuncto, qui priuatur eo suffragio, & quia qui non dedit, neque auferre potest, siue sit Curatus, siue hæres. Et quidem ego puto, quod ægrotus dum viuit possit voluntatem mutare, & habitum quem petijt recusare; sed eo mortuo eius vltima voluntas impleri debet, nec est in potestate Curati, vel hæredis eam contemnere, & non implere.

207 Multæ etiam indulgentiæ dicuntur concessæ ijs, qui cum habitu Religioso eligunt sepeliri, de quibus *Peyr. ad constit. 13. Sixti IV. num. 2. Rodriq. tom. 2. q. 77. a. 10.* primo numerat priuilegium concessum à Leone X. vt ij, qui deferunt zonam Fratrum S. August. ab aliquo Prælato illius Ordinis concessam, possint lucrari indulgentias Fratribus eiusdem Ordinis concessas. Huius priuilegij meminit etiam *Casarub. v. Indulgentia quoad seculares 6. num. 10. & 11.* ait eundem Leonem X. extendisse hoc priuilegium ad deferentes chordā S. Francisci, & subdit, quod licet hoc priuilegium non sit impressum in libris priuilegiorum, tamen absq; dubio fuit impetratum ad instantiam Cardinalis S. Crucis, sed *Lezana in v. habitus*, ait, quod non vidit hoc priuilegium, & ideo sibi non constat, an extendatur etiam ad decedentes cum tali zona, etiamsi in vita illam non gestauerint. Et idem dicit de deferentibus chordam S. Francisci.

208 Aliud priuilegium est, per quod concessum fuit morientibus cum habitu Fratrum Minorum, & qui cum eo elegissent sepeliri remissionem tertiæ partis omnium suorum delictorū acquirerēt. Huius priuilegij mētionem faciūt monumenta Ord. Min. pagina mihi 260. aduertens prius, quod priuilegia ibidem registrata ponuntur summarie, quia literæ ipsæ Apostolicæ haberi non potuerunt, & tamen illi constitit priuilegia illa emanasse, vnde & ponuntur ipsorum priuilegiorum initia. Itaque sub num. 658. ponitur illud priuilegium, vt concessum à Clem. IV. in Bulla Romanus Pontifex in specula, quæ habetur Mediolani, Perusij, Venetijs. Et sub num. 661. ponit idem priuilegium, vt concessum à Nicolao III. in bulla incipien. Futurorum bonorum charismata, quæ habetur Ianuæ. Et sub num. 670. ponitur idem priuilegium, vt concessum ab Vrbano Quinto, & incipit. Euangelicæ professionis, & bulla habetur Ianuæ, & in Monte Pessulano. Huius etiam priuilegij meminit. *Rodriquez d. q. 77. a. 10. & Casarub. v. Indulgentia quo ad seculares 6. num. 1. 2. & 3.* tamen referendo priuilegium, vt datū à Nicolao III. & Vrbano V. aduertit, quod alias habetur, quod remissio peccatorum, ibi concessa est quartæ partis. Et numer. 4. inquit. Item concessa est sepultis in nostris Cœmeterijs, & morientibus in habitu nostro Fratrum Minorum quarta pars peccatorum à quatuor Pontificibus, Et hoc *Casarub.* habuit *ex monum. fol. mihi 71. conc. 183.* cui concessioni, & alijs ibidem summarie relatis præmiserat, quod circa eas non erat dubitandum, quia R. P. F. Io. de Argumas Vicarius Prouincialis Prouinciæ S. Iacobi, asserit se vidisse in authenticis literis huius rei veritatem. Addit etiam *Casarub. n. 5.* Alexandrum VI. extendisse priuilegium ad mulieres assumentes habitum Monialium S. Claræ. & n. 6. quod Leo X. priuilegium confirmauit, & ampliauit concedens indulgentiam plenariam. Et num. 7. Leo Decimus concessit, quod etiam morientes, & sepeliendæ, in habitu Sororum tertiæ Regulæ Sancti Francisci sub obedientia Ministrorum Generalia, & Prouincialium degentium consequantur indulgentiam plenariam: & num. 8. quod idē Leo X. declarauit, sufficere habitum prædictum petere, ac super se vsque ad mortem habere, ac in eo sepeliri, etiam si ante mortem non induatur. Et præfata habentur etiam in Compendio priuileg. Ord. Minor. Chrystophori à Capite Montium Ministri Generalis iussu editum *in v. Indulgentia quoad seculares 6.*

209 Verum aduertit benè *Lezana v. habitus numer. 8.* quod concessiones præfatæ Alexand. VI. & Leonis X. sunt oracula viuæ vocis, ideoque per Gregor. XV. & Vrbanum Octauum reuocata. Qui etiam num. 10. bene considerat ex *Rodriq. d. ar. 10.* quod ad lucrandas huiusmodi indulgentias non est necesse dare eleemosynam, immo quod si hoc fieret indulgētia esset reuocata per Constit. Pij Quinti reuocantis omnes indulgentias ratione quarum aliqua eleemosyna tribuitur. Cæterum dantes eleemosynam pro habitu Religioso ad induendum moribundum, prout in Hispaniæ partibus sæpissime contingit, non censentur dare eam pro indulgentia concedenda. Sicut dantes eleemosynam pro imagine, vel corona non censentur eam dare pro indulgentia illis annexa. Addit tamen Lezana hanc eleemosynam non debere excedere valorem habitus pro quo datur: alias intelligeretur concedi pro ipsa indulgentia. Sed hoc necessario non consequitur, & eleemosyna, quæ gratis, & ex liberalitate donatur, non est mensuranda ex valore rei occasione cuius datur, sed est iudicanda ex quantitate liberalitatis, & charitatis donantis, qui si illam non dat pro Indulgentia, nihil obstat, si magna donetur, sed si datur pro indulgentia nihil proficit, si detur in quantitate multo minori, quam sit habitus cuius occasione datur. Ad lucrandum etiam dictas indulgētias tria copulatiue requiruntur. Primo quod homo dum viuit induatur habitu religioso, secundo quod eo indutus decedat, & tertio quod defunctus elegerit sepeliri in eo habitu. Sed quantum ad primam, & secundam conditionem quod sufficiat si habitus ponatur super lectum agonizantis, prout in Hispaniæ partibus obseruatur dixit *Lezana vbi supra num. 11. & Samuel disp. 3. contr. 15. num. 7.* Iulius etiam secundus in sua Constit. dum ad Sacrum Ordinem Minimorum, quæ est in *Bull. Rom. 10.* & apud *Peyr. tom. 1. est 9.* & habetur etiam in *Bullar. Præd. fol. 218. in §. 15.* ita concessit. *Quodque de cætero famuli domorum Ordinis Minimorum huiusmodi, nec non cæteri eiusdem Ordinis habitum portantes, & in articulo mortis in dictis domibus sepulturam eligentes, omnibus, & singulis priuilegijs Ordini Minimorum huiusmodi quomodolibet concessis gaudere libere, ac licite valerent, indulsimus.* Vbi *Peyrin. num. 18.* aduertit, quod clausula *illa in dictis domibus sepulturam eligentes*, non refertur ad familiares, sed ad eos, qui habitum ordinis portant. Nam famuli domorum independenter ab electione sepulturæ gaudeant priuilegijs Ordinis, & tempore interdicti aut cessationis à diuinis pos-

sunt sepeliri in Ecclesijs Ordinis. Quod esse verum de famulis magis proprie dictis in terminis Concil. Trid. sess. 24. cap. 11. dicam infra; & ex quo tamen huiusmodi habitum portantes, & sepulturam in Ecclesijs Minimorum aut aliorum Religiosorum communicantium in hoc priuilegio dicuntur posse gaudere priuilegijs Ordinum, non possunt illis administrari sacramenta viatici, aut extremæ vnctionis, aut sepeliri non vocato Parocho: huiusmodi enim priuilegia similibus non sunt communicata; obstant enim decreta specialia prout satis in superioribus in locis proprijs est probatum. Et ideo caute huiusmodi concessiones legendæ sunt, & cum alijs Pontificum decretis, & Sacr. Congreg. declarationibus conferendæ.

211 Referunt etiam *Cæsar, vbi sup. nu. 23. Rodr. d. ar. 10. Lezan. n. 9.* priuilegiũ Leonis 10. & Hadriani 6. quod habetur in Const. eiusdem Hadriani, quæ incipit Rationi cõgruit &c. sub data pridie Kalendas Septem. anno 1522. & habetur in Bullar. *Rodriq. 4.* in qua sic habetur. *Ac qui deuotionis feruore ducti in habitu Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, & redemptionis captiuorum huiusmodi decederent, aut eorum corpora, seu cadauera, dum ab hoc seculo migrare in Ecclesijs monasteriorum Ordinis SS. Trinitatis, & redemptionis captiuorum huiusmodi sepeliri ordinarent; seu de proprijs rerum bonis pro redemptione prædicta aliquam pecuniæ quantitatem per dictum Ministrum Prouincialem pro tempore existentem designandam erogarent, aut etiam qui scapularium eiusdem Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, & redemptionis captiuorum de manu alicuius illius Prælati (etiam absq; alicuius voti emissione) susceptum deferrent. Nec non vtriusque sexus Ordinis eiusdem Sanctissimæ Trinitatis, & redemptionis captiuorum fratribus, Hermanis nuncupatis, vt omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones fratribus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis huiusmodi concessas consequerentur, ac suffragiorum in ipsis monasterijs pro tempore factorum participes fierent, nec non priuilegijs indultis, prærogatiuis, exemptionibus, fauoribus, concessionibus, antelationibus, & gratijs, monasterijs, & Ordini Sanctissimæ Trinitatis huiusmodi in genere, vel in specie concessis, & quibus fratres Ordinis Sanctissimæ Trinitatis & redemptionis captiuorum huiusmodi vtebantur, potiebantur, & gaudebant, seu vti, potiri, & gaudere poterant, quomodolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere perinde possent, ac si illa eisdem fidelibus, & fratribus Hermanis nuncupatis specialiter, & expresse concessa fuissent auctoritate prædicta concessit, & indulsit.* Quod quidem priuilegium amplum est & extensum, sed quod, quatenus sit practicandum cum secularibus, multo indiget examine, & in materia sacramentorum, sepulturæ &c. ex alijs iuribus est explicandum. Vnde vi huius priuilegij, nec huiusmodi habitum deferentes seculares possunt sine Parocho sepeliri, quantum vero ad indulgentias & suffragiorum participationem locum habere potest. Et non est necesse vt copulatiue hæc duo concurrant scilicet delatio habitus, & electio sepulturæ sed eorum alterum disiunctiue sufficit, quoniam dictio aut non copulat, sed disiungit. Et in hoc differt priuilegium hoc ab illo, quod per Sixtũ quartum fuit concessum, vel in Mari magno, vel in Bulla aurea. Quia ad illud requirebatur copulatiue quod sepeliendus in Ecclesia Regularium, & qui esset lucraturus indulgentias in vita detulisset habitum Religiosum, & in eo decessisset, & cum eo sepeliendus esset, seu elegisset sepeliri. Sed ex vi huius priuilegij, sufficit quod defunctus elegerit sepeliri in habitu Religioso. Ex vi tamen huius priuilegij non habetur, quod indutus habitu Religioso sit sepeliendus in Ecclesia illius Ordinis, cuius habitum portat, Ideo distingui hic debet, quia aliud requiritur ad hoc, vt indutus habitu sit necessario sepeliendus in Ecclesia Regulari, quod non requitur, vt lucretur indulgentias concessas ab Hadriano, Ad primum enim requiritur copulatiue quod decesserit in habitu Religioso, & quod elegerit sepeliri in eodem habitu, & quod alibi sepulturam non elegit, vt supra est explicatum. Hoc autem priuilegium Hadriani, sicut & alia est commune omnibus Religionibus communicãtibus cum alijs in similibus, aut priuilegijs, aut gratijs, aut concessionibus *Lezana vbi sup. num. 9.*

Religiosi liberam habent sepulturam in suis Ecclesijs.

OBSERVATIO NONA.

212 Indubitatum est Religiosos exemptos à iurisdictione, & potestate Episcoporum, & Regulariũ habere in suis Ecclesijs liberam prorsus sepulturam, in eaque sepeliendos esse, habetur ex *cap. p. S. placuit, & ex cap. placuit 16. q. 1.* & aperte decernitur *cap. final. de sepult. in 6.* Et quidem quando moritur in Conuentu res est manifesta, sed tamen vbi moritur extra Conuentum, nonnulla difficultas esse posset, & videretur forsan eum sepeliendum esse vel in Parochia, vel vbi ipse elegisset sepulturam, & tunc non sine Parochi ducentis funus præsentia. Sed in his seruanda est dispositio *cap. finalis in 6.* quæ talis est. *Religiosi nisi à proprijs Monasterijs adeo forsitan sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle, vel nolle non habeant) sibi eligere sepulturam: sed sunt apud monasteria tumulandi.* Ad huius vero textus & materiæ intelligentiam plures casus sunt distinguendi.

213 Primus quando Religiosus extra Conuentum moritur, sed in loco vbi est Monasteriũ suum, vel ita prope, vt commode ad illud portari potest. Et in hoc casu certa iuris conclusio est, quod Religiosus defunctus in suo Monasterio sepeliri debet, vt habetur expresse in textu. Ex quo colligitur, quod in hoc casu Religiosus nec de suo consensu potest extra suum monasterium sepeliri, quia non potest sibi eligere sepulturam. Nec obstat ratio *Hostien. in cap. de vxore num. 4. de sepult.* sustinentis oppositum, ex eo quia electio sepulturæ habet effectum pro tempore habili, scilicet post mortem, tunc cum amplius non est subiectus obedientiæ, est vero iuris regula, quod idem est disponere aliquid in tempore habili aut inhabili, cum effectus sequi debet solum in tempore habili. *l. quod sponso C. de donat. ante nuptias. l. in tempus ff. de hæred. institue.* Ex hac enim ratione textus *in d. cap. de vxore*, definit vxorem posse sibi eligere sepulturam. Quia dicunt quod regula illa valet, quando aliquid prohiberetur specta-

spectato solo effectu, non vero quando etiam initium prohibetur, tunc enim non sufficit vt conferatur in tempus habile, seu quod effectus non sit habendus nisi in tempore habili, vt constat ex *l. si minor. ff. de seru. export.* vbi minor 20. annis non potest seruum manumittere, etiam si manumissio referatur in tempus, quo illa ætas completa fuerit, Religiosus vero dum viuit, quia non habet velle, vel nolle, & omnis dispositio est illi interdicta, non potest disponere de se ipso, nec quantum ad illa, quæ habebant effectum post mortem, & ideo non potest sibi eligere sepulturam, sed in proprio monasterio debet tumulari, *Glossa in d. cap. Gemin. & Franc. Rodriq. tom. 3. q. 60. a. 2. & 2. Syluest. v. sepultura q. 6. D. Anton. 3. p. tit. 10. cap. 5. in princip. Tabien. v. sepult. Sanchez l. 6. in Decal. cap. 14. numer. 2. Barbosa de Paracho cap. 26. num. 30. & l. 2. de iure Eccles. cap. 10. num 30. Mora. n. ref. 51. num. 26. Donatus p. 4. tr. 13. q. 21. Bordon resol. num. 173.*

214 Quod adeo verum est, vt etiam Parochis inconsultis, & nulla eis soluta quarta Parochiali possint superiores sui Ordinis defunctum Religiosum ex quocumque loco ad Conuentum deferre, & illum sepelire, prout determinauit Sacra Congreg. Concilij 2. Iulij 1620. Ad decimum ex sibi propositis dubijs pro parte Cleri Bononiensis, quod erat sequentis tenoris Decimo. *Morendo frati come alle volte, & in particolar de Canonici Regolari Lateranensi fuori del monasterio in casa de lor parenti, & hauendo i Curati amministrati loro i Sacramenti, se possano i loro superiori farli portare di notte alla loro Chiesa senza dirne cos' alcuna al Curato, & senza darli le raggioni parochiali.* Respondit. *Ad Decimum. Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum Ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis. Peyr. qui hanc declarat.* ad verbum refert, *ad const 3. Pij quinti §. 13. num. 14. Lezana v. sepultura num. 16. & tam. 1. cap. 12. num. 41. Roman. de Priuil. l. 3. v. sepelitio. Diana p. 5. tr. 3. resol. 110. Bordon. resol. 35. numer. 170. Barbosa de Paracho cap. 26. numer. 30. & numer. 68. & l. 2. de iure Eccles. capit. 10. numer. 30. & v. Regular. quod ad sep. n. 1. Samuel. disp. 3. contr. 4. num. 1. pag. 147.* Et quod superioribus Regularibus non possit prohiberi quin suorum Religiosorum cadauera deferant ad suas Ecclesias sub prætextu quod non soluerint iura parochialia, decisum fuit à Sac. Congr. Epis. & Regular. sub die 22. Maij 1615. teste *Barbosa vbi supra & in Traven. 10. Ian. 1594.* apud *Nicolium. p. p. l. 4 tit. 15. num. 23.* Quæ etiam apud *Lezanam v. sepultura num. 16. die 24. Nouem. 1634. & die 24. Septem. 1636.* declarauit Clerum secularem nihil posse prætendere propter exequias, aut sepulturam Monachorum, aut fratrum defunctorum extra Claustra.

215 Ampliatur hoc ad Religiosum, qui fit Parochus manualis in aliqua Parochia, vel Prior in aliquo Prioratu subdito, & vnito Religioni, si enim moriatur potest & debet sepeliri, vel in Ecclesia illius Prioratus, vel in Ecclesia Monasterij, ad quod ille Prioratus spectat, iuxta dispositionem Abbatis, seu superioris illius monasterij; censetur enim & est Religiosus illius monasterij sub cuius Prælati obedientia viuit, iuxta *cap. 1. de priuil. in 6. Franc. ad d. cap. fin. num. 2. de sepul. in 6. Rodriq. 3. tom. q. 60. a. 1. Sanchez l. 6. c. 14. num. 9.* quidquid in contrarium dixerit *Medices. q. 8. num. 13.* volens quod illi habeant electionem sepulturæ.

216 Ampliatur secundo ad nouitios non professos, vt & ipsi in Ecclesia illius Ordinis, cuius habitum portant, sint sepeliendi. Hoc tamen non eodem modo asseritur ab omnibus. Nam primo quod Nouitij possint sibi eligere sepulturam, ex eo quia in odiosis non veniunt sub nomine Religiosi, & ideo sub *dispos. d. cap. final.* non comprehendantur, dixerunt *Franc. d. cap. fin. num. 2. Armilla v. sepultura n. 6.* & ibi *Tabien. q. 4. num. 5. Sanchez d. l. 6. c. 14. num. 10. Medices q. 8. num. 14. & 15. Lezana v. Nouitius nu. 41. Diana p. 5. tr. 3. resol. 109. Villalobos p. 2. trac. 31. difficult. 2. num. 13. Pasqualig. dec. 381. num. 6.* Et nihilominus oppositum sensit *Lauor. variarum lucubr. tit. 2. sepit. 11. numer. 106.* Et quidem si Nouitius velit relinquere habitum, & ad seculum redire, indubitatum est, quod recuperat eam facultatem eligendi sibi sepulturam, quam habere alias potest, quatenus secularis, & sui iuris. Sed si velit perseuerare in proposito Regulari, & decedat tanquam Religiosus in probatione, & habitu, ego credo quod non possit sibi eligere sepulturam. Tū quia Religiosum sepeliri in Ecclesia sui Ordinis non est odiosum, neque priuatio facultatis eligendi sepulturam extra est pœna, sed est quid connaturaliter conueniens statui Religioso, vt Religiosus vt in vita, & in morte sit de sancta communitate, quam elegit. Et non dubito quod censeretur pœna valde grauis Religioso, si ei viuenti diceretur esse sepeliendum extra Ecclesiam sui Ordinis. Non ergo ex quo priuatio facultatis eligendi sepulturam sit odiosa, eximendus est Nouitius à lege d. cap. finalis interdicentis Religiosis eligere sepulturam. Secundo quia Nouitius habet quidem velle, & nolle pro quanto potest redire ad libertatem seculi, sed in sensu composito sui volentis perseuerare in Religione, seu in probatione Religionis, non habet velle, aut nolle, quia hoc repugnat experimento Religiosi status. Quatenus igitur Nouitius vult manere in probatione, & experimento Religiosi status, non potest exercite experiri velle, vel nolle liberum à necessitate obedientiæ, & sic habet potentiam in sensu composito necessitatam ad vitam sub obedientia ducendam, & ita vt cum suo statu, & proposito non possit componere libertatem ab obedientia solutam. Et in Nouitio igitur decedente in probatione, & qui non reuocauit animum probandi Religionem militat ratio, *textus d. cap. finalis*, vt quia Nouitius non sit in statu libertatis solutæ ab obedientia, si vult esse in probatione, nec sibi possit sepulturam eligere. In casu igitur quod Nouitius eligeret sepulturam extra Ordinem, sine licentia superioris Electio valida esset, si constaret eum recessisse à proposito Religionis, quod & de facili præsumi posset. Sed tunc spoliandus esset habitu etiam ipso viuente, & nondum mortuo; quippe qui iam Religioni vale dixisset. *Et* ideo interrogandus esset, an à proposito Religioso recederet. Sed cognito ab eo, quod maneret in proposito probationis, quod est dicere eum manere in exercitio obedientiæ, electio illa contradicente superiore esset nulla, quia ab eo habita, qui non habet proprium velle, & de se in eo statu sine licentia superioris non potest disponere, & qui & hoc experiri debet, quod dispositio facta sine licentia superioris in Religioso est nullius firmitatis, nisi superior annuat & nisi causa vrgens aliud suaderet,

Sed

217 Sed & secundum priorē sententiam, si Nouitius decedat non electa sepultura, in Ecclesia sui Ordinis sepeliri debet: quamuis enim *Petrus de Vbaldis de Canon. Epis. cap. 9. num. 34. & Angel. v. sepultura num. 26. & Medices. q. 7. num. 16.* dixerint Nouitium mortuum esse sepeliendum in Ecclesia, in qua sepeliri deberet si esset secularis, ex eo quia non est Religiosus, tamen oppositum omnino est asserendum. Tum quia talis est consuetudo Ecclesiæ, *Tabiena, Armilla, Sanchez, Lezana citati, Sylu. v. sepultura q. 8. dicto 7. Lauor. tit. 2. c. 1t. num. 99.* Tum quia si, vt probatum est supra, qui decedunt vel eligunt sepeliri in habitu Regulari, vbi non eligant alibi sepulturam, debent sepeliri in Ecclesia, cuius habitum portant, multo magis hoc verificatur in Nouitio, qui detulit habitum, vt sub illo profiteretur. Vnde quod iure priuilegiorum Nouitij in Ecclesijs suorum Ordinum sint sepeliendi, dixerunt *Rodriq. 3. p. q. 60. a. 3. fin. Sanc. d. num. 11. Lezana d. numer. 42.* Tum quia non est verum quod Nouitij non sint Religiosi, quia tales sunt in probatione, & proposito, & ideo sicut illi viuere tenentur vt Religiosi, ita vt Religiosi tractari debent, quandiu in probatione manent. Cum vero hoc limitet *Syluest. d. q. 8.* vt sic verum, & approbet *Lauor. d. num. 99.* nisi illi cum nouitius esset in proposito redeundi ad seculum; hoc impugnat Sanchez, quia cum nondum redijt, mansit Nouitius, & sic debet tractari, vt exigit consuetudo, & requirunt priuilegia concessa Religionibus. Ideo etiam si Nouitius expresse dixerit se velle redire ad seculum, si non dimisit habitum, nec sepulturam elegit, nec potest sibi à quocumque extra Religionem auferri habitus, nec cum habitu extra Religionem est sepeliendus. Quamobrem quod habet *Lezana d. nu. 41. in fine ex Portell. tom. 2. casu 69.* scilicet quod Nouitius, qui mortuus est in domo paterna, non debet sepeliri in monasterio, si ante mortem declarauit, se nolle esse Religiosum, si non est conforme rationi, nec admitti debet. Tum quia propositum de futuro nō interrumpit nouitiatum, nec facit non religiosum, vnde talis Nouitius, quamdiu non dimisit habitum, est vere Nouitius religiosus. Tum quia ex vi priuilegiorum, non est cum habitu Religionis sepeliendus extra Religionem, qui sibi sepulturam non elegit; & quatenus talis Nouitius sepulturam elegisset, non posset cum habitu Religioso sepeliri, nisi Religio ex speciali gratia id permitteret. Absolute igitur si Nouitius decedat seruato habitu, vbicumque decedat, debet sepeliri in monasterio, *Layman. l. 3. tr. 5. c. 12. num. 8, ex Rodriq. p. p. q. 39. a. 4.*

218 Cuius vero expensis debeat sepeliri Nouitius, diuersimode fuit opinatum. Nam quidam distinguunt, & dicunt, quod si Nouitius non habet patrimonium debet sepeliri expensis monasterij secus si habet patrimonium, nam tunc expensis hæredis est sepeliendus, & si monasterium sepeliat, repetit expensas ab hærede. Ita *Petrus de Vbaldis de Canon. Epis. cap. 13. num. 3. Rodriq. p. 3. q. 60. a. vlt. sed Sanchez num. 12. & Lezana d. num. 41.* seruandam esse consuetudinem dicunt. Et sic addit *Sanchez* quod si Nouitius moriatur extra monasterium, & in loco remoto, monasterium tenetur ad expensas funeris in omni eo casu in quo teneretur, si in monasterio mortuus fuisset, quia eadem est ratio. Mihi in hac parte videtur distinguendum inter lucrū, & expensum, seu erogatum. Et cum absolutē de iure communi monasterium non teneatur ad alimenta Nouitij, vnde *Conc. Trid. sess. 25. c. 16. de Regul.* permittit, quod monasteria de bonis Nouitij accipiant quæ spectant ad victum, & vestimentum, ideo monasterium non tenetur de suo ad expendendum aliquid pro sepultura nouitij; sed Nouitius ad id tenetur de proprio. Ideo de iure communi monasterium nihil expendere tenetur de suo pro sepultura Nouitij. Ad quod tamen tenebitur vbi ex consuetudine, vel ex lege speciali monasterium teneatur ad sustentationem nouitij ex proprijs, & tunc verum est, quod ait Sanchez citatus, nimirum monasterium teneri ad huiusmodi expensas etiam extra monasterium, si ad eas intra monasterium tenetur. Quia nihilominus Nouitius moritur in probatione, & in obsequio monasterij, & sub obedientia, indecens valde esset, si ex hoc monasterium lucrari vellet, & nollet nouitium suum sepelire gratis, sed eleemosynam pro sepultura prætenderet, etiam si alias monasterium non proprijs monasterij, sed ex proprijs Nouitij eum aleret.

219 Ampliatur tertio ad Tertiarios viros intra Claustra collegialiter viuentes, vel cum Claustralibus habitantes. Isti tanquam Religiosi censentur, & in Ecclesijs Regularium sepeliri debent, prout tanquam decisum à Sacr. Congreg. Rituum in Spoletana Terræ de Viste 20. Iunij, & in Nepesina 11. Decembris 1615. tenent *Barbosa de Parocho capit. 26. num. 69. Lezana tom. 2. cap. 14. num. 33. Bardon. res. 51. num. 171.* Quatenus tamen isti non sint professi, poterunt redeundo ad seculum sibi sepulturam eligere, vbicumque voluerint. Sed non poterunt eligere sepulturam, vt sine licentia superiorum cum habitu extra suum monasterium sepeliantur, prout dictum fuit de Nouitijs, & isti etiam sepeliri poterunt Parocho inconsulto, & tanquam Religiosi viri, sicuti vt tales censendi sunt, cum sub habitu Religioso, & sub obedientia Prælatorum Regularium viuant. Quod verum est etiam si contingat aliquem ex istis mori extra Conuentum.

220 Ampliatur quarto in Oblatis, qui nec habent libertatem sibi eligendi sepulturam, sed in monasterijs, quibus se obtulerunt, debent sepeliri. Est autem hic considerandum, quod Oblatorum quidam sunt seculares, quidam Regulares, de quibus nos loquimur Ex his vero quidam Religionem sunt professi, & isti sunt simpliciter Religiosi, & in eis sine dubio locum habet decisio d. textus *c. final. de sepultur.* & iudicandum est de illis, sicut de cæteris professis. Alij vero non sunt professi. Et hi sunt in duplici differentia, nam quidam sunt perfecte, quidam vero imperfecte Oblati. Perfecte oblati sunt, qui in forma iuris valida perpetuo, irreuocabiliter, & cum effectu se ipsos, & sua bona omnia præsentia, & futura nulla prorsus quantumuis minima portione retenta, neque in vsumfructum reseruata, Religioni obtulerunt, & donarunt. Imperfecte vero & minus plene Oblati dicuntur, qui aliquid sibi reseruant, vel qui donant sua, sed non seipsos, vel econtra donant seipsos, sed non sua, vel non omnia, sed sibi reseruant aliquid, vel quantum ad proprietatem vel quantum ad vsum. Est vero discrimen inter illos Oblatos, quod soli plene, & perfecte Oblati fruuntur priuilegijs Religionis cui se obtulerunt, sed nō ita de alijs asserendum est

Præte-

221 Præterea vero præter has côditiones duas alias habere debent, secundum multos, prima est mutatio habitus, non quia debeant assumere habitum Regularem, quia Oblati non sunt Religiosi; sed quia debent aliquam mutationem habitua facere significantem eius oblationem, & distinguentem illum à laico, vt tenuerunt *Hostien.in cap.vt priuilegia, de priuil num.6.Io.Andr.io Gloss.3. Butr.Henric. & aly. Archidiac.in cap. Duo sunt. 12.q.1.Syluest. v. Ecclesia 1.num.6.& in v.oblati,vers.finem D.Ant.3. p.tit.23.cap.5.§1.Capella Tholosana decis.*8. & alij quos sequitur *Reuerendiss. Fagnan.in d.cap.vt priuilegio num.23.*

228 Quarta demum conditio, est quod Oblati isti sæculo renuncient, & ad *E*cclesiam se transferant. De hac tamen conditionis necessitate non constat, quia vt plurimum DD. de Oblatis plenius loquentes huius conditionis nullam mentionem faciunt. Nihilominus *Gloss.in cap.penult. de Priuileg.Panorm.etiam in d. cap. vt priuilegia num.3.* dixit non esse plene Oblatos, qui manent in seculo. Et cum in *cap.penul.de priuilegys* Gregor.IX. decernat quod assumpti ad numerum priuilegiatorum debeant *E*piscopo soluere iura Episcopalia si manserint in eorum domibus, ex eo textu hunc casum esse clarum ex *Zabarell. cons.25. num.5.& 6.* tradit *Reuerendiss. Fagnanus ad d.cap.vt priuilegia n.25.fin. vbi n.26.* quod non obstat, quod DD. plures huius conditionis non meminerint, quia hoc est argumentum ab auctoritate negatiua. Sed vt verum fatear ego habeo difficultatem circa necessitatem huius 4. conditionis. Quoniam existentia materialis intra septa monasterij necessaria non est, sed bene Oblatus potest manere extra Conuentum inseruiendo monasterio & manendo in domibus, vel prædijs monasterij. Quod ex eo euidenter colligitur; quod plene Oblati possunt esse coniugati, & cũ suis vxoribus habitare, immo & vxorem ducere de superiorum licentia vt per *Gloss. in cap.vt lex.27. q.1. Archid.in d.cap duo sunt Syluest. vbi supra. Hostien.Io: Andr.Henric.in c.vt priuilegia Franc. Marc. decis.24.num.14.* docuit *Reuerendiss. Fagnanus d.cap. vt priuilegia num.29.Cauar. in cap. Alma mater p.2. §.2.num.8.* & alij plures quos sequitur *Donatus p.4. tr.13.q.6.*Possunt igitur plene Oblati habitare extra septa monasterij cum suis vxoribus, quæ intra septa monasterij viuere nec ingredi possunt. Ex alia vero parte, iam Oblatus plene talis nullam habet domũ propriam, cum se & omnia sua donauerit monasterio, sic quod nec sibi retinuerit vsumfructum, vel vsum alicuius boni, vnde domus, quam habebat, iam est monasterij, & ideo sicut in quacumque alia, sic & in ea poterit habitare de superioris licentia. Quibus si addatur quod de iure communi ad Oblatum non est necessarium actuale seruitium exhibitum monasterio, sed sufficit habituale, & obedientiale, & quod Oblatus sit paratus inseruire & obedire superiori in omnibus, vt tradit idem *Reuerendiss. Fagnanus loco citato num.36.*

237 Vbi *eod.num. & num.27* optime aduertit, quod requisita in Oblato ex decreto *Concil. Trid. sess.24. c.11.* sunt quidem necessaria ad hoc, vt Oblatus non sit subiectus iurisdictioni Ordinarij, non tamen vt sit persona Ecclesiastica à foro seculari exẽpta, de quo Concilium nihil statuit. Et ita ad hoc vt Oblatus sit exemptus ab Ordinario ex vi Conc. Trident. est necessarium actuale seruitium exhibitum monasterio, quod non est necessarium de iure communi ad essentiam Oblati, neque ad hoc, vt Oblatus alijs Oblatorũ priuilegijs frui possit. Cur igitur Oblatus non erit plenè Oblatus si se, & omnia sua, omnino in perpetuum donauit cum effectu, & sine fraude, & habitum aliqualiter mutauit, licet de licentia superioris extra Monasterij septa mansat in domo, quæ sua erat, vel ad actuale seruitium monasterij, vel de superioris obedientia, & licentia reuocabili ad nutum superioris? Certe vbicumque huiusmodi Oblatus maneat de licentia superioris in monasterio manere censendus est. Et quatenus etiam maneat sine licentia, erit malus Oblatus, & inobediens, & non stans contractui, sed tamen erit essentialiter substantialiter plenissime Oblatus.

224 Nec obstat *textus in cap.penult. de priuileg.* Nam si per confratres intelligimus Oblatos, per confratres in domibus proprijs manentes Gregor. IX. intelligit eos, qui sibi dominium domorum retinuerunt, & ideo *Panorm.ibid.* hos non plene Oblatos explicat per hoc, quod se, & omnia sua nõ tradiderunt monasterio. Nec aliter potest intelligi textus ponderata illa clausula. *Fratres moram in domibus suis fecerint*, non enim moram facit in domo sua, qui nihil habet, & domus, quam habitat, non habet nisi nudum vsum facti reuocabilem ad nutum domini. Textus igitur ille loquitur de oblatis qui non dederunt omnia sua monasterio, vnde & habent domos suas vbi habitent, cæterum qui se ipsos & omnia sua donarunt ex hoc satis seculo renunciare dicuntur, & se ad Ecclesiam plene transferre. Quamuis vbi in domo quæ sua fuit maneant, relinquant in foro externo præsumptionem ex qua colligi possit donationem fuisse vel fictam vel conditionatam, & sic illa quarta conditio potest dici necessaria in foro externo ad vitandam malam præsumptionem.

225 Sed vt videamus, qui sint plene oblati, attẽdi debent nonnullæ declarationes Sact. Congregationis Concilij, quas ad verbum referunt *Barbosa l.1. de iure Eccles. cap.39. §.2. num.44. Lezana p.2. cap.8.num.8.& v.oblati nu.8.Donatus p.4.tr.13.q.5.* Cum enim in Sacra Congregatione Card. Concilij Trident. Interpretum iussu S. D. N. propositum fuisset infrascriptum dubium. *An Oblati alicuius Religionis iudicanda sint personæ ecclesiasticæ, adeo vt fori priuilegio, & immunitate à vectigalibus gaudeant? Congregatio dubio semel, atque iterum proposito, et examinato, censuit Oblatos priuilegio, ac exemptione ita demum debere potiri, si in forma iuris valide, perpetuo & irreuocabiliter plene, & cum effectu se ipsos, & bona sua omnia, præsentia, & futura, nulla prorsus quouis minima eorum portione, neque in proprietatem, neque in vsumfructum sibi reseruata Religioni obtulerint, & habitum aliqualiter mutauerint. Quod si omnia prædicta simul non concurrant, neque fori priuilegio, neque immunitate à secularibus exactionibus frui posse, vt in sequentibus casibus.*

Primo, cum quis obtulit personam cum reseruatione bonorum.

Secundo, cum obtulit personam nulla bonorum facta mentione, quippe non includuntur in simplici oblatione personæ.

Tertio, cum obtulit personam, & aliquam tantum

tùm partem bonorum, quamuis maiorem.

Quartò, cum obtulit bona omnia præsentia, & personam reseruato vsufructu.

Quintò, cum obtulit personam, & bona omnia præsentia tantum.

Sextò, cum obtulit personam, & bona omnia præsentia, & futura, sed postea à Superiore Religionis aliquam eorum partem, quamuis minimam, in Emphyteusim recepit.

Septimò, cum obtulit bona, vel omnia, vel partem eorum, absque persona, quo casu personam offerentem fori priuilegio non gaudere, sed bona in Religione cum effectu translata esse immunia à vectigalibus, dummodo offerens, vsumfructum eorum sibi non retineat, eo namque casu bona immunia non esse, etiam quoad proprietatem.

His tamen omnibus casibus, quibus Oblati à priuilegio, & exemptione à iure communi excluduntur, seruandam esse cuiusque Religionis consuetudinem, cuius vigore ipsi tale ius priuilegij, vel exemptionis acquisiuissent.

His positis proposita deinde fuerunt alia dubia.

Primò, an Oblati, qui omnia supràdicta adimpleuerint, fori priuilegio, & supradicta exemptione gaudeant, quamuis matrimonio copulati sint, siue ante, siue post oblationem contraxerint?

Secundò, an tales Oblati fori priuilegio gaudeant, etiam quoad delictum ante huiusmodi oblationem commissum, cuius ratione à iudice laico erant puniendi?

Tertiò, an iurisdictio, quæ vigore Concil. Trident. cap. 11. sess. 24. competit Ordinario in Oblatos carentes qualitatibus expressis ibidem in vers. exceptis, intelligatur tributa Ordinario in Oblatos cumulatiuè, vel priuatiuè ad superiores Regulares?

Quartò, an iurisdictio ex eodem Concilij Decreto tributa fuerit Ordinario in criminalibus tantum, an vero etiam in ciuilibus?

Ad has posteriores dubitationes S. Congreg. singillatim in hunc modum respondit.

Ad primum, gaudere, siue ante, siue post de licentia superioris Religionis matrimonium contraxerint.

Ad secundum, gaudere priuilegio fori, & à iurisdictione Iudicis laici liberatos esse, puniríque debere à Iudice Ecclesiastico, si modo absque fraude, id est, non animo effugiendi secularis Iudicis punitionem se, & sua obtulerit, quod si fraus subsit, posse à Iudice laico puniri pœna confiscationis bonorum, & alia pecuniaria, sed non corporali, illique remanere subiectos quoad causam, & bona, sed non quoad personam, debere tamen Iudicem Ecclesiasticum, si delicti qualitas id exposcat, tradere tales in fraudem oblatos seculari corporaliter puniendos.

Ad tertium respondit in Oblatos carentes qualitatibus expressis in vers. exceptis, tributam esse Ordinario iurisdictionem cumulatiuè, non priuatiuè ad Superiores Regulares.

Ad quartum, huiusmodi iurisdictionem Ordinario tributam esse in criminalibus tantum, non autem in ciuilibus.

A. Card. Vicecomes. Ioannes Franciscus Fagnanus S. Congr. Conc. Secretarius.

226 In nulla autem ex his declarationibus fit mentio, vel minima illius quartæ conditionis, vt scilicet Oblatus non maneat in domo, quæ sua erat, Ex quo deduci potest, quod qualitas illa, quam *Anton. de Marinis tom. 2. resol. quotid. cap. 117. n. 25.* ad eam

Donatum d. q. 5. ponit in numero tertiam; scilicet quod Oblati in eorum domibus, & cum vxoribus non commorentur, non est necessaria, nec conformis datis declarationibus, & tanto magis, quod videtur ponere vt conditionem distinctam, & fere sola sufficientem, quod Oblati cum vxoribus non commorentur, quod repugnat statui matrimoniali, qui quidem competere potest Oblatis, & ante, & post oblationem sui factam, vt S. Congreg. declarauit. Solum igitur Oblati attendere debent, ne ex habitatione domorum, maxime iuncta cohabitatione vxorum, non oriatur præsumptio non plene oblationis, & quæ præsumptio de facili tolli potest, si constet de causa aliqua sic faciendi redundante in seruitium Monasterij. Cæterum coram Deo, & in rei veritate Oblatus plene est talis si se & omnia sua sumpto aliquo signo suæ oblationis plene Religioni donauit; vt oblatio sua sit visibilis, & manifesta.

207 Oblati igitur plene sepeliendi sunt in Monasterijs, quibus se obtulerunt, nec possunt alibi eligere sepulturam. Probat hoc *Donat. ex cap. Ex priuilegio, de priuil. ibi. Qui tamen sepeliantur apud ipsorum Regularium Ecclesias.* Sed textus non est ad rem, & si esset, probaret etiam, quod Oblati non plene tanquam Religiosi, non sibi possent eligere sepulturam. Quia ibi est sermo de oblatis non plene, cum sit sermo de Oblatis etiam, si sibi retineant vsumfructum, vt patet ex textu. Sed ibi est sermo de solo priuilegio sepulturæ in tempore interdicti concesso illis Oblatis in dicto textu, vt obseruauit *Reuerendiss. Fagnanus nu. 25. §. præterea*, & quod concessum illis fuit sub conditione, vt in Ecclesia Regularium, vel in alia non interdicta sepeliantur. Probatur ergo aliunde conclusio, quia isti Oblati, nedum sunt Religiosi large, sed non habent velle, vel nolle. Ad hunc enim effectum non interest, an priuatio voluntatis sit ex voto solemni professionis, vel ex contractu religiosæ donationis factæ per oblatum, qui cum se totum Religioni donauerit, non habet vnde sepulturam eligere possit, & dum se donauit, intelligitur se donasse, & viuum, & mortuum. *Et ideo*, quod huiusmodi Oblati non possint sibi eligere sepulturam docuerunt *Rodriq. 3. p. quæst. 60. Donatus p. 4. tr. 13. q. 21. num. 4. Bardon. resol. 51.*

228 Ampliatur quinto, vt in sepultura Monasterij sepeliri debeant, qui non sunt plene tales, famuli, & familiares. *Portell. v. sepultura numer. 2. Trullench. tract. de iure Parochi. cap. 9. dub. 1. num. 5. Diana p. 7. resol. 62.* non quidem omnes, sed qui propriè, & strictè sunt familiares, quos supra descripsi *art. 1. num. 337.* scilicet, qui intra septa monasterij inseruiunt, & sunt monasteriorum continui commensales; Ex duplici enim conditione cōstituitur secundum DD. antiquos hæc familiaritas scilicet ex actuali seruitio, & commensalitate, & secundum *Conc. Trident. sess. 24. cap. 11. de reformat. & Greg. XIII. in Constit. circumspecta 67.* ea triplici conditione describuntur, scilicet ex actuali seruitio, habitatione intra septa Conuentuum, & obedientia superiorum; quæ tres conditiones cum illis duabus coincidunt. Non sunt enim Religiosorum commensales continui, nisi qui viuunt intra septa Conuentuum, & qui actualiter inseruiunt viuunt etiam sub obedientia, si non tanquam Religiosi

ligiosi ex voto(quod in familiaribus non est necessarium) tanquam famuli ex contractu. Istis igitur familiaribus Regulares omnia sacramenta administrare possũt etiam Viatici,& Extremæ vnctionis, & sunt de familia Religiosorum viuentes sub obedientia superiorum. Nam quod Regulares hos familiares possint in suis Ecclesijs sepelire, vt probatum fuit. *d.art.1.a num.337.* concesserunt Ordini Prædicatorum. Nicolaus Quintus, & Gregor.XI. & Sixtus quartus,& idem Minoribus concessit Clemens quartus, & idem Sixtus quartus in Mari magno Minorum apud *Lezanam* §.9.*& in Mari magno Carmelitarum* §.51. Et certe cum ius sepulturæ maxime pendeat ab administratione Sacramentorum vt per *DD.in cap.1.de sepult.in 6.Gratian.discept.94. num.74.Sanchez de matrim.l.3.disp.23.num.74. Rota in Romana Iurium Funeralium, 4. Iulij 1653. coram Zarata.Seraph.decis.1135.* Quibus familiaribus possunt Regulares administrare sacramenta in articulo mortis, possunt etiam & quidem inconsulto Parocho concedere in suis Ecclesijs sepulturam. De quo etiam videri possunt *Casarab. v. familiares & DD. locis supradictis citati. Portel.v.sepultura nu.8, Diana p.5. tr.3. resol.109. fin. Nicol. p.p.lib.4.tit.15. num.84.* Aduertendum tamen quod huiusmodi familiares qui nec ex voto, nec ex contractu indissolubili obligati sunt Religioni, sicut à famulatu possunt discedere, sic possunt sibi eligere sepulturam. Non tamen eam possunt eligere vt implendam pro tempore familiaritatis, quia hoc esset in præiudicium iuris Religionis, nisi Religio ipsa licentiam daret, vt defunctus familiaris alibi sepeliretur. Nam in hac parte sicut non sunt reuocata priuilegia cõcedẽtia Regularibus vt huiusmodi familiaribus administrent sacramenta vltima, sic non sunt reuocata quatenus concedunt facultatem eos sepeliendi. Quod quidem verum est etiam si casu contingat, quod isti moriantur extra monasterium; habitatio enim accidentalis causa infirmitatis non est mutatio domicilij.

229 Et nihilominus considerandum, quod licet Regulares existentibus intra septa, quicumque sint, in articulo mortis possint administrare sacramenta, & hoc ad eos pertineat; tamen quod per hoc non possint huiusmodi in propria Ecclesia sepelire, sed sepeliendi sint vbi sepeliri deberent si extra monasterium mortui essent dixit *Bordon.res.51. nu.216.* Tales enim ex accidenti & casu morientes intra claustra, nec desinunt esse subditi sui Parochi, nec ratione habitationis accidentariæ contraxerunt domicilium in monasterio; Nec est necesse alias vt ibi defunctus sepeliatur, vbi decedit. Vnde non valet tunc consequentia ab administratione sacramẽtorum, ad sepulturam; quia administratio sacramentorum pertinet tunc ad Regulares ex accidenti, & ratione loci exempti, in quo est moribundus, & impotentiæ eius ad recurrendum ad proprium Parochum pro sacramentis recipiendis; sed Cadauer ad propriam sepulturam deferri potest, absque aliquo vel minimo præiudicio exemptionis monasterij, & ideo extrahi debet, & in loco sibi debito sepeliri. Et hoc explicatur à simili. Sicut enim quando Religiosus decedit in domo parentum extra monasterium Parochus per accidens ministrat illi sacramenta vltima, ex eo. quia non conueniat, nec possint Regulares per alienas Parochias sine Parochorum licentia deferre sanctissimam Eucharistiam cum solemnitate necessaria, & nihilominus Religio defunctum sibi subditum extrahit de domo subiecta Parocho, & illum in sua Ecclesia sepelit. Ita licet Regulares per accidens administrent sacramenta ei, qui ex accidenti moritur intra claustra, nec est Religiosus, nec proprie familiaris Religionis, tamen Parochus habet ius, vt defunctum suum subditum sepeliat, vbi sepeliri debet, & illum ex monasterio extrahat. Et nihilominus idem *Bardoa.d.resol.51.num.168* loquens in simili casu vult quod si in Conuentu Regularium moriatur hospes sit sepeliendus in Ecclesia Regulari & fundat. se in *cap.1.16. q.1. in fine* ibi. *Mortuum non sepeliat, nisi monachum in monasterio secum commorantem, vel si fortaito quenquam aduenientium fratrum ibi mori contingerit.* Ponderat enim, quod nomine fratrum non veniunt ibi Religiosi conuersi, quia illi monachi sunt, sed veniunt seculares, qui dicuntur fratres per Baptismum secundum *Chrys. hom.25.in Epist.ad Hebr.* Tum secundo quia tales hospites recipiunt sacramenta à Regularibus. Idem tenet *Peyr. ad const. Iulij 2. num.94.* alia ratione: quia nimirum loca Regularium exempta censenda sunt, ac si essẽt extra Diœcesim; At vero si quis moriatur extra Diœcesim nullum ius habet Episcopus, vel Parochus, vt eum in sua diœcesi, vel Ecclesia sepeliat. Et idem docuit etiam *Hieron. Rodriq.resol.64.numer.1.* quos sequitur *Diana p 9.tr.7. res.62.* Oppositum tamen voluit *Trullenrban tract. de iure Paroch. cap.9. dub.1.num.5.*

230 Existimo non discriminari hos duos casus sed idem dicendum in vtroque casu; quia in vtroque casu mortuus existit in loco exempto, & fuit sacramentatus, vel potuit sacramentari à Regularibus. Nec textus in *d.cap.1.16.q.1.* fauet: quia nomine fratrum fortuito aduenientium veniunt monachi ex alienis monasterijs aduenientes; tunc enim disiuncta erant monasteria, & monachi fere omnes laici erant, & tamen monachi aliorum monasteriorum vocabantur fratres propter conuenientiam in statu regulari. Sic enim ex *Hostien.in cap.de vxore, de sepult.* textum illum intelligit *Turrecremata*. Ex administratione etiam sacramentorum, quæ ibi per accidens competit Regularibus, non valet consequẽtia ad sepulturam. Difficultas est, quia cadauer talis mortui se habet, ac si extra diœcesim essim intentũ. Sed hoc dato non concluditur, quia Parochia non perdit suum ius ex eo, quod Parochianus extra eam moriatur, si commode ad eam potest deferri, vt patet experientia de ijs, qui in Ciuitate eadem moriuntur extra propriam Parochiam & ideo cum *Trulleach, & Bordon. d.an.216.* dicendum est, hospitem seu quemcumque morientem intra monasterium in ea Ecclesia sepeliẽdum esse, in qua esset sepeliendus si extra mortuus fuisset. At *Lanor. tit.2.cap.11.nu.145.* inquit, quod hospitibus huiusmodi ministrabuntur Sacramenta à Parocho, & in Parochiali sepelientur, nisi fratres aliter in Priuilegijs habeant, & quod sæpe ita declarauit. Sacr. Congreg. Concilij. Sed quantum ad Sacramenta consuetudo Orbis in iure fundata est, vt fidelis in necessitate illa recipiant à proprio sacerdote loci in quo sunt, & sic existens infirmus in monasterio sacramenta recipit à Regularibus, vt supra latius probatum est: sepultura tamen danda est in loco vbi defun-

defunctus sepeliri debet. In eo tamen casu non posset ingredi monasterium cum stola ad corpus benedicendum, sed à ianua Ecclesiæ officium suum peragere inciperet.

231 Principalem vero assertionem huius primi casus limitant aliqui volentes quod Prælatus etiam non supremus sicuti est Generalis, possit sibi eligere sepulturam, ex eo quia talis Prælatus in multis habet velle, & nolle, & sic in eo non militat ratio *cap. fin. de sepultur.* prohibentis Religiosis electionem sepulturæ. *Panormit. cap. de vxore num. 5. de sepult.* vbi hoc probat exemplo Sancti Benedicti, qui sibi parauerat sepulturam, in qua fuit postea sepulta S. Scholastica eius soror. *Francus in cap. fin. nu. 2. de sepult. in 6. Rosella in v. sepultura 2. num. 2. Tabien. ib. q. 4. num. 6. Rodriq. t. 3. q. 60. a. 1. Alter Rodriq. resolut. 128. num. 16. Sanchez l. 6. moral. cap. 14. nu. 7. Lezana p. 1. cap. 9. num. 10. Pasqualig. decis. 384. num. 3. vbi num. 5.* quod hoc procedit etiam vt Prælatus possit sibi eligere sepulturam extra monasterium, quia facultas eligendi sepulturam ad omnia loca sine limitatione se extendit. Et nec obstat, quod non adsit consuetudo eligendi, quia facultas eligendi non adest ex priuilegio, vt per non vsum amitti possit; sed ex iure, vt patet, ex *cap. p. de sepult.* Quæ facultas se extendit ad omnes, qui habent velle, vel nolle. Alij vero hoc concedunt tantum Prælato supremo non habente superiorem nisi Papam vt est Generalis, quia alij subditi cum sint non habent velle vel nolle. *Syluest. v. sepultura q 6. Armil a num. 6 med. q. 8. num. 12. Layman l. 2. tr. 5. c. 9. num. 6.* Addit vero Med. quod si Abbas deponitur vel renunciat, non sepelietur in sepultura electa, quia inspicitur tempus mortis. Sed limitationem non esse admittendam ratio non leuis suadet. Et quidem primò quod nec Generalis possit sibi eligere sepulturam extra Ordinem, ex eo probatur, quod non est verum, quod ipse habeat liberum velle, vel nolle, cum in eo maneat votum obedientiæ, vt est per se manifestum, & quod non habeat superiorem cui obediat, accidentarium est; nam hoc respicit solum vim coactiuam illatiuam pœnarum, cū alias habeat leges quibus obedire tenetur sicut & alij subditi, & immo etiam habet superiorem totam communitatem, seu Capitulum Generale secundum cuiuscumque Ordinis instituta, à quo puniri potest, & debet, vnde nec ipse est sui ipsius, sed est suæ Religionis & viuus & mortuus, Cadauera enim Religiosorum non desinunt esse Religionis, seu communitatis Religiosæ ex quo Religiosus est defunctus; Nam super hoc iure fundatur facultas extrahendi cadauera suorum a quocumque loco, & ea in suis Ecclesijs sepeliendi. Et super eodem iure fundatur facultas defendendi suorum subditorum cadauera tam in facto, quam in iure ab omni iniuria, & violentia. Cum vero contra æquitatem sit vt præcipue cadauera Prælatorum extrahantur à Religione sepelienda in Ecclesijs aliorum, nec est vnde dicatur quod Religio vnquam dederit suis Prælatis vel minimam facultatem disponendi de se ipsis pro tempore mortis, & immo in quacumque Religione sunt leges disponentes de Religiosorum sepulturis, & dantur sepulturæ determinatæ pro Religiosis; ideo non est vnde dicatur quod Prælatus etiam supremus possit sibi eligere sepulturam extra Ordinem contra æquitatem naturalem, & Religionis leges. Eo magis quod hoc non esset sine scandalo, & dedecore Religionis, quod eius Prælati abhorrerent à sepultura Religiosa, & vel mortui exire vellent à Religione. Ideo si contingeret, quod aliquis Generalis sibi eligeret sepulturam extra Ordinem, qui ei in gubernio Ordinis statim succederet, seu qui curam eum sepeliendi haberet, nec teneretur nec posset, aut deberet exequi defuncti voluntatem, quia nullus eorum habet facultatem disponendi de cadaueribus fratrum defunctorum eijciendo ea à Religionis sepultura, & priuando Religionem cadauere sui filij. Accedit etiam consuetudo, quæ non consistit in solo non vsu facultatis non eligendi sepulturam, sed in positiuo vsu sepeliendi intra Ordinem, & falsum ex aduerso supponitur, quod cuicumque Prælato quantumuis maximo vnquam concessa fuerit facultas disponendi de suo cadauere extra Religionem sepeliendo, quod est contra Religionis leges, & consuetudinem vniuersalissimam.

232 Sed & loquendo de sepultura intra Ordinem dicitur quod Prælati, etiam Generalis, non habent proprie ius electionis sepulturæ, quia non habet ius proprium, & proprium velle respectu eius, quod non potest habere effectum pro tempore Prælaturæ. Quod probatur ex concessis per contrariam opinionem, quæ admittit, quod si Prælatus temporalis eligat sibi sepulturam, si contingat eum terminare officium ante mortem, electionem sepulturæ non valere, quia inspicitur tempus mortis ad habilitatem eligendæ sepulturæ discernendam; at tempore mortis non erit ille Prælatus. Ita post *Petrum de Vbaldis, & Rodriq. habet Sanchez, numer. 8.* Igitur nullus omnino Prælatus Religiosus potest sibi eligere sepulturam, quia non potest de se disponere pro eo tempore in quo nec est Prælatus, nec est sui iuris, sed omnino est alterius. Prælatus vero mortuus non est Prælatus, & cadauer eius est sub cura Religionis, ideoque sub cura Prælati tunc viuentis. Nec valet arguere à simili ex eo quod persona libera habens facultatem eligendi sibi sepulturam disponit de suo cadauere, & ita quod sine iniustitia non potest impediri eius dispositio. Quia patet euidenter fallacia consequentiæ, & ex hoc demonstratiue impugnatur sententia opposita, quia nullus Religiosus quantumcumque Prælatus maximus intra Religionem est persona libera. Itaque Prælatus non est persona libera quia dominus sui, quia hoc dominium repugnat votis obedientiæ, & paupertatis; sed ipse est totus Religionis, cui in professione se donauit. Et ita eius dispositio non eo continet iustitiam quia sit sui dominus sicut & secularis, quia hoc dominium ipse non habet, sed illud in Religionem transtulit. Sed Prælatus neque vt supremus administrator rerum Religionis est in hoc persona libera, quia huiusmodi dispositio non est habitura effectum nisi pro tempore in quo cessat omnis eius administratio, & in quo dispositio de suo corpore pertinet ad alium administratorem; non potest igitur Prælatus Regularis disponere de suo cadauere sepeliendo, sed huiusmodi dispositio pleno iure spectat ad eum, qui post mortem Prælati res Religionis administrat, & qui dato casu, quod Prælatus elegisset sibi sepulturam etiam intra Ordinē, est in plena potestate sepeliendi cadauer mortui secundum Religionis instituta, vbi voluerit.

Hinc

Hinc est, quod nec Abbas aut Prouincialis, aut Generalis potest eligere sepulturam pro Religioso suo subdito. Non quidem ob rationem, quam affert *Medices q.8. num.27.* quia scilicet Abbas non est verus Pater, sed fictus. Quia quantum ad hanc partem est plusquam verus Pater, cum sit dominus, seu administrator voluntatis sui subditi, quam regere potest & de quo potest disponere. Sed ratio est quia extra Ordinem non competit Religioso sepultura. *cap. fin. de sepult. in 6.* Nam alias intra Ordinem superior potest suum subditum sepelire secundum Regulam, vbi iustum fuerit. Et vbi Religiosus extra ordinem decedat potest superior, vbi sibi bene visum fuerit cadauer sui subditi sepelire, & disponere de eo tanquam de re sub Religionis administratione comprehensa.

233 Secundus casus est, quando Religiosus moritur in loco, vbi non est monasterium sui Ordinis, & locus est adeo remotus, vt cadauer mortui, non possit commode deferri ad monasterium. Illum autem Religiosum esse remotum a monasterio iudicat *Bordon. ref. 51. nu. 161.* cuius cadauer vnico die non potest deferri ad monasterium, quia periculum est in mora ob corruptionem cadaueris. Sed etiam si eodem die deferri posset, aliunde potest oriri incommoditas, præcipue ex eo quod sine magnis expensis cadauera de loco ad locum non transferuntur. Vnde, ex quacumque causa oriatur incommoditas, potest relinqui cadauer sepeliendum in Parochia, vt idem *Bord.* habet. In hoc vero casu quidam absolute negant Religiosum posse sibi eligere sepulturam, quia Religiosus neque tunc habet velle, vel nolle in sua potestate. Nec obstat textus *cap. final. de sepult. in 6.* Quia ibi duplex Regula ponitur, scilicet negatiua, quia Religiosus non potest sibi eligere sepulturam, secunda affirmatiua, vt scilicet Religiosus in suo monasterio sepeliatur. Exceptio vero posita in illo textu respicit hanc secundam Regulam, non vero primam. Ita senserunt *Innocent. in cap. Nimis iniqua num. 2. de excessibus Prælatorum Franc. in d. cap. final. num. 3. Domin. nu. 4.* Sed certum est Religiosum ex interpretatiua voluntate suorum superiorum posse sibi eligere sepulturam, vbi commode in monasterio sui ordinis non possit sepeliri; & sententia prior manifestam vim facit textui, cuius sensus planus est, quod Religiosus non potest sibi eligere sepulturam, nisi vbi decedat extra monasterium in loco, ex quo commode cadauer eius non potest ad monasterium deferri. *Gloss. in d. c. finale v. commode Monac. ibid. in fine. Archid. v. eligere. Anchar. in fine. Panorm. cap. Nimis iniqua num. 2. de excess. Prælatorum Nauar. Comm. 2. num. 53. de Regular. Rosella v. sepultura 2. num. 1. Tabien. q. 4. Syluest. q. 6. Armilla num. 6. Rodriq. p. 3. q. 60. a. 2. Sanchez in Decal. cap. 14. num. 3. Lauor. tit. 2. capit. 11. num. 93. Ricc. p. 4. resol. 293. num. 39. Barbosa de Parocho cap. 26. num. 3. & ad d. cap. final. num. 1. Layman. l. 2. tr. 5. cap. 9. num. 6. Hier. Rodriq. resol. 128. numer. 16. Lezana p. p. cap. 9. num. 10. Diana p. 5. trac. 3. resol. 110. Pasqualig. dec. 382. nu. 3. Donatus p. 4. tr. 13. q. 21. Diana p. 5. tr. 3. ref. 110.*

234 Sed difficultas est si Religiosus decedat, vbi licet non sit monasterium suæ assignationis seu residentiæ, est tamen monasterium sui Ordinis. Nam quod etiam in hoc casu Religiosus possit sibi eligere sepulturam cum distinctione asseruit *Pasqualig. decis. 383.* Vel enim hospes iste stat sub obedientia Prælati illius Conuentus seu monasterij, & non potest sibi sepulturam eligere. Vel non stat sub obedientia illius Prælati, & sibi potest eligere sepulturam, quia tunc idem est, ac si ibi nullum adesset monasterium, quia non adest Prælatus, cui ille obedire teneatur, nec qui habeat ius in illum. Alias vero Religiosus habet proprium velle in ijs, quæ spectant ad dispositionem sui ipsius. Quod extendit, vt verum sit etiam in casu, quod Religiosus viuat in eo monasterio tanquam hospes, quia sicut ad superiorem monasterij nihil pertinet de ipso, ita Religiosus habet liberum velle vt de se ipso possit disponere. Sed hæc resolutio deficit & in distinctione supponens casum non dabilem, & in resolutione casu dato, ideo oppositum sentiunt citati DD. fere omnes & in terminis *Bordon resol. 51. numer. 154.* Primo enim distinctio supponit casum nō dabilem supposita præsenti dispositione Religionū, in qua monasteria omnia simul vniuntur in vno corpore sub vno capite. Hoc enim supposito nullus est hospes, qui non sit subiectus Prælato monasterij loci in quo est, vt probatum est supra *quæst. 186. art. 4 num.* Quia in ijs quæ concernunt obseruantiam Regulæ & Constitut. Quilibet Prælatus habet ius vt in suo territorio illas custodiri faciat. Et pessime esset instituta Religio & plusquam pessime ordinata si Prælatus loci hospitē v.g. fornicantē nō posset apprehendere, & punire, & tunc ratione delicti Prælatus ille non acquireret iurisdictionem; quam omnis Prælatus habet pro conseruando iure Religionis in suo territorio in omnibus, & per omnia. Inter iura vero Religionis est ius sepeliendi suos intra sua septa, contra quod ius nullus Religiosus habet liberum velle. Et ideo quidquid sit de illa quæst. an aduenæ teneantur ad leges loci, & quod tanquam probabilius affirmat *Bordon.* Hic alia regula certa locum habet; quia scilicet Religiosus vbicumque sit tenetur ad leges iuris communis, & propriæ Religionis, inter quas est hæc vna, quod Religiosi habentes omnia communia, communem etiam habeant sepulturam, & reliquiæ corporalitatis eorum maneant intra Religionem, & sub iure Religionis quantum fieri potest. Sed forsan dicet casum esse dabilem, vbi in eodem Ordine sunt plures Generales, vt si Capucinus decedat vbi est Conuentus Minorum Obseruantium non vero Capucinorum, vel econtra. Tum enim vere Capucinus Guardiano Minorum obseruantium, vel eius Ordinis Prouinciali aut Generali non subditur. Sed in hoc casu nec est omnimoda identitas Ordinis, cum non sit identitas corporis & capitis, & constitutionum & modi seruandi eandem Regulam, sed est idem ordo ex parte institutoris, & Regulæ.

235 Sed secundo deficit resolutio, quia necessitas sepulturæ in Ecclesia sui Ordinis non prodet ex subiectione ad hunc vel illum Prælatum numero, sed ex subiectione ad leges Ordinis, & ad totum corpus, & a iure illo generali quod habet Religio vt sui in vita & in morte sint in vinculo charitatis simul vniti, nec disiuncti, & ideo vt suas vbicumque morientes colligere possit ad se, & in suis Ecclesijs sepelire, contra quod ius nullam habet Religiosus libertatem vbicumque ille fuerit. Et præterea semper militat ratio efficacissima illa, quia

Religiosus non disponit valide de suo cadauere ex dominio sui quod habeat, quia hoc non habet, sed eo se priuauit, cum se donauit Religioni. Solum ergo disponit de cadauere ex administratione quæ sibi commissa sit à Religione, hæc vero non se extendit ad ea, quæ habeat effectum post mortem, vbi sit alius, qui tunc nomine Religionis administret. Quod quidem semper euenit, quotiescumque adest aliquis Ordinis Prælatus; huic enim pro casu necessitatis omnis administratio est concessa pro bono Ordinis; & ideo cura sepeliendi hospitem sui ordinis ad quemcumque Prælatum localem pertinet.

236 Immo & vbi Ordines sub eadem Regula & institutore distincti sunt sub diuersis Generalibus ex pia interpretatione totius vniuersitatis sub illa Regula dicendum est, quod non sit omnino liberum Capucino morienti, vbi est monasterium aliquod Ordinis Sancti Francisci eligere sibi sepulturam extra in Parochiali, vel alia Ecclesia; quia charitas vim habens ex vnitate professionis eiusdẽ Regulæ, & sub eodem institutore, petit saltẽ ex conuenientia, & æquitate vt & in vita & in morte fraternitatem conseruent, & sic vbi Religiosus talis non habeat propriam Ecclesiam recipiatur in alia eiusdem ordinis saltem quantum ad Institutorem, & Regulam, & talem qualem habitus conuenientiam. Accedit ad ista, quod in *cap. 1. 16. quæst. 1.* datur facultas monachis sepeliendi fratres ad eos diuertentes. Nomine autem fratrum intelliguntur alij monachi hospites, vt ex *Hostien. explicat Turrecrem.* ibi, dicitur vero Monachus ad aliquod monasterium aduenire, etiam cum aduenit ad locum in quo est monasterium, & ad quem superioris monasterij se extendit iurisdictio. Et ideo monasterij Prælatus habet ius, vt quemcumque sui Ordinis Religiosum in sua Ecclesia sepelire possit. Sed quid dicẽdum si in loco, ad quem Religiosus hospes accedit, sint plura sui Ordinis monasteria, & ipse in nullo eorum moriatur, sed extra in domo secularium, vel in Conuentu alterius ordinis? Si ex pluribus monasterijs vnus solus sit illius Prouinciæ ad quam spectat hospes, ille in eo Conuentu sepeliri debet, quia ad illum pertinet, cum sit suæ Prouinciæ. Si etiam ex illis Conuentibus vnus sit Originalis eiusdem hospitis, in eodem ipse sepeliri debebit; in Religionibus enim, quæ habent vsum affiliationum, Religiosi etiam alibi assignati habent speciale ius ad illum Conuentum, & Conuentus super illos; Vnde etiam si in loco dicti Conuentus sint tanquam hospites, in Conuentu tamen illo suæ affiliationis recipi debent tam in vita, quam in morte ex speciali iure. Si tamen Religiosus decedat assignatus in aliquo ex pluribus illis monasterijs, in eo sepeliri absolute debet, quia ille est de præsenti suus Conuentus absolute, & simpliciter. Cæterum vel in Conuentu viciniori, vel vbi petat consuetudo, vel vbi disponat superior legitimus si sit præsens, vel in eo Conuentu, qui præuenerit, si nullus alius ad id habeat ius, hospes huiusmodi tumulari debebit.

237 Itaque igitur Religiosus hospes in Conuentu sui ordinis sepeliri debet, vt contra *Glossam in d. cap. fin.* tenent DD. supra citati, & est probatum. Vbi vero nullus adsit eiusdem ordinis monasterium Religiosus liberam habet electionem sepulturæ ex interpretatiua concessione sup eriorum suæ Religionis, nisi aliter eiusdem sui ordinis leges disponant. Vbi vero non elegerit sepulturam cum sepeliri debere in Parochiali dixerunt *Auchar. & Francus Sanchez num 4. Pasqualig. num. 1. Diana p. 5. tr. 3. res. 140. Bonacina vero de contrac disp. 3. quæst. 2. t. p. 3. nu. 6.* absolute dicit sepeliendum esse in Cathedrali, sed melius dicitur, quod sepeliendus est iuxta stylum loci in loco vbi hospites, & aduenæ decedentes sepeliuntur. Non enim vbique vsus est, vt huiusmodi sepeliantur in Parochia, in qua decedant sed alicubi in Cathedrali, aut in alia Ecclesia ad hoc deputata sepeliuntur.

238 Sed quid dicendum, si Religiosus vnius Ordinis non electa sepultura decedat in Conuentu alterius Ordinis vbi non est sui Ordinis monasterium? Sepeliendum esse in Parochiali in cuius Parochia decessit, non vero in Ecclesia monasterij tanquam decisum in Sacra Congreg. Episc. & Regular. tenuit *Lauor. tit. 2. cap. 11. nu. 96. fin.* Et est verum vbi non sit lex, & consuetudo quod hospites in alia Ecclesia a Parochiali sepeliantur.

239 Duo tandem in præsenti sunt consideranda. Primum est, quod nedum Religiosis conuenit sepeliri in suorum Ordinum Ecclesijs, sed quod conuenit, vt habeant propriam sepulturam, nec sepeliantur simul cum laicis sic enim in Rituali Romano tit. de exequijs dicitur. *Sepulchra Sacerdotum, & Clericorum cuiuscumque Ordinis, vbi fieri potest, à sepulchris laicorum, separata sint: ac decentiori loco sita: atque ita vbi commodum fuerit, vt alia pro Sacerdotibus, alia pro inferioris Ordinis Ecclesiæ ministris parata sint.* Hoc vero continere consilium non præceptum aduertit *Bordon. res 51. numer. 208.* Idem vero cum proportione seruari debet in Religionibus, vt nedum Religiosi omnes habeant sepulcra à secularibus distincta, sed & specialia sint sepulchra pro Sacerdotibus deputata. In Regularibus tamen locum non habet, quod in Rituali Romano subiungitur, nimirum quod Clerici iuxta sui Ordinis qualitatem sacris vestibus superinduãtur. Nam Regulares in habitu sui Ordinis relictis vestibus sacris ad sepulturam deferuntur.

240 Secundo vero considerandum est, quod *Bordon. d. res. 51. num. 175.* retractans, quæ dixerat *res. 7. nu. 135.* aduertit, quod cadauer Superioris Regularis vel Religiosi Doctoris, aut Magistri in Theologis possit per eosdem Regulares processionaliter deferri per Ciuitatem cum musicis, & alijs ritibus extraordinarijs, etiam cum pluuiali, & sine interuentu Curati. Quod probat ex eo quod nulla lex hoc prohibeat, nec fiat iniuria Parocho per hoc quod intra limites Parochiæ ducatur funeris processio, cum viæ sint communes, & dicantur viæ Ciuitatis non Ecclesiæ. Verum contrarium determinatum fuit per Sacr. Congreg. Concilij in Bononien. 2. Iulij 1620. vt aduertunt *Lezana p. p. parte cap. 12. num. 41. & Barbosa l. 2. de iure Eccles. cap. 10. num. 68. & in sum. v. Regulares quoad sepulturam. numer. 3.*



Tertia-

Tertiariæ mulieres vbi sepeliendæ?

OBSERVATIO DECIMA.

241 SPecialis & valde grauis difficultas est vbi & à quo sepeliendæ sint Tertiariæ, & hoc propter iura contraria de huiusmodi sepultura disponentia. Et non est, difficultas de Tertiarijs non habentibus requisita Leonis Decimi in *Concil. Lateran. sess.* 11. quia illæ non gaudent priuilegijs suorũ Ordinum, & in hoc se habent ac si essent seculares sepeliendæ in Parochia, vel in sepulchro maiorum, aut proprio. Sed difficultas est de Tertiarijs, quæ habent requisita d. Concil. Lateranen. quia scilicet virginalem seu cœlibem vitam sub expresso voto & habitu Tertiariarum ducunt, etiam si in domo consanguineorum, aut affinium, aut in propria, aut seorsum viuant, Est autem difficultas. Tum primo quia cum istæ Tertiariæ ex vi Concil. Lateran. gaudeant priuilegijs eorum Ordinum cuius habitum portant; igitur nec habent liberam electionem sepulturæ, nec sepeliendæ sunt nisi in Ecclesijs eorumdem suorum Ordinum, nec sepeliendæ sunt per Parochum, sed eo irrequisito possunt per suos superiores deduci vt in Ecclesijs sui Ordinis sepeliantur sicut dictum est de Tertiarijs viris collegialiter aut cum Claustralibus viuentibus; idem enim simul de illis, & de istis disponit Leo X. nimirum quod suorum Ordinum priuilegijs, gratijs, facultatibus, prærogatiuis gaudeant, inter quas est sepulturæ libertas ab Ecclesia Parochiali, & Parocho & exemptio à iurisdictione Ordinarij & Parochorum, & econtra necessitas sepulturæ in Ecclesia sui Ordinis, & priuatio libertatis eligendi sepulturam.

242 Verba Leonis Decimi in sess. 11. Concil. Lateran. seu in Const. *dum intra mentis arcana* 22. § 1n. sunt ista. *Collegialiter autem viuentes*(Tertiarij) *seu cum claustralibus habitantes, ac mulieres* (scilicet Tertiariæ) *virginalem seu Cœlibem aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, priuilegijs, quibus fratres Ordinis, cuius tertia regulæ habitum gestant, gaudere debeant*. Cum vero dubitatum fuisset an votum, de quo in d. §. fuit sermo deberet esse solemne votum professionis continens tria vota Religionis substantialia, idem Leo Papa in sua Constit. nuper in sacro Lateranensi &c. data die 1. Martij 1518. & quæ in Bullar. Rom. est annexa præfatæ Constitut. 22. declarauit vt infra.

NVper in sacro Lateranensi Concilio in reformatione priuilegiorum Religiosis concessorum, inter alia statuimus, quod Fratres & Sorores Tertij Ordinis, necnon Mantellati, Cortigiati, Pizocharæ, Cordellati, & alij quocumque nomine nuncupati in proprijs domibus habitantes, sepulturam vbi voluerint, eligere valeant, sed die Paschatis tantum Eucharistiæ ac extremam vnctionẽ, cæteraque Ecclesiastica sacramenta (pœnitentiæ sacramento dumtaxat excepto) à proprio Sacerdote recipere, & ad onera quæ laicis incumbunt perferenda teneantur. Et ne censura vilescat ecclesiastica, & minoris auctoritatis interdicti sententia reputetur, ijdem dicti Tertij Ordinis ad diuina audienda nullatenus admittantur, si causam dederint interdicto, vel ipsam causam nutriant, aut foueant, aut dantibus, auxilium, consilium, vel fauorem quoquo modo præstiterint. Collegialiter vero viuentes, seu cum claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem, expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, priuilegijs quibus Fratres Ordinis cuius Tertiæ regulæ habitum gestant, gaudere debeant, prout in constitutione dicti Lateranensis Concilij eodem approbante Concilio desuper edita plenius continetur.

Cum autem sicut accepimus à quibusdam nimiũ curiosis vertatur in dubium, an votum prædictum de voto solemni religionis intelligatur, cum illud tria substantialia comprehendat, obedientiam scilicet, paupertatem, & castitatem, & circa dictas mulieres virginalem, seu castam vidualem vitam ducentes, de virginitate, & castitate tantummodo mentio fiat.

Nos ad tollendum omne dubium, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie decernimus & declaramus, quod in præmissis, de voto solemni Religionis minime intelligi debeat, ita vt mulieres virginalem, aut cælibem vitam simpliciter vouẽtes, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut proprijs domibus, vel seorsum habitantes, priuilegijs & immunitatibus prædictis, in omnibus & per omnia, frui & gaudere debeant. Hæc Leo in d. Const. huiusmodi, igitur Tertiariæ ex vi decreti Cõcil. Lateran. gaudentes priuilegijs fratrũ cuius habitum portant, debent esse exẽptæ a iurisdictione Ordinarij, quoniam hoc priuilegiũ habent fratres quorum Tertiariæ deferunt habitũ. Videtur igitur quod huiusmodi sepulturam habere debeant in Ecclesijs Regularium irrequisito Parocho, sicut & Regulares habent.

243 Quod confirmatur, quia hoc idem declarauit expresse Sacr. Congreg. Episcop. & Regular. in Nepesin. die 11. Decembr. 1615, cuius mentionem faciunt *Lezana p. 2. cap. 14. num. 33. & p. 4. v. Tertiaria. num. 4. Sperell. in decis. fori Eccles. decis. 87. nu. 17. Barbosa de Parocho cap. 26. num. 69. & in summa in v. Regulares quoad sepulturam num. 11. & in v. Tertiaria num. 8. & ex Sell. Tambur. de iure Abbatiss. disput. 7. q. 3.* quam per extensum referunt *Lauorius Variar. lucubrat. tit. 2. cap. 11. nu. 102. & Peyr. tom. 3. c. 4. num. 53. & Samuel. disp. 4. contr. 18. pag. 221.* sub verbis sequentibus.

CVm inter Fratres reformatos Ordinis Minoris Obseruantiæ S. Francisci, necnon pro tẽpore existentem Archipresbyterum, seu Parochum loci Fiani Nepesin. Diœcesis in sepeliẽdis eiusdem Ordinis Tertiarijs diuersæ vt plurimum orirentur controuersiæ, supplicatum fuit nomine Patris Custodis eorumdem Fratrum Prouinciæ Romanæ ab hac sacra Congregatione Cardinalium, negotijs Regularium præpositorum, infrascriptas resolui petitiones. Prima, an Tertiariorum sui Ordinis cadauera in Ecclesijs pariter suæ Religionis sint sepelienda? Secunda, an in ijsdem etiam Ecclesijs sepelienda sint cadauera eorum, qui dicti Ordinis habitu induti ex hac vita migrarunt? Tertia, num &

illi,

illi, qoi coram testibus dumtaxat, licet absque scriptura, io ijsdem Ecclesijs sepulturam sibi elegerint? Quarta, an tam supradictorum, quam aliorum quorumcumque cadauera, in alterius parochia existentia, & in Ecclesijs eorumdem Fratrum sepelienda, priùs ad Ecclesiam Parochialem ad benedictionem, ac vltimum vale à Parocho recipiendum deferri debeant; num verò ab ædibus defunctorum ad dictas Fratrum Ecclesias recto tramite sint transportanda? Illustrissimi eiusdem sacræ Cõgreg. Patres, Illustrissimo de Aracœli referente, partibusque auditis, respooderunt io huoc, qui sequitur, modum.

Ad 1. Tertiarios huiusmodi, si qualitatibus in bulla fel. recor. Leonis Papæ *X*. præscriptis sint prædicti, videlicet si viri collegialiter, aut claustraliter viuant, mulieres verò virginalem, aut cœlibem, aut castam vidualem sub expresso voto, & Tertiariorum habitu vitam ducant, posse, & debere, etiam inuito, ac minimè requisito Parocho, in supradictis Fratrum Ecclesijs sepeliri; secus verò, si supradictis qualitatibus careant, ac nisi subsequentia cap. dispositione comprehendantur.

Ad 2. Si conditiones in bulla aurea fel. record. Sixti Papæ IV. contentas, in ipsis adimpletas esse constiterit, videlicet, quòd à Guardiano domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio Superiore, vel ab altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint, ac prædicti Guardianus, vel alius Superior habitum huiusmodi recipientes præmonuerit, eorum cadauera propter habitus concessionem, ac receptionem penès ipsos Fratres, quorum habitum gestant, esse sepelienda, eo casu cum habitu Religionis decedentes in *Ecclesija* pariter eiusdem Religionis Ecclesiasticæ sepulturæ esse tradendos.

Ad 3. In supradictia *Ecclesija* esse sepeliendos, sine præiudicio tamen iurium parochialium.

Ad 4. Cadauera huiusmodi ad prædictorum Fratrum Ecclesias recto tramite deferri posse, ab eisdem tamen Fratribus monendum esse priùs, & requirendum, ac expectandum proprium defunctorum Parochum, quo requisito expressè venire recusante, licere ijsdem Fratribus, etiam ipso inulto, supradicta cadauera ad easdem Ecclesias transportare. Romæ 11. Decemb. 1615.

Ant. Maria Card. Gallus.

V. Theatin. Sec.

244 Sed præterea de Tertiariarum sepultura adest priuilegium in *Mari magna Carmelitar.* §. 48. *apud Lezanam* ibi. *Liceatque fratribus prædictis eisdem Pinzocheris, & Mantellatis personis in earum etiam domibus, quoties opus fuerit, confessionibus diligenter auditis, de absolutionis beneficio prouidere, & Eucharistia, & extremæ vnctionis Sacramenta ministrare, & dum eos, vel eas decedere contigerit, illarum cadauera ad eorundem fratrum Ecclesias tumulanda deferre, etiam parochialium personarum eorumdem Rectorum licentia minime requisita, & contradictione quacumque non obstante.* Et propterea quod Tertiariæ habentes requisita Concilij Lateranen. sepeliendę sint in Ecclesijs Fratrum & sepeliri possint irrequisito Parocho dixerunt *Barbosa de Parocho cap. 26. num. 69. & in sum. in verb. Regulares quoad sepult. num. 21. & in v. Tertiaria nu. 8. Moron. resol. 51. num. 17. Lezana p. p. cap. 14. num. 33. & p. 4. in v. Tertiaria num. 2. & 3. Tambur. de Iure Abbatiss. disput. 7. q. 3. num. 7. Cespedes dub. 219. num. 27.*

245 Verum his contraria determinata sunt per Sacr. Congregat. Concilij. Quæ quidem Sacr. Congregatio ad tollenda dubia, quæ insurrexerant, & præcipue an in voto Tertiariarum includerentur alia duo vota, & an priuilegium Leonis X. esset reuocatum per constit. 63. Pij Quinti, & Constitut. ex benigna Gregor. XIII. quam refert Cospenus, const. 7. iussu summi Pontificis (qui non potuit esse Clemens VIII. vt refert Donatus, sed Paulus quintus, qui regnabat de anno 1608.) rescripsit, & declarauit in his seruandam esse Constitut. Leonis X. Nuper, quæ data fuit 5. Martij 1518. Et hæc declaratio habetur per extensum in *Saula tract. de profess. Tertiar. & in Peyr. tom. 1. ad Constit. 4. Sixti 4. num. 37. & in Donato p. 4. tr. 7. q. 3. num. 21.* Sed cum noua dubia orta essent, vberiorem multo declarationem edidit, quam quantum ad sensum refert *Peyrinus vbi sup.* sed referunt de verbo ad verbum *Donatus loco citat. & Nicolius in Flosculis in v. Tertiaria*, vbi quod decretum Sacr. Congr. Concilij confirmauit, & inuiolabiliter seruari mandauit Sacr. Congreg. Episcoporum, & Regulat. die 20. Decembris 1616. Vtriusque autem Sacr. Congreg. declarationem seu declarationem Sacr. Congr. Episc. & Regularium continentem declarationem Sacr. Congreg. Concilij referunt ad verbum *Lanor. vbi supra nu. 103. & Tambur. de iure Abbatiss. disp. 7. q. 3.* & est tenoris sequentis, videlicet.

Sacra Coogregatio Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium præpositorum, ad tollendas omnes contentiones inter Episcopos, & superiores Regularium super immunitate, & exemptione Tertiariarum, quæ in *priuatis* domibus degunt, vulgo *Pinzochere*, seu alio quouis nomine nuncupatarum, in primis, & ante omnia in memoriam reuocat ea, quæ Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum in eamdem sententiam respondit, *videlicet*.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridẽtini Interpretum, sæpiùs respondit, minimè posse Sacerdotes Regulares Mulierum Tertij Ordinis, quas de *Pœnitentia*, vel *Pinzocheras* vocant, Confessiones sacramentales audire, nisi fuerint ab Ordinario approbati ad Confessiones personarum secularium audiendas, quemadmodum nec posse illis Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramẽtum administrare in die Paschatis Resurrectionis Sanctissimi Domini nostri Iesu Christi. Verùm, quoad sepulturam, atque alia priuilegia, Fratres Tertiarios, Mantellatos, Cortigiatos, aliosque similes ita demum Ordinis, cuius Tertiæ regulæ habitum assumpserunt, priuilegijs potiri, & ab Ordinarij iurisdictione exemptos esse, si viri collegialiter viuant, seu cùm Claustralibus habitent, & mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu, vitam traduxerint; quemadmodum cauetur constitutione Concilij Lateranen. sub Leone X. quæ habetur sess. 11. in fin. Hoc autem voto mulierum, alia duo, scilicet paupertatis, & obedientiæ nequaquam includi; quinimò huiusmodi mulieres, si vitam virginalem, aut cælibem simpliciter expresseque vouerint, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut proprijs

prijs domibus, vel seorsum habitantes, supradictis priuilegijs Ordinis, cuius Tertiæ Regulæ habitum deferunt, exemptioneque ab Ordinarij iurisdictione frui debere, vt idem Leo postea declarauit Constitutione edita die prima Martij 1518. An autem prædictæ qualitates in huiusmodi Tertiarijs cócurrant, Ordinarij loci esse iudicium.

Præterea si contingat, aliquas ex prædictis Tertiarijs sine sepulturæ electione decedere, eas sic decedentes, ita demum in Ecclesijs Ordinis, cuius habitum assumpserunt, si in ipsis earum communis sepultura reperiatur, sin minùs, in Ecclesijs Parochialibus sepeliendas esse, decernit.

Superioribus autem Regularibus, sufficienti facultate ad id à Sede Apostolica suffultis (Capuccinis exceptis) licere mulieres ad huiusmodi habitũ recipere, atque ad ipsos vestiendi eas Officium pertinere, non autem ad habitum admittendas, & recipiendas esse, nisi probatæ vitæ, ac bonis moribus præditas, atque in ætate saltem quadraginta annorum constitutas, quæ de proprio habeant, vnde sufficienter viuere possint, & non cum alijs viris, quàm cum consanguineis, vel affinibus in primo tantùm gradu sibi coniunctis cohabitent, etiam ab Ordinario loci licentia prius impetrata, & qui non aliter eam concedat, nisi de prædictis, præuio examine diligenti sibi constiterit.

Verùm in huiusmodi habitu concedendo, & respectiuè deferendo, omninò à velo supra caput, quod *Supratectum* vocant, à Pectorali, quod vulgò dicitur, *Sottogola*, & à Patienția abstinendum esse; quinimò eas, quæ supradicta tria, vel aliquod ipsorum deferre, deprehensæ fuerint, illa dimittere, etiam per censuras Ecclesiasticas ab Ordinarijs locorum compellendas esse, decernit.

Supradictis verò Decretis, mulieres Tertij Ordinis, quæ collegialiter viuunt, non comprehendi, quinimò eas dispositioni Constitution. Pij Papæ V. editæ Romæ Anno 1566. 4. Kalendas Iulij, quæ incipit, *Circa Pastoralis*, penitùs subiacere, expressè declarat, non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus. Dat. Romæ 20. Decembris, Anni 1616.

Antonius Cardinalis Saulius.

246 Ex qua declaratione ad propositum quæstionis nostræ habetur primo expressè, quod Tertiariæ etiam habentes qualitates Concil. Lateranen. non habẽt necessariam sepulturam in Ecclesijs Regularium, sed liberam, & solum in Ecclesijs Regularium sepeliendæ sunt, si ibi sepulturam elegerint, vel habeatur ibid. earum sepultura communis, & alibi non elegerint sepeliri. Quod est de iure communi habentium liberam sepulturæ electionem. De alio autem puncto scilicet de necessitate præsentiæ Parochi nihil expresse in dicto decreto decernitur, sed ex eodem deducitur, & ex alijs declarationibus habetur. Deducitur quidem, quia ex vi dicti decreti Tertiariæ sunt veluti seculares personæ habentes quidem libertatem sepulturæ, sed necessario sepeliendæ in Ecclesia Parochiali, vbi in Regularium Ecclesijs vel maiorum sepulturam non habeant, vel eam sibi specialiter nó elegerint; At vero sine Parochi præsentia sepeliri non possunt defuncti necessario sepeliendi in Parochiali nisi alibi electam habeant sepulturam; quia isti in materia sepulturæ non sunt priuilegiati, & ex libera facultate eligendi sepulturam nullum habetur priuilegium eximens à iure Parochi. Secundo id colligitur.

247 Quia sepelire mortuos spectat ad propriũ sacerdotem defuncti vt constat ea di is supra numer. 130. Nam & ius sepeliendi mortuos maxime pendet ab administratione sacramentorum, quod verum est per se, & respectu eius, qui non per accidens & in casu contingenti, sed ex officio est sacramentorum administrator, hic enim etiam est proprius administer sepulturæ, qui funus defuncti ducere possit, & debeat. Modo ex vi dicti decreti Tertiariæ huiusmodi in ijs, quæ spectant ad administrationem sacramentorum, censentur veluti personæ Regulares, quia nec eorum Confessiones possunt audire Regulares, nisi approbati sint ab Ordinario; nec communionem Paschalem, aut viaticum accipere possunt à Regularibus, sed à Parocho debent suscipere, & sic tanquam seculares personæ censentur comprehensæ in decreto *Concil. Trident. sess. 23. cap. 15.* sub quo tamen non comprehenduntur personæ Religiosæ, & Prælati Regulares respectu subditorum, vt declarauit Sacr. Congregatio apud *Reuerendiss. Fagnanum. ad cap. omnis num. 62. de pænit. & remiss. vbi n. 64.* vbi quod cũ fratres monasterij S. Dominici de Lugo Imolen. diœces. postulassent declarari, an ipsis liceret præsertim ex suis priuilegijs, audire Confessiones virorum, & mulierum professorum Tertij Ordinis S. Dominici, eisque in Paschate sacramentum Eucharistiæ ministrare, Viaticum præbere, atque extremam vnctionem ministrare, Sacr. Congregatio considerato præcipue quod harum non est propriè Religio, nec ipsæ sunt plene translatæ ad Ordinem, ita vt desinant esse de seculo, censuit huiusmodi Tertiarias cóprehendi sub decreto *Concil. Trid. sess. 23. cap. 15.* easque non posse absolui nisi à Confessarijs ab Ordinario approbatis, nec posse à Regularibus accipere communionem Paschalem, & Viaticum, & quantum ad extremam vnctionem non esse iudicium Congregationis, sed tamen constare eius administrationem sicut aliorum sacramentorum pertinere ad Parochum. Cum ergo harum Tertiariarum proprius sacerdos quantum ad sacramenta administranda sit Parochus, sequitur ex consequenti, quod etiam Parochi officium sit cadauera earum de domo leuare, funus ducere, officium vsque ad Ecclesiam in qua sepeliuntur peragere, & illud in propria Ecclesia perficere.

248 Sed & hoc expresse declarauit eadem Sac. Congreg. Episc. & Reg. in vna Mutin. in qua reprobatum fuit factum PP. Sancti August. qui in Oppido Finalis post administrata cuidam Tertiariæ sacramenta extrema, eius cadauer sine præsentia, & licentia Parochi tumulauerant. Huius declarationis meminit *Lezana p. 4. v. Tertiariæ, num. 3.* & eam per extensum ponit *Diana p. 6. trac. 8. resol. 30.* & eã ego in forma authentica vidi. *Et* est sequentis tenoris, videlicet.

Illustre & Molto Reuer. come Fratello:

HAuendo Monsig. mio *Eminentiss.* Card. Celatino riferto nella Sacr. Congregat. quanto Vostra Signoria hà passato con li fratri dell'Ordine di S. Agostino del Finale di cotesta Dioecese in materia

teria del Predicatore della Quaresima, e circa la Tertiaria del medesimo Ordine, che se n'e morta vltimamente. Questi Em. miei SS. dopo hauer maturamente considerare è discusse le ragioni dedotte per l'vna è l'altra parte, hanno risoluto quanto al Primo non esser stato lecito al frate di quella Religione predicare nella Chiesa del suo Ordine dopo hauer domandata, e non ottenuta da Vostra Signoriá la benedittione, mentre espressamente li contradisse, & prohibi anco che non predicasse, e che poteua lei in questo caso procedere contro di lui, e punirlo con valersi della facoltà, che se ne dà à gli Ordinarij de Luoghi dalla Constitutione della fel. mem. di Gregorio XV. De exemptorum priuileg. E quanto al secondo articolo della Tertiaria sono stati similmente di parere non hauer potuto li frati del Conuento sud. in vigore di qual si voglia priuilegio dell' Ord. loro amministrarle i Sacramenti della Communione per Viatico, & Extrema vntione, ne meno andare à leuare il Cadauero di Casa processionalmente, senza interuento, ò licenza del Proprio Parocho, essendo queste funtioni proprie de Curati, á quali in ogni tempo, ma in questo più che in ogn'altro s'aspetta il ricognoscere, aiutare, & hauer pensiero particulare dell'Anime commesse alla loro Cura, massime che la Tertiaria, ancor che fosse professa non era claustrale, ma habitaua in Casa propria dentro á i limiti della Parochia di quel Curato. Onde per dare à V. S. & à cotesto popolo la sodisfattione che si conuiene, s'è dato ordine qui al Procuratore Generale della med. Religione, che debba far venire da lei il Prouinciale di Romagna ad humiliarsele, e mostrarle quelli ossequij di riuerenza, e di rispetto, che hanno tralasciato di vsare li suoi frati, nelli Casi predetti, mentre non si puol far venire il frate med. che predicò per la lontananza del luogo, doue hoggi si troua; Ripromettendosi all'incontro l'Eminenze loro, che ella lo riceuerá benignamente, e tratterà seco con quella Charitá, e piaceuolezza, che suole essere propria del Padre, e Pastore; Il che li significo per ordine della Sacr. Congregatione, acciò sappia le risolutioni, che si sono prese, e'l modo, come s'haurà da gouernare in questo Caso, e ne gli altri che possono succederli per l'áuuenire; Dio la prosperi. Di Roma li 17. Giugno 1639.

Di V. S. Ill. e M. Reu.

Affettionatissimo come fratello,

Il Cardin. S. Honofrio.

L'Arciuesc. di Tebe Secr.

Et quamuis *Lezana vbi sup.* conetur huiusmodi decretum explicare dicens, forsan illi Tertiariæ defuisse aliquod ex requisitis, vel etiam eam non elegisse sepulturam, nec habuisse sepulturam communem in Ecclesia dictorum Regularium tamen considerandum est, quod si resolutio Sacræ Congregationis inniteretur defectui aliquo, seu particulari rationi, id explicuisset Sacr. Congreg. & non reprobasset factum absolute, eo quia illa Tertiaria, etiam si professa non esset Claustralis, sed maneret in domo propria, & quia Parochi munus era, in tempore mortis ministrare Sacramenta & sepulturam simili Tertiariæ, & quod nullius priuilegij vigore poterant dicti PP. eidem Tertiariæ ministrare sacramenta extrema, & sepulturam.

249 Nec obstat re videtur ratio quæ ex aduerso adducitur, & quæ certe magnam vim habere videtur, quia nimirum huiusmodi Tertiariæ gaudent priuilegijs Fratrum cuius habitum portant, & ideo sunt exemptæ ab Ordinarij & Parochi iurisdictione vt fatentur SS. Congregationes Episcoporum & Regularium in decreto *sup. num.* 243. relato, vbi expresse continetur Tertiarias exemptas esse ab Ordinarij iurisdictione, si habeant conditiones Gôc. Lateran. vnde videtur, quod habendæ sint, & tanquam Religiosæ censendæ, & tumulandæ. Nam respondetur duo considerando. Primum quod per nullam Pontificiam Constitut. decretum est, quod huiusmodi Tertiariæ sint proprie, & simpliciter Religiosæ, sicuti de facto non sunt ex doctrina *S. Thomæ supra q.* 186. *a.* 7. *num.* 6. *pag.* 495. & tenent communiter DD. Vnde sequitur quod huiusmodi Tertiariæ in rigore non comprehenduntur sub lege *cap. final. de sepult. in* 6. Sed cum non emittant votum obedientiæ sunt proprij iuris, & habent liberum velle, vel nolle, ideo possunt sibi eligere sepulturam, vbicumque voluerint, nec possunt cogi ad sepulturam in Ecclesijs Regularium cuius habitum portant.

250 Secundo considerandum est, quod ex hoc eodem principio quod Tertiariæ non sunt Religiosæ optime Sacr. Congregatio potuit declarare eas comprehendi sub decreto *Concil. Trid. sess.* 23. *c.* 15. *de reformat.* easque esse de numero earum personarum, quæ non possunt absolui nisi à Confessarijs ab Episcopo approbatis; per quod decretum, & postea etiam per Constitut. Pij IV. derogatum fuit in hoc priuilegijs omnibus etiam Leonis Decimi. Ex hoc vero eadem Sacr. Congreg. potuit declarare Regulares non esse proprios sacerdotes harum Tertiariarum, & ex consequenti intrare iam dispositionem *cap. omnis vtriusque sexus, de Pœnit. & remiss.* vt necesse sit huiusmodi Tertiarias recognoscere Parochum, vt proprium sacerdotem, non obstantibus antiquis priuilegijs. Et hoc Sacr. Congregatio declarauit ex quo declarauit Tertiarias cômunionem Paschalem, & viaticum accipere debere à proprio Parocho. Et non obstat, si dicas, hanc consequentiam non valere, scilicet Tertiariæ non possunt absolui nisi à Confessario approbato per Episcopum, ergo Episcopus & ex consequenti Parochus est proprius earum sacerdos. Nam habetur manifesta instantia in Monialibus exemptis, quarum proprius sacerdos est Prælatus Regularis, vel alius cui commissæ sunt, & tamen non possunt absolui nisi à Côfessario approbato ab Episcopo. Respôderi enim poterit latũ esse discrimen, quia de monialibus id non est statutum quia sint seculares, ac propterea de iure communi subditæ Episcopo, & Parocho, sed ex speciali lege Gregor. XV. quæ ante ipsum locum non habebat. Sed Tertiariæ habitæ sunt tanquam seculares, & tanquam talis declaratæ sunt comprehensæ in decreto præfato Concil. Trid. quod fuit declarasse eas comprehendi inter eas oues, quæ de iure communi sunt oues Episcopi & quarum proprius pastor est Episcopus, & respectiue Parochus, à quo & communionem Paschalem, & viaticum & per cônsequens extremam vnctionem sumere debeant.

251 Quo stante sequitur, per consequentiam in iure fundatam quod & hoc potuit Sacr. Congr. declarare, quod huiusmodi Tertiariæ per Parochũ debeant

debeant ſepeliri; quia inconueniens eſſet & contra iura, quod Parochus eſſet proprius ſacerdos in administratione ſacramentorum, non vero in ſepultura. Item inconueniens eſſet, quod Tertiaria ſepelienda eſſet in Parochia, ſicuti ſepelienda eſt, ſi in Eccleſia Regularium ſepulturam communem, vel alibi propriam aut maiorum non habeat, & funus ſuæ nuis & ſubditæ non eſſet ducendus per ipſum, ſed per alium.

OBSERVATIO VNDECIMA.

252 AD ius, quod habent Regulares ſepeliendi mortuos in ſuis Eccleſijs & Cœmeterijs pertinet etiam ius ad ſe reuocandi cadauera per violentiam, vel fraudem in alia Eccleſia ſepulta, & quæ in eorum Eccleſia ſepeliri debuiſſent. Cadauer enim in aliena Eccleſia, ab ea in qua de iure deberet, per vim, aut temeritatem, vel fraudem tumulatum debere exhumari, & eidem Eccleſiæ reſtitui, vt habetur in *c. Cum liberum*, expreſſe diffinitum, vbi id tradunt, *Panorm.* qui *num.* 1. ponderans illud verbum textus, ſcilicet, oſſa, aduertit, quod nedum cadauer de recenti ſepultum debet reſtitui, ſed & illud quod à multo tempore, & cuius non remanent niſi oſſa, *Syluеſ. verbo ſepultura num.* 11. *Lauor. tit.* 2. *cap.* 11. *nu.* 121. *Oldrad. conſ.* 224. *Barboſa ad d. cap. cum liberum & v. defunctus num.* 4. vbi hoc inquit fuiſſe determinatum à *Sacr. Congr. Rit.* 21. *Iulij* 1607. *Lezana p.* 3. *v. Defunctus nu.* 1. *&* 8. *referens d. declarat. Sacr. Congr. Rit. & aliam eiuſdem S. Congreg. & aliam Sacr. Congr. Epiſcopor. & Regular. ſub die* 1. *Martij* 1641.

253 Reſtitui vero debent ſimul omnes oblationes & beneficia occaſione ſepulturæ acquiſita, vt in eodem textu *cap. Cum liberum decernitur.* Dubiũ tamen eſt, an tunc Parochus perdat etiam quartam funeralem, quam, vt ſibi debitam, habuiſſet vbicumque corpus illud fuiſſet ſepultum. Nam affirmant aliqui dicentes Parochum perdere quartam Canonicam ad ſimilitudinem hæredis res hæreditarias ſubtrahentis, qui in eis quartam Trebellianicam perdit, & ius inſtitutionis debitum, quod alias erat detracturus *l. Paulus reſpondit. ff. ad l. falci. & l. reſtringum ff de his quib. vt indi. Ita poſt Oldrad. conſ.* 234. tenuit *Syluеſt. v. ſepult. num.* 11. *Gloſſ. ad d. cap. cum liberum, v. recepiſſe Barboſa ad d. cap. cum liberum n.* 3. *& de Parocho cap.* 26. *num.* 27. *& l.* 2. *de Iure Eccleſ. cap.* 10. *nu.* 27. *Rodriq.* 3. *p. q.* 61. *a.* 3. *Portel. v. Canonica portio num.* 6. *Lez. verb. ſepult. num.* 10. *Hieron. Rodriq. reſol.* 18. *num.* 14. oppoſitum tamen ſenſit *Petr. de Peruſ. apud Syluеſt. vbi ſup.* quia delictum perſonæ non debet præiudicare Eccleſiæ *cap.* 2. *de ar. cognit. & cap. ſi Epiſcopum* 16. *q.* 6. *Barboſa* etiam *vbi ſupra de Parocho cap.* 26. *& cap.* 10. *l.* 2 *de iure Eccl. vtrobique num.* 53. loquens de Parocho ſepeliente in loco ſacro interdictum vult quod non perdat quartam funeralem. Sed ſi prima opinio non habet pro ſe niſi argumentum aſſumptum à ſimili iniuſti poſſeſſoris, ſeu hæredis res hæreditatis ſubtrahentis, ei non eſt ſtandum, quia in pœnalibus non valet argumentum nedum à ſimilitudine rationis, ſed neque à maioritate, vnde niſi adſit lex ſpecialis, quæ Parochum in hoc caſu priuet quarta funerali, non eſt cenſendus ea priuatus. Neque enim ex textu in *d. cap. cum liberum* hoc deducitur, quia ibi eſt ſermo de oblationibus, quas Monachi illi qui corpus mulieris violenter abſtulerant, ex eo acceperant, quod cadauer illud fuerat in eorum Eccleſia tumulatum; non tamen ex hoc deduci poteſt eos perdidiſſe etiam ius, quod ſibi competiiſſet, vbicũque illud cadauer fuiſſet ſepultum, ſi aliquod tale ius habuiſſent.

254 An vero qui petit corpus ſibi reſtitui poſſit agere ex nudo poſſeſſorio, vt ſupra etiam dictũ fuit negant *Innocent. & Panorm. ad d. cap. cum liberum* & alij volentes, quod teneatur iuſtificare titulum proprietatis, quod tamen ita *Panorm.* intelligit, vt ſufficiat probaſſe titulum apparentem, nec ſit neceſſe, quod iuſtificetur plene titulus & ius habendi cadauer illud, ſed ſufficiat, ſi conſtet de poſſeſſione, & titulo apparenter iuſto, nec ſint admittendæ exceptiones concernentes intrinſecum defectum tituli. An etiam Cadauer ſtatim reſtituendum ſit ante omnia; negant *Lauor. c.* 9. *num.* 122. *& Bonac. de contract. diſp.* 3. *q.* 21. *nu.* 13. Quia corpus defuncti non facile ſit vexandum, & de loco dimouendum. *l. fin. C. de ſepult. viol. & l. Nemo C. de Relig. & ſumpt. fun. Rota dec.* 854. *in antiq. Innoc. c. cum liberum, de ſepult.* Veritas eſt, quod cadauer non debet reſtitui niſi petatur. *c. p. de ſepult. in* 6. Et poſtquam fuerit petitum, ex nudo poſſeſſorio non debet reddi, vt ſupra eſt probatum. Poſſeſſionem vero ſepulturæ non inferri ex poſſeſſione loci dixit *Rota deciſ.* 332. *num.* 3. *coram Greg. XV.* & quod nec dari poſſit decretum de manutenendo in poſſeſſione ſepulturæ, vbi nullum eſt ſignum ſepulturæ, & nulla humatio Cadaueris. *Rota dec.* 283. *n.* 1. *coram Gregor. XV.*

255 Quando etiam Cadauer eſſet adeo reſolutum, & corruptum, vt nullo modo diſcerni poſſet, tunc exhumari quidem non poſſet, ſed in hoc caſu Sacr. Congregation. Regular. 1. Martij 1641. determinaſſe quod Parochus, qui cadauer ſepeliendũ in Eccleſia Regularium ſepeliuit in Parochia, declaret per publicum decretum, per hoc non fuiſſe præiudicatum iuri ſepulturæ, & alijs iuribus Regularis Eccleſiæ, tradit *Lezana in v. defunctus num.* 8. Si etiam intuitu ſepulturæ remaneret Eccleſiæ aliquod emolumentum annuale, exhumandum eſſet omni poſſibili modo cadauer, & reſtituendum Eccleſiæ habenti ius ſepulturæ illius, & emolumentum in omni caſu eidem Eccleſiæ deberetur.

256 Quærit etiam *Bardon. reſ.* 51. *num.* 205. quid iuris, ſi Parocho volente ſepelire in ſua Parochia cadauer de iure ſepeliendum in Eccleſia Regularium ijdem Regulares, dum ducitur funus, per vim cadauer rapiant & in ſua Eccleſia ſepeliant? Reſpõdet vero hic nullum eſſe delictum; quia Regulares in hoc caſu vtuntur iure ſuo. Tum quia de facto vim facienti, de facto reſiſtendum eſt, id enim leges permittunt *l.* 1. *§. & hoc edictum. ff. ſi mulier. vent. Marcas de Mantua ſing.* 446. *apud Peyr. tom.* 3. *cap.* 2. *num.* 6. Tum quia propria auctoritate vnuſquiſque poteſt reſiſtere rapienti ſua, & ea in tuto ponere, vt docent omnes in *tit. de Rapt. & fart. Panorm. in cap. ſuſcepimus* 10. *num.* 3. *de homicid.* Vbi quod non prohibetur licita & moderata defenſio rerum ſuarum. Cum ergo in hoc caſu cadauer ſit in bonis Regularium poſſunt contra Parochum rapientem illud inſurgere, & ſuum defendere, & in tuto ponere. Non igitur hic eſt delictum, & ex conſequenti ne-

Nnn

ti neque scandalum actiuum, & debent moneri adstantes, quod ille cuius est cadauer elegerat sepulturam in Ecclesia Regulari, sic enim omne scandalum cessat ex parte Regularium. Vnde infert *Bord.* quod nec huiusmodi Regulares in hoc casu puniendi sunt per Episcopum, tum quia non adest delictum: Tum quia si adesset ipsi sunt exempti, & ex vi decreti *Conc. Trid sess.* 25. *cap.* 14. in casu quod Regulares degentes intra Claustra delinquant extra illa, non sunt puniendi per Episcopum, nisi à suis superioribus, ad quos delinquentes remitti debent, non fuerint puniti. Quantum tamen est possibile via facti est fugienda & amplectenda via iuris, & non nisi in necessitate ad huiusmodi violentias est deueniendum.

SVMMARIVM.

1 *In quacumque Ecclesia potest eligi sepultura. numer.* 257.
2 *In loco profano non debet eligi sepultura. n.* 258.
3 *Hoc esset signum infidelitatis. n.* 258.
4 *In loco minus* Religioso *eligi potest sepultura. numer.* 259.
5 *Non tamen in sepultura alterius sine eius licentia. num.* 259.
6 *In Ecclesia S. Petri Romæ soli summi Pontifices sepeliuntur. n.* 259.
7 *Fundator non potest impedire, vt in Ecclesia sua alius non sepeliatur. n.* 259.
8 *Quid agendum, vbi Ecclesia, in qua fuit electa sepultura, sit impedita. n.* 260.
9 *Ecclesia non tenetur admittere eum, qui elegit in ipsa sepulturam. n.* 261.
10 *Quilibet qui sit sui iuris, potest sibi sepulturam eligere. n.* 262.
11 *Vxor potest sibi eligere sepulturam. n.* 263.
12 *Filius pubes sibi eligit sepulturam. n.* 264.
14 *Impubes non potest ante pubertatem sepulturam eligere. n.* 264.
15 *Seruus pubes eligit sepulturam. n.* 265.
16 *Epis. & reliqui Clerici sibi eligunt sepulturam. num.* 266.
17 *Religiosi non eligunt sepulturam. n.* 267.
18 *Milites Hierosol. quando eligant sepult. nu.* 267.
19 *Electio sepulturæ potest mutari. n.* 268.
20 *Quid si iam in Ecclesia electa, pulsatæ sint campanæ, & facta fossa. n.* 268.
21 *An electio firmata iuramento possit mutari. numer.* 269.
22 *Nullus pro alio, qui sit sui iuris, potest eligere sepulturam. n.* 270.
23 *Pater pro filio impubere eligit sepulturam, vbi est consuetudo. n.* 270.
24 *Consuetudo ista debet esse præscripta & vniuersalis. num.* 271.
25 *Vbi est consuetudo Pater eligit sepulturam in quacumque Eclesia pro filijs impuberibus, etiam legitimatis, & emancipatis, & adoptiuis. numer.* 272.
26 *An facultas eligendi sepulturam sit à iure positiuo. num.* 273.
27 *Sepultura est de iure naturæ. n.* 273.
28 *Patres ex lege naturæ tenentur ad sepulturam filiorum. n.* 274.
29 *Facultas eligendi sepulturam pro filijs quantum ad substantiam est legis naturalis, vt est iuris positiui quantum ad determinationem. n.* 274. 280.
30 *Consuetudini eligendi sepulturam pro filijs assistit ius naturale. n.* 274.
31 *Filius factus pubes non est sepeliendus in sepultura electa à patre. n.* 275.
32 *Filius impubes sepeliendus in sepulchro erecto à Patre pro familia. n.* 276.
33 *Vbi est consuetudo, Pater etiam pro filio mortuo eligit sepulturam. n.* 277.
34 *Matres in Patrum absentia, vbi est consuetudo eligunt sepulturam pro filijs. n.* 278.
35 *Consuetudo eligendi sepulturam pro filijs non est contra ius, sed illi ius assistit. n.* 278.
36 *Facultatem eligendi sepulturam parentes habent à iure naturali. n.* 279.
37 *Consuetudo eligendi sepulturam pro filijs non est exorbitans à iure, nec solum est declaratiua iuris, sed est determinatio iuris naturalis. n.* 279.
38 *Auus pro nepotibus impuberibus in defectu Patris eligit sepulturam. n.* 280.
39 *Lex positiua dans facultatem eligendi sepulturam pro impuberibus non est concessio, sed non prohibitio facultatis naturalis. n.* 280. 281.
40 *Sic conuenit Patribus posse eligere sepulturam pro impuberibus, sicut posse comedere quacumque hora; & sicut homini posse vti creaturis ad sui vtilitatem. n.* 280.
41 *Diuisio rerum ex iure positiuo &c. n.* 280.
42 Lex *Bonif. VIII. in cap. licet de sepult. in* 6. *potius est lex prohibens, quam concedens. n.* 281.
43 *Tutori competit eligere sepulturam pro impuberibus. n.* 282. 283.
44 *Lex concedens parentibus facultatem eligendi sepulturam pro filijs non est priuilegium. n.* 283.
45 *Non datur lex, quæ prohibeat auis eligere sepulturam pro nepotib. n.* 283.
46 *Vbi est consuetudo quod patres eligant sepulturam, eam possunt eligere tutores. n.* 284.
47 *Consuetudini quod tutores eligant sepulturam non resistit ius n.* 285.
48 *Amicus pro amico non eligit sepulturam. n.* 286.
49 *Nec ex consuetudine. n.* 287.
50 *Dominus pro seruo impubere eligit sepulturam. num.* 288.
51 *Et aliquando pro pubere. n.* 288.
52 *Pater eligit pro illegitimis impuberibus, vel mater. n.* 289.
53 *Et pro adoptiuis. n.* 290.
54 *Frater non eligit fratri. nu.* 291.
55 *Filius eligit pro Patre furioso. n.* 292.
56 *In sepultura electa à lege sepeliuntur, qui per se vel alium non eligunt sepulturam. n.* 292.
57 *Facultas eligendi pro alio non limitata expresse nisi in patre. n.* 292.
58 *Prohibitum quod non permissum. nu.* 293.
59 *Concessum quod non prohibitum. n.* 293.
60 *Vxor pro marito furioso eligit sepulturam. numer.* 293.
61 *Princeps, vel vniuersitas non eligit sepulturam pro singulis de vniuersitate. n.* 294.
62 *In sepulchro electo pro genere personarum sepeliuntur illi de iure si lex id ordinet, aut consuetudo id poscat. n.* 294.
63 *Sepultura eligi potest per procuratorem etiam post mortem mandantis. n.* 295.

Dicere

64 *Dextro sepeliatis me vbi volueritis non est mandatum de electione sepultura. n.295.*

De iure eligendi sepulturam.

CAPVT PRIMVM.

INSPECTIO QVARTA.

257 CVm (vt supra iam est probatum) vnaquæque Ecclesia habeat ius sepulturæ ideo in quacumque *Ecclesia* sepultura eligi potest. Verum est, quod aliqui limitare hanc conclusionem ponunt, dicentes posse eligi sepulturam in quacumque Ecclesia quæ habeat ius sepeliendi; quasi non omnis Ecclesia, id habeat. *D. Anton. 3. par. tit. 10. c. 5. Rota dec. 245. num 45. p. 9. recen. Lanor. tit. 2. cap. 11.* Sed cum nulla detur Ecclesia, in qua non possint mortui sepeliri, nulla quoque est Ecclesia in qua non possit eligi sepultura, & ideo absolute siue limitatione posse eligi sepulturam in quacumque Ecclesia dixerunt *Rota decis. 908. num. 2. p. 3. & decis. 380. num. 17. p. 5. & in Segunt. turis sepel. decis. 86. apud Tambur. tom. 3. Barbosa de Parocho* cap. 26. *n. 8.* Et habetur aperte ex *Alex. 3. in cap. cum liberum*. Etenim in ea Epist. Alex. 3. ad Decanum, & Magistrum. R. C. Rauentan. hæc verba habentur, non posita in *d. cap cum liberum* expressa vero sub diuerso charactere in impress. Colonien. 1631. *De vniuersis institutionibus Sanctorum Patrum apud religiosu locu in vltima voluntate sibi eligere sepulturam, canonica proculdubio obuiat rationi, qui deuotioni, & extrema voluntati decedentium in hac parte contradicere præsumitur.*

258 Cum vero quælibet Ecclesia sit locus Religiosus, in qualibet Ecclesia sepultura eligi potest. Si quis vero in loco profano sibi eligeret sepulturam faceret contra consuetudinem Ecclesiæ. *Lanor. tit. 2. cap. 11. num. 15.* Vnde hoc non licere, & immo talem electionem esse spernendam dixit *Panorm. in cap. fraternitatem nu. 2. de sepult.* vbi per locum priuatum in quo ait, quod non potest fidelis eligere sepulturam, intelligit locum non sacrum, seu ex deputatione Episcopi non deputatum ad sepulturam mortuorum. Debet ergo sepultura eligi in loco Religioso ponderando textum in *cap. 1. de sepult. in 6.* vbi concedit posse eligi sepulturam in loco minus Religioso, & considerando quod comparatiuum supponit positiuum. *l. vbi autem. ff. de verbor. signif.* immo addit *Sebast. med. q. 9. nu. 3.* quod si quis eligeret sepulturam in loco profano, esset signum quod male sentiret de fide, nisi in eo loco mandaret construi Ecclesiam, vel Cappellam. Ideo Christianus non debet eligere sepulturam infidelis, Iudæi, hæretici, aut excommunicati, quia non debemus communicare cum mortuis, cum quibus viuentibus communicare non poteramus. *cap. Iudæis de iudic. cap. sacris, de sepult.*

259 Sed vbi locus sit sacer, & Religiosus, potest in eo eligi sepultura. Et cum antiquitus controuersum fuerit an sepultura eligenda sit in loco magis Religioso, vt apud *Gloss. in d. cap. fraternitatem, in v. in noua*, videri potest, iam controuersia sublata est per Bonifac. VIII. *cap. 2. de sepult. in 6.* vbi decernit, quod electio sepulturæ licet facta in loco minus religioso non potest impugnari. Et sic solum attendi debet an locus sit religiosus, & in quocumque tali sepultura eligi potest. Quod est verum quantum sit ex vi loci sacri, & communis. Quia non per hoc in qualibet parte Ecclesiæ eligi potest sepultura; Nam vt dictum est supra prope altaria, & sub bradellis sepulturæ esse non possunt, nec supra terram in parietibus. Et potest esse quod Ecclesia aliqua sit deputata ad sepulturam alicuius tantum. Sic enim Romæ Ecclesia S. Petri est deputata ad sepulturam summi Pontificis, neque aliquis potest in ea sepeliri, & Canonici ipsi dictæ Ecclesiæ, non in Ecclesia, sed in sacristia sepeliuntur *Lanor. tit. 2. cap. 11. num. 41.* Pariter nec in alieno sepulchro vel in aliena Capella, vt *cap. sequen.* considerabitur, potest quis sepulturam eligere. Fundator tamen alicuius Ecclesiæ titulo fundationis non potest impedire, quod in ea Ecclesia non sit libera sepultura. *Peyr. tom. 3. cap. 4. num. 50. Lez. v. sepult. num. 16.* Ex eo tamen, quod quis habeat sepulturam in aliqua Ecclesia, non per hoc impedire potest, quin alius ibidem sepulturam eligat. *Rota dec. 142. num. 2. coram Gregor. XV.*

260 Vbi autem quis in loco impedito eligerit sepulturam, vt si quis eligat sepeliri in Ecclesia S Petri de Vrbe, vel si Ecclesia, in qua electa fuerit sepultura, tempore mortis sit interdicta, ad Episcopum spectare decernere vbi mortuus sit sepeliendus spectatis circumstantijs, & ponderatis coniecturis, & deuotioni decedentium, dixit *Lanor. vbi supra. num. 43. ex praxi Archiep. Neap. cap. 76. num. 3.* Sed in simili casu puto distinguendum inter impedimentum perpetuum aut totale, & impedimentum accidentale aut partiale. Vbi enim impedimentum est perpetuum electio sepulturæ in eo loco nullius valoris est, & defunctus sepeliri debet in ea Ecclesia, in qua sepeliendus fuisset, si sepulturam in *Ec*clesia impedita non elegisset; quia cum electio sit totaliter nulla, pro nulla est habenda. Si vero nihilominus *Ecclesia* tota non est impedita, vt si quis elegit sepulturam in capella Ecclesiæ, in qua nullus extraneus possit sepeliri, quia electio potest esse valida respectu Ecclesiæ, in qua est capella, licet non sit valida respectu capellæ, tunc iudicium Episcopi habebit locum, & considerandum erit, an licet non possit sepeliri in capella, sepeliendus tamen sit in Ecclesia. Quamuis accedente consensu patroni capellæ electio valida erit, & in ea defunctus huiusmodi erit sepeliendus. *cap. 1. de sepult.* Si vero impedimentum sit temporale, vel casuale, non vitiat electionem, quæ effectum habere potest pro tempore non impedito. Sic licet in Ecclesia interdicta non possit haberi sepultura, si quis tempore interdicti eligat sepulturam in Ecclesia interdicta, valida est electio, & si tempore mortis cessauerit interdictum in ea mortuus erit sepeliendus. Quod si tunc Ecclesia sit interdicta, certe in ea sepeliri non potest. Sed dubium esse poterit, an sit sepeliendus vbi de iure sepeliri debuisset, si sepulturam in Ecclesia interdicta non elegisset, vel potius eius cadauer alicubi depositandum esset, donec interdictum cessaret. Et hoc vltimum rationabile est si sine incommodo graui id fieri potest; quia temporale impedimentum non habet, vt executionem voluntatis testatoris impediat simpliciter, sed so-

lum ad tempus. *Et* vltima defuncti voluntas, eiuſque deuotio perpetuo fraudari oon debet ex accidentali & temporali impedimento. Quod eo magis eſt verum, ſi cum quis elegit ſepulturam, Eccleſia, in qua illam elegit, erat interdicta; cum enim præſumi non debeat eum voluiſſe in ea ſepeliri durante interdicto, hinc ſequitur eum voluiſſe expectare, vt interdictum ceſſaret, vt ibidem ſepeliretur ablato interdicto.

261 Et tamen circa prædicta eſt conſiderandū, nimirum, quod aliud eſt in Eccleſia poſſe eligi ſepulturam, & aliud eſt, Eccleſiam neceſſitari ad admittendam hanc electionem, & ita quod inuito Rectore Eccleſiæ, qui elegit ſepulturam in Eccleſia, debeat in ea ſepeliri. Primum enim horum eſt indubitatum. De ſecundo autem *Lauor. tit. 2. nu. 35.* arbitratur, quod non Parochianus etiam alterius Diœceſſis, poſſit inuito Rectore *Eccleſiæ* eligere ſibi ſepulturam in Parochiali, ſi ad illam commode portari poſſit. Sed huius dicti fundamentum non video. Quod enim Parochialis reijcere non poſſit ſuos Parochianos, hoc eſt indubitatum; ſed quod neceſſitetur ad ſepeliendum alios, non habet in iure fundamentum; libertas enim conceſſa ad eligendam ſepulturam continet conditionem licentiæ ſuperioris *Eccleſiæ*, quæ ex libertate eius ſuperioris conceditur. Nam huiuſmodi libertas conceſſa ad fauorem ſepeliendorum, non vero in odium Eccleſiarum non eſt in præiudicium illarum deducendum, vt ex vi electionis laicorum ipſæ neceſſitentur admittere hunc vel illum ad ſepulturam. *Et* certe, quod in *Eccleſijs* Regularium nullus eis inuitis ſepeliri poſſit, eſt ſupra probatum. Item in *cap. 1. de ſepulturis.* Leo Tertius eodem tenore dat facultatem eligendi ſepulturam propriam & alienam, & tamen non per hoc dat facultatem eligendi ſepulturam alienam ſine licentia patroni, vel ita quod patronus neceſſitetur illum admittere in ſua ſepultura.

Quis ſibi poſſit ſepulturam eligere.

OBSERVATIO PRIMA.

262 Cum ergo in qualibet *Eccleſia* poſſit eligi ſepultura, conſiderandum remanet quis ſibi poſſit ſepulturam eligere. Eſt autem certa concluſio, quod quilibet habens vſum rationis, & expeditum velle, vel nolle poteſt ſibi ſepulturam eligere in quacomque Eccleſia ſiue ſeculari, ſiue Regulari, ſiue vicina, ſiue remota, & ſiue intra Eccleſiam, ſiue extra, in clauſtro, Capitulo, ſacriſtia, & vniuerſaliter in quocumque loco religioſo. Ideo, quod quilibet laicus, qui ſit ſui iuris poſſit ſibi eligere ſepulturam decernunt iura in cap. 1. *vbi Gloſſ. v. Alienam, & cap. cum liberum de ſepult. Lauor. tit. 2. cap. 21. num. 1. Zachius de republ. Eccleſ. c. 28. num. 17. Bellet. diſquiſ. de Cler. debit. §. 3. num. 13. Venerus in exam. Epiſc. l. 3. cap. 12. num. 2. Caſ. de Graſſ. deciſ. 164. num. 1. Paſqual. deciſ. 381. num. 2.* Nam cum electio ſepulturæ ſit voluntatis, & libertatis. *Rota dec. 551. num. 21. p. 5. & dec. 745. num. 3. p. 2. recent. & dec. 164. & 165. coram Caſ. de Graſſis,* quilibet habens liberum velle ſepulturam poteſt eligere. Limitatur tamen hæc aſſertio, vt non verificetur in illis, qui ſepultura priuati ſunt, vel etiam qui priuati ſunt facultate teſtandi, ſeu diſponendi per vltimam voluntatem. Et ideo damnati ad mortem non interpoſita appellatione ſicut ſunt priuati facultate teſtandi, ſic ſunt priuati electione ſepulturæ, quam tamen poſſunt eligere ante ſententiam, & in omni caſu in quo non ſint priuati facultate teſtandi. *Moron. reſ. 51. num. 58.*

263 Quamuis vero quantum ad corporalia multi nō ſint ſui iuris, tamen quantum ad ſpiritualia, & ideo quantum ad eligendam ſepulturam ſui iuris eſt vxor, & eo magis quod ſepulturæ electio habet effectum poſt mortem, quando iam vxor non eſt ligata marito. *Cap. de vxore. de ſepult. vbi Gloſſ. Panorm. & Canoniſtæ. Lauor. d. cap. 11. num. 130. Bellet. d. §. 3. num. 15.* & cæteri communiter.

264 Item filius familia viuente etiam Patre aut ſub Curatore viuens ſi tamen ſit pubes, poteſt ſibi eligere ſepulturam, etiam ſi Pater reſiſtat, prout expreſſe decernitur *in cap. licet, de ſepult. in 6. vbi Gloſſ. & cæteri Canon. Syluеſt. v. ſepult. num. 6. Tabien. nu. 4.* & cæteri communiter, & militat ratio eadem, quia poſt mortem filius non eſt ſub Patris poteſtate, vnde Filius poteſt ſibi eligere vbi ſepeliatur poſt mortem, quia electio ſepulturæ reſpicit tempus mortis, quod eſt tempus habile, in quo voluntas filij executioni dari poteſt. Filius autem impubes ſepulturam eligere non valet, vt expreſſe habetur *d. cap. licet*, quia iura præſumunt filium impuberem non habere tātam libertatis perfectionem, quæ ſufficiat ad huiuſmodi electionem. Et quia pubertatis anni incipiunt cum exceſſu anni ætatis 14. nimirū anno 14. expleto. *l. Indecoram. C. quando tutor, vel cur. eſſe deſinant. Sylueſ. v. impuberes. Gloſſ. in cap. 1. de teſtam. v. impuberes;* Ideo filij vſque ad 14. annum expletum non poſſunt ſibi eligere ſepulturam. *Lauor. d. cap. 11. num. 127. Barboſa de off. Parochi cap. 26. num. 28. Sperel. dec. 89. num. 2. Paſqualig. dec. 392. nu. 2.* Quamuis quia in mulieribus pubertas incipit poſt annum 12. *d. l. Indecoram &c. Gloſſ. & Sylueſ. citati*, ideo fœminæ, poſt 12. annum ſepulturam ſibi poſſunt eligere. Accipi enim debet pubertas ſecundum quod eam accipit ipſum ius, & ſic intelligi debet *d. cap. licet. Paſqual. num. 3.* Si etiam in minori 14. vel 12. annorum reſpectiue malitia ſuppleat ætatē, poterit impubes ſepulturam eligere. Quia generaliter quando malitia ſupplet, cenſetur anticipare pubertas. *Bart. in l. qui in poteſtate. & l. ſi filius familias. ff. de teſtamen. Ancharan. in cap. licet de ſepultur. in 6. vbi etiam Gemin. Lapus alleg. 59. num. 1. Medices q. 8. num. 3. Lauor. d. c. 11. num. 109. Sperell. deciſ. 89. num. 2. Paſqual. dec. 392. num. 4.* quod vero *Bellet. d. §. 3. num. 14.* videatur velle quod filius ſit ætatis 18. annorum vt poſſit eligere ſepulturam, non habet in iure fundamentum. Ex d. enim capite licet puberes poſſunt ſepulturam eligere; & pubes eſt, qui annum 14. vel 12. reſpectiue compleuit.

265 Item ſeruus ſi ſit pubes ſibi eligit ſepulturam. In ijs enim ſpiritualibus proprium velle habet non ſubordinatum voluntati Domini. *Io. Andr. c. de vxore. de ſepult. Hoſtien. in cap. p. de coniug. Petr. de Vbald. de canon. port. cap. 11. Lauor. d. cap. 11. num. 246. Sylueſ. v. ſepultura num. 6. Tabien. num. 4. Portell. v. ſepult. num. 6. Paſqual. deciſ. 381. num. 7. Med. quæſt. 8. num. 9.*

266 Sed nedum laici, sed Clerici seculares omnes, ab Episcopo usque ad Clericum solius primæ tonsuræ potest sibi eligere sepulturam, cum non conueniat in hoc eos minus esse priuilegiatos, quã laicum, & alias sui iuris sint, & voluntaris. De Episcopo hoc habetur ex *cap. Apostolica de donat.* vbi permittitur eum erigere monasterium, & in eo suam sepulturam adornare. Vnde est, quod ipsi liceat etiam extra diœcesim & prouinciam sepulturam eligere. *Redoan. de rebus Eccles. non alienan. rubric. 30. cap. 9. Gloss. in c. vbicumque 13. q. 2. Med. q. 8. num. 11. Lauor. d. cap. 15. num. 60.* Vbi aduertit, quod quando Episcopus eligat sepulturam extra diœcesim Cathedralis Ecclesia non tenetur ad expensas, sicuti tenetur, quando eligit eam intra Diœcesim. Sed de hoc dicendum erit infra, vbi de expensis funeris erit sermo. De alijs autem Clericis, cum nullibi sit eis prohibitum sepulturam eligere, & alia iura vniuersaliter libertatem eligendi sepulturam omnibus concedant, idem tradunt *Bellet. disquisit. Cleric. tit. de Cler. debit. §. 3. num. 12. Pasqual. dec. 381.*

267 Religiosis vero professis, quomodo non conueniat sepulturam eligere, dictum est supra. Nouitij tamen, famuli, & huiusmodi qui nec voto, nec contractu obligati sunt monasterijs licet sepulturam eligere, non tamen in præiudicium monasteriorum. Milites Hierosol. si à Religione habeant facultatem testandi, sepulturam eligere possunt, vt tanquam decisum à Sacr. Congreg. Regular. 4. Septemb. 1637. tenet *Nicol. v. Hierosol. num. 15.*

268 Tandem considerandum est, quod sepulturæ electio tanquam quid sapiens dispositionem vltimæ voluntatis est mutabilis, & licet quis elegerit sepulturam in aliqua Ecclesia, si velit potest valide eligere illam in alia, etiam in loco minus religioso, vt reprobata in hoc opinione. *Hugon. Ala Tancr. & Bernard.* & approbata opinione *Lauren. Vinc. Io. & Gofredi secundum Glossam determinans Bonifacius Octauus in cap. cum quis 2. §. si quis, de sepult. in 6.* Nihilominus Lauor. *cap. 11. num. 16. ex Lap. alleg. 59.* refert, quod cum mortua fuisset puella 12. annorum non electa sepultura pater eius dixit velle eam sepeliri in Ecclesia Parochiali, & sic pulsari fecit campanas, & facta fuit fouea in dicta Ecclesia. Attamen pater postea fecit illam sepelire in alia Ecclesia. Cum vero dubitatum fuisset an Ecclesia Parochialis posset corpus repetere & emolumenta, resolutum fuit affirmatiue, etiam si antiqua dimissa nouam quis possit eligere sepulturam. Sed à quo affirmatiue fuerit resolutum nõ dicit *Lauor.* & forsan potuit esse, quia si puella illa expleuerat 12. annum pubertatem intrauerat, & vt probabitur, infra, Pater non poterat filiæ puberi eligere sepulturam, illaque si non habebat sepulturam maiorum tumulari debebat in Parochiali. Sed forsan dicetur quod res non erat amplius integra, quoniam Rector Parochialis pulsauerat campanas, & foueã fecerat: quando vero res non est integra non licet mutare sepulturam. Sed hæc ratio non valet; nam & dici potest, quod res non est integra quando vel Parentes maiores maximis expensis construxerunt sepulchrum nobile in aliqua Ecclesia erecta etiam in ea capella, immo Ecclesia tota ædificata, & in eo sepulchro conditi fuerunt maiores per longam seriem annorum, etiam excedentem seculum, & nihilominus hoc non obstante filius potest valide antiquam sepulturam maiorum derelinquere, & nouam eligere etiam in loco minus religioso, ex *d. cap. cum quis, de sepult. in 6.* Et in præsenti aliud est, quod pater ille obligatus fuerit ad seruandum Parochialẽ indemnem soluendo illi, si quid illi debebatur vel pro sono campanæ, vel pro factura fossæ, & aliud est, quod pater non potuerit mutare sepulturam & alibi eam pro filia eligere, si aliàs id ei licebat. Vnde non video ex quo principio potuerit tunc resolui, quod Parochialis in eo casu habebat ius repetendi cadauer puellæ, & emolumenta. Sed dicetur & bene, quod erectio sepulturæ maiorum, non est proprie inchoatio sepulturæ huius vel illius determinate, & aliud est electio seu deputatio sepulturæ, & aliud actualis sepelitio, quæ inchoata dicitur per sonum campanæ, & effossionem sepulturæ. Respondetur nihilominus quod & sepultura maiorum est quædam licet remota inchoatio sepulturæ descendentium. Et quidquid sit de hoc, Nullum datur ius quod cogat libere operantem ad perficiendum opus inchoatum, etiam si tunc res non sit amplius integra. Sic qui incœpit ædificium non tenetur illud perficere. Et si dicatur, quod standum sit contractui, & quod qui eligit determinate sepulturam pro se vel alio contrahit cum Ecclesia, vnde debet seruare pactum. Respondetur quod in contractibus rerum natura, & conditio seruanda est, hæc vero est conditio electionis sepulturæ, quæ sapit naturam vltimæ voluntatis, vt sit mutabilis; ideo semper mutari potest, salua tamen indemnitate *Ecclesiæ*, si ex mutatione patitur damnum in proprijs, & iam acquisitis, & possessis bonis suis.

269 Addit idem *Lauor. ibid.* quod si quis sano iudicio elegerit sepulturam, & vereatur, ne mortis tempore aliquorum instigatione inducatur ad eam mutandam, remedium est, quod iuramento promittat electionem non reuocare. *Ego non dubito* quod in hoc casu iuramentum sponte factum tenet, & est seruandum, *capit. cum contingat de iuram.* Et nihilominus si melius fuerit mutare sepulturam, iuramentum quod non est melioris boni impedimentum, non impediet, quin alibi sepultura eligatur. Sed amplius additur, quod si quis prius elegit sepulturam in aliqua *Ecclesia*, & electionem firmauit iuramento promissorio, erit quidem periurus, si iuramentum violet, sed noua electio erit valida, si sit libere facta, quia fractio iuramenti non inualidat actum contra iuramentum; sic qui contra iuramentum & contra votum simplex contraheret cum Berta, valide contraheret, & si emeret, aut venderet, valide emeret, & venderet; ita si quis contra iuramentum eligeret sepulturam valeret electio, nisi ipse eam reuocaret.

Quibus conueniat eligere sepulturam pro alijs.

OBSERVATIO SECVNDA.

270 NOn eadem est libertas eligendi sepulturam pro alijs, quæ est eligendi eam pro se ipsis. *Et electio sepulturæ per se est actio personalis*, cum agatur de dispositione perpetua

proprij

proprij corporis. Et iura cuique libertatem & dominium huius electionis cōcedunt, vnde nullus pro alio, qui sit sui iuris, & sui dominus habens velle, & nolle, potest eligere sepulturam eo inuito. Et si eligat, electio nullius est virtutis, nisi ille eam ratam habeat. In pluribus tamen casibus etiam vnus pro alio eligit eam. Et quidem primo Pater eam eligit pro filio impubere. Posset tamen esse difficultas an hoc Patri conueniat de iure. Sic enim conuenire tenent *Gloss. in cap. de vxore in v. diffinitum. Hostien. tit. de sepult. num. 5. Molina de iust. disp. 214.* Verum in contrarium est, quod in *cap. de vxore, de sepult.* dicitur quod hoc per sanctos Patres non fuit diffinitum. Et in *cap. licet de sepult.* expresse decernitur Patrem id non posse, vbi consuetudo id faciendi non habetur; vnde dicendum est Patrem posse eligere sepulturam pro filio impuberi in locis vbi est consuetudo, quod Pater eam eligat. Vnde hanc partem docent *ibid. Archid. num. 1. Gemin. n. 2. Francus num. 1. Io: And. Anchar. Butrius, & alij Petrus de Vbald. de port. Canon. cap. 11. num. 6. Bellet. d. §. 3. num. 17. Sylu. v. sepult. num. 7. Tabien. num. 6. Sebast. Med. q. 8. de sepult. Grat. discep. 94. num. 79. Bonac. disp. 3. de contract. q. 21. p. 3. num. 8. Lauor. d. capit. 11. num. 118.* & apud eum *Rota in Augustana sepulturæ 20. Nouembr. 1606. Barbos. ad cap. primum de sepult. num. 6. & ad cap. licet de sepult. in 6. & de Parocho. c. 26. num. 28. Villalobos tom. 2. trac. 31. diff. 2. num. 2. Diana p. 5. tr. 3. res. 107. Genuen. in praxi cap. 61. nu. 4.* Inde non obstant, quæ ex Ciuili iure ex opposito adducuntur nimirum ex quo Pater possit filio impuberi facere testamentum, *Inst. de pupill. substit. §. liberis,* & facere substitutionem in bonis maternis, *l. 1. ff. de vulg. & pupill.* idque ratione patriæ potestatis, deducere consequentiam, quod etiam possit Pater pro liberis eligere sepulturam, quia non valet consequentia á patria potestate Ciuili, quæ respicit corporalia, ad potestatem circa spiritualia, qualis est potestas sepulturæ, maxime vbi iura Canonica oppositum decernunt, sicuti est in proposito.

271 Consuetudinem vero hanc debere esse legitime præscriptam aduertunt *Gemin. & Francus num. 2.* quia quando ius requirit consuetudinem, intelligit de præscripta legitime, licet id non exprimat. *cap. Cumana, de Electione.* An vero requiratur præscriptio quadraginta annorū, vel sufficiat annorum decem. Domin. arbitratur necessarios esse 40. annos, & quod huiusmodi consuetudo sit contra ius commune, quia ius prohibet Patrem pro impuberi filio eligere sepulturam, vbi non sit eligendi consuetudo. Sed hoc principium est falsum, quia immo textus ille expresse assistit huic consuetudini, quia in substantia non vult, nisi quod in huiusmodi seruetur consuetudo, quæ si non erit vt Pater eligat sepulturam, erit vt non eligat, nec est dare medium nisi in populo & Ecclesia nouiter erecta. Huic ergo consuetudini ius non resistit, sed assistit, & ideo sufficere consuetudinem decennalem ex *Oldrad.* dixit *Francus, num. 2.* Verum consuetudo ista vt det Ius Patri vniuersaliter debet esse vniuersalis, neque enim consuetudo cuius loci ad alium locum se extendit. Et in eodem loco consuetudo vnius Ecclesiæ alteri Ecclesiæ eiusdem loci non infert damnum, & ex *Gloss. in cap. illud 12. dist. & ex Federic. cons. 86. & Anchar.* aduertunt *Domin. & Franc. n. 1. ad d. cap. licet.* Et sic si in vna Parochia sit consuetudo vt Pater eligat sepulturam pro filio, ex hoc non poterit alterius Ecclesiæ Parochianus in quo non viget ea consuetudo sepulturam eligere. Vbi tamen consuetudo viget sepulturam eligit Pater pro omnibus filijs etiam emancipatis. *Medices. q. 8. num. 7.*

272 Econtra vero vbi consuetudo viget dat ius Patri ad eligendam filio impuberi sepulturam in quacumque Ecclesia, siue seculari, siue regulari, aut mendicantium, cum tunc censeatur filius ipse elegisse sibi eam sepulturam, *Clem. Dudum, de sepult. Oldrad. cons. 223. Domin. ad d. cap. licet, & Francus ib. num. 1.* Nam & hoc determinasse S. Congreg. Regular. die 20. Ianuarij 1640. refert *Peyrinus tom. 3. priuileg. in fine decreto 17.* sub his verbis. *Sacra Congreg. Cardinalium negotijs Regularium præposita sæpius censuit, licere parentibus in quacumque Ecclesia voluerint, etiam* Regularium, *eorum filijs minoribus, qui ad annos pubertatis nondum peruenerunt, eligere sepulturam; nec á Parochis locorum impediri posse, aut debere, præsertim vero si in dictis Regularium Ecclesiis sepeliri consueuerunt, vel in eis habeant sepulchrum maiorum. Romæ 20. Ianuarij 1640.* Vnde hoc etiam tenet *Barbosa in sum. v. sepult. num. 14.* Et quod Sacr. Congr. eadem 22. Febr. 1641. ordinauerit Episcopo Placentino vt faceret restitui á quodam Curato suæ diœcesis Patribus Minoribus cadauer cuiusdam puellæ, cui Pater ipsius elegerat sepulturam in eorum Ecclesia cum omnibus eleemosynis funeris, refert *Lezana p. 4. v. sepultura num. 4. in fin. & ad Mare magnum Prædic. nu. 85.* Vbi tamen consuetudo est in contrarium impuberes vel in sepultura maiorum, vel in Parochia sunt tumulandi.

273 Sed nunquid facultas eligendi sepulturam est facultas iuris positiui, vel potius naturalis, seu diuini connaturalis institutioni Ecclesiasticæ sepulturæ. Certe esse facultatem iuris humani sentit *Pasqual. dec. 389. num. 4.* vbi habet, quod ius concedit cuicumque, qui est capax electionis posse eligere sepulturam, vnde non remanet alia potestas, quam sit illa, quæ est concessa á iure. Verum hoc in eo sensu est verum, non quod facultas eligendi locum sepulturæ sit á iure positiuo, sed quod ab eo sit limitatio, & determinatio huius facultatis. Cum enim sepelire mortuos sit iuris naturæ. *l. scriptus hæres. §. sed tunc locus, ff. de relig. & sump. fun.* quod ex eo aperte colligitur, vt aduertit *Spondanus de Cœmet. sacr. l. p. parte 4. cap. 4. num. 3.* quod sepelire mortuos naturaliter propagatum fuerit cum humano genere, & ab omnibus omnino gentibus absque aliqua lege scripta sponte acceptata. Quod autem ab omnibus gentibus obseruatum est, id non nisi á Deo sancitum esse dicendum est vt habet *Socrates apud Xenophontem l. 4. de dict. & fact. Socr. Senec. Epis. 117. Cicero Tuscul. p.* Et de sepultura speciatim dixit *Seneca 1. Contron. 1. Quædam iura non scripta, sed omnibus scriptis certiora sunt: quamuis filius familias sim, licet mihi & stipem porrigere mendico, & humum cadaueri.* Quoniam, nimirum, iura naturalia tollere ciuilis ratio non potest, ideo ne iure quidem patriæ potestatis fieri potest vt non liceat, immo potius, vt non necesse sit ex illo pietatis atq; humanitatis naturæque humanæ communi iure atque officio, terram homini mortuo etiam ignoto sepeliendi causa inijcere.

Hoc

374 Hoc vero naturæ debitum quod in casu necessitatis obligat quemcumque tanquam opus misericordiæ, maxime spectat ad Parentes, & eorum prouidentiam, & curam, & hoc ab origine mundi natura dictante propagatum est, vt Parentes filiorum, & filij parentum sepeliendorum curam haberent: nec obstat, quod mortuus filius cum non viuat, non sit amplius sub patris potestate, nam filij viuunt in memoria & affectu parentum, ideo eorum cadauera tanquam res filiorum, adhuc in memoria & affectu viuentium curanda sunt, & remanent sub potestate parentum, si non tanquam rationales substantiæ dirigendæ per Patrum præcepta, tanquam res per prouidentiam paternam curandæ; cuius signum euidens est, quod nullus Parentum est, qui non iudicet se iniuria affici, si cadaueri filij inferatur iniuria, & qui pro hac vendicanda in iudicio agere non possit. Quod si mors vitam à filio potuit auferre, tollere non potuit tamen, nec poterit a mente Parentum memoriam, & à voluntate filij affectum, & quin quæ tam coniuncta fuerunt animæ filij, sicut sunt corporea membra cadaueris, non teneantur curare & piam sepulturam illis concedere. Sicut ergo Pater nedum habet facultatem, sed debitum sepeliendi filium, sic habet libertatem loci, in quo illum sepeliat, nisi aliunde sibi limitetur: & sicuti quantum sit ex vi legis naturæ non est prohibitum, sed liberum homini habitare vbi voluerit, colligere terræ fructus, vndecumque, & quos voluerit, licet postea ex iure humano rerum diuisione introducta non possit quis viuere ex alieno prædio nisi in casu extremæ necessitatis. Sic ergo & in præsenti facultas eligendi sepulturam seu sepulturæ locum pro filio non est ex lege positiua, sed ex lege naturæ ortum habet, & fundamentum, & est intima illi facultati, immo necessitati, per quam Pater necessitatur, vt curam habeat sepeliendi filium, quæ cum sit facultas, & necessitas creaturæ rationalis est facultas agendi ex iudicio & electione loci, in quo defunctus filius sepeliendus sit. Sed cum huiusmodi facultas ex vi naturalis legis indeterminata sit, & per hoc subordinata determinationi positiui iuris, quod in mutis est à iure naturali tanquam illius determinatio: ideo à iure positiuo est determinatio loci sepulturæ, quæ determinatio modo, cum sepultura non est res mere naturalis, sed religiosa fieri debet, & facta est per Ecclesiam, vt sic non liceat sepelire nisi in loco sacro, & inter sacra loca non nisi in hoc vel illo, & sic Ecclesia ipsa, ad quam principalius spectat cura sepeliendi mortuos, elegit loca sepulturæ, & posuit terminos, quos non licet transgredi. Et propterea Pater nunc non habet ius eligendi locum sepulturæ pro filio nisi vbi adsit consuetudo talis electionis, quia hac consuetudine deficiente Ecclesia locum elegit, & voluit hunc esse primo locum sepulturæ maiorum si adsit, & hoc deficiente Ecclesiam vel Cœmeterium parochiale. Doctrina vero data & maxime ponderanda ad hoc iuuat, vt appareat, quod consuetudo vt Patres filijs impuberibus eligant sepulturam, quam ijdem filij sibi eligere non possunt, est talis cui assistit nedum ius positiuum sed ius naturæ, & ius diuinum connaturale institutioni sepulturæ vt Ecclesiasticæ, & Religiosæ, & ideo, quod est seruanda, nec potest per se tanquam irrationabilis reijci.

275 Vbi ergo consuetudo ipsa reliquit Patri libertatem electionis sepulturæ pro filijs impuberibus, hoc est considerandum nihilominus, quod non necessitat filium ad talem sepulturam, si perueniat ad pubertatem, quia tunc filius habet ipse liberam facultatem sibi sepulturam eligendi, & in hoc, & alijs spiritualibus non est amplius sub patria potestate, ideo nisi filius pubes ratam habeat electionem factam à Patre, illa nulla est, & vel filius erit sepeliendus in sepultura à se electa, vel in sepultura maiorum, vel tandem in Parochiali. *Petr. de Vbald. de Canon. port. cap. 11. Nauar. cons. 1. de sepult. Lauor. d. cap. 11. 118. fin. Sperel. dec. 89. num. 5. Medices. q. 8. num. 3. Pasqual. dec. 390. num. 1.*

277 Limitant quoque multi facultatem Patris ad eligendam sepulturam pro filio ad vitam filij, ita quod Patri non liceat pro defuncto iam filio sepulturam eligere. Et videtur hoc in eo fundari, quod electio sepulturæ pro alio debeat referri ad tempus habile, in quo ille alius habere posset voluntatem & eligere sepulturam, si sibi licuisset; quia huiusmodi electio fit ad supplendam impotentiam alterius. Sed non super hoc fundantur hi DD. sed super decreto Sacr. Congreg. Episcoporum, & Regular. die 27. Octobris 1587. apud *Lauorium vbi sup.* vnde hoc tenent idem *Lauor. Diana p. 5. tr. 3. res. 107. Barbosa in sum. v. sepult. num. 6. & l. 2. de iure Eccles. cap. 10 num. 28. & de Parocho t. 26 num. 28.* & apud eum *Sperell. dec. 89. num. 5.* Sed solido fundamento caret hæc opinio. Tum quia per *cap. licet de sepult. in 6.* datur generaliter, & sine aliqua limitatione facultas Patri eligendi sepulturam pro filio impuberi. Tum quia nedum textus ille non distinguit inter filium viuum & mortuum, sed satis aperte significat dispositionem suam extendi etiam ad electionem factam post mortem filij, vt patet ibi. *Licet pater minoras filios &c. possit, &c. quo voluerit sepelire.* Hæc enim facultas & libertas filios mortuos respicit, quos mortuos iam pater potest, quo voluerit sepelire. Tum quia contraria opinio vel negat hanc facultatem Patri, vbi non est consuetudo, vel vbi est: si primum intendit non est discrimen inter filios viuos, & mortuos sed ex vi *d. cap. licet*, pro nullis filijs potest pater eligere sepulturam, vbi non est similis consuetudo. Sed si intendit secundum, contradicit d. decretali *licet*, & rationi, tum generali, quia legitima consuetudo est vera lex obligans ad sui obseruantiam; tum speciali, quia consuetudini vt Pater etiam pro filio mortuo eligat sepulturam assistit nedum ius positiuum, sed naturale, & diuinum vt probatum est, vnde talis consuetudo nec irrationabilis est, nec potest haberi pro abusu. Nec obstat quod adducitur ex Sacr. Congregat. quoniam hæc regula semper est aduertenda, quod ex decisionibus Sacr. Congreg. datis in casibus particularibus non potest sumi regula generalis, quia pendent vt plurimum ex circumstantijs particularibus, ideo etiam necesse est, vt qui se fundant in illis videant, & referant suplices libellos ad quorum instantiam decisiones emanant. In proposito vero nostro demonstrandum esset, quod Sacr. Congreg. decreuerit quod etiam vbi viget legitima consuetudo vt Pater eligat sepulturam pro filio mortuo, id facere Patri non liceat, cæterum eadem Sacr. Congreg. vt patet ex decreto eius supra num. 272. absolute, & sine distinctione tribuit parenti-

renti-

rentibus facultatem eligendi sepulturam pro filijs impuberibus. Et ita quod, si non obstaret *d.capit. licet*, quantum sit ex vi dictæ declarat. dicendum esset, hoc licere parentibus independenter à quacumque consuetudine; & ponderandum est, quod idē decretum approbat consuetudinem, illique assistit. Ideo *Nicolius qui tom.1.lib.4.tit.15. num.21.* asseruit Patrem pro filio iam mortuo non posse eligere sepulturam, & adducit ibi aliquas declarationes Sac. Congr. sed statim limitat. Nisi contrariū habeatur de consuetudine. Nec ratio allata valet. Tum quia pater non eligit sepulturam filio nomine, & vice filij, sed ex propria facultate, & vi paterni officij, ad quod spectat cura sepeliendi defunctos filios. Tū quia etiam si hoc pater ageret nomine filij, ex quo ipse sepulturam sibi eligere non potest, censendum est voluntatem filij in voluntate patris contineri, & durare. Et ideo quod pater etiam pro filio impubere iam defuncto possit eligere sepulturam ex *Navar.consf.1.de sepult.num.4.* tenet *Pasqual. decis.398.* & pro hac sententia sunt illi, qui sine distinctione absolute dixerunt quod Pater filijs impuberibus eligit sepulturam vt *Syluest.num.7.Tabien. nu.6.Armill. verb. sepultura Lezana v. sepultura numer.4. & ad Mari magnum Prad.num.83.*

278 Sed nunquid hæc facultas concessa Patri extenditur ad matrem vbi vel Pater sit defunctus, vel sit absens? pro negatiua sententia referuntur *Petrus de Vbald. de canon. Episc. cap.11. num.4. Medices q.8.de sepult.num.23.Io.Asinius in l.familiaria sepulchra ff.de relig.& sumpt.fun.num.50.Bursat.cons.226. nu.118. vol.3. Genuen.in praxi Archiep.cap.16.nu.4. Ricciul in praxi rerum quotidian. decr.666.* quos sequitur *Bellet.tit.de Cler.debit.§.3.num.18. Moron.resol.51.num.43.* Hoc tamen limitat Medices nisi esset consuetudo in contrarium; vel nisi filius esset spurius in potestate matris cōstitutus. Huius vero sententiæ fundamentum debile est, & inane. Fundatur enim in eo, quod consuetudo quod Pater eligat sepulturam pro filio est contra ius, quod disponit vnumquemque sepeliri debere vel in sepulchro maiorum, vel in Parochiali *cap.1. de sepult.* at vero consuetudo cui ius resistit non potest extendi ad matrem, maxime in præiudicium illius Ecclesiæ in qua aliàs filius de iure sepeliri deberet. *l. si vero.§. de viro.ff.soluto matrimonio.* Nam primo quidem falsum est, quod ex vi *cap.1. de sepult.* aliquis sepeliendus sit in Parochiali Ecclesia, sed solum ibi decernitur quod sepeliatur quisque in sepulchro maiorum, vel in sepultura à se electa, cuius eligēdi amplā facultatē & liberā tradit Leo Tertius, cuius est illa decretalis. Cum vero res sic se habeat tam de iure naturali, & diuino, quam de iure scripto, vt filij pro tempore in quo non habent electionem & libertatem ad se dirigendum, subsint curæ paternæ, & Parentum sit pro illis, & iudicare, & consulere, & decernere, & eligere, tantum abest quod sit contra decretalem illam quod parentes eligant sepulturam pro filijs, quod hoc illis conueniat ex vi illius decretalis, quæ concedens electionem sepulturæ absolute illam quoque concedit filijs, qui quidem huc beneficio gaudere possunt media prouidentia parentum. Falsum igitur est, quod consuetudo vt parentes pro filijs eligant sepulturam sit contra ius, sed immo, vt supra adnotatum est, illi assistit omne ius tam humanum, quam naturale, & diuinum, per quæ parentes habent nedum facultatem sed necessitatem sepeliendi mortuos suos.

279 Et valde errant DD. qui putant hanc facultatem concedi à iure positiuo, quam parentes habent à iure naturali, & diuino licet sub indeterminatione quadam, ac proinde sub determinatione iuris positiui, cuius non est in hac parte ampliare facultatem, sed solum eam dirigere, moderari, & limitare. Nullibi vero ius positiuum limitat hanc facultatem ad patres, vt à matribus distinguuntur, nec obstat, quod Bonif. VIII. *in c.licet de sepult.in 6.* vtatur nomine Patrum; quia in ijs, quæ spectant ad communem curam filiorum, sub nomine Patrum veniunt matres, vt idem sit pater, quod parens. Et sic non solum ex identitate rationis, sed ex nominis significatione & extensione, mater comprehenditur sub lege *d.cap.licet*, tanquam gerens locum patris ex iure naturali, & scripto in cura filiorum vbi pater sit absens. Et neque vim habet hæc ratio ex eo præcise quod consuetudo cui ius assistit extendatur ex similitudine rationis, quia hic nō datur extēsio præcise ex vi consuetudinis, sed ex vi legis disponentis hanc facultatem conuenire parentibus. Hæc vero consuetudo non est dicenda esse exorbitans à iure (quamuis & consuetudinem exorbitantem à iure extendi ex similitudine rationis dixerint. *Villagut. de extens.leg.rubr.de extens.leg. exorb.Farin. in Fragmen.v.extensio num.123.Sperell.dec 89. nu.5. Ossasch. decis.120. num.4. & 12. Roland.cons.82.num.49. l.1. Menoch.de adipiscend.remed.4. num.34.* quos refert, & sequitur *Pasqual.decis.393.num.7.*) Neque solum dici debet declaratiua iuris, quia nimirum declarat, quod lex concedens facultatem eligendi est generalis, & extenditur etiam ad filios impuberes, vt & illorum nomine parentes sepulturam eligant vt explicat *Pasqual num.4.* Sed magis proprie est lex non scripta iuris naturalis determinatiua, per quā decernitur ex naturalis legis æquitate conuenire parentibus prouidere suis filijs de loco sepulturæ. Vnde vbi sit consuetudo, quod patres eligant filijs impuberibus sepulturam, ibi in patrum absentia idem possunt facere matres, vt tradiderunt *Domin. in d.cap.licet num.4. Francus num.3. Syluest.v.sepult. num.7. Tabien.num.6. Armill. Angelus num.8. Armilla num.8 Sà nu.11. Molina disp.114. Layman l.3. trac.5. cap.9.num.5. Lanor.d.cap.11.num.119. Lezana ad Mare magnum Pradit.num.85. Pasqual.dec.393. num.3. Barbosa de Iure Eccl.lib.2.cap.10.num.28.* & est de mente Sacr. Congreg. Episc. & Regul. in decreto relato supra n.272. quod etiam sub eisdē verbis referunt *Barbosa d.num.28. & Lezana d. num.85.* in quo Sac. Congreg. non vtitur verbo *patris*, sed verbo *parentum*, sub quo euidens est comprehendi etiam matres. Et vt tanquam expresse decisum in Auellinen. 15. Decemb. 1603. refert *Nicolius tom.1. lib.4. tit.15 num.21.*

280 Hinc sequitur quod quidquid dixerint *Asinius, Bursat, & Bellet. sup. citat. Syluest. v. sepultura num.7. Medices.q.8.num.22. & 26. Diana p.5. tr.3. resol.109. Moron. resol.51. num.46.* huiusmodi electio spectat ad auum, vel quemcumque alium consanguineum, qui succedunt patri in cura filiorum. *Gloss. in d.cap.licet verb. vel in Parochiali, vbi Franc. num.3. Gratian. discep.94. num.80. Pasqual. dec.394.* nec in substantia dissentiunt *Diana p.5. tract.3. resol.108.§.notandum, & Barbosa in v. sepultura nu.6.*

vbi

vbi sic negant hoc licere auis aut consanguineis, quod tamen admittunt extante consuetudine. Nam & in hoc solo casu est controuersia, cum ex vi *d. cap. licet, nec patrib.* hæc facultas competat, nisi vbi est consuetudo. Videtur autem mihi valde considerandum quod lex positiua dans facultatem eligendi sepulturam non tam concedit, quam limitat, & neget, & coarctet. Quod certe habetur ex Leone III. in *cap. 1. de sepult.* ibi. *Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam, vel alienam?* Quod optime dictum fuit; nam facultas eligendi sepulturam de iure naturæ competit cuicumque est sui iuris vt eligere possit, vel cuicumque habet curam aliorum non valentium ex se eligere, vt ex superioribus constat. Quod tamen sic est de iure naturæ quod quantum ad determinationem est iuris positiui, Ideo impuberes, qui excessere infantiam & habent libertatem sufficientem ad meritum, vel demeritum non possint eligere sepulturam non est quia ius hoc illis non concesserit, sed quia id eis negauit, in hoc determinans ius naturæ. Et huiusmodi ius est de illis ad quorum determinationem lex positiua extenditur, sicut est ius vtendi quolibet cibo, & manducandi quolibet tempore, quod per legem ieiunij determinatur, & ius contrahendi vt emendi, donandi, & disponendi de rebus temporalibus; quod ius positiuum determinat, vt non possit fieri à pupillo nisi sub certis modis & formis, & ius vtendi rebus temporalibus quibuscumque competens cuilibet ex ea auctoris naturæ concessione, quam habemus Gen. 1. dum Deus dixit. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri Cæli, & vniuersis, quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum.* At vero hoc ius determinatum fuit, & limitatum per ius positiuum per quod rerum diuisio in particulari introducta fuit, vt bene probat *Bannes supra q. 62. q. sua 3. concl. 4.* & est aperta sententia *D. Thom. sup q. 66. a. 2. ad primum.* Hac enim diuisione stante, non licet alicui vti re aliena. Itaque sicut facultatem vtendi rebus non habeat homo ex iure positiuo, sed naturali sed ex iure positiuo habet huius limitationem, & negationem facultatis vtendi re aliena, quæ determinatione iuris positiui stante iam inerat ius etiam naturale prohibens in singulari vti hac, vel illa re, quæ prohibitio non esset, si non esset rerum diuisio, quæ ex iure positiuo est introducta.

281 Ita quilibet habet ius prouidendi sibi de sepultura post mortem, quod ius tamen stat sub directione, & dispositione positiui iuris, Et sic facultatem hanc non habent homines à iure positiuo, sed ab eo habent illius determinationem tam quantum ad personas, vt hæc facultas non competat impuberibus, vel infantibus, circa quos tamen habent illam qui eorum curam habent. Quam quantum ad loca, vt iam non liceat eligere nisi in loco sacro, vel (vt est in proposito) secundum terræ consuetudinem. Et ideo optime Leo Papa non dicit, se concedere. quia non est necessaria nona iuris positiui concessio, vbi est concessio legis naturalis, sed dicit, se non negare; quia ex quo dixit mortuos sepeliendos esse in sepulchro maio-

tum potuisset videri, quod electionem sepulturæ negasset. Et Alex. III. in *cap. cum liberum, de sepult.* vt patet ex Epis. ad Decanum & Magistrum R. Rauen. ex qua dictum *cap. est desumptum*, supponit libertatem hanc competere ex institutionibus sanctorum Patrum. Leo quoque tertius in *capit. de vxore. §. vtrum autem*, supponit quæstionem hanc à sanctis Patribus non diffinitam an possint patres quo voluerint filios minores sepelire. Igitur ex his deducitur quod lex Bonifacij VIII. in *cap. licet, de sepult. in 6.* non est lex concedens, sed potius prohibens, & negans, ideo accipienda non vt fauorabilis sed potius vt odiosa, & restringens paternam curam, & prouidentiam. Ideo intelligenda est iuxta regulas datas pro interpretatione legis prohibentis; Et dici debet quod quatenus concedit nō indiget extendi ad auos, & alios quia huiusmodi concessio est ex iure naturæ ad illos extensa nisi superueniat prohibitio legis positiuæ, si vero consideratur vt prohibeat sic non debet extendi ad auos, & proauos &c. vt sit limitatio eius quod ius naturæ concedit auis & ascendentibus in defectu parētum, & eos excludat à cura nepotum, sed vt lex determinatiua prouidentiæ paternæ, ita scilicet vt huiusmodi aui, & consanguinei non possint pro sibi commissis impuberibus eligere sepulturam nisi vbi sit consuetudo quod patres illam eligant.

282 Idem propterea dicendum est de tutore; quidquid in contrarium dicant *D D. sup. n. 280.* sic quia tutores patribus succedunt, prouidere vero pupillo de sepultura est quid spectans ad curam paternam, & ideo per se tutori competit pupillum suum sepelire. Et hoc à fortiori sentit Francus qui hanc electionem tribuit etiam amicis, idemque expresse docet *Pasqual. dec. 395.* Nec obstat quod tutella finiatur in morte pupilli. Tum quia hoc probaret solum, quod tutor non possit sepulturam eligere mortuo pupillo. Tum secundo quia tutor negotia incœpta potest perficere secundum, *Bart. in l. ita autem. §. fin. ff. de administ. tut. Bald. in l. tutori ver. eppor. C. de neg. gest. & in l. 1. C. vt causa post &c.* vnde finita tutela nō debet tutor deserere litem inchoatam *l. 1. init. C. de admixis. tut.* Electio autem sepulturæ pertinet ad negotia iam cœpta nempe ad curam personalem, quam tutor de pupillo habere debet. Et hoc confirmatur ex prædictis, quia nulla lex est quæ hoc prohibeat; igitur non est illi hoc illicitum magis, quam sit illicitū nobili vestire se de serico, vbi nulla lex id prohibet, vel comedere carnes, vel bibere vinum. Et si dicatur quod hoc solum est permissum patri, quia lex solum nominat patrem, dicitur quod si valet argumentatio probat, quod nullo modo sit id prohibitū tutori quia lex id prohibens nominat solum patrem. Respondetur igitur quod, vt dicebatur lex *d. cap. licet*, & aliæ similes in hac materia electionis sepulturæ, vt sunt concedentes facultatem eligendi mere & pure sunt cōmunes, immo communissimæ omnibus curam habentibus impuberum; quia non continent nisi legem naturalem omnibus illis communem: solum habent aliquid proprium quatenus legem naturalem explicant, & tollunt omne dubium respectu huius generis personarum, quod non faciunt respectu aliorum generum, & ideo inutiles non sunt; quamuis & satis vtilitatis esset concessionem naturalis legis per publicam auctoritatem approbare, &

confirmare dando cõcessioni etiam robur legis positiuæ.

283 Et qui tenent huiusmodi leges inquantũ sunt concedentes libertatem electionis sepulturæ pro impuberibus ijs, qui curam illorum habent; sint priuilegia, vel gratiæ, vel iura necessaria ad habendam similem facultatem, vel ea vtendum, iam præsupponunt vel quod talis facultas eis non competat nisi ex positiuo iure concedatur, vel quod iam fuerit eis per aliquam legem prohibitum; horum vero vtrumque est falsum. Primum quidem quia cum negari non possit, vt iam est probatum quod nedum pater potest; sed iure naturæ tenetur prouidere de sepultura talibus filijs; simul; suæ libertatis est illum sepelire vbicumque non fuerit sibi aliunde prohibitum. Eadem verò est ratio de omni eo, qui tenet locum patris; in patris absentia: Non ergo facultas sepeliendi suos filios impuberes competit patribus, & ijs qui locum Patrum tenent ex positiuo iure. Sed quod ea facultate vti sit illis ex positiuo iure prohibitum ostendi debet ab affirmante. Nullibi enim habetur lex, quæ prohibeat vnum pro alio eligere sepulturam; cui esset necessarium vt posteriores leges derogarent, quæ concedunt Patribus facultatem sepeliẽdi suos filios impuberes vbi voluerint, vnde huiusmodi leges vt sunt concedentes facultatem sepeliendi continent ius naturale commune tam patribus, quam patrum locum tenentibus quod pro patribus capiteant, & declarant, & approbant, & loquuntur de patribus tanquam de ijs quibus primario cura sepeliendi filios conuenit, & qui de facto vt plurimum sunt qui huiusmodi curam exercent; relinquentes ex hoc nobis declaratum quid lex naturalis petat, quando desunt patres, & adsunt patrum locum tenentes: Sed quia huiusmodi leges, potius sunt prohibentes, quam concedentes, pro quantò remittunt consuetudini determinationem loci, & ita quod in dubio ex qua parte sit consuetudo volunt quod filijs vel in sepulchro maiorum, vel in parochia sepeliantur, si sub nomine patrum, non veniunt, qui tenent locum patrum, magis sequitur, quod tutores possint pupillos absolute sepelire quocumque voluerint, quia ex quo huiusmodi leges vt prohibentes vtuntur nomine patris intelligi debent de patribus tantum, & non de locum tenentibus patrum, igitur istis locum tenentibus nihil est prohibitum de hoc, sed illi quo voluerint pupillos possunt sepelire, quod nec asseritur à nobis, nec est asserendum, non enim tutores in hoc maiorem habent libertatem quàm patres. In his ergo legibus sub nomine patrum veniunt omnes qui in officio patris patribus succedunt, vt isti omnes secundum terræ consuetudinem possint quo voluerint filios sepelire, & in his legibus non tollitur prouidentia paterna, sed dirigitur & limitatur.

284 Et considerandum quod hoc est verum nedum vbi v.g. sit specialis consuetudo quod tutores pupillos sepeliant, quia in hoc casu non potest haberi difficultas, cum negotium hoc determinandum relictum sit consuetudini, *cap. de vxore de sepult.* Et eo magis, quod cum non sit lex, quæ expresse prohibeat hoc huiusmodi tutoribus, vbi etiã hæc prohibitio per aliquod argumentum deduci videretur ea aliqua lege; consuetudo esset optima legis interpres. Sed hoc est verum etiam si solum constet de consuetudine Patrum nimirum si terræ consuetudo sit, quod patres filios impuberes sepeliant, quo voluerint. Quia hæc facultas competit tutoribus ratione officij paterni in quo succedunt, & ideo id possunt, quod possent patres si viuerent, & non patribus vt talibus personis, sed ratione paterni officij concessa est, vt vbi adest consuetudo filios impuberes sepeliant, quo voluerint, & ideo in hoc patri succedunt tutores, qui in loco patrum succedunt; cum tutoribus assistat ius naturale dans illis hanc facultatem nisi ab illis auferatur, nec inueniatur ablata, aut restricta aliunde nisi pro quanto patribus est restricta; vnde non plus se extendit restrictio respectu tutorum, quam patrum.

285 Hinc etiam soluitur alia quæstio quam tangit *Franc. ad d. cap. licet num. 3.* vbi ponit discrimen inter patres & huiusmodi tutores, quod in illis sufficit consuetudo decennalis; sed in istis requiritur quadragenaria, quia in istis ius resistit cõsuetudini. Sed debuisset probare hanc resistentiam, quæ nullibi est. Nec facultas sepeliendi suos est limitata tutoribus nisi quia est limitata patribus, vnde ius non magis illis; quam istis resistit. Et vbi dicatur quod ius concessit patribus, non vero concessit tutoribus; & infertur ergo est contra ius, quod tutores sepeliant pupillos quo voluerint. Respondetur quod in ijs quæ concedit ius naturæ non valet consequentia hoc est concessum vni; ergo est negatum alijs, cum omnibus natura concedat, & vbi lex positiua ius naturæ indeterminatum determinat; consequentia procedit opposito modo, licet non est limitatum, ergo quantum sit ex vi legis positiuæ non est negatum.

286 An autem quod dictum est de tutore verificetur etiam de amico, affirmant *Gloss. ad cap. licet verb. vel in parochiali de sepultur. in 6. Franc. ibi. num. 3. Grat. discep. 94. n. 80. Diana p. 5. tr. 3. resol. 109. fin.* si adsit consuetudo. Sed negant *DD. citat. sup. num. 280.* quos sequitur *Pasqual. dec. 396.* quia pro amico pubere non potest alter amicus eligere sepulturam; quia facultas sepulturam eligendi est personalis, & spectat ad vnumquemque vt sibi eligat sepulturam nec alteri licet se intromittere nisi ex mandato illius, pro quo sepultura eligi debet. Vbi vero pubes sine electione sepulturæ sit mortuus, nona electio locum non habet, sed defunctus in sepultura a lege electa sepeliri debet. Impubes vero non est capax amicitiæ solidæ & firmæ, quæ in illa ætate non habet imbecillitatem consilij. Sed hæc ratio nõ multum probat, quia ius quod competere possit amico erga alium amicum non fundatur in perfectione amicitiæ, sed in amicitia, quæ bene potest esse inter pubetem & impuberem, vel etiam inter impuberes. Alia igitur ratio viget, quæ est communis, & qua vtitur etiam *Pasqual. ibi.* quia si impubes habet tutorem sicut semper habet vel testamentarium, vel legalem aut à iudice datum, non est amici se ingerere in iure alieno, & officium tutoris aut patris assumere. Sed si etiam impubes tutorem non haberet, nullum ius amico competeret, quia ex charitate incumbit amico amici cura non ex officio. Sic enim amicus est alter ego secundum affectum amoris, sed non secundum iuris repræsentationem, & iustitiam.

287 An vero saltem ex consuetudine posset introduci vt amicus eligat sepulturam pro amico, negat

gat *Pasqual.num.7.* quia amicitia non potest esse talis, quæ sibi vindicet tale ius, contra ius patrum, & tutorum. Sed licet possit impubes esse vbi de facto nullus sit eius tutor, quia hoc rarius contingere potest, & non nisi in diuersis ac diuersis locis, non est sufficiens ad hoc, vt fundetur consuetudo præscripta legitime in aliquo determinato loco. Et alias moraliter impossibile est, vt per consuetudinem ius tutoris transferatur ad amicum. Ideo non est dabilis casus in quo amico liceat pro amico sepulturam eligere.

288 Dominus autem potest pro seruo impubere eligere sepulturam, quia seruus sub iure domini est *Petr. de Vbald.de canon.Epis.cap.31. Medices q.8. de sepult. Syluest. v. sepult. q.7. Tabien.num.6. Belles. d.5.3.num.17.Barbosa ad cap.1.num.6. de sepult. Asinius ad l.familiaris sepulchra.ff.de relig.& sumpt.fun. num.52.Lauor.d.c.11.num.146. Pasqualig. decis.397. vbi nu.3.* Alias tamen seruus pubes in his spiritualibus potest sibi eligere sepulturam. Sed licet, hoc verum sit tamen *Lauor.vbi sup.*bene aduertit, quod vbi seruus pubes mortuus fuerit sepultura non electa, eam potest eligere dominus, quia hoc non inuenitur alicubi ei prohibitum sed & *Pasqual.hac ratione motus num.2.*vult quod Dominus independenter à quacumque consuetudine possit seruo impuberi eligere sepulturam, quia hoc quidem constitutum est de Patre respectu filij vt pro eo non eligat sepulturam nisi vbi est consuetudo, non vero est statutum de domino, & non valet arguere in prohibitionibus de persona ad personam, & de vnius officij iure ad aliud.

289 Illegitimorum vero filiorum an sit eadem in hoc ratio ac legitimorum controuertitur. Nam Patrem, aut Matrem non posse pro impuberibus filijs illegitimis eligere sepulturam dixerunt *Syluest. v.sepult.num.7.Tabien. num.6. Io. Asinius vbi supra num.46.*ex eo quia in iure sub nomine filiorum non veniant illegitimi. *l.generaliter. C.de inst.& subst.& Clem.1.de bapt.* sed licet hoc verum sit quoad commoda, & honores, vt dicit *Gloss.in d. Clem.in v.liberi in fine*, quoad cætera tamen, & quoad curam paternam, & maxime quantum ad necessaria personalia,vt quantum ad alimenta, ideoque & quantum ad sepulturam, veniunt sub nomine filiorum. Et similiter quia cura paterna ad illos se extendit, pariter se extendit potestas prouidendi illis de sepultura. *Lauor. d.cap.11. num.129.Pasqual. dec.398.* Datur tamen distinctio inter filios naturales & spurios. Nam pro spurijs eligere sepulturam spectat ad matrem, cum sint in eius potestate. *Medices q.8.n.4. Lauor.cap.11. num.129.* Quamuis si spurius esset Legitimatus ad patrem hæc electio spectaret. *Medices ibid.* Sed pro quo quotiescumque filius sit in potestate patris, quod eius sit eligere pro eo sepulturam. Si vero filius sit vulgo quæsitus, & eius pater sit incertus. Tunc filius sequitur conditionem matris, quia Pater est incertus. Et cum de istis filijs, naturalibus & spurijs quamplurima statuta sint ex lege Canonica & Ciuili prout videre est præcipue apud *Syluestrum in v.Filius, & in v.Illegitimus*, spectato iure naturali ex quo Pater & Mater tenentur habere curam horum filiorum, si sunt in illorum potestate, eorum quoque erit pro ipsis impuberibus sepulturam eligere. Pater enim & Mater tenentur ad alimenta filiorum. *cap. cum haberet, de eo,*

qui duxit &c. Multo magis ergo tenentur ad dirigendos illos in Deum dum viuunt, & ad eos mortuos sepeliendos; ex quo habent ius electionis sepulturæ pro illis dum sunt impuberes.

290 Adoptiui quoque filij inquantum sint impuberes sub cura eius, qui illos adoptauit, viuunt, & is potest illis eligere sepulturam *Syluest.v.sepultura num.7. Asinius ad d. l.familiaria num.46. Pasqual. dec.398.num.4.& ex l.1.ff.de adop.& Pet. de Vbal.de Can.Epis.cap.11.num.14.Lauor.d.cap.11.n.124.*

291 Frater autem pro fratre, etiam si maior pro minori sepulturam non eligit, nisi sit eius curator.*Lauor.d.cap.11.num.152.Diana p.5.tr.3.res.108.* Ratio huius est, quia impuberes habent tutores suos, ad quos sepulturæ prouidentia spectat, & si puberes sunt eorum est sepulturam sibi eligere.

292 Filius vero potest ne pro patre furioso, aut matre sepulturam eligere? negant *Medices quest.8. num.25.& Lauor.d.cap.11. num.152.* citans *Asinium ad d.l.familiaria*. Ratio huius & similium assertionum est, quod lex facultatem eligendi sepulturam concedit patribus non vero filijs. Et potest hæc ratio iam ventilata & vires non habere probata, sub noua forma adduci,ex qua maiores vires reassumere videatur, sic dicendo:lex vniuersaliter pro omnibus elegit sepulturam maiorum, *cap.1. de sepultur.* & eius defectu sepulturam in Parochiali, vnde est, quod illi qui non elegerunt sepulturam necessario sepeliendi sunt vel in sepultura maiorum vel in Parochiali, *cap.is qui, & cap licet,de sepult.in 6.* facultas vero eligendi sepulturam pro se ipsis puberibus concessa est generaliter in *cap.1. & capit.cum liberum, de sepulturis*, sed facultas eligendi pro alijs non est concessa nisi patribus in *cap. licet,de sepult. in 6.* ergo nulli alteri à patribus licet eligere sepulturam, quia quod non est concessum censendum est esse vetitum. Hæc tota ratio est, quæ pluribus DD. est vnica regula ad decernendum,an quis possit sibi eligere sepulturam. Sed ex dictis infirmitas huius consequentiæ constat. Et quidem primo, si hæc consequentia subsisteret,nullus omnino alius à patre posset pro alio eligere sepulturam, quia in iure non legitur hoc alteri fuisse concessum, cum tamen sententia communis affirmet Dominum pro seruo impubere posse eligere sepulturam; non valet igitur hæc consequentia non est concessa facultas eligendi sepulturam pro alio, ergo est negata. Sed examinemus argumentum. Illius antecedens est istud. Qui decedit non electa sepultura sepeliri debet in sepultura electa à lege, quæ est sepultura maiorum, vel parochiæ. Sed hoc antecedens non debet intelligi de sola sepultura electa à mortuo ante illius mortem, quia certum est sufficere aliquando sepulturam electam ab alio, quia in impuberibus sufficit sepultura electa ab alio, nimirum à patre;illa igitur propositio debet intelligi de sepultura electa vel à se ipso vel ab alio; vt sit sensus, quod qui decedit non electa sepultura vel per se vel per alium sepeliendus sit in sepultura electa à lege. Secunda pars antecedentis erat quod facultas eligendi sepulturam pro se est concessa omnibus electionis capacibus, sed facultas eligendi pro alio est concessa solis patribus. Sed in hac propositione punitur concessum vbi ponendum est non negatū. Nam in *cap. p. de sepult.* non negatur facultas, & supponitur concessa & competere absque eo quod lex

lex concedat, & quod sic supponitur concessum, non negatur. In *cap. etiam licet de sepult. in 6.* non conceditur hæc facultas, sed limitatur; & decernitur quod Pater non possit pro impubere eligere sepulturam nisi vbi sit eius faciendi consuetudo. Non igitur dici debet facultas eligendi pro alio nō est concessa nisi patri; sed dici debet facultas eligendi pro alio expresse non est limitata, & restricta nisi in patre. Quo stante tantum abest vt sequatur quod solus pater possit eligere pro alio; quod immo sequitur quod facultas eligendi pro alio, quæ est in alijs à patre non est restricta ad consuetudinem nisi pro quanto restrictio facta pro patre in illos redundet.

293 Hinc patet quòd non habet hic locum regula. Prohibitum; censetur, quod non iuuenitur esse permissum *l. Gallus, §. ille casus. C. de iure dat.* quia hæc regula valet in iis quæ prohibita sunt per legem, & propterea nisi permittantur prohibita censentur, hic vero non est lex prohibens eligere sepulturam pro alio. Sed hic habet locum regula contraria, scilicet, concessum censetur quidquid per legem prohibitum non reperitur. *l. vet nam. 58.* ibi sed si lex non prohibeat &c. *ff. ex quibus causis maiores, cap. omnes, & ibi Gloss. 3. dist. cap. 1. de translat. prælat. vbi Gloss. v. non inuenitur, cap. nuper 29. cap. eam illorum 32. de sent. excom. & DD.* plures quos refert *Barbosa axiom. 46. & 193. no. 7.* quia facultas eligendi pro alio sepulturam in iure naturæ est concessa, & solum non licet si per ius politicum sit prohibita. Ideo dicendum est quod filius vbi sit consuetudo pro patre, aut matre furiosis potest sepulturam eligere. Ita tamen quod altero eorum viuente & sano; illius sit hanc sepulturam eligere scilicet maritus pro vxore, & pro marito vxor; & vbi solus pater viuat sed furiosus, vel sola mater; id possint facere filij; qui parentum curam tenentur habere. Et idem dicendum est de fratre maiori respectu minori in casu quo minor sit alicubi sine tutore. Quia tamen in *cap. de vxore §. fin.* loquendo de patre ad quem maxime pertinet cura filiorum huiusmodi quæstio relicta est determinanda consuetudini terræ, bene colligitur mentem legis esse vt sic dicatur etiam de alijs, & quod in his standum sit consuetudini, quæ tamen non est inducendo contra ius, sed iuri conformis, & cui ius assistat.

294 An vero Princeps, vel vniuersitas possit eligere sepulturam pro suis ciuibus. Negant *Marius Antonius l. 1. var. resol. cap. 112. caso 59. Molfesius p. 1. trac. 13. c. 8. num. 33.* quos sequitur *Bonac. de contract. disp. 3. q. 2. p. 3. num. 9.* Et inde est quod Confratres alicuius Congregationis non possunt in suis Ecclesijs eligere sepulturam communem, & statuere, quod confratres non electa alibi sepultura in communi tumulentur ab eis parata. *Lauor. cap. 11. num. 106. Petrus de Vbald. de Canon. port. c. 11. Genuen. in praxi c. 61. num. 6. Malfes. vbi sup. num. 29. Bonac. d. numer. 9.* Fundantur vero quia vniuersitates non possunt statuere aliquid in præiudicium Parochiæ. Quæ ratio parum vrget, quia cum libera sit electio sepulturæ, nec Parochia habeat ius minimum vt eam impediat, si semel verum esset, quod electio sepulturæ non sit actio mere personalis, verum esset etiam quod vniuersitas possit pro suis eligere sepulturam. Ratio ergo est, quod electio sepulturæ est electio personalis respectu eorum, qui sunt sui iuris; singulis enim vt singulis libertas eligendi sepulturam conceditur. *cap. 1. de sepultur.* Nihilominus quia teste *Nitalio Lucubrat. p. 1. l. 4. tit. 5. num. 23.* Sacr. Congreg. Regular. in Senogalien. 13. Martij 1656. voluit Clericos si habeant sepulturam propriam a laicis distinctam in Cathedrali; vel matrice esse ibi non in sepultura maiorum sepeliendos, si non eligant sepulturam aliam. Et vtraque Sacr. Congreg. Regular. & Concilij vt patet supra num. 245. censuit Tertiarias non electa sepultura esse sepeliendas in Ecclesijs Regularium, si ibi habeant pro ipsis communem sepulturam videtur quod vbi adsunt huiusmodi sepulturæ communes seruandæ sint vel leges Ecclesiasticæ speciales, si sint, & velint vt huiusmodi sepulturæ censendæ sint vt propriæ, & veluti specialiter à defunctis electæ, quando expresse non elegerint aliam, vel etiam consuetudines terrarum, si sint tales, quod defuncti, non electa sepultura, in his communibus pro certo genere personarum constitutis tumulentur.

295 Tandem considerandum quod cum sepultura possit eligi per procuratorem, seu commissarium aut mandatariam vt tradunt *Lap. in cap. 1. de sepult. in 6. Aechar. consil. 254. Rom. in cap. is qui. §. mulier eom. 6. de sepult. in 6. & Franc. ibid. Ricc. in Praxi p. 1. ref. 564. num. 1.* certum est quòd mandante viuente valet electio sepulturæ facta à mandatario: Et simul certum est, quod vbi electio mandatarij indigeat ratificari per mandantem non potest hæc electio fieri post mortem mandantis, sed absolute dubium est an mandatarius post mortem mandantis valide sepulturā pro eo eligat affirmant *Spin. spec. testam. Gloss. 2. tit. de elect. sepul. num. 41. Gutierrez trac. iuram. confirm. par. 1. c. 4. Menoch. cons. 60. num. 6.* quos sequitur *Pasqual. dec. 99. num. 3.* Nam licet regulariter mandatum expiret morte mandantis, hoc non est verum respectu eorum quæ habent effectum post mortem, si ad ea ius mandantis se extendit, & per mortem durat. Modo ius mandantis se extendit ad sui cadaueris sepulturam, vnde & mandatum eius vsque ad eam perseuerat, & vim habet, vt eo mandatarius agat. Sed negant *Lapus, & Rom. citati, & Gennen. in praxi Archiep. cap. 61. n. 2. Nicol. tom. 1. tit. 15. num. 21. post Dianam p. 5. tr. 3. resol. 105.* Sed prior opinio validiori subsistit ratione. Post mortem enim mandantis vis mandati durat, aliter viuens non posset sibi eligere sepulturam sicut electio & mandatum de se sepeliendo non duraret, durante vero efficacia mandati manet facultas mandatarij ad sepulturam eligendam.

SVMMARIVM.

1 *Non electa sepultura. n. 296.*
2 *Matrum nomine veniant patres aout &c. nu. 297.*
3 *Imma matres, & quotcumque testator. n. 298.*
4 *In concursu sepulturæ hæreditaria, vel materna, ex vna parte & paternæ ex alia, filius in paterna sepeliri debet. n. 299.*
5 *In casu quod sint plura sepulchra in quarum vno nunc, in alia pater sit sepultus filius in sepultura patris sepeliri debet. n. 300.*
6 *Nisi pater per accidens in aliena sepulchro sit conditus. n. 301.*

Vel

7 *Vel niſi in ſepulchro erecto à patre nondum aliquis ſit ſepultus.* n.302.
8 *Vel niſi pater in alieno ſepulchro etiã ex Electione ſit ſepultus.* n.303.
9 *Vel niſi pater pro ſe ſolo conſtruxerit ſepulchrum.* num.304.
10 *Si ex maioribus duo, & duo ſepulti ſint, filius ſepelitur cum patre.* n.305.
11 *Si ex maioribus pater & auus in vno, vt plures in alio, vbi ſit ſepeliendus filius, varie opinatum fuit.* n.306.
13 *Cum patre ſepeliri debet.* n.307.
14 *Filius in patris ſepultura debet ſepeliri etiam ſi alij omnes maiores ſepulti ſint in alia.* n.308.
15 *In dubio ſepultura maiorum, filius ſepelitur in Parochia.* n.309.
16 *Idem eſt non elegiſſe, & reuocaſſe electionem ſepulturæ.* n.310.

Vbi ſepeliendus ſit, qui decedit non electa ſepultura.

INSPEG. IV. CAPIT. II.

296 EVm qui decedit non electa ſepultura debere ſepeliri in ſepulchro maiorum, vel in Parochiali decernitur in *cap. is, qui, & in cap. licet, de ſepult. in 6.* Et quia textus alternatiue loquitur ideo *Gloſſ. in d. cap. licet. v. vel in Parochiali*, videtur velle, quod detur electio, & quod poſſit eligi ſepultura ad libitum vel in ſepulchro maiorum, vel in Parochiali, per regulam in alternationis, *de reg. iuris in 6. Moron. reſol.* 51. *num.* 42. Sed oppoſitum, merito docent communiter DD. Nedum enim in *d. cap. is qui* dicitur quod potius ſit eligenda ſepultura in ſepulchro maiorum, & in capit. licet, primo ponitur ſepultura maiorum, & locum habet regula Iuris, vt ſeruandus ſit ordo ſcripturæ. *cap. ſi rector diſt.* 43. ſed *in cap. p. de ſepulturis*, Leo tertius abſolute nulla facta mentione de Parochiali decreuit, quod qui moritur non electa ſepultura ſepeliatur in ſepulchro maiorum; Vnde Parochialis non ſubintrat niſi per accidens in defectu ſepulchri maiorum in quo, ſi adſit ſepeliri debet, qui non electa ſepultura deceſſit. *Io: Andr.* in *d. cap. licet. & ibi Rom. & Franc. Sylueſ. v. ſepultura quaſt. 7. Tabien. num. 8. Medices q. 7. num.* 31. *Oldrad. conſ.* 25. *Lauor. tit. 2. cap.* 11. *num.* 111. *Barb. l. 2. de iure Eccl. cap.* 10. *num.* 31. & apud eum *Io: Garz. Tuſcus, Vgolin. Sperel. Parlad. Lex. in v. ſepult. num* 9. *Paſqualig. deciſ.* 401. *Rota apud Caſ. de Graſſis dec.* 163. *nu.* 10. Poſt quartam enim funeralem Eccleſia parochialis reſpectu ſepulturæ maiorum non eſt conſiderabilis. *Panorm. cap.* 1. *not.* 1. *num.* 1. *de ſepult. & habetur ex cap. Cum in Geneſi, de elect. ibi.* Condaſque in ſepulchro maiorum tuorum. Quod & tanquam deriſum à Sacr. Congreg. Reg. in Aſcul. 21. Octob. 1616. tenet *Nicolius p.* 1. *lib.* 4. *tit.* 15. *n.* 23. Vbi quod & hoc dicendũ ſit de ſeruo impubere, vt in ſepulturam quã Dominus pro ſimilibus habet ſepeliri debeat *Dian p.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 107. & *Bonac. de Contract. diſp.* 3. *q.* 21. *p.* 3. *n.* 7. Et dicta capita videãtur loqui alternatiue hoc eſt, quia non omnes habent ſepulturam maiorum ideo defuncti non electa ſepultura ſepeliendi ſunt vel in ſepultura maiorum, ſi illam habent, vel in Parochia. Nihilominus vbi vere ſit conſuetudo quod hæredes in hoc caſu habeant electionem liberam ſeruanda erit. In his enim plurimum valet conſuetudo. Quæ tamen eſt contra ius, & cui ius non aſſiſtit.

297 Maiorum autem nomine de iure Ciuili veniunt aſcendentes ſupra tritauum, vt in *l. Iuris conſultus § parentes. ff. de grad. & l. quinque, § parentes. ff. de in ius vocand. Oldrad. conſ.* 25. *Panorm. ad p. cap. de ſepult. Lauor. tit.* 2. *cap.* 11. *num.* 114. Verum vt idem *Oldrad.* aduertit, de iure Ciuili aliquando maiorum ſub verbo veniunt pater, auus proauus, vt *C. de cohortal. princ. carn. & prin. l ſi cohortalis. lib.* 12. *ibi.* Cui maiorum ſuorum, & *l. maiorum ff. de verborum ſignific.* Sed de iure Canonico, & præcipue in præſenti materia nomen maiorum verificatur in patre, auo, & alijs aſcendentibus, *cap.* 1. & *cap. Hebron.* 13. *q.* 2. *Oldrad conſ.* 25. *Syluest. v. ſepultura num.* 8. *Tabien num.* 8. *Barboſa ad cap.* 1. *num.* 3. *de ſepult. Crauet conſ.* 11. *nu.* 6. *vol.* 1. *Lauor. tit.* 2. *cap.* 11. *num.* 115. & ſatis aperte colligitur ex *cap.* 1. *de ſepulturis*, vbi Leo tertius ſtatuens eos qui decedunt non electa ſepultura debere ſepeliri in ſepulchro maiorum, huius reddit rationem, quia ſic Patriarcharum exitus docet, Iſaach igitur & Iacob & Ioſeph Patriarchæ ſepulti in ſepulchro Abraham Patris Iſaach, & aui Iacob, & proaui Ioſeph; fuerunt ſepulti in ſepulchro maiorum, dum in ſepulchro, patris, aui, & proaui fuerunt ſepulti. Sic in ſacris literis vt in libris Regum quamplures deſcribuntur ſepulti in ſepulchro patris ſui, vel patrum ſuorum, vnde ſine dubio ſepultura maiorum in propoſito eſt ſepultura patris, & aliorum aſcendentium. Ita communiter DD. infra citandi. Et in ſtatutis Cleri Romani. *cap.* 3. *§.* 5. dicitur, quod ſepulchrum maiorum ſit illud quod à Patre ſuo ſeu alijs per rectam lineam aſcendẽtibus maſculorũ conſtructum fuit, etiam ſi nondum quis in eo ſepultum fuit. Nomine enim maiorum intelligendos eſſe ſolum aſcendentes ex parte patris, ideoque filios non eſſe ſepeliendos in ſepultura matris niſi forte nulli eſſent agnati ex illa linea ex qua mater originem trahit, ex *Petr. de Vbald. & Anchar. apud Theſaurum q. foren l.* 1. *q.* 11. *num.* 4. & *Molphes.* 2. *p. tr.* 13. *c.* 8. *nu.* 27. tradidit *Bonac. de contr diſp.* 3. *q.* 21. *p.* 3. *num.* 6. cui conſentit *Nicol. p. p. lib.* 4. *tit.* 15. *n.* 23. Maiores enim dicuntur qui ſunt in linea maſculina. Tum quia in ſepulchro gentilitio agnati præferuntur cæteris.

298 Verum an ſoli maſculi veniant ſub nomine aſcendentium eſt diligentius examinandum, nõ enim poteſt negari, quin in multis caſibus etiam matres, quæ veniunt ſub nomine parentum, veniant etiam ſub nomine maiorum. Nam in caſu quod familia non habeat propriam ſepulturam, bene mater ex proprijs poteſt erigere ſepulturam pro ſe & tota familia à ſe deſcendentium filiorum, vel ſuorum hæredum. Talis enim ſepultura iam eſſent propria familiæ, & filij haberent ſepulturam ſibi propriam, & in ea eſſent ſepeliendi. Similiter ſi mater remaneat hæres vnica ſepulturæ familiæ ſuæ paternæ, quia ius maternæ hæreditatis tranſit ad filios ſi ſint hæredes matris; ad eoſdem etiam tran-

transit ius sepulturæ. Item cum hæc sit lex sepulchrorum quod in sepulchro familiari, ius sepeliendi habeant omnes de familia, etiam filij fœminarum etiam si sint alterius familiæ, vt latius probatur infra, & in sepulchro hæreditario, omnes qui sunt hæredes, *l. familiaria, & l. vel quod pater, ff. de relig. & sumpt. fun.* vbi DD. communiter. Iam sub nomine maiorum non veniunt soli ascendentes masculi, sed & matres, & nedum matres, sed exteri omnes tam masculi, quam fœminæ, qui sepulchrum familiare, vel hæreditarium condere possunt; Et sic proptie sepultura maiorum est sepultura, vel familiaris, vel hæreditaria. Nec Parochia habet ius, vt ioca sepeliantur, qui habent sepulturam familiarem, vel hæreditariam, & hi omnes habent sepulturam propriam, seu sepulturam maiorum, quam scilicet ex maioribus receperunt, vt nomine maiorum veniant, vel ascendentes, vel testatores masculi, vel fœmina. Verum quidem est quod nomine maiorum hic primo, & principaliter veniunt ascendentes masculi, quibus etiam filij succedunt ab intestato, & inter quos adest coniunctio illa sanguinis, & originis, quæ connaturaliter petit, vt descendentes cum ascendentibus simul sint in eodem domicilio, & io vita, & in morte. Sed tamen nomen maiorum etiam extenditur, vel ad matres, vel ad exteros quoscumque qui ius fundandi sepulchrum habentes, fundauerunt, vt transmittant ad successores. Hi enim maiores sunt. Quia principium, & causa maior est suo effectu, & ideo in proposito is dicitur maior, qui est principium, & origo transfundens ius sepulturæ in alios successores.

299 Sed dubium hic est multiplex, vbi nos sepeliendus sit filius, qui non electa sepultura decessit, quando sunt plures sepulturæ maiorum, in quarum aliqua pater, vel solus, vel cum auo, aut proauo, & in alijs alij ascendentes requiescunt. Sed claritatis gratia plures sunt distinguendi casus. Primus est quando concurrunt simul plura sepulchra diuersæ rationis, vt si concurrant simul sepulchrum familiare, & hæreditarium, vel plura familiaria quorum vnum sit à masculis ascendentibus, & aliud à matre. In casu igitur in quo quis habeat sepulchrum familiare ab ascendentium aliquo constructum, & simul habeat hæreditarium ex aliquo de aliena familia ad se transmissum. Liberum quidem illi erit sepeliri, vbi voluerit, sed si non eligat alterum ex dictis sepulchris in sepulchro familiari erit tumulandus; quia tale primo, & principaliter est sepulchrum maiorum suorum, & consanguinitas hic præualere debet, quæ est illa potissima ratio ex qua æqui fuit iudicatum quod qui sunt de familia in eodem sepulchro condantur; Vnde pee sepulchrum maiorum primo, & principaliter venit sepulchrum parentum. Nam vt dicitur *cap. Fraternitatem, de sepulturis* Patriarchæ cum patribus suis sepulti esse leguntur. Et quilibet censendus est potius voluisse sepeliri cum patribus, quam cum extraneis. In concursu igitur sepulturæ familiaris, & hæreditariæ, familiaris præferri debet. Quod si in sepultura hæreditaria aliquis patrum, etiam sepultus sit, iam casus mutatur, de quo dicendum est infra. In concursu vero sepulchri paterni, & materni, si contingat matrem fundasse sepulchrum pro familia, vt si mater sibi elegerit sepulturam, & pro se, & suis descendentibus, aut hæredibus eam de nouo erexerit, non est dubium, quod patrum sepultura præferri debet, & sepultura materna tunc deseruire poterit, si diruta patrum sepultura, illa remanserit.

300 Primus est quando, in quolibet ex maiorum sepulchris vnus solus sepultus fuit, quia in vno pater, in alio auus, in alio proauus sepultus iacet. In hoc ergo casu quod filius sit sepeliendus in Parochia, quia nulla datur sepultura maiorum in plurali, cum in singula earum solus vnus sepultus sit, apud *Barbosam* loco citando tenuit *Lelius Zobbius de Parocho cap. 28. num. 17. vers. fallit.* quod de iure esse verius dixit *Syluest. v. sepultura num. 8. Villalobos.* tamen, quem sequitur *Diana par. 5. tract. 3. resol. 108.* dicit de consuetudine sepeliendum esse in sepulchro patris *Nicolius vero p. p. l. 4. t. 15. n. 29.* hoc idem refert. Addit vero ex Bonac. quod priuilegium vt fideles sepeliantur in sepultura maiorum cum sit præiudiciale Parochiali est strictè interpretandum. Sed supponitur falsum, quod scilicet sepeliri in sepultura maiorum sit priuilegium, cum hoc sit tam de iure, quam quod sepultura haberi debeat in Parochia. Et in iure non inuenietur quod fideles sint sepeliendi in parochia nisi alibi non habeant sepulturam electam aut maiorum. Immo in *cap. 1. de sepult.* quod est antiquissimum est enim ex Leone III. desumptum nulla habita mentione Parochiæ simpliciter statuitur quod fideles sepeliantur in sepultura maiorum relicta facultate eligendi alibi sepulturam. Et ideo hæc opinio sine fundamēto solido procedit, & dici debet quod de iure filius debet sepeliri in sepulchro patris. Et si sepulchrum patris non esset sepulchrum maiorū, inanis esset lex ordinans filios in maiorum, seu Patrum sepulchro esse sepeliendos. Nam illius patris qui sepulchri originem duxit filij non essent in eo sepeliendi sed in Parochiali, quia illud non esset sepulchrum maiorum sed sepulchrum patris, & sic nec filij filiorum, & nepotum in eo essent sepeliendi, quia illud sepulchrum nunquam fuisset sepulchrum maiorum, sed sepulchrum patris; nisi per accidens aliquis ex filijs in eo elegisset sepeliri. Sepulchrum itaque erectum à patre, vel auo, vel ab aliquo ascendentium etiam si in eo vnus solus ex ascendentibus mortuus sit est sepulchrum maiorum in sensu Canonico. Cuius rationem reddit *Pasqualigus decis. 402.* quia sit sepulchrum familiæ, quæ originem licet habeat ab vno tamē per plures propagatur patres, & sic est etiam successiue sepultura & plurium, & maiorum originaliter. Sed addi potest, quod cum inter maiores numerandæ etiam quodammodo sint matres, quæ veniunt sub numero parentum, & ex consequenti maiorum, & ascendentium sepulchrum patris per se est sepulchrum maiorum, quia in eo quoque sepelienda est mater, nisi alibi suam elegerit sepulturam, tamen per se sepultura patris est etiam pro matre, & lex respicit quod est per se, & vt plurimum accidit; per se vero, & vt plurimum sepultura patris est sepultura vxoris, & de facto vt plurimum sepeliuntur matres in patrum seu maritorum suorum sepulturis, & vt plurimū quoque accidit quod de facto ante mortem filij in paterno sepulchro sint conditi pater & mater præmortui ipso filio, vnde casus suppositus est valde accidentarius, & rarus vt in sepulchris

plu-

plutibus sepulti sint solus pater in vno, in alio solus auus &c. etiam per exclusionem matrum,& ita quod de facto non sit plurium parentum sepulchrum. Sic ergo ostenso, quod sepulchrum à patre erectum sit, & dicatur sepulchrum maiorum,& parentum, dicitur quod in casu nostro filius sepeliri debet in sepulchro patris, quia pater filio est immediatior, & coniunctior, & magis affectus, & quia verisimiliter iudicandum est, quod filius interrogatus non in alio sepulchro condi petijsset. Et quia sepultura domicilio assimilatur, filius vero sequitur domicilium patris, *l.assumptio,ff.de municip.* Et tandem quia vt habetur ex *cap. fraternitatem de sepult.* Sepulchrum maiorum est sepulchrum patris. Et ita hanc partem tenent *Panormit. in cap.1. nu.5.* de sepulturis, reddens rationem, quia sic fecerunt Patriarchæ, quorum actio est nostra instructio. Et quia vlterius etiam sic de consuetudine seruatur secundum *Io: Andr.in Nouell.Barbos.de Parocho c.26. num.31.Lauor.tit.2.cap.11.num.113.*

302 Quod tamen DD. isti bene limitant, vt dictum non verificetur de sepulchro, quod per accidens & ex causa necessitatis alicuius est sepulchrum patris, qui alicubi sepultus fuit ex eo quod non potuit sepeliri in sepulchro patrum suorum, quia tunc illud sepulchrum esset sepulchrum patris per accidens, & præter intentionem, vnde filius in sepulchro aui esset sepeliendus quia illud esset sepulchrum maiorum mortuo magis proximum.

302 Secundo puto limitandum dictum, vt non verificetur de sepulchro patris a patre erecto, & constructo, sed tamen in quo pater non fuit conditus, sed fuit alibi in alieno sepulchro sepultus; quia tunc filius sepeliendus esset in sepulchro aui. In his enim non consideratur nudum sepulchrum, sed potius attenduntur ossa maiorum. Sic enim & Patriarchæ voluerunt sepeliri vbi patres eorum de facto erant sepulti. Nam affectio consanguineorum & coniunctio amoris, quæ manet in filijs in quorum memoria, & voluntate mortui viuunt petit coniunctionem corporum etiam in eodem monumento, ideo non in sepulchro solum deputato ad sepulturam familiæ sepeliendi sunt filij, si alibi sepulti sunt antiquiores patres & nullus maiorũ est ibi sepultus, sed in eo sunt tumulandi in quo maiores sunt sepulti, vel aliquis eorum proximior si sepulchrum fuit illius proprium. Quamuis enim vbi non sit sepultura aui, vel ascendentium, seu non sit alia sepultura familiaris in qua aliquis maiorum sepultum sit, si pater nouum sepulchrum condiderit, antequam in eo sepultum sit cadauer patris moriatur filius ille in sepulchro nouo condito à patre sit sepeliendus, quia illud sepulchrum est familiæ, & ad illud filius ius habet, & moraliter loquendo securus est, quod in eo sepelietur pater eius, & forsan mater, tamen vbi concurrant duo sepulchra familiæ vnum antiquius in quo de facto est sepultus auus, & aliud nouum constructum à patre, si filius pubes non elegerit sepulturam potius sepeliendus erit in sepulchro aui quod non tantum deputatione, sed effectu & quasi velut possessione est sepulchrum maiorum. Nisi forsan in nouo sepulchro sit sepulta mater, vel, frater, aut soror, quia in hoc casu sepulchrum a patre pro familia constructum etiam effectu & possessione est sepulchrum familiæ, & quidem immediatius, & proximius & quia fere impossibile est, quod in eo non sit etiam sepeliendus pater eius.

303 Ideo tertiò limitatur vt non verificetur si pater sit sepultus in sepulchro alieno etiam ex eius intentione, & electione. Alienum enim sepulchrum non est sepulchrum familiæ, & cum nec sit sepulchrum patris nisi per accidens, & permissiue, non vero sit sepulchrum a patre erectum, & ab eo vt proprium sibi & familiæ electum, non venit sub nomine sepulchri maiorum. Vnde tunc filij talis patris in sepulchro aui essent sepeliendi, quod esset proximius sepulchrum maiorum.

304 Limitatur quarto vt non verificetur de sepulchro quod pater elegit vt omnino sibi proprio, & vt in eo solus sepeliretur. Quia tunc cum intentio patris fuerit, vt nullus alius ibi sepeliretur, filij non essent in eo sepeliendi, quia hoc esset contra mentem patris, sed sepeliendi essent in sepulchro aui, quod tunc esset sepulchrum maiorum.

305 Secundus casus est, quando in vno sepulchro sunt conditi pater & auus, in alio vero quiescunt proauus,& alij ascendentes in numero æquali, vt quia duo & duo in eodem sepulchro conditi sunt. Et in hoc casu, rationibus dictis, & infra magis explicandis filius sepeliri deberet in eo sepulchro in quo quiescit pater; & hoc sentiunt communiter DD.

306 Tertius casus est, si cum patre auus aut alius ascendentium est sepultus, sed in alio sepulchro conditi sunt multo plures ex ascendentibus. Nam quod filij qui decedunt non electa sepultura sepeliri debeant in eo sepulchro in quo plures ex ascendentibus quiescunt, præcipue si hoc sepulchrum sit in Parochiali aliqui voluerunt *Pasqualig.* autem *decis.401.* proponens quæstionem hanc sub his terminis. Quodnam sit sepulchrum maiorum, in quo quilibet est sepeliendus, si non eligit sepulturam, respondet, sepulchrum maiorum illud esse in quo plures ex ascendẽtibus sunt sepulti docent *Gloss.in d.cap.is qui de sepult. in 6. Io: Andr. in cap.vt animarum eod.tit.& lib.Panorm.in cap. nos de sepult.Oldrad.cons.25. Syluest.in v. sepultura q.8.* Rodriq.q.58.a.8. *Barbosa ad d.cap.is qui num.6.Villalobas tract.31.diff.2.num.4.Lauor.tit.2.cap.1.num.113. & 114. Diana p.5.tr.3.resol.108.Rursus Barbosa de Parocho cap 26. num.18.* Sed certe huiusmodi DD. quæstionem in his terminis absolutam, & vniuersalem non tractant, sed in terminis casuum particularium, & si non ex omnium, saltem ex doctrina plurium ex ipsis ad quæstionem, sic absolute propositam oppositum dicendum est, scilicet quod sepultura maiorum in qua sepeliri debet qui decedit sepultura non electa non est semper illa in qua sepulti sunt plures ex ascendentibus, quia plures ex citatis DD. sentiunt quod in casu nostro filij sepeliendi sint vbi sepultus est pater, non vero vbi sunt sepulti plures ex ascendentibus. Itaque pro sententia affirmante quod in nostro casu filius sepeliendus sit vbi sunt conditi plures ex ascendentibus *Lauorius d.cap.11.num.114.* citat *Panorm.in cap. p.de sepult.num.5.& Rodriq.3. p.q.58 a.8.* Sed certe *Panorm.* tenet oppositum expresse. Verum enim est quod argumentatur contra *Oldradum cons.25.* oppositum sustinentem, sed postea circa finem *d.n.5,* absolute sentit quod filius sepeliri debeat in sepulchro paterno, & suis ipsis obiectionibus, & ponde-

dera-

derationibus respondet. Rodriquez autem vere ibi eam sententiam tenet, pro qua citat *Gloss. in cap. is qui; de sepul. in 6.* Quæ in alio casu longe diuerso loquitur, de quo dicemus infra; quando scilicet solus pater est sepultus in vno sepulchro, & plures alij accendentium in alio. Solus igitur Rodriquez, quem viderim hanc sententiam tenuit in his terminis.

307 Sed oppositum nimirum quod vbi pater & auus simul sunt sepulti, quod licet quamplures ex alijs ascendentibus sint sepulti in alio sepulchro filij sepeliri debeant in sepulchro paterno dixerunt *Oldrad. conf. 25. Panorm. vbi supra, Syluest. v. sepultura num. 8. Lauor. d. cap. 11. num. 114. Barbosa de Parocho cap. 26. num. 28.* & apud eum *Rodriquez se corrigens in addit. ad summam tom. 4 cap. 130. num. 12. & Villalobos, & Hieron. Rodriquez. Moron. resol. 51. numer. 56.* Sed omnibus longe melius quæstionem hanc tractat *Oldradus conf. 25.* qui & partis aduersæ argumenta refert, eisque satisfacit.

308 Quartus tandem casus est, si pater solus in sepultura à se electa sit sepultus, & reliqui superiores patres in alia. In hoc enim casu quod filius debeat sepeliri in sepultura superiorum non vero in sepultura patris voluerunt *Glossa in cap. is qui in vs ab antiquo, de sepult. in 6. Syluest. v. sepultura quæst. 8. Tabien. num. 8. Lauor. d. cap. 11. nu. 113. Barbosa ad d. cap. is qui num. 6. Rodriq. vbi supra. Diana p. 5. tract. 3. res. 108. Moron. res. 51. num. 55.* Sed oppositum tenent *Panorm. d. cap. 1. num. 5. de sepult. Sebast. Medices q. 7. de sepult. num. 22. ex Io. Andr. in d. cap. is qui Barbosa de Parocho cap. 26. num. 28.* & apud eum *Rodriquez vterque, item Petrus de Vbald. de canon. Epis. cap. 9. num. 7. Asinius l. familiaria. ff. de relig. & sumpt. fun.* quos sequitur *Pasqual. dec. 402. Layman. l. 3. tr. 5. capit. 12. num. 8.* Et hæc sententia vera est, eamque probant, quæ in supra posito Consilio habet Oldradus. Nec vrget in oppositum, quod sepulchrum patris non sit sepulchrum maiorum, quoniam hoc est falsum cum sit sepulchrum familiæ & maiorum nedum originatiue; sed quia est per se sepulchrum patris, & matris, quæ inter maiores numerari debet, cum numeretur inter parentes. Pariter non obstat quod Gloss. ponderet verbum illud; *ab antiquo*, positum in textu *d. cap. is qui*, quia vt bene aduertit Panorm. ponderatio illa fit ad excludendam Parochialem, nō autem respectu sepulchri paterni; non enim comparantur ibi sepulchra maiorum inter se in antiquitate, quasi in illo sepeliri debeant filij, quod sit antiquius; sed verbum ab antiquo respicit parochialem seu sepulturam de nouo & de præsenti habendam, & dicitur quod non in parochiali, sed in ea sepultura sepeliendus est qui decessit in qua ab antiquo idest antea patres sui & maiores sepulti fuerunt. Sic igitur sepultura paterna semper præferenda est; saluis limitationibus supra explicatis.

309 In dubio autem sepulturæ maiorum, eum qui moritur non electa sepultura debere sepeliri vbi audiuit diuina, & percepit sacramenta, & si in vna Ecclesia audiuit diuina, & in alia percepit sacramenta, in ista non illa si vero sint duæ Parochiæ dari locum præuentioni *cap. duobus de resc. in 6.* sed quartam diuidendam. *cap. eum quis de sepult. in 6.* dixit *Lauor. d. cap. 11. num. 114. in fine.* Sed huiusmodi Ecclesiarum diuisiones iam cessarunt, & standum est determ. *textus in cap. is qui & cap. licet de sepult. in 6.* vt scilicet vbi qui sepultura non electa decessit non habet sepulturam maiorum, vel est dubium negatiuum an illam habeat sepeliendus sit in Parochiali. Quod etiam colligitur ex *cap. ex parte, & cap. in nostra de sepult. Medic. q. 6. num. 1. & 2. de sepult. Bursat conf. 226. num. 119. Beller. tit. de Cler. debit. §. 3. num. 19. Barbosa de Parocho c. 26. num. 31.*

310 Tandem considerandum, quod idem est sepulturæ electionem reuocasse quod nunquam elegisse quantum ad præsentem inspectionem. Et ideo qui sepulturæ electionem reuocauit debet sepeliri vel in sepultura maiorum vel in Ecclesia Parochiali. *Syluest. v. sepultura q. 6. Bonac. de contract. disp. 3. q. 21. p. 3. num. 6.* & apud eum *Marius Amonin. Molphes. & Lauor.*

SVMMARIVM.

1 *Parochialis Ecclesia est in qua quis tenetur recipere sacramenta. num. 311.*
2 *Parochialis Ecclesia, est Ecclesia domicilij perpetui. num. 312.*
3 *Parochialis in casu necessitatis est illa in quaquis est, cum vrget necessitas sacramentorum. nu. 312.*
4 *Parochialis necessitatis non est Cathedralis, nisi alicubi de consuetudine, sed est Ecclesia habitationis. nu. 313. & 314.*
5 *Archipresbyter non est Ordinarius totius Diœcesis. num. 314.*
6 *Cathedralis non est Parochia communis toti Diœcesi. num. 314.*
7 *Parochialis necessitatis in materia sepultura est Parochialis habitationis actualis, nisi defunctus commode ad Parochiam perpetui domicilij deferri possit. nu. 315.*
8 *Quid dicendum vbi quis habeat duas Parochias. num. 316.*
9 *Habentium curam animarum Parochialis est illa ad quam sunt intitulati. nu. 317.*
10 *Cautela pro dicendis. nu. 318.*
11 *Papa sepelitur in Ecclesia S. Petri. nu. 319.*
12 *Si moritur extra Romam, vbi Collegium Cardinalium disposuerit.*
13 *Cardinales Romæ sepeliri debent in Ecclesia tituli sui si habeant, secus in Parochia. nu. 320.*
14 *Legati de Latere sepeliuntur, vel in Cathedrali, vel in Parochia. nu. 321.*
15 *Episcopus vel in Cathedrali sua, vel sepultura aduenarum sepelitur. n. 322.*
16 *Quid de Episcopo habente plures Ecclesias. numer. 323.*
17 *Quid de alijs Prælatis. nu. 324.*
18 *Quid de Canonico? nu. 325.*
19 *Quid de Canonico Parocho? nu. 326.*
20 *Quid de Canonico habente duas Præbendas? numer. 427.*
21 *Quid de Capellanis? nu. 328.*
22 *Quid de Parocho? nu. 329.*
23 *Quid de Vicario? nu. 330.*
24 *Quid de Commendatarijs. nu. 332.*
25 *Quid de Clericis? nu. 333.*
26 *Quid de Religiosis? nu. 334.*
27 *Quid de Confratribus? nu. 335.*
28 *Quid de Regibus. nu. 336.*
29 *Quid de alijs secularibus. n. 337.*

Quid

Quæ sit Parochialis Ecclesia in qua sepeliendi sunt, qui non habent sepulturam maiorum, nec eam elegerunt.

INSPECTIONIS QVARTÆ.

CAP. TERTIVM.

311 CVm ergo Parochialis *Ecclesia* sit Ecclesia in qua sepeliri debent, qui nec habent sepulturam maiorum, nec alicubi, sibi sepulturam elegerunt, considerandum est quæ Ecclesia censenda sit Parochialis. Non enim illa est, in cuius districtu aliquis moritur, vt habetur expresse *cap. is qui de sepult. in 6.* In hac ergo parte aliquæ regulæ attendi debent, ex quibus in casibus particularibus videri possit, quæ Ecclesia & iure & facto habenda sit vt Parochialis. Hæc ergo sit regula prima. Illa est Ecclesia Parochialis in qua ex debito administrantur sacramenta, cuius nimirum Rector tenetur alicui administrare sacramenta, & ille vicissim tenetur sacramenta ab eodem recipere Proprius enim cuiuscumque sacerdos ex *cap. omnis vtriusque sexus, de Pœnit. & remiss.* est ille à quo vnusquisque tenetur recipere sacramenta, vel non recipere ab alio, nisi de eiusdem licentia. Quod est dicere proprium sacerdotem illum esse, qui habet iurisdictionem ordinariam ratione officij cui est annexa cura animarum. *Vict. sum. de confes. n.145. Sotus 4.d.18.q.4.a.2.vers.* At vero huiusmodi *Ledesma 2.p.4.quæst.7.a.4.d.2.* quos sequitur *Sanchez l.3. de matrim.d.23.num.10.* Is enim est, qui & per se, & per alium cui dederit licentiam potest administrare sacramenta, & ex vi officij curæ animarum, quod gerit, tenetur ea administrare, sicut & vicissim subditi tenentur non recipere sacramenta nisi ab ipso, vel ab eo cui ipse dederit licentiam. Pariter ergo illa est *Ecclesia* Parochialis, quæ est Ecclesia proprij sacerdotis, in qua scilicet residet proprius sacerdos habens curam animarum vt in ea sibi subditis administret sacramenta, & in qua propterea Parochiano sacramenta debentur, & vicissim ille tenetur recipere. Hæc enim, quæ est Parochialis ad sacramenta, est etiam ad sepulturam, quia illa est simpliciter Parochialis. Vbi ergo iura volunt quod aliquis sepeliatur in Parochiali, nomine Parochialis illam intelligunt in qua & à cuius Rectore quis tenetur sacramenta recipere, & in qua vicissim eius Rector tenetur eidem sacramenta administrare. Propterea quod sepultura multum pendeat a sacramentorum administratione dixerunt. *Seraphin.dec.1135.Grat.discept.94.num.74.* Vnde ibi vnusquisque est sepeliendus, vbi sacramenta debet percipere, quia vtrumque est ius Parochiæ scilicet & sacramenta administrare, & mortuos sepelire. *cap. Ex parte, & cap. In nostra de sepult. Glossa cap. Vbicumque 13.q.2. Archid in cap. de sepult. in 6. vbi Dominicus §. statuentes, num.4. Syluest. v. sepultura q.8.d 2. Sanchez l.3. de Mat. disp.23.nu.17. vers. Nec obstat, Barbos. de Parocho. cap.26.num.34. Lezana v. sepultura num.3.*

312 Regula secunda sit quod Ecclesia in qua quis tenetur recipere sacramenta est Ecclesia proprij domicilij intra cuius fines scilicet vnusquisque habet domicilium. Sed considerandum est, quod Parochia alicuius duplex est, nimirum alia est propria illius simpliciter, alia est propria illius in casu necessitatis, in quo quis non potest in propria Parochia recipere sacramenta. Propria Parochia simpliciter est Parochia propriæ & permanentis habitationis, in qua scilicet quis habet domicilium permanens, & non per modum transeuntis, & viatoris. Sed Parochia necessitatis illa est in qua quis reperitur de facto, cum est necessitas suscipiendi sacramenta, vt cum quis infirmatur ad mortem. Distinctionem dat *Panormit.in cap.in nostra num.11. de sepult.* quem sequitur *Reuer. Fagnan. in c. significauit num.32. de Paroch.* si enim quis in tempore necessitatis accipiendi sacramenta commode non potest adire Ecclesiam, seu Parochum proprij domicilij, sacramenta recipere debet in loco in quo de facto habitat, vt dixit etiam *Nauarr.in cap. placuit de pœnit. d.6. num.92. & 101.* Est ergo certum illam esse alicuius Parochialem simpliciter intra cuius fines habet perpetuum seu permanens domicilium, non vero ad tempus, & ita quod licet aliquis a loco suæ habitationis recedat non animo mutandi domicilium, sed aliquod negotium agendi, & postea redeundi, sicut non relinquit simpliciter domicilium sic remanet simpliciter Parochianus Parochiæ sui domicilij cum obligatione sumendi sacramenta in illa, & tanquam verus Parochianus, & subditus illius Parochiæ & rectoris illius. Ideo ad hoc vt aliquis dicatur habere domicilium ad acquirendam Parochiam, quod sufficiat animus manendi alicubi per notabile tempus ex *Grat discept.94. num.74. Maresc.var.d.l.2 cap.95. num.15. Barbos. l.2. de iure Eccles.cap.10.num.33. Lauor. tit.5.cap.11. numer.188. Sperel.dec 87.num.5. Seraph.dec.1135 nu.1.* tradit *Rota in Romana funeralium 4.Iuly 1651.coram Zarate.* vt contingit in officialibus, scholaribus famulis, nutricibus, & in conducentibus domum ad annum quamuis morte præcedente illum non compleuerint. Verum hæc non sufficiunt ad acquirendum domicilium, & Parochiam simpliciter, quia ad hoc requiritur animus perpetuo permanendi.

Vnde quod domicilium non dicatur mutari, vel transferri, dum quis alio se transfert studiorum causa, aut mercaturæ aut dignitatis & litis, aut melioris educationis per *l. assumptio, ff. de manicip. l. Origene, cũ seq. c. de munic. & orig. Menoch. cons. 329. num. 37. Cephal. cons. 451. n. 125. & Surum cons. 346. num. 12. & cons. 316. num. 71.* dixit *Rota dec. 270. n. 17. p. 8. recent. & dec. 312. num. 17. par. 9.* quod nec sufficiat, habitatio 30. annorum per *Paris. cons. 53. numer. 91. l. 3.* quia causa habitandi diuersa est ab animo domicilium contrahendi, vt fuit ponderatum in Romana beneficiatus S. Petri 3. Martij 1626, Quamobrem animus habitandi alicubi per tempus notabile sufficit quidem ad acquirendam Parochiã necessitatis, seu subrogatam propriæ Parochiæ, non tamen ad acquirendam Parochiam simpliciter. In statutis Cleri Romani *cap. 3. §. 6.* Parochia propria dicitur illa, in qua quis habet domicilium seu degit, & recipit sacramenta, seu recipere tenetur. & §. 7. quod infantes etiam si alibi nutriantur, & decedunt, pertinent ad Parochiam parentum. & §. 8. quod filij orbati patre quousque apud matrem aluntur, ad eius Parochiam pertinent, non ad Parochiam Tutorum & §. 9. quod collegiales, & scholastici, seu seminaristæ primum domicilium retinent, & in §. sequen. plura alia adduntur ad rem facientia maxime pro Vrbe. Quamuis vero sit obligatio recipiendi sacramenta in Parochia domicilij, tamen in casu necessitatis recipiuntur in loco habitationis, licet extra locum domicilij. Et non est necesse quod hæc sit extrema necessitas, sed sufficit necessitas moralis, seu etiam incommoditas; quia scilicet tempore in quo adest necessitas sacramentorum, quis commode propriam Parochiam adire non possit. *Panorm. d. num. 11. Reuerendiss. Fagnanus d. numer. 32.*

313 Regula tertia est, quod Parochia necessitatis non est Cathedralis loci in quo quis habitat, sed est Ecclesia Parochialis, in qua quis habeat domicilium actualis habitationis, vel in qua reperitur tempore necessitatis sacramentorum, si in loco non habet aliquod domicilium, seu habitationem. Oppositum huius senserunt. *Butr. capit. 1. de sepult. num. 8.* & alij. Butrius enim distinguit inter aduenas & peregrinos, seu viatores, & transeuntes seu vagos; Nam aduenæ habent in loco domicilium, quia ibi moram trahunt, seu animo trahendi veniunt, vt scholares, Doctores, artifices, mercatores & quicumque in loco sunt animo aliquod negotium ibi peragendi, & ideo accipiunt ibi domicilium, in quo habitent. Sed peregrini & Viatores, seu vagi non habent domicilium in loco per quem transeunt, quia nec in eo permanent nisi meri hospitij gratia, vt pro tempore transitus ibi sint, & viuant. Admittit igitur Butrius quod aduenarum Parochia necessitatis sit illa intra cuius fines aduenæ habent domicilium habitationis. Et quantum ad hanc partem casus est clarus secundum *Seraph. dec. 1135. num. 1.* Nam & supra probatum est, quod quantum ad effectum acquirendi Parochiam subrogatam sufficit animus habitandi per notabile tempus. Sed peregrinorum seu viatorum, aut etiam vagorum putat parochialem esse Cathedralem, in qua recipere debeant sacramenta, & sepulturam. Et hoc idem scilicet quod peregrinorum Parochia in qua sint sepeliendi sit Cathedralis voluerunt. *Innoc. in cap. 1. de sepult. & ibi Host. & Card. num. 5. q. 9. Rosel. v. sepul. nu. 10. Syluest. q. 8.* & similem distinct. dedisse *Sacr. Congreg. Epis. & Regul. in Fulginaten. 5. Iulij 1592.* referunt *Lauor. d. cap. 11. num. 144. & Barbos. de Parocho cap. 26. num. 35. Vel 9. Iulij 1593.* vt refert *Nicolius tom. 1. l. 4. tit. 15. num. 19.*

314 Sed quia in iure nullus est textus, ex quo Cathedralis constituatur Parochia communis totius diœcesis, quæ teneatur omnibus ministrare sacramenta, & ad quam pro receptione sacramentorum peregrini teneantur accedere. Nam licet *cap. officium, de off. Archipresbyt* dicatur officium Archipresbyteri esse audire Confessiones eorum, qui à foris veniunt, nihilominus vt ex *Palud. in 4. d. 17. q. 4. a. 2. concl. 4. & D. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 5.* paulo post principium aduertit *Sanchez l. 3. de matrim. disp. 27. num. 2.* hoc intelligitur quãdo Archipresbyteratus esset quædam præbenda, cui ex officio esset annexum audire confessiones totius diœcesis: secus vero quando hoc non habet ex officio, sed ex Episcopi commissione. Modo vero hic vsus non est, sed Archipresbyter est tantum Parochus Ecclesiæ Cathedralis, vt possit ministrare sacramenta in sua Parochia. Neque hodie Archipresbyter censetur Vicarius Episcopi, nec habet iurisdictionem ad iuuandum Episcopum, nisi Episcopus eam communicet & deleget. *Sanchez l. 3. de matr. disput. 27. num. 3. Bossius de matrim. tom. 1. cap. 4. num. 75.* Vnde est, quod vt ijdem DD. docent Archipresbyter nõ potest valide assistere matrimonio aut licentiam assistendi tribuere extra suam Parochiam intra alias diœcesis Parochias. *Basilius lib. 5. cap. 12. & cap. 18. num. 4.* Igitur nec Archipresbyter nec Cathedralis Ecclesia tenetur ministrare omnibus de diœcesi sacramenta, nec qui sunt in Diœcesi illa tenentur recipere ab Archipresbytero Cathedralis, vnde non est vnde modo dicatur, quod Cathedralis sit communis Parochia, ideoque sit Parochia Peregrinorum, & cessant quæ habet *Barbosa d. cap. officium de off. Archipresbyteri, & de Canon. capit. 26. num. 18.* Vnde nec aliquo iure probatur, quod teneantur huiusmodi peregrini accipere sacramenta in Cathedrali, sed in Parochia in qua reperiuntur tempore necessitatis sacramentorum. *Panorm. in cap. 1. de celebr. miss. & cap. in nostra num. 2. de sepult. Reuer. Fagnan. cap. significauit n. 32. de Paroch. Sanch. l. 3. de matrim. d. 23. num. 17.* Quamobrem quod peregrini non sint etiam sepeliendi in Cathedrali dixerunt *Hostien. in sum. tit. de sepult. numer. 3. Archid. cap. 1. de sepult. num. 3. in 6. vbi Dominicus §. statuentes. num. 4. Franc. num. 1. Panorm. cap. 1. de sepult. num. 4. Henricus c. abolenda. num. 7. eod. tit. Angelus in v. sepultura num. 19. Armil. num. 20. Sanchez d. d. 17. med. q. 7. de sepult. num. 30. Bellet. de Cler. debit. §. 3. num. 21. Seraphin. dec. 1135. num. 2. vbi ex Butr. Abb. Syla. Gem. Franc. & Lupo*, quod ex quo Peregrini accipiunt à Parocho sacramenta censentur etiam elegisse sepulturam in Parochia. Nam & quod cura peregrinorum spectet ad Parochum manifestum est per textum in *cap. 1. de celebrat. Missarum.* Ad Parochum igitur spectat illud debitum, & ius ministrandi sacramenta etiam peregrinis, & ex consequenti ius sepeliendi ex eo quod eorum Parochia necessitatis non sit Cathedralis, sed Parochia habitationis. Et sic stat regula quod Parochia necessitatis est in qua quis tempore necessitatis sacramento-

mentorum vel habet domicilium, vel actu habitat, aut reperitur, & non potest commode Parochiam domicilij perpetui adire vt sacramenta ibi recipiat. Quod tamen limitatur nisi fit consuetudo, quod huiusmodi aduenæ, aut peregrini habeant pro Parochiali Cathedralem, aut aliam particularem Ecclesiam. Quia tunc seruanda esset consuetudo. *Sylvest. v. sepultur. numer.8. vers. 2. Gratian. discep.94.num.77.* & apud eum *Rota in Hispalen. iuris sepeliendi. 9. Iunij 1595. coram Seraph.* Et hanc consuetudinem pro quarto ex meis iudicibus colligere possum respexit declaratio Sacr. Congreg. relata, vnde fuit determinatio localis. Et semper admoneo, quod ex decisionibus relatis à DD. summariè, & datis in causis particularibus non potest colligi regula vniuersalis, maxime non viso particulari & supplici libello aut instantia ad quã decretum fuit datum. Itaque in his seruanda est consuetudo; quamuis spectato communi iure Parochia necessariis sit Parochia habitationis.

315 Regula quarta fit, quod in materia sepulturæ Parochialis propria non est illa in qua quis moritur, & in qua de facto recipit sacramenta, nisi sub conditione quod defunctus non possit commode & sine periculo deferri ad Ecclesiam Parochialem simpliciter. Quia si hoc fieri potest commode, & sine periculo, fieri debet, vt expresse decernitur in *cap.is qui, de sepult.in 6.* Ideo si quis ruri moritur, & recipit ibi sacramenta, nihilominus non ibi sed in Parochia habitationis simpliciter tumulari debet, si commode & sine periculo id fieri potest, vt ibid. DD. omnes tradunt. Sic si quis occasione infirmitatis fit extra Parochiam, vel etiã in aliquo hospitali, si commode in Parochia potest sepeliri, id debet fieri, nisi Hospitale sit priuilegiatum quemadmodum esse priuilegiata Hospitalia Ordinis B. Ioannis de Deo multis probat *Rota in Romana Iurium Funeralium 4.Iulij 1653. Coram Zarate.* Immo licet hospitale aliquod fit intra limites alicuius Parochiæ, quando etiam defuncti non essent sepeliendi in hospitali, sed in Parochia nihilominus non in Parochia intra cuius fines est hospitale essent sepeliendi, sed in Parochia propria ipsorum. Quia Parochia non mutatur ex eo quod aliquis alicubi habitet causa infirmitatis. *Sylu. v.Canonica portio. num.15. Rota citata & plures alij apud ipsam.* Quod vero vniuersaliter pro Parochis haberi debeant sacerdotes in hospitali deputati firmauit *Rota in Licien. Legati 22. Martij 1638. coram Reuerendiss. Tarraconen.* hospitalia etiam solent habere propria Cœmeteria, & sepulturas pro sepeliendis defunctis in ipsis. Quod verum est de hospitalibus habentibus Ecclesiam, nam in alijs nõ sepeliũtur defuncti *Sylvest.v. sepult.n.1.* Vnde in his seruãdę sunt leges, & cõsuetudines locorũ.

316 Quinta regula est; Vbi quis habeat duas Parochias, quia etiam habet duas habitationes, Parochia in ordine ad sepulturam est illa in qua quis moritur; illa enim est etiam, quæ illi sacramenta ministrat. Vbi vero habens duas Parochias extra vtramque decedat, illa erit Parochialis ad quam commode & sine periculo defunctus deferri potest *art.cap.is,qui de sepult. in 6.* Sed si æque commode ad vtramque potest deferri, casus in lege non est decisus, & in libertate hæredum erit ad alteram illum deferre, & in illa tumulare. Vtraque enim est Parochia, & nulla habet maius ius ad cadauer defuncti quam alia; hæredum igitur erit mortuum suum tumulare in ea Ecclesia ex illis, quam ipse voluerit. Nisi tẽpore mortis eius familia habitet de facto in domicilio existẽte in altera ex illis Parochijs. Hoc enim dato illa censenda erit Parochia defũcti, in qua sepeliẽdus erit, si cõmode ad eã deferri possit, In his tamen casibus ad cuius Ecclesiam Parochum pertineat quarta funeralia dicetur infra.

318 Sexta Regula fit quod Prælatorum seu Rectorum, aut quorumcumque habentium curam animarum Parochialis est Ecclesia cui præsunt, & in qua residere tenentur iuxta decretum *Sacr. Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. de reformat.* Cum enim Parochialis illa fit, intra cuius fines quis habet domicilium, vt dictum est; habentes autem curam animarum domicilium perpetuæ habitationis habeant in Ecclesia in qua residere debent; illa quoque cẽsetur esse eorum Parochialis. Et sic in istis Parochialis non desumitur ex receptione sacramentorũ, sed ex eorũ administratione; vt eorũ Parochialis sit illa, in qua pro administrãdis sacramẽtis residere tenentur.

318 Istis potest addi septima regula; quia nimirum in materia sepulturę Parochialis est vltima, cui nõ conuenit ius sepulturæ necessitans nisi in casu quo defunctus alibi non elegerit sepulturã, vel nõ habeat sepulturam maiorum; & ideo quando infra dicetur, quod aliquis est sepeliendus in aliqua Parochiali semper erit sermo dummodo alibi non habeat sepulturam maiorum, aut electam.

319 Papam si decedat, vbi curia residet sepeliendum in eius loci Cathedrali; sed si in loco extra curiam moriatur nihilominus ad locum curiæ deferendum esse illius cadauer & in Cathedrali, sepeliendum sentiunt *Medices q.7. num.2. & Lauor. d. cap.11.num.45.* & se fundant in *cap.is qui, de sepult. in 6.* Addentes quod si electus in Papam moritur in itinere sepelitur in Cathedrali loci, & si renũciauerit Papatui sepelitur Romæ si ibi moritur, vel alias si sit Eremita, vel vagetur per mundum, sepelitur in Ecclesia in cuius territorio moritur. *Petr. de Vbald.de can.Episc.c.9.n.28. Bonac.autem de contract. disp.3. q.21. p.3. num.6.* sentit Papam sepeliendum esse Romæ nisi moriatur extra Vrbem, quia tunc sepeliri debet vbi est curia. Sed certe vbi Papa fit Romæ sepelitur in Ecclesia Sancti Petri, in qua etiã ob Papæ reuerentiam nullus alius sepeliri potest. Nec etiam Cardinalis, vt tradunt idem *Lauor. d. cap.11.num.41. & Checllius de not. Cord.prinil.90.* & ita quod Ecclesia S. Petri perdiderit legatum magni pretij factum illi ab aliquo nobili sub cõditione quod ibi sepeliretur, quod non potuit adimpleri. Cæterum cum Papa nullius fit Parochianus Ecclesiæ, nullique subiectus, si extra Romam in parte remota moriatur, nec commode eius cadauer ad Ecclesiam S.Petri possit transferri, sed extra Vrbem sepeliri debeat, nulla est Ecclesia, quæ ad illius cadauer absolutum ius habeat, & quamuis Cathedralia Ecclesia tanquam maior inter alias in ea regione existentes videatur habere prærogatiuam iuris ad illius sepulturam, tamen credo quod in electione Collegij Cardinalium, qui tunc habent vniuersale regimen Ecclesiæ esset vt defunctum Pontificem vbi expedientius iudicaretet sepeliret. Quæ enim ex communibus legibus de sepultura traduntur non comprehendunt Papam, qui est supra omnes leges, nisi id exprimant, vnde eius sepultura non est ex communibus regulis iudicanda, &

nec ex citatis iuribus aliquid ad rem faciens colligi potest. Nam in *cap. si qui*, non est sermo de Pontifice, sed de ordinarijs fidelibus habentibus specialem Parochiam cui sint subditi de quibus decernitur vt non sepeliantur vbi moriuntur, sed in Parochiali Ecclesia, at vero Parochialis Ecclesia Papæ est Ecclesia in toto orbe diffusa, In *cap. vero licet, de elect.* nec verbulum habetur de cuiuscumque sepultura.

320 Cardinales vero precise sumpti qua Cardinales, si non electa sepultura Romæ moriantur sepeliendos esse in Ecclesia Lateranen. quæ est Cathedralis Romæ dixerunt *Medices, q. 7. num. 3. & Lanor. d. cap. 11. num. 47. arg. cap. si qui de sepult. in 6. Bonac.* vero *de Contract. disp. 3 q. 21. p. 3. nu. 6.* existimat Card. sepeliendum esse vel in Eccl. Lateranen. vel in Ecclesia sui tituli vel in Parochiali. Sed certe *d. cap. si qui*, non facit ad rem, quia ibi decernitur quidem, quod qui ruri moriuntur sepeliātur in Parochiali, vel potius in Ecclesia maiorum; sed non decernit quæ sit Parochialis. Ideo constat quidem, quod etiam Cardinales, dum non electa sepultura moriuntur, sepeliendi sint in Parochiali, vel in sepultura maiorū sed quæ sit hæc Parochialis illorum ex eo *cap. non habetur*, Qui alias cum in Ecclesijs suorum titulorum habeant iurisdictionem quasi Episcopalem, Episcopi vero censeantur habere domiciliū in Cathedralibus iuxta sancita per *Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. adeo. Cobellius de notitia Cardin. privil. 40.* existimat eos sepeliendos esse in Ecclesijs ad quas intitulati erant. Et hoc rationabilius dicitur. Nam Cardinales in suis titulis habent curam animarum in vtroque foro. *cap. his qui, de maior. & obed. Reuerendiss. Fagnanus cap. ex gestis. num. 13. de Cler. non resid.* Habens vero curam animarū tenetur residere in suo titulo. *cap. quia nonnulli, cap. Relatum de Cleric. non resid. cap. extirpanda §. qui vero, de Praeben. Concil. Trid. sess. 23. c. 1. de reformat.* Propriū igitur domicilium Cardinalis est titulus eius, vnde & est eius Parochia, & ideo *d. cap. ex gestis*, dicitur, quod Cardinalis S. Marcelli reliquerat Parochiam suam, quia reliquerat titulum suum, vt per *Pan. ibid. nu. 3.* Quamuis vero omnes Curiales dicantur habere domicilium Romæ contemplatione inseruiendi Papæ in cura vniuersali, non tamen per hoc sepeliendi sunt in Eccl. Lateranen, sed in Parochia vbi habent domicilium, sic & Cardinales in Ecclesijs titularibus sepeliendi erunt. quia in illis domicilium habere censendi sunt. Si vero Cardinales adhuc non habeant titulum, & sine titulo decedant, adhuc credo, quod sepeliendi sint in ea Parochia in qua decedunt. Quia tunc censentur habere domicilium in Parochia, & ad Parochum spectat ministrare illis viaticum & extremam vnctionem. Nam illos comprehendi sub lege *cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* licet de eis mentionem non faciat vt per ea quæ habet *Panorm, in cap. omnes, de maior. & obed. & cap. Nouit. num. 8. de iud.* firmat *Reuerendiss. Fagnanus in cap. ne pro dilatione num. 59. de pœnit. & remiss.* Et de facto vt audio Romæ Cardinales moribundi à Parocho intra cuius Parochiæ fines est eorum domicilium extrema sacramenta recipiunt. In Parochia igitur sepeliendus esset Cardinalis, si vnquam cōtingeret, quod ante concessum sibi titulum decederet. Sed si Cardinalis extra Romam moriatur cū sepeliendum esse in Cathedrali eiusdem loci dicunt ijdem *Medices Lanor. & Cobellius* Et videtur quod dignitati personæ competere debeat nobilior sepulturæ locus, & sic Ecclesia primaria, qualis est Cathedralis. Verum si consideremus nullam esse ignobilitatem sepeliri in Ecclesia minus principali, vnde quotidie etiam Cardinales in minoribus Ecclesijs eligūt sepulturas, non video cur illi in hoc non subijciantur communi legi aduenarum, & sepeliri non debeant in Ecclesia Parochiali, si loci consuetudo sit talis vt ibi tumulentur aduenæ, & peregrini. Et certe in his consuetudo attendi deberet, si vero Cardinalis dignitati renunciauerit vel ab ea depositus fuerit, in Parochia propria sepulchrum habebit si alibi non habeat sepulturam maiorum vel sibi non eligat sepulturam, secundum eosdem, *Medic. Lanor, & Cobellium*; sed dico quod de eo iudicandum erit iuxta conditionem eius in eo statu. Nam si esset Regularis in monasterio esset sepeliendus, si Episcopus in sua Cathedrali, si priuatus in Parochia, si peregrinus, vbi sepeliuntur peregrini.

321 De Legato si decedat antequam ingrediatur Prouinciam, vel postquam ab ea exijt, eum sepeliendum in Cathedrali loci in quo moritur. Sed si intra Prouinciam decedat intra Prouinciam sepeliendum esse in Cathedrali Ciuitatis in qua moritur, tradunt *Medices q. 7. num. 4. & Lanor. num. 49.* & idem dicendum esse de Nuntijs addunt. *Medic. num. 5. & Lan. n. 50.* Sed puto de istis dicendum esse, quod infra asseritur de Episcopis.

322 De Patriarca Archiepis. & Epis. hoc quidē certum est, quod si moritur in ciuitate in qua est Cathedralis in Cathedrali sepeliri debet, quia in ea censetur habere domicilium, cum ibi teneatur residere, iura supra citata. Tum secundo quia cum Antistitis sit sacramēta ministrare, illa est Antistitis Parochia non tā cui subijcitur in receptione sacramentorum, quia Antistitis nō est subijci, sed preesse, sed Parochia illius est Ecclesia cui præest. Licet vero præsit diœcesi toti, tamen quia principaliter, & personaliter immediate præest Cathedrali vbi diuinis assistit officijs, conciones ordinarias habet, solemniter celebrat, & regulariter functiones Pontificales exercet, ideo illa Ecclesia præ alijs diœcesis est parochialis Episcopi in qua etiam debet sepeliri, Et etiam si decedat extra ciuitatem Cathedralis, quod ad eam eius cadauer sit deferendum, si commode fieri potest, satis rationabiliter asseritur *arg. ex cap. si qui, de sepult. in 6.* Addendum est etiam tertio quod vbicumque etiam extra diœcesim Antistes decedat si Capitulum Cathedralis petat sui Episcopi Corpus illudque velit ad Cathedralē deferre & in illa tumulare, non potest sibi negari, aut impediri ne id faciat. Cathedralis enim Ecclesia est propria Episcopi Parochialis, quæ habet ius ad suum Episcopum tumulandum. Sed si Episcopus moriatur extra diœcesim in loco remoto vnde vel non possit transportari ad suam Cathedralem, vel certe ad eam non sit transferendus *Medices, q. 7. nu. 6. Lanor, d. c. 11. n. 53. & Samuel de sepul. pag. 263. num. 15.* existimant eum tumulandum in Cathedrali illius loci in quo moritur; Quamuis Samuel dicat conuenientius esse quod transportetur ad suam Cathedralem. Sed non video cur Episcopus Aduena non sit huic subiectus legi aduenarum, & peregrinorum. Nec præfati DD. ad suam sententiam

ali-

aliquem textum, vel rationem adducunt. Ideo *Bonac. de contract. disp. 3. quæst. 21. p. 3. nu. 6.* sentit quod Episcopus moriens extra Diœcesim sepeliendus sit in Ecclesia Parochiali, vel Cathedrali vt de cæteris dixit. Vnde in hoc non ponit discrimen inter Episcopos & alios seculares. Nec obstat quod Cathedralis sit Parochia nobilior. Tum quia omnis locus sacer est nobilissimus sepulturæ locus. Tum quia ius funerandi non conuenit ratione nobilitatis. Minus obstat, quod Cathedralis Ecclesia habeat ius tumulandi suum Episcopum, quia hoc habet quia Cathedralis Episcopi illius, & eius veluti Parochia, & quia in ea residet, quæ Cathedrali alterius diœcesis non conueniunt. Addo quod idem Samuel ibidē refert quod Senis duo Episcopi Grauetenses, vnus de Turaminis, & alter de Tantuccis qui Senis obierant; fuerunt sepulti in sepulchris maiorum; ille scilicet in Ecclesia S. Aug. & iste in Ecclesia Sancti Martini; sicut igitur in hoc Episcopi subduntur iuri communi, iustum & rationabile est vt in hoc etiam subsint iuri eidem, vt dum sunt aduenæ, vel peregrini sepeliantur in Parochia iuxta conditionem aduenarum, & peregrinorum.

323 Sed si Episcopus præsit pluribus Episcopatibus vel isti sunt vniti vel non, nam Episcopus ex dispensatione plures Episcopatus habere potest. Cū autem multi apud *Lauor. vbi sup. n. 55.* dixerint illum talem Episcopum esse sepeliendum in ea Ecclesia, quæ primo in eius titulo scribitur, alij apud antiquiorem. Ipse, & *Zabarella cons. 90.* sentit, quod si moriatur extra diœcesim sepelietur vel in Ecclesia Cathedrali, vel in Parochiali in qua decessit. Sed si intra Diœcesim, intrant coniecturæ, quarum optima est si in altera Parochiarum decessit, vt videatur ibi elegisse, ex quo aliud non expressit. *cap. cum quis, de sepult. in 6.* Si in neutra decedit gratificabit Episcopus vtrum earum velit, cum sit regulator Diœcesis. *cap. omnes basilicæ 17. q. 6.* Item videndum in qua Ecclesia illorum solent plures Episcopi sepeliri, & econtra, & apud quem defunctus habuit affectionem maiorem. *Cyn. l. 1. C. de sacrosanct. Eccles.* & cum decedat non facta electione, censetur in ea, in qua moritur, seu residebat, sepulturam elegisse. Sed si Ecclesiæ Cathedrales non sunt æque principaliter vnitæ, sed vna est vnita alteri, sepelietur in principali. *cap. 1. ne sede vacante.* Eodem habet *Samuel pag. 263. & 264. a. 17.* Sed quæ hic dicuntur de coniecturis vtilia non sunt, quia electio sepulturæ non deducitur ex coniecturis, vbi constat defunctum sepulturam non elegisse, quia coniecturæ non possunt præualere iuri certo, quod habet vel Ecclesia maiorum, vel Parochialis ex quo defunctus sepulturam non elegit. Nec ideo censendus est defunctus vel deseruisse sepulturam maiorum, vel Parochialem ex quo maximam habuit affectionem ad aliquam Ecclesiam. Immo ex quo centies dixisset velle in ea eligere sepulturam si eam non elegerit. Sed neque Episcopum decessisse in aliquo loco est coniectura significans ibi elegisse sepulturam, & præiudicasse iuri alterius Ecclesiæ, quæ ius habet ad defunctum. Sed si altera Ecclesia non habet ius, vel in ea sepeliri non potest, Episcopum decessisse in aliqua Parochia est conditio dās ipsi Parochiæ ius ad sepulturam Episcopi, quia tunc illa censetur tanquam propria Parochia defuncti, non quia defunctus censeatur elegisse ibi sepulturam, quia siue elegerit ibi siue non elegerit est ibi sepeliendus, quia ibi est sepultura electa à lege. Quod etiam dicitur, quod si Episcopus in neutra decedit, gratificabit vtram earum velit, cum sit regulator Diœcesis, non intelligitur. Quia si loquitur de Episcopo viuente, ipse non quia regulator diœcesis, sed quia persona libera potest nedum in quocumque loco Diœcesis, sed extra eligere sibi sepulturam: & tunc non sumus amplius in casu nostro. Sed si loquitur de Episcopo mortuo, nec est regulator diœcesis, nec potest eligere, quia non est. Dicendum igitur est, quod Episcopus habens plures Cathedrales sepeliendus est in ea, intra cuius fines decedit, nisi altera ex illis desierit esse Cathedralis, & suppressa Cathedralitate, vnita fuerit alteri Cathedrali, quæ nedum sit principalior sed sit vnice Cathedralis. Nam alias quælibet Cathedralis ad cuius titulum Episcopus est ordinatus censetur & est eius propria Parochia. Et si non est sepeliendus in aliqua eius Cathedralium ob aliquam difficultatem, & incommoditatem, sepeliri debet in Parochiali habitationis eius tempore mortis. Quod idem dicitur si decedat extra diœcesim. Ex iure enim *cap. p. de sepult. cap. cum liberum, cap. de vxore, eod. tit. & cap. is qui, & cap. licet eod. tit. in 6.* tres tantum vel quatuor causæ determinatæ sunt, ex quibus Ecclesiæ, habeant ius necessitans ad sepulturam. Prima & principalis est defuncti electio, secunda sepultura maiorum, tertia propria Parochialis, & quarta quæ in tertia continetur est in casu in quo defunctus in propria Parochia non possit sepeliri, quia tunc propria Parochia censetur illa, quæ est Parochia habitationis eius vel existentiæ in loco vbi moritur. Vbi ergo Episcopus possit sepeliri in Cathedrali diœcesis suæ in qua moritur, ibi est sepeliendus, quia illa est propria eius Parochia secus est sepeliendus in Parochia iuxta leges aduenarum, aut peregrinorum, seu eorum, qui extra locum proprij domicilij moriuntur.

324 Sic idem dicendum est de alijs Prælatis inferioribus Abbatibus secularibus, Collegiatarum Præpositis, seu Ecclesiarum Prioribus obligatis ad residentiam. Horum enim Parochialis est Ecclesia in qua tenentur residere, quia & ibi cencentur habere domicilium simpliciter. Inde in ijs casibus in quibus sepeliendi essent in Parochiali, sepeliendi sunt in Ecclesijs suæ residentiæ. *Medices quæst. 7. num. 7. Syluest. v. sepultura num. 8. v. sextum Lauor, num. 61, Samuel pag. 264. num. 25.* Sed vbi non sint sepeliendi in Ecclesia residētiæ iam sunt de numero eorum qui moriuntur extra propriam Parochiam, & ad modum aduenarum, aut peregrinorum iuxta loci leges sunt sepeliendi. Et si Prælaturæ renunciauerint iudicandum erit de illis, secundum eorum conditionem vt in sepultura vel electa, vel maiorum, vel Parochiali, vel in qua decedunt, aut est consuetudo quod ibi sepeliantur.

325 De Canonicis *Medices quæst. 7. num. 8.* arbitratur quod sepeliendi sint in Ecclesia Canonicatus & idem voluit *Syluest. num. 8. v. sextum Lauorius* post longam disputationem concludit quod Canonicus est sepeliendus in sua Parochiali *Bonac. de contract. disp. 3. quæst. 21. p. 3. num. 6.* sentit eum sepeliendum in Cathedrali. Et hoc quidem indubitate est verum si Canonicus in Cathedrali habitet,

sicut fit in multis locis, in quibus habetur circa Cathedralem Canonicæ domus, in quibus Canonici simpliciter habitant. Indico etiam seruandas esse in hoc consuetudines locorum particulares, si quæ adsunt, siue particulares leges. Nam *Nicolius t.1. lib.4.tit.15.num.23.* refert, quod Sacr. Congr. Episc. & Regul. in Senogallen. 13. Maij 1650. censuit, quod si Clerici in Cathedrali vel matrice habeant sepulturam propriã pro ipsis distinctam à laicorum sepulturã, in ea non vero in sepultura maiorum sepelientur. Quæ lex si est vniuersalis & non potius particularis pro Ciuit. Senogal. vniuersaliter seruanda est. Cæterum speciali consuetudine, aut lege præcisa, Parochialis in qua Canonicus simpliciter habitat, & viuit, habet in iure fundatam intentionem vt in eo Canonicus sepeliatur, quia de iure communi, defunctus non habens sepulturam maiorum in Parochia sepeliri debet. *capit. ex parte, cap. cum liberum, cap. in nostra, de sepult. c. is qui, ead. tit. in 6. vbi communiter DD.* Et satis etiam supra est probatum.

326 Quod si Canonicus habeat simul Parochialem annexam, eum sepeliendum esse in Cathedrali voluit *Lauor. d. c. 11. num. 62.* quia ibi censetur residere continuo non vero in Parochiali: sed hæc regula non est secura, sed immo bene potest esse, quod resideat simpliciter in Parochia, & in Cathedrali solum intersit in tempore chori. Immo absolute quia in Parochiali tenetur residere simpliciter, vt adsit ouibus suis die ac nocte, ac singulis horis; Ideo dicendum est talem Canonicum simpliciter habere domicilium in Parochiali, quia nec alibi habere potest in præiudicium perpetuæ, & continuæ residentiæ & assistentiæ ouibus suis. Ideo nisi aliud ferat consuetudo in Parochiali sepeliri debet. Quod confirmatur, quia si de facto habeat domicilium extra Cathedralem in aliena Parochia suæ Ecclesiæ propinqua in qua habitet sine præiudicio residentiæ, non est sepeliendus in Cathedrali, vt Lauor. Ipse fatetur loquens de Canonico non Parocho; sed neque est sepeliendus in aliena Parochia, quia domicilium quod ibi habet se habet per accidens & materialiter, nam officio, & animo, & cura perpetuo residet in propria Parochiali Ecclesia, in qua semper censetur habitare, dum habitat vbi toti suæ Parochiæ potest adesse; idem igitur dicendum est, etiam si Parochus iste habitaret in Cathedrali, quia hæc materialis habitatio si non est talis, quæ tollat residentiam in Parochia, censetur residentia, & habitatio in Parochiali, quæ non est priuanda suo Parocho defuncto, ex eo quod habitet materialiter extra suos confines. Sic Romæ Cardinales licet habitent extra terminos suorum titulorum, nihilominus in ipsis sepeliuntur, quia in eis censentur residere cum habeant ibi curam animarum. Et licet *Lauor. num. 71. ex Federico de Senis conf. 25.* dicat quod beneficiatus nõ residẽs in suo beneficio est Parochianus Ecclesiæ in cuius districtu residet, quia etiam iniustum domicilium facit subiectum Parochiæ. Tamen primo hoc non militat vbi sine præiudicio residentiæ debitæ, quis extra materiales confines sui beneficij residet; quia hic sicut dicitur vere residere in suo beneficio, cui animo & cura, & prouidentia continua adest, ita in eo domicilium habere censendus est. Sed nec absolute dictum illud caret difficultate, Nam cum ad domicilium requiratur animus perpetuo habitandi, vt per DD. quos refert *Sanchez l.3. de matr. disp. 23. num. 1.* Nec fit verisimile quod beneficiatus velit vsque ad mortem iniuste manere extra residentiam, nec sit tam certum, quod animus de iure reuocabilis sufficiat ad hoc, vt quis dicatur habere domicilium vbi cõtra ius manet igitur iniustum domicilium potius censendum est hospitium quam domicilium.

327 Sed si Canonicus habeat duas præbendas in eadem Diœcesi idem *Lauor. num. 85. ex Sebast. de Med. quæst. 7. nu. 8.* sentit, quod detur locus præuentioni, & quod si ambæ Ecclesiæ concurrant, recurrendum sit ad Ordinarium. *l. si sepulchrum ff. de relig. & sumpt. fun.* Si vero habuerit duas præbendas in diuersis diœcesibus sepelietur in Ecclesia vbi moritur. & si diœcesani sint discordes, recurrendum erit ad arbitros. Verum cum ex doctrina eiusdem Lauorij supra posita Canonici sepeliendi sint in Ecclesia domicilij, & ideo in Parochia non in Cathedrali, si habeant in Parochia domicilium, iam nec datur locus præuentioni, nec talis Canonicus sepeliendus est in Ecclesia intra cuius fines moritur, sed in propria Parochiali vbi habitat, & residet simpliciter sepeliri debet, si id fieri potest. Et si habitat in altera ex Cathedralibus in quibus habet præbendã in ea sepeliri debet; Vbi enim beneficiũ non fert secũ residentiã & habitationem simpliciter, sed sufficiat beneficiato quod resideat ad horas aliquas vt intersit choro, vel celebret missam, vel quid simile agat, non fert secum ius sepulturæ in Ecclesia beneficiata. Et intentio in iure fundata semper est pro Ecclesia perpetui domicilij, vt ex regula supra nu. 312. stabilita constat, Beneficiatus ergo præcisa opposita consuetudine, aut speciali lege, in Ecclesia domicilij perpetui debet sepeliri; & si id fieri non potest habendus est in hoc ac si esset aduena & peregrinus, vt sepeliatur vel in Ecclesia actualis domicilij si illud habet, vel intra cuius fines moritur, quia huiusmodi Ecclesia tunc est Parochialis quæ tenetur ad sacramenta administranda illi, & ille ac ea in eadem Ecclesia suscipienda tenetur.

328 Capellanos perpetuos sepeliendos esse in Ecclesijs in quibus habent Capellanias tradunt ijdem *Med. q. 7. num. 11. & Syluest. nu. 8. Lauor. d. c. 11. num. 86. Bonac.* vero *de contract. disp. 3. q. 21. p. 3. nu. 6.* putat eos sepeliendos esse in Parochia, seu potius in Ecclesia in quibus habent perpetuas Capellanias si sibi extat sepulchrum. Sed dicendum est eos sepeliendos esse in Parochia nisi alibi propriam, vel maiorum sepulturam habeant, vel nisi aliud ferat consuetudo. Quod vniuersaliter asserendum est tam de Capellanis, quam de Canonicis & alijs, qui si habeant in Cathedralibus vel Ecclesijs suorum Beneficiorum sepulturas communes, & sit consuetudo vel lex specialis vt ibi sepeliantur, standum est consuetudini, aut legi quæ in his magnam vim habet. De Capellanis vero conductitijs, & amouibilibus certius est, quod sepeliendi sunt in Parochia.

329 Rectores, & Parochos Ecclesiarum sepeliendos esse in Parochiali cui præsunt, iam est dictum, & probatum, cum ibi perpetuo residere teneantur. Et habens plures Parochias sepelitur in ea in qua residet secundum *Med. q. 7. n. 9. & 9. Lauor. d. cap. 11. num. 88.* Sed cum in vtraque residere teneatur,

tur, & in vtraque ptopterea censeatur habere domicilium. Ideo in ea Parochia in qua decedit sepeliendus erit. Nec alterum inuabit quod sit principalior, quia sepultura debetur ex eo quod Ecclesia sit propria Parochia, vtraque vero est propria ratione talis Parochi, nisi in vna sit extincta parochialitas, & totaliter ad aliam translata. Si vero Parochus sit simul Canonicus, lam dictum est eum sepeliri debere in Parochia, etiam si Parochia sit annexa Canonicatui. Nec obstat, quod habet *Med.* & *Lauor.* scilicet quod tunc Parochia censeatur vt accessoria Canonicatui; quia nisi vnio hæc Parochiæ ad Canonicatum sit talis, quod eximat Canonicum à residentia in Parochia, quod esse non potest, nisi eximat Cannuicu totaliter à cura animarum Parochiæ, relicta illi iure prouidendi seu nominandi Vicarium, qui exerceat curam animarum, quantum ad residentiam semper Parochia est principalis & talis, in qua Cononicus perpetuo debet residere, & si non possit debet vel Parochiæ, vel Canonicatui renunciare. Sepultura vero residentiam comitatur & parochialitatem, nec iura decernunt, vt fideles sepeliantur in Ecclesia principaliori, sed in Ecclesia propriæ Parochiæ. Et ideo Parochus in parochiali. De his videri possunt, quæ dicta sunt supra. *quæst.*185. *a.*5. *num.*149. *pag.*199. Et amplius considerandum est, quod si Canonicus non sit totaliter absolutus à cura animarum, licet residere possit materialiter in Canonica, si hæc habitatio non repugnet curæ & prouidentiæ, quam tenetur habere de suis ouibus, præcipue si habeat Vicarium ibi permanentem, tamen adhuc semper censetur habitare in Parochia, quia ibi censetur residere. Et quod dicitur de Parocho dicitur de Vicario perpetuo, qui & ad perpetuam, & continuam residentiam tenetur. *Bonac. de contrac. disp.*3. *quæst.*21. *p.*3. *num.*6. Parochus vero vel qnicumque alius qui officio renunciauerit non sepelitur in Ecclesia cui renunciauit, nisi ibi habeat maiorum sepulturam, vel eam eligat, sed sepelitur in Ecclesia in qua alias de iure sepeliri debet. *Med. q.*7. *num.*12.

330 Vicarius vero Episcopi, quia est apud Episcopum in officio amouibili, non censetur transtulisse domicilium, sed remanet Parochianus Ecclesiæ intra cuius fines domicilium habet; vnde in casibus in quibus alias sepeliendus esset in Parochia non habens sepulturam propriam vel maiorum, in ea sepeliri debet *Med. q.*7. *num.*10. *Lauor. d. cap.*11. *num.*88.

331 Commendatarios non esse Prælatos Ecclesiarum sibi commendatarum *cap. nemo de elect. in* 6. Sed eorum Procuratores, & custodes, & propterea non esse in dictis Ecclesijs sepeliendos asserunt. *Med. q.*7. *num.*10. & *Lauor. d. num.*88. Sed videndum est an teneantur ad residentiam vel ex vi *Conc. Trid. sess.*6. *c.*1. & *sess.*23. *cap.*1. *de reformat.* vel ex vi *Constit.*91. *Pij Quarti*. De quo dictum est supra *q.*185. *a.*5. *num.*79. & 80. *pag.*186. Nam Commendatarij exercētes curam animarū, & qui ob id tenentur ad residentiam, censentur habere residentiam in Ecclesijs commendatis, & in hoc commendæ assimilantur titulis, vt habetur ex *Concil. Trid. locis citat.* & *dixi d. num.*79. Et ideo tales in Ecclesia commendæ sepeliri debent.

332 Clerici nulli Ecclesiæ addicti, & non habentes sepulturam electam, vel maiorum sepeliuntur in Parochia. *cap. fraternitatem*, *cap. ex parte*, *de sepult. cap. is qui eod. tit. in* 6. *D. Ant.* 3. *p. tit.*10. *cap.*5 §.1. *Lauor. num.*90. Si tamen Clerici habeant in Cathedrali vel matrice sepulturam propriam à laicis separatam, non in sepultura maiorum sed in ea propria sepeliuntur, vt tanquam decisum à Sacr. Congreg. Reg. in Senogalien. 13. Maij 1630. tenet *Nicol. p. p. lib.*4. *tit.*15. *num.*33.

333 Religiosos vtriusque sexus sepeliendos esse in monasterio probatum est supra. Vbi quid de confratribus, oblatis, & Tertiarijs, & alijs similibus nec professis, nec habitantibus inter professos.

334 Confratres confraternitatum piarum, in Ecclesia Confraternitatis non possunt sepeliri, nisi ibi elegerint sepulturam, qua non electa sepeliendi sunt, vbi alias de iure sepeliendi erant. Sed quid dicendum si in propria Ecclesia habeant sepulturam communem pro Confratribus? Et præcipue si adsit Confraternitatis statutum vt in ea sepeliantur Confratres? *Lauarius d. cap.*11. *num.*106. censet etiam hoc dato Confratres esse sepeliendos in Parochia, quia prædicta statuta non possunt præiudicare Ecclesiæ Parochiali; & Principis priuilegia non intelliguntur in alterius præiudicium *l.*2. §. *si quis à Principe. ff. ne quid in loco publico*. Et pro hac sententia refert *Praxim Archiep. Neap. cap.*76. *num.*5. & 6. *Vbald. de Can. part. cap.*1. *in fin.* & *Med. quæst.*7. *num.*31. Ego quoque huic sententiæ adhæreo, non ex præfata ratione tamen, sed quia electio sepulturæ est ius personale, & nullus pro pubere, vt probatum est, potest eligere sepulturam; ideo statutum illud non potest habere vim electionis sepulturæ in Ecclesia confraternitatis; Quod si Capitulum confraternitatis posset pro suis eligere sepulturam, nec esset præiudiciale Parocho confratribus eligere sepulturam, & statutum illud haberet vim, eum Parochus nullum ius habeat, vt sui Parochiani non eligant sepeliri vbicumque voluerint.

335 Imperatricis, Regum, & Principum Parochia propria est Cathedralis secundum *Hostien. in sum. de Pœnit. num.*4. *Med. quæst.*7. *num.*21. *Lauor. d. c.*11. *num.*108. *Samuelem pag.*254. *num.*2. Et ideo in ea sepeliri debeat, vbi non habeant propriam, vel maiorum sepulturam. Vbi vero non essent sepeliendi in Cathedrali ob aliquod impedimentum, ad leges aduenarum per se loquendo iuxta terræ consuetudinem tenerentur. Verum nō datur textus in quo sit statutum, quod Parochialis Regum sit Cathedralis, & oppositum expresse tenet *Panorm. in cap. omnes, de maior. & obed. num.*3. Vbi quod Reges comprehendantur sub lege *cap. omnis vtriusque sexus, de pænit. & remiss.* Et quod si Regis residentia sit intra certam Parochiam tunc est de illa Parochia, & tenetur confiteri presbytero Parochiali, licet communiter Reges possint sibi eligere cōfessores. Parochialis igitur Imperatoris & Regum est Parochia intra cuius fines resident. Vnde in ea sepeliri debent quandoquidem in Parochiali sepeliendi.

337 Alij vero seculares in Parochijs proprijs sepeliuntur, vbi sibi non elegerint sepulturam, vel sepulturam maiorum non habeant. Vel si in duplici Parochia habeant domicilium sepeliuntur in ea in qua decedunt. *Bonac. de contrac. disp.*3. *q.*21. *p.*3. *num.*6.

338 Et quia descendentes sequuntur ascendentes

tes & non econtra; ideo nec pater sepeliri debet in sepultura filij, si eam non elegit, vel non sit eius hæres. *Med. q. 7. num. 23.* nec auus in sepultura nepotum. Nec fratres, aut alij transuersales sequuntur sepulturam fratrum, vel aliorum transuersalium, nisi vel illam eligant, vel ea hereditate possideant. Infantes vero expositi, quia eorum pater ignoratur sepulturam maiorum habere non possunt, ideo sepeliuntur in sepulchris hospitalium. *cap. 1. de infant. & lang. expos. lib. 1. C. de infant. expos.* Si autem vulgo sit quæsitus filius, sepelietur in sepulchro matris, cum sit ea incerto patre. *l. 1. ff. de municipal.* nisi mater esset illustris. *Med. q. 7. nu. 22. Lauor. c. 11. num. 112.* sic de filio illegitimo *Syluest. v. sepult. num. 8. ver. quartum Med. Lauor. vbi sup.* sentiunt quod sit in patris sepulchro tumulandus, quod limitat Syluest. si pater non fuisset in dignitate, & si non est spurius, vt dicunt *Med. & Lauor.* & hoc nisi viuente patre ad eius contemplationem per Principem legitimetur. Tunc enim sepelietur in sepultura patris. Secus si legitimetur post mortem patris, & non ad eius contemplationem & petitionem tempore vitæ porrectam. Sed in hoc casu sepelietur in sepultura matris, quia vt dictum est filij spurij, & vulgo quæsiti succedunt eorum matri, nisi mater sit illustris. *l. si qua illustris C. ad Orsician. not. l. 1. ff. ad municip.* Quatenus vero hæc admittantur de proprio matris sepulchro intelligendum erit, non vero de sepulchro maiorum, quia hoc in familiæ dedecus redundaret. Filius quoque etiam exheredatus sepelitur in sepulchro maiorũ. *l. si quis heres. ff. de Relig. & sumpt. fun. Medices q. 7. n. 22.* Quod tamen intelligitur de sepulchro familiari, non vero de hæreditario. Si etiam pater damnetur de crimine læsæ maiestatis ius sepulturæ non transit ad filios. *d. l. si quis hæres. Med. d. nu. 22.* Filius non in matris, sed patris sepulchro sepelitur, nisi aliter sit de consuetudine, quia filius sequitur conditionem patris. *cap. fin. de filijs presbit. cap. licet, de coniug. lepros.* Et nihilominus si desit sepultura patris, sepelitur in sepultura matris si sit familiaris, vel si sit matris hæres, & sepultura sit hæreditaria. Nam in familiari sepultura etiam filij fœminarum ius habent.

339 Adoptiuus filius siue arrogatus secundũ, *Syluest. q. 8. v. quartum & Med.* viuente adoptante sepelitur in eius sepulchro; secus vero si præmoriatur pater, quia per adoptantis mortem finitur adoptio, & ideo tunc adoptatus sepelitur in sepulchro patris naturalis. *capit. vnico, de cognat.* Durante autem adoptione pater filio impuberi potest eligere sepulturam. *l. t. ff. de adop.* Ita habet *Lauor. d. cap. 11. num. 124. Pet. de Vbald. de canon. port. cap. 11. num. 24. Syluest. v. sepultura q. 8. ver. quartum.* Verum cum secundum *S. Thomam in 4. d. 42. & Syluest. v. adoptio*, arrogatus, qui est perfecte adoptatus, & ille est, qui cum esset sui Iuris Principis auctoritate adoptatus ab aliquo transit cum omnibus suis in potestatem adoptantis, succedat patri adoptanti in hæreditate, nec possit ab eo priuari legitima sine causa, dicendum etiam est, quod succedet in hæreditate sepulchri, si sepulchrum sit hæreditariũ; quamuis eum sit extraneus non habebit ius ad sepulchrum familiare.

340 Vxor si moriatur sepultura non electa, sepelitur in sepulchro mariti, si maritus eam ad domum duxerit, & sequuta sit copula inter eos, vel etiam si copula non est sequuta, si est ducta in domum, aut econtra, & etiam si sit vidua, quia retinet omnia priuilegia, quæ habebat viuente marito, quo cum facta fuerit vna caro debet esse iuncta, tam in vita, quam in morte. Et hoc etiam si reuersa fuerit ad domum paternam, & decedat extra mariti Parochiam, vel se transtulerit ad alium locum. *Sylu. vbi sup.* quia vxor domicilium viri sequitur, *cap. is qui, de sepult. in 6.* vbi DD. *Syluest. v. sepultura, q. 8. Tabien. v. med. quæst. 7. numer. 26. Lauor. d. cap. 11. num. 131. & seqq. Barbos. de Paroch. cap. 26. num. 28. & v. sepult. num 12.* & apud eum *S. Rituum Congreg. in Senogalien. 15. Ianuar. 1633. Bellet. tit. de Cler. debit. num. 16. Panorm. in cap. de vxore, num. 6. Maron. resol. 51. num. 47.* Quod ampliatur primo, vt sit verum etiam si maritus sit sepultus in sepultura peregrinorum, dum modo corpus commodè possit deferri ad suam sepulturam. *Lauor. num. 134.* Et ampliatur secundo, vt sit verum etiam de vxore accusata de adulterio, si decedat ante sententiam, vel si post sententiam fuerat marito reconciliata. Maritus enim etiam post sententiam, potest vxori reconciliari. *cap. de illa de diuort.* Et si contigerit vxorem accusatam de adulterio ante sententiam sepeliri in sepulchro mariti, sequuta sententia non exhumatur, sicut neque si matrimonium fuisset declaratum nullum, quia in his sententia non retrotrahitur, fuit enim vxor huiusmodi legitime sepulta, ideo non est exhumanda. *Med. q. 7. num. 26.* Tamen sequuta diuortij sententia, si maritus non fuit ei reconciliatus, sed expulit eam à domo, tunc est indigna sepultura mariti, quæ definit esse domiciliũ illius. *cap. item. 13. q. 2. Med. vbi sup. Syluest. d. q. 8. Lauor vbi sup. num. 135. Barbos. de Parocho cap. 26. n. 29.* Sed si inter virum, & vxorem, nec fuit sequuta copula, nec fuit ducta vxor ad domum mariti, tunc vxor non sepelitur in mariti sepulchro, quia non censetur facta vna caro cum illo, Quod multo magis est verum in sponsa de futuro. Pariter si maritus sit alicubi sepultus non de iure, sed de facto, vt quia excommunicatus, vel hæreticus fuit priuatus sepultura sacra, vxor nõ debet sepeliri in sepulchro mariti. *Medic. d. num. 26. Lauor, vbi sup. num. 137.* Si autem vxor plures viros habuit, non sepelietur in sepulchro primi, sed vltimi, quia attenditur causa proximior, & immediata, *cap. is qui, §. mulier de sepult in 6. Panorm. cap. de vxore nu 6. de sepult. Med. q. 7. num. 26. Syluest. d. q. 8. Lauor. d. numer. 137. Bellet. d. §. 3. num 16. Barbos. d. cap. 26. num. 29.* & apud eum *Nouar. & Ritc.* Quod vero dicitur de vxore, non verificatur de concubina; hæc enim non est sepelienda in sepultura amasij. Proponit autem dubium *Panorm. d. nu. 6.* & quærit quid agendum, si mulier decedat ante maritum, debeat ne sepeliri in sepulchro maiorum suorum, vel in sepulchro mariti. Quia si sepeliretur in sepulchro maiorũ mariti posset contingere quod marito eligente sibi sepulturam alibi, vxor contra eius voluntatem remaneret sepulta apud extraneos, & suorum sepultura priuata, cum quisque post mortem cupiat iacere inter suos, sicut fecerunt sancti Patriarchæ. Est vero certũ quod si alicubi est consuetudo de hoc, illa est seruanda, vt *Panorm. aduertit.* In potestate etiam mariti viuentis est declarare se velle sepeliri in sepultura maiorum, & sic in ea defunctam vxo-

tem

rem sepelire. Sed vbi maritus sit absens, nec possit decernere de sepultura vxoris, res est dubia, & si maritus alias non præparauit sibi sepulturam. *Panorm.* quem sequitur *Syluest. d.q.8. & Moron.resol 5 t. num.49. Barbosa d. num.29.* dicit, quod sepelienda sit in sepulchro maiorum suorum, nisi aliud ipsa vxor elegerit. Verum considerandum est, quod hoc modo vxor certo se separat à marito, sed si sepeliatur in sepulchro maiorum mariti, solum se exponit periculo satis valde remoto separandi se à marito. Cum vero coniunctio maritalis sit, quod propter matrimonium relinquat homo patrem, & matrem & adhæreat vxori suæ, vnde hic maxime attandi debet coniunctio inter virum, & vxorem tam in vita, quam in morte, mihi potius dicendum videtur, quod vxor semper sepelienda sit in sepulchro maiorum mariti si maritus propriam non elegit sepulturam, quia aliter faciendo mulier omnino se separat à marito, & alias raro continget, & fere nunquam, quod vir maiorum sepulturam relinquat, si ibi etiam sepulta sit vxor. Quæ vero casualia & rara sunt non debent attendi.

341 Maritus vero si non habeat propriam, vel maiorum sepulturam, quam tamen propriam habeat vxor; non tamen debet sepeliri in sepultura vxoris, quia maritus non sequitur vxoris domicilium, *Syluest.d.quæst.8. Petr.de Vbald.de canon.Episc. cap.15. num.20. & 26. Afin.in l.familiaris ff.de relig.& sumpt.fun.Med.q.7.num.26. Panorm.d.cap. de vxore num 7.Lauor.d.c.11.num.140.* Quod tamen limitandum est nisi sepultura sit hæreditaria, & maritus sit hæres vxoris. Vel si vxor instituisset sepulchrum pro familia mariti. *Moron.res.5 t.* addit, quod si vxor consentiente marito elegit sepulturam, sit sepeliendus cum vxore non in sepulchro maiorum sed oppositum deducitur ex *d.cap.is qui.* & DD. absolute negant maritum debere sequi voluntatem vxoris.

342 Relegati seu confinati in aliquo loco, vel sunt relegati ad tempus vel in perpetuum. Delegatos enim ad tempus debere sepeliri in ea Ciuitate in qua sepeliri debuissent si non fuissent relegati, *l.filij §.relegatus.ff.ad municipal. l.exilium. l.relegatorum §.fin.ff.de interd.& releg. Med.quæst.7. num.28.* relegatos vero in perpetuum sepeliendos esse vbi fuerunt relegati, nec posse inde extrahi nisi de licentia Principis. *l. fin. ff.de cadauer. damnator.* Eam tamen licentiam non debere negari, tradit *Lauor.d.cap.11.num.141.* Ego quantum sit ex vi legis Canonicæ nullum discrimen facio inter huiusmodi, vtrique enim sepeliri debent vbi alias de iura, si fieri potest: Si vero id fieri non possit lex aduenarum in eis seruari debet.

343 Damnati ad mortem si sententia transije in iudicatum, & non fuit suspensa per appellationem, non eligunt sibi sepulturam, quia per vltimam voluntatem nihil possunt disponere, immo nec pro anima aliquid relinquere. *Syluest. v.sepultura. q.6. Lauor. d.cap.11.num.142.* Ideo ipsi sepeliendi sunt vel in sepultura maiorum, vel in Parochia propria, aut vbi moriuntur, seu vbi sepeliuntur aduenę, aut in sepultura pro illis deputata. De iura tamen non possunt sepeliri nisi permissione principis. *Med. q.7.nu.29.Lauor. num.143.* Aliquando enim ob crimen atrocissimum tenetur in patibulo etiam post mortem. Conuenit vero vt damnatorum Cadauera non sepeliantur in Ecclesijs insignibus, & magnæ deuotionis, & concursus, quia hoc generat horrorem, & posset etiam impedire deuotionem, vnde conueniens est, vt habeatur in aliqua particulari Ecclesia sepultura particularis pro illis. Vt tanquam decisum à Sacr. Congreg. Regul. refert *Nicol.c.4.tr.15.num.*

344 De aduenis, & peregrinis iam satis supra pluries dictum est vbi debeant sepeliri. Hoc aduertendum quod potest esse distinctio inter habentem domicilium, & peregrinum, quod ille debet habere tanquam proprium sacerdotem Parochum domicilij, vnde si decedat extra illam Parochiam in ea nihilominus est sepeliendus, sed peregrinus non habens domicilium sepeliendus est in Ecclesia intra cuius fines moritur. Sed quia in hoc sunt multæ diuersæ consuetudines locorum, standum est cuiuscumque loci consuetudini. In statutis Cleri Romani *cap.3. §.6.* decernitur quod exteri, peregrini, & vagabundi, & similes, qui non dicuntur habere domicilium pertineant ad parochiam in qua decedunt. Quamuis de infirmis transportatis statutum fuerit eos pertinere ad Parochiam in qua prius infirmantur, & §.17. de Nautis & mercatoribus & similibus suas naues ad Tyberinas ripas applicantibus quousque in dictis nauibus degunt, quod spectent ad Parochiam intra cuius limites sunt ripæ, & §.18. quod si illi extra nauim & Parochiam pernoctant, & morantur, & eos mori contigerit emolumēta funeris æqualiter inter duos Parochos diuidantur. Famuli, & familiares qui sic inseruiunt Dominis, quod alibi habent proprium domicilium & familiam sepeliendi sunt in Parochia vbi habent domum & habitant, licet in domibus Dominorum infirmentur, & decedant. Quod etiam statutum fuit per Clerum Rom.*cap.3. §.21.* secus tamen dicendum est de famulis, & familiaribus in domibus Dominorum habitantibus: isti enim de Parochia dominorum censendi sunt. Artifices quoque qui in proprijs domibus, vel à se conductis habitant, licet de die inseruiant dominis in alia Parochia existentibus in Parochia habitationis eorum sepeliendi sunt, & ad eam pertinere censentur. Vt in eisdem statutis decernitur. §.22. si tamen in loco vbi aduena moritur vel peregrinus ipse sibi elegerit sepulturam in ea sepeliri debet. Sicut si ibi esset aliqua suorum maiorum sepultura. Si etiam Ecclesia in qua de iura sepeliendus esset in patria sua, vel ciuitate vbi habitat vel alibi velit illum apud se deferre non potest illi negari. Aduena enim & peregrinus extra patriam vel ciuitatem suam sepeliuntur solum ex causa necessitatis quia non possunt commode ad illam deferri, sed vbi ij, ad quos spectat eos deferre velint ad loca propria non potest illis hoc negari ab Ecclesia Cathedrali, vel Parochiali loci in quo decesserunt. *Bonac.de contract.disp.3.q.21.p.3. nu.6.*

345 Eremitæ in Ecclesia Parochiali sepeliuntur, vel in alia in qua de iure *Medices autem q.7. nu.18.* vult quod si professi sint aliquam Regulam datam à Diœcesano sepeliendi sint in monasterio viciniori, & sic vniuersaliter quod qui professus est vitam Eremiticam in Ecclesia suæ Religionis sepeliendus sit ex *cap.fin.de sepult.in 6.* Sed hodie ad solum summum Pontificem spectat approbare Re-

ligiones, & qui Religionem approbatam à Sede Apostolica non profitentur in Parochia vel in Ecclesia in qua alias de iure, sepeliri debent.

346 Putat etiam *Panorm. in cap. sacris, nu. 6. de sepult.* cum Abbate antiquo quod leprosi non sint sepeliendi cum alijs. Sed ex *Authar.* negant hoc *Syluest. v. sepult. num. 17. Tabien. num. 23.* quia non est periculum quod leprosus inficiat corpora aliorum mortuorum, & pro viuis non est maius periculum infectionis si leprosus sepeliatur in communi sepulchro, quam in particulari, & sibi proprio.

347 Sic etiam qui rusticantur, & causa recreationis aut alicuius negotij sunt extra Ciuitatem in aliqua villa, si commode & sine periculo deferri possunt ad propriam sepulturam, vel maiorum, vel Parochiam deferri debent *cap. is qui, de sepult. in fin. & ibi DD. Syluest. v. sepult. q. 8. Angel. in v. sepult. num. 8. Lauor. d. c. 11. num. 147.*

348 Morbo vero contagioso laborantes, licet non sint priuandi sepultura Ecclesiastica, non tamen sunt in Ecclesijs, vbi concurrit populus ad audienda sacra tumulandi, sed in loco non periculoso, & separato. *Panor. in cap. sacris num. 6. de sepult. Armilla v. sepult. num. 26. Tabien. num. 24. Med. q. 7. num. 36. Lauor. d. c. 11. num. 149.*

349 Casu morientes in mari, vel in terra, vel in bello non carent Ecclesiastica sepultura, *cap. ex parte, el 2. de sepult.* Et isti sepeliri debent, vel in propria terra, vel alibi iuxta leges supra explicatas, si potest. Sac. Congreg. in vna Caiet. 5. Octob. & 26. Oct. 1604. *c. apud Nicoliũ. 1. p. t. 15. n. 19.* Et quod Episcop. non possit prohibere ne quis sepeliatur in Parochiali &c. mortuum repentine tanquam decisum ad Sacr. Congreg. Regul. 10. Iun. 1586. & 4. Mar. 1616. refert *Nicolius vbi sup.*

350 Interdicta si sit Ecclesia vbi quis sit sepeliendus, tunc si est interdicta sepultura electa, sepelietur in sepulchro maiorum; & si ibi non poterit, in Parochia, & si hæc est interdicta in Cathedrali, quod si omnes sint interdictæ in monasterio propinquiori si alias sepeliendus non sit talis, qui carere debeat sepultura. *cap. vt priuilegia, de priuil. Clem. 1, de sepult. Medic. q. 7. num. 33.*

351 Mandans vero corpus suum comburi & non sepeliri non est audiendus sed sepeliri debet. *Med. quæst. 20. num. 5.* Item si quis mandet sepeliri non honorifice prout decet, vt si iubeat corpus suũ poni in vna storia sine pannis, vel sepeliri cum vna candela & priuauit hæredem si contrafaciat non tenetur hæres obedire, quia huiusmodi ineptæ voluntates circa sepulturã non sunt seruandæ. *l. seruus §. fin. ff. de leg. 1. & ex Paulo in l. quidam in suo. ff. de condit. inst. num. 3. Med. q. 22. num. 2.* Vbi refert quod cum quidem Doctor Patauinus iusserit corpus suũ portari cum tubis, & corneis ad Ecclesiam, & quod fierent nuptiæ, & quod vxor eius indueretur pannibus rubeis, & aliter priuauit hæreditate, talis ordinatio non fuit seruanda, quia contra mores, & omnis turpis conditio est reijcienda. Addit vero *Med. n. 4.* hæredẽ non priuari hæreditate, si testator non sit sepultus in ea Ecclesia in qua voluit sepeliri. Sed considerandum quod vbi quis intuitu virtutis, & ex virtute mandat sepeliri humili modo, conditio nec turpis, nec inepta est, & debet seruari. Et si id non fiat ex culpa hæredis, perdet hæreditatem sibi sub ea conditione relictam, & nõ aliter.

SVMMARIVM.

1 *Qui eligit sepulturam illamque construit non habet dominium fundi. n. 352.*
2 *Acquirit ius vtendi sepultura etiam priuatiue quoad alios. n. 353.*
3 *Ius sepeliendi spirituale. n. 354. 364.*
4 *Sepultura an vendi possit. n. 355.*
5 *Consuetudo est vt detur aliquid pro sepultura. num. 356.*
6 *Iura probibent, ne aliquid accipiatur pro sepultura. num. 357.*
7 *Consuetudo dandi pro sepultura iusta, si quod datur detur in sustentamentum non tanquam pretium. n. 358. 359.*
8 *Qui seruiunt altari de altari viuunt. n. 359.*
9 *Consuetudo dandi; & recipiendi aliquid pro sepultura seruanda est. n. 359. 360.*
10 *Officium iudicis potest implorari pro obseruantia huius consuetudinis. n. 360.*
11 *Consuetudo simoniaca non toleranda. n. 360.*
12 *Qualiter hæc consuetudo sit probanda. n. 361.*
13 *Consuetudo vendendi sepulturam non iustificatur quia vendatur locus. n. 362.*
14 *Nec quia detur honorabilior locus. n. 363.*
15 *Sed quia obligatur locus materialis. n. 363.*
16 *Vsus sepulturæ non est pretio æstimabilis. n. 363.*
17 *Pactum vt nullus alius possit sepeliri in sepultura est turpe, & simoniacum. n. 364.*

Quale sit ius, quod ex concessa sibi sepultura obtinent eam eligentes.

INSPEG. IV. CAPIT. IV.

352 Possunt fideles eligere sibi sepulturam in quacumque Ecclesia voluerint, eaque electa acquirunt ius sepeliendi in ea, si Ecclesia sepulturæ construendæ licentiam concedit, & sepultura constructa fuerit. Primo tamen diligenter considerandum est quodnam sit hoc ius, & an sit corporale vel spirituale. Est vero apud omnes certum, quod hoc ius non est dominium fundi, quoniam fundus non alienatur, sed remanet Ecclesiæ, & nec potest alienari sine beneplacito Apostolico; vnde cum alicui capella, vel locus pro sepultura extruenda cõceditur non conceditur sibi dominiũ fundi. *Sylu. v. sepultura n. 3. ex Hostien. Tabien. n. 20. Rota decis. 291. num. 1. coram Coccino. Adden. ad decis. 145. num. 5. coram Gregor. XV. Peyr. ad const. 26. Leon. X. num. 21. & tom. 3. cap. 4. num. 46. Lez. v. sepult. num. 14. & 16. Bordon. resol. 51. num. 74. Barbosa l. 2. de iure Eccles. cap. 10. & de Parocho cap. 26. nu. 11. Lauor. tit. 2. cap. 9. n. 11. Nauar. cons. 1. de sepult.*

353 Quod ergo conceditur est ius vtendi, quod continet duo, primum est ius sepeliendi in sepulchro illo sibi concesso mortuos suos, secundum est ius prohibendi ne alius eo inuito in eo sepeliatur, quod est ius sepeliendi suos priuatiue quoad alios. Ita citati DD. & præterea *Perez de Lara de anniuers. & Capell. l. 1. c. 25. num. 47. Rota dec. 23.*

dec.22.num.2.apud Farin.p.1. in posthum. vbi quod licet sepulchrum sit quid Religiosum, & cum in nullius bonis sit extra hominum commercium esse dicatur, & ob id nec acquiri ab aliquo neque possideri possit. *l. si sepulchrum C. de relig. & sumpt. fun.* nihilominus tamen ius, & vsus sepulchri siue sepeliendi acquisibilis est, ita vt qui acquisiuit in eo sepeliri possit, & cæteros ne ibi sepeliantur impedire. *l.2. §.vsumfructum. l. familiaria, & l. sequen. ff. de relig. & sumpt. fun. l. ius sepulchri. C. eodem tit.* Idẽ voluit *Rota dec.787.nu.4. & 5.p.1.diuers. & in Burgen sepultura de Villadiego 1. Iunij 1605. coram Ortembergo, & in Calagurit. sepultura 17. May 1606. coram Coccino & in Abulen. sepultura 21. Febr. 1611. coram Peana Adden. ad dec.145. num.5. coram Gregor.XV.*

354 Hoc ius vero essentialiter est spirituale, quia sepultura Ecclesiastica quid religiosum est, & spirituale, vt supra explicatum fuit tum ratione benedictionis loci, non enim sepultura datur nisi in Ecclesijs, aut Cœmeterijs consecratis, vel saltem benedictis, tum quia ab Ecclesia in his locis conduntur corpora in spe futuræ resurrectionis, & in testimonium, quod defunctus est de Christi Ecclesia, & vt fideles pro eorum salute preces fundant, & vt maneant sub protectione, & intercessione sanctorum quibus Ecclesiæ & altaria sunt cõsecrata, & vt speciali iure defuncti sint participes suffragiorum & bonorum, quæ in Ecclesia fiunt. Vt habetur ex *S. Greg. lib.4. dialog. cap.50.* & refertur *cap. cum grauia. 13. q. 2. & ex S. Aug. lib. de cura agenda pro mortuis. cap.5. & habetur cap. non æstimemus, eod. causa & quæst.* Vnde dubium non est, quod ius huiusmodi sepulturæ est spirituale. Licet habeat annexum aliquid temporalitatis, quia est ius vtendi re corporea, & impediendi ne fundus corporaliter mutetur, vel alteretur, vel ad quemcumque vsum corporeum & temporale concedatur, vnde est ius, vt à nullo possit corporaliter damnificari; Ideo si quis stillicidium immiserit in sepulturam alicuius, quod possit cum eo agi vt stillicidium remoueat, dixit *Lauorius tit.2. cap.9. num.34.* Nihilominus tamen principale & formale in sepultura Ecclesiastica est spirituale, & religiosum & quid quod ex fide in finem diuini cultus ordinatur ex causis prædictis.

355 Hinc modo solui potest quæstio an ius sepulturæ vendi possit, & an concessio iuris sepulturæ sit ex contractu oneroso & sit venditio, vel potius donatio. Quod quidem omnino necessario est considerandum. De hac quidem quæstione tractaui *supra quæst. 185. a.7. à num.387. pag.301.* Sed ibi consideratum hoc est inquantum concessio sepulturæ sit quædam alienatio rei Ecclesiæ, quæ nequit fieri inconsulta Sede Apostolica, tractatum etiam est an in hac alienatione sit vel non sit simonia, sed modo iterum videndum est qualiter sine simonia hoc ius spirituale transire possit in laicum & successores eius, vt appareat quantum se hoc ius extendat præcipue inquantum est priuatiuum, & libertatem Ecclesiæ restringit.

356 Consuetudinem vero esse in Ecclesia dandi aliquid Ecclesiæ pro loco sepulturæ est per se certum, vnde etiam certum est hoc licere, *D. Th. 4. c.25. quæst.3. a.2. quæst.3. ad secundum. Panorm. cap. abolenda. nu.7. de sepult. Turrecrem. ad cap. dictam 1. quæst. 1. Adden. ad decis. 145. num.10. coram Greg. XV. & ibid. Rota in Calagurit. sepultura 3. Iulij 1617. coram Manzanedo. Grat. discept. 110. num.6.* & apud ibi *Rota in Tirasonen. sepultura 17. May 1572. coram Lancelloto. & iterum discept. 210. nu.11. & 28.* & alij apud eum *Barbosa ad cap. abolenda num.2.* quam plures referens, *& l.2. de iure Eccles. cap.10. & de Parocho cap.26. num.11. Perez de Lara de Aniuers.* Et talis est hæc consuetudo vt seruari debeat, & ita quod fideles ad eam obseruandam compelli debeant. *D. Th. Turrecrem. Panorm. & Gratianus* citati, & habetur ex *cap. ad Apostolicam de simonia.*

357 Sed cum per plura iura prohibitum sit aliquid accipere pro sepultura *cap. dictum 103. 1. q. 1. cap. quæsta 12. cap. postquam 13. cap. in Ecclesiastico 14. cap. præcipiendum 15. 13. q. 1. cap. abolenda 13. de sepult.* Nam & esse simoniam exigere aliquid pro sepultura habetur *c. non satis 8. c. cum in Ecclesiis 9. c. audiuimus 41. de simon.* Quoniam vt dictum est pro pretio tradere spirituale est simonia. *cap. de iure, de iure patr. cap. cum pridem. cap. fin. de pactis. cap. super eo de transact. cap. querelam, de simon. capit. decimas 16. quæst. 1.* Ius vero sepulturæ est spirituale; ideo diuersimode DD. explicant quomodo hæc consuetudo dandi aliquid pro sepultura non sit simonia. Et quoniã nomine sepulturæ hic duo intelligi possunt secundum *Sanctum Thomam loco cit.* scilicet locus, aut etiam ius vtendi loco, siue etiam vsus eius, & officium sepeliendi defunctum, & consuetudo est aliquid dandi nedum pro vsu loci ad sepeliendum sed etiam pro officio sepulturæ, & consuetudo huiusmodi licita est, vt dictum est.

358 Ideo aliqui hanc consuetudinem iustificant tollendo pactum & pretium, & obligationem iustitiæ, & dicendo, quod hoc quod datur, non datur vt pretium sepulturæ, neque ex pacto, sed per modum eleemosynæ in fabricam Ecclesiæ, vel in sustentamentum ministrorum. Et hunc modum innuit *Perez de Lara de anniu. l.1. cap.25. num.17.* & asseruit *Barbosa de iure Eccles. l.2. cap.10. nu.16. post Suarez tom.1. trac.3. cap.14. num.22. Portel. v. sepultura num.8. Villalob. p.2. trac.37. diff.2.3. & 9. Hier. Rodriq resol.328. num.2.* Et certe cum tam vsus sepulturæ, quam sepeliendi officium sit spirituale, non potest ex pacto & pro pretio exhiberi sine simonia. Sicut tamen in sacrorum ministerio, & celebratione missarum licitum est dare aliquid temporale & illud recipere in sustentamentum ministrorum, sic etiam sine dubio & hoc licet pro officio sepulturæ, seu etiam pro vsu loci ad sepeliendum. Sed considerandum est, quod hoc modo spirituale datur omnino gratis. Qui vero dant temporale illud dant ex ea iustitia quam Christus dominus instituit, vt qui inseruiunt altari de altari viuere debeant. Quæ iustitia ad virtutẽ religionis spectat.

359 Hinc enim summe consideranda sunt, quæ habet Apostolus in *p. ad Corint. cap.9. Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi?* Et infra. *Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Et infra. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Et infra. *Nescitis quod qui in sacrario operantur quæ de sacrario sunt edunt; & qui altari deseruiunt, de altari participant? Ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant*

de euangelio viuere. Vbi bene aduertit D. Thom. quod Apost. probat quod Ecclesiastici licite possunt accipere sumptus, quibus sustententur, & per auctoritatem humanæ consuetudinis, quæ est vt milites, & agricolæ, & pastores viuant de laboribus suis; & per rationem, quia iustum est, vt seminantes spiritualia metant corporalia quibus sustententur; & per exempla sacerdotum antiquorum, quia inseruientes altari de altari participabant; Et tandem quia Dominus id ordinauit, & disposuit. Vnde ex hac parte indubitatum est, quod Clerici & Religiosi gratis quidē, & propter Dei honorem concedentes vsum terræ sacræ ad sepeliendum, & sepulturæ officia exhibentes possunt à secularibus accipere in sui sustentamentum, quod pietas fidelium disposuit, & consuetudo ipsa firmauit. Vnde si adsit laudabilis consuetudo soluendi aliquid etiam pro ijs, qui sepeliuntur in proprijs sepulchris seruandam esse tanquam decisum à Sacr. Congreg. Regular. in Sabinen. 27. Iunij 1659. aduertit *Nicolius in lucubrat. vtriusque iuris p.p. l.4. tit.15. num.22.* Et quamuis eadem Sacr. Congreg. apud eandem ibid. censuerit, quod non possit introduci consuetudo, vt pro quolibet cadauere exigatur vnum scutum. 5. Martij 1602. & 20. Septem. 1604. nihilominus hanc tolerari posse pro subuentione Parochi pauperis dixit in Ferentinen 16. Maij 1582.

360 Vnde est, quod huiusmodi consuetudo est seruanda, & si non obseruetur, habent Ecclesiastici vt implorent in hoc iudicium superiorū ad hoc, vt compellant seculares ad huius cōsuetudinis obseruantiam, vt dixit *S. Thom. loco citat. & ex eo Turrecrem. ad d. cap. dictum & Gratian. discep. 210. n.24.* id probans *ex cap. ex parte 5. pro consuetudinibus, de Censibus; & ex cap. ad Apostolicam de simonia, & ex Gloss. in cap. sua; & cap. cum Ecclesia, de sim. & Castrens. cons. 363.* Nam & consuetudo, quam abominatur *Innocentius Tertius in cap. abolendæ, de sepult.* erat consuetudo simoniaca accipiendi aliquid pro pretio sepulturæ, & talis cum sit contra ius diuinum, nec est nec esse potest rationabilis, vnde non est vnquam sustinenda, prout dixerunt *Io. Andreas, & alij ad d. cap. abolendæ, Redoan de simon p.3. cap.4. num.9. fol.87.* Sed vbi consuetudo sit dandi aliquid non ex pacto & vt pretium sepulturæ, sed vt eleemosyna in sustentamentum Ecclesiæ, aut ministrorum Ecclesiæ hæc est seruanda, & ad illam seruandam officio iudicis cogi possunt seculares. Addit vero idem *Grat. nu.26.* quod non seruantes huiusmodi laudabilem consuetudinem peccant mortaliter, nisi ex aliqua rationabili causa desistant. Et num.27. quod id, quod datur vigore huius piæ consuetudinis perpetuo sit dandum, & quod contra eam non valeat statutum vt reuocetur, cum distinctionibus tamen de quibus per *Alex. cons. 209. nu.14. l.2. & per Felin. in c. Eccles. S. Mariæ col.38. v. duodecimo quæro, de const. & alios quos ibid. citat.* Quia quamuis non valeat consuetudo inducens simoniam, vt per *Panorm. in cap. satis, num.5. de simon. Neuis. cons.55. num.9.* Tamen intelligendum est hoc dummodo non habeat causam specificam simoniā excludentem, puta quia solueretur loco decimarum, vel Cathedratici, vel diuini cultus, vel etiam in Clericorum sustentamentum *Prap. in cap. dictum est 1. quæst. 1. Anton. Piag. de consuetudo q.6. n.105.*

361 Addit vero idem *Grat. nu.29.* quod quando dubitaretur de huiusmodi cōsuetudine ad eam probandam non sufficeret probare solutionem, sed requireretur probatio, quod gratis Parochiani soluerint, non ad importunitatem, & requisitionem Clericorum sed sponte, & nulla necessitate cogente, & quod pure & simpliciter fuerit oblatum, quod solutum est, nulla præcedente pactione, vel pignore. Ita vt prius dentur spiritualia antequam aliquid temporale, vel spes de eo habeatur, cum potius eo casu videretur facta solutio non vigore consuetudinis, sed ad vitandam vexationem. Et quod id; quod soluitur sit taxatum ad arbitrium Parochianorum, non Clericorum, quasi tunc habeat manifestam speciem cupiditatis & simoniæ. Et quod totus populus, vel maior pars permanserit in seruanda huiusmodi consuetudine laudabili. Istis enim non probatis non potest dici rationabilis consuetudo, & per piam fidelium deuotionem introducta. Vnde non sufficiet quem probare se fuisse in possessione percipiendi, nisi etiam probetur, quod solutio fuit facta ex eorumdem deuotione, cum alijs requisitis supradictis, cum hoc possessorium habeat admixtam secum causam proprietatis, vltrà quod etiam ista possessio habet cōtra se ius commune. Quare non satis erit probare se esse spoliatū, neque enim relegat possessio quando contra possidentem extat ius commune, quia tunc debet probari etiam iustus titulus, nec agens restituitur si non constat de iure agentis in prætorio. Ita vt horum omnium cognitio, & an valeat nec ne huiusmodi consuetudo spectet ad Iudicem Ecclesiasticum, non secularem. Ita prædicta omnia in specie sepulturæ de qua agitur, declarat *Castren. cons. 363. & 401. lib.1. Adden. ad Marches. sing.75. num.16. Bellam. cons.31. Sebast. Sapia ad Panorm. in cap. Abolendæ 13. in verbo consuetudo, de sepult. Redoan. de simon. ment. p.3. quæst.16. num.33. & 37.* Qui etiam omnes in dubio concludunt præsumi consuetudinem inductam causa auaritiæ, vel cupiditatis. Cum enim agitur de solutione temporali facienda Clericis in dubio contra eos est iudicandum ne notentur auaritia in exactione temporalium. *cap. quanto, de censibus. Panorm. in cap.1. vers. vltimo nota, de decim. Bellam. cons.31. num.24.* Hæc quidem *Grat.* circa quæ aduertendum, quod licet multa ex recensitis acquisitis ad huiusmodi laudabilem consuetudinem sint necessaria solum pro foro externo ad fugiendam malam præsumptionem, tamen hoc verum est, quod constare debet de exclusione simoniaci pacti, & pretij, & ideo de laudabili titulo soluendi, quod soluitur.

362 Alij autem loquentes de sepultura vt importat locum, non vero vt significat actuale sepeliendi officium, voluerunt quod sepultura vendi possit, & sic quod id, quod traditur pro sepultura soluatur tanquam pretium, & ex pacto. Quod multis modis explicant. Alij scilicet quia locus est res materialis, quæ vendi potest quantum materialiter valet, licet non possit vendi amplius quam materialiter valeat ratione spiritualis annexi. Ita *Grat. discep. 210. num.15. & alij.* Quod quidem de possibili verum est, quia huiusmodi materialia habentes annexa spiritualia separabiliter absolute sine simonia vendi possunt ratione materialitatis. Sed in proposito hoc non procedit in præsēti, quia

dum

dum alicui conceditur sepultura, non venditur locus, qui nec alias vendi posset laico; qui est incapax dominij rei spiritualis. Vnde est quod sepulchrum nec conceditur, nec concedi potest alicui nisi quantum ad vsum tantum *Rota dec.191.n.1.coram Coccino & decis.145.num.5.coram Greg.15.vbi add.ien. Syluest.v.sepult.num.3.Tabien.nu.20. Lauor. in.2. cap.9. num. 11. Peyr.tom.3.opi.num.46.* & alij DD.communiter. Si ergo non venditur locus, non potest iustificari solutio pecuniæ pro sepultura, ratione loci, vel situs, quia non alienatur locus, sed loci vsus, qui cum sit spiritualis, remanet explicandum, quomodo hoc liceite fine simonia fieri possit.

303 Alij igitur recurrunt ad qualitatem loci, et quia conceditur sepultura in loco honorabiliori. Et hic est communior modus respondendi pro quo *Barbosa d. num.16.* quamplures refert DD. & inter alios Dominos de *Rota dec.561. num.1. apud Ferin. p.2. in posthum.* Et idem etiam voluit *Lotterius l.2. quæst.4.* asserens sustineri huiusmodi venditiones ex natura rei, prout res quæ venditur est mere prophana, cuiusmodi reputatur honor ille, seu prerogatiua loci in quo alius non debeat sepeliri. Eadem vero sensit *Grat. discep.110. num.11.* Quod tamen habet instantiam euidentem, Tum quia non saluat vniuersaliter iustitiam huius consuetudinis, cum non omnes, immo ex illis pauciores sint in loco magis honorabili. Tum quia vix potest inueniri casus in quo maior honorabilitas loci sepulturæ in Ecclesia non sit quid spirituale, desumptum ex respectu ad aliquod spirituale, & ex spirituali causa, & ideo non vendibile sine simonia. Quod enim honorabilior locus sine simonia non ematur, si maior honorabilitas sumitur ex respectu ad spirituale fatentur ijdem DD. & aduertit *Cespedes dub.219.num.2.* honor vero ille consurgens ex iure priuatiuo, vt alius non sepeliatur ibi, est spiritualis sine dubio. Nam & obligatio quam assumit Ecclesia non negandi vsum sepulturæ emti illam, & non concedendi alteri eiusdem sepulturæ vsum est vere spiritualis. Vnde nō potest approbari modus dicendi *Suarez lib.4.cap.14.num.18. de simonia*, Propterea *supr.ad d.q.185. a.7.nu.395.* dixi huiusmodi consuetudinem posse iustificari ex eo quod immutetur corporaliter situs, & Ecclesia subeat obligationem corporalem & temporalem, vt nec possit ad corporeum vsum vti loco illo, & situ, quem concedit pro sepultura. Sed tutior modus iustificandi hanc consuetudinem recipiēdi aliquid pro loco sepulchri concesso, est vt hic non interueniat venditio, neque pactum, sed quod id, quod datur, detur tanquam eleemosyna in subsidium fabricæ Ecclesiæ vel in sustentamentum Ministrorum. Et omnino falsum est, & prorsus reijciendum, quod docuit *Melch.Phæbo Lusit.dec.8.nu.13.* apud *Barbosam lib. de iure Eccles.8.num.56. in fine*, scilicet quod vsus sepulchri hæreditarij est pretio æstimabilis, & vendi potest pro debitis defuncti. Quia hic vsus est spiritualis, & religiosus, licet sepulchrum materialiter sit res temporalis, quæ vendi potest sine simonia pro eo quod materialiter valet, & ita quod nihil prorsus vendatur amplius ratione spiritualis annexi.

364 Quocumque tamen modo hoc explicetur semper verum est, quod ius sepulchri non vēditur, sed gratis datur, & donatur, quia cum sit spirituale vendi non potest, nec dari ex pacto oneroso, & pro pretio. In quo sensu bene dixit *Rota dec.561. num.3.p.4.recent.* quod sepultura sine simonia vendi non potest. Ideo nullo modo sustineri potest, quod habet *Bordon. resol.51. de sepult. num.78.* vbi admittit quod Ecclesiastici possunt concedere alicui sepulturam cum pacto expresso vt nullus qui nō sit de familia eius, cui sepultura cōceditur possit in ea sepeliri. Nā si hoc pactum intelligitur vt onerosum hoc pactum est expresse simoniacum, cum sepultura non possit concedi ex pacto. Et ideo quod huiusmodi pactum, & conditio tanquam turpis sit reijcienda, bene dixit *Syluest. v. sepultura quæst.3. fin.* quem sequitur *Peyr.tom.3. cap.4.num.49.* Sic ergo laici sine pro sepultura parum sine multum dederint, ius sepulturæ non habent, nec habere possunt ex pacto oneroso, & tanquam emptum pro pretio, sed solum tanquam gratis ab Ecclesia concessum, & ex liberalitate donatum; quia cum hoc ius sit vere spirituale nō est emibile, nec concedibile pro pretio, & ex pacto. Et ideo quidquid in contrarium dixerit *Lauorius l.2.q.4. num.11.* vtilis est cautela quam affert ex *Genuensis Praxi. c.34.n.29.* vt in instrumento concessionis nihil aliud ponatur quam spontanea concessio.

SVMMARIVM.

1 *Sententia Medices. n.365.*
2 *Concedere actualem sepulturam in loco deputato pertinet ad Rectorem Ecclesiæ. n.366.*
3 *Concedere sepulturam nouam, & perpetuam, seu concedere situm ad vsum sepeliendi perpetuū pertinet ad Episcopum. nu.367.*
4 *Vel etiam ad Legatum. n.368.*
5 *Hæc concessio fieri potest sine solemnitate Pauline. num.368.*
6 *Alicubi non potest concedi noua sepultura, nisi ab Episcopo. n.369.*
7 *Canonici, & œconomi non possunt concedere nouam sepulturam sine superiore. n.369.*
8 *Quilibet superior an possit sepulturam in sua Ecclesia concedere. n.370.*
9 *Vicarius Episcopi an possit sepulturam concedere. num.370.*
10 *De consuetudine Rector Ecclesiæ nouam sepulturam concedit. n.371.*
11 *Prælatus localis Regularium nouam sepulturam concedit. n.371.*
12 *Non indiget ad hoc licentia Episcopi, qui id nec potest prohibere. n.371.*
13 *Concessio iuris sepeliendi est vera alienatio. num.371.*
14 *Quælibet Ecclesia non habet cœmeterium adiunctum, sed ex priuilegio Episcopi potest habere. num.372.*
15 *Locus factus Religiosus sine alia priuilegio est locus sepulturæ. n.372.*
16 *Priuilegium eligendi sepulturam continet conditionem, si Rector Ecclesiæ consenserit. numer. 373.*

Cui

Cui competat concedere sepulturam in Ecclesia.

INSPECTIONIS QVARTÆ.

CAP. QVINTVM.

365 TRactat hoc punctum *Sebast. Medices de sepult.p.1.quæst.10.*& tenet quod Ecclesia Parochialis censetur à iure communi habere ius sepulturæ *cap.fraternitatem, de sepult.*sed tamen oportet, quod prius consignetur Cœmeterium per Episcopum, & benedicatur. In quo casu si cœmeterium assignatur liberum, quisquis ibi potest eligere sepulturam, etiam si non sit parochianus, non vero si cœmeterium sit limitatum, sicut potest limitate concedi per *Butr. in cap. certificari, de sepult.* Potest vero Episcopus in sua diœcesi hoc priuilegiũ sepulturæ cõcedere etiam intra limites alterius Parochialis. Neque in hoc fit præiudicium Parochiali, quia Parochiani habent ius eligendi sibi sepulturam vbi voluerint. *quæst.autem 16.num.2.* habet, quod consensus diœcesani requiritur quando datur facultas sepeliendi in aliquo loco; quando vero est concessum priuilegium alicui loco sepeliendi, tunc in constructione alicuius sepulturæ familiaris, seu hæreditariæ satis erit consensus Rectoris Ecclesiæ, & ita seruatur in practica. Quod si aliquis sibi soli elegerit sepulturam poterit absque consensu etiam Rectoris Ecclesiæ, quia hoc à iure conceditur, vt ad libitum quisque sibi eligat sepulturam. Et hoc idem dixerat *quæst.9.num.6.* Si tamen requireretur consensus Rectoris, & negaret, dixit recurrendum esse ad superiorem.

366 Sepulturæ nomine duo hic possumus intelligere, scilicet sepulturam actualem pro hoc vel illo defuncto, & sepulturam habitualem, & perpetuam, & vniuersalem pro familia. Aliud enim est hunc vel illum defunctum recipere in cœmeterio vel sepultura communi deputata ad sepeliẽdos defunctos Parochiæ, & aliud est concedere locum in perpetuam sepulturam particularis personæ, aut familiæ, dando illi ius sepulturæ priuatiue quoad alios. Propterea *Rota decis.350.num.1.coram Gregor.XV.* bene distinxit inter concessionem sepulturæ, & concessionem tituli sepulturæ. Nam concedit sepulturam, qui in singulari actu concedit vt aliquis sepeliatur: sed titulum sepulturæ concedit, qui dat perpetuam sepulturam, & tale quale dominium vsus loci ad sepulturam sui, vel aliorum. Concedere itaque actualem sepulturam in loco deputato iam pro sepultura sine noua fractura pauimẽti Ecclesiæ, vt concedere actualem sepulturam in cœmeterio, vel in sepulchro iam extructo spectat ad immediatum Ecclesiæ rectorem. Quia ex quo sepultura est extructa & deputata ad sepeliendum actualis sepelitio est functio illius ad quem immediate Ecclesiæ gubernium spectat, vt praxis ipsa confirmat.

367 Sed concedere sepulturam nouam habendam in titulum, seu cum noua fractione pauimenti Ecclesiæ, pertinet ad Episcopum in Ecclesijs secularibus. *Panorm.in cap.penult.de sepulturis, & ibi alij Canon.Hostien.in sum. nu.2.Card.in Clem.dudum num.1.de sepult.Medices q.6.num.6.Caualer.decis.15. num.2.Penna dec.154.num.4. Barbosa l.2.de iure Eccles.cap.10.num.9.& de Parocho cap.26. nu.4.Lauor. tit.2.cap.8.num.6.Moron resol.51.num.34.Bordon.resol.51.num.86.Bonac.de contr.disp.3. q.21.p.3.num.3.* Quamuis quod ad hoc sufficiat licentia Episcopi tacita dixerit *Grat.discep.210.num.51.*vbi quod sufficit Episcopi tolerantia, & quod hæc licentia tacita colligitur quando sepulchrum esset in loco patenti, & Episcopus non contradixit, vt in specie resoluit *Rota in Burgen. Sanctæ Dorotheæ 15. Iun. 1573.coram Costa, quæ est inter decis. diuers.222.n.4. p.1.* & hoc idem docuit *Lauor.tit.2.cap.9. num.112.* Eandem vero sepulturæ licentiam posse concedere Legatum à Latere in sua Prouincia aduerterũt *Barbosa & Moron.vbi sup.Caual.d.dec.15.num.2.*

368 Posset vero dubitari an hoc possit Episcopus facere inconsulta Sede Apostolica; quia non potest negari quod concessio sepulturæ, & maxime si concedatur ius, vt nullus alius possit ibi sepeliri, & sic imponatur hæc seruitus Ecclesiæ, non sit quædam alienationis species *Butr. in cap. abolendæ num.3.& ibi Panorm.num.5.de sepult.* Res vero Ecclesiæ inconsulta Sede Apostolica alienari non possunt. Igitur dicendum erit, quod nec ea inconsulta possit concedi sepultura, maxime si concedatur cum iure priuatiuo vt nullus alius ibi sepeliatur, & ita tenet *Rota dec.154.num.5.coram Penna* referens *Beroum in cap.nulli, num.78.& 79.* de rebus Ecclesiæ non alienandis. Verum dicitur quod hoc procedit spectato solo iure communi, extrauag. ambitiosæ, sed de consuetudine per totum Orbem introducta in concessione sepulturæ non requiritur Sedis Apostolicæ consensus, vt in margine *d. Rota adnotatur ex dec.787.num.5.p.p.diuers. Cocc.dec.291. num.1.Ludou. dec.145.* & est sententia communis. Quamuis nulla sit ratio quæ communiter ad hoc probandum adducitur, quia nimirum in huiusmodi concessione non datur dominium, sed vsus. Nam licet non detur dominium fundi, datur tamen dominium iuris vtendi, & sic datur vsusfructus, & imponitur Ecclesiæ vera seruitus, & quidem magna, quod quidem inconsulta Sede Apostolica est omnino prohibitum ex vi *extrauag. ambitiosæ, de reb.Eccles.non alien.* & aliarum Constit. quæ illam supponunt. Sed vera ratio est, quia cum in hoc adsit euidenter Ecclesiæ vtilitas, consuetudo à Sede Apostolica tolerata obtinuit, vt huiusmodi concessio fiat sine solemnitate dictæ extrauag.

369 Sed an hoc conueniat Episcopo priuatiue quoad alios diuersimode explicatur. Et quidem quod in actis *Eccles. Mediolanen. par.2. tit.de sepult. §.verum curetur* prohibeantur fieri sepulchra noua in Ecclesia absque licentia Episcopi obtenta in scriptis, refert *Lauor.tit.2.c.8.num.6.* Et hoc idem esse statutum pro diœcesi Parmensi narrat *Bordon. resol.51.num.86.* Quod etiam sepultura noua nõ possit fieri in Ecclesia de consensu Capituli tantum sine licentia Episcopi, & secus facientes possint puniri, ex *prax.Archiep.Neapol.cap.41.num.18.*tradit *Lauor.d.c.8.num.6.* Ex quo deducit nu.7. quod Canonici, & alij Capitulo non videantur posse ad eorum libitum frangere pauimentum Ecclesiæ pro sepeliendis cadaueribus in alijs locis Ecclesiæ quã

in

in proprijs determinatis ſepulturis, ſiue quod electa fuerit ſepultura in Eccleſia, ſiue non. ſine licentia Epiſcopi. *Bonac. de contract. diſp. 3. q. 21. p. 3. num. 3.* Et hoc videtur rationabile, quia Epiſcopus eſt ſuperior in Cathedralibus, ideo nihil mirum ſi Canonici ſine Epiſcopo non poſſint nouam ſepulturam concedere. Romæ tamen, quod Capitula Collegiatarum concedant in eorum Eccleſijs nouas ſepulturas refert idem *Lauorius num. 9.* Quod etiam habens in commendam Eccleſiam non poſſit concedere ſepulturam, quia potius eſt curator & procurator Eccleſiæ quam Prælatus dixerunt *Lauor. num. 11. & Bonac. d. num. 3.* Quod quidem poſſet admitti de commendatario temporali. Nam alias Commendatarij perpetui ſe habent ac ſi haberent Eccleſias in titulum. Vbi ergo commendatarius ſit ad tempus, ſicuti etiam Oeconomus, non habet facultatem ad nouam ſepulturam cõcedendam; Vnde eodem *Lauor.* teſte Romæ per D. Viceſgerentem iudicatus fuit quidam Oeconomus, qui nouã alicui conceſſerat ſepulturam & condẽnatus ad exhumandum Cadauer ſumptibus ſuis & ad reſarciendum emolumenta cui de iure, & ad expenſas. Sed Commendatarij perpetui ſunt ſicut Eccleſiarum Prælati, & ideo bene ius ſepulturæ in eorum Eccleſijs poſſunt concedere.

370 Dicendum nihilominus alia ex parte videtur, quod vbi non ſit lex ſpecialis in contrarium quilibet ſuperior habens ius in Eccleſia poteſt in ea concedere nouam ſepulturam. Et ratio eſt, quia iam habetur ad hoc licentia Epiſcopi, qui ex quo vel conſecrat aut benedicit Cœmeterium, aut conſecrat ſeu benedicit Eccleſiam. vel Eccleſia de eius licentia erigitur ad diuina officia, & ſepulturam, quantum ſit ex ſe ipſo dat licentiam ad ſepulturas habendas in Eccleſia, iuxta beneplacitum, & diſpoſitionem illius cui Eccleſiæ cura conceditur. Et ideo iam de conſuetudine eſt, quod ab habente ius in Eccleſia poteſt cuicumque ſepultura concedi, & talis cui conceſſa fuerit ſtante huiuſmodi cõceſſione & licentia poterit illam conſtruere. *Rota dec. 308. num. 0. apud Farin. p. 2. in poſthum. tom. 4. recent.* quam refert, & ſequitur *Barboſa l. 2. de iure Eccleſ. cap. 10. & de Parocho c. 06. num. 9.* & idem tenuit *Rota dec. 164. & 165. apud Caſarem de Graſſis.* Et quod vbi quis in non Parochiali eligit ſepulturam, quod illa Eccleſia poſſit ſepulturam concedere dixit *Rota dec. 552. num. 6. p. 5. recent.* Verum aliud eſt, quod ſuperior Eccleſiæ poſſit in ſua Eccleſia concedere ſepulturæ locum; quod verum eſt, & citati DD. tradunt. Aliud eſt, quod hoc poſſit fieri ſine conſenſu Epiſcopi. Quod ſpectato ſolo iure communi ſcripto nõ debet concedi. Quia cum huiuſmodi conceſſio ſepulturæ ſit alienatio quædam rei Eccleſiæ, non poteſt fieri ſine ſolemnitatibus iuris, inter quas enumeratur Epiſcopi conſenſus vt dictum eſt ſupra *quæſt. 185. a. 7. num. 561. pag. 338.* Quoniam nihilominus licet ad alienandũ res Eccleſiæ ſolemnitas ſumme neceſſaria ſit conſenſus Apoſtolicus, nihilominus conſuetudine introductum fuit, vt huiuſmodi conceſſio fiat inconſulta Sede Apoſtolica. Ita vbi ſit conſuetudo, quod inferiores Epiſcopo Eccleſiarum Rectores inconſulto Epiſcopo huiuſmodi ſepulturas concedant, id poterit fieri. Et hinc poteſt etiam explicari an Vicarius Epiſcopi poſſit huiuſmodi ſepulturæ locum concedere. Negat enim *Rota dec. 154. num. 4. coram Penna ex Capella Tholoſana dec. 97.* Vbi etiam dicit non obſtare, quod Vicarius poteſt quæcumque poteſt Epiſcopus vt per DD. in *cap. 2. de off. Vicarij. Rot. dec. vlt. de off. Vic. in nouis.* Quia hoc procedit reſpectu eorum quæ concernunt cauſarum iuriſdictionem, non ſic reſpectu eorum, quæ vel ſpeciali prouiſione conſtituta ſunt, vel Eccleſijs, eorumque ſtatui poſſunt præiudicare, qualia ſunt beneficia vnire, tranſactionibus, ſeu alienationibus auctoritatem præſtare, & ſimilia. *Capella Tholoſana d. dec. 97.* & in margine *d. deciſ. 154.* additur, quod cum iuriſdictio Vicarij ſit delegata. *Rota diuerſ. deciſ. 297. num. 1. par. 2.* non veniunt in generali conceſſione, quæ requirunt ſpeciale mandatum. *Caual. dec. 08. Rota deciſ. 311. p. p. & dec. 375. num. 5. p. 3. recentiorum.* Et eſt concluſio certa omnium DD. Ideo ex generali delegatione facta Vicario dicendum eſt non competere facultatem concedendi locum ſepulturæ in Eccleſia. Quæ doctrina vera quidem eſt. Sed quia in huiuſmodi ſepulturæ conceſſione iuris ſolemnitates, neceſſariæ in rebus Eccleſiæ nõ alienandis non ſeruantur vt patet, conſuetudini ſtãdum eſſet. In caſu tamen illius Rotæ, Vicarius ille quia ſine conſenſu Rectoris Eccleſiæ ſepulturam conceſſerat ideo Rector iure potuit contradicere, vt in d. deciſione dicitur, Nam & in alienatione rerum Eccleſiæ neceſſarius eſt conſenſus Capituli, vel Rectoris Eccleſiæ vbi non eſt Capitulũ, vt loco cit. probatum fuit n. 564. pag. 338.

371 Ideo *Med. q. 16. num. 2. & Lauor. d. capit. 8. num. 10. & Bonac. de contract. diſp. 3. q. 21. p. 3. num. 3.* concedunt quod Parochus in ſua Parochia poſſit petenti nouam ſepulturam concedere, quia Parochus habet maius ius in Eccleſia, & quia ſtatim erecta Eccleſia in Parochialem illa habet ius ſepulturæ, & quia conceſſo Eccleſiæ iure funerandi ſufficit ad ſepulturam concedendam licentia Rectoris: & quia ita ſeruatur in praxi. Credo tamen quod Epiſcopus ſiue in ſynodo, ſiue extra poſſet aliud ſtatuere. Quia vere de iure communi vt probatum eſt concedere ſepulturam ſpectat ad Epiſcopum; Vnde in his tantum poſſunt Eccleſiarum immediati Rectores, quantum illis permittitur ab Epiſcopo, cuius tolerantia in hoc, ſufficit. *Grat. diſcep. 110. num. 19.*

372 Regulares vero qui vt ſupra probatũ eſt habent in ſuis Eccleſijs liberam ſepulturam certum eſt, quod ad eam concedendam non indigent licentia Epiſcopi. Ideo ſi daretur decretum Synodale, quod non concedatur ſepultura noua in Eccleſia ſine licentia Epiſcopi non comprehenderet Regulares. *Ceſpedes dub. 219 num. 24.* Aliqui tamen volunt, quod Prælati huiuſmodi ſepulturas concedere non poſſint ſine licentia Prouincialis. *Moron. reſol 51. num. 35. Bonac. etiam de Contrac. diſp. 3. q. 21. p. 3. num. 3.* ſolum meminit Prouincialium, dum Regularibus concedit licentiam concedendi nouam ſepulturam. Sed oppoſitum eſt verum, & praxi confirmatum. Nam Prælati locales ſunt ſuarum Eccleſiarum Rectores, ideo illorum intereſt eligentes ſepulturam in eorum Eccleſijs admittere. Et in maximum præiudicium Eccleſiarum cederet, ſi mortuos etiam ad nouam ſepulturam Prælati locales admittere non poſſent niſi expectata Prouincialium abſentium licentia, quæ vt plurimum in-

tem-

tempore congruo haberi non posset & sepulturæ electio frustraretur. *Bordon. resol.51. num.85.* Eius tamen ratio non admittitur. Dicit enim concessionem sepulturæ non esse actû alienationis ad quam requiratur majorum superiorum licentia. Sed per se & ex jure communi hoc verum non est. Quia licet in concessione sepulturæ non alienetur fundus, alienatur tamen ius viendi fundo, quod traditur sepultuario; ideo solo iure communi considerato, huiusmodi concessio fieri non posset nisi adhibitis solemnitatibus iuris. *Et* ex consequenti sine licentia Prouincialis, aut etiam Generalis iuxta singulorum Ordinum statuta, ex consuetudine vero permittitur hæc alienatio sine solemnitatibus qua consuetudine admissa Prælati locales nisi obsistet lex aut consuetudo specialis possunt de consensu tamen Capituli concedere huiusmodi nouas sepulturas eas eligentibus.

373 Duo vero remanent attingenda. Primum an verum sit, quod habet *Medices locis supra n.365.* citatis, an scilicet requiratur consensus Episcopi quando alicui loco datur facultas sepeliendi, seu quando alicui loco conceditur priuilegium sepeliendi. Ipse enim videtur velle, quod concedere hoc priuilegium pertineat ad Episcopum. Sed distinguendum inter benedicere locum, illumque deputare vel ad diuina officia vel etiam determinate vt in genere sit locus sepulturæ, aliud est loco Religioso iam facto dare licentiam vt possit in eo sepeliri. Primum est officium *Episcopi*, vel superiorum illius. In quo etiam datur quædam distinctio inter cœmeterium proprie sumptum, & Ecclesiam; quia habere cœmeterium proprie sumptum Ecclesiæ adiunctum non competit omnibus Ecclesijs. Sed in hoc sensu verum est quod habere cœmeterium est proprium *Ecclesiarum* habentium populum, alteri vero Ecclesiæ non conuenit nisi ex priuilegio quod dare potest *Episcopus*, vt tradiderunt. *Hostien. in cap. quia nonnulli num.7. de Cler. non resid. & ibi Io: Andr. num.8. Butr. num.10. Zabarel. q.11. Rota dec.228. num.7. p.2. recent. & in Mediolanen. quarta funeral. 14. Mart. 1622. coram Merlino.* quos sequitur *Barbosa l.2. de iure Eccles. cap.9. nu.6. & Rota in Romana iurium funeralium 4. Iuly 1653. sub Zarate vers. non obstat.* Sic enim quantum ad cœmeterium nedum est necessarium, quod sit ab Episcopo benedictum; sed ex speciali priuilegio Episcopi est, quod Ecclesia non habens populum habeat locum, qui sit pro cœmeterio benedicendus & deputandus. Verum quantum ad Ecclesias nullum est necessarium Episcopi priuilegium vt sint locus sepulturæ, quod sit ab ipsa erectione & benedictione Ecclesiæ distinctum, sed statim ac locus est Religiosus est locus etiam idoneus ad sepulturam fidelium defunctorum. Et est quidem necessaria licentia Episcopi, vt erigatur Ecclesia, quæ erecta debet ab ipso consecrari, aut benedici. Sed Ecclesia benedicta nullo alio indiget Episcopi priuilegio, vt sit locus sepulturæ, quia hoc habet à Papa, & a iure communi, quod singulis concedit licentiam eligendi sepulturam in quocumque loco Religioso, etiam si minus Religioso, vnde in quacumque Ecclesia potest eligi sepultura. *cap.1. capit. fraternitatem, cap. cum liberum cap. de vxore de sepult. cap. cum quis §. si quis, eod. tit. in 6. Rota dec.508. num.2. p.3. recent. & dec.380. num.17. p.5. & in Segunt. iuris sepel. 86. apud Tambur. tom.3. & decis.154. coram Penna.* Secundo considerandum est, quod idem Medices videtur velle quod Rector Ecclesiæ non possit negare sepulturam in sua Ecclesia eam eligenti vnde existimat, quod inuito Parocho extraneus possit sibi eligere sepulturam in Parochiali. Et ratio illius est, quia à iure conceditur cuicumque vt ad libitum eligat sibi sepulturam. Verum primo constat ex priuilegijs Regularium supra relatis, quod eis inuitis in eorum Ecclesijs nullus sepeliri potest, vt dictum est nu.178. sed etiam de Parochialibus loquendo verum quidem est, quod non possunt excludere Parochianos, & eos, qui intra fines Parochiæ decedunt, qui habent ius vt sepeliantur in Parochiali, sed tamen Parochus extraneum non tenetur admittere, & priuilegium eligendi sepulturam dat libertatem ex parte eligentium, sed non infert necessitatem ex parte Ecclesiæ. Quod euidenter colligitur ex *cap.1. de sepul.* in quo datur libertas eligendi etiam sepulturam alienam; quod certe intelligitur accedente consensu patroni Ecclesiæ, & hæc conditio vniuersaliter intelligitur. Quamuis vero male faciet Rector *Ecclesiæ*, si aliquem sine iusta causa excludat, qui in sua *Ecclesia* sepeliri velit. Quia dare locum sepulturæ est opus misericordiæ non negandum sine causa. Ad id tamen non tenetur ex iustitia, & nec potest inuitus cogi, nisi quia superior si eius officium imploretur examinata causa, si inueniat Rectorem *Ecclesiæ* id negare sine ratione, eum compellere debebit, si & hoc sibi melius visum fuerit; quia poterit esse casus, vt sit melius non vti vi cum Rectore in hoc casu.

SVMMARIVM.

1 *Inuito patrono nullus in eius sepultura potest tumulari. n.374.*
2 *Patronus potest petere exhumationem cadaueris sepulti eo inuito in eius sepulchro. n.375.*
3 *Sepulto aliquo in Ecclesia alia ab ea in qua erat sepeliendus, ei alia Ecclesia restitui debeat emolumenta & cadauer si petatur. n.375.*
4 *Qua actio detur patrono cuius sepulchrum ex alterius cadaueris illatione est violatum. n.376.*
5 *Patronus contra extraneum locum & ius sua sepulturæ defendere potest. n.376. 377.*
6 *Rector Ecclesiæ ex causa iusta potest in alieno sepulchro aliquem extraneum sepelire. n.378.*
7 *Sepultura non conceduntur in præiudicium Ecclesiæ. n.378.*
8 *Sedilia in Ecclesia regulariter conceduntur reuocabiliter. n.379.*
9 *Sepultura ius de sui conditione est perpetuum. numer.380.*
10 *In sepultura erecta pro aliquo genere personarum, non potest alius sepeliri. n.381.*
11 *In sepulchro erecto pro se ipso solo non potest alius sepeliri. n.382.*
12 *In Capella alterius non potest eligi sepultura. numer.383.*
13 *Ex concessione patronatus Capellæ non infertur concessio sepulturæ. n.383.*
14 *Ex concessione capellæ, & sepulturæ non infertur ius prohibendi ne in Capella erigatur sepultura pro alijs, nisi fuerit concessum specialiter &c. num.383.*

Testa-

15 *Testator potest ex iusta causa probibere haredibus sepeliendi iura. n.384.*
16 *Fundator non potest probibere ne alius in Ecclesia sepeliatur. n.385.*
17 *Fundator habet ius vt in Ecclesia à se fundata sepeliatur. n.385.*

Ius priuatiuum quoad alios quale conueniat sepultuario.

INSPECTIONIS QVARTÆ. CAP. SEXTVM.

374 Quod nullus inuito patrono possit sepeliri in proprio eius sepulchro tradunt communiter *DD. l.2.§.vsumfructum ff. de Relig. & sumpt. funer. Hostien. in cap. abolenda num. 18. & ibi Butr. num.5. Panorm. num.5. de sepult. Archid. in cap. præcipiendum 13.q.2. Auchar. cons.110. Pet. de Vbald. de can. Epis. cap.12. num.5. Syluest. v. sepultura num.3. Tabien num.20. Medices q.9. numer.7. Lambert. de iure patron. lib.1.p.1.quæst.1. a.13. num.4. & l.3. quæst.8. Io: de Anania cons.26. Rota decis.291. num.2. coram Cocemo, & in Burgen. S. Dorothea 13. Febr.1579. & in Pampilonen. sepultura 4. Maij 1584. coram Seraphino, & decis.145. num.1. coram Gregor. XV. & decis.442. num.4. coram Penna. Lanor. tit.1. cap 9. num.16. & 17. Bordon. res.51. num.80. Bonac. de contrac. disp.3. quæst.21. p.3. num.4.* Quod amplatur, vt nec Episcopus ius sepulturæ alteri possit concedere inuito domino, etiam pio loco, nec potest immutare conditiones, quæ interuenerunt in prima fundatione. *Med. q.16. num.39.*

375 Quod adeo verum est, vt si in sepulchro alicuius eo inuito, vel sine eius licentia sepultus sit aliquis, patronus possit agere pro exhumatione cadaueris, *arg. cap. fraternitatem 3. cap. ex parte 5. cap. cum liberum 6. de sepult. & cap. 2. eod. tit. in 6.* In quibus capit. cadauera iubentur exhumari & sepeliri in proprijs sepulchris. Actio vero, quæ competit aduersus eum qui corpus mortuum in sepulchrũ alterius infert, ponitur in *l. qui intulit. ff. de relig. & sumpt. fun.* cogitur enim aut illud tollere, aut loci pretium præstare. *Bonac. de contrac. disp.3. quæst.21. p.3. num.4.* Et hæc actio est perpetua, vt in *d. l. qui intulit. Med. q.17. num.1.* vbi late de hac materia, & videndæ leges *tit. de Relig. & sumpt. fun. & de sepulchro violato.* Et quod Sacr. Congreg. Regularium in vna Sarzanen. 29. Nouem. 1622. decreuerit, quod si quis sepultus fuerit extra Ecclesiam in qua debebat sepeliri, quod sint restituenda omnia emolumenta recepta & cadauer si petatur, refert *Nicolius tom.1. tit.15. num.19.* Maxime si fuerit sepultum in capsa separata, & relictum fuerit eius contemplatione aliquod legatum Ecclesiæ. *Mediol. 15. Februar. 1593. & 13. Iuly 1618. & 5. Iuly 1647.* Non tamen si fuisset sepultum à multo tempore, maxime si difficulter possunt ossa discerni; quo casu funeralia restituuntur, cum declaratione quod cadauer ad aliam Ecclesiam spectabat. *In Senegalien. 19. Iun. 1601. Perus. 7. Decembr. 1604. Catanzaren. 12. Iun. 1654. & 30. April. 1654.* Rota etiam *dec.442. num.6. coram Penna*, cum pendente lite de mandato Episcopi fuisset depositatum corpus Annæ Perez in sepulchro Capellæ Maioratus Marianæ de Attieta sine præiudicio iurium, cumque sepulchrum adiudicatum fuisset dictæ Marianę priuatiuæ quoad Annam ex eo quod esset sepulchrum hæreditarium, nihilominus iudicauit corpus depositum non esse remouendum, præsertim cum Ord. Calag. sine præiudicio iurium ad Capellam pronunciauerit transferendam, neque reuocatio attentati simpliciter, & absolutè & in perpetuum censeatur prohibita, sed donec constiterit sine scandalo in locum pristinum restitui posse.

376 Addit vero *Grat. discept. 210. num.32.* quod pro hoc iure datur sepultuario actio iniuriarum, & officium iudicis, sicut econtra amouentes scamna & sedes, & quod pro huiusmodi iure obeundo sit licita etiam deffensio armata manu. *Gerar. sing.3. Perez. de Lara de anniu. cap.24. num.23.* & quod idem est in alijs præcedentijs & num.33. quod qui in ijs vsurpat sibi indebitum est sacrilegus, & nu.34. quod in his spiritualibus & eis annexis acquiritur prælatio, vt in recipiendo pacem cum similibus. Immo quod & mulieres poterunt consuetudine acquirere ius sedendi in Ecclesia, & prius offerendi.

377 Verum distinctione hic opus est; Nam in huiusmodi iuribus Capellæ sepulturæ, sediũ &c. qui illa possident possunt comparari vel ad extraneos, vel ad Ecclesiam, qui iura illa concessit. Et quidem comparando possidentes huiusmodi iura ad extraneos verum est quod possunt illa defendere, & quod à nullo extraneo possunt illis priuari, nec in vsu talium iurium impediri, & quod eos impedire vel spoliare est sacrilegium. Vnde iuste talia iura possidentibus datur contra exturbantes vel spoliantes actio iniuriarum, & officium iudicis. Sed si loquamur comparatiue ad Ecclesiam, quæ talia iura concessit, longe alia est ratio, gratis enim iura illa concessa sunt, quæ cum sint spiritualia vendi non possunt.

378 Ideò in proposito nostro, quod Rector Ecclesiæ ex causa iusta in alieno sepulchro possit alienum, & qui non est de familia sepultuarij sepelire quamplures docuerunt. Sic enim quod propter necessitatem possit extraneus sepeliri in alieno sepulchro ex *Vincentio dixit Panorm. in cap. abolenda num.5. de sepult. & ex eo Lanor. tit.2. c.9. nu.19.* Et quod hoc fieri possit à Rectore Ecclesiæ ob iustam causam, *ex Ludouico de Romanis sing.692. Syluest. v. sepultura q.3. & Tabien. num.20. & ex Archid. in cap. præcipiendum 13. q.2. Medic. q.6. num.4. & q.18. num.5. Peyr. ad const.26. Leonis Decimi numer.22. & tom.3. cap.4. num.49. Bonac. de contract. disp.3. q.21. p.3. num.5. Meron. resol.51. num.32.* Et ratio est quia cum huiusmodi iura spiritualia laicis non concedantur per contractum onerosum, quia nec concedi possunt hoc modo sine simonia, sed concedantur ex gratia & liberalitate, videndum est quomodo & qualiter concedantur, & an donatione absoluta, vel conditionata, & an in perpetuum, vel ad beneplacitum, vel ad nutum, vel ad tempus determinatum. Et primo regula generalis est, quod Ecclesia huiusmodi iura non concedit vt irreuocabilia, si contingat quod futura sint in notabile sui & diuini cultus præiudicium, & sint maioris boni impedimentum, vnde *Tabien. v. sepultura num.20.* dixit, quod nullus potest priuare Ecclesiam magno beneficio propter aliquod ius, quod habet in ea. Et hoc idem dixit in *v. Ecclesia § fin.* vbi hoc etiam

probat ex *Pauorm.qui cap.cum accessissent num.5. de const.* docet, quod patronus non potest impedire, in signam vtilitatem Ecclesiæ. Nam & Rector Ecclesiæ non potest donare Ecclesiæ iura in Ecclesiæ camnum, & præiudicium.

379 Idcirco si loquamor de sedilibus, quæ regulariter pro commoditate secularium permittuntur haberi in Ecclesia, hæc ad beneplacitum,& nutum Rectoris Ecclesiæ conceduntur, vnde possunt à Rectore Ecclesiæ & auferri, & mutari de vno in alium situm. Quod inde aperte colligitur, quod seculares ad eorum beneplacitum, etiam sine causa auferre possunt, & auferunt de facto huiusmodi sedilia quotiescumque sibi placuerit. Non est vero maior ratio de seculari, quam de Rectore Ecclesiæ, quia in his conditio debet esse æqualis; Et adhoc facit, quod habet *Rato in Bononien.Capellæ, quæ est dec.472.num.8.coram Coccino*, vbi ex quo Confratres existentes in Ecclesia Sanctorum Vitalis, & Agricolæ poterant exire ab illa Ecclesia ad eorum libitum, per *not.in l.fin.C.commun. diuit.& Oldrod. cons.241.num.1.* concludit, quod etiam moniales poterant eos excludere. Et ideo *Syluest. v.sepultura num 3.vers. Et idem* bene dicit, quod laici ex gratia sola tolerantur in huiusmodi,sic ergo & Rector Ecclesiæ si dat locum pro sedili dat illum gratis, & ex libertate, & non irreuocabiliter, sed reuocabiliter ad nutum concedentis, & eo magis, quod Ecclesia pro huiusmodi sedilibus concedendis nihil percipere consueuit.Et nec conuenit quod in his Ecclesia se obliget seruituti, vt nec possit de situ suo ad maiorem sui vtilitatem disponere. Quamuis ergo extraneus non possit huiusmodi sedilia amouere de loco suo, & sit verum quod cōtra amouentem sedile aut scamnum de loco suo, in quo laicus habet ius sedendi in loco digniori Ecclesiæ detur actio iniuriarum, quia hoc est ius honorificum, quod acquiritur etiam per successionem succedendo ei, qui illud ius acquisiuit. *Grat. discep.110.num.15.vbi nu.16.*quod existens in quasi possessione sedendi in nobiliori loco possit etiam armata manu resistere ei, qui vult eum impedire, aut amouere ex *Bald.in l.omoueri.§.antequam in f.ff. de off.pro cons.Menoch.cons.257.num.35.l.3.cons.302. num.77.l.10.* & *num. 17.* quod ista quasi possessio acquiritur vnico actu prout in specie concludit. *Mozar.cons. vlt.lib.1.item Menoch.cons.856.num.6. l.2.& num. 8.* quod ista quasi possessio operabitur vt in dubio sit pronunciandum pro istus quasi possessoribus. *Card.cons.62.Corn.cons.192.nu.14. l.2.Menoch.cons.51.num.40.l.1.* Tamen nedum est verum quod huiusmodi ius non acquiritur in Ecclesia inuito Episcopo, sed solum ex eius aut Rectoris Ecclesiæ tolerantia & gratia. *Pauorm. in cap.abolendæ num.5. de sepult.Molin. de primog l.1.c.23.nu.34.Rota dec.222.nu.1.p.1.diuersorum*, sed amplius etiam si adsit tolerantia Episcopi, & respectiue in Ecclesijs Regularium tolerantia superiorum, hac tolerantia non est irreuocabilis quantum ad huiusmodi sedilia, & immo quia in concessione huiusmodi iustum vere alienatur aliquid Ecclesiæ, quod cōceditur acquirenti illud ius, ideo hæc alienatio nequit fieri inconsulta Sede Apostolica ni fiat sub speciali aliqua conditione, & præter consuetum modum concedendi. Solum enim ex consuetudine & tolerantia summi Pontificis vt dictum est. nu.368. permittitur quod huiusmodi alienationes fiant sine beneplacito Apostolico. Nihilominus tamen, non potest Rector Ecclesiæ sine causa aliqua licite remouere sedile concessum in Ecclesia alicui, quia turpe est vt negetur sine causa, quod fuit concessum etiam si liberaliter, & reuocabiliter & hoc continet inurbanitatem & irreuerētiam quandam & aliqualem iniuriam. Vnde is cuius sedile tolleretur posset recurrere ad superiorem. Nihilominus tamen concessio horum sedilium essentialiter est gratia reuocabilis tam ex parte domini sedilis, quam ex parte Ecclesiæ.

380 Quantum vero ad sepulturam, quia hoc ius ex sui conditione est perpetuum. Tum ratione fabricæ eiusdem sepulturæ, quæ de se est permanens & perpetua, & fit expensis eius cui conceditur sepultura. Tum quia sepultura conceditur pro quiete cadauerum, vt ibi vsque ad futuram resurrectionem quiescant. Et ab Ægiptijs sepulchra dicta sunt domus æternæ, vt ex Spondano de Cœmeterijs dicam infra num.452. Tum quia sepultura vt plurimum acquiritur pro successoribus de familia, ideo dum sepultura conceditur, vt perpetua conceditur. Et sic sepultuario duplex ius conceditur. Primum quod non potest impediri quin sepeliatur ipse, & ij successores pro quibus est concessa. Et nedum per extraneos, sed nec per Episcopum, vel Clericos, aut Rectores, seu superiores Ecclesiarum huiusmodi sepultura potest impediri, nec potest eo sepultuario seu patrono inuito sine causa sepeliri alius. Quia sicut in fundo in quo quis habet vsumfructum non potest dominus vel prohibere ne habitet vsuarius, vel habitare ipse per se vel per alium inuito vsuario. *l.si habitatio ff.de vsu, & habit.* Ita quia sepultura est mortuorum habitatio, non possunt Ecclesiæ Rectores vel impedire vt ibi non sepeliantur ij, quibus est concessus sepulturæ vsus, vel inuito vsuario alium ibi sepelire. *Syluest. v. sepultura num 3.Tabien.num.20.Lauor.tit.2. capit.11. num.37.& 38.Bordon.resol.51.num.80.*

38 Vnde est, quod si constructa fuit aliqua sepultura pro aliquo genere personarum, non potest Episcopus sine causa iusta dispensare, vt seruiat pro alijs, vt v. g. si de mandato testatoris construcla est sepultura pro Doctoribus, non potest in ea sepeliri, qui non sit doctor. *Lambert. lib.2. p.1. q.10.a.7.Medices l.2.q.16.num.27.* quos sequitur *Lauor.tit.2.c.9.n.98.*

382 Pariter si quis construxerit sepulchrum solum pro se ipso, non potest Episcopus vel alius superior sine necessaria & iusta causa dispensare, vt ibi alius sepeliatur, etiam si hæres, aut libertus. *Lauor.tit.2.c.11.num.34.*

383 Eadem ratione concessa alicui Capella ad vsum sepulturæ, pro domo sua & descendentium priuatiue quoad alios, alius nec poterit ibi intra dictam Capellam eligere sepulturam, nec Episcopus, vel Clerici, aut Ecclesiarum superiores sine iusta causa poterunt alicui in ea Capella sepulturam concedere patrono inuito. *Syluest. v. sepultura num.3.Tabien.nu.20.Lauor.tit.2.cap.11.n.37.& 38. Bordon.resol.51.num.80.& 81.* Nec obstat, quod ex *cap.1.de sepult.* possit eligi sepultura aliena, quia licet nec sufficiat dicere cum Lauorio, quod exemplum, quod ibi adducitur de Christo, qui sepultus fuit in sepulchro Ioseph ab Arimathæa, respi-

cit

eit sepulchrum in quo nondum quis fuerat sepultus; hoc enim non satisfacit, quia vbi Capella sit alicui concessa pro sepultura & iam patronus illam erexerit, & possideat, nullus eo inuito potest sepeliri etiam si nec patronus, nec alius ibidem sepultus fuerit, quia patronus iam ibi habet ius sepulturæ priuatiue quoad alios; sicut nec valet, quod habet *Bord.num.*81. scilicet, quod textus ille intelligitur respectu sepulturæ communis, non vero respectu Ecclesiæ proprietariæ, & familiaris; hoc enim non valet, quia sepultura communis non est aliena, quia quod commune est pertinet ad singulos de communitate. Sed dictus textus non obstat quia vt habet *Panorm. ad cap. p. num.*1. sepultura aliena potest eligi, sed consentiente patrono aut ratum habente, sic enim & Christus consentiente Ioseph in eius sepulchro positus fuit; sic enim & in Ecclesia potest eligi sepultura, sed consentiente Ecclesiæ superiore, aliter electio non tenet. *Et* nihilominus tamen considerandum primo est, quod ex concessione Capellæ non infertur concessio sepulturæ in Capella. *Clem. Dudum* §. *huiusmodi, de sepult. Archid. in cap.*1. *de pact. in* 6. *Lauor. cap.*9. *num.*111. *Lezana v. sepultura num.*16. quæ tamen intelligitur concessa ex tacita Episcopi licentia, si in Capella fuit extructum sepulchrum patens, & Episcopus non contradixit & maxime & Ecclesiam visitauit. *Rota dec.*222.*p.*1.*diuers. Grat. disceptat.*210. *num.*51. *Lauor. d. cap.*9.*num.*112. Sed vbi per expressam licentiam habitam extruxit sepulturam in capella sibi ad hunc effectum concessa priuatiue quoad alios, habet ius prohibendi ne ibi alius sepeliatur etiam si in sepultura nullus fuerit sepultus. Sed etiam est aduertendum quod habet *Rota dec.*145.*nu.*2. *coram Gregor. XV. & ex ea Loter. l.*4.*quæst.*4. *num.*22. quia nimirum ex eo, quod aliquis habet sepulchrum in aliqua Capella, non infertur ius prohibendi aliorum corpora extra suum sepulchrum sepeliri, & quod alij ibi non possint acquirere sepulturas. Ex quo etiam colligitur quod sicut ex concessione Capellæ non infertur concessio sepulturæ in Capella; sic ex concessione Capellæ & sepulturæ in Capella non infertur per necesse ius prohibendi ne alius in eadem Capella possit eligere sepulturam, nisi in concessione Capellæ hoc ius fuerit specialiter concessum. Et aliud est quod alius extraneus non possit sepeliri in sepulchro patroni Capellæ quod est verum, & traditum à *Syluest. v. sepult. nu.*3. *& Tabien. num.*9. Et aliud est, quod nullus alius intra eandem Capellam possit sepulchrum erigere, quod non est verum nisi hoc fuerit patrono Capellæ specialiter aut expresse concessum. Et quod Patronus Ecclesiæ aut Capellæ non possit impedire quod in ea non construatur sepultura quia in Ecclesia patronata potest etiam fundari Capellania ex *Lambert. lib.*1.*p.*1.*quæst.*3.*a.*17. tradit *Med. q.*16.*n.*6.

384 Quod etiam testator iusto odio commotus possit hæredibus prohibere sepeliendi iura, dixit *Lauor. tit.*2.*cap.*9.*num.*48. *& l.*3. §. *si quis in hæreditarium ff. de relig. & sumpt. fun.* Vnde in eo casu seruanda esset dispositio testatoris.

385 Fundator tamen Ecclesiæ non potest impedire quin in ea Ecclesia detur pro alienis sepultura libera, quia in tali Ecclesia etiam inuito fundatore nedum sepultura sed Capella fundari potest. *Lambert. l.*1.*q.*3.*par.*1.*a.*17. *Lauor. d. cap.*9. *numer.*83. *Peyr. tom.*3.*cap.*4.*num.*50. *Lezana v. sepultura nu.*16. Nisi tamen in fundatione apposita fuisset conditio, vt in ea Ecclesia sepultura haberi non posset. Fundator tamen ius habet vt in Ecclesia à se erecta sepeliatur. Ideo si alibi sepulturam non eligat, vel habeat sepulturam maiorum, erit in ea Ecclesia, & non in Parochia sepeliendus.

SVMMARIVM.

1 *Sepultura acquiritur constructione. n.*386.
2 *Construens sepulturam sibi tacite reseruat ius sepeliendi. n.*386.
3 *Ius sepeliendi competit omnibus construentibus sepulturam. n.*386.
4 *Promittens construere, vel qui incæpit potest cogi vt perficiat. n.*386.
5 *Prælatus, & Vasallus si construant sepulturam, cuius illa sit. n.*386.
6 *Sepultura aliena pecunia vel restitutioni obnoxia constructa cuius sit. n.*386.
7 *Testator si mandet sepulturam erigi & voluntas eius non possit impleri, quid agendum. n.*387.
8 *In fundo vendito non potest poni conditio vt in eo non ædificetur Ecclesia. n.*388.
9 *Sepultura acquiritur hæreditate. n.*389.
10 *Qui sunt de familia descendentes tam masculi, quam fœminæ, & de fœminis nati, licet emancipati, & hæreditate indigni, & exhæredati habent ius ad sepulchrum familiæ. n.*389.
11 *Fideicommissarius non acquirit ius sepulchri familiæ. n.*389.
12 *Possunt descendentes priuari sepultura. n.*389.
13 *Filij damnati ob crimen læsæ maiestatis non acquirunt ius sepulturæ. n.*389.
14 *An sepulchra transeant ad extraneos. n.*390.
15 *Sepulchra familiaria, & hæreditaria. n.*391.
16 *Sepulchra familiaria extincta familia pertinent ad Ecclesiam. n.*391.
17 *Sepulchra hæreditaria transeunt ad extraneos. num.*391.
18 *Sepulchra hæreditaria transeunt ad quoscumque hæredes. n.*392.
19 *Deficientibus hæredibus sunt Ecclesiæ. n.*392.
20 *Emptione acquiritur ius sepulchri, quamuis ius sepulchri in se nec vendi nec commutari possit. num.*393.
21 *Episcopus non potest prohibere quod Regulares in casibus alias licitis non vendant sepulturas. numer.*393.
22 *Sepultura non potest vendi nisi Ecclesia consentiente. n.*393.
23 *Donatione acquiritur ius sepulturæ. nu.*394.
24 *Per legatum acquiritur ius sepulturæ. n.*395.
25 *Requiritur ad hoc consensus Ecclesiæ, & aliorum de familia aut hæredum respectiue. n.*395.
26 *In locatione perpetua quomodo veniat ius sepulchri. n.*396.
27 *Pignore non acquiritur ius sepulturæ. n.*397.
28 *Dote acquiri potest ius sepulturæ. n.*398.
29 *Vsufructuarius bonorum non gaudet sepulturæ iure. n.*399.
30 *Præscribi potest ius sepulturæ per immemorabile tempus. n.*400.
31 *Per emphyteusim etiam & feudum acquiri potest ius sepulturæ. n.*401.

Confiscatione fiscus acquirit sepulturam.nu.402.
33 *Priuilegio etiam.n.403.*
34 *Ius patronatus solus non dat ius sepulchri. numer.404.*
35 *Per fideicommissum non acquiritur ius sepulchri. num.405.*
36 *Substitutus directe succedit in ius sepulturæ. numer.406.*
37 *In solutum quomodo dari possit sepultura.n.407.*
38 *Sequestrum & depositum non dat ius sepulturæ. num 408.*
39 *Renunciari non potest sepultura in præiudicium consortium, & sine consensu Ecclesiæ. n.409.*
40 *Quomodo ad hoc vt sepultura transeat de vno ad alium sit necessarius consensus Episcopi. n.410.*

Quibus modis acquiratur ius sepeliendi priuatiue quoad alios.

INSPECTIONIS QVARTÆ.

CAP. SEPTIMVM.

386 EX multis causis potest acquiri propria sepultura etiam priuatiue quoad alios, ita quod eo inuito nullus alius possit sepeliri. Et quidem primo acquiritur concessione & ædificatione. *l.familiaria, & l.sequent. ff.de relig.& sumpt. fun.* Ex quo enim Ecclesia concedit alicui vt ædificet sepulturam pro se, & descendentibus suis, ea ædificata iam ille habet ius vt ipse & sui, & nulli alij in ea sepeliantur. Licet vero construens sepulchrum expresse sibi non reseruet ius sepeliendi, censebitur nihilominus reseruatum; sicuti contingit de construente Ecclesiam *Lambert. de iure patr.l.1.q.2. a.3.Med.q.16.num.2.Lauor.d.c.9.num.*80. Et si plures construunt sepulchrum omnes æqualiter habent ius sepeliendi, cum sit ius indiuisibile. *Lambert.l.1.q.3. p.1.a.3.Med.q.16.num.3.Lauor. num.*8. quando vero quis voluerit construere sepulchrũ; alius eo nolente non poterit admitti, vt simul construat. Quod si quis construit sepulchrum ex aliena pecunia, Dominus pecuniæ efficitur dominus sepulturæ, si id ratum habeat, quod si ratum non habeat, construẽs tenebitur ad restitutionem pecuniæ, sed manebit dominus sepulturæ. *Paulus de Citad. de iure patron. p.3.quæst.3.* quem sequitur *Med. q.16.num.7. Lau. d. cap.9.num.89.vbi nu.*85. quod bona subiecta fideicommisso non possunt alienari pro constructione sepulturæ, licet alienari possint pro exequijs. *Rot. de iure patr. v.Ecclesiam q. fin.Med. quæst.16.num.8.* Si quis incipiat construere sepulturam, sed alius perficiat, vterque erit dominus sepulturæ. Potest vero Episcopus compellere eũ qui incœpit ad perficiendam sepulturam in tempore sibi bene viso. sed ex sola inceptione sine perfectione non acquiritur ius sepeliendi. *Paulus de Citad. de iure patron 3.p.quæst.14.caus.p. & quæst.*18. dictæ caulæ, quem sequitur *Lauor.d.c.t.num.87.Med.q.16.nu.13. &* 15. Hinc est etiam quod promittens construere sepulturam potest cogi ad eam perficiendam *cap. quæster,de pactis, Med.q.16.num.13.* Vbi etiam Ecclesia Parochialis ob paupertatem non possit habere Cœmeterium, quod Episcopus possit compellere vniuersitatem ad constructionem sepulturæ communis pro Parochianis, dixit idem *Lau.num.83.ex Paul.Citad.3.p.quæst.29.causa 1.Med. q.16. num.14.* Si quis etiam de consensu Rectoris Ecclesiæ construat sepulturam pro se & tertia persona, quæ nihil expendit in sepulturæ constructione, vtrique acquiritur ius sepulturæ, quia vtriusque nomine est constructa. *Calder.cons.fin. de iure Patron. Lauor. d.cap.9 num.90.Med.q.16.num.16.* Qui etiam reædificat Ecclesiam funditus collapsam, ius sepulturæ acquirit. *Lamber.l.1.p.1.quæst.6.a.7.Med. q.16.num18. Lau.num.93.* Prælatus vero construens sepulturam in eius Ecclesia censetur illam ædificasse pro se, & successoribus, non vero pro consanguineis vel hæredibus, nisi constiterit eam construxisse de bonis patrimonialibus animo transmittendi ad consanguineos, & hæredes. *Lambr.p.1.lib.1. quæst.8. art.7. Med.q.16.num.20.Lauor. d.cap.9. num.95.* Vasallus etiam si construxerit sepulchrum de facultatibus fundi, & de consensu domini, transmittetur ad eum ad quem transmittetur feudum. Sed si ædificauerit sine licentia dismembratio erit inualida. Si vero ædificauerit de fructibus feudi, quia illi sunt sui, sepulchrum transibit ad consanguineos aut hæredes. *Lamb. lib.1. quæst.8. a.8.p.2.num.7.* Monachus autem, filius, & seruus si construant sepulturam, pertinet ad Monasterium, patrem, & Dominum, nisi filius ædificauerit de bonis quasi Castrensibus. *Lamberl.vbi sup.num.9. Med. num.22.* Sepultura vero constructa de bonis valide donatis ab eo, qui construere non poterat, valida est. *Lambert.ib.n.13. Med.n.24.* Sepultura vero constructa de bonis restitutioni obnoxijs non transmittitur ad hæredes, quia de eis nec eleemosyna fieri debet. *Lambert. d. q.8. a.11.Med.num.23.Lauor. num.96. vbi ex eod. Lamb. a.15.* quod dominus bonorum si habeat ratum fit dominus sepulturæ. Iuxta tamen paulo supradicta si bonorum dominus non habeat ratam constructionem sepulturæ manebit construenti, & hæredibus soluta re aliena. Sed idem *Med.num.25.* inquit, ex *Lambert.a.15.* quod si nemo satisfecerit, quod manebit Ecclesiæ. Sed non video quo titulo. Et obnoxius restitutioni semper restituere debet vero domino, vel sepulturam si illam velit, vel æs alienum, quod in constructione sepulturæ expendit retinendo sepulturam. Quod vero meretrix de turpi lucro non possit construere sepulturam ex *eod. Lamber.d.q.8.a.10.* voluit *Lauor.num.94.*

387 Si vero testator mandat construi sepulturam in loco aliquo determinato, si hæres id præstare non potest, puta quia impeditur à superiore loci, qui eam non vult concedere, satisfaciet menti testatoris, si eam alibi construat. *cap. nemo de cons. dist.p.Rocc.ver.pro eo num.1.Lambert.l.1.q.2.p.2.a.13. Medic.q.16.nu.5.* & secundum eandem *Rocc.in verb. construxit q.12.* tenebitur alibi construere sepulturam in illo casu. Quando vero testator non determinauit locum. & hæredes sunt discordes, electio spectabit ad Episcopum. *cap.nemo de cons.dist.1.* vel in Parochiali construetur, nisi ex aliqua coniectura testatoris mens aliter colligatur. *Med. quæst.16. num.12.Lauor.d cap.9.num.82.* Si autem testator mãdet construi sepulchrum infra certum tempus, si hæ-

res,

res moritur, tenebitur hæres hæredis. Si autem legauerit aliqua pro construenda sepultura sub certa forma, si illa non sufficiant, poterunt in alium vsum pium conuerti ad arbitrium Ordinarij. Item si mandauerit construi sepulturam in testamento imperfecto, eius voluntas erit seruanda. *Lamb. l. 6. q. 3. p. 1. ar. 13. DD. ad l.* Hac consultissima §. ex perfecto de testam. *Med. 16. n. 17. Lauor. cap. 9. n. 92.*

388 An vero valeat conuentio, vt emptori alicuius fundi non liceat in eo ædificare Ecclesiam, Cappellam, vel monumentum? negitē autem partem sustinet. *Med. q. 16. n. 9.* Sed videndi sunt DD. quos ad hanc quæst. refert *Lauor. d. cap. 9. n. 88.* Ego certe credo, quod nedum si contra pactum ædificetur Ecclesia, quod factum valeat, & ædificans non possit cogi ad pœnam in conuentione positam, vt ex *Lambert. de Iure patron. l. c. qu. 3. ar. 23.* & *Sebast. Med. q. 16. nu. 9.* tradit *ibid. Lauor.* sed quod conditio ista per se sit turpis, & nullius valoris, quia per se est impeditiua diuini cultus, & honoris. Patronus etiam Ecclesiæ, vel Capellæ, non potest impedire quin in ea fundetur sepultura. Nam in Ecclesia patronata potest etiam fundari Capellania. *Lamber. p. 1. q. 3. p. 1. a. 17. Med. q. 16. nu. 6.*

389 Secundo ius sepeliendi acquiritur hæreditate. Est vero hic vnum certum, nimirum quod hæredes, qui sunt de familia descendentes habent ius ad sepulturam suorum maiorum; nam hoc expresse decernitur *in cap. 1. de sepultur.* Sub nomine vero descendentium veniunt tam masculi, quam fœminæ. *Bald. cons. 3 at. l. 1. Bero cons. 77. nu. 13. l. 2.*, & etiam descendentes fœminarum *Rota dec. 383. nu. 3. coram Greg. 15.* & ibi *Adden. & decis. 424. n. 1. par. 2. Recent. Pereg. de fideicomiss. a. 11. nu. 24.* Et ideo, quod fœminæ, & ab eis descendentes hæreditarie ius sepulturæ maiorum à quibus descendunt, dixerunt *Rota d. dec. 383. & adden.* etiam si transeant in aliam familiam siue proximiores, siue remotiores sint. *l. liberor. ff. de verb. signific. Medices. q. 15. nu. 13. Lamb. l. 3. q. 8. p. 4. n. 16. Lauor. tit. 2. cap. 9. nu. 46. Peyr. tom. 3. cap. 4. nu. 48.* Et hoc extenditur etiam ad eos, quibus tanquam indignis aufertur hæreditas, non enim per hoc desinunt esse hæredes, & descendentes, vt non sint in suorum maiorum sepultura tumulandi. *Lauor. d. cap. 9. nu. 38.* Quamuis patre damnato perduellionis, seu de Crimine læsæ Maiestatis filius amittat ius sepulturæ, & suus hæres excluditur Fisco prælato *l. 11. §. interdum, & 8. sues. ff. de suis, & leg.* Non enim iura sepulchri possunt sibi constituere ij, qui iura diuina humanaque profane polluerunt. Quamuis restituta hæreditate ius sepulturæ apud hæredem remaneat. *l. quia parricida §. restitutam. ff. ad Trebell.* Huiusmodi quoque sepulturæ iura habent filij exhæredati. Et licet sepulchrorum iura transeant cum vniuersitate bonorum, hoc non verificatur in fideicommisso vniuersali, quia remanent apud hæredem. *l. quia perinde. ff. ad Senat. Consul. Trebell. & ex Imola in l. si patroni filius in princ. eod. tit. Lauor d. cap. 9. num. 45.* Quia tamen pater iusta ira motus potest prohibere sepeliendi iura. *l. 3. §. si qui in hæreditarium. ff. de sepult. vid.* Sic enim Octauianus Imperator, vt ex Suetonio in *Octau. cap. 65. & Dione l. 56.* refert *Spondanus de Cemet. l. 8. p. 1. cap. 4. n. 4.* Filiam Iuliam stupri difamatam, & Neptem æque adulterij difamatam testamento cauit ne in suo sepulchro inferretur. Ideo filius exhæredatus in eo casu amisisset iura sepulturæ paternæ, ex quo pater illā sibi prohibuisset. *Med. q. 15. nu. 14.* Emancipati etiam filij succedunt in iure sepulturæ. *§. Emancipati. Instit. de hæred. quæ ab intest. defert.* Imo conuenit huiusmodi ius ad filios, nepotes, pronepotes, Et deinceps ad omnes natos, tam masculos, quam fœminas, etiam si fuerint emancipati, & etiam siue extiterint hæredes siue abstinuerint. *Couar. in cap. Raynutius. §. 9. nu. 11. de testam. Medices. q. 15. n. 13. Lauor. d. cap. 9. n. 54.* vbi quod hoc nō procedit, quādo sepulchra essent acquisita pro se, & suis hæredibus, & successoribus, & non alijs. Fideicommissarios quoque excludi à iure sepulchrorum, sed hoc ius manere apud hæredem dictum est *ex l. quia perinde. ff. ad Trebell.* etiam quod quis in minima parte esset hæres. Vide *Sebas. Med. q. 15.*

390 Quod vero hoc ius non transeat ad hæredes extraneos, sed quod iura sepulchrorum extincta penitus familia eius qui sepulchrum fundauit, & eius primo ius acquisiuit remaneant ad Ecclesiam, quæ illud ius cuicumque alteri possit concedere sicuti dicitur de vsu, & vsufructu extincto illo, cui facta fuit cōcessio. habetur ex *l. penul. C. de vsufr. dixerunt Petr. de Vbald. de Can. port. c. 10. n. 6. Syluest. verb. sepultura q. 3. Tabien. n. 20. Rota in Eulag. sepulturæ 17. Maij 1606. quæ est 291. coram Coccinco. n. 3. Beltraminus ad dec. 145. n. 6. Greg. 15. Medices. q. 18. n. 3. Lotter. l. 2. q. 4. n. 23. Lauor. tit. 2. cap. 9. n. 25. & 36. ex Rocc. de iure patron. v. Ecclesia 16. Peyr. tom. 3. cap. 4. n. 48. ex Lamber. lib. 1. p. 1. q. 11. a. 13. n. 3.* Sed *Lambert. lib. 3. q. 8. n. 4. n. 15.* licet putet, quod ius sepulchri non transeat ad extraneos, non tamen admisit, quod Ecclesia extincta familia possit alteri sepulturam concedere sed ex quo maneant sepulta cadauera censet manere viuarios. Quod est improprie dictum quia cadauer vti non potest cum vsus sit proprius existentis, & ratione vtentis. *D. Th. p. 2. q. 16. n. 1.* Verum econtra quod ius sepulchri transeat ad extraneos, colligitur ex *l. His consequenter §. sed etiā. ff. famil. Erciscun.* vbi dicitur, quod ius monumēti hæredes sequūtur. Et quia bonorū possessor succēdit. *§. Quos autē. Instit. de bonor. possess.* Et quia ius sepulchrorum transit cum vniuersitate bonorum *l. si mercedem §. si enim. ff. de act. empt. & ex l. ius sepulchri l. si sepulchrum C. de Relig. & sumpt. fun. voluerunt Grat. discept. 210. n. 37. Rota decis. 383. n. 4. coram Greg. 15. Molin. de primog. lib. 1. cap. 24. n. 9. Moron. res. 51. n. 68. Bordon. res. 51. n. 68.* vbi quod si Monasterium sit heres vniuersalis alicuius, succedit in iure sepulchri eius, quod habet in alia Ecclesia. Quamuis dicat, quod hoc ius non seruit ad hoc, quod Monasterium possit ibi aliquos extraneos sepelire, vel suum religiosum, sed ad hoc, quod nullus ibi sepeliri possit sine eius licentia *Gratianus autem n. 38.* limitat hoc vt non valeat in iuribus sepulchrorum filiorum, & sui sanguinis.

391 Sed iuuat hic per extensum ponere *leges 5. & 6. ff. de Relig. & sumpt. fun. Familiaria sepulchra dicuntur* (inquit *Caius l. 19.* ad Edictum Prouinciale) *quæ quis sibi familiæque suæ constituit. Hæreditaria autem, quæ quis sibi, hæredibusque constituit.* Subdit vero *Vulpianus l. 25. ad Edictum. Vel quod pater familias iure hæreditario adquisiuit. Sed in vtroque hæredibus quidem, ceterisque successoribus, qualescumque fuerint licet sepeliri, & mortuum inferre: etiam si ex*

minima

minima parte heredes ex testamento, vel ab intestato sint: licet non consentiant alij. Liberis autem cuiuscumque sexus, vel gradus etiam filijs familias, & emãcipatis idem ius concessum est: siue extiterint heredes, siue se se abstineant. Exheredatis autem nisi specialiter testator iusto odio commotus eos vetauerit humanitatis gratia tãtum sepeliri non etiam alios prater suam posteritatem inferre licet. Itaque igitur duplicis generis sunt sepulchra, alia sunt familiaria, quæ quis primo stqnifinit pro se, & familia. *Med.q.4.num.4.* Nam & hoc de iure Canonico est, vt descendentes in sepultura maiorum, seu parentum sepeliri possint, *cap. 1. de sepult.* An vero si pater es concessione Ecclesiæ sepulchrum construit, tale sepulchrum sit familiare, etiam si pater nihil exprimat vel potius sit censendum hæreditarium, dubium mihi est: sepulchrum igitur familiare illud est, quod non transit ad extraneos, sed extincta familia remanet Ecclesiæ, vt bene aduer. *Lambert.l.1. p.2.q.2.a.3.nu.4.* Sed vbi construens sepulchrum expreils decernit, quod illud transeat ad hæredes, illud est hæreditarium. *Med.q.4.n.5.* & transit ad hæredes extraneos, etiam si ex minima parte sint heredes, Vbi vero alicui sepulchrum concessum est pro se, & familia, non potest ille relinquere extraneo, & ad ius illius vocare extraneos heredes, quia vsus concessus non potest extendi vltra limites concessionis, sed extincto vsuario, vt dicebatur cessat vsus fructus. *Sebastianus* tamen *Medices q.4.n.6* ponit discrimen inter sepulchra familiaria, & hæreditaria; quod in familiari sepulchro præter eiusdẽ familiæ, & cognationis mortuos, extranei quoque si hæredes essent, sepeliri poterant. In hæreditario vero nulla gentilium, aut agnatorum habita prærogatiua, illi tantum, qui hæredes essent humarentur, exceptis tamen liberis, & descendentibus, quibus & si non sint hæredes nisi mala mente exhæredentur, ius sepeliendi debetur, *Paul.l.si sepulchrum C. de Relig. & sumpt. fun. Posimus l. Familiaria. ff. de rel. & sump. fun.* Sed huius doctrinæ prima pars non est consona DD. supra citatis qui dicunt, quod sepulchra familiaria non transeunt ad extraneos, & quod extincta familia pertineant ad Ecclesiam, & non transeunt ad hæredem. Et ideo bene *Rota dec.442.nu.4. & 5.* coram Pe&na hanc distinctionem explicans ait, quod in sepulchro familiari illi soli sepeliri possunt, qui sunt de familia eius, qui sepulchrum construxit, sicut & in hæreditario illi soli, qui sunt hæredes. Ideo in sepulchris familiaribus præcipue verificatur, quod ius sepulchri non transit in fideicommissarium, quia si ille est extraneus à familia, ius remanet ijs, qui sunt de familia si supersunt; sin minus remanet Ecclesiæ. Secunda autem pars doctrinæ Medices habetur ex *l. citata. Vel quod pater.* In qua exheredatis conceditur ius sepeliendi in sepulchro pro se, & sua posteritate nisi specialiter ex iusto odio sint vetiti. An vero sepulchra sint familiaria, vel hæreditaria ex inscriptionibus colligi dixit idem *Medices. q.4.n. 7.* et etiam *Socinus in l. Familiaria §. sed in vtroque n.7. ff. de Relig. & sump. fun.* reddit Medices, quia in fidei commissarium ea tantum transeunt, quæ pecuniæ commodum amplectuntur.

394 Sic ergo quando sepulchrum est hereditarium ius sepeliendi habent heredes, & alij successores, & heredum heredes, qualescumque fiat etiam bonorum possessores; *Lauor. d.cap.9. n.4.* Possessor enim bonorum succedit in ius sepulturæ, quia verè est hæres in effectu, & successor vniuersalis. *§. quos autem. Instit. de bon. possess. Feder. cons.157. Rocc. de iure patron. ver. vel ipse, vel is à quo nu.13. Med.q.15. nu. 15. Lauor. c. 9. n.60.* Similiter, & fœminæ succedunt in iure sepulturæ familiaris si sint de familia, & descendentes, & hereditariæ si sint hæredes. *Med. q.15.n.26. Lauor. cap.9.nu.61.* & quod restituta hereditate iura sepulchrorum permanent apud hæredem. *l.41. quia perinde, &c. ff. ad Trebell. & l. 33. Si quis. ff. de Relig. & sumpt. fun.* Quod si *quis fuit heres, & deinde hereditas ablata sit ei quasi indigno, magis est vt penes eum iura sepulchrorum remaneant.* Et quod heres etiam si non sit missus in possessionem potest sepeliri in sepultura, quia in iuris incorporalibus sufficit habere ius. *Innoc. in cap. cum nostris, de concess. prabend. Lauor. d.c.9.n.62. Med.q.15. num.27.* vbi quod secus tamen si non adiuisset hæreditatem. *Lambert de iure patr. l.1. p.2.q.2.a.34.* Et quod si hereditas diuidatur non potest vni soli adiudicari ius sepulchri. *Rocc. de iure patron. ver. Ipse vel is à quo. n.27. Lauor d.c.9.n.63. Med.q.15.n.28. Lauor. cap. 5. nu. 63.* Et quod si hæredes constructoris sunt extincti sepulchrum remanet Ecclesiæ, & potest concedi alijs. *Lauor d.n.63.*

395 Emptione etiam, & venditione potest acquiri ius sepulchri. Quod sepulchrum cedat fundo vendito nisi sit exceptum, vel nisi habeat aditum ex publico habetur in *l. si mercedem §. si cum. ff. de act. emp. & vend. Med. q.5. num.19.* Sed hoc non potest habere locum in sepultura Ecclesiastica, quæ cum sit in Ecclesia, vel cœmeterio cuius fundus vendi non potest, & dato quod venderetur profanari deberet, & non ad vsum sepeliendi conseruari, non potest in ea verificari, quod vendito fundo censeatur venditum sepulchrum. In quantum tamen sepulchrum est quid materiale præscindendo à iure spirituali potest vendi, quantum valet materiale illius, & illius structura, vt supra est dictum. Et tunc verum est, quod vendito materiali ius spirituale illi annexum cedit emptori. Ius enim sepeliendi cum sit spirituale non potest vendi, sicut nec permutari. Admittunt vero *Med. n.19. & Lauor. ex Rocc. d. cap. 9. n. 64.* quod ius sepeliendi possit consentiente Episcopo commutari cum alia sepultura. Quod caute est legendum. Nam si spectemus materiale sepulturæ, illud & permutari potest etiam in aliud materiale profanum, & potest vendi, & alienari pro pretio, dummodo intuitu spiritualis iuris non magis vendatur. Sed ius spirituale sepeliendi in aliud spirituale non potest transmutari quia spirituale petit, vt non detur ex pacto, & pro pretio *cap. fin. de pactis.* Vnde simonia est cõmutare ex pacto spirituale cum spirituali, nec de licentia Episcopi id potest fieri. Addit vero *Med. q.16. n. 42.* quod si quis vendat ius sepulchri sepultura erit libera Ecclesiæ etiam si Rector illud emerit, et *Lambert. l.3. q.8. ar. 2.* Licet vero sepulchrum pro materiali vendi possit sine simonia non tamen à quocumque. Neque enim heres potest in præiudicium aliorum hæredum, & successorum vendere sepulchrum, quod à primo institutore pro heredibus fuit constructum. Imo nisi consentiente Ecclesia non potest vendi. Cum enim deficiente familia, vel heredibus sepulchrum pertineat ad Ecclesiam, in præiudicium eius

cedere

cedere poteſt, quod ſepulchrum vendatur alteri extraneo pro ſe, & ſucceſſoribus eius. Solus ergo ille poteſt vendere ſepulchrum, qui eſt illius dominus abſolutus, & hic neque id facere poteſt niſi Eccleſia conſentiente. Quod vero Epiſcopus non poſſit prohibere Regularibus, quod non vendant in caſibus alias licitis ſepulturā ex *Panor. in cap. Abolenda de ſepul. & ad vertis Ceſpedes cap. 12. dub. 119. n. 1.*

394 Donatione etiam acquiritur ius ſepulturæ. Sic enim, quod per donationem omnium bonorum transferatur ius ſepulchri ex *Rocc. de iure patron. ver. Ipſe, vel is,* tradunt *Med. q. 15. nu. 30. & Lauor. d. c. 9. n. 65.* vbi quod conſentiente Epiſcopo poteſt etiam donari ius ſpirituale. Sic enim verum eſt, quod non fit iniuria rei ſpirituali ſi donetur, & ideo dominus abſolutus ſepulturæ poteſt illam donare, etiam quantum ad ſpirituale. Id tamen fieri non poterit Eccleſia non conſentiente, ne fiat illi præiudicium. Sicut in præiudicium aliorum de familia, aut hæredum nec donari, nec renunciari poteſt *Med. q. 15. n. 36.* Idem quoque *Lauor. nu. 75.* dixit, quod donato fundo cenſetur donatum ius ſepulchri, quando aliunde ad illud accedi non poteſt. *Med. q. 15. nu. 43.*

395 Legari etiam poteſt ius ſepulchri, ita tamen, quod ſi legetur laico requiratur conſenſus Epiſcopi, non vero ſi legetur Eccleſiæ. Ita *Lauor. d. cap. 9. nu. 74.* ſed vere tam ſi legetur laico, quam ſi legetur alteri Eccleſiæ eſt neceſſarius conſenſus Epiſcopi, vel Rectoris illius Eccleſiæ in qua eſt ſepulchrum, quia hoc poteſt eſſe illi in præiudicium, & habet ipſa intereſſe in hoc, vt vltra limites conceſſionis ius ſepulchri non extendatur. Ex quo tamen de conſuetudine Rectores Eccleſiæ concedunt ſepulturas, non video quomodo ad huiuſmodi effectum ſit neceſſarius conſenſus Epiſcopi, & tamen quod particulari, ſeu ſpeciali titulo transferri non poſſint, vt de legato dixit *Med. q. 15. nu. 9. ex textu in l. apud Iulian. §. fin. ff. de leg. 1.* vbi addit, quod tamen in legato comprehenditur ius inferendorum cadauerum, vnde ſi teſtator velit externæ familiæ mortuos inferri in eius ſepulchrum, non ſepulchrum, ſed ius vt leges inferendorum cadauerum neceſſe eſt. *Not. l. Monumenti. C. de Relig. & ſumpt. fun.* Vendicare enim ſepulchrum iure dominij non ſolet. *Sal. l. Sepulchrorum C. de relig. & ſumpt. fun.* ſi tamen monumentum purum fuerit, legari poterit per *Bertach. de Epiſ. l. 4. q. 83. Lambert. de Iure patron. l. 1. p. 2. q. 6. Alex. Med.* & ſimilia habet *Lauor. cap. 10. n. 38.* Sed iudico conſiderandum, quod multa ex l. Ciuili deſumpta non valent pro ſepultura Eccleſiaſtica, & maxime in hoc eſt diuerſitas, quod de iure ciuili laicus poteſt eſſe dominus loci in quo eſt ſepulchrum; quod iure canonico eſt illicitum, quia laicus rei ſacræ non eſt dominus, & laici ſepulchrorum non habent aliud dominium, quam iuris vtendi ſepulchro. Sic ergo non eſt hic diſtinguendum inter ſepulchrum, & ius ſepeliendi in ſepulchro, quia laicus non habet dominium ſepulchri, niſi quia habet ius ſepeliendi, & prohibendi ne alius in ſuo ſepulchro ſepeliatur, ſiue ergo ſepulchrum ſit purum, ſiue non purum, numquam teſtator poteſt legare dominium, & proprietatem ſepulchri, ſemper vero poteſt concedere etiam extraneis ſui ſepulchri vſum, & illis legare ius ſepeliendi in ſepulchro á ſe constructo. Nam in ſepulchro maiorum, aut hæreditario in præiudicium aliorum de familia, vel hæredum non poteſt teſtator extraneo relinquere ius, vt in eo ſepeliri poſſit. Sicut neque hoc fieri poteſt ſine conſenſu Eccleſiæ, cum etiam hoc poſſit eſſe illi præiudiciale addit etiam *Med. d. q. 15. n. 42.* quod ſi alicui legetur ſepulchrum, valebit legatum quantum ad vſum, & ius inferendi mortuum.

396 Locatione etiam acquiri ius ſepulchri, ita quod per locationem vniuerſitatis bonorum perpetuam transferatur etiam ius ſepulturæ, ex *Rocc. vbi ſupra n. 37. & 57.* tenuit *Med. q. 15. n. 31. & Lauor. nu. 66.* Sed hoc non poteſt fieri ſine ſimonia; quia ius ſepeliendi non poteſt alienari pro pretio, ideo nec poteſt locari. Alias vero materiale ſepulchri ad nullum alium vſum valet, & quatenus valeret ad vſum materialem, valeret locatio ad illum vſum. Itaque dominium vtile, quod habet dominus ſepulchri cum ſit ſpirituale non eſt locabile. Poſſet vero dici, quod ius ſepulturæ in tali locatione cenſeretur donatum, tanquam quid annexum bonis locatis. In omni tamen caſu nihil poſſet locator acquirere, & recipere pro iure ſepeliendi conceſſo.

397 Pignori vero ſi detur vniuerſitas bonorum, non intelligitur conceſſa ſepultura. *Rocc. vbi ſupra n. 61. Med. q. 15. n. 32. Lauor. n. 67.* Sed certe inquantum ſepultura eſt vendibilis pro materiali, poteſt etiam pignori tradi, vnde bene poteſt cadere ſub pignore ſi vniuerſitas bonorum pro pignore detur. Tunc tamen non competeret accipienti pignus vſus ſepulturæ, quia per pignus non conceditur rei vſus.

398 Poſſe etiam transferri iura ſepulturæ, ſi in dotem detur vniuerſitas bonorum tradunt ijdem *Rocc. n. 63. Med. q. 15. nu. 33. & Lauor. nu. 68.* & addit *Med.* quod ſi maritus non habuerit propriam ſepulturam in hoc caſu, ſepelietur in ſepultura vxoris.

399 Vſufructuarius autem omnium bonorum non venit in ius ſepulchri, quia vſusfructus morte finitur, & ius inferendi exercetur poſt mortem. *Aſinius in l. 2. §. ſed fructuarius. ff. de relig. & ſumpt. fun. Med. q. 15. n. 24. Lauor. d. cap. 9. n. 59.*

400 Præſcribi autem, aut Vſucapi non poteſt ius ſepulchri quia dicitur nullius in bonis, *§. nullius. Inſt. de rer. diuiſ.* Sed hoc eſt verum quantum ad dominium fundi, ſed eo modo quo res ſpiritualis eſt alicuius, ſic ius ſepeliendi eſt huius vel illius, & ideo non repugnat, quod præſcribatur. Ideo quod tempore immemorabili poſſit præſcribi dixerunt. *Rocc. vbi ſupra n. 89. Lauor. nu. 71. Med. q. 15. nu. 37.* vbi quod ſicut præſcripta vniuerſitate bonorum præſcribitur iuſpatronatus, ita & ius ſepulturæ. *Rocc. nu. 89.* & ſicut iuſpatronatus non poteſt haberi ſine conſenſu Epiſcopi, ſic nec ius ſepulturæ. Diſcrimen tamen eſt, quod in iuriſpatronatu ſtante ſtatuto, quod ſolus primogenitus ſuccedat ille ſolus ſuccedit, ſed in iure ſepulturæ ſuccedunt omnes niſi contrarium exprimatur ex *Lamber. l. 1. p. 1. q. 19. a. 29. Med. q. 15. n. 39.* Aduertit autem *Lauor. n. 28.* quod ius ſepeliendi in aliqua ſepultura non cenſetur quæſitum ex ſolo curſu decennali, & cadauerum illatione. *Beltraminus ad dec. 145. nu. 7. Greg. 15.* Et quod indiſtincte ex illatione cadaueris non acquiratur poſſeſſio iuris ſepeliendi, & prohibendi ſepulturam alijs tenuit *Rota dec. 291. n. 5. coram Coc-*

ram Coc-

ram Coccino. *Nam & l.penul ff.de mort.inferend.*dicitur *longa possessione ius sepulchri non tribui ei, cui vere non competit*. *Med.q.*15.*n.* 11.

401 Per emphyteusim etiam vel feudum acquiri ius sepulturæ si detur in feudum vel emphyteusim vniuersitas bonorum voluerunt ex *Lambert. Med.q.*15.*n.*44.*&* 45.*& Lauor.d.c.*9.*n.*76. Sed certe nisi censeatur donatum hoc ius, seu gratis, & libere concessum tanquam quid annexum, ex vi locationis, & concessionis in feudum, aut emphyteusim non potest tale ius concedi, quia sine simonia non potest alienari pro pretio.

402 Confiscatione etiam fiscus acquirit ius sepulchri in casu in quo fiat publicatio omnium bonorum *Rocc.vbi supra n.*63.*Med q.*15.*nu.*34. *Lauor. cap.*9.*nu.*69.

403 Priuilegio etiam acquiritur ius sepulchri, si Ecclesia liberum sepulchrum alicui concedat, secus si familiare, aut hæreditarium. *Med. qu.* 15. *num.* 48.

404 Iuspatronatus se solo non dat ius sepeliendi; nihil enim habet commune vnum ius cum alio *Lambert.de Iure patr.p.*1.*l.*1.*q.*11.*a.* 13. *Lauor. d. cap.*9. *nu.* 30. post Rotam in Tolletana Capellaniæ, & sepulturæ 27. Iunij coram Vbaldo *Loter. l.*2.*q.*4. *n.* 7. Vbi quod nec principaliter nec accessorie potest haberi iuspatronatus in sepulchro.

405 Sed nec per fidei commissum acquiritur ius sepulturæ: sed hoc remanet apud hæredem. *l. quia perinde. ff. ad Trebell. Imola in l. si patroni cod. tit.* Lotter.*l.*2.*q.*11.*n.*30. *Asinius l. Familiaria.* §.*sed in vtroque ff. de relig.& sump. fun.* quia in fidei commissarium transeunt, quæ pecuniæ commodum amplectuntur, seu corpus, & res ipsæ hæreditariæ At hoc ius ita hæredi hæret, vt ab eo euelli non possit. *Med.q* 15.*n.*12. Quemadmodum de directis iuribus dici solet. §. *restituta. Instit. de fideicommiss. a:7.Couar.in cap.Raynutius* §.9.*num.*21.*de testam.*dicens, quod licet iura sepulchrorum non pertineant ad fidei commissarios, pertinent tamen ad directum militare substitutum.

406 Substituti igitur tamen directo succedunt in ius sepulchrorum *Alex.in l.Centurio n.*44.*ff. de vulg.& pupill.Med.q.*15.*n.*16. *Lauor.cap.*9.*n.*56.

407 In solutum etiam non posse dari ius sepult.dixerunt. *Rocc.vbi supra. n.*70.*Med.q.*15.*n.*35. Eo tamen modo, quo sepultura potest vendi potest etiam dari in solutum.

408 Sequestro etiam non acquiritur nec impeditur ius sepeliendi. Est enim ius spirituale, quod non cadit sub sequestro ex *Lambert. Med. quæst.*15. *n.*46.*Lauor.d.cap.*9. *n.*77. Et idem dicitur de Depositario, quod nullum habet ius inferendi mortuos. *Lamber.ibid.n.*4.*Med.n.*47.*Lauor.n.*78.

409 Est vero circa prædicta semper considerandum, quod dominus sepulturæ, si non sit absolutus dominus, sed sit sepultura maiorum vel hæreditaria, quæ talis est si sit sepultura familiaris, aut testamentaria, non potest iure sepulchri renunciare, ideo nec illud donare, aut alienare in præiudicium eorum qui sunt de parentela, vel heredum *Lauor. num.* 79.

410 Vnde etiã inscia Ecclesia huiusmodi alienationes fieri non possunt, cum illa in his habeat interesse. Ordinarie vero in huiusmodi alienationibus si fiant in laicum VD. requiritur consensum Episcopi, sicut & in iurispatronatu. Sed discrimen est, quod sepultura ex consuetudine conceditur laicis etiam à Rectoribus immediatis Ecclesiarum, & ideo iuxta consuetudinem etiam de licentia eorundem potest sepultura de vno ad alium transire. Nam alias si huiusmodi alienationes fiant cum pactis insolitis, necessarius est etiam consensus Papæ, sine quo non possunt alienari res Ecclesiæ, & Religiosæ.

SVMMARIVM.

1 *Multis de causis perditur ius sepulturæ. n.* 411.
2 *Confiscatione ius sepulturæ perditur. n.*412.
3 *Alij modi quibus amittitur. n.*412.
4 *Etiam inuito Rectore Ecclesiæ ei renunciatur sepultura. n.*413.
5 *Cui accedat sepultura cum ab vno amittitur. nu.* 414.
6 *An sepultura amittatur per electionem alterius. num.* 415.
7 *Ab eo qui acquirit alterius sepulturam non possunt remoueri prioris domini insignia, nec mortuorum ossa exhumari, nec noui patroni insignia apponi. n.*416.
8 *Sepultura aliena acquisita non debet vendi nisi personis æqualis conditionis. n.* 416.

Ex quibus causis amittatur ius sepulturæ.

INSPECTIONIS QVARTAE.

CAP. OCTAVVM.

411 QVod acquiritur etiam perdi potest. Sic igitur, & ius sepulturæ perditur per simoniam, per occisionem Rectoris factam à domino sepulchri, si viuus aliquis in ea sepeliatur, vel aliquod aliud delictum in sepultura à domino committeretur, per hæresim, & hæresis fautori an per Crimen Læsæ Maiestatis, & alijs modis de quibus *Lambert.lib.*3.*q.*8.*art.*2.*& Med.q.*16.*n.* 43. Et in dictis casibus Ecclesia fit libera, si vnus erat dominus sepulturæ; secus si plures, quia in casu amissionis vnius accrescit alteri, si erit sepulchrum familiare. *Lauor.cap.*9.*n.*107. *Barbosa de iur. Eccl.l.*2.*c.*10. *n.*39. Addunt vero *Med.q.*16.*n.*42.*& Lauor.* quod si sepulchrum sit hereditarium accedit Rectori Ecclesiæ, qui poterit ad libitum vna cum compatrono ibi sepeliri facere secundum *Lambert.lib.* 3. *qu.*8. *a.* 2. Destructa quoque Ecclesia perditur ius sepulturæ *Lamb.lib.*3.*q.*7.*a.*1. *Med.q.*16. *nu.*49. *Lauor.nu.* 106. Non tamen perditur per non vsum, sed bene per vsum contrarium. *Med.q.*16.*n.*41. *Lambert.d.q.* 7.*a.*8.*Lauor.d.n.*106. Sepulchrum etiam cedit fundo vendito nisi sit exceptum, vel nisi habeat aditum ex publico. *l. si mercedem* §. *si cum, vbi Bart. ff. de action. empt. Bald.in l.fin. C.de edict. D.Adrian. toll. Lauor.d.c.*9.*nu.*57.

412 Confiscatione etiam ius sepulchri amittitur, si omnia bona alicuius publicentur. *Lauor. d. cap* 9. *nu.*69. At vero semel publicatis bonis alicu-

ius per

ius per pœnitentiam non recuperantur, quia semel commissum non retractatur. *Lamber.l.3.q* 8.*a.* 2.*nu.* 6.*& 9.*

412 Quomodo etiam amissa, seu restituta alteri hereditate non amittatur ius sepulturæ, & qualiter ei quis non possit renunciare in praiudicium aliorum de familia, & similiter qualiter vendi, aut alienari possit *cap. super.* dictum fuit, sicut & quando finita linea familiæ, aut hæredibus deficientibus sepultura redeat ad Ecclesiam.

413 Addendum vero est, quod patronus renunciare potest Ecclesiæ sepulturam etiam rectore inuito, sicut & renunciare potest iuspatronatum. *Cald.consf.4.de Iurepatron.* Lambert. *lib.3.qu.1. ar.6. Med.q.16.n.36.* Sed tamen hæres non potest hoc facere nisi in casu in quo possit præiudicare suis successoribus. *Med.q.16.nu.41.*

414 Ex dictis etiam supra *num.* 411. est vniuersaliter attendẽdum discrimen inter sepulchrum familiare, & hæreditarium, quod in illo si deficit totaliter vnus ramus familiæ sepulchrum accrescit alijs de familia, quia familiæ est proprium. Sed in hæreditario si finiatur vna lidea hæredis, & totaliter extinguatur sepulchrum accrescit Ecclesiæ, quæ in hoc locum hæredis habet.

415 Esset etiam considerandum, an si quis habens sepulturam maiorum in vna Ecclesia, si eligat sibi, & successoribus suis sepulturam in alia Ecclesia, ius prioris amittat. Et ratio dubitandi est, quia obligatio debet esse reciproca sicut igitur Ecclesia obligatur, vt in sepulchro concesso nullum alium admittat, videtur quod etiam sepultuarius se obliget, vt aliam sepulturã non sibi eligat, si vult quod Ecclesia stet suæ obligationi, sed dicitur, quod cum hæc sit conditio sepulturæ, vt sit libera, ideo sine amissione prioris iuris suorum maiorum successor alibi eligit sepulturam.

416 Est vero considerandum, quod in casibus huiusmodi insignia primi fundatoris capellæ, vel sepulchri non possunt auferri, sed in memoriam eius semper remanere debent, nec à nouo herede, vel ab Ecclesia ad quam deuoluitur sepultura tolli possunt. Imo nouus hæres si sit alterius familiæ, nec propria insignia simul cum insignibus fundatoris collocare potest, nisi capellam, vel sepulchrum restauret, aut melioret, in quo casu antiquis insignibus relictis suas posset addere, Alias vero, qui talia insignia auferret puniri deberet. *l. Qui liberalitate, l.opus nouũ. ff.de oper.publ. Rõ.sing.* 480. *&* 673. *Lambert.l.3.q.5.a.4.n.8.& 9.* quos sequitur *Peyr.ad Consl.26. Leonis X. n.24. & tom.3.cap.2.nu.* 47. *Lamb.l.5.q.8.a.4.nu.17. Lezana v. sepult.nu.16. Bordon.resol.51.num.73. Med.q.16.n.38.* Qui addit, quod construens sepulturam pro alio, simul cum armis illius, si non sint alij de illius agnatione potest ponere arma propria secundum *Anchar. consf.* 114. *&* Lamb.*l.3.q.8.a.4.n.14.* Quod ita fieri debet, vt cognoscatur, quod sepultura est illius alterius, & quod ipse qui construxit pro fundatore illam construxit. Cæterum nec cadauera in sepultura sepulta à nouo hærede vel ab Ecclesia exhumari debent. Et si Ecclesia sepulturam ad se deuolutam alteri velit concedere, id fieri debet personis æqualis status, & conditionis, indignum enim esset, vt sepulchrum, quod fuit familiæ nobilis concederetur ignobili. *Med.q.16. nu.38.* Amplius vero *Lambert.lib.3.q.* 8.*a.4.nu.fin.* putat, quod si ij quibus de nouo conceditur sepultura exhument cadauera in ea sepulta incurrant censuras latas contra exhumantes cadauera fidelium.

SVMMARIVM.

1 *Electio sepulturæ debet esse libera. n.*417.
2 *Cap. Animarum, de elec: in 6.n.* 417.
3 *Clem. Capientes de pœnis. n.*418.
4 *Clerici, aut Regulares inducentes ad electionem sepulturæ in sua Ecclesia sub voto sunt excommunicati. n.* 419.
5 *Quid sit inducere ad vouendum se electurum sepulturam, &c. n.*420.
6 *Ad hoc vt incurratur excommunicatio sufficit, quod suasus vouerit, &c. licet non elegerit sepulturam. n.*421.
7 *Inducens ad testandum non incurrit excommunicationem. n.* 421.
8 *Electio sepulturæ facta ex vi voti, &c. est nulla. nu.* 422.
9 *Et qui sic vouit nec alibi potest eligere sepulturam. n.* 422.
10 *Posset tamen sepeliri in Ecclesia in qua de iure sepeliendus erat, etiam si inductus vouerit, &c. in ea eligere sepulturam. n.* 423.
11 *Alij etiam in Ecclesia electa poterunt sepeliri. nu.* 423.
12 *Qui elegit mediate non est excommunicatus. num.* 423.
13 *Electio facta ad sugestionem alterius non est nulla. num.* 424.
14 *Sicut nec electio facta ex vi voti libere omissi non ad suasionem alterius. n.* 424.
15 *Ecclesia in qua sepultus fuit inductus, vt supra tenetur ad restitutionem emolumentorum, & etiam cadaueris si petatur. n.*425.
16 *Quid agendum vbi Ecclesia, in qua sepeliri deberet sit interdicta. n.* 426.

De libertate necessaria ad electionem sepulturæ.

INSPECTIONIS QVARTAE.

CAP. NONVM.

417 Concessum quidem est omnibus qui sunt sui iuris eligere sepulturam verum huiusmodi electio, vt sit valida libera esse debet, vnde si quis ad inductionem Clerici, vel Regularis eligat sepulturam in eorum Ecclesijs se obligando ad id iuramento, vel voto, electio est nulla, & inducentes sunt excommunicati. Circa hoc igitur seruari debent statuta Bonifacij Octaui, & Clementis Quinti. Itaque *Bonif.8.in cap.1. Animarum, de sepult. in 6.* ita ordinauit.

418 Animarum periculis, & scandalis quæ frequenter ex his proueniunt, obuiare volentes, vniuersis religiosis, & secularibus Clericis cuiuscunque status, vel conditionis existant in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub intermiuatione

maledictionis æternæ, diſtrictiſſimè prohibemus: ne aliquos ad vouendum, iurandum, vt fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, vt apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel iam electam vlterius non immutent. Nos enim (ſi ſecus actum fuerit) electionem talem decernimus nullius penitus exiſtere firmitatis. Statuentes, vt ij, qui ſic elegerint, nec apud ſic electas Eccleſias valeant ſepeliri, nec alibi (ne contra votum, iuramentum aut promiſſum huiuſmodi à ſe factum materiam habeant veniendi) poſſint eligere ſepulturam: ſed contradictione quacunque ceſſante ſepeliantur omnino apud illas Eccleſias, apud quas ſepeliendi de iure fuiſſent, ſi aliàs ſepultura non electa forſitan deceſſiſſent. Si verò ijdem religioſi, vel Clerici prædictos in ſuis Eccleſijs vel cœmeterijs præſumpſerint ſepelire: ad reſtitutionem, tam ſepultorum corporum (ſi petantur) quàm etiam omnium, quæ occaſione ſepulturæ illorum peruenerint quomodolibet ad eoſdem, intra decennium integraliter faciendam ipſos obligatos eſſe cenſemus. Quam niſi fecerint, Eccleſiæ ipſæ, apud quas ſepulti fuerint, necnon & cœmeteria earundem, ex tunc eo ipſo ſint, & tamdiu maneant Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donec ab eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium prædictorum.

418 Clemens autē Quintus in *Clem. Cupientes* §. ſane de pœnis addidit pœnā excommunicationis reſeruatæ Papæ contra inducentes, vt ſupra ad eligendam ſepulturam. Sanè inquit, temerarios violatores conſtitutionis illius, quæ religioſis, & clericis ſecularibus prohibet, ne aliquos ad vouendū, iurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant vt ſepulturam apud eorum Eccleſias eligant, vel iam electam vlterius immutent: ſimilem ſententiam (pœna in dicta conſtitutione contenta in ſuo perdurante robore) incurrere volumus ipſo facto ab alio, quàm à ſede Apoſtolica (præterquam in mortis articulo) nullatenus abſoluendos nullis priuilegijs, aut ſtatutis cuiuſcunque tenoris exiſtant, ſuper his valituris.

419 Lex igitur iſta quantum ad perſonas non afficit niſi Clericos, & Regulares inducentes ad electionem ſepulturæ. Non ergo afficit ſeculares, Et hinc colligitur, quod nec afficeret, aut Clericos, aut Regulares niſi expreſſe de eis fieret mentio, & quod conſtitutio lata contra Regulares non afficit Clericos ſeculares, & econtra. Et propterea Bonif. Octauus, vt ſua lex comprehendat tam Clericos, quàm Regulares vtroſque expreſſe nominat. Quia vero in odioſis, & pœnalibus ſub nomine Religioſorum non veniunt Nouitij non profeſſi, ideo huiuſmodi lex non afficit Nouitios. Et quia prohibet ne Clerici inducant ad electionem ſepulturæ in propria Eccleſia, ideo nec comprehendit omnes Clericos, ſed eos ſolos, qui Eccleſiam propriam habent, & ſuam, vt ſunt Parochi, Capellani, Canonici, & alij quicumque inſeruientes permanenter alicui Eccleſiæ. Illi ergo, qui carent Eccleſia in nulla habētes titulū officij, & nulli inſeruientes permanenter, non comprehenduntur ſub præfata excommunicatione, quia non poſſunt inducere ad electionem ſepulturæ in ſua Eccleſia, cum nullā Eccleſiā propriā habeant. *Bordon. reſ.* 51. n. 190.

420 Actio vero prohibita eſt inducere ad electionem ſepulturæ in propria Eccleſia ſub voto, aut iuramento, aut fide interpoſita, aut ſub quacumque promiſſione, vel ad non mutandam iam prius libere electam. Inducere vero eſt exhortare, perſuadere, rogare, ſed non ſufficit inducere ad electionem ſepulturæ, vt incurratur hæc excommunicatio, ſed eſt neceſſe inducere ad aliquam obligationem. Vnde materia huius actionis non eſt electio ſepulturæ, ſed votum, vel iuramentum, vel promiſſio, & obligatio ad eligendam ſepulturam, vel ad electam non mutandam. Et non ſufficit inductio ad eligendam ſepulturam in quacumque Eccleſia, ſed in ſua. Vnde ſi Clericus inducat ad electionem ſepulturæ in Eccleſia Regularium, vel ſi Minorita inducat ad electionem ſepulturæ in Eccleſia Carmelitæ, non ſubijcitur huic excommunicationi, quia non inducit ad electionem ſepulturæ in ſua Eccleſia. Cæterum ſi Clericus inducat v. g. Petrum ad electionem ſepulturæ cum obligatione ſiue Petrus eligat pro ſe, ſiue eligat pro alio in caſu in quo alias de iure poſſet pro alio eligere incurrit excommunicationem præfatam. Verbum vero inducere importat perſuaſionem quæ effectum eſt conſecuta, quia non eſt inductus ad eligendum, qui non elegit, & ſic inducere non eſt ſimplex ſuadere, ſed eſt ſuadere cum effectu. Verum quidem eſt, quod in præſenti effectus ex quo perficitur ſuaſio non eſt electio ſepulturæ, ſed eſt obligatio ad ſepulturam eligendam, vel non mutandam. Vnde etiam ſi ſuaſus nondum elegerit ſepulturam, ſi ſe obligauit ad eam eligendam, vel non mutandam, & quidem nedum voto, vel iuramento, ſed per ſimplicem promiſſionem, qui ad talem obligationem ſuaſit ſi ſit Clericus, vel Regularis eſt excommunicatus. Non ergo ſufficit ſuaſio ſine effectu, ſed nec requiritur, quod vel ſepultura fuerit electa, ſed ſufficit, quod ſuaſus ſe obligauerit ad eligendam ſepulturam in Eccleſia ſuadentis. Multi quidem tenent, quod duo copulatiue requirantur ad incurrendam excommunicationem hanc ſcilicet ſepulturæ electio, & obligatio ad ſepulturam non mutandam, ita quod non ſufficiat promiſſio de eligenda ſepultura. Ita *Bordon. reſol.* 51. n. 181. *Paſqualig. dec.* 374. n. 3. ex eo quia Pontifex non fert cenſuram contra attentantes, ſed contra inducentes; & eſt regula, quod cenſuræ regulariter non incurruntur niſi ex completa actione prohibita, non vero ex attentata.

421 Sed data hac doctrina conſiderandum eſt, quod materia directa actionis prohibitæ hic eſt obligatio ad eligendum, vt patet ibi. *Prohibemus ne aliquos ad vouendum, iurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, vt apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel iam electam vlterius non mutent.* Et ſic in hac prohibitione electio ſepulturæ, cadit ſolum vt materia obligationis, non vt materia inductionis, & ſic vbi inductio obtinuit votum, vel iuramentum vel promiſſionem de eligenda ſepultura perfectionem ſuam conſequuta eſt. Nec Pontifex prohibet ſolum, ne Clerici inducant ad vouendum, & exequendum votum ſtatim per electionem ſepulturæ, ſed ne inducant ad vouendum electionem ſepulturæ. Et hic ſenſus planus dicti textus comprobatur ex ſecunda parte, in qua prohibetur votum de non mutanda ſepultura, &

de qua

de qua constat; quod ad censuram incurrendam simplex illud votum sufficit, absque eo quod aliquid aliud sit necessarium. *Portell. v sepultura n.4. ex Rodriq.in addit.tom.4.cap.103.n.7.* Et licet verum sit, quod non sufficit attentata inductio sine effectu, non inde sequitur quod sit necessaria electio ad hoc vt inductio sit nedum actio attentata, sed perfecta, quia perficitur actio prohibita ex eo quod consequitur primarium, & directum effectum, inductio vero ad vouendum habet pro effectu primario immediato, & directo votum ipsum, non vero voti complementum; & sic inductio est non attentata sed perfecta, se suasus vouit. Quia vero testator non se obligat ad persistendum in electione sepulturæ quam facit in testamento, ideo inducens ad testandum, quia non inducit ad vouendum, iurandum, vel sub fide data, aut promissione ad non mutandam electionem suam, non comprehenditur sub excommunicatione ista. Et quia alias sine fraude, & dolo inducere ad eligendam sepulturam non est malum, ideo in casibus non comprehensis sub præfata lege, nisi aliud etiam obstet, non est malum inducere ad sepulturæ electionem. De his autem videri possunt *Caiet. in sum.in v. excommunicatio cap.49. Syluest.v.excom.7.nu.49. D.Anton.3.p.tit.24.cap.si Rodriq.3.p.q.58.a.7. Nauar.cap.27.nu.103. Suarez de Censur.disp.35.sect.4. Medices.q.8.d n.17. & seq. Portel.in v.sepult. Bassaus eod.verb. Bordon.resol.51.a.n.177. Lezana v. sepult.nu.7. Samuel disp.2. contr.1. Pasqualig.ad Laur.de Franchis p.3.qu.63. & decis.373. & sequent. Layman.l.3.tr.5.c.13.n.12.*

452 Multiplex vero pœna est imposita contra præfatos inducentes. Nimirum primo excommunicatio latæ sententiæ reseruata Papæ. Secundo nullitas electionis sepulturæ ea præfata obligatione electæ. Circa quod attendi debet, quod non irritatur votum, aut promissio, sed imo ipsa relinquitur in suo robore, & vt suasus qui vouit, aut iurauit, aut vouit, non eat contra votum statuitur, vt nec alibi possit amplius eligere sepulturam & sic, quod talis nec possit sepeliri in sepultura ex vi præcedẽtis obligationis electa, neque aliam eligere valeat, sed sepeliri debeat vbi ante votum, vel promissionem factam sepeliendus suisset. Vnde est, quod qui sic vouit, aut iurauit, aut promisit eligere sepulturam in Ecclesia aliqua, si postea eligat in alia, licet electio sit nulla, nihilominus ille respectiue sit, aut sacrilegus, aut Infidelis, quia violat votum, vel iuramentum, aut professionem.

423 Quod si contingat quem induci ad se obligandum ad eligendam sepulturam in ea Ecclesia in qua aliàs de iure non electa sepultura sepeliendus erat; in eo casu in eadem sepeliri debet, non ex vi iuratæ, aut promissæ electionis factæ, sed ex antiquo iure. Cũ enim lex ista sit edita ad fauorem Ecclesiæ illius ad quam vnusquisque de iure sepeliri deberet, si sepulturam non eligeret, non debet lex verti in eiusdem præiudicium. Et ideo vbi eligatur hoc modo prohibito Ecclesia illa, in qua alias electione cessante eligens tumulari debebat, eligens nõ ex vi electionis, sed ea vi antiqui iuris in eadem Ecclesia est sepeliendus. *Syluest. ex Io: Med. v.excom.7.n.49. Portell.v.sepultura.n.4. Bordon.resol.51.n 185.* Quod vero *Rodriq.tom.4.summæ cap.130. n.2.* & alter *Rodriq.in Comp.resol.158.n.6.* voluerint, quod in præfato casu, inducens ad promittendam electionem in Ecclesia in qua alias de iure eligens sepeliri deberet, non sit excommunicatus, quia tribuit vires decreto, non vero contra illud facit, merito reijcitur à *Pasqual.dec.375.* quia talis directe violat legem, cum inducat ad obligationem nouam contra legis mentem, quæ fuit, & est vt electio sepulturæ maneat libera, & vt adhibeatur remedium contra auaritiam, Et pariter licet Ecclesia in qua modo præfato prohibito est electa sepultura amittat facultatem admittendi eligentem ad sepulturam ea vi cuiuscumque nouæ electionis, non tamen amittit ius sepeliendi simpliciter. Solum enim statuitur, vt eligens ea vi talis electionis sepeliatur in ea Ecclesia in qua sepulturam elegit, non prohibetur autem, quod alij non sepeliantur. *Portel. & Bordon locis citatis.* Hanc vero pœnam habere locum nedum vbi quis inducat ad promissionem electionis sepulturæ in propria Ecclesia, sed etiam si inducat ad promissionem electionis in aliena Ecclesia ad instantiam Religiosi eiusdem Ecclesiæ, & suasionem illius, vt si Minorita ad instantiam Dominicani inducat Petrum ad promissionem electionis in Ecclesia Dominicani, quia hic est fraus contra legem, dixerunt *Portel. v.sepultura n.5. Pasqual.dec.373.n.8.* & apud eum *Villalobos, & Hieron. Rodriq.* sed contrarium tenet *Bordon. d. resol. 51.* quia in præfatis textibus non sunt clausulæ efficaces per quas prohibitum sit inducere etiam indirecte, & mediate, & per alium ad promittendam electionem sepulturæ in aliqua Ecclesia.

424 Ex hoc etiam deducunt aliqui quod electio sepulturæ facta ad sugestionem alicuius non sit valida, vt si Parochus infirmum interroget non in genere, sed in specie, & dicat. Vis sepeliri in Parochia. Ita *Nicolius p.1.l.4.tit.15.nu.23.ex Cravetta consf.16.vol.1. Bursat.consf.326.n.18.vol.3. Lez. v.sepult.n.10. Lauor.c.11.num.3. Barbos. de Parocho cap.26.n.38.* Sed hæc opinio non habet fundamentum, Irritatur enim electio eius, qui ad instantiam alterius se obligauit ad eligendum, vel non mutandum electionem factam, non eius qui ad suasionem alterius solum elegit. Quamuis nec suggestio sit suasio, vel inductio, cum relinquat in libertate agendi eum cui suggeritur, nisi suggestio habeat coniunctam vim aliquam, seu violentiam. Similiter si quis libere voueat eligere sepulturam in aliqua Ecclesia, votum tenet, & obligat; quia irritatur electio facta ea vi voti ad inductionem alterius, non vero si votum libere fiat. *Syluest. v. sepultura n.5. Lauor. c. 21.n.4.* Vnde quod habet *Rota dec. 164.nu.6. coram Cesar. de Graff.* quod scilicet iuramento, aut voto non potest firmari electio sepulturæ est verum solum si id fiat ad instantiam Clerici, vel Regularis inducentis ad electionem sepulturæ in sua Ecclesia.

425 Tertia pœna est obligatio ad restituendum cadauer, & emolumenta inde percepta per Ecclesiam, in qua cadauer ea vi obligationis præfatæ fuit sepultum, & interdictum si intra decennium non restituat. Est vero discrimen, quia cadauer non est restituendum nisi petatur, sed emolumenta statim restitui debent Ecclesiæ in qua cadauer tumulandum erat. Et sic decennium respectu cadaueris incipit à die petitionis, sed respectu emolumentorum incipit à die sepulturæ. Emolumenta vero illa restitui debent, quæ post sepulturam

remanserunt integra, vel diminuta, Nam quæ consumpta fuerunt in actu sepulturæ, seu quæ Ecclesia non recepit, restituere non tenetur. Punitur vero Ecclesiæ pœna interdicti si non fiat restitutio, ob contumaciam non restituendi. Et interdictum statim facta restitutione cessat. Ecclesia tamen ex hoc non perdit ius sepeliendi alios. *Bordon. resol.* 51. n. 186. Etiam si qui induxit ad promittendam electionem fuit Prælatus, quia lex solum priuat eligentem ex voto, &c. vt possit eligere de nouo aliam sepulturam, & irritat electionem ex vi voti factam, non vero priuet Ecclesiam, quin possit alios sepelire. Nihilominus *Portell. v. sepultura n.4.* arbitratur, quod si suadens sit subditus conuentus non perdit ius sepulturæ, quod perdit si suadens sit Prælatus repræsentans totum Conuentum. Verum si intelligitur de iure sepeliendi illum qui suasus iurauit, &c. nihil interest, quod suadens sit subditus, vel Prælatus, quia Pontifex irritat electionem sepulturæ factam ex vi voti, &c. emissi ad instantiam Clerici vel Religiosi suadentis sepulturam in sua Ecclesia, vt communiter DD. docent. Sed si intelligatur de iure sepeliendi alios, nihil etiam interest, an suadens sit subditus vel Prælatus, quia etiam si qui suadet sit Prælatus tale ius non perditur, quia Pontifex irritat solam electionem sepulturæ factam ab illo, qui suasus vouit, &c. & ex voto sepulturam elegit, vt supra. Ad incurrendam autem censuram putat *Bordon.* necessarium esse citationem ad restituendum, & sic non incurrit nisi post citationem sint contumaces. Verum cum censura ista, &c. sit lata ipso iure, non requirit aliam citationem. Verum quidem est, quod respectu cadaueris, quia non præcipitur restitui nisi petatur, ad hoc vt ex non restitutione illius incurratur interdictū necesse est, quod præcedat petitio. Sed respectu emolumentorum nulla petitio requiritur, & ideo nec est necessaria citatio, & ad vitendam hanc censuram non sufficit partialis restitutio, sed requiritur integra, ibi. *donec ab eis facta fuerit plenaria restitutio.* Quis vero sit iudex competens ad citandum, & declarandum Ecclesiam interdictam, bene inquit *Bordon n.* 194. quod est iudex illius Ecclesiæ quæ præsumitur, vel est rea, quia actor sequitur forum rei, Ideo vbi Regulares sunt rei, si habent Conseruatorem coram illo citandi sunt, & ab eo iudicandi.

416 Quærit etiam *Syluest. in v. excom. 7. an. 50:* quid agendum in caso, in quo Ecclesia, ad quam hic qui elegit modo prohibito sepulturam, de iure sepelire debebat, sit interdicta. Respondet vero, quod in eo casu sepeliendus erit in Cathedrali secundum Archidiac. vel si illa sit interdicta seruabitur ordo *cap. vbicumque* 13. q. 2. vbi dicitur, quod vbicumque sepeliatur. Sed distinguendum est, quia si Ecclesia in qua talis erat sepeliendus est Ecclesia vbi est sepultura maiorum, defunctus non in Cathedrali, sed in Parochiali potius esset sepeliendus; quia ex *cap. Is qui de sepult. in 6.* qui non habet sepulturam electam, vel maiorum debet sepeliri in Parochia. Sed in proposito nostro credo esse in electione heredum eligere alicubi sepulturam per modum depositi, donec cesset interdictum, quia non debet sine culpa defunctus priuari consortio maiorum. Addit vero *Syluest.* quod in hoc casu restitutio emolumentorum facienda esset illi Cathedrali, vel Ecclesiæ in qua ille sepeliri deberet, quia tunc sicut Ecclesia illa Cathedralis, aut alia succedit Ecclesiæ interdictæ in onere, ita succedit in honore, & emolumento, quia onus comitatur emolumentum in d. casu. *l. Alumna §. si iam ff. de adit. legat.* si tamen Ecclesia ex suo delicto, fuisset interdicta secus si sine suo delicto, quia non esset priuanda commodis consuetis. *argum: l. ab administratione C. de egat.* Et idem dicit, si contingat, quod defunctus propter casum contingentem ex ipsius persona non possit sepeliri vbi de iure esset sepeliendus, vt quia decessit in campis, & inuenitur, vel erat bannitus, quia Ecclesia ipsa propter hoc non debet priuari legatis sibi factis ratione sepulturæ, vt notatur in *cap. In nostra, de sepult.* Et si post electam sepulturam eligitur altera, videtur transferri legatum ad electam vltimo *d. § si iam. de adit. leg.* hæc *Syluest. ex Anchar.* Sed de his dicendum est infra.

1 *Electio seu proprietas sepulturæ probanda in dubio. n. 427.*
2 *Electio sepulturæ probatur per testamentum etiam inualidum. n. 428. 429.*
3 *Et per duos testes, etiam singulares. n. 428.*
4 *Maxime per Confessarium. n. 428.*
5 *Et per scripturam priuatam etiam alias inualidam. n. 429.*
6 *Et per testes alias inhabiles. n 430.*
7 *Non sufficit probare propositum eligendi. n. 431.*
8 *Ex possessione loci, vel Capellæ non probatur ius sepulturæ. n. 432.*
9 *Ad probandum bonum ius non sufficit probare præscriptionem. n. 433.*
10 *Quomodo insignibus, & inscriptionibus probetur. num. 434.*
11 *Non probata concessione Ecclesia habet fundatam intentionem admittendi quem vult ad sepulturam. n. 435.*
12 *Causa sepulturæ summarie à quo cognoscenda. num. 436.*
13 *Causa ista mixta, & in qua non agitur puro possessorio. n. 437.*

Qualiter sepulturæ electio, & proprietas possit probari.

INSPECTIONIS QVARTÆ.

CAP. DECIMVM.

427 CVm vnusquisque sepeliendus sit, vel in sepultura à se electa, vel in sepultura maiorum; nullo autem horum existente sepeliendus sit in Parochiali ideo Ecclesia Parochialis habet pro se iuris assistentiam, vt in ea tumuletur defunctus nisi constet, & si opus sit probetur eum alibi habere sepulturam, vel electam, vel maiorum. Et amplius cum habentes sepulchra familiaria, vel hereditaria habeant ius, vt in eis nullus sepeliatur ipsis inuitis, econtra vero Ecclesia habeat facultatem admittendi quemlibet ad sepulturam, vt ex probatis constat; Ecclesia igitur habet iuris assistentiam, vt cuique concedere possit sepulturam in quocum-

quocumque suo sepulchro nisi sepulchrum sit proprium alicuius, & in dubio hoc est probandum ideo in praesenti consideranda sunt haec duo, quomodo nimirum probetur electio sepulturae; & quomodo probetur aliquod esse sepulchrum familiare, aut haereditarium.

428 Electio ergo sepulturae primo probatur indubitate per instrumenta, seu scripturas authenticas, praecipue per testamentum. Et consideratione dignum est, quod etiam si testamentum seu codicillum alias sit inualidum, vel ex defectu solemnitatis, vel ratione exhaeredationis, seu praeteritionis, vel ex consimili causa, nihilominus valet quantum ad electionem sepulturae. *Authent. ex causa. C. de liberis praet. Med. q. 8. n. 33. Lauor. tit. 2. cap. 11. nu. 18. Bord. ref. 51. n. 207. Diana p. 5. to. 3. ref. 106. & Nicol. tom. 1. tit. 15. n. 11. & in Flos. v. voluntas.* Vbi vero non adsit testamentum probatur per duos testes. Huiusmodi enim actio quae pia est, & religiosa diuinorum conditionem sequitur ad quorum probationem duo testes sufficiunt, iuxta illud *Matt. 18. In ore duorum, vel trium stet omne verbum. Med. q. 8. n. 34. Genuen. in prax. cap. 61. n. 1. Lauor. d. c. 11. n. 17. Diana p. 5. tr. 3. ref. 106. Pasqual. dec. 404. n. 3. Nicol. tom. 1. tit. 15. a. 21.* vbi quod S. Cong. Regul. decreuerit electionem sepulturae probari per duos testes sine scriptura. *Canen. 28. Arg. 189. & 11. Decemb. 1615. Bonac. de contract. d. 3. q. 21. p. 3. n. 10.* Sufficere vero quod testes sint singulares, si vterque deponat v. g. Petrum elegisse sepulturam in tali loco, sed diuersis temporibus dixerunt. *Prax. Archiep. Neapol. cap. 76. n. 8. Barbosa ad cap. in Omni. 4. n. 55. de test. bas.* & apud eum *Roland. Maschard. Gutier. & Patris, Guido Papam dec. 544.* quem refert, & sequitur *Ricc. in praxi dec. 664. aa. 2. Lauor. cap. 11. nu. 19. Lezana v. sepultura. n. 10. Bordon. ref. 51. n. 207. Pasqualig. dec. 404.* & apud eum *Laaret. de Framb. q. 64. Capell. Thol. dec. 11. Bellam. dec. 368. Diana p. 5. trac. 3. ref. 106. Bellet. tit. de Cler. debit. § 3. nu. 17. Nicol. in Flos. v. testis. n. 27. & iam. 1. tit. 15. a. 21. Bonac. d. n. 10.* & apud eum *Molfesius, & Mascardus de probat. concl. 1303.* Quando tamen in loci determinati electione non conuenirent coniecturis esset agendum, & consideranda qualitas Ecclesiae si sit Parochia, si consueuit in ea audire diuina, & eam maiori frequentia, & deuotione prosecutus fuit si etiam ibi sepulti sint eius coniuncti, & amici, & alia similia. *Lauor. vbi supra n. 10.* Vbi addit, quod Neapoli statur dicto Confessarij, vt in *Concil. Prouinc. tit. de sepulturis,* quod absolute tenent *Molfesius tom. 2. tr. 13. cap. 8. n. 32.* quem sequitur *Diana p. 5. tr. 3. resol. 106. Pasqualig. decis. 409.* Ea eo quia Confessarius non sit in hoc simplex testis, sed executor voluntatis defuncti, qui in manibus confessarij disponit de ijs pijs rebus, quae ad se pertinent, & addi potest, quod confessarius in ijs quodammodo testatur de spectantibus ad officium suum, quod est nedum poenitentem absoluere à peccatis, sed & ab ipso audire quae illius salutem concernunt, & de illis fidem facere. Et saltem negari non potest, quod dictum Confessarij non habeat maiorem authoritatem, quam dictum simplicis testis, & quod adiuncta coniectura non faciat fidem indubitatam.

429 Vbi vero desint testamentum, & testes probatur electio per scripturam priuatam defuncti propria eius manu subsignatam. Nihil enim interest, quod homo voce, vel nutibus, vel scripto loquatur, & scriptura est sufficiens loquutio, & interioris mentis manifestatio. Sic Zacharias Pater Io: Baptistae cum esset mutus scriptura manifestauit filium suum vocandum esse Ioannem, & ideo subscriptio alicuius scripturae est sufficiens testimonium declaratiuum mentis internae *l. fin. C. si certum petatur.* Solum necesse est, vt constet de subscriptione; vbi enim de hac constet, constat etiam de electione sepulturae contenta in scriptura, & ideo quod per scripturam priuatam subscriptam à defuncto probetur electio sepulturae dixerunt *Lauor. d. cap. 11. n. 18. Diana d. resol. 209. Pasqual. decis. 405.* Et aduertendum in his, quod non obstat si scriptura alias sit inualida ad aliquem alium effectum, vt dicebatur de testamento, & Codicillo. Quia cum liberum sit cuique eligere sepulturam, & ad hunc effectum nulla sit necessaria iuris solemnitas, nec sit necesse, quod huiusmodi electio fiat in scriptis, vel in voce, & scriptura sit necessaria solum ad significandam electionem internam eligentis, si aliunde non est exterius manifestata, quaecumque alias sit scriptura, siue bona, siue mala, siue iusta, siue iniqua, si manifestat indubitate mentem, & voluntatem eius, qui elegit sepulturam, hoc sufficit; sicut sufficeret vox loquentis, siue bene, siue male, siue graece, siue latine, siue hebraice. Et licet quidem verum sit, quod necesse est, quod electio sepulturae sit valida etiam in foro externo, non per hoc est necesse, quod testamentum vel de iure Ciuili, vel de iure Canonico sit validum in ratione testamenti, sed esto sit inualidissimum, & contineat iniustitias euidentes, totū hoc extraneū est, nec facies ad causā electionis sepulturae, ad quam sufficit etiā pro hoc effectu, quod sit exterius manifestata, & quod scriptura sit sufficiens manifestatiua electionis. Ideo nedum ad hoc sufficit Codicillum inualidum de iure Ciuili, & validum de iure Canonico, vt videtur velle *Pasqual. dec. 405.* sed sufficit Codicillum inualidum etiam de iure Canonico, dummodo in ratione signi externi, & sensibilis sit sufficiens, vt manifestet electionem sepulturae alias de se validam.

430 Hinc etiam est, quod nulla inhabilitas testium obstat, quae non sit talis, quae ex natura rei tollat fidem. Ideo in hac causa testes esse possunt familiares, famuli, consanguinei, & alij inhabiles, qui in causis pijs adhiberi possunt, iuxta doctrinam *Sanchez l. 3. disp. 21. nu. 5.* In proposito enim sufficit, quod de veritate electionis haberi possit notitia exterior, ideo sufficiunt etiam testes inhabiles. *Bordon. ref. 51. n. 207.* Sic etiam religiosus illius Ecclesiae in qua defunctus elegisse dicitur sepulturam testis esse potest de hac electione. *Bord. ref. 51. nu. 210.* Nam vt habetur *cap. super prudentia 14. q. 2. cap. Insuper. 6. cap. Cum nuntius. 12. cap. Tuis. 29. de testibus* Religiosus in causis suae Ecclesiae testimonium ferre potest. *Cap. Et si Christus. 26. de Iure iur.* Neque per hoc dicitur testis in propria causa, quia causa Ecclesiae non est causa singulorum. *cap. qui manumittitur. 12. q. 2.* Sed causa totius Ecclesiae. Item legatarius potest esse testis in testamento in quo sibi sit legatum. *§. legatarius. Instit. de testam.* Deinde testis legatarius non repellitur, quando non agitur principaliter de eius interresse

statui

ftatul *l.2.cauf 10.c.n.17. Puteus l.3.dec.15. Rota vol. 4.dec.144. & 254.* Et ideo pariter etiam in Collegijs Clericorũ secularium non obstante, quod agatur de interesse suæ Ecclesiæ, & aliquo modo de proprio, Clericus potest esse testis de electione sepulturæ. Item secundum *Lambert.l.2.p.2.q.10.ar.12.n.6.* quem sequitur *Med.q.16.n.31.* sicut patronus potest esse testis in causa iurispatronatus, seu quasi possessionis illius, sic & in causa sepulturæ.

431 Aduertendum demum est, quod probanda est electio, neque enim sufficit voluntas, & propositum eligendi, quod non est efficax. Nam propositum mente retentum nihil operatur. *l. si repetendi. C. de condict. ob causam. Lanor.d.c.11.nu.15. Bonac.de contrac.d.3.q.21.p.3 n.10.*

432 Si constet aliquem esse de familia, & simul constet sepulturam spectare ad familiam constabit etiam de bono iure eius, qui est de familia, & similiter, si sepultura sit hereditaria, & constet aliquem esse heredem, de bono iure illius erit manifestum; sed sæpius dubium est nedum an aliquis sit hæres, vel de familia, sed an sepultura sit, & spectet ad talem familiam vel ad hæreditatem, & præcipue quantum ad possessionem priuatiuam, vt scilicet tali iure quis possideat sepulturam, vt nullus alius in ea sepeliri possit sine eius licentia; vnde videndum est ex quo bonum ius, aut possessio sepulturæ probari possit. Est autem primo attendendum, quod ex possessione loci non bene infertur ad possessionem sepulturæ, quia locus potest ad alios vsus possideri. *Rota dec.332.n.3.coram Greg.15.* Et ideo ex possessione Capellæ minime argumentari licet ad possessionem sepulturæ, vel ad facultatem prohibendi, ne aliquis in Capella sepeliatur. *Rota dec. 345.nu.2. coram Greg.15.* quia Capella potest esse concessa v. g. solum ad celebrationem diuinorum: Ad possessionem enim sepulturæ certi alij actus faciunt, vt effosionis, vel humationis, vel similes, qui sepulturam designant. Et ideo supra etiam dictum fuit, quod ex iurepatronatus non potest inferri dominium, seu possessio sepulturæ, cum nihil habeat commune ius sepulturæ cum iurepatronatus. *Rota in Tolletana Capella, & sepultura 27. Iunij 1616. coram Vbaldo. Beltraminus add. ad dec.145. n.8.Greg.15.* Ideo etiam vbicumque prætenditur ius hoc priuatiuum, non sufficit probare quasi possessionem sepulchri per illationem mortui, vt inde inferatur ad ius prohibendi. Vt enim aduertit *Lotter lib.2.q.4 n.24.* quamuis *Rota dec.787.num.2. p.1. diuer.* id videatur affirmasse, tamen est declaranda secundum doctrinam *Hostien.* quem citat, *cap. Nobis de Iure patron.* videlicet si aliàs constet de legitima acquisitione, & ita decidit *Rota decis. 291.n.5. & 6. coram Coccino*, & in alijs causis relatis apud *Beltram.ad dec.145.Ludon.n.5.*

433 Quomodo etiam ius sepulturæ non acquiratur præscriptione nisi immemorabili dictum est supra, vnde ad probandum bonum ius, non sufficit probare præscriptionem, & possessionem per decem, 20. & 40. & plures annos sepeliendi in aliqua sepultura, præcipue quantum ad exclusionem aliorum.

434 Sed quod huiusmodi ius non probetur, nec etiam ex insignibus, & inscriptionibus super lapide sepulchrali, ex eo deducitur, quod potuit esse, quod qui erexit sepulturam illam erexerit solum pro se ipso, aut solum pro aliquibus tantum, seu pro vna linea, seu, quod eam fundauerit nedum pro familia, sed pro alijs, etiam extraneis, etiam non hæredibus. Ideo ex huiusmodi insignibus, & inscriptionibus solis non colligitur ius sepulturæ per doctrinam *Bartol. in l. Reliqua ff. de Relig. & sumpt. funerum. Beltram.d.dec.145.n.7. Lotter.l.2.q.4.n.35. Lanor.cap.9.n.19.* Nihilominus tamen si inscriptio sepulchri contineret, quod sepulchrum sit familiare, vel hæreditarium, id ex tali probatione probaretur, *Specul.tit.de probat.ver.6. Castren.in l. si sepulchrum. C.de Relig.& sumpt.fun. Lanor.d.cap. 11.nu.18.* Si etiam plura ex prædictis simul concurrerent, vt si in sepulchro in quo sunt insignia familiæ tumulati sunt maiores, ex hoc probaretur sepulchrum esse familiare. *Lanor.cap.9.num.24.* Sed quod in antiquis etiam insignia probent ius sepulturæ ex *l.stigmata C.de Fabricen.Cagnolo l.1.n.177. ff. si cert. pet.* vbi eodem modo probatur iuspatronatus, tradit *Med. q.16.n.29.* vbi *n.30.* quod antiquissima possessione probatur ius sepulchrorum. *Lamb.l.2.p.2.q.10.a.4.* Et quod probatur etiam constructione sepulturæ, etiam si nulla facta fuerit reseruatio iuris. *Lamb. 16. nu. 5.* De his videndi sunt *Mascbar. de probat. conc. 1292. & Menoc. l. 2. præsump. 59.*

435 Ad probandum igitur bonum ius necesse est probare titulum, ex valida concessione sepulturæ ab Ecclesia consurgentem, qua concessione non probata, Ecclesia habet fundatam intentionem, quod sepultura sit illius libera non vero alicuius determinatæ personæ iuxta *§. sacra.Instit.de rerum diuis.* prout in specie dixit *Rota in Burgen. sepultura 9. Decemb. 1605.* & prius in eadem coram Lancellotto 5. Maij 1603. quas Rotas referunt, & sequuntur *Beltraminus ad dec.145.n.6.Greg.15.* & *Lanor.d.c.8.n.31. Moran.resol.51.n.67.* Et aliàs de iure quælibet Ecclesia potest recipere ad sepulturam quem vult. *Innoc.in cap.1.Panorm.in cap. Certificare, de sepult.* & fuit dictum in *Toletana Capella, seu sepultura 17. Maij 1616. coram Vbaldo.* Quod etiam ius liberum Ecclesiæ apparet ex eo, si dum cadauer fuit illatum, fuit quid Ecclesiæ pro sepultura solutum; hæc enim solutio indicat ius Ecclesiæ, vt fuit consideratum in dicta *Burgen.* sepulturæ 5. Maij 1603. coram Lancellotto. Causa autem iuris sepulchrorum est summaria, & conclusio illius non dicitur de necessitate, requiritur tamen sententia citatis partibus in scriptis. *Lamber. l.2. p. 2.q.11.a.3. Med q.16.n.32.* Ab ea autem potest appellari, & debet, ne transeat in iudicatum; & lata sententia contra vnum patronum, ius totum accrescit alteri, quia istud ius non potest diuidi. *Med d. nu. 32.* Causa etiam sepulturæ est fori Ecclesiastici nec potest committi laico. *Med.q.16. num.44.* post *Lamb.l.3.q.9.n.4.* Iudex tamen secularis cognoscet de expulsione violenta à sepultura inter meros laicos, quia violentia omnis dicitur iniuria personalis. *l. Itaque Fullo, ff.de furt. Lanc.l.3.q.9.a.7. Med. q.16. nu.46.*

437 Quando etiam constaret de aliqua possessione, & ageretur ad habendum mandatum de manutenendo, seruandum esset id, quod supra ex *Innocentio, & Panormit.* dictum fuit, vt scilicet in his non sit agendum nudo possessorio, sed hæc sit causa mixta in qua probari debet titulus, vt saltem probe-

probetur apparentia iusti tituli. Quod etiam vbi nullum sit vestigium sepulturæ non sit dandum mandatum de manutenendo. ex *Rota decis.*283. *coram Greg.*15. seu in Pampilonen sepulturæ 15. Decembris 1606. dixit *Lanor.d.cap.*9.*n.*33.

S V M M A R I V M.

1 *Non licet impedire sepulturam, vel violare sepulchrum. n.* 438.
2 *Pœna vi rapientis, aut impedientis ne quis sepeliatur. n.* 439.
3 *Ratione debiti non potest sepultura impediri. nu.* 440.
4 *Qui quasi possidet non impeditur ne sepeliatur. nu.* 441.
5 *In dubio an mortuus sepeliri debeat. n.*441.
6 *Superior potest præcipere subdito, vt mortuum sepeliat. n.* 442.
7 *Pœna extrahentis cadauer. n.* 443.
8 *Actio contra violantes sepulchra est popularis. nu.* 443.
9 *Pœna expoliantium Cadauera. n.* 444.
10 *Pecunias extrahere an liceat. n* 444.
11 *Pecunia an ex sepulchro Dauidis extracta. n.*444.
12 *Sepulchra multipliciter violantur. n.* 444.
13 *Pœna extrahentium cadauera, vel demolientium. num.* 445.
14 *Plures casus in quibus pœna locum non habent, num.* 446.
15 *Corpus depositorum ad sepulturam propriam deferri potest. n.* 446.
16 *Corpora pro anatomia dari possunt. n.*447.
17 *Cadauer de licentia Episcopi extrahi potest ab Ecclesia pro eo visitando per iudicem laicum n.*448.
18 *Violatores Cœmeteriorum sacrilegi. n.*449.
19 *Transportari possunt cadauera de licentia Episcopi. nu.* 450.
20 *Regulares an possint sine licentia Episcopi transportare cadauera. n.* 451.
21 *Sepulchrum domus æterna. n.*452.
22 *An cadauer depositatum possit transportari sine licentia. n.* 452.
23 *Violatores sepulturæ diuinitus puniti. n.*453.
24 *Exentrantes, &c. cadauera vt illa deferant ad alium locum excommunicantur. n.*454.

Impedire sepulturam, vel violare sepulchrum est illicitum.

INSPECTIONIS QVARTÆ.

CAP. VNDECIMVM.

438 PRiuare aliquem Ecclesiastica sepultura sine dubio magna pœna est. *Bald.cons.* 426.*n.*5. *vol.*1. *Asinus in l. si quis sepulchrum* §. Præter an. *De relig. & sumpt.fun.* quos sequitur *Medices q*13. *n.*1. Hinc Deus *Num.*14. in pœnam inobedientiæ Israelitarum dixit, *in solitudine hac iacebunt corpora vestra.* Et quamuis dicendum sit cadauera eorum fuisse sepulta, licet in solitudine, tamen hinc habetur, quod pœna est non sepeliri in sepultura maiorum, quia in pœnam datum est Israelitis non sepeliri in terra promissionis vbi Patriarchæ eorum sepulti erant. Sed *Deut.* 28. tanquam pœna indicatur priuatio sepulturæ. *Sitque cadauer tuum* (inquit Moysis) *in eterum cunctis volatilibus cæli, & bestijs terræ.* Et in pœnam peccatorum sepultura priuatos fuisse *Nadab. Reg. Israel. legimus.* 3.*Reg.cap.*15.*& de Baata.*3.*Reg.c.*16. & de eadem pœna videri potest *cap.*21. *&* 22.3. *Reg. & cap* 9.*&* 10.4. *Reg. & Ezech.cap.*6. *& Ierem.c.*1.14. 15. Ideo non licet alicui impedire alicuius sepulturam, & propterea plures pœnæ impositæ sunt contra huiusmodi perpetrantes.

439 Si quis per vim funus rapuerit, aut impedierit, quo minus sepeliatur incidit in pœnam *l. Iuliæ. & l.cætu. ff.ad legem Iul. de vi. publ.* cuius pœna hodie est deportatio; & insuper teneatur pœna violati sepulchri. *Ripo de remed.contra festum n.* 114. quem sequitur *Medices. q.*13.*n.*2. Et aduertendum quod nec infideles possunt impediri ne sepeliant mortuos. *cap.sicut Iudæi.* 9. *de Iudæis. Nicolius tom.* 1.*tit.*15. *nu.*19.

440. Secundo qui ad domum moribundi accederet, & ipsum vel alios molestaret, & insignia rebus eius poneret, caderet ab actione, & in tantumdem condemnaretur hæredibus defuncti, & publicaretur 3. pars suorum bonorum, & esset infamis. Et idem dicendum de eo, qui circa funus peccat. *Authent.* item qui domum *C.de sepulch.violat. Sylnes.v.sepult.n.*12. *Pisanel v.sepul.p.in fin. Rosell.n.*21. *Angel.num.*34. *Armill. num.*23. *Med.q.*13.*num.*2.*&* 3. Nec debet sepultura impediri etiam ratione debiti, vel cuiuscumque alterius obligationis. *l. cum sit Cod.de sepulch.viol. Layman.l.*3.*tr.*5.*cap.*12.*n.*10. Nec debet fieri molestia intra decem dies, ab obitu, alias tunc est inutile, vt ibi in *Authent.* sed ante, vt citati DD. habent. Et quod hoc procedat etiam si quis esset debitor guarentigiatus, cuius executio est parata, nam adhuc eius sepultura impediri non potest per *Panorm. in cap. Ex parte. il p. de sepult. Gulielm. Bened.cap. Raynutius n.*56. *de testam. Gromat.dec.*82. tradit *Med.q* 14.*n.*10. Nec enim decet ob interesse pecuniæ corpora manere insepulta. S.Cong.Regul.2. Maij 1656. Apud *Nicolium.l.*4. *tit.*15.*n.*22. Si tamen contra aliquẽ occasione debiti lata fuisset sententia, per quam prohiberetur Ecclesiastica sepultura, in eo casu nisi satisfieret debito defunctus non sepeliretur. *Med.d.q* 13.*n.*3. Pariter aduertit *Sylnes.* quod iuste impeditur sepultura ille, qui ea est indignus ob crimen, & causas supra recensitas.

441 Si etiã sit lis de sepultura, is qui quasi possidet non potest impediri, quin sepultura vtatur pendente lite. *Lamber.l.*2.*q.*3.*p.*1.*a.*4. quæ quasi possesio acquiritur ex vnico actu non clandestino, dummodo dominus non reclamauerit habita notitia. *Lamb ibid.a.*11. *Med.q.* 16. *a.*26. & transmittitur eadem possessio ad hæredes. Item si lis esset an mortuus sepeliendus esset, quod sepeliri debeat etiam si pars aduersa appellauerit à sententia, cum in hac parte non sit locus appellationi, cum cadauer dilationẽ nõ admittat ob facilẽ sui corruptionẽ dixit *Banae.de contract. disp.*3.*q.*21.*p.*2.*n.*6. Verũ vt dixi supra non ita absolute hoc est asserendum, nam poterit cadauer depositari, ne contingat illud traditum perpetuæ sepulturæ debere exhumari. Sic

in lite

in lite quæ fuit Liburni inter Præpositum Parochialis 15. Mariæ, & Iuliæ, & Minores de obseruantia cadauer Lelij Talentonij fuisse depositatum penes Ecclesiam S. Homoboni, habet Rota in Pisana sepulturæ 1. Iulij 1650. coram Ricchio. Est vero ad præsentis puncti inspectionem valde adnotanda dicta decisio, quia plura continet, quæ ad rem faciunt. Cum enim dicti PP. Minores obtenta sententia fauorabili cadauer de loco depositi ad propriam *Ecclesiam* transportassent non obstante appellatione interposita, imo inhibitione Rotali, Rota dixit hanc transportationem fuisse attentatam, & dictos PP. prius debere purgare hoc attentatum. Nec admisit excusationem, quod inhibitio non fuerit præsentata in partibus, quia dixit sufficere, quod fuerit præsentata Procuratori in Curia per tantum temporis per quod ipse potuit eos certiorare, quia præsumitur, quod hoc fecerit, & si non fecit, eis debebat imputari, quod negligentem Procuratorem elegerint, & pariter dixit non obstare, quod in exhumatione cadauerum, non detur locus attentatorum reuocationi. *cap. Nō solum. §. illa vero. n. 14 de appell. in 6. Laurell. de attent. p. 2. c. 4. lim. 13. n. 8. Rota dec. 8. vt sit pend. in antiq. & dec. 176. n. 5. coram Greg. 15. Grat. dec. 82. nu. 3.* quia dixit hoc verificari de exhumatione attentata in spretum duntaxat litis pendentiæ, quod etiam est verum non de rigore iuris, sed ea æquitate. Quæ æquitas oppositum petit, vbi spreta fuit iudicis inhibitio. *Io. Monac. in d. cap. Non solum. n. 8. de appell. in 6.* ne imperium præsidentis fiat elusorium. Quod eo magis procedere dixit, quia cadauer in capsa lignea erat reconditum, vnde ex restitutione damnum, seu præiudicium non patitur. Et quod in omnem euentum, vbi non esset locus reuocationi attentatorum quantum ad restitutionem cadaueris, locus esset respectu expensarum; & aliorum quæ funeri cadaueris consecutiua sunt. *cap. literas, de rest. spol. Sanchez de Matr. l. 10. disp. 12. n. 12.*

442 Tertio nedum non debet impediri sepultura, sed superior posset præcipere subdito suo, illumque compellere, vt defunctum sepeliret in casu in quo non inueniretur, qui eum vellet sepelire. Interest enim Reipublicæ ne corpora maneant insepulta; dummodo eligatur ad hoc persona vilis, & abiecta. Et ita quod hoc præcipi possit etiam tempore pestis. *Ripa de remed. contra pestem. n. 120. & seq.* quem sequitur *Medices d. q. 13. n. 4.*

443 Quarto violans sepulchrum, & ex illis extrahens armata manu cadauera, vel ossa mortuorum punitur pœna capitali. *l. 3. ff. de sepulch. viol.* Et efficitur infamis. *cap. Infamis. 16. q. 1.* In hoc tamen casu ita distinguitur. Vel enim agitur ciuiliter, & procedendum erit iuxta tenorem *d. l. 3.* Et huiusmodi actio ex vi *d. legis §. fin.* est popularis, vnde potest intentari à pluribus, & nedum ab herede sepulchri, sed ab extraneo. *Med. q. 14. n. 4.*

444 Sed si proceditur criminaliter distinguenda sunt crimina, quæ in violando sepulchra committuntur, Sepulchrum enim violari potest multipliciter scilicet demolitione, habitatione dolosa, illatione illegitima, si contra voluntatem testatoris in hæreditarium sepolchrum etiam si hæres, vel mortuum suum, vel alienum intulerit. *l. 3. de sepulc. viol.* vel extractione cadaueris, aut eius mutilatione, vel eius contrectatione, vel eiusdem cadaueris expoliatione, aut eiusdem translatione. De quibus vide *Lauerium tit. 2. cap. 7. num. 17. & seq.* Nam spoliantes cadauera si armata manu more latronum id fecerint puniuntur pœna mortis, si sine armis pœna vsque ad metallum. *l. 3. §. aduersus. de sepulch. viol.* Quod explicat *Syluest. v. sepult. n. 13.* vt intelligatur quantum ad ea, quæ ex intentione tumulantium remanserant. Pecunias etiam in monumentis inclusas ab ijs, quibus ius est, posse erui, modo neque cineribus iniuria fiat, neque ossa extrahantur, concessit *Martian. in l. Iubet 4. ff. ad leg. Iuliā pecul.* Et quod de pecunia dicitur intelligendum de vestibus dixit *Lauor. d. cap. 7. n. 25. ex l. 113. de leg. 1. §. ineptas, & ex l. 14. de Relig. & sumpt. fun.* sed in *d. l. 113.* statuitur solum quod ineptæ voluntates circa vestes superfluas impendendas non valeant. Et in hoc sensu loquitur etiam *d. l. 14.* Idem *Lauor.* refert Hyrcanum Iudæorum Sacerdotem, dum Hierosol. obsideretur ab Anthioco Rege, qui pius cognominatus est filio Demetrij, dum voluit ei dare pecunias, vt ab obsidione recederet, non habens vnde hoc adimpleret, aperuisse vnum locum sepulchri Dauid, & sublatis inde tribus millibus talentorum partem dedisse Antiocho. Et postea etiam Herodem ex illo loco pecunias tulisse. Verum nedum Herodis exemplum oppositum potius probaret, si verum esset; quia qui referunt Historiani, nimirum *Ioseph. l. 7. ant. c. vlt. & l. 13. c. 16. & l. 16. c. 11.* & ex eo *Spondanus de Cemet. l. 1. par. 2. cap. 1. nu. 10.* dicunt Herodem duos satellites ex suis ea occasione amisisse, & licet ad expiandam facinus in aditu sepulchri monumentum è candido marmore sumptuosissimis expensis condidisset, nihilominus ex eo puncto res eius cœpisse labi in deterius, vt hoc merito videri potuerit impietatis præmium. Sed quod magis est Salianus ad annum mundi 3021. & Salom. 5. multis probat fabulam insignem esse, quod de thesauris immensis in sepulchro Dauid Patris sui à Salomone congestis dicitur, ideoque, & fabulam esse, quod de Hyrcano, & Herode narratur. Nam certe, & hoc superfluitatem redoleret, & inutilem pompam. Quod si fieret tamen quia iam tales pecuniæ intra sepulchra sacra congestæ essent religiosæ, & de Christi patrimonio, non dubito, quod Pontifex administrator Patrimonij Christi in Dei meliorem cultum posset ex causa iusta erogare. Alias vero defunctorum voluntates tanquam leges inuiolabiles seruari debent, si iustæ fuerunt.

445 Sed corpora extrahentes, aut ossa si sint humilioris fortunæ vltimo supplicio afficiuntur, sed honestioris relegantur, aut deportantur. *l. fin. ff. de sepulch. viol.* Et insuper decem pondo auri fisco coguntur inferre *l. 4. C. eod. titulo.* Sepulchra vero demolientes si serui sint, & inscio domino id faciant in metallum damnātur, si vero domino iubente relegantur. Et si forte detractum aliquid de sepulchro ad domum eius villamque prouectum reperitur: villa siue domus, & ædificium quodcumque erit, Fisci iuribus vindicatur. *l. 42. Cod. de sepulch. viol.* Addit vero *Med. q. 14. n. 8.* quod si huiusmodi demolientes sepulchrum non sint serui, si humilioris sint fortunæ puniuntur vltimo supplicio, si honestioris relegantur, vel ad metallum damnantur, ex *d. l. fin. ff. de sepulch. viol.* Verum in *dicta l. fin.* non est sermo de violat. sepulchrum

extra-

extrahendo corpora ab eis. Bene de his loquitur *l.4 C.de sepul.viol.* & eos vult puniri pœna pecuniaria, scilicet quod decem pondo auri Fisco cogantur inferre.

446 De his etiam plura statuta fuere in *Concil. Matiscanen.* 2. *Altisiodoren. can.*15. *Melden. can.* 75. *Tolet.*4.*can.*45. apud *Lauor.d.c.*7. *n.*28. In multis vero casibus pœnæ præfatæ locum non habent. Primo quidem si desit dolus malus. *l.*3. §. *priua.ff. de sepult. viol.* Secundo quando sepultura non est perpetua, quia nimirum cadauer fuit pro interim in aliquo loco depositatum. *d.l.*3.§. *Non.* & *l.*10.*C. de Relig.* & *sumpt. fun.* Et nihilominus, quod etiam in hoc casu sit necessaria licentia tradit *Lauor. d. cap.*7.*n.*26 *ex l. sepulchrum, C. de sepulch. viol.* Sed nullam talem legem ibi lego. Habetur vero nonnihil simile in *l.*3.§.*non.ff.de sepulch.viol.* & *l.*8 *ff. de Relig.* & *sump. fun.* sed casus illarum legum est diuersus, In d. enim l.3.& est sermo de cadauere in alieno sepulchro illato, & in d. §. *non*, de cadauere in itinere per villas deducto: licentiam tamen aliquam Ecclesiæ non dubito necessariam, vt dicam infra ad hoc, vt cadauer depositatum de vna ad aliam Ecclesiam transferatur, etiam in eadem Ciuitate. Tertio quando aliqui corpus defuncti in itinere per vicos, aut oppida transportant. *l.* 3. §. *Non. ff. de sepul. viol.* vbi tamen hoc fieri sine licentia prohibetur. Quarto sepulchra hostium impune dirui, & violari possunt. *l. sepulchra.* 4 *ff. de sepul.viol.* Quinto cũ sepultura reficitur *l.sepulchri.ff. de sepul.viol.Men.de arb.l* 2.*casu* 387.*Med.q.*14.*n.*10.

447 Medicis etiam tradi potest corpus defuncti pro anotomia. Quamuis enim *Bart.in l.vlt.ff.de cadau.punir.* hanc quæstionem noluerit definire, tamen eam definiuit *Syl.v. mortuus n.*9. & idem tenuit *Gomes. tract. de delic. cap.* 14. & hoc est praxi confirmatum. Videantur *Clar.*§.*fin. q.*100. *Bertach. v. Cadauer. Rip. tract. de pest. tit. de remed. preseruat.n.*142. *Menoch de arbit.l.*2.*casu* 285. *Lauor.tit.*2. *cap.*7.*n.*30. *Bonac.de contr.d.*3.*q.*51.*p.*3.*n.*16.

448 Episcopus etiam potest Iudici laico concedere licentiam exhumandi, & extrahendi cadauer occisi ab Ecclesia ad finem capiendi informationem delicti in genere absque metu irregularitatis, quia actus ostendendi cadauer occisi est remotissimus, & suapte natura non directus ad mortem, & mutilationem, & Episcopus nihil operatur, sed tantum permittit exhumari, & capi informationes. *Lauor.d.cap.*7.*n.*31. *ex Prax. Archiep. Neap.cap.*42. *nn.*100. *Bonac.de contr.d.*3.*q.*21.*p.*3.*n.*15. Et neque Regularium superiores possunt Iudici seculari hanc licentiam concedere, sed pertinet ad Episcopum. Vnde *Lezana v.sepultura n.*21. refert, quod S.Congr. Regul. scripserit Episc. Placent. sub die 11. Septem. 1643. quod reprehenderet quosdam Regulares, qui sine licentia Episcopi id permiserant. Sed imo, quod cadauera exhumari ea non possint sine licentia S. Congregat. ait *Nicolius in Flos. v. cadauer.n.*3. vbi refert iam decisum fuisse à S. Cong. Regul. 17. Decem. 1601. Quia laici in causis criminalibus Ecclesiastico non sumunt iudicia, vt dixit eadem S.Cong. in Callien.12. Decembr.1619. Nihilominus tamen vbi informatio, & recognitio cadaueris sit facienda extra Ecclesiam, potest Ordinarius talem licentiam concedere, per S. Cong. Immunitatis, in vna *Nullius.* 2. Maij 1629. quam refert idem *Nicolius ibid. n.* 3. Iudex tamen laicus si absque licentia Episcopi præsumeret exhumare cadauer esset excommunicandus per *cap. Decet, de Immun. Eccl. in* 6. *Lauor.d.c.*7.*nu.*32.

449 Violatores vero Cœmeteriorum sacrorum sunt sacrilegi, & *cap. Cum Ecclesia, de Immun.* vbi Iudices prohibentur agere causam sanguinis, vel pœnã corporalia in Ecclesia, vel Cœmeterio sub interminatione anathematis, & *cap. Quisquis*, 17.*q.* 4. *Lauor.d.c.*7.*nu.*38.

450 Transferri nihilominus possunt cadauera etiam in aliam Ecclesiam etiam eorum, qui sibi elegerunt sepulturam postquam per aliquod tempus iacuerunt in sepultura electa de consensu tamen partium, & de licentia Ordinarij, ex iusta causa, & sine solemnitate, vt tanquam decisum à S.Cong. Regular. in Palen. 2. Aug. 1658. & in Neapol. 4. Aug. 1597. refert *Nicol.tom.*1.*lib.*4.*tit.*15.*n.*21. qui idem docet *lib.*2. *tit.* 1.*nu.*40. Causa vero iusta est si prior Ecclesia sit diruta: Nam tunc ad nouam Ecclesiam transferri possunt cadauera; cum hæc non sit etiam tam translatio, quã renocatio sepulturæ. *Lauor.cap.*7.*n.*26. *Bonac.de contrac.disp.*3.*q.*21.*n.*14.

451 Regulares vero, an possint transportare cadauera in suis Ecclesijs sepulta de vno ad alium locum affirmandum videtur ex priuileg. Leonis X. apud *Casarub.v.sepult.n.*20. *Villalobos.t.*2.*tr.* 31.*diff.* 6.*n.*5. Sed bene aduertunt *Lezana v.sepultura n.*21. & *Cespedes cap.*15.*dub.*219. illud priuilegium cum fuerit oraculum viuæ vocis fuisse reuocatum. *Diana* autem *p.*3. *tr.* 2.*res.* 120. in casu in quo consanguinei dederint Regularibus cadauer sepeliendum, seu collocandum vbi voluerint existimat, quod sine Episcopi licentia possint illud in suis Ecclesijs de vno ad alium locum transferre; Sed repugnat Cespedes, quia prohibitio contenta in cap. Corpora Sanctorum de *cons.dist.p.* non fuit facta ad fauorem consanguineorum, sed in reuerentiam loci sacri, & ob respectum cuiusdam venerationis debitæ corporibus defunctorum; vnde non sufficit, quod consanguinei consentiant. Quamobrem absolute, quod Regulares intra eorum Ecclesias corpora defunctorum tradita perpetuæ sepulturæ non possint transportare, sine Episcopi licentia vult *Cespedes d. dub.*219.*n.*6. Econtra *Peyr.tom.*3. *cap.*4.*n.* 49. arbitratur, quod *cap. illud.* Corpora Sanctorum non habeat locum in Ecclesijs Regularium. Sed de intelligentia illius *cap.* Corpora Sanctorum plura dixi *tom.*1.*q.*185.*ar.*7. *a.num.*416. Et hoc nunc considerandum videtur, quod in eo canone, qui est Concilij *Mogunt.* est sermo de Corporibus Sanctorum, non vero vniuersaliter de cadaueribus. Lex vero *penul.C.de Relig.* & *sumpt.fun.* cum prohibeat non transferri cadauera sine licentia Imperatoris, non afficit Clericos. Quia tamen Ecclesia Canonem illum Corpora Sanctorum traditione, & praxi fecit vniuersalẽ, & nedum quantum ad Sanctorum Corpora, sed etiam quantum ad quæcumque corpora sepulturæ perpetuæ tradita, vt non liceat ea transportare nisi de licentia Episcopi. Quod declarasse S. Cong. Regul. die 16. Octob. 1601. refert *Nicolius in Flos. v. cadauer. n.* 2. Ideo hoc est seruandum. Quia nihilominus sub nomine Episcopi in concernentibus iurisdictionem veniunt, Prælati habentes iurisdictionem Episcopalem. Non video cur Prælati Regulares iurisdictionem quasi Episcopalem habentes intra eorum Ecclesias non possint in casibus alias licitis dare licentiam, vt intra Ecclesiam.

ſiam, ſeu terminos clauſuræ corpora transportentur. Non tamen id poterunt facere extra Eccleſiam ſeu clauſuram, ſine licentia Epiſcopi, vel alterius Ordinarij habentis iuriſdictionē quaſi Epiſcopalē.

451 Vbi ergo cadauer ſit datum perpetuæ ſepulturæ non poteſt exhumari ſine licentia. Et merito. Nam ſepulchrum domus æterna eſt, ſeu perpetua vſque ad mundi finem. Vnde *Spondanus de Cœmeterijs l.1.p.1.cap.6.* ex Diodoro aduertit, quod apud Aegiptios viuentium domus dicebantur diuerſoria, quod ad tempus exiguum incolantur. Sepulchra autem mortuorum *domus æternæ*, quod ad multa ſecula in eis quieſcendum eſſet. Vbi tamen cadauer ſit collocatum alicubi per modum depoſiti ſine licentia poteſt exhumari, & transportari. *l.3 ff. de ſepul. viol. l.10. Cod. de Relig. & ſumpt. fun. Hier. Rodriq. reſ.127.n.35. Villalobos t.2.tr.33.diff.6. n.4. Diana p.3.tr.5.reſol.120. Lezana v. ſepul. n.121. Nicolaus v. cadauer n.2. Samuel pag.149.* Verum & in hoc caſu neceſſariam eſſe licentiam dixit *Lauor. cap.7.n.29.ex l. Sepulchrum C. de Relig. & ſumpt. fun.* Et certe nedum debet fieri publicum inſtrumentum de depoſito, vt conſtet, quod cadauer non ſit ibi traditum perpetuæ ſepulturæ, & tempore habendæ translationis hoc inſtrumentū nedum notificandū eſt ſuperiori illius Eccleſiæ in quo fuit depoſitatū cadauer, ſed etiam Iudici Eccleſiaſtico. Quamuis hoc non tam fieri debeat, vt habeatur licentia; quia Iudex Eccleſiaſticus non poteſt hanc translationem impedire, ſed quia publice transferre mortuum nequit fieri ſine ſcientia Ordinarij.

453 Multa vero de reuerentia debita ſepulchris, habet *Spondanus de Cœmet. præſertim l.1. p.1. cap.9.* vbi ex Gentilibus plures leges habet latas contra huiuſmodi violatores, & pœnas etiam diuinitus illatas in eos; & *l.1.p.2.cap.8.* vbi ex profeſſo probat violatores ſepulchrorum diuinitus puniri, & plura huius punitionis exempla refert.

454 Memoriæ etiam habenda eſt extrauagans *p. de ſepult.* in qua ſub pœna excom. reſeruatæ Papæ præcipitur ne occaſione transferendi cadauer de vno ad alium locum Catholicorum illud exenteretur, vel incidatur, aut elixetur; & ſi id factum fuerit, & cadauer ſic inhumane tractatum Eccleſiaſtica ſepultura carere debebit. Circa quam notat *Sylu. v. excomm. 7. nu. 79.* quod huiuſmodi cenſuram non incurrit qui viuum in fruſta concidat, vel qui præfata faciat caſu mortuo, ſed non ad effectum, vt alibi ſepeliatur, neque ſi quis mortuus eſſet in terris infidelium. Sufficit vero de mente *Bonac.* loco citando vna ex illis actionibus ad excommunic. incurrendam, nimirum vel exenteratio ſcilicet inteſtinorum extractio, conciſio in fruſta, elixatio, & nudatio oſſium, quia excommunicantur, qui aliquid contra ordinationem Papæ præſumpſerint attentare. Sed conſideranti textum aliter dicendum videtur. Non enim ibi continentur præfata, vt actiones diſtinctæ, ſed vt partes vnius actionis directe prohibitæ, e principaliter, vt patet ibi. *Corpus ex quodam impia pietatis affectu truculenter exenterant, ac illud membratim, vel in fruſta immaniter concedentes, ea ſubſequenter aquis immerſa exponunt ignibus decoquenda, & tandem (ab oſſibus tegumento carnis excuſſo) eadem ad partes prædictas mittunt.* Dictiones enim ac & , copulatiuæ ſunt, non disiunctiuæ, & ſic præfatas actiones coniungunt in vnam integram, cuius effectus erat excuſſio carnis ab oſſibus, vt ſic oſſa nuda transferri poſſent. Quamuis vero Papa præcipiat ne aliquid contra ſuam prohibitionem attentetur, tamen ſe explicat ſubdens, *defunctorum corpora ſic inhumaniter, & crudeliter pertractanda, vel facienda pertractari*, & ſic retulit prohibitionem ſuam ad totam actionem ſupra poſitam ferens excommunicationem in eam habentes, vel mandantes; lex vero illa comprehendit omnes etiam ſi Pontificali præfulgeant dignitate, & etiam comprehendit mandantes, non tamen conſulentes. Nec ſi hoc fieret corpori alicuius infidelis; & modo ſaltem in vi extrauag. ad euitanda non peccant, qui corpus ſic male tractatum ante ſententiam iudicis traderent ſepulturæ. De his vide *Suar. diſp. 23. de cenſ. & Bonac. de cenſ. in partic. d.2.q.3.p.45. Samuel vero de ſepul. trac.1.pag. 150.* arbitratur non habere hic locū *Extrau.* ad euitanda, & tamen quod ſi caſus ſit occultus poſſit cadauer reſtitui priſtinæ ſepulturæ. Sed hoc vltimum eſt contra illam *extrauag.* quæ tale corpus abſolute priuat ſepultura. Et alias cum ſit controuerſum, an lex illa incurratur ipſo facto, etiam ſi hoc detur, quia talis pœna ſit quædam extenſio cenſuræ non eſt vnde negetur habere hic locum *extrauag.* ad euitanda.

SVMMARIVM.

1 *Ordo dicendorum. nu.455.*

De quarta, & expenſis funeralium.

INSPECTIO QVINTA.

455 NOn poſſe aliquid dari pro ſepulturæ vſu, & officio funeris tanquam pretium, cum huiuſmodi ſint res ſpirituales, quæ ſine ſimonia pretio acquiri non poſſunt patet ex *cap. Abolenda de ſepult.* & nihilominus dari poteſt aliquid non vt pretium, ſed in ſuſtentamentum miniſtrorum, vnde ſupra probatum eſt conſuetudinem huiuſmodi laudabilem obſeruandam eſſe *cap.* Ad Apoſtolicam de ſimonia. Et quia etiam funera religioſe, & cum decore ducenda ſunt, ideo plures expenſæ fiunt, vel in veſtiendo mortui cadauere, vel circa feretrum, vel pro eo portando, vel in cereis deferendis, vel pro eleemoſina ſacerdotum, & Religioſorum, qui comitantur funus, vel circa ſimilia, de quibus omnibus dicendum eſt in illa inſpectione, quid ſit iuris præſentis temporis.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſub expenſis funeris veniat. n.456.*
2 *Expenſa ad ſolatium animæ, vel viuorū. n.457.*
3 *Veſtes lugubres, an ſpectent ad funus. n.457.*
4 *Expenſa neceſſaria, & ſuperflua. n.458.*
5 *Arbitranda multis conſideratis. n.458.*
6 *Ex quibus ordinate habenda. n.459.*
7 *Statutum laicorum limitans has expenſas non valet. nu 459.*
8 *Expenſa infirmitatis non veniunt ſub impenſis funeris. nu.460.*
9 *Plura genera mortuorum. nu.461.*

10 Pater

Ad qüem spectent impensæ funeris.

INSPECTIONIS QVINTÆ:

CAP. PRIMVM.

456 CIrca hoc occurrit quærendum primo, quid veniat sub nominæ impensæ funeris? Respondetur. Quod hanc quæstionem resolutam habemus in *l. Et si quis* §. 3. *& sequen.* ibi. *Funeris causa sumptus factus videtur is demum, qui ideo fuit, vt funus ducatur, sine quo funus duci non possit, vt puta si quid impensum est in delationem mortui: sed etsi quid in locum funeris erogatum, in quem mortuus infertur, funeris causa videre impensum Labeo scribit: quia necessario locus paratur, in quo corpus conditur.* §. 4. *Impensa peregre mortui quæ facta est, vt corpus perferretur, funeris est, licet nondum homo funeretur:* Idemque *& si quid ad corpus custodiendum, vel etiam commendandum factum sit: vel si quid in marmor, vel vestem collocandam.* §. 5. *Non autem oportet ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud huiusmodi, quod homines simpliciores faciũt. Et l.* 37. ibi. *Funeris sumptus accipitur, quidquid corporis causa veluti vnguentorum erogatum est, & pretium loci in quo defunctus humatus est, & si qua vectigalia sunt, vel sarcophagi, & vectura, & quidquid corporis causa antequam sepeliatur consumptum est, funeris impensam esse, existimo* Ad impensas funeris pertinet igitur, quid quid pro corpore sepeliendo, vel sepulturæ occasione, antequã corpus sepeliatur consumptum est, seu sine quo funus duci non potest, vel simpliciter, vel pro conditione, & qualitate, & dignitate personæ, vt si quid impensum fuerit in delatione corporis, vel pro loco sepulturæ, vel ad custodiendum corpus, vel in sepulchro marmoreo, vel in veste, qua inuoluitur corpus defuncti, vel in vnguentis ad cadauer vngendum, vel in ceris cum quibus ducitur funus, vel in Ecclesia, & ministris associantibus funus, vel in feretro, & si qua vectigalia sunt, vel sarchophaga, & similia sine quibus funus non ducitur. *Sebastian. Medices de sepult. p. 2. q. 1. n. 5. & 6. q. 5. nu. 2. & 18. Lauor. tit. 2. cap. 16. nu. 1. & seq*

457 Dubium vero esse posset, an ad impensas funeris pertineant vestes lugubres viduarum, & familiarium, sed distinguendum est. Nam harum impensarum quædam sunt quæ spectant, & respiciunt solatium animæ defuncti, sicut sunt quæ impenduntur pro ducendo funere Ecclesiastico in Religiosis associantibus funus, in cereis, & quæ dantur Parocho, & Ecclesiæ, & alia necessaria, sine quibus non potest duci funus, & corpus tradi Ecclesiasticæ sepulturæ. Alia sunt quæ concernunt solatium viuorum, & etiam spectant ad funeris pompam, vt sunt apparatus funeris, vestes lugubres, & similia, quæ quidem veniunt sub impensis funeris, sed ad solatium viuorum, & funeris apparatum, & pompam. *Grat. discep. 94. nu. 21. & 22.* Quod ergo *Med. d. q. 5. n. 2. & 18. & Lauor. d. cap. 16.* dicunt ad funeris impensas pertinere vestes lugubres, sepulchra marmorea, & similia intelligendum est de expensis pertinentibus ad solatium viuorum, & pompam funeris. De vestibus vero vidualibus specialis est difficultas, quam tractat *Lauor. d. cap. 16. num. 5.* Sed dicendum est standum esse consuetudini. *l. Minime ff. de legibus Asinius in l.* Et si quis. §. *funeris. ff. de relig. & sumpt. fun.* Et certe vestes lugubres vxoris viduæ videntur esse pars, & sequela luctus mariti, & ad eius funus pertinere; vnde rationabilis est consuetudo locorum in quibus huiusmodi vestes viduales spectant ad funeris impensas.

458 Distinguuntur etiam funeris impensæ in necessarias, & moderatas, & in non necessarias, & superfluas. Nam necessariæ dicuntur nedum illæ sine

sine quibus simpliciter funus duci non potest, sed etiam illæ sine quibus non potest duci spectata conditione, qualitate, aut dignitate personæ. In funere enim impensæ fieri debent spectata qualitate personæ. *l. si quis sepulchrum. §. sumptus. ff. de Relig. & sumpt. fun. Syluest. v. Funus, & Tabien.* ibid. *Med. p. 2. q. 2. n. 1. Lauor. cap. 16. n. 17.* Superfluæ vero sunt, & non necessariæ, quæ proportionem defuncti excedunt. Huiusmodi vero expensæ arbitrantur pro facultatibus, & dignitate defuncti. *l. si quis, §. sumptus. ff. de Relig. & sumpt. fun. Med. p. 2. qu. 5. nu. 8. Lauor. d. cap. 16. n. 17.* debent tamen potius esse moderatæ, quam superfluæ. Et ij ad quos spectant huiusmodi expensæ debent rationem habere Primo facultatis hæreditatis, & dignitatis personæ sepultæ. Secundo conditionis, & consuetudinis loci, & si locus ex quo deferendus est cadauer sit remotus. Tertio temporis, nam aliæ expensæ necessariæ sunt in vno tempore, & aliæ in alio. Quarto bonæ fidei, vt plus non computetur nomine sumptuum, quam factum sit *l. & si quis. §. Aequum. ff. de Relig. & sumpt. fun.*

459 Optimum quoque est obseruare, quod dicta *l. & si quis sepulchrum* iubet §. 6. ibi. *Prætor, vel Magistratus Municipalis ad funus sumptus decernere debet, si quidem est pecunia in hæreditate ex pecunia: si non est distrahere debet ea, quæ tempore peritura sunt, quorum retentio onerat hæreditatem: si minus, si quid auri, argentique fuerit, distrahi, aut pignorari iubebit, vt pecunia expediatur.* Sic ergo ex hoc habetur, quod expensæ funeris fieri debent cum minori damno hæreditatis, quod haberi possit. Statutum tamen laicorum, vt in sepultura non expendatur nisi quantitas aliqua determinata, & limitata non valet, quia est super materia spiritualibus annexa, & cum hæc si expensa Religiosa non spectat eius cura ad Magistratum laicum. *Lauor. c. 20. num. 23.*

460 Sub expensis funeris vero non veniunt expensæ infirmitatis factæ pro salute obtinenda. Funus enim hominem mortuum supponit, & id pro funere expenditur, quod pro tumulando defuncto consumitur. Quidquid ergo in contrarium asseruerit *Asin. l. citato n. 5.* dicitur, quod quæ in infirmitate curanda impenduntur non pertinent ad funeris impensas. *Petr. de Vbal. de canon. Episc. cap. 13. nu. 10. & 11. Lauor. cap. 16. nu. 2.*

461 Quæritur secundo de quibus bonis, seu à quo faciendæ sunt impensæ funerum? Tria autem genera personarum hic distinguere possumus. Quia qui moriuntur, vel sunt seculares, vel Ecclesiastici, & secularium alij sunt descendentes non emancipati, alij sunt ascendentes, vel domini, aut testatores, qui relinquunt successores in bonis.

462 Filij igitur, & descendentes de bonis parentum de quibus viui aluntur sepeliri debent mortui. Et sic ad patrem pertinent expensæ funeris filij, & ad Dominum pertinet sepelire seruum. *l. si quis. l. Neratius. ff. de sumpt. fun. Syl. v. sepultura nu. 14. Armill. n. 27. Tabien. v. funus. Lauor. c. 16. Surdus dec. 255.* Et regulariter qui tenetur ad alimenta tenetur etiam ad sepeliendum eum, cui viuo præbere alimenta tenetur.

463 Vxoris funus curandum est à marito, & hæredibus, sed diuersimode, & iuxta casus diuersos. Nam si maritus totam dotem retinet simulque omnia, quæ fuerunt vxoris, ipse totas funeris expensas habere debet *l. Neratius. §. 1. ff. de relig. & sump. fun. & l. in Patrem. ff. eod. tit.* Sed si maritus, vel non lucratur totam dotem, vel non est hæres vxoris, sed præter dotem sunt alia eius bona in quibus succedunt alij hæredes, ex omnibus bonis vxoris ad ratam faciendæ sunt funeris expensæ, ita quod maritus non tenetur concurrere nisi pro rata lucri dotis. *l. In eum ff. de Relig. & sumpt. fun. Syl. v. sepultura n. 14. Tabien. v. funus. Med. p. 2. q. 3. n. 2. Lauor. cap. 16. nu. 13. Rota dec. 438. nu. 7. p. 9. Recent. & dec. 573. n. 9.* coram *Greg. 15.* si vero maritus nihil habuit, si vxor hæredem reliquit, eius erit habere impensas funeris pro ea, quæ illum reliquit hæredem. *Med. d. q. 3. n. 3. Lauor. d. n. 13.* Sed si vxor sit miserabilis, nec dotem, nec aliud habeat, quod tunc ad maritum spectet eam sepelire arbitrantur *Med. & Lauor. citati.* Sed *Syluest. v. sepultura n. 14.* hoc onus putat pertinere ad Patrem vxoris, si est soluendo, ad maritum autem si vxoris Pater sit miserabilis, sed considerata *l. Quod si nulla. ff. de Relig. & sumpt. fun.* sententia *Syluest.* probanda venit. *Quod si nulla dos esset, inquit, tunc omnem impensam patrem præstare deberet Atilicinus ait, aut hæredes illius mulieris, puta emancipata, quod si neque hæredes habeat, neque pater soluendo sit, maritum inquantum facere potest, pro hac conueniri, ne iniuria eius videretur, quondam vxorem eius insepultam relinqui.* Similiter etiã si maritus lucretur totam dotem, si illa ad expensas funeris vxoris non sufficit tenetur Pater supplere *l. Neratius. §. si maritus. ff. de Relig. & sumpt. fun. Med. q. 5. n. 52.* Et si mater familias decedat, nec est eius soluendo hæreditas, ex dote eam funerari oportet. *l. Neratius. §. fin. Med. d. q. 5. n. 53.* Vxorem quoque expensis vltimi mariti funerari debere habet lex 29 *eod. tit.* ibi. *Si mulier post diuortium alteri nupta decesserit non putat Fulcinius priorem maritum, licet lucri dotem faciat, funeris impensam præstare.* Vxor vero licet non teneatur ad funus mariti peragendum ex proprijs, si tamen maritus non habeat vnde aliunde sepeliatur, & alias vxor diues sit. *arg. ex cap. Quod si nulla.* Ne videatur quondam maritum suum insepultum relinqui dicendum est eam teneri ad hoc obsequium reddendum marito. *Surdus dec. 255. n. 52.*

Miserabiles personę ab Ecclesia sepeliendæ sunt. Hoc enim decretum etiam fuisse à S. Congregat. Episc. in Cauanen. 27. Maij 1617. refert *Barbosa l. 2. de iure Eccl. cap. 10. n. 84. Tolet. l. 1. cap. 5. Med. p. 2. q. 5. n. 6. Lauor. cap. 16. n. 16.* Quod si extra Parochiam sepeliri debeant, pariter tam Parochus, quam illa Ecclesia illas sepelire tenebitur gratis, & Deo illarum animas commendare.

464 Cæterum ad hæredem pertinet de bonis hæreditatis sepelire eum cui in hæreditate successit. *l. 1. ff. de Relig. & sumpt. fun. & eod. titulo l. Impensa funeris semper ex hæreditate deducitur. Syluest. v. sepul. n. 14. Lauor. cap. 16. n. 6.* Quod adeo verum est, quod hæres compellitur officio iudicis ad huiusmodi expensas etiam non adita hæreditate, vt ex *Bart. l. qui hæres. ff. famil. herc.* tradit *Med. q. 5. n. 7.* vbi post *Bertach. tract. de Episc. 3. p. l. 4. q. 17. n. 12.* quod hæres non ob id intelligitur adire hæreditatem, quod expensas funeris habuerit. *Surd. dec. 255. n. 52.* Quod si testator alicui expensas funeris commiserit, ille eas de hæreditate testatoris habebit, quod si ille non

fecerit,

fecerit, nullam esse huius omissionis pœnam nisi pro hoc aliquid emolumenti ei relictum fuerit. Tũc enim si non paruerit voluntati defuncti ab hoc repellitur. *l. si quis sepulchrum. §. Funus ff. de relig. & sumpt. fun.* Si etiam testator qualitatem funeris, aut quantitatem expensarum determinauerit, eius rationabilis voluntas obseruanda erit, secus si egrediatur terminos rationis rectæ *C. & quis. §. Hac actio. ff. de relig. & sumpt. fun.* Quamuis enim voluntas testatoria sit altera lex, tamen hoc intelligitur vbi illa sit rationabilis, alias secus. *l. sed Iulianus. ff. ad Maced. l. fin. ad l. Falcid.* Et quamuis vnusquisque sit moderator in re sua, hoc fallit quando aliquis disponit id, quod est lege prohibitum. *cap. Eleuterius. 88. q. 2. Card. in Clem. 2. not. 11. de Relig. domibus.* Vnde mandans sepeliri non honorifice prout decet, non est exaudiendus. *Ban. 2. 2. q. 32. a. 4. 8. Val. to. 3. disp. 3. q. 2. Lauar. cap. 16. n. 18.* Voluntas enim testatoris in funere sæpe reijcitur. *l. Et si quis. ff. §. 6. ff. de Saleg. & sumpt. fun.* Vnde conditio in testamento apposita, vt hæres reliquias suas proijciat in mare non est seruanda. *l. Quidam. ff. de condit. instit.* Sic ex *Salyc. in l. 1. n. 2. C. de his*, quæ pœnæ nomine. *Lauor. c. 16. n. 20.* aduertit, quod si hæres tulerit se purpura indutum sepeliri, poterit hæres sine pœnæ periculo eius voluntatem reijcere. *l. seruo alieno. ff. §. fin. ff. de leg. 1.* & idem voluit *Salyc* de eo, qui gemmas secum recondi mandauit in *l. Non oportet n. 1. C. de his. quibus vt indig.* Immoderatæ enim, & ineptæ testantium voluntates sunt reijciendæ. In his tamen distinguendum puto, quia si expensæ sunt immoderatæ in maius omnibus pensatis quia hæ malæ sunt, nec sunt ex virtute, ideo ad eas habendas hæres non tenetur, vbi constet de superfluitate, & immoderantia. Alias vero non est immoderatum, aut superfluum, quod ad aliquẽ honestũ finem à testatore intentum conducit. Sed si expensæ istæ sunt immoderatæ in minus, facilius est, quod sint ex virtute, & electæ à testatore ex deuotione, vel in signum, & protestationem pœnitentiæ peccatorum, vel ad exercitium humilitatis, aut propter aliquem similem finem honestum. Nunquam vero potest dici inepta, & immoderata voluntas, quæ virtute regitur, & ex virtute imperatus. Ideo nisi constet voluntatem testatoris non imperari ex virtute ipsa tanquam lex seruari debet.

465 Loquendo autem de Ecclesiasticis, Papa expensis Cameræ Apostolicæ sepelitur iuxta *Clement.* Ne Romani, vbi etiam quantitas expensarum taxatur, & Cõst. Pij Quarti in eligendis.

466 Alij vero Ecclesiastici seculares, vel nullum habent titulum beneficij, aut Ecclesiasticum officium, & ij, ac si essent laici sepeliuntur de patrimonio, seu hæreditate per eorum hæredes Nisi forsan essent partes alicuius collegij, seu vniuersitatis, quæ teneretur ad eorum alimenta, & funus. Sed in hoc casu iam isti censerentur beneficiati, cum haberent ius viuendi ex bonis vniuersitatis.

467 Sed si Ecclesiastici habent beneficia, vel officia distinguendum est inter ordinarios, & delegatos. Nam beneficiati, qui sunt Prælati Ordinarij, vel Rectores Ecclesiarum, vt Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Præpositi, Rectores, Commendatarij, Vicarij perpetui, & similes de mensa suorum beneficiorum sibi competente nimirum Episcopus de mensa Episcopi. Abbas de mensa Abbatis sepeliendi sunt. Ita quod patrimonium suum possunt integrum reseruare consanguineis, & hæredibus, Nam fructus beneficiorum deputati sunt ad vsum Beneficiatorum, & ad eorum integram sustentationem in vita, & ex consequenti ad eorum funus in morte. *Cap. Episcopus. 4. cap. Cum secundum 16. de Preben. Med. p. 2. q. 4. n. 45.* & seq. *Lauor. cap. 16. n. 32. & sequent.* Sed si de mensa sua nihil superfit beneficiato si sit Episcopus debet sepeliri de mensa Capituli, Vbi vero non est Capitulum Parochus, seu Rector de proprio si habet, secus à Parochianis, si Canonicus, aut simplex beneficiatus de fructibus beneficij recipiendis dixerunt *Med. & Lauor.*

468 Verum aliter determinat *Gratianus discept. 94. n. 20.* Sentit enim, quod huiusmodi expensæ pertineant ad successorem in Beneficio ex *Petr. de Penis. de Can. port. cap. 13. Rebuff. prim. scholar. 23. n. 3.* Et in *Enchir. iud. Eccl. n. 159. Calder. cons. 1. & 2. de solut.* & alijs. Quod tamen n. 2. dicit intelligendum esse de expensis funeris spectantibus ad solatium animæ defuncti, non vero ad pompam viuorum. *Redoan. q. 10 de spol. Eccles.* Etiam si prælatus in vita hoc disposuerit ex *Dec. cons. 156.* vbi quod expensæ circa Clericos confluentes ad sepulturam pertinent ad Ecclesiam, non ad hæredem, sed quæ tendunt ad solatia amicorum, vt apparatus funeris, vestes lugubres, & similia pertinent ad hæredem patrimonij. *Panorm. in cap. vt præterita de elect. & q. 3. n. 7. Capyc. dec. 84. Capel. Tholos. dec. 498.* Et ita vt si expensæ factæ fuerint per consanguineos, & Nepotes detur repetitio contra successores, & Ecclesiam dummodo fuerit protestatum, quod fiunt animo repetendi. *Petr. de Vbald. de canon. port. cap. 13. num. 8. specul. de sepult. n. 13. Genes. cons. 1. n. 6.* Vbi quod Episcopus potest eligere sepulturam, & expensæ faciendæ ad deferendum eum ad locum electum dicūtur necessariæ, quamuis in Ecclesia sua potuisset, sine istis expensis sepeliri. Et n. 25. addit, quod tenerentur tamen hæredes consanguinei, qui succedunt Clerico in bonis ad impensas funeris, secus si nihil haberent, quia tunc spectabit ad successorem in beneficio. *Rebuff. de sentent. prouis. in præfat. n. 57.* Vbi quod hæc actio non datur contra eum, qui non succedit defuncto ex sua dispositione, sed alterius, nisi in subsidium per *cons. Bertran. 309. col. 2. l. 1. Puen. reg. 397. Funeraria actio. num. 8. Ludou. dec. Perus. 78. n. 21. Surdus* etiam *de alim. dec. 255. n. 15.* habet, quod successor in feudo tenetur de proprio, & quod sic etiam in successore maioratus, quod teneatur funerare præcessorem,

469 Ex his mihi videtur dicendum, quod in Clericis secularibus expensæ funeris fieri debeant ab hærede, qui in bonis Clericis succedit, & de bonis qui fuerunt eiusdem Clerici defuncti, qui etiam fructus beneficij viuens fecit suos iuxta dicta superius q. 185. a. 7. Et siue hæres succedat ex testamento, siue ab intestato, siue à lege. Cum discrimine tamen, quia si sit idem hæres, qui Clerico defuncto succedit in bonis patrimonialibus, & in bonis Ecclesiasticis acquisitis ex redditibus Ecclesiasticis, talis hæres ad omnes expensas tenetur, vnusquisque enim alendus est, & sepeliendus de proprio: & ita, quod non ad successorem, sed ad hæredem spectent expensæ funeris Clerici ex *Dec.*

decis.

decis.84. dixit *Lauor.cap.16.n.36.* Nam, & beneficia dantur in sustentationem beneficiati. Quod vero fuit proprium viuentis, seu viuentis hæreditas morte transit ad hæredem affecta hoc onere, vt ex ea sepeliri defunctus debeat. Sed si non sit idem hæres, qui succedat in bonis patrimonialibus defuncti, & in bonis Ecclesiasticis, tunc locum habet distinctio de impensis concernentibus solatium animæ, & concernentibus pompam mundi, & solatium amicorum. Nam hæres bonorum Ecclesiasticorum tenetur ad omnes impensas funeris, quæ concernunt solatium animæ. Clericus enim beneficiatus independenter omnino à patrimonialibus habet ius ad integra alimenta secundum statum suum percipienda ex fructibus beneficij, seu ex mensa beneficiali sua; de bonis enim Ecclesiæ alendus Prælatus. *cap. Illi autem qui. 1 2.q.1. cap. Quoniam quidquid. 16. q.1. cap. Clericos 21. q. cap. Episcopus, & cap. Cum secundum, de Praben.* & ideo eadem ratione habet, vt integre secundum statum suum ex eisdem sepeliatur. *Redoan de Spol. q.10.n.38. Med. Lauor. Grat.* locis citatis. Sed Ecclesia non tenetur ad pompas mundi. Ideo hæres Clerici defuncti, siue consanguineus aliquis, siue Camera Apostolica vbi viget lex spoliorum, tenetur ad impensas sepulturæ concernentes solatium animæ. Quia expensæ Prælati Ecclesiastici de bonis Prælaturæ fieri debent. *Card. Flor.* qui ita pluries consuluit per *tex. in cap. Bona el. 2. de elect. Cald. cons. p. & 2. Panorm.* & alij paulo infra citandi, hæres vero bonorum patrimonialium si voluerit Clericum defunctum sepeliri cum pompa, & vestire familiam vestibus nigris, & sepulchrum marmoreum erigere, & alia huiusmodi facere, quæ solatium viuentium parentum, & amicorum respiciunt, ex dictis bonis patrimonialibus huiusmodi expensas facere tenebitur. *Panormit. in cap. vt præterita de elect. & q. 3.* quæ incipit *Sempronius Clericus. n.7. v. Sexto Benedictus Capobilus in expos. Const. Paulina tr. 2. tit. de sepult. Capyc. dec. 8. q.4.* quos sequitur *Redoan de spol. q.10.n. 38. Grat. d. discep 94. n.51. Dec. cons. 156* Inter expensas tamen, quæ concernunt solatium animæ illas omnes numerandas crederem, quæ sunt necessariæ ad sepulturam Ecclesiastici spectata eius qualitate, & dignitate; huiusmodi enim impensæ, nec sunt, nec dici possunt fieri ad pompam. Nec Prælati Ecclesiastici indecore, & veluti vnus de plebe pauper sepeliendi sunt. Et sicut Beneficiatus viuens habet ius non solum ad alimentum simpliciter necessarium ad vitam, sed ad conueniens sibi pro qualitate, & dignitate sua, ita & in morte sic sepeliri debet ex beneficij redditibus. In quo etiam habenda est ratio nobilitatis generis eiusdem beneficiati, & aliarum qualitatum non minus in casu sepulturæ, quam habenda esset quantum ad alimenta tempore vitæ. Et si Prælatus elegerit sibi sepulturam extra suam Ecclesiam, vt *Grat.* loco citato adnotauit, impensæ faciendæ ad deferendum cadauer illius ad locum electum non sunt censendæ voluntariæ, sed necessariæ, etiam si extra diœcesim sepulturam elegerit, quia huiusmodi libertas est illi concessa à iure, vt vbi voluerit sepulturam eligat.

470 Sed vbi nulla adsit hæreditas, vel non adsit sufficiens ex bonis Ecclesiasticis proueniens tunc mihi considerandum videtur, quod vnusquisque sepeliendus est de suo, si potest fieri, non de alieno, & vt habetur *l.45. ff. de Relig. & sumpt. fun. Impensa funeris semper ex hæreditate deducitur.* Vbi ergo deficiat hæreditas Ecclesiastica, si datur hæreditas patrimonialis hæres supplere debet, quod ex hæreditate Ecclesiastica deficit. Nam, & talis hæres si defunctus non esset Ecclesiasticus ad omnes expensas teneretur. Et ita loquentes de Parocho, quod si fructus beneficij non sufficiant debet sepeliri ex bonis patrimonialibus dixerunt. *Med. q.5. n.13. & Lauor. cap 16.n.38.* Est vero eadem ratio de Episcopo, & de quocumque alio beneficiato. Nam, & beneficiatus viuens, si ad eius sustentamentum non sufficiunt fructus beneficij, debet viuere de proprio, & si non habet in bonis de proprio labore, & honesto exercitio. Bona vero Ecclesiastica, quæ sunt, vel de mensa capituli, vel spectant de iure ad successorem, sunt bona aliena respectu defuncti. Et beneficiatus defunctus ad huiusmodi bona non habet maius ius, quam habuisset viuens, at vero viuens non habuisset ius viuendi de bonis successoris, si habuisset bona patrimonialia. Et cum ex diuisione præbendarum vnicuique sit sua pars assignata, pars deputata, vel pro mensa Capituli, vel pro fabrica, vel ad successorem spectans est quid alienum à beneficiato defuncto. Non vero est defuncto succurrendum ex alieno, si habet de suo. Igitur in defectum hæreditatis Ecclesiasticæ primo in subsidium venit hæreditas patrimonialis, si adsit.

471 Sed si hæreditas omnis defuncti sit insufficiens, tunc in subsidium veniret successor. Sic enim conueniens est, quod beneficiatus de mensa sui beneficij sepulturam habeat necessariam, & quod si ad hoc non sufficiunt fructus actu recepti subrogentur recipiendi, qui ad eundem pertinuissent si vixisset, & sic successor in beneficio, vel is ad quem spectant bona in tempore vacantiæ, & sic beneficiatus ad huiusmodi expensas necessarias tamē, non superfluas tenebitur. *Redoan. d.n.38. circa fin. Grat.* & alij ab eo citati *d. discep. 94. n. 51.* Et sic si bona, & fructus colligendi tempore vacantiæ spectent ad Cameram Apos. ipsa in subsidium vbi deficiant bona quæ spectabant ad defunctum tenebitur ad necessarias impensas sepulturæ. Vix vero potest contingere casus, vt nec bona patrimonialia, nec fructus percepti in vita defuncti Clerici, nec percipiendi post eius mortem sufficiant ad necessarias expensas funeris, eo magis, quod Ecclesia non tenetur nisi pro viribus, & in arbitrandis expensis funeris habenda sit ratio facultatum defuncti, vnde beneficium habens pauperes redditus, non tenetur nisi ad pauperes expensas, & sibi proportionatas: in casu tamen, quod huiusmodi bona, & fructus spectantes ad mensam beneficiati, aut successoris non sufficerent, tunc ex alijs mensis, nimirum in Cathedralibus, & Collegiatis ex mensa communi Capituli, sepeliendus esset Episcopus, vel Præpositus, Ecclesia enim cui Clericus, vel præest, vel inseruit, tenetur ad funus sui Clerici. Et sic verum est, quod dixerunt *Med. d.q.4.n.6. & Lauor. cap.16.n.35.* scilicet, quod Episcopus in subsidium de mensa Capituli est sepeliendus. Sic & Canonicus de mensa communi sepeliri deberet. Vbi vero non est mensa Capitularis, seu communis, subditi succurrere deberent necessitati. Et sic Parochus in subsidium sepeliri deberet à Parochianis.

472 Quamobrem quando v. g. dicitur, quod Ecclesia,

Ecclesia Cathedralis tenetur ad expensas funeris sui Episcopi, aliter intelligendum est seruato antiquo stylo Ecclesiæ, quando bona Ecclesiæ in communi possidebantur, & in præsenti rerum statu lo quo bona Ecclesiæ sunt diuisa, & diuersis vsibus applicata, & Episcopo mensa propria est deputata. Tunc enim impensa funeris tam Episcopi, quam aliorum Clericorum de mensa communi fieri debebat. Sicut, & nunc si daretur Episcopatus in quo non esset mensa propria Episcopi, sed omnes Clerici, cum Episcopo viuerent de communi mensa fieri deberet. Et nihilominus etiam tunc propria bona Episcopi in subsidium subroganda essent, vt quod fieri non posset per bona Ecclesiæ fieret per Episcopi patrimonium. Sed modo, dum Episcopus habet mensam propriam, Cathedralis suo debito satisfacit, si de Episcopi mensa mortuum sepelit. Nec habet, quod subintret nisi in defectum mensæ Episcopi. Qui Episcopus si alias, quæ sunt de mensa Episcopi consumpsit, prius subrogandæ sunt propria bona, si habet, quam alia bona Ecclesiastica alijs vsibus deputata.

473 Nec obstat si quis dicat, quod beneficiatus habens curam animarum habet ius, vt integre viuat de Ecclesia, quia ipse totus est dedicatus tali muneri, quod totum, & integrum hominem requirit. Et per accidens est, quod talis habeat proprium, & etiam si habeat proprium potest integre viuere de fructibus beneficij into patrimonio consanguineis reseruato; igitur, & sepulturæ expensa respectu eorum, qui curam animæ habent integra præstanda est ab Ecclesia, si loquamur de expensa necessaria, in eius ergo subsidium non debet venire patrimonium, nisi vbi omnino deficiant bona Ecclesiæ, & bona populi, seu subditorum, qui ad sustentamentum, & sepulturam sui Pastoris tenentur.

Respondetur enim, quod Rectores animarum vere habent ius viuendi de Altari, seu Euangelio, vt patet ex *Apost. 1. ad Cor. cap. 9.* & probat. *Innoc. 3. in cap. Cum secundum. de praeben.* Apostolus Paulus nihilominus ne grauaret Ecclesiam sæpius de proprio labore viuebat, quod & faciebant alij Apostoli iuxta illud *p. ad Cor. 4. laboramus operantes manibus nostris.* Quod vt dictum est supra *n. 4.* cum D. T. ad secundum, aliquando fuit necessitatis, & aliquando supererogationis, ad tollendum grauamen populorum, & ad dandum exemplum fugiendi otium. Nunquam tamen credo, quod Apostoli permisissent, aut laudassent, quod ministri Euangelij ex proprio labore voluissent ditare consanguineos grauando Ecclesiam, & populos supra quam tenerentur, vt ipsi viuerent. At vero Clericus habens beneficium ad quod fuit ordinatum, vel Rector Ecclesiæ habens Ecclesiam in titulum habet deputatam sibi mensam sufficientem ad sui sustentationem de qua viuat, & sepeliatur, si vero ex accidenti hæc desit, & forsan quia sine necessitate fructus illius consumpsit, & debet subrogari aliquid in subsidium, sicut Rector viuens de labore suo, seu de proprio deberet viuere, quia altare fecit ex parte sui, quod in se est, ita rationabile est, vt de propria hæreditate sepeliatur, & non tenetur Ecclesia ea quæ ad alios vsus deputauit pro hoc effectu consumere. Et cum Rector Ecclesiæ recipit officium pro quo est iure, & facto assignatum emolumentum le habet, ac si pro tali veluti salario contraheret cum Ecclesia, & ab ea non potest amplius prætendere, nisi in casu necessitatis, in quo casu non est, si habet aliunde ex proprio vnde viuat. Primum ergo, quod in funere subrogandum est in defectum mensæ Rectoris pro Rectore tumulando, est Rectoris patrimonium, deinde mensa successoris, seu fructus beneficij recipiendi, & non ad defunctum, sed ad successorem pertinentes. Nam, & ex quo Rector Ecclesiæ totus esse debet pro vtilitate suorum subditorum, iustum est, vt ab eis non prætendat supra mensam sibi assignatam, & ab eo, vt sufficientem approbatam in susceptione beneficij, sed imo de suo etiam (sicuti tenetur tanquam Pater pauperum suæ Parochiæ) suis subditis subueniat, & eorum necessitates releuet.

474 Hinc patet, quid dicendum de Legatis, Nuncijs, Visitatoribus, Collectoribus, & similibus. Legatum quidem esse sepeliendum expensis Prælatorum Prouinciæ, nisi habuerit redditus, vel ratione officij, vel ratione beneficiorum, ex *Petr. de Vbald.* dixerunt *Med. d. q. 4. n. 2. Lauor. cap. 16. n. 33.* Qui idem asseruerunt de Nuncio. Idem de Visitat. affirmarunt, vt scilicet sepeliendus sit expensis Prouinciæ ad quam visitandam fuit missus, nisi habeat redditus pro visitatione. *Med. n. 4. Lau n. 34.* Collectores vero esse sepeliendos de salario eis constituto à sede Apostolica. Sed regula data seruari debet, vt scilicet onus sepeliendi huiusmodi defunctos spectet ad hæredem, ita tamen, vt quidquid respicit pompam pertineat ad hæredem bonorum patrimonialium, expensæ vero necessariæ ad hæredem bonorum Ecclesiasticorum, siue hæredes sine consanguinei, siue sit Ecclesia aliqua, siue sit Camera Apostolica. Et in huiusmodi Delegatis, qui tenetur ad dandum illis alimenta, vel solarium pro tanta eius, quod debetur ratione officij, tenetur etiam ad expensas funeris necessarias. Et in hoc sensu Prælati Prouinciæ, vel etiam laici pro quanto tenentur ad procurationem, vel salarium, tenentur etiam pro rata ad funeris expensas, si alias procurationem, aut salarium à se ipsis debitum non deducunt, nons tamen procurandi sepulturam semper ad hæredem pertinet. In subsidium vero vbi non sufficerent vires hæreditatis, Prouinciæ ad quas regendas, seu visitandas huiusmodi mittuntur ad necessarias expensas tenerentur.

475 Religiosi vero vbicumque decedant impensis suarum Religionum sepeliri debent, non tamen simpliciter eiecti. Nouitij vero cuius expensis sepeliri debeant dictum est supra *num. 518.* Et de iure communi proprijs expensis esse tumulandos dixerunt *Med. q. 4. n. 10. Lauor. cap. 16. n. 46.*

476 Vbi vero daretur Abbas, qui haberet mensam separatam à mensa communitatis, de spectantibus ad mensam Abbatis esset sepeliendus. Monachi vero beneficiati, etiam de spectantibus ad beneficiati mensam, vel in subsidium a successore, aut Monasterio sepeliri debent iuxta cuiuscumque Ordinis leges, aut locorum consuetudines.

477 Quæritur tertio quomodo in hæreditate grauata, detrahendæ sint funerum impensæ? Respondetur, quod etiam si hæreditas grauata non sufficiat, vt omnibus dispositis per testatorem satisfieri possit imo omne alienum solui vel hæreditas alteri restitui debeat. Nihilominus, expensæ funeris in primis ex hæreditate deducendæ sunt, *l. Papi-*

Papinianus §. 4. *de inoff. testam. l. in restituendo C. de pet. hæred.* dicitur enim debitum defuncti, & hæreditatis. *l. c. & si quis sepulchrum, ff. de relig. & sump. fun.* & magis priuilegiatum quam quoduis aliud debitum *l. impensa. eod. tit. l. fin. §. in computatione*, vbi *Gloss. in v. funus. C. de iur. delib. Syl. & Tabien. v. funus. Rota dec. 259. n. 1. p. 1. recent. & dec. 421. nu. 1. coram Greg. 15. Med. p. 2. q. 1. n. 2. Lauor. cap. 16. nu. 8. & 10.* Et ideo huiusmodi impensæ præferuntur omnibus creditoribus, quia impensa funeris æs alienum dotis est, vt illis verbis. *l. impensa ff. de relig. & sumpt. fun.* & imo omni alieno æri præfertur. *l. Et si quis 14. la 2. 45. in ord. ff. eod. tit. Rota decis. 438 n. 73. par. 9. recent. Adden. ad dec. 451. n. 14. Greg. 15. Syluest. Tabien. Med. Lauor. citati.* Etiam si creditum sit dotale, vel Fiscale, vel quodcumque aliud.

478 Et cum dubitent DD. an hoc sit verum etiam vbi creditum habeat expressam hypothecam, & plures in hoc negantem partem sequantur, quos refert *Grat. discep. 94. nu. 1.* & sequitur *Lauor. cap. 16. num. 11.* & recenset etiam *Surdus dec. 255.* & præcipue *Gloss. in cap. penul. de Relig. & sumpt. fun.* Nihilominus contrarium verius esse suadetur ex eo, quod qui funeris impensam fecit, non est creditor defuncti, sed hæreditatis ex qua illa semper prius debet deduci. *l. penul. ff de Relig. & sumpt. fun.* Et maxime stante publica omnium vtilitate, quam concernit fauor funeris. *Bal. in l. si cui vol. vlt. vers. si ponamus. C. de neg. gest.* propter quam vtilitatem commodum priuatum debet cessare. Et maxime, quod eadem ratio militat, vt præferatur huiusmodi expensa hypotecæ, tam expressæ, quam tacitæ, prout concludunt *Rota d. dec. 438 nu. 74. p. 9. recent. Adden. ad dec. 451. n. 14. coram Greg. 15. Surdus d. dec. 255.* & *Gratianus* quamplures *referens discep. 94. nu. 5.* Et passim admittunt omnes in *l. c. ff. sol. matr.* non distinguentes inter dotem habentem tacitam, vel expressam hypothecam, & cum etiam certum sit huiusmodi impensam esse deducendam priusquam satisfiat creditoribus, & legatarijs. *l. penul. de Relig. & sumpt. fun.* Cum imo huiusmodi impensa habeat priuilegium, vt deducatur etiam ante legitimam filiorum, secundum *Alex. cons. 5. in princ. l. 6. Tuscum cons. 536 in fin. n. 15. in v. funeralia.* quos refert, & sequitur *Grat. d. discep. 94. n. 7.* Vbi n. 8. quod non obstat *decis. Surd. 162. n. 4. in fin.* distinguentis, & dicentis, quod præferatur impensa funeris etiam expressam hypothecam habentibus, quando fuit facta per hæredem, qui adiuit cum beneficio legis, & inuentarij, secus si ab alio ageretur ad habendam huiusmodi impensam, quia tunc præualeret expressa hypotheca excludendo priuilegium funeris. Quasi beneficium inuentarij præseruet hæredem ab omni damno, quod prouenit ex aditione. *l. fin. § in computatione. C. de iur. delibe. Gozad. cons. 94. n. 19.* Nam in contrarium est, quod licet in hærede sit minus dubium ob beneficium inuentarij, tamen non debet excludi tertius ab huiusmodi priuilegio funeris; quia licet cesset inuentarium non debet cessare dispositio, cum remaneat alia causa priuilegiata funeris prout magis æquam opinionem, & sequendam dicit. *Surd. dec. 155. in fin. & dec. 55. nu. 9.*

479 Bene tamen verum est, quod supradicta intelligi debent de expensa necessaria, non vero de superflua. *Grat. d. discep. 94. n. 6. Lauor cap. 16. nu. 12. Sylu. v. restit. 6. n. 5. Tabien. v. funus. Med. q. . n. 3.* Et maxime vbi defunctus ex iustitia tenebatur ad restitutionem. vnde hæres tenetur soluere creditum non quod sit impositum per dispositionem testatoris, sed quod ex iustitia debebatur. Tunc enim impensa funeris præcedit solum inquantum quid necessarium spectans ad sustentamentum, ad quod etiam huiusmodi funeralia reducuntur. Et sic in his regulæ seruandæ sunt, quas dictat iustitia in rei alienæ restitutione. Expensæ etiam debent esse liquidæ, & certæ. Vnde à Iudice non permittuntur detrahi nisi de illis constet in actis. *Rota dec 3. n. 15. p. 6 recent.* Et huiusmodi impensæ si non sint liquidatę sunt calculandę arbitrio iudicis. *Rota dec. 292. n. 21. p. 9. recen.* Et quando de eis constet, potest fieri compensatio cum eo, quod remansit apud hæredem grauatum de tempore mortis testatoris. *Rota dec. 244. num. 5. p. 7. recen.* Vbi vero impensæ funeris sint dubiæ, & sint propterea probandæ testis deponens de illis, aut illarum quantitate, si non sit testis de visu, & deponens de ijs, quæ sub eius sensu cadunt debet reddere causam sui dicti, seu scientiæ suæ. *Rota dec. 173. nu. 10. coram Greg. 15.*

480 Qui vero de suo fecit pro aliquo expensas, vt si consanguineus pro defuncto Ecclesiastico, vel non hæres pro defuncto extraneo, potest expensas ab hærede, vel ab eo, qui ad expensas tenetur repetere, nisi animo donandi fecerit. De hoc habetur lex. Et si quis, 14. quæ sic disponit §. *Sed interdum is, qui sumptum in funus fecit, sumptum non recipit si pietatis gratia fecit; non hoc animo quasi recepturus sumptum, quem fecit: & ita Imperator noster rescripsit. Igitur æstimandum erit arbitrio, & perpendendum quo animo sumptus factus sit; vtrum negotium quis, vel defuncti, vel hæredis gerit, vel ipsius humanitatis: an vero misericordiæ, vel pietati tribuens, vel affectioni. Potest tamen distingui, & misericordiæ modus: vt in hoc fuerit misericors, vel pius, qui funerauit, vt eum sepeliret, ne insepultus iaceret, non etiam, vt suo sumptu fecerit; quod si iudici liqueat, non debet eum, qui conuenitur absoluere. Quis enim sine pietatis intentione alienum cadauer funerat? oportet igitur testari quem quo animo funerat: ne postea patiatur quæstionem.* Sic ergo si quis mandato testatoris, aut hæredis facit expensas, eas absque dubio recuperat. Sed si sine mandato, & vere non habet animum donandi, sed recuperandi, cautela est, vt protestetur, quo animo facit, ne postea dicatur, quod ex misericordia donauerit. *Med. p. 2 q. 2. n. 5. Lau. cap. 16. n. 49.* Et hoc etiam ex eadem lege in §. *plerique filij* continetur, & est verum in foro externo; Nam in foro conscientiæ, qui vere non donauit, potest repetere, & hæres, aut quicumque ille est, ad quem pertinet funus quocumque modo sibi constet de animo eius, qui expensas fecit, illi debet reddere. Et in dubio censendū est etiam in foro externo, quod expensas fecerit animo repetendi. *Med. p. 2. q. 5. nu. 26. Lau. cap. 16. n 48.* Non enim præsumitur donatio de facili. Quin imo si quis etiam inuito hærede expensas funeris fecerit posse nihilominus eas repetere dixit *Surdus dec. 253. nu 14. ex Bald. l. fin. n. 9. C. de neg. gest. Cagnol. in l. Iuuian. n. 7. ff. de reg. iur. Ripa de remed. prosers. n. 132.* Si tamen excessisset, & superfluas expensas fecisset, & immoderatæ improportionatas excessum de iure petere non posset, nisi

fecisset

fecisset de mandato testatoris, aut hæredis. Non enim licet alicui esse prodigum de alieno. Quamuis vero ineptæ, voluntates testatorum non sint implendæ. *d. l. Et quis. §. Aequum*, si tamen is cui testator, vel hæres huiusmodi expensas mandauit, mandatum exequatur, repetet expensas, quas tamen non poterit ex iustitia repetere etiam supposita dispositione testatoris, qui tales expensas sua sponte non iussus fecit, quia ad eas expensas hæres non renebatur. Dicitur etiam, quod si quis non iussus modice expendit in funere alicuius, & per defectum minus in contemptum defuncti, expensas factas non repetit. Sic enim disponitur in *d. l. Et quis. §. Iudicem, qui de ea æquitate cognoscit, interdum sumptum omnino non debere admittere modicum factum, si forte in contumeliam defuncti hominis locupletis modicus factus sit; nam non debet huius rationem habere, cum contumeliam defuncto fecisse videatur, ita eum funerando*. Plura alia vero habentur in l. Et quis spectantia ad huiusmodi expensarum repetitionem ad iudicem spectantia, quæ expendit *Medices p. 2. q. 5.*

481 Cum vero impensa funeris sit causa pia *Med. 1. q. 5. n. 5.* & funus sit quid Religiosum, & Ecclesiasticum; dicendum est, quod iudex laicus non possit cognoscere de repetitione expensarum, quia causa pia, & Religiosa est extra iurisdictionem iudicis laici.

482 Tandem consideratur, quod impensa ex causa infirmitatis, licet distinguatur ab impensa ex causa funeris, tamen habet idem priuilegium, & præualet etiam creditoribus habentibus expressam hypothecam, vt per *Bald. in l. In restituenda C. de pet. hæred. in fine.* tradit *Grat. discept. 94. n. 14. Surd. dec. 117. n. 7.* Ex eo, quod non minus intersit Reipublicæ viuentes homines conseruari, quam mortuos sepeliri. *Bald. in l. fin. C. de neg. gest. Felin. contingit 36. de sent. excom.* Quod tamen restringit *nn. 16.* ad infirmitatem ex qua decessit infirmus ex *Roland. cons. 14. n. 17. & Surd. dec. 255. n. 26.* vbi *nu. 27.* quod licet pro istis expensis non detur actio funeraria, tamen competit actio non minus fauorabilis, quam sit illa funeris.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit portio Parochialis. n. 483.*
2 *Ex consuetudine determinatur eius quantitas. nu. 484.*
3 *Qua consuetudo determinet quotam portionis Canonica. n. 485.*
4 *Consuetudine potest præscribi exemptio à quarta Parochiali. n. 486.*
5 *Quid faciendum vbi non sit certa consuetudo. nu. 487.*
6 *De quibus soluenda portio Parochialis. n. 488.*
7 *Quid veniat sub nomine funeralium diuersæ opiniones. n. 489.*
8 *Quid significet funus? nu. 490.*
9 *Ethymologia nominum æstimanda. n. 490.*
10 *Ad funus non spectant nisi spectantia ad officium sepulturæ. n. 490.*
11 *Funeralia non ex tempore, sed ex causa accipienda. nu. 491.*
12 *Funeralia sunt, quæ dantur intuitu officij sepeliendi. nu. 491.*
13 *Funeralia ad effectum soluendi quartam sunt, quæ cum funere deferuntur. n. 492.*
14 *Funeralia non se extendunt nec ad residuum diei, quod superest post sepulturam. n. 493.*
15 *Non se extendunt ad anniuersaria, & alia post sepulturam oblata. n. 493.*
16 *Fraus extendit funeralia vltra diem sepulturæ. num. 494.*
17 *Si post diem sepulturæ ex aliqua causa celebretur funus debetur quarta. n. 494.*
18 *De mortuarijs extra locum defuncti non debetur quarta. nu 494.*
19 *De quibuscumque quæ deferuntur cum funere debetur quarta. n. 495.*
20 *De candelis, quæ dantur ad manus non datur quarta. nu. 496.*
21 *De ceris Confraternitatum non datur quarta. nu. 497.*
22 *De ijs, quæ spectant ad funus debetur quarta. nu. 498.*
23 *De emolumentis Missarum non est soluenda quarta. nu. 499.*
24 *Funeralia quid sunt. nu. 500.*
25 *Quid Romæ seruetur. n. 501. 502.*
26 *Decretum Visitationis, vt soluatur dimidia de omnibus ceris non se extendit extra vrbem. nu. 503.*
27 *De omnibus legatis relictis Ecclesiæ sepulturæ debebatur quarta. n. 504.*
28 *Etiam de donatis causa mortis. n. 505.*
29 *Etiam de relictis ratione institutionis. n. 506.*
30 *Etiam de legatis factis promissis. n. 507.*
31 *Etiam de legatis mediate. n. 508.*
32 *Etiam de relictis ad victum. n. 509.*
33 *Hæc omnia vera ex vi. Clem. Dudum de sepult. num. 510.*
34 *In quibus casibus de iure non deberetur quarta de legatis. nu. 511.*
35 *Clementina non se extendit ad omnes. n. 512.*
36 *Consuetudine præscribi potuit quarta legatorum. num. 513.*
37 *Priuilegio quarta potest non deberi. n. 514.*
38 *Non debetur quarta de legatis ad vsum priuilegiatum. nu. 515.*
39 *Nec de legato pro fabrica Ecclesiæ. n. 516.*
40 *Nec de legatis factis personis. n. 517.*
41 *Relictum Religioso semper est relictum loco. n. 517.*
42 *In dubio legatum censetur personale, si sit factum à consanguineo. n. 517.*
43 *Nec de legato facto pro maritandis puellis. n. 558.*
44 *Nec de donat. inter viuos. n. 519.*
45 *Nec de relictis à professo. n. 520.*
46 *Nec de relictis a Nouitio. n. 521. 588.*
47 *Nisi sit fictus nouitius. nu. 522.*
48 *Quid si Nouitius erat infirmus, quando ingressus est Religionem? n. 523.*
49 *Quarta debetur de sepultis cum habitu Religioso ex deuotione. n. 524.*
50 *Quid de oblatorum, & legatorum legatis. n. 525.*
51 *De relictis à leprosis, vel alijs hospitalibus, an debeatur quarta. n. 526.*
52 *Hospitale non est exemptum à quarta nisi ex priuilegio, vel consuetudine. n. 527.*
53 *Quarta de morientibus in Hospitali si debetur, debetur Parocho domicilij ipsius infirmi. n. 527.*
54 *Vbi decedentes in Hospitali extra sepeliuntur de-*

INSPECTIONIS QVINTÆ CAP. SECVNDVM.

Quæ sit, & cui debeatur quarta Parochialis de iure communi.

483 CAnonica Parochialis dicitur quia sit approbata, & debita iure Sacrorum Canonum. *cap. 1. 2. 8. 9. de sepult. & Clem. Dudum eod. tit. Sylu. v. Canonica portio n. 1. Tabien. in princ. Med. de sepult. p. 2. q. 6. n. 2. Lauor. tit. 2. cap. 17. n. 12.* Et distinguitur a Canonica Episcopali, de qua erit sermo *cap. sequen.* Hæc vero Canonica est portio quædam, quæ debetur Parochiæ defuncti, qui extra Parochiam sepelitur, vel in Ecclesia à se electa, vel in Ecclesia maiorum, de legatis, & oblationibus, quæ fiunt ratione sepulturæ illi Ecclesiæ in qua defunctus tumulatur. Et hæc eadem Canonica portio dicitur etiam quarta, quia de iure potius est quarta pars oblationum, quæ fiunt occasione funeris. Fuit vero hæc portio Canonica introducta ratione oneris, quod Parochi sustinent in officio Parochiali; ex vna enim parte viderunt Pontifices minime conuenire, vt defuncti omnes in solis Paro-

Parochialibus sepelirentur, quia æquum erat, vt consuleretur deuotioni fidelium, vt apud memoriam Martyrum, aut Sanctorum quos in speciales patronos, & intercessores sibi elegerant, libere sepeliri possent; ea alia vero parte considerantes labores Parochorum præcipue in administrandis Sacramentis suis Parochianis statuerunt, vt de legatis, & emolumentis, & oblationibus, quæ occasione sepulturæ ratione obueniunt Ecclesijs in quibus parochiani sepeliuntur certa quædam portio daretur Parochis, vt expresse *cap. 1. de sepult. & Clem. Dudum, eod. tit.* & aduertunt communiter DD.

484 Primo vero quæritur quanta sit hæc portio Parochialis? Et respondetur, quod de iure est quarta *cap. Cum super, & cap. In nostra de sepult. & Clem. Dudum, eod. titul.* Et sic communiter in priuilegijs Regularium dicitur quarta. *Moro. resol. 52. n. 4. Cesp. dub. 164. n. 15.* Nihilominus non est eadem quota vbique, sed est alicubi medietas, alibi tertia, alibi quarta. Et propterea *Clemen. 3. in cap. Certificari de sepult.* determinationem huius remisit consuetudini, ibi, *Nos tale prabemus in hac varietate responsum, vt sicut B. Hieron. inquit, vnaquaque Prouincia in suo sensu abundet secundum rationabilem consuetudinem regionis; illa instituta circa medietatem, vel tertiam, aut quartam partem pro locorum diuersitatibus attendatur.*

485 Duplex vero hic attendi potest consuetudo, alia scilicet quæ sistat inter medietatẽ, & quartam, alia vero quæ vel in maius excedat medietatem, vel in minus deficiat à quarta, vel in totum neget quartam. Primæ assistit lex, quinimo lex ipsa iubet, vt tali consuetudini stetur, ideo non est necesse, quod illa consuetudo sit quadraginta annorum, sed sufficit decennalis. *Panorm. in cap. Certificari. n. 4. de sepul. Syl. v. Canonica portio n. 2. Med. p. 2. q. 7. n. 4. Lanor. cap. 17. n. 5. & 6. Barbosa ad d. cap. certificari n. 3. & de Parocho cap. 25. n. 16.* Qui DD. arbitrantur postea, quod sola præscriptio quadragenaria sufficiat ad hoc vt portio detur, vel supra medietatem, vel infra quartam. Sed hodie considerandà est Const. 157. Vrbani Octaui data die 5. Iunij 1641. & quæ incipit Romanus Pontifex. De qua Constitutione multa habet Reuerendissimus Fagnanus ad *cap. Constitutiones, n. 21. & seqq. de Const.* Mihi hoc nunc aduertendum occurrit, quod *Rota in Cracouien.* dismenbrationis decimarum coram D. Verospio 3. Iunij 1660. voluit *d. Constit.* habere locum etiam inter Ecclesiam & Ecclesiam. Sed huius contrarium etiam viuente Vrbano Octauo sensit eadem Rota in *Vicent. Portionum* 1. Iunij 1643. cora Dunozeto. Quamobrem in sequentibus vbi agitur inter Ecclesiam, & Ecclesiam ego explicabo, quid sit de iure communi, relinquendo Sedi Apostolicæ interpretationem dictæ Constitutionis ideoque, & an extendatur etiam ad contractus, & vsus, & consuetudines, quæ contingere possunt inter Ecclesiam, & Ecclesiam.

486 Hinc est, quod hoc multo magis dicendum est de consuetudine nullo modo soluendi quartam. Hanc quidem consuetudinem si detur esse irrationabilem dixit *Lanor. cap. 17. n. 18.* Et fuit hoc disputatum apud antiquos Canonistas, vt videre est apud *Syl. v. Canonica portio n. 2.* Et nihilominus, quod per tempus quadraginta annorum possit præscribi quarta, vt non sit necesse illam tradere, si consuetudine, vel præscriptione cum titulo exemptio sit acquisita dixerunt *Panorm. ad cap. certificari, de sepul. & Syluest. v. Canonica portio. Lanor. c. 17. n. 11. Barb. de off. Epis. alleg. 86. n. 4.* Sic enim, & ex *Petr. de Vbald. de Canon. por. par. 2. cap. 5.* dixit *Med. p. 2. q. 7. n. 9.* quod mendicantes possunt præscribere contra Ecclesiam Parochialem, & Parochialis contra mendicantes, (quod verum est solo communi iure spectato: Nam quid sit dicendum iure priuilegiorum dicetur *cap. 4.*) & quod hoc idem potest Episcopus contra ipsos, & ipse contra Episcopum, *Medina ex cap. de quarta de præscript.* vbi Canonistæ omnes, & alij DD. de hac materia tractantes, & pariter, quod Cathedralis Ecclesia cõsuetudine, seu præscriptione quadragenaria possit vendicare sibi quartã cõtra Parochialem tenuit *Rota decis. 376. n. 2. p. 1. recen. & Barbosa ad c. 2. de sepult.* Sed modo cõsiderãdũ esset an hoc possit verificari, vel potius cẽtenaria, vel immemorabilis requiratur, & quidem talis, qualem describit Vrbanus Octauus in *d. Constit. §. Vnde est*, Nam si *d. Constit.* comprehendit etiam vsus inter Ecclesiã, & Ecclesiam, dicendum esset, quod si alicubi ab initio fuisset consuetudo, vel lex specialis soluendi medietatem, non posset huiusmodi consuetudo, vel lex abrogari per nouam consuetudinem soluendi tertiam, vel quartam tantum nisi hæc consuetudo esset, vel centenaria, vel immemorabilis, vt supra.

487 Cum vero ita subeat, vt intra medietatem, & quartam stetur consuetudini locorũ, quid agendum vbi nulla sit consuetudo, vel illa sit dubia? Vbi nulla sit consuetudo, vt puta v. g. quia in loco vbi erat vna tantum Ecclesia Parochialis erecta est alia Ecclesia secularis, vel Regularis, tunc diœcesis consuetudo seruanda erit, si in tota sit vniformis, sed si sint variæ consuetudines, si in Parochiali sit vna consuetudo, & in Ecclesia sepulturæ sit alia. *Barbosa de Parocho cap. 25. n. 2. & 16.* arbitratur seruandam esse consuetudinem Parochialis. Sed *Moron. ref. 52. n. 6. & Cesp. dub. 164. n. 16.* existimant quartam esse soluendam, quia sic est de iure communi. Quod enim tunc nulla sit seruanda consuetudo, probat *Moron.* quia consuetudo debet esse vnius Ecclesiæ cum eadem, non cum alia, neque consuetudo vnius Ecclesiæ cum alia est extendenda; quia licet in materia sepulturæ multum tribuatur consuetudini. *Mant. dec. 366. n. 3.* Consuetudo tamen non extenditur de loco ad locum, sicut neque de persona ad personam *l. 3. §. si quis hoc interdicto*, & ibi *Bart. de itin. actuq. priu. l. ius singulare, & l. quod vero contra ff. de leg. Bald.* & reliqui apud *Mant. dec. 284. n. 6.* Et ideo consuetudo in specie probanda est *Castren. cons. 340. vol. 2.* Nulla ergo est consuetudo; igitur sola quarta est soluenda, quæ solui debet de iure communi. Verum considerandum est, quod hic duplex genus consuetudinis attendi potest, scilicet consuetudo recipiendi, & exigendi, & consuetudo dandi, Et sic si sint v. g. duæ Parochiales quarum vna ea consuetudine semper & à quolibet recipit medietatem, & alia solum tertiam partem; tunc standum est consuetudini Parochialis Ecclesiæ à qua assumitur mortuus, & si illa consueuit recipere dimidiam, illi tribuenda est dimidia; quia tantum illi tribui debet quantum habet ius, habet vero ex consuetudine præscriptum ius ad dimidiam. Nec interest, quod alia Ecclesia

solum recipiat tertiam, vel quartam quando ab ea assumitur defunctus, quia attendi debet consuetudo Ecclesiæ traditricis, quæ est Ecclesia à qua assumitur corpus. Sed si comparemus consuetudinem dandi, ad consuetudinem exigendi, & detur Ecclesia quæ ex consuetudine obtinuit, vt nunquam soluat nisi quartam, debet tunc attendi consuetudo Ecclesiæ sepulturæ, quæ contra omnes Parochiales præscripsit, vt non soluat nisi quartam, vel quid minus quarta, vel nihil. Sed si Ecclesia sepulturæ non præscripsit contra Parochialem, & in Parochiali sit aliqua determinata consuetudo, illa seruari debet, cum Ecclesia Parochialis de iure portionem sibi vindicet in ea quantitate, quam legitime præscripsit. Si vero in Parochiali nulla sit consuetudo, nec sit etiam consuetudo vniformis in Diœcesi sed multiplex, & varia, seruanda erit illa, quæ sit magis conformis iuri. *Med.q.7.n.5. Lauor. c.17.n.7.& seq. Barbos. ad cap.9. n. 4.de sepult.* quæ est quarta. In dubio enim consuetudinis, quod non medietas; nec tertia pars, sed quarta solui debeat, ex *Gofredo* tradit *Syl.v.Canonica portio nu. 1.* Quia hoc est ius magis conforme *cap.In nostra de sepult.* Et quia in dubijs sequimur, quod minimum est. *l.fin.si ita relictum. ff.de leg.2.& leg.semper. ff. de reg. iur.* In dubio ergo, recurrendum erit ad consuetudinem Diœcesis, & vbi in Diœcesi sit multiplex consuetudo standum erit ei, quæ soluit minus. Et in controuersia accidente si consuetudo exigendi maius non probatur, sola quarta exigi debet *Bald. cons. 170. lib.4.* quem sequitur *Tuscus lit. Q. concl. 12. n.10.* Alias vero, vt bene dicebant *Marou. & Cesp.* non valet argumentum à consuetudine vnius Ecclesiæ ad aliam, quia consuetudo vnius loci non afficit alium, *Rota decis.519. n.3. coram Ludouisio,* & sic vna Parochialis in quo est certa consuetudo non potest velle sequi aliam, sed in vnaquaque Ecclesia propriæ consuetudini standum est, si est certa, & si non est, in dubio minima portio est accipienda. Romæ autem ex decreto Visitationis data die 21.Maij 1626. annuente Pontifice soluitur medietas, Decretum habetur per extensum apud *Pasqual.ad Laur.de Franchis p.1. n.29.*

488 Quæritur secundo in genere de quibus soluenda sit portio Parochialis? Respondetur vero, quod de duobus scilicet de funeralibus, & de legatis factis Ecclesiæ sepulturæ. De legatis patet ex *cap. 1. & 2. & cap. de his, & cap. Cum super de sepult.* Et de funeralibus, apparet ex *cap. Cum liberum, & cap. In nostra de sepult. & de vtrisque ex extrauag. inter Cunctas, de priuileg. & Clem. Dudum de sepult.* Ideo ne indistinctio confusionem pariat, de singulis distincte quærendum est. Quod enim funera à legatis factis pro anima defuncti distinguantur, habetur expresse *ex. d. extrauag. inter cunctas, & d.Clem.de Priuileg. Rota in Vallisoletana Funeralis coram Iusto,* quæ apud *Tambur. tom.3.est.83. decisa nu. 1.*

489 Quæritur vero tertio, quid proprie veniat sub nomine funeralium. Distinguunt autem DD. inter funeralia, & mortuaria, quod illa sunt, quæ cum funere ducuntur, vel causa funeris offeruntur. Sed mortuaria dicuntur, quæ pro mortuo offeruntur *Petrus de Vbald.p.2.c.4. Med p.2.q.8.n.5. Lauor. cap.17.n.19.& seq. Tusc.l. Q. concl. 21.n.9.* Vario autem modo DD. explicauerunt quæ veniunt sub nomine funeralium. Quidam enim voluerunt, vt funeralia importent, quæ occasione, seu ratione funeris dantur Ecclesiæ sepulturæ siue antequam corpus sit in terra conditum, siue post, & vsque ad trigesimum diem, & quandiu sit memoria de funere, & pro hac sententia refertur. *Calder. cons. 4.de sepult.* quem refert *Barbosa de Parocho cap.25. n. 37.* Sed *Cald.* non loquitur absolute, sed in casu particulari à se considerato. Consilium Calderini refert de verbo ad verbum *Lauor. cap. 3.n. 194.* Et loquitur in casu in quo pompa funeris pluribus diebus fuerat dilata, eo quia ob pestilentiam suo die non potuerat fieri. Tenet vero, quod expensæ, & data tunc cum solemnitate sunt exequiæ sint funeralia, sed considerandum, quod duo in discursu referuntur ab eo. Primum, quod funeralia dicuntur quæcumque ratione funeris dantur, etiam si dentur post depositionem cadaueris. *argum. ex l. Cum inter. ff. de verb. significationibus.* Et hæc est sententia *Calder.* limitate tamen intellecta ad casum suum, vt sit vera, quando id, quod fit post depositionem corporis, fit ratione funeris, & ita vt fictione iuris sit funus, licet factum post, quia ante fieri non potest. Et sic eius sententia est, quod funeralia sint quæ fiunt pro funere, etiam tunc cum factum post sepulturam fictione iuris censetur factum ante iuxta Regulam, fictione iuris censetur factum eo tempore quo fieri debuit, si id tunc fieri non potuit. *cap. literas, de tempor. ordinand.* Et ad hoc confirmandum adducit *Ztrozel.* dicentem funeralia esse quæ occasione funeris dantur etiam si post dentur, & Paulum asserentem funeralia esse, quidquid in quacumque re datur occasione funeris. Secundum quod habetur apud *Calder.* est, quod funeralia sunt, quæ dantur ratione funeris etiam post depositionem corporis, vsque ad trigesimum diem. Et de hoc dicit disputasse Guliel. de monte Lauduno, sed eum arguisse ad singulas partes, sed sub dubio, & tamen voluisse, quod quandocumque oblationes fiunt de his debeatur quarta *Lauren.* autem tractasse hanc quæstionem quantum durent funeralia eamque non determinasse refert *Zabar.ad d. §. Verum, n. 5.* Vnde multiplex modus dicendi, vel opinandi hic continentur. Primus est, vt ad hoc vt aliquid pertineat ad funeralia sufficiat, quod detur occasione funeris quocumque tempore detur, & hæc videtur fuisse sententia Gulielmi de Monte Lauduno apud Calderinum vbi supra. Secundus modus est, vt sub nomine funeris veniant quæcumque dantur pro funere, vel in memoriam funeris vsque ad trigesimum diem. Et hæc est opinio. *Fran.* quem recenset *Syluest.v. Canon. portio. n.15. vers. tertia,* & tenuit *Zabar.ad d.Clem. Dudum.* spectato tamen iure scripto. Quod etiam approbat *Barbosa de Parocho cap.25. n.37.* tribuens hoc *Calder.* sed immerito. *Et Antonell.de Regim. Eccl.Epis. lib.1.c.13.n.5.* Hæc vero sententia fundatur in falsa intelligentia *d.Clem. Dudum.* Quia nimirum dicitur, quod quarta detur de omnibus obuentionibus tam funeralibus, quam alijs relictis quomodocumque. Vnde materia quartæ non sunt nisi funeralia, vel legata Ecclesiæ sepulturæ, debuissent vero Paulus, & Card. probare ex iure, quod sub nomine funeralium ad mentem *Clemen.* contineantur quæ dantur post funus pro salute defuncti, & ab eo non legata. Tertius modus dicendi est, vt ad

funeralia

funeralia spectent non quæcumque dãtur quocumque tempore pro defuncto sepulto, sed solum quæ dantur pro funere habendo, vel tunc cum habetur, vel post, in eo tamen casu in quo funeris solemnitas haberi non potuit in die sepulturæ. Et hoc etiam approbant *Barbosa, & Antonellus citati*. Et sic secundum istos sub nomine funeralium veniunt, quæ dantur pro tempore funeris, vel reali, vel ficto fictione iuris, & hæc est sententia Calderini, qui non se limitat ad quantitatem temporis, sed vult quod si solemnitas exequiarum, seu funeris differatur, eo quia non potuit haberi suo tempore, quod tunc illa solemnitas fictione iuris retrohatur, & censeatur facta die depositionis defuncti. Quartus modus dicendi est, vt ad funeralia spectent quæ altero die post depositionem defuncti dantur, si contingat tunc cum solemniori pompa cantari solemnis Missa. Et ita tenet *Barbosa de Parocho cap. 25. nu. 38.* ob quandam declarationem S.Cong.Regul. datam die 3. Aug. 1621. & confirmatam die 30. Maij 1624. Et idem etiam sentiunt *Antonell. d. n. 5. & Lucerna Regal. v. quarta n. 4. & Cespedes dub. 364. n. 11.* Sed quia in casu dictæ declarationis aderat fraus, & solemnitas funeris fuit delata ad diem sequentem in fraudem Parochi prout Parochus ipse probauit, & videre est apud *Lauoriam cap 3. n. 195.* Qui allegata ex vtraque parte litigantium affert; ideo alij non absolute asserunt, quod funeralia se extendant ad alterum diem, sed solum si id fiat in fraudem Parochi. Ita *Samuel de sepult. pag. mihi 120.* Casus enim ille Senis accidit, & cum Eques *Vgo Bentias*. vxoris cadauer sepelire vellet in Ecclesia Prædicatorum, resistente Parocho eo quod Eques ille nolebat eum numerum Presbiterorum vocare, quē Parochus volebat, ipse priuatim vxore sepulta, vt sic Parocho deesset abundans quarta, sequenti die solemnes exequias celebrauit; ea, quæ parauerat pro sepultura Ecclesiæ offerens, & solemni ritu exequias perficiens. Qua fraude comperta, & per Parochum probata, Parocho fuit quarta adiudicata etiam oblationum factarum sequenti die. Alij volunt, quod funeralia non se extendant vltra diem depositionis defuncti. Et hoc expresse affirmat *Lezana v. Quarta. n. 9.* & tenent omnes infra citandi. Alij volunt, quod funeralia dicantur, quæ dantur tempore quo exequiæ celebrantur *Couar. cap. vlt. n. 6. de testam. Molin. p. 2. disp. 215. n. 4.* siue quæ in die funeris offeruntur *Bonac. de contract. disp. 3. q. 22. p. 2. ver. Dixi. Cesped. d. dub. 364. Lauor. tit 2. c. 17. n. 20. Barbos. ad Conc. Trid. sess. 25. c. 13. n. 5. Samuel disp. 3. contr. 10. n. 1. & 4.* Siue vt vult *Lauor. n. 20.* candelæ quæ circa cadauer accenduntur, materia omnis, quæ supra castrum doloris construitur, & omnia quæ cum funere computentur. *Mirand. p. 2. q. 48. a. 8. Bord. res. 51. Petrus Franciscus de Tanduti Saalcg. in quæst. benefic. cap. 88. n. 6.* Sed communis opinio est, vt funeralia dicantur, quæ cum funere deferuntur *l. si quis. §. funeris. ff. de relig. & sumpt. fun. Extrauag. Inter cunctas, de priuil. Gloss. in Clem. Dudum, in v. funeralibus, de sepult. Panorm.* ibi. *n. 40. Petr. de Vbald. de canon. port. cap. 4. n. 16. Medices p. 2. q. 8. a. 5. Azor. p. 2. l. 6. q. seq. 13. n. 13. Bertach. v. Quarta Paroch. Portel. v. Canonica portio. n. 5. Rodriq. p. p. q. 39. a. 2. Caraccia de quarta funer. cap. 3. Gutier. de iuram. confirmat. p. c. 4. num. 3. Io: de Cruce de stat. Relig. p. 2. c. 9. d. 5. Scropha qu. 13. n. 3. Nicol. tom. 1. l. 4. tit. 15. num. 26. ver. limita 7. Tambur. de iure Abb. c. 1. disp. 15. q. 17. n. 4. Bassaus v. quarta. n. 5. Cæsarub. v. quarta. Rota in Eluen. iurium Parochialium coram Queippo, quæ est* 85. apud *Tambur. tom. 3. n. 3.* Omnes vero huiusmodi opiniones concordat *Syluester* distinguens. Nam funeralia dicuntur, vel quia comitantur funus, vel quia dantur causa funeris. Sed consuetudo iam obtinuit, vt quarta detur solum de illis, quæ comitantur funus.

490 Ad huius quæstionis dilucidationem considerandum est diligentius, quid sit funus. Nam funeralia sunt, quæ ad funus spectant, & licet *Card. in Clem. Dudum §. verum. ver. tertio quæro*, cuius verba referunt *Barbosa de Parocho cap. 25. n. 37.* & aliqui alij irrideat ethymologiam funeris desumptam à funibus, & dicat, quod desipit, qui sic sapit nec insistendum esse in hoc scientiæ Grammaticorum. *36. dist. cap. si quis*, tamen bene euidens est ethymologiam nominum vtilissimam esse ad mysteria fidei, & legum mentem intelligendam, vnde tot, ac tanta in decreto desumpta fuerunt ex Isidoro de nominum ethymologia. Et vbi de significato nominum est disputatio, illa ex Gramaticorum dictionarijs etiam est sumenda, quia leges loquuntur vsurpando voces, & terminos in vsitata eorum significatione, & omnino extra propositum allegatur *cap. si quis. 36. dist.* Vbi *Hier.* optime habet, quod non debet quis esse Pontifex verbo, sed opere, sed quid hoc ad rem nostram? Considerandum igitur est, quod funus generalius est, quam exequiæ: est enim tota pompa tam domestica, quam extrinseca, exequiæ vero tantum in via dum funus procedit. Funus quoque proprie dicebatur corpus iam ardens vel incensum; exequiæ dum portatur; Reliquiæ iam crematum, & vstum; traditum vero iam sepultum. Item funus facere, iusta facere, & exequi funus differunt. Nam qui funus indictum pompa funebri præcedente ducit, facit funus. Qui vero sacrificio rite peracto antiquitus glebam objiciebat, iusta facere dicebatur: & qui cadauer prosequebantur, eos exequi funus, exequiasque frequentare veteres dicebant. Modo autem funus totam significat pompam actualis sepelitionis, & in tumulatione cadaueris completur, & perficitur. Vnde est, quod sumptus factus funeris causa est, ille, qui fit vt funus ducatur, & sine quo funus duci non potest.

491 His sic præsuppositis dico primo, quod funeralia nedum non se extendunt per se loquendo ad ea, quæ Ecclesiæ pro defunctis offeruntur post diem sepulturæ, sed neque ad ea, quæ offeruntur in die sepulturæ, sed nec ad ea, quæ offeruntur in tempore sepulturæ, quia hic non tempus oblationis, sed causa oblationis attendi debet, quia sub nomine funeralium non possunt venire nisi quæ dantur ratione funeris, & tanquam spectantia ad exequias, seu officium sepulturæ, & pompam illius. Probatur hoc primo ex *cap. Cum liberam de sepulturis*, ibi. *Et beneficia, quæ occasione sepulturæ ipsius recepisse noscuntur memoratis fratribus cum integritate restituant*. Quarta enim debetur ex illis emolumentis, quæ Ecclesiæ ratione sepulturæ proueniunt, & hæc funeralia sunt, hæc vero de mente *Alex. 3.* sunt, quæ Ecclesia sepulturæ accipit occasione sepulturæ, intuitu sepulturæ nimirum, & ex eo, quod in ea Ecclesia sepultus est defunctus.

functus. Et sic funeralia non ex tempore, quo aliquid datur Ecclesiæ mensuranda sunt, sed ex causa & ita quod illa sola ad funeralia spectant, quæ causa sepulturæ adueniunt. Est enim hic recolendum, quod hæc vox sepultura tripliciter accipitur nimirum pro iure sepeliendi, pro officio, & sepelitione, actione nimirum per quam à domo sua defunctus leuatur, & cum ritu sacro ad Ecclesiam defertur & sepulchro traditur, & tertio pro loco ipso, seu sepulchro in quo aliquis tumulatur, vt ex *S. Raym.* habet *Syl. v. sepultura*, & colligitur ex *cap. quæsta cap. postquam, cap. præcipiendum 13. q. 2. & cap. Abolenda de sepulturis*, hic vero nomine sepulturæ non venit vel ius sepeliendi, vel locus sepulchri, de quo constat nullam dari quartam, sed venit officium actualis sepelitionis, de quo etiam præcipue est sermo in iuribus citatis. Quod etiam clarius habetur ex *Innoc. 3. cap In nostra, de sepult.* ibi. *Quod nisi probauerint, quod S. parochianus prioris, qui fuit interfectus in campis apud ipsos elegerit sepulturam, vniuersa quæ ipsius intuitu receperunt, Priori restituant memorato; alioquin quartam partem tantummodo restituere teneantur. Pro illis vero, quos constat intra annos legitimos decessisse, quæ sepulturæ eorum gratia receperunt, restituant vniuersa.* Hæc sunt igitur funeralia, quæ vel integra restitui debent ab Ecclesia in qua iniuriose fuit sepultus defunctus in alia Ecclesia sepeliendus, vel de quibus soluenda est quarta Parochiali ab Ecclesia quæ iuste defunctum sepeliuit ad se pertinentem, nimirum quæ intuitu sepulturæ, seu quæ gratia sepulturæ recepta sunt ab Ecclesia in qua defunctus extra Parochiam fuit sepultus, & hæc sunt quæ pro sepeliendo, seu pro sepulturæ officio, & pompa, & tanquam spectantia ad funus, ad exequias, ad sepeliendi actum spectant. Et hoc idem ex Iure Ciuili habetur *l. Et si quis. §. 3. & seq. & l. Funeris. ff. de Relig. & sump. fun.* Ex quibus supra probatū est, quod impensæ funeris sunt, quæ fiunt pro corpore sepeliendo, & sine quibus funus duci non posset pro qualitate personæ, & quidquid pro corpore sepeliendo antequā illud sit traditum sepulturæ consumptum est. Certe vero funeralia vltra expensas funeris non se extendunt, nec ad funeris expensas spectant aniuersaria, vel Missæ quæ pro anima defuncti celebrantur, sed funeralia sub expensis funeris numerantur, quia funeralia sunt beneficia, quæ Ecclesiæ sepulturæ adueniunt ex sepulturæ, & funeris intuitu. Et non est hic confundēdus defunctus, vel anima defuncti, cū defuncti sepultura. Quæ enim datur pro anima defū̄cti iā sepulti mortuaria dicuntur. *Vbal. de Canon. p. 2. c. 4. n. 10. Lauor. cap. 17. n. 21.* Sed funeralia ad funus, & sepulturam restricta sunt, & sunt illa quæ ex causa sepulturæ scilicet ex actuali officio, & funere adueniunt, vt hæc sit eorum diffinitio, scilicet, vt funeralia dicantur, & sint beneficia quæ Ecclesiæ sepulturæ intuitu, & causa officij sepeliendi, seu exequiarum, & funeris adueniunt.

492 Maior difficultas est an funeralia in nostro casu, scilicet, de quibus soluenda est quarta comprehendant omnia, quæ ratione funeris adueniunt. Nam funeralia secundum *extrauag.* Inter cunctas de priuilegijs sunt, quæ deferuntur cum funere, At vero multa sunt, quæ cum funere non deferuntur, vt sunt intorticia, quæ in Ecclesia accenduntur circa cadauer, & candelæ quæ accenduntur in altaribus, & alia similia; quæ quidem præparantur ab hæredibus defuncti, sed non deferuntur cum cadauere. Dicitur nihilominus secundo, quod in nostro casu, scilicet vbi agitur de portione funeralium, per funeralia intelliguntur, quæ cum funere deferuntur. Hoc verum esse de facto, seu de consuetudine affirmant DD. supra *n. 489.* citati, sed, & eorum multi censent, hoc esse de iure communi ex vi *Extrauag.* Benedicti XI. Inter cunctas, de priuilegijs, ibi: *Funeralia vero intelliguntur hoc casu, quæ cum funere deferuntur.* Non enim obstat, quod hæc *Extrauag.* fuerit cassata per *Clem. Dudum de sepult.* quoniam hoc intelligi debet quantum ad ea, in quibus *d. Clem.* disposuit contraria dictæ extrauaganti. Alias vero superflue dicta *Extrauag.* esset posita in corpore iuris, & glossaretur à Canonistis si omnino cassata fuisset, & ad nihil prorsus valeret; ideo extrauagans illa communiter allegatur à Canonistis, ex eo, quod sit lex viua in ijs in quibus non est contraria *Clem. Dudum*, & per eam non fuit cassata. At vero *Clem. Dudum* pro hac parte non cassat illam *Extrauagant.* Quia solum dicit, quod detur quarta de funeralibus, & quia candelæ quas deferunt fratres ducentes funus sunt de his, quæ cum funere deferuntur, ideo *Gloss. v. funeralibus*, putat quod ex hac parte cassata sit *d. extrauagant*, quatenus expresse declarauerat de his candelis non deberi quartam, & quod ex in *Clem.* debetur quarta etiam de his candelis, quod & voluit *Panorm. n. 41.* Cæterum quantum ad significationem funeralium eadem *Gloss. & Panorm.* putant eam *extrauag.* non esse reuocatam, & sentiunt funeralia esse, quæ cum funere deferuntur. *Scropha qu. 13. nu. 3.*

493 In hac ergo parte vnum mihi certum videtur scilicet, quod per se loquendo, & præcisa fraude, & accidentali iuris fictione, vt dicam, Funeralia nedum non se extendunt ad 30. dies, & nedum nec ad alterum diem, sed nec ad residuum diei, quod remanet post sepulturam cadaueris, & completum sepeliendi officium, seu actum, & ideo ad funeralia non spectant beneficia, quæ Ecclesiæ sepulturæ adueniunt ex causa aliena à sepultura defuncti, qualis est omnis illa, quæ accidit post sepulturam, & quæ respicit animam defuncti, non vero illius sepeliendi actionem, & ideo sub nomine funeralium minime veniunt, nec aniuersaria, nec tertia, nec septima, nec vigesima, nec trigesima, nec oblationes quæ vel per mensem, vel per annum, vel per aliud tempus singulo die, vel diebus aliquibus determinatis fiunt Ecclesiæ in qua defunctus tumulatus fuit, quia euidens est, quod non fit gratia sepeliendi, vel intuitu sepeliendi, quod fit post sepulturam, nec sub impensis funeris comprehenditur, quod post tumulatum corpus expenditur. *l. Et si quis §. 3. & seq. & l. Funeris ff de Relig. & sumpt. fun.* Alias vero de iure communi portio non debetur Parocho nisi de beneficijs, quæ Ecclesiæ sepulturæ adueniunt intuitu, gratia, & causa sepulturæ. *cap. Cum liberum, cap. In nostra de sepult.* Nec funus durat sepulto defuncto; Et aliud est dare pro defuncti anima, & aliud est dare pro defuncti sepultura, quæ vero dantur post funus. & sepulturam non dantur pro sepultura, sed pro anima defuncti, & ita

sentiunt

sentiunt communiter DD. quos retuli supra n. 489. pro vltima sententia. Imo hæc est sententia communissima à qua nec dissentiunt, *Calderin.* nec Cardinalis Zabarella, nec alij citati ibidem præter forsan aliquos ex antiquissimis Canonistis qui nimis manifeste loquuntur contra iura. Et quamuis cum *Card. Zabar.* & aliquibus alijs possit esse dissensio quantum ad rationem, quia ille velit, quod si ius scriptum consideremus funeralia se extendant vltra diem funeris, tamen & ipse fatetur hoc non habere locum de consuetudine, & quidquid ille in contrarium senserit, constat nec habere locum de iure.

494 Fateor quidem, quod fraus habet vim extendendi funeralia, seu quod ad funeralia spectant, quæ in fraudem dilata sunt post diem funeris; fraus enim in hac materia funeralium præcipue fraudolento non patrocinatur, & habetur *cap. In nostra de sepulturis. Et Clem. Dudum, eod. tit.* Ideo si in fraudem differantur expensæ funeris post sepulturam, quarta nihilominus debetur Parocho, vt in casu supra relato declarauit S. Cong. Episcoporum, & Regularium 3. August. 1621. & 30. Maij 1624. Si etiam non in fraudem, sed ex necessitate aliqua pompa funeris differatur, vt in casu à *Calder.* examinato, quia tunc fictione iuris censetur haberi funus, quando pompa funeris habetur, quia proprio die haberi non potuit, rationabile videtur, quod quarta Parocho debeatur. Sed hic videndum est, an id quod offertur, & recipitur habeatur tanquam suffragium defuncti, vel tanquam funus, & loco funeris, si enim habetur titulo Tertij, vel septimi, vel vigesimi, vel trigesimi, vel anniuersarij cuiuscumque, vel pro memoria defuncti nulla quarta debetur, vt constat ex *cap. Final. de testamen.* Ideo quidquid in contrarium dixerint *Laurent. de Franchis p. 2. q. 70. & Lauor. cap. 3. n. 192. & cap. 17. n. 29.* Quando sepulto Rege, vel Principe in Ecclesijs sui Regni, vel alibi à subditis, vel amicis celebrantur officia mortuorum nulla debetur quarta alicui. *Pasqualig. ad Laurent. q. 70.* Nam quarta debetur ab Ecclesia sepulturæ, illæ vero Ecclesiæ non sunt Ecclesiæ in quibus defunctus fuerit sepultus. Et præterea cui Ecclesiæ debebitur quarta? Non illi intra cuius fines est Ecclesia illa in qua officia celebrantur, quia illa Parochialis, non est Parochialis defuncti, quarta vero debetur Parochiali à qua defunctus assumitur *cap. Certificari, de sepult. & Clem. Dudum, ead. tit.* Sed neque quarta debetur Parochiali ipsius Regis existente in alia ciuitate: Etenim certe nullus dixerit, quod cum v.g. Romæ in morte Imperatoris, vel alicuius Catholici Regis celebrantur officia mortuorum pro anima defuncti ex gratitudine, & pietate Ecclesiæ in qua huiusmodi officia fiunt, teneantur mittere quartam extra Romam in Germaniam, vel Galliam, vel Hispaniam ad Parochialem Regis defuncti. Et ratio est, quia huiusmodi non sunt Ecclesiæ in quibus sit tumulatus defunctus, nec fiunt hæc pro funere, sed pro anima defuncti, & huiusmodi officia sunt tanquam anniuersaria quæ pro anima defuncti celebrantur, & non sunt funeralia proprie, sed mortuaria; si tamen contingeret, quod solemnitas funeris intra eandem Ciuitatem fieret in aliqua Ecclesia alia ab Ecclesia sepulturæ, & vsus esset, quod Parocho daretur quarta de omnibus ceris, quæ in funere accenduntur, deberetur quarta de ceris in alia Ecclesia ab Ecclesia sepulturæ accensis, quia tunc illud funus haberetur, ac si esset factū in Ecclesia sepulturæ, & Parocho tali debetur quarta de cereis funeralibus. Cæterum vbi funus habetur in vna Ecclesia, si in alia mortuaria habeātur cum quacumque solemnitate, nulla quarta debetur Parocho; quia non habet ius nisi ad quartam eorum, quæ cum funere deferuntur. Non placet etiam modus loquendi. *Nicoly. p. 1. l. 4. tit. 15. n. 26. ampl. 5.* dicentis quartam deberi de exequijs, quæ fiunt post sepultum corpus si contingat defunctum sepultum esse cum minus competentibus exequijs, & ad hoc probandum refert decretum S. Cong. supra relatum. Nam vbi non sit fraus, non est liganda libertas hæredum, quin ad libitum expendant in funeribus quantum volunt, nisi ad expensas ex aliqua obligatione teneantur, & sic obligationi suæ deficiant, si minus expendantur.

495 Certum mihi est secundo ad funeralia pertinere illa omnia, quæ cum funere deferuntur, si tamen sint beneficia Ecclesiæ in qua sepelitur defunctus; si enim aliquid defertur, quod tamen non remanet Ecclesiæ, sed restituitur hæredi, proculdubio de eo nulla quarta debetur; quia Ecclesia sepulturæ nullam quartam debet de eo, quod de iure ad se non spectat. Et vt habetur ex *cap. Non liberum, & cap. In nostra, de sepult. funeralia* de quibus debetur quarta sunt beneficia, quæ obueniunt Ecclesiæ ratione sepulturæ. Cæterum de quocumque eo, quod remanet Ecclesiæ intuitu sepulturæ, & delatum fuit cum funere debetur quarta, siue sint intertitia, aut candelæ, *Petr. de Vbald. p. 2. c. 4. nu. 10. Caracsia de quarta. cap. 3. Barbosa de Parocho cap. 37. n. 41.* & de armis, bandetijs, equis, lecto, vestibus sacerdotalibus, Virginitatis, militiæ, signis graduum, calice, armis, libris, ornamentis, anulis, armillis, culcitris, seu pallij pannis sericis, quæ in feretro deferuntur *Petr. de Vbald. d. c. 4. n. 10. Oldrad. cons. 21. n. 7. cap. in nostra, de sepul. & cap. Cum inter de verb. significat.* Et vniuersaliter de omnibus quæ Ecclesiæ sepulturæ dantur, & cum funere deferuntur. *Syluest. v. Canonica portio. n. 5. Tabien. nu. 12. Med. p. 2. q. 8. n. 2. Lauor. c. 17. 18. Barbosa de Parocho cap. 27. n. 44.* Romæ autem teste *Lauor. d. c. 17. n. 23.* practicatur, quod Parochi paciscuntur cum hæredibus pro determinata pecuniæ quantitate pro culcitris, & alijs, quæ in funeribus deferuntur. Non vero interest, quod huiusmodi oblata pro funere, & cum funere delata, sint oblata ab hæredibus, vel ab extraneis, aut sponte dantibus; sed de quibuscumque quarta debetur, comprehenduntur enim sub beneficijs funeralibus. *Med. p. 2. q. 8. n. 5. Lauor. d. cap. 17. n. 24.*

496 Excipiuntur autem aliqua, nimirum primo candelæ, quæ dantur in manibus fratrum. Has enim primo excepit *Bened. XI. in extrauag. Inter cunctas,* & licet illam *extrauag. cassauerit Clem. 5. in d. Clem. Dudum*, ex cuius vi quartam huiusmodi candelis esse dandam dixerunt *Gloss. & Panormitanus, Calder. consil. fin. de sepul. & Feder. de Senis cons. 4. n. 8. & Cardin.* absolute voluit, quod de omnibus, quæ offeruntur debeatur quarta. In contrarium tamen est, quod istæ oblationes videntur esse personales, debetur vero quarta de solis beneficijs quæ Ecclesiæ adueniunt, sed obstat, quod

Eccle-

Ecclesiæ acquirit, quidquid acquirit Religiosus, vnde & huiusmodi candelæ sunt Ecclesiæ. Nihilominus dicitur, quod de huiusmodi candelis non debetur quarta quia post *Concilium Vienen. & Clem.* 5. Sixtus Quartus in Mari Magno expresse hoc declarauit, & consuetudine iugi vsque ad hæc tempora id obseruatum fuit, vnde hæc quarta non debetur, *Rodriq.p.2.q.39. a.2. Caracc.de quarta cap. 3. Hier.à sorbo in compend.priuileg. v. Canonica portio. Syluest.v. Canonica portio in fine, Lezana ad M. Magnum Prædicat.n.137.& v.quarta n.7.Bonac.de contract.d.3.q. 12.p.2. Cespedes dub. 364. n.5. Nicolius p.1.lib 4.tit.15.n.26.limit.11. Bordon. resol.51. n.18. Samuel de sepul.disp. 3.contr. 10.n.6. Petrus Franciscus de Tonduti Sauligier in quæst.benefic. cap. 88. n.4. Barbosa de Parocho cap.25.n.39.Præfect.p.2. cap.3.de visit. Regular. §. Funeralium. Lauor.cap.3.num.178. Scropha.q.13.n.8. Pasqual.ad* Laurer.p.1.n.29.

497 Secundo limitatur, vt nec quarta debeatur de intorsitijs, & ceris Confraternitatum secularium funera associantium. Sic enim declarauit S. Cong.Episcop. die 15. Martij 1616. vt refert *Barb. d.c.25.n.40.* Et idem de intorsticijs, quæ portantur à locis pijs ad associandum pauperes personas ad sepulturam, dicit fuisse resolutum ab eadem S.Cōg. in Fulginaten. 11. Mar. 1578. & Polignanen. 21. Aug. 1606. *Nicolius p.1. lib. 4. titulo 15. num. 26. limit.* 2. dummodo non adsit aliqua fraus, in Firm. 15. Mar. 1616. Sed aduertendum, quod sensus harum declarationum, est quod horum nihil remaneat Ecclesiæ sepulturæ, si Confraternitates, & loca pia de suo adhibēt sine fraude huiusmodi intorsitia, ideo nec Parochus potest sibi retinere residuum harum cerarum si defunctus in Parochiali sepeliatur, nec id possunt facere aliæ Ecclesiæ, vnde nihil mirū si non detrahitur quarta, quia huiusmodi non remanent Ecclesiæ sepulturæ, sed proprijs dominis.

498 Difficultas remanet de illis beneficijs quæ Ecclesiæ sepulturæ remanent ratione sepulturæ, & non deferuntur cum funere. Vt sunt intorsitia, quæ intra Ecclesiam parantur, & circa cadauer accenduntur, vel etiam candelæ, quæ in altaribus Ecclesiæ tempore funeris accenduntur, vel etiam, quod dicitur castrum doloris vbi defunctus exponitur. Hæc enim ad funus pertinent, & ratione sepulturæ proueniunt Ecclesiæ. Vnde inspecto iure antiquiori *cap. Cum liberum, & cap. In nostra de sepult.* dicendum esset, quod de his etiam quarta deberetur. Et ita *Card. Zabarella in d.Clem. Dudum, §.verum n. 7.* dixit consuetudine esse introductum, vt non detur quarta nisi de his quæ cum funere deferuntur, vel quæ offeruntur dum funus est in Ecclesia. Nihilominus dico tria Primo, quod cū sententia Cardinalis potest conciliari sententia, quæ per funeralia accipit ea, quæ cum funere deferuntur. Quia cum funus importet pompam exequiarum, vt n.490. dictum est, vel etiam vsurpari possit pro exequijs ipsis, seu pro actione ipsa sepeliendi, totum illud dici potest deferri cum funere, quod defertur tanquam spectans ad exequiarum pompam, seu ad actionem ipsam sepeliendi perficiendam, siue hoc deferatur simul cum cadauere, siue ante in Ecclesia sit præparatum. Et hoc est comitari funus, vt vult *Syluester v.Canonica portio.n.15.v.Tertia,* & est conforme *Rodriq.t.1.q.39 a.2, Mirand.t. 2. q.48.a.8. Tambur.t.1.d.15. q.17.n.4.* Et alij, qui inter vtrumque modum dicendi non ponunt discrimen, sed vtrumque amplectuntur. Et sic accipitur verbum funeralia in proprio statu quia nequit negari, quod ad funus non pertineat, & non debeat dici funerale quidquid per se ad funeris pompam, seu ad actionem sepulturæ spectat. Verumtamen additur secundo, quod non potest negari quin huiusmodi interpretatio vim aliquam faciat significationi huius verbi *deferuntur*, Funus enim dicitur à domo defuncti ad Ecclesiam, & ideo illud dicitur deferri cum funere, quod à domo defuncti ad Ecclesiam vna cum cadauere defertur. Et hoc est concomitari funus, vt vult *Syluester loco citato, & in fine d.n.15.* Et hunc sensum accepit Pius Quintus, in *Constit. 41. Etsi mendicantium §. 11, & in const. Ad hoc §. 10.* vt infra expendo. Et in hoc sensu funeralia explicauit *Rota in d. Elnen.* Iurium Parochialium admittens explicationem statutam per Pium Quintum, *Caraccia de quarta, cap.3. Bordon.resol.51. n.19. & sequent. Bassaus Quarta n. 5, Io: à Cruce par.2. cap.9. dub.5. concl.3. Peregrinus in Compend. priuileg. Theat.v. Canonica portio in schol.ver.* Post Concilium *Med.p.1.q.8. n.5. Scropha q.13.a num.3.* Quamobrem dico tertio, In hoc standum esse consuetudini locorum, quamuis enim germanior sensus iuris statuti per Benedictum XI. & eorum qui dixerunt funeralia esse, quæ deferuntur cum funere sit; vt quarta debeatur de his, quæ deferuntur iuxta corpus defuncti. Tamen aduertendum est, quod multorum locorum consuetudo cum sit, vt pompa funeris celebretur intra Ecclesiam, & nihil fere deferatur cum corpore defuncti, quod secreto, & priuatim defertur ad Ecclesiam, in magnum præiudicium Parochorum esset, si in istis locis de solis ijs, quæ cum corpore deferuntur solueretur quarta. Standum est ergo consuetudini locorum, & vbi sit dubium consulenda est Sacra Concilij Congregatio.

499 Hinc patet quid dicendum sit de ijs, quæ dantur pro missis celebrandis pro defuncto. Quartam enim deberi de huiusmodi emolumentis dixit *Barbos.d.cap. 25. n.43.* plures citans, qui loquuntur de legatis pro missis dicendis, non vero de missis manualibus quæ pro defuncto celebrantur; & quidem si huiusmodi missæ non celebrantur à Sacerdotibus Ecclesiæ sepulturæ, sed ab exteris, certum est nullam quartam deberi, quia emolumenta consequentia non sunt beneficia Ecclesiæ sepulturæ, sed exterorum, quarta vero debetur de beneficijs Ecclesiæ sepulturæ obuenientibus ratione funeris. Inde est, quod nec quarta debetur de emolumentis Missarum, quæ non spectant ad funus, quia vel alio die celebrātur missæ, vel extra tempus funeris, vt v.g. de mane, cum funus habeatur de sero, vnde illa non spectant ad funus, & nihilominus dicitur, quod de emolumentis missarum non debetur quarta, quia huiusmodi emolumēta nō sunt de illis, quæ cum funere deferuntur, & quia sic habet consuetudo vniuersalis; & quia ista sunt potius emolumenta personalia debita sacerdoti celebranti in eius sustentationem; & talia, quæ ex vi decreti de celebratione missarum non possunt diuidi, sed integra debent dari celebranti & quia celebratio missarum per accidens est annexa funeri, vnde nec proprie spectat ad funus, nec venit sub nomine funeralium.

vnde

vnde de emolumentis Missarum, quæ celebrantur in die funeris, & simul cum funere non debetur aliqua quarta. *Mirand.d.q.48 a.7.& 8. Bord. ref.§1.n. 23. Samuel disp.4.contr.2 Bonac.de contr.disp.3.q.2x. p.2.* Similiter non deberi quartam de datis pro cantu officij in choro, quia hoc stipendium est, & debitum solis cantantibus, voluit idem *Bordon. d.nu. 33.* Huius vero rationem esse existimo, quia huiusmodi personalia sunt, sicut & eleemosinæ quæ dantur pro associando funere; quæ respondent labori personali. Nec proprie ista spectant ad funus, sed ad agentes ipsum funus, & proprio labore ad illud cooperantes. Non vero est confundenda causa cum effectu, Nec funerale est, quod causat funus, seu ad illud operatur, sed id quod est pro parte sua materialiter integrans funeris pompam.

500 Sic ergo concluditur, quod funeralia quantum ad effectum, vt de eis soluatur quarta, & de iure ex generali consuetudine non sunt nisi, quæ deferuntur cum funere, seu cum funere offeruntur quamuis in hoc seruandæ sint leges speciales, & consuetudines vbi sunt.

501 In Vrbe enim est speciale decretum per quod statuitur, vt Parocho detur nedum quarta, sed medietas omnium intorstitiorum, cereorum, & candelarum, nedum quæ per viam deferuntur, sed etiam eorum, quæ accenduntur in Ecclesia circa cadauer antequam illud sepulturæ tradatur, quod decretum datum fuit à S. Cong. Visitationis die 5. Octobris 1629. illudque per extensum refert *Pasqual.g.ad Lauret.de Franch.p.1.n.29.* Circa quod nonnulla tamen animaduertit, nimirum primo, quod sub dicto decreto non comprehenduntur candelæ, quæ dantur ad manus Religiosorum pro tumulo, & manibus portant associantes corpus defuncti. Tum quia illud decretum harum non meminit. Tum quia de iure communi sit, quod non soluatur quarta de his candelis cum sit eleemosina personalis, & ita disponit *Benedictus XI. in extrau. Inter cunctas, de priuileg.* Tum quia S.Congreg. die 5. Martij 1616. prout refert *Barbosa l.3.de iure Eccles.cap.24.n.29.* declarauit non deberi quartam de cereis, & intorstitijs, quæ portant Confraternitates associantes funera. Tum quia, & absolute, quod de huiusmodi candelis non debeatur quarta docent communiter DD. vt dictum est supra n.496.

502 Considerat secundo *Pasqual.* quod in vi dicti decreti, nec debetur quarta de candelis, quæ accenduntur tempore funeris in altaribus. Quia ex vi decreti medietas debetur de ijs, quæ accenduntur circa cadauer dictio vero circa, idem significat, quod prope, vt in *l.Rutilia ff.de contrahend. empt.* & propterea stat restrictiue ad illos cereos, seu intorstitia, quæ sunt prope cadauer. Tum secundo, quia hoc decretum disponit de funeralibus, At vero sub nomine funeralium non veniunt cerei accensi in Altaribus, sed ea quæ cum funere deferuntur. Nec obstat, quod dictum decretum procedat de cereis, quæ accenduntur pro celebrandis diuinis officijs, quia hoc non dicit absolute, sed cum dictione *huiusmodi*, quæ refert præcedentia, vt dixit *Gloss.in cap. Nemo. v. huiusmodi, de elect.in 6. Rota dec.373.n.6. p.2. & dec.194.n.34.& 35.p.5.recent.* prius vero dictum decretum disposuerat portionem deberi de ijs, quæ accenduntur circa cadauer. Sed hæc non probant; quæ enim accenduntur in altaribus existente cadauere in Ecclesia non sunt, tam distantia à cadauere, vt non possit dici etiam esse circa cadauer. Et propterea, vt refert *Nicolius tom.1 lib.4. tit. 15. n. 26. vers. Et de candelis*, fuit Romæ decisum pro Parochis, vt debeatur portio etiam de candelis, quæ accenduntur in altari, die 10. Decembris 1650. & 2. Aug. 1651.

503 Decretum tamen præfatum est speciale pro Vrbe, & habuit fundamentum ex peculiari consuetudine Vrbis, in qua cadauera præcipue Cardinalium, & Principum, & Prælatorum solent secreto deferri ad Ecclesiam, in qua postea cum solemnitate exponitur cadauer, & fiunt exequiæ solemniter accensis quam pluribus intorstitijs circa cadauer, & candelis in altaribus Ecclesiæ. Vnde si Parochis deberetur sola portio eius ceræ, quæ defertur in via circa cadauer, nihil fere ad illum pertineret, cum cadauera cum duobus intorstitijs secreto ad Ecclesiam deportentur; ideo decretum fuit primo per Congregationem DD. Præfectorum habitam coram Card. Millino, vt deberetur portio etiam de cereis, quæ in Ecclesia accenduntur circa cadauer, & decretum hoc fuit approbatum à Summo Pontifice Vrbano Octauo, qui etiam mandauit illud seruari omni appellatione remota, & ita etiam seruatur. Quod vero decretum fuit dari non quartam partem, sed medietatem, fuit fundatum in consuetudine Vrbis, cum alias in terminis *Clem. Dudum. de sepult.* sola debeatur quarta, ex vi vero Decretalis *Certificari, de sepult.* in hoc standum sit consuetudini. Antiquissimam vero consuetudinem Vrbis fuisse, vt pro quarta dent Parocho dimidium totius ceræ, habetur ex statutis Cleri editis sub *Eminent.Card.Millino cap.4.§.2. & ex antiquioribus cap.24.* Decretum igitur istud locum non habet extra Vrbem, nisi vbi S. Congregatio illud extenderit ex identitate rationis, vel speciali aliqua ratione, sicut refert *Nicolius vbi supra*, decretum fuisse, vt debeatur quarta de intorstitijs, & ceris quæ accenduntur in Ecclesia antequam sepeliatur cadauer per S. Cong. Episc. 1628. S. Agostino 9. Iunij, & 1641. Conuentuali 19 Iulij, & per S. Coug. Conc. in Eugab. 3. Aug. 1658. & Vicentina 9 Nouemb. 1658. Sed & huiusmodi determinationes fuerunt locales, nec ex eis vniuersalis regula desumi potest.

504 Quæritur quarto de quibus legatis ex iure communi antiquo solui debuisset quarta Parochialis? Dicitur vero primo, quod spectato iure communi antiquo Parochiali debetur quarta Canonica de legatis à testatore factis ad fauorem Ecclesiæ illius in qua sibi elegit sepulturam. *cap.1.& cap. de his, & cap. Cum super de sepult.* Benedictus vero XI. in extrauaganti inter cunctas de priuilegijs exemit Prædicatores, & Minores omnino à solutione quartæ legatorum, Derogans in hoc Constit. super Cathedram Bonif. Octaui, de sepulturis. Sed Clem. 5. in Concilio Vienen. cassata Constit. Benedicti XI. innouataque Constit. Bonifacij Octaui in *Clem. Dudum, de sepulturis*, iterum voluit, vt Prædicatores, & Minores tenerentur soluere quartam de omnibus legatis factis ad fauorem eorum à quibuslibet eligentibus sepulturam in eorum Ecclesijs. Et sic indubitatum est, quod ex iure communi scripto Regulares tenebantur soluere quartam de legatis factis ad illorum fauoré, ab illis, qui in eorum Ecclesijs sepeliendi erant. Et ita quod

ex in d. *Clementina* soluenda fuisset quarta etiam de legatis ad vsum priuilegiatum, & ita, quod etiam si v. g. prædium relictum fuisset in alia diœcesi de eo nihilominus soluenda fuisset quarta *Med. q.11. n.17.*

505 Ita vero extendebatur primo præcipue ex vi *dictæ Clementinæ* vt quarta deberetur de donatis causa mortis. *Panorm. in d. Clem. n.44. Syluest. v. Canon. portio, n.15. ver. sexta. Med. p.2. q.8. n.2. Lauor. cap.17. n.18. Barbos. de Parocho cap.25. n.44.* Quod extenditur, vt sit verum etiam de donatis in vltima infirmitate ex qua donans decessit. *Panorm. vbi supra.* Et extendebatur ad donata etiam particularibus fratribus pro eorum particulari commoditate, quia quod particularibus Religiosis, donatur acquiritur Monasterio. *Panorm. & Syl. loco citato ex Paul. Io. de lignan. & Franc. Barbosa d. n.44. ex Feder. de Senis cum cons.4. num.4. Gemin. cons.46.* Etiam si qui donant particularibus fratribus essent consanguinei. De quo tamen *Panorm.* inquit, quod maior est dubium, & remittit lectorem ad *Io. de ligu. & Oldradum*, Sed de hoc est sermo infra.

506 Secundo extendebatur, vt quarta deberetur etiam de relictis ratione institutionis. *Io. And. in cap.2. de sepult.* vbi *Panorm. n.7. Syluest. v. Canonica portio n.9. q.11. Med. q.8 n.2. Lauor. c.17. n.18. Barbos. de Parocho c.25. n.50.*

507 Tertio extendebatur, vt quarta deberetur etiam de legatis factis pro missis dicendis *Syluest. vbi sup. n.9. q.10.* vbi quod ob hanc causam debebatur quarta etiam *Epis. cap. Cum inter vos, de verb. signif. Med. p.2. q.8. n.2. Tabien. v. Canonica portio n.11. Lau. cap.17. n.18. Barb. de Parocho c.26. n.43. & de potest. Epis. alleg.46. n.20.* Et hoc extendebatur etiam si legatum esset factum pro succursu Ecclesiæ secundum *Med q.8. n.2. Lauor. cap. 17. n.25.* seu pro construenda Capella in Ecclesia *Syluest. nu.15. ver. secunda, & ver. sexta. Med. q.8. n.6. Lauor. nu.26.* post *Vbald. de Can. port. cap.4. n.23. Barbosa d. cap. 25. n.52.* Imo si legatum esset factum ad vsum pium determinatum, ita quod per *d. Clem.* esset derogatum *cap. Final. de Testam. Panorm. ibid. n.41. Conar. in cap. vlt. n.6 de testam.* Et hoc expendit *Lauor. d. n.25.* vt esset verum etiam si legantes apud Fratres non elegissent sepulturam. *cap.1. de sepult. extrauag. super Cathedram §. huiusmodi de sepult.* Ex quo deducit quartam debitam fuisse si quis reliquisset ædificari Monasterium Monialium. Sed hoc est contra sententiam communem DD. vt magis infra probatur, nec habet fundamentum in locis citatis, quia in illis aperte sermo est de relictis ratione sepulturæ electæ, & cuius eligendi data fuit facultas libera, cum hoc tamen, quod Ecclesiæ Parochiali detur quarta emolumentorum susceptorum ratione sepulturæ ab Ecclesia in qua defunctus fuit sepultus. Hoc etiam extendit *Tuscus l. Q. conc.28. n.20. & 21.* Vt si v. g. testator relinquit legatum pro celebrandis missis in Ecclesia S. Antonij, si illæ Missæ celebrentur per Fratres Minores debeatur quarta, quia videtur factum in fraudem, sed certe si de hoc nihil testator disposuit, sed ex libertate Rectoris S. Antonij vocentur fratres Minores, nulla est hic occasio fraudis, si vero testator ipse, qui elegit sepulturam in Ecclesia Minorum disponat, vt in Ecclesia S. Antonij ijdem Minores celebrent Missas in ea Ecclesia celebrandas ex eius testamento, censeri posset hoc factum in fraudem. Quod vero dicitur de relicto pro missis, aut pro erigenda capella debeatur quarta ita intelligunt Cardinalis in *d. Clem. Dudum §. Verum fuisset n.12. & Tuscus lit. Q. concl.28. à n.11.* vt quarta solui debeat, etiam si ea detracta de residuo non possit impleri opus à testatore relictum. Sed hoc vere nimis durum est, & contrarium voluisse *Oldradum cons.306. alias. 4. alias 226.* refert idem Card.

508 Quarto extendebatur, vt deberetur quarta etiam de datis mediate, & ita quod si testator reliquisset executorem, & is dedisset aliquid Fratribus illius Ecclesiæ in qua testator elegit sepulturam de ijs debita fuisset quarta. Nimirum vel si datus fuisset frater aliquis executor ad distribuendam certam summam pro suo arbitrio, & ipse distribuisset in fratres, tunc debita fuisset quarta secundum declarationem Bonif. VIII. quam refert *Gloss. Io. Andr. Panor. num.38.* Item debita fuisset quarta si decedens nihil reliquisset fratribus, sed mandasset executoribus, vt eis darent aliquid, vel promitterent secundum *Gloss. Zabar. & Paul.* Ita *Syluest. v. Canonica portio n.15. vers. secunda. Barbosa de Par. c.25. n.50.*

509 Quinto extendebatur, vt quarta deberetur vniuersaliter de omnibus relictis Ecclesiæ sepulturæ, siue spectent ad vsum pium, siue ad vsum profanum, vt ad victum, & vestitum. *Paul.* quem sequitur *Sylu.* vbi supra. *Med. p.2. q.8. n.6. Barbosa de Parocho cap.25. n.51.*

510 Hæc tamen omnia non verificabantur respectu singulorum, sed solum respectu eorum, qui sub prohibitione dictæ Clementinæ continebantur.

511 Quæritur quinto in quibus casibus de iure communi antiquo non erat soluenda quarta Canonica? Respondetur, quod Regula data in superiori quæstione, quod scilicet ab Ecclesia sepulturæ soluenda esset quarta de omnibus legatis quam plures patiebatur limitationes.

512 Primo enim limitatur, quia quantum ad rigorem *d. Clemen.* non se extendebat nisi ad quatuor ordines mendicantiũ. Nã *d. Clẽ. Dudũ de sepult.* non comprehendit directe, & primo nisi fratres Prædicatores, & Minores, quia cum aduersetur in parte iuri communi illudque restringat dum decernit, vt nec habeat locum *cap. final. de testament.* sed quarta tribuenda sit etiam de relictis ad vsum priuilegiatũ, ideo iuxta *cap. Constitutionem de regular. & regul. quæ à iure l. 6.* stricte intelligenda est, & limitate de Prædicatoribus, & Minoribus quos solos expresse nominat, dixerunt *Glossa ad d. Clement. in verb. in iure. Panorm. ibid n.41. Syluest. in verb. Canonica portio. n.15. vers.4.* Quod, & tradit *Card. Zabarella ad d. Clement.* quamuis referat, quod Clemens Quintus extendit eam ad Eremitas, & *Io. 22. ad Carmelitas.* Sed de hoc loquar etiam infra.

513 Secundo limitatur, vt standum sit consuetudini, & cesset obligatio quartæ non obstante vel iure communi Decretalium, vel Clementinæ dudum vbi consuetudo legitime præscripta viget eam non soluendi. Hoc enim expresse decernitur in *cap. de quarta, de præscript.* Vbi etiam decernitur, quod sufficiat præscriptio quadragenaria. Et quod per consuetudinem legitime præscriptam tollatur

om-

obligatio quartæ expresse etiam declaratum fuit per *Concil. Trid. sess. 25. cap. 13.* & docuerunt *Sylues. v. Canonica portio n. 8. Tabien. n. 11. Med. q. 12. nu. 1. Lauor. cap. 17. n. 47. Lezana. v. quarta. n. 10. Rota dec. 814. n. 3. par. 6. recen.* Et interim sufficit nobis, quod per consuetudinem legitime præscriptam tollitur obligatio quartæ, quod etiam expresse declaratum fuit per *Concil. Tridentinum sess. 25. cap. 13.* & docuerunt *Syl. v. Canonica portio n. 8. Tabien. n. 11. Armill. n. 14. Med. q. 12. nu. 1. Lauor. cap. 17. nu. 47. Lezana v. quarta. n. 10. Rota decis. 334. n. 3. par. 6. recent.*

514 Tertio limitatur generalis regula, quia nõ debet solui quarta ab illis, qui habent priuilegium non soluendi. *Syl. v. Canonica portio n. 8. Tabien. n. 11. Med. q. 12. n. 3. Lauor. cap. 17. n. 48. Lezana. v. quarta n. 10. Barbosa de Parocha c. 25. n. 7. & 52.* Sed qui sint qui habent priuilegium non soluendi, dicetur infra.

515 Quarto limitatur, vt præcisa etiam consuetudine, vel priuilegio quarta non deberetur, nec debeatur de relictis ad vsum priuilegiatum, de hoc enim sic disposuit *cap. fin. de testamen. De his, quæ in ornamentis, vel præteri, seu fabrica, luminarijs, anniuersaria, septimo, vigesimo, trigesimo die, siue alijs ad perpetuum cultum diuinum legantur Ecclesijs, vel reliquis pijs locis Canonica portio (dummodo in fraudem non fiat, vt ea Episcopus, vel Parochialis Ecclesia debeat defraudari) deduci non debet.* Ac propterea hoc tradunt DD. communiter ad illud *cap. & præt. Syluest. v. Canonica portio n. 8. Tabien. n. 11. Med. p. 2. q. 12. n. 5. Lauor. c. 17. n. 50. Lezana. v. quarta n. 10. Barbosa de Parocho cap. 25. n. 47. & 52. Bonac. de contrac. d. 3. q. 22. a. 2. Samuel d. contr. 2. n. 33. Ant. à Spir. S. tr. 2. d. 3. n. 132. Pasqual. ad Laur. de Franc. p. 2. q. 84. n. 2. Nicolini p. 1 lib. 4. tit. 15. n. 26. lim. 1. Tuscus l. Q. conc. 27.* Quamuis ex vi *Clem. Dudum de sepult. § Verum.* vt etiam supra dictum fuit, hoc non habeat locum in Prædicatoribus, & Minoribus, Augustin. & Carmelit. nisi pro quanto illos iuuet, vel consuetudo, vel priuilegium posterius illa *Clementina.* Ex vi igitur *d. cap. fin.* primo non debetur quarta de relictis pro luminarijs, aut ornamentis Ecclesiæ, vt pro lampade ante altare, pro vestibus sacerdotalibus, pro ornamentis altaris, & quibuscumque alijs quæ ad ornatum, vel ad perpetuum Dei cultum pertinent. *Rota dec 726. coram Seraph.* Vbi etiam docet quid dicendum vbi legatum factum sit indeterminatum, seu factum ad vsus pios indefinite, si testamenti executor huiusmodi distribuerit in vsum priuilegiatum In terminis *d. cap. finalis* nulla quarta de tali legato debetur. *d. cap. final. & cap. ex parte de testam. Couar. vbi supra n. 7.* si vero distributio facta fuerit in vsum pium non priuilegiatum quarta debetur. Distributio enim executoris censetur facta à testatore *l. vnum ex familia §. 1. vbi supra Bart. & DD.* de leg. 1. ideo vbi distributor distribuit legatum in vsum priuilegiatum idem est, ac si fuisset determinate ad eum vsum legatum à testatore.

516 De legato autem facto pro restauratione Ecclesiæ dubitant DD. in casu, quod Ecclesia non indigeat reparatione. Tunc enim deberi quartam dixerunt *Hostien. Io. Andr. Anchar. in d. cap. vlt. de testam.* vbi *Couar. n. 5.* existimat esse magis communem opinionem, cui accessit *Sylu. v. Canonica portio n. 9.* tenuit *Barbosa de Parocha cap. 25. nu. 25.* Sed negarunt *Goffred. Card. Barbat.* & ipse *Couar.* per textum in *cap. Nobis 12. q. 2.* quia legatum Ecclesia non indigente seruandum est in futuram Ecclesiæ restaurationem. Sed *Rota d. dec. 726.* dixit attendendam esse formam legati. Nam si testator vult statim, vel in singulos annos solui aliquid pro restauratione Ecclesiæ, quæ reparatione non indigeat, tunc seruari poterit communis sententia: si vero legat pro restauratione Ecclesiæ quoties ea indigebit, tunc seruanda erit opposita sententia. Sed puto absolute veram esse secundam sententiam negantem deberi quartam de legato facto pro restauratione Ecclesiæ, quia textus absolute loquitur, & quia etiam sæpius contingit, quod relictum pro restauratione non sufficiat nisi tempore non indigentiæ consequetur, & accumuletur pro tempore necessitatis. Tum quia relictum pro restauratione est deputatum ad illum vsum, qui est priuilegiatus, nec debebit in alium vsum conuerti, sed reseruari in futuram restaurationem. Hoc tamen etiam est limitandum, vt non procedat si legatum in specie factum est pro restauratione, & euidens est quantitatem legatam excedere necessitatem restaurationis, etiam in futurum tunc enim censendum esset hoc factum in fraudem, & ideo de tali legato detrahetur quarta. *Pasqual. ad Laur. de Franch p. 2. qu. 84. n. 4.* Vbi quod si legatum absolute sit factum pro fabrica, quamuis Ecclesia videatur complete fabricata, non dabitur quarta, quia semper remanet fabricandum ad Ecclesiam meliorandam, & ornandam. Cum vero de legato ad Ecclesiæ restaurationem non debeatur quarta multo minus illa debetur de legato facto pro fabricanda Ecclesia, vel Capella, *Rota d. dec. 726. nu. 3. Tuscus l. Q. conc. 28. n. 29.* quia & huiusmodi legatum est ad cultum Dei perpetuum. Quamobrem DD. qui supra nu. 507. dixerunt legatum deberi de legato facto pro construenda capella intelligi debent, vt loquantur in terminis *Clementina Dudum de sepult.* quæ derogat dispositioni *d. cap. fin. de sepult.* Sed tamen ipsa non comprehendit omnes, sed solum Prædicatores, & Minores, Augustinianos, & Carmelitas. Et ideo hoc non habere locum in seruitis, sed ab eis non deberi quartam de relictis pro fabrica Ecclesiæ adnotauit *Tuscus. l. Q. conc. 28. n. 30.*

517 Quinto limitatur, vt quarta non debeatur de legato facto personis *cap. ex parte el. 3. de verb. significat.* vbi id expresse decernitur *Panorm. in cap. 2. de sepult. nu. 9. Petr. de Vbald. de Can. Epis. cap. 5. n. 10. & 11. & cap. 7. n. 15. Barbos. ad d. cap. 2. de sepult. n. 5. Med. d. q. 12. n. 8. Lauor c. 17. n. 51. vt sup. n. 10. Rota dec. 726. n. 2. coram Seraphino.* Et ideo de legato facto pauperibus nulla debetur quarta. *Gloss. in cap. 2. verb. decreuit,* & ibi *Innocent. n. 1. Panorm. n. 8. Bartol. in l. Id quod pauperibus nu. 3. C. de Epis. & Cler. Roman. cons. 233. n. 2. Vbald. loco citato. Caraccia de quarta cap. 3. vers. Insuper cum funere Io: à Cruce de stat. Relig. p. 2. cap. 9. d. 5. Bonac. de contrac. disp. 3. q. 22. p. 2. Pasqual. ad Laur. de Franc. p. 2. q. 84. n. 2. Barbosa de Parocho cap. 25. n. 49. Rota d. dec. 726. n. 1.* Vbi n. 2. dicit, quod hoc fallit in legato facto pauperibus certi loci, quia tunc legatum videtur factum intuitu loci, & sic factum loco pio, vt post *Io: Andr.* limitant *Panorm. & Vbald. locis citatis.* Sic enim, & in *d. cap. ex parte el. 3. de verb. signif.* excipitur legatum factum personis, ratione Ecclesiæ. Et nihilominus *Tuscus l. Q. concl. 28. n. 22. ex Butr. cons. 131.* l. 4. vult

l. 4. vult vt quarta non debeatur de relictis pro anima testatoris pauperibus certi loci. Ideo in his videndum est an relictum sit factum intuitu personarum, & ad eorum commodum personale, vel potius intuitu loci, vt possit pauperes alere, & sustentare. Hinc aliqui volunt, quod legatum factum religiosis particularibus quos non afficit *Clem. Dudum*, non est obnoxium quartæ, sed de iure communi pro eo non debetur quarta: Et ideo quod de relicto Monacho non debeatur quarta dixit *Bauac. de contrac. disp. 3. q. 32. p. 2. ver. Primo quantum*. Nec obstat, quod id, quod relinquitur Religioso acquiritur Monasterio: quia considerari debet is, cuius intuitu legatum relinquitur. Et sicut, quod relinquitur personæ, sed intuitu loci, per citatos DD. censetur relictum loco non personæ, & est ob hoc obligatum quartæ, ita quod acquiritur monasterio ratione personæ censendum est personale, & non locale, & ideo non obligatum ad solutionem quartæ. Sed ratio hæc non valet, quia cum Religiosus sit incapax habendi proprium, licet sit ei relictum aliquid intuitu personæ, hoc non potest intelligi, vt sit illius, sed vt sit Monasterij, & ideo semper est legatum locale. Non ergo relictum Monacho, vel Religioso est exemptum à quarta, quia sit legatum personale. Et propterea, quod habet *Tuscus l. Q. concl. 31. n. 52.* scilicet, quod non debeatur quarta de relicto Abbatissæ, vel Religioso titulo consanguinitatis, vel personæ suæ verum est, quod relictum Monacho ratione consanguinitatis non est relictum ratione sepulturæ, & ideo de illo non debetur quarta Parochialis, non vero quia sit relictum personæ, non vero Ecclesiæ. In dubio vero an legatum sit personale, vel locale censendum, personale, si sit factum à consanguineo, dixit *Sylvest. vbi supra.*

518 Hinc etiam sequitur, quod quarta non debetur de legato facto pro maritandis puellis, vel vna puella consanguinea. Quod probat *Rota d. dec. 736. n. 6.* quia aut istæ puellæ sunt pauperes, & non debetur quarta, quia hæc non debetur pro legatis factis pauperibus. Vel puellæ non sunt pauperes, & tunc nedum cessat quarta, quia illa non debetur de legatis factis personis, sed quia tunc legatum non dicitur pium, & ideo ex eo quarta non debetur. *Tiraquell. de priuil. pia causa in princ.*

519 Sexto limitatur, vt ex donatione inter viuos non facta in vltima infirmitate nulla debeatur quarta. Nulla est enim lex quæ mandet solui quartam de donatione inter viuos. *Med. d. q. 12. n. 7. Lanor. d. cap. 17. n. 55.* Quod esse verum etiam si possessio accipiatur post mortem testatoris aduertit. *Bauac. de contr. disp. 3. q. 32. p. 2.*

520 Septimo limitatur, vt si contingat eum, qui ad fauorem Ecclesiæ Regularis testatus est ingredi Religionem, & profiteri, de institutione, ac legatis per eum factis nulla debeatur quarta. Plures casus continet hæc limitatio. Primus est, si qui elegit sepulturam profiteatur Religionem. Et hic casus est manifestus, cum enim si nouitius alios non instituat hæredes, Monasterium ipsum ex vi professionis succedat, iam obtinet legatum nō ratione sepulturæ electæ, sed ratione professionis, & status, & non ex vi electionis sepulturæ intra Monasterium sepelitur, sed ex vi iuris communis, & legis Religionis, vnde locum non habent leges disponentes, vt debeatur quarta de legatis Ecclesiæ in qua eligitur sepultura. Secundo adest alia ratio demonstratiua, quia ex mutatione domicilij mutatur Parochia, & licet quis sit Parochianus vnius Parochiæ dum testatur, & relinquat bona pro anima sua Ecclesiæ suæ sepulturæ, si mutat domicilium, mutat quoque Parochiam, & quarta debetur Ecclesiæ domicilij in qua defunctus moritur: professus vero iam nullius Parochiæ est, & habet Ecclesiam Monasterij pro Parochiali, nulli igitur Parochiali alteri debetur quarta, sed totum remanet integrum Monasterio, quod illi fuit à defuncto pro festo relictum. *Panorm. cap. 2. de sepult. n. 6. Syluest. v. Canonica portio n. 8. vers. quintus. Tabien. nu. 11. Med. quæst. 12. num. 8. Lanor. cap. 17. num. 53. Lezana v. quarta n. 10.* Nec obstat *Innocent. cap. de his. de sepult.* dicens, quod is qui profitetur censetur mori, quia vt habet *Panorm. citatus*, & cum eo *Syluest.* non moritur naturaliter, & retinet cognationem, & [illegible] cedit parentibus. *l. De mobis, C. de Epis. & [illegible]* & mutat viuos domicilium suum, & sic relinquit omnem aliam Parochiam, & ius, & labor administrandi illi Sacramenta transit in Monasterium.

521 Secundus casus est quando quis sanus ingreditur Monasterium pro Nouitiatu, animo perseuerandi, & profitendi, & sic decedit. Et in hoc casu etiam de dispositis pro anima sua ad fauorem Monasterij in quo elegerat sepulturam nulla quarta debetur Parocho. Ratio est, tum quia hic simpliciter mutauit domicilium, cum ingressus fuerit Monasterium animo permanendi, & sic iam nullius alterius Parochiæ est, quia in nulla altera habet domicilium. Tum quia Nouitius, vt supra probatum est, non ex vi electionis sepulturæ, sed ex vi status in quo est, sepelitur in Monasterio, de illo vero legato debetur quarta, quod est relictum ratione sepulturæ, & illius occasione. Tum quia Nullus est Parochus à quo recipere debeat sacramenta. Quarta vero est relicta Parocho ratione oneris, & laboris in administratione sacramentorum. Et non quidem ratione huius oneris, vt habiti ante infirmitatem vltimam defuncti, quia si quis sanus in vltimo suæ vitæ mutet domicilium, siue in alio manserit etiam per ducentos, & mille annos, nihilominus quarta debetur Parocho domicilij in quo defunctus moritur, quia ille Parochus est à quo defunctus debuit recipere, & qui eidem debuit tribuere sacramenta. *Sanchez l. 3. de Matrim. d. p. 23. num. 7.* vnde quarta respondet oneri, & labori, quem Parochus sustinere deberet in vltima infirmitate. Nullus vero Parochus laborem suffert, vel sustinere debet, in administrandis Sacramentis Nouitio, sed hoc spectat ad superiorem Monasterij; non est igitur vnde Parochus aliquis prætendat quartam legatorum Nouitij defuncti, vt supra citati DD. docent. Idemque dicitur de illis, quæ in funere Nouitij mortui offeruntur. *Archid. & Franc. in cap. Nullus, de tempor. ordinand. in 6. Syluest. vbi supra, Rodriq. t. 1. q. 39. n. 4.* Vbi hoc extendit etiam si Nouitius sit mortuus in domo parentum, ad quam se contulerat, vt curaretur, de quo etiam *Iacob. p. 2. tr. 3. 1. diff. 7. n. 10. Mirand. t. 2. q. 48. a. 9. concl. 3. Azor. p. 2. l. 9. c. 13. q. 4. Hier. Rodriq. resol. 16. nu. 5. Barbosa de Parocho cap. 25. n. 46.* Et quia solus animus recedendi non mutat domicilium, nisi de facto domicilium dimittatur. *l. domicilium ff. ad municipia.*

nicipia. Sanchez l.3.de matr.disp. 23.*n.*5. Ideo dato etiam, quod Nouitius, qui ingressus est Religionem cum animo perseuerandi, mutauerit animum, si de facto non recessit remanet domicillarius Monasterij, & in eo fine quarta reddita Parocho debet sepeliri.

522 Tertius casus est si Nouitius ingressus est Religionem, sed non cum animo profitendi, sed cum animo redeundi ad seculum. Et in isto casu iste non mutat domicilium, neque Parochiam. Sed tamen his casus subdistingui debet. Nam potest esse, quod Nouitius vere fingat, & ex aliquo interesse ingrediatur illam non cum animo profitendi, sed omnino exeundi à Religione. Et in hoc casu iste nec professione, nec probatione est religiosus, & de eius legatis, & funeralibus soluenda est quarta, si extra Parochiam sepelitur. Ita *Panorm. Syluef. Tabien. & Barbosa citati*. Sed potest esse, quod habeat animum conditionatum permanendi, & solum animum absolutum experiendi religionem, relicta deliberatione absoluta profitendi post experimentum sumptum de religione. Et in hoc casu videtur non posse dici, quod mutauerit domicilium, quia non recessit à domo propria animo absoluto perpetuo manendi in Monasterio. Verum nihilominus de eius legatis, aut funere non debetur quarta dum moritur in vero animo probandi Religionem. Tum quia est probatione Religiosus exemptus à iurisdictione Parochi pro tunc, & sepeliendus iuxta decretum *cap. final. nu* 6. in proprio Monasterio, vt supra probatum fuit, nu. 218. & quia sub nomine Religiosi in fauorabilibus veniunt etiam Nouitij, per DD. quas cumulat *Barbosa v. Religiosus n.*16. Tum quia quarta debetur ratione Sacramentorum, Nouitius vero habens verum animum probandi Religionem ad finem eam ingrediendi sicut est vere Nouitius, & inchoatiue Religiosus, ita nec tenetur recipere Sacramenta à Parocho domicilij suorum, vel sui; neque indiget sepeliri ab eo Parocho, vel ab alio, vnde nec illi, nec alteri debetur quarta sui funeris. Et ita sentiunt DD. supra citati, quia iste vere, & non ficte simpliciter est Nouitius, & probatione Religiosus. Tertio modo potest quis vere habere animum absolutum perseuerandi, licet quodammodo secundum quid conditionatum, quia habet animum profitendi determinate, sed tamen vult habere libertatem exeundi, si sibi modus viuendi religionis displiceat, seu nisi experimento cognoscat aliquid, quod sibi displiceat. Et hic multo magis est liber à subiectione Parochi, Nam, & similis animus sufficit ad simpliciter mutandum domicilium; quia nullus est qui mutando domicilium velit se priuare libertate mutandi si sibi displicuerit; & voluntas quælibet mutandi perpetuo domicilium habet inhibitam conditionem nisi inuenero, quod mihi displiceat, & veluti mutare cogat. Et quilibet Nouitius vult esse liber, vt possit non profiteri si velit, sed ad mutandum domicilium sufficit determinatus animus profitendi licet libere. Quando igitur Nouitius vere ingreditur Religionem animo illam probandi ad effectum profitendi si in probatione decedat, sepeliendus est in Monasterio, nec de eius legatis, aut funere aliqua quarta debetur Parocho.

523 Quartus casus est, quando quis infirmus ingreditur Religionem, & moritur ea infirmitate qua laborabat, quando suscepit habitum. Et in hoc casu, quod debeatur quarta de eius bonis, quæ secum defert ad Monasterium in quod transit, si in eo prius elegerat sepulturam tradunt *Panorm. & Syluef. vbi supra, & Barbosa de Parocho cap* 25. *nu.* 46. & apud eum *Molina disp.* 215. *n.* 4. Et habetur expressum in *cap. de his*, 4. *de sepult.* Verum quia Nouitij sepeliuntur in Monasterio tanquam Religiosi, & habentur, vt tales, Ideo si quis infirmus sumat habitum Religiosum (sicut posse sumere ex dicto textu colligit *Panorm.*) & bona fide ingreditur Religionem animo profitendi Deo dante vitam, & robur, sicut fit vere Religiosus probatione, qui non tenetur recipere Sacramenta ab aliquo Parocho, sic tanquam Religiosus est sepellendus. Et non interest, quod elegerit prius sepulturam in Ecclesia Monasterij, quia etiam si alibi elegisset non in sepultura electa, sed in Ecclesia Monasterij sepeliendus esset, si in probatione decederet: Et sic cum sepeliatur in Ecclesia Monasterij non ex vi electionis sui, aut suorum maiorum, sed quia illa est pro tunc sua Parochia, de eius funere nulli alteri Parochiæ debetur quarta, vt de Nouitijs tradiderunt ex *Anchar. & Frane. in cap. Cum Nullus de tempor. ordinand. in* 6. *Rodriquez tom.* 1.*q.*39. *a.*4. & alij supra citati. Caput autem de his, *de sepult.* innititur præsumptioni, per quam præsumitur, quod infirmus non ingrediatur Religionem animo profitendi, & quod relictum ab eo in infirmitate sit relictum causa mortis, Ecclesiæ Regulari, ex deuotione, non vero ex animo ibi manendi in perpetuum, & certe lex *d. cap.* consuetudine est abrogata, si loquamur de ijs qui animo profitendi, transeunt ad Religionem.

524 Verum quidem est, quod qui ex deuotione tantum decedit cum habitu religioso, sicut nec sine Parochi assistentia sepeliri potest, & in alia Ecclesia posset tumulari si illā elegisset, ita de eius legatis, & funere debetur quarta proprio Parocho. *Syluest. v. Canonica portio n.*15. *vers. quinta, ex Paul. & Zubar. Panor. in Clem. Dudum de sepult. n.*43. *Barbosa de Parocho cap.*25.*n.*46. Idem dicitur de eo qui à Religiosis admittitur in confratrem, quia iste non est vere Religiosus, & est subiectus Episcopo, & Parocho, & ab eo tenetur Sacramenta recipere ideo etiam de eius legatis, & funere debetur Parocho quarta. *cap. cum, & plantare, cap.* 1 *t priuilegia, de priuileg. Syluef. v. Canonica portio n.*8. *vers. quintus in fin. & n.*12. *Tabien. nu.* 11. *Lauor. cap.*17. *nu.*53. *Barbos. d. cap.*25.*n.*46.

525 Excipit vero *Syluef.* casum in quo iste confrater donasset omnia sua inter viuos monasterio retento sibi solo vsufructu, quia talis gaudet priuilegijs Religiosorum. *d. cap. vt priuilegia.* Sed limitatio non admittitur, quia tales habent quidem priuilegium, vt possint in Ecclesia Regularium tēpore interdicti tumulari, vt probatum est supra, & dicitur in *d. cap. Vt priuilegia*, sed de cœtero non sunt Religiosi, & in administratione Sacramentorum, & funere subditi sunt suis Parochis. Idem dicitur de oblatis, tertiarijs, famulis, familiaribus, qui non sunt proprie, & stricte familiares, vel oblati, vel tertiarij collegialiter viuentes cum Claustralibus. De eorum enim legatis, & funere soluenda est quarta, qui dum viuerent debebant recipere Sacramenta à

Paro-

Parocho, & sine eius assistentia sepeliri non possunt mortui. Debetur enim quarta ratione administrationis Sacramentorum, vt sæpius dictum est ex *cap.1.& Clem. Dudum. de sepulturis*. Econtra vero qui Sacramenta recipere debent à superiore Monasterij, & sepeliri possunt sine assistentia Parochi tales sunt, vt de eorum legatis, & funere non sit soluenda quarta; quia tales de nullius sunt Parochia, sed eorum Ecclesia Parochialis est Monasterij Ecclesia in qua audiunt diuina, & recipiunt Sacramenta Videnda sunt igitur supra probata Nam de tertiarijs, oblatis, famulis, & Familiaribus quos dictum est non teneri suscipere Sacramenta à Parocho dicendum est etiam, quod de eorum legatis, & funere non est detrahenda quarta. Et hoc probatur vlterius ex *cap. In nostra* ibi. *Quia non fuit sufficienter ostensum, quod eorum oblata, vel conuersi fuissent*. Ex hoc enim habetur, quod si constitisset, quod defuncti de quibus lis erat, & Pontifex statuerat, vt deberetur *portio Canonica* fuissent oblati, vel conuersi Equitum Templariorum, non fuisset de eorum legatis, & funere soluenda quarta. *Nicolius t.1. l.4. tit.15. num. 26. vers. Probatur etiam*. De donatis vero inter viuos ab istis oblatis, nulla quarta debetur.

526 De leprosis, qui domum leprosorum ingrediuntur, quod non debeatur quarta nisi ex lepra decesserint dixerunt *Syluest. v. Canonica portio n.11. vers. Quintus, & Tabien. n.11* Sed *Nicolius vbi supra vers. limita octauo*, vniuersaliter asserit, quod nec hospitalia, nec Conuentus, vel Monasteria, nec aliqua alia loca pia teneantur ad quartam reddendam Parochis pro quibuscumque personis in eis degentibus, quando Parochus intra cuius Parochiæ fines existunt, non tenetur illis administrare Sacramenta, sed habent deputatos sacerdotes pro Sacramentorum administratione. Nam, vt habetur *cap.1. de sepult. & cap. 2. eod. tit. in 6. & Clement. Dudum. eod. titulo* quarta debetur ratione administrationis Sacramentorum, sicut etiam declarasse S. Cong. Episc. in Melphi. 18. Iun. 1586. refert idem *Nicolius*. Et quod ius sepulturæ multum pendeat ab administratione Sacramentorum probauit etiam Rota in Romana Iurium funeralium 4. Iulij 1653. coram Zarate. Præfati vero existentes in hospitalibus non tenentur recipere Sacramenta de manu Parochi. Et confirmatur à simili, quia cum Ecclesia Nationalis S. Io: Florentinorum in Vrbe litigaret cum Capitulo, & Parocho SS Celsi, & Iuliani sententiam reportauit non teneri Ecclesiam nationalem ad vllam quartam pro iis, qui cum sint de natione, sepeliuntur ibi, ea ratione, quia subsunt Parocho nationis, qui tenetur illis administrare Sacramenta.

527 Mihi vero in hac parte videtur primo considerandum, quod Hospitale, vt hospitale, nec habet ius sepeliendi, nec habet, vt infirmi non subsint Parocho cui de iure, vt non soluant quartam de illis, qui in eis sepeliuntur, nisi hæc competant illis ex priuilegio, vel ex præscripta consuetudine, Et ideo Rota in Romana Iurium Parochialium 3. Iulij 1653. ex hoc duplici capite censuit Hospitale S. Io: Colabitæ non teneri ad reddendam quartam Parochiæ. Considerandum vero secundo, quod Parochus intra cuius fines est hospitale nullum ius habet ad quartam eorum, qui moriuntur in hospitali, si defuncti alias habeant domicilium in aliena Parochia, vt bene ponderauit Rota citata contra Parochum S. Bartholomæi de Vrbe intra cuius Parochiæ fines est Hospitale S. Ioannis Colabitæ Ordinis B. Io: de Deo, quia cum mutatio habitationis ratione infirmitatis non sufficiat ad mutationem domicilij, seu ad mutandam Parochiam, vnde infirmi existentes in hospitalibus ratione infirmitatis remanent Parochiani illius Parochiæ in qua habent proprium domicilium, non vero illius intra cuius fines est hospitale, ideo si quarta debeatur, debetur Parochiæ domicilij.

528 Tertio aduertendum, quod qui decedunt in hospitalibus si extra Hospitalium Ecclesias sepeliuntur, quarta debetur proprio Parocho, qui etiam tenetur assistere funeri. Rota in Romana iurium funeralium 4. Iulij 1653. coram Zarate, vbi quod tunc Parochus, seu sacerdos Hospitalis non potest associare cadauera quæ extra Hospitale sepeliuntur cum cruce, & stola: licet alias Monachus Parochus extra propriam Parochiam funera associare possit. Et tunc per accidens est, quod Parochus non administrauerit illi vltima Sacramenta, licet ob maiorem infirmorum commoditatem Hospitale habeat Sacerdotem deputatum pro administratione Sacramentorum. Sed quarto dicitur, quod vbi Hospitalia recipiunt infirmos alendos vsque ad mortem, sicuti sunt Hospitalia leprosorum incurabilium, & sicuti Romæ est Hospitale senum Sancti Xysti, Hospitale non tenetur ad quartam pro ijs, qui in ea sepeliuntur, si est exemptum à iurisdictione Parochi, quia infirmi in eo existentes habent in eo domicilium. Nec interest si ex lepra decedant, quia infirmitas longa est, nec credendum est, quod legatum Hospitali à leproso sit legatum causa mortis, sed potius ratione expensarum, quæ facit pro sustinendo leproso, si leprosus non statim ab ingressu decedat ex lepra. Vnde licet videatur non sufficere ad mutationem domicilij, si mutetur in infirmitate ex qua decedit, & propterea ex *Hostiens.* dixit *Lanor. cap.17. nu.30.* quod si infirmus faciat se deferri ad aliam Parochiam, & ibi moriatur, Propria Parochia non priuatur portione sua, hoc non debet intelligi de infirmitate ex natura sua longa, & ad magnum tempus durante. Vnde Romæ est statutum Cleri Romani, de quo mentionem facit præfata Rota vt domicilium ab infirmo non censeatur mutatum in præiudicium Parochi si infirmus intra duos menses decedit; Quod si non moriatur infra duos menses remanet eius domicilij ad quod transiuit in infirmitate, & hæc est rationabilis dispositio.

529 Tandem quinto dico, quod in his seruandæ sunt leges speciales, & priuilegia, & consuetudines legitimæ Hospitalium. Nam alias [illegible] communi iure inspecto infirmi Hospitalium manent Parochiani Parochiæ sui domicilij. Neque ex sola administratione Sacramentorum infertur liberatio a quarta. Nam stat, quod ob maiorem commoditatem per accidens Sacramenta moribundis administrentur etiam regulariter à non Parocho, & tamen quarta Parocho debeatur. Nam v. g. Romæ Sacramenta administrantur infirmo à Parocho illius Ecclesiæ intra cuius fines ex accidenti inuenitur moribundus, & inuicem Parochi hoc onus assumunt, & tamen quarta proprio Parocho de

cho de

cho debetur. Sed in hoc considerandum est an Parochus ex officio teneatur dare, & infirmus recipere Sacramenta de manu Parochi per se, seclusa commoditate accidentaria, vel in subsidium Parochi sine præiudicio iurium illius ordinata. Et tunc ex non administratione Sacramentorum colligi poterit libertas à quarta, quando Ecclesia in qua quis sepelitur tenetur moribundo tradere Sacramenta, & ille tenetur ex ea recipere, sine obligatione recipiendi ea in alia Parochia. Quia in hoc casu Ecclesia ista est Parochialis, seu censetur vt talis, & defunctus in ea, vt in Parochiali est sepeliendus; Ecclesia vero Parochialis non tenetur reddere quartam alicui alteri Ecclesiæ.

530 Octauo limitatur, & explicatur, vt nulla quarta debeatur de legatis factis Ecclesiæ in qua legans non sibi elegit sepulturam. Fundamentum enim obligationis reddendæ quartæ est electio sepulturæ, vt manifestum est *cap. 1. cap. Cum super de sepult. & Clem. Dudum de sepult.* Ideo quarta debetur solum ab Ecclesia in qua fuit electa sepultura. De legatis ergo factis Ecclesiæ in qua testator non elegit sepulturam nulla quarta debetur Parocho. *Gloss. in cap. 1. de sepult. Innoc. cap. 2. eod. tit. Archid. cap. 2. eod. tit. in 6. Io: Andr. in cap. 1. & cap. Certificari de sepul. & in Gloss. Clem. Dudum. §. Verum eod. tit.* vbi reprobat *Hostien. tenentem contrarium in d. cap. 2. Panorm. in cap. 1. n. 6. de sepulturis, Syluest. v. Canonica portio n. 8. vers. sextus. Med. p. 2. q. 12. num. 9. Lauor. cap. 17. nu. 54.* Hoc vero ampliat *Bonacina de contrac. disp. 3. q. 22. conf. 5.* vt sit verum etiam si testator per accidens in ea Ecclesia sepeliatur, in qua sibi non elegerat sepulturam. Legatum enim factum tali Ecclesiæ non est factum intuitu sepulturæ à testatore electæ. Et hoc verum est quidquid in contrarium dixerit *Tuscus l. Q. conc. 27. n. 8.*

531 Nono limitatur, vt quarta non debeatur si defunctus non sepelitur in Ecclesia in qua alias elegerat sepulturam licet, id fiat casu, & ex dispositione hæredum, aut consanguineorum. De quarta funeris, hoc est euidens, quia hæc non debetur nisi ab Ecclesia in qua defunctus actu sepelitur. Sed etiam de quarta legatorum id docuerunt *Syluest. v. Canonica portio. n. 15. vers. septima, ex Gloss. Innoc. & Archid. Lauor. cap. 17. n. 56. ex Gemin. cap. 1. de sepult. in 6. Lezana v. quarta. n. 10. Bonac. de contract. d. .q. 22. p. 2. Tuscus l. Q. conc. 24. nu. 4. Cespedes. d. 364. n. 8.* Nisi subsit fraus, vt ait *Syluester*, & legatarij, vt non soluant quartam Parocho procurent, quod infirmus alibi eligat sepulturam, & sepeliatur. Ratio autem limitationis est, quia vt habet *Panorm. cap. 2. n. 6. de sepult.* iura loquuntur de relictis ratione sepulturæ, ideo si defunctus alibi sepelitur, iam Ecclesia legataria non tenetur ad sepulturam. Limitat hoc etiam *Bonac.* vt non verificetur si ea culpa Ecclesiæ legatariæ est, quod in Ecclesia legataria, non sepeliatur. Assertum autem verum est, tum primo si testator electionē sepulturæ reuocet, & in alia sepulturam sibi eligat, & de facto sepeliatur. In hoc enim casu idem est, ac si in priori Ecclesia nunquam elegisset sepulturam, quia paria sunt non eligere, & electam mutare. *l. 1. & 2. ff. de adi. leg.* Et quia illa nullum ius habet ad cadauer defuncti, ac si in illa nunquam sepultura fuisset electa. *Syluest. v. Canonica portio n. 8. vers. ac nus, ex Feder. de Senis. Tabien n. 11. Med. p. 2. q. 12. n. 10. Lauor. cap. 17. n. 58. Lezana v. quarta. n. 10.* Verum est, quod vt refert *Syluest. Gemin. in cap. 1. de sepul. in 6.* sensit, quod legatum factum intuitu sepulturæ mutata electione transeat ad Ecclesiam in qua de nouo sepultura fuit electa, quia subrogatus debet intelligi subrogatus cum omnibus qualitatibus onere, & honore. *l. 5. §. hæc actio. ff. si quis se lib. esse iuss.* ideoque, & onus emolumentum comitatur, & econtra, *l. alumna. §. seia de adi. lega.* Et idem habet *Petr. de Anchar.* quod dicit verum esse nisi aliter constet de voluntate legantis. Sed quidquid sit modo de hac quæstione; dicitur quod si legatum permanet, & quando permanet priori Ecclesiæ in qua electa fuerat sepultura, de ea non est soluenda quarta, ratione supradicta. Sed & idem verificatur si casu contingat, quod defunctus in Ecclesia legataria non sepeliatur, vt supra citati DD. docent ratione pariter dicta. Et ideo si contingat, quod defunctus in Ecclesia electa, & legataria non sepeliatur, quia vel decessit à longe, (quidquid in contrarium *Tuscus l. Q. conc. 27. n. 9.* dixerit de mortuo in mari) vel hæredes alibi illum sepeliri curarunt, vel ex aliqua simili causa, Ecclesia legataria non tenetur ad quartam legatorum, quia verba legis intelligi debent cum effectu. *l. 1. ff. de eo quod quis iur. & l. Ea quidem. C. si man. ita fuer alie. & cap. relatum, de Cler. non residen.* Et ita tunc debetur quarta ab Ecclesia legataria si legans in ea electa sepultura sepultus fuerit, vt dixerunt *Feder. de Senis, & Petrus de Anchárano* apud *Syluest. d. n. 8. vers. decimam, Tabien. v. Canonica portio n. 11. Card. in Clem. Dudum. § eorum. nu. 11. de sepul. Lauor. c. 17. nu. 58. Panorm. c. 2. n. 6. de sepult. Lezana v. 4. n. 10.* quamuis de hoc dubitet *Gemin. in cap. 1. de sepult. in 6.* vt aduertit loco citato *Syluester.* Si etiam legatum non remaneat apud Ecclesiam legatariam certum est, quod ipsa non tenetur ad quartam.

532 Decimo limitatur, vt non debeatur quarta Ecclesiæ si definit esse Parochialis. *Med. q. 12. nu. 10. Lauor. c. 17. n. 58.* Seu etiam si Ecclesia sit destructa auctoritate superioris. *Med. & Lauor. ibid.* sed aliud est, quod quarta non debeatur huic, vel illi Ecclesiæ, aliud est, quod non debeatur. Semper enim erit aliqua Ecclesia Parochialis, cui quarta tradenda erit.

533 Vndecimo limitatur, vt non debeatur quarta si Ecclesia Parochialis ex culpa Parochi sit interdicta, & sic nullus possit in ea sepeliri. *Syluest. v. Canonica portio n. 8. vers. octauus. Tabien. num. 11. Med. p. 2. q. 12. n. 10. Lauor. cap. 17. num. 55. Lezana v. quarta n. 10. Rodriq t. 1. q. 39. n. 3. Mirand. t. 2. q. 48. a. 10. Portel. in addit. ad verb. Canonica portio n. 3.* Sed *Barbosa de Parocho cap. 25. n. 30.* distinguit, & ait, quod si defunctus ante Ecclesiæ Parochialis interdictum elegerat sibi sepulturam in aliqua Ecclesia, quod tunc ea quo Parochialis acquisierat ius ad quartam, ex superueniente interdicto non perdit illam. Quod iudicat verum esse vniuersaliter in quocumque casu defunctus non posset in Ecclesia Parochiali sepeliri. Sed hoc deficit, quia Parochus non acquirit ius ad quartam ex electione sepulturæ sed ex actuali sepelitione in sepultura electa; Cum vero ex culpa sua non possit defunctus sepeliri in Parochiali, sibi imputet. Quia alias etiam si defunctus millies elegisset sibi sepulturam in alijs Ecclesijs poterat electionem reuocare, & sepeliri in Pa-

rochia,

rochia, & quod non fecerit, imo non potuerit facere fuit ex culpa Parochi. Nec obstat, quod tunc Parochus subeat onus administrandi Sacramenta infirmo saltem per alium, quia non præcise ratione onerum huiusmodi debetur quarta, sed supposita sepultura in alia Ecclesia; quia nec debetur quarta nisi de emolumentis sepulturæ; si ergo tempore sepulturæ ex culpa Parochi est, quod alibi defunctus sepeliatur, nō debetur quarta, quia asto sepeliatur alibi, quia alibi est sepultura maiorū, aut à se electa, hoc in casu isto se habet per accidens; quia etiā si defunctus voluisset sepeliri in Parochia sicuti nō obstāte electione potuisset, id nō potuit, quia ex culpa Rectoris Ecclesia Parochialis fuit interdicta. Et ita regula generalis datur, quod quotiescumque a culpa Rectoris est, quod defunctus nō possit sepeliri in Parochiali, non debetur quarta. Quod cōcedit etiā *Barb.* si defunctus non habebat alibi sepulturam, & ideo sepeliendus fuisset in Parochia, si culpa Parochi impedimentum non præstitisset, sed hoc est absolute verum, quia ea quo etiam si defunctus voluisset, vel vellent hæredes non potest defunctus sepeliri in Parochiali ex culpa Parochi, non habet ius ad quartam, quæ sibi debetur ne ex sepultura defuncti in alia Ecclesia Parochus omnino priuetur sepulturæ emolumentis; quia tunc quod de facto defunctus non fuerit sepultus in Parochia fuit, quia in ea non potuit sepeliri ex culpa Parochi, & aliæ rationes ad hoc per accidens se habent, & merito in hoc punitur Parochus culpa sua.

534 Vndecimo limitatur, vt non teneatur reddi quarta cum mortuus sepelitur in casu prohibito, nimirum tunc cum non poterat in Ecclesia sepeliri. Ideo si quis v.g. in Ecclesia fratrum sepeliatur eis inuitis, & minime consentientibus, vt si ibi sepeliatur tempore interdicti. In hoc enim casu Ecclesiam fratrum non teneri ad quartam dixerunt *Federic. de Senis cons.* 119. *Domin. in cap. 1. de sepult.* quos sequuntur *Syluest. v. Canonica portio num. 8. vers. septimus Tabien. n.* 11. *Rodriq. tom. 1. q. 19. a. 3. Barbosa de Parocho cap. 25. n. 43. Cesp. dub. 364. n. 7.* Hoc probant tum primo quia tempore interdicti non potest quis eligere sepulturam apud mendicantes, vt habet *Innocent. cap. vt priuilegia, & cap. Cum explantare de priuil. & cap. Quia in tom. de pœnit. & remiss.* quamuis tunc liceat mendicantibus recipere mortuaria, vt orent pro defunctis si cum pœnitentia decesserunt. *cap. Quicumque* 18. q. 5. & facit, quod habet *Innoc. in cap. tanta de excess. Prælat.* Item quia quarta debetur ratione iniuriæ factæ Ecclesiæ Parochiali, vt in *cap. certificari de sepult.* nullam vero iniuriam illi facit ea quo ibi non poterat sepeliri. Addit vero ex *Federico Syluester*, quod si mendicantes eum sponte tali tempore sepelirent non debetur quarta, licet teneantur tanquam violatores interdicti. *Clem. 1. de sepul. & cap. si Canonici, de off. ordinarij in 6.* Quia tunc solum debetur quarta quando sepelitur in casu à iure concesso: secus quando in prohibito, vt in *cap. ex parte, cap. cum liberum, & cap. in nostra in fin. de sepult.* Vbi dicit *Innoc.* quod quando de facto non de iure sepelitur corpus debentur oblationes, quæ ratione sepulturæ factæ sunt, sed non legata facta non ratione sepulturæ Et ita apparet, quod si de facto sepeliunt contra voluntatem illius, cuius est Ecclesia, quod non tenetur ad aliquam quartam, sed tenetur, & corpus, & omnia, quæ ratione sepulturæ habuit restituere, sed non quartam de legatis factis non ratione sepulturæ: similiter nec de his, quæ amici de bonis ipsorum tunc offerent. Ita *Syluest.* & alij. Et hoc quidem mihi est certum, quod in omni casu prohibito in quo Ecclesia sepeliens non facit sua emolumenta funeris, vel legata ratione sepulturæ facta, ipsa non tenetur ad quartam, quia imo tenetur ad omnia restituenda. Sed tamen non per hoc sequitur, quod non debeatur Parocho quarta. Quia si casus erat prohibitus, quia defunctus sepeliendus erat in Parochia, omnia emolumenta debentur Parocho, & si in alia Ecclesia sepeliri debebat, tunc emolumenta ad illam Ecclesiam pertinent, & ex eis detrahi debet quarta Parochi, nisi ex aliqua sui culpa ea priuandus esset. Sed si casus est prohibitus, quia vel Ecclesia, vel defunctus erat interdictus Ecclesiastica sepultura. Tunc si nec defunctus, nec Ecclesia Parochialis erat interdicta, nedum Parochus non est priuandus quarta, sed imo ei debentur omnia emolumenta, si ex quo Ecclesia sepulturæ erat interdicta sepeliri debebat in Parochiali. Vel si in alia Ecclesia sepeliendus erat, ei competunt emolumenta detracta portione Parochiali. Quod & puto dicendum etiam si Ecclesia Parochialis sit interdicta etiam ipsa, sed non ex culpa Parochi, tunc enim Parochus non esset sua portione priuandus, si in alia Ecclesia sepeliri debuisset defunctus, qui in Ecclesia interdicta fuit sepultus. Sed si omnes Ecclesiæ fuissēt interdictæ, & nulla esset, in qua potuisset, & debuisset defūctus sepeliri, vel si defūctus ipse fuisset interdictus, tunc emolumenta restituenda ab Ecclesia quæ illū sepeliuit contra prohibitionē, iudicio Episcopi essent distribuēda; quia tūc nulla esset Ecclesia cui deberentur de iure. Et tamen ratio vellet, vt Parochus portione canonica non priuaretur, si non esset in culpa. Quando vero Ecclesia sepeliens facit emolumenta funeris sua, & ea non tenetur restituere, nō potest tota retinere, sed portionem suam debet reddere Parocho iuxta suprapositam regulam, & eius limitationes. Quod vero dicebatur de oblatis ab amicis, quod de eis non detrahatur quarta, verum esset si illa essent mortuaria non vero funeralia. Nam certe in terminis *Clementinæ Dudum, de sepult.* de omnibus ad funus spectantibus quarta debetur. Sed & hoc idem dici debet in terminis *cap. 1. & cap. ex parte, & cap. Cum liberum, & cap. In nostra de sepult.* Quarta enim debetur de ijs beneficijs, quæ Ecclesiæ sepelienti obueniunt ratione funeris. voluerunt etiam aliqui, quod Parochus spolians Ecclesiam sepultura cadaueris, & sepeliens illud in Parochia perdat quartam inter quos est *Portell. v. Canonica portio. n. 6.* sed hoc reprobatum est supra n. 253.

535 Terdecimo quartam non deberi de legatis factis pro restitutione incertorum male ablatorum dixerunt *Syluest. v. Canonica portio n. 8. vers. undecimo, & Lezana v. quarta n.* 10. Hæc enim æs alienum continent, & restitutionem concernunt, nec sunt gratis oblata.

536 Quartodecimo non debetur quarta de deposito, quando scilicet defunctus non traditur sepulturæ perpetuæ, sed in aliqua Ecclesia pro interim depositatur. Quis enim hæc non est sepultura, Eccle-

sa, Ecclesia quæ recipit defunctum in deposito, non tenetur dare portionem de emolumentis, quæ sibi proueniunt. *Syluest.nu. 8. vers. decimus quintus. Lez.v.quarta.n.10. Bonac. de contract. disp.3.q.22.p.2. Cesped.dub.264.n.6.* Sed de hoc ego habeo difficultatem, quia depositum loco sepulturæ substituitur. Nam in translatione corporis de deposito ad sepulturam perpetuam, non fiunt exequiæ, sed istæ fiunt cum defuncti corpus depositatur, Non ergo Parochus sua portione priuari debet, ex eo quod corpus pro interim depositatur, sepeliendum postea sine exequijs in alio loco. Et certe Romæ quarta debetur, & datur ab Ecclesia in qua corpus depositatur, vt habetur ex statutis Cleri *cap.4. §.3. & 4.* Verum distingui debet inter quartam funeralium, & quartam legatorum. Prima debetur, quia nihil interest Parocho vbi corpus sepeliatur, sed habet ius ad quartam funeralium emolumentorum. Sed secunda quarta non debetur nisi ab Ecclesia sepulturæ, ideo non debetur ab Ecclesia in qua defunctus depositatur.

537 Quintodecimo non deberi quartam, si testator legauerit Parochiali quantum ipsa quarta valet dixerunt *Hostien.in cap.officij de testamen.* & ibi *Anton. & Mula Panorm. in cap. de his, de sepult. & Anchar.* quos sequitur *Syluu.v.Canonica portio n. 8. vers. duodecimus. Rodriq.d.q.39.a.6. Mirand.t.2.q.48. ar.11. Card.in d.Clem. Dudum §.verum. n.20. Portel.v.Canonica portio n.7. Lez. v.quarta n. 10. Salycet. Alex. Curn. in Authen. præterea. C. vnde vir. & vxor.* apud *Barbos. de Parocho c. 25. n.18.* Sed pro opposita sententia referuntur *Gloss. Io. Andr in Clemen. Dudum §. verum. ver. integra de sepult.* & ibi *Card.n.10. Cuuar. ad cap. officij de testamen.n.6. alias n.9.* quos sequitur *Barbosa d.cap.25.n.18. Bonac.de contract.d.3.q.22.p.2. Tuscus l. Q. concl.28.n.9.* Vbi hoc probat. Tum quia in *Clem. Dudum* statuitur, vt *Canonica portio* soluatur integre. Secundo quia respectu portionis Canonicæ debitor non est testator, sed Ecclesia sepulturæ, igitur non est testatoris hanc compensationem facere: tum tertio à simili, quia sicut si Episcopo testator absolute legauit portionem aliquam, nihilominus Episcopus recipit portionem de legatis alijs Ecclesijs, ita à simili dicendum est de Parocho. Tum quarto ex *cap. requisiuisti, de testamen.* quando aliquid legatur Episcopo, & aliud capellis, & locis pijs, Episcopus recipit proprium legatum, & insuper portionem de aliorum legatis, eadem igitur est ratio, etiam de legato facto Ecclesiæ Parochiali. Sed huiusmodi rationes soluit *Panormitanus in d.cap.officij de testamen.n.5.* Et ad secundam in qua consistit punctum præcipuum difficultatis inquit, quod imo testator est ille, qui est debitor Parochiali. Quod probat ex *cap. 1. de sepult.* Quia iura testatori eligenti sibi sepulturam præcipiunt, vt relinquat partem sui iudicij Ecclesiæ Parochiali, vt *cap.1. & 2 de sepult.* si ergo testator legat Ecclesiæ Parochiali partem suam, non est vnde illa amplius expectet; quia qui ex necessitate debet aliquid alicui, si aliquid ei legat censetur id facere ad exonerationem, & compensationem debiti *l.si cum dotem. §. si pater. ff. solut. matrim.* Propterea *Panorm.* subdit, quod iudicio suo hæc quæstio non videtur multum dubitabilis, quia iura non faciunt simpliciter testatorem debitorem, sed dicunt, quod debet relinquere quartam partem sui iudicij Ecclesiæ Parochiali. si ergo reliquit, frustra quærimus, vtrum reliquerit animo compensandi, cum satisfecerit iuri in proprijs terminis, & sic sumus extra notata in *d. §. si pater.* Et bene *Panorm.* ad propositum ponderat *cap. his, de sepul.* In quo *Alex. 3.* mandat quod tunc detrahatur portio de bonis transeuntium ad religionem cum bonis suis, quando nihil Ecclesiæ Parochiali reliquerunt. Per locum enim à contrario sensu deducitur, quod nihil detrahendum esset, si illi reliquissent Ecclesijs Parochialibus. Imo non est hic necessitas vtendi loco à contrario sensu, quia textus ipse directe non mandat, vt de bonis huiusmodi detrahatur portio Canonica, nisi respectu illorum, qui nihil relinquerent Ecclesijs Parochialibus. Ex ijs de facili soluuntur aliæ rationes. Ad primam ex *Federico de Senis* respondet *Panorm.* quod *Clem. Dudum*, quæ est posterior accipit interpretationem à decretalibus, & integre est soluenda quarta quando soluitur in subsidium negligentiæ testatoris, qui nihil legauit Ecclesiæ Parochiali. Et præterea cum illa Clementina non afficiat nisi Prædicatores, & Minores, Eremitas Augustin. & Carmelitas quantò ad reliquos standum esset iuri communi, si illa huic esset contraria. Ad tertiam, & quartam simul dicitur non esse eandem rationem de Episcopo, & Parocho; ille enim à iure consideratus est, vt extraneus quoad testatorem, quia iura non præcipiunt, vt testator illi aliquid relinquat, sed bene Episcopus ab Ecclesia legataria portionem consequitur. Sed Parochus non consideratur, vt extraneus à testatore, sed vt talis cui testator volens sepeliri extra Parochiam tenetur aliquid relinquere, & iura volunt, quod quarta veniat in subsidium, vbi testator nihil reliquit Parochiali, vnde si relinquit locum non habet quarta. Et nec *Gloss. Io. Andr.* oppositum sentit in *d.Clem. Dudum*, sed solum vult, quod si Parochialis aliquid accepit ex eo, quod cadauer prius fuerit ad illam, hoc non veniat in compensationem, & quod si testator nihil reliquit Ecclesiæ eidem, tunc illi debeatur quarta. Ideo in iure magis fundata est sententia illa, quæ vult, vt si testator reliquerit Parochiali aliquid, ei nulla quarta debeatur.

Quod tamen iuxta citatos DD. intelligi debet ita, quod si tantum non est legatum, vt æquiualeat quartæ, seu portioni sibi debitæ possit in subsidium de legatis Ecclesiæ sepulturæ, & illi aduenientibus tantum recipere, quantum sufficiat ad obtinendam quartam, seu portionis quantitatem debitam. Sic enim si testator aliquid in fraudem egisset, fraus non deberet præiudicium facere Ecclesiæ Parochiali. Si vero testator expresse dixit, quod legauit Ecclesiæ Parochiali id, quod legauit ad effectum, vt ab Ecclesia sepulturæ non recipiat quartam Canonicam, & Parochus acceptet legatum sic conditionatum indubitatum est, secundum vtramque sententiam, quod aliam quartam non potest prætendere, vide infra *nu.602.*

538 Sextodecimo secundum *Syluest. v. Canonica portio n.8.vers.decimus quartus, & Lez. v. quarta. n. 10.* limitatur, vt quarta non debeatur quando Parochianus non potuit in sua Parochiali audire diuina, nec Sacramenta recipere pro tempore longo, & alibi elegit suam sepulturam secundum

Baldum in suo tractatu, quia tunc cessat ratio dandi quartam, quæ desumitur ex labore, quem habet Parochus in administrando Sacramenta, & celebrando diuina: cessante enim causa cessat effectus, *c. Cù cessante. de appell.* Et licet *Hostien. & Io. Andr. in cap. relati de sepul. & Anchar.* & si dicatur, quod culpa Prælati non potest nocere Ecclesiæ, replicat *Syluest.* quod Prælatus in acquirendis potest nocere Ecclesiæ, vt per *Panorm. in cap. Cum super, de reb. Eccles. non alien.* Verum considerandum est, quod huiusmodi limitatio supponit id, quod nunquam euenit nisi ad breue tempus, scilicet, quod Parochialis sit sine Rectore, vel Vicario Vicesgerente Parochi, qui tenetur Parochianis celebrare diuina, & administrare Sacramenta. Non igitur datur casus in quo Parochianus non possit audire diuina, & recipere Sacramenta ab aliquo, qui ad id teneatur, Nisi aliquando ex accidenti pro breuissimo tempore donec deficiente Parocho Episcopus prouideat saltem de Oeconomo, vel Vicario. In quo casu, si nullus adsit tempore mortis, & sepulturæ, qui legitime gerat vicem Parochi, videri posset, quod nulli debebitur quarta funeralium. Hæc enim Parocho debetur, vnde si nullus est Parochus, nulli debetur. Emolumenta enim funeris sic debentur Parochiæ, quod sunt de mensa Parochi, qui illa facit sua, & dantur illi in sustentamentum vitæ, sed si nullus est Parochus, aut Vicarius nullus est, qui laboret, & qui viuere indigeat, & qui sustentari debeat. Si tamen Parochus fuit tempore mortis paratus ex se ad Sacramenta administranda, debetur ei quarta etiam si abfuerit tempore sepulturæ. Et si tunc mortuus fuerit debebitur hæredi sua quarta quisquis fuerit hic hæres. Si etiam Parochus adfuerit sepulturæ, siue quia de nouo creatus, siue quia cum absens esset, accessit quarta sibi debebitur. An vero Parochus perdat quartam ex negligentia culpabili non administrandi Sacramenta moribundo, dicendum est illam sibi non deberi, quia debetur præcipue ratione oneris in administrandis Sacramentis tempore mortis, ideo si culpabiliter negligit, & quantum sit ex se ipso relinquit defunctum mori sine sacramentis, nedum sibi non debetur quarta, sed debet aliter puniri, & etiam beneficio priuari, si negligentia sit magna.

539 Sextodecimo limitatur, vt solum de emolumentis funeris debeatur quarta nó vero de anniuersarijs, septimo, vigesimo, aut trigesimo, aut alijs emolumentis, quæ nó pertinent ad funus. *c. final. de test.* Vnde quod Parochus nó possit cogere hæredes ad celebranda anniuersaria nouennalia, vel Capo d'anno, in Parochia dixit *Rota in Elnen. Iurium Parochialium* 1631. *Coram Quecipo, quæ est* 85. apud *Tambur. tom.* 3. Nam ibidem dicitur Parocho debetur quarta, sed cum *restrict. cap. final. de testamen.* Et licet per *Clem. Dudum, §. Verum fuit ampliata*, hoc tamen non est verum respectu anniuersariorum, & aliorum emolumentorum, quæ non spectant ad actuale funus, sed quantum ad legata, & donationes causa mortis, vt patet ibi de obuentionibus omnibus tam *funeralibus, quam quibuscumque, & quomodocumque relictis, &c. de quibus etiam quarta, siue Canonica portio dari, siue exigi non consueuit, vel non debet de iure.* Patet enim, quod particula illa de quibus quarta exigi non debet, directe non respicit funeralia, sed respicit relicta, & in ordine ad illa extendit quartam, quam etiam postea ampliat ad donata causa mortis, vel in morte. Et quia Benedictus XI. vt obseruat *Glossa in v. funeralibus in extrauag. Inter cunctas de priuileg.* explicauerat, quod funeralia dicantur, quæ cum funere deferuntur. *Clem. Dudum de sepult.* non reprobata interpretat. Benedicti quantum ad hanc partem, satis indicat, quod per funeralia non intelligit nisi ea, quæ cum funere deferuntur. Et in hunc sensum textum intelligunt *Gloss. & Panormit.* & alij *supra in* 458. *citati.* Ac propterea cum anniuersaria, & nouennalia, & vigesima, & trigesima non veniant sub nomine relictorum, aut donatorum causa mortis, aut funeralium, ideo etiam ex vi *Clementinæ Dudum* nemo tenetur dare quartam de emolumentis quæ adueniunt ratione anniuersariorum, vel eorum quæ post funus donantur, vt docent DD. supra *num.* 469. *citati.*

540 Ideo nunc concludendo quæst. dicitur, quod præscindendo etiam à priuilegijs & consuetudine portio, seu quarta de legatis, & funeralibus aut relictis Ecclesiæ sepulturæ per testatorem spectato iure communi scripto non debetur in casibus numeratis in præfatis limitationibus.

541 Quæritur sexto, cui debeatur quarta Parochialis? Respondetur autem, quod quarta debetur Episcopo, vel Parocho. *Rota decis.* 107. *nu.* 5. *part.* 9. *Recent.* De iure communi tamen quarta Parochialis debetur Parochiali *Rota dec.* 376 *p. p. recent.* & ex consequenti Parocho, sed vbi ex consuetudine fit, vt detur Episcopo, si emerserit dubium cui eorum sit tribuenda, præferri debet Parochus quia magis specialem curam habet, quam Episcopus, qui habet generalem. Addit *Barbosa de Paroc*h*o cap.* 25. quod Parocho debetur quarta ex causa onerosa. *cap.* 1. *de sepult. Petrus de Vbal. de quarta canon.* 2. *p. cap.* 8. *n.* 14. & vti æs alienum *Panorm. in cap. Certific.* 2. 11. *de sepul.* Episcopo vero, vt ex causa lucratiua. *Petrus de Vbald. vbi supra.* Est vero potior conditio prætendentis ex causa onerosa, ad *text. in l. Sancimus. C. de iure delib. Rota in Neritonen. quarta funeral.* 9. *Iunij* 1608. *coram Manzanedo.* Sed qualiter subsistat hæc distinctio non video; quia quarta vel nulli, vel cuicumque debetur ex causa onerosa, quia non debetur nisi ratione oneris in cura animarum, & præcipue in administratione Sacramentorum, & tanquam sustentamentum debitum Ministro in animarum regimine; nec sub alio titulo competere potest Episcopo, qui si est titulus onerosus, etiam Episcopo non nisi ex titulo oneroso cõuenit. Sed ratio est, quia quarta de qua loquimur est quarta Parochialis, longe distincta à quarta Episcopali, & quæ de iure debetur Parocho ratione laboris, & oneris in administratione Sacramentorum immediata. *cap.* 1. *cap. Ex parte, cap. Cum liberum, cap. cum super, de sepult. & Clem. Dudum §. verum rad. cit.* Et propterea bene dixit *Panorm. ad cap.* 2. *n.* 4. *de sepult.* quod quarta Parochialis non debetur Episcopo, sed Parocho. Vnde Episcopo hæc quarta competere non potest nisi quia alicubi Episcopus præscripserit contra iura Parochi; assistentia igitur iuris est pro Parocho, contra quam si velit Episcopus opponere consuetudinem, & præscriptionem, eam concludenter probare debet.

542 Quarta igitur debetur Ecclesiæ Parochiali ipsius

si ipsius defuncti, *cap. 1. & 2. cap. cum liberum, cap. Cum super. de sepult. cap. Cum quis eod. tit. in 6. Syluest. v. Canonica portio n. 11. Rodriq. t. 1. q. 39. a. 5. Rota dec. 376. n. 1. p. 1. recent. Barbosa de Parocho cap. 25. n. 19.* Quod si Ecclesia sit collegiata quarta diuidenda est inter canonicos. *Lauor. cap. 17. nu. 16.* Nisi alia sit consuetudo Ecclesiæ, vt si sit reseruata illi qui est Vicarius perpetuus habens curam animarum; sicuti fit Romæ ex *constit. Pij Quinti in pluribus Collegialibus*. Quæ vero sit Ecclesia Parochialis cui debetur quarta, si quæratur. Respondetur, quod dubitant DD. an in casu in quo Parochianus in vna audit diuina, & in alia Ecclesia percipit Sacramenta, quænam præferenda sit. Nam in hoc casu quartam inter huiusmodi Ecclesias diuidendã esse, & sic enim tenuisse *Innoc. & Io. Andr. in cap. de his. de sepult. & Petrum de Anchar. in cap. Cum quis de sepult. in 6.* refert *Syluest. v. Canonica portio n. 11.* Quod ab aliquibus limitatum fuit, si vtraque Ecclesia Cœmeterium habeat & curam, & non aliter. Si vero vtraque habeat ius funerandi dari locum præuentioni credidit *Lopez l. 1. in Gloss. los Sacramentos. tit. 13. p. 1. per cap. duobus de rescript. in 6.* Et idem dixit *Samuel. disp. 3. contr. 9. n. 18. Syluest. vero cum summa Pis.* arbitratur, quod danda sit illi Ecclesiæ in qua Parochianus suscipit Sacramenta. Et idem tenent *Rodriq. tom. 1. qu. 39. n. 5. Barbosa de Paroch. cap. 25. n. 24.* Et verum esset si distinctio subsisteret. Sed negandum est suppositum quæstionis, quia si per audire diuina intelligitur audire illa de facto ex propria libertate, & deuotione hoc nihil facit ad quartam. Nec *cap. cum quis, de sepult. in 6.* ex quo DD. illam distinctionem sumpserunt loquitur disiunctiue, sed copulatiue, quia Ecclesia Parochialis illa eadem in qua de iure administrantur Sacramenta est etiam illa in qua de iure celebrantur diuina pro populo. Quod si ad quartam lucrandam in totum, vel in partem sufficeret consuetudo audiendi diuina in aliqua Ecclesia Parochis parum remaneret de quarta, cum fideles de facto, vt plurimum in Ecclesijs Regularium diuina audiant. Sed tamen Parochiæ sunt illæ in quibus de iure celebrantur diuina pro Parochianis, vnde & dici potest, quod in eis Parochiani de iure diuina audiunt. Et sic non est in hoc Ecclesiarum distinctio, sed eadem necessario est Ecclesia quæ tenetur Parochianis suis, & Sacramenta administrare, & diuina celebrare, vt ea Parochiani audiant.

543 Idem vero est dicere, quod quarta debetur Parochiali, & quod debetur Parocho, *cap. cum super. de sepul. Clem. Dudum, eod. tit.* sub cuius nomine venit quicunque habet curam animarum Parochiæ, siue sit Archipræsbiter, siue Rector, siue Parochus, siue Vicarius perpetuus, siue temporalis, siue sacerdos conductus habens curam animarum. *Barbosa de Parocho cap. 25. n. 21. ex Ricc. p. 4. res. 299. n. 4.* Ideo quarta numeratur inter emolumenta Parochialia. *Rota dec. 85. nu. 2. p. 8. recent.* Vnde Parochus ad quartam habet iuris communis assistentiam, quia sibi de iure debetur. *Canal. d. 101. n. 1. Mant. dec. 294. Rota in Mediolanen 4. funer. 14 Martij 1622. coram Merlino.* Et in Romana iurium funeralium 4. Iulij 1653. coram Zarate.

544 Primo igitur hoc pro constanti habetur, quod Ecclesia Parochialis est, quæ tenetur administrare Sacramenta, & alia diuina suis Parochianis. *De sepult. cap. 2.* ibi, *in qua cœlesti pabulo resici consueuit. & cap. de his*, ibi, *Ecclesijs a quibus receperunt salutis pabula. Et cap. cum his, eod. tit. in 6.* ibi, *In qua ille officia consueuit audire diuina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta.* Hæc vero illa Ecclesia est in qua vnusquisque habet permanens, & consuetum domicilium, non per accidens, & per modum transeuntis, aut ad aliquod negotium, sed fixum, & perpetuum. *Rota in Romana iurium Parochialium 4. Iulij 1653. coram Zarate* de quo videndi sunt DD. tractantes de matrimonio; Nã cũ ex præscripto *Cõcil. Triden sess. 24. cap. 1.* matrimonium celebrari debeat coram proprio Parocho, illa est Parochialis in qua quisque tenetur recipere communionem Paschalem, & à cuius Parocho, seu Rectore tenetur recipere Sacramenta extrema, & sine cuius Parochi assistentia non potest matrimonium contrahere, hæc vero est Parochia intra cuius fines vnusquisque habet domicilium. Prælatorum vero, aut habentium curam animarum Parochia est Cathedralis, seu Ecclesia in qua tenentur residere.

545 Hinc est, quod Cathedralis Ecclesia habet quidem ius ad quartam suorum Parochianorum, si habet propriam particularem Parochiam, sed non habet ius aliquod respectu aliarum Parochiarum, sed quarta Parochiæ immediatæ debetur. *Lauor. cap. 17. n. 16.* Et ita quod etiam si moriatur Canonicus aliquis Cathedralis, vel beneficiatus, quarta debetur Parochiæ in qua Canonicus, vel Beneficiatus habitabat. *Med. p. 2. q. 8. n. 2. Lauor. cap. 17. n. 16. & 20.* Quamuis Cathedralis in prima diuisione Parochiarum potuisset sibi reseruare ius quartæ funeralium, *Rota d. 376. n. 3. p. 1. recent. Barbos. ad cap. 2. n. 3. de sepult.* In quo casu quarta deberetur Cathedrali, quæ in hoc tunc haberetur pro propria Parochia. Cathedrali etiam debetur quarta si Episcopus in alia Ecclesia sepeliatur. *Tabien. v. Canonica portio. n. 19.* Et eadem ratione Parochiali quarta debetur si extra illam sepelitur Parochus. Et Cathedralis tenetur Parochiali de quarta si in ea sepelitur Parochialis Parochianus. *Panorm. cap. Cum super n. 9. de sepult.*

546 Cum igitur propria Parochia sit Ecclesia domicilij, plures accidere possunt casus dubij in quibus lis esse possit, cui debeatur quarta. Nam primo potest esse, quod aliquis habeat plura domicilia consuetæ habitationis, vt v.g. quia in vno habitat tempore æstatis, & in alio tempore hyemis. In hoc vero casu *Med. p. 2. q. 11. n. 1. & Lanor. cap. 17. n. 31.* loquentes de Rege, vel Principe dixerunt deberi quartam illi Ecclesiæ in qua pro maiori parte anni commoratus fuit. *Bonac.* autem *de contrac. disp. 3. q. 22. p. 2.* inquit, quod si huiusmodi Parochianus sepelitur in vna ex illis, Ecclesia illa non dat quartam; sed si in vna moritur, & in altera sepelitur diuidenda est quarta inter Parochos. *Nicol.* autem *p. 1. l. 4. tit. 15. n. 26. Ampl. 1.* existimat, quod æquum esset diuidere quartam in casu primo *Bonacinæ, quamuis de iure nõ sit diuidẽda.* Sic tamen, quod Pileus Episcopi non Cathedrali, sed Ecclesiæ debetur in qua Episcopus sepelitur ex *decl. S. Cong. Episcoporum 1652. Motula 26. Aprilis*, sed si defunctus in neutra sepeliatur, sed in tertia quartam inter Parochos esse diuidendam, quod dixit

etiam *Mirand. p. 1. q. 48. n. 9.* Pariter quartam diuidendam siue defunctus in tertia Ecclesia, siue in Parochiali aliqua sepeliatur habetur in statutis *Cleri Romani. cap. 3. §. 19.* Sed loquendo de iure communi alij dicunt, quod vbi vere quis habet plures Parochias, quia habet plura domicilia, quarta debetur illi in qua Parochianus moritur, in ea enim, & ab eius Parocho tenetur recipere Sacramenta extrema, & coram illo potest Matrimonium contrahere; Quarta vero præcipue debetur ratione debitæ administrationis Sacramentorum de tempore mortis; & ideo Parochianus ab eo Parocho sepeliri debet in cuius Parochia moritur, & quarta debetur Ecclesiæ à qua corpus assumitur. Quod ostendit clausula in priuilegijs apponi solita, scilicet, *salua iustitia illarum Ecclesiarum à quibus corpora assumuntur. cap. certificari. de sepult.* Nam & Parochianus tenetur ad recipienda Sacramenta non diuisim partim ab vna, partim ab alia Ecclesia, sed integra ab ea Ecclesia in qua habitat tempore in quo vrget Sacramentorum necessitas; ab eiusdem igitur Parocho debet sepeliri, & ei integra quarta debetur. Nec obstat, si Parochianus per maiorem partem anni maneat in vna Parochia, quia manet vbi vult pro sua libertate, & dum manet in vna Parochia est omnino liber ab alia, & eius Parochus ad nihil tenetur, sed tota obligatio, & integra est in Parocho intra cuius fines Parochianus habitat. *Syluest. v. Canonica portio n. 10. post summ. Angelicam Tabien. n. 16.* Sed dico, quod in hac parte vbi Parochianus habet æqualiter duo domicilia, si in tertia Ecclesia eligit sepulturam, officium sepulturæ faciet Parochus intra cuius fines moritur, sed quarta inter vtrumque Parochum diuidetur; quia sic expresse decernitur in *cap. Cum quis de sepultur. in 6.* Cæterum standum erit consuetudini locorum, quamuis de iure potior ratio sit eius Parochi intra cuius fines defunctus moritur.

547 Sed si domicilium alicuius sit in duabus Parochijs æqualiter, vel quis habet duas domos iunctas in duabus Parochijs æqualiter, quartam esse diuidendam inter Parochos dixerunt *Med. p. 2. q. 11. n. 2. Lanor. cap. 17. n. 36.* & idem voluit *Gloss. in cap. cum quis, de sepult. in 6.* Quod tamen limitant vt si Parochianus in altera illarum elegerit sepulturam, quarta non debeatur alteri nec etiam pro medietate, *l. Cum quidam ff. de legat.* Si vero contingat, quod domicilium sit in vna Parochia, licet ingressus in domum sit in alia, tunc quarta debetur Parocho in cuius Parochia est domicilium. Ingressus enim solus est, quid minimum, non considerandum. *Med. q. 11. n. 4. Lanor. c. 17. n. 37.* Ego in hoc existimo considerandum etiam an ex his duabus domibus vna sit alteri accessoria, vt v. g. si quis ad domum ampliandam emeret domum contiguam in alia Parochia existentem. Cum enim accessorium cedat principali, censendus erit vnusquisque Parochianus eius Ecclesiæ intra cuius fines principale domicilium est [illegible]tum. Censetur vero principale domicilium, quod in amplitudine, & nobilitate antecellet, seu cæteris paribus antiquius erit.

548 Si autem quis relinquat de [illegible] proprium domicilium animo [illegible] perp[illegible] ac [illegible] domicilium in regione, & ciuitate di[illegible], & in[illegible]riatur in itinere, quarta spectabit ad Parochum loci vbi is moritur, nullius enim alterius Parochiæ est. *Syluest. v. Canonica portio n. 19. E[illegible] Ar[illegible] bid. in cap. 3. de sepul. in 6. & ex Hugo. Ray. Gofr. & Vias. in cap Nos, de sepult. Tabien. n. 16.*

549 Si vero infirmus mutet domicilium, & ex ea infirmitate decedat, si leganit aliquid [illegible] Ecclesiæ Parochiali ad quam se transtulit, quartam [illegible] legato deberi priori Ecclesiæ dixerunt *Syl[illegible] Canonica portio n. 8. & 15. Med. p. 2. q. 11. n. 6. Lanor. c. 17. n. 39. arg. cap. de his de sepult.* Sed huius rationem non video. Verum quidem est, quod si quis non animo mutandi domicilium, sed infirmitati curandæ se trasferat ad aliam Parochiam, quod quarta debetur Parocho domicilij, nec mutatio causa infirmitatis variat domicilium. *Rota in [illegible] can. se funeralium 4. Iulij 1653. coram Zarata [illegible] de Parocho cap. 25. n. 27.* Et pariter vbi est [illegible] specialis sicuti teste eadem Rota ex statuto Cleri est Romæ, vt si infirmus decedat intra duos menses à mutatione domicilij quarta debeatur Parocho domicilij dimissi. Cæterum cum vere ad mutandum domicilium sufficiat mutatio de [illegible] cum animo perpetuo manendi in domicilio ad quod transit, non video cur infirmus non possit mutare simpliciter domicilium, & illud de facto mutat, si mutat ex animo perpetuo manendi dum vixerit in domicilio ad quod transit. Et certe quantum ad Sacramenta est subditus Parocho no[illegible] domicilij, nec coram Parocho prioris d[illegible] validum iniret matrimonium, non est ergo vn[illegible] Parocho prioris domicilij aliqua quarta [illegible]. Et non obstat, quod hic possit subesse fraus, quia à potentia fraudis non valet argumentum, vel ad fraudem, vel ad irritandum factum, quod po[illegible] esse ex fraude, aliter quamplurimi contractus [illegible] quibus potest esse fraus essent nulli. Et in proposito non est credendum neque verisimile, quod infirmus ex hoc solo velit mutare domicilium vt Parochus suus non habeat quartam, & quatenus aliqua is præsumptio esse posset in contrarium [illegible] statim infirmus non decedat, sed diu viuat cessat omnis præsumptio etiam in foro externo. Ideo in hoc standum esse consuetudini iudico. Et qu[illegible] a[illegible] tur ex *cap. de his non vrget.* Tum q[illegible] est specialis di[illegible]po[illegible] pro ingredi[illegible] [illegible], quæ non debet ex particulari facultate [illegible] pr[illegible]ata extendi ad casus diuersos. Tum [illegible], & in hac par[illegible] *cap. illud de consuetudine non seruatur.*

550 Si quis vero decedat rure, vbi recreationis [illegible] manebat potest [illegible]idem deferri in Ciuitatem, & tunc quarta de[illegible] Parochiæ propriæ [illegible] Parochiæ sui domicilij. Sed si hæredes nol[illegible] illum deferre in C[illegible]tatem, & sepeliatur [illegible] quarta debetur Parocho intra cuius Parochiæ fines [illegible] tur, si extra Ecclesiam Parochialem sepeliatur [illegible] Tunc enim Parochia ruralis cense[illegible] propri[illegible] quæ etiā tenetur ad adm[illegible]nda [illegible] orib[illegible] Sacramenta. *M[illegible]d. p. [illegible] q. 11. n. 7. Lanor. c. 17. n.[illegible] Lez. v. quarta. n. [illegible]* Quarta tamen [illegible]atorum [illegible] priæ Parochiæ intra Ciuitatem ex[illegible] de[illegible], Parochia enim ruralis solum per accidens, & re[illegible] pec[illegible] funera [illegible] subintrat.

551 [illegible] ad peregrinos, & aduenas di[illegible]sting[illegible] quarta de[illegible] [illegible] à quarta [illegible] [illegible] E[illegible] Parochial[illegible]

te[illegible] præ

test prætendere quartam funeralium pro his qui decedunt extra diœcesim, & ibi sepeliuntur. vt tanquam decisum à S. Congregatione Epis. & Regul. in vna Nucer. 5. Iun. 1594. & 2. Maij 1659. refert *Nicolaus p. p. l. 4. tit. 15. n. 21. vers. sed hæc.* Quod est verum non quia tunc non sit soluenda quarta, quia hæc solui debet, vt aduertit *Banac. de contract. disp. 3. q. 25. p. 2.* sed non debet solui propriæ Parochiæ. Sed quarta de legatis debetur propriæ Parochiæ, etiam si extra illam moriatur testator; illa enim est eius Parochia propria. *Med. p. 2. q. 11. n. 10. ex Pet. de Vbald. p. 2. cap. 7. nu. 23. Lauor. cap. 17. nu. 42.* Sed quarta funeralium iuxta consuetudinem, aut leges loci debetur, aut Cathedrali, aut Parochiæ in qua habitat, aut Parochiæ intra cuius fines moritur, si tamen non deferatur sepeliendus in loco sui proprij domicilij, quia tunc quarta propriæ Parochiæ debetur. Hæc regula seruanda esset, vt quarta detur Parocho, qui tenetur ex officio administrare talibus Sacramenta, & ex consequenti leuare cadauer de domo, & sepulturæ ex officio assistere. Is enim, qui ad hæc tenetur, censetur proprius Parochus.

552 Multa autem habet *Tuscus l. Q. conc. 26.* ad hoc pertinentia, vt quod Scholaris si in studio moriatur licet non mutauerit domicilium, nihilominus quarta debetur Parochiæ in qua de facto habitabat *Feder. de Senis cons. 253. Calder. cons. 379. alias . de sepult.* Idem de eo qui fugiens bellum, vel propter aliquod exercitium, vel si expositus recolligitur, & ex quacumque causa qui moratur sub Parochia de facto, ei Parochiæ debetur quarta, quia quarta debetur ei Parochiæ à qua cadauer sumitur. *Feder. cons. 254. n. 5.* Sic idem dicitur de mercenario, & nutrice, quia debent sepeliri in Parochia in qua se transferunt si durante seruitio moriantur. *Cald. d. cons. 379.* & de infante, qui in domo nutricis moritur, quod censeatur mutasse Parochiam, & quarta debeatur Parochiæ in qua decedit voluit *Federicus d. cons. 254. à nu. 5. 7.* & vniuersaliter, quod quantum ad ius Parochiale quilibet obligatur illi Parochiæ in qua de facto habitat non attento, an habeat animum mutandi domicilium, vel non; & nihilominus idem *Tuscus n. 8. ex Calder. cons. 379.* vult quod si quis propter pestem aufugit, & alibi moriatur quarta debeatur propriæ Parochiæ à qua aufugerat, quod non est consequenter dictum. Ideo in his considerandum est, quod famuli quicumque habitantes in domibus dominorum de dominorum domicilio, & familia sunt, vnde de eorum funere quarta debetur Parochiæ dominorum. Cæterum alij qui in proprijs domibus habitant proprium habent Parochiam in qua sepeliri deberent, si alibi non elegissent sepulturam, & ideo illi Parochiæ debetur quarta si alibi sepeliantur. Alij vero qui aduenæ sunt, & ex quacumque causa extra propriam Parochiam moriuntur, si adhuc sepeliantur in loco vbi est propria Parochia, quarta illi debetur, quia in ea sepeliendi essent, nisi alibi elegissent sepulturam. Sed si sepeliendi sunt extra locum, vel terminos Parochiæ in qua moriuntur, tunc postea quarta debetur iuxta consuetudinem, vel Matrici, vel Parochiali intra cujus terminos decesserunt, seu Ecclesiæ à qua Sacramenta extrema receperunt. Non est ergo vera regula illa vniuersalis, quod quarta debeatur Parochiæ in qua defunctus habitabat de facto tempore mortis, quia si adhuc sepeliri potest de facto in propria Parochia, quarta ei debetur si alibi sepeliatur.

553 Relegati in perpetuum quia perdunt domicilium habent Parochiam in loco relegationis cuius Parocho debetur quarta. Sed si sint relegati ad tempus, quarta legatorum debetur Parocho patriæ, & domicilij, *Med d. q. 11. n. 11. Lauor. d. cap. 17. n. 43.* sed dicitur, quod quarta funeralium debetur Parocho habitationis loci in quo moritur, vel cui ex consuetudine huiusmodi aduenæ subduntur, vt Parocho.

554 Vidua licet sepelienda sit in sepulchro mariti, funeris ejus quarta Parochiali suæ habitationis debetur; iura enim sepulturæ, & quartæ diuersa sunt. *cap. fin. de Parochijs, Feder. cons. 248. Med. d. q. 11. nu. 12. Lauor. d. c. 17. nu. 44.* Filius quoque emancipatus licet sepeliatur in sepulchro patris, vel alio à se electo, tamen de eius funere soluitur quarta Parocho sui domicilij. *Med. vbi supra. Lau. num. 45.*

555 Tandem aduertendum, quod Ecclesiæ etiam vacanti, aut impeditæ debetur quarta. De Ecclesia vacanti id affirmant *Hostien. & Io. Andr. in cap. Relatum, de sepult. Med. d. q. 11. n. 8. Lauor. d. cap. 17. n. 11. Bordon. res. 51. n. 52.* Et nihilominus oppositum ex *Baldo* tenet *Syluest. v. Canonica portio n. 8. vers. decimus quartus.* Sed casus ad hunc effectum non est dabilis, quia Ecclesiæ vacantes non relinquuntur sine Vicario à quo recipiantur Sacramenta. Cæterum secundum Canones quarta debetur Ecclesiæ, quæ semper durat, & ideo etiam Ecclesiæ vacanti sua portio debetur, si tamen moreretur defunctus nullo in loco existente Parocho, vel Vicario deputato nulli deberetur quarta funeralis. Quarta vero legatorum deberetur successori, vel iuxta qualitatem legati ei, qui Parochiæ præesset tempore mortis testatoris. De Ecclesia quoque impedita ne possint in ea audiri diuina, & recipi Sacramenta idem tradunt *Med. n. 9. Lauor. n. 41.* Sed vt dictum est supra, *n. 533*, hoc verum est, si impedimentum non sit ex culpa Rectoris, seu Parochi. Sed quando impedimentũ non est ex culpa Rectoris, non debet ille sine sua culpa priuari suis emolumentis. Subuenitur enim iusto impedimento detento. *cap. vnic. de Cler. non resid. l. 1. ff. ex quibus causis maior.* Absenti etiam quarta debetur, si ex causa rationabili absit. Sed si voluntarie, & culpabiliter, nec per se adsit, nec per alium, vt quia iniuste non vult adesse, & leuare corpus, quod non debeatur ei quarta tradit *Bordon. resol. 51. num. 40.* Quia tunc vacat Regula qui non facit, quod debet, non recipit quod oportet. *l. Iulianus § offerri. ff. de act. empt.* Idem dicit *Bordon. ibid. n. 41.* de priuato exercitio curæ, licet non beneficio. quia quarta, debetur ratione oneris in administratione diuinorum, qua ipse est priuatus. Verum sufficit, quod non desit qui Sacramenta administret, Nec est necesse, quod Parochus per se ipsum id perficiat. Et ideo quidquid sit an Parochus sit excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus, vel ex culpa aliter impeditus, dum per Vicarium aliquem Ecclesia Parochialis diuina administrat, ei debetur quarta. *Med. q. 11. n. 3. Lauor. c. 17. n. 41.* Ideo neque in eo casu in quo Parochus nolet adesse sepulturæ defuncti perdit quartam, quæ ei debetur non præ-

eise

eisse quia adsit funeri, sed quia Sacramenta, & diuina in Parochia administrat. Solum igitur non debetur quarta, si ex culpa Parochi Ecclesia sit interdicta, vt in ea diuina administrari non possint, nec defunctus sepeliri ex culpa Parochi, vt dictum est supra num. 533. Vel si culpabiliter negligat, & relinquat defunctos mori sine Sacramentis. Vel si de facto in loco nullus sit deputatus Parochus, vel Vicarius non erit cui detur quarta funeralium, vt etiam dictum est nu. 538.

556 Ecclesiæ vero per cuius fines transit processio funeralis non debetur quarta. *Lez. v. quarta n. 16.* sicut nec debetur Ecclesiæ dimissæ quando quis, qui elegerat sepulturam in vna Ecclesia illam dimittit, & elegit in alia. *Barbos. de Parocho c. 25. n 28. Mirand. p. 2. q. 48. a. 9. Nicolius p. 1. l. 4. tit. 15. n. 26. limit. 5.* Vbi addit tanquam decisum à S. Cong. *Episc. in Panorm. 6. Iun. 1614.* Quod si adsit consuetudo, quod Tertiariæ non possint sepeliri extra suorum Fratrum Ecclesias, si aliqua petat alibi sepeliri, ius conceditur sub conditione, quod id fiat sine præiudicio Ecclesiæ suorum fratrum, cui prius solui debeant omnia emolumenta, & iura funeralia, ac si ibi sepeliretur.

557 Quæritur septimo, quæ Ecclesia sit illa, quæ Parochiali debet quartam funeralium? Respondetur Ecclesiam quæ non est propria Parochialis defuncti, & est Ecclesia sepulturæ illius, quia vel ibi eam elegit, vel est sepultura maiorum, vel in ea aliquia sepelitur de facto, etiam si sit exempta debere quartam Parochiali defuncti. Habetur hoc *cap. 1. de sepul.* vbi conceditur libertas eligendi sepulturam cuicumque Cum hac tamen conditione, vt si eligens nihil reliquerit Ecclesiæ Parochiali eidem detur portio Canonica de relictis Ecclesiæ sepulturæ. *Syluest. v. Canonica portio n. 7. Med. p. 2. q. 10. Lauor cap. 17. n. 33. Tuscus l. Q. concl. 25. num. 3. Barbosa ad cap. 1. n. 2. de sepulturis.* Et tamen hoc est explicandum, vt intelligatur ecclesiam sepulturæ debere quartam in subsidium, quoniam vt supra probatum est n. 537. Testatori sepulturam eligenti competit onus relinquendi Ecclesiæ Parochiali, vt patet expresse ex *cap. 1. de sepult.* ibi *Et sic demum vbicumque sibi tum fuerit elegat sepulturam: Aliter ne fiat auctoritate Domini nostri, &c.* Sic ergo mens Pontificis est, vt testator relinquat Ecclesiæ Parochiali, & si hoc non fecerit, quod Parochiali detur portio canonica, & sic demum sub hac conditione sit sibi liberum eligere sepulturam. Ita DD. communiter.

558 Ampliant hoc *Med. d. q. 10. & Lauor. d. nu. 33.* vt si Parochianus vnius Ecclesiæ leganit alteri Ecclesiæ, sed non elegit sepulturam in Ecclesia cui legauit, debeatur de isto legato quarta Parochiali, & citatur ad hoc *cap. 1. de sepult.* & idem tenuit de legatis factis Minoribus *Alex. cons. 196. ap. Tuscum. conc. 28. 10.* Sed ex *d. cap. 1. oppositum colligitur*, quia ratione electionis sepulturæ in alia Ecclesia præcipitur, vt detur portio Parochiali, vnde est, quod sola Ecclesia in qua est electa sepultura tenetur ad quartam. Quod ex hoc etiam euidenter colligitur, quia si testator nullibi eligat sepulturam extra Parochialem, quamquam plurima legauerit alijs Ecclesijs nulla quarta debetur Parocho ab illis Ecclesijs; quia portio est præcepta solum sub conditione, quod eligatur sepultura extra Parochialem

Ex hoc vero, quod eligitur sepultura extra Parochialem satis illi fit per portionem, quam habet ab Ecclesia sepulturæ, absque eo, quod grauentur aliæ Ecclesiæ, quas non est æquum grauari ex eo, quod in aliqua alia Ecclesia electa est sepultura. Et in hanc partem senserunt *Gloss. in cap. 1. de sepult. Innoc. in cap. 2. eod. tit. Anchar. in cap. 2. eod. tit. in 6. Io. Andr. in cap. 1. & cap. Certificari de sepul. & in Gloss. in Clem. Dudum. §. verum de sepult.* quos refert, & sequitur *Syluest. v. Canonica portio n. 8. vers. sextus. Tabien n. 11. vers. quinto. Uldrad. cons. 287. apud Tuscum l. Q. conc. 28. n. 10.*

559 Secundo ampliant *Medices d. q. 10. & Lauor. cap. 17. n. 34* vt quarta debeatur ab Ecclesia sepulturæ de legatis relictis sibi ob aliam causam, quam causa sepulturæ. Sed & hoc dicitur sine fundamento. Et melius dixit *Panorm. ad cap. 2. de sepult.* quem sequitur *Syluest. v. Canonica portio n. 8. vers. quintus. & vers. decimus tertius, & Bonac. dec. 22. p. 2. & ex Bald. cons. 236. in princ. lib. 2. Tuscus l. Q. conc. 27. n. 55.* Vbi, & bene addit, quod si præcisa fraude testator prius legauit aliquid Ecclesiæ alicui, & postea elegit in ea sepulturam, quod Ecclesia sepulturæ non tenetur ad quartam illius legati. Nam in eo casu Ecclesia electa se habet, ac si non fuisset electa, & per accidens est priori electæ, quod postea fuerit sepultura electa. Et *Panorm. n. 5.* addit quartam non deberi de relictis pro alijs Sacramentis.

560 Tertio ampliant ijdem DD. ex *Petr. de Vbald. de Canon. port. p. 2. cap. 6.* quod si in priuilegio concesso Ecclesiæ non sit posita clausula salua iustitia, &c. illa debeat subintelligi, quia talis clausula debet semper subintelligi. *Panorm. c. 9. n. 9. de sepult.*

561 Ampliant alij quarto, vt à mendicantium Ecclesijs debeatur quarta nulla obstante consuetudine siue præterita, siue futura *Tuscus l. Q. conc. 28. n. 5. ex Alex. cons. 196. n. 3.* Vbi quod *Clem. Dudum §. verum de sepult.* tollit omnes consuetudines contrarias, & num. 17. vt nec obstet præscriptio, quia non præscribitur sine titulo. Sed vt infra probo *Clem. Dudum* est abrogata, & consuetudo immemorabilis numquam excluditur. *Rota in Tolet. Decimarum 16. Martij 1643. coram R. D. Celso.* Sed neque est verum quod *d. Clem. Dudum* casset consuetudines futuras, & illis resistat; solum enim ad præteritas referri debet.

562 Limitatur propterea, quia quartam non debet Ecclesia, quæ vel illam præscripsit, vel ex priuilegio est exempta, vt dictum est supra. Non sufficit tamen generalis exemptio à iurisdictione Episcopi sine priuilegio speciali *Barbosa ad cap. 2. nu. 2. de sepult.* Et maxime in terminis *Clemen. Dudum, de sepult. Syluest. v. Canonica portio n. 4. & 7.*

5[illegible] Limitatur secundo, vt de legato facto ab *Episcopo* Ecclesiæ suæ sepulturæ ipsa non teneatur ad quartam. Quia *Clem. Dudum*, & alia iura [illegible] de Parochianis quibus ministrantur à [illegible] Sacramenta, quod non habet locum in *Episcopo*, qui non est Parochianus, sed alijs Sacramenta ministrat. Et ideo *d. Clem.* & alia iura non de[illegible] tanquam odiosa extendi ad casum non expressum, vt [illegible] *Anchar. cons. 186.* habet *Tuscus l. Q. conc.* [illegible] *n. 14. Qui concl. 25. n. 4.* idem asserit de quarta funeralium, *eod. Anchar. & Card. Zabar. cons. 90.*

conf. 90. vt Ecclesiæ suæ de eius funere percipere quartam non debeant. Quidquid in contrarium dixerit idem *Card. in d. Clement. Dudum. §. verum autem.* 14.

564 Limitant hoc tertio aliqui, vt Cathedralis non teneatur ad quartam reddendam alicui Parochiali, quando aliquis in ea elegit sepulturam. Ne mater filiæ tributum pendere videatur, *Lauor. cap.* 21. n. 70. *Nicolius p. 1. l. 4. tit. 15. n. 26. limit. 4.* vbi addit, quod alicubi seruatur contrarium.

565 Quæritur octauo qua actione Parochus agere possit in iudicio ad consequendam quartam sibi debitam? Quartam non esse dandam Parochis nisi ab eis petatur, dixit *Bonac. de contrac. disp.* 3. *q.* 22. *p.* 2. *ver. Dixi in propositione.* Tum quia est eadem ratio, ac de Falcidia, & Trebellianica, quæ non debetur nisi petatur. *l. si sponsus §. fin. ff. de donat. inter. vir. & mul.* Tum quia cum quarta possit remitti, censetur remitti dum non petitur *Molf. tr.* 1. 3. c. 9. n. 50. *Megal. t.* 2. *instruct. Conf. l.* 2. c. 13. n. 34. Multa autem de *quæst. proposita* habet *Lauor. cap.* 17. *à n.* 61. *& seq.* Nimirum quod quando Parochialis Ecclesia agit contra Ecclesiam legatariam, quarta petitur conditione ex canone si contra hæredem ex testamento; & hoc quando corpus est traditum sepulturæ. Et quod si petitur ab hærede debet peti post aditam hæreditatem; quamuis possit petere ante, sed non capiet de manu hæredis. Similiter si legatum factum fuerit sub conditione recipiet adimpleta conditione. *l. cedere diem: ff. de verb. signif.* Potest tamen Ecclesia Parochialis obtinere ne hæres soluat totum legatum Ecclesiæ legatariæ, sed sibi retineat quartam sibi debitam; Hæres tamen si soluerit totum legatum Ecclesiæ legatariæ, liberatur à Parochiali: & si soluerit quartam Parochiali liberabitur ab Ecclesia legataria ope exceptionis. *l. si apera ff de dolo except.*

566 Peti potest, & debet coram iudice Ecclesiastico, quia est causa pia. *cap. si diligenti, de foro compet.* Si vero contra executorem testamenti agetur coram Episcopo Ordinario executoris. *l. vnic. C. vbi tutor, seu curat. l.* 2. *C. quando, & quib.* si agetur contra exemptos conuenietur coram Conseruatore. Et satis est petere quartam in genere non expressa quantitate, si vero quarta erit immobilium exprimitur fundus, & fines eius, super quo prætenditur. DD in *cap. Certificari de sepult.* Exprimenda item sunt nomina debitorum cuius causa debetur, & nomen defuncti, & debet probari, quod bona quorum causa petitur deuenerint ad Ecclesiam *l.* 1. *C. quando, & quibus.*

567 Addit Lauor. n. 69. quod Parochus non tenetur accipere quartam de manu Regularium, sed potest illam vendicare, & inhibere hæredibus, vel per fideicommissum grauatis, ne illam Regularibus soluant. Sed & *Lap. all.* 30. apud *Tuscum lit. Q. conc.* 24. n. 3. hoc idem asseruit de Episcopo. Sed quod quarta non possit exigi ab hæredibus defuncti, sed debeat capi de manibus Ecclesiæ legatariæ, seu sepulturariæ cui integra portio solui debet, & ipsa quartam soluere Parocho voluerunt *Oldr. cons.* 225. *Bardan. resol.* 51. n. 45. Quia in *Clem. Dudum de sepult.* præcipitur fratribus, vt soluant quartam. *Nicolius p. 1. l. 4. tit. 15. n. 26. 10. limit.* vbi refert declarat. S. Cong. Concil. 9. Nou. 1619. in qua decretum asseritur, quod in nullo casu possit Parochus quartam ab hæredibus exigere, etiam cum defunctus sepultus fuit apud Ecclesias eorum Regularium, qui ab ea sunt exempti. Et addit, quod eadem S. Cong. in vna Acherrunti[illegible] 15. Iunij 1638. censuit ad solutionem quartæ funeralis non teneri hæredes, vel executores testamentarios, sed Rectores Ecclesiæ, in qua defunctus extra suam Parochiam sepelitur. Emolumenta vero sepulturæ pro Cadaueribus non posse de iure peti, nec exigi: sed si quid ex legitima consuetudine à sponte dantibus solui consueuerit, huiusmodi consuetudinem permitti posse: ita tamen, vt ex non solutione interim non denegetur sepultura. Econtra vero *Tuscus lit. Q. concl.* 23. n. 2. amplius vult, quod siue ordine iudicij permittente Episcopo possunt Parochi de manibus portantium accipere candelabra, candelas, & alia spectantia ad portionem Canonicam: quia licet Episcopus non possit compellere exemptos, possunt tamen de manibus laicorum eripi cerei, quia istud est ius notorium, & notissimum, quod competit Parochiæ. *Bald. conf.* 270. *circa medium. ver. sed nunquid l.* 4.

568 In præsenti difficultate certum est primo, quod vbi Ecclesia sepulturæ est exempta à solutione quartæ non possunt Parochi illam exigere ab hæredibus. Quod declarauit. S. Cong. Conc. supra citata. Et est manifestum, quia quarta debetur ab Ecclesia sepulturæ de beneficijs, quæ illi obueniunt ratione sepulturæ, *cap. Cum liberum. cap. In nostra, de sepul. Clem. Dudum eod. tit.* Si igitur huiusmodi beneficia ex priuilegio integra remanent Ecclesiæ sepulturæ non est vnde Parochus aliquid velit ab hæredibus, vel executoribus defuncti. Certum est secundo, quod si hæredes, vel executores dederunt Ecclesiæ sepulturæ totum, quod est dandum, nihil possunt petere ab eisdem hæredibus, vel executoribus, qui suo muneri plene satisfecerunt. Et hoc etiam continent dictæ declar. S. Congregationis, & est sententia communis, quæ ex infra dicendis magis erit manifesta. Tertio etiam dicitur si vbi adest rationabile dubium negandi quartam, Parochi de facto etiam permittente Episcopo, (qui in hoc sæpe etiam non erit competens iudex, & si sit non debet nisi seruata forma iudicij agere in tali casu), tollant cereos de manu laicorum erit manifestum attentatum, & violenta vsurpatio. Vnde vltimo dicitur, quod nō nisi via iuris potest Parochus suam quartam exigere si sibi negetur, & sic poterit quartam sequestrari apud hæredes.

569 Sed ad horum euidentiam considerandum est in vacantia Ecclesiæ, quod si ex negligentia Rectoris non petatur quarta potest Episcopus illam petere: quia Episcopus potest agere pro iuribus suarum Ecclesiarum etiam si talis Ecclesiæ vacent *cap. fin. de success. ab intestato. Vbald. p.* 2. *c.* 3. *Lauor. n.* 68. Propterea *Rota dec.* 334. *nu.* 1. *&* 2. *p.* 6. *recent.* censuit, quod Episcopus *Nauar.* potuit ex officio Iudicis nobili agere contra homines terræ Cameri ad quartam decimarum, sibi debitam, quia Parochus illam non perceperat, sed illam detinebant homines dictæ terræ; semper vero intrat nobile officium iudicis vt quis ius suum amittat ex cessantia directæ actionis. vt plenæ fuit firmatum in decisionibus causæ 5. Decembris 1627. & 11. Martij 1630. & addicit nu 3. non obstare, quod non constet de aliquo iure Episcopi Rectore non citato, nec

to, nec audito, qui potest deducere iura sua, & præcipue præscriptionem, *cap. de quarta, de Præscrip.* vel si de aliquo constet, non potest ex eo agere pro integra decima contra Rectorem, nec per consequens contra Parochianos actione subsidiaria Iudicis officio nobili, dum idem Rector non percipit totam decimam, sed Capitulum duas partes ex tribus; pro qua rata Episcopus non potest fundare intentionem suam contra Rectorem non possidentem, sed contra Capitulum, à quo vere percipiuntur debet actionem suam dirigere. Quia cum indubitatum esset tam de iure, tam ex dominio, & possessione Episcopo *Nouarien.* deberi hanc quartam; Cum homines Terræ Cameri quartam hanc apud se retinerent, Iudicis officium nobile denegari non poterat, quia Parochiani in nullo grauabantur soluendo potius Episcopo, quam Rectori. Alias vero regulariter dari non potest de iure tertij, & quamuis à regula soleat recedi, quando est exclusiuum ipso iure intentionis agentis, quasi excipiatur non de iure Rectoris, sed de non iure Episcopi, attamen qualitas iuris exclusiua ab allegante probari debet, nec sufficeret si altiorem requireret indaginem, vnde cum homines Terræ Cameri non probarent Rectorem, aut præscripisse hanc quartam, aut eam esse penes aliam Ecclesiam in quantitate prætensa per Episcopum, non potuerunt iuuari prædicta exceptione.

570 Nihilominus tamen Rota *eadem dec. 519. coram Greg. 15.* docet quod non liceat Episcopo quartam hanc exigere a laicis, sed eam debere exigere ab Ecclesijs Parochialibus. Præmisso enim, quod Episcopus habet fundatam intentionem de iure communi super quarta decimarum debitarum Parochijs, *cap. conquer. de off. ordin. cap. de quarta de Præscript. cap. cum olim de censibus.* Vbi *Beltraminus* addit, quod de iure communi deberi hanc quartam Episcopo dixit alias *Rota dec. 31. n. 5. p. 1. diuers. & dec. 402. n. 1. p. 2. recen. & in Pacen. Decimarum 12. Februar. 1608. coram Sacrato, & dec. 1419. n. 4. apud Seraph.* eadem Rota reprobauit opinionem eorum, qui dixerunt illam quartam non de iure communi, sed ex consuetudine deberi Episcopo. Et imo, quod Episcopus super hac quarta habet coequale ius cum Parocho, vt tradunt DD. omnes in *cap. quoniam de Dec.* & dixit *Rota in Conchen. Decimarum dell'Infantada 18. Decembris 1617. coram R. P. D. Andrea.* Nihilominus *Rota in d. dec. 519.* subdit hoc intelligi contra Ecclesias percipientes decimas, vt ab eis quartam exactam exigere possit, & non à personis laicis qui de iure illas soluere debent Rectoribus Ecclesiarum Parochialium. *cap. ad audientiam de Cler. non residente. Pac. dec. 371. l. 1.* Et propterea dictum fuit Episcopo Nouarien. non deberi integram quartam ab hominibus Belmzaghi. Verum pro nunc dici posset, quod huiusmodi duæ decisiones Rotæ loquuntur in terminis diuersis. *Rota enim in decis. 334. p. 6. recent.* loquitur in casu in quo quarta à laicis non petebatur per Rectorem, ex quo resultabat præiudicium Episcopo, & in hoc casu dixit Episcopum ex nobili Iudicis officio posse a laicis exigere quartam nulli Ecclesiæ solutam, sed apud laicos existentem. Sed in *decis. 519. coram Greg. 15.* est sermo de actione directa in laicos ad dictam quartam recipiendam, integre ab illis, cum directum ius Episcopi sit recipere quartam ab Ecclesijs non vero à laicis, sic est sermo de actione in laicos parratos soluere integrè legatum in manu Rectoris. Vnde loquuntur in diuersis terminis. Verum de hac quæstione, quæ spectat ad quartam Episcopalem dicam inferius, & ostendam, quod Episcopus potest etiam in exactione suæ quartæ præuenire Parochum, & immediate illam à laicis exigere. Hoc tamen hic est considerandum, quod si inter Episcopum, & Rectores esset lis, & Rectores exemptionem prætenderent Non posset Episcopus via facti prohibere laicis ne decimas, vel legata soluerent Rectoribus, nec sibi liceret via facti procedere, & compellere laicos ad sibi soluendum, sed seruato ordine iudicij solum in casu in quo id iustum esset posset facere, vt portio sua retineretur apud laicos donec de bono iure constaret: sic ergo, & Parochi ab Ecclesia sepulturæ possunt exigere quartam, & vbi sit opus iudice non licet eis de facto rapere aliquid, vel vsurpare de manu laicorum, sed solum via iuris, si id iustitia permittat poterunt facere, vt quarta in eorum vel alterius manibus sequestretur, aut deponatur: si vero laici renuerent soluere, & Ecclesia legataria esset negligens, tunc Parochus coram Episcopo suo posset contra laicos ad suam portionem obtinendam agere. Et quia Parochus non est iudex, ideo nihil in hoc potest facere de facto in præiudicium Ecclesiæ sepulturæ nisi medio iudice via iuris seruata. Et quidem potest à laico petere quartã, & si laicus velet illi quartam dare potest illam recipere. Sed non potest via facti illum impedire ne Integrum emolumentum vel legatum soluat Ecclesiæ. Potest tamen via iuris etiam immediate suam quartam petere à laico, & illam recipere, & posset iudex inhibere laico ne quartam solueret nisi Parocho. Sed videnda sunt, quæ infra a nu. 626. & seqq. dicentur de quarta Episcopali.

571 Ex Rota etiam *dec. 107. p. 9. Recent.* aliqua notanda sunt, quæ ad actionem hanc exigendi quartam faciunt. Habet enim. nu. 9. quod attestatione Episcopi facientis fidem de transactione, & reseruatione quartæ funeralis non fuit standum, nedum quia non erat iurata, nec fuerant citati illi, de quorum interesse agebatur, sed præsertim quia dicta fides videtur tendere in fauorem ipsius Episcopi. *Rota dec. 585. n. 3. p. 4. diuers. & dec. 13. n. 4. p. 2. recent.* Et addit *nu. 11.* quod in ea transactione si facta fuisset, fratres non potuerunt præiudicare successoribus, nec renunciare priuilegijs eorum Ordini concessis, *cap. Cum accessissent de constit. Rota in Hispalen. 4. funeralium 4. Iulij 1590. coram Pamphilio, & in Treueren. bonorum 15. Martij 1621 coram Dunozeto.*

572 In Veronen. etiam Iurium Parochialium 15. Iunij 1629. quæ est 88. apud *Tambur. tom. 3.* habetur, quod exemplum exempli nihil probat *lib. 3. C. de diuers. rescr. Authen. si quis in aliquo C. de edendo. Verall. dec. 234. n. 2. p. 3. Greg. dec. 432.* Nec sufficit, quod exemplum sit extractum de Archiuio, si non constat Archiuium habere requisita. *Rota dec. 581. n. 3. p. 2. recen.* Et quod archiuium non probat inter personas non subditas. *Verall. dec. 42. p. 1. Seraph. dec. 642. n. 1. Pat. dec. 186. n. 1. lib. 3.* Et quod debet constare quando scriptura fuit posita in Archiuio, quia aliter potuisset ibi esse posita de tempore

motæ litis. *Verall.dec.41.n.4.p.1.conf.42. n.6.l.3.* Et tandem, quod transumptum de Archiuio non probat si fuit acceptum de tempore motæ litis sine compulsorialibus, & citatione partis. *Rota decis.1. n.1. de fide instrum. in nouis. Greg.dec.71.n.3.*

573 Tandem considerandum, quod non bene *Lauor.* dixit, quod vbi quarta postuletur ab hærede, tunc iudex esse possit secularis, quia actor sequi debet forum rei. Nam hoc est verum in causis mere temporalibus, sed cum ius ad quartam sit spirituale, ideo Iudex in hac causa semper debet esse Ecclesiasticus. *Bonac.de contr.disp.3.qu.22.p.4. nu.3.* Ideo si reus est laicus, qui conueniri debeat, vt legatum vel debitum soluat, iudex erit Ordinarius. Sed si rei sint Regulares, coram eorum conseruatore, vel superiore aliquo conueniendi erunt, vt dixit *Sylu.v.Canonica portio in fine. Rodriq. p. 1. q.39.a.9.* Lauor. & aduerterunt *Moron. resol. 52.nu. 26. Cespedes dub.364.n.18. Serophæ q.13. num.113.* Nunquam tamen licitum erit ob hanc causam differre sepulturam defuncti. *Tuscus l. Q. concl.23.nu. 1.* Et si legatum sit ad certum tempus, non potest Parochus, vel Episcopus ante illud tempus velle quartam ab Ecclesia legataria. *Tuscus. conc.27.nu. 36.* Cum vero quarta de iure debeatur Parocho, sed tamen constet ex priuilegijs eam non deberi à Regularibus nisi per annos 40. ante Concilium soliti fuerint eam soluere; Parochi est hanc consuetudinem probare. *Samuel.disp.4.contr.1.n.27.*

574 Quarta etiam admittit in compensationem quidquid Parochus recepit pro sepultura, ac si in Parochia defunctus sepeliretur. *Tuscus l. Q. concl.30.n.1.ex Butr.cons.81.fin. Couar.cap.officij n. 6.de testam.* Quamuis in computum non debeant poni candelæ, quæ dantur Parochis de consuetudine quando alienum comitatur ad sepulturam extra Parochiam, quia dantur pro labore corporali. *Tusci nu.2.*

SVMMARIVM.

1 *Quid quarta Episcopalis. n.575.*
2 *Nomine Episcopi veniunt Prælati. n.576.*
3 *Ratio cur Episcopo debeatur quarta. n.577.*
4 *Portio Episcopalis est tertia, vel quarta. In dubio est quarta. n.578.*
5 *Quæ antiquitus fuerit portio Episcopi. n.578.*
6 *Qualiter portio Episcopalis possit præscribi. num. 579.*
7 *In multis casibus non currit præscriptio. n.580.*
8 *Episcopus non potest renunciare, vel transigere de quarta sine beneplacito Apostolico. n.581.*
9 *Quarta debetur Episcopo de mortuarijs, legatis, & decimis. n. 582.*
10 *An Episcopo duplex quarta funeralium debeatur. nu. 583. 584.*
11 *Episcopo debetur quarta de omnibus legatis factis pro anima. n.585. 588.*
12 *Status antiquus quartarum secundum aliquos. nu. 586.*
13 *Generalis regula male accepta à Concilijs Prouincialibus. nu.587.*
14 *Qualis fuerit status verus portionis Episcopalis ab antiquo. n.587.*
15 *Canones contrarij ad concordiam reducuntur. nu. 587.*
16 *Quæ sint legata facta pro anima. n.588.*
17 *Quartam prius detrahit Parochus, quam Episcopus. n.589.*
18 *Episcopus non semper habet duas quartas. n.590.*
19 *Ecclesiæ exempta non tenentur ad quartam. num 591.*
20 *Etiam de relicto à non exempto. n. 592.*
21 *Capella non exempta tenetur ad quartam. num. 592.*
22 *De legato facto Ecclesiæ alterius diœcesis nihil debetur Episcopo testatoris. n.593.*
23 *Potest esse, quod de vno legato aliquando duæ, aliquando vna, aliquando nulla quarta debeatur. num. 594.*
24 *Sufficit, quod Ecclesia sit exempta tempore mortis testatoris. nu.595.*
25 *De legato facto Ecclesiæ destructæ non debetur quarta. n.596.*
26 *De legato personali non debetur quarta. n.597.*
27 *De legato ad fauorem non habentis prælationem, vel administrationem, non debetur quarta. num. 597.*
28 *De legato pro maritandis puellis non debetur quarta. n.598.*
29 *De legato pro pauperibus non soluitur quarta. num.598.*
30 *Quid de legato facto pauperibus talis loci. num. 598.*
31 *Regula, quod si sit expressa dignitas legatum non sit personale est fallax. n.599.*
32 *Relictum à consanguineo censetur personale. nu. 599.*
33 *Relictum ab extraneo habenti administrationem censetur locale. n.600.*
34 *Vnde cognosci possit, an legatum sit personale. nu. 601.*
35 *Propinquitas qualis, & quæ amicitia arguat relictum esse personale. n.602.*
36 *Episcopi est probare, quod relictum consanguineo non sit personale. n.603.*
37 *De legato facto Canonicis debetur quarta. n.604.*
38 *Episcopus de sibi legatis dat portionem Cathedrali non alijs Ecclesijs, vbi non præscripsit contra Cathedralem. n.605.*
39 *In relictis Religiosis non datur distinctio legati Intuitu personæ, & Ecclesiæ. n.606.*
40 *Non debetur quarta de relicto, aut dispensato in vsus priuilegiatos. n.607.*
41 *Nec pro dote capellæ. n. 608.*
42 *Quid de legato pro missis. n.609.*
43 *Nec pro pallio ad cooperiendum feretrum. num. 609.*
44 *Quale sit legatum ad Dei cultum. n.610.*
45 *Plures alij casus in quibus non debetur quarta. nu. 611.*
46 *Consuetudo eximit à quarta. n.611.*
47 *Luctuosa alicubi datur pro quarta. n.611.*
48 *Ex legato facto Episcopo non liberatur Ecclesia à quarta nisi sit relictum sub ea conditione. nu. 612.*
49 *Regalia debentur Ecclesiæ sub qua est Baronia. n. 613.*
50 *Si Ecclesia sit hæres in electione Episcopi erit ex qua parte sumat quartam, sed adiuncto arbitrio Iudicis. nu.614.*
51 *An de donatione, & oblationibus debeatur quarta.*

ta. num.615.
52 *Antiquorum canonum intellectus, & ordo. n.616.*
53 *De donatis, & oblatis in vita non debetur quarta. n. 615.617.620.*
54 *Intel. Cap. conquer. de off. ord. n.617.*
55 *Intellectus cap. De his, de testam. n.617.*
56 *De bonis possessis ab antiquo nulla quarta debetur Episcopo. nu 618.*
57 *De oblationibus non debetur quarta. n.619.*
58 *An donatio facta in tempore mortis sit causa mortis. nu.620.*
59 *Donatio causa mortis qua sit. n.621.*
60 *De donatione facta in morte si sit inter viuos non debetur quarta. nu.622.*
61 *Episcopo debetur quarta decimarum de iure. nu. 623.*
62 *Hac portio de iure est quarta. n.623.*
63 *Aliquando debeatur integra decima. n.624.*
64 *Non debetur ab exempto privilegio, vel consuetudine. nu.625.*
65 *Episcopus à Parochis recipit quartam, licet aliquando etiam à laicis. n.626.*
66 *Si Parochi non exigant legata, & decimas potest Episcopus illas exigere nomine Ecclesia Parochialis. nu.627.*
67 *Aliud est ius petendi decimas, & aliud est ius eas habendi ad suũ commodũ, & eis vtendi. n.628.*
68 *Episcopus quomodo ad decimas habet coequale ius Parocho. n.628 & seqq.*
69 *Parochus qua iure exigat decimas. n.629.*
70 *Episcopus in exigenda a laico decimas potest Parochum prauenire. n.629.*
71 *Episcopus partem Parochi non potest sibi appropriare. n.630.*
72 *Parochi ab Ecclesia habens ius decimarum. num. 631.*
73 *Non est eadem ratio de decimis, & de legatis. nu. 632.*
74 *Episcopus legata potest petere, & exigere. n. 632.*
75 *A quibus Hospitalibus quarta debeatur Episcopo. num.633.*
76 *An quarta debeatur à confraternitatibus. n.634.*
77 *Ecclesia exempta non debet quartam. nu.635.*
78 *Ecclesia Parochiales debeant quartam decimarum. num. 636.*

INSPECTIONIS QVINTAE.

CAP. SECVNDVM.

De quarta Episcopali.

575 PORtio Episcopalis est certa bonorum portio, quæ debetur Episcopo ab Ecclesijs sibi subiectis ratione oneris, quod sustinet in administratione Episcopatus, & fuit introducta ex similitudine legitimæ concessæ Patri, ac Domino in bonis filij, vel liberti, ad instar cuius visum est, vt Episcopo, qui censetur Pater in sua Diœcesi, & Dominus, detur ius ad certam portionem bonorum aliarum Ecclesiarum sibi subiectarum. Et dicitur Canonica portio, quia fit per Sacros canones approbata, & statuta. *Sylvest. v. Canonica portio n.1. Tabien. in princ. Hostien. in sum. tit. de sepult.* Vnde ad hanc portionem consequendam Episcopus habet intentionem in iure fundatam. *Rota dec. 519. coram Greg. & dec. 1449. coram Seraph. & dec. 31. p. 1. diuers. & dec. 402. n. 1. p. 2. recent. & in Pacen. decimarum 12. Feb.* 1608. Et Episcopo conuenit, nec ad eam vel minimum ius habet Capitulum, sed integra pertinet ad Episcopum *Rota dec. 48. n. 2. p. 1. recent.*

576 Nomine vero Episcopi veniunt Archidiaconus, & quilibet alius Prælatus inferior, qui habeat iurisdictionem quasi Episcopalem, quia quarta est de lege iurisdictionis, & de iure Episcopali. *Inn. in cap. 1 de stat. Monach. Vbald. c. 1. n. 4. Barbosa all. 86. n. 8.* Cum igitur huiusmodi habeant Ecclesias sibi pleno iure subiectas, illas habent cum omnibus emolumentis connexis, & annexis. *Vbald. cap. 5. q. 4.* quem sequitur *Barbosa n. 9.*

577 Ratio autem quare Episcopis portio hæc Canonica sit tributa assignatur triplex. Prima est in recognitionem superioritatis sicut cætera iura Episcopalia. *cap. conquerente de off. ordinar. cap. auditis de præscrip.* Secunda est ob communicationem quæ est inter Episcopum, & Ecclesias sibi subiectas. *cap. requisisti. vers. fecus, de testam.* Tertia ratione oneris, quod sustinet Episcopus in cura omnium Ecclesiarum sibi subiectarum. Quæ ratio etiam fuit causa, quod Parocho adscriberetur Parochialis portio. *c. 1. de sepult. Clem. Dudum eod. tit.* Quibus additur etiam ratio supra posita, quia omnium Episcopus est Pater, & Patronus totius diœcesis. *Med. q. 14.* Vide etiam *Tuscum l. Q. concl. 22.* vbi alias rationes affert.

578 Quæritur autem primo quota sit pars canonica debita Episcopo? *Barbosa de off. Episcopi all. 86. n. 3.* habet, quod attento iure antiquo certa portio fuit diffinita scilicet quarta pars redditum Ecclesiasticorum, cæterarumque obuentionum, quæ intuitu pietatis Ecclesijs inferebantur, *cap. de redditibus, cap. mos est. 12. q. 2.* Postea vero tertia pars fuit assignata iuxta varietatem Prouinciarum eo adiecto onere, vt Episcopis incumbat fabrica Ecclesiarum inferiorum, vt in sua Lusitania factum probat *cap. prisces, cap. vnio cum alijs 10. q. 3.* Et nihilominus, quod de bonis quæ testatorum, seu defunctorum iudicio relinquuntur sine præfato onere tertia pars debeatur Episcopis habetur ex *cap. 1. de sepult.* Et tamen, quod huiusmodi pars aliquando fuerit medietas, aliquando tertia, aliquando quarta pars habetur ex *cap. certificari, de sepulturis, & cap. Requisisti, de testam.* Verum nullibi legitur, quod per Constitutionem Papalem Episcopis detur medietas, vel redditum Ecclesiasticorum, vel legatorum, aut oblationum, vel decimarum. Nam in *cap. Certificari, de sepult.* de portione funerali Parochiali, est sermo, & non valet à portione Parochiali, & funerali ad Episcopalem arguere, quia à diuersis non fit illatio. Sed & in *cap. Relatum, de sepulturis* vbi decernitur, quod transiens ad Monasterium de ijs quæ disponit pro salute suadet medietatem Ecclesiæ, ad quam dignoscitur pertinere, nimirum vt explicat *Glossa*, a qua fidei Sacramenta suscepit: manifestum est, vt explicat *Panor. nu 4.* sermonem esse de Ecclesia Parochiali, quod & colligitur ex *cap. In nostra eod. tit. & cap. 2. de sepult. in c. In cap.* vero *antiquos 10. q. 1.* decernitur,

quod

quod oblationum quæ in altari oblatione fidelium feruntur medietas detur Episcopo, sed illud non fuit decretum Apostolicum, sed Concilij Aurelianen. primi. Circa quod est aduertendum, quod dictum *cap. citatur ex can. 16. dicti Concil.* Sed ibidem ex eodem *Concil. can. 17. in cap. De his*, oppositum decerni videtur, vt non sit tam facile dicta capitula intelligere, vt sibi non contrarientur. Canones autem ex 12. *q.* 2. In vniuersum loquuntur de redditibus Ecclesiarum, & pro eo tempore in quo bona Ecclesiæ in communi prouidebantur, nec erant distinctæ mensæ Episcopi, & Ecclesiæ, & Capitulorum, & Fabricæ. Nam & tunc omnia Ecclesiæ bona sub administratione Episcopi erant, vt dixi supra *q. 185. a. 7. n. 9. & sequent.* Fuit postea dispositum, vt ex huiusmodi bonis quarta pars cederet Episcopis, prout ex Gelasio Papa habetur in *citat. cap. concesso, & cap. quatuor, & ex Gregor. cap. Cognonimus, & cap. Mos.* 12. *q.* 1. Et tandem distinctis mensis Ecclesiæ, seu Capituli, & Episcopi, remansit in vigore statutum, vt nedum Episcopus haberet integros redditus bonorum immobilium suæ mensæ deputatorum, sed & quartam obuentionum, nimirum legatorum, decimarum aliarumque obuentionum, quæ fiunt Ecclesijs, & ideo de iure communi quarta horum debetur Episcopo, & ad eius mensam spectat. Quod est conforme iuri antiquo dictorum canonum, in quibus quarta pars oblationum adiudicabatur Episcopo, & habetur diffinitum in *cap. conquerente, de off. ordinarij, & in cap. de quarta de Præscript.* Et verum quidem est, quod in *cap. Requisiuisti de testam.* portio Episcopi dicitur tertia, vel quarta pars, sed hoc dicitur esse secundum diuersas consuetudines, Nam vel ex consuetudine, vel ex lege speciali in aliquibus locis Episcopis debebatur tertia, sed non ex aliqua Apostolica, & communi lege: nam ex *cap. Decreuimus* 10. *q.* 1. in quo dicitur antiqua traditione fuisse statutum, vt tertia pars obuentionum cederet Episcopo, est desumptum ex Concilio Prouinciali *Tarraconen. cap.* 8. In iure vero communi Pontificum habemus determinate, quod hæc portio est quarta *d. cap. conquerente, de off. Ordinarij, & cap. de quarta, de Præscript.* Quamuis ius commune approbet consuetudinem tertiæ vbi illa viget, *d. cap. Requisiuisti, de testam.* Et ita quod portio Episcopalis sit tertia, vel quarta dixerunt *Syluest. v. Canonica portio n. 1. Tabien. n. 2. Med. p. 2. q. 14.* Nihilominus *Panorm. in cap. officij de testamen. Armill. v. Canonica portio* existimant in hoc esse attendendam consuetudinem, vt in *cap. Certificari, de sepult.* Addit vero *Med. d. q. 14.* & ex eo *Lauor. loc. citato.* Quod quando Episcopus portionem sibi debitam, quæcumque illa sit, petit ex testamen. eadem portio augetur fructibus à die aditæ hæreditatis, quia tùc transit dominium in Episcopum. *l. Titia ff. de Furtis, l. fin. C. de vsufr. legat.* In dubio vero an quantitas portionis illius sit tertia, vel quarta, quarta accipi debet, quia iura in hac conueniunt. Et quia consuetudine præscripta hæc portio est quarta. *Innoc. ad d. cap. Requisisti*, vbi *Panorm. nu. 19. Cesp. dub. 364. n. 11. Tuscus l. Q. conc. 22. n. 10.*

579 Quæritur secundo. An portio Episcopalis possit præscribi? Ex duplici parte potest hic esse præscriptio, vel scilicet ex parte Ecclesiarum inferiorum, vel ex parte Episcopi. Et vlterius hæc præscriptio, vel potest intelligi inter quartam, & tertiam, aut etiam medietatem, & vltra medietatem, aut infra quartam. Nam hoc mihi est certum, quod consuetudo inter quartam, & tertiam est approbata à iure communi antiquo, & ex consequenti, quod ad hoc sufficit præscriptio decennalis. *Panorm. cap. certificari, de sepult. Syluest. v. Canonica portio n. 2. Tabien. n. 3.* An vero sufficiat hæc decennalis ad hoc, vt Episcopus præscribat medietatem non est mihi certum, quia non video hanc consuetudinem expresse approbatam à iure communi Pontificio, vt dictum est; supra medietatem vero potest præscribi ab Episcopo spatio quadraginta annorum cum discrimine tamen, quia ad præscriptionem requiritur titulus, & sine titulo præscriptio non valet nisi sit immemorabilis, sed ad obtinendum ius vltra medietatem per consuetudinem proprie dictam titulus non requiritur. Et sic eodem modo dicitur, quod Ecclesia inferior contra Episcopum potest præscribere nedum, vt portio sit minor quarta, sed vt nulla debeatur; & quidem si adsit titulus præscriptione quadragenaria, vel propria consuetudine etiam sine titulo, sed si desit titulus per solam præscriptionem immemorabilem. *Panorm. Syluest. & Tabien. citati. Armilla n. 3. Med. p. 2. q. 17. Lauor. c. 17. n. 73. Mirand. to. 2. qu. 48. a. 5. Azor. p. 2. l. 9. c. 12. qu. 3. & 4. Barbosa de off. Episc. all. 86. n. 4. & 39. Rota dec. 376. n. 2. p. prima. & dec. 311. n. 3. p. 6. recent. Bonac. de contr. d. 3. q. 22. p. 4. n. 2.* Et tamen aduertendum, quod vnius loci consuetudo non valet in alio loco, vnde de loco ad locum non valet consequentia. *Greg. decis. 519. num. 3.*

580 Aduertunt tamen *Med. & Lauor.* quod ex multis causis impeditur præscriptio. Primo quando vacat Ecclesia. *cap. De quarta, de præscript.* Secundo quando Ecclesia erat Schismatica. *cap. Cum nobis, De præscript.* Tertio quando Episcopus est Excommunicatus, *cap. 1. de præscript.* Quarto, vt dictum est, si caret titulo Quinto si est in mala fide. Sexto quando adest ignorantia legati, nisi ignorantia sit ex negligentia. *Petr. de Vbald. p. 1. cap. 2. num. 25.*

581 Quæritur tertio, an Episcopus huic portioni possit renunciare ex pacto? Hoc primo est certum, quod huiusmodi renunciatio ex pacto, & quæcumque alia similis transactio est species alienationis, quæ valide nequit fieri sine consensu sedis Apostolicæ. *Seraph. dec. 22. Rota dec. 85. n. 5. p. 8. Recent.* Vbi *n. 6. & 7.* quod quando portio debetur Capitulo transactio facta ab aliquibus de Capitulo etiam à maiori parte non subsistit, quia vbi agitur de interesse singulorum, maior pars non præiudicat minori, quinimo vnius contradictio sufficiens est ad impediendum actum. *Imol. in c. humilis n. 1. & 6. de maior. & obed. Paris. cons. 90. n. 15. l. 4. Seraph. dec. 708. n. 3. Rota dec. 755. n. 4. & in Burgen. Concord. 14. Ianuar. 1611. & n. 9.* quod cum adfuisset lis inter Abbatem S. Secundi, & Rectores octo Ecclesiarum, de Salagua, & partes pro bono pacis, ac litium extinctione deuenerint ad concordiam, propterea *Rota in Legionen. decimarum 29. Martij 1637. coram Ghisilerio* censuit sustinendam concordiam etiam si beneplacito Apostolico non confirmatam, ad *tex. in cap. 1. & fin. vbi Anchar. n. 1. Franc. n. 2. de pactis in 6.* & facit *auth. textus cap.*

ex multiplici, de decimis, & cap. 2. de transact. Ex qua Rotæ doctrina videtur, quod vbi adsit lis in materia decimarum, & sic etiam in materia quartæ debitæ Episcopo, possit fieri concordia, & transactio absque beneplacito Apostolico. Quidam etiam dicunt quod renunciare portioni huic Canonicæ per pactum, si sit cum damno Ecclesiæ non licet, nec valet pactum, si vero sit sine damno Ecclesiæ valet etiam factum sine auctoritate superioris. Ita ex *Anchar. Sylvest. v. Canonica portio. n. 3. Tabien. n. 4. Barbosa d. all. 86. n. 5.* Sed ego existimo, quod Episcopus nullo modo præiudicare possit suis successoribus, & quod, vbi transigendum sit in hac materia necessarium sit beneplacitum Apostolicum etiam si transactio sit in vtilitatem Ecclesiæ per probata supra *q. 185. a. 7. à n. 24.* Et vbi adsit lis, & deueniendum sit ad concordiam, adhuc necessarium esse beneplacitum Apostolicum iuxta tamen explicata ibidem à nu. 250. Et quamuis in limine fundationis alicuius Ecclesiæ videatur posse iniri aliquod pactum de soluenda maiori vel minori, vel nulla portione canonica prout ex *Cansler. dec. 101. in fin. considerauit, Rota dec. 107. par. 9. recen. n. 6.* tamen ex eadem *Rota ibid. nu. 11.* considerandum est, quod fratres non possunt præiudicare successoribus, vel renunciare priuilegijs toti ordini eorum concessis, Ideo vbi agitur in huiusmodi de alienando quomodocumque aliquo Ecclesiæ iure transactio non valet facta sine beneplacito Apostolico.

582 Quæritur quarto, de quibus debeatur quarta Episcopalis? Et respondetur, quod in genere debetur quarta Episcopo de triplici genere obuentionum quæ fiunt Ecclesijs sibi subiectis, nimirum de portione funerali debita Parochis, secundo de omni legato, aut obuentione pia, quæ adueniat Ecclesijs sibi subiectis, & tertio de decimis, quæ debentur eisdem Ecclesijs. Et claritatis gratia, de omnibus istis quartis seorsim inquirendum est qualiter, & quomodo debeantur.

583 Quæritur igitur quinto, de quibus debeatur *Episcopo* quarta funeralium? Alicubi ex consuetudine, quod quartam funeralem percipiat *Episcopus*, dixit *Lauor cap. 17. n. 17.* De iure tamen Episcopo debetur quarta quartæ funeralium, quam percipit Parochus. *Syl. v. Canonica portio. n. 1. Petr. de Vbald. p. 2. c. 8. Lauor d. n. 17.* Sic enim *cap. Conquerente, de off. ord.* decernitur, quod *Episcopus* habeat quartam decimationum, & mortuariorum; vnde Parochi de iure communi debent suo *Episcopo* dare quartam portionis funeralium, quam recipiunt ab *Ecclesijs* occasione sepulturæ eorum, quæ in eis sepeliuntur.

584 Verum an *Episcopo* ab *Ecclesijs* sibi subiectis debeatur duplex quarta funeralium dubium esse potest. Si igitur sepeliatur aliquis extra suam Parochiam in *Ecclesia Episcopo* subiecta, videtur quod duplex quarta ei debeatur. Vna scilicet directe ab *Ecclesia* sepulturæ, quia *d. cap. Conquerente, de off. ord.* dicitur, quod *Episcopo* debetur quarta de mortuarijs, & in *cap. de quarta, de Præscript.* habetur, quod *Episcopo* debetur quarta de oblationibus defunctorum. Et altera indirecte ab Ecclesia sepulturæ, sed directe ab Ecclesia Parochiali, scilicet quarta, quartæ Parochialis, vt dictum est. Verum contra in *Clem. Dudum, de sepult.* dicitur, quod quarta integra debeatur Parochiali, & nihil dicitur de Episcopo. Et in toto tit. de sepulturis nullibi reperitur decretum, quod Episcopo debeatur quarta funeralium, & quod in *cap. Conquer. de off. ordin.* dicatur, quod Episcopo debetur quarta mortuariorum bene saluatur ex eo, quod ei debeatur quarta legatorum pro mortuis, vel etiam quarta quartæ funeralium *Tuscus* etiam *l. Q. tom. 21. n. 9.* & ex eo *Cesp. dub. 364.* solum dicunt, quod Episcopo debetur quarta de mortuarijs. Vnde mihi dubia remanet huius difficultatis resolutio, & in hoc standum consuetudini.

585 Quæritur sexto. De quibus legatis debeatur Episcopo quarta? Hæc datur regula generalis, quod Episcopo debetur quarta de omnibus legatis quæ fiunt Ecclesijs sibi subiectis ex quacumque causa pia. Distingui igitur hic debent primo legata, ab oblationibus quæ à viuis fiunt Ecclesijs. Primo itaque *Episcopo* debetur quarta de omnibus legatis. Sic enim *cap. Conquerente* adscribitur *Episcopo* quarta mortuariorum, mortuaria vero dicuntur, quæ relinquuntur in morte. *Gloss. v. mortuariorum. Reuer. Fagnan. ibid. n. 29.* Quamuis per mortuaria *Panorm.* intelligat quæ dantur occasione, vel causa funerum. Sed in *cap. Requisisti de testamentis* expresse decernitur, quod de his, quæ testator relinquit pro anima sua debetur *Episcopo* tertia, vel quarta secundum consuetudines locorum. Vnde indubitata regula est, quod *Episcopus* habet fundatam intentionem super portione Canonica omnium quæ testator relinquit pro anima sua, & ideo hoc non solum est verum de legatis, sed & de donatis causa mortis, *Lauor. c. 17. n. 91.* & de relictis in testamento qualitercumque etiam si *Ecclesia* sit instituta hæres. *Fagnanus d. cap. conquerente d. n. 29.* Etenim in eo *cap. absolute* dicitur, quod portio debetur de relictis in testamēto pro anima.

586 Sed quoniam circa hoc punctum diuersi sunt canones, & quidem contrarij intra se de quibus habetur mentio in *Gloss. 1. & 2. cap. Requisisti, de testament.* conatur *Panorm. ibid. n. 15.* eos ad concordiam deducere. Aduertit igitur, quod olim Episcopo debebatur tertia pars nedū oblationum, & mortuariorum, sed fructuum *cap. Constitutum 16. q. 1.* & fuit illud inductum propter inopiam Episcoporum. Cum vero postea facultates Episcoporum incœperunt excrescere, fuit statutum, quod medietas oblationum omnium faciendarum in Ecclesijs inferioribus deberetur Episcopo, vt in *cap. Antiquos. 10. q. 1.* Postmodum fuit statutum de tertia parte dumtaxat. *cap. de his. ead. causa, & quæst.* Sed cum Episcopatus postmodum bene dotarentur, fuit constitutum, vt præter cathedraticum, idest duos solidos, forte aureos, nihil deberetur Episcopo ab Ecclesijs inferioribus, vt habetur *cap. 1. & 2. q. 3.* Fuit tamen statutum, quod si Episcopus vellet subire onus fabricæ Ecclesiæ inferioris posset capere tertiam partem omnium redditūum, vt in *cap. vnio 10. q. 3.* Nec illud hodie reperitur immutatum nisi ex consuetudine. Quod intelligit ipse, vt esset verum, si reliquæ duæ partes sufficiebant Presbiteris. Postremo fuit statutum, vt de omnibus mortuarijs, & decimis Episcopo deberetur quarta, quæ hodie est debita, & computatur inter iura Episcopalia, *cap. conquerente, de offic. ordin.* Sed *Turrecremata in cap. De his. 1. q. 1. ex Gloss. &*

Hug.

Nav. aduertit, quod pro diuersitate temporum diuersa fuere statuta circa portionem Episcopalem. Nam tempore primitiuæ Ecclesiæ cum pauperes essent Episcopi statutum fuit, vt ipsi de Episcopalibus Ecclesijs, de omnibus bonis sumerent medietatem, vt *cap. antiquos x.q.1.* Nec separabatur tunc fabricæ, vel pauperum pars, quia Ecclesiæ non indigebant reparatione, cum essent recentes, & Episcopi, & Clerici communiter prouidebant pauperibus, de Parochialibus autem tantum tertiam partem oblationum, & decimarum Episcopus habebat, vt in *d.cap. De his.* Tandem cum Episcopi sibi sufficerent, & Ecclesiæ reparatione indigerent, statutum est, vt illam tertiam partem de oblationibus Episcopus non acciperet nisi onera reparandæ Ecclesiæ subire vellet, vt *cap.1.2.& 3.x.q.3.* Postea vero cum Ecclesiæ Episcopales vetustate grauarentur, & reparatione indigerent, nec ita prouidebantur pauperibus sicut deberet, & Ecclesiæ Episcopales multum essent copiosæ, institutum est, vt totus redditus Episcopalis Ecclesiæ in quatuor partes diuideretur, vna assignaretur Episcopo, altera Clericis, tertia pauperibus, quarta fabricæ, *cap. concesso, cap. quatuor 12.q.2.* Sed de alijs redditibus nihil habet de consuetudine generali, & præscripta Episcopia, &c.

587 Sed in his, & similibus canonum concordijs, quæ à Canonistis adducuntur duo sunt, quæ veritati non sunt consona. Primum quod ex Prouincialium Conciliorum decretis (quæ nec proprie sunt canones iuxta doctrinã *Faguani in c.canonum statuta n.34.de Const.*) colligitur vniuersalis Ecclesiæ lex, aut consuetudo Ecclesiã vniuersalẽ obligãs, quod quidẽ veritatẽ non cõtinet, quia illa decreta non obligabant extra illarũ Prouinciã, vt est certum, & tradit idem *Faguanus ibid n.15.* Secundũ est, quod ordo, qui ponitur inter statuta, & decreta Conciliorum Prouincialium, quæ citantur est contrarius historiæ, & veritati. Ex capitulis citatis nulla sunt Pontificia nisi quæ adducuntur ex *cap. Concesso, & cap. quatuor 12.q.2.ex Gelasio Papa.* Hæc vero à Turrecremata ponuntur in ordine temporis postrema, & tanquam vltimo loco ordinata, cum tamen tempore antecesserint decreta alia omnia, quæ vel ex causa x. vel ex 16. adducta sunt. Nam Gelasius creatus fuit Pontifex anno 492. secundum Baronium, illa vero Concilia Prouincialia ex quibus alia decreta recensita accepta sunt multo posteriora fuerunt. Sic *Panormitan.* primum locum ordine temporis dat decreto in *cap. constitutum 16.q.1.* quod fuit acceptum ex *Concil. Tolet. 4.* secundum locum, decreto in *cap. antiquos. x.q.1. ex Concil.p. Aurelianen.cap.17.* Tertium decreto in *cap. De his, dicta causa & q. sumpto ex eadem Concil. Aurelianen.cap.16.* Quartum decretis in *cap.1.2.x.q.3.* sumptis ex *Concil. Bracaren.2. & Emeriten.* Et tandem quintum decreto *cap.3. x.qu.3.* sumptum ex *Concil. Tolet.16.* At vero ordo horum Conciliorum, vt habemus ex Baronio est, quod *Aurelian. fuit habitum anno 507. deinde Bracarense 2. anno 572. postea Toletanum 4. anno 633.* Inde *Emeritense anno 666. tandem Toletanum 16. anno 693.* longe ergo prius fuit, quod habetur de media parte oblationum in *cap antiquos x.q.1.Concil. Aurelian. de anno 507.* quam quod habetur de tertia parte, & redditunm, ex *cap. Constitutum 16.q.1. ex conc.4.Tolet. de anno 633.* Item datur ordo temporis tam à *Panormit.* quam à *Turrecremata* inter statuta in *cap. De his, & cap. antiquos. x. qu.1.* cum vtrumque caput sit ex eodem *Concil. primo Aurelianen. de anno 507. Item Panorm.* ponit pro eodem tempore statuta in *cap. 1. & 2. ima & 3. x. q.3.* cum tamen tempore longe diuerso fuerint ordinata, nimirum primum ex *Concil. Bracbar. anno 572.* Secundum ex *Emeriten. anno 666.* Tertium ex *Tolet. 16.anno 639.* Vnde manifestum est, quod huiusmodi quæ dicuntur de diuersis statibus, & temporibus in quibus variæ portiones assignatæ fuerunt Episcopia nec bene secundum temporum veritatem ordinantur, neque ex eis colligi potest, nisi quod & pro varietate temporum, & pro diuersitate Prouinciarum variæ fuerunt consuetudines, seu leges particulares; quod est id, quod supponit *Innoc. 3. in cap. Requisisti de testamen.* Cæterum quantum ad vniuersalem legem Ecclesiæ hoc certũ habemus, quod à tempore S.Gelasij Papæ, imo à tempore S. Syluestri Papæ, vsque ad tempus S. Gregorij Papæ bona Ecclesiæ in quatuor partes diuidenda erant, quarum vna cedebat Episcopo, vt habetur *cap. Vulterana, cap. Concesso, cap. quatuor ex S.Gelasio Papa, & cap. de reditibus, cap. cognouimus, cap Mos. ex S.Gregorio. 12. q.2.* qui quidem mos incœpit à tempore S.Syluestri Papæ, vt patet ex Concil. Romano sub eo celebrato *cap. 4. & in Gratiano* annotatur ab eius emendatore, post *cap. Sancimus ead.causa, & quæst.* Huiusmodi vero diuisio debebat fieri nedum de oblationibus, & mortuarijs, sed de omnibus omnino reditibus, & stipendijs Ecclesiæ. Aduertit vero *Turrecrem. in cap. antiquos x.q.1.* quod *Vincen. & Ber. ad cap. requisisti de testam.* putant quod capitula, quæ dicunt, quod bona diuidenda sint in quatuor partes, loquuntur de Ecclesijs Cathedralibus, Verum Capitula illa absolute loquuntur de Ecclesiæ redditibus, & oblationibus, & tunc bona Ecclesiæ omnia habebantur tanquam communia, & per Episcopum administrabantur, nec erat magna multitudo Parochiarum, & Episcopi erat reditus Ecclesiæ dispensare, & iuxta diuisionem statutam illa diuidere; de qua diuisione multa dixi supra *q.185. a.7.in principio*, Sed diuisis postea mensis Episcopalibus, Capitularibus, & Parochialibus, in varijs Prouincijs varia statuta sunt; ex iure vero communi Pontificum hoc habemus, quod Episcopis debetur portio mortuariorum, seu relictorum pro anima, & decimarum *cap. conquerente de off. ordin.* & quod hæc portio sit tertia, vel quarta iuxta consuetudinem. *cap. Requisisti.* Alij autem antiqui canones contrarij non alio modo possunt in concordiam reduci nisi dicendo, quod fuerunt Conciliorum particularium diuersorum locorum, & in diuersis temporibus, & sic loca, & tempora distinguendo concordantur scripturæ.

588 Debetur ergo Episcopis quarta de mortuarijs, seu relictis pro anima. Illa vero censentur relicta pro anima, quæ relinquuntur Ecclesiæ intuitu Ecclesiæ in Dei cultum, & ministrorum sustentationem. Et propterea relictum factum Ecclesiæ, seu alijs pijs locis, vel habenti administrationem Ecclesiæ in dubio censetur factum intuitu animæ, & sic censetur relictum ad piam causam. Nam regulariter omne relictum pro anima dicitur

relictum

relictum ad pias causas, vt notat *Gloss. in l. Si quis Titio. ff. de legat. 2. Panorm. in cap. Requisisti de testamen. n. 4.* Et sic relictum pro anima est quidquid est relictum Ecclesiæ in Dei cultum, imagini alicuius Sancti, Oratorio, loco pio, seu pro Sacramentorum administratione, celebratione missarum, sepultura, & similibus in Dei cultum ordinatis. Et sic in relictis pro sepultura, seu Ecclesiæ in quo quis eligit sepulturam considerandum est, quod duplici ratione debetur quarta. Nam debetur quarta de ipso legato, & secundo debetur quarta de quarta debita Parocho.

589 Interroganti autem, an debeat detrahi primo quarta Episcopalis, vel Parochialis? quia pinguior pars est prius detrahentis quartam, vt si integra summa sit octoginta si prius detrahat Episcopus habebit viginti, & de 60. quæ remanent Parocho habebit quindecim; vel econtra Parochus 20. & Episcopus 15. *Hostien. ad cap. Certificari de sepult. & Io. Andr.* quos sequuntur *Syluest. v. Canonica portio n. 12. Tabien. n. 18.* voluerunt, quod prius detrahenda sit portio Episcopalis, quia Episcopus est dignior. Putant tamen in idem coincidere, si detracta prius quarta Parochi Episcopus detrahat quartam de quarta Parochi, & vlterius quartam de reliquo: si enim summa sit 80. si prior Episcopus detrahat habet 20. Et si prius detrahat Parochus habet quinque de quarta Parochi, & vlterius 15. de reliquis sexaginta, & sic semper habet 20. Sed imo quod non coincidant in idem probat *Ancharan.* quia si Episcopus prius detrahat suam partem semper habebit quid amplius; quia si prius detrahat ex 80. habebit 20. & quia vlterius habet quartam quartæ Parochi, quæ ex reliquis 60. est quindecim, ideo ex istis quindecim habebit tres, & aliquid amplius, & sic habebit plusquam 23. Verum respondet *Panormitan.* quod *Io. Andr.* supponit, quod Episcopus nũquam debeat habere plusquam quartam partem totius; quo supposito iam in idem videntur coincidere siue Episcopus prior detrahat, siue posterior. Sed nihilominus non semper in idem hoc coincidit, vt explicabitur, & ideo cum *Panormit. cap. certificari, n. 10. de sepult.* dicitur, quod Parochi est prius suam detrahere quartam. Tum quia quarta funeralium integra debetur Parocho. *Clem. Dudum §. Verum de sepul.* Tum quia portio Episcopalis, vt ex professo probatur inferius debetur sibi ab Ecclesia sibi subiecta, non vero à laicis, sed laici debent Parochiali dare portionem, vt ex *cap. 1. de sepult.* Ecclesia vero sepulturæ in subsidium tenetur dare portionem Parochiali quam non reliquit testator, Episcopus vero habet ius super quarta à suo Parocho recepta; per prius igitur est, quod Parochus portionem suam recipiat, & de hac portione quartam postea recipit Episcopus. Quod *Panorm.* ostendit etiam ex casu particulari. Nam supponamus, quod Parochialis sit in vna diœcesi, & Ecclesia sepulturæ in alia, & quod testator legauerit Ecclesiæ sepulturæ octuaginta. Quomodo tunc debent detrahi istæ quartæ? Nam vterque Episcopus quartam habet de tali legato, nam vterque habet ius ad quartam de obuenientibus Ecclesiæ sibi subiectæ. Si ergo Episcopus Ecclesiæ sepulturæ prius suam quartam detrahat, habet viginti, & Parochus de residuo habet quindecim, & Episcopus Parochialis de ista quindecim non habet nisi tres, & aliquid amplius. Sed si Parochus primo detrahit quartam ipse habet viginti, & suus Episcopus quinque, & alius Episcopus 15. Non valet igitur illa regula, quod in idem coincidant si Episcopus prior detrahat, vel si prior detrahat Parochus, & Episcopus detrahat quartam de residuo, quia hoc non valet vbi Ecclesia Parochialis, & sepulturæ sint diuersarum diœcesum: & propterea dicendum est, quod primo debet detrahi quarta Parochialis, quæ integra debetur Parocho, & sic legatum factum Ecclesiæ sepulturæ resecatur per ius concedens Parocho quartam integram, & Episcopus cui Ecclesia sepulturæ est subiecta non debet dicere, quod illi fuerint relicta 80. sed solum 60. quia ius legatum illud 80. resecat, & reducit ad 60. detracta Parochiali quarta, Vnde Episcopus Ecclesiæ sepulturæ solum habet quindecim, Parochus vero habet 20. sed illi remanent quindecim, & alia quinque suo debentur Episcopo.

590 In ijs vero casibus in quibus Ecclesia sepulturæ non debet quartam Parocho, neque Episcopus Parochi aliquam quartam habet, quia ipse non habet nisi quartam quartæ, poterit vero esse quod habeat quartam ab Ecclesia legataria. Et sic vt aduertit *Tuscus l. Q. conc. 28. n. fin.* potest esse, quod aliquando quartam legatorum habeat Episcopus solus, vt quando legatum non est titulo sepulturæ, vel non est factum Ecclesiæ sepulturæ, sed alteri Ecclesiæ; Tunc enim ex tali legato nulla quarta debetur Parocho. Potest vero contingere, vt Episcopo vna sola quarta debeatur, & non duæ: vt cum defunctus est assumptus ex aliena diœcesi; Tunc enim Episcopo Ecclesiæ sepulturæ debetur quarta de legato eidem Ecclesiæ relicto, sed non conuenit quarta quartæ Parochialis, quia Parochus est alterius Diœcesis, & sic quarta quartæ conuenit alteri Episcopo, qui est Episcopus Parochi. Aliquando duæ portiones Episcopo conueniunt quando tam Ecclesia sepulturæ, quam Parochialis est sub eodem Episcopo, quia tunc ab vtraque Ecclesia habet quartam. Nunquam vero Parocho solo conuenit quarta, quin etiam conueniat Episcopo, quia Episcopus habet quartam quartæ ipsius Parochi

591 Quæritur septimo in quibus casibus, vel à quibus Ecclesijs Episcopo non debeatur quarta de legatis? Respondetur, & dicitur primo, quod quarta de legatis non debetur Episcopo nisi ab Ecclesijs subiectis Episcopo, ita quod quartam Episcopus habere non possit de relictis Ecclesijs exemptis. *Cap. luminoso 18. q. 2.* ex S. Greg. Papa, vbi de exemptione Monasteriorum Monachorum. *Cap. cum Episcopus, de off. ordinarij in 6.* Cum enim ibi decernatur, quod Episcopus non habet iurisdictionem in loco exempto, proculdubio nec sibi debetur portio ab eo, quia ius ad portionem canonicam est iurisdictionis, cum detur ratione oneris & administrationis officij Episcopatus. Et cum Papa sit ordinarius exemptorum *cap. Nulla. dist. 93.* iuncta *Gloss. vlt. ibid. cap. authoritate. de priuil. in 6.* inde colligitur, quod Episcopis inferioribus, qui non sunt ordinarij exemptorum, ab exemptis nulla debetur portio. Se habent enim tanquam spectantia ad aliam diœcesim. *Extrauag. Inter cunctas de priuileg.* Nec obstat, quod ex vi *Clem. Dudum*

de se-

de sepulturis, §. Verum, Prædicatores, & Minores obligantur ad quartam funeralium etiam si sint exempti. Quia illa Clemen. continet legem specialem de quarta Parochiali, quæ ad quartam Episcopalem non potest, nec debet attendi; Innoc. in cap. officij de testam. & ibi Panorm. n.6. Io. Andr. in cap. Certificari de sepult. Vbald. p.2. cap.4. q.6 Lop. de sepul. §. Quia n.10. Fedr. de Sen. cons.96. Felin. in cap. de quarta in princ. de prascrip. Bald. in l. si quis ad declinandum col.6. ver. Iuxta hoc. C. de Epis. & Cler. Syl. v. Canonica portio q.3. n.4. Angelus n.7. Azor. p.2. l.9. c.12. q.5. iterum Panorm. cons.37. n.1. par.1. Barbosa d. all.86. n.13. Med. p.2. q.22. n.7. Lauor. cap. 17. nu.101. Lezana v. Canonica portio. n.6. vbi nu.7. quod ad eam non tenentur Regulares, & ad Mare Magnum Prad. n.12. Tuscus l. Q. concl.21. n.62. Vbi quod licet exempti à sola lege Diœcesana non sint exempti solutione quartæ Episcopalis, ab ea tamen sunt exempti, qui sunt totaliter exempti à iurisdictione Episcopi. Bonac. de contract. d.3. q.22 p.3. n.3. Bardon. ref.51. nu.32. Samuel disp.4. contr.2. n.25. Cespedes. dub.364. n.3. Mir. p.2. q.48. a.2. Cochier de iuris. in exemp. p.4. q.6. num.5. Tambur. de iure Abb. tom.1. disp.15. q.16. in fin. Iterum Tuscus d. conc.21. nu.49. vbi ex Bald. cons.270. reddit rationem huius, quia scilicet Ecclesiæ exemptæ se habent sicut Filij à Patre emancipati, qui impetrauerunt ius aureorum annnorum, & non debent aliquid Patri. Et ex hoc patet, quod Regulares ad solutionem huius quartæ non tenentur Tambur. d. q.16. Lezana v. Canonica portio. n.6.

592 Nihilominus idem Medices q.18. n.4. & 5. quem sequitur Lauor. c.17. nu. 81 & 82. existimat, quod de Monasterio exempto non habente populum debeatur Episcopo quarta, & quod si Monasterium exemptum habeat Parochianos nō exemptos, si Parochianus legauerit Monasterio de tali legato debeatur quarta, secus si ille qui legauit non sit Parochianus. Adducuntur vero in horum confirmationē cap. Officij, & cap. Requisisti de testamen. Sed ex nullo ex his textibus hæc deducuntur. Nam imo Innoc. 3. in d. cap. officij expresse excipit exemptionem, & indulgentiam à Romanis Pontificibus Regularibus concessam, vt sic de relictis eorum Ecclesijs nullam quartam possit Episcopus prætendere. In cap. vero Requisisti non est sermo de Monasterijs exemptis. Nec refert, an qui relinquit sit vel non sit de iurisdictione Episcopi; Quia quarta Episcopo debetur ab Ecclesia legataria, quæ si est exempta, non tenetur aliquid dare, quia non est Episcopo subiecta. Panorm. ad cap. fin. n.4. de testam. Bene verum est, quod si aliqua Abbatia vel Ecclesia exempta habeat sub se aliquas Capellas, vel particulares Ecclesias non exemptas, & aliquod legatum fiat ad fauorem similis Capellæ, de tali legato debetur quarta Episcopo, quia illa Capella non est exempta per tex. in cap. ex ore de Priuileg. Innoc. & Io. Andr. in cap. In nostra de sepult. Lap. de Canon. § quia n.6. Vbald. p.2. cap.4. q.5. & q. 8. 10. & 11. CoKier. q.6. n.5. Barb. all.86. n.14. quos sequitur Tambur. t.1. disp.15. q.16. n. fin. Sed de legato facto Ecclesiæ exemptæ nulla quarta debetur. Deberetur vero si vsus fructus ad tempus Ecclesiæ exemptæ, & proprietas non exemptæ relinqueretur, quia inspicitur persona cui relinquitur. Rom. cons.511. Tuscus d. c.21. 53.

593 Hinc est, quod si testator vnius diœcesis relinquat aliquid Ecclesiæ alterius diœcesis, de hoc legato, vel relicto nihil debetur Episcopo, qui est ordinarius testatoris, quia Ecclesia cui est relictum legatum non est illi Episcopo subiecta. Innoc. in cap. officij, de testam. Panorm. in cap. Requisisti eod. tit. Syl. v. Canonica portio n.6. ver. vltima, vbi hoc limitat, nisi aliter habeat consuetudo, Io. Andr. in cap. certificari. Barb. d. all.86. n.29. Med. p.2. q.18. n.3. Lauor. c.17. n.79. Sic ergo patet, quod de iure Episcopus non habet ius ad quartā nisi respectu Ecclesiæ sibi subiectæ, non vero respectu Ecclesiæ exemptæ.

594 Vnde vt aduertit Panorm. cap. fin. de testam. nu.2. potest contingere, quod de vno relicto detrahantur duæ portiones, puta si Parochianus vnius Ecclesiæ, in alia eligat sepulturam aliquid legando, quia tunc Ecclesia sepulturæ debet dare portionem Episcopo propter onus Episcopale, & portionem Parocho propter onus Parochiale. Quandoque potest contingere, quod vna sola portio debeatur, vt puta quando Parochianus est sepultus in Ecclesia exempta: Nam tunc portio debetur solum Ecclesiæ Parochiali, non vero Episcopo conuenit nisi quarta quartæ Parochialis. Quandoque nulla portio detrahi possit, vt si Parochianus Ecclesiæ exemptæ eligat ibi sepulturam.

595 Quid vero dicendum sit vbi Ecclesia non sit exempta tempore testamenti, vel tempore mortis testatoris, colligitur ex supradictis. In hoc enim mortis testatoris tempus attendi debet, quia tunc morte prædicta confirmatur irreuocabiliter testamentum, & legatum, l. post diem. ff. quando dies legat. l. quæ legata. ff. de reg. iuris. Ideo nihil interest si Ecclesia sit exempta, vel non exempta tempore conditi testamenti, quia si non sit exempta tempore mortis testatoris debetur quarta, & si sit tunc exempta minime debetur. Hoc enim tempus inspici debet. l. si cognatus, ff. de reb. dub. l. generaliter §. si homini libera. ff. de fideicomm. liber. Vbald. p.2. c.4. q.7. n.3. Barbosa all.86. n.16.

596 Et idem dicitur de Ecclesia, quæ tempore mortis testatoris sit destructa auctoritate superioris, ita quod Ecclesia non sit ibi, nec alibi, vt pereant priuilegia, quæ dantur Ecclesiæ. cap. 2. de nam oper. nunc. ita quod tunc tale legatum sit caducum. l. 1. §. Et cum, C. de caduc. tollen. Quia canonica debetur de legato, quo ablato, illam tolli necesse est. cap. accessorium. de reg. iuris in 6. Med. p.2. q.22. n.3. Lauor. c.17. n.104.

597 Limitatur secundo, vt intelligi debeat de relictis Ecclesiæ intuitu Ecclesiæ, non vero intuitu personæ; ita quod de relictis personis etiam si sine testimonia pia, & pro anima quarta Episcopo non sit debita, cap. ex parte el 3. de verb. significationib. Rota dec.716. n.2. coram Seraph. Panorm. cap. 2. de sepult. n.8. Barbos. ibid. n.5. Tabien. n.7. vers decimo, & n.9. Ideo non debetur quarta quando legatur aliquid Clerico non habenti administrationem Ecclesiasticam, quia illud censetur relictum personæ, non Ecclesiæ. cap. Requisisti. §. secus, de testamen. Panorm. ibid. n.14. Tuscus. l. Q. conc.21. n.65. Vbi quod dicitur habere prælationem large, qui habeat Ecclesiam curatam, arg. cap. Cum in Ecclesiarum de off. ordinarij. Ille vero dicitur habere administrationem, qui habet aliquam dignitatem, seu ministerium Ecclesiasticum separatum a congregatione, seu quan-

seu quãdo habet administrationẽ perpetuam & dicitur habere administrationem quando habet temporalem, puta est Vicarius temporalis alicuius Ecclesiæ, seu commendatarius. Quod igitur relinquitur personæ non habenti curam animarum, vel administrationem Ecclesiasticam, sed solum beneficium simplex est exemptum à quarta Episcopali. Vnde non debetur quarta de relicto alicui Canonico, nisi aliunde constet relictum fuisse intuitu Ecclesiæ non vero intuitu personæ. *Panorm. d. cap. Requisisti nu. 13.*

598 Sic quoque non debetur quarta de relictis pro maritandis puellis, quia hoc est legatum personale *Rota coram Seraph. dec. 726. n. 6. Sylu. d. n. 6. Tabien. d. n. 7. Barb. d. all 86. n. 27.* Sic idem dicitur de legatis factis pro pauperibus, vel infirmis, vel leprosis *Gloss. in v. decreuit ad cap. 5. de sepult. vbi Innoc. n. 1. Panorm. n. 8. & Rota d. dec. 236 coram Seraph.* & omnes DD. communiter; sic non debetur quarta de legato facto pro vestiendis pauperibus, pro alimentis vel pauperum in communi, vel huius, vel alterius pauperis, pro subsidio studij, seu pro similibus operibus pietatis. Ideo in legato indeterminato si executores distribuant legatum pauperibus, seu personis intuitu paupertatis illatum, vel consanguinitatis, quidquid in contrarium dixerit *Baldus cons. 500. lib. 5.* apud *Tuscum, l. Q. concl. 35. n. 23.* non debetur quarta de tali relicto, vt idem *Tuscus* tradit ex eod. *Bald. cons. 259. l. 4.* Verum quidem est, quod quidam distinguunt, nam vel legatum est factum pauperibus in genere, vel pauperibus certi loci. In primo casu dicunt legatum esse personale, in secundo vero casu locale. Ita *Medic. p. 1. q. 19. n. 7. Lauor cap. 17. n. 89.* quando enim legatum est factum personis certi loci tunc censetur factum intuitu loci. Sed oppositum sentiunt alij, nimirum, quod legatum sit personale, & exemptum si relinquatur leprosis morantibus in tali loco, vel eremitis, vel fratribus qui in tali loco degunt, vel pro maritandis puellis talis loci, vel pro alendis viduis vel peregrinis. *Sylu. v. Canonica portio n. 6. vers. sexto. Azor. p. 2 l. 9. cap. 15. q. 10. Barbosa d. alleg. 86 n. 27.* Ego existimo, quod forma legati sit seruanda. Si enim dicatur relinquo tali Ecclesiæ, vt alat pauperes, vel maritet puellas, vel curet leprosos, sine dubio relictum est locale. Sed si dicatur relinquo pauperibus talis loci, vel leprosis talis hospitalis, aut domus, subdistinguendum est, nam vel locus ille est collegium, vel domus deputata ad alendum, maritandum, curandum, vel agendum id, pro quo datur legatum, vel non. Si non, relictum est personale, quo est enim relictum loco, vt locus agat quis locus non est collegium, nec vniuersitas deputata ad opus pium habendum pro quo datur legatum; sed se habet mere, vt conditio personalis requisita à legante in persona ad hoc vt sit capax legati, & sic locus non est is cui aliquid relinquitur, sed est personalis conditio eorum quibus relinquitur. Vnde legatum est personale, & hoc etiam est de mente *Medic. & Lauor.* sed si locus nominatus in legato est collegium, seu domus deputata ad opus pium pro quo datur legatum, vt cum dicitur relinquo pauperibus talis hospitalis, vel pauperibus talis loci pij tunc dubium est an legatum sit factum intuitu personæ, vel loci, quod ex coniecturis est resoluendum. Nam v. g. si legatum pauperibus, aut infirmis huius vel illius hospitalis non sit distribuendum, nec administrandum per ministros hospitalis, sed per executores immediate sit tradendum pauperibus qui tunc sunt in hospitali, signum euidens est, quod legatum est personale, & datum intuitu personarum independenter ab hospitali, & quod locus hospitalis in eo legato, intrat vt conditio personalis eorum quibus legatum debetur. Sed si relictum datur, vt dispensandum per hospitalis ministros coniectura potius, quod relictum sit locale. Quamuis neque hæc coniectura sit infallibilis, quia ministri hospitalis possunt esse electi, vt meri executores voluntatis testatoris, & locus vt mera conditio personalis legatariorum. Ex coniecturis igitur alijs erit videndum, an legatum sit locale. In dubio autem potius iudicandum, quod legatum sit personale, nam & si legatum sit mixtum ex locali, & personali, pro personali est habendum. *l. si is. ff. de liber. legat. Med. p. 2. q. 21. n. 4. Lauor. c. 17. n. 94.* Ideo si sit relictum aliquid alicui Ecclesiæ cum onere, vt de fructu hereditatis distribuat pro tertia parte in cura infirmorum huius vel illius Collegij, & pro alia in subsidium fratrum huius vel illius Monasterij, *Med. p. 2. q. 21. n. 4.* putat, quod videri debeat, an sit relictum intuitu personarum, quia tunc non debetur quarta: secus si contemplatione *Ecclesiæ Tuscus d. concl. 21. n. 41.* Quamuis si hoc legatum sit mixtum pro personali haberi debeat. Et quotiescumque personæ possunt considerari, vt separatæ à loco pio de tali legato non soluitur quarta. *Panorm. cons. 31. vers. Nec obstat. col. 2. l. p. & cons. 59. vers. Venio ad secundam. l. p. Rom. cons. 477. n. 18.* Nec interest an legatum sit factum ad fauorem determinatæ, & certæ personæ, quia nec de facto pro pauperibus in genere, vel pro incertis personis debetur quarta. *Ang. cons. 117. in princ. Tuscus d. concl. 21. n. 44.* Si tamen personæ relinqueretur vsus fructus, & proprietas post mortem eius spectaret ad Ecclesiam non exemptam deberetur quarta. Non enim inspici debet persona interposita, sed persona cui sit legatum. *Rom. cons. 511. circa finem Tuscus d. concl. 21. n. 54.*

599 Ad discernendum autem vtrum legatum sit vel non sit personale, quidam pro regula considerant, an in testamento legatarius nominetur nomine personæ, vel dignitatis, dicentes, quod relictum sub nomine dignitatis sit relictum Ecclesiæ, sed relictum sub nomine personæ sit personale. Ita *Med. p. 2. q. 19. & Lauor. cap. 17. n. 86.* Vnde dicunt, quod quando legatum est factum sub nomine dignitatis cẽsetur factũ Ecclesiæ, si sub nomine proprio censetur personale, si sub nomine proprio, & dignitatis si à consanguineo est personale, si ab extraneo est locale. Sed hoc merito displicet *Panor. in d. cap. Requisisti. n. 8.* qui aduertit, quod in dubio alias coniecturas inspicere debemus, non autem considerare, an in testamento sit expressum nomen proprium, vel nomen appellatiuum dignitatis. Nam in dicto *cap. Requisisti* expresse dicitur, quod si aliquid est relictum à consanguineo censetur relictum intuitu personæ. Ad illam vero distinctionem nominis proprij expressi, vel appellatiui tunc

debet

debet recurri quando dispositio per omnia pariter est proportionabilis personæ, & dignitati, vbi autem sunt coniecturæ magis vrgentes, quod fuerit contemplata persona dispositio erit personalis. Sic enim in *d. cap. Requisisti* textus non distinguit, an sit expressum nomen proprium personæ, vel nomen dignitatis, sed absolute vult, quod relictum Episcopo à consanguineo sit relictum contemplatione personæ, si ab extraneo contemplatione Ecclesiæ.

600 Itaque ergo regula est, quod relictum Episcopo vel cuicumque habenti prælationem, aut administrationem ab extraneo sit relictum contemplatione Ecclesiæ, *Innoc. ad d. cap. Requisisti*. Vbi *Poss. ver. nec est. Butr. n.15. Panorm. n.8. Couar. nu.4.* quod est verum nedum si cum nomine proprio sit etiam expressum nomen dignitatis, vt voluit Card. sed etiam si sit expressum tantum nomen proprium legatarij, vt contra eundem Card. probat *Panor. nu.23.* ex eo quia extraneus, qui non habet, vt moueatur ex propinquitate, non censetur dare suum habenti Ecclesiasticam administrationem, nisi pro anima, & intuitu Ecclesiæ, quia nemo præsumitur iactare suum, *l. cum de indebito. ff. de probat. cap. super hoc, de renunc.* Quod idem sensisse *Menoch. de præsump. l.4. præsump. 112. n.12. Couar. n.4. Barbosa num. 3.*

601 Sicut ex opposito relictum Episcopo, vel habenti prælationem, aut administrationem Ecclesiasticam à consanguineo censetur relictū intuitu personæ. *Innoc. Butr. Panorm. n.8.* & alijs. *Couar. n. 1. & 8. Barbos. n.4. Mascard. de Probat. concl. 1248. nu. 119. Menoch. præsump. 112. n.6* Et hoc est verum etiam si fuisset expressum solum nomen dignitatis sine nomine proprio legatarij. *Panorm. n.23. Barbosa. n.4. Mascard. concl. 965. n.8. Menoch. præsumpt. 112. n. 6.* Præsumptione tamen præsumptio vincitur. Ideo legatum factum à consanguineo censebitur factum Ecclesiæ si exprimatur causa, quæ salutem animæ, vel Ecclesiæ fauorem respiciat. *Mascbar. n.9. Menoch. n.7. Barb. d. n.4.* Item ex qualitate materiæ si sit legata res faciens ad vsum Ecclesiæ, vt si relinquatur calix, vel patena. *Mascard. d. conc. 965. n.11. concl. 1248. n.119. Barbos. d. n.4.* Non tamen omnino probo exemplum datum. Quia vbi res relicta faciat etiam ad vsum religiosum, sed personalem legatarij, non potest ex qualitate illa præsumi, quod relictum consanguineo sit intuitu Ecclesiæ relictū, quia enim Ecclesiastico competit habere priuatā, & propriā sacristiam, nimirū paramenta sacerdotalia, ornamenta altaris, calices, &c. quæ sint propria sacerdotis non vero Ecclesiæ, ideo si Ecclesiastico à consanguineo relinquantur huiusmodi potius censendum est, quod intuitu personæ sit relictum, non vero sic est, si relinquatur campana magna, vel aliud simile. Quamuis, & in his, si sint bona alienabilia, ex sola qualitate materiæ, non potest præsumi, quod relicta à consanguineo sint relicta intuitu Ecclesiæ, si vero econtra relinquatur Episcopo id, quod non est nisi vsui personæ, & quod ad personalem commoditatem spectat censendum est donatum intuitu personæ, vt in exemplis, quæ refert *Panorm. n. 20.* si quis Episcopo donaret falconem, vel canem venaticum. Plures igitur coniecturæ considerandæ sunt.

602 Quod vero nomine propinquorum hic veniant consanguinei vsque ad quartum gradum aduerterunt *Gloss. in ver. ex propinquo. Cardin. Zabar. n. 3. Imol. n. 38. Couar. n.9. Barbosa n.4.* Arbitratur tamen *Couar.* quod satius sit hoc arbitrio iudicis relinquere, cum simus in re ex coniecturis deducenda; quod tamen Barbosæ non placet, sed aliud est, quod sit arbitrarium iudici admittere coniecturam desumptam ex propinquitate quarti gradus, & hoc merito negatur, quoniam est vera propinquitas, & in vsu, & praxi habetur, vt talis: Aliud est, quod propinquitas quarti gradus sit magis de facili vincibilis ab alia coniectura, & quod in hoc possit locum habere arbitrium iudicis, & hoc est verum, quia iudicis est discernere quænam ex coniecturis præponderare debeat. Idem vero iudicium habendum esse de affine intra quartum gradum ex *Petro de Vbald. de Canon. port. cap.4.* tradit *Barbosa d. n. 4.* Sed ex identitate familiæ etiam vltra quartum gradum potest satis efficax coniectura deduci; nam qui ex eodem stipite sunt solent se se inuicem multum diligere, & beneficijs afficere. Nam quod & datum amico censeatur datum intuitu personæ, & contemplatione amicitiæ, probat *Panorm. 24. ex Glos. in cap. 2. si quid cert. pet.* vbi habet, quod si quis relinquat amicum executorem sub nomine dignitatis, mortuo illo executore, officium non transit ad successorem in dignitate. Et ideo etiam hic, quod disponitur ratione propinquitatis habet locum in amico, quod & dixerunt *Tiraquel. in l. si vnquam, verbo libertis nu. 83. & de pen. temporal. cap. 22. n.23. Mascbard. concl. 965. n. 7. Menoch præs. 112. n. 15. Surd. de alim. q.6. n.5. & 11.* quos sequitur *Barbosa vbi Sup. n.9.* Quod tamen intelligitur de amicitia longa, & magna. *Panorm. n.25. Couar. n.7.* Maximam amicitiam requirit, nec sufficit quæuis. *Gloss. ad d. cap. quam commendat Barbat. in cap. Cum inde Consil. n. 14.* Sed & aliæ causæ relinquendi, vel donandi considerandæ sunt; nam quod datur pro beneficio personali recepto censetur datum intuitu personæ, & propterea *Barb. n. 6. ex Tiraquell. l si vnquam, ver. donatione largit. n 54. & Menoch. præsump. 112. n.17,* vult quod donatum Prælato benemerito, aut officiali semper præsumitur donatum intuitu personæ. non vero intuitu officij.

603 Quando igitur Ecclesia legatum, seu relictum prætendat tanquam suum si alias constet de consanguinitate, affinitate, vel amicitia personali eius erit probare, quod relictum fuerit eius intuitu; nam alias legatarius, aut eius hæredes habent pro se præsumptionem, & ideo relictum illis est adiudicandum si præsumptio fortiori ratione non vincatur. *l. licet Imperator. ff. de leg. 1. Gloss. vlt. in l. si tutor. C. de periculo tutor. Panorm. in cap. 1. not. 2. de Cler. non resideat. Barbosa vbi supra n.4.*

604 An vero legatum Canonicis censeatur legatum Ecclesiæ disputant DD. Certum est, quod relictum vni vel alteri, vel aliquibus Canonicis in particulari censendum est relictum intuitu personæ: *Panorm. n. 27.* Sed si legatum fiat Canonicis vnius Cathedralis, vel Collegiatæ dissentiunt DD. Nam illud Ecclesiæ acquiri, & de eo deberi quartam voluerat *Bart. in l. 2. ff. de reb. dub.* ex eo, quod legatum ciuibus censetur legatum Ciuitati, & idem sensit *Petr. Perus. de quar. can. cap.4. Barbat. cons. vol. 4. col.5. & Ludouic. Lusit. in d. l. 2.* apud *Couar. vbi sup.*

sup. n. 10. Med. p. 2. q. 19. n. 5. & Lanor. cap. 17. nu. 88. idem sentiunt, si testator dicat relinquo omnibus Canonicis, non vero si solum dicat relinquo Canonicis. *Conar. autem d. n. 10. ex Anton. Panorm. Socin. & Barbat.* sentit relictum Canonicis non Ecclesiæ, sed ipsis acquiri, quod & vult *Barbosa n. 10.* Idem tamen *Conar.* contra Socinum credit, quod tale relictum competat Canonicis, vt Collegio, non vt singulis, & ideo diuidendum esse secundum proportionalitatis æqualitatem inter Canonicos, non vero secundum æqualitatem simpliciter, sicuti secundum proportionalitatem distribuuntur alia bona Collegij. Et addit etiam, quod de huiusmodi legato debetur Episcopo quarta. Et ita est, quia licet dici possit, quod relictum Canonicis non sit relictum Ecclesiæ, quia soli Canonici non repræsentant totam Ecclesiam, sicuti Ciues Ciuitatem repræsentant, tamen vt habet etiam Panormitanus in ordine ad quartam, non est discrimen: Imo puto dici posse, quod relictum Canonicis sit relictum Ecclesiæ, quia licet soli Canonici non repræsentent totam Ecclesiam, sunt tamen pars Ecclesiæ, vt Collegium quoddam Ecclesiasticum, & vniuersitas Ecclesiastica, ideo non sunt vna persona physica, sed moralis, & vnum quid morale, & ideo relictum eis non est personale, sed locale, seu veluti Ecclesiæ vni concessum. Relictum vero personale, vt personale est, quod est relictum vni personæ physicæ, vel pluribus, vel singulis diuisim, non vero vt sunt vnum corpus Ecclesiasticum.

605 Hinc tandem ex *d. cap. Requisisti* consideranda est prærogatiua Cathedralis ad alias Ecclesias inferiores, quam ponderat *Panorm. n. 2. 5. & 6.* Nam licet Episcopus de relictis sibi, vt priuatæ personæ nulli Ecclesiæ portionem debeat; de relictis tamen ratione dignitatis debet Cathedrali Ecclesiæ portionem suam, nihil autem debet alijs Ecclesijs. Ideo si sit relictum aliquid diuitim Ecclesiæ, & Episcopo totum simul est vniendum, & diuidendum, nisi vtraque pars de sibi relicto velit esse contenta. Vel nisi testator expresse declarauerit se velle, quod relictum Episcopo sit tantum illius. Quod tamen non valet econuerso, Nam etiam si testator dixerit se velle, quod relictum Ecclesiæ tantum per illam habeatur, non excluditur Episcopus, quia testator non potest iuris vniuersalem dispositionem immutare, vt dicitur in *d. cap. Requisisti*, & notat *Panorm. n. 21.* nec debet corpus separari à capite. Cæterum de eo, quod absolute relinquitur Episcopo ratione dignitatis portio debetur Ecclesiæ Cathedrali non vero alijs Ecclesijs. Cuius rationem reddit textus in *d. cap. Requisisti*, quia scilicet est maior communicatio inter Cathedralem, & Episcopum, quam inter alias Ecclesias, quia ex Cathedrali, & Episcopo vnum corpus efficitur *cap. nouit, cap. quanto, de his, quæ fiunt à maior. par capit.* Quota vero sit hæc pars, quam Cathedralis participat de relictis factis Episcopo, *Innocent.* dixit esse quartam. *Hostien.* dimidiam *Vincentius*, quem sequitur *Panorm. n. 28.* ait quod relictum debet diuidi inter Ecclesiam, & Episcopum sicut alia bona Ecclesiæ, *Conar. n. 9.* Sed habetur clara resolutio ex d. textu, dicente, quod hæc portio est tertia, vel quarta secundum consuetudinem. Sed idem *Panorm. n. 5.* aduertit quod de facto non leuatur vt aliquid Ecclesiæ detur de relictis Episcopo, quia Episcopi fere omnia iura Capitulorum præscripserunt.

606 Tandem circa hanc limitationem est aduertendum, quod in relictis Regularibus non habet locum distinctio realis, & personalis, sed omne relictum censendum est reale, seu locale, nimirum factum Ecclesiæ, cuius rationem reddit textus in *d. cap. Requisisti*, quia Regularis non est capax habendi proprium. *Panorm. n. 12. Med. p. 2. q. 19. nu. 6.* Vnde si aliquid relinquatur Episcopo Regulari totum est Ecclesiæ, quamuis vsus sit illius dum viuit. Et sic de omni legato facto Regularibus deberetur Episcopo quarta, nisi à fide ab hoc onere exempti essent, cum sint ab eius iurisdictione liberi. Videantur, quæ supra dicta sunt n. 517.

607 Limitatur tertio, vt Episcopo non debeatur quarta de relictis ad vsum priuilegiatum, iuxta tenorem *c. fin. de testamen.* Et iterum non debetur quarta de relicto pro Ecclesiæ ornamentis, reficiendis vestibus sacris, Altarium vtensilibus, supellectilibus sacris, candelabris, luminarijs lampadibus, earumque manutentione, fabrica Ecclesiæ, reparatione illius in toto, vel in parte, redimendis ornamentis, & supellectilibus Ecclesiæ, sepulchro construendo, aniuersarijs, choro extruendo, pictura ad ornamentum Ecclesiæ spectante, pro celebranda alicuius sancti festiuitate, pro erigendo altari, vel præbenda, & vniuersaliter de o[illegible], quod ad Dei perpetuum cultum pertinet. [illegible] habetur ex *d. cap. final.* & tradunt ibi DD. communiter. Cum vero aliqui voluerint, quod de [illegible] pro restauratione fabricæ debeatur quarta [illegible] clesia non indiget, oppositum dici debet [illegible] le reseruandum est pro tempore quo indigeat. [illegible] est euidens tale relictum respicere perpetuum Dei cultum, vt dictum est etiam supra n. 516. Vbi tamen etiam consideratum fuit, quod si relictum e[illegible] tanta quantitate, vt superaret omnem exp[illegible] faciendam etiam in futurum pro Ecclesia [illegible] tanda, posset censeri legatum factum in fraudem, si præcise sit factum pro restauratione proprie [illegible] pta. Et hoc extenditur ad relictum ad vsus indeterminatos pro ea parte pro qua executor distribueret ad præfatos vsus priuilegiatos, quia hoc est, ac si id testator ipse reliquisset. *Conar. ad d. cap. fin. n. 7. Barbosa num. 1. Quaranta v. Priuilegia Regul. ver. quarta funeralis diff. 2.* Nec obstat *Clem. Dudum de sepult.* in qua derogatur *d. cap. final. de testamen.* Nedum quia illa *Clem.* non se extendit nisi ad Prædicatores, & Minores secundum *Gloss. ibi, & Panorm. n. 41. Barbos. n. 2. Conar. in cap. officij nu. 14. de testam.* (quamuis *Panorm. ad d. cap. fin. n. 5.* dicat eam extentam ad Augustinianos, & Carmelitas, quod est verum) Sed quia illa *Clem.* loquitur de sola quarta Parochiali, vt euidenter ex verbis illius constat. *Barbos. d. n. 2.*

608 Hinc est, quod quarta non debetur de legato facto pro sucursu terræ sanctæ, quia hoc legatum Dei cultũ respicit ex *Med. p. 2. q. 22. Lau. cap. 17. nu. 10.* Item non debetur pro dote relicta alicui Ecclesiæ vel capellæ, quia huiusmodi dos cultum perpetuum Dei respicit, & ideo *Card. Tuscus l. D. concl. 51. n. 56. ex Castro cons. 223. circa medium v. quia dos l. 1.* inquit, quod non debetur quarta de legato [illegible] pro altari construendo, quod si debet construi debet etiam dotari. Et num. 72. quod non

debetur quarta si mercator mandet pretium redigendum ex mercibus inuestiri debere pro dote capellæ, & sustentatione capellani. *Cast.d. con.* 223. ubi loquitur de capella construenda in Ecclesia Monachorum. Et nu. 73. quod idem est dicendum si testator iubeat fructus vnius possessionis deputari pro dote capellæ, & sustentatione Capellani. Nam, & in hoc casu proprietas est hæredis. Verum est, quod *Med.p* 2.*q*.21.*n*.7. & 8. & *Lauor.c.*17.*nu.* 96. existimant, quod de legato facto vltra dotem, & de relicto Ecclesiæ sufficienter dotatæ, & de relicto pro dote si sit superabundans, & pars illius sit sufficiens pro dote, debeatur quarta Episcopo. Sed si id, quod datur pro dote Ecclesiæ censetur datum in Dei cultum, siue illud sit paruum siue magnum, non potest de eo detrahi quarta, quod & verum erit si detur in dotis augmentum, ad hoc vt in capella celebrentur diuina, & pro illis, quæ spectant ad diuinum cultum, vt pro ornamentis altaris, &c. Idem dicit *Barbosa d. all.* 86. *n.*25. si aliquid detur pro erigenda præbenda. Vnde non admittitur, quod dixit *Med. q.*21 *nu.* 61. quia scilicet debeatur quarta de relicto pro sustentamento Capellani.

609 Item non debetur legatum de relicto alicui præsbitero pro missis dicendis, quia hoc est legatum personale, & præcipue si fuerit relictus, & determinatus numerus missarum. Verum quando constet legatum factum esse ratione dignitatis, seu factum esse Ecclesiæ, tunc portio de tali legato debebitur. *Med.q.*21. *n.*6. *Lau. c.*96. Sed certe si finis legantis sit dei cultus, vt scilicet in Ecclesia per numerum missarum Dei cultus augeatur, nulla quarta de hoc legato debetur. *Bonac.de contract.disp* 3. *q.*22.*p.*2. *ver. Illa dicuntur*. Item quidquid in contrarium dixerint *Med.d.q.*21.*n.*10.& *Lau.n* 97 Non debetur de pallio relicto Ecclesiæ pro cooperiendis cadaueribus, vel feretro, quia huiusmodi pallium numerandum est, vel inter ornamenta Ecclesiæ, vel inter ea, quæ spectant ad Dei cultum perpetuum, quia pars diuini cultus est officium sepulturæ. Nec valet, quod refertur ex *cap. officij de testamen.* quia illud recipit interpretat. ex *d.cap.final. eod. tit.*

610 Est vero considerandum, quod non sufficit ad vtum priuilegiatum, quod aliquod materialiter cedat in Dei cultum: sicut neque ad hoc, vt relictum dicatur esse factum pro anima sufficit, quod mediate, seu ex fine operantis ordinetur ad bonum animæ legantis; nam quod relinquitur spectans ad Dei cultum non perpetuò est relictum factum pro anima. Sed hic considerandus est finis proximus, & principalis legati, si enim hic est Dei cultus perpetuus, vel aliquid spectans ad illum de tali legato non debetur quarta. Ideo nec admittitur omnino. quod habet *Med. d.quæst.*21.*n.*9. scilicet quartam deberi de relicto pro sepultura, & pro sacramentis, nam de relicto pro construenda sepultura, nec de relicto ad finem, vt administretur sacramenta in Ecclesia debetur quarta quia hæc pertinent ad Dei cultum. Sed illud legatum dicitur factum pro anima, quod factum est titulo eleemosinæ, & principaliter proxime in salutem animæ legantis, vt cum relinquitur pro missis pro anima defuncti celebrandis.

611 Limitatur quarto quando legatum sit facatum Ecclesiæ incapaci, quia tunc legatum est nullum. *Med.p.*2.*q.* 22.*n.*7. Quinto quando bona Ecclesiæ proueniunt vi professionis emissæ in Religione, quia tunc Religio possidet iure illo sibi proprio, quia nimirum, ex quo quis tradit se Religioni simul omnia sua donat, nisi de illis aliter dispo nat *Bonac.d. q.* 22. *p.*3. *n.*3. Sexto ex priuilegio, & exemptione concessa alicui Ecclesiæ, & septimo ex consuetudine. Quod enim possit quarta præscribi habetur ex *cap. de quarta, de præscript.* Et iam de facto in quamplúribus locis quarta de legatis, seu relictis non soluitur Episcopo. Et quod apud Hispanos quarta canonica de legatis in disuetudinem venerit, testatur *Barbosa d.alleg.*86.asserens in locum eius subrogatum fuisse luctuosam. Quam *de off. Epis.* 86. *n.* 6. dicit consistere, & esse soluendam de bonis mobilibus beneficiarij mortui illius Ecclesiæ, quæ habebat quartam decimationum, & in aliquibus locis est certa quantitas auri, aut argenti, aut in moneta, aut in materia; in alijs est prætiolior suppellex quam habebat beneficiarij prædicti. Et quamuis in certis locis Capitula Cathedralium habeant illam quartam mortuariorum ab aliquibus pijs locis, vel luctuosam illi subrogatam, non per hoc illa quarta, vel luctuosa desinit esse ius Episcopale sua natura, licet per accidens pertineat ad Capitula, cum hoc habeant propter separationem bonorum factam inter ipsa Capitula, & Episcopos.

612 Limitatur octauo quando testator relinquit aliquid Episcopo cum pacto, vt ab Ecclesia cui relinquitur non exigat quartam, & Episcopus acceptet. Si enim testator absolute relinquit aliquid Episcopo, & alteri Ecclesiæ, Episcopus quartam de relicto Ecclesiæ exigit. Nec est eadem ratio de Parocho, & Episcopo, quia vt dictum est supra Parocho debitor est testator si velit extra Parochialem eligere sepulturam; ideo si testator legat Parocho censetur legare, vt suo debito satisfaciat, quo facto Ecclesia sepulturæ, quæ solo deberet quartã in suosidiũ testatore nihil legãte, libera est à debito soluendi quartam, Sed testator ex nullo iure tenetur aliquid soluere Episcopo, ideo si aliquid ei relinquit, non censetur id facere ex aliqua necessitate, & vt satisfaciat alicui obligationi. Sed Ecclesia legataria est illa, quæ est debitrix, & propterea ex relicto gratis Episcopo non liberatur à debito. Sed quando testator expresse relinquet aliquid Episcopo sub conditione, vt aliam quartam ab Ecclesia hærede, vel legataria non exigat, si acceptat legatum non potest quartam exigere. Verum est, quod vbi hoc factum fuerit in fraudem, Episcopus cognita fraude etiam si acceptauit legatum habet ius ad integram portionem. De his enim est textus expressus in *cap. officij de testamen.* Vbi *Gloss.Panormit. Couar. Barbosa, & aly.* quia vt ex *cap. intelleximus, de iudic.* & *Clem.*1.§.*verum de sepult.* probat *Barbosa* traus, & dolus non debent alicui patrocinari, vel vt commodum consequatur, vel vt alteri damnum inferratur. Et nihilominus si conscius defraude legatu acceptat, non potest aliud prætendere. Sic etiam eodem modo apud Hispanos si testator relinquat aliquid Episcopo sub conditione, vt non accipiat luctuosam, si acceptat relictum, luctuosam exigere non potest. Quamuis nisi sciens, & prudens eo-

gnita fraude, aut dolo adhuc acceperit legatum, vbi adsit fraus, & dolus ius habet ad integram luctuosam.

613 Consuetudinem quoque esse in terris Baronum, vt in eorum funere Episcopo dentur Regalia consistentia in lecto, equo, pileo, ense, annulo, calcaribus, & ocreis tradit *Barbosa d. all. 86. nu. 35.* Vbi refert S. Cong. Epis. & Regul. bis decreuisse in causis inter Episcopum Hydruntinum, & Episcopos Lycien. & Alexanen. quod huiusmodi regalia debentur non Episcopo in cuius Dioecesi Baro moritur, sed Episcopo in cuius Dioecesi est Baronia. Quod & refert *Lauor. cap. 3. n. 204.* reddens rationem hanc; quia scilicet huiusmodi regalia non debentur ratione sepulturæ, nec spectant ad funus, sed debentur ratione Baroniæ.

614 Quando vero contingat, quod Ecclesia aliqua sit instituta hæres, tunc in libertate Episcopi esse, vt petat quartam in singulis rebus, vel in vna re tantum, Ita tamen quod in arbitrio Iudicis erit considerare, quæ pars sit assumenda. docent *Vbald. p. 1. cap. 3. n. 16. Ned. p. 2. q. 23. n. 6. Lauor. cap. 37. nu. 105.*

615 Quæritur octauo, an Episcopo debeatur quarta de donatione inter viuos, & oblationibus, quæ non fiunt causa mortis? Tractat hanc qu. *Panorm. in cap. Requisisti, de testam. n. 16. & 17.* Et præmisso, quod Butrius videtur voluisse, quod Episcopo debeatur quarta de omnibus, siue in vita, siue in morte donatis Ecclesijs subiectis, & de quibuscunque oblationibus illis factis, ipse primo inquit. quod de redditibus Ecclesiarum nihil debetur Episcopo præter Cathedraticum per *text. in cap. 1. 10. q. 3.* Secundo, inquit, quod nec de oblationibus faciendis in aliqua Ecclesia debetur hæc quarta. per *text. in cap. 1. de stat. Monach. & cap. 1. de excess. prælat.* Et quia in *cap. conquerente*, vbi enumerantur iura Episcopalia nulla fit mentio de oblationibus. Et quod ius antiquum in hac parte fuit reuocatum per *d. cap. 1. 10. q. 3.* & alia iura allegata. Sed debetur quarta decimarum, & quarta mortuariorum, idest eorum, quæ veniunt ratione funeris, seu relictorum in morte, ex *d. cap. Conquerente*. Dicit tertio, quod nec de donatione inter viuos debetur quarta Episcopalis. Quod probat tum ex *d. p. cap. 10. q. 3.* Tum ex *d. cap. conquerente*. vbi nulla fit mentio de donatione. Tum per notata in *cap. 1. de statu Monach.* vbi hoc tenet *Gloss.* Tum ex *cap. de his, de sepult.* vbi hoc sentit *Archid. & Hostien. in summa.* Tum ex *cap. officij de testamen.* vbi solum dicitur, quod de relictis debetur quarta. Tum ex *d. cap. Requisisti in principio*, vbi solum fit mentio de his, quæ testator relinquit pro anima sua.

616 Triplex hæc assertio vera est, sed ex omnibus, & singulis citatis textibus hæc veritas non probatur. Et quidem *cap. primum 10. q. 3.* fuit desumptum ex *Concil. Braccaren. 2.* quod fuit celebratum de anno 572. secundum Baronium. Quamuis vero h[illegible] c Co[illegible] c[illegible] ium [illegible] po[illegible] *Concil. Aurelian. primo*, quod fuit [illegible] d. anno 507. & ex quo *Gratianus* sumpsit *cap. de his, & cap. Antiquos, 10. q. 1.* vbi Episcopo attribuitur quarta, imo medietas oblationum, vnde posset dici, quod huiusmodi iura antiquiora reuocata fuissent per *d. Concil. Bracarense*, si solus ordo temporum considerati hic deberet, tamen neque hoc suffragaretur quia *cap. constitutum 16. q. 1.* desumptum ex *4. Concil. Tolet* celebrato anno 633. & in quo decernitur, vt Episcopo debeatur tertia nedum de oblationibus, sed etiam de frugibus non potuisset mihi derogatum per decretum *Concil. Braccaren.* quod præcessit, sed econtra. Et additur quod de anno 693. Episcopia portio, & tertia conceditur sub onere restaurandi Ecclesias. Et nihilominus etiam additur, quod huiusmodi textus desumpti ex Concilijs Prouincialibus vtiles quidem [illegible] ad co[illegible] scendas particulares Prouinciarum co[illegible] & vt ex eis veluti ab exemplaribus d[illegible] nam haurire possimus, sed cum non habea[illegible] legis vniuersalis ex illis solis non sufficienter probatur veritates, & conclusiones practicæ enunciantes obligationem legis vniuersalis [illegible] Ecclesia. Considerare igitur debent textus d[illegible] ex decretalibus, & literis Apostolicis. *Cap. [illegible] primum de statu Monachorum* de Monachis loquitur vnde non est vniuersale. Et in *cap. nimis el. 1. de excess. Prælatorum* est sermo de Religiosis.

617 Ex alijs vero iuribus vere satis validum desumitur argumentum, Nam in *cap. Conquerente, de off. Iud. ordin.* numerantur iura Episcopalia, & inter has numeratur ius quartæ, & nihilominus non conceditur nisi quarta decimarum, & mortuariorum, sub quibus nominibus non veniunt nec redditus antiqui, neque nouæ donationes, & oblationes non factæ in morte, nec causa mortis. Ex vi igitur huius legis huiusmodi quarta non d[illegible] ergo nec tunc debebatur absolute, quia aliter Pontifex id expressisset, sicuti expressit quartam decimarum, & mortuariorum, quia eius intentio fuit expresse enumerare Episcoporum iura. Ex *cap. etiam de his, de sepult* habemus, quod *Alex. 3.* præcipit, quod transferens se cum bonis suis nihil Episcopo, vel Parochiali dare tenetur, nisi sit in [illegible]ma, & decedat ex ea infirmitate. Vnde duo habentur, nimirum quod ex donatione facta inter viuos, nihil debeatur. Secundum, quod nihil nec de mobilibus, nec de immobilibus ab Ecclesijs possessis aliquid Episcopo debeatur, si enim nihil de eis debetur si sint de nouo donata à sano multo minus de eis aliquid debetur, quæ ab antiquo sint possessa ab Ecclesia inseruiunt, consequentia probatur quia secundum iura antiqua *cap. Vulterana, & seq.* de omnibus possessis debebatur quarta Episcopo de omnibus quæ etiam de nouo offerebantur Ecclesiæ, & ita quod cum aliquibus Episcopis visum fuerit hanc quartam non esse detrahendam à nouiter oblatis, hoc valde improbauerit *S. Gregor. cap. cognouimus 10. q. 1. & q. 2.* Cum ergo per ius nouum de oblatis, & acquisitis de nouo à sano donante nulla portio Episcopo sit debita, signum est quod Canones antiqui præcipientes quartam, vel ex noua lege scripta, vel ex consuetudine in disuetudinem abierant. Quod e[illegible] stimatur ex *cap. officij, & cap. Requisisti de testamen.* in quibus solum de relictis in testamento fit mentio, & quæritur qualiter portio debeat dari Episcopo, & an hæc debeat dari, si testator aliquid Episcopo legauerit, & qualiter hæc portio siue sit tertia, vel quarta sit inter Episcopum, & Ecclesiam diuidenda.

618 Dicitur igitur primo, quod de bonis ab Ecclesijs ab antiquo possessis, & de eorum fructibus nihil

bus nihil

bus nihil debetur Episcopo præter cathedraticum. Ita omnes DD. sentiunt. Distingui enim debent status Ecclesiæ quantum ad temporalia bona, vt factum est supra q.185.a.7. in principio, in hoc vero statu, cuius initium aliquod, seu occasio, vt diximus ibi nu.22. habita fuit sub Symacho Papa, & in quo mensæ Ecclesiarum, & Episcoporum, & Rectorum sunt diuisæ, vel per statutum aliquod Ecclesiæ, vel per consuetudinem: Non possunt Episcopi sibi vsurpare de mensis aliarum Ecclesiarum, nisi quod iure est illis concessum, scilicet cathedraticum in signum subiectionis, sed sua mensa contenti esse debent, Ideo de reditibus ad mensam inferiorum Rectorum, vel Capitulorum spectantibus, vel deputatis pro fabrica, aut paupertum alimentis, eis quarta, vel alia portio non debetur.

619 Dicitur secundo, quod neque de aliqua oblatione, quæ fiat Ecclesiæ ex quacumque occasione debeeur Episcopo quarta. *Panorm.n.16. Sylu.v.Canonica portio n.4.vers.octano. Tabien nu.7. ver.octano.* Quantum ad Monachos, & Religiosos habetur hoc statutum in *cap.1.de stat.Monach.& in cap.nimis el 1. de excessib. Prælator.* Sed iuncta consuetudine per quam introductæ sunt mensæ Rectorum Ecclesiæ quorum reddinus sunt Rectorum, probatur assertio ex *cap. conquerente de off. iud. ordin.* In quo inter iura Episcopalia non numeratur nisi ius habendi quartam decimarum, & mortuariorum; igitur ex iure communi nulla alia quarta debetur. Nec obstat, quod ex antiquissimo iure deberetur etiam quarta, vel tertia oblationum, quia tunc Ecclesiæ bona aliam statum habebant, & in communi possidebantur sub administratione Episcopi, & non solum de oblationibus, sed de omni reditu Ecclesiæ fieri debebant quatuor partes, sed postquam introductæ sunt mensæ propriæ Clericorum, & præbendæ, & ita quod Clerici suos faciunt reditus suarum mensarum, nouo iure communi standum est; Cum ergo ex posteriori iure non imponatur inferioribus Rectoribus, seu Ecclesijs nisi onus quartæ decimarum, & mortuariorum, aliud onus subire non tenentur.

620 Solum potest esse difficultas, quid veniat sub nomine mortuariorum. Nam certum quidem est, quod veniant relicta per testamentum, aut causa mortis, seu quæcumque relicta, quæ non debentur nisi relinquente mortuo, & relinquens dat pro anima sua, vt patet ex *cap.officij, & cap.requisisti de testamen.* Sed remanet dubium, an sub nomine mortuariorum veniunt donata donatione inter viuos, sed tempore vltimæ infirmitatis, & etiam quæ occasione funeris ab hæredibus dantur Ecclesiæ in qua defunctus tumulatur. De horum enim vtroque debetur quarta Parocho, de donatis scilicet in vltima infirmitate ab eo, qui transit ad Religionem ex *cap.de his, de sepult. & de funeribus ex cap. 1. & Clem. Dudum de sepulturis,* vt supra satis est probatum. Sed non licet arguere à quarta Parochiali ad quartam Episcopalem, quæ est valde diuersa. Et videndum est, an huiusmodi oblata, & data veniant sub nomine mortuariorum, quia Episcopis non debetur nisi quarta de decimis, & mortuarijs. & quidem de oblatis ratione funeris, quod veniant sub nomine mortuariorum non concluditur ex eo, quod dantur pro mortuo, quia aniuersaria, nouennalia, & trigesima celebrantur pro animabus defunctorum, & tamen pro illis nulla debetur quarta, *cap.final.de testamen.* Et videtur augeri difficultas, quia per mortuaria *Gloss. & Fagnanus* intelligunt ea, quæ relinquuntur in morte, vnde non videntur comprehendere quæ offeruntur post mortem. Verum alia ex parte dicendum videtur, quod mortuaria sunt, quæcumque pro defuncto offeruntur, & quod non debeatur quarta pro aniuersarijs, non sit quia non veniant sub nomine mortuariorum, sed quia sunt excepta per *d. cap.final.de testamen.* Ideo *Panorm.d.cap.requisisti n. 16.* inquit, quod mortuaria sunt, quæ veniunt ratione funeris. Sed, & huiusmodi funeralia numeranda videntur inter relicta causa mortis, seu post mortem, Nam ex quo testator mandat corpus suum sepeliri in aliqua Ecclesia mandat etiam fieri expensas funeris, vnde Ecclesiæ sepulturæ funeralia relinquit ex quo illi relinquit suum corpus vnde huiusmodi veniunt sub relictis post mortem, & quòd quarta debeatur de his, quæ obueniunt ratione funeris dicunt *Syl.n.4. Tab. n. 7.* Verum hic distinguendum est inter quartam quartæ Parochialis, & quartam oblationum factarum Ecclesiæ sepulturæ, quæ immediate ab eadem Ecclesia debentur Episcopo. Nam quarta quartæ Parochialis Episcopo debetur, & hæc inter mortuaria computatur. *Syluest.v.Canonica portio n.1. Lauor.c.17.nu. 17* Et ste in hoc sensu verum est, quod dixerunt *Tuschus l.Q.conc.21.n.9. & Cespedes dub.364.* scilicet, quod Episcopo debetur quarta de mortuarijs seu quod eidem debetur quarta de oblationibus, quæ obueniunt occasione funeris *Syln.v.Canonica portio n.4.Tabien.n.7.* Sed an præter hanc quartam quartæ funeralium debeatur altera quarta ab Ecclesia sepulturæ supra reliqui sub dubio, sed nunc inclino in partem negatiuam, scilicet, quod nisi aliud sit de consuetudine, aut lege speciali, de iure communi ab Ecclesia sepulturæ nulla quarta debetur Episcopo immediate, & quod quarta funeralium ab Ecclesia sepulturæ debetur soli Parochiali, seu Parocho: ducor, quia in *cap.1. & 2. & cap. ex parte el 1. & cap. Cum liberum, & cap.de his, & cap. Cum super, & cap. In nostra,* & in toto tit.de sepulturis solum præcipitur, vt quarta detur Ecclesiæ Parochiali: quod idem habetur *cap. 1. & 2. de sepult.in 6. & Clem. Dudum, eod.tit.* Nullibi igitur expresse cautum est, quod Episcopo detur quarta funeralium. Hoc vero non satis colligitur ex *cap. Conquerente de offic. ordinarij,* vbi dicitur, quod Episcopo debetur quarta mortuariorum, quia hoc satis verificatur in eo, quod Episcopus habet quartam legatorum, & quartam quartæ funeralium. Ex eo enim, quod iura expresse non decernunt, quod quarta funeralium debeatur Episcopo, sed Parocho, satis iura exprimunt hanc non deberi Episcopo, nisi pro quanto Parochialis ipsa quartam suæ quartæ teneatur dare. Et ita etiam explicat. *cap.de quarta, de præscrip.* vbi supponitur, quod Episcopo debeatur quarta oblationis defunctorum: quia supponitur ibid. quod hæc quarta debeatur à Clerico, non vero sit aliqua mentio de Ecclesia sepulturæ. Nam, & quarta funeralium simpliciter numeratur inter emolumenta funeralia. *Rota dec.85. n.2. p.8. recent.* & eadem *Rota dec.84.* apud *Tamb. tom.3. sen in Lexicon.quarta funer.* sub distinctione dixit, quod quarta funeralium spectat ad Episc. vel Paro-

vel Parochum, citans ad hoc *cap. 1. & 4. de sepult. & cap. cum quis eod. tit. in 6. & Clem. Dudum eod. tit.* quia nimirum quarta funeraliũ non ad vtrumque simul, sed ad alterum eorum spectat. Nam ex citatis iuribus spectat ad Parochum, nisi si vel ex consuetudine, vel si sit Parochus alicuius Ecclesiæ, vel ex aliquo alio speciali iure competat Episcopo. Ideo nec video quo iure *Med. p. 2. q. 21. n. 5. & Lauar. c. 17. n. 95.* dixerint quartam deberi Episcopo de oblationibus, quæ in missa fiunt pro defunctis. Hoc certum est, quod ad hoc probandum inutiliter adducitur *cap. in nostra, de sepult.* Quia ibi sermo est expresse de Parochiali Ecclesia non de Episcopo, & de quarta funerali, non de oblationibus quæ extra funus defuncti fiunt in missis. *Ex Constit.* etiam ad hoc *Pij Quinti. §. 10.* quæ habetur in Bull. post const. 41. statutum habemus, quod vbi consuetudo sit, vt soluantur duæ quartæ funeralium vna Episcopo, & alia Parocho vna sola soluatur scilicet Episcopo: ex quo colligitur Pontificem iudicasse non esse æquum, nec in iure fundatum, vt duæ quartæ funeralium soluantur. Quod amplius confirmatur. Nam quarta funeralium per se est instituta ratione onerum Parochialium. *cap. 2. de sepult. & Clem. Dudum eod. tit.* igitur hæc quarta non debetur per se Episcopo, sed Parocho, nisi speciali iure sit Episcopo reseruata, & pro vno onere non duplex, sed vna portio fuit constituta. Cæterum nec Episcopus aliam quartam prætendere potest ex alio titulo communi, quia scilicet debeatur sibi quarta oblationum, quia iam hanc quartam sibi non deberi est probatum. Nec expensæ funeris proprie dicuntur relictæ à testatore, sed sunt expensæ necessariæ ex testatoris hæreditate debitæ fieri non vero à testatore donatæ, aut relictæ.

621 Dicitur tertio, quod de donatione inter viuos non debetur Episcopo aliqua portio ab Ecclesijs sibi subiectis. *Panorm. d. cap. Requisistis n. 17. Syluest. v. Canonica portio n. 4. vers. nonus. Tabien. nu. 7. ver. nono. Med. q. 22. n. 7. Azor p. 2. l. 9. c. 12. q. 7. casu 9. Mirand. p. 2. q. 48. a. 3. concl. 1. in fin.* Et probatur ex *cap. 1. de stat. Monach. & cap. Nimis el 1. de excess. Prælat.* quantum ad Regulares, & ex *cap. conquerente. de off. ord.* & alijs iuribus supra ponderatis. Ex quo enim iam Episcopis attributa est propria mensa ideo, vt aduertit *Panorm.* noluerunt Pontifices onerare inferiores Ecclesias, vt de omnibus eorum bonis, & oblationibus tribuerent quartam Episcopo, sed iudicauerunt sufficere, si illæ tenerentur ad quartam decimarum, & legatorum, Maxime quia Parochi de oblationibus, & donatis viuunt.

622 De donatione vero inter viuos facta tempore vltimæ infirmitatis videtur, quod debeatur quarta, quia hæc certe debetur Ecclesiæ ex qua discedit, qui se cum suis bonis se transfert ad Religionem infirmus, si ex ea infirmitate decedat. Et ita, quod debeatur in hoc casu quarta etiam Episcopo tradit *Med. p. 2. q. 2[illegible] n. 6.* Sed certe ex illo *cap. de his,* hoc non concluditur, sed oppositum. Cum enim in proponendo quæstionem dictum quæsitum fuerit, quid dicendum quando qui transeunt ad Religionem nihil Episcopo, aut Ecclesiæ Parochiali relinquit, Respondet Pontifex, quod portio debetur Ecclesiæ Parochiali si infirmus qui transit cum suis bonis in ea infirmitate decedat: [illegible] vero dicit de Episcopo non est ergo [illegible] inde ex eo cap. deducatur, quod de huiusmodi [illegible] [illegible] Episcopo portio propria distincta à portione Parochiali. Nihilominus difficultas hic est, an donatum in morte censeatur donatum causa mortis, censetur enim tale, vnde nec in spolijs huiusmodi donationes habentur, vt donationes inter viuos, & non est dubium, quod habetur magna præsumptio, quod donatum in morte sit donatum causa mortis. Nihilominus sicut in spolijs donatum [illegible] quadraginta diebus ante mortem habetur pro d[illegible] inter viuos, ita & in proposito dici potest, quod per tãtum temporis cessat præsumptio causæ mortis. Imo vbi quod donatur de facto ante mortem traditur, & bona fide sine fraude in conscientiæ foro saltem est vere donatum inter viuos, nec de eo aliqua quarta erit soluenda, quia tale per accidens est donatum in morte, & re vera non est donatum causa mortis.

623 Tres vero esse species huius donationis dicit *Syluest. a. 1.* Prima quando quis donat non quidem metu, sed cogitatione mortalitatis, secundo quando dat imminente periculo mortis, vt statim sit accipientis. tertia quando dat imminente morte, non vt statim sit accipientis, sed tunc demum, cum donans decesserit. Est enim effectus huius donationis, vt res donata non sit eius [illegible] donatur irreuocabiliter nisi morte sequuta. Vnde licet res ante mortem tradatur non fit tamen donatarij irreuocabiliter nisi morte donantis con[illegible] metur. Idcoque huiusmodi donatio si hæc a constituto in instanti aliquo mortis periculo [illegible] ante periculo euanescat. *l. 2. & 3. & l. si mortis causa res, & l Senatus §. mortis ante. ff. de mortis causa donat:* Et per hoc distinguitur a testamento, & legato, aliquando vero fit extra mortis periculum, & tunc durat, nisi reuocetur, & non reuocata morte testatoris fit irreuocabilis. Debet autem fieri præsente donatore, & eo acceptante, vel si sit absens præsente aliquo, qui nomine eius acceptare possit, & acceptet si vero nullus sit, qui acceptet hac vero in testamento, vel codicillo, vel cum solemnitate sufficiente ad legatum valebit non vt donatio, sed vt legatum, vel fidei commissum si donans facultatem testandi habebat, in cognoscendo vero, an donatio sit causa mortis, hæc prima regula obseruari debet, vt standum sit intentioni donantis, magis quam verbis eius, quando de ea constat. Alias vero hæc alia regula datur, vt donatio causa mortis non sit, sed inter viuos, si in ea nulla mentio mortis facta est. Nam cum donatio causa mortis improprie sit donatio, verbum donandi absolute positum de donat. inter viuos intelligi debet. *l. Seia. §. vlt. ff. de mort. cau. donat.* ibi. *eum, qui absolute donaret, non tam mortis causa, quam morientem donare.* Ideo, quod quando in mortis periculo constitutus nulla facta mortis, aut periculi mortis mentione absolute donat censentur donare inter viuos dixerunt. *Syluest. v. donatio 4. n. 4. Cauar. p. 3. rubr. de testam. n. 25. Sanchez vbi supra nu. 7. Cardinalis de Lugo nu. 321.* Et vbi mortis mentio non sit facta, quod sit censenda in dubio donatio inter viuos dixerunt *Syluest. vbi supra Azor. d. l. 11. c. 11. q. 8. Bonac. de contractibus disp. 3. q. 13. punc. vlt. n. 21.* Quomuis etiam tunc colligi eam esse factam causa mortis si

ta si donans vtatur verbo relinquo, vel si fiat mentio periculi mortis aduertunt *Conar. & Sanchez*, & alias etiam coniecturas considerari debere sumendas ex verbis, qualitate personarum, & status ex *Iason. & Hostien.* pateat *Syluest.* Et in dubio, vbi tamen sit facta aliqua mortis mentio, censendum est, quod sit facta causa mortis, vt ex *Molina* considerat *Card. de Lugo*.

623 Vbi ergo donatio facta in vltima infirmitate sit vere donatio inter viuos, non vero causa mortis non erit de ea detrahenda quarta per Episcopum, nisi adsit lex aliqua id decernens, quia hæc non est mortuaria, & Episcopo debetur quarta mortuariorum, non vero donationis inter viuos; *cap. vero de his, de sepult.* non obstat, quia ibi est sermo manifeste de donatione causa mortis. Quia qui cum bonis suis transit ad Religionem, non donat sua religioni irreuocabiliter ante professionem, sed solum sub conditione, vel mortis, vel professionis, ideo illa donatio respectu temporis antecedentis professionem est donatio causa mortis. Quatenus tamen transiens ad religionem in infirmitate aliquid Religioni donaret absolute, & de hoc constaret de eo non deberetur quarta etiam Parocho, etiam si infirmus ex illa infirmitate decederet.

624 Quæritur nono qualiter Episcopo debeatur quarta decimarum? Hanc quartam deberi Episcopo est indubitatum ex *cap. conquerente de off. ordin. & cap. de quarta, de prascript.* Et cum iam controuersum fuerit, an hæc quarta debeatur Episcopo ex consuetudine, vel ex iure communi scripto, constat euidenter ex citat. iuribus eam deberi ex vi iuris communis, *Seraphin. dec. 1449. n. 4. Rota decis. 334. n. 4. p. 5. & decis. 311. n. 2. p. 6. Beltram ad decis. 519. Greg. 15. n. 4. Barbos. all. 85. n. 34.* Vnde indubitatum est, quod Episcopus habet in iure fundatam intentionem percipiendi hanc quartam: *Rota decis. 31. n. 5. p. 1. diuers. in Cauien.* seu nullius iurisdictionis 1567. *coram Lauretano, & in Toletana pratensarum decimarum 19. Nouemb. 1585. coram Clemente Octano*, apud *Marches. de commiss. p. 3. & in Pacen. decimarum 12. Februar. 1608. coram Sacrato, & in Nouarien decimarum 15. Aprilis 1615 seu dec. 519. coram Greg. 15.* Cum vero de legatis Episcopo debeatur tertia, vel quarta, *Barbosa d. all. 86. n. 34.* docet, quod de decimis debetur tantum quarta. Et certe in *cap. conquerente, de off. ord. & in cap. de quarta de prascriptionibus*, sola mentio fit quartæ. In *cap. vero officij, & cap. Requisisti de testamen.* est sermo de legatis, non de decimis. Nihilominus sicut consuetudo potest tollere quartam, ita potest illam augere ad maiorem quantitatem si sit legitime præscripta.

625 Vbi vero aliquod prædium nullius essec Parochialis, tum Episcopo nedum debetur quarta, sed debentur integræ decimæ, *cap. quoniam, vbi Panorm. n. 1. cap. Dudum, Gloss. in ver. iure communi, in cap. cum contingat, de decimis. Azor. p. 1. l. 7. cap. 36. q. 9. Rota in Pacen. decimatum 9. Iunij 1603. & 1604. 21. Iunij dec. 485. coram Coccino. Et in Placent. decimarum 18. Martij 1616. coram Buratta, & in Conchen. decimarum 18. Decembr. 1617. coram Andrea. Barbosa d. alleg. 86. n. 36.* Et idem dicendum vbi Parochiæ non sunt distinctæ. *Azor. vbi supra Rota in Ciuitaten. decimarum 16. Martij, & 28. Iunij 1618. coram Verospio. Loter. l. 1. q. 20. n. 103. Barbosa. nu. 37.*

626 Limitatur tamen, vt quarta non debeatur vbi Ecclesia Parochialis, vel sit exempta, & priuilegiata, vel consuetudine præscripserit hanc quartam. Consuetudine enim posse quartam præscribi spatio quadraginta annorum etiam sine titulo si consuetudo sit proprie consuetudo, vel cum titulo si sit præscriptio, aut etiam per immemorabilem sine titulo, supra sæpius est probatum, & habetur ex *cap. de quarta, de prascript.* Vnde est, quod de facto in aliquibus Episcopatibus Episcopo datur tertia, in alijs, nec tertia, nec quarta. in alijs debetur Capitulis Cathedralium propter separationem factam ex conuentione inter Capitula, & Episcopos, licet ex hoc huiusmodi tertia, vel quarta non desinat esse ius Episcopale de sua natura, præscriptibile tamen vt est supra dictum. *Panorm. cap. Certificari n. 5. & 6. de sepult. Syluest. v. Canonica portio n. 2. Loter. l. 1. q. 20. n. 106. Mirand. p. 2. q. 48. num. 5. concl. 2. Barb. d. all. 86. n. 39.*

627 Quæritur decimo, à quo huiusmodi quarta Episcopalis sit debita? Plures enim difficultates hic insurgere possunt, & quidem prima est, an quarta legatorum, seu decimarum debeatur à laicis? In hoc enim nonnulla apparet contrarietas in iure. Nam *cap. Quoniam 13. & cap. Dudum 31. de decimis*, tribuitur Episcopo ius exigendi suam quartam decimarum cum tamen in *cap. cum contingat 29. & cap. cum in tua 30.* expresse dicatur, decimas deberi Ecclesijs Parochialibus à quibus postea Episcopus quartam potest exigere, & sic quarta Episcopo non debetur à laicis, sed ab Ecclesijs. Et quidem quando prædium nullius est Parochialis, tunc quia decima fructuum illius prædij debetur Episcopo, ideo tunc Episcopus habet ius exigendi decimam à laico illius prædij possessore. Et quia in diuisione Parochiarum potuit Episcopus sibi reseruare portionem decimarum, vt per *Panorm. in cap. Quoniam n. 2. Card. n. 1. in 1. opposit. Butr. n. 2. in 2. not. Auchar. n. 4. de decimis, & Rebuff. de decimis q. 7. n. 9.* docet *Rota dec. 520. n. 1. p. 1. Recent.* Idcirco in eo casu Episcopus haberet coequale ius cum Rectoribus ad decimas, quas non tenetur recipere de manibus illorum, sed per ius coequale eas petere posset, & exigere, vt tradit *Rota ibid.* Nihilominus de iure communi decimæ debentur Parochialibus Ecclesijs, vt patet ex *d. cap. Cum contingat 29. & c. Cum in tua. 30. de Decimis*, & sic laici immediate tenentur dare quartam Parochis, & Parochi Episcopo, vnde quod Episcopus immediate non possit à laicis quartam exigere habetur ex *cap. conquerente. de off. ordin. Panorm. cap fin. n. 4. de testam. cap. 2. n. 4. de sepult. & cap. conquer. de off. ordin. Seraph. dec. 1449. n. 5. & 6. Gregor. 15. dec. 519. n. 2. & 3. & 526. nn. 2. Caual. dec. 487. n. 1. Duran. dec. 320. n. 2. p. 2. Barbosa all. 86. nu. 34. Loter. l. 1. q. 20. nu. 81. & sequent.* In dicto enim *cap. conquerente* datur Episcopo ius ad habendam quartam ab Ecclesijs sibi subiectis. Ideo vbi laici soluerent decimas Parochis, non potest Episcopus eos molestare, & ab eis aliquid exigere, quia cum de iure decimæ debeantur Parochiali Ecclesiæ, laici suæ obligationi satisfecerunt si Parochis persoluerunt decimas.

628 Et nihilominus etiam indubitati iuris est, quod

est, quod vbi laici decimas non soluant, & Parochi negligant eas exigere potest Episcopus nomine Ecclesiæ Parochialis, & tanquã superior ad quẽ spectat cura omnium Ecclesiarum suarum decimas à laicis exigere, & eos ad eas soluendas etiam non instante Parocho compellere nomine Parochiarum agendo, & petendo decimas, & illas acceptas eis conseruando. *cap. fin. de success. ab intestato. Hostien. in cap. Cum contingat, de decim. n. 2. Io. Andr. in cap. Quoniam. n. 3. eod. tit.* asserentes Episcopos habere fundatam intentionem ad petendum decimas nomine suarum Ecclesiarum, quod & voluit *Rota in Caren. Decimarum 1587. coram Orano.*

629 Potest vero facere difficultatem, quod habet *Rota dec. 432. & 485. & 520. p. 1. recent. & Belgaminus ad dec. 519. n. 4. Greg. 15. & ex Hostien. & Io. Andr. ad cap. Quoniam de decimis Barbosa d. all. 86. nu. 34.* Scilicet quod Episcopus respectu quartæ, & proprietatis decimarum habet coequale ius cum Parocho. Hoc enim non videtur verum esse, si Episcopus habet ius ad decimas, vt habeat eas à Parochiali Ecclesia; videtur enim, quod hoc modo Episcopus non habeat ius ad habendam quartam nisi medio Parocho. Sed in præsenti duo iura valde distincta consideranda sunt, nimirum ius exigendi, & recipiendi decimas à laicis, & ius distributionis decimarum receptarum, & ex consequenti ius ad proprium commodum habendi decimas, vel portionem illam ab Ecclesia ipsa, & ab administratore illius. Quod enim hæc iura sint distincta, hinc patet, quod ab initio Ecclesiæ decimæ nulli erant determinatæ, sed vt communia bona possidebantur, & per Episcopum administrabantur, vt probatum est supra *q. 185. n. 7. in principio.* Tunc igitur decimæ nomine Ecclesiæ exigebantur, & exactæ distribuebantur, & nullus habebat ius ad illarum portionem determinatam nisi postquam sibi fuerat distributa; vnde ius habendi à laicis residebat in Episcopo, sed ius habendi determinate has decimas ad commodum proprium competebat solum post distributionem.

630 Si ergo loquamur de iure petendi decimas à laico, dico primo, quod nec Parocho conuenit nomine proprio, sed solum nomine Ecclesiæ, cui primo debentur, nec sibi competit exigere eas ad sui commodum ex iure habendi illas a laico, sed à iure, quod habet ab Ecclesia vtendi exactis decimis, & à laico receptis ad sui vtilitatem, quod est ius vtendi re ad sui commodum, & non est ius directum super proprietate, & dominio, sed super vsu. Nam proprietas decimarum est Ecclesiæ & vsus est ministri iuxta Ecclesiæ dispositionem. Spectato igitur iure exigendi decimas à laico, hoc ius potius est, & excellentius in Episcopo, quia est administrator bonorum Ec[illegible] commune, & vniuersalior, & qui nedum potest petere, sed compellere laicos ad reddendum. Dici tamen potest ius æquale, quia est iure administratoris habens æqualitatem iustitiæ, & tituli, quia tam Episcopus quam Parochus petunt decimas à laico non ex iustitia propria, sed ex iustitia Ecclesiæ & vt administratores Ecclesiæ. [illegible] modo iure applicatæ Parochialibus, ius tamen proprietatis, & illas exigendi non est mutatum, sed est commune [illegible] Ecclesiarum [illegible] in Diœcesi, & respectiue postea in tota Dei Ecclesia, quæ est propria domina bonorum Ecclesiasticorum, qui sunt in toto mundo, cuius supremus administrator est Papa. Itaque ergo ius proprietatis commune est, & illud idem, quod erat in principio Ecclesiæ quando bona possidebantur, vt communia. Et ex hoc iure communi multo magis Episcopus, quam Parochus agit contra laicum ad petendum, & recipiendum decimas nomine Ecclesiæ. Et ex vi huius iuris potest Episcopus Parocho non petente decimas petere, imo Parochum præuenire, & si laici [illegible] illum compellere.

631 Sed modo supposita distributione iam facta auctoritate Apostolica per quam decimæ applicatæ sunt Parochialibus detracta quarta pro Episcopo, ius vtendi sua portione est proprium cuique, vnde & proprium est ius recipiendi. Ideo Episcopus non habet ius recipiendi decimas pro portione competente Parocho, & multo minus sibi appropriandi; quamuis in casu in quo Parochus non esset paratus illas recipere, vel si Ecclesia vacaret, posset illas recipere nomine Parochi, & illas depositare, & conseruare, sed respectu propriæ quartæ habet ius vtendi, & eam recipiendi nomine proprio, & hoc ius est coequale iuri Parochi, quia vtrumque est ius distributionis factæ ab Ecclesia, & proprium tam Episcopo, quam Parocho, & in re est etiam immediatum. Quod enim per Ecclesiam institutum sit, quod Parochus immediate exigat, & recipiat decimas à laicis, non fuit factum ad subordinandum Episcopum Parocho, vel ad diminuendum ius Episcopi, sed ad facilitatem exactionis, quia facilius, & securius decimæ exiguntur à Parocho existente in loco exactionis, quam ab Episcopo, & Parochus etiam in hoc se habet, vt minister Episcopi, ad quem subleuandum etiam ab hoc onere exactio decimarum Parocho est demandata. Vnde Episcopus recipit regulariter quartam à Parocho, vt ab Ecclesiæ ministro ad commoditatem Episcopi deputato, & sic Parochus est minister vtilis, & commoditatis maioris gratia datus, non vero est minister necessarius. Ideo Episcopus per se potest a laicis immediate nomine proprio recipere quartam decimarum sibi debitam.

632 Sic ergo quando etiam dicitur, quod decimæ sunt Parochialium Ecclesiarum; intelligitur iure distributionis factæ per Ecclesiam, non vero iure proprietatis absolute, quia iure proprietatis sunt Ecclesiæ communis, & propriæ non sunt nisi Ecclesiæ vniuersalis, sunt vero particularium Ecclesiarum Parochialium iure distributionis, & quantum ad vsum, & sic Parochiales Ecclesiæ habent dominium vsus, & illud dominium proprietatis, quod est coniunctum vsui; sed hoc dominium habent ab Ecclesia, in cuius dominio est simpliciter proprietas decimarum. Eodem vero modo Episcopus habet ius ad suam quartam, quam propterea potest immediate exigere a laicis tanquam Ecclesiæ administrator, & immediate recipere ex iure distributionis sibi facto, & quia laicorum nihil interest portionem Episcopi dare immediate Episcopo, vt dixit *Rota supra*. Et quia quod integra decima detur Parocho non est statutum in præiudicium immediationis competentis Episcopo, sed ad eius maiorem commoditatem, & vtilitatem, Ideo potest Episcopus laicis

inhibe-

inhibere ne suam portionem darent Parocho, sed sibi immediate tribuerent, quia Episcopus ad eam ius reale habet, & proprium, & coaquale iuri Parochi.

633 Non tamen est eadem ratio de iure mortuariorum, seu legatorum, & de quarta pro illis debita. Legata enim antequam sint facta Ecclesiæ non sunt Ecclesiæ, nec Episcopi, Postquam vero facta sunt intrat ius Episcopi ex consequenti, & per prius est, quod Ecclesia particularis cui facta sunt legata acquirat ius ad illa, quam quod de illis debeatur quarta Episcopo, ideo Episcopus non habet ius ad huiusmodi quartam, imo ad aliquid habendum de illis, nisi ex eo, quod Ecclesiæ particulari acquisita sunt, & sic ius Episcopi est in hac parte mediatum, nam nec acquiruntur Ecclesiæ vniuersali, nisi mediante particulari, cui immediate donantur. Et nihilominus etiam in istis distingui debet ius exigendi, à iure vtendi, & recipiendi. Nam quantum ad ius exigendi semper Episcopus præeminet Parocho, quia est administrator magis excellens, & ideo Episcopus ex officio potest huiusmodi legata petere nomine Ecclesiæ pro ijs, quibus debentur. Sed, & quantum ad vsum habet ad suam portionem ius coequale iuri Rectoris illius Ecclesiæ cui Legata relicta sunt, vtrumque enim ius est distributionis, & proprij vsus prouenientis ex Ecclesia, cuius sunt quæcumque huiusmodi relicta. Et ideo etiam quantum ad illa de rigore iuris posset Episcopus quartam suam de manu hæredum recipere, & nolle eam habere de manu particularis Rectoris, & multo magis Rectore negligente legatum libi, & Ecclesiæ recuperare.

634 Difficultas secūda est an & à quibus Hospitalibus quarta debeatur Episcopo. De hospitalibus autem, an sint loca pia disputant DD. sed de hoc puncto satis dixi supra *q.185.ar.7.d num.449. pag.318.* Certum est hospitalia auctoritate Episcopi fundata esse loca pia, sed & alia hospitalia quæcumque quæ ex morte fundatoris, seu testatoris facta sunt loca in perpetuum inalterabiliter pia tanquam deputata ad finem, & vsus pios, sunt vere loca pia, & eorum patrimonium est Christi, & sicut talia loca sunt capacia relictorum, & legatorum, sic de eorum legatis Episcopo debetur quarta. *Panorm.cap.officij, de testam. nu.7. ex authen.de Ecclesijs tit.8. si quis ædificationem. Syluest.v.Canonica portio n.5. Tabien.n.8. Med.p.2.q.18. n.6.* Nisi esset tale hospitale, quod esset exemptum à iurisdictione Episcopi *Barbos.de off. Episcopi all.75.n.47.* Etiam si sint hospitalia Religiosorum. *Lez.v.Canonica portio num.6.*

635 Difficultas tertia est de Confraternitatibus laicorum. De quibus etiam dixi loco citato; & indubitatum est, quod Confraternitates erectæ auctoritate Episcopi sunt loca pia si Ecclesiæ, hospitali, Capellæ, aut alteri pio loco adherent, vel sunt vnitæ. Istæ enim subijciuntur Episcopi iurisdictioni. Sed si confraternitates non sunt vnitæ alicui loco pio, licet huiusmodi confraternitates sint corpora pia si ad pios actus vniuntur, non sunt tamen pia loca, & ideo illis relicta censentur potius legata personis quam loco. *Panorm.d.cap.officij in fine,* nimirum censentur legata illis de fraternitate, vt ea in vsus pios expendant, & quia in *cap. Requisisti, de testam.* legata pro anima, seu ad vsus pios distinguuntur in ea, quæ sunt legata Ecclesijs, & locis, & quæ sunt legata personis, ideo de legatis huiusmodi confraternitatum non deberi quartam potius credidit *Panorm.* & verius de iure dixit *Barb.de Epis.all.75.nu.48.* & tennetunt *Lauor. c.17.n.34. Tuscus l.Q. concl. 21.n.59.* Et sic de his confraternitatibus est vera sententia eorum, qui voluerunt, quod de relictis confraternitatibus non debeatur quarta, quos refert idem *Barbos. ibid.nu. 43.* Quod indubitate procedit de confraternitatibus profanis, quæ non vniuntur ad vsus pios, vt sunt confraternitates mercatorum, vel fabrorum, vel scholarium, & similes.

636 Vbi vero aliqua Ecclesia vel præscripsit quartam, vel sit exempta, & non subiecta Episcopo non tenetur ad quartam, vt probatum est, Episcopus enim ius habet contra Ecclesias sibi subiectas, & in quas suam iurisdictionem exercet, non contra alias. Debet tamen Ecclesia esse pleno iure exempta, seu si habet subditos, habere illos sibi pleno iure subiectos, quia nimitum sibi in vtroque foro subiecti sint in spiritualibus, & temporalibus. *cap. Quoniam 21. de priuileg.* vbi *Gloss. & in cap. Cum, & plantare 8. in Ecclesijs, v. pleno iure, cod. tit. & ibi Ant.n.26. Card.n.1. Dec.n.12.& 16.* Ideo si Ecclesia habeat populum subiectum Episcopo, teneri eidem Episcopo de Canonica ex *Innocen.in cap.ex ore de Priuileg. & Io.Andrea in cap in nostra de sepult. Tambur.t.1.d.16.q.13.* in fine, & alijs ducet *Barbosa d.alleg.86.n.14.* quia talis Ecclesia non est pleno iure exempta.

Verum quia decimæ competunt solis Parochialibus Ecclesijs, *cap. cum contingat, cap. Cum tua, de Decimis,* concludit *Barbosa d.all.86. nu.38.* quod solæ Ecclesiæ Parochiales debeant quartam decimarum, vnde sequitur eam esse legis Diœcesanæ, si tamen ad aliam Ecclesiam decimæ spectarent, illa ad quartam Episcopo soluendam tenetur.

SVMMARIVM.

1 *Inspectionis intentio. num.637.*

INSPECTIONIS QVINTAE.

CAP. TERTIVM.

De exemptione Regularium à solutione portionis Canonicæ.

637 QVid dicendum sit de iure antiquo, & præcipue de iure *Clem. Dudum de sepulturis,* cum satis abunde demonstratum sit, remanet, vt videatur, quid sit de facto ex vi Priuilegiorum, & decreto *Concilij Trid.sess.25.cap.13.* Posse enim Ecclesias eximi ab obligatione soluendi quartam Canonicam per Priuilegium Summi Pōtificis indubitati iuris est, cum ipse sit vniuersalis, & absolutus administrator totius Patrimonij Christi. *Cap.officij, de testam. cap.in nostra, de sepult. Lauor.*

nor.tit.2.cap.17.nu.48. *Rota dec.179.n.3.coram Rotas.* Cum igitur multa priuilegia concessa sint Regularibus circa huiusmodi quartam, videndum est quid modo possint illorum virtute Regulares.

SVMMARIVM.

1 *An exemptio à quarta competat per communicationem priuilegiorum. nu.638.*
2 *Affirmatiua pars probatur. num. 639. 640. 641. 642.*
3 *Priuilegium communicationis, an sit necesse, vt deroget expresse Concilijs. n.643.*
4 *Priuilegium Minimorum viget. n.644.*

638 QVæritur autem primo, an per communicationem priuilegiorum intelligatur communicata, & concessa exemptio à solutione quartæ funeralis? Videtur enim, quod non censeatur communicata; quia sub ea non veniunt, quæ solent à Pontifice difficilius concedi, & maxime si sint in præiudicium tertij, ad not. per *DD. in l.1.ff.de leg.1.* Vbi *Iasea.num.21.* & *22. Socc.Iun. cons.43.* & *44. Alc.nu.4.* vt fuit decisum per *Rotam in Valent. 26. Nouemb.* 1603. coram Lancellotto, & *Tolet.6.Nouem.*1605.*coram Iusto,* & *in Mediolanen. 10.April.*1606.*coram Coccino,* & *dec.214.nu.5.p.2. recent.* & *dec.101.n.3.coram Cauol.* Et propterea ex hoc principio *ead. Rota in Vallisolet. Funeralis. 19. April.* 1606. cum ageretur de communicatione Priuilegij Iulij Secundi pro Minimis, remisit huius considerationem ad aliud tempus, ex eo, quod in similibus communicationibus non soleant comprehendi præiudicialia.

639 Sed hanc obiectionem soluit eadem *Rota* Nam in *Ianuen. Priuilegiorum die 24.Iunij* 1647. quam habes apud *Pasqualig. centur. 4. quæst.* 339. *coram Rotas,* cum ageretur de priuilegio, vt nullus ædificare posset nouum Conuentum prope alium ædificatum, intra 140. cannas, quod Theatinis conuenit per communicationem, sic habet nu. 30. Nec obstat, quod dicta Communicatio priuilegiorum non intelligatur de priuilegijs tendentibus in præiudicium tertij, vt fuit decisum in *Valentina decimarum 28. Iunij* 1603. *coram* Lancellotto *penes Marches.de Commiss. tom.1.fol 619. n.2.in Vallisoletana quarta funeralis 19. Aprilis* 1606. *coram Iusto, apud Tambur. de iur. Abb tom 3.decis.83.n.6.Cauol. decis.101. n.3.* quia hæc responsio non visa fuit tuta, ex quo in puncto, quod d.priuilegio Clementis Quinti gaudeant alij habentes communicationem cum priuilegijs mendicantium, tradit *Barbos. de Iure Eccles.vniuers.lib.2.cap.12.n.72.in fin. Campanil.diuersorum Iuris Canonici rubr.12.cap.13.n.81. vers.* Et quia præsertim, cum d. communicatio priuilegiorum ad fauorem Patrum Theatinorum sit amplissimis verbis concepta, & loquatur etiam de priuilegijs præiudicialibus Ordinario, seu tertio.

640 Et iterum eadem Rota in eadem causa die 28. Iunij 1649. *coram Eminentiss. Corrado,* eidem obiectioni, apud eundem *Pasqual. ibid. num.* 40. sic respondit. Minus releuat, quod sub huiusmodi generalibus Priuilegiorum communicationibus illa comprehendi non soleant, quæ sunt alijs præiudicialia. Quia non procedit obiectio, quando constet de voluntate Summi Pontificis intendentis omnia indistinctè complecti, vel ex amplitudine verborum, vel ex aliquorum præiudicialium expressione, vel ex clausulis adiectis. Quæ omnia concurrunt in proposito casu, in quo prædictum indultum non solum per viam communicationis, sed principalis concessionis in omnibus, & per omnia pariformis cæteris præcedentibus aliarum Religionum amplissimis verbis conceptum fuit, expressis etiam specialiter immunitatibus, & exemptionibus, quæ sui natura solent esse alijs præiudiciales, nec non additis clausulis abrogantibus defectum citationis, atque consensus omnium interesse habentium, ac etiam subreptionis, obreptionis, & intentionis ipsius concedentis oppositionem. Ex quorum sanè amplitudine satis probatur deliberata, & enixa Pontificis voluntas impartiendi huic Religioni quæcunque, & qualiacunque priuilegia, etiam si tertijs præiudicialia cæteris Religionibus antea concessa, & imposterum concedenda, licet aliàs sub generalibus simplicibus verbis non fuissent comprehensa, vt bene comprobat *Horat.Mandos.in d tract. de priuileg. ad instar d.q.4.sub n.7. vers.qua omnia, cum seq.* & *fuit resolutum in Bonon.exemptio. 25. Maij* 1618. *coram bon.mem.Card.Verospium in recent.decis.30.per tot.p.4. tom.2.* & *in Meliten.collectar.7.Maij* 1657.*coram bo. mem.Card.Vbald.decis.63.n.4.vers.* & *quidem,* & *c.* & *seq.par.5.earund.* Et in his terminis, quod sub eiusmodi generali communicatione comprehendatur d. Priuilegium, de quo nunc agitur, tradunt *Io. Baptist.Confect.in summa priuileg. Ordin.Mendicant. tit.58.cap.1.fol.mihi* 363. *Roderic.qq. Regular.t.2.d. q.50.art.5.vers.quo priuilegio,* &c. *Mirand.qu.33.art. 4.in conclusione secunda. in fin. vers. quo Priuilegio.* Laurent.de *Portel.in dub.Regular.par.1.in verb.communicatio priuilegiorum sub n.9.vers.si vno Religio,* & *alij passim.* Hæc Rota prædicta.

643 Et propterea, quod priuilegium exemptionis à quarta funeralium tam Episcopali quam Parochiali per Bullas communicationis priuilegiorum extendatur, & sub illis comprehendatur, & competat illis Regularibus, qui priuilegium communicationis priuilegiorum habent, cum huiusmodi priuilegium in amplissima forma concedi consueuerit, voluit eadem *Rota in Licien. quartæ funeralium 15. Ianuar.* 1618. quæ habetur sub nu. 84. apud *Tambur.tom.3. vbi n.3.* sic habetur. *In casu autem de quo agitur, nedum prædictum Monasterium, sed etiam tota Religio est exempta à dicta solutione quartæ funeralium; cum Paulus Quartus, & Greg.14. dictis Clericis Regularibus communicauerint omnia priuilegia alijs Regularibus concessa; quare censentur etiam communicata priuilegia eximentia à dicta solutione quartæ, inter quæ adest priuilegium Iulij 2.concessum Minimis de anno 1506.* & *aliud eiusdem Pontificis concessum Minoribus de obseruantia anno 1511. sui Pontificatus Octauo,* & *aliud Pauli Tertij concessum Minoribus anno 1544.* & *postremo aliud Pauli Quarti concessum Ordini Prædicatorum anno 1556. quæ per extensum refert Archangelus Carracio de 4.funeralium cap.1.* Sed opportunum est in huius confirmationem addere particulam *decis.* eiusdem *Rota in Cracouien. quartæ funeralium de mense Maij* 1648. *coram Pentingero,* quæ habetur inter volantes impressas, & in qua sic habetur, videlicet. Non obstat, quod communicatio non com-

comprehendat, quæ sunt alijs præiudicialia, vt determinauit *Rota Granaten. quarta funeralium 21. Maij 1610. coram bo.mem.Card.Caual.inter eius impress. decis.101. nu. 2. & 3.* ideoque nedum in ipsis priuilegijs, sed etiam in communicatione oporteat derogari *Clem. Dudum de sepult.* Non enim requiritur formalis derogatio, sed sufficiunt clausulæ generales, quando cõstat de voluntate Papæ, quod scilicet in priuilegio communicationis voluerit derogari, vt tradit *Barbosa de offic. & potest. Parochi. cap.6.n.8. Modern.de iur. Abbat. disput.6.qu.17. nu. 7.* Hic autem apparet Papam voluisse communicare priuilegia Patribus Societatis Iesu alijs præiudicialia, ex eo quia nominatim communicauit exemptiones, quæ de sui natura habent in ventre præiudicium tertij *Mandos.de priuil.ad instar.qu.4. nu.8. Burat. decis.193.n.24.* & alios cumulant *add. ad Buratt. decis. 576. nu.13.* & generaliter sumptæ comprehendāt etiam exemptionem à quarta funerali, iuncto præsertim, quod Papa voluit haberi pro insertis priuilegia etiam per modum exemptionis, & communicationis concessa quibuscumque mendicantibus cum enim in illis adsit derogatum dictæ *Clement. Dudum de sepult.* eadem derogatio censetur reperita in ipsa communicatione ad fauorem Patrum Societatis Iesu, ac si ibidem ocularitet legeretur, cum hæc sit virtus clausulæ quorum tenores *Ruin.cons.31.nu.5.& 6.lib.1. Gonzal.super reg. 8. Glos.36.n.29. & seq. Rota dec. 292. nu.3.decis.466.nu.5. par.1.rec.decis.407.nu.7.& seq. par.3.decis.390.n.6.coram Buratt.add.ad Greg.decis. 240.n.21.* Maxime accedente alia clausula pro expressis *Batr.cons.49. n.6. Mohed.dec.5.de rescr. Rota* apud *Greg.XV. dec.109.n.10. in fine, & add.n.14.* Hæc *Rota ibid.* Et propterea hanc eandē Rotæ sententiam, quod scilicet priuilegium exemptionis à quarta funeraliū sit communicabile, & competat Regularibus habentibus communicationē priuilegiorū dixerunt *Barbos.de Parocho c.25. n.7. Bonac. de contract.disp.3.qu.22. puncto 2.vers. Dixi in proposit. Tambur.de iure Abb.tom.1.disp.15.q.17. n.17. Caraccia de quarta funer.cap.1. in princ. Casarb. v. Canonica portio. Rodriq. tom.1.q.39. a.2. Mirand.to. 2.q.48.a.6. Portel. v. Canonica portio Peyr. ad Constit. Pyrri.§.13. num.54. Petrus Franciscus Tonduti Sanlingerias in quæst. benef.cap.88. n.3.* Et hoc confirmatur ex eo quia, vt habet *Reuerend.P. Fagnanus. ad cap. Tuarum de Priuil. doctrina illa Butrius cons. 29.* quam sæpius S. Cong. & *Rota* sequuta est, nimirum, quod ea, quæ Pontifex non esset de facili concessurus, non veniant in priuilegiorum communicatione, ex eo non habet locum in priuilegio exemptionis à iurisdictione ordinarij, quod non est difficilis concessionis, cum passim a Pontificibus concedatur; hæc enim doctrina casui præsenti aptatur, cum exemptio à quarta funerali fuerit passim concessa, & nedum recensitis a Rota prædictā sed, & amplius Carmelitis a Nicolao Quinto, & alijs, vt infra recensebitur.

642 Nec est omnino verum, quod Rota in hoc variauerit, vt dixit *Tambur.* citatus quia in *Vallisolet. coram Iasto 29. April. 1606.* nihil decreuit de hoc puncto, sed inquit, quod si prætenditur communicatio priuilegiorum, de ea erit agendum reddens rationem, quia non solet communicatio priuilegiorum extendi ad præiudicialia tertio. Quod tamen verè erat ponderandum, an possit applicari exemptioni à quarta, & quod postea considerans *Rota in Licien.* iudicauit non habere locum, ac non obstare. Cui decisioni tanquam posteriori standum est, & eo magis, quod Rota persistit in hac eadem sententia, vt videre est in *Romana Iurium funeralium. die 4. Iulij 1653. coram Zarate,* in qua inter alia hæc habentur. Ex quo etiam fuit resolutum quartam funeralium retineri posse per Fratres, & Rectores dicti hospitalis, quoad infirmos in eo decedentes, qui inibi in cœmeterio, seu Ecclesia sepeliuntur, extantibus præsertim priuilegijs superius relatis, ex quibus immunitas a solutione quartæ competere valet. *Emanuel. Rodriq. qu.Regal.q.39.à n.2. Guttier.de iuram. confirm. par.2. cap.4.num.3. Grat. Disc.For.cap.925.à princ. Barbos.de iur.Eccles.lib.3.cap.24 nu.7. Rot. in Hispalen. Quartæ funeralium 4. Iunij 1590. coram bo. memor.Card.Hieronymo Pamphilio, & in Licien. quarta funeralium 15. Ianuarij 1618. coram bon. mem. Coce. & in alia Licien. quartæ 23. Iunij 1642. coram Reuerendiss. Tarraconen. & in Elnen. iuris Parochialis 6. Iunij 1631. & in Tarentina quarta funeralis 5. Decembris 1629. coram bon mem. Gaeippo;* Priuilegio scilicet Sixti Quarti concesso hospitali S. Spiritus in Saxia expressam exemptionem quartæ funeralis continente communicato per Gregorium XIV. hospitali S. Ioannis Colabitæ, ex qua communicatione perinde haberur, ac si principaliter huic hospitali fuisset concessum *l. amaia. C. de Episc. & Cleric. Oldrad.cons.300.n.2. Rota dec.30.n.2.par.4.to. 2. recent. & in Ianuen. priuilegiorum 28. Iunij 1649. coram Eminentiss. Carrado, & in Gerunden. portionis 28. Iunij 1649. coram R.P.D. meo Celso.* Et licet in communicatione Gregorij facta hospitali S. Ioannis nulla mentio quartæ habita fuerit, tamen dum omnia priuilegia, & exemptiones eidem communicata leguntur, hæc quoque exemptio à quarta funeralium comprehensa intelligitur, vt in specie respondit *Rota decis.84.nu.3. penes modern. Marradien.t.3.de iur. Abbat. & in Cracouien. quartæ funeralis 25. Maij 1646. corā R.P.D. meo Peutingerio.* Hæc *Rota ibid.* Et eo magis, quod decisio habita die 21. Maij 1610. quæ est *dec. 101. corā Caual.* ad negandā exemptionem Conuentui S. Mariæ de Victoria ordinis Minimorum præcipue mota fuit (quamuis neque hoc fundamentum subsistat, vt videbimus infra) ex pacto inito in fundatione dicti Conuentus ibi. *Sed quod videbatur omnem penitus adimere difficultatem, Domini considerabant, quod in limine fundationis huius Monasterij de Victoria fuit data licentia ab Archiepiscopo, quod Monasterium ædificaretur sine præiudicio Iurium Ecclesiarum Parochialium.* Quo non existente, etiam ex illius Rotæ iudicio non fuisset ablata omnis difficultas. Vnde de mente Rotæ non est amplius ambigendū. Vnde etiam non constat, quod habet *Aluissec in Maremula cap.1. sect. 1. §.4. nu.29.* existimans exemptionem à quarta funeralium non comprehendi sub priuilegio communicationis nullo alio fundamento, quam iam excluso, & addens pro sua parte negatiua adesse duas Cardinalium declarationes apud *Barbosam de off. Paroch. cap.25 n.9.* Vbi nihil tale habetur, sed de alio puncto ibi agit *Barbosa*, scilicet de derogat. expresso *Clem. Dudum, de sepult.* quam ibi iudicat necessariam, ad hoc vt priuile-

gium contineat dictam exemptionem, & ad hoc comprobandum adducit non duas Cardinalium declarationes, sed duas Rotæ decisiones, scilicet *Granaten. quarta funeral. & Vallisolet. quarta funeralium.*

643 Et nihilominus neque illa doctrina *Barbosa* subsistit. Quid quid enim sit de illa doctrina communi, an sit necessaria specialis derogatio ad derogandum Concilio Generali, d. qua, quæ circa illam nunc temporis consideranda sint, dicam infra. Quantum spectat ad rem præsentem non est necesse, quod priuilegium communicationis expresse deroget constitutionibus Generalibus si in priuilegijs alijs Religionibus concessis fuit illis expresse derogatum, & in priuilegio communicationis adest clausula, non obstantibus omnibus illis, quæ Prædecessores nostri in litteris priuilegiorum voluerunt obstare, quæ clausula ponitur in litteris communicationis concessis Ord. Prædic. a Leone Decimo. Illa enim clausula derogatur etiam Concilijs Generalibus, si in literis priuilegiorum tale illis derogatum. Et præterea supponi videtur, quod constitutio *Clem. Dudum de sepult.* sit vniuersalis, cum tamen vt dictum est sæpius, & probo infra in hoc eod. cap non afficiat omnes Regulares, & respectu eorum, quos comprehendit sic illi sufficienter derogatum. Vnde iam non obstare illam *Clementinam* ex professo probatur infra.

644 Sed, & aliud est considerandum, quod decisio illa *Rota* 101. *coram Caual.* noluit admittere priuilegia adducta à Minimis ex eo, quia non constabat in ijs derogatum fuisse *d. Clem.* Et tamen S. Cong. Concilij admisit, & approbauit, Priuilegium Iulij II. pro dictis PP. & ei non fuisse derogatum decreuit, vt videre est in sequenti declaratione quam ex authentico exceptam refert *Peyr. ad Const. 1. Pyrrhi n. 34.* & refert etiam *Quaranta v. Priuilegia Regularium. pag. mihi 409.* & est tenoris sequentis. Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini. Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula sacra Religio à suis primordijs gaudet quodam Apostolico priuilegio per fel. mem. Iulium II. Pontificem Maximum anno Domini 1506. Sui verò Pontificatus 3. Beato Francisco de Paula Patri, & Fundatori prædicti ordinis tunc in humanis agenti, & suæ Religioni benignè concesso, in quo indultum extitit, Monasteria, Domus, & Conuentus dicti ordinis, tam constructa olim, quàm in futurum construenda, nedùm decimas ex noualibus prædijs, hortis, verum etiam nullam Parochis Ecclesiarum quartam funeralium teneri debere persoluere, vt in dicto priuilegio satius est videre ad huius effectum huic sacræ Congregationi præsentatum. Et quia, licet hoc non obstante, aliquibus in locis prædicti Ecclesiarum Parochi, & Rectores perperam forsan intelligentes *sacri Concilij Trid. sess. 25. cap. 13.* sensum, seu illum in eorum fauorem retorquentes, nituntur a prædictis fratribus huiusmodi funeralium portionem, seu quartam exigere, quoties cadauer aliquod apud ipsorum fratrum Monasteria sepeliri contingit, magnas propterea fratribus molestias inferentes assiduè, ideo F. Petrus à Mena Prouincialis minister dictæ Relig. omnis Minimorum S. Francisci de Paula in Castellæ Prouincia Illustriss. & Reuerendiss. Dominationibus vestris humiliter supplicat, vt ad tollenda ijsau dala, & euitandas lites, dignentur declarare, an per dictum *sacrum Concil. Trid.* huiusmodi priuilegio derogatum veniat quoad solutionem prædictam, vel decreto ipsius Concilij non obstante, debeat obseruari, & fratres dicti ordinis ab ea solutione immunes, & liberos censeri, quas Deus Opt. Max. &c. Congregatio Concilij censuit, huiusmodi priuilegio ante quadraginta annos ante Concilium, vt proponitur, concesso minime derogatum esse eiusdem Concilij decreto. Hæc habet S. Congregat. Circa quæ considerandū, quod in priuilegio illo Iulij II. quod habetur in *Const.* eius prima apud *Peyr.* & in *Bullar. Rom.* derogatur quidem expresse *Clem. Religiosi*, non tamen *Clem. Dudum.* Et tamen S. Cong. censuit illud priuilegium etiam quantum ad exemptionem a quarta nunc vigere. Et ab ijs, qui Minimorum causam defenderunt coram *Rota*, non fuit illud priuilegium bene defensum, sicut fieri poterat, & debebat.

S V M M A R I V M.

1 *Quibus priuilegijs sit derogatum per* Concil. Trident. sess. 25. cap. 13.

645 QVæritur secundo, an per *Concil. Trid. sess. 25. cap. 13. de reformat.* fuerint reuocata priuilegia eximentia Regulares à quarta funeralium, quæ fuerant concessa quadraginta annis ante dicti Concilij celebrationem? Respondetur quod huius quæst. resolutio ex decreto eiusdem Concilij habetur. Hæc enim sunt Concilij verba. *Decreuit S. Synodus, vt quibuscumque in locis iam ante annos 40. Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolui, ac postea fuerit, ex quocumque priuilegio, alijs Monasterijs, Hospitalibus, aut quibuscumque locis pijs concessa, eadem posthac integro iure, & eadem portione, qua antea soiebat, Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ persoluatur, non obstantibus concessionibus, gratijs, priuilegijs, etiam, Mari Magno nuncupatis, aut alijs quibuscumque.* Voluit igitur Concilium, quod Regulares qui quadraginta annis antea soliti erant soluere quartam, eam soluerent in futurum, abstulit omnia priuilegia postea concessa quatenus essent huic suæ dispositioni contraria, nimirum quatenus obstarent consuetudini soluendi quartam, quæ vigeret iam per quadraginta annos ante Concilium. Voluit enim tam consuetudinem vigere, & ad hunc effectum tantum priuilegia noluit obstare. Et fuit hæc decisio valde rationabilis & fundata, quia per quadragenarium valide præscribitur de iure communi; & quia dubium esse poterat ob alia Regularium priuilegia, vt videbimus infra, an ad præscribendum contra priuilegia sufficiat quadragenaria; hoc dubium abstulit Concilium decernens in casu a se expresso quadragenariam sufficere. Cæterum antiqua priuilegia absolute quatenus d. consuetudini non obstant in suo robore manere permisit, quia non voluit noua Monasteria esse ab hoc onere exempta, si habeant ad hoc priuilegium à Summo Pontifice. Ideo S. Cong. Conc. in supra relata decis. declarauit non fuisse per Concil. abrogatum priuilegium Iulij II. pro Minimis. Et idem decisum fuit ab eadem S. Cong. de Priuile-

gio Prædicatorum habetur apud *Lauoc. cap. 3. nu. 183.* vbi quod ita etiam decisum fuerit per *Rotam in Pampilonen. coram Blanchetto*. Et apud *Barbosam de iure Eccles. l. 2. c. 24. nu. 7. & de Parocho cap. 25. n. 7.* quod de priuileg. eorumdem fratrum Prædicatorum fuerit idem decisum in Hispalen. quartæ funeralium 4. Iunij 1650. Vnde quod huiusmodi priuilegia nunc quoque vigeant, tenent *Rodriq. tom. 1. q. 39. a. 2. Barbosa ad d. cap. 13. sess. 25. Concil. Trid. n. 5. Lezana p. 1. cap. 3. n. 13. Petrus Franciscus Tonduti Sanlegerius qu. benefic. cap. 88. nu. 2. Samuel p. 129. nn. 16.* Et est de mẽte *Rotæ in d. Licien. quartæ funeral. 15. Ianuarij 1618.* in qua etiam ex vi priuilegiorum Iulij Secundi, & Pauli Tertij adiudicata est exemptio à quarta PP. Theatinis, & apud *Lauorium d. cap. 3. n. 183.* fuerunt per Rotam pluries canonizata, vt in Hispalen. quartæ funeralium 4. Iunij 1590. & in alia *Pampilonen. coram Blanchetto* ad fauorem Prædicatorum, & in alia Hispalen. *corã Finetto, & de Grassis* ad fauorem Minorum de Obseruantia. Et est de mente omniũ DD. quos infra referam tenentes Monasteria post Tridentinum erecta non teneri ad quartam, si habeant priuilegia Apostolica.

SVMMARIVM.

1 *Clem. Dudum non afficit nisi 4. Ord. Mendicantium. nu. 646.*
2 *Respectu Minimorum non fuit necesse derogare Clem. Dudum. n. 647.*
3 *Quando derogandum sit in specie Constit. Concilior. 648. 649.*
4 *Sufficit derogare vni Concilio in specie. n. 650.*
5 *Quantum ad quartam legatorum derogatum est Clem. Dudum. n. 651. 652.*
6 *Priuileg. Eugenij Quarti pro Cassinensib. n. 653.*
7 *Et pro Celestinis. nu. 654.*
8 *Nicolai Quinti pro Carmelitis. n. 655.*
9 *Sixti Quarti. num. 656.*
10 *Iustitia Ecclesiarum qua. nu. 556.*
11 *Priuilegium Alex. VI. nu. 657.*
12 *Iulij Secundi pro Minimis. nu. 658.*
13 *Pauli Tertij pro Minoribus. nu. 659.*
14 *Pauli Quarti pro Prædicatoribus. n. 660.*
15 *Clementinæ Dudum derogatum. n. 661.*
16 *Derogatio in specie quando necessaria. n. 662.*

646 QVæritur tertio, an *Clementina Dudum, de sepult.* vigeat modo contra Regulares, vel potius sit legitime abrogata, ideoque, nec in iudicio, nec extra contra illos alleganda? Præter superius adnotata circa hanc *Clemen.* considerandum est, quod cum derogeT iuri communi in *cap. fin. de testamen.* & velit, quod etiam de legatis ad vsus priuilegiatos detur quarta, ideo eam tanquam odiosam esse restringendam, vt non comprehendat nisi fratres Prædicatores, & Minores dixerunt *Gloss. in ver. de iure, Card. n. 8. Panorm. n. 41. Lapus & Calumnianus* apud *Mirand. p. 2. q. 48. a. 12. Syluest. v. Canonica portio. nu. 5. vers. quarta. Azor. p. 2. lib. 9. cap. 13. q. 13. Card. Tuscus. l. Z. concl. 21. nu. 60.* & apud eum *Cald. cons. 3. alias 2. de sepult.* vbi in fine dicit communem, *Bald. cons. 270.* Et idem docuit, *concl. 28. num. 1.* vbi apud eum *Butr. cons. 26.* circa finem. *Rom. cons. 233. Alex. cons. 196. lib. 2.* vbi plures allegat. Verum est, quod dictam constitutionem fuisse extensam ad Augustinianos per *Clemen. 5. & ad* Carmel. per *Io. 22. ex Card.* refert *Syluest. vbi supra*. Ad eosdem esse extensam per Io. 22. dicunt *Panormitan. & Tuscus vbi supra ex Butrio cons. 26.* Qui tamen *d. concl. 28. n. 2. ex eod. Butr. d. cons. 26.* addit, *d. Clem.* non extendi ad Seruitas, & eadem ratione dicendum erit, quod non extendatur ad Minimos, Clericos Regulares Societatis, & alios, sicut nec ad alios Regulares, vel Monachos, vel Mendicantes. Et licet DD. plures videantur supponere contrarium, & citent *d. Clem.* vt probent quartam deberi Parochiali, ex hoc apparebit quantum hoc debeat attendi, quod citant illam, vt legem vniuersalem afficientem vniuersaliter etiam Ecclesias seculares, si in eis contingat eligi sepulturam, cum tamen illa *Clementina* expresse loquatur de Regularibus. Cæterum quod *dicta Clem.* non afficiat nisi quatuor ordines Mendicantium, colligitur ex literis Nicolai Quinti, & Eugenij Quarti insertis in Mari magno Carmelitarum apud *Lezanã* §. 12. ibi. *Dudum siquidem felicis recordationis Bonifacius Papa Octauus prædecessor noster, in sua, quæ incipit super Cathedram Constitutione, siue decretali, quam postea piæ memoriæ Clemens Papa V. etiam prædecessor noster in Viennensi Concilio innouauit, & quæ subsequenter ad Eremitarum S. Augustini, & Beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo ordinum fratres per sedem Apostolicam extensa fuit.* Si enim per sedem Apostolicam illa constitutio extensa fuit, igitur prius non extendebatur, neque nunc extenditur ad aliquem ex ordinibus ad quem per sedem Apostolicam non fuit extensa.

647 Considerandum est secundo, quod ad hoc vt priuilegia eximant à quarta Parochiali dicunt plures, quod est necesse, quod derogetur in specie dictæ *Clem. Dudum, de sepult.* Ita *Barbosa de Parocho cap. 25. n. 9.* quod adeo verum putat, quod si in priuilegio alicui concesso sit eidem *Clem.* derogatum, & hoc priuilegium concedatur alteri per communicationẽ non valeat communicatis quantum ad illam derogationem, allegans ad hoc *Rotam in Granaten. quartæ funeral. & Vallisoleti. 19. April. 1606.* & dans exemplum de fratribus Minimis, quibus dicit non competere per communicationem priuilegium fratrum Prædicatorum. Sed hic plura attendi debent. Et primo quidem de valore communicationis iam dictum fuit. *quæs. superiori*. Nunc additur, quod respectu Minimorum non fuit necesse derogare *Clemen. Dudum*, quia secundum DD. citatos, illos non comprehendit, & si Minimis in ea Vallisoletana *coram Iusto* fuit præiudicatum, in culpa fuerunt, qui illam causam defenderunt, & qui communi sententia DD. sentientium *Clemen.* non esse vniuersalem, nec comprehendere Minimos vsi non fuerunt, vnde nec Rota huius puncti aliquam mentionem facit, quod quia si fuisset consideratum præstitisset causam legitimam ad nouam audientiam obtinendam.

648 Sed vlterius considerandum est, quod Rota nos docet quomodo intelligi debeat sententia communis, quæ vult, quod in priuilegijs necesse sit derogare in specie constitutionibus Conciliaribus, vt contra illas priuilegia valeant. Primo ergo consideranda venit decisio in vna

Con-

Conchen. Exemptionis decimarum 17. *Martij* 1589. *coram Orano* tenoris, qui sequitur. Fuit dubitatum, an in casu, de quo agitur Monialibus S. Claræ obstet dispositio *cap. nuper de decimis* DD. pro negatiua principaliter fuerunt moti ex confirmatione Gregorij XIII per quam confirmantur omnes concessiones, exemptiones, & declarationes ad fauorem istius ordinis editæ, cum clausula derogatoria Cōstitutionum, & in vltimo generali Concilio Lateranen. alijsque Concilijs æditis, nam non obstante, quod expresse derogatum non fuerit alicui Concilio, sufficit priuilegia aliorum Conciliorum derogata, cum adita foerit clausula generalis de alijs Concilijs. *Dec.cons.*341 *nu.*10. *& seq. Prob.ad Monac.in cap.cum in tua n.*24.*de sensact. & post Iacobat.* tradit *Conar. de Spons. p.* 2.*cap.*8. *ante n.*7. idque eo magis, quo in confirmatione præmissa apposita legitur clausula, quorum tenores taxtransit. *Bart.*2.*Cassadsr.decis.*10.*super Regul. Aymen. cons.* 127. *n.*7. quamuis nullius sit effectus, quando non fuit facta aliqua mentio eius dispositionis, cuius tenor habendus est pro expresso *Dec.cōs.*141.*n.*7. cum adductis per *Gabr.in tit.de clausul.claus.*9.*n.*17. tamen secus quando adiecta fuit dispositioni facienti generalem Conciliorum mentionem, tunc enim operatur indiuiduam expressionem, hinc vidimus, quod indultum Cardinalium non intelligitur derogatum, nisi derogatio specifica accedat non minus, cognominis, & tituli expressio, & tamen si clausula late extenden. & clausula quorum tenores in gratia apposita iudicatur sufficienter illis derogatum *Chisanen. decis.* 69. Accedit autem præmissis clausula, *& si talia forent, quæ specialem mentionem requirerent, quæ tanta est virtutis, vt per eam censeatur derogatam* dispositioni requiren. specialem mentionem, & habetur clausula derogatoria ad futura *Bald.& Angel.in l.omnes C.de præscript.*30.*annorum Alex.cons.*155.*n.*12.*lib.*6. *Soc. cons.*3.*& seq.vol.*3. *Curt. Iun.cons.*110.*nu.*32. *Paris. cons.*7.*n.*42.*lib.*2.*Ias.cons.*3.*nu.*3.*lib.*3.*Gozzad.cons.*6.*n.*54.*cons.*92. *nu.* 9. *& clausul. pro expressis habetes,* quæ etiam vim specialis derogatiuus habet *Tiraqu.ad l.Contabial.glos.*7.*n.*207. & alia, de quibus hic per informantes, quæ tanto efficacius operari debet, quanto sæpius in diuersis Pontificum priuilegijs prædicto ordini concessis sunt repetita, *argument.l.Calisia ad Trebell. Alex.cons.* 216.*nu.*25. *lib.*2. *Gram.cons.*100.*n* 400. *Paris.cons.*3.*n.*91.*lib.*4. præsertim inspecta causa per quam Monialibus priuilegium fuit concessum videlicet intuitu paupertatis ad tradita per *Rebuff.de decimis quæst.*6.*n.*8. idque ad tempus limitatum donec singulæ pro sui sustentatione in annuo redditu 31. ducat. assecutæ fuerint; & ita fuit conclusum §. *Cum vero* hæc causa iterum fuisset proposita, DD. steterunt in decisis prout infra sequitur, in eadem 10. Maij 1589. DD. steterunt in resolutis Priuilegium Gregor. XIII. suffragari Monialibus, &c. Neque dicatur subrepticium fuisse priuilegium Gregorij, sub prætextu, quod in eo non fuerit expressum, priuilegia, quæ confirmat fuisse nulla ex eo, quod non habebit expressam derogationem *cap. nuper de decimis*. Quia fuit dictum, quod Papa Gregorius in suo priuilegio habuit illa pro expressis cum clausula *quorum tenoris* iuxta vulgare *consil. Ant. de Butr.* 2. Præterea non modo illa confirmauit, sed innonauit in tantum, quod si fuerint nulla, per confirmationem fuerunt reddita valida, *Bart.in tit. de petit.n.*356. & hoc cum clausula *ex certa scientia* ad tradita per *Decium in cap.* 1. *nu.*46.*de confirmat. vtil. vel inutil.* adiecta clausula *supplentes omnes defectus Iuris*, de qua per *Ant. Abb. & alios in cap.*1.*de transact. Alex. cons.*79.*num.*50. *& ibi Add. lib.* 1. Ex quibus, &c.

649 Sed, & paucis ab hinc annis agens *Rota* de exemptione à quarta funeralium d. Romana Iuris funeralium 5. Iulij 1653. *coram Zarate*, quæ habetur impressa inter volan. ea hæc habet. Nec aduersatur, quod in huiusmodi priuilegijs derogatum non fuerit *Clementinæ Dudum de sepult.* quemadmodum requiritur, vt talis exemptio possit competere *per text. in cap. ex parte de cappell. Monach. Rota decis.*122.*n.*1. *par.*1.*diu.& dec.*101. *nu.*2. *coram Canal. Petr. de Vbald. de canonica parochiali cap.* 6. Nam cum exemptio per Pontifices processerit in amplissima forma, & sub verbis vniuersalibus nullam restrictionem patientibus, & expressa mentio de quarta funeralium in priuilegio Sixti IV. habita fuerit, sub tali vniuersalitate derogatum censetur d. *Clementinæ Dudum*, cum per eam constet de voluntate Papæ derogare volentis, vt in terminis, respondet *Rota in d. Cracouien. quartæ funeralis* 25. *Maij* 1646. *coram R. P. D. meo Penuagerio. Barbos. de iur. Eccles.lib.*3. *cap.*24.*nu.*8. *& de offic. Paroch. d. cap.*35. *etiam n.* 8. Licet alias sub generalitate non adeo comprehensiua, ex qua desumi valeat Pontificis voluntas, derogatio d. *Clem.* non inducatur quomodo intelligenda sunt in contrarium adducta, vt etiam distinguitur in *dicta Cracouien.* 4 *funeralis* §. *non obstat*. Et ex hac ratione tollitur obiectio, quod non sufficiat derogatio d. *Clem. Dudum* in priuilegio principali, nisi & apponatur in communicatione, cum communicatio non extendatur ad præiudicialia, vt in d. *decis.* 101. *nu.* 3. *coram Canal.* Nam etiam ex clausulis generalibus, & voluntate Papæ adhuc exemptio sustinetur *Barbosa d.lib.*3.*de iur. Eccles.cap.*24.*num.*8 *infin.* Quæ voluntas colligitur ex eo, quia nominatim communicantur exemptiones, quæ de sui natura habent in ventre præiudicium tertij, vt proinde vlterior derogatione opus non sit, vt ponderauit *Rot. coram Burat.decis.*193.*n.*24. Præsertim enim in priuilegio communicationis legatur clausula: *quorum tenores, & pro expressis*, de quibus in dicta Cracouien. §. non obstat.

650 Ex ijs ergo hæc ad rem nostram plura adnotanda sunt, Primum quod non est necesse derogare in specie omni Concilio Generali, sed sufficit derogare vni expresso, & al[illegible] per clausulam, & derogationem generalem, quod ex ha[illegible] dem *decis. Cracouien.* adnotauit *Renerem[illegible] gnanas ad cap. Nuper n.*31. *de Dec[illegible] & R[illegible]* 316.*n.*11. *p.*5 *recent.* secundum est quod vb[illegible] rogat[illegible] fit facta aliqua mentio Conciliorum cum c[illegible] ia quorum tenores &c. hæc est [illegible] ciens derogatio [illegible] ma præfata cla[illegible] ula op[illegible] indiuiduam expressionem, & tollit omnia obstacula iuxta *Consilium Butrij* 49. & alios plures, quos sequitur *Rota decis.*238.*nu.*18.*par.*9. *recent.* [illegible] etiam apud *Barbosam ad clausulam, quorum te[illegible] res num.* 3. Tertium, quod [illegible] dero[illegible] atr[illegible] clausula, *& si talia forent, &c.* Apud [illegible]

sequitur-

æquiualenter & eminenter specialis derogatio, & non est tune necesse habere expressam mentionem Conciliorum Generalium, sed illis sufficienter derogatur, per generalem derogationem tali clausula munitā prout late explicant *Felin. ad cap. Nonnulli n.6. de rescript. Rota decis.109.nu.11. coram Greg.15. & ibi Beltraminus, Tuscus l. C. conc. 350.* vbi quod vsus Curiæ sit, vt per talem clausulam censeatur sufficienter derogatum omnibus in contrarium etiam si de illis specialis, & specifica mentio fieri deberet: Quartum, quod vbi in priuilegio fit mentio exemptionis à quarta funeralium, & derogationes appositæ sunt in amplissima forma, & sub verbis vniuersalibus nullam restrictionem patientibus, sub tali vniuersalitate censetur derogatum *Clem. Dudum, de sepult.* cum satis constet de voluntate Pontificis derogare volentis. Quod, & aduertit *Barbosa l.5. de iure Eccl. cap.24.nu.8. & de Parocho cap.55.n.8.*

651 Illis præmissis descendendo ad priuilegia particularia prætermitto quæ concessa fuere ab Vrbano Tertio Cruciferis, Cœlestino Tertio Monachis Montis Virginis, Innocen. IV. Alexan. IV. Clem. IV. Prædicatoribus, & Minoribus, de quibus in *Bullar. Prædic.* & apud *Cæsarub. v. Canonica portio n.1. 2. & 3.* quia per *Bonifac. VIII. in extrauag. super Cathedram de sepult.* confirmata per Clementem Quintum in *Clem. Dudum, de sepult.* fuerunt reuocata, vel cum contineant clausulam salua iustitia, &c. non continent exemptionem à quarta funerali post Clementem Quintum vero Gregor. XI. in constit. sua virtute conspicuos, quæ in *Bullar. Rom. est 7. §.28.* & habetur inserta in Mari magno *Præd. fol.149.* & apud *Lezanam §. 43.* concessit, vt infra. Concedimus quoque vobis, vt de illis quæ in ornamentis vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniuersario, septimo, vigesimo, trigesimo, siue alijs ad perpetuum cultum diuinum, seu pro pitantijs, aut victu ad sustentationem vestram, vel indumentis, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quarum solutionem aliquæ domus vestri ordinis obligari noscuntur, vel de domibus prædijs, & hortis, alijsque locis vobis secundum instituta vestri ordinis opportunis, aut de his quæ pro huiusmodi domibus, prædijs, hortis, & locis emendis vobis legantur (dummodo præmissa non conuertantur in alios vsus, sed in illos dumtaxat pro quibus relinquuntur, aut alios etiam qui in hac concessione vel indulgentia continentur) nulli Canonicam portionem aliquam teneamini exhibere. *Et* ne quis à vobis, vel vltimarum executoribus voluntatum, seu decedentium hæredibus, de præmissis, aut de his quæ vobis in vltimis voluntatibus absolute legantur, vel alias pro vestris necessitatibus conferuntur, aliquid exigere, vel extorquere præsumat, districtius inhibemus. Hæc quidem Gregor. Vndecimus concessit, in quibus continetur absoluta exemptio à qualibet quarta legatorum tam Episcopali, quam Parochiali. Nedum enim multa specificat legata de quibus iuxta *cap. final. de testam.* non est soluenda Canonica portio, sed multa addit, vt nec huiusmodi portio soluenda sit de relictis pro victu, & vestitu, pro emendis immobilibus, pro immobilibus, ipsis domibus, prædijs, hortis, & tandem vniuersaliter concludit, vt de his, quæ illis in vltima voluntate legantur, vel aliās pro illorum necessitatibus nullus aliquid exigere, vel extorquere præsumat.

652 Et si dicatur, quod *Gregor. in sua constit.* non derogauit expresse *Clemen. Dudum*, respondetur, quod eidem *Clemen.* derogauit expresse Martinus Quintus, qui vt videre est in integro Mari Magno Prædicatorum in *Bullar. dicti ordin.* & apud *Lezanam in sua Constit.* Ex Apostolicæ sedis, data 15. Cal. Iulij Pontificatus anno decimo inserta de verbo ad verbum constitutione Gregorij Vndecimi eaque confirmata, & ex certa scientia innouata, derogat expresse *d. Clem. Dudum in d. Bullar. fol.155.* & apud *Lezana* §. 36. per hæc verba. Verum ne dubitationes, & controuersiæ, quæ alias vos pluribus laboribus, & expensis vexauerunt, de cætero vobis fiant, ex certa scientia decernimus, vt dictum priuilegium Gregorij Papæ XI. in iudicio, & extra, in qualibet sua dispositione inuiolabiliter obseruetur; non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, illa præsertim felicis recordationis Clementis Papæ V. prædecessoris nostri edita in Concilio Viennensi, quæ Incipit, *Dudum*, nec non priuilegijs, gratijs, & concessionibus Apostolicis in genere vel specie quibuscumque Ecclesijs personis siue locis sub quauis forma, vel expressione verborum, etiam si de his habenda esset in præsentibus mentio specialis, seu per quæ præsentibus non expressa, aut totaliter de verbo ad verbum non inserta, earum in toto, seu in aliqua parte sui effectus posset aliqualiter impediri, & alijs contrarijs quibuscumque. Nos autem ex nunc irritū decernimus, & inane, si secus super his, aut eorū aliquo à quoquā quauis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Hæc Martinus V. Et Eugenius IV. in sua Constit. Romanus Pontifex data Florentiæ anno 1443. Idibus Aprilis sui Pontificatus vndecimo inserta de verbo ad verbum constitutione supradicta Martini Quinti continente aliam Gregorij Vndecimi, illaque ex certa scientia innouata, & confirmata in fine derogat expresse dictæ *Clem. Dudum* per verba sequentia; quæ habentur in *d. Bull. fol.156.* & apud *Lezanam* §. 37. Cæterum vt quarumlibet litterarum earundem tenor sic insertus omnimodam rei, seu facti certitudinem faciat, authoritate Apostolica prædicta decernimus, vt illud idem robur, eandemque vim, & eundem vigorem tenor ipse per omnia habeat, quæ haberent singulæ originales litteræ supradictæ, & eadem prorsus huiusmodi tenori fides adhibeatur, quandocumque, & vbicumque siue in iudicio, vel alibi, vbi fuerit exhibitus, & ostensus, ac eidem stetur similiter in omnibus, quæ singulis eisdem originalibus litteris adhiberetur, ac sicut eis staretur si forent exhibitæ, & ostensæ, nec origiuales litteras Gregorij, seu Bonifacij, Benedicti, vel Martini huiusmodi præfati Magister, Priores, & Fratres producere, seu ostendere teneantur, volentes etiam authoritate Apostolica, & scientia supradictis, harum serie decernentes, quod priuilegium Gregorij Papæ XI. huiusmodi in iudicio, & extra in qualibet sui dispositione inuiolabiliter obseruetur. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, illa præsertim piæ memoriæ Clementis Papæ V. etiam prædecessoris nostri in Concilio Viennensi edita, quæ incipit *Dudum*, nec non priuilegijs, &

gijs, &

gijs, & gratijs, & concessionibus Apostolicis in genere, vel in specie quibuscumque personis, Ecclesijs, seu locis sub quauis forma, aut verborum expressione concessis; etiamsi de illis præsentibus habenda foret mentio specialis, seu per quæ præsentibus non expressa, aut totaliter non inserta earum, in toto, seu in aliqua parte sui effectus posset aliqualiter impediri, & alijs contrarijs quibuscumque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his vel eorum aliquo à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Hæc Eugenius IV. Nulla ergo difficultas amplius remanere potest, quod quantū ad quartā legatorū non sit sufficienter derogatū *d. Clem. Dudum*. Cui etiam derogauit expresse Sixtus Quartus in Mari Magno, insertis de verbo ad verbum præfatis constitutionibus Gregorij Vndecimi, Martini Quinti, & Eugenij Quarti, Vnde in hac parte per tres Pontifices fuit *d. Clem.* derogatum expresse. *Et* est aduertendum etiam, quod omnes illæ Constit. Gregorij Vndecimi, Martini Quinti, Eugenij Quarti, & Sixti Quarti sunt munitæ decreto irritante.

653 Postea Eugenius Quartus Monachis S. Benedicti Congregat. Cassinen. exemptionem à portione Canonica indulsit, in Bulla *ad Ecclesiarum*, data Bononiæ anno 1436. quinto Nonas Iulij Pontificatus anno 6. Et habetur in *Bullar. Cassinen*, & apud *Rodriquez* 12. in qua sic habetur: Motu proprio, non ad ipsorum, aut alicuius eorum nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, omnibus, & singulis dictæ congregationis Monasterijs, prioratibus, grangijs, membris, manualibus, & locis, vt ad dandum, seu ad soluendum aliquam Canonicum portionem, siue decimas, aut aliud quodcumque, quod loco earum solui consueuisset parochianis, Episcopis, Archiepiscopis, Capitulis, collegijs, vniuersitatibus, communitatibus, fabricis, & alijs quibuscumque, ex quacumque causa hactenus debita, seu quæ deberi prætendant, quomodolibet in futurum, etiam ab eisdem de relictis, legatis, & donatis, tam in vltimis voluntatibus, quam inter viuos, seu quacumque occasione concessis, præteritis, & in posterum concedendis, minimè teneantur. Quibuscunque constitutionibus Apostolicis, ac præfatis nostris literis, quibus quatenus huic nostro indulto obuiant, volumus derogare: & alijs consuetudinibus, statutis, præscriptionibus, & priuilegijs, sub quacumque forma, aut quibuscumque clausulis editis non obstantibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus præsentibus expressa, & specialis, ac indiuidua foret habenda mentio, auctoritate Apostolica tenore præsentium, ex certa scientia, de specialis dono gratiæ indulgemus. Hæc Eugenius IV. In hoc priuilegio nō derogatur expresse *d. Clem. Dudū*, sed huius derogationis nulla est necessitas, cū *d. Clem.* non liget Monachos, vt est probatum. Sed, & præterea ex doctrina *Rota, & aliorum DD. supra relata n. 648. & 650.* derogatur æquivalenter, ex vi clausulæ etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, &c. quæ etiam derogatio vim tantam habet, ac si qualibet constitutionum Apostolicarum de verbo ad verbum fuisset inserta, & ei sic insertæ fuisset derogatum. Hoc idem priuilegium refert *Tambur. de iure Abb, to. 1, disp. 15. q. 17. nu. 9.* aduertens illud per Iulium Secundum fuisse communicatum Congregationi Vallis Vmbrosæ.

654 Idem quoque Eugenius Quartus consimile priuilegium concessit Cœlestinis in *Bulla Ad decorem data Floren. 5. kalen. Nouemb.* 1434. *Pontificatus* 4. apud *Bull. Rodriq.* 18. In qua inter alia hæc habet. Concedimus quoque vobis, vt de his, quæ in ornamentis vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniuersario, septimo, vigesimo, trigesimo, siue alijs ad perpetuum cultum Diuinum, seu pro pitantijs, aut ad substentationem vestram, vel indumentis, & calceamentis vestris, necnon pro annuis censibus redimendis aliquorum solutione aliqua Monasteria, prioratus, aliaque loca vestri ordinis obligata forsitan viderentur, aut de his, quæ pro domibus prædijs, hortis, alijsque locis emendis vobis legantur. De oblationibus quoque & obuenientibus etiam, quas occasione funerum, & alijs, quæ iure institutionis, seu successionis aut legati, vel relicti, aut fideicommissi ad vos & Ecclesias, & loca vestra pietatis intuitu deuenire contigerit, nulli teneamini iustitiam, seu portionē Canonicā exhibere, & ad hoc vos decernimus aliquatenus non teneri. Hæc Eugenius præfatus. Meminit huius priuilegij illudque refert etiā *Tamb. vbi sup.* Neque vero in hoc priuilegio derogatur expresse *d. Clem. Dudū*, sed neque huiusmodi derogatio erat necessaria, cum *d. Clem.* non obliget Monachos. Et nihilominus si esset necessaria haberetur æquivalens derogatio, quia sufficienter innotesceret voluntas Papæ concedentis priuilegiū, & sic intrat doctrina supra n. 650. posita. Et viget semper illa ratio, quod si vigeret *d. Clem.* priuilegiū esset verbale, & irrisorium, & vacuum. In re enim contrariantur hæc duo, scilicet. Nulli teneamini iustitiam, seu portionem Canonicam exhibere, quod decernit *E*ugenius Quartus, & hoc aliud nimirum, de obuentionibus omnibus quartam Parocho largiri teneantur. Quod est sancitum per *d. Clem.* Quando igitur statutum per Pontificem de nouo est vere contrarium etiam Concilij alicuius Generalis decreto, quod non potest præsumi ignoratum a Pontifice, dicere quod per clausulas, & derogatorias vniuersales Papa non deroget Concilio, & quod statutum per Concilium debeat vigere est dicere, quod Papa decipiat in suis literis, & inaniter, & mendaciter disponat; quod nullo modo debet admitti.

655 Successiue vero Nicolaus V. in Constit. sua. *Inter cæteras* data anno 1449. decimo Kalendas Maij Pontif. anno tertio, quæ habetur in Mari Magno Carmelitarum apud *Rodriq.* & apud *Lezanam* §. 17. eisdem Carmelitis concessit, vt infra. Hinc est, quod nos vestris deuotis supplicationibus inclinati, vobis, & dicto ordini vestro perpetuò concedimus, vt de illis, quæ vobis pro fabrica *E*cclesiarum, & Conuentuum vestrorum, Ecclesiasticis ornamentis, luminaribus, anniuersarijs, septimo, vigesimo, trigesimo, & alijs diuinis cultibus, pitantijs, Indumentis, calceamentis emendis, celebrandis, & habendis in eisdem, nec non annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem, aliquæ domus prædiaque cum hortis, & alijs locis ordinis eiusdem obligata noscuntur, per Christi fideles eleemosyna pietatis intuitu, siue in funera-

funeralibus, oblationibus, sepulturis, vltimis voluntatibus, legatis, aut alijs quoquomodo etiam absolute iam erogatæ sunt, & in posterum forsan erogentur bonis, & etiam absolute elargientur; nulli canonicam portionem aliquam teneamini exhibere, aut ad id valeatis coarctari, & ne quis à vobis, vel vltimarum executoribus voluntatum, seu decedentium hæredibus de præmissis bonis, aliquid extorquere, vel exigere præsumat, districtius inhibemus. Non obstantibus piæ memoriæ Clementis Papæ V. prædecessoris nostri in Concilio Viennensi edita, quæ incipit *Dudum*, & alijs Constitutionibus, & ordinationibus, necnon priuilegijs, gratijs, & concessionibus Apostolicis in genere, vel in specie, quibusuis personis Ecclesiasticis, seu locis sub quacumque forma, aut expressione verborum concessis, etiam si de illis præsentibus habenda foret mentio specialis, per quæ præsentibus non expressa, aut totaliter de verbo ad verbum non inserta eorum in toto, vel in parte effectus valeat aliqualiter impediri, cœterisque contrarijs quibuscumque. Nos enim ea nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his à quoquã quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Hoc priuilegium, vt notauit etiam *Casarub. v. Canonica portio* est amplissimum, & continet totalem, & perfectam exemptionẽ à portione Canonica tam Episcopali, quam funerali, & in eo derogatur expresse *d. Clem. Dudum*. Cui etiam derogat Sixtus Quartus in Mari Magno.

656 Sixtus autem quartus postea concessa à Prædecessoribus suis confirmauit, declarans quartam locum non habere nisi quando corpora in Ecclesijs Regularium sepeliuntur, nimirum à Regularibus in quorum Ecclesijs est sepultura, nòn vero ab illis, qui associant defunctos in aliorum Ecclesijs sepeliendos. Quartam autem, & iustitiam Parochialium esse voluit qualem Prædecessores statuerunt, ita tamen, vt de candelis quæ singulis fratribus dantur, nulla portio detur, & ita quod etiam seruentur in hoc laudabiles conuentiones, & pacta cum Parochis inita: Vt videre est apud *Rodriq. bulla. 14. 33. & 37. & Lezanam in Mari Magno Prædicatorum* §. 43. *Minorum* 41. & 42. *Eremitarum*. §. 38. §. *Carmelitar*. §. 58. Ex Mari Magno autem Carmelitarum posset oriri difficultas, ex illis verbis. *Iustitiam autem Ecclesiarum, à quibus corpora ipsa sumuntur iuxta eorumdem prædecessorum nostrorum, & nostram voluntatem saluam esse debere decernimus, eo casu, quo dumtaxat apud loca ipsorum fratrum corpora ipsa sepeliantur. &c.* Cum enim per iustitiam Ecclesiarum intelligatur portio Parochialis, seu quarta funeralium, vt per *Rotam in Vallisolet. funeralis 19. Aprilis 1606. coram Iusto*, quæ est 83. apud *Tambur. tom. 3.* notat *Lez. ad Mare Magnum Præd. n. 133.* Videtur dicendum, quod ex vi Constit. Sixti Quarti Carmelitæ teneantur ad quartam præstandam, & sic quod priuilegium Nicolai Quinti fuerit circa hoc reuocatum. Quod confirmatur, quia à solutione huius iustitiæ seu quartæ solum excipit casus illos, in quibus per Clementem Quartum, Benedictum XI. & Nicolaum Quartum dicti fratres fuerunt exempti, nulla facta mentione Nicolai Quinti. Verum respondetur, quod cum Sixtus Quartus referat ea integro de verbo ad verbum priuilegium Nicolai V. in §. 17. Illud vero expresse confirmet, & innouet §. 43. & 44. Non potest dici, quod per Sixtum IV. fuerit illi derogatum. Imo in illo §. 58. illud confirmat, quia decernit per Carmelitas non deberi quartam *in casibus in quibus per Clementis IV. Bened. XI. Nicolai IV. & aliorum Prædecessorum priuilegia fratres ipsi ab huiusmodi solutione quartæ sunt exempti*. Verba autem supra relata posuit Pontifex, non vt reuocaret, quæ confirmauerat, sed vt ostenderet, & traderet generalem regulam, per quam constaret, quod quarta, si debetur, non debetur nisi ab Ecclesia sepulturæ non vero ab illis, qui funera ad alias Ecclesias comitantur, & vt sic appareat, quod etiam Carmelitæ quatenus tenerentur ad quartam, hoc intelligendum esset in casu, in quo defuncti sepelirentur in eorum Ecclesijs. Quoniam vero Sixtus Quartus in Mari Magno derogat expresse *d. Clemen. Dudum*, manifestum est, quod quantum ad ea, quæ concedit, non obstat *d. Clement.*

657 Post Sixtum Quartum, Alexander Sextus per Bullam, cuius mentionem faciunt *Casarub. v. Canonica portio, & Mirand. p. 2. q. 48. num. 6. concl. 6.* & quam ad verbum refert monumentum, *fol. mihi 559. concess.* 378. communicauit ord. Minorum aliorum ordinum mendicantium, priuilegia, & in specie etiam *quoad exemptionem à solutione quartæ locorum ordinarijs, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus debitæ*. Similem concessionem, vt factam à Iulio Secundo *6. Nouem.* 1611. refert *Mirand. vbi supra concl. 7.* cuius particulam refert *Caraccia de quarta fun. cap. 5.*

658 Iulius Secundus in *Constit. Dudum, data Romæ quinto Kalend. August.* 1506. *Pontificatus tertio*, Minimis exemptionis à quarta omni concessit, & habetur hæc *Const. in Bull. Rom. & est 1. apud Peyr. in qua* §. 33. sic habet. Necnon ordinis Minimorum huiusmodi Ecclesiæ, & Oratoria, domus, & loca, tam recepta, quam recipienda, tanquam Sedis, & Ecclesiæ Romanæ huiusmodi specialia Oratoria, Ecclesiæ, domus, & loca, cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis protius ab omni decimarum, & oblationum persolutione, seu iurisdictione perpetuo libera sint, & esse censeantur; ac sub B. Petri & dictæ Sedis, & nostra protectione immediate subiaceant. Ipsiusque ordinis Minimorum fratres pro tempore existentes de hortis, ac virgultis, & alijs quibuscumque bonis, ordinis Minimorum domibus, & illarum Ecclesijs huiusmodi pro tempore relictis, & legatis; ac super luminaribus, & alijs rebus diuino cultui pro tempore dedicatis, decimas, aut oblationes aliquas, etiam ex noualibus, vel quartam ex funeralibus soluere minime teneantur, nec ad id à quoquam cuiuscumque nobilitatis, aut dignitatis existat, valeant quomodolibet coarctari. Continet hoc priuilegium totalem exemptionem à quarta canonica. Sed obijcitur, quod non deroget expresse *d. Clem. Dudum*. Sed hæc obiectio cessat. Tum primo, quia Minimi sub dispositione *d. Clem. Dudum* non comprehenduntur, vt est probatum. Tum secundo quia S. Congregatio Concilij, vt dictum est supra declarauit huiusmodi priuilegium non fuisse abrogatum per *Concil. Trident.* Tum tertio quia in dicta Const. derogatur expresse vni ex *Constitut. Concily Vienn.* quæ incipit Religiosi, & postea omni-

bus alijs Constitut. Apostolicis, sub quibus veniunt etiam editæ à Papa in Concilijs Generalibus, vnde potest applicari doctrina supra data, vt quando nominatur in derogatione vna constitutio conciliaris, sufficiat, ad hoc vt per clausulas generales derogetur alijs, satis enim iam constat de mente Pontificis nolentis obstare etiam Constitutiones Conciliares. Tum quia constat de mente Pontificis ex clausulis generalibus qualitate materiæ pensata. Exemptio enim est vniuersalis, ab omni oblationum persolutione, ita quod non teneantur oblationem aliquam, vel quartam soluere, esset vero hæc concessio illusoria, & solum in verbis vacuis, & inutilibus, nisi derogaretur *Clem. Dudum* Priuilegia vero non sunt interpretanda, vt contineant solum verba inutilia. Cum ergo Iulius II. deroget plusibus Constitut. Conciliaribus, & alijs Const. Apostolicis quauis firmitate roboratis, manifestum est voluntatẽ eius fuisse, vt nihil obstaret, quominus dicti fratres omnimoda exemptione à quarta gaudere possent. Et sic manifeste sumus in casu, in quo secundum *Rotam sup. n. 645. citatã* non est necessaria expressa derogatio *d. Clemen. Dudum*. Et quod hic sit legitimus sensus inde euidenter colligitur, quod cum tempore Leonis X. præfati PP. Minimi a Parochis molestarentur circa quartam, vt dicitur in Bulla Leonis X. apud *Pryrinum* eo, quod Iulij II. priuilegio non obstante. *Tamen nonnulli parochialium Ecclesiarum Rectores, seu illarum Vicarij, ac in ipsis perpetui Beneficiati, auaritia cupiditate obcæcati, & quidam alij Clerici, & laici dictæ Prouinciæ, eosdem Prouincialem, & Fratres ad soluendum sibi quartam portionem huiusmodi de legatis pro tempore decedentium, vel alijs bonis eisdem Prouinciali, & fratribus, siue pro missis, siue pro fabricis, vel ornamentis Ecclesiasticis, aut alias quomodolibet relictis per se vel alios exigere seu extorquere temere præsumentes* eisdem molestiam inferebant. Propterea præcepit Pontifex Archidiacono, & Cantori Cathedralis Consentinen. vt præciperent Parochis, & laicis sub pœna excommunicationis, & alijs pœnis, *ne ipsi contra dicta priuilegia quicquam ab eisdem fratribus occasione quartæ portionis huiusmodi directe, vel indirecte quouis quæsito colore, per se, vel per alios, contrà tenorem priuilegiorum prædictorum exigere, aut extorquere, aut alias ab ipsis fratribus extorta, & indebite exacta præsumant*.

659 Sequitur priuilegium Pauli Tertij pro Minoribus de obseruantia in *Constit. Honestis*, data *Perusiæ 12. Septem.* 1544. quam refert *Caraccia de quarta funer. cap. 1*. Et in qua continentur, vt infra *Eisdem omnibus, quod ipsi de cætero & super legatis, & alijs relictis eis per quoscumque quomodolibet pro tempore factis prætextu quartarum, seu quintarum huiusmodi ab eisdem, seu quibuslibet alijs quæstoribus, seu Commissarijs, etiam pro sancta cruciata, aut alias quomodolibet deputatis vexari, seu molestari, aut alias quouis modo perturbari non possint, nec quicquam ab ipsis peti valeat auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo concedimus*. Et postea sub pœna excommunicationis, & alijs pœnis prohibet ne aliquis super prædictis eosdem fratres perturbet, & irrita decernit attentata in contrarium. Hoc tamen priuilegium non continet nisi exemptionem à quarta legatorum, eiusque nullam mentionem faciunt nec *Casarub.* nec *Rodriq. to. 1. q. 39.* nec *Mirand. t. 2. q. 48.* nec *Portel.* & neque in Compendio *Christophori de capite fontium*, nec eam alibi inueni, vt possem videre quibus derogatorijs munita fuerit huiusmodi concessio. *Rota coram Roias dec. 107. n. 2. p. 9. Recent.* inter priuilegia concessa ord. Minorum recenset priuilegium Iulij Tertij, in quo asserit derogatum fuisse expresse *d. Clem. Dudum*. Huius etiam priuilegij Iulij Tertij mentionem inuenio in aliquibus manuscriptis declarationibus S. Cong. Concilij.

660 Sed inter omnia priuilegia amplissimum est, & indubitatum, quod concessit Paulus Quartus ordini Prædicatorum, & habetur in Bulla ex Apostolicæ sedis, *data Romæ 9. Martij* 1556. & est in *Bull. d. Ord.* inter Bullas ex concessione Pontificis in autenticam transumpti formam per *Franciscus de Albericis Aud. Cam.* redactas, vltima, quæ inuenitur pag. 258. Sed eiusdem habeo apud officium meum authenticum originale. Vbi postquam retulit priuilegia huic ordini concessa à pluribus Pontificibus, & inter ea exemptionem à quarta, & quinta funeralium, & legatorum partibus, atque priuilegia confirmauit, subdit & specificat nonnulla, quæ pro potiori cautela iterum concedit, & inter alia, sic ad propositum indulget. *Ac ab ipsis impositionibus, grauaminibus, oneribus, decimis, quarta, & quinta etiam funeralium, & aliorum quorumcumque etiam legatorum, & oblatorum, & concessorum pro tempore, nec non pedagijs, & gabellis, ac muneribus, & singulis alijs supradictis libera penitus, immunia, & exempta sint, & esse censeantur, concedimus, & statuimus, & ordinamus*. Et subdit postea clausulam *sublatis, &c.* & decretum irritans, muniens literas illas fortissimis clausulis contra futuras derogationes, & subdens non obstantias, inquit. *Non obstantibus constitutionibus super Cathedram Bonifacij Octaui, & Clementina Religiosi, de priuilegijs, & Dudum, de sepulturis, &c. & alijs Apostolicis, &c. Et in vltimo Generali Concilio Lateranensi celebrato, & alijs Concilijs editis, &c. & literis Apostolicis etiam in forma Breuis per Leonem Decimum, Clementem Septimum, Paulum Tertium, Iulium etiam Tertium præfatos, ac sedem Apostolicam, etiam motu proprio, ac ex certa scientia, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & alias quomodolibet, etiam pluries quibusuis personis in contrarium forsan concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si, &c.* Circa quod priuilegium considerari debet illa particula, *libera, penitus, immunia, & exempta sint*, quæ particula omnimodã, & vndequaque perfectã exemptionem, & libertatem importat; dictio enim penitus præcisa est, & nullam limitationem admittit, & minima quoque reijcit, & idem est, quod omnino, ex toto, per totum, vt per DD. quos cumulat *Barb. dict. 249.* Sed & respectu portionis vniuersalis est dispositio importans omnimodam exemptionem tam à solutione portionis, legatis, quam de oblationibus funeralibus, & de quibuscumque alijs oblationibus. Et derogatur expresse *d. Clement. Dudum*, & multis alijs constitutionibus Conciliaribus, vnde ex nulla parte impugnari potest. Huius vero priuilegij mentionem faciunt *Caraccia de quarta funer. cap. 1. Tambur. tom. 1. disp. 15. q. 17. nu. 16.* Eius-

dem

dem etiam meminit *Rota in Vallisolet. funeralit die 19. Ap. an.* 1606. vbi vult ei derogatū per *Conc. Trid.* quod quidē verum est, quatenus obstet determinationi Concilij nolentis non esse exempta à quarta illa Monasteria contra quos non viget præscriptio seu consuetudo quadragenaria ante Concilium, sed de reliquo omnia antiqua priuilegia vigent, vt est manifestum ex supra nu. 645. consideratis.

661 *Ex* his igitur patet, quod *Clementina Dudum de sepult.* modo vim non habet, nec potest allegari contra Regulares, qui habent priuilegia non soluendi quartam cum derogatione dictæ *Clement.* vel in eo communicant. *Et* talis sunt ferè omnes tam Monachi, quam Mendicantes, & eo magis, quod illa *Clem.* nec de se comprehendit nisi quatuor ordines Mendicantium scilicet Prædicatores Minores, Eremitas S. Augustini, & Carmel. habentes priuilegia supra recitata, cum derogatione dictæ eiusdem *Clem.*

662 Et tandem circa derogationem legum, vel priuilegiorum, vel rescriptorum est necessario distinguendum. Quia vel sumus in casu in quo potest, vel etiam debet præsumi ignorantia in Principe, vel inconsideratio; Nam ea quæ sunt facti, vel iuris particularis, & municipalis sine nota potest Princeps ignorare. Et in hoc casu currūt illæ regulæ de strictiori interpretatione in odiosis, de non acci pienda interpretatione in præiudicium tertij, & similia, & dari potest de defectu voluntatis Principis, quia non est volitum, quod est ignoratum; ignorantia enim inuoluntarium causa *D. Th. p. 2. q. 6. a. 22.* Vel sumus in casu in quo non potest præsumi ignorantia in Principe, & tunc etiam locum habent aliæ regulæ vt v. g. in odiosis strictior sumatur interpretatio, quia talis præsumitur voluntas Principis, sed hæc mihi videtur regula omnino semper attendenda, vbi agitur de derogandis prioribus legibus, & priuilegijs, quia scilicet vel verba nouæ legis, aut noui priuilegij sunt ambigua, vel indifferentia, & salua proprietate sermonis possunt magis ample, vel stricte interpretari; & in hoc casu locum habere possunt, consideratis considerandis, plures regulæ, vt v. g. quod in odiosis verba in magis stricta significatione accipienda sunt, vel etiam, quod sumi debent, vt quantum fieri potest minus vulnerent priores literas, si hoc est odiosum; & quod sic debent accipi, vt non derogent Concilijs Generalibus, eorumque decreta non infringant, si Papa illis expresse non derogauit. Vel verba determinata sunt, & in propria eorum significatione clare significant oppositum prioris legis, vel priuilegij, & in hoc casu non video, quæ sit necessitas alicuius expressæ derogationis, imo alicuius derogationis; quia Papa satis derogat cuicumque statuto, vel priuilegio, etiamsi esset mille Conciliorum, quando vult illi derogare, non potest vero præsumi, quod nō velit derogare quando scienter disponit, & ordinat oppositum eius, quod per priorem legem etiam Conciliarem fuerat ordinatum. Nam aliter si oppositum verbis claris disponeret, & illud in re non vellet, esset fallax, deceptor, & fraudulentus; quia vnum diceret, & ordinaret, & aliud vellet, quod de Pontifice, nec est somniandum. Et non valet dicere, quod ex quo non derogat, & non dicit. Non obstantibus, &c. est signum quod non vult, quia hoc esset idem, quod dicere, quod est signum, quod Papa exercendo suum officium illudit subditis, & illos decipit, & ad illos mentitur, & quod vnum dicit, & aliud vult. Cæterum contra clarum, vsitatum, & commune significatum vocum non habet locum coniectura, vel præsumptio oppositæ voluntatis eius, quam loquens significat se habere nisi loquens sit fraudolentus, mendax, & deceptor. Vbi ergo nouæ literæ Papæ in casu in quo non potest præsumi in eo ignorantia sunt vere contrariæ prioribus, nouum rescriptum ex natura rei, & ex lege naturali, & diuina se ipso derogat priori, absque alterius derogationis indigentia. Et ideo iuxta hanc doctrinam limitanda est communis sententia, vt tunc non sit necessaria specifica derogatio decreti Conciliaris, quando nouum à Papa scienter, vel statutum, vel concessum est vere contrarium decreto illi; quia in hoc casu noua dispositio ex lege naturali, & diuina tollit priorem dispositionem sibi contrariam.

SVMMARIVM.

1 *Decretum Conc. Trid. nu. 663.*
2 *Constit. Pij Quinti. nu. 664.*
3 *Concil. non loquitur de portione Episcopali. num. 665.*
4 *Nec de quarta legatarum. nu. 666.*
5 *De quarta funeralium tria decernit Concilium. num. 667.*
6 *Monasterium tenetur ad quartum si per quadraginta annos ante Concilium eam soluebat. num. 668.*
7 *A quo puncta numerandi isti 40. anni. n. 668.*
8 *Monasteria non solita soluere quartam 40. annis ante Concil. non tenentur ad eam. n. 669.*
9 *Monasteria erecta infra 40. annos ante Concilium vel post non tenentur ad quartam. n. 670. 671.*
10 *Priuilegia qualiter moderata per Concilium. nu. 671. 672.*
11 *Declaratio S. Cong. Concilij. no. 672.*
12 *Constitutio Pauli Quinti. nu. 673.*
13 *Monasteria Monialium gaudent eisdem priuilegijs. n. 674.*

663 QVæritur quarto, an de iure nouo Regulares teneantur ad portionem Canonicā? Respondetur vero nunc standum esse decreto *Concil. Trid. in sess. 25. cap. 13. de reformat.* in quo Concilium hoc statuit. *Decernit Sancta Synodus, vt quibuscumque in locis iam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolui, ac postea fuerit ex quocumque priuilegio alijs Monasterijs, hospitalibus, aut quibuscumque locis pijs concessa, eadem post hac integro iure, & eadem portione, quæ antea solebat, Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ persoluatur, non obstantibus concessionibus gratijs, priuilegijs, etiam Mari Magno Nuncupatis, aut alijs quibuscumque.*

664 Quod decretum Pius V. in Constit. sua, *Et si mendicantium 41. in Bull.* declarauit per hæc verba. Quartā autē funeraliū, de qua *session. 25. cap. 13.* nequaquam soluere teneantur Monasteria, quæ à quadraginta annis citra fundata existunt, postquam Concilium ipsum loquitur tantum de Mona-

nasterijs ante annos quadraginta fundatis, quæ ipsam quartam soluere consueuerunt, & vbi solui consueuit, id tantum ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de missis, seu legatis, vel alijs, fratribus ipsis, seu monialibus huiusmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis, solui debet. sicque intelligi Concilij decretum, quoad quartam huiusmodi soluendam debere decernimus. Vbi vero non est consuetudo soluendi quartam huiusmodi, de nullo suprascriptorum solui debere declaramus.

665 Primo igitur aduertendum Concil. nihil statuere de portione Episcopali, quia hæc est valde distincta à portione funeralium, de qua Concilium loquitur. Vnde quantum ad quartam Episcopalem standum est iuri antiquo, & ab ea Regulares exempti sunt iure communi, quia sunt exempti à iurisdictione Episcoporum, & ex consequenti à quarta, tum primo quia non debetur nisi ab Ecclesijs subiectis, vt probatum est supra huius *inspec. cap. 2. n. 59.* Tum secundo ex iure priuilegiorum, vt patet ex recensitis *quæst. super.* Vnde nullo modo audiendus est *Barbosa in summa Apostolicarum. v. quarta n. 2.* vbi vult, quod Regulares teneantur ad soluendam quartam Episcopalem, si ante Concilium fuerunt soliti illam soluere, Hoc enim ex vi *Concil. Triden.* locum non habet, qui expresse loquitur de quarta funeralium, quæ est quarta Parochialis non vero Episcopalis. Quamuis alias locum habeat ex vi consuetudinis, quæ si incepit quadraginta annis ante Concilium modo erit plusquam centenaria, & sic Episcopus legitime præscripsit obligationem ad quartam, soluendam ab illis Monasterijs, quæ sunt solita eam soluere à quadraginta annis ante Concilium, & vsque ad hæc tempora legitime non præscripserunt contrarium. Vbi tamen ex speciali consuetudine quarta funeralium debetur Episcopo, locum habet Concilij decretum.

666 Sed nec Concilium loquitur proprie de quarta Parochiali, quæ dicitur legatorum, quia neque ista venit sub nomine funeralium. Licet enim legatum sit, quod non debetur nisi sequuta morte testatoris, imo de legato non debeatur quarta Parochialis nisi in quantum est relictum Ecclesiæ in qua testator sepelitur, & intuitu sepulturæ in eadem Ecclesia habendæ; nihilominus non venit sub nomine funeris, & funeralium, vt expresse patet ex *extrauag. inter cunctas de priuil. & ex Clem. Dudum de sepult.* Et quia in priuilegijs antiquis Greg. XI. pro Prædicatoribus, & Sixti Quarti pro mendicantibus, & alijs recensitis à *Casarub.* datur exemptio à quarta legatorum salua obligatione ad quartam funeralium. Quod est aduertendum quia DD. plures vtranque quartam confundunt. Cum vero Concilium non loquatur nec de quarta Episcopali, nec de quarta Parochiali legatorum, quoniam nulla istarum est quarta funeralium, in hoc standum est iuri antiquo priuilegiorum quæ circa huiusmodi quartas nullomodo fuerunt abrogata per Concilium, nec moderata; Vnde ab earum solutione exempti sunt proculdubio Regulares. Aduertit tamen *Nicolius p. 1. l. 4. tit. 15. nu. 26.* pluries fuisse decisum à S. Congregatione Regularium, quod etiam de legatis solui debet quarta vbi sit consuetudo eam soluendi.

667 De quarta autem funeralium tria decernit Concilium. Primum est, quod illam soluere teneantur Ecclesiæ, & Monasteria quæ quadraginta annis ante Concilium solita erant illam soluere, nullo in contrarium obstante priuilegio. Secundum est, quod illam soluere non teneantur Ecclesiæ, & Monasteria, quæ per quadraginta annos ante Concilium illam soluere non tenebantur. Tertium, quod illam soluere non teneantur Monasteria de nouo ædificata infra quadraginta annos ante Concilium, & in quocumque tempore post Concilium. Vnde si attente Concilij decretum inspiciatur apparebit; quod nihil noui continet, nisi quod statuit id, pro Regularibus, quod est de iure communi, nimirum quod Monasteria teneantur ad quartam, si contra illa quadragenaria præscripsit. Quod quia poterat habere difficultatem, & instantiam circa Regulares propter priuilegia, quæ habent, vt non valeat contra eos sola quadragenaria consuetudo, ideo Concilium decreuit, vt in hoc non obstantibus priuilegijs stetur iuri communi, & ideo ad solutionem quartæ teneantur Monasteria contra quos præscripsit quadragenaria, vt ex *cap. de quarta, de præscriptionib.* Et sic quia priuilegium contra quod est præscriptum non suffragatur, iuxta *Rotam dec. 175. n. 9. & dec. 229. n. 4. coram Emin. Ottobono*, ideo priuilegia non iuuant illa Monasteria, contra quos tempore Concilij præscripsit consuetudo. Vnde bene aduertit *Mirand. p. 2. q. 48. a. 7.* quod decretum Concilij iuri communi innititur.

668 Primum ergo assertum est, quod si Monasterium aliquod quadraginta annis ante Concilium solitum erat soluere quartam funeralium, illam soluere teneatur. Sed posset esse difficultas à quo puncto numerandi sint quadraginta anni, de quibus loquitur Concilium. Nam posset quis imaginari, quod huiusmodi anni numerandi essent, vel à tempore inchoationis Concilij, vel à tempore perfectionis illius, vel potius à die conditi decreti, qui fuit 3. Decembris anno 1563. vel potius à die publicationis Concilij, vt aduertunt *Lauor. cap. 3. nu. 183.* & ex eo *Barbos. ad d. cap. 13. sess. 25. Concil. Trid. n. 5.* Et ratio est, quia cum lex non obliget nisi sit publicata, & publicatio sit de substantia legis substantialiter est quid sensibile nimirum voluntas superioris extra subditis manifestata *D. Th. p. 2. q. 90. n. 4.* ideo lex Concilij à die publicationis Concilij vim habere cepit, & ex tunc incepit obligare; igitur ex tunc numerandi sunt isti quadraginta anni de quibus Concilium loquitur. Sed adhuc difficultas esse posset, an accipiendi sint dies isti ab ipsa publicatione decreti facta in Concilio, quæ fuit dies 3. Decembris anni 1563. an potius die 4. eiusdem mensis, in qua *sess.* 25. simul cum toto Concilio fuit terminata, vel magis die 26. Ianuarij 1654. in qua per Pium Quartum ad instantiam Concilij Acta illius fuerunt confirmata & expedita fuit Bulla confirmatoria dicti Concilij: Sub anno 1563. numerat hos annos *Bordon. resol. 51. num. 13.* volens ea Monasteria teneri ad quartam quæ ab anno 1523. erant solita illam soluere. Verum dubitationem omnem aufert *Constitut. Pij Quarti, Sicut ad sacrorum* data 15. *Kal. Aug.* anno 1564. in qua decreuit, quod *Concil. Trid.* inceperat ob-

rat obligate omnes à die prima Maij præteriti einsdem anni,& fic ab eo die accipiendi funt anoi quadraginta ante Concilium; quia Pontifex declarauit, quod Concilium ab illa die incœpit obligare omnes. Ab illo igitur die censetur loqui Concilium, ac si illo die decretum eius factum fuisset,& ideo ab illo die illi anni sunt numerandi, & sic illa Monasteria tenentur ad quartam funeralium, quæ solita fuerunt illam soluere à die prima Maij 1524.

669 Secundum, quod decernit Concilium est, quod Monasteria quæ à quadraginta annis ante decretum Concilij editum die 3.Decembris 1563. non fuerunt solita soluere quartam funeralium,& ex consequenti contra eos oon viget consuetudo, seu præscriptio qusdragenaria ad illam soluendam minime tenentur, sed in sua libertate, & exemptione manutenendi sunt.

670 Tertium est, quod Monasteria erecta infra quadraginta annos ante Concilium, vel post Concilium, si alias habent à Sede Apostolica priuilegium exemptionis, ad quartam funeralium soluendam minime tenesntur. Io his tribus dictis tanquam firmatis per auctoritatem Concilij,& declarationem Pij Quinti conueniunt commnoiter DD. *Rodriq.par.1.q.33. n.12. Azor.p.2.l.9.cap.12. q.16. Mirand.tom.2. q.48.nu.7. Barbof.ad d.cap.13. Concil.Trid.& de Parocho cap.25.n.13. & v. quarta funeralium n.1. Lezana in Mari Magno Carmelit. n.349. & p.2 c.1.n.29. & p.4. verbo quarta. num.5. Bordon.ref.51.nu.13.& 14. Muron.ref.52.nu.12,Samuel disp.3.contron.11.n.8. Anton.à Spir. S. tract.2. disp.3.n.178. Pasqual.ad Laurettum p.1.n.28. Nicol. p.1.d.4.tit.15. n.26. vers. Et generaliter. Rota in Licien.quartæ funeralium 15. Ianuar. 1618. & in Hispalen. 4. funer. 4. Iunij 1590. coram Pamphilio, quæ est 84. ap.Tambur.tom.3.* idem *Tambur.tom.1.disp. 15.q.17. Io.à Cruce p.2. cap.9.dub.5. Caraccia de quarta funer. cap. 1. Peregrin. in compend. priuileg. Theatin.v. Canonica portio, & v. quarta,* & ibidem *Portel. & Casarub.Cespedes dub.164.*

671 Eadem vero dicta confirmata sunt per *constitut. Etsi Mendicantium* 41. Pij Quinti cui in hac parte non fuisse derogatum per *constit.in tanta Greg.13.* dixerunt Rota in *d.Licien.n.6. Gutierez.de iuram.confirm.1.p.c.4. n.3.Lezana v.quarta n.6.Moron.resol.52.n.15. Barbosa de Parocho c.25.n.14. & ad Concil.Trid.sess.25.cap.3.n.4. Caraccia de quarta fun.cap.1. Pasqual.ad Laur.de Franchis q.70.n.2.p.2. Petrus Franciscus Tondutil. 99. beneficiol. cap. 88. n.14.* Quidquid in contrarium dixerint *Bonac.de contrac.disp.3.q.32.punc.2.& Tascus de visitat lib.1. cap. 25.n. 8.& 14.* Nam io hac parte decretum Pij Quinti non est aliud à decreto Cooeilij, sed illi conforme, & iure communi, & priuilegiotum; Alias enim Concilium solum reuocauit priuilegia quatenus quis eis vellet vti, ad tollendam consuetudinem soluendi qnartam iam per quadraginta annos ante Concilium præscriptam, & obseruatam, & ideo *Moron.resol.52.n.14.* dixit, quod Concilium in hac parte non condidit nouum ius. *Lezana vor.verbo v.quarta n.4.* dixit quod priullegia Regularium fuerunt moderata per Concilium, Quod est verum solum pro quanto noluit ea valere contra consuetudinem obseruatam à quadraginta annis ante Concilium ipsum, vt dixit idem *Lezana ad Mare Magnum Prædic. nu.95.* Cæterum, quod antiqua priuilegia non fuerint per *Concilium Trident.* absolute reuocata tanquam decisum à S. Congregatione tradiderunt *Lauor. cap.3.num.183. Barbof.ad cap.13.sess.25.n.5. Concil.Trid. & ex Catechesi Neap.fol. 302. & Sorbo fol. 451. Quaranta in v. priuil. Regularium §. Dum ad vberes. in fine pag.mihi 416.* & alij DD. *n.645.& 670. citati.* Sed quod dicta declaratio Pij Quinti non sit reuocata, sed solum ad terminos Concilij Tridentini reuocata, collegit Caraccia ex sequenti declaratione S.Cong. Concilij. *Congregatio Concilij censuit Regulares ad audiendas in Ciuitate, & Diœcesi secularium confessiones semel ab Episcopo prauio examine approbatos iterum ab eodem Epis.non esse examinandos. Cæterum à successore posse vtique examinari iuxta Constit. sanctæ mem.Pij Quinti datam 8. Id. Aug. Pontif. anno 6. quæ à felic. record. Greg. 13.non est reuocata per reductionem priuilegiorum Regularium ad terminos Concil. Tridentini.* Ex hoc enim regula habetur, quod in ijs in quibus constitut. illæ Pij Quinti de quibus loquitur Greg.XIII. in sua Constit.*In tanta* non repugnant Concilio Tridentino, sed competebant Regularibus ex vi priuilegiorum quæ non fuerunt reuocata per Concilium, non fuerunt reuocatæ, sed solum ad terminos Tridentini redactæ.

672 Sed io puncto nostræ assertionis, quod non fuerit derogatum antiquis priuilegijs,& quod præcisa consuetudine soluendi quartam funeralium obseruata 40. annis ante Concilium de reliquo Monasteria, vel antiqua in quibus non viguit dicta consuetudo, vel de nouo ab anno 1523. erecta,& in futurum erigenda sint exempta à solutione quartæ funeralium declarauit eadem S. Cong. Concilij pluries: Habetur enim apud quarantam in verbo Priuilegia Regularium ex *Rodriq.p. 1.q4. 39.* & quam referunt etiam *Tambur.tom 1. disp.15. q.17.n.15. Mirand.p.2.q.48.n.7.* declaratio sequentis tenoris. *Congregatio Concilij censuit non comprehendi Monasteria ædificata à quadraginta annis citra, aut quæ in dies ædificantur, vel in futurum ædificabuntur, præsupposito, quod huiusmodi Monasteria sint eius Religionis, cui à Sede Apostolica indultum sit, vt quartam funeralem non debeant soluere Episcopo.* Extat etiam declaratio quam refert quaranta ibid. & quam habes supra recensitam nu. 658. In qua eadem S. Congregat. declarauit priuilegium Minimorum de noo soluenda quarta, non fuisse per Concilium reuocatum. De qua re refert aliam eiusdem Sac. Congregat. declarationem *Tambur,* vbi supra in hæc verba. *Congregatio Concilij censuit huiusmodi priuilegijs ante quadraginta annos ante Concilium, vt proponitur concessis, minime derogatum esse eiusdem Concilij decretis.* Qualiter vero in vi dictarum declarationum pluries ab ordinarijs fuerit iudicatum ad fauorem Regularium refert *Miranda d.q. 48. nu.7.*

673 Sed, & per Summos Pontifices fuit ita determinatum, & confirmata fuit declaratio Sac, Congregat. Concilij. De hoc enim extat Constitut. Pauli Quinti, quam referunt *Tambur. vbi supra nu.16. & Lezana ad Mare Magnum Carmelit. nu. 353. & in Bullar. Rom.est 4.* inter Pauli Quinti Constit. in qua hæc habentur. Cum autem quæreretur, an eadem postea à quadraginta anois ædificata,

ficata, deberent dictam quartam soluere, venerabiles Fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Decretorum dicti Concilij interpretes censuerunt, Monasteria ædificata à quadraginta annis citra non teneri ad solutionem quartæ funeralium huiusmodi, si modo sint eius Religionis, cui à dicta Sede ante quadraginta annos indultum sit, vt eamdem quartam non teneantur soluere Episcopo. Quare, ne dicti ordinis Carmelitani Monasteria seu domus in diuersis mundi partibus à quadraginta annis ædificata indebite cogantur soluere dictam quartam funeralium eorumque indemnitati prospicere cupientes, ac tenores literarum concessionum huiusmodi forsan confectarum præsentibus pro expressis habentes, dilecti filij Procuratoris Generalis dicti ordinis Carmelitani illius nomine nobis porrectis supplicationibus adducti, volumus, mandamus, decernimus, & declaramus omnia, & singula huius ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Monasteria, seu Domos in quibuscumque Mundi partibus à quadraginta annis ædificata illorumque Conuentus, & fratres nullo modo, nullaue ratione teneri ad solutionem dictæ quartæ funeralium, & ob non solutionem huiusmodi aliquas sententias, censuras, & pœnas incurrere posse. Inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, ac alijs quos id concernit, ne ab ipsis fratribus Monasteriorum, seu Domorum à quadraginta annis ædificatorum dicti Ordinis Carmelitani quartam funeralium huiusmodi quoquo modo exigere, aut eos desuper molestare audeant seu præsumant. Quod si quis contradicere præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, nouerit se incursurum.

674 Extenduntur vero præfatæ assertiones etiã ad Monasteria Monialium, vt nimirum nec illa teneantur ad soluendam quartam funeralium nisi ea vi consuetudinis obseruatæ à quadraginta annis ante decretum Concilij. *Barbosa de Paroch. cap. 25. n. 5. Portell. v. Canonica portio c n. 8. Hieron. Rodriq. res. 18. n. 18. Cespedes dub. 154. n. 19. Nicol. to. 1. c. 4. tit. 15. n. 26. vers.* Et omnes. *Samuel disp. 4. contr. 2. n. 23.* Lezana *v. quarta n. 8.* Monasteria enim Monialium gaudent suorum ordinum priuilegijs, & vt aduertunt *Portel. vbi supra*, & ex eo *Barbosa* per Pium Quintum fuit hoc declaratum in *Constit. 41. Et Mendicantium §. 11.*

SVMMARIVM.

1 *Quantitas soluenda iuxta consuetudinem, num. 675.*

675 QVæritur tertio, quota sit quarta funeralium quam modo de facto soluere debent Regulares, vbi eam soluere teneantur. Respondetur, quod quantum ex Concilio habetur standum est consuetudini, vt nimirum Monasteria tantum soluant quantum solita fuerunt soluere à quadraginta annis ante Concilium. Et ideo sicut de iure communi antiquo *cap. Certificari*, de sepulturis consuetudini standum erat, vt solueretur medietas, vel tertia, vel quarta ita hoc idem seruandum est vbi Monasteria Regularium consueuerunt soluere portionem funeralium.

SVMMARIVM.

1 *De quibus soluenda quarta. nu. 676.*
2 *Constitutio Pij Quinti, etsi mendicantium, &c. non reuocata, vt est declaratio Concilij. nu. 677. 681.*
3 *Constitutio reducta ad terminos iuris antiqui viget in ijs quæ antiquo iuri consonant. nu. 678.*
4 *Quarta est restricta ad funeralia. nu. 679.*
5 *Quid nomine funeralium. 679. 680.*
6 *Quid iustitia Parochialis. nu. 682. 683. 684.*
7 *Priuilegia concedentia exemptionem à quarta non continent clausulam salua iustitia, &c. nu. 683.*
8 *Clausula salua iustitia, &c. non obstat. n. 684.*
9 *Quarta non debetur de legatis. nu. 685.*
10 *De quibus alijs debeatur. n. 686.*

676 QVæritur quarto de quibus rebus modo Regulares teneantur soluere portionem Canonicam vbi ad eam soluendam teneantur. De hoc sic decernit Pius Quintus in *const. Etsi Mendicantium 41. §. 11. Et vbi solui consueuit, id tantum ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de missis, seu legatis, vel alijs, fratribus ipsis, seu monialibus huiusmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis, solui debet, sicque intelligi Concilij decretum, quod quartam huiusmodi soluendam debere decernimus. Vbi vero non est consuetudo soluendi quartam huiusmodi, de nullo supradictorum solui debere declaramus. In Const.* etiam *Ad hoc*, quæ fuit data ad fauorem Prædicatorum die 23. Decembris 1571. *& in Bullar. Rom.* habetur annexa *sub n. 41.* Postquam retulit multa priuilegia concessa ord. Prædicat. & illa confirmauit §. 7. *ad rem præsentem subdit* §. 10. ibi. Quartam autem funeralium, quoad domos, siue Conuentus, & Monasteria ipsius ordinis, tempore dicti Concilij Tridentini, ante quadraginta annos fundata, & erecta, & ratione illorum vbi consuetudo illam soluendi tantum extitit, ac de ceris, & alijs, quæ deferuntur iuxta cadauer dum ad sepulturam defertur non autem de alijs quibusuis eisdem Fratribus, seu Monialibus, aut eorum domibus, Conuentibus, Monasterijs, *Ecclesijs*, & locis, etiam pro funeris siue Anniuersarij, aut Missarum celebratione donatis, legatis, siue alias quomodolibet largitis, & vbi duæ quartæ forsan solui consueuerint, vna scilicet Parochiali *Ecclesiæ*, alia vero Episcopo, siue Cathedrali, aut Collegiatæ Ecclesiæ, siue Canonicis, & Capitulo eiusdem, vna tantum, scilicet Episcopo, vbi vero consuetudo illam soluendi non fuit, siue domus, Conuentus, & Monasteria dictorum Fratrum, & Monialium, post quadraginta annos erecta siue fundata fuerint, nequaquam nec vllo modo soluere, seu tradere, omnem aliam præmissis contrariam consuetudinem, siue morem, harum serie cassantes, & extinguentes, ac omnibus, & singulis quorum interest desuper perpetuum silentium imponentes.

677 Quod vero disposita in his Constit. non obstante *Constit. Intanta 9. Gregor. XIII.* subsistant, & vim habeant, & pro hac parte non sint derogata sicut

ea ficut bene dixerunt DD: fupra citati, Iterum probatur primo, quia dictæ conftitutinnes inquantum funt declarationes Concilij Tridentini non funt abrogatæ *Mirand.d.ar.*7. Quod manifefte conuincitnr ex natura declarationis legis; declarare enim nihil aliud eft quam aperire, feu manifeftare fuper aliqua lege Intellectum, fen fenfum, quem habuit Princeps in legis editione, quando lex eft obfcura, & erratur in eius intellectu *Paul.de Caftro conf.*339.*in alleg.ad concil.*340.*col.*1. *Fagnan.ad cap. Quoniam n.* 17. *de Conftit.* Ideo qui declarat nihil de nouo agit, vt ex *l. Haredes palam. ff. de teft. & not.cap. Cum tu de vfur.* habet *Panorm. in cap. ex parte n.*4. *de confuetud.* Vbi *Addent. Anellus* pluribus DD. id confirmat. *Felin. in cap. fuper quaftionum n.*1. *de aff.de leg. Dec.in l.edita n.*47. *C.de eden.* Quos fequitur *Rata dec.*418.*n.*2.*p.*1.*Recent.* Vnde quæ veninnt per mudum declarationis non funt noua, fed legi antiquæ declaratæ inerant, & infunt, & declaratio hæc manifefta, & difconperit. *Et* inde eft, qnod retro trahitur ad tempus difpofitionis; *l. affe tata* 77. *de har. inft. l.fi ita fcripfera ff. de cond.& demon. Io.And.ad fpeculat.tit.de tefte.§.nunc videndum lit. Q. ver.fimilib. Socin.conf.*23.*n.*10.*l.*4. cum alijs apud *Surd.dec.*29.*n.*4. *&* 69.*num.*2. *Rata dec.*502.*n.*15. *par.*1.*Recent.* Ideo Illuftriffimus Fagnanus loquens de declarationibus Concilij editis à S. Cong. Concilij loco citato nu.2. vult quod ille effentialiter non fint nifi decreta Cōcilij declarati male quidem ab aliquibus intellecta, fed explicatione dilucidata, & clarificara vnde deducit eas habere eandem vim obligandi perinde, ac decreta ipfa declarata. Quod expreffe affeuit *Paul. de Caft.conf.* 379.*num.*5. *l.t.* vbi ait vim omnem, quæ ineft difpofitioni declaratæ etiam ineffe illins declarationi. De qua re videri poffunt DD. plurimi apud *Tufcum l. D. concl.* 86. *& Barbofam Axiom.* 66. Itaque igitur Conftitut. iftæ Pij Quinti quatenus funt declarationes Concilij Tridentini, vel iuris communia non funt nifi ina ipfum commune, & decreta Concilij Trident. Quibus nedum non derogat Gregor. XIII. fed illa confirmat cum ad eorum terminos dictas conftit. reducit. Quantum autem ad rem præfentem in qua difputatur de qua re quarta folui debeat, Pius Quintus declarat, non vero aliquid de nouo indulget, vt patet ibi *ficque intelligi Concily decretum.* Et ibi, *de nulla praditiorum folui debere declaramus.* Nequit igitur dici, quod huiufmodi Pij Quinti Conftitutio non maneat in fua vi, & vigore quanrum ad hanc partem, quæ cum fit declaratio à Papa tributa non continet nifi antiquum decretum *Concil. Triden.* quod effe feruandum præcipit Greg. XIII.

678 Accedit ad hoc alia confideratio, quod nimirum conftitutio non quidem fimpliciter abrogata, fed ad terminos iuris communis, aut antiquioris reducta; in ijs in quibus congruit iuri antiqoiori ad cuius terminos eft reducta manet in fui vigore, & vim legis habet dans ijs, quæ funt antiquioris iuris, maius robur. Sic licet io *Clementina Dudum de fepulturis*, reducta fuiffet, imo omnino caffata Extrauagans *inter cunctas*. *Bened. XI. de priuil.* & fuerit confirmata conftit. fuper Cathedram Bonif. Octaui; Nihilominus extrauag. illa Inter cunctas caffata repofita fuit in corpore iuris in tit. de priuilegijs, quia non cenfetur caffata in ijs, quæ non funt contraria Conftit. Bonifac. Octaui, & *d.Clem. Dudum*, vt aduertit *Bordon. ref.*51.*n.* 18. & iden eft obferuanda, & in fignum, qnod eft obferuanda eft inferta intra alias leges, & paffim à Canoniftia citatur, & fic iuri antiquiori maius robur tribuit, illudque magis confirmat. Sic ergo, & Conftitutiones præfatæ inquantum conueniunt com iure communi, vel Concilij Tridentini, & illud explicant non funt infirmatæ, fed in fuo robore maoent, & quatenus confirmant priuilegia antiquiora non reuocata per Concilium, aut per aliam conftitutionem Apoftolicam vim habent, & funt feruandæ, & illia maius robur tribuitur, & non minus, quam fi quoad alia non fuiffent abrogatæ. Quod maxime verum eft, de huiufmodi Conftit. quæ à Greg. XIII. fub hac verborum forma reducta fuere ad ius antiquius, fcilicet, *eā deinceps difpofitionem atque decifionem pro fubiecta materia futuram effe, quæ fiue ex iure veteri, fiue ex facris dictis Concily decretis, fiue alias legitime ante dictarum literarum, & conftitutionum editionem erat, & fi ipfæ nō emanaffent futura fuiffet, ad quam difpofitionem, & decifionem fuumque priftinum, & integrum ftatum, ac terminum omnia illa reducimus.*

679 Hoc vero præmiffo, confiderandum eft, quod licet de iure antiquo præcifis priuilegijs Parochis deberetur quarta nedum de funeralibus, fed etiam de legatis factis Ecclefiæ fepulturæ, tamen nedum ex priuilegijs, fed ex generali confuetudine Ecclefiæ quarta reftricta fuit ad funeralia, & ceffauit obligatio foluendi quartam de legatis, & fic folum quarta funeralium debetur. *Card. in Clem. Dudum, de fepult. §. Verum nu.*7. *Couar.cap. final.n.*6. *de teftamen. Rodriq.tom.*1.*q.*39.*a.*2.*fin. Mirand.to.*2.*q.*48.*a.*8. *Molina tract.*2.*difp.*217. *Rota in Elnen. Iurium Parochialium nu.* 3. *qua eft* 85. apud *Tambur.to.*3. & habetur etiam apud Lezan. ad *Mare Mag. Prad. n.* 134. Funeralia vero de iure antiquo etiam non fe extendebant vltra diem fepulturæ, nec extra ipfam actionem, & tempus funerandi, vt probatum eft fupra à nu. 489. Et certe idem *Card. & Couar.* retulerunt huiufmodi funeralia ipfa etiam confuetudine reftricta fuiffe ad ea, quæ deferuntur cum funere, & quæ offeruntur quando funus eft in Ecclefia, quem modum interpretandi funeralia fequuti funt plures *d. nu.*480. citati, per funeralia intelligentes quæ in die funeris, vel in funere offeruntur. Sed *Syluest.v.Canonica portio nu.* 15.*verf.*3. dixit de confuetudine introductum fuiffe, vt quarta daretur non de omnibus illis quæ ratione funeris offeruntur, fed quæ funus comitantur, *Gloffa vera ad d.Clem. Dudum, ver.funeralibus, & Panorm. n.*40. quos fequuti funt quam plures *d. nu.* 489. per funeralia intelligunt ea, quæ cum funere deferuntur. Has vero fententias poffe conciliari dixi fupra nu. 499. vt fic per funeralia intelligantur quæ vel fimul cum cadauere deferuntur, vel durante funere, & pro funere offeruntur.

680 Et videri poffet, quod huiufmodi concordia confona effet declarationi fanctæ memoriæ Pij Quinti. Hæc enim funt eius verba in *Conft. Et fi Mendicantium §.* 11. *Id tantum cera, & aliorum quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore quo defunctorum corpora ad fepulturam deferuntur.* Hic enim primo notandum quod hæc difpofitio non fe reftringit ad ceras, fed amplectitur omnia, quæ deferri

deferri contingerit: Secundo est aduertendum, quod non dicit quæ deferuntur, sed quæ deferuntur tempore quo deferuntur corpora ad sepulturam, Hoc vero tempus ambit totum tempus exequiarum, seu actionis per quam corpus à propria domo ad sepulturam defertur. At vero in hoc tempore deferri censetur quidquid ad funus spectat, tum quia per accidens est, quod prius adsint, Tum quia ad tempus sepulturæ spectat, quidquid pro actuali sepultura defertur, & confirmatur, quia dispositio illa Sancti Pontificis facta fuit ad subleuandum mendicantes à grauaminibus, quæ à Clericis recipiebant, & quæ idem Pontifex describit, in hoc vero grauabantur, quod cogebantur soluere quartam de missis, & legatis, aut quomodocumque relictis, vt patet §. 1. nu. 11. ibi. *Quidam vero quartam funeralium extendere volunt etiam ad missas legata, & alia quacumque, quæ domibus Regularium relinquuntur.* Et ibidem in Constit. quæ incipit *Ad hoc* §. 5. ibi. *quartam, seu aliam portionem etiam quorumcumque legatorum, & seu aliarum piarum largitionum ipsis Fratribus, & Monasteribus, siue eorumdem domibus, Ecclesijs, & locis qua quomodo factarum.* Ex his enim apparet, quod grauamina illa consistebant in hoc, quod Regulares cogebantur ad quartam missarum, legatorum, vel etiam piarum quarumcumque largitionum. Vnde colligitur mentem Pontificis volentis defendere Regulares à grauaminibus illatis fuisse decernere, & declarare, quod ipsi non teneantur ad quartam Missarum, aut legatorum, aut aliarum largitionum quæ non pertinent ad funeralia, nimirum quæ non offeruntur tempore, & causa actualis funeris. Verum huic sensui nimis expresse repugnat determinatio eiusdem Pontificis in d. Constit. Ad hoc, quæ data fuit post Constit. Et si mendicantium, & ad declarationem illius. Nam in *d. Const. Ad hoc* §. 10. sic habetur, *ac de ceris, & alijs, quæ deferuntur iuxta cadauer dum ad sepulturam defertur, non autem de alijs quibusuis eisdem fratribus seu Monialibus, aut eorum domibus, Conuentibus, Monasterijs, & locis, etiam pro funeris, siue anniuersarij, aut Missarum celebratione donatis, legatis siue alias quomodocumque largitis.* Hic enim nedum Pontifex expresse decernit, quod non debetur quarta nisi de illis quæ deferuntur iuxta cadauer, sed expresse excludit alia largita pro funeris celebratione, vnde manifestus sensus eius est, quod non debetur quarta nisi de illis, quæ comitantur totum funus, & quæ iuxta defuncti corpus, & simul cum eo ad Ecclesiam deferuntur. Et in hac nihilominus dispositio eius non continet nisi ius antiquum iure communi, & consuetudine robboratum, sed à se declaratum. Et propterea supra ex hoc præfusi alijs eam sententiam quæ per funeralia intelligit ea quæ cum cadauere deferuntur. Quamuis in hoc standum sit consuetudini, & legibus specialibus locorum.

681 Cum igitur hæ constitutiones non contineant nisi ius antiquum consuetudine etiam roboratum, quod erat vt nulla quarta deberetur de legatis, & de funeralibus (vbi solui debebat) non solueretur nisi de illis, quæ cum funere deferuntur, non potest dici, quod quoniam ad hanc partem illæ sit abrogatæ, quia imò sunt confirmatæ cum sint reductæ ad terminos iuris, quod vigebat tempore illo in quo editæ fuerunt. Bene scio, quod *Rota dec. 728. n. 2. p. 3. recent.* loquens de his priuilegijs, quæ concessit Pius Quintus in d. Bulla, & si mendicantium docet, quod priuilegium redactum ad terminos iuris perinde est, ac si non emanasset, vt fuit resolutum in causa *Albanen. beneficiorum coram Emmentissimo Card. Lancellotto*, & in causa *signia Castrorum coram Buratto*, & alias sæpius. Sed hoc est verum quantum ad eam partem in qua priuilegium est abrogatum, non vero pro ea parte in qua est conforme antiquiori iuri, quia pro ea parte magis est confirmatum, & ius illud antiquius etiam ex vi constitutionis ad illud reductæ debet obseruari, quia non est ex ea parte reuocata.

682 Hinc deducitur quomodo debeat intelligi clausula illa salua Iustitia Ecclesiarum. Nam per iustitiam Parochialium Ecclesiarum intelligendam esse quartam dixerunt *Rota in Vallisolet. funeralis 19. Aprilis 1626. & in Licien. quarta funeralium 15. Ianuarij 1618.* quæ sunt apud *Tambur. tom. 3. 83. & 84. Lezana ad Mare Magnum Præd. n. 153. Bardon. ref. 51. n. 9.* Propterea si contingat, quod in Priuilegio aliquo addi clausula salua iustitia Ecclesiarum, quod illud non suffragatur ad effectum exemptionis à solutione quartæ dixerunt *Barbos. de Parocho cap. 25. n. 10. & ad cap. 13. Can. sess. 25. n. 5. Conc. Trid. & Tambur. tom. 1. disput. 25. q. 17. nu. 11.* Quod adeo verum esse sentire videtur *Rota in d. Vallisolet.* vt etiam si in priuilegio expresse concedatur exemptio à solutione quartæ, nihilominus ex vi illius clausulæ salua iustitia Ecclesiarum exemptio fit inualida.

683 Sed primo dico, quod licet sub illa clausula contineatur etiã ius ad quartam, tamen illa vniuersalior est, & comprehendit omne ius Parochiale, & excludit omnia illa, quæ sunt iuris Parochorum priuatiue ad alios, vt est ius ministrandi Eucaristiam in Paschate, viaticum, & extremam vnctionem, assistendi matrimonijs, leuandi cadauera mortuorum, vt Parochi non excludantur à mortuorum exequijs, & alia quæ Parochis competunt priuatiue quoad alios. Iustitia enim Parochialium Ecclesiarum absolute prolata omnem iustitiam illarum comprehendit, & sic non conuertitur adæquate cum iure ad quartam funeralium, sed in plus se habet. Deinde dico secundo, quod videndum est vbi, & quando, & ad quod propositum in priuilegijs apponitur clausula salua iustitia Ecclesiarum Parochialium. Hæc enim clausula apponi consueuit in priuilegio concessionis sepulturæ, vt in priuilegio Greg. XI. seu Maris Magni Prædicatorum §. 28. apud *Lezanam*, & in Mari Magno Minorum §. 30. & Augustinianorũ, §. 24. & Carmelitarum §. 57. Seruitarum, §. 2. Verum simul attendendum est, quod in istis priuilegijs est quidem exemptio à quarta legatorum, sed non à quarta funeralium, in Mari Magno enim non continetur omnimoda exemptio à quarta funeralium, sed Sixtus Quartus declarauit, quid soluendum esset pro quarta, & censuit iustitiam Parochialium Ecclesiarum intelligendam esse, vt habeat locum in ijs solis casibus in quibus per Prædecessores suos nõ fuerant fratres ab eadem quarta excepti, vt patet apud *Lezanam* in Mari Magno Prædicatorum, §. 42. & Minorum, §. 41. Augustinianorum, §. 48. &

Carme-

Carmelitarum, §. 58. Vnde nihil mirum ſi in ſui priuilegijs ponitur clauſula ſalua iuſtitia Eccleſiarum Parochialium, quia non conceditur omnimoda exemptio à ſolutione portionis Parochialis, niſi in Mari Magno Carmelitarum ob priuilegium Nicolai Quinti, quod habetur §. 17. in quo tamen non adeſt clauſula, ſalua iuſtitia. Sixtus vero IV, in §. 57. ſic priuilegium libertatis ſepulturæ contentum in *d. Clemen. Dudum, & per Io.* 22. extenſum ad Carmelitas, & ipſis extendit, quod tamen expreſſe aſſerit quartam, non deberi in aliquo ex ijs caſibus, in quibus à prædeceſſoribus ſuis ab eius ſolutione fuerunt exempti. Sic ergo clauſula illa ibi adeſt, vbi Pontifices exemptionem à ſolutione quartæ non conceſſerunt. Et ideo *Rota in d. Vallisolet.* priuilegium Gregor. XI. melius excluſiſſet dicendo, quod non concedit exemptionem à quarta funeralium ſed à legatis, quam dicendo, quod in eo eſt clauſula ſalua iuſtitia, &c. Cæterum in priuilegijs Nicolai Quinti pro Carmelitis, & Iulij II. pro Minimis, & Pauli Quarti pro Prædicatoribus in quibus conceditur abſoluta exemptio à ſolutione quartæ funeralium, non inuenitur clauſula ſalua iuſtitia, &c. Imo aduertendum valde, quod in priuilegio Iulij Secundi ſupponitur, quod tunc temporis huiuſmodi exemptio competeret Mendicantibus, vt patet apud *Peyr. in conſt. 1.* Iulij Secundi, §. 28. & hoc extenditur ad Minimos in §. 30. & eiſdem poſtea expreſſe conceditur in §. 33. Et eodem modo in priuilegio Pauli IV. pro Prædicatoribus, ſupponitur in narratiua, quod huiuſmodi exemptio competeret eidem ordini, & poſtea confirmantur priuilegia antiqua, & ſubſequenter expreſſe eadem exemptio conceditur. In priuilegio quoque Eugenij IV. pro Caſſinen. & eiuſdem pro Cœleſtinis, vt videre eſt apud *Rodriq. in Bull. Conſt. 12. & 18.* non ponitur clauſula ſalua iuſtitia, &c. ſed abſolute exemptio ab omni, vel portione vel iuſtitia Parochiali conceditur. Et ſic apparet, quod vel vbi ponitur illa clauſula Pontifices non conceſſerunt exemptionem à quarta funeralium, vel ſi conceſſerunt eam clauſulam non poſuerunt,

684 Et nihilominus quatenus daretur priuilegium in quo eſſet appoſita clauſula ſalua iuſtitia Parochialium Eccleſiarum, & tamen in eo expreſſe concederetur exemptio à ſolutione quartæ funeralium, valeret exemptio, & clauſula illa deberet intelligi de alijs iuribus Parochialibus, aliter conceſſio illa, & expreſſio eſſet inutilis, & Pontifex priuilegij conceſſor, & expreſſe talem exemptionem concedens, ſi conceſſio non ſubſiſteret, eſſet deceptor, & mendax, & aliud loquens, & aliud volens, quod nullo modo eſt admittendum. Pro contraria vero ſententia adducitur *Rota in d. Vallisolet. n. 3.* Vbi tamen hoc expreſſe non habetur. Et quatenus haberetur in contrarium ſentiunt *Rota in Cesaraugus. Camerar. 26. Nouem. 1632. n. 12.* vbi habet quod clauſula ſalua Canonica Epiſcopi licet locum habeat vbi materiæ ſunt compatibiles cum expreſſis in conceſſione, non poteſt tamen tollere expreſſe conceſſa, vt per *Oldr. conſ. 330. fin. Pariſ. conſ. 70. num. 12. l. 1. Put. dec. 183. l. 3. Menoch. conſ. 2. n. 17.* Vnde vbi Priuilegium expreſſe concedit exemptionem à quarta funeralium, priuilegium viget illa conditione minime obſtante *Barboſa de off. Parochi cap. 25. n. 19.* & apud eum *Coccinus in voto ſuo dato in d. Vallisolet. Tambur. de iure Abb. to. 1. diſp. 25. q. 17. n. 12.* Sic ergo priuilegia concedentia expreſſe exemptionem à quarta funerali clauſula illa non obſtante vigent, & ſolum debet attendi ne contra illos præſcriptum ſit vel per quadraginta annos ante Concilium Tridentinum, vel per aliam conſuetudinem, ac præſcriptionem ſit illis derogatum. Nam in terminis Concilij Tridentini ſunt confirmata etiam per Paulum Quintum in Breui ſupra nu. 673. relato.

685 Hinc pro reſolutione totius quæſtionis colligitur primo, quod nulla quarta debetur de legatis, ab hac enim Regulares, & priuilegijs, & iure communi, & conſuetudine exempti ſunt, vt ex dictis eſt manifeſtum. Colligitur ſecundo, quod vbi etiam quarta funeralium ſit ſoluenda nulla quarta debetur de illis, quæ non ſpectant ad funus, ſed poſt illud offeruntur, quod eſt verum, & de iure communi, & de conſuetudine, & ex priuilegijs, vt pariter eſt probatum tam ſupra à nu. 490. quam in hac quæſt. Et ſic quarta non debetur nec de anniuerſarijs, nec de ſeptimo, vel trigeſimo, vel de illis, quæ per annum vel aliud tempus à die funeris Eccleſiæ ſepulturæ offeruntur, nihil enim ex iſtis ſpectat ad funeralia. Colligitur tertio, quod vbi quarta ſit ſoluenda, nunc iam ſolui non debet, niſi de illis, quæ cum funere, ideſt cum corpore deferuntur, vel ad ſummum vbi ſit conſuetudo vel lex ſpecialis de illis quæ offeruntur dum funus actu in Eccleſia celebratur pro corpore ſepeliendo,

686 Eã autem quæ cum corpore deferuntur numerat *Caraccia de quarta fun. cap. 3.* & ſunt ſequentia. Primo ſcilicet candelæ quæ dantur ad munus aſſociantium funus. Secundo intorſtitia accenſa circa crucem, & cadauer. Tertio indumenta nigra quibus induuntur pauperes portantes intorſtitia. Quarto indumenta cadaueris, & feretri. Quinto libri, arma, & ſimilia inſignia ſacerdotij, doctoratus, aut militiæ. Quinto modia frumenti, vel vaſa vini in aliquibus partibus; ſentit vero ipſe, de iſtis non deberi quartam, niſi de intorſtitijs, quæ accenduntur circa cadauera. Et quidem de candelis, aut intorſtitijs, quæ dantur ad manus Religioſorum non deberi quartam eſt communis ſententia, quia ſunt exceptuata, vt probatum eſt ſupra num. 496. Certum quoque eſt, quod quæ non remanent Eccleſiæ ſepulturæ non ſubijciuntur quartæ, ad quam ſoluendam Eccleſia ſepulturæ obligatur. *cap. Cum liberum, cap. In noſtra de ſepulturis.* Vnde ſi libri arma, &c. redeunt ad hæredes de eis non ſoluitur quarta. Sicut nec de veſtibus pauperum, quæ non Eccleſiæ, ſed illis donantur. Si etiam conſuetudo ſit alicubi, vt non detur quarta de frumento, vino, &c. quæ deferuntur cum funere, conſuetudo eſt ſeruanda. Cæterum etiam ex vi Conſtit. Pij Quinti quarta ſolui debet nedum de ceris, ſed de alijs, quæ cum funere deferuntur, vt ex verbis illius eſt manifeſtum. Nec obſtat, quod ex decreto *Concil. Prouinc. Mediolan.* veſtes quibus nobiles cooperiunt feretrum remanere debeant Eccleſiæ ſepulturæ; quia imo ex hoc illa Eccleſia debet ſoluere quartã, ſi nõ eſt Parochialis, quia Eccleſia ſepulturæ debet quartã, ſi nõ eſt Parochialis, de illis quæ illi ex funere obueniunt. Nec confundi debent legata cum funerali-

 bus, de

bus, de legatis enim pauperum, aut pro ornamento Ecclesiæ de iure communi non debetur quarta, sed oblatis Ecclesiæ pauperi ratione funeris, si deferantur cum funere quarta debetur, si quarta solui debet, vel consuetudo non sit, vt de aliquo quarta non soluatur.

SVMMARIVM.

1 *Præscriptio contra priuilegium probanda. num.* 687.
2 *Non sufficit præscriptio minor quadragenaria. nu.* 687.
3 *Ad præscribendum contra Regulares requiritur sexagenaria, imo centenaria. nu.*688.
4 *De iure communi ad præscribendum contra priuilegium quartæ habens decretum irritans non sufficit quadragenaria. nu.* 689.

687 QVæritur sexto, qualiter, & per quam præscriptionem possit derogari priuilegijs Regularium eximentium eos à solutione portionis Canonicæ siue Episcopalis, siue Parochialis. Primo autem notandum occurrit, quod in causa manutentionis vbi pro Regularibus constet de priuilegio allegante præscriptionem Parocho manutentio debetur Regularibus, quia priuilegium non habet tantam iuris resistentiam quantam præscriptio ex *Seraph. dec.* 595. *nu.* 2. *&* 3. voluit *Sanligerius p.* 1. *quæst. benefic. cap.* 85. *nu.* 17. Duo autem quæri possunt, an scilicet sit necessaria quadragenaria, & secundo an illa sufficiat. Ad primam autem partem dicitur non sufficere consuetudinem, aut præscriptionem minorem quadragenaria, quia minor non requiritur ad hoc, vt Ecclesia præscribat contra Ecclesiam. Nam hæc præscriptio est contra ius, cum sit contra priuilegia, ideo non sufficit minor quam quadragenaria. Quod confirmatur ex Concil. Tridentino, quod volens consuetudinem attendi in solutione quartæ funeralium, & nolens præiudicium fieri priuilegijs nisi vbi consuetudo contrarium præscripserit, consuetudinem quadragenariam, non vero minorem approbauit, & inde est, quod licet aliquis Conuentus semel, bis, tertio, quarto & pluries cum vere non teneatur soluere, nihilominus quartam soluerit, non perdit exemptionem, quia renunciatio priuilegij, & ius Ecclesiæ non potest fieri à non habente potestatem ad id faciendum, quales sunt omnes priuatæ personæ, & contra ius Ecclesiæ non præscribitur nisi per quadragenariam per ea, quæ notantur in *cap. fin. de confessis*, & tradunt *Pacorm. in cap. Cum accessissent nu.* 6. *&* 8. *de constitut. Felin. ibid. n.* 9. *Donat. in praxi p.* 1. *tr.* 15 *q.* 50. Et in terminis *Rodr. tom.* 3. *q.* 46. *a.* 5. *Hier. Rodr. ref.* 18. *nu.* 20. *Lezana ad Mare Magnum Carmel. a.* 351. *Anton. à Spir. Sancto tr.* 3. *disp.* 3. *n.* 149. *Portel. v. Canonica portio. Samuel pag.* 159 *n.* 88.

688 Sed an sufficiat quadragenaria potest dubitari, quoniam ex quo *Concil. Trid.* obligauit ad soluendam quartam ea monasteria quæ per quadraginta annos ante iam soluerant, videtur approbasse hanc quadragenariam, ita quod Parochi per tantam præscriptionem acquirant ius ad quartam, & Regulares ius exemptionis ad illam amittant. Nihilominus in contrariũ est, quod ad præscribendum contra Regulares requiratur sexagenaria ex priuilegio Eugenij Quarti concesso Congreg. Cassinen. & habetur in *Bull. Rodriquez, Bulla* 7. *Eug. Quarti* §. 13. *& in Bull. Cassin.* 59. §. 15. & eius particulam refert etiam *Lezana p.* 2. *cap.* 19. *nu.* 63. Incipit vero illa *Bulla, etsi ex debito*, & fuit data *Florentiæ* 7. *Kal. Martij* 1534. *Pontif.* 4. Imo quod nec sufficiat sexagenaria, sed sit necessaria centenaria, qualis requiritur ad præscribendum contra Ecclesiam Romanam, ex priuilegio eiusdem Eugenij Quarti in Bulla, ex Apostolicæ sedis prouisione, *data Florentiæ* 7. *kal. Iuly* 1441. *Pontificatus* 11. in qua confirmauit *Bullam Honorij* 3. *datam Romæ* 1218. & quæ habetur apud *Rodriq.* 17. inter Bullas Eugenij IV. vbi nu. 15. concedit vt contra Monasterium S. Pauli extra Vrbem non obstet nisi centenaria præscriptio, docuerunt *Rodriq. to.* 3. *q.* 15. *a.* 2. *Portel. v. Præscriptio n.* 2. *Hier. Rodr. ref.* 115. *nu.* 2. *Barbosa de Parocho cap.* 15. *n.* 35. *Mirand. p.* 2. *q.* 48. *n.* 13. *Donatus in praxi p.* 2. *tract.* 12. *q.* 10. *nu.* 10. vbi addit aliud priuilegium simile concessum à Pio Quarto pridie nonas Iunij Pontificatus 4. ad fauorem Congregationis Montis Oliueti. Sed in *Bullar. Cassin. in Const.* 8. §. 9. habetur hoc idem concessum ab Vrbano II. anno 1092. 19 Kal. Februar. Ad fauorẽ Monasterij Cassinensis. Et eiusdem Vrbani II. ad fauorem d. Monasterij ibid. in *Constit.* 9. §. 12. *data* 18. *Kal. Octob. anno* 1095. Et Alex. III. ad eiusdem Monast. fauorem in *Const.* 17. §. 6. ibidem sub data Beneuenti Kal. Februarij anno 1168. Et ad fauorem Monasterij Sancti Laurentij de Auuersa Innoc. Tertius in *Constit. ibid.* 31. §. 8. vbi supponitur idem priuilegium fuisse concessum eidem Monasterio per Vrbanum II. Et literæ Innoc. datæ fuerunt Idib. Iulij 1202. Pontificatus eius quinto. Et ad fauorem Monasterij S. Pauli extra Vrbem idem Innocen. III. in Constitut. in dicto Bullar. *Cass.* 55. §. 19. data ibid. Iunij anno 1203. Et ad fauorem eiusdem Monasterij Honorius Tertius, in *Constit.* 85. §. 19. *in eadem Bull.* idib. sub data idib. Maij 1218. Pontificatus anno 2. Et ad fauorem eiusdem Monasterij Gregor. IX. Ibid. *in Const.* 10. §. 19. data quinto Kal. Martij anno 1219. Pontificatus anno 9. Et ad fauorem Monasterij Sullacensis Callistus 3. ibid. *in Const.* 84. data tertio nonas Ianuarij anno 1457. Pontificatus tertio. Et ad fauorem totius Congreg. Cassinen. Priuilegium hoc centenariæ præscriptionis concessum iam Monasterijs Cassensi, & S. Pauli extra Vrbem, & ab Alex. Tertio ad totam illam Congreg. extensum per Alexand. Tertium, Paulus Tertius ibidem *in Const.* 156. §. 2. *&* 3. confirmauit. Vnde apparet, quod huiusmodi priuilegium à tot Pontificibus, & toties concessum non est ex illis, quæ rarius concedi solent, & ideo consideratis supra notatis bene apparet, quod est commune omnibus Regularibus habentibus priuilegium communicationis, si illud habeant in amplissima forma.

689 Verum hic aliud considerandum, quod & de iure communi ad præscribendum contra priuilegium exemptionis à solutione quartæ non sufficit quadragenaria præscriptio; quia priuilegium huius exemptionis concessum Carmelitis apud *Lezanam in Mari Magno* §. 17. est munitum decreto irritanti, & priuilegium Pauli Quarti pro Prædicatori-

catoribus habent annexam clausulã sublata,& decretum irritans. At vero in sententia valde communi eorum, qui dicunt, quod decretũ irritans inficit possessionem,& titulum. *Rota dec.652.nu.3.p.1.& dec.005. n.22.& dec.113. n. 3.p.7.* Et ideo contra priuilegium munitum clausula sublata, & decreto irritanti non potest dari de non vsu *Panorm.in cap. vlt.n.4. de oreg. & pace. Felin.in cap. 2.nu. 6.eod.tit. Rota decis. 217.n.8. p.7.recent. Cassad. dec.2.& 11. super Reg.* Cancell.*Verall.dec.134.n.4.p.3. Donatus p.1.tr.9.clau.12.n.17.* Et propterea contra tale priuilegium non valet consuetudo, vnde in eadem *Rota decisum fuit nu. 7.* non esse dandam remissoriam ad probandam consuetudinem contrariam priuilegio Carthusianorum per Rotam Canonizato, iuxta seosum eiusdem *Rota in Valentina Iuris sedendi 15. Decembris 1635. & 16. Martij 1636. coram Ghisderio, & in Melenitana antiamtatis 16. Nouem.1635. coram Illustriss. Decano.* Etenim contra priuilegium munitum decreto irritanti non potest allegari consuetudo, quia tollit omnem consuetudinem in contrarium. *cap. quod super his in fin.de consang.& affin.cap.super eo,in princ.de cognat. Spirit.*Conar.*4.p.cap.6.§.10.n.35. Decius in cap.Nouit.de iud.n.84. Suarez de legib.l.7.cap.19.nu.13.fin. Driedo de libert. Eccles.l.1.c.16.ver.*& hic iam considerando. *Donatus d.tr.9.claus.13.n.23.* Et opportune ex *Mart.de clausulis p.1.cap.255.an.* 8. notauit *Petrus Franciscus de Tonduti Sanlegerius* Prædicatores manutenendos esse in possessione exemptionis à solutione decimarum, & similibus propter amplissimas clausulas appositas in eorum priuilegijs; quamuis in contrarium esset Præsbiterorum antiquissima possessio, quæ potius vsurpatio nuncupari debet. Et dicta priuilegia nedum amitti non possunt per non vsum, sed nec per vsum contrarium, etiam si millies dicti Prædicatores solutioni consensissent. Et in omnem euentum solutio præiudicare potuisset quantum ad præterita, sed non quantum ad futura cum agatur de priuilegio successiuo in quo casu solutio non noceet quoad futura. *Tascas l.P. concl.756. num.10.& seq.Decius in cap.* Cum *accessissent. col.pecul. Alex.cons.163.n.11. vol.2.Rom.cons.* 88.*n.*3. Et hinc sequitur non bene *Lezanam dicere p.4. v. quarta num. 7.* priuilegium Nicolai Quinti consuetudine fuisse modaratum, vt eo non obstante solui debear. Quia dum dicitur, quod vsus obtinuit, vt soluatur quarta de illis quæ deferuntur cum funere, non est sensus, quod consuetudo præscripserit, vt quarta soluatur ab habentibus priuilegium non soluendi; quia ab istis nihil solui debet, vt Pius Quintus declarauit, sed sensus est, quod qui soluere tenebatur quartã illam, non teneatur soluere nisi de illis, quæ deferuntur cum funere.

SVMMARIVM.

1 *Pacta inita in præiudiciam Religionis, & successorum non tenent. nu.690.*

2 *Obiecto diluitur. nu. 691.*

690 QVæritur octauo, an valeant pacta inita inter Parochos, & Prælatos locales, seu Monasteria in præiudicium priuilegij exemptionis à solutione quartæ funeralium? *In Clementina Dudum de sepulturis* cassantur omnia statuta, & pacta contraria dispositis in ipsa. Quod tamen intelligendum esse de pactis præteritis non de futuris ex *Azorio, & Barbosa* dixit *Lezana ad Mare Magnum Carmel. nu.350.* Econtra vero pacta, & conuentiones initas inter fratres,& ordinarios, & Rectores Ecclesiarum, si sint laudabiles seruari debere voluit Sixtus IV. in Mari Magno Prædicatorum apud *Lezanam §. 44.* & etiam in Mari Magno aliorum Mendicantium. Quod etiam huiusmodi pacta, & conuentiones valeant, nisi per subsequens Capitulum Prouinciale, aut Generale fuerint refutatæ, & per eos refutatio huiusmodi fuerit intimata tempore debito, tanquam statutum à Leone X. in Concil. Lateranen. referunt *Casarab. v.conuentiones nu. 3. Lezana ad Mare Magnum Carmel. num.350.* Ideo quod huiusmodi pacta valeant dixerunt *Bord.res.31.n.16. Lezana ad Mare Magnum Præd. §.44.num.138. & ad Mare Magnum Carmel. n.350.* Vbi quod valeant etiam iure naturæ præciso priuilegio Sixti IV. *Barbosa autem de Parocho cap. 25. nu.11.* voluit Regulares teneri ad solutionem quartæ, si in erectione Conuentus habuerunt licentiam sub conditione salua iustitia Parochiali. Quod, & tenuit *Rota coram Canaler. dec.101.* At econtra huiusmodi conuentiones non valere etiam si in erectione Monasterij sit posita clausula salua Iustitia Ecclesiarum Parochialium tradiderunt *Moron.resol.52. nu.17. & Nicolaus p.1. lib.4.tit.15.n.26. vers.bret.* Nam quod fratres non possint præiudicare Monasterio, & successoribus, nec renunciare priuilegijs concessis toti ordini probauit *Rota dec.107. nu. 11.par.9. recent. ex cap. Cum accessissent,* de Const. *Valenz.cons.43. nu.84.& seq. Rota in Hispalen. quartæ funeralium 4. Iulij 1590.coram Pamphilio, & in Treueren. Bonorum 15. Martij 1621. coram Dunozeto.* Nam, & quod priuilegio communi non præiudicetur ex facto aliquorum dixit *Rota dec.288. nu.16. p.6.recent.* & quod priuilegio concesso fauore publico non possint priuati renunciare voluit *Rota dec.61. num.31. eadem p. 6. recent.* Et hæc sententia modo est tenenda. Non enim Episcopi, vel alij in erectione Conuentuum possunt apponere cõditiones contra priuilegia Regularium, quibus nec ipsi Regulares possunt renunciare, vel præiudicare, vnde nec possunt pacisci in eorundem præiudicium. Accedit, quod *Nicolaus vbi supra* refert hoc decisum fuisse in vna alina per S. Congreg. Concilij.

691 Nec obstat in contrarium, quod Sixtus Quartus approbauerit huiusmodi pacta. Tũ primo quia loquutus fuit in suppositione, quod fratres non essent exempti à quarta funeralium,& sic non haberent priuilegium. Tum secundo quia priuilegia posteriora amplissima concesserunt nouum ius Regularibus, cui renunciare non possunt, vnde hac eadem ratione non obstat statutum à Leone Decimo in Constit. moderante priuilegia Regularium. Tum tertio quia in Priuilegio Pauli IV. statuitur, vt concessis non obstent statuta, & consuetudines etiam iuratæ; at vero iuratæ consuetudines vim habent ex pacto aliquo iurato, & si Papa derogauit consuetudinibus iuratis, multo magis derogauit pactis. Tum quarto ex sententia communi, quia scilicet non possunt Regulares particulares renunciare priuilegijs. Et in ordine Prædicatorum *disp.2.cap.2.tex.10.l.C.* vt aduertit *Donatus*

natus p.1.tr.12.q.4.n.10. fratres sub pœna grauioris culpæ prohibentur rennuciare cuicumque priuilegio, & decernitur irritum attentatum in contrarium. Tum quia huiusmodi facta per quam ceditur alicui iuri acquisito sunt alienationes prohibitæ fieri sine beneplacito Apostolico, *cap. 1. de reb. Eccl. non alien. in 6. Syluest. v. Alienatio n.18. Panorm. in c.1.n.4. de foro compet. & in cap. cum accessissent. n.2. de const. Innoc. in cap. Accedentib. de priuileg. Suarez tom.1. de Relig. tr.2.l.1.c.20.n.3.* & alij quos sequitur *Donatus d.q.4. nu.7.*

SVMMARIVM.

1 *Ordo dicendorum. num. 692.*

INSPECTIONIS SEXTAE.

CAP. PRIMVM.

De quidditate, & dignitate Sacrificij Missæ.

692 TAnta est connexio inter difficultates quæ de stipendio Missæ sunt explicandæ, & inter illas, quæ disputantur de Valore eiusdem, vt pro meritis separatim illæ diffiniri non possint, nisi harum præmissa determinatione, neque enim assensus certus, & manifestus conclusionum haberi potest, nisi cognitis certo, & manifeste principijs ex quibus illæ deducuntur. Quantum vero valeat missæ sacrificium nec plene cognosci potest, nisi eiusdem sacrificij cognita essentia, & dignitate.

SVMMARIVM.

1 *Christus victima huius sacrificij n.693.*
2 *Dupliciter Christus dicitur immolari. n. 694.*

693 QVæritur igitur primo, quæ nam sit victima oblata in sacrificio Missæ? Huic quæst. respondet *Concil. Triden. sess.22. cap.2. de sacrif. Missa*, ibi. *Et quoniam in diuino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit.* Et infra. *Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.* Ex hac igitur Sacri Concilij diffinitione habetur, quod Christus Dominus est huius sacrificij hostia, & victima quæ Deo immolatur, quod & tradidit *D.T.3.p.q.83.a.1.* & cum eo alij Theologi communiter, & docuerunt PP. omnes, nimirum *Chris. hom. 17. in Epis. ad Rom.* *Aug. conc.1. in Ps 34. Ambros. l.1. de off. cap. 48. & l.1. in Luc. cap.1. Nissen. orat. in Pasc. Greg. l.4. Dial. cap.58. Euseb. Emissen. hom. de corp. & anima. Cyril. Alleg. anath.11. Dyon. cap.3. de Coelest. Hier. p.2. Theophil.* & alij *exposit. in cap.7. Epis. ad Hebr.* & in actis Martirij Apostoli Andreæ habetur tanquam dictum eius nomine. *Ego quotidie sacrifico Deo agnum immaculatum.*

694 Duplici autem modo dicitur Christus immolari, vt habet *D.T loco citato*, & colligitur ex *Concil. Trid. d. sess. 22. cap.1. & 2.* Primo scilicet repræsentatiue, quia in hoc sacrificio repræsentatur passio Christi in qua Christus Dominus se ipsum cruente immolauit, sed secundo in re ipsa, quia realiter, & vere Christus existit sub speciebus panis, & vini, quæ in hoc Sacramento consecrantur, & offeruntur, & ideo *Concil. Trid. sess.22. can.3. de sacrif. Missa* inquit, *si quis dixerit, Missa sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti; neque pro viuis, & defunctis pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere anathema sit.* Sacrificium igitur Missæ non est nuda commemoratio passionis Christi, sed est vera oblatio, & immolatio eiusdem Christi. Nam, & si hostia, quæ immolatur debet esse sẽsibilis, Christus sensibiliter est in hoc Sacramento ratione specierum panis, & vini sub quibus continetur; neque enim est necesse, quod victima secundum substantiam immediate videatur, sed est visibilis ratione extrinsecæ molis coloribus affectæ. Et nec per se opus esset, quod victima præexisteret sacrificio, si per sacrificium produci posset: quamuis Christus Dominus præexistat sacrificio existens in cœlo, consecratione vero fiat vt sit sacramentaliter in pane, & vino. Immolatur vero Christus à Sacerdote per potestatem, quam habet ab eodem Christo.

SVMMARIVM.

1 *Totus Christus directe, & primo immolatur. nu. 695.*
2 *Id quod offertur est Christus, sed corpus, & sanguis sunt terminus sacrificationis, vt est immutatiua victima. nu.696.*
3 *Christus per verba consecrationis significatur, vt materia circa quam. nu.697.*
4 *Quomodo corpus, & sanguis sint res oblata. nu. 698.*
5 *Christus immolatur, vt existens sub speciebus panis, & vini, 699.*
6 *Quomodo victima præexistere debeat sacrificio. num. 700.*
7 *Totus Christus non offertur bis. nu.761.*

695 QVæritur secundo, an totus Christus sit id, quod per se primo immolatur, & sacrificatur in sacrificio Missæ? *Nicolaus Isambertus 3. p. q.83. disp. 2. art.10. propositione prima* asserit, quod res per se primo oblata in sacrificio Missæ est corpus, & sanguis Christi, & in secunda propositione ait, quod res oblata consecutiue est totus Christus. Primum probat: Nam illud est id, quod per se primo immolatur in sacrificio Missæ, quod est id, quod primo significatur *dari, frangi, & effundi*, per verba cõsecrationis, quia illa verba *datur, frangitur, effunditur* sunt verba sacrificiorum, & idem sonant, ac verbum sacrificatur; tum etiam, quia alias significatio practica istorum verborum esset falsa, & mendax, quod dicere est blasphemum; at vero id, quod primo significatur per verba *dari, frangi, effundi* sunt corpus, & sanguis Christi, vt formale consecrationis sonant; igitur corpus, & sanguis

sanguis Christi est id, quod primo immolatur. Secunda pars assertionis probatur. Tum quia totus Christus fuit immolatus in Cruce, eadem vero est hostia immolata in Cruce, & in sacrificio Missæ; totus igitur Christus immolatur; non per se primo; ergo per se secundo, & consecutiue. Tum quia 1. *ad Cor.* 5. dicitur. Pascha nostrum immolatus est Christus. Sed econtra *Suarez 3. p. q. 83. disp. 75. sec. 9. §. Dico 1. & Pasqualig. de sacrif. Missæ q. 27.* volunt, quod id, quod per se primo immolatur in sacrificio Missæ sit totus Christus, corpus vero, & sanguis immolentur consecutiue, sint tamen proprius terminus actionis sacrificatiuæ facientis circa rem oblatam repræsentationem cruenti sacrificij. Et ita dicendum est.

696 Nam sicut in sacrificio, vt fatetur idem *Isembertus num.* 4. duplex actio consideratur, quarum prima est hostiam sistere ad altare crucis, & altera hostiam immutare, & destruere occidendo illam, vnde id, quod offertur est victima integra, sed quia offertur immolanda, & destruenda, ideo terminus sacrificationis, vt destructiuæ sunt partes victimæ, vel quod ex victima destructa remanet, sed res oblata, & immolata est res ipsa tota, quæ offertur, & dum offertur destruitur. Sic ergo, Christus totus fuit, qui tanquam victima oblata fuit, & in altari crucis immolatus; Christus enim in Cruce sacrificauit vitam suam, & vt dixit *Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. de sacrif. Missæ. Is igitur Deus, & Dominus noster, etsi semel se ipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, &c.* Neque enim per se primo in sacrificio illo cruento corpus obtulit, & sanguinem, sed se ipsum morti obtulit, nam & in sacrificio animal est quod offertur, & immolatur, & dũ sacrificatur occiditur, & sic corpus, & sanguis separantur, igitur, & in sacrificio *Missæ* id, quod primo offertur est Christus totus: quia hoc sacrificium est repræsentatiuum passionis Christi, seu sacrificij cruenti, & non est nuda commemoratio illius, sed sacrificium illi simile, & identificatum cum illo in identitate victimæ, vt dixit *Concil. Trid. d. sess. 22. cap. 2. ibi. Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit.* Non enim esset eadem victima si in sacrificio cruento fuisset oblatus totus Christus, & in hoc immolarentur, seu victima essent corpus, & sanguis Christi, vt sunt partes separatæ, vel significatæ vt partes à toto distinctæ; sic enim non primo esset eadem hostia, sed solum consecutiue, & per se secundo, si quod primo offertur essent Christi partes, non vero totus Christus.

697 Nec ratio allata in oppositum probat, quia maior debet intelligi de eo, quod per verba consecrationis significatur, vt subiectum, & materia circa quam est actio destructiua, nõ vero quod significatur, vt terminus, cum enim sacrificatio sit actio per quam victima offertur, & in honorem Dei destruitur, id est victima, quod est id, quod destrui significatur, non vero id, quod est terminus destructionis. Quoniam igitur licet sacrificium Missæ nõ sit cruentũ, & victima nõ destruatur physice, quia Christus immortalis est, nec amplius moritur, aut sanguinem fundit, nihilominus mystice destruitur, quia significatur mors eius, & repræsentatur, & propterea ex vi verborum consecrationis per se primo sub speciebus est corpus Christi, & eius sanguis, & consecutiue totus Christus, ideo materia sacrificij per se primo est Christus, qui significatur, vt traditus ad mortem, & hoc est, quod vt obiectum, & materiam circa quam significant verba consecrationis, corpus vero, & sanguis quatenus sunt partes Christi significantur, vt terminus actionis, non vero vt materia circa quam versetur actio ipsa, quæ est sacrificatio, & ideo Christus totus est id, quod primo offertur sicut fuit id, quod primo in cruce fuit oblatum.

698 Nec obstat, si dicatur, quod sacrificium Cœnæ oblatum à Christo habuit pro victima corpus, & sanguinem, iuxta illud *Conc. Trid. d. sess. 2. cap. 1. de sacrif. Missæ. Corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit.* Et sic corpus, & sanguis sunt res oblata. Nam non negatur, quod huiusmodi non sint res oblata, inquantum sunt partes Christi, & vt partes illius offeruntur, sed quia huiusmodi oblatio quæ fit in sacrificio Missæ est commemoratiua sacrificij cruenti, in quo corpus, & sanguis separata fuerunt, & ab anima Christi, & à se inuicem, ideo in hoc sacrificio significantur corpus, & sanguis, vt sunt partes, & dicuntur offerri, non vt res primo oblata, sed vt terminus per ipsam actionem sacrificatiuam significatus; sic ergo id, quod est sub speciebus consecutiue scilicet totus Christus est res primo oblata, fit vero consecutiue sub speciebus, vt hoc modo repræsentetur ipse, vt traditus morti, & repræsentetur sacrificium Crucis in quo corpus, & sanguis remanserunt separata ab anima, & à se inuicem.

699 Non obstat quoque si dicatur, quod Christus offertur, vt stat sub speciebus panis, & vini, non vt existens in propria specie naturali; cum igitur sub speciebus non sit totus Christus nisi consecutiue; igitur Christus totus solum consecutiue offertur. Antecedens vero probatur ex *Conc. Trid. d. cap. 1*, & idem docuerunt *Suarez disp. 75. de Eucarist. sec. 1. ver. dico 2. Hug. 3. p. q. 83. a. 1. par. 3. difficul. 2. concl. 2. Isambert. 3. p. q. 83. disp. 2. ar. 10 concl. 3. Pasquali. de sacrif. Miss. qu. 28.* & apud eum *Granad. Mercer. Syluius, Prapos. & Amicus*, Nam Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech. *Hebr. 7.* panem, & vinum obtulit, in Cœna enim obtulit se, vt existentem sub specie panis, & vini. Et cum victima debeat esse præsens offerenti, Christus vero vt in sua specie naturali existens non sit præsens sacerdoti, sed vt existens sub speciebus, ideo Christus, vt existens sub speciebus est victima huius sacrificij. Sed respondetur, quod aliud est res oblata, & aliud est modus existendi illius, res oblata est totus Christus, vt existens sub speciebus panis, & vini, quod vero sub his speciebus contineatur consecutiue, hoc spectat ad modum existendi sub speciebus, qui modus est electus, vt oblatio ista sit commemoratiua sacrificij cruenti.

700 Et si instetur, quod victima debet sacrificationis actioni præexistere; Christus vero sub speciebus non præexistit consecrationi, & actioni per quam Christus offertur. Respondetur, quod in sacrificio, quod simul est rememoratiuum prioris sacrificij non est necesse, quod victima sub eo modo essendi sub quo offertur præexistat actioni, imo potius opus est, vt sit terminus actionis sacrificatiuæ

quia.

quia per tale sacrificium victima prius oblata sit præsens per vim actionis sacrificatiuæ, & ideo non est necesse, vt præexistat actioni. Et considerandum est, quod oblatio, licet sit actio externa, principaliter tamen consistit in interna oblatione voluntatis, & importat ordinem causæ finalis, ideo victima in sacrificio debet esse prima in intentione, quia per actionem sacrificatiuam intenditur, quod victima sit oblata; primum vero in intentione est vltimum in executione, sic ergo in executione prior est actio, vt consecratiua, seu vt consecratione ponens Christum sub speciebus, sed in intentione prius est quod Christus totus sit sub speciebus, vt sub illis offeratur, & sic offertur id, quod est terminus consecrationis, & consecratione res primo ponitur sub speciebus consecratiue, vt hoc modo fiat repræsentatio cruenti modi, quo prius victima eadem fuit oblata.

701 Et si iterum instetur, sequi ex hoc quod totus Christus bis offeratur, quia totus est sub specie panis, & totus sub specie vini; negatur consequentia quia consecratio panis, & vini sunt inadæquatæ partes vnius adæquatæ oblationis, quæ sic est composita ex duabus consecrationibus, seu actionibus partialibus, vt hoc modo repræsentetur mors Christi, & effusio sanguinis eius.

SVMMARIVM.

1 *An species sacramentales sint res oblata. n. 702.*
2 *Duplex compositum. nu. 703.*
3 *Sola Christi substantia est res oblata in sacrificio Missæ. nu. 704.*
4 *Species quomodo offeruntur. n. 705.*
5 *Substantia panis, & vini quomodo offeratur. nu. 706.*

702 QVæritur tertio, an species panis, & vini sint pars rei oblatæ in sacrificio Missæ? Prima sententia affirmat, ex eo quod *cap. Hoc est, de consec. dist.* 1. dicitur sacrificium Ecclesiæ duobus confici, & duobus constare, scilicet visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne, & sanguine. Et quia res oblata debet esse sensibilis, Christus vero sub speciebus est sensibilis per species ipsas. Et quia id quod offertur est Christus, vt stat sub speciebus. Et quia in sacerdotio secundum ordinem Melchisedech, quod offertur, est panis, & vinum. Ita *Suarez 3. p. q. 83 disp. 75. sec. 1. §. Dico 4. Card. de Lugo d. sp. 19. sec. 7. n. 98.* & apud *Pasqual. Marat. Auersa, Francis. Lugo, & Tanner.* Sed alij volunt species non esse victimam, nec partem victimæ, sed solum Christum offerri, quia sic alia esset victima sacrificij cruenti, & sacrificij Missæ. Et quia res oblata esset ipsum Eucharisticum Sacramentum, quod non admittitur. Et ita senserunt *Vasquez 3. p. disp. 222. n. 43. Palaus. tract. 22. disput. vn. p. 1. n. 6. Isambert. d. disp. 2. concl.* 3. qui vult species esse conditiones, *Pasqual. q. 29.* qui vult species non esse rem oblatam, sed esse id quo res oblata fit sensibilis, seu offeribilis sacrificio visibili, & apud eum idem sentiunt *Conmch. Lessius, Martin. & Granad.*

703 Verum considerandum est, quod si substantia cum suis accidentibus consideretur, vt tertium compositum resultans ex substantia, & accidentibus, hoc est vnum aggregatum per accidens, quod nec est id quod agit, neque est id quod patitur, neque habet nomen per quod significetur, etenim, quod videt nõ est aggregatum ex substantia, & potentia visiua, sed est substantia quæ videt per potentiam visiuam. Et quod calefit, non est aggregatum ex substantia, & calore, sed est substantia quæ calefit per calorem. Substantia igitur stans sub suis accedentibus, nec accipitur in sermone communi, nec vere est vnum compositum compositione ex his, tanquam importet tertium resultans ex substantia, & accidente, sed est vnum compositum compositione cum his, quod compositum in recto solam substantiam importat, & pro ea supponit, sed accidentia sunt modi illius, & in obliquo importantur, vt qualitates, vel modi, vel affectiones, aut conditiones. Et de hoc composito *D. Th. quodl. 2. a. 3. ad* 1. dixit, quod est compositum ex se ipso, & alio, quia est se ipsum affectum per aliud.

704 Hoc præmisso dico, quod species non sunt partes rei oblatæ, & quod sola substantia Christi est res oblata, non vero aliquod tertium integratum ex substantia Christi, & eius speciebus, & nihilominus species sunt intrinsecæ rei oblatæ non vt pars illius, nec vt res oblatæ, sed vt modus rei oblatæ, & ideo etiam sunt quid oblatum non vt res principaliter oblata, sed vt modus rei oblatæ. Quod res oblata, vt id quod est oblatum, & in recto significatur, vt oblatum, & dicitur offerri sit sola substantia, probatur quia in composito compositione cum his id, quod est, & agit, & patitur, & significatur esse, agere, & pati est ipsa substantia quæ non est pars, nec debet concipi, vt pars, sed vt totum, quod sua accedentia in se virtute, & eminenter continet, & quæ est sub illis, sed non tanquam pars, sed tanquam totum, & suppositum illa sustentans, ideo res oblata, vt id quod simpliciter dicatur esse oblatum in recto est substantia Christi. Et ita quod nec naturalia accidentia illius sunt pars rei oblatæ, & ideo non recte *Pasqual. d. q. 29. nu* 13. admittit, quod accidentia connaturalia Christi erant pars integralis, & perfectiua Christi; Non enim Christus est quid tertium constitutum ex substantia, & suis accidentibus, vt sic dicatur, quod accidentia sint pars Christi, sed Christus est substantia sua, non vt integrata, & constituta in ratione vnius tertij ex substantia, & accidentibus constituti; sed vt substans illis, & modificata per illa, & illa sustentans, & ex illis ornata. Hoc ergo nomen victima, & hoc nomen oblata supponit pro sola substantia, illamque solam in recto significat.

705 Sed nihilominus species sunt intrinsecæ huic victimæ, & huic rei oblatæ, sicut v.g. potentia visiua est intrinseca, non vt pars videntis, sed vt videntis potentia. Et quia victima debet esse visibilis, & fit visibilis per species panis, & vini, ideo huiusmodi species sunt intrinsecæ victimæ, sed non sunt pars illius, sed illius modus, & actus, quo fiat visibilis. Et quia ex hoc nomen *oblatum* analogicam potest habere significationem, vt oblatum dicatur, nedum quod offertur, vt id quod offertur; sed etiam id, quod est intrinsecus modus rei oblatæ, ideo dici potest, quod species sint res oblata pro quanto

sunt

ſunt modus intrinſecus victimæ Eucariſticæ. Et ſemper eſt eadem victima, quæ offertur, & quæ eſt Chriſtus Dominus, ſed non ſunt eadem accidentia, & modus eſſendi victimæ;& offertur panis, & vinum,ſed nomine panis non dicit tertium compoſitum ex ſubſtantia panis, & accidentibus eius, ſed dicit ſubſtantiam,vt modificatam per accidentia, & ſic res oblata non eſt ſacramentum Eucariſtiæ, quia ſacramentum, quod eſt in genere ſigni, dicit in recto ſpecies, quæ ſunt ſignum corporis,& ſanguinis Domini.ſed quod offertur eſt ipſe Chriſtus. Item quod offertur eſt res ſenſibilis, quia eſt Chriſtus ſub ſpeciebus, neque tamen ſpecies, quibus Chriſtus eſt ſenſibilis offeruntur niſi analogice, & non vt res oblata, ſed vt modus rei oblatæ.

706 Hic colligitur, quod in hoc ſacrificio panis, & vinum non offeruntur, ſed bene ſuſtantia panis ſe habet, vt terminus à quo materiæ oblatæ. *Val. tom.4.d.6.q.15.p.1. Vaſq.diſp. 225.nu.51. Iſombertus q.83. diſp.2. nu.10. Paſqual.q.30.n.4.* & apud eum *Granad. Gaſpar. Hurtad. & Martin.* Eadem enim eſt victima ſacrificij incruenti, & cruenti, vt ex *Concil. Trid.* patet, ſolus vero Chriſtus fuit victima in ſacrificio cruento. Sed & ratio eſt, quia ſubſtantia panis,& vini non remanet, ſed tranſubſtantiatur, ideo non pertinet ad hanc oblationem niſi vt terminus à quo, qui deſinit. Nihilominus ſecundum quid, & analogice dici poteſt, quod ſubſtantia panis, & vini offeratur quia ad oblationem pertinet, vt materia quæ tranſubſtantiatione conuertitur in victimam quia panis,& vinũ conuertuntur in corpus,& ſanguinem Chriſti. Et propterea in Miſſa panis, & vinum offeruntur, & in hoc ſenſu verum eſt, quod dixerunt *Suarez d. diſput.75. ſect.1.§. Dico vltimo. Bellor.lib.5.de Eucar. cap.27. prop.1. Card. de Lugo diſp.19. ſec.7.nu.99.* & alij volentes, quod etiam ſubſtantia panis, & vini ſit res oblata minus principaliter, nimirum vt materia tranſiens, quæ conuertitur in corpus, & ſanguinem Chriſti Domini.

SVMMARIVM.

1 *Quæ nã ſufficiant ad hoc vt Chriſtus dicatur offerens ſacrificium Miſſæ. nu.707.*
2 *Chriſtus dicitur offerens quia præcepit, vt ſacerdotes nomine ſuo offerant. n.708.*
3 *An ſit neceſſe, quod Chriſtus ſit nunc Sacerdos. num.709.*
4 *An ſit neceſſe, quod Chriſtus nunc aſſiſtat ſacerdoti celebranti. nu.710.*
5 *Ad hoc, vt Chriſtus dicatur principalis offerens non eſt neceſſe, quod actu aſſiſtat ſacerdoti celebranti. nu.711.*
6 *Chriſtus aſſiſtit cuilibet, neque tamen per hoc eſt offerens immediatus. nu.712.*
7 *Aſſiſtere non eſt proprie ſacerdotaliter celebrare. num.713.*
8 *Aſſiſtere concommitanter ſe habet ad Miſſam. nu.714.*
9 *Aſſiſtere Chriſti, eſt quoddam ſacerdotale. n.714.*
10 *Aſſiſtere eſt mediate offerre. nu.715.*
11 *Chriſtus ab eo tempore quo ſacrificium inſtituit orauit pro quibus voluit. n.716.*
12 *Chriſtus non immediate phyſice offert ſacrificium Miſſæ. nu.717.*
13 *Sacrificium Miſſæ Sanctum. n.718.*
14 *Cur Miſſa non pro omnibus impetret. n.719.*
15 *Chriſtus eſt offerens immediate oblatione interna. num.720.*

707 QVæritur quarto, an Chriſtus immediate offerat ſe ipſum in ſacrificio Miſſæ? ſupponit quæſtio Chriſtum in hoc ſacrificio eſſe offerentem. Eſt enim hoc de fide, vt habetur in *Conc. Trid. ſeſſ.22. cap. 2. de ſacrif. Miſſæ*, ibi. *Vna eademque eſt hoſtia; idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa.* Et hoc idem tradiderunt. *Niſſ. orat. de reſur. Aug. l.10. de ciuit. Dei cap.20. Iranæus l.4. cap.34. Chriſ. hom.* Ipſe eſt qui offert, ipſe eſt, qui offertur, & *hom.8. in Matt. Ambroſ. l.1. de off. cap. 48.* Ideo etiam ſupponitur Chriſtum ſaltem mediate offerre ſe ipſum in ſacrificio Miſſæ. Quod verum eſt non præciſe, quia inſtituerit hoc ſacrificium, quia etiam inſtituit ſacramenta, & tamen non dicitur principaliter abſoluere, baptizare. Aliud enim eſt inſtituere,& aliud offerre, vt ſacerdotem. Nam Deus inſtituit ſacrificia veteris legis, non per hoc tamen ea offerebat, vt ſacerdos. Neque ſacrificia valorem habent ex dignitate inſtituentis, vt patet de ſacrificijs veteris legis, quæ non per hoc habebant valorem infinitum, quod fuerint inſtituta à Deo, qui eſt infinitæ dignitatis. Secundo ad hoc, vt Chriſtus dicatur offerens non ſufficit, quod Chriſtus meritum ſuum applicauerit ſacrificio Miſſæ. Nam & Deus potuit inſtituere, imo & Chriſtus idem potuit facere, vt aliquis homo per aliquod ſacrificium haberet vim ſatisfaciendi, applicando illi meritum ſuæ paſſionis, & tamen non per hoc Deus, vel Chriſtus eſſet Sacerdos, qui ſacrificaret, Tertio conſiderari poſſet, quod humanitas Chriſti phyſice concurrit ad conſecrationem, licet inſtrumentaliter, ita vt phyſice cauſet tranſubſtantiationem; ſed hoc non omnes concedunt, & huiuſmodi concurſus phyſicus inſtrumentalis, vere continet maximas difficultates. Et quidquid ſit de eo, & ſi etiam ille daretur, non per hoc id ſufficeret ad hoc, vt Chriſtus poſſet dici offerens, & ſacrificans tanquam ſacerdos, niſi id vt ſacerdos efficeret, ea intentione ſe offerendi, quia aliud eſt efficere, & aliud eſt offerre: Deus enim concurrit etiam immediate ad actionem tranſubſtantiationis, & tamen non offert ſacrificium Miſſæ. Alias vero neque eſt neceſſe, vt Chriſtus ſic phyſice ad conſecrationem concurrat, vt dicatur offerre, vnde hunc concurſum negant plurimi. Quarto conſiderari poteſt, quod Chriſtus nedum inſtituit hoc ſacrificium, ſed præcepit ſacerdotibus, vt illud offerrent, vt dixit *Concil. Trid. ſeſſ.22. cap.1. de ſacrif. Miſſæ.* Sed neque hoc ſufficit, quia aliud eſt legem ferre, & aliud ſacrificare, & Deus etiam præcipit multa ſacrificia offerri in lege veteri, neque tamen ex hoc illa obtulit.

708 Quinto ergo conſideratur, quod Chriſtus præcepit, vt ſacerdotes nomine ſuo vt eius miniſtri & legati ſacrificium offerrent, & hæc ratio ſufficit, ad hoc vt Chriſtus dicatur offerens, nam actio legati, ſeu mandatarij moraliter eſt actio Principis legatum mandantis, ſeu principalis mandantis alicui, vt nomine ſuo agat, ſic enim v.g. legatus Regis in regis perſona præſtat obedientiam Pontifici, & hæc

ci, & hæc obedientia dicitur præstari à Rege. Sic ergo, & Christus quia mandauit Sacerdotibus, vt offerrent sacrificium Missæ nomine suo; dicitur, & est vere offerens, & sacrificium moraliter est actio Christi, quia habita est à Sacerdote, vt ab imagine personam Christi representante, vt explicauit *D. Th. 3. p. q. 83. a. 1. ad 3.* Et in his conueniunt communiter DD. & ita, quod ad hoc vt Christus dicatur offerens, nec sit necessarius physicus eius concursus in ipsam actionem sacrificandi sicut nec Rex qui per legatum præstat reuerentiam Pontifici concurrit physice ad actionem reuerentialem elicitam à Legato. Sicut quod neque per se est necessarium, quod Christus actu aliquid cogitet, aut velit, aut per assistentiam actualem assistat cogitatione, & voluntate celebrationi Missæ, sicut neque est necesse, quod Rex vel actu cogitet, aut velit reuereri Pontificem, tunc cum legatus eius illi reuerentiam præbet. Sed sufficit voluntas illa, per quam ab initio instituit Sacerdotes in suos Ministros ad celebrandum nomine suo, & in persona sua. Vnde si per impossibile Christus tunc dormiret, adhuc diceretur offerens, & per sacerdotem suum ministrum sacrificans.

709 Hoc vero stante nonnullæ difficultates sunt. Prima est, an ex parte Christi, vt sit offerens sit necesse, quod sit sacerdos. Quod enim *Vasquez 3. p. disp. 225.* insinuauerit sacerdotium fuisse necessarium in Christo, quando instituit hoc sacrificium, & ordinauit Apostolos, vt nomine suo offerrent; nūc vero licet Christus maneat sacerdos, non vti tamen iam munere sacerdotis, sed tunc vsum fuisse, & sufficere, vt dicatur offerre, tradit *Card. de Lugo disp. 19. n. 94.* Vbi *n. 95.* hoc impugnat quia ratione solius institutionis Christus nunc non potest dici offerre; sacerdos enim vt sacerdos non habet instituere sacrificia, sed illa offerre, institutio vero pertinet ad legislatorem, & licet vtraque potestas fuerit tunc in Christo, instituit tamen sacrificium hoc vt legislator, & obtulit, vt sacerdos; ergo ratione institutionis non dicitur Christus nunc exercere officium sacerdotis, sed oporteret addere quod delegauerit alios, per quorum manus ipse exerceret officium sacerdotis. Subdit vero, quod sibi videtur verius, quod ad hoc vt Christus nunc offerat, vt sacerdos, sit necesse per se, quod etiam nunc sit sacerdos, quia ad hoc vt nunc Christus in sacerdotibus offerat necesse est, quod prima illa voluntas, qua illos delegauit, non sit retractata; igitur etiam nunc debet esse in statu in quo possit habere voluntatem offerendi; ergo nunc debet esse sacerdos, vt tanquam sacerdos offerat per suos sacerdotes. Verum consequentia non est necessaria; nam si delegatio ipsa fuisset talis, quod potuisset durare non durante sacerdotio in Christo, & mandatum eius non expirasset, ex eo quod in illo cessasset sacerdotium, non esset necesse nunc, quod vellet offerre nunc tanquam sacerdos, sed sufficeret, quod nollet reuocare illam primam voluntatem, ex qua ministerium delegauit, sed quod vellet delegationem non reuocare, ad quam voluntatem habendam non esset in eo necessarium sacerdotium de præsenti. Sicut si Deus Petro sacerdoti concederet facultatem delegandi sacerdotis officium in perpetuum, & delegatione post mortem eius duratura, etiam si ille moreretur, & eius sacerdotium non duraret post mortem illius, tamen delegati ab eo in eius persona offerrent, & ipse per eos offerret in perpetuum. Sed cum simus in Christo, qui est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech istæ speculationes non sunt necessariæ. Sufficit ergo quod ad hoc vt Christus dicatur esse offerēs principale per modū sacerdotis, necesse est quod delegatio, qua nos sacerdotes delegauit in sui ministros fuerit ab eo, vt à sacerdote summo, sicuti fuit, & quod nunc, & in eo manet sacerdotium summum in æternum, & quod ipse nec retractauit, nec retractabit delegationem à se factam. Vnde de facto nunc Christus sacerdos in æternum per nos sacerdotes celebrat, vt per sui æterni sacerdotij ministros, sicut & vt æternus sacerdos nos suos ministros delegauit.

710 Altera difficultas est, an dicendum sit Christum nedum delegasse nos in sacerdotes, sed assistere cogitatione, & voluntate singulis sacerdotibus celebrantibus, ita quod Christus ipse celebrationem ordinet in Dei cultum, & tanquam mediator intercedat pro nobis, & sic mente, & voluntate actu Deo sacrificet. Ita enim fieri tradit *Suarez d. disp. 77. §. Tertio considerari*. Sed negauit *Vasquez vbi supra*, & in confirmationem adduxit testimonium *Simeonis Thessalonicen.* dicentis plenum blasphemiæ esse dicere Christum per preces, quæ in Missa dicuntur semper mediatorem esse. Sed vt monet *Card. de Lugo n. 91. Vasquez* non videtur agnouisse, qualis fuerit Simeon ille scilicet modernus quidam Schismaticus, quem vt Ecclesiæ hostem grauiter insectantur, qui controuersias contra Orientalium errores ediderunt. Idem vero *Cardin. de Lugo nu. 96.* admittit Christum posse intimare Deo suam voluntatem de aliquo creato obiecto habendo, quæ intimatio potest etiam fieri per ministrum, sicut per se ipsum, & siue dicatur oratio, siue non ratione potestatis, quam Christus iam habet in cœlo, habet tamen illa manifestatio efficaciam obtinendi quodcumque obiectum, & ideo illa actio etiam prout nunc est à Christo potest dici impetratoria, prout ab alijs vero ministris meritoria, & satisfactoria, & impetratoria. Cæterum cum dicitur prout est à Christo non esse *satisfactoriam*, non est intelligendum, quod non habeat de facto ex meritis Christi virtutem, & efficaciam satisfaciendi pro peccatis; habet enim vtrumque non quia nunc Christus offerendo satisfaciat, sed quia satisfactionem quam exhibuit in cruce applicat per hoc medium. Sed quod Christus nunc nedum concurrat ad sacrificium Missæ per voluntatem illam, per quam delegauit sacerdotes in ministros, qui in eius nomine celebrarent, sed per actualem, & immediatum aliquem concursum ratione cuius celebratio dicatur propria actio Christi tenent *Palaus tr. 22. disp. vn. p. 4. n. 4.* & apud eum *Coninch. & Sylu. Caspen. Valen. Gabriel. à S. Vinc. Filliuc. Franciscus Lugo*, quos sequitur *Pasqualig. q. 133. Vbi n. 14.* quod hic concursus immediatus consistit in eo, quod de præsenti consentiat, quod verba consecrationis proferantur in persona ipsius, & consentiat in ipsorum significationem, itaut velit operari, quod significant. *Et nu. 16.* vult diuersam esse rationem de actione sacrificatiua substantialiter sumpta, & de orationibus, quæ funduntur in Missa, nam illa fit in persona Christi, sed

orationes

orationes funduntur in persona Ecclesiæ, ideo ad illam Christus debet immediate, vt ad sibi propriam concurrere. Quamuis adhuc plures dicant Christum orare pro nobis, Et sic à communi sententia in hoc discedit *Pasqual.* quod vult, quod iste concursus immediatus sit necessarius ad hoc vt Christus dicatur esse offerens, vt sacerdus, & ita, quod sine illo Christus in hoc sacrificio, non esset offerens, & victima, & ita quod *nu.*13. & 19. dixerit hunc concursum esse necessarium, vt verba consecrationis vera sint.

711 Dico primo hunc concursum Christi immediatum, seu actualem, & formalem non esse necessarium, ad hoc vt Christus dicatur esse principale offerens in sacrificio Missæ, sed ad hoc sufficere actum illum voluntatis, per quem instituendo sacerdotium delegauit sacerdotes in sui ministros præcipiens, vt nomine suo, & vt vicesgerentes personæ illius celebrarent in hac conclusione conuenire DD. vtriusque partis bene aduertit *Card. de Lugo d. disp.* 19. *n.*93. est vero Conclusio *D. Th.*3. *p.q.*83.*ar.*1.*ad* 3. Et habetur ex *Concil. Trid. d. cap.* 1. *sess.*22. ibi. *Vna eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, &c.* offerre enim sacerdotum ministerio est offerre mediate per ministrum, & vicesgerentem. Quæ fuit sententia *Cyprian. Epist.*63. dicentis. *Sacerdos in altari vice Christi fungitur.* & *Ambros. in Ps.*34. *Ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur.* Et *Chrys. hom. de prodit. Iudæ. Cum videris sacerdotem offerentem, ne ipsum consideres hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam.* Agit enim sacerdos in virtute Christi, nedum quia ab eo est potestas sacerdotalis, sed quia potestas sacerdotalis est potestas delegata data ei, qui agat in nomine Christi, quod sufficit ad hoc vt sacrificium moraliter sit propria Christi actio, sicuti propria Regis actio est, qua legatus Regis reueretur Pontificem in Regis persona. Nec aliud probant allata à *Pasqual.* Nam & hæc delegatio sufficit ad hoc, vt sacerdos in persona Christi verba consecrationis proferat, & dicat, hoc est corpus meum, quia idem est motus in imaginem, & in id cuius est imago, sacerdos vero consecrat, vt imago Christi, vt habet D. Th. vbi supra. Et in multis magistratibus remotissimis à Principe, vt in senatu Mediolanensi vsus est, vt sub nomine Principis, expediantur determinationes, ac si Princeps ipse esset præsens, & propria manu signaret. Imo concursus ille immediatus non magis facit, quod verba ministri consecrantis vera sint. Nam si ad hoc sufficit voluntas delegantis, frustra adiungitur alius consensus pariter interius, quia illo non verificabit vnquam verba consecrationis dicta à sacerdote, & quæ sunt verba Christi loquentis in propria persona, nisi vel sufficiat, quod sacerdos sit persona delegata, ad quod sufficit voluntas, qua in institutione sacerdotis delegauit sacerdotes, neque est necessaria noua voluntas delegans; vel si non sufficit delegatio nihil proficit illa volũtas, quæ non facit, quod sacerdos sit Christus in realitate substantiæ personalis, verba autem illa verificari non possunt nisi sacerdos sit Christus, & non est alius modus quo hoc fieri possit nisi sacerdos, vel personaliter, vel delegatione sit Christus.

712 De facto vero certum est Christum actu videre omnes, & singulos celebrantes à principio celebrationis ad finem; certum est etiam illum consentire in celebrationem, secundum quod est actio bona, & sacrificium sacratissimum eius auctoritate, & in persona eius celebratum. Et pariter est certum, quod in Christo hæc voluntas est voluntas religiosa; per quam vult sacrificium in Dei cultum celebrari, & offerri à sacerdote. Et si Christus habet aliquem physicum influxum in consecrationem, pariter non est dubium, quod vult influere, eo quod hæc voluntas est religiosa, & in Dei cultum ordinata. Sed si Christus in consecrationem factam per sacerdotem physice non influit, iam obiectum voluntatis est illa actio externa vt per alium habita, scilicet per suum ministrum sacerdotem. Verum alia ex parte dicitur, quod huiusmodi voluntas est voluntas sacrificij, vt habiti à sacerdote ministro, non vero vt habiti immediate ab ipso, quia physica celebratio est à sacerdote, & ideo nec proprie dici potest concursus immediatus offerentis, sed mediatus, quia est voluntas offerendi per alium, seu oblationis, vt per alium ministrum habitæ. Nec Christus vult facere, quod non facit, physica vero oblatio est actus à sacerdote elicitus; igitur Christus vult illam oblationem, vt per alium factam; non ergo est concursus offerentis immediatus, sed concursus offerentis per alium. Seu non est concursus sacrificantis per se ipsum, sed immediate assistentis sacrificio à se celebrato per alium: potest vero hæc assistentia dici sacerdotalis, pro quanto ea summa perfectione sacerdotis Christi est, vt sacrificium per suos ministros habitum, in eos solos habeat efficaciam, in quos ipse absoluta suæ voluntate eam habere voluit.

713 Diligentius vero inquirendum est, an hæc Christi assistentia sit proprie, & formaliter actus sacerdotalis, & qualiter ad actum sacrificij se habeat. Nam assistere Missæ non est actus sacerdotalis, cum etiam laicis conueniat, & ad Missam se habet concommitanter, & etiam si qui assistit, sit sacerdos, assistere tamen non est actus sacerdotij, nec assistere Missæ est celebrare Missam, seu sacrificare nisi analogice, & moraliter, & pro quanto assistentes Missæ affectu immolant illam eandẽ victimam, quam solus sacerdos immediate physice offert, & sacrificat. Sic ergo, & assistentia ista, per quam Christus mente, & voluntate assistit celebrantibus non videtur esse actus sacerdotij, & ad Missas videtur se habere concommitanter, & non esse actum offerentis, & sacrificantis physice etiam mediate, sed solum offerentis analogice, & moraliter pro quanto sic offerens, voluntate offert, quod physice per sacerdotem offertur. Dicitur vero, quod huiusmodi mentalis assistentia proprie non est sacerdotaliter physica sacrificatio, nec immediate, nec mediate, quia nec immediate, nec mediate influit in substantiam externi sacrificij, quod ab ea voluntate non imperatur, nec profluit, & quod esset, etiam si Christus illi mente non assisteret, sed Christus per eam voluntatem externe sacrificat in sacrificio Missæ per quam voluit, vt sacerdotes nomine suo offerrent. Aliud enim est sacrificare, & aliud est assistere sacrificio, per huiusmodi vero assistentiam Christus assistit, igitur proprie per eandem nec immediate, nec mediate sacerdo-

talitee ſacrificat, ſed propric approbat ſacrificium à ſe per aliam voluntatem imperatum, & à ſacerdote, vt ſui viceſgerente habitum. Et licet aſſiſtens Miſſæ dicatur moraliter celebrarc, ſeu oſſerre victimam, vnde aſſiſientrs Miſſæ dicuntur offerentes, tamen hoc noo eſt ſacerdotaliter celebrare, aue offerre, cum hoc etiam laicis conueniat. Sed proprie celebrare immediate eſt phyſice, immediate elicere actum ſacrificij, celebrare vero ſacramentaliter moralitet, ſeu mediate eſt phyſicè per miniſtrum, & delegatum ſacrificium Miſſæ offerre, Nihilominus hæc aſſiſtentia non ſe habet mere concommitanter. Tum primo quia approbatio, & ratihabitio facti, etiam ſi non ſit neceſſaria, nihilominus virtualiter, & conditionaliter antecedit, pro quanto ſit talis, quod factum imperaret, ſi per aliam voluotatem imperatum non eſſet. Tum ſecundo quia hæc Chriſti aſſiſtentia præbet efficaciam exercitam, & in actu ſecundo ſacrificio Miſſæ, quatenus eſt impetratorium. Nam ſacrificium Miſſæ pro illis impetrat de facto pro quibus Chriſtus voluntate abſoluta orauie, & petijt ſacrificium habere effectum.

714 Verum hoc non eſt antecedere miſſam; quia de ratione miſſæ non eſt, quod actu exercite impetret, & ipſa miſſa ſubſtantialiter eſſet; etiam ſi huiuſmodi Chriſti mentalis aſſiſtentia non daretur; ſed eſt concommitari miſſam, & antecedere effectum miſſæ & eos, in qoibus miſſa habet actualem effectum ex vi huius mentalis Chriſti aſſiſtentiæ. Vnde propric, & ſimpliciter loquendo hæc aſſiſtentia ad miſſam concommitanter ſe habet, ſicut ſe habet viſio reſpectu eius, quod fit, & non fit ex vi viſionis. Nam & licet viſio non ſit niſi rei existentis, non tamen prius est rem eſſe, quam rem videri, quia vt ſupponimus res in nullo ſigno est in quo hac viſione non videatur eſſe quamuis cauſalitate res poſſit eſſe prior viſione ſi illam cauſet, ſicut econtra viſio est prior cauſalitate re viſa, ſi viſio ſit cauſa, quod res viſa ſit. Sed io propoſito neqoe hæc mentalis viſio, & aſſistentia Christi est cauſa, quod miſſa ſit; neque miſſa est cauſa, quod ſit viſio illa Christi intellectualis, vt habetur vel in verbo, vel per ſcientiam inſuſam; & ideo concomitanter ſe habent miſſa, & aſſistentia. Potius vero miſſa erit prior hac mentali aſſistentia, quatenus ipſa viſio per experimentum, & per ſensus habeatur. Sed an hæc aſſistentia proprie ſit actus ſacerdotalis, an vero ſolum laicalis, nam & aſſistentes miſſæ dicuntur moraliter offerre, non tamen ſacerdotaliter, ſed Christus dicitur ſacerdotaliter offerre ſe in miſſa. Reſpondetur quod in Christo hæc aſſistentia est ſacerdotalis, & non laicalis, quia ex perfectione ſui ſacerdotij habet vt mentaliter aſſiſtat ſacrificijs ſuo nomine habitis, vt illa in eis ſortiantur effectum infallibiliter ſecundum ſuæ abſolutæ voluntatis diſpoſitionem, & vt ſecundum Patris voluntatem per Christum ipſum ſacerdotem totum ſacerdotij negotium dirigatur. Ideo conuenit, quod Christus, vt ſacerdos aſſistat ſacrificijs in ſui perſona oblatis. Nihilominus tamen hoc aſſistere non est propric ſacrificare ſacerdotaliter, nec immediate, nec mediate, ſed est ſacerdotaliter aſſistere ſacrificio à ſe per ſuum miniſtrum habito. Et ſic Christus non tanquam laicus, ſed tanquam ſacerdos aſſistit, ſe.i tamen aſſistere non est ſacerdotaliter celebrare, ſed celebranti aſſiſtere.

715 Et nihilominus dicitur, quod huiuſmodi mentalis aſſiſtentia licet ſit actus immediate elicitus à Chriſto, & modo explicato ſit actus ſacerdotalis, & competens Chriſto, vt ſummo ſacerdoti. Tamen non eſt actus ſacrificantis, vel offerentis immediate, ſed mediate: Quia eſt actus aſſiſtentis ſacrificio per alium celebrato, & de eo diſponentis. Et ſic eſt immediate aſſiſtere, ſed non eſt immediate ſacrificare, imo nec proprie eſt ſacerdotaliter mediate ſacrificare, aut offerre, ſed eſt aſſiſtere ſacrificio, quod Chriſtus aſſiſtens celebrat per alium. Et quatenus ſic aſſiſtere dici poſſit quoddam offerre, certum eſt, quod eſt offerre mediate, & vlterius eſt quoddã offerre minus proprie dictũ, & quod ex ſuo genere eſſe poteſt laicale quia etiã laicis aſſiſtentibus conuenit offerre aſſiſtendo miſſæ. Licet in Chriſto hoc aſſiſtere ratione ſui modi, & ſpecificationis ſit quoddam ſacerdotale; tamen non eſt offerre niſi aſſiſtendo ſacrificio aliunde à Chriſto per miniſtrum celebrato,

716 Ee præterea vlterius conſiderandum, quod hæc Chriſti mentalis aſſiſtentia non incipit, quando ſacerdotes celebrant, ſed fuit in Chriſto ab initio ſuæ conceptionis, in quo Patri oblato ei toto vniuerſi ordine, & præcipue tota eius futura vita, ipſe videns diſpoſitionem diuinæ voluntatis, & quomodo io capite libri ſcriptum erat de eo, vt faceret voluntatem Patris id facere elegit, & tunc ſe Patri mentaliter ſacrificauit, & ſacrificium paſſionis affectu celebrauit, & propoſito ſacrificium miſſæ inſtituit, & videns per quos ſacerdotes, & ad quæ beneficia obtinenda, & pro quibus offerendum erat, & ſimul videns diſpoſitionem voluntatis Patris, eum orauit, & petijt voluntate abſoluta, vt in illis miſſæ ſacrificium effectum haberet, in quibus voluntas Patris erat, vt effectum conſequeretur. Et hoc idem totum Chriſtus vidit, quando ſacrificium hoc inſtituit, & tunc quoque Patrem orauit. Vnde non debemus imaginari, quod hæc mentalis aſſiſtentia, ſit res noua io Chriſto, & ſucceſſiue acquiſita, niſi quatenus ſit ſimul ſenſibilis, & experimentalis. Vnde modo nec eſt neceſſe dicere, quod Chriſtus aſſiſtendo miſſæ, vel proprie oret, vel de nouo voluntatem ſuam manifeſtet, niſi pro quanto voluntas Chriſti per experimentalem ſcientiam dirigatur; Nam & ab inſtanti ſuæ Conceptionis, & dum ſacrificium inſtituit, & dum patiebatur mente aſſiſtit ſacerdotibus celebrantibus & tunc orauit, & proprie orauit pro qoibus orare voluit abſoluta voluntate, vt miſſæ effectum conſequerentur etiam quantum ad vim impetrandi. Et tamen hæc aſſiſtentia, & oratio ſemper fuit opus mediate ſacrificantis, vt explicatum eſt, & magis declaratur. Nam oratio Chriſti omnis, vel eſt petitio beneficiorum Dei, vt obtinendorum independenter à miſſa; & huiuſmodi oratio, non eſt oratio ſacerdotalis, & miſſam celebrantis, & Chriſtus per eam nec phyſice, nec moraliter, nec immediate, nec mediate miſſam celebrat. Vel petit beneficia vt obtinenda per miſſam, & hoc non eſt, quia petat huiuſmodi beneficia per aliam miſſam à ſe immediate celebrandam, quam ſit miſſa cœnæ, quia Chriſtus aliam miſſam immediate per ſe ſolum, & non per alium celebrat; ſi vero poſtulat beneficia,

ficia, vt obtinenda per missam celebratam per sacerdotes, Christus in hac oratione se habet, vt sacerdos mediatus, & offerens per ministrum. Quamuis, & oratio illa quam Christus habuit ex vi assistentiæ, sic fuit oratio sacerdotalia, quod tamen proprie non fuit oratio Christi, vt sacrificantis etiam mediate, sed vt assistentis sacrificio à se per ministrum habito. Sed oratio Christi, quæ illi, vt sacrificanti per ministros proprie adsuit, est oratio pro hominibus quodammodo in confuso, per quā petijt sacrificium esse impetratorium satisfactoriū & propitiatoriū, determinatione quantū ad beneficia, & personas relicta ipsis sacerdotibus per quorum ministerium sacramentaliter determinate orat, licet assistendo hanc sacerdotis orationem, vt est suo nomine factam approbet. Quamobrem his stantibus dicitur, quod Christus missam offert non tanquam immediatus, sed tanquam mediatus offerens, quod voluerunt, *Vasquez disp. 225. cap. 3. Fagund. præc. 1. l. 3. c. 6. n. 3.* & apud *Pasqual. vbi supra. Cardub a Henriq. Prapos. Gasp. Hurt. Beccan. & Amicus.*

717 Ex his colligitur primo non subsistere, quod habet *Pasqual. nu. 22.* nimirum Christum esse physico modo principalem offerentem, sicut fuit in sacrificio Crucis, alioquin non esset in hoc sacrificio idem offerens. Physicum autem concursum in eo consistere, quod physicè velit se offerri in sacrificium, & se offerendum exibeat. Nam etiam in sacrificio Crucis hoc solo modo se obtulit, cum ipse non se occiderit, sed ab alio occisus fuit. Est enim considerandum ex *Trid. d. sess. 22. c. 2.* esse idem offerens, & eandem hostiam, sed diuersum esse ritum sacrificij: neque enim sacrificium missæ consistit in voluntaria passione, & vitæ amissione sicut sacrificium mortis; Ideo in illo sacrificio non erat necesse, quod sacerdos physice ageret, sed sufficiebat, quod physice pateretur. Et ita si sacrificium missæ non in alio consisteret nisi, quod Christus passisse fieret sub speciebus panis, & vini, Christus dici posset physice, & immediate se ipsum offerre, ex eo quod permitteret se poni sub speciebus panis, & vini, sicut se ipsum etiam physice immediate se obtulit D. o, ex eo quod libere passus est mortem. Sed Christum esse sub speciebus non est principale oblatum, sed esse sub speciebus est modus essendi assumptus, vt medium ad significandum rem oblatam in sacrificio cruento, quæ fuit vita Christi, & quæ etiam in hoc sacrificio repræsentatur vt oblata, sed hoc sacrificium consistit in actione non in passione, & in eo, quod Christus ponitur actiue sub speciebus, & sic positus offertur. Igitur hic duplex actio, aut oblatio distingui debet, scilicet exterior, & interior; exterior hic non est realis passio, & amissio vitæ per mortem, sed passionis, & mortis repræsentatio per actiuam consecrationem panis, & vini, interior est voluntatis actus. Si loquamur de interiori oblatione, cum hæc consistat in actu voluntatis interno, & immanenti, hæc immediate est à Christo, & in hac Christus est offerens, & morale, & physicum, & immediatum. Morale quia actus liberi ad lineam entis moralis pertinent. Physicum, idest reale; quia voluntas est vera, & realis causa sui actus. Immediatum, quia actus volentis immediate est à volente. Et hoc est de ratione principalis sacrificantis, & offerentis, quod interna oblatio sit actus immediate elicitus ab offerente adeo vt primùm offerens sit ille qui primo peractum internum nedum offert, sed imperat alijs, vt offerant. Sed nostra quæstio est de oblatione sensibili, & externa, quæ in passione Christi fuit passio, in hoc vero sacrificio est actio sacerdotis offerentis. Et ideo ibi Christus immediate obtulit, quia immediate passus fuit, sed hic mediate se habet, quia mediate consecrat, & ibi Christus obtulit physice, quia immediate passus fuit. Sed Christus hic mediate, & moraliter offert oblatione extrinseca, quia non est ille qui physice consecrat, & missam celebrat, sed celebrat quia eius nomine celebrat sacerdos, quod est quid morale, & mediatum.

718 Hinc tamen colligitur secundo, quod missa est sacrificium mundum, purum, & sanctum, quod malitia sacerdotis non potest inquinari, Est quidem opus sanctum. Tum ex obiecto, quia est oblatio ipsius Christi. Tum denominatione à sanctitate Christi in quantum est opus habitum in Christi nomine ex eiusdem delegatione, & institutione. Et quia non potest aliter valide fieri quia potestas ordinis est potestas ministerialis, & delegationis ideo sacrificium inamissibiliter est Christi sanctitate sanctum, & impollutum, quod ex quacumque malitia sacerdotis non potest pollui, nec sua virtute priuari.

719 Colligitur tertio non esse mirum, quod sacrificium missæ non consequatur infallibiliter effectum in omni eo pro quo offertur, licet Christus sit principalis offerens, qui pro sua reuerentia à Patre exauditur, quia sicut sacrificium Crucis non habet efficaciam nisi in prædestinatis, quia Christus in offerendo voluntate absoluta conformauit se voluntati Patris, pro illis specialiter offerens, quos sciebat voluntatis Patris esse, vt salui essent, & sic ita pro omnibus mortuus fuit, & sacrificium suum pro omnibus obtulit, quod tamen secundum absolutam voluntatem solum pro prædestinatis orauit, vnde *D. Th. 3. p. q. 21. ar. 4 ad 2.* inquit, quod *Dominus non orauit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui credituri erant in eum: sed pro his solum, qui erant prædestinati, vt per ipsum vitam consequerentur æternam.* Ita & voluit, quod hoc sacrificium efficaciter impetraret pro illis, pro quibus erat voluntas Patris, vt ita eueniret, & pro quibus ipse voluntate absoluta orauit, vt sic fieret.

720 Colligitur quarto qualiter in formalitate verborum respondendum sit quæstioni, an scilicet Christus sit immediate offerens; si enim loquamur de oblatione interna, Christus immediate obtulit missas omnes dicendas. Et sic Christus est immediatus, & principalis offerens, & in virtute oblationis eius alij offerunt, quia eius oblatio est oblatio delegantis oblationem externam. Vnde respectu externæ oblationis Christus est principalis offerens, sed mediatus, & tanquam offerens non per se ipsum, sed per delegatum, quod tamen sufficit ad valorem sacrificij.

SVMMARIVM.

1 *In quo conueniant sacrificium cœnæ, & missæ. nu. 721.*

2 *In quo distinguantur, nu. 722.*

721 QVaeritur quinto qualiter, aut conueniat, aut distinguatur sacrificium missae à sacrificio Coenae Domini? Respondetur, quod vtrumque sacrificium est idem primo formaliter in ratione sacrificij, cum vtrumque sit actus virtutis religionis, & sit signum protestatiuum interioris sacrificij per quod homo se Deo submittit, vt primo principio, & vltimo fini, & se totum illi deuouet. Secundo conueniunt in re oblata, quae est Christus, vt existens sub speciebus panis, & vini. Tertio conueniunt in offerente qui est Christus, & qui etiam in missa est principale offerens. Quarto in modo offerendi, quia vtrumque est sacrificium incruentum. Quinto in re repraesentata, quia vtrumque est commemoratio passionis Christi.

722 Distinguuntur vero primo, Nam in sacrificio Coenae victima erat Christus mortalis, in missa est Christus immortalis. Secundo illud repraesentabit passionem Christi futuram, hoc iam praeteritam. In illo Christus fuit immediatus, & solus offerens, in hoc Christus offert per ministrum. Quarto in illo Christus meruit, in hoc non meretur, quia non est in statu merendi. Ideo quinto sunt sacrificia numero distincta, licet non specie, nec in genere signi.

SVMMARIVM.

1 *In quo conueniant sacrificium passionis, & missae, nu. 723.*
2 *Duo ista sacrificia non distinguuntur specie ex re significata. nu. 724.*
3 *Non distinguuntur specie ex diuerso modo significandi. nu. 725.*
4 *Non est eadem ratio de sacramentis, & de sacrificio. nu. 726.*
5 *Non specie distinguuntur, quia missa significet passionem. nu. 727.*
6 *Difficultatis ratio. nu. 728.*
7 *Vna numero distinctio est maior alia. n. 729.*
8 *Cur plura accidentia numera non sint in eodem subiecto. nu. 729.*
9 *Sacrificium internum Christi in passione, & in missa. nu. 730.*
10 *Sacrificium crucis, & altaris multipliciter distinguuntur, sed non specifice. nu. 731.*
11 *Plures particulae simul consecratae sunt plura Sacramenta, & vnum sacrificium. n. 732.*
12 *Sacrificium nouae legis distinctum plusquam specie à sacrificio veteris legis. nu. 733.*

723 QVaeritur sexto qualiter missae sacrificium conueniat, & distinguatur à sacrificio Crucis? Conueniunt primo in re oblata, quae est Christus. Secundo in offerente principali, qui est idem Christus victima, & sacerdos, vt habetur ex *Trid. sess. 22. c. 1. & 2.* Conueniunt etiam Tertio formaliter in ratione actus Religiosi. Sed distinguuntur, quia in sacrificio Crucis res oblata fuit Christus mortalis, & morte traditus, sed in sacrificio missae res oblata est Christus immortalis. Secundo ex parte offerentis, quia in illo solus Christus fuit sacerdos, qui immediate se ipsum obtulit, in isto Christus est principalis offerens, sed mediatus. Tertio in modo offerendi, qui in illo fuit cruentus, in isto vero est incruentus. In illo Christus fuit oblatus in sua specie naturali, hic offertur, vt sacramentaliter existens sub speciebus panis, & vini. Cum vero indubitatum sit ex istis, quod haec duo sacrificia distinguantur numero, quaestio remanet, an distinguantur specie. Et quidem sub genere virtutis specie non distinguuntur, cum spectent ad eandem speciem specialissimam virtutis, scilicet ad virtutem religionis.

724 Difficultas est, an in genere sacrificij, seu signi specie distinguantur. Affirmauit *Suarez disput. 76. sec. 1. §. Distinctione igitur, Tanner, Chelson, & Franciscus Lugo*, quos sequitur *Pasqualig. q. 52. n. 6.* Ratio prima est, quia signa distinguuntur ex re significata. At vero hic res significata est diuersa, quia sacrificium crucis significabat affectum Christi, & cultum quem Deo exhibebat, sed sacrificium missae significat affectum sacerdotis, & cultum, quem ille exhibet Deo. Sed haec ratio non vrget. Nedum quia affectus Christi, vt hominis, & affectus sacerdotis non distinguuntur specie, nec entitatiue, quod sunt actus plurium hominum eiusdem speciei, nec formaliter, quia sunt actus eiusdem virtutis, scilicet religionis; vnde est, quod nec specie distinguuntur missae plurium sacerdotum, licet repraesentent affectus, qui sunt plurium hominum, sed quia etiam missa primo, & principaliter significat affectum Christi, qui est principalis offerens, & ita vtrumque sacrificium eundem affectum significat primo, & principaliter, vnde hic non potest esse specifica, & formalis distinctio signorum, quae sumatur ex distinctione specifica rerum significatarum.

725 Secundo igitur hoc probant, quia ad specificam distinctionem signorum sufficit distinctio in modo significandi intrinseco, sic enim v. g. horologia solare, & lunare, etiam quae pulsant, specie distinguuntur, & tamen idem tempus significant: at vero sacrificium crucis, & sacrificium missae habent diuersum modum significandi; quia illud significat ex vi cruentae mutationis, & hoc ex vi incruentae. Sed neque haec ratio probat; Nam maior est falsa, & probatio non attingit verum; horologia enim illa possunt quidem esse distincta specie in genere artis, non tamen sunt distincta specie in genere signi, cum significent idem tempus: sed & minor argumenti deficit; cruenta enim mutatio, & incruenta distinguuntur quidem, & genere generalissimo in ratione entis, quia vna est passio, & alia est actio, & plusquam genere, quia vna est passio naturalis, & a causa naturali actiua proueniens, & alia est actio supernaturalis virtutis quatenus est actio instrumentalis; sed huiusmodi differentiae materialiter se habent in genere signi; quia vtraque mactatio nedum idem significat, scilicet internum animi sacrificium, sed eodem modo significat, scilicet per modum signi ad placitum; Non ergo ex hoc specie distinguuntur.

726 Tertio id probant, quia ideo sacramenta sunt diuersae speciei in genere signi, quia sunt diuersa signa sensibilia, & important diuersa verba, & materiam ex quibus componuntur. Verum quidquid sit de veritate assumpta, non est eadem ratio, quia Sacramenta non distinguuntur ex materiali distinctione verborum, aut materiarum, sed ex aliqua formali distinctione rerum si-

gnifica-

gnificatarum, baptismus enim significat generationem spiritualem. Pœnitentia spiritualé medicinam, Eucaristia spiritualem nutritionem, igitur si hæc sacrificia debent distingui specie, debet ostendi, quod significatum formale sit diuersum sub ea ratione formali sub qua significatur; quod hic non reperitur quia offerentium affectus sub ratione religiosi cultus est vnius rationis formalis, & vlterius res quæ in ordine ad diuinum cultum offertur est vna, scilicet Christus, & idem offerens, vnde amborum idem est finis, eadem materia circa quam, eadem causa efficiens, & idem modus significandi, ad placitũ licet materialiter non sint eadem signa.

727 Dices distingui specie, quia vnum est obiectum significatum per aliud, sacrificium enim missæ significat passionem Christi, seu ipsum crucis sacrificium. Sed respondetur, quod hoc non sufficit ad distinctionem specificam, quia ambo significant, quid tertium, quod est per se primo, & formale significatum illorum, vt sunt sacrificium. Sic in ratione signi non distinguuntur specie imago Petri delineata ab excellenti artifice, & eadem Petri imago ad imitationem prioris delineata ab alio pictore, licet enim hæc secunda representet primam, & ex hac intentione sit facta, vt sit ei similis, & illam representet, tamen eiusdem speciei sunt in ratione imaginis Petri quia ambo Petrum, & non alium representant, & quia vna non repræsentat aliam nisi vt imaginem Petri. Sic in præsenti sacrificium cruentum, & incruentum significant per se primo oblationem eandem qua Christus se obtulit Deo, res vero oblata, & primo significata non est modus cruentus, sed est res existens sub tali modo, distinguuntur ergo modi offerendi eandem rem, quia vnus importat realem, & naturalem passionem, alius vero repræsentationem illius naturalis passionis, quæ est passio quædam mistica, sed significatum primarium sacrificij, & res oblata non est passio, sed est Christus vt stat sub vtroque modo, seu vt offertur sub vtraque oblatione. Et ideo ex diuerso modo offerendi sacrificia numero distinguuntur, sed ex identitate rei oblatæ sunt vnum specie sacrificium.

728 Ad huius veritatis euidentiam considerandum est, quod id, quod latere potest difficultatem est quia ad distinguendum specie signa videtur sufficere qualibet differentia in re significata, ita quod ad hoc sufficiat etiam distinctio numeralis. Nam cum in doctrina S. Thomæ duo accidentia solo numero distincta non possint esse simul in eodem subiecto, nihilominus species plures plura indiuidua solo numero distincta repræsentantes sunt in eodem sensu, sed hæ species non distinguuntur solo numero in genere speciei repræsentatiuæ, ratio est quia per se primo representata distincta sunt, & ideo non sunt eiusdem rationis repræsentationes. Cuius etiam signum est, quod magis distant imago Pauli, & Petri, quam duæ imagines Pauli, quæ tamen numero distinguuntur. Imagines vero Pauli, & Petri cum per se primo representent Petrum, & Paulum vt sunt distinctæ personæ, & vt sunt tales, & indiuiduæ, ideo in ratione imaginis videtur, quod plusquam numero distinguntur quia Petrus, & Paulus vt sunt distincta indiuidua, habent distinctas quidditates, & differentias indiuiduales, quæ etiam solum analogice conueniunt, differentiæ enim rerum in nullo reali prædicato vniuoco conueniunt. Et sic imagines, & signa plurium etiam numero distinctorum plusquam numero distinguuntur.

729 Verum hoc fundamentum non subsistit, & aliud est, quod vna distinctio numerica sit maior alia, quia sub eadem specie humana magis distinguuntur fœmina, & masculus quam fœmina, & fœmina. Et aliud est, quod vna sic distinctio specifica ex eo quod sit maior alia distinctione numerica. Quod est falsum. Quamuis ergo magis distinguantur signa, si eis correspondeat aliqua distinctio in obiecto, quam si non correspondeat, non ob hoc sequitur, quod distinguantur specie si eandem rem non representent. Sic species Petri, & Pauli solo numero distinguuntur, quia non magis distinguuntur Petrus, & Paulus. Nec obstat, quod modi differentiales Petri, & Pauli distinguantur analogice, quia hoc stante non distinguunt Petrum, & Paulum nisi numerice, & species non repræsentant per se primo modos indiuiduales, sed Petrum, & Paulum, qui solum numero sunt distincti. Et quando dicitur, quod huiusmodi species debent distingui plusquam numero, quia sunt in eodem subiecto, negatur consequentia, quia vbi dicitur, quod accidentia plura solo numero distincta non possunt esse in eodem subiecto, debet intelligi de distinctione numerica, quæ ex subiecto ipso sit petenda. Quia enim accidentia indiuiduantur ex subiecto, & ex identitate numerica subiecti non possunt accidentia plurificari numero, ideo accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem subiecto, sed hoc est verum in accidentibus quæ ex solo subiecto indiuiduantur; sic enim in eadem materia non sunt duæ figuræ triangulares, vel duæ albedines; sed hæc doctrina non procedit in illis accidentibus quæ aliunde quam à subiecto indiuiduantur; quia ista etiam si distincta numero possunt esse in eodem subiecto, quia distinctionem à subiecto non mendicant, sed habent aliunde, & in hoc se habent, ac si essent diuersarum specierum sic enim species Petri, & Pauli se habent vt duæ quidditates, & ideo in eodem subiecto esse possunt, quamuis solum numero distinguantur in genere imaginis, vel repræsentationis. Et sic non probatur, quod signa debeant dici distincta specie ex quacumque differentia inuenta in obiecto, sed solum ex specifica obiecti differentia specifice distinguuntur quamuis maior distinctio signorum sit vbi est aliqua differentia in obiecto.

730 Considerandum vero vlterius est, quod significatum exterioris sacrificij est sacrificium mentis interius, vt habet *D. Th. supra qu. 85. art. 2.* ideo ad videndum, an exterius sacrificium cruentum, & incruentum distinguantur specie videndum est, qualiter interiora sacrificia per illa significata distinguantur. Sacrificium internum significatum per sacrificium exterius mortis Christi est ille actus voluntatis, & voluntaria oblatio per quam Christus obtulit Deo vitam propriam, vt per opprobria iniurias, vulnera, & mortem amittendam ad Dei gloriam, & mundi salutem. Vnde obiectum talis voluntatis fuit Christus ipse, sed vt subiectus opprobriis, persecutionibus, vulneribus, & morte. Ita quod licet opprobria, vulnera, & iniuis

mors naturalis proprie non sit res oblata, neque in recto partes rei oblatæ, fuerunt tamen modi illius, & illius accidentia, & intrinseca fuerunt obiecto illius interioris sacrificij, qua Christus se obtulit, ita quod obiectum illius fuit Christus ipse vt in suo esse naturali subiectus passioni, & morti naturali. Sed in sacrificio missæ duo sunt interna sacrificia significata, sed id à quo specificatur sacrificium per se primo est illa interior Christi oblatio qua obtulit se ipsum Patri, vt mactatum mistice, & repræsentatiue, seu vt contentum sub speciebus panis, & vini. Itaque res oblata eadem est, per vtrumque sacrificium, sed modus rei oblatæ non est idem sed distinguuntur plusquam specifice, & vniuoce, & eo modo quo distinguuntur obiectum, & repræsentatio obiecti, seu res in esse reali, & in esse repræsentatiuo; quia nimirum obiectum prioris sacrificij cruenti est Christus, vt stans sub reali passione sui, & morte, sed obiectum secundi sacrificij est Christus, vt stans sub passione, & morte repræsentata. Vnde duo ista sacrificia, licet in ratione actus religiosi conueniant, quia ambo sunt actus eiusdem virtutis religionis, in ratione tamen obiecti significabilis plusquam specifice distinguuntur, quia licet conueniant realiter in eodem numero Christo realiter existente, & realiter oblato, tamen vnus, & idem Christus sub modo diuerso est, vt stat sub passione reali, & vt stat sub passione repræsentata, & mystica; passio enim realis, & passio repræsentata solum analogice conueniunt in ratione passionis. Vlterius vero immediatum significatum sacrificij missæ est sacrificium internum sacerdotis, quod quidem sacrificium, est oblatio facta Deo, per quam ad Dei gloriam, & salutem Ecclesiæ sacerdos nomine Christi, & vt eius vices gerens offert Christum, vt mistice mactatum. Vnde est, quod immediatum significatum sacrificij missæ est actus puri hominis materialiter, quamuis principaliter, & remote sit ipsa Christi oblatio, quia signum, quod fertur in oblationem factam à puro homine vt vicesgerente Christi, qui est Deus, & homo principaliter, & finaliter significat ipsam Christi oblationem, vtriusque tamen oblationis idem est obiectum, sed cum aliqua differentia, quia Christus immediate se offert, vt mistice mactatum per consecrationem sacerdotis, & sacerdos offert Christum, vt mistice mactatum à se sed in persona Christi, & ideo vt per prius oblatum Deo à Christo. Et vtraque differentia se tenet ex modo rei oblatæ, qui in vno est Christus vt mystice mactatus per alium idest sacerdotem, & in alio est Christus, vt oblatus per alium, scilicet per Christum.

731 Colligitur primo, quod huiusmodi tria sacrificia scilicet sacrificium cruentum, sacrificium incruentum Cœnæ, & sacrificium missæ ex re oblata non distinguuntur quia hæc est Christus. Colligitur secundo, quod distinguuntur ex modo obiecti oblati, quia res oblata per sacrificium cruentum est Christus secundum vitam naturalem subiectus passioni, & morti, sed res oblata per alia duo est Christus, vt subiectus mystice mactationi, seu passioni, & morti. Et hæc duo inter se distinguuntur, quod res oblata per sacrificium Cœnæ est Christus vt mystice mactatus, & per Christũ ipsũ oblatus, sed in sacrificio missæ est Christus, vt oblatus per sacerdotẽ ministrũ, sed per prius oblatũ per Christum ipsum. Colligitur tertio, quod hæc duo vera sunt, scilicet, quod hi modi se tenent ex parte obiecti oblati, & nihilominus, quod ortum habet ex modo, seu ritu sacrificandi, & immolandi vt docet *Trident. sess.* 22. c. 2. Etenim in sacrificio consideratur eductio victimæ, oblatio, & victimæ destructio, sed ex istis destructio victimæ se tenet ex parte obiecti oblationis, quia oblatio offert victimam destruendam. Et licet oblatio prior sit, quam victimæ destructio secundum ordinem executionis, sic enim Christus ab instanti suæ Conceptionis se sacrificauit, & obtulit morti, tamen quia victimæ destructio se tenet ex parte finis, & obiecti, sufficit quod præexistat in intentione, & ita modus sacrificandi redundat in obiectum oblationis, & illud modificat. Significatio vero vtrumque supponit, & oblationem internam quæ est principium externæ oblationis, & ipsam externam oblationẽ, & physicam immolationis actionem, quæ est illa in qua exterius sacrificium materialiter consistit, & cui competit significare. Colligitur quarto, quod hæc distinctio non est ex modo significandi diuerso, vt voluerunt *Suarez, & Pasqual. nu.* 7. sed ex diuersitate modi rei significatæ redundante in illam ex modo imolandi victimam, & illam destruendi. Colligitur quinto, quod hæc distinctio in ratione signi non est minima numeralis, quia signorum minima numeralis distinctio conuenit omnino in re significata, vt distinguuntur numero nomen Petrus à me nunc prolatum, ab eo quod postea proferam. Sed nihilominus an sit dicenda specifica ex eo quod modi offerendi victimam plusquam specifice distinguantur, dicendum potius est, quod non sit specifica quia primo oblatum, & significatum est idem numero, & quia sacrificia illa ex eo quod diuersificantur ex modo, & ritu immolandi, nõ possunt esse diuersa nisi modaliter, & accidentaliter, non vero essentialiter, & specifice. Sic enim nec proprie in ratione imaginis specie distinguunt imago Petri ex saxo delineata, & ex coloribus picta, quia semper ex obiecto est vna, & eadem. Et ideo, quod huiusmodi sacrificia sint vnum specie dixerunt *Sotus in 4. d. 13. q. 2. a. 1. ad 1. Lutheri argum. Vasquez disp.* 224. *c. 2. n.* 21. *vers.* Porro ex his. *Valen. tom. 4. disput. 6. q. 11. p. 1. Sylues.* 3. *p. q.* 83. *a. 1. qu.* 5. *vers.* An autem, & *Gaspar Hurtad.* apud *Pasqual. q.* 52. *n.* 4.

732 Colligitur sexto, quod ritus, & modus sacrificandi etiam si sit intrinsecus sacrificio non variat essentiam sacrificij quæ ex re oblata sumi debet, non ex modo offerendi, ex quo solum habetur modalis distinctio, eiusdem oblationis non vero distinctio essentialis. Colligitur septimo, quod vbi consecrantur plures particulæ panis simul, & eadem consecratione non sunt plura sacrificia, sed vnum numero licet sint plura sacramenta. *Vasqu. ibid. vers. postremo obseruandum Pasqual. n.* 31. quia eadem victima, idem offerens, eadem actio offerendi, quod vero sint plures species numero sub quibus est Christus, non potest variare sacrificium in ratione sacrificij, quia non sufficit ad multiplicandã actionẽ sacrificandi, sacrificiũ vero importat essentialiter actionem sacrificationis. Sacramentum vero essentialiter, & in recto importat species ipsas sub quibus est Christus, & ideo plures numero spe-

ro species suat plura numero sacramenta. Colligitur octauo, quod sacrificium nouæ legis à sacrificijs veteris legis plusquam specie distinguitur, quia nedum res oblatæ specie distinguuntur, quia animalia, & homo distinguuntur specie, sed quia Deus, & homo Christus est alterius ordinis, & in infinitum diuersæ rationis à qualibet pura creatura. Et prætetea principalis offerens in sacrificio nouæ legis est Deus, & homo Christus, in sacrificijs vero veteris Regis erat purus homo. Vnde est quod in infinitum sacrificium nouæ legis excedit sacramenta legis veteris.

INSPECTIONIS SEXTAE.

CAP. SECVNDVM.

De fructu Missæ.

SVMMARIVM.

1 *Fructus missæ triplicis qualitatis. num. 733.*

733 VIdendum est in hoc capite, quid & cui fructificet hoc sacrificium, vt postea videri possit, quantus sit eius fructus. Nã fructus huius qualitas est, vt sit triplex scilicet propitiatio pro culpa, satisfactio pœnæ, & beneficiorum impetratio. Nam hoc sacrificiũ, vt habetur ex *Concilio Triden. sess. 22. cap. 2. de sacrif. Missa* est propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium.

SVMMARIVM.

1 *Offerentes multiplicis generis. nu. 734.*
2 *Offerunt etiam Ecclesia, ministri, petentes missam, & illi assistentes. nu. 734.*

734 QVæritur autem primo. Quis sit offerẽs hoc sacrificium? Sed distingui debet, quia aliud est offere sacerdotaliter, & aliud est offerre cooperatiue, aut deprecatiue. Offerens sacramentaliter est duplex scilicet proximus, & instrumentalis, & hic est sacerdos qui consecrat panẽ, & vinũ, cũ hic ille sit, qui immediate Deo imolat incruente Christum sub panis, & vini specie. Alius est offerens mediatus, & principalis, qui est Christus, qui ministerio sacerdotum offert hoc sacrificium, vt habet *Concil. Trid. loco citato*. Alij vero sunt offerentes cooperatiue, qui sunt plures. Nam in solo Christo, & sacerdote oblatio ista est actus sacerdotalis, quia solus sacerdos offert ex potestate sacerdotali immediate. Christus vero mediante sacerdote cui dedit potestatem ministerialem sacrificandi nomine suo, & in persona sua, In reliquis vero offerre non est actus sacerdotalis propric. Ecclesia quidem ordinat sacerdotes per suos Prælatos, & dat illis potestatem offerendi hoc sacrificium, & mandat, & vult, sed ordinare licet sit actus ordinis Episcopalis, non est tamen sacrificare nisi causaliter, & ideo post sacerdotem Ecclesia primo inter offerentes moraliter numeratur, quia causaliter offert, & dando potestatem consecrandi, & præcipiendo, vt sacerdotes missam celebrent pro viuis, & defunctis, & sic est veluti prima inter cooperatores, pro quanto dat sacerdotium, & prima inter mandantes sacrificium offerri, vnde illa potest dici offerens auctoritatiue. Ministri vero altaris cooperatiue offerunt, & in illis offerre est actus ordinis. Qui missas vero petunt, sunt causæ morales sacrificij, & deprecatiue offerunt, Et qui missæ assistunt, assistendo offerunt, & sunt in numero deprecantiue offerentium, sed mediati sunt, primo, qui sacerdoti inseruiunt Diaconi, Subdiaconi, Acolyti, & alij, qui qualecumque obsequium sacerdoti præbent, & maxime qui ex potestate ordinis sacerdoti ministrant. Secundo qui eidem sacerdoti dederunt eleemosinam offerunt deprecatiue pro missa dicenda, vel cum ad hoc agendum rogauerunt, vel quomodocumque causa illi sunt, vt missam celebret, isti enim eligunt sacerdotẽ, vt veluti mediator pro illis missam offerat. Sed omnium horum prima est Sancta Ecclesia Dei sponsa, quæ per sacerdotem, vt à se ministrum deputatum sacrificium hoc Deo offert. Ecclesia enim præcipit, & volt, quod sacerdotes missam celebrent. Tertio etiam assistentes missæ moraliter se habent, vt offerentes Deo hostiam, sacram, vt dixit *S. Leo Papa epis. 81. cap. 2.* & habetur *de consec. dist. 1. cap. Necesse est autem, vt quadam pars populi sua deuotione priuetur, si vnius tantum missæ more seruato, sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte conuenerint*. Idem vero docuerunt *Innoc. 3. l. 3. de Myst. missæ cap. 6. Rupert. Abbas l. 2. de diuin. offic. cap. 6.* & alij plures apud *Durandum lib. 2. de ritib. Ecclesiæ cap. 34. n. 7.* Et habetur expresse canone Missæ ibi. *Vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* Et paulo post. *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ.* Et post consecrationem. *Vnde, & memores nos serui tui, & plebs tua sancta offerimus preclaræ Maiestati tuæ*, Quæ omnes particulæ intelliguntur de personis alijs à sacerdote, vt per se est manifestum. Nam, & sicut qui sacrificio idolorum sunt præsentes illique consentiũt censentur idolis immolare. *1. Cor. cap. 4.* ita qui sacrificanti Deo assistunt, & ei consentiunt censentur Deo sacrificare, vt habetur ex *D. Th. 3. p. q. 79. a. 7.* Et sic sacerdos sic offerens ad Christum comparatur vt Vicarius eius, & minister, ad plebem vero, vt superior, & sacerdos constitutus in ijs quæ sunt apud Deum, vt oret pro ea. Ad Ecclesiam vero comparatur, vt eius superior quatenus pro ea orat, sed quatenus ab ea per Prælatos eius, & maxime per Pontificem Romanum consecratur, & deputatur in sacerdotem, se habet etiam, vt inferior, & minister.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos, vt sacerdos absolute non participat fructum sacrificij. nu. 735.*
2 *Sacerdoti peccatori, vt sacerdoti respondet fructus ex opere operato. nu. 735.*
3 *Sacrificium ex sui institutione fructificat sacerdoti capaci. nu. 736.*
4 *Datur causa quæ per se causat, licet non nisi in tali materia. nu. 736.*

375 SEcundo quæritur, an offerenti inquantum offerenti prosit missa ex opere operato-

operato. Negat *Nicolaus Ifambertus 3.p.q.83.disp. 7.a.6.* & *Vasquez disp.231.cap.3.* Idem ex *Coninch. Garzia, Marata,* & *Dicastill.* docet *Pasqualig.q.58.* & *59.* Sed considerandum est, quod sacerdos inquantum sacerdos non habet, vt indigeat fructu sacrificij, atque propterea non habet, vt sit is, pro quo offeratur sacrificium. Sacerdos enim, vt sacerdos non est peccator, vt indigeat sacrificio per quod impetret à Deo veniam peccatorum, & remissionem pœnæ illis debitæ, & ideo bene *S.Thomas 3.p.q.22.a.4. ad 1.* distinxit inter Christum, & alios sacerdotes, *quod alij sacerdotes effectum sacerdotij sui participant, non inquantum sacerdotes, sed inquantum peccatores. Christus autem simpliciter loquendo peccatum non habuit; habuit tamen similitudinem peccati in carne, vt dicitur Rom.8.* & *ideo non simpliciter dicendum est, quod ipse effectum sacerdotij participauerit, sed secundum quid, scilicet, secundum passibilitatem carnis; Vnde signanter dicit. Qui possit illum saluum facere à morte.* Cum igitur sacerdos, vt sacerdos non sit peccator, seu non sit indigens effectu sacrificij missæ certum est, quod missa ex opere operato non confert effectum sacerdoti, vt absolute est sacerdos actiue offerens. Sed si loquamur de sacerdote, qui simul sit peccator distinguendum est, quia si ly inquantum reduplicet rationem recipiendi fructum, dicendum est quod missa ex opere operato non confert effectum suum sacerdoti inquantum est actiue offerens, sed inquantum est peccator pro quo offertur, quia agens inquantum agens non patitur; sacerdos vero vt offerens est agens, igitur inquantum offerens non est recipiens effectum sacrificij, sed est conferens illud. Sed tamen simul verum est, quod offerens peccator ex hoc, quod est peccator offerens per se, offert pro se ipso, & sic est simul offerens, & is pro quo offertur. Vt enim habet *Paulus ad Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt apud Deum, vt offerat dona, & sacrificia. Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam, & pro semetipso offerre.* Cum ergo sacerdos peccator debeat offerre pro semetipso, inquantum peccator offerens censetur semper pro semetipso offerre, quia sic debet facere, & ideo sacerdoti, vt offerenti datur fructus ex opere operato non quia recipiat inquantum est offerens, sed quia hæc duo coniunguntur esse offerentē, & esse is pro quo offertur, quia sacerdos offerens licet, vt offerens non sit is, pro quo offertur, vt peccator tamen offerens debet pro semetipso offerre, & sic censetur facere, & facit.

736 Et si quis interroges, an hæc coniunctio, vt sacerdos peccator offerens sit simul is pro quo sacrificium offertur sit coniunctio per se, vel potius accidentaria, & separabilis, & sic possit dari sacerdos offerens missam, qui simul non sit is, pro quo missa offertur? Respondetur, quod hæc coniunctio est per se, & fundata super natura offerentis sacrificium pro peccatis, & quod propterea hæc propositio est vera, offerenti, vt actiue offerenti respondet, & debetur fructus missæ ex opere operato. *Pasqualig. de sacrif. Miss.q.96.n.2.* Sed debet considerari, quod sunt aliquæ causæ, quibus inquantum talibus conuenit causare aliquem affectum non vniuersaliter, sed in tali materia, sicuti circularis figura est inquantum talis causa tardæ sanationis, non vbicumque ipsa est, sed si sit in subiecto capaci sanitatis, & infirmitatis, ideo in carne vulnus circulare est tardius sanabile. Sic offerenti sacrificium per se ex natura sacrificij competit, vt sit sacrificij particeps, nam qui altari deseruiunt, de altari participant, et dixit *Apos.1. Cor.9.* & natura ipsa actionis est, vt sit vtilis agenti, cum etiam vnusquisque sit propter suam actionem, vnde naturæ ipsius est intentio vtilitatis propriæ in agendo. Et hoc etiam est ex natura charitatis, quæ est vt vnusquisque post Deum prius diligat seipsum, & sic charitas ipsa vult vt sacrificans prius sacrificet pro se, si sit indigens fructu sacrificij. Ideo quia missæ sacrificium est institutum conformiter ad inclinationem gratiæ, & naturæ, per se ex natura operis, & ex opere operato fructificat sacrificanti, non vniuersaliter, seu si sacrificans non sit peccator, sed in tali materia scilicet in sacrificante peccatore. Et sic verum est, quod offerenti inquantum offerenti competit fructus ex opere operato, non quia recipiat fructum inquantum est offerens, quia fructum recipit inquantum est peccator pro quo offertur. Sed quia ei inquantum est offerens conuenit, & quod sit is, pro quo offertur, & cui fructus sacrificij debeatur. Quod amplius confirmatur, quia ex *Concil. Trid. sess. 22. cap. 6. de sacrif. Missæ,* sacerdos celebrat, vt communis, & publicus minister, & ideo missa de se est commune sacrificium, quod merito propterea extenditur etiam ad sacerdotem ex sui institutione. Item cum sacerdos sit mediator inter Deum, & populum, non eget ille mediatore, sed ipse sibi pro se ipso est mediator, & sic offerendo pro alijs pro se offert. Et ideo melius dixerunt DD. qui asseruerunt, quod sacerdoti offerenti, vt offerens est, competit fructus ex opere operato, qui sunt *Sotus 4. d. 13.q.2.a.1. §. isti ergo. Canus l.12.de loc.cap.13. ad 10. Suarez 3.p.disp.79.sec.8. §. Tertio,* quod pertinet. *Bonac. disp.4.q.vn.p.4.n.2.* & apud *Pasqual. vbi supra. Henriq. Fillius, Layman, Franciscus Lugo, Auersa,* & *Amicus.*

SVMMARIVM.

1 *Sacrificium aliquem fructum habet ex opere operato independenter à determinatione sacerdotis, num. 737.*

737 TErtio quæritur, an fructus omnis operis operati sacrificij missæ sit determinabilis ad personas ex sola libera determinatione sacerdotis offerētis, ita quod si sacerdos nollet alicui applicare missā, illa ei nihil fructificet, & sic sacerdos ad sui libitū possit priuare quemcumq; fructu missæ, vel potius sint aliquæ personæ, pro quibus missa fructificat ex intētione Christi, & Ecclesiæ independenter ab intentione sacerdotis. Posset enim videri alicui, quod applicatio fructus sacrificij sit tota in sacerdotis libertate; quia eius libertatis est consecrare, & offerre, & sacrificare; igitur & sacrificium pro hoc vel illo offerre. Sed non ita est. Nam sicut in sacramentis esto in potestate sacerdotis sit sacramentum conficere, vel non conficere, non tamen in eius potestate est fructum sacramenti suspendere, vel impedire, sed sacramentum in recipiente disposito velit nolit sacerdos cau-

dos causat suum effectum; ita sacrificium missæ ex sua institutione, & Christi intentione & Ecclesiæ suum effectum in pluribus causat connaturaliter, & non impedibiliter ab intentione sacerdotis. Neque enim dici potest, quod sacerdos celebrans possit impedire omnem fructum sacrificij, vt nulli fructificet, & sic ex malitia sua impedire ne animæ in purgatorio existentes participent de missæ sacrificio. Quod confirmatur, quia in sui ordinatione recipit potestatem conficiendi corpus, & sanguinem Christi, & illa offerendi cum hac expressiune pro viuis, & defunctis; cum ergo actus potestatis sacerdotalis sit offere pro viuis, & mortuis, non potest sacerdos, si semel celebret missam, & offert corpus, & sanguinem Christi non illa offerre pro viuis, & defunctis. Nam & oblatio sacrificij ex natura sua est oblatio pro aliquo; ex vi igitur institutionis suæ, & ex Christi institutione, & sic ex sui natura, & connaturaliter celebratio missæ est oblatio pro aliquibus personis saltem in confuso. Quod explicatur magis, quia missa ex sui institutione est applicatio fructus passionis Christi, in sui igitur ratione importat, vt alicui proficiat, & aliquem reddat participem eorundem fructuum passionis Christi quamobrem dicendum est, quod independenter à determinata intentione sacerdotis, & ex vi illius intentionis, qua sacerdos intendit celebrare missam, Missa in genere applicatur tam viuis, quam defunctis; sic etiam dici potest, quod sacrificium ex sui institutione proficiat celebranti, & ex intentione Ecclesiæ ministrantibus, & pro illis omnibus, qui sunt offerentes in hoc sacrificio. Sed ad horum euidentiam.

SVMMARIVM.

1 *Fructus missæ triplex. nu.738.*
2 *Qualiter fructus isti distinguantur. nu.739.*

738 QVæritur quarto quotuplex sit fructus missæ? Triplex distinguitur, scilicet generalissimus, specialis, & specialissimus. Generalissimus est, qui spectat ad omnes fideles, omnibusque illis prouenit. Specialissimus est, qui pertinet, & prouenit sacerdoti, & alijs offerentibus, sed specialis est, qui est sub determinatione sacerdotis, vt huic vel illi determinatæ personæ proueniat. Communissimus ex duplici capite difunditur ad omnes. Primo scilicet ex vi charitatis, & communionis sanctorum, ex qua bona charitatiua diffusione sunt communia. Sed hic modus non est proprius sacrificij, sed communis omnibus Ecclesiæ bonis, quia virtute charitatis bona vniuscuiusque redundant in totum Ecclesiæ corpus, vt vnusquisque de eo participet. Sed hæc communio non se extendit ad peccatores, qui cum charitate careant, nec sint vnum ex vinculo charitatis cum alijs, ex hoc vinculo non habent bonorum communionem. Secundus modus huius sacrificij proprius est, quia illud offertur pro omnibus, vt patet ex illis verbis canonis in offertorio. *Sed, & pro o[...]mnibus fidelibus Christianis viuis, & defunctis.* Et s[...]cundum ritum Ord. Prædicatorum, *& meam, & o[...]nium fidelium salutem operetur æternam.* Specia[...]lissimus vero est distinctus ab hoc generali, & prou[...]enit ex eo quod, vt dicebatur offerenti peccatori,

vt tali sacrificium speciali iure fructificat, ex eo quod qui est in statu peccatorum offerens hoc sacrificium eo ipso illud offert etiam pro se ipso. Ideo in offertorio secundum ritum Romanum dicitur *offero tibi pro innumerabilibus peccatis, offensionibus, & negligentijs meis, &c.* Et hoc sacerdos debet facere, vt habetur ex *Paulo Hebr.* 5. & supra dictum est. Et huius ratio est, quia cum dispositio bona sacerdotis multum valeat ad hoc vt de facto sacrificium sit magis efficax, & Deo acceptum, ideo sacerdos ex vi officij sui tenetur prius pro se ipso sacrificium offerre, vt eius oblatio Deo sit gratior, & magis alijs vtilis. Fructus autem specialis est, quia cum sacrificium possit offerri specialiter pro determinatis personis, quia sacerdos constituitur, *vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Heb.* 5. ideo huic oblationi correspondet tertius fructus, qui dicitur specialis, quia ortus ex sacrificio, vt oblato specialiter pro hoc vel illo determinate.

739 Sed considerandum, quod hæc distinctio non est ex parte sacrificij, & virtutis eius, quæ vna est sibi conueniens ex sui natura, & institutione, & neque est distinctio secundum intrinseca, & formalia, & quasi distinctio generis in species, quia semper eiusdem rationis est, nimirum vel propitiatio vel gratiæ alicuius impetratio, vel satisfactio. Sed est distinctio eiusdem fructus in modos, & gradus; quia in aliquo gradu prouenit omnibus, in alio sacerdoti, in alio illis pro quibus specialiter offertur. Quasi si daretur immensus numerus aureorũ, ex quibus virtute alicuius obsequij ab aliquo de cõmunitate exhibiti accipiẽdi essent centũ mille pro communitate, 60. millia pro illis, pro quibus illud obsequium fuit exhibitum, & 40. millia pro eo, qui obsequium exhibuit. In quo casu qui operatus fuit iterum participaret pro rata de centum millibus, cum esset de communitate, & de 60. millibus si specialiter pro se etiam offeret, & alia 40. millia essent sibi propria. Vel dici potest, quod sit distinctio ex causa; quia generalissimus respondet sacrificio, vt est commune, & offertur ab Ecclesia, specialissimus respondet priuato offerenti vt offerenti, specialis respondet priuato offerenti, vt potest offerre specialiter pro se, vel pro alio.

SVMMARIVM.

1 *Fructus generalissimus competit missæ ex institutione Christi. num.740.*

740 QVæritur quinto à quo habeat sacrificium missæ, vt producat fructum generalissimum? Non est vero dubium hoc prouenire ex institutione Ecclesiæ, quæ vult, & iubet, quod sacerdos offerat missam pro omnibus fidelibus generaliter. *Nauar. cap.* 25. n. 11. *Azor. par.* 1. *l.* 10. *cap.* 20. in *fin. Bonac. disp.* 4. *q. vl. p.* 4. *n.* 2. Quod vero hoc sit solum ex institutione humana senserunt aliqui, pro qua sententia *Pasqual.* infra citandus refert *Vasquez* 3. *p. disp.* 231. *cap.* 6. *nu.* 36. *& Ratenm de fruct. sacrif. Miss. l.* 1. *disp.* 1. *q.* 1. *dub.* 1. *n.* 19. Sed veritas est, quod prouenit ex institutione Christi, vt docent *Henriq. l.* 9. *cap.* 21. *n.* 3. *Nicolaus Isambertus* 3. *p. q.* 83. *disp.* 7. *a.* 12. *vers. tota responsio. Pasqual. de sacrif. Miss. q.* 89. *n.* 4. Et ex eo colligitur, quod hoc sacrificium, & repræsentat passionem Christi, vt

docet *Conc. Trid. seß. 22. cap. 1. de sacrif. Missæ.* & est applicatio virtutis passionis Christi, & quantum ad hostiam oblatam, & principalem offerentem est idem cum sacrificio cruento eiusdem passionis; igitur cum hoc sacrificium sic continens virtutem passionis Christi sit donum à Christo suæ sponsæ donatum, sequitur quod ad eiusdem totius Ecclesiæ vtilitatem fructum ex sua ipsa institutione, & donatione ferat. Non sequitur vero, quod ex sui institutione fructificet omnibus simpliciter etiam non fidelibus, quia Ecclesiæ donatum illi connaturaliter fructificat. Ex quo sequitur etiam, quod hæc institutio est connaturalis ipsi sacrificio, & quod sacrificium ipsum ex natura sua petit sic esse fructiferum nedum in actu primo, sed & in actu secundo vbi non inueniat obicem, quia talis est conditio passionis Christi quam in ratione sacrificij hoc sacrificium repræsentat, & ideo petit, quod sicut sacrificium illud incruentum fuit oblatio pro omnibus simpliciter, sic istud sit oblatio pro omnibus illis quibus fuit donatum, & quod toties quoties hæc oblatio repetitur, toties illis omnibus fructificet. Ex quo sequitur, quod etiam si Ecclesia non præcepisset sacrificium hoc offerri pro omnibus, & etiam si sacerdos id obliuisceretur facere; imo si sacerdos actu positiuo nollet suam missam habere fructum hunc generalissimum, adhuc illum haberet. Relictum enim est libertati Ecclesiæ, vel sacerdotis applicatio fructus missæ pro ea parte pro qua potest esse indeterminatum quantum ad personas, sed vbi personæ pro quibus sacrificium habet fructificare sunt determinatæ, pro illis ex institutione fructificat, & ideo cum tota Ecclesia sit quid de facto in quolibet instanti determinatum, non est ad hoc opus determinatione sacerdotis, sed missa ex sui institutione generaliter fructum pro omnibus fidelibus germinat.

SVMMARIVM.

1 *Sacrificium est impetratorium respectu Ecclesiæ, & intuitu boni communis nu. 741.*
2 *Fructum generalissimum consistere in satisfactione, aliqui dicunt. nu. 742.*
3 *Id reprobatur. nu. 743.*
4 *Ad hoc, vt missa det fructum alicui sufficit, vt sit is pro quo offertur. nu. 744.*
Singuli de Ecclesia sunt offerentes. nu. 744.

741 QVæritur sexto, in quo consistat fructus generalissimus missæ, an scilicet missa, vt sic generaliter oblata impetret solum, vel etiam satisfaciat, & quantum, & qualiter? Cum vero impetratio sit generalissimus fructus huius sacrificij, non est dubium, quin pertineat ad fructum generalem, quem missa donat dum pro tota Ecclesia offertur. Et tamen est hic distinguendum, quia bona, quæ impetrantur vel sunt priuata, & propria singulorum, vt singulorum; vel sunt communia, & spectantia directe, & primo ad bonum commune, vt commune. Ad hoc vt obtineantur bona priuata, & particularia, quæ conueniunt singulis, vt singulis, necesse est, quod hoc sacrificium applicetur illis, vt singulis, & ideo impetratio horum bonorum quatenus sunt bona priuata non pertinet ad fructum missæ generalem. Ad quem pertinet impetratio bonorum communium, quorum aliqua explicantur in verbis illis canonis. *In primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia sancta, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris*, Et ad hanc partem pertinent etiam quæ spectant ad Pontificem totius Ecclesiæ Pastorem, & vniuersaliter ad omnes Ecclesiæ Prælatos. Sed & puto etiam, quod quælibet communitas Ecclesiæ, vt sunt Diœceses, & Regularium Ordines, habeant suum fructum generalem, sub quo continetur impetratio bonorum, quæ ad commune bonum spectant, Missa enim est donum totius Ecclesiæ, & cuiuslibet partis eius, & ideo non est opus determinatione sacerdotis ad hoc vt offerat pro bono communitatis suæ, quia satis ex sua institutione sacrificium ad huiusmodi communia bona est determinatum, quia communitates in Ecclesia sunt res certæ, non variabiles, sed permanentes, & fixæ, & ideo rationabile est dicere, quod in quacumque communitate missa ex Christi institutione impetrent pro bono communitatis, quæ ad illius commune bonum spectant. Sed huius alia ratio redditur ex *Soto 4. d. 13. q. 2. a. 1. §. Offerentes autem.* Vbi habet, quod in missa Plebani offerentes sunt omnes de Parochia, & in missa Episcopi omnes de Diœcesi. Quod est verum etiam secundum *Ca[illegible] tom. 2. tract. 3. q. 2.* Vere enim sic est, quod qui sunt de communitate sunt offerentes quia Ecclesiæ offerentis partes sunt. Quod maxime est verum respectu missarum, quas celebrant habentes curam animarum. Offerentibus vero hoc sacrificium ex Christi institutione respondet fructus.

742 De satisfactione vero dubium est, quia non est eadem ratio de impetratione, & satisfactione; Ad impetrandum enim sufficit sanctitas habitualis vel sancti alicuius, vel totius Ecclesiæ, quam Deus respiciens eius intuitu concedit gratias, & sic sufficit repræsentare Deo seruorum suorum merita, quia ex hoc oratio iam habet vim impetrandi, & obtinendi diuina dona; sed satisfactio Deo non redditur nisi per aliquam actionem, vel eius pro quo debet satisfieri, vel alicuius alterius pro eo; modo Ecclesia non est illa, quæ celebrat missam; & si dicatur, quod sacerdos nomine illius celebrat, & vt illius minister, & loco ipsius, considerandum est, quod hæc est denominatio extrinseca in Ecclesia, & aliis fidelibus, si aliquo alio modo intrinseco non offerant, vnde hæc denominatio extrinseca offerentis, non sufficit, ad hoc vt fideles, possint Deo satisfacere, & satisfaciant de facto. Quia passio Christi non applicatur nisi vel per propriam actionem, aut receptionem sensibilem, aut per specialem applicationem alterius. Ita sentit *Suarez disp. 79. sect. 8. §. secundo de Ecclesia.* Addit vero *Card. de Lugo disp. 19. nu. 281.* Sacerdotem non teneri applicare omnibus fidelibus satisfactionem, quæ prouenit ex opere operato. Cum enim hæc satisfactio sit finita ipsa omnibus fidelibus non communicaretur nisi cum præiudicio eius, pro quo missa debet celebrari. Tum secundo quia sacerdos deberet taxare quantam partem velit singulis applicare, an singulis tantam, quantam ei pro quo specialiter offert, an dimidiam partem omnibus simul, vel alio modo. Eandem vero sententiam tenuerunt *Coninch. 3. p. q. 83. a. 1. dub. 9. nu. 169. Præpos. 16. a. 19. Filliuc. tract. 5. nu. 77. Quarti*

in *Rubr.*

in Rubr. Missal. in append. qu. 2. par. 16. dist. 1. ap. Pasqualig.

743 Sed oppositum merito docuerunt *Caiet. tam. 2. opusc. tr. 3. q. 2. vers.* Et confirmatur hoc. *Scot. quodl. 20. a. 9. Palud. in 4. dist. 45. q. 1. Sotus in 4. d. 13. q. 2. ar. 1. Nauar. cap. 25. nu. 111. Henriq. l. 9. c. 18. nu. 3. Valent. part. 4. disp. 6. qu. 11. p. 1. Azor p. 1. c. 9. fin. Arragon. supra q. 85 ar. 2. Fagund. prac. 1. l. 3. cap. 6. n. 23. Bonac. disp. 4. q. vlt. p. 4. n. 9. Vasquez 3. p. q. 231. cap. 3. & 6. Lezana v. Missa. n. 7. Adriandus quod. 8. a. 3. Maior 4. d. 45. q. 2. Reginal. Granad. Ruteus, Dicastill.* quos sequitur *Pasqual. de sacrif. Miss. q. 90. n.* 5. Nam primo hæc probatur quia Ecclesia, vt videre est in oblatione panis sic ait, *vt mihi, & illis proficiat ad salutem*; proficere vero ad salutem est satisfacere pro pœna debita. Et in oblatione calicis ait. *Offerimus tibi Domine calicem salutaris, &c. pro nostra, & totius mundi salute*, Et in Canone missæ sacerdos dicit. *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, &c.* Redimit vero animam per satisfactionem est per se certum. Sed ratio id manifeste probat, quia sacrificium missæ de sui natura est satisfactorium pro illis pro quibus offertur, & vt tale datum est a Christo Domino; offertur vero pro tota Ecclesia, & omnibus, & singulis, igitur pro omnibus, & singulis, qui obicem non ponunt satisfacit iuxta eorum dispositionem. Quamuis vero in quamplurimis, qui sunt in peccato frustretur suo effectu ob eorum indispositionem, effectum tamen suum habet in illis, quos inuenit dispositos. Vnde apparet, quod, hoc non obstante, quamplures remanent obnoxij pœnæ, quæ non remittitur nisi iustis, & in illis solum aliquid; ipsique ob peccata venialia nouæ pœnæ obligantur.

744 Ad rationem autem *Suarez* dicitur primo, quod ad hoc vt missa pro aliquo satisfaciat, non est necesse, quod ille sit offerens, sed sufficit, quod sit is, pro quo offertur; quia imo nullus ex eo recipit fructum huius sacrificij, quia sit offerens sed quia est is pro quo offertur; at vero missa ex sui institutione, & ex præcepto, & ritu Ecclesiæ offertur pro omnibus. Respondetur secundo, quod Ecclesia tota, & singuli de Ecclesia vere offerunt moraliter loquendo. Nam si moraliter offert, qui missæ assistit, vel qui rogauit sacerdotem, vt pro se celebraret, etiam si sacrificio non assistat; etiam moraliter offert Ecclesia, quæ mandat sacrificium offerri, & offerri pro omnibus, & singulis, vnde ipsa etiam est offerens Deo hoc sacrificium in redemptionem, & satisfactionem pœnæ debitæ fidelibus. Ad motiuum *Card. de Lugo* dicitur, quod imo hinc colligitur, quod præsuppositum eius non subsistit, & quod valor huius sacrificij est extensiue sincathegorematice infinitus, sine eo quod fructus eius minuatur ijs, pro quibus specialiter offertur, quia constat Ecclesiam missam celebrare pro omnibus in redemptionem animarum suarum. Quomodo vero hoc fiat, ex sequentibus est manifestum. Quod etiam dicebatur, ad impetrandum sufficere sanctitatem habitualem Ecclesiæ, non est bene dictum. Quia si id dicitur respectu eius pro quo offertur, nec est necessaria illa sanctitas, quia sacrificium etiam peccatoribus impetrat. Sed si loquitur ex parte offerentis, requiritur actus, qui aliquo modo sit illius, & vt infra dicam est necessaria deuotio ex fide prouueniens, Cum vero Ecclesia præcipit missas celebrari pro omnibus, quia hoc prouenit ab Ecclesia, vt est vnum corpus fideles continens, omnes sunt offerentes, & deuotio Ecclesiæ qua vult sacrificium offerri omnibus est communis.

SVMMARIVM.

1 *Quilibet iustorum ex missa percipit aliquam partem remissionis peccatorum. nu. 745.*
2 *Qualiter fructus missæ generalissimus distribuatur. nu. 746. 747.*

745 QVæritur septimo qualiter, & sub qua proportione fructus generalis missæ participetur ab omnibus fidelibus, pro quibus offertur? *Ruteus de fructu sacrif. lib. 1. disp. 1. q. 1. dub. 2. 25. & 3. apud Pasqualigum qu. 91.* existimauit, quod missæ sacrificium non habeat aliquem fructum determinatum ex opere operato ex singulis sacrificijs quoad satisfactionem. Sed quod ex singulis sacrificijs ratione generalis oblationis exurgant quidam gradus remissionis pœnæ, qui multiplicati ex omnibus sacrificijs totius mundi simul cum fructu orationum bonorum operum, sacrificiorum specialiter omnibus fidelibus applicatorum, distribuatur à Deo iuxta suam prouidentiam omnibus fidelibus tam viuis, quam defunctis, & fere modo, quo fit collecta eleemosinarum, & distribuitur singulis pauperibus, non quod singuli participent singulas eleemosinas, sed quod singuli participent de illa collectione: sed hæc sententia non fugit difficultates, quæ possint esse in hac fructus generalis participatione, sed eas sine fundamento multiplicat. Qui enim sunt isti gradus pœnæ, si non sint pars aliqua pœnæ? Certè pœna priuationis diuinæ visionis ad tantum tempus, quorundam graduum est capax, diuidendo tempus illud in dies, horas, & momenta, &c. Similis vero est præcipua pœna dabita peccatis, post remissionem peccatorum: sed etiam si pœna secundum gradus suæ intensionis habeat latitudinem, idem erit remittere gradum pœnæ, quod pœnæ partem, vt v.g. qui dolorem, vt octo debebat sustinere, sustineat, vt quatuor, vel vt sex, vel vt septem, vel vt septem cum dimidio, &c. Et sic pœnam minui secundum gradus, siue extensionis, siue intensionis est illam minui secundum partes. Quæ partes quia possunt esse minimæ, & ita quod pœna licet parua in quamplurimas partes diuidi possit, non est vnde remissio retardetur, sed ex qualibet missa singulis aliqua pars pœnæ condonatur, Præterea quando & vbi fit ista collectio, & actualis remissio? Missæ enim non simul celebrantur, Nec iuuat dicere, quod omnes de mane celebrantur, quia non est idem mane in toto mundo, sed semper in aliqua parte mundi est mane; & ideo in qualibet parte diei missæ celebrantur, nec vnquam desinit iuge hoc sacrificium, quando ergo hæc collectio integra erit, & quando fiet distributio? Et quid, si dum distributio differtur, qui erat iustus fiat peccator, vel econtra qui tempore sacrificij erat peccator, tempore distributionis sit iustus? Dicendum igitur est, quod missæ

fructificans per modum causæ naturalis statim effectum suum causat, & quod singuli iusti ex singula missa fructum sibi contingentem recipiant, qui sit remissio vel totius, vel partis pœnæ illis debitæ.

746 Hoc vero stante dupliciter intelligi potest, quod fiat distributio valoris generalis in singulos. Primo vt distributio ista extensiue sincathegorematice infinita, sit secundum intentionem taxata, & finita tam actu, quam potentia, ita quod à Christo sit determinatum, quod vi applicationis generalis remittatur singulis tanta pœna v. g. centesima pars pœnæ, siue ij quibus pœna remittenda est, sint pauci, siue sint multi, & in infinitum multiplicabiles. Vel secundo ita, quod valor missæ sit tam extensiue quantum ad personas, quam intensiue, seu extensiue ad quantitatem, seu intentionem pœnæ eodem modo infinitus, & sic remissio pœnæ sit indeterminata, vt venit à missæ valore, nec sit taxata ad certam quantitatem; sed ad certam quantitatem determinetur à quantitate dispositionis ipsius fidelis recipientis. Priorem dicendi modum sequutus fuit *Sotus 4. d. 13. q. 2. ar. 1.* Qui tamen non negat fructum non esse maiorem ex maiori deuotione eius pro quo sacrificium offertur, sed hunc excessum vult prouenire ex opere operantis, non vero ex opere operato, sed fructum operis operati in sui quantitate vult esse finitum & taxatum. Pro eadem sententia *Pasqualig. q. 91.* refert *Bonacinam disp. 4. quæst. vlt. p. 4. n. 5. & Valent. tom. 4. disp. 6. q. 11. p. 3. §. 23.* Sed *Bonacina* est vnus eorum, qui in hac materia confuse loquitur. ibid. enim n. 4. asserit, quod fructus generalis non est infinitus intensiue, sed vel nullitet probat suum dictum, vel loquitur de infinito in actu, de quo nulla est difficultas, quod fructus missæ non est infinitus nec intensiue, nec extensiue, cum infinitum in actu non sit dabile. Cæterum ibi admittit, quod fructus iste sit variabilis secundum dispositionem fidelium quibus competit. Hunc quoque modum dicendi videtur approbare *Pasqual. d. q. 91. nu. 5.* vbi vult quod singulis fidelibus ex opere operato proueniat aliquid fructus generalis missæ secundum determinationem Christi habita ratione dispositionis. Ex hoc enim partim conuenit cum priori sententia pro quanto vult hunc fructum esse taxatum, & determinatum à Christo, distinguitur vero, pro quanto non sentit, quod hæc taxatio sit ad certam quantitatem vniuersaliter, sed quod in qualibet distributione taxetur habita ratione dispositionis. Sed in hoc modo dicendi qualitercumque explicato adest hæc difficultas, quod non videtur conformis diuinæ liberalitati, vt ex ipsa sit taxatio in maius. Nam vel sacrificium spectato suo valore potest in maiorem effectum etiam spectata dispositione recipientis, vel non potest. Si potest, vnde & qua ratione volumus dicere, quod Christus illum limitauerit, & ad minorem quantitatem reduxerit? si vero non potest, hæc impotentia erit ex parte recipientis. & sic limitatio, & taxatio nec est ad certam quantitatem vniuersaliter, & pro singulis, nec est tanquam in causam reducenda in Christi taxationē, sed in imperfectionē illorū pro quibus sacrificium fuit oblatum. & sic fructus ille non habet taxationem certam, sed solam secundum proportionalitatem, vt tantum vt quantum seruata proportionalitate est capax is, qui illum recipere debet, vt docuerunt *Caiet. 3. p. q. 79. a. 5. & tom. 2. opusc. tr. 3. q. 2. Canus l. 12. de locis cap. 13. ad 10. Syluest. v. Missa. nu. 9. Arrag. supra q. 83. ar. 3. Vasquez 3. p. disp. 231. cap. 3.* & omnes illi, quos referam infra volentes fructum huius sacrificij commensurari deuotioni offerentium, & eorum pro quibus offertur. Quæ vero sit ista proportio, & qualis, seu quanta Deo est notum. *Sotus loco citato* aduertit, quod non seruatur eadem proportio inter dispositionem, & fructum, vt si in vno sit dispositio maior duplo dispositione alterius, ille etiam recipiat duplo maiorem fructum ex eadem missa. Ego vero considero, quod iam valor missæ est limitatus ex deuotione Ecclesiæ offerentis. Quæ Ecclesia est congregatio plurium offerentium, quia est congregatio plurium personarum, quarum quælibet est suo modo offerens. Quia vero singuli finita deuotione concurrunt, ideo est finitus fructus, & à singulis iuxta finitam dispositionem participatus.

747 Conueniunt vero relatæ sententiæ in hoc, quod huiusmodi fructus sit ita extensiue infinitus, vt multitudine non minuatur in singulis imo potius augeatur. Quia nimirum licet per finitam deuotionem offerentis limitetur efficacia huius sacrificij non ita tamen taxatur, & finitur, vt non remaneat infinita sincathegorematice, & vltima, & finita limitatio sit ex deuotione recipientis, ita quod ex sacrificio recipientium quicumque tantum accipiat, quantum est capax recipiendi, salua supradicta proportionalitate. Sed veritas est, quod hic fructus non est taxatus ad tantam quantitatem vel in communi, vel pro singulis, & non habet aliam taxationem, nisi quæ de facto prouenit ex finita dispositione singulorum, qui simul sunt offerentes, & ij, pro quibus offertur, & ideo in illis effectus ita finitur, quod singuli non recipiant præiudicium ex consortio aliorum, quia tantum recipiunt, quantum sunt capaces, vt recipiant. Hanc vero partem adhuc esse modicam dicendum est, cum sit pars accepta ex sacrificio limitato per offerentis deuotionem, vnde cuicumque gradui deuotionis parum fructus potest respondere.

SVMMARIVM.

1 *Sub fructu generalissimo continetur impetratio. num. 748.*

748 QVæritur octauo, an sub fructu generalissimo contineatur propitiatio pro peccatis, seu remissio peccatorum? *Pasqualig. de sacrif. Missæ q. 91.* putat fructum generalissimum non includere fructum propitiationis, seu remissionis peccatorum, iuuare tamen in ordine ad remissionem peccatorum tanquam impetratorium, quatenus impetrare potest auxilia in ordine ad pœnitentiam. Primum probat tum quia DD. non dicunt fructum hunc generalem propitiationem continere, tum quia propitiatio est personalis, & opus est, quod qui vult Deum placari sibi, hoc petat, & sic ad hoc vt sacrificium placet Deum, debet offerri. vel ab eo, qui vult consequi remissionem peccatorum, vel alio de eius saltem interpretatiua voluntate. Sed non video, quomodo sententia illa veritati, & sibi ipsi conueniat. Nam vt habetur ex verbis oblationis panis, & vini in miss-

In missa, & ex verbis canonis supra relatis, & quæ ponderat idem *Pasqual.q.90.nu.9.* Sacrificium hoc offertur pro omnibus pro salute, & redemptione animarum, quam animæ consequi non possunt, si sint peccatrices, sine remissione peccatorum. Nec apparet vnde adeo magis propitiatio sit personalis, quam satisfactio. Nam, & satisfactio, quæ est debiti solutio debet fieri per debitorem, vel per alium nomine illius, sed & remissio iniuriæ potest peti ab amico, & ab eo impetrari ad fauorem alterius amici. Sed quod maiorem difficultatem facit est, quia propitiatio, vt est effectus sacrificij non distinguitur ab impetratione, nisi quia propitiatio est impetratio auxiliorum ad pœnitendum, & pœnitentiæ per quam peccator reconcilietur Deo, impetratio autem est impetratio aliorum beneficiorum Dei. Cum ergo donum pœnitentiæ, possit impetrari à Deo ab vno pro alio, sicut lacrimæ S. Monacæ filij sui S. Augustini conuersionem impetrarunt, si sacrificium missæ est impetratorium, cur etiam in fructu generali non poterit contineri propitiatio? Et maxime cum conuersio alicuius peccatoris possit valde proficere ad bonum commune totius Ecclesiæ? Et præterea si dicitur, quod valor communis continet impetrationem auxiliorum in ordine ad pœnitentiam, jam hæc impetratio est propitiatio. Quia vt idem *Pasqual.* cum communi sententia docet *qu. 63.* sacrificium non reconciliat Deo immediate, sed impetrando auxilia ad pœnitendum, & pœnitentiam. Considerandum igitur hic est, quod licet aliqui, quos sequitur idem *Pasqual.q.66.* senserint, quod sacrificium infallibiliter obtineat auxilia ad pœnitendum, tamen oppositum est verum, quia impetratio innititur misericordiæ diuinæ, eiusque libero beneplacito; ideo dato, quod sacrificium etiam vt offertur pro omnibus possit impetrare auxilia ad pœnitendum & pœnitentiam ipsam; hoc tamen non verificatur respectu singulorum, sed prout Deus ex sua misericordia vult concedere, cum tamen Ecclesia ex vi huius sacrificij obtineat quandam rationem congruitatis, vt Deus sit ad ignoscendum facilior, & ad conuertendum eos præcipue, quorum conuersio maxime conducit ad vniuersale Ecclesiæ bonum. Et sic etiam sub fructu generali continetur propitiatio, sicut & impetratio, cum propitiatio non sit nisi pœnitentiæ, & veniæ impetratio.

SVMMARIVM.

1 *Fructum generalissimum dat sacrificium ex Christi institutione, nec est necessaria ad hoc specialis intentio sacerdotis. nu.749.*

749 QVæritur nono, quæ intentio in sacerdote sit necessaria, vt fructus generalis applicetur de facto illis, pro quibus missa offertur? Non deesse intentionem actualem, & formalem in sacerdote respectu huius fructus ex eo est manifestum, quod ipse in offertorio, & in canone expresse, & specialiter pro omnibus fidelibus sacrificium offert. Sed præterea additur non esse necessariam specialē aliquam applicationem, sed sufficere, quod sacerdos celebret missam, quia ipsa ex Christi institutione est oblatio pro tota Ecclesia: Hoc enim sacrificium est relictum Ecclesiæ à Christo, vt habet *Conc.Trid.sess.22.cap.1.* & sic pro Ecclesia offertur, etiam ex intentione Christi, qui est principalis, qui offert. *Pasqual.qu.93.*

SVMMARIVM.

1 *Sacerdoti secundum quod est offerens conuenit fructus specialissimus. nu.750.*
2 *Sacerdos an gerat in sacrificando duplicem personam. nu.751.*
3 *Fructus specialissimus conuenit sacerdoti, vt est publica persona. nu.752.*
Sed limitatur ab eo, vt est persona priuata. num. 752.
4 *Sacerdos malus fructum nullum ex missa recipit. num. 753.*
Quadruplici ex causa sacerdos potest recipere fructum ex missa. num.753.
5 *Fructus specialissimus an sit maior fructu medio. num. 754.*
6 *Diuersitas qualis inter fructum specialissimum, & specialem. nu.755.*

750 QVæritur decimo, an & qua ratione fructus specialissimus conueniat sacerdoti celebranti, & quantus sit hic fructus? Hunc fructū conuenire sacerdoti ex eo quod offerens, & ex institutione, & connaturalitate huius sacrificij, supra quidem probatum fuit, & sic Ecclesia mandans sacerdotem offerre hoc sacrificium etiam pro se ipso, naturæ eiusdem sacrificij se accommodauit, & explicauit præceptum illud ex virtute Religionis ortum, per quod teste *Apost.ad Hebr.* 5. Sacerdos debet etiam orare pro se ipso.

751 Existimat vero *Suarez disp. 79. sec. 8. §. Atque ex hac*, quod sacerdoti duplex respondeat fructus, quia putat eum duplicem personam gerere scilicet personam publicam quatenus est minister Christi, & Ecclesiæ, & priuatam, quatenus est tale indiuiduum. Inquit igitur, quod quatenus est persona publica respondet ei fructus, qui dicitur medius, & qui conuenit ei pro quo, vt à publico ministro missa celebratur, sed præterea etiam vt est persona priuata offert, non exuit enim personam priuatam, ex eo quod est persona publica, & sic respondet illi fructus specialissimus. Distinguuntur vero, quia primus fructus non dependet à sanctitate sacerdotis, & eo modo quo fructus missæ potest competere peccatori, competit etiam tali sacerdoti indigne celebranti. Sed fructus secundus dependet à sacerdotis innocentia, nec locum habet si sacerdos sit in peccato mortali. Sed plura continet hæc sententia veritati non consona. Et quidem primo, quod sacerdos gerat vicem duplicis personæ in sacrificando verum esse potest distinguendo offerentem in immediatum, & physicum, & in mediatum, & moralem, quomodo etiam laici sunt offerentes si missæ assistant, vel si dent stipendium pro missa. Sic enim vt priuata persona potest esse offerens mediatus, & moralis, & veluti petens, & rogans se ipsum, vt celebret. Sed loquendo de offerente physico, & immediato consecrante, & offerente Corpus, & sanguinem Christi sacerdotaliter, sacerdos non offert, vt priuata persona, sed vt publica, & vt Christi minister, & Ecclesiæ,

clesiæ, quia non offert nisi per potestatem ordinis.

752 Hinc secundo dicitur, quod fructus qui respondet sacerdoti, vt offerenti ex publico officio non est fructus medius, sed imo iste est specialissimus. nam fundatur in hoc, quod minister, vt minister Christi, & publica persona ex gente peccatrice assumpta, & pro se orat inquantum talis minister, & fructum suum colligit, non ex massa eorum pro quibus specialiter orat, sed quia specialis, & proprius sibi debetur ex quo est publicus minister, qui inquantum talis petit participare de fructu sacrificij. Et tamen quod habet *Pasqualig. qu. 97.* nimirum, quod fructus specialissimus non potest fundari in oblatione sacerdotis, vt est persona priuata, ex quo deducit, quod nullus fructus respondet sacerdoti, seu oblationi eius, vt est priuata persona, qui sit proprius eiusdem sacerdotis; quod inquam sic dictum explicatur. Nam fructus potest respicere aliud vt causam, & aliud vt dispositionem certe causa fructus missæ, qui est ex opere operato est ab oblatione, vt est à sacerdote tanquam à publico ministro, quia est ab oblatione, vt est sacrificium Eucaristicū, nō est vero sacrificiū missę, vt est à priuata persona, sed vt est ab homine consecrato ad tantum ministerium, & per potestatem ordinis, quam sacerdos recipit in sui dispositione. Propria autem sacerdotis deuotio, quam habet vt priuata persona est dispositio ad cuius mensuram datur fructus specialissimus. Et sic fructus specialissimus respondet sacerdoti, vt est publica persona, sed tamen ex eius priuata deuotione. Et sic fructus specialissimus licet ex parte agentis fundetur in sacrificio, vt est à sacerdote tanquam à publico ministro, ex parte passi tamen, & tanquam a ratione, vt dispositiua est ab oblatione eiusdem sacerdotis, vt est moralis, & est ab ipso, vt à persona priuata. Nam & opus operatum in ipso sacerdote magis fructificat, vbi maior sit eius dispositio.

753 Hinc discrimen illud, quod ponit *Suarez disp. 79. sec. 8. §. Tertia differentia*, quod scilicet ad fructum specialissimum requiratur in sacerdote dispositio, non vero ad fructum, quem dicit illum medium, & qui respondet sacerdoti, vt est publicus minister, instantiam habet, nam & supponit, quod in oblatione, vt est à sacerdote tanquam a priuata persona fundetur fructus specialissimus, quod verum non est, & bene impugnatur à *Pasqualigo*, qui non distinguit inter huiusmodi rationes fructificandi. Et ideo non est inter illos fructus discrimen quantum ad præsens punctum. Quia sacrificium causat fructum inquantum est sacrificium oblatum nomine Christi Domini. Sed ratio qua fit, vt sacrificium huic, & non illi fructificet tenetur ex parte conditionis priuatæ, & quia sacrificium ab hoc, vel illo offertur, & pro hoc, vel illo. Et sic fructus specialissimus respondet huic sacerdoti, & non alij personæ, quia ipse qui est talis persona est Christi minister. Sic ergo vterque fructus, vt in ratione causandi actiue fundatur in oblatione, vt est à sacerdote tanquam à publico ministro. Et ex hac parte nihil interest, an sacerdos sit, vel non sit sanctus, quia fructus est non ex sanctitate ministri, sed ex sanctitate officij, & ministerij. Sed vterque fructus ex parte passi requirit dispositionem, & respectu satisfactionis pro pœna, quæ requirit gratiam in recipiente, sacerdos malus nec enim fructum colligit; respectu vero impetrationis, pro quanto celebrando peccat, & misericordiam non meretur, sed pœnam, sacrificium illi non est impetratorium. Et considerari quoque debet, quod quadruplici ratione sacerdoti potest prouenire fructus ex Missa, quam celebrat, Primo ex eo quod est offerens immediatum, & physicum, Secundo quia est vnus de corpore Ecclesiæ, & de generalissimo fructu participat. Tertio si ipse sibi applicet fructum medium, quem potest applicare cui voluerit, & Quarto si vlterius sit moraliter offerens, vt si sit executor testamenti alicuius, & in vi executionis celebret missam, vel si sit pars alicuius communitatis ex qua moueatur ad celebrandum.

754 Quantus vero sit fructus iste specialissimus, qui conuenit sacerdoti diuersimode explicatur. Nam illum esse forte maiorem fructu medio, quem percipit ille pro quo celebratur missa dixit *Pasqual. q. 98. ex Nugno 3. p. q. 83. a. 1. pars 3. dub. 3. vers.* Aduertendum est etiam, & *Bordon. tom. 1. resol. 25. nu. 8.* Et intelligit hoc de quocumque fructu siue satisfactionis, siue impetrationis, siue propitiationis *Henriquez l. 9. c. 18. nu. 5.* vero voluisse, quod fructus satisfactionis æquali portione diuidatur inter sacerdotem & illum, pro quo dicitur missa refert idem *Pasqual.* Qui probat intentum suum ex eo, quod missa ex sui institutione offertur tam pro sacerdote, quam pro populo, vt habetur ex *Apos. ad Hebr. 5.* igitur non debet esse minus fructuosa sacerdoti; quam illi pro quo offertur. Secundo, nam sacerdos habet maius ius ad esse sacrificij, quam habeat ille pro quo offertur, quia sacerdos habet ius ad sacrificium, vt ad actionem propriam, ad quam habet potestatem a Christo concessam; igitur habet, vt si non magis saltem æqualiter participet de sacrificio. Nam inconueniens esset, vt qui haberet maius ius ad rem, minus de fructu rei participaret. Verum huiusmodi regulæ non omnino valent, vbi sit sermo de ministro qui nomine superioris agit ad vtilitatem tertij principaliter; nam iste potest esse, quod de fructu suæ actionis nihil participare possit, vt cū minister iussu domini donat aliquid tertio, vel vt ad tertij vtilitatem laboret. Missa vero a Deo principaliter est ordinata ad bonum Ecclesiæ, & licet sit etiam ordinata ad bonum sacerdotis, ex ea tamen sacerdos non potest participare nisi secundum mensuram, aut regulam à Christo saluatore nostro institutam quæ est vt sacrificium missæ sit veluti mare immensum, ex quo quisque pro sua mensura abundanter accipiat, ideo plus recipit, qui est melius dispositus. Et nihilominus quælibet locum habere potest, quia potest intelligi, quod illa distributio non fiat secundum eandem proportionem, Sed v. g. vni gradui deuotionis sacerdotis respondeat maior fructus quam vni gradui deuotionis alterius priuati offerentis moraliter. Nam verisimile est, quod cæteris paribus, & supposito eodem gradu deuotionis in Sacerdote, & Diacono maiorem fructum recipiat sacerdos, qui celebrat, quam Diaconus, qui adiuuat. Et sic etiam stante eodem gradu deuotionis in sacerdote, & illo, qui petit missam pro se celebrari maiorem, vel æqualem fructum sacerdos recipiat. Et sic licet fructus diuidatur ad mensuram deuotionis proportionaliter

hoc ra-

hoc tamen non fise seruata eadem proportione, sed quod pro diuersitate modi offerendi eidem deuotionis gradui maior fructus respondeat in vno, quam in alio. Si etiam fructus, vt exit à missa esset determinatus, & certus, & immutabilis, tunc etiam locum haberet quæstio, an sit vberior fructus specialissimus, qui competit sacerdoti, vel fructus specialis, qui competit ei pro quo specialiter offertur sacrificium, & probabiliter diceretur fructum specialissimum non esse paruum, quamuis hoc incertum esset, & Deus in suis dispositionibus altioribus rationibus nobis incomprehensibilibus agit, vnde de illis, quæ à voluntate Dei dependent sine eius reuelatione non possumus nos secure, & tuto iudicare.

755 Hinc est etiam, quod dum idem *Pasqualig.* subdit, quod fructus iste specialissimus non est pars fructus specialis competens illi pro quo sacrificium offertur, sed est fructus distinctus, & diuersus quoad modum communicationis, verum dicit, quia diuersa est ratio, & ius habendi talem fructum, quia fructus specialissimus debetur sacerdoti ratione ministerij immediati, & physici, & quia sacrificium actio eius est, quod quidem non competit ei. pro quo missa specialiter offertur, & cui fructus dictus specialis non debetur, nisi quia sic volente sacerdote sacrificium pro illo offertur. Sed tamen isti duo fructus ex parte sacrificij, & prout exeunt ab illo non distinguuntur, Sed sicut arbor verti non producit nisi poma, & pœna quæ producit quantum sit ex se omnibus producit, nec vnam partem pro vno, & aliam pro alio producit, licet forsan plures sint, qui ex diuersis titulis habent ius ad partem pomorum. Sic sacrificium missæ omnibus fructificat, quod vero fructus distinguantur, est ex parte nostra, & ex eo quod vnus ad fructum missæ habet ius ex vno titulo, & alius ex alio, Cæterum de facto vnusquisque ea hac arbore diuina mensuram suam implet. & pro capacitate suæ dispositionis fructum sacrificij participat. Vnde bene idem *Pasqual.g.* ait, quod vnus fructus non minuit alium. Sed huius casio non est, quia habeant diuersum modum communicationis, quia vterque à sacrificio communicatur ex vi suæ institutionis per modum causæ naturaliter agentis, & vterque determinatur ad certum gradum ex mensura dispositionis recipientis, & sic non est diuersus modus communicandi, licet sit distincta communicandi causa, & titulus, Sed ratio est infinitas valoris missæ talia, ac tanta, quod superabunde de se fructificat, & ita quod fructum specialissimum in quacumque quantitate dare potest sine præiudicio fructus specialis, & econtra.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos non potest alteri applicare fructum specialissimum. nu. 756. 757.*

2 *Opus agentis fructificat agenti. nu. 757.*

756 QVæritur vndecimo, an fructus specialissimus sit alteri applicabilis; an v.g. sacerdos fructum specialissimum qui sibi competit possit alteri donare, & applicare? Est vero considerandum, quod fructus qui respondet sacerdoti est duplex alter scilicet ex opere operato, & alter ex opere operantis. Hic sermo est de fructu, qui ex opere operato prouenit sacerdoti missam celebranti. Videri autem posset, quod sit communicabilis alteri ex voluntate sacerdotis. Tum quia est eiusdem rationis cum fructu medio, seu speciali. Tum quia vnusquisque alteri potest applicare satisfactionem propriorum operum. Tum quia satisfactio pro pœna habet rationem boni temporalis, & ideo est quid communicabile alteri, & donabile. Tum quia sacerdos potest relinquere talem fructum, sibique illud non reseruare; igitur potest illud relinquere illi pro quo offert. Tum quia cæteri offerentes possunt alteri applicare proprium fructum, vt apparet ex illis verbis canonis, qui sibi offerunt pro se, suisque omnibus: igitur, & id facere possunt sacerdotes. Et propterea hanc sententiam tradiderunt *Azor.p. 1.l. 10.cap.20. fin. Fagundez præc.1.l.3.c.6.n.23. Nauar cap.25.nu.92. & 111. Filliuc.tr.5.n.181. Fernand.lib.3.cap.5.§.2. Gabr. à S. Vincent. disp.2.de sacrif.missæ qu.4.diff.4.* Sed quod non sit alteri applicabilis econtrario volunt *Suarez d.79. sec.9. vers. Nihilominus. Mirand. p.1.q.41.a.17. Laym.lib.5.tr.5.cap.2.nu.18. Pasqualig. q. 99.* & apud eum *Granad. Faxinell. Dicastill. Rodriq. & Vericell.* Et probatur primo quia sacerdos, quod applicat pro se, non potest applicare alteri; sacerdos vero applicat missam pro se, & quidem ex mandato Ecclesiæ; igitur non potest alteri applicare partem sibi applicatam. Nec valet dicere, quod potest sacerdos omittere illa verba per quæ applicat pro se sacrificium, quia cum offerat nomine Christi, & Ecclesiæ, ideo si mandatum Ecclesiæ excedit nulliter agit. *l.3. ff. mandati*. Verum leges huiusmodi ciuiles ad rem non faciunt, dum loquimur de sacerdote in iis, quæ spectant ad potestatem ordinis, quam sacerdos habet à Christo, & quæ eius conditionis est, vt agat per modum causæ naturalis, & independenter à voluntate cuiuscumque alterius. Vnde in sententia eorum, qui tenent, quod applicatio sacrificij missæ sit actus ordinis, & quod superior non possit valide applicare sacrificium sui subditi cui voluerit, sed quod si superior applicet illud pro Titio, & sacerdos celebrans applicet illud pro Paulo, valeat applicatio sacerdotis celebrantis non vero superioris, sicut Ecclesia etiam si præcipiat sacerdoti, vt offerat fructum medium pro Petro, non potest facere, vt Petro proueniat fructus, si sacerdos offert pro Paulo, quia potentia ordinis in exercitio agit per modum causæ naturalis determinatæ à sacerdote, nec eius effectus à voluntate extrinseca potest impediri, vnde sicut Ecclesia non potest impedire quin sacerdos hæreticus, vel excômunicatus valide consacret si côsacrat, ita nô potest facere, quod sacerdos valide non applicet fructum missæ alias applicabilem, si illum applicat. Pariter nec vrget, quod *Pasqualig. nu.* 8. addit. Quia nimirum si sacerdos applicet hunc fructum post oblationem, non valet applicatio, quia hæc fieri post oblationem non potest, at vero ante oblationem fructus nondum est suum, vt illum alteri possit applicare. Quia si alias talis fructus sit applicabilis, ante oblationem est ita suus, vt illum applicare possit, quia est sibi debitus ex institutione sacrificij, & potest ius suum cedere alteri, si aliud non obstat. Ratio igitur propria, & à priori est, quod fructus missæ, vt exit à

missa

missa non subditur alicuius voluntati quia ipsa fructificat per modum causæ naturalis, & ex opere operato solum pendet à voluntate sacerdotis, vt terminatur ad passum, nimirum vt determinet personam pro qua missa fructificet. Sed vbi persona est determinata à Christo institutore sacrificij, non est in potestate sacerdotis personam mutare, & impedire sacrificium ne fructificet illi ex opere operato ad cui fructificandum est à Christo institutum. Sic nec sacerdos potest Ecclesiam fructu huius sacrificij priuare, quia missa ex Christi institutione illi fructificat, sic & sacrificium missæ ex sui institutione, & connaturaliter fructificat sacerdoti qui celebrat: non est ergo in potestate sua impedire hunc effectum nisi ponendo obicem, non vero applicando illum alteri.

757 Et ideo quæ in oppositum pro prima opinione adducta sunt non probant. Ad primum enim dicitur, quod non est eadem ratio de fructu medio, qui quantum ad determinationem ad hanc personam vel aliam est positus in arbitrio sacerdotis, fructus autem specialissimus est à Christo pro sacerdote determinatus. Et ideo ad secundum dicitur, quod non est eadem ratio, quia satisfactio quam fructificat missa illam fructificat sacerdoti, & à Deo acceptatur pro illo, quo facto, fructus iste est personalis, & alteri incommunicabilis. Vnde patet ad tertium quidquid sit de antecedente ab eo assumpto. Ad quartum negatur assumptum. Ad quintum dicitur, quod aliud est, quod vnus possit offerre pro alio sacrificium, quod est verum, quia hoc non est applicare alteri nisi fructuo medium; aliud est, quod possit applicare alteri fructum, qui ex opere operato prouenit sibi ex eo quod est offerens, & hoc est falsum, quia offerre pro alio inquantum est actus offerentis, offerenti fructificat non alijs. Sic etiam hoc apparet in fructu, qui alicui prouenit ex opere operantis. Nam potest vnus orare pro alio, & sic etiam oratio sacerdotis iuuat eos, pro quibus orat. Sed fructus qui prouenit oranti pro alio ex eo quod oratio est actus orantis, & qui propterea meretur sibi vitam æternam si oratio sit gratia, & charitate formata est incommunicabilis fructus, & proprius orantis, & mere personalis, quia prouenit ex eo quod bonum opus fructificat agenti.

SVMMARIVM.

1 *Fructus missæ posse applicari diuisibiliter multi tenent. num. 758.*
2 *Hoc non approbatur. num: 759.*
3 *Causa naturalis, seu agens per modum causæ naturalis non causat in alio illum numero effectum quem non potest in incapaci producere. nu. 759.*
4 *Missa non causat in alio ad arbitrium sacerdotis effectum cuius non est capax ille pro quo offertur. num. 760.*
5 *Obiecta soluuntur. num. 761.*
6 *Vbi aliquis à sacerdote assumitur, vt adæquatum subiectum vnius fructus sacrificij non potest alios fructus alteri applicare. nu. 762.*

758 QVæritur duodecimo, an fructus medius secundum diuersos effectus sit ex voluntate sacerdotis diuisibiliter applicabilis. Nam missa triplicem habet effectum, scilicet impetrationem, propitiationem, & satisfactionem. Et ex incapacitate subiecti isti effectus diuiduntur, nam respectu peccatoris missa impetrat, sed non satisfacit, & respectu eius, qui est iustus iam, & Dei amicus, missa non propitiatur, seu non impetrat remissionem peccatorum, quia iam peccata sunt remissa. Sicut igitur hoc euenit ex indispositione subiecti, quæritur an etiam possit prouenire ex voluntate sacerdotis, vt v. g. missa pro vno impetret, & non pro illo, sed pro alio satisfaciat. Affirmat *Pasqual. de sacrif. missæ, q. 100. nu. 4.* Sicut enim fructus missæ est communicabilis per sacrificium, sic est applicabilis per sacerdotem, sicut ergo fructus missæ per missam est communicabilis diuisibiliter, ita & est applicabilis. Secundo, nam vbi constet sacerdoti, quod persona sit incapax alicuius effectus sacrificij missæ potest illum fructum applicare alteri, quia si hoc non posset fieri remaneret sacrificium sine illo effectu cuius persona est incapax; igitur sacerdos potest diuisibiliter applicare effectus missæ. Tertio, quia impetratio non habet effectum nisi vis impetratiua determinetur à sacerdote ad id, quod est impetrandum; ergo si non determinetur impetratio non habebit effectum etiam si subiectum sit capax; igitur hæc impetratio sicut determinatur pro eo, qui est capax illius effectus, poterit etiam determinari pro alio. Tertio idem sacrificium potest offerri pro pluribus ergo idem effectus potest communicari pluribus, ergo à fortiori poterit secundum vnum effectum communicari vni, & secundum alium effectum alteri.

759 Sed oppositum est verum, quod docuerunt *Vasquez 3. p. disp. 231. cap. 6. n. 36.* & apud eundem *Pasqual. Rateus lib. 1. disp. 5. q. 5. nu. 2.* Et ratio est, quia sacrificium causat per modum causæ naturalis, nec subditur arbitrio sacerdotis fructificatio, vt exit à sacrificio, sed solum quantum ad determinationem personæ, qua determinata sacrificium tantum fructificat, quantum illa est capax. Sic v. g. ignis calefacit, & illuminat, & licet sit in potestate hominis applicare illi materiam in quam agat, & si applicet materiam opacam, ignis illam etiam secundum profunditatem calefaciat non vero illuminet, quia materia opaca non est capax illuminationis secundũ profunditatẽ, si tamen applicetur materia diaphana illam & calefacit, & per totam illuminat, nec potest homo impedire, quin vtrumque effectum causet in materia disposita. Sic sacerdos non habet in sua potestate nisi applicare subiectum sacrificio, vt in illud agere possit, sed non potest impedire quin sacrificium producat in subiecto applicato omnem effectum, cuius illud sit capax. Nec obstat dicere, quod si hoc esset, sequeretur, quod etiam vbi subiectum non sit capax omnium effectuum, non posset sacerdos applicare effectum cuius subiectum non est capax alteri subiecto capaci; sicut nec homo potest illuminationem cuius est incapax saxum, communicare vitro. Respondetur enim, & dicitur primo non esse eandem rationem, quia ne frustretur sacrificium suo effectu, si non potest habere illum in vno subiecto, ex Christi institutione applicatur ei aliud subiectum, in quod operetur, & illum producat. Sic enim sacrificium est causa naturaliter agens, quod quantum ad determinationem subiecti in quod

agat est

agat est subiectum voluntati sacerdotis. Et ideo in casu in quo subiectum sit incapax alicuius effectus applicatur alteri, ne sacrificium maneat sine fructu. Sed respondetur secundo, quod in casu dato, quod subiectum sit incapax alicuius effectus sacrificij, potest ille effectus applicari alteri, quia potest sacrificium applicari pluribus, sicut igni possunt applicari plura corpora, quæ illuminentur & calefiant ab eo, & si vnum callefit, & non illuminatur, illa numero illuminatio, qua priuatur nõ illuminatum non communicatur alteri corpori, quod illuminatur, sed altera pars illuminationis alteri conceditur: sic & in proposito etiam dato, quod sacrificium missæ effectum illum, quem non potest causare in incapaci non posset in alio causare, quia alias certum est, quod causa naturalis tantum causat quantum potest, & subiectum est capax, & id numero, quod non causat ex incapacitate, non causat in alio, sed illud frustratur, & nullo modo est in mundo. Et si ignis non posset agere nisi in vnum corpus tantum nihil ageret in aliud corpus, etiam si totum suum effectum non posset producere in subiecto, in quod agit, & in quo dum agit, non potest agere in alio. Nihilominus quia missa in plura subiecta potest agere, quod non produceret in vno produceret in alio. Sicut ignis qui corpus opacum non illuminat secundum profunditatem, illuminat tamen aliud corpus diaphanum.

761 Sic ergo ad adducta ex aduerso respondetur. Et ad primum dicitur, quod fructus missæ sic est applicabilis, sicut est communicabilis, & quia fructus missæ non est communicabilis, nisi per modum effectus naturalis, licet subiecta in quibus producatur sint ex arbitrio applicabilia: sicut ad solem, & ignem plura corpora applicari possunt, quæ illorum effectus participant, sed tamen incapacitas vnius corporis non facit, quod effectus, quem produxisset sol in illud corpus, si non esset incapax accedat alteri corpori, & fiat in illo effectus intensior, vnde corpus diaphanum non illuminatur intensius à sole, ex eo quod opacum illi adiunctum non potest illuminari. Ita dato etiam, quod sacerdos non posset missæ effectus diuidere, vt vnus vni & alius alteri daretur, etiam in casu incapacitatis vnius illius pro quo applicatur, vt illa numero pars, quæ in incapaci deficit alteri accresceret, sed missa vel totum effectum in subiecto causaret, vel si impediretur effectus ille respectu illius subiecti frustraretur, nihilominus absolute non frustraretur, quia posset applicari alteri capaci, in quo suũ effectum haberet. Et per hoc patet ad secundum, ad tertium dicitur non esse simile; indeterminatio enim personarum, vel gratiarum quæ impetrandæ sint, est posita in arbitrio sacerdotis, vel offerentium: sed non est in potestate sacerdotis, quod sacrificium in subiectum determinate applicatum, & capax agat, vel non agat, vel agat hoc, & non illud, quia hæc indifferentia modo agendi per modum naturæ repugnat. Ad quartum etiam negatur consequentia; quia aliud est agere in pluribus, & aliud est agere totum in vno, & aliud in alio. Sic ignis agit in plura corpora applicata, sed nõ potest vt vnũ totũ corpus calefaciat, sed necessario vtrũq; pro sua capacitate illuminat, & callefacit. Sic Missa pro pluribus offertur, sed inimpedibiliter in omnes suos effectus producit, si illi sint capaces.

762 Hinc deducitur; quod corollarium illud à *Pasqual.* deductum, quia nimirum obligatus ad celebrandam missam pro defunctis potest alijs sibi bene visis applicare fructum impetrationis, & propitiatiuum, est verum quatenus eadem missa potest applicari pluribus. Sed si semel verum est, quod fructus missæ ex opere operato sit certus, & indiuisibilis, & quod missa applicata vni non potest applicari alteri sine præiudicio prioris, in casu dato, vel alteri non erit impetratio, & propitiatio, si defuncti eligantur, vt subiectum adæquatum, & quibus tota satisfactio applicetur, & illi sint capaces, vel fiet præiudicium defunctis si alijs pro parte sacrificium applicetur. Vnde nec alia corollaria ab eo deducta consequuntur, sed vbi aliqua persona eligitur, vt adæquatum subiectum actionis sacrificij quantum ad vnum effectum, non possunt alij effectus applicari alteri, sine prioris præiudicio, si ille prior sit capax. Sed & si applicentur applicatio non valet, quia sacrificium in eo pro quo applicatur omnem suum fructum causat, & solum si ille non sit capax ne sacrificium frustretur suo effectu potest alteri applicari.

INSPECTIONIS SEXTAE.

CAP. TERTIVM.

A quo tanquam à propria causa fructus missæ sit finitus in actu.

SVMMARIVM.

1 *Fructus missæ finitus. nu.763.*
2 *Limitatio fructus missæ non est ex parte rei oblatæ. num. 764.*
3 *Fructus missæ non est infinitus in actu, quia hoc infinitum est impossibile. nu.765.*
Fructus missæ de facto nedum est finitus, sed paruus. num.765.

763 HOc vnum certum est, & indubitatum apud omnes, quod fructus huius sacrificij de facto est finitus in actu tam intensiue, quam extensiue, quia imo infinitum in actu non potest dari; nec de facto datur infinita multitudo hominum vel homo cui pœna actu infinita debeatur, & cui vna missa satisfiat, vel qui ex sacrificio missæ habeat gratiam, aut aliquod donum actu infinitum, vel habere possit. Tota ergo difficultas est vt videatur à quo tanquam à causa sit quod efficacia huius sacrificij sit finita.

764 Puto etiam certum esse, quod limitatio huius efficaciæ non est ex parte rei oblatæ, vel principalis offerentis qui Christus est, quia Christus Deus, & homo infinitæ dignitatis est, qui in hoc sacrificio est simul victima, & sacerdos, vt habet *Concil. Trident. sess. 22. cap. 2. de sacrif. Mis.* Et amplius quia si finitas efficaciæ, & fructus huius sacrificij esset ex parte victimæ, vel sacerdotis, etiam

sacrificium cruentum passionis Christi esset de se finitum, cum tamen constans veritas sit apud Catholicos omnes, Passionem Christi quantum ad sufficientiam esse infiniti valoris ratione victimæ oblatæ, & sacerdotis offerentis, eodem igitur modo etiã est ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis, quod sacrificium missæ sit valoris finiti in actu, & quantum ad efficaciam quia sacrificium passionis, & missæ in victima, & in offerente conueniunt. Quamobrem videndum remanet, vnde prouentat hæc limitatio.

765 Verum tertio hoc certum esse debet, quod causa quare effectus, & efficacia huius sacrificij sit actu finita tam intensiue, quam extensiue est quia infinitum in actu repugnat. Verum iuxta communem sensum DD. fructus missæ nedum est finitus in actu, vt finitum distinguitur contra infinitum in actu, sed etiam vt distinguitur contra maximum: Quia creditur, quod vna missa non sufficiat pro omnibus animabus purgatorij. Imo cum praxis Ecclesiæ sit pro eodem defuncto multiplicare missas supponitur, quod maior possit esse pœna, quam vnius missæ satisfactio. Sed modo nihilominus incertum est an hæc efficacia, & effectus sit etiam finita in potentia, seu vt dicunt sincathegorematice. Ita quod detur in extensione, aut intensione maximum vltra quod sacrificium non possit, vel potius hoc maximum non detur, sed infinitum hoc sacrificium possit maius, & maius, & maius fructificare. Licet vero hoc sit punctum principale, quod quæritur, & controuertitur, tamen difficultatis pondus totum consistit vt videatur ex qua causa limitatio datur, Nam ex eo apparebit qualis sit ista limitatio, & ad quantum. Nam alias quantum sit ex parte rei oblatæ, & sacerdotis principalis offerentis non est, quod fructus huius sacrificij non sit infinitus in actu; Nam quantum sit ex parte victimæ, & principalis sacerdotis, si darentur homines actu infiniti qui pœnæ infinitæ subiacere deberent, pro omnibus posset satisfacere. Difficultas igitur est de infinito in potentia, seu sincathegorematice sumpto, sed hæc non potest explicari nisi videatur ex qua causa oriatur, quod sacrificium hoc habeat effectum non solum finitum, sed etiam non maximum, sed de facto vna missa non sufficiat ad liberandum omnes animas à pœnis purgatorum.

SVMMARIVM.

1 *Esse ex institutione Christi quod fructus missæ sit finitus aliqui dicunt. nu. 766.*

2 *Non potest dici, quod fructus missæ sit limitatus ex institutione Christi. nu. 767.*

3 *Ad hoc vt sacrificium missæ sit iterabile sufficit illa limitatio, quam satisfactio missæ habet connaturaliter. nu. 768.*

766 QVæritur igitur primo, an efficacia valoris sacrificij missæ sit finita nedum sed etiam maxima ex Christi institutione? Est enim prima sententia asserens efficaciam valoris, & fructum sacrificij missæ esse finitum, quia taxatum ex institutione Christi. Ita sentiunt *Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 79. sec. 11. §. Dico 2. Fagund. præc. p. l. 3. cap. 6. n. 8. Pasqual. de sacrif. Missæ q. 119. nu. 4.* & plures alij: qui dicunt valorem huius sacrificij esse tam actu quam potentia finitum, & taxatum. Mouentur quia conueniens fuit vt fructus huius sacrificij esset finitus, & taxatus; igitur fuit taxatus, & finitus ex institutione Christi, Consequentia est euidens, quia ad eum pertinuit taxare efficaciam, & fructum huius sacrificij, qui illud instituit, & qui ei applicauit meritum suæ passionis, hic vero fuit Christus. Probatur vero antecedens Tum primo, quia sacrificium quod fuit institutum, vt quotidie sæpius offerendum in Ecclesia, debuit habere finitam, & taxatam efficaciam, & effectum, nam si haberet infinitum semel oblatum sufficeret; at vero hoc sacrificium fuit à Christo institutum, vt quotidie celebrandum, & quidem etiam sæpius, ac sæpius eodem die, vt habetur ex *Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. de sacrif. miss.* debuit igitur eius efficacia taxari, & limitari ad certum gradum, & fixum. Tum secundo quia infinitum in actu nequit dari: non potuit igitur institui hoc sacrificium, vt esset efficaciæ infinitæ. Tum tertio quia virtus passionis Christi, & huius sacrificij non est applicabilis nisi per partes, cum eorum quibus applicanda est alij nondum sint nati, alij in aliquo tempore sunt incapaces huius applicationis, Tum quia fructus propitiationis, & satisfactionis supponit indigentiam, quæ nunc est, nunc non est, sic ergo virtus huius sacrificij per applicationes plures, & interpolatas debet applicari, & sic per applicationes finitas.

767 Sed hæc sententia, vel non tangit punctum difficultatis, nec illud explicat, vel irrogat iniuriam maximam Christo Domino, & eius liberalitati, & charitati. Duplex enim hic potest concipi institutio alia scilicet connaturalis rei institutæ per quam decretum sit, vt res sit modo sibi connaturali, alia est extrinseca, & mere positiua, per quam res connaturaliter indeterminata per positiuæ institutionis legem determinatur, & taxatur. Sic ergo dupliciter potest intelligi, quod limitatio efficaciæ valoris missæ sit ex institutione Christi, vel vt hæc institutio ferat vim legis naturalis, & taxationem connaturalem, & quam hoc sacrificium habet ex rerum conditione connaturali, vel quia institutio sit extrinseca, & rei adueniens, & connaturalem eius indifferentiam determinans. Et cum de facto fructus missæ sit nedum finitus quia non infinitus in actu, sed quia de facto paruus; ideo etiam quæri potest an ex institutione Christi sit, quod non sit infinitus in actu missæ fructus, vel etiã an ex institutione Christi sit, quod sit paruus. Si dicatur primum verum dicitur, quia Christus de facto instituit hoc sacrificium, vt haberet omnem illam finitatem quam petit connaturaliter spectata conditione offerentium, & eorum pro quibus offertur. Sed hoc modo non explicatur punctum difficultatis, quia non ostenditur qualiter, & ad quantum ex lege connaturali huic sacrificio eius efficacia sit limitata. Sed præterea modus loquendi est malus, & non formalis, & improprius. Quia quod dicitur conuenire missæ ex institutione Christi domini significatur esse velut à propria causa à voluntate Christi, seu etiam à re instituta quantum sit ex parte sui, non vero ex conditione offerentium, vel eorum pro quibus offertur; igitur si ex parte nostri sit causa huius limitatio-

mitationis, licet lex inſtitutionis huius ſacrificij hanc limitationem ferat, impropriiſſima tamen dicitur, quod hæc limitatio ſit ab inſtituente, cum ſit ex conditione rei inſtitutæ, & non ex parte ſui, ſed ex parte noſtri. Quod ſi ſit ſenſus, quod ex lege connaturali hoc ſacrificium habeat efficaciam tam actu, quam potentia finitam, & ſic detur maximum, quod poſſit, falſum aſſumitur, & ſacrificio maxima iniuria irrogatur; limitatio enim ad paruum, quod ſimul ſit maximum non eſt ex parte offerentium, aut eorum pro quibus offertur, quia in illis non eſt dabilis maxima deuotio, & fides, & charitas, quæ ſit maxima, taliter quod non poſſit haberi maior. Non igitur hæc taxatio ad maximum, quod in ſe ſit paruum, & tamen ſimul ſit maximum quod ſic poteſt eſſe à diſpoſitione hominum vel offerentium, vel pro quibus offertur miſſa, ſi ergo adeſſet, tribueretur ſacrificio ex parte ſui, nimirum ex parte Chriſti ſacerdotis, aut victimæ, quod ſine iniuria illius nequit affirmari. Sic ergo ex lege connaturali ſacrificium hoc non habet efficaciam taxatam ad hoc maximum; neque dici poteſt, quod Chriſtus inſtitutione connaturali taxauerit fructum miſſæ ad ſimile maximum. Si vero recipiatur ſecundus ſenſus, & dicatur quod fructus miſſæ eſt finitus ex poſitiua lege, & voluntatis Chriſti beneplacito tanquam ex propria cauſa, multiplici ex cauſa hoc apparet falſum manifeſte. Quia ſi finitum ſumitur, vt diſtinguitur contra infinitum in actu. Quod effectus miſſæ, non ſit infinitus in actu eſt ex lege naturali, quia tale infinitum repugnat, non vero ex lege poſitiua Chriſti inſtituentis. Si vero finitum ſumitur, vt eſt idem quod paruum, maxima iniuria ſit liberalitati, & charitati Chriſti, ſi dicitur, quod fructus miſſæ eſt paruus, & ita paruus, vt nec poſſit eſſe maior, quia Chriſtus ita voluerit; quaſi ipſe auarus, & illiberalis connaturalem efficaciam ſacrificij reſtrinxerit ad fructũ paruum, qui fructus paruus de facto ſit etiam paruus potentia, & ſic maximus, qui poſſit obtineri.

768 Dices cauſam non eſſe ex parte Chriſti, & eius illiberalitatis, quia conditio noſtra requirit, quod fructus huius ſacrificij ſit finitus, vt ſit iterabilis, & Deo tribuatur quotidie hic cultus multoties. Sed hæc ratio valde deficit. Tum primo quia ad hunc effectum ſufficit taxatio efficaciæ ad finitum in actu, & paruum relicta infinitate in potentia, quam decet vt habeat hoc ſacrificium ex parte ſui infinitum. Si enim ita res connaturaliter ſe habet ſine neceſſitate poſitiuæ taxationis ad paruum quia effectus ſemper eſt finitus, & limitatus, & paruus, quid intereſt, quod ſit in potentia infinitus? erit enim ſacrificium quotidie iterandum, vt quotidie noſtra parua capacitas illud finiti effectus percipiat, quod ex vnica celebratione poteſt percipere. Male ergo etiã diſtinguit hæc ſententia inter finitum in actu, & infinitum in potentia, & inter taxatum ad paruum, quod ſimul ſit maximum finitum tam actu quam potentia, & non attendit, quod efficacia ſacrificij miſſæ ex lege connaturali eſt taxata ad finitum in actu, & ad paruum in actu, & quod hoc ſufficit ad hoc vt ſacrificium inſtitutum fuerit, vt ſæpius celebrandum. Adde quod ad hunc effectum ſufficit ſacrificij efficaciam talem eſſe, vt non attingat nondum natos, & pœnas pro futuris peccatis incurrendas; Nam hoc ſolo dato nedum iterandum eſſet ſacrificium, vt ſuffragaretur naſcituris, ſed cum etiam iuſtiſſimi ſæpius ſaltem venialiter peccent, & alij ſæpius, & quamplurimi alij mortaliter, ex hoc eſt neceſſitas in Eccleſia ſæpius confugiendi ad hoc ſacrificium, vt propitiatorium, & ſatisfactorium. Et habetur, quod ex lege connaturali hoc ſacrificium ſine eo, quod eius efficacia taxetur ad paruum, quod etiã ſit ſimul maximum poſſibile, tale eſt, quod nec producit effectum infinitum, imo nec magnum in actu, nec eſt applicabile niſi per partes. Fit ergo iniuria diuinæ bonitati dum aſſeritur, quod Chriſtus inſtituerit, quod hoc ſacrificium habeat efficaciam taxatam ad paruum tam actu, quam potentia. & rationes, quæ hoc probant ſunt euidenter ſolutæ. Sed dices de facto ſacrificium miſſæ habere effectum independenter à diſpoſitione ſacerdotis offerentis; qui quidem nec debet eſſe infinitus, & non eſt vnde aliter taxetur, quam ex voluntate Chriſti inſtituentis. Sed hæc inſtantia petit, vt eius aſſumpti veritas examinetur, vt inanitas conſequentiæ eius appareat.

S V M M A R I V M.

1 *Ex ſacerdotis diſpoſitione volunt aliqui, quod miſſæ fructus ſit finitus. nu. 769.*

2 *Miſſæ valor non pendet ex diſpoſitione ſacerdotis. num. 770.*

3 *Dignitas operis ex principali offerente menſuratur. nu. 770.*

Virtus principalis agentis quomodo finiatur in inſtrumento nu. 770.

769 QVæritur ergo ſecundo, an efficacia valoris miſſæ limitetur ex deuotione, aut alia diſpoſitione ſacerdotis offerentis, vel potius miſſa fructum operis operati habeat independenter à quacumque ſacerdotis diſpoſitione. Multi ſunt, qui affirmant, quod efficacia, quam ſacrificium miſſæ habet ex Chriſto ſacerdote, & victima modificetur, & limitetur in ſacerdota offerente, vt nõ poſſit eſſe infinitæ virtutis. Cauſa enim infinita ex quo non influit niſi ſecundum capacitatem finitæ cauſæ mediæ, non habet efficaciam niſi finitam; ſacerdos vero eſt cauſa media finita, & Chriſtus non influit niſi finite. Secundo nam licet B. Virgo dum obtulit filium ſuum in templo, obtulerit rem infinite dignam, eius tamen oblatio ex finita virtute illius fuit finita. Hac ratione mouentur aliqui ad tenendum, quod huius ſacrificij efficacia ſit finita. Sed & hæc ſententia multipliciter deficit. Nam ſi loquitur de finito in acto, ratio huius finitatis euidens eſt, tum de parte infiniti in actu, quod nõ poteſt dari, tũ ex parte recipiẽtis fructũ, qui non eſt capax fructus actu infiniti, vnde ex hac parte nõ eſt neceſſe mẽdicare finitatẽ ex ſacerdote offerente. Si vero loquitur de finito, & paruo tã actu, quã potentia, primo ſine ratione ſupponit huiuſmodi efficaciam eſſe hoc modo finitam, & ſecundo male illam deducit ex ſacerdotis conditione, quia cum virtus ſacerdotis ſit infinita in potentia, quia ex maiori, & maiori deuotione in infinitum poſſit celebrare, non poteſt ex conditione ſacerdotis deduci, quod efficacia huius ſacrificij ſit infinita tam actu, quam potentia.

770 Dicendum igitur est, quod limitatio efficacia sacrificij missæ non est ex conditione sacerdotis offerentis, sed quod missa independenter ab eius dispositione habet suum effectum ex opere operato in subiecto disposito. *D. Th. 3. p. q. 82. a. 6. Nauar cap. 25. n. 79. & 115. Sotus l. 9. de iust. q. 2. a. 2. Suarez disp. 79. sec. 8. Vasquez 3. p. disp. 229. cap. 2. Petrus Sota sec. 41. cap. 4. Bellarm. l. 2. de missa cap. 4. Mirand. tom. 1. q. 41. a. 2. Faustus, & Dicastill.* quos sequitur *Pasqualig. q. 130. nu. 1.* & omnes qui tenent missam mali sacerdotis quantum ad opus operatum non minus valere. *Reuerendiss. Fagnanus cap. Fraternitatem n. 28. de sepulturis.* Missa enim habet effectum suum ex opere operato, idest ex consecratione, & oblatione corporis, & sanguinis Christi. *cap. Vtrum de consec. dist. 2.* nec polluitur, aut inquinatur ex ministri nequitia. *cap. præter. vlt. 15. q. 8. cap. Præter. §. verũ 32. dist. Trid. sess. 22. c. 2. de sacrif. Missæ.* Et hoc tenendũ tanquã dogma certissimum. Ratio est quia sacerdos non offert hoc sacrificium nomine proprio, sed nomine Christi, qui est principalis offerens, opus vero gestum nomine alterius habet valorem à principaliter agente, qui ab instrumento non augetur, nec minuitur: Minister enim mandantis actionem secundum valorem quam ea illo habet non auget, nec minuit. Cuius signum in proposito est, quod malitia sacerdotis non coinquinat puritatem sacrificij missæ, sed remanet purum, & mundum, & Deo gratum. Sic si Princeps per priuatam personam alteri Principi aliquid donet, non desinit esse donatio Regia sicut si per vilem personam nobilis nobilem offendat, offensio non iudicatur ea qualitate vilis offendentis, sed nobilis, qui mandauit offendere. Ratio à priori est, quia non negatur, quod conditio mandatarij non qualificet actionem ex sui bona, vel mala qualitate; Nam v. g. quanto Regis legatus sit nobilior, tanto est magis acceptus Principi ad quem mittitur, imo se iniuria affici iudicaret si ad se vilis persona mitteretur. Sed quod asseritur est, quod valor, quem habet actio mandatarij ex virtute mandantis à mandatarij qualitate non minuitur, vel augetur. Quia illa efficacia non est ex mandatarij virtute, sed ex virtute mandantis, quam habet. Et si dicatur, quod maior est efficacia agentis per se ipsum, quam per legatum. Maior enim v. g. reuerentia accederet Pontifici, si Rex in persona propria illi reuerentiam præberet, quam si medio legato suo, Respondetur quod licet intra eundem titulum, aut lineam actio mandantis immediata aliquam maiorem vim habeat, quam habita per mandatarium, tamen ea eo quod sit habita mediate per illum non deficit à gradu suo, & titulo, & linea, & habet substantialiter vim omnem, quæ ea dignitate, & vi eiusdem tituli sibi debetur. Sic reuerentia reddita Pontifici nomine Regia substantialiter est reuerentia regalis, & à Rege præstita, & habet vim, & efficaciam regalis reuerentiæ. Ita oblatio facta Deo in persona Christi moraliter, & secundum æstimationem est oblatio personæ quæ est Deus, & homo. & ideo est ex parte offerentis infinita, & independenter à sacerdotis dispositione suum sortitur effectum, Et si iterum dicatur, quod conditio mala legati si sit persona vilis, & malæ famæ, potest etiam minuere valorem operis Regalis, seu Regis operantis per legatum quoniam imo Rex se offensum putaret, nec acceptaret officium legati sibi missi ab alio Rege, si legatus esset persona vilis, & infamis. Respondetur hoc verum esse per accidens, si mala conditio legati sit electa à Rege mandante, & missio talis censeri possit offensa à Rege mandante facta Regi, ad quem vilem legatum mittit; præcisa enim huius offensæ ratione tenuis seu vilis conditio personæ missæ nihil diminuit de valore operis facti nomine Regis, vt v. g. si conditio temporum, & secretum negotij exigeret, vt vilis persona mitteretur, tunc quia vilitas missi non redundaret in iniuriam eius ad quem mittitur, actio missi non deficeret a valore, quam ex mittente haberet. Modo sacerdos natura, & officio nobilis est, quod si sit malus non est ea electione Christi mandantis, neque ea hoc Pater remanet offensus à Christo mandante, & ideo missa à quocumque celebratur Deo grata est inquantum offertur nomine Christi, neque eius valor ex conditione sacerdotis diminuitur, sed tanquam sacrificium à Christo oblatum habetur, & habet effectum suum tanquam sacrificium, quod est Christi, vt offerentis principaliter,

771 Ad argumentum igitur in contrarium negatur assumptum absolute, & vniuersaliter, & præcipue in esse morali, vbi factum per instrumentum habetur in æstimatione tanquam factum a principali agente, & præcipue vbi agens est infinitum, sicuti in præsenti. Vel melius dicitur, quod virtus principalis agentis modificatur in instrumento respectu eius modi, & rationis cuius instrumentum non est capax, & sic ea incapacitate instrumentum limitat virtutem principalis agentis, modo sacerdos vt agens in nomine Christi non est incapax operis, quod sit moraliter infiniti valoris in potentia, & sincathegorematice ex hoc solum, quod agat nomine Christi, independenter à sui conditione, & qualitate, cum imo & sacerdos huius infinitatis sit capax vt per gratiam, & virtutis infinitæ semper melius, ac melius agere possit. Quod vero de B. Virgine offerente Dominum in templo adducitur ad rem non facit, quia oblatio illa non fuit facta in persona Christi, vel Dei, sed ab ea, vt à priuata persona, & matre filij sui, vnde & facta fuit finito modo, & fuit sicut vitio beata finita. Sic enim, & oblatio Christi vt facta à sacerdote nomine proprio finita est etiam quantum ad sufficientiam; nos vero loquimur de missæ oblatione, vt est oblatio Christi per suum ministrum seipsum Christum offerentis.

SVMMARIVM.

1 *Fructus missæ limitatur ex deuotione eius qui offert, & pro quo offertur. nu. 771.*
2 *Non est eadem ratio de sacerdote ministro publico, & de priuato offerente. nu. 772.*

773 QVæritur tertio, an limitatio efficaciæ, & fructus missæ accipi debeat vt à propria causa à dispositione offerentium, & eorum pro quibus missa offertur? Negant illi qui putant missam ex Dei institutione habere taxatum fructum in minos, & in maius inuariabiliter. Sed de hoc ita habet *D. Th. 3. p. q. 79. ar. 5. c. Sed in satisfactione magis attenditur affectus*

offeren-

offerentis, quam quantitas oblationis. Vnde Dominus dicit Luca 21. de vidua, qua obtulit duo æra quod plus omnibus misit. Quamuis ergo hac oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendam pro omni pœna, tamen sit satisfactoria illi pro quo offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna. Vbi manifeste asseritur, quod quantitas efficaciæ sacrificij missæ limitatur vt sit tanta, & tantum eius fructus ex deuotione offerentis, & eius pro quo offertur. Vnde hoc idem sentiunt *Caiet. d. q. 79. a. 5. & tom. 2. opusc. tr. 3. q. 2. Syluest. v. missa n. 9. Sotus 4. d. 13. q. 2. a. 1. & dist. 12. q. 1. a. 5. Cano de locis l. 12. cap. 13. ad 10. Viguer. Inst. cap. 16. §. 3. vers. 15. Vasquez disp. 231. cap. 7. n. 41. Lezana v. missa n. 12.* Et alij plures quos in sequentibus quæstionibus referam ex hoc principio suas assertiones concludentes. Ratio autem à priori est, quia quod hoc sacrificium sit propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium non habet ex accidenti, & ex lege positiua suæ institutioni superaddita, sed ex natura sua, quia est oblatio Christi ab eodem Christo, vt principali sacerdote permanens, & facta, vnde continet ex sui connaturali institutione meritum passionis Christi de se infinitum; cum igitur hæc virtus, & valor spectata oblationis conditione sit ex parte sui infinitus quia & oblata res, & offerens est infinitæ dignitatis, & valoris, huiusmodi vero virtus necessario quantum ad efficaciam sit finita, non fuerit vero conueniens vt taxaretur, & finiretur à Christo, nec finiatur ex ministro, quia semper est opus Christi primi offerentis, non restat vnde finiri possit, nisi ex parte recipientium, vel priuata affectione offerentium sicut etiam Sacramenta non habent à Christo taxatum effectum, sed iuxta dispositionem recipientium maior est vel minor eorum effectus. Duplex vero finitas est in fructu, quia & non est infinitus in actu, & non est magnus, sed est maior vel minor, vt non tantus vt sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna. Primam finitatem habet ex eo, quod offerentes priuati, seu illi pro quibus offertur sunt creaturæ, & fructus ipse est quid creatum, cui repugnat infinitas in actu, Sed quod fructus sit paruus, & in genere nunc maior, & minor est ex maiori vel minori dispositione offerentium, vel eorum pro quibus offertur.

772 Sed fortasse quis obijciet, & dicet hoc stare non posse; quia valor sacrificij non limitatur ex deuotione sacerdotis, vt probatum est; igitur neque limitatur ex deuotione alterius offerentis, quia sacrificium habet effectum ex opere operato independenter ex deuotione. *Reuerendissimus Fagnanus, cap. Fraternitatem. n. 27. & 28.* principium illud *Caiet.* quod scilicet applicatio sacrificij integratur ex intentione, & deuotione tanquam sit euidenter falsum impugnat. Sed vis tota impugnationis consistit, quod nullã habet opus operatum independenter à deuotione sacerdotis, quod est verissimum, & de mente Caietani. Vnde falsa est hæc consequentia, fructus sacrificij quem habet ex opere operato non limitatur ex deuotione sacerdotis, ergo neque ex deuotione priuati offerentis. Et fallacia consequentiæ apparet ex eo quod offerens publicus, qui est sacerdos vt offerens in persona Christi, non potest oblationem nec coinquinare, nec limitare eius valorem quia oblatio non est illius propria actio, sed est actio Christi, & ex eo valorem suum habet. Sed priuatus offerens, offert nomine proprio, & vt principalis in suo ordine, & ex propria deuotione, & voluntate. Et licet nec iste possit coinquinare oblationem secundum se, potest tamen inquinare oblationem propriam, vt est ex se ipso, & sui propria, & siue inquinet, siue non, eius tamen effectum limitat, ex parte effectus, licet non ex parte sacrificij: Quia ex quo offert siue pro se, siue pro alio offerat, sibi debetur rei oblatæ effectus, & fructus; sed quia in sacrificio deuotio offerentis requiritur, ideo secundum quantitatem deuotionis, sibi respondet, vt debita vel pro se, vel pro alio proportionata quantitas fructus. Et hoc est, quod vult *Caietan. loco citato*, & est verissimum.

SVMMARIVM.

1 *Ad fructum missa in quantum est satisfactoria recipiendum requiritur, quod homo sit viator, & fidelis. nu. 773. 774.*
2 *Ad hoc vt sacrificium pro alicuius pœna satisfaciat requiritur in eo status gratia. nu. 775.*
3 *Non requiri statum gratiæ in offerente, aliqui volunt. nu. 776.*
4 *Offerentes duplices, scilicet qui sacerdotaliter, & non sacerdotaliter offerunt. nu. 776.*
5 *Ad hoc vt missa satisfaciat illi pro quo offertur necesse est, quod etiam offerens sit in gratia. nu. 777.*
6 *Offerens est primus qui recipit fructum sacrificij, cum in gratiam sui ille fructus alij concedatur. nu. 776. & 777.*
7 *Missa fructus dependenter à deuotione offerentis participatur. nu. 778.*
8 *Sacerdos in applicatione missa huic, vel illi quomodo sit minister Christi, & eius ad cuius instantiam celebrat. nu. 779.*
9 *Sola dispositio habitualis, an sit illa iuxta cuius quantitatem mensuratur fructus missæ. nu. 780.*
10 *Fructus satisfactionis amissus non redit recuperata gratia. nu. 781.*
11 *In eo, pro quo missa dicitur non est necessaria actualis deuotio, vt fructum recipiat. nu. 782.*
12 *Defunctis vt pro eis missa prosit sufficit eos esse in gratia. nu. 783.*
13 *Defunctis magis prodest missa, quo maiorem deuotionem habuerunt in vita. nu. 784.*
14 *Quæ supersunt animabus à Deo alijs applicantur. nu. 785.*
15 *Quod fructus missæ sit maior iuxta maiorem dispositionem recipientis negant aliqui. nu. 786.*
16 *Fructus missæ est maior ex maiori dispositione recipientis. nu. 787.*
17 *Non fuit conueniens fructum missæ esse taxatum indiuisibiliter. nu. 788.*
18 *Sicut in sacramentis sic in sacrificio missæ fructus est maior secundum dispositionem recipientis. nu. 789.*
19 *Obiecta soluuntur. nu. 790. 791. 792.*
20 *An ex sola recipientis deuotione finiatur fructus missæ. nu. 793.*
21 *Missæ fructus per se primo finitur ex deuotione offerentis. nu. 794.*
22 *Deuotio offerentis limitat fructum missæ respectu eius pro quo offertur. nu. 795.*

23 *Missa*

23 *Missæ fructus crescit ex deuotione tam offerentis, quam eius pro quo offertur. nu.796.*

24 *Quomodo crescat fructus missæ in eo qui non cogitat missam pro se dici. nu.797.*

25 *Hæc est formalis. Deuotio crescit ex deuotione eius pro qua missa offertur. nu.798.*

Is pro quo missa dicitur ex duplici capite fructum recipit. nu.798.

26 *Deuotio quomodo prosit animabus purgatorij. nu. 799.*

Deuotio offerentis si desit deest fructus missæ. nu. 799.

27 *Et pro quo missa offertur. nu.800.*

28 *Quid sit deuotio ex qua crescit fructus missæ. nu. 801.*

29 *Effectus crescit ex maiori perfectione actus ex quo causa causat. nu.802.*

30 *Sacrificiũ & deuotio sunt actus religionis.n. 803.*

31 *Sacrificium internum, & externum. nu.804.*

Religio & sanctitas maxime consistunt in deuotione. nu.804.

32 *Formaliter solus ex eis actus Religionis scilicet deuotionis est ille cui respondet maior fructus missæ. nu.805.*

33 *Ad augmentum fructus missæ omnes virtutes concurrunt, sed ex sola deuotione formaliter accipitur proportio huius augmenti. nu.806.*

34 *An hoc vt missa fructificet necessaria est offerentis deuotio. nu.807.*

773 Quæritur quarto quæ & qualis dispositio requiratur ad effectum satisfactionis, seu remissionis pœnæ consequendum per missæ sacrificium? Supponitur tanquam certum requiri statum viatoris, sub hoc statu comprehendendo etiam eos, qui sunt in Purgatorio. Damnati enim sunt incapaces remissionis pœnæ ratione sui status, & Beati sunt iam in termino, eisque pœna omnis est iam remissa, nec in essentiali beatitudine crescunt, & gaudium accidentale, quod eis in dies aduenit, illis debetur ratione status, nec illis de nouo impetratur. Hoc quoque sacrificium ad hoc vt in effectu producat fructuum suum requirere in subiecto fidem Christi, docuit *D.T.3.p. q.79.a.7. ad 2.* Vnde Ecclesia non rogat pro infidelibus dum hoc sacrificium offert, est enim donum à Deo Ecclesiæ suæ concessum.

774 Quantum vero ad effectum satisfactionis requiritur, quod is pro quo offertur sit pœnæ obnoxius, aliter sacrificij effectus non ab eo recipitur, cum eo non indigeat, nec tamen perit iuxta infra dicenda sed à Deo dispensatur *Vasq.3.p. disput. 231.n.51. Suarez disp.78.sec.10. Card.de Lugo disp. 19, n.209. Fagund.præt.1.l.4.c.10.n.19. Bonac.disp. 4.q.vlt.p.5.na.5. Pasqualig.80.num.1.* & apud eum *Auersa, & Dicastill. Filliuc. tr.5.n.83.*

775 Est vero circa hoc prima difficultas, an requiratur status gratiæ? Quia enim in satisfactione attenditur æqualitas compensationis, non dignitas personæ, ideo quod non sit necesse, quod is, pro quo offertur missa sit in gratia, vt illi vi huius sacrificij remittatur pœna, voluerunt *Durand.4. d. 16.q.2.n.10. Gabriel.q.2.a.3.dub.3. Scotus dist.15.q. 1.a.4. Maior q.1. Nauar. cap.1.n.45. & 46. de pænit. dist.6.* Verum considerandum est, quod huiusmodi sunt beneficia amicorum, & quod in satisfaciendo Deo non sufficit, si quis velit reddi illi æquale, quia Deus non tenetur illud in satisfactionem acceptare, vnde præter æqualitatem satisfactionis necessaria est gratia Dei acceptantis satisfactionem, Deus vero pro peccatoribus suis inimicis satisfactionem huiusmodi non acceptat. Quod magis explicatur ex eo, quod passio Christi etiam pro peccatoribus oblata, respicit primario reconciliationem eorum cum Deo, & in ordine ad hanc alia præstat beneficia, vnde & Christus non instituit hoc sacrificiũ pure ad satisfactionẽ pœnæ, sed in ordine ad reconciliationẽ cũ Deo, & ne satisfactio pœnæ se habet cõseqnẽter ad remissionẽ culpæ, alias peccatores nõ reconciliati deputati sũt pœnæ æternæ, vnde illis non competit satisfactio pro pœna temporali, nisi prius per reconciliationem cum Deo illis æterna pœna fuerit remissa. Et ideo, quod hoc sacrificium non satisfaciat pro existentibus in peccato mortali docuit *D.Th.3.p.q.79.ar.7. ad 2.* Vbi sic habet. *Ita & hoc sacrificium quod est memoriale Dominicæ passionis, non habet effectum nisi in illis, qui coniunguntur huic sacramento per fidem, & charitatem, vnde & August. dicit ad Renatum. Quis offerat corpus Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi? Vnde & in canone missæ non oratur pro his, qui sunt extra Ecclesiam; illis tamen prodest plus, vel minus, secundum modum deuotionis eorum.* Idem docent. *Sotus l.9.de iust.q.2.a.2.ad 3. Vasquez 3.p.disp. 231.c.7.n.45. Suarez disp.79.s. Tertio requiritur sect. 10. Card.de Lugo disp.16.n.144. Fagund.præc.1.l.4. c.1.n 20. Leand.tr.8.disp.4.q.13. Conimb. Filliuc. Rateas, Franciscus Luga, Macar. Gaspar Hurt. Caspen. Mocrat.* quos sequitur *Pasqual.q.85.n.3.*

776 Secunda difficultas est, an quando quis facit celebrare missam pro alio, ad hoc vt obtineatur fructus satisfactionis vterque debeat esse in statu gratiæ tunc cum missa celebratur? Videtur enim quod sufficiat illum esse in statu gratiæ, pro quo offertur sacrificium, quia ille est, qui debet beneficium satisfactionis recipere, cuius est capax, ex quo est in gratia. Alias vero sacrificium ex opere operato fructificat independenter à deuotione, & dispositione offerentis. Ideo *Pasqual.d.q.80.n.9.* arbitratur, quod ex parte offerentis non sit necessarius status gratiæ, quia peccatum offerentis non tollit efficaciam sacrificij, quæ illi conuenit ex natura sua, & quam habet independenter ab offerente, qui tantum ministerialiter se habet. Verum hic attente semper debet considerari distinctio inter offerentes, quia alij sunt offerentes sacerdotaliter, & alij non sacerdotaliter. Illorum oblatio est sacrificium missæ essentialiter, sed oblatio horum extra sacrificium est. & est quid ordinatum ad illud, & in ordine ad huiusmodi oblationem sacrificium se habet, vt obiectum: soli Christus, & sacerdos sacerdotaliter offerunt, & vna est vtriusque oblatio, quæ est sacrificium missæ, & quæ oblatio habet pro obiecto Christum ipsum sub speciebus panis, & vini, & quæ oblatio est principaliter à Christo, ministerialiter à sacerdote; ideo huiusmodi oblatio habet, ex opere operato effectum suum independenter à priuata, & personali dispositione sacerdotis, quia ipsa est à sacerdote non ex vi alicuius priuatæ, & personalis qualitatis, sed quatenus est minister Christi: sed offerentis non sacerdotaliter oblatio extra sacrificium est, & ad illam offerens se

rens se habet, vt causa principalis, illaque oblatio est actio personalis, & ex propria offerentis fide, & deuotione proueniens, qui enim postulat missam non sacrificat ille sacerdotaliter, sed sacrificium postulat. Et quod ille immediate offere non est Christus, sed sacrificium missæ oblatum sacerdotaliter per sacerdotem, & huius postulationis suæ, & oblationis actus est opus operantis, quod est ab eo, & ab eius deuotione, & modo quo alij virtutum actus, est enim actus virtutis Religionis, etiam meritorius de condigno respectu sui ipsius vt docet *Sotus 4.d.13.q.2.a.1.* Et quod magis est, in hac oblatione ipse est primus, & immediatus pro quo offertur missa à se postulata, quia in sui gratiam, & eius intuitu, & ex vi intentionis suæ sacrificium alteri fructificat. Ideo bene *Suarez disp.79.sec.10.§. Tria vero,* dicit, quod hæc applicatio fit per modum donationis extrinsecæ. Quia ille qui offert missam pro aliquo se habet, ac si satisfactionem donaret, quæ sibi proueniret ex missa nomine suo celebrata. Sed & secundum *D.T.d.45.q.2.a.49.t.c. suffragia valent ex hoc, quod per intentionem vnius alteri applicantur, & sic satisfactio vnius alteri computatur.* Sic enim satisfactio eius, qui missam facit celebrare, ex eius applicatione computatur ei, pro quo celebrare facit,

777 Dicendum est igitur, quod ad hoc, vt missa oblata intuitu vnius pro alio illi fructificet, necesse est, quod vterque sit in gratia. Hæc conclusio est de mente *D.T.3.p.q.79.a.5.& Caiet.ibid.& tom.2.opus.tr.3.q.2.& Soti 4.d.13.q.2.a.1.* & omnium illorum, qui sentiunt fructum medium non esse determinatum, sed determinari ex deuotione eorum qui priuatè offerunt in sacrificio missæ; ex hoc enim principio bene sequitur, quod vbi in offerente missam non sit deuotio, missa non fructificet, intantum enim quantitas fructus missæ respondet quantitati deuotionis offerentis, inquantum illius deuotio sit dispositio requisita ad hunc effectum; vbi igitur non erit in offerente deuotio, missa fructum non habebit. Quod probatur manifeste, ex eo quod ad hoc vt sacrificium sit acceptum Deo, ideoque sit fructiferum non sufficit, quod res oblata sit Deo accepta, sed necesse est, quod sit accepta oblatio prout est actus principalis offerẽtis; igitur ad hoc vt oblatio eius qui missam facit celebrari pro alio, sit accepta Deo, non sufficit, quod missa sit Deo accepta quatenus est principaliter sacerdotaliter oblatio Christi, sed necesse est, quod sit accepta vt est oblatio facientis celebrare missam, qui in hoc est principalis offerens; non enim offert vt minister Christi, nec in persona Christi, sed in propria persona, & priuata, & per oblationem non sacerdotalem, quæ est propria actio personalis illius; igitur si hic offerens tempore sacrificij non sit in gratia, esto res oblata sit Deo gratissima, oblatio tamen eius non est accepta; & cum non sit Deo accepta, nec missa per eum oblata fructificat illi pro quo missa per oblationem Deo non gratam fuit præsentata. Item causa indeterminata cuiuscumque virtutis sit, si in sui efficacia dependeat ab aliqua causa vt determinante, si causa determinans determinare non possit, impeditur efficacia illius causæ indeterminatæ, quia à causa indeterminata nihil est, cum effectus indeterminatus esse non possit, fieri enim, & esse est singularium. Missa autem quantum ad huiusmodi fructum medium est causa indeterminata, fructus enim medius est, qui respondet priuatæ intentioni, deuotioni, & personali oblationi huius vel illius, at vero hæc particularis intentio, oblatio, & actio personalis per peccatum offerentis reddentis intentionem, & oblationem illam priuatam Deo inuisam, & non acceptam, impeditur ne determinari possit, (cum hæc determinatio moralis sit, & fieri debeat per actum religionis, & virtutis à gratia, & charitate formatæ,) vt sit Deo accepta, seu vt Deus illam determinationem acceptet. Tertio nam vt dicebatur, semper offerens missam pro alio, ex vi talis oblationis est primus, pro quo missa offertur, & ipse primo beneficium recipit, quia missa in gratiam ipsius, & ex vi intentionis ipsius alij fructificat, & beneficium non leue factum offerenti est, quod ex vi oblationis eius alius liberetur à pœna; cum vero sit incapax huius beneficij per peccatum, nec ille tertius beneficium satisfactionis recipit, quod non datur nisi ex vi oblationis offerentis.

778 Nec obstat, quod missa operatur ex opere operato, quia quantum ad fructum medium operatur depẽdenter à determinatione priuati offerentis, cum non operetur nisi quia oblata per illum, oblatio vero non accepta Deo non potest determinare efficientiam missæ, quia Deo debet esse acceptum, quod missa ex applicatione vnius pro alio fructificet. Neque obstat si dicatur, quod hæc determinatio fit à sacerdote, vt ministro Christi, vt magis patet, quando sacerdos immediate celebrat missam pro aliquo, & non ad alicuius instantiam. Itaque vis argumenti est, quod sacerdos non agit nisi vt minister Christi, Christus vero non applicat missam pro hoc, vel illo, vt illius, vel alicuius minister, sed vt causa principalis, seu vt principalis sacerdos, & offerens, Applicatio igitur huiusmodi cum ex parte Christi applicantis sit Deo grata, & sit grata etiam ex parte eius cui applicatur, qui est iustus, vt supponitur, suum effectum consequetur. Respondetur tamen, & admisso quod Christus non sit alicuius minister, & quod vt causa sacerdotalis principaliter offert, negatur consequentia argumenti, Tum quia Christi applicatio originaliter materialiter prouenit ex priuati offerentis intentione, qui supponitur esse Dei inimicus, & ideo applicatio ipsa ex sui origine materiali vitiatur, Quod secundo magis explicatur, quia priuatus offerens est principalis ex parte materiæ, & subiecti cui missa fructificet, est enim primus cui fructificare debet ex intentione Christi offerentis, & ille pro quo missa offertur est subrogatum priuati offerentis, qui est per se primo primus pro quo offertur, & ideo cum ille sit incapax fructus missæ, etiam eius subrogatum nihil recipit, Quod explicatur magis, nam non crediderim, quod aliquis affirmet, quod missa mali sacerdotis prosit illi, pro quo ille ex priuata intentione celebrat, quia imo sic celebrando ille Deum offendit; & applicatio illa in tali sacerdote peccatum est. Et nihilominus missa eius est vt Christi ministri immaculata est; sed tamen ille est indignus vt alius nomine suo, & ex sua materiali determinatione fructum missæ recipiat. Sic igitur & cum alius in peccato mortali existens offert missam pro

sam pro alio, indignus est vt eius intuitu missa fructificet alteri, & ideo nec alteri fructificat.

779 Colligitur vero ex hoc, quod huiusmodi gratiæ dispositio requiritur pro eo tempore, in quo sacrificium offertur, quod causat per modum causæ naturalis in subiecto disposito, ideo quia causat cum offertur tunc est necessarius status gratiæ in eo pro quo offertur, vt ei pœna temporalis remittatur. Inde est, quod licet quis sit in peccato mortali, cum dat eleemosinam pro missa, si ille sit in gratia quando missa offertur hoc sufficit, tunc enim etiam vt offerens actu moraliter influit, & ideo est capax fructus missæ. Econtra vero licet esset in gratia quando procurat sacrificium, si non est in gratia quando sacrificium offertur non recipit fructum satisfactionis, quia pro tunc non est ad illum dispositus. Sic si quis in testamento missas legauit etiam si tunc sit in peccato, si tempore mortis sit in gratia, maxime quod ex illa vltima voluntate testamentum vim habet, percipit fructum missarum; sed vbi moriatur in peccato, nihil eum iuuat, quod iustus erat, dum confecit testamentum. *Pasqualig.d.q.80.nu.10.& 11.*

780 Quamuis tamen gratia requiratur, vt dispositio ad recipiendum fructum satisfactionis, hæc tamen habitualis dispositio non est illa iuxta cuius quantitatem crescit, vel minuitur satisfactionis fructus; se habet enim vt dispositio remouens prohibens, non vero vt dispositio trahens formam, sed hoc conuenit actibus, non vero solis habitibus. Ita *Suarez disp.79. sec.10. §. Nihilominus censeo,* & *ex Vasquez disp.231.cap.7. Pasqual q.80. nu.12.* Sed quomodo hoc sit verum, dicendum est infra.

781 Tertia difficultas est, an fructus satisfactionis non receptus ob impedimentum peccati, redeat recuperata gratia? Quia enim sacramenta recedente fictione producunt effectum suum, & quia merita hominum sunt semper Deo præsentia, & ideo status gratiæ futurus est præsens Deo, tunc cum offertur sacrificium pro eo, qui est in peccato, & sic conuenit diuinæ misericordiæ vt tunc acceptet satisfactionem oblatam pro eo, vt habituram effectum pro tempore gratiæ, ideo videtur, quod fructus satisfactionis recuperata gratia redeat, vt voluerunt *Nauar de orat.n.84. Henriq.l.9. cap.23.n.1.& in com. l. F.* quos sequitur *Leand. tr. 8. disp. 3. q.14.* Sed econtra hoc negant alij, quia nec admittunt, quod sacramenta iterabilia consequantur effectum recedente fictione, hoc sacrificium vero est iterabile: & quia sacrificium per modum causæ naturalis agit, & ideo vbi tempore actionis cessat fructus ex incapacitate subiecti, finita actione effectus non producitur, & ideo quod vbi fructus satisfactionis fuit per peccatum impeditus, quod recuperata gratia non redeat, communiter sentiunt. *Sotus in 4.d.19.q.1.a.5. vers. Neque vero. Vasq.disp. 231.cap. 7.n.51. Suarez disp.79.sec. 10. §. Tertio requiritur. Fagund.prac.1.l 4.c.1.n.25. Lugo disp.19.n.195. Bonac. disp.4. q.vn. p 5.num.5. Garzia, Rutens, Mercer. Franciscus Lugo, Marat. Marchad. Gasp. Hurt. Caspen. Faustus,* quos sequitur *Pasqual.q.81.* Et hæc opinio est rationabilior; quia incredibile est, quod si sacerdos iniquus toto tempore vitæ suæ celebret sacrilege, quod sibi reseruetur fructus missarum suarum, si in puncto mortis recuperet gratiam. Nec que... ...ria sententia affert de præscientia Dei probat, quia Deus non præscit futurum statum gratiæ vt coexistentem oblationi sacrificij, ideo Deus simul præscit statum peccati vt coexistentem eidem sacrificio, quod non est institutum vt producat fructum satisfactionis in eo, qui non est iustus. Alias vero non est diuinæ prouidentiæ mos vt moueatur ex futuro vel peccato, vel opere bono ad effectus præsentes, & sicut nō negat Deus fructum satisfactionis iusto, quem præscit peccaturum, sic nec eum reseruat & donat peccatori, quem præscit futurum iustum, sed secundum quod tempore effectus requirunt hominis merita vel demerita, sic distribuit sua dona.

782 Quarta difficultas est, an in eo pro quo offertur sacrificium, vt fructum satisfactionis recipiat, requiratur aliqua actualis dispositio, seu consensus saltem interpretatiuus. Non requiri actualem aliquam dispositionem communiter asseritur. *Vasquez d.231.cap.7.n.45. Suarez disp.79.sec.10. §. Tria vero Card.de Lugo disp. 19.n.196.* Virtualem tamen, seu interpretatiuum consensum requirit *Suarez* quem dicit semper interuenire, quia vnusquisque cupit à pœna liberari, & libenter huiusmodi beneficium recipit. Verum *Card.de Lugo d. nu.196.* quem sequitur *Pasqual. q. 82.* referens pro eodem sent. *Martinen. Auersam, & Francis. de Lugo,* existimat, quod iustus etiam si nolit fructum satisfactionis recipere, illum non possit impedire, quia nec dispositus potest impedire effectum Baptismi, nec aliquis impedire potest effectum martirij. Ratio est, quia hoc sacrificium ex sui institutione potest offerri pro alio, igitur in eo pro quo offertur non indiget dispositione aliqua, nisi quod remoueat impedimentum, quod influxum sacramenti detinebat. Cæterum sicut iste alias non est necesse, quod sciat offerri sacrificium pro se, sic non est necesse, quod id velit, nec quod positiue ad id se disponat. Vlterius vero sicut non potest impedire, quod alter pro se ipso offerat, sic non potest impedire effectum sacrificij pro se oblati, quia sacrificium per modum causæ naturalis agit, quæ non desinit producere effectum in subiecto disposito. Quod eo magis est verum in proposito, quod negotium agitur cum Deo, qui est ille, qui habet ius ad pœnam, & cum quo negotium agitur per eum qui celebrat, vel celebrare facit missam, vnde vbi Deus oblatum sacrificium acceptat in satisfactionem pœnæ alicui debitæ, non potest ille impedire ne debitum sit solutum, & ne Deo sit satisfactum, si Deus satisfactionē acceptauit. Non est vero vnde dicamus Deum nolle acceptare satisfactionem sibi oblatam à filio suo, seu a sacerdote nomine filij sui, nisi consentiat ille pro quo oblatio offertur; si tamen eo modo recusaret, vt recusando moraliter peccaret, tunc peccato fructus satisfactionis impediretur. Ego cum huiusmodi DD. non conuenio in fundamento, quod est, quod fructus missæ à Christo sit taxatus etiam ad non maius; vnde hic fructus sic taxatus dicatur recipi à iusto pro quo offertur etiam si nolit, fructus enim missæ à nobis limitatur. Ideo nec conuenio omnino in conclusione, quam admitto de illo fructu qui prouenit ex vi operis operati, vt determinari per deuotionem offerentis, non vero de illo, qui respondet deuotioni recipientis. ... quo videri debent, quæ

dicuntur

d... ... numero 798. & 807.

... Quinta difficultas est, an ad hoc quod ... tar pro defunctis sit in eis necessaria ... aliqua deuotio præter statum gratiæ? Caiet. tom. 1. tract. 16. q. 5. §. Quoad tertium, quem sequitur Vasquez d. disp. 231. cap. 7. apud Pasqualig. ... dispositionem requirit, vnde existimat, quod suffragia huiusmodi non prosint omnibus existentibus in purgatorio, sed illis qui dum viuerent meruerunt vt ista illis prodessent. Quod probat tum ex August. in Euchir. cap. 109. & lib. de cura agend. pro mortuis, & ex D. Th. 3. p. q. 52. a. 8. ad 1. Et quia valor huiusmodi suffragiorum spectat in defunctis ad præmium accidentale, cui in hac vita debet respondere aliquod accidentale meritum. Sed veritas est, quod meritum necessarium in defunctorum animabus, vt suffragia illis prosint est meritum essentiale per quod dum viuerent meruerunt vitam æternam. Ex hoc enim, quod fideles in gratia iusti decedunt, sunt dispositi, vt fructum suffragiorum recipiant. Et de hoc merito loquitur S. August. Vnde omnibus defunctorum animabus prosunt pro quibus missæ offeruntur vt aperte docent Mag. in 4. d. 45. & ibi D. Th. q. 2. a. 1. q. 3. & a. 4. q. 1. Sotus q. 2. a. 4. concl. 2. & dist. 25 q. 2. a. 3. D. Bonau. a. 1. q. 3. Adrian. quodl. 8. n. 2. Pasqual. q. 83. Et hoc satis colligitur ex Concil. Trid. sess. 22. cap. 2. de sacrif. Miss. vbi habet ex traditione Apostolica hoc sacrificium offerri pro animabus purgatorij, & hoc sine restrictione aliqua affirmat. vnde pro omnibus purgandis hoc sacrificium offertur, & cum omnes sint capaces fructus illius, & ipsum ex opere operato causet, non est vnde dicatur non causare in omnibus fructum satisfactionis pro quibus offertur. Nec satisfactio proprie est præmium accidentale, sed est debiti solutio, & quatenus esset, non requiritur specialis meritum respectu præmij accidentalis, quia ad præmium essentiali, & essentiale meritum consequitur. D. Thomas vero loco citato bene reducit liberationem quarundem animarum à purgatorio in descensu Christi ad inferos in fidem, & deuotionem ad mortem Christi, vt in dispositionem, quia hoc fuit speciale ordinatum contemplatione descensus Christi ad inferos; & præterea deuotio per fidem habita communis est omnibus animabus purgantibus, & comes indiuidua iustificationis, per fidem enim Christi mortui pro nobis iustificamur.

784 Sexta difficultas est, an in animabus purgatorij crescat fructus sacrificij vel minuatur ex maiori, vel minori deuotione, quam habuerunt dum in hoc mundo essent vnitæ corporibus. Videtur enim ita esse dicendum, quia fructus missæ ex deuotione eorum pro quibus offertur crescit, vel minuitur, quia cum de se sit indeterminatus, determinari debet ex receptione illius, & propter ... quod ita sit tenet Caiet. tom. 2. tr. 3. q. 2. & Vasquez disp. 231. cap. 7. n. 50. Sed in oppositum est, quod deuotio præterita non potest esse dispositio ad præsentem effectum, quia quod præterijt, non est, ideo nec actu causat, & præcipue dispositiue. Sed hoc maxime verum est, vbi persona est in statu, in quo per proprios actus se iuuare non potest, quod si non potest se iuuare, per actus præsentes, multo minus per præteritos. animæ vero defunctorum nihil possunt vltra satispassionem ...

terea huius sententiæ sunt Durand. in 4. d. 45. q. 3. n. 8. Sotus l. 9. de iust. q. 2. ar. 2. ad 2. fin. Henriq. l. 9. cap. 18. n. 5. Suarez disp. 79 sec. 10. §. Nihilominus censeo. Valent. tom. 4. disp. 6. q. 11. p. 1. n. 25 Pasqual. q. 85. & apud eum Coninch. & Mercer. Nihilominus pro priori Caiet. sententia dici potest, quod deuotio viuentis remanet post mortem, vt anima sit magis capax recipiendi. Non enim est necesse, quod dispositio actualiter in se ipsa sit, dum est tempus recipiendi, sed sufficit quod reliquerit in subiecto maiorem capacitatem, quæ duret tempore receptionis. Sic enim qui dilatauit vas hodie, vt sit capax triplicis mensuræ, licet postea ille obierit, semper vas recipiet tres vini mensuras, si in illud infundantur. Sic ergo viator per speciales actus deuotionis erga sacrificium missæ fit moraliter capacior fructuum eius, quæ capacitas durat post mortem. Sic ergo anima defuncti existens in Purgatorio, sicut retinet meritum æternæ vitæ, quod sibi non competit ex vi actuum præsentium, sed ex vi præteritorum ita retinet meritum congrui ad maiorem participationem suffragiorum, quod meritum sibi conuenit ex actibus præteritis. Et dum dicitur, quod actus præteriti non disponunt, id non est verum quando disposuerunt dispositione durante vsque ad tempus recipiendi. Et dum additur, quod animæ defunctorum non possunt mereri, est verum, sed simul est verum, quod in illis remanet meritum præcedens, & sic in eis remanet illa maior congruitas, & capacitas recipiendi fructus missarum, quam sibi acquisiuerunt, dum erant in statu merendi. Hoc explicatur ex D. Th. 4. d. 45. q. 2 ar. 4. q. 1. ad 2. ibi. Dicendum quod istud meritum est conditionale, qua sibi prodessent, si pro eis fierent, quod nihil aliud fuit, quam facere se habiles ad recipiendum; vnde patet, quod non directe meruerunt illud iuuamen suffragiorum, sed per merita præcedentia se habilitauerunt, vt fructum suffragiorum susciperent, &c. Et hoc idem dixit Durand. 4. d. 45. q. 3. n. 9. Per actus ergo, & merita vitæ homines se habiles reddunt, vt si fiant suffragia pro illis iuuamen sentiant; igitur quo ista merita, & actus fuerint feruentiores, & in ordine ad suffragia meliores, fiunt etiam habiliores vt per suffragia si fiant, iuuentur magis. Et hæc habilitas permanet in defunctis.

785 Septima difficultas est, quid fiat de fructu sacrificij quando animæ defunctorum eius sunt incapaces, quia Beatæ iam sunt, vel damnatæ? De hoc ita loquitur S. Thomas in 4. d. 45. q. 2. a. 4. qu. 3. Credibile tamen est, quod per diuinam misericordiam, si aliquid de specialibus suffragijs superfit his, pro quibus fiunt, vt scilicet eis non indigeant, alijs dispensetur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant, vt patet per Damascenum in sermone de dormientibus sic dicentem. Deus tanquam iustus commetietur impotenti possibilitatem, tanquam suscipiens vere defunctum commutationem negotiabitur, quæ quidem negotiatio attenditur, quod id, quod deest vni, alter supplet. Et sic in hac parte D. Th. sequuti sunt Adrian. quodl. 8. Cordub. ... 1. q. 3. opinian. 5. §. Et de residuo. Faxinell. de obl... Sacerd sec. 3. §. 11. n. 3. Ruteus lib. 3. de sacrif. di... p. ... q. 2. dub. 4. num. 12. Sed hoc difficile visum fu... Pasqual. qu. 86 quia sacrificium non prodest ... nisi ... quibus ... ur, oblatio autem spe... L... ... n & determinatur me... h ... dio sa-

dio sacerdote; distributio igitur debet fundari in sacerdote, aliter introd[illegible]ceretur extraordinarium, quod esset contra solitum cursum diuinæ dispositionis, per quam reliquit Ecclesiæ visibili, quæ ipsi tradidit. Et propterea ille subdit, quod ex interpretatiua voluntate eorum qui mandant celebrari missas si fructus superest applicandus est a[illegible]mabus derelictis, pro quibus non fiunt specialia suffragia. Sed cur potius non dicitur, quod ex pia intentione, & interpretatiua voluntate etiam Ecclesiæ, sacerdotis, & eorum qui mandant celebrari missas totum hoc remittitur dispositioni misericordiæ diuinæ, vt in re incerta, & indeterminata, per humanam prudentiam non dirigibileni, quia hominibus incognita, ipse faciat, quod melius iudicauerit spectata etiam conditione offerentium, & debitum gratitudinis, quod possunt habere erga aliquas ex animabus defunctis, & ordinem etiam charitatis erga illas ratione coniunctionis, amicitiæ, alijsque similibus consideratis? Dicendum igitur est, quod etiam ex pia, & interpretatiua voluntate offerentium, dispensatio fructus superexcedentis, diuinæ misericordiæ consilio est remissum, eo quod hæc sit intentio etiam sacerdotis, & sic visibilis Ecclesia illa est, quæ illum fructum applicat.

786 Octaua difficultas est, an satisfactio seu remissio pœnæ ex opere operato sacrificij missæ proueniens eis pro quibus offertur sit maior, ac maior iuxta meliorem, ac meliorem dispositionem recipientis? supponitur hoc sacrificium ex opere operato producere effectum inquantum pro aliquo offertur; Vnde siue is pro quo offertur sit simul offerens siue non sit offerens, tamen non recipit fructum nisi inquantum est is, pro quo offertur; difficultas igitur est, an fructus satisfactionis quem recipiunt illi pro quibus missa offertur secundum quod est in recipiente maior deuotio sit maior, vel potius in omnibus sit æqualis, & taxatus indiuisibiliter. Non enim variari secundum meliorem recipientis dispositionem, sed esse indiuisibiliter taxatum aliqui dixerunt. Pro hac sententia *Pasqualig. q. 76.* citat *Durandum in 4. d. 45. q. 3. n. 8 & Sotum l. 9. de iust. q. 2. a. 2. ad 2. in fin.* Sed neuter illam tenet. *Durand.* enim ibidem comparat habentem maiorem charitatem, sed pro quo specialiter non offertur sacrificium, cum eo qui est minoris charitatis, sed pro eo sacrificium specialiter offertur, & optime dicit, quod sacrificium plus iuuat istum quam illum, quia imo nihil illum iuuat ex vi specialis applicationis, quod etiam docuit *D. T. ibid. q. 2 ar. 4. q. 1.* Nam is pro quo non offertur sacrificium, nihil percipit de fructu, quem dicimus medium. *Sotus* vero loquitur in casu valde diuerso; eorum scilicet qui respectu huius numero missæ non sunt specialiter offerentes; & nihil de ea cogitarunt, & hos non vult, quod iuuet maiorem charitatem habentes vt maiorem fructum percipiant. Sed huius ratio est, quia illi nullam habent specialem deuotionem ad hoc numero sacrificium, & sic ad illud sunt æque dispositi. Vnde hæc resolutio tangit aliam difficultatem, quæ nam scilicet sit illa deuotio, ex qua varietur fructus sacri[illegible] enim ibi hanc non esse [illegible] sed requiri deuotionem ad illud [illegible] sacrificium, de quo participatur fructus. Ean[illegible] sententiam alij hab[illegible] nimirum [illegible]

sec. 10. § *Nihilominus censeo. Val. tom. 4. d.* [illegible] *p. 3. n. 25. Azor. 1. l. 10. cap. 21. q. 3. Fagund. præ*[illegible] *4. c. 1. n. 22. Conimb. q. 83. a. 1. dub. 9. concl. 14* & ap[illegible] *Pasqual q. 76. Mercer. Faustus, Caspen. & Rutens.* probant p. an. l. *D. T. 4. dist. 45. q. 2. a. 4. qu. 1* [illegible] fructus eius, quod se habet per modum actionis potest augeri solum ex parte causæ effectiuæ, non [illegible] ro ex parte recipientium; sacrificium vero se habet ex parte actionis. Secundo quia remissio pœnæ datur per modum donationis, sicut quando homo applicat alteri satisfactionem proprij ieiunij, quæ quidem non erit maior in eo, cui donatur pro meliori eius dispositione, sed solum attenditur ad eum, qui applicat, ex cuius intentione determinatur quantitas applicanda, quia donationis quantitas habetur ex donantis voluntate. Tertio quia sacerdos potest fructum missæ pro sua voluntate diuidere inter duos, ita quod pro æqualitate illum participent; igitur non pro recipientium dispositione, sed ex voluntate sacerdotis dependet inæqualitas recipientium, non ex eorum dispositione. Quarto in eo, qui recipit fructum missæ non requiritur dispositio, nisi vt remoueat peccatum prohibens; ergo dispositio nihil confert ad augmentum fructus recepti. Quarto effectus satisfactionis non recepitur in eo cui remittitur pœna, sed se habet per modum extrinsecæ satisfactionis, qua ab alio satisfit Deo pro debito ipsius; ergo non crescit ex dispositione subiecti, quia tunc solum potest crescere, quando in ipso recipitur, vt commensuretur dispositioni recipientis.

787 Sed oppositum, nimirum, quod iuxta deuotionem recipientis crescat fructus satisfactio[illegible] missæ, senserunt *D. Th. 3. p. q. 79. a. 5. & ar.* [illegible] *Caiet. ibi. & tom. 2. opusc. trac. 3. qu. 2. Sotus in 4. dist. 11. q. 4. a. 5. & dist. 13. q. 2. a. 1. Cano de locis l. 12. cap. 13. ad 10. Viguer. Instit. cap. 16. §. 3. ver. Syluest. v. missa q. 9. Corduba lib. 4. q. 3. opin. 5. concl. 4. Vasquez 3. p. q. 231. cap. 7. n. 41. Arauxo de Sacram. q. 61. ar. 1. dub. 3. n. 43. Card. de Lugo disp. 19. n. 20. Isamber. 3. p. q. 83. disp. 7. a. 1. q. 6. Lezana v. missa. n. 7. Leand. de sacram. tr. 8. disp. 3. q. 16. Pasqual. de sacrif. missæ q. 76. n. 4.* & apud eum *Becan. Garzia, Marat. Anc*[illegible] *Martinon. Lessius, Franciscus Lugo, Gaspar. Hurtad. & Amicus.* Et ita est dicendum. Tum primo quia causa cuius totus effectus non producitur de facto sed habet maximam virtutem ad agendum, & indeterminatam quantum sit ex parte sui sic se habet in agendo, quod tantum producit, quantum patiens est dispositum vt recipiat, & crescit effectus iuxta meliorem dispositionem recipientis; quia quod recipiat minus, non est ex finita virtute causæ, sed ex limitata virtute patientis, & recipientis; modo sic est, quod virtus sacrificij n[illegible] ex parte eius non est limitata indiuisibiliter ad tantum effectum, cum sacrificium ex parte sui sit dignitatis, ideoque & virtutis tantæ quantæ est Christus sacerdos, & victima in hoc sacrificio, nec dici possit, quod virtus eius fuerit per positiuam Christi legem determinata, vt sit tanta, & non amplius, vt supra probatum est, restat igitur [illegible] huius sacrificij efficacia determinetur solum [illegible] quantitate dispositionis ipsius recipientis fru[illegible] sacrificij, [illegible] effectum. Opinio ergo contra[illegible] procedit in [illegible] po[illegible], quod fructus missæ sit [illegible] atus & [illegible] iter [illegible] ex par[illegible]

mi[illegible]æ,

missæ, & quod non pendeat à dispositione nisi mere vt a remouente impedimentum. In quo certe minus digne sentit de tanto sacrificio, quia limitationem, & finitatem, & paucitatem fructus sacrificij in Christũ, vt in causam propriã reducit vt sic ab eo sit imperfectio, & sterilitas tanti sacrificij.

788 Nec valet dicere, quod id fecit Christus exigente conditione nostri status, volente vt hoc sacrificium fructum limitatum haberet, vt hoc modo quotidie, & sæpe haberetur. Quia limitatio habetur ex conditione creaturæ, quæ non est capax infiniti in actu, ad hoc vero vt oporteret hoc sacrificium iterari, non fuit necesse quod taxaretur eius effectus indiuisibiliter, & quod hæc taxatio ad non maius esset vt à propria causa à Christi voluntate, Nam imo hæc taxatio ad non maius, nec minus est occasio impeditiua feruoris deuotionis erga tantum sacrificium, quia secundum hanc opinionem tantum recipit qui in offerendo est religiosus, & deuotus vt vnum, quam qui est talis, vt mille, ideo non est necesse vt se ad missam præparet magis quam alius. Hæc ergo taxatio ad certum, & indiuisibile nec est consona dignitati tanti sacrificij, nec conuenit Christi misericordiæ, & liberalitati, nec est necessaria ad hoc vt sacrificium hoc sit in Ecclesia vt iterabile, sed est inutilis ad religiosius ac religiosius habendum hoc sacrificium, non igitur est asserenda, sed imo dicendum est, quod tota limitatio effectus huius sacrificij sit ex parte nostra, & ex parte nostræ dispositionis; quod confirmatur postea exemplo sacramentorum. Et præcipue sacramenti Eucaristiæ, quod certe petit, vt sit in Ecclesia tanquam iterabile, quia est in Ecclesia vt cibus, & panis vitæ quotidie etiam à dispositis sumendus, & tamen ipsum, sicut & alia sacramenta non habẽt effectum ex parte eorum indiuisibiliter taxatum ad hoc vt non sit maius, sed pro quantitate deuotionis augetur, & est in infinitum augmentabile.

789 Nec valet dicere non esse eandem rationem de effectu sacramentorum, & de effectu missæ. Quia cum effectus sacramentorum consistat in gratia sanctificante intrinsece recipientem, ideo ad illam requiritur intrinseca dispositio. Sed remissio pœnæ est condonatio extrinseca, & ideo non requirit dispositionem. Deficit enim hoc, Tum quia satisfactio pœnæ à sanctificatione intrinseca sæpius dependet, & iuxta illius mensuram fit; sic enim idem iusti ieiunium, quod est ex maiori sanctitate magis meritorium, est etiam maior satisfactio pro pœna temporali. Tum quia in sacramento pœnitentiæ, quando per absolutionem commutatur pœna æterna in temporalem ad minorem, ac minorem pœnam fit commutatio pro meliori, ac meliori dispositione pœnitentis, satisfactio igitur potest à sanctitate pendere, & iuxta eius quantitatem mensurari. Non aliter vero fit in hoc sacrificio, quod non remittit pœnam nisi iusto, & sic supponit in subiecto dignitatem sanctitatis, & deuotionis. Tum tertio quia responsio illa non tangit punctum, cur enim in sacramentis fructus non est taxatus indiuisibiliter, & non dicitur, quod dispositio subiecti requiritur tantum, vt remouens prohibens, & Christus non taxauit indiuisibiliter eorum effectum ad tãtum, sed reliquit determinandũ per quantitaté dispositionis? Etenim dignitas sanctitatis vtrobique est necessaria in recipiente. Cur igitur Christus disposuit, quod in sacramentis fructus diuisibiliter determinetur ad non maius ex parte recipientis? Quia ex parte Christi hoc petit eius charitas, & liberalitas, vt non ipse sit qui limitet sua dona ad paruitatem, & ex parte sacramenti, quod continet infinitam virtutem passionis Christi non conuenit, quod sit propria causa sterilitatis sui fructus; & ex natura ipsa meriti, & satisfactionis, quæ maxime pendent à dignitate subiecti; & natura sua obsequium in gratiam alterius præstitum eo est magis meritorium, & satisfactorium, quo est à nobiliori, & dignori operante. Huiusmodi vero rationes magis militant ad fauorem sacrificij missæ, & sacramenti Eucaristiæ, cum in eo contineatur nedum virtus passionis Christi, sed Christus ipse, qui est sacerdos & victima, qui se sacramentaliter contentum sub pane, & vino offert in satisfactionem, vnde multo magis conuenit, quod taxatio fructus ad non maius non sit ex parte sacrificij, sed ex parte hominis, & dispositionis illius. Quod amplius explicatur, quia homo in satisfactione data per proprios actus non habet taxam indiuisibilis quantitatis, sed quo eius deuotio crescit, eo plus satisfacit. Cum igitur satisfactio Christi, quæ offerẽti applicatur per missã veluti substituatur loco propriæ satisfactionis tam in sacramentis, quam in hoc sacrificio, & in sacramentis satisfactio Christi habeat latitudinem, ac si esset propria recipientis sacramentum, vt sit maior, ac maior iuxta quantitatem dispositionis, sic dicendum est fieri in missæ sacrificio.

790 Ad primum in oppositum *Card. de Lugo d. n. 200. & Pasqual. n. 1.* dicunt *D. Th.* ibi loqui de suffragijs ex opere operantis, non vero ex opere operato. Sed non ita est, vere enim *D. Th.* loquitur etiam de opere operato quia absolute de valore suffragiorum agit. Sed respondetur, quod illa opinio, sine ratione adducit S. Thomam pro se in illo loco, quia *D. T.* ibi comparat eum pro quo offertur specialiter sacrificium, ad eum qui licet sit sanctior, pro eo tamen specialiter sacrificium non offertur; & non dicit quod suffragium æque prosit minus sancto, & sanctiori, quod est id quod illa opinio prætendit. Sed imo dicit, quod minus imo nihil prodest illo sanctiori, quia vere sic est, quod talis sanctior pro quo non offertur sacrificium, nihil de fructu medio illius sacrificij participat. Ad secundum dicitur, quod imo ex quo fructus se habet per modum actionis, quia virtus actiua est maior, quam sit capacitas recipientis, sicut est in hoc sacrificio ideo determinatio fructus ad non maius non potest non esse nisi ex determinata capacitate recipientis, quæ si sit variabilis secundum maius, ac maius, ita etiam fructus in maius, ac maius est variabilis. Ad tertium dicitur, quod satisfactio datur per modum donationis, sed donum est tale, quod eius donatarius non est capax, vt totum recipiat, donatur enim satisfactio Christi de se infinita, & de qua tantum solum potest donatarius recipere quantum est capax pro sui dispositione. Et supponit arguens, quod eadem sit ratio de satisfactione propria, & priuata quæ in se etiam ex parte agentis, & donantis est in indiuiduo indiuisibiliter finita, & ideo tanta quanta est, & non magis, nec minus recipitur à donatario, & de satisfactione

ctione Christi donata in sacrificio missæ, quæ ex parte Christi donantis, est infinita, & ideo non potest recipi tanta quanta est, sed tanta quanta donatarius est capax pro sui dispositione. Præterea in eo argumento assumitur, quod determinare quantitatem valoris sit in potestate sacerdotis, & ab eius intentione dependeat, quod est falsum, etiam in ea sententia quæ ponit fructum missæ esse taxatum ex Christi institutione, & sic est quidem sacerdotis determinare personam, cui proueniat fructus non tamen eius est determinare quantitatem fructus, nec etiam diuidendo.

791 Vnde ad quartum dicitur, quod non est sacerdotis diuidere pro sui voluntate fructum missæ in partes æquales, nisi dependenter à dispositione eorum, quibus illum applicat. Ideo si ipse intendat diuidere in partes æquales valorem sacrificij veluti ea parte illius, vel vt dicit *Card. de Lugo nu. 206.* quasi in actu primo, illi pro quibus offertur, si inæquales sint in dispositione inæqualiter participabunt iuxta eorum capacitatem. Sed si sacerdos intendat diuidere efficaciam sacrificij ex parte actus secundi, & effectus, & de facto, dicit *Card. de Lugo*, quod tunc sacerdos non deberet applicare valorem missæ per partes æquales, sed per æquales, vel inæquales prout Deus videt congruere, vt pœna illis æqualiter diuidatur, Sed hoc instantiam patitur, quia nec sacrificium est applicabile per partes determinatæ quantitatis, & proportionis, & quantumcumque velit sacerdos in contrarium ex eius missa melius dispositus semper recipiet maiorem fructum, & nuuquam æquale, nisi sit æqualiter dispositus. Ad quintum dicitur, quod petit principium. Ad sextum, quod implicat dicere quod nihil recipiat ille, cui remittitur pœna, cum remaneat absolutus à pœnæ sustinendæ obligatione, hæc vero absolutio in sua quantitate dependet à dispositionis quantitate.

792 Bene vero aduertit *Sotus 4.d.13.qu.2.ar.1, paulo ante, §. Igitur, & ad quæstionem*. Quod huiusmodi augmentum non attenditur secundum proportionem æqualem, vt scilicet si aliquis habeat duplo maiorem deuotionem percipiat duplo maiorem fructum, Nam considerandus est etiam titulus, & modus offerendi; nam cæteris paribus, & stante eadem deuotione plus percipit sacerdos quam Diaconus, & plus Diaconus, quam laicus assistens missæ, Itaque inter eos, qui eodem titulo concurrunt, attenditur proportio æqualis, vt si dispositio sit dupla fructus sit duplo maior quam in alio, Sed inter illos, qui diuerso titulo concurrunt attenditur proportionalitas, vt sicut aliquis se habet ad alium intra suam lineam, ita alter se habeat ad alium in sua linea.

793 Nona difficultas est, an fructus missæ propriè limitetur ex sola recipientis illum dispositione, vel potius ex sola deuotione offerentis, vel ex vtraque? *Caiet. d. trac. 3, q. 2. §. Caue* in hoc existimat quod ex deuotione offerentis limitetur fructus missæ, ita quod si deuotioni sacerdotis respondeat satisfactio pro vno anno, si sacerdos applicet missam pro duobus, cuilibet eorum respondebit satisfactio pro dimidio anni. *Sotus vero in 4. dist. 13. q. 2. a. 1* [illegible] existimat non omnes esse offerentes [illegible] & mediate & sic sentit, quod [illegible] non sint [illegible] tes, nec [illegible] ministri, [illegible] sunt sacrificio non sint offerentes licet possint esse tales pro quibus sacrificium offertur. Similiter defunctorum animæ, cum non sint de Ecclesia militante non sunt offerentes nisi isto modo si, dum vixerunt, mandarunt sibi celebrare missas. De illis vero, qui non sunt offerentes respectu eiusdem numero missæ loquens *l. 1. de iust. q. 2. a. 2. ad 2 fin.* voluit, quod æqualiter participent missæ fructum. DD. vero moderniores communiter dicunt fructum missæ limitari ex deuotione eorum pro quibus offertur.

794 Respondetur, & dicitur primo, quod per se primo limitans fructum missæ est deuotio offerentis, Assertio illa est de mente *D. Th. Caiet.* [illegible] *ues, & Soto*. Et probatur ratione *D. T. 3. p.* [illegible] *9. 4. §. ibi. Sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis*. Est igitur hic iterum considerandum, quod vt supra dictum fuit duo sunt hic genera offerentium, alij enim sunt offerentes sacerdotaliter, & isti sunt Christus offerens principalis, & sacerdos offerens in persona Christi. Alij sunt offerentes non sacerdotaliter, sed ex deuotione, & titulo priuato, qui mediante sacerdote offerunt, sicut qui missæ deseruiunt, vel assistunt, vel pro ea dant stipendium, vel missam celebrari iubent, aut supplicant. Sacrificium missæ ex offerente sacerdotaliter non habet limitationem, quia Christus est dignitatis, vt valoris infiniti, sacerdos vero consecrat, & offert, vt minister Christi. Inquantum vero deuotione priuata concurrit, missa non habet effectum ex opere operato ex illa deuotione. Licet ea ex habeat determinationem suam opus operans, Duo igitur hic accipienda sunt. Primum, quod per se ex offerente limitandus est fructus missæ inquantum est satisfactio, quia quantitas satisfactionis ex quantitate dignitatis, & affectus offerentis mensuratur, & non præcise ex quantitate rei oblatæ pro satisfactione. Et in hoc *D. Thoma* consentiunt communiter DD. secundum est, quod huiusmodi offerens ex quo deducitur hæc limitatio est offerens priuatus, & moralis cuius intuitu, aut mandato offertur sacrificium, vel qui adiuuat, vel assistit sacrificio, Hic enim ille est cuius affectus est limitatus, & finitus, alias vero licet etiam affectus sacerdotis sit finitus, quia tamen sacrificium secundum quod agit ex opere operato non pendet ab hoc affectu, & deuotione, sed ex affectu Christi, qui est infiniti valoris, ideo ex voluntate sacerdotis, vt ministri Christi non habetur limitatio, quæ tamen habetur ex sacerdotis affectu vt est priuata persona, & vt talis missam offert. Itaque igitur missæ efficacia per se primo finitur ex deuotione priuati offerentis.

795 Dicitur secundo, quod deuotio offerentis non limitat missæ efficaciam nisi respectu eius pro quo offertur siue iste sit ipse offerens, siue sit alius. Et sic non limitat, nisi quia est conditio offerentis quæ redundat in oblationem ipsam, vt de fa[illegible] non sit infinitæ efficaciæ, sed solum finitæ. Non tamen absolute, sed respectu eius pro [illegible] sacrificium offertur, Quia non potest limitari [illegible] quam habet oblatio secundum se, sed solum [illegible] habet, vt est ab illo, igitur solum respectu [illegible] quo, vel quibus ille offert [illegible] eorum valet, vt est ab ipso.

796 Dicitur ergo tertio quod [illegible]

ctus missæ, & à dispositione offerentis, & à dispositione eorum, pro quibus offertur, habetur. Distingui enim debet duplex limitatio fructus missæ, alia scilicet in minus, scilicet v.g. vt fructus non sit minor satisfactio, quam pro satisfactione vnius anni. Et hanc fructus determinationem causat deuotio offerentis, ex qua etiam habetur, quod quantum fit ex vi illius non sit maior. Quia ex quo deuotio offerentis non est minor, sibi non debetur minor satisfactio, quam etiam pro se ipso reciperet, si pro se ipso offerret. Alia limitatio est, vt fructus de facto absolute non sit maior, & hæc limitatio dici posset adesse, si fructus crescere non posset etiã ex recipientis deuotione. Sed dicendum est fructum etiam ex deuotione eorum pro quibus offertur crescere, & ideo limitatio, quæ habetur ex offerente, absolute non est ad maius, indiuisibiliter sed ex deuotione etiã eius, pro quo offertur, potest crescere, quia illa adiũcta deuotioni offerentis auget mensuram; quia & illi pro quibus missa offertur dum oblationem religiose recipiunt in numero offerentium sunt, & hoc quod in illis est religiosè admittere missam pro se oblatam est suo modo offerre.

797 Nec obstat, quod forsan ipsi nihil cogitant de illa missa numero, quæ pro illis offertur, deuotio vero ad missam in communi non potest esse dispositio ad recipiendum hic & nunc fructum specialem huius missæ, quia ad hoc requiritur specialis applicatio. Nam dici posset primo, quod illi qui nihil cogitant de missa, seu pro quibus nescientibus, nec cogitantibus missa offertur, non recipiant nisi fructum, qui respondet deuotioni offerentis, quia isti actu ad missam religiose non se habent, cum de hac numero missa pro illis dicta nihil sciant. Sed menti *Caiet.* magis conforme est, quod omnes etiam ex propria deuotione aliquid magis lucrentur. Et sic ad obiectionem dicitur, quod deuotio illa in communi, quæ est de facto dispositio ad recipiendum fructum generalissimum est simul meritum congrui, & dispositio, seu habilitas conditionalis ad fructum specialem, si pro deuoto offeratur specialiter sacrificium. Tum quia est virtualis, & interpretatiua acceptatio talis applicationis, quæ acceptatio sicut est actus religiosus, sic est moralis quædam oblatio sacrificij, & sic est dispositio cui aliquid fructus respondere debeat ex oblatione illa de se infinita, & sic generalissime dispositus, est simul dispositus specialiter sub conditione, quod pro illo sacrificium specialiter offeratur. Tum quia sacrificium ex sui connaturali institutione est fructiferum tam omnibus, vt sunt de vniuersitate, quam singulis, vt singulis, si pro singulis, vt singulis offeratur; Igitur fructus eius non est limitandus ex sola offerentis deuotione, sed ex deuotione tam offerentis, quam eius pro quo offertur, quia ex sui ratione de se infinite est participabilis, & ratio dictat, vt sit participabilis ad mensuram suæ deuotionis. Et licet non sit participabilis nisi specialiter offeratur, non est tamen [illegible]itabilis ex sola offerentis deuotione, sed licet [illegible]ificium ab offerentis intensione determinetur [illegible] personas, quibus fructificare debeat, & etiam [illegible]cum ad [illegible]nus quia ad minus tantum debe[illegible] ijs pro q[illegible]ibus offert[illegible], si sunt in gratia quanta [illegible]uotio o[illegible]rentis, nam ad hanc quantitatem sufficit, quod in recipiente sit gratia tanquam remouens prohibens, tamen quantum ad quantitatem fructus in maius doni huius fructiferi in eos pro quibus offertur, [illegible] ex sola deuotione offerentis, sed simul ex agregato de[illegible]otionis, & eorum pro quibus offertur eius quantitas est mensuranda, quia religiose agit nedum offerens, sed & is pro quo offertur accipiẽdo religiose hanc oblationem sibi factam, & hoc nedum est de mente S. Thomæ, qui dixit fructum hujus sacrificij augeri ex deuotione offerentis, & eius pro quo offertur, sed etiam *Caiet.* qui propterea in §. Vnum tamen dubium vult, quod omnes, etiam si non cogitent de missa, vel etiam defuncti sint offerentes.

798 Quod si inquiras, an propositio ista sit formalis, fructus sacrificij crescit ex deuotione eius pro quo offertur? Videtur enim, quod non sit formalis, quia intantum illam verificamus inquantum dicimus, quod isti pro quibus sacrificium offertur sunt simul specialiter offerentes virtualiter saltem, & interpretatiue. Ex alia autem parte videtur, quod hoc non sit de mente D. T. qui dixit fructum attendi secundum deuotionem eius, pro quo offertur. Dici posset, quod non est formalis quia modificare fructum oblationis videtur proprium deuotionis, vt est eius qui offert, non vt est eius pro quo offertur, quia oblatio ex affectu offerentis mensuratur. Nec hoc est contra D. Th. qui non est vsus reduplicatiua, sed sola simplici assertione dixit, quod oblatio est vtilis ei pro quo offertur, quæ propositio vt mere est de inesse est etiam formalis, quia prædicatum formaliter conuenit subiecto formaliter sumpto. Imo est formalis in duplici alio sensu, quia si dictio, vt reduplicatiua reduplicet rationem recipiendi, sic est verum, quod oblatio est vtilis ei pro quo offertur inquantum pro eo offertur, quia oblatio non est vtilis alicui, nisi inquantum pro eo offertur. Est etiam formalis in proposito, si reduplicet rationem ob quam sibi competat id, quod est mensura fructificandi, quia ex quo est is pro quo offertur est simul suo modo offerens, ex quo habet vt sit mensura sui fructus. Sed nihilominus dicitur, quod etiam illa propositio est vera in sensu formali reduplicatiuo, & quod hæc est vera, quod is pro quo missa offertur inquantum est is pro quo offertur participat de fructu missæ secundum mensuram suæ deuotionis, quia oblatio de se infiniti valoris, & fructifera nedum ad vtilitatem offerentis, sed etiam alterius, secundum mensuram deuotionis per se petit non mensurari ex sola deuotione offerentis, sed etiam ex deuotione recipientis oblationem, quoniam totum hoc est re[l]igiose se habere, & sic non ex sola quantitate deuotionis agentis, sed etiam ex deuotione patientis mensuratur, vt ex vtraque vnum integrum limitans integretur. Nam & recipiens oblationem eam ex maiori, & maiori deuotione in infinitum potest recipere. Puto tamen, quod huiusmodi sensus tandem in idem coincidant, & quod sit verum, quòd virtus missæ crescit ex deuotione eius pro quo offertur, inquantum est is pro quo offertur, seu inquantum est is, qui fructum recipit, & nihilomin[u]s [s]it verum, quod virtus missæ non crescit ni[si] ex d[e]uotione offerentis, quoniam [li]bere re[c]ipere [fru]ctum missæ est quoddam moraliter re[li]gio[s]um, & quo[d]dam offerre, quamuis sit

offerre

offerre recipiendo, non vero moraliter missam causando. Sic ergo is pro quo missa dicitur, ex duplici capite fructum percipit; primo enim recipit fructum respondentem deuotioni offerentis. Et hic fructus est finitus, & si recipitur à pluribus in eis diuiditur ad intentionem offerentis. Et hic est ille fructus, de quo supra nu. 782. dictum fuit, quod recipitur etiam à nolente illum recipere, si alias sit in gratia, alius vero est fructus, qui respondet deuotioni propriæ eius pro quo missa dicitur. Et hic illius est proprius, & iuxta eius deuotionem crescit.

799 Hinc patet quomodo etiam animabus Purgatorij earum deuotio prosit, quia ex quo dum essent coniunctæ corpori fuerunt deuotæ, ex hoc factæ sunt habiles, vt iuxta mensuram deuotionis huius fructum sacrificij specialem susciperēt etiam tunc cum non possunt mereri, sed sunt in statu latis passionis. Semper tamen aduertendum est, quod fructus missæ, ei pro quo missa particulariter offertur prouenit media applicatione priuati offerentis, qui est is, cui per se primo, seu vt principali missa illa fructificat, cum alteri non fructificet nisi vt subrogato, & vt eius veluti ministro, vt probatum est supra difficultate secunda. Ideo vbi qui facit celebrare missam sit in peccato mortali. missa ei pro quo offertur, nec fructificat etiam ratione, & intuitu propriæ deuotionis quia fructus missæ illi non prouenit nisi medio illo peccatore, qui est indignus, & cuius oblatio, & applicatio est Deo inuisa, & ideo deficiente ei principali fructu percipiendo nomine, & vice offerentis missam, deficit fructus accessorius super illo primo principali fundatus. Et sic deuotio priuati offerentis est dispositio necessaria ad hoc, vt etiam is, pro quo missa offertur fructum accipiat. Et licet missa non fructificet formaliter nisi ei pro quo offertur, ratio tamen fructificandi est deuotio offerentis, vt offerentis. Quamuis & pro parte sua necessaria etiam sit deuotio eius pro quo offertur. Dices ex his sequi, quod potius imo simpliciter dicendum sit, quod fructus missæ determinetur, & limitetur ex deuotione offerentis, quam ex deuotione eius, pro quo offertur. Quia ex præcedentibus conclusum est, quod per se primum limitans est deuotio offerentis. Imo quod si in offerente hoc priuato, & particulari nulla sit deuotio, sed sit contrarie indeuotus per culpam mortalem, nullus fructus proueniat ei pro quo missa offertur. Huiusmodi vero nō sunt conformia menti *S. Thomæ 3. p. q. 79. ar. 5. c. & a. 7. ad 2.* vbi primo loco per prius ait, quod quantitas fructus missæ mensuretur ex deuotione eorum pro quibus offertur, & secundo loco hoc affirmat de his solis, nulla facta mentione offerentium. Et iterum in primo loco loquens sub disiunctione, & asserens fructum missæ mensurari secundum deuotionem eorum pro quibus offertur, vel offerentium, significat, quod huiusmodi limitatio fit a deuotione eorum pro quibus missa offertur, independenter à deuotione offerentis [illegible] in disiunctiuis vnum membrum ab alio non dependet. Econtra *Caiet. d. tract. 3. q. 2. §. verum* expr[illegible] vult, quod deuotio quantificans fructum missæ non se teneat ex parte accipientium effectum, quia sac[illegible]um non agit per modum agentis [illegible] sacramentum [illegible] per modum oblationis & ideo se tenet ex parte causæ

[illegible]iter se habentium ad oblationem petendo, ministrando, consulendo, adiuuando, &c. Respondetur distinguendo rationem limitandi fructum missæ, Nam alia est prima, & ex parte oblationis) alia est proxima, & ex parte recipientium. Ratio prima & radicalis est deuotio offerentis vt offerentis, seu causaliter se habentis ad sacrificium missæ, vt causaliter se habentis non sacerdotaliter tamen, sed petendo missam, vel consulendo, vel adiuuando, &c. ratio *Caiet.* ex *D. T.* desumpta est, quia oblatio vt oblatio à dignitate offerentis vim suam habet quia vt habet *D. Th. d. q. 79. a. 5. c.* in oblatione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis, seu rei oblatæ; ideo oblationis efficacia maxime pendet ab affectu causantis oblationem, seu offerentis. Ideo deuotio offerentis, vt offerentis non sacerdotaliter per se primo & ex parte causæ limitat efficaciam missæ, illamque determinat, vt vere, vt est hæc numero oblatio causata hic, & nunc ab hoc indiuiduo, sit finitæ efficaciæ, & ad certam quantitatem mensuratæ. Verum quia offerens, vt offerens non recipit missæ fructum, quem recipit vt est is, pro quo missa offertur, ideo ratio proxima limitandi fructum missæ ex parte recipientis est deuotio eius pro quo missa offertur, tantum enim recipit, quanta est eius deuotio. Sed quia quando missa offertur pro alio ab offerente, tunc nihilominus offerens est primum pro quo missa offertur, & ille tertius subrogatur in locum offerentis, & deuotio offerentis fit propria illius: ideo deuotio offerentis est ratio principalis limitans etiam ex parte recipientis, quia vt est eius pro quo primo offertur missa, est etiam ex parte illius ratio limitans effectum missæ, vt de missæ fructu tertius pro quo offertur missa non plus quantum fit ex vi offerentis recipiat, quam si esset ipse offerens, qui pro se ipso offerret. Et nihilominus quia & is tertius pro quo missa ratione suæ propriæ deuotionis aliquid fructus habet ex opere operato, quod tamen nec illi conuenit nisi quatenus est aliquo modo offerens, & quia libere esse eum pro quo missa offertur est quoddam offerre. Ideo vniuersaliter verum est, quod deuotio limitat, & vt est offerentis, & vt est eius pro quo offertur, sed hoc est munus eiusdem deuotionis, quæ est deuotio offerentis, qui simul semper est offerens, & primus pro quo missa offertur. Sed hæc deuotio primo, & ex parte oblationis limitat vim oblationis, & vt est deuotio eius pro quo offertur limitat ex parte recipientis. D. *Th.* autem loquutus est de deuotione ex parte eius pro quo offertur, quia loquebatur de recipientibus fructum missæ, & sic de deuotione, vt est ex parte recipientium addidit vero vel ex parte offerentis, vt significaret, quod potest dici vtrumque, & quod vel vnum, vel aliud dicatur bene dicitur, supposito tamen semper, quod prius dixerat ipse, nimirum quod in huiusmodi affectus, & deuotio offerentis est illa, quæ maxime attendi[illegible] vbi de quantitate valoris missæ agitur, & ex consequenti, quod deuotio offerentis vt offerentis [illegible] prima ratio limitandi fructum missæ. Non est verum autem [illegible]od in disiunctiuis vnum [illegible] brum non pendeat ab alio quia tam de prima quam de proxima ratione esset [illegible] aliquid [illegible] sub disiunctione dici [illegible] quod [illegible] [illegible]endi[illegible], & [illegible] ratio [illegible] proxima [illegible] a prima [illegible]

igitur est sermo de recipientibus bene dicitur, quod ad quantitatem deuotionis in totum fructus missæ mensuratur. Sed vbi propria, & prima causa limitationis quæritur, dicendum est, quod est deuotio offerentis, vt [illegible] rentis,& hoc quo idem coincidit, quia hæc vna, & eadem deuotio est.

800 Decima difficultas. Quid sit deuotio ex qua fructus missæ mensuratur, & limitatur. *Vasqu. 3.p.disp.231.cap.7.* existimat deuotionem hanc esse deuotionem illam, quam habent fideles ad hoc sacrificium. Hoc vero improbat *Card.de Lugo disp. 19.n. 207.* Tum primo, quia in sacramentis excessus effectus, & gratiæ receptæ desumitur ex quocumque excessu deuotionis, igitur & idem dicendum est in hoc sacrificio. Tum secundo quia in canone missæ in illis verbis; *& omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio*, quæ videntur indicare huiusmodi fructus inæqualitatem sermo absolutus est de omni deuotione, non vero de deuotione ad hoc sacrificium. Tum tertio quia ratio illa *Vasq.* non probat,nimirum quod per hanc deuotionem ad sacrificium viden-tur esse offerentes. Alius est enim fructus qui illis respondet, vt offerentibus cum sacerdote; Alius qui datur eis pro oblatione illis applicata. Primus datur independenter ab hac speciali applicatione. Secundus vero daretur etiam si nullo modo vellem offerre per sacerdotem, & de hoc quæritur, an sit inæqualis ex inæqualitate dispositionis; nam ille alius est exiguus, & communis omnibus hominibus, igitur ad habendam inæqualitatem secundi effectus non attenditur, quod ipsi offerant, sed quod pro ipsis offeratur, sub qua consideratione licet illa deuotio circa hoc sacrificium faciat illos quodammodo magis offerentes, vt ita dicam non tamen sola illa reddit habiles. *Pasqual.* vero *quæst. 76. numer.* 8. vult omnes illos actus valere ad dignificandam satisfactionem, qui aliquo modo dignificare ipsam possunt, vt sunt humilitas, dolor de peccatis, propositum non offendendi Deum, affectus ad sacrificium tanquam ad cultum Dei, gratiatum actio pro peccatis remissis, & vniuersaliter omnes illi a[illegible], qui important aliquod obsequium erga Deum. Maxime vero ad hoc conducit sacrificium illud cordis, quod correspondet sacrificio externo, quia per illud homo maxime subijcitur Deo. Quantum vero ad dispositionem in ordine ad recipiendam remissionem pœnæ concurrunt omnes actus,ex quibus homo meretur de congruo diuinam misericordiam, & clementiam, quia cum illis actibus satisfactio exhibita Deo coniungitur cum diuina misericordia ratione cuius exigit maiorem pœnam relaxari.

801 Ego considero,quod augmentum effectus alicuius causæ non aliunde prouenit, vel per [illegible] prouenire potest, quam ex maiori & [illegible] entiori perfectione illius actus per quem causa [illegible] in actu ad causandum. Non enim per se ex maiori intensione caloris ignis plus illuminat, sed ex maiori intensione lucis,ex maiori vero perfectione caloris non magis illuminat sed magis calefacit. Et hoc habet locum etiam [illegible] [illegible]ositioribus. non enim ex maiori frigiditate lignum magis disponitur, vt comburatur, sed ex maiori caliditate, & siccitate; sic ad introducendam formam animæ materia, non magis dispo[illegible], [illegible] est magis frigida,quia imo frigiditas repugnat generationi animalium, sed ex maiori caliditate vitali, & alijs qualitatibus ad id aptis. Igitur in præsenti considerandum est ex qua virtute, seu specie actus oritur per se fructus missæ, & dicendum erit, quod ille actus disponat ad vberiorem fructum, qui secundum speciem, & rationem talis actus erit perfectior.

802 Considerandum igitur est secundo,quod tam sacrificium, quam deuotio sunt actus virtutis religionis: de sacrificio id docuit *D. Th. supra qu. 85.a.3. & de deuotione q.82.a.1.* sacrificium enim importat oblationem Deo factam in eius reuerentiam, & cultum. Deuotio vero importat internum actum voluntatis per quem homo se deuouet Deo, seu promptum se offert ad omnia illa, quæ sunt diuini cultus, & reuerentiæ, & cum sacrificium distinguatur in internum, & externum: nam sacrificare est bona corporis, seu res externas offerre in Dei reuerentiam, & cultum; sacrificium internum in deuotione præcipue consistit. Vnde *D.T. supra q.81.a.3.ad 2.* sic ait. Dicendum quod triplex est hominis bonum. *Primum quidem est bonum animæ, quod Deo offertur interiori quodam sacrificio per deuotionem, & orationem, & alios huiusmodi interiores actus: & hoc est principale sacrificium.* Itaque ergo deuotio, seu oratio, & alia huiusmodi sunt illud præcipuum sacrificium, quod Deo offerimus, & h[illegible] illud sacrificium,quod externa sacrificia significant. Quod docuit *D.T.d.q.85.a.2.* ibi. *Dicendum quod sicut dictum est oblatio sacrificij fit ad aliquid significandum, Significat autem sacrificium, quod offertur exterius interius spirituale sacrificium, quo anima se ipsam offert Deo, secundum illud Psalmista. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c.*

803 His vero si addatur, quod omnes virtutes ad religionem pertinent,quia per earum actus Deo exhibetur reuerentia, Cum distinctime tamen,quia aliæ virtutes morales materialiter spectant ad Religionem tanquam scilicet materia qua vtitur in Dei reuerentiam, & cultum, vnde etiam eorum actus imperat,& in proprium finem ordinat,vt docet *D.T.ead. q.85.a. 3.* Sed virtutes Theologicæ fides, spes, & charitas se habent ad religionem, vt principia, seu vt virtutes imperantes,& dirigentes, vnde Deus dicitur coli fide, spe, & charitate *ibid. q.81.a. [illegible] ad 1.* [illegible] *ar.8.* probat etiam,quod secundum [illegible] iam eadem virtus sunt religio, & sanctitas, & quod *Sanctitas dicitur secundum,quod homo, [illegible] aliarum virtutum opera refert in Deum, secundum quod homo se disponit per quædam opera ad cultum diuinum pertinentia,* & ibid. *ad 1. Sanctitas est quædam specialis virtus secundum essentiam,& secundum hoc est quodammodo eadem religioni. Habet autem quandam generalitatem secundum quod omnes virtutum actus per imperium ordinat in bonum diuinum, sicut, & iustitia legalis dicitur generalis virtus inquantum ordinat omnium virtutum actus in bonum commune.* [illegible] hæc est ratio, vt habet idem *D. Th. q. 8[illegible]. a. [illegible]* ob quam aliarum virtutum actus dicuntur sacrificia, quatenus per religionem imperantur in Dei reuerentiam, & cultum. Et quia deuotio [illegible] est actus voluntatis, qui est primarius, religionis actus,qui ad alios etiam se habet vt motio, & vt quid formale iuxta S. *Thomam supra qu. 82.a.1 ad 2.* ibi. *Deuotio inuenitur in diuersis generibus actuum non sicut species illorum generum, sed*

ficut motio mouentis inuenitur virtute in motibus mobilium. Et in hoc fenfu aliquis dicitur deuote orare, meditare, genuflȩctere, hinc eft quod religio, & faņctitas maxime confiftunt in deuotione, & quod fub ifto a̧ctu omnes alij comprehenduntur, qui ad religionem fpȩctant.

804 Dicitur propterea primo, quod formaliter folus religionis a̧ctus, nimirum deuotionis facrificium internum, in quo præcipue confiftit religio munda, & immaculata, & faņctitas, eft difpofitio ad hoc vt miffæ facrificium vberiorem, ac vberiorem fru̧ctum fatisfa̧ctionis caufet. Probatur. Nam D. T. & alij DD. dicunt fru̧ctum tam miffæ, quam facramentorum proportionari deuotioni. Et hoc idem habet Ecclefia in canone ibi. *Et omnium circumftantium, quorum tibi fides cognita eft, & nota deuotio.* Neque enim mouere debet, quod nominatur etiam fides, quia vt habet *Caiet. 1. 2. opufc. tr. 3. q. 2. §. Ad primum*, duo nominata funt, quia fides eft difpofitio ad facrificium inquantum eft impetratorium. Quamuis etiam in ordine ad fatisfa̧ctionem fides per fe concurrat, quia religio eft ex fide, ficut & religio formata de qua eft fermo eft ex charitate, & fic omnes virtutes Theologicæ fpȩctant ad deuotionem vt illam imperantes, & dirigentes. Sed ratione idem probatur. Nam ficut fe habet fimpliciter ad fimpliciter, fic fe habet magis ad magis. At vero fic eft, quod ad hoc vt facrificium miffæ, vt eft ex offerente, fit Deo gratum, neceffe eft per fe, & formaliter, vt fit deuotum, facrificium enim internū, quod præcipue [illegible] tione cōfiftit, eft illud quod Deus maxime attēdit in facrificijs deuotio autē eft internū facrificium, quod eft facrificij anima & vita, iuxta illud Pfalmi. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, &c. facrificium laudis honorificabit me, & iterum Pf. 50. facrificium Deo fpiritus contribulatus.* Et hoc eft, quod *D. T.* voluit fignificare 3. p. q. 79. a. 5. quando dixit, quod in oblationibus attenditur affȩctus offerentis, quoniam vt oblatio imputetur offerenti, & fit illi proficua, non fuffi it quod fit grata ex re oblata, fed opus eft vt fit grata, vt eft ab offerente, vnde neceffe eft vt fit ex affȩctu interno, & oblatione cordis, & fic non fufficit facrificium externum, fed requiritur internum facrificium, quod principaliter in deuotione confiftit; igitur, vt facrificium miffæ magis, ac magis imputetur offerenti, neceffe eft, quod fit ex maiori, ac maiori deuotione. Item miffa eft fati[illegible]ria [illegible] inquantum eft facrificium, quia [illegible] fatisfactoria ratione fuæ effentiæ, & naturæ, eft vero eius [illegible]tia, & natura vt fic facrificium; igitur eft [illegible] a̧ctoria inquantum eft a̧ctus religionis ab offerente elicitus quia facrificium eft a̧ctus religionis [illegible] maliter elicitiue, & [illegible] rȩcto, igitur ex eo vt ex p[illegible] pri[illegible] eft magis, ac magis in effȩctu fat[illegible] a̧ctoria, quo erit perfȩctior a[illegible] tu [illegible] igitur quo erit ex maiori deu[illegible]one quia deuotio eft religionis præcipuus a̧ctus fine quo [illegible] alij a̧ctus eiufdem virtutis [illegible]

805 Dicitur [illegible] quod ad hanc [illegible]pofitionem pertinent omnes a̧ctus vi[illegible], fed v[illegible] imperat[illegible] material[illegible]formal[illegible] & p[illegible] [illegible]mentum [illegible] a[illegible]ni, propter[illegible] habet ad augm[illegible] [illegible]otionis, & fac[illegible] mi ex quo [illegible]f-

[illegible] prima pars probat[illegible] miffa v[illegible] facri[illegible] Deo gratum vt ab hoc offerent[illegible] fit ex fide, fpe, & charitate, nam [illegible]de & fpem ad [illegible] habe[illegible] qua ni[illegible] eft D[illegible] nam Apoft. ad Rom. 11 A[illegible] à religione imperantur, & maxime d[illegible] ad deuotio[illegible]um. Secunda vero pars probatur quia [illegible] virt[illegible] a̧ctus fint Deo grati, & hominem vi[illegible] Deo reddant acceptum. Quia hi[illegible] in præ[illegible]enti agimus de valore, & efficacia facrificij quod in ratione [illegible] eft a̧ctus [illegible]tutis religionis, & vt a̧ctus [illegible] virtutis eft Deo gratus, & [illegible] at determinate [illegible] à quo offertur. Nam quia ratio fru̧ctificandi abfolute fit deuotio priuati [illegible] entis q[illegible]ia miffa hoc habet ex re oblata, & principali offerente, qui eft Chriftus, fed quia deuotio, vt dixit *Caiet. d. tr. 3. q. 2.* eft determinatiua valoris facrificij, determinat enim ad quantitatem fru̧ctus refpȩctu perfonæ. Ideo quantitas fru̧ctus miffæ non proportionatur per fe, & formaliter augmento aliarum virtutum, vel a̧ctibus earum, fecundum earum fpecies, fed a̧ctui deuotionis ex quo miffa offertur; intenfio vero aliarum virtutum iuuat mediate, & vel imperando, vel materialiter, pro quanto iuuat ad intenfionem deuotionis. Et fic fi in offerente a̧ctus mifericordiæ fit intenfus vt quinque, fru̧ctus miffæ erit proportionatus intentioni religionis vt quinque, non vero intenfioni religionis, vt decem.

806 Ex his fertur iudicium de relatis opinionibus. *Vafquez* enim bene augmentum fru̧ctus fatisfa̧ctionis refert in augmentum deuotionis, fed non bene hoc reftringit ad deuotionem miffæ, quia id quod ex parte priuati offerentis Deus requirit eft deuotio abfolute fumpta, quatenus eft a̧ctus voluntatis, per quem offerens fe ipfum perfȩcte donat [illegible], quæ pertinent ad Dei reuerentiam, & cultum, & [illegible] materialiter fe habet ad deuotionem, in qua Deus præcipue refpicit formale, quod confiftit in eo, quod homo fe Deo deuoueat. Sed *Pafqual.* fatis materialiter loquitur, & ennumerat plura, quæ [illegible] materialiter concurrunt ad augendam miffæ efficaciam, & fru̧ctum. *Card. autem de Lugo* bene habet quod deuotio, & faņctitas ab [illegible] eft illa [illegible] proportionatur miffæ fru̧ctus, qui eft fatisfa̧ctio. Quantum tamen ad id quod habet num. 108. volens quod is pro quo offertur facrificium miffæ, participet fru̧ctum etiam fi ipfe nollet offerre per facerdotem, & quod ad inæqualitatem fru̧ctus eius [illegible] atte[illegible]itur quod ipfe offerat, fed quod pr[illegible] ca[illegible] eft confiderandum; quia ad [illegible] fru̧ctificet neceffaria eft priuati off[illegible] d[illegible]uo[illegible]o Non dico quod fit neceffaria d[illegible], quia hæc nec e[illegible] ratio fru[illegible]ficandi [illegible] par[illegible]e, nec ex parte eius pro quo miffa dicit[illegible] etiam priuatus [illegible]rens. Sed dico [illegible]od e[illegible] neceffaria deuotio priua[illegible]ferent[illegible] ace[illegible] quia alias fine deuotione oblat[illegible] eft [illegible] eft Deo grata, nec [illegible] fati[illegible] a[illegible] i, quia fru̧ctus fatisfa[illegible] c[illegible] debitur & [illegible] cet [illegible] fat[illegible] [illegible]tatem rei [illegible] tan en [illegible] [illegible]catur & qua [illegible] ne deuotione oblata,

oblata, ideo nec sibi indeuoto debetur, nec prouenit alteri. Deinde iuxta dicta supra nu. sup. dato, quod non sit necesse formaliter, quod ille pro quo offertur sacrificium sit offerens, causando missam, sed sufficiat illum esse pro quo offertur, tamen & hoc debet esse religiose, acceptando oblationem ex deuotione, nam si irreligiosus esset nullum fructum perciperet, tanquam in mortali existens, vel si parua deuotione reciperet, paruum fructum quantum sit ex parte sua consequeretur.

SVMMARIVM.

1 *An ad impetrandum sit necessaria dispositio. nu.* 808.
2 *Ex parte offerentis requiritur deuotio formata fide. nu.*809.
3 *Ex parte eius pro quo offertur non est necessaria specialis dispositio ad impetrandum, illa tamen iuuat. nu.*810.
4 *Missa ratione sui est impetratoria. nu.*811.
5 *Oratio peccatoris est impetratoria. n.*810.811.

808 QVæritur quinto, an & quæ dispositio sit necessaria ad impetrandum per sacrificium missæ? ad impetrandum pro aliquo, necesse est proculdubio, quod ille sit viator, inter viatores numerando animas purgatorij quia damnati sunt incapaces gratiarum, & Beati omnem gratiam sibi competentem habent ex eorum statu. Hoc vero stante *Pasqual. de sacrif. Miss. q.* 87. asserit, quod ad impetrandum in eo pro quo offertur sacrificium nulla est necessaria dispositio; quia ad hoc sufficit, quod homo sit capax beneficiorum Dei, quorum & infidelis, & quilibet est capax. Subdit tamen, de facto impetrationem sacrificij esse maiorem, vel minorem, seu magis vel minus efficacem, iuxta maiorem, vel minorem dispositionem eius pro quo impetratur. Addit vero hanc dispositionem consistere in omni eo, quod reddit dignum de congruo beneficijs diuinis, nam congruum est, quod beneficia magis amicis fiant, quàm inimicis. Inter huiusmodi vero actus præcipuum esse iudicat assistentiam, quia per eam Deo maximus cultus exhibetur.

809 Sed in hac parte distinguendum est. Cum enim sacrificium in actione consistat, primum, quod hic considerari debet est conditio offerentis, nec sufficit considerare conditionem solam eius pro quo sacrificium offertur. Dicitur igitur primo, quod ex parte offerentis necessaria est aliqua dispositio, nimirum fides. Quod sit necessaria dispositio ex eo probatur, quod efficacia sacrificij in actu secundo exercito non attenditur solum secundum virtutem sacrificij ex parte rei oblatæ, sed ex parte offerentis, & eo magis, quod ex eius intentione determinatur materia huius efficaciæ, scilicet persona cui sit impetrandum, & beneficium, quod est impetrandum. Quamuis vero in offerente ad impetrandum non sit simpliciter necessaria sanctitas, & status gratiæ, quia etiam oratio peccatoris impetrat, & impetratio innititur diuinæ misericordiæ, quæ etiam ad peccatores se extendit. Vnde ad efficaciam impetrandi non est per se necessaria deuotio perfecta & formata, nihilominus fides est necessaria, sine qua nec offerens offeret; quis enim credat eum esse oblaturum missam, vt obtineat sanitatem, si non credat eam per missam impetrari à Deo posse? Ideo in Canone missæ dicitur. *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio.* Quod *Caiet. tom. 2. opusc. tr. 3. q. 2. ad* 1. explicat, vt fides sit necessaria ad impetrandum. Sed cum fide simul aliqua deuotio est necessaria, quia cum missæ sacrificium sit actus religionis, vt talis debet offerri, quod fieri nequit sine aliqua voluntate diuinæ reuerentiæ, & cultus. Et sic ad hoc, vt diuina misericordia intuitu sacrificij concedat alicui gratiam quam desiderat, necesse est vt in offerente sit fides, & deuotio aliqua, sicut necesse est, quod offerens intendat consequi illud quod est impetrandum, seu quod idem intendat sacerdos celebrans saltem in genere applicando missam iuxta intentionem eius, qui missam postulauit. Itaque in hoc est discrimen, quod ad fructum satisfactionis necessaria est deuotio formata charitate, sed ad impetrandum sufficit deuotio formata fide; semper tamen dispositio requiritur, quæ det congruitatem impetrandi, quæ datur in proposito formaliter per actum religionis, qui est deuotio aliqua imperfecta ex fide proueniens.

810 In eo vero pro quo est impetrandum, licet non sit necessaria dispositio, si tamen adsit nequit negari, quod non multum iuuet. Et ita fructum impetrationis dari secundum fidem offerentis dixit *Caietan. vbi supra*, & iuxta dispositionem eius pro quo impetratur esse fructum impetratum, dixerunt apud *Pasqual. vbi supra Arragon. 2. 2. q. 83. a. 3. Vasquez 3. p. disp. 231. cap. 7. Auersa q. 11. sect.* 10. & alij. Verum quia vt habet *D. T. supra q. 83. a.* 13. impetratio innititur puræ misericordiæ. vnde hoc sacrificium non impetrat ex opere operato infallibiliter, ideo nec est infallibilis regula, quod sacrificij fructus impetratus sit secundum mensuram dispositionis vel offerentis, vel eius pro quo offertur.

811 Bene vero contra *Rutenm lib. 1. de fruct. sacrif. disp. 3. q. 1. dub.* 5. colligit *Pasqual n.* 9. Quod hoc sacrificium est impetratorium ex sua vi & efficacia, & immediate, & non tantum quia tribuit vim impetrandi orationibus sibi coniunctis. Ipsum enim per se sicut ex doctrina *Conc. Trid. sess. 22. cap. 2. de sacrif. Miss.* offertur pro necessitatibus, ita habet vt impetret necessaria. Et non est nisi valde conforme sacrificio vt à Deo impetret, & maxime huic sacrificio per quod Deo res gratissima, & summus cultus exhibetur. Sic negari non potest, quin sacrificium Crucis fuerit impetratorium. Quod tamen *Pasqual. subdit n.* 10. scilicet discrimen esse inter impetrationem quæ habetur ex opere operato sacrificij, & ex orationibus adiunctis, quod ad hanc sit necessarius status gratiæ; imo si sacerdos sit excommunicatus nec sufficit Ecclesiæ sanctitas; quia cum Ecclesia prohibeat illi offere sacrificium, in illo non offert: quod inquam sic dicitur est considerandum. Nam verum est, quod missa mali sacerdotis impetrat. Verum & orationes mali sacerdotis impetrare possunt quia impetratio puræ gratiæ Dei innititur. Licet vero Ecclesia prohibeat excommunicatum celebrare, prohibet tamen etiam ne celebret peccator, & tamen

hoc noo obstante, si peccator celebrat per eum celebrat Ecclesia assistens celebrationi, vt est bona, non vero vt est à peccatore, & sic etiam assistit missæ excommunicati secundum quod est sacrificium immaculatum.

SVMMARIVM.

1 *Qua dispositio sit necessaria ad fructum propitiationis. nu.812.*

812 QVæritur sexto, quæ & qualis dispositio sit necessaria ad hoc vt sacrificium efficaciter impetret remissionem peccatorum? *Pasqualig. de sacris. nouæ legis. q.71.* censet requiri dispositionem similem illi, quæ requiritur, quando cum sacramento remittuntur peccata. Et probat ex *Concil. Trid. sess. 22. cap. 2. de sacrif. missæ*. Verum aduertendum, quod aliud est loqui de dispositione ad peccatorum remissionem; & hæc sine dubio necessaria est, & requiritur motus fidei in Deum, & odij in peccatum, &c. quod est id, quod docet *Concil. Trident. loco citato*. Alia est dispositio ad impetrandum remissionem peccatorum, & ad hoc non est necessaria alia dispositio simpliciter ex parte eius cui impetratur, sed sufficit quod subiectum sit capax. Ex parte vero impetrantis necessaria est deuotio ex fide Christi, vt impetratio sit ex vi sacrificij, vt oblati ab hoc, vel ab illo. Sed in memoria habendũ est, quod hoc sacrificium immediate non impetrat remissionem peccatorum, sed auxilia ad pœnitendum, & se disponendum, & quia huiusmodi auxilia non dantur infallibiliter ei pro quo offertur missa, ideo hæc impetratio non est infallibilis. Non requiritur igitur dispositio nisi eo modo quo ad alia impetranda requiritur. Licet ad hoc vt homo virtute sacrificij iustificetur, necesse sit, vt prius impetrentur auxilia ad pœnitendum, & sic obtineatur motus in Deum, & in peccatum, qui est dispositio ad iustificationem: sed etiam considerandum est, quod hoc sacrificium vt est à Christo est impetratorium, vnde ex hac parte, vt impetret non est necessaria alia dispositio, quia Christus est in hoc virtutis infinitæ ad impetrandum, sed ad hoc vt sacrificium impetret, vt oblatum nomine huius vel illius necessaria est in offerente deuotio ex fide, vt dictum est.

SVMMARIVM.

1 *Rationes eorum qui dicunt missæ sacrificium non esse infinitæ sufficientiæ reyciuntur. nu. 813.*
2 *Cur missa sit sacrificium iteratum. nu. 814.*
3 *In Passione Christi, & Missa eadem sufficientia, sed diuersus modus efficacia. nu 815.*
4 *Sacrificium missæ est etiam meritorium, & satisfactorium secundum sufficientiam, vt est à Christo. nu. 816.*
5 *Sacrificium missæ est valoris infiniti secundum sufficientiam. nu. 817.*
6 *Et hoc competit illi ex re oblata, & Christo sacerdote. nu. 818.*

INSPECTIONIS SEXTAE.

CAP. QVARTVM.

Quod valor missæ sit infinitus, nec tamen quantum ad fructum medium missa dicta pro pluribus tantum valeat singulis, ac si pro singulo eorum celebrata esset, nisi illi singuli sint plures offerentes.

813 QVæritur primo, an missæ sacrificium secundum se sit infiniti valoris: seu an sit infiniti valoris secundum sufficientiam. In idem coincidunt ista duo quæsita, quoniam sacrificium missæ sumptum secundum se est sacrificium sumptum ratione eorum quæ sibi conueniunt independenter ab offerente priuato, & mediato, seu ab illis pro quibus offertur. Hoc vero est considerare sufficientiam illius non vero efficaciam, quia efficacia dependet à conditione priuata offerentium, & eorum pro quibus offertur. Multos vero voluisse, quod sacrificium missæ secundum se non sit infinitæ virtutis referunt moderni. Sed eorum spectatis rationibus satis euidens est huiusmodi sententiam solido carere fundamento. Fundantur enim primo quia sacrificium iterabile debet esse finiti valoris, sed sacrificium missæ est iterabile, & vt tale est institutum à Christo; igitur est finiti valoris. Sed cum euidens sit, quod ad hoc, vt sacramentum sit iterabile sufficiat, quod eius efficacia de facto sit finita, euidens est hac ratione non probari, quod hoc sacrificium sit quantum ad sufficientiam finitum. Addunt secundo, quod virtus huius sacrificij modificatur in proximo offerente, qui est sacerdos. Sed hoc supra improbatum fuit, quia in moralibus minister agens in persona alterius non minuit dignitatem, quam opus habet ex principali operante, & mandante, non enim sacerdos, vt persona priuata, sed in sacerdote Christus offert sacrificium missæ. At replicant tertio, quod B. V. obtulit Christum in templo, & sub cruce Patri obtulit eum morientem, & tamen illa fuit finita oblatio. Sed nihil mirum de hoc, quia obtulit vt persona priuata, & nomine proprio, non vero vt gerens personam Christi: subdunt quarto, quod consecratio seu missæ celebratio fuit actio finita, sed certe & actiones Christi transeuntes finitæ fuerunt in esse physico, quia fuerunt entia finita, quia creata, & tamen moraliter ratione personæ à qua erant fuerunt infinitæ dignitatis, & valoris, sic & consecratio & sacrificium missæ est moraliter infinitæ dignitatis, & valoris, ratione rei oblatæ, & Christi offerentis principalis. Adiungunt quinto quod cum hoc sacrificium habeat communicare effectum finito modo debuit esse virtutis finitæ vt effectus correspondet virtuti. Sed

sic ergo

fic ergo secundum hanc consequentiam etiam passio Christi debuit esse finitæ virtutis, quia de facto non habet nisi effectum finitum. Dicitur igitur, quod limitatio effectus est ex nostra imperfectione, decuit vero & decet quod sacrificium habeat valorem connaturalem rei oblatæ, & sacerdoti, qui Christus est, & qui valor est infinitus. Sexto deducunt plura inconuenientia, scilicet, quod vno sacrificio mundarentur omnes à peccatis, liberarentur à pœna, euacueretur purgatorium, subueniretur omnibus necessitatibus, impetrarentur infinita beneficia, tantum prodesset vna missa, quantum plures, nec cresceret valor ex maiori deuotione. Sed mirum est, quod cum sit de fide, quod valor passionis Christi sit infinitus quantum ad sufficientiam, & simul cum hoc sit de fide, quod idem valor est finitus secundnm efficaciam, vnde eo nec redimuntur de facto omnes à peccatis, nec subuenitur omnibus necessitatibus, nec causatur aliquis effectus, qui non sit actu finitus; nihilominus ex sola infinitate secundum sufficientiam attributa huic sacrificio supradicta deducantur, cum euidens sit illa non posse deduci si simul efficacia sit finita, quam de facto esse finitam omnes fatemur.

814 Sed dicet aliquis, quod licet passio Christi sit finita secundum efficaciam nihilominus quia est infinita secundum sufficientiam non est iterabilis, & sufficit Christum semel mortuum fuisse, igitur etiam si dicatur valorem huius sacrificij esse finitum secundum efficaciam, si est secundum sufficientiam infinitus sacrificium non erit iterabile. Et præterea, si valor huius sacrificij esset infinitus secundum sufficientiam, valeret ad omnes effectus, & sic immediate iustificaret, & produceret effectus sacramentorum, & sacramenta superfluerent. Et præterea tertio constat non habere eum valorem, quem habet Christi passio, cum quatenus est a Christo vt primario sacerdote non sit meritorium, neque satisfactorium. Verum respondetur, quod cum per sacrificium crucis fuerit oblatus Christus naturaliter mortuus, in hoc vero offeratur Christus mystice & repræsentatiue mortuus, necesse est quod horum sacrificiorum conditiones sint diuersæ stante identitate valoris, qui ex re oblata eadem & eodem sacerdote consurgit. Primo ergo sacrificium passionis non est iterabile, sed huius ratio non est vnica sola, & adæquata, quia sit infinitæ virtutis secundum sufficientiam. Sed ratio est, quia cum consistat in morte naturali Christi, non fuit, nec est conueniens, quod iteretur sed sufficit, quod semel fuerit oblatum, & semel Christus passus fuerit, nam & immo in insufficientiam talis sacrificij redundaret hæc iteratio, quia per illud sacrificium vel non meruisset vel eius merito negata fuisset Christo immortalitas, & exaltatio, quæ sibi ratione suæ mortis debebatur. Nam vt habet Apostolus ad *Philip.* 2. Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium terrestrium, & infernorum. Item sacrificium illud frustraretur effectu ad quem maxime ordinatus fuit, nimirum resurectione, & perenni immortalitate, & iam verificaretur illud *Apos.* 1. *ad Cor.* 15. si Christus non resurexit, inanis est fides nostra. Inconuenientia igitur plurima sequerentur, si de facto non sufficeret, quod Christus semel mortuus fuisset. Et nihilominus quia efficacia passionis Christi est finita, Christus prouidit, & depositauit meritum, & valorem suæ passionis in hoc sacrificio, & in sacramentis, per quæ applicaretur virtus passionis Christi quantum ad efficaciam per singulos dies, & quotiescumque opus fuisset. Sed ex iteratione sacrificij missæ, nullum sequitur inconueniens, quoniam per hoc sacrificium Christus non moritur, sed mors eius repræsentatur; maxime vero decet gloriosum factum Christi sæpius repræsentari, & in gloriam Dei propter cuius cultum, & gloriam Christus passus fuit, & in honorem Christi, cuius fuit tanta virtus, & obedientia, & in gratiarum actionem, ob tantum beneficium acceptum summe enim decet, vt duret memoria tanti beneficij, & quod nos grati illius memoriam continuam habeamus. Et hoc Christus ipse voluit, & præcepit, dum istud sacrificium instituit, & dixit Apostolis *hoc facite in meam commemorationem*. Et in vtilitatem nostram quia cum cuiusque missæ in singulari non maneat virtus in aliquo sensibili instrumento, per quod virtus eius possit applicari, conueniens fuit, vt sacrificium ipsum esset iterabile. Imo non conueniebat vt virtus eius in aliquo permanente depositaretur, sed cum sacrificium ipsum ex propria conditione petat vt sit frequenter iterabile, non conueniebat, vt aliquo alio medio instrumento virtutem suam communicaret: en igitur, quod licet vtrumque sacrificium mortis Christi, & sacrificij missæ conueniant in hoc, quod vtrumque est infinitæ virtutis secundum sufficientiam, & finitæ secundum efficaciam, nihilominus conuenienter Christus semel mortuus est, & frequentissime eius mors repræsentatur.

815 Ad aliud veró, quod addebatur, quia nimirum hoc sacrificium non causat omnes effectus, quia non iustificat sicuti faciunt sacramenta. Respondetur quod imo quantum ad sufficientiam eandem virtutem habet, sed non est idem modus efficaciæ. Nam passio Christi nobis confert gloriam mediante tamen meritis per Christi gratiam comparatis; datur vero gratia, sed dependenter à nostro concursu, & dispositione; dantur vero etiam auxilia sufficientia ad se disponendum, sed actualem dispositionem, & pœnitentiam non concedit omnibus, sed Deus illam donat secundum consilium suæ voluntatis secundum, quod cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Ad omnia ista sacrificium missæ sufficientiam habet. Nam & est propitiatorium, vt docet *Concil. Trid. sess.* 22. *c.* 2. *de sacrif. missæ*, & habet virtutem, vt supposita dispositione, & cooperatione nostra iustificet, & glorificet. Sed in executione, & efficacia, quia iustificatio ex Christi institutione est concessa sacramentis, & ita quod nullus potest iustificari nisi per sacramenta vel in re, vel in voto recepta; ideo ista duo sacrificia mortis realis, & mysticæ distinguuntur in efficacia, quia prior est efficacia sacrificij mortis realis, nam & originale præcedit imaginem. Et quia virtus sacrificij mortis realis sanctificat per sacramenta, non fuit conueniens vt sacrificium mortis mysticæ aliter iustificaret, & sic sacrificio mortis mysticæ remansit propitiari non ex opere operato infundendo gratiam, sed impetrando auxilia

xilia vnde homines possint iustificari per sacramenta, quia virtutem efficaciter iustificandi Christus depositauit in sacramentis. Non enim fuit conueniens, vt ex remedijs pro nostra salute institutis vnum impediret aliud, vnde conueniens fuit vt celebratio missæ non impediret susceptionem sacramentorum. Sicut ergo passio Christi de facto non iustificat ex opere operato nisi per sacramenta, sic sacrificium missæ non præbet iustificationem nisi per sacramenta quorum deuotam, & fructuosam susceptionem impetrat, & ad hoc continet in se virtutem passionis Christi, vt impetret ipsam dispositionem necessariam vt passio Christi quam repræsentat, nos iustificet per sacramenta, & sacrificium; igitur missæ deest exercita efficacia iustificandi immediate ex opere operato extra sacramentum, quia Christus voluit, quod hæc efficacia per sacramenta haberetur, nec passio Christi alio modo iustificat. Nec fuit vero conueniens, vt huic sacrificio tribueretur efficacia immediate augendi gratiam, vel in sacramenti susceptione, vel post, quia augmentum gratiæ non proportionatur virtuti vel sacramentorum, vel passionis Christi, sed quantitati dispositionis, vel operis hominis cooperantis gratiæ Christi. Actualis vero efficacia donandi actualem dispositionem ad gratiam, vel ad augmentum gratiæ nec passioni Christi competit vniuersaliter, & infallibiliter, sed secundum consilium diuinæ voluntatis. Sic igitur stante in vtroque sacrificio sufficientia infinita, diuersus est modus actualis efficaciæ, quia Christus hunc diuersum modum instituit, & diuersimode applicat hanc sufficientiam, causa vero non causat nisi quantum applicatur ad causandum, & alius modus applicationis conuenit originali, & repræsentatiuo originalis.

816 Sic tertium explicatur, in quo dicebatur, quod hoc sacrificium vt est à Christo vt offerente non est meritorium, aut satisfactorium, nam quantum ad sufficientiam hoc falso asseritur, nam ex eo illud est verum, inquantum Christus nunc non est in statu merendi, non quia sacrificium non habeat ex se valorem meriti, & satisfactionis infinitæ, & nihilominus hoc sacrificium continet in se infinitum valorem passionis Christi, quam repræsentat. Sic ergo hoc sacrificium, & nunc habet sufficientiam infiniti meriti quantum sit ex se ipso, sed actu non habet exercitam efficaciam meriti noui, quia Christus gloriosus, & omnino in termino non est in statu merendi, nec ipse applicat hoc sacrificium ad nouum meritum obtinendum, cuius etiam non est necessitas, cum meritum passionis Christi superabundet.

817 Manet ergo valide probatum, & explicatum, quod licet sacrificium missæ sit efficaciæ finitæ, est tamen sufficientiæ infinitæ; quod est de mente *D.T.3.p.q.79.a.5.* & tenet *Caiet.* ibi, *& tom. 2. opusc.tr.3.q.2.* Cano de locis *l.12.c.13.ad 10. Syluest. v. missa p.n.9. Sotus 4.d.11.q.2.a.5. & dist.13.q.2. v.1. Heruens quodl.10.qu.13. Viquer cap.16.§.3.v.15. Nugnus 3.p.q.83.a.1.par.3.dub.7.concl.2. Montagnal. de valor.missæ cap.3. Ledesma p.1.cap.17. de Sacram.Eucar.concl.4. Arragon.supra q.85.a.3. Petrus Sotus l.7.de Eucarist. §. Primum non est. Vasqu. 3.p.disp.230.cap.3.n.9. Suarez disp.79.sec.11.dicta p. Cordubal.1.qu.3.opin.5.concl.3. Hurt. Hueros, Granad. Dicastill.* quos sequitur *Leand.tr.8.disp.3. q.10. Ragusa, Garz. Less. Chellison. Beccan. Ludouicus à S.Io. Villal. Marat.* quos refert, & sequitur *Pasqual. de sacrif. nouæ legis q.117. Palaus p.4.tr.22. p.6.n.11. Lezana v. Missa, Gabr. à S.Vincent. disp.2. de sacrif. miss. q.6. Quartus in Append. Rub. Miss. q.2. p.18. Isambertus in 3.p.q.83.disp.7.a.1.*

818 Cum vero *Marat.tom.3.sum.disp.40.sec.1.* apud *Pasqualig.* sentiat hanc valoris infinitatem non competere huic sacrificio ex re oblata, vel ex Christo offerente, sed ex Christi institutione, merito reijcitur à *Pasqual. q.118.* Vere enim infinitas Christi tam in ratione victimæ, quam in ratione offerentis ex sua connaturalitate fert sufficientiam infinitam sacrificio; efficacia vero exercita huius sufficientiæ illa est, quæ dependet ex Christi institutione. Nam alias infinitas sufficientiæ etiam sine fundamento illius nequit concedi; quamuis ad hoc sufficeret voluntas Dei instituentis: erat vero ratio *Marat.* quia Christus non offert immediate sed immediatus offerens est sacerdos *Pasqual.* autem Christũ vult immediate offerre, quia minister non tollit immediationem causæ principalis, & certe immediatione virtutis Christus immediate offert, licet vero immediatione suppositi Christus non offerat immediate, tamen mediatio hæc ministri offerentis in persona Christi, sicut non facit quod principaliter, & simpliciter hæc oblatio non sit Christi oblatio, sic non facit quin sit simpliciter sufficientiæ infinitæ quantum, sit ex se ipsa.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit infinitum sincathegorematice. n.819.*
2 *Pro contraria sententia male citatus D. Th. & alij. nu.820.*
3 *Ex quo efficacia sacrificij non applicatur nisi per partes, sequitur quod sit infinita. n.821.*
4 *Sacrificium habet fructum in certa mensura, sed non ex parte sui. nu.822.*
5 *Diuersimode dicitur infinita missa in specie, & in indiuiduo sumpta. nu.823.*
6 *D. T. & alij sentientes valorem missæ infinitum. num.824.*
7 *Non est eadem ratio de missa, & de opere operantis. nu. 825.*

819 QVæritur secundo, an efficacia huius sacramenti sit intensiue infinita in potentia, seu, vt dicunt sincathegorematice? Supponitur enim non esse infinitam in actu, quia non datur, nec dari potest effectus infinitus tam secundum intensionem, quam secundum extensionem, & de hoc non est dubium; loquendo autem de infinito in potentia, seu sincathegorematice, cuius ratio infinitatis in hoc consistit, quod non detur maximum vltra quod non possit virtus, sed dato quocumque finito virtus possit in maius semper, ac semper in infinitum multi tenent, quod efficacia huius sacramenti non est infinita, & quantum ad intensionem nouissime *Pasqualigus q.119.* tenet partem negatiuam. Sed aduertendum, quod pro hac parte referuntur plures Doctores, sed immerito. Est enim primo considerandum, quod vel loquimur de hoc indiuiduo sacrificij, scilicet de hac numero missa, vel loquimur de missa secundum spe-

dum speciem suam. Si loquamur de hac numero missa, ad hoc vt dicatur esse infiniti valoris sincathegorematice non est necesse, quod hic numero fructus, qui in omnium sententia est de facto finitus in actu, sit ita infinitus in potentia, vt idem numero possit in infinitum esse maior, sed sufficit, quod impotentia, vt sit maior non sit ex defectu sacrificij, sed ex conditione eius qui obtulit sacrificium. Neque enim indiuiduum jam ex sua hæceitate finitum, & limitatum, potest salua sua vnitate indiuiduali augeri, vel intendi si sit ex eorū genere, quæ intensionem, aut augmentum non suscipiunt. Nam v.g. quis vnquam neget efficaciā Dei creantis non esse infinitam in potentia, & sincathegorematice? Certe hæreticus esset, qui diceret omnipotentiam Dei esse determinatam ad maximum, & non posse in infinitum create perfectiores Angelos, vel animas, vel creaturas. Accipio igitur creationem Michaelis, & considero quod Michael est primus Angelorum, sed tamen est in sua perfectione finitus, & ita finitus per suam differentiam specificam, & indiuidualem, vt non possit esse perfectior, sed hoc stante dicendum ne erit, quod ipse fuerit ab efficacia diuinæ virtutis finita, & quod efficacia virtutis creatiuæ Michaelis sit finita tam actu, quam potentia? Minime quidem, quia licet hæc numero creatio Michaelis sit ex parte facti finita tam actu, quam potentia hoc non est ex defectu, & limitatione efficaciæ, sed ex specifica, & indiuiduali constitutione Michaelis, quæ non est nisi participatio finita infinitatis Dei, sed efficacia diuinæ potentiæ est quidem determinata ad ens finitum, quia infinitum non est possibile, sed non est determinata ad gradum, & maximum in ratione entis, quia potest in infinitum melius, ac melius efficere. Et sic creatio Michaelis, vt est quid creatum est de facto quid finitum tam actu, quam potentia, sed est ab efficacia sincathegorematice infinita. Ita in præsenti fructus qui ab hac missa in indiuiduo hic, & nunc causatur, est finitus tam actu quam potentia vt stat sub hac numero actione; puta satisfactio ex hac numero missa hic & nunc, vt est ab hoc offerente est finita, puta est satisfactio pro pœna temporali vnius anni. Sed hoc dato, quod concedunt qui dicunt efficaciam missæ esse infinitam sincathegorematice non licet inferre ergo efficacia huius numero missæ est finita etiam sincathegorematice.

820 Ex hoc vero primo colligitur, quod non potuit *Pasqualig.* inter DD. negantes efficaciam missæ esse sincathegorematice infinitam numerare *D.T.4.d.45.q.2.a.4.q.3. ad 2. Durand.q.3.ad 3. Palud.q.2.a.2.concl.4. Richard.a.2.q.3. Verba D.Thomæ* sunt ista. *Quamuis virtus Christi, quæ continetur in Sacramento Eucaristiæ sit infinita, tamen determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur; vnde non oportet, quod per vnum altaris Sacramentum tota pœna eorum, qui sunt in purgatorio expietur sicut etiam, nec per vnum sacrificium, quod aliquis homo offert, liberatur à tota satisfactione debita pro peccatis, vnde & quandoque plures missæ in satisfactionem vnius peccati iniunguntur.* Hæc D. T. qui & virtutem infinitam sacrificij fatetur, & simul quod effectus illius de facto sit finitus, quæ duo admittunt omnes qui tenent, quod efficacia missæ sit infinita sincathegorematice, quia effectus virtutis sic infinitæ semper est finitus, sed non est maximus in quem possit virtus. Itaque aliud est, quod fructus missæ sit finitus, aliud est quod sit maximus. Primum omnes fatemur, sed secundum negamus, & hoc est, quod probare debet hæc sententia, nam esto effectus virtutis sit finitus, si non est maximus in quem possit virtus, sed illa sua efficacia possit in maius, ac maius in infinitum, illa virtus habet efficaciam sincathegorematice infinitam. Quod manifeste vult *D.T.* docens *3.p.q.79.a.5.* quod sacrificij effectus mensuratur ex quantitate deuotionis eius pro quo offertur, vel offerentis, quæ quia in infinitum potest esse melior, ideo & in infinitum fructus missæ augeri potest, licet semper sit actu finitus, & inde est quod nec alij citati DD. pro eadem sententia sunt, quia solum asserunt fructum missæ esse finitum, sed non dicunt esse maximum. Imo etiam DD. illi, qui tenent quod non valeat tantum singulis missa dicta pro pluribus quam si pro singulis eorum diceretur, non possunt pro eadem sententia referri, quia ad hoc sufficit, quod effectus missæ de facto sit finitus quia finitum de facto diuisum pluribus minuitur in singulis; vnde est, quod, vt videbimus, ex ijs qui fatentur efficaciam valoris missæ esse infinitam in potentia, adhuc multi sustinent, quod missa dicta pro pluribus non tantum valeat singulis, quam si pro vno solo diceretur. Et huius quæstionis resolutio ex alio pendet principio, nimirum ex quo habet missa, vt eius efficacia limitetur; Cæterum vbi fructus missæ sit limitatus euidens est, quod diuisus in pluribus minuitur in singulis etiam si ille fructus potuisset esse melior in infinitum. Sed & aliud attendi debet, quod ex illis DD. qui negant efficaciam missæ esse intensiuæ infinitam, sed hoc probant, quia infinitum non potest dari, qua ratione multi ex illis vtuntur, & inter alios *Suarez loco citato à Pasqual.* scilicet *disp.79. sec. 11.§. Dico secundo,* ne dicamus eos in cōsequēter loquutos, & posuisse conclusionem in vno sensu, & eam in alio probasse, intelligendi sunt de infinito cathegorematice, quod est illud, quod non potest dari. Itaque pro illa sententia, quæ negat efficaciam valoris missæ esse infinitam in potentia, seu sincathegorematice illi soli stant, qui sentiunt, quod ex Christi institutione valor & fructus missæ sit determinatus ad maximum, seu imo quod sit determinatus ad gradum indiuisibiliter, & sic quod quantum sit ex vi operis operati sit semper æqualis in omnibus, nec possit esse maior, ac maior. Sed qui tenentur quod fructus missæ limitetur ex deuotione offerentium, & eorum pro quibus offertur, si consequenter loquuntur tenent, quod fructus missæ in infinitum potest crescere, sicut crescere potest offerentium, aut eorum pro quo offertur deuotio.

821 Sed modo expendamus pondus rationum, quibus illa sententia se munit. Est ergo prima ratio, quia per sacrificium missæ virtus passionis Christi applicatur per partes; & hoc probatur, quia Christus instituit hoc sacrificium vt continue offerendum vsque ad consumationem seculi, vt habetur ex *Trident. sess. 22. cap. 1. de sacrif. missæ,* igitur applicatur finito modo; quia aliter hoc sacrificium non deberet iterari, sicut sufficit sacrificium crucis. Quod vero hæc consequentia non probet, multipliciter probatur. Nam Deus ad producendum

res non applicauit virtutem suam nisi per partes, quia nec ens est creabile nisi per partes; ergo non applicauit eam nisi finito modo; ergo efficacia diuinæ virtutis est finita tam actu, quam potentia, & sincathegorematice. In hoc argumento antecedens est verum si per partes se teneat ex parte effectus, quia virtus diuina in se non habet partes, sed est indiuisibilis, sicut & indiuisibilis est valor sacrificij missæ ex parte ipsius, sed dici potest Deum applicare virtutem suam per partes, quia applicat virtutem suam ad partem eius, quod producere potest, & non ad totum, & sic verum est etiam de sacrificio missæ: sic vero explicato antecedēte consequentia prima tenet de finito in actu, & sic verissima sunt duo, scilicet quod efficacia diuinæ virturis non est nisi ad finitum in actu, & taliter finitum, quod non est nisi pars eius, ad quod pertingere potest diuina efficacia. Et hoc idem de efficacia sacrificij missæ. Sed si consequens illatum intelligatur de finito tam actu quam potentia, & quod sit maximum in quod possit diuina efficacia, consequentia ex eodem ipso antecedente repugnat, quia si productum non est nisi pars aliqua infinitatis diuinæ virtutis, igitur illud non est maximum vltra quod non possit virtus diuina, sed imo si productum ex suo genere habeat latitudinem, & possit melius, ac melius fieri, & in infinitum diuinæ virtutis efficacia poterit sic finito modo applicata melius, ac melius producere. Hinc est, quod in dicto argumento secunda consequentia sit error euidens in phylosophia, & hæresis contra fidem. Quia lumine naturali euidens est efficaciam diuinæ omnipotentiæ non habere terminum, & maximum vltra quod non possit, & de fide est, Deum facere quæcumque vult. Omnia enim, quæcumque voluit fecit. *Psalm.* 113. Et sic, & euidens & certum est efficaciam diuinæ virturis esse sincathegorematice infinitam. In eadem ergo consequentia ex vi medij assumpti non probatur, quod efficacia valoris sacrificij missæ non sit infinita in potentia, sed imo probatur oppositum ex assumpto antecedente. Et argumentum non distinguit inter finitum, & inter maximum, & ad excludendam infinitatem requiritur, quod efficacia terminata sit ad maximum; ex antecedente vero sequitur, quod effectus productus sit finitus non tamē, quod sit maximus; igitur ex vi antecedētis probatur quod efficacia sit infinita in potentia, quia quod fit, est pars, & sic non est maximum in quod possit efficacia. Sed & satis in superioribus ostensum est, quænam sit ratio propria, per quam sacrificium missæ sit iterabile, & ex assumpto in argumento iterum nullitas consequentiæ probatur, quia virtus passionis Christi non applicatur nobis nisi per partes, & tamen non est iterabilis, & adhuc eius efficacia est intensiue sincathegorematice infinita, vt patet in sacramentis quorum effectus in infinitum crescit ex dispositione recipientium. Vnde patet, quod confirmatio qua vtitur *Pasqual. nu.* 5. dicens, quod virtus sacrificij Crucis non est applicabilis nisi per partes, militat contra ipsum, quia imo ex hoc sequitur, & est verum, quod efficacia crucis Christi est sincathegorematice infinita.

822 Hinc etiam apparet, quod dum n. 6. subdit, quod sacrificium missæ applicat finito modo sacrificium crucis; ergo secundum certam mensuram, ita vt non possit maiorem, ac maiorem applicare, Tum etiam quia fructus missæ habet determinatam mensuram ergo efficacia non est infinita sincathegorematice, ita vt possit maiorem, ac maiorem producere. Apparet inquam, quod hæc, & similia vim non habent, nam ad infinitam virtutem sincathegorematice, vt supra dicebam, non est necesse, quod effectus, qui producitur sit infinitus in potentia, ita quod ille non sit in sua indiuiduatione determinatus tam actu quam potentia, sed possit crescere, & augeri. Nam vt dicebatur efficacia diuinæ omnipotentiæ in productione Angelorum est infinita non obstante quod quilibet Angelorum est indiuiduum inalterabiliter, & immutabiliter finitum. Et ratio est, quia quod effectus sic finitus non est ex defectu omnipotentiæ, sed ex natura substantiæ creatæ, alias vero Deus potest in infinitũ meliores, ac meliores Angelos producere. Ita in præsenti non debet attendi, quod quilibet fructus in indiuiduo productus est finitus, & secundum certam mensuram; sed debet attendi, quod limitatio non est ex finita virtute missæ, sed ex finita dispositione nostra.

823 Itaque dum quæritur, an efficacia sacrificij missæ sit infinita sincathegorematice, vel est sermo de hac numero missa, vel est sermo de missa in specie sua considerata. In vtroque sensu dicitur, quod efficacia missæ est infinita, sed diuersimode. In secundo sensu amplissime verificatur, quia nulla missa est, quæ habeat tantum fructum, quo maiorem habere non possit alia missa in infinitum. In primo autem sensu in re dissensio est cum illis, qui volunt quod valor missæ ex Christi lege sit determinatus ad maximum, sed supposito quod efficacia missæ ex nostra dispositione limitetur fere non potest esse dissensio nisi in verbis. In re enim conuenimus, quod hæc missa numero, quia illi omnibus pensatis respondet nostra dispositio in hac numero mensura indiuidua, ideo de facto fructus missæ est hic numero finitus, ita vt nec possit esse maior, quia nec dispositio pro eo instanti in quo est, potest esse se ipsa maior, & fructus missæ determinatur ex quantitate dispositionis pro eo tempore in quo offertur, non pro antecedenti, & subsequenti; ideo fructus huius numero missæ non potest esse maior, aut minor, quia dispositio nostra non potest pro tunc esse maior vel minor quam sit. Quod si quis ex hoc velit hanc numero missam non habere efficaciam infinitam sincathegorematice erit disputatio de nomine. Et nihilominus dicitur, quod melius imo quod omnino dicere debet, quod efficacia huius missæ sit infinita sincathegorematice quia nisi ex deuotione nostra fuisset impedita quantum sit ex se ipsa habuisset effectum meliorem, ac meliorem in infinitum, & si dicatur, quod hoc est dicere quod sufficientia sit infinita non vero quod sit infinita efficacia, quia efficacia respicit id quod de facto fieri potest, & fit. Respondetur quod sufficientia est infinita etiam cathegorematice; quia vna numero missa, & quælibet si infinitus fructus in actu dari posset, illum produceret. Sed vbi effectus vere dari potest, & est possibilis, & quod effectus iste sit tantus, & non maior non est ex defectu virtutis tunc efficacia ipsa dicitur finita in actu, & infinita in potentia. Est finita in actu, quia efficit finitum, sed est infinita in poten-

in potētia, seu sincathegorematice, quia quod sit finita in actu ad hoc tantū, & nō maius nō est ex impossibilitate sui, vel effectus secundum se, sed quia de facto ex hac contingenti dispositione fuit limitata efficacia. Sic ergo nedum sufficientia, sed efficacia dicitur infinita sincathegorematice, quia hoc est esse finitam in actu, & infinitam in potentia, & missa hæc vna numero quantum sit ex se ipsa potest in infinitum meliorem effectum producere, & effectus etiam nisi ex contingenti finita dispositione fuisset indiuiduatus, potuisset esse in infinitum melior.

824 Et ideo quod efficacia missæ sit infinita sincathegorematice sine dubio est de mente *D. T. 3. p. q. 79. ar. 5 Caiet. ibid. & tom. 2. op. tr. 3. q. 2. Herueus quodl. 1. q. 13. Syluest. v. missa 1. n. 9. Cano de locis l. 12. c. 13. ad 10. Viguer. instit. cap. 6. §. 2. vers. 15. Soti 4. d. 13. q. 2. a. 1. Petri Soti l. 7. de Eucarist. §. Primum non est, & §. Tertium sit. Vasquez 3. p. disput. 230. cap. 3. Hug. 3. p. q. 83. a. 1. p. 3. de sacrif. missæ. dub. 7. concl. 2. Conimb. Marat. Hurtad. Franc. de Lugo, Amici, Grunud. Garzia* apud *Pasqual. d. qu. 119. Lezana. v. Missa Quarti in Apēd. ad rubricas Missal. q. 2. p. 18. Isamber. 3. p. q. 83. disp. 7. a. 1. Leandri tr. 8. disp. 3. q. 10.* & alij. Nec oppositum sentiunt qui dicunt efficaciam huius virtutis esse finitam, quia intelligunt, quod sit finita in actu.

825 Dices ex his sequi, quod fructus missæ etiam secundum quod est ab Ecclesia, vt offerente sit infinitus, quia Ecclesia in infinitum potest ex maiori, & maiori deuotione in infinitum offerre; Quo tamen negat *Isambert. 3. p. q. 83. disp. 7. a. 2. prop. 3.* Sed *Isambert. ibidem* loquitur de finito in actu. Nam de infinito in potentia, potest concedi, & est verum quod Ecclesia in infinitum potest meliorem, & meliorem fructum ex sacramento percipere. Et nihilominus dico, quod non est eadem ratio, quia quodlibet indiuiduum deuotionis in Ecclesia est finitum etiam quantum ad sufficientiam virtutis, & non producit meliorem effectum, quia non potest, licet intra sui speciem possit dari indiuiduum deuotionis melius. Sed & absolute deuotio Ecclesiæ ex sua specie est finita, missa vero quantum ad sufficientiam est etiam infinita in actu. Sed hæc numero missa, & quæcumque numero missa se ipsa potest in infinitum meliorem, ac meliorem effectum producere, & ideo dicitur actu finita, sed infinita in potentia.

SVMMARIVM.

1 *Ordo quæstionis. nu. 826.*
2 *Missa non est minoris valoris singulis concelebrantibus. nu. 827.*
3 *Quem fructum habeant qui missam incæpit, & qui perficit. nu. 828.*
4 *Cooperantes, & assistentes non eo minus recipiunt quo sunt plures. nu. 829.*
5 *Fructus generalissimus non eo est minor in singulis, quo sunt plures qui illo gaudent. nu. 830.*
6 *De fructu medio diuersæ opiniones. nu. 831.*
7 *Distinguitur quæstio. nu. 832.*
8 *Sacerdos determinat personam, sed non quantitatem fructus, qui secundum deuotionem offerentis mensuratur. nu. 833.*
9 *Fructus medius est qui est à missa vt ex parte nostri est priuata oblatio. nu. 834.*
10 *Cur Ecclesiæ vsus sit celebrare pro particularibus personis. nu. 835.*
11 *Cur præcepit vt tot missæ dicantur quot promissæ fuerunt. nu. 836.*
12 *Minor numerus missarum de facto minorem fructum præbet, ideo propria auctoritate non licet maiorem numerum reducere ad minorem. num. 837.*
13 *Non fuit conueniens fructum missæ taxari à Christo ad non maius. nu. 838.*
14 *Sacerdotis est determinare personas non quantitatem fructus. nu. 839.*
Offertur missa pro aliquibus, & sic oblata non prodest alijs. nu. 839.
15 *Sententia possins fructum missæ infinitum valde congruit praxi Ecclesiæ. nu. 840.*
16 *Quid de quæstione senserit D. T. nu. 841.*
17 *Missa efficaria intensiue est valoris infiniti. n. 842.*
Fructus medius non conuenit nisi illi pro quo missa offertur. nu. 842.
18 *Fructus medius deuotioni vnius offerentis respondens est finitus, & cuique minus valet ex consortio aliorum. nu. 843.*
19 *Vbi plures sunt offerentes ibi plures sunt fructus medij, quorum quilibet ex consortio aliorum non est minor. nu. 844.*
20 *Plures missæ plures fructus causant quia sunt plures offerentis oblationes. nu. 845.*
21 *Plus valent eidem duæ missæ, quam vna. n. 846.*
22 *Plus valent duobus duæ missæ, quam vna. num. 847.*
23 *Eidem minus valet missa oblata pro pluribus ex eiusdem offerentis intensione. nu. 848.*
24 *Absolute missa dicta pro pluribus minus valet singulis. nu. 849.*
25 *Suffragium pro multis tantum valet singulis oblatum ex intentione eorum confusa, quam ex intentione distincta. nu. 850.*

826 QVæritur tertio, an sacrificium missæ extensiue sit sincathegorematice infinitum. Non quæritur hic de simplici extensione, quia non est dubium, an missa possit offerri pro pluribus, & pluribus in infinitum quoniam huiusmodi infinitas conuenit etiam orationi cuiuscumque, quia vnusquisque orare potest pro pluribus, & pluribus prout voluerit, & ita vt illa oratio prosit illis eo modo, quo oratio vnius alij prodesse potest, sed quæstio est an virtus, & efficacia missæ sit talis, ac tanta, vt sine præiudicio singulorum possit in infinitum pro pluribus offerri. Hæc vero quæstio multiplicem continet difficultatem, secundum quod isti plures diuersimode se habent ad sacrificium. Primo enim ad missam alio modo se habent offerentes, & alio modo illi qui sunt pro quibus offertur: & inter offerentes, alio modo, qui sunt sacerdotes physice in persona Christi offerentes, qui sunt concelebrantes; alio modo qui sunt offerentes moraliter, & mediate, & inter istos alio modo, qui missæ deseruiunt; alio modo, qui assistunt; alio modo qui dant stipendium pro missa, vel quocumque modo sunt causa moralis illius. Respectu vero eorum pro quibus offertur distinctio datur, quia horum respectu datur fructus generalissimus, & fructus medius. Et rursus hæc infinitas

finitas

finitas potest considerari respectu satisfactionis, vel impetrationis, vel propitiationis.

827 Primo igitur quæritur, an sacrificium missæ sit infinitum sincathegorematice ad plures consacerdotes, vt v.g. quando ordinantur sacerdotes, & simul cum Episcopo ordinante celebrant missam, valor missæ huius sine singulorum præiudicio sit extensiue sincathegorematice infinitus. Negat enim *Henriquez l.9.cap.18. n.2. l.H.* Quia tunc omnes sacerdotes offerunt idem sacrificium, est enim eadem hostia Christus, quæ vt existens sub eisdem speciebus offertur. *Caiet.tom.2.opus.tr.3.q.2. Sotus l.9.de iust.q.2.a.2.concl.3. Syluest.v.missa n.9. Suarez disp.79. sect.12. §. Hic vero. Vasquez disp.230.cap.3.n.14. & disp.231. cap.6. n.41. Azor. p.1.l.10.cap.21.q.3. Card.de Lugo disp.19.n.252. Bonac.disp.4.q.vlt.p.4.n.2. Valen.tom.4.disp.6.q.11.p.1. §.25. Filliuc.tr.5.n.86. Coninch. Faxinell. Franciscus Lugo. Amic. Caspen. Dicastill.* quos sequitur *Pasqu. q.120. Isambertus 3.p.q.83.disp.7.a.8. §. Sit nostra propositio*. Et ratio huius est, quia offerenti, seu sacrificanti per se ex connaturali institutione sacrificij competit, vt simul sit is pro quo offertur, oblatio vero vt est ab vno non impedit fructum percipi ab alio, cum oblatio de se infiniti sit valoris. Et licet res oblata sit vna, sunt tamen plures oblationes, quatum singula de se est potens ponere victimam, & eam offert, & cum victima sit valoris Infiniti vnusquisque offerentium tantum fructus recipit, quantum si solus offerret.

828 Sed quid dicendum vbi plures sacerdotes offerunt, sed per partes, vt quia vnus consecrauit panem, & postea non valens prosequi missam accedit alius, & inchoatum sacrificium perficit? Aliqui dicunt, quod tunc sacrificium habet vnum solum effectum ex opere operato, quia adæquate est vnum solum sacrificium, & vna sola oblatio, ad quam isti sacerdotes partialiter se habent. Hunc vero effectum consequetur, qui perficit sacrificium quia tunc solum sacrificium effectum causat. Et nihilominus primæ speciei consecrator percipiet specialem fructum tanquam principalis coadiutor, & vterque recipiet pro sua parte fructum operis operantis. Ita *Suarez disp.79.sec.12.§. sed tum occurrit. Pasqual.q.121. n.9. & 10.* Sed huiusmodi sententia supponit, quod fructus, qui sacerdoti aduenit ex celebratione missę sit vnus certus, & determinatus. Sed cum iam probatum sit hunc fructum ex parte sacrificij esse indeterminatum determinari vero ex offerentium deuotione, Dicendum est, quod qui sacrificium substantialiter inchoauit, & impeditus non potest illud perficere nihil perdit de fructu suo, sed tantum recipit, quanta est eius deuotio, ex se enim fecit, quod potuit & totam victimam sub vna specie obtulit, nec per ipsum stat, quin totam victimam offerat sub vtraque specie. Neç obstat, quod sacrificium non causet effectum suum antequam perficiatur, quia tunc in priori offerente tantum causabit, quantum ille fuerit capax spectata proportione suæ deuotionis.

829 Secunda difficultas est de cooperatoribus seu assistentibus missæ, de quibus tamen communiter DD. eodem modo respondent, scilicet valorem missæ esse extensiue infinitum, ita quod multitudo non præiudicet singulis, sed quilibet eorum tantum participet, quantum si solus cooperaretur. *Caiet.loco citato, & 3.p.q.79.a.5. Cano l.12. de loc. cap.13.ad 10. Syluest.v.missa 1.n.9. Sotus 4.d.11. q.2. a.5. §. Quæstio est, & dist.13.qu.2.a.1. post 2. Concl. §. Alij vero. Vasquez 3.p.q.231.cap.6.nu.41. Suarez disp.79. sec.12.dicto 2. Card.de Lugo disp.19.n.252. Mira. t.1.q.41.a.10. Filliuc.tr.5.n.86. Bonac.disp.4. q.vlt.p.4.n.vlt. Valen.p.4.disp.6.q.11.p.1. §.25. Pa lau p.4.tr.22.disp.vn. p.6.n.12. Coninch. Faxinell. Garzia, Reginal. Dicastil.* quos sequitur *Pasqual.q.121. Isambert.3.p.q.83. disp.7. a.8. Lezana v. missa.* Isti enim DD. & alij merito habent pro absurdo, si dicatur minorem fructum percipere singulos, ex eo quod plures adiuuent, vel assistant sacrificio missæ; cum imo potius ex multitudine assistentium oblatio fiat Deo magis grata. Ratio autem est, quia quot sunt cooperatores, & assistentes sacrificio missæ, tot sunt offerentes, & tot oblationes, quilibet enim eorum suo modo offert hostiam, & victimam, quæ Christus est, quæ oblatio non est minus grata Deo, quo plures sunt qui offerunt, imo gratior est; igitur oblatio vnius non impedit, quin alius ex oblatione sua percipiat fructum sibi correspondentem. Et huius ratio est quia causa infinitæ virtutis applicata diuersis subiectis tantum in illis causat, quantum vnumquodque illorum est dispositum vt recipiat, sacrificium missæ vero est infinitæ virtutis. Sed & hoc est verum de causa finita excellentis virtutis. Idem enim ignis intra sphæram suæ actiuitatis applicatus pluribus non minus calefacit quemcumque quam si ille solus calefieret, si ad ignem omnes sint æque applicati.

830 Tertia difficultas respectu eorum pro quibus offertur est de fructu generalissimo, quem causat sacrificium oblatum pro Ecclesia, an scilicet ex multitudine fidelium minuatur in singulis, & minor pars cuilibet obueniat ex quo sunt plures pro quibus offertur. Ita enim euenire voluerunt *Sotus l.9.de iust.q.2.a.2.ad 3. Henriq.l.9.cap.20. n.3. Suarez disp.79.sec.12.fin.* & apud *Pasqual. Ruteus de fructu sacrif. Miss.disp.3.q.1.dub.421.* Hæc vero sententia loquitur consequenter, quia supponit, quod huiusmodi fructus constet certis gradibus, & mensura ex institutione Christi. Sed iam satis probatum est fructum missæ non esse determinatum ex Christi institutione, sed determinari ex dispositione recipientium. Quo stante cum sacrificium hoc ex institutione Christi offeratur pro Ecclesia tota, nam & si quis velit dicere, quod hoc est ex institutione Ecclesiæ, cum hoc factum fuerit ab initio Ecclesiæ, vt patet ex Lyturgia B. Iacobi Apost. non aliunde hoc potuit prouenire, quam ex traditione Apostolorum, & quia hoc sacrificium vere sit habile, vt per modum causæ naturalis in singulis subiectis sibi intra propriam spheram applicatis eundem effectum causet sine diminutione, quanta cumque sint hæc subiecta, vnde dicendum est quod illud, possit valere pro singulis absque diminutione. Non ergo imaginandum est, quod hoc sacrificium vt oblatum pro Ecclesia habeat tantum effectum determinatum, qui postea in singulos sit diuidendus, sed potius quod habeat vt singulis suum effectum producat iuxta illorum capacitatem. Et eo magis quod Ecclesia est non solum illa pro qua offertur sacrificium, sed est illud offerens, vnde iuxta mensuram suæ deuotionis sibi effectus respondet. Quod est valde considerandū, iubet enim Ec-

clesia,

clesia, & missas celebrari, & eas pro se ipsa offerri, vnde quilibet de Ecclesia suo modo est offerens; & licet omnes constituant vnum corpus; hoc tamen corpus sanctum, purum, & immaculatum æquiualet tot offerentibus, quot sunt in Ecclesia fideles, & tanta dignitate pollet, & deuotione, quanta est omnium iustorum, qui sunt in Ecclesia; offerentibus vero hoc sacrificium fructum communicat tale, vt vnus non impediat alium, sed imo iuuet; quia quanto plures sunt digni offerentes, & oblatio est Deo gratior. Considerandum tamen est, quod quia fructus missæ mensuratur primo ex deuotione offerentis, vt offerentis, & in Ecclesia non omnes eodem modo sunt offerentes, nec eundem gradum in Ecclesia habent. Ideo vnus alio magis participat de fructu missæ, quo potiori titulo illum sibi vindicat: vnde plus participant Pontifex, & Prælati. Sed tamen intra eandem lineam non eo aliquis minus participat, quo quot plures illum participantes, sed de facto iuxta mensuram deuotionis cuiuscumque fructus missæ participatur.

831 Tertia difficultas est de fructu medio, seu de sacrificio in ordine ad illos pro quibus ad libitum sacerdotis specialiter offertur, & dubitatur, an etiam in ordine ad illos pro quibus specialiter offertur sacrificium missæ sit extensiue infinitum secundum efficaciam, ita vt sine singulorum præiudicio oblatum pro pluribus tantum valeat pro singulis, quod nihil plus illi valeret, si pro eo solo esset oblatum. Hoc autem tripliciter contingere potest. Primo vt illi plures pro quibus offertur sint etiam offerentes specialiter, secundo vt tantum sint pro quibus offertur, sed sacrificium offeratur pro illis in genere, & in confuso conceptis; tertio vt offeratur pro illis distinctim nominatis, vel consideratis. Quidam igitur sine aliqua distinctione absolute respondent fructum medium esse in se indiuisibiliter determinatum, & ideo in pluribus diuidi cum sui diminutione, & per partes, & sic missam celebratam pro pluribus minus valere singulis, quam si pro ipso solo fuisset celebrata. Ita *Azor. p.1.l.10.cap.20.q.9. Sotus l.9.de iust. & iure q.2.a.2. concl.2. & 3. Nauar.cap.25.nu.11 t. Suarez disp.79. sec.12. §. Dico 2. Card.de Lugo disp.19.nu.246. Fagund.prac.1.l.3.cap.6.nu.* & quamplures alii, quos refert, & sequitur *Pasqualig. q. 123. & 125.* A quo tamen, & alijs eiusdem sententiæ pro eadem sententia citantur *D.T. Durand. Palud.* & alij plures, qui non loquuntur absolute, sed in casu in quo illi pro quibus offertur sacrificium non sunt simul offerentes, vt explicabitur.

Alij absolute etiam, & sine distinctione volunt, quod missæ sacrificium etiam quantum ad valorem medium sit extensiue infinitum, & ita quod missa dicta pro pluribus quantum ad valorem operis operati non minus valeat singulis, quam si pro illis fuisset celebrata. Ita enim senserunt *Palaus tr. 22.disp.vn.p.6.nu.11.* & seq. post *Vasquez disp.231. cap.3. Lezana v. missa num.* *Leander tract. 8.disp.2. q.10. & 11.* & alij plures quos ipse sequitur, & alij quos refert *Pasqualig.q.123. & 125.*

Tertia opinio distinguit, nam vbi illi pro quibus offertur sunt etiam offerentes, & tunc sacrificium etiam quantum ad fructum medium est extensiue infinitum, & quantum sit ad fructum operis operati missa dicta pro pluribus, offerentibus non minus valet singulis, quam si pro eis solis diceretur. Sed vbi pluribus respondet vnus solus offerens, iam fructus ex illius offerentis deuotione finitus, si diuidatur in plures in singulis illorum minuitur, & partitur.

832 Cum vero sacrificium missæ secundum se sit infiniti valoris possessio stat pro eius infinitate, vnde prima opinio habens contra se iuris diuini assistentiam, & veluti sacrificij possessionem, ex eo solo deficiet, quod suam intentionem non probet. Videamus igitur quanti ponderis eius rationes sint. Sed quia hic sunt duæ quæstiones coniunctæ, nimirum an virtus sacrificij quoad fructum medium sit infinita, & an missa dicta pro pluribus tantum valeat singulis quantum valeret dicta pro singulis seorsum, vtriusque quæst. motiua examinanda sunt.

833 Quod ergo fructus medius missæ non sit extensiue infinitus, probatur primo. Nam fructus medius est ita institutus à Christo, vt remaneat sub libera dispensatione sacerdotis, atque adeo vt possit illum applicare siue vni, siue pluribus; ergo non est infinitus extensiue. Probatur consequentia; quia si esset infinitus, nulla esset ratio cur non applicaretur omnibus, & sic esset fructus generalissimus, & non specialis. Tum secundo quia si sacerdos non applicaret omnibus, non celebraret secundum mensuram institutionis sacrificij: Tum tertio quia hic fructus totus est sub dispositione sacerdotis ex sua institutione, ergo dum applicat vni tantum totum applicat, & dum applicat pluribus applicat partem. Secundo arguitur ad idem: nam fructus medius intantum est medius, inquantum nulli est addictus ex institutione sacrificij ad differentiã fructus specialissimi, qui est addictus sacerdoti, & fructus generalissimi, qui est addictus Ecclesiæ, & proinde fructus medius nec est personalis sicut specialissimus, nec est vniuersalis sicut generalissimus; ergo non fundatur in eo, quod sacerdos possit applicare fructum pluribus, & pluribus in infinitum, aliter esset fructus vniuersalis, sed in eo, quod sacrificium producat certam portionem fructus relictam dispositioni liberæ sacerdotis, quæ & vni tantum, & pluribus dispensari possit, & propterea nec sit vniuersalis, nec particularis; ergo quando applicatur sacrificium quantum ad fructum medium non applicatur nisi ad producendum illam portionem, quam dicit fructus medius, quæ diuiditur in partes, quando sacrificium diuiditur. Sed huiusmodi ratio non probat quia procedit ex eo principio, quod fructus medius sit ex taxatione Christi finitus, seu ex parte missæ non vniuersalis, sed limitatus ad tantam quantitatem, quod illa opinio non probat, & neque probare potest, quia vt supra nu. 767. probatum fuit, hoc neque potest affirmari nisi Christo Domino, & sacrificio irrogando iniuriam, vt dici possit, quod nos parum à Deo sacrificando accipimus, quia ille noluit multum dare, etiam si nos dispositi essemus, vt multa recipere possemus, & quod de hoc sacrificio tantum habeat qui minus deuote, quantum qui deuotissime offert; quæ certe non conueniunt nec liberalitati Christi, nec dignitati Christi, nec iustæ distributioni fructus missæ, sed dicendum est limitationem ad non maiorem fructum semper ex nobis esse, & ex nostro defectu. Sic ergo ad primum ar-

gumentum respondetur explicando antecedens. Fructus enim medius est relictus determinationi sacerdotis non quantum ad quantitatem illius, sed quantum ad determinationem personarum. Quantum vero ad determinationem quantitatis primo determinatur à quantitate deuotionis offerentis, & postea etiam à deuotione eorum pro quibus offertur quatenus, & ipsi suo modo offerunt. Et sic explicato antecedente negatur consequentia. Et ad primam probationem respondetur adesse rationem, cur non applicetur omnibus, sed paucis, & vni, quia fructus iste vt respondens vni offerenti est finitus, & non diuidendus in pluribus, nisi cum diminutione in singulis, ideo siue hic offerens priuatus, & particularis sit ipse sacerdos, siue sit alius qui per sacerdotem offerat, si offerat pro multis minus lucratur pro singulis. Et ideo ad secundam consequentiæ probationem dicitur, quod imo sacerdos non celebraret secundum institutionem huius sacrificij, si sacrificium quatenus est ex priuati offerentis intentione applicaret omnibus, sed debet applicari ijs solis pro quibus intendit offerens, quia illis solis fructificat sacrificium, & minus fructificat singulis, si pluribus fructificat. Ad tertiam probationem dicitur, quod assumit falsum, scilicet quod hic fructus quantum ad quantitatem valoris sit sub determinatione libera sacerdotis. Etenim quantum ad determinandam personam cui sacramentum fructificet, necessaria quidem est intentio sacerdotis; sed sacrificium operans ex opere operato naturaliter tantum fructificat, quantum petit virtus eius, & dispositio nostra, independenter à sacerdotis intentione: & quia in satisfactionibus, vt docet *D.Th.3.p.q.79.num.5.* non attenditur sola res oblata, sed affectus offerentis, ideo oblatio missæ tantum fructificat quantum petit offerentis affectus, & deuotio & nihil interest, quod sacerdos offerenti totum, vel partem intendat applicare, quia neque hoc pendet ab eius voluntate, neque sacrificij valor habet ex sui parte totum, aut partes, sed est immensitas infinite participabilis, & solum ex parte offerentium, & eorum pro quibus offertur in partes diuisibilis iuxta supra explicata.

834 Ad secundũ respondetur, quod fructus medius nec est omnino personalis, nec generalis, quia ex sola Christi institutione non est addictus huic numero personę, ne omnibus simul, sed ex interiore sacerdotis ad personas determinatur. Sed essentia istius fructus medij in quo consistit? In hoc consistit, quod tam initiatiue quam terminatiue sit respondens deuotioni priuati offerentis. Et sic est fructus priuatus, & personalis, quia est à missa vt est priuata oblatio, nimirum vt est oblatio facta à persona priuata moraliter offerente per sacerdotem: Nam etiam vbi sacerdos ipse pro priuata persona celebrat, in hoc se habet vt priuatus offerens, quia ex institutione Christi sacrificium non est determinatum ad particulares personas. Et ita tunc sacerdos duplicem veluti personam gerit; nam gerit personam sacerdotis physice celebrantis, & in persona Christi offerentis sacrificium determinate pro hoc vel illo, & gerit personam priuatæ personæ offerentis veluti moraliter medio se ipso physice celebrante, quatenus ipse determinat primo pro quo velit sacrificium offerri, & vult quod ipsemet dum celebrabit in persona Christi determinet intentionem suam ad tales personas. Sic ergo hic fructus, vt determinatus ad has personas, & tantus est à missa vt est priuata oblatio huius vel illius moraliter offerentis pro hac, vel illis personis determinate. Sed & ex parte termini hic fructus est priuatus, quia respicit personas non sub ratione communi Ecclesiæ sed sub particulari, & priuata ratione, & sic hic fructus est personalis. Et sic ad primam consequentiam dicitur quod non fundatur hic fructus in eo, quod sacerdos possit illum applicare pluribus ac pluribus, quia licet possit pluribus applicari, tamen applicari debet iuxta offerentis determinationem illis pro quibus missa est celebranda; nec propterea erit fructus generalissimus, quia fructus generalissimus ideo est talis non præcise quia sit pro pluribus, imo pro omnibus, sed quia est à missa, vt est ab offerente generali, nimirum ab Ecclesia, & respicit plures primo, vt sunt membra Ecclesiæ, & pertinent ad illam. Sed fructus medius est ille qui correspondet priuato offerenti vt priuato, & ita quod si Petrus velit vt sacerdos celebret pro tota Ecclesia fructus missæ vt respondens Petro offerenti est medius, quia est respondens illi vt priuato offerenti, & sic etiam prouenit Ecclesię consideratę ex veluti vt priuatæ cuiusdam personæ, quia consideratæ, vt est obiectum priuatæ intentionis Petri. Ideo fructus medius siue proueniat vni, siue pluribus, siue omnibus nunquam est generalissimus, quia semper est priuatus, & respondens priuatæ personæ oblationi; semper tamen hic fructus dicit certam portionem, sed non determinatam independenter à deuotione offerentis priuati, & moraliter, sed iuxta dictæ deuotionis quantitatem limitatam, solum vero hæc certa portio applicatur illis pro quibus priuata persona offert. Sed cum hoc stat, quod plures priuatæ personæ possint eandem missam offerre pro diuersis, & sic quod etiam sacerdos possit pro diuersis ad intentionem plurium offerentium eandem missam celebrare, & quod missæ valor hoc modo sit infinitus extensiue: quoniam omnium Theologorum fere est sensus, quod vbi plures sunt offerentes valor missæ sit extensiue infinitus.

835 Inde est, quod & quantum ad secundam quæstionem præfatæ primæ opinionis rationes eam non probant. Nam primo se fundat in praxi Ecclesiæ ponderando, quod Ecclesia à sui initio cõsueuit celebrare missam pro particularibus personis, & quidem taliter, quod simul obligauit, & obligat sacerdotem ad tot sacrificia celebranda quot promisit, vt in decretis de celebratione missarũ. Circa quod aduertendũ, quod dum prohibet accipi plura stipendia pro vna missa, non hoc prohibet propter indecentiam plurium stipendiorum pro vno sacrificio, sed intendit, quod missæ respondeant intentioni dantium eleemosinam, ac proinde tot sint, quot petuntur, ne petentium intentio defraudetur, vt pote quia aliter petentes non recipiunt, quod intendunt accipere. Duo continet hæc ratio. Primum quod praxis *Ecclesiæ est offerre* pro priuatis, & particularibus *personis*. Secundum quod prohibet plura stipendia recipere pro eadem missa. Sed ex nullo istorum concluditur intentum. Ex primo hoc habetur, quod sacrificium missæ ex sui institutione habet vt offeratur, non solum pro Ecclesia vt tota, & pro fidelibus vt sunt partes Eccle-

Ecclesiæ, sed etiam pro singulis, vt singulis, & vt priuatis personis. Itaque oblatio pro pluribus potest immediate, & per se primo respicere illos primos vt sunt vnum in vno ad cuius vtilitatem per se primo oblatio habetur, & hæc oblatio minus illos iuuat, quoad omnia quia non iuuat directe nisi quoad communia. Et sic se habet fructus missæ generalissimus, qui primo respicit Ecclesiam, & fideles vt sunt partes Ecclesiæ, & nihilominus hic fructus ex maiori fidelium pluralitate non minuitur in singulis, sed vnusquisque iuxta suam deuotionem recipit. Et tamen ex hac oblatione non prouenit singulis plenitudo effectus, quod prouenit nedum ex finita deuotione Ecclesiæ vnde effectus illi correspondens est finitus, sed quia cum hæc oblatio ex intentione offerentis respiciat singulos vt sunt de Ecclesia, non attingit propria singulorum, vt ad inuicem distinguuntur, & vt singuli ex propria deuotione possunt esse, aut offerentes, aut illi pro quibus missa offeratur. Sed iam ex hoc constat, quod ratio praxis Ecclesiæ vt missa celebretur pro particularibus personis non est quia missa celebrata pro pluribus minus valeat singulis, quo illi plures fuerint, quia imo missa celebrata pro Ecclesia non minus valet singulis, ex eo quod multo plures sunt, qui sunt de Ecclesia, & vnusquisque eorum suam partem sibi sumit. Sed ratio est quia missa vt ab vno offerente oblata, & sub vna ratione, & ad vnum effectum, non dat plenitudinem effectuum, sicut dare potest, & nos indigemus. Et cum missa offertur nedum pro Ecclesia, sed etiam pro priuata persona, vt priuata est, tunc multiplicantur offerentes, & oblationes, quia etiam priuata persona vt talis offert, & non offert sola Ecclesia, & oblatio ad alium effectum ordinatur scilicet ad bonum priuatæ personæ vt priuatæ. Itaque igitur merito Ecclesiæ praxis habet, vt missa nedum celebretur pro Ecclesia, vel pro omnibus, sed pro singulis, vt singulis, vt sic ex plurium offerentium, & oblationum numero, & ex magis speciali applicatione missæ specialis fructus, & maior fidelibus proueniat. Vnde ex hac praxi confirmatur, quod vbi eadem missa offertur pro pluribus offerentibus, non minus valet singulis; quia ex quo Ecclesia communis, & priuata persona sunt plures offerentes, & per plures priuatas oblationes, ideo nec oblatio generalis, & fructus generalissimus impedit fructum specialem, nec econtra, & sic vbi sunt distincti offerentes vnus non impedit, sed iuuat alium potius, quia oblatio fit dignior.

836 Quod vero de stipendio additur pariter non probat, quod enim dicendæ sint missæ quot petuntur ex multiplici capite iustum est. Primo quia quot petuntur tot promittuntur, & promissum seruari debet. Secundo quia qui petit missam non vult disputare, sed vult securum esse, & cum dubium sit, an valor missæ sit infinitus, vult tot missas numero quot petit, & fraudatur eius intensio, si minor numerus missarum redditur. Tertio quia diminuto numero missarum minuitur Dei cultus; quod quidem est maxime considerandum. Quarto quia diminuto numero missarum minuitur fructus operis operantis ijs, pro quibus missa offertur. Quinto quia vt bene habet *Caiet. d. tr. q. 2.* minuitur etiam fructus operis operati, non obstante infinitate valoris missæ, quia non est tanta deuotio ad vnam missam, quanta ad duas, seu quantæ sunt duæ deuotiones offerentis etiam si vna earum valde magna fuerit. Ideo semper maiorem fructum ex opere operato causant duæ missæ, quam vna. Infinitum enim sincathegorematice, cum semper sit finitum in actu plus est multiplicatum quam non multiplicatum. Sic esto prior missa magnum valde fructum dederit, secunda addita non est sine fructu, qui additus priori maiorem illum facit. Quod amplius infra declaratur.

837 Inde est, quod nec illa opinio habet vnde se muniat ex decreto *Concil. Trid. sess. 25. cap. 4. de reformat.* dantis auctoritatem Episcopis, & Generalibus ordinum reducendi numerum maiorem missarum ad minorem ex causa iusta solum, & grauando conscientias reducentium, & volendo, quod voluntas testatorum seruetur quo plenius, & vtilius possit; nam est indubitatum, quod minor numerus missarum de facto minorem fructum refert etiam ex opere operato ei qui maiorem numerum postulauit. Et præterea quidquid coram Deo sit de valore missæ voluntas petentis tres missas defraudatur, si vna sola dicatur, seu voluntas duorum petentium missam defraudatur si pro ambobus vna sola celebretur. Et tria damna indubitate sequuntur, nam primo diminuitur Dei cultus, qui per vnum sacrificium colitur minus, quam per duo, cum per singulum finite colatur. Secundo ambo solum participant de vno fructu generalissimo qui respondet vni missæ, & de duobus participant, si duæ missæ celebrentur. Secundo fructus operis operantis nimirum orationum Ecclesiæ qui etiam est finitus quantum ad sufficientiam in pluribus minuitur singulis. Vnde tertio nunquam præsumi potest quod voluntas petentium duas missas sit contenta de vna; vnde est indubitatum, quod defraudatur, & non impletur si numerus maior missarum ad minorem reducitur, nisi existente iusta causa, ex qua præsumi debeat rationabilis consensus eorum qui numerum missarum fundarunt.

838 Quod vero addunt Christum potuisse instituere hoc sacrificium vel vt singulis tribueret indiuisibiliter totum suum effectum. Vel quod communicet tantum certam portionem diuidendam inter eos pro quibus offertur, & quod dicendum est sic instituisse ex praxi, & obseruantia totius Ecclesiæ cuius initij non est memoria. Quod inquam sic dicitur valde ostendit insufficientiam fundamenti dictæ opinionis. Nam hoc quod assumitur deficit multipliciter. Primo enim assumit, quod fructus missæ esset taxandus à Christo duplici modo per institutionem legis positiuæ, & quidem quæ non est connaturalis sacrificio missæ, cuius institutionis nulla est necessitas, & quæ nec est, nec fuit. Nam ex sua connaturalitate tam sacrificium missæ, quam passio Christi habent fructum de facto ex parte nostri finitum, & limitatum in actu. Et cum limitatio ista possit fieri vt sit talis actu tantum, & vt sit talis actu, & potentia, & sic fructus sit nedum finitus, sed maximus; hoc secundum non potuit fieri nisi per legem positiuam, & minime connaturalem, & conuenientem sacrificio, & minime conuenientem Christo institutori, & sacrificio instituto. Quia non conuenit liberalitati Christi, & dignitati sacrificij, quod propria causa propter quam fructus non sit maior sit sacrificij institutio, & Christi volun-

volnntas, Ideo secundo vterque ille modus limitandi fructum, qui adducitur minime conuenit dignitati Christi, & sacrificij. Non quidem primus; quia infinitati valoris sacrificij conuenit, quod totus eius effectus non recipiatur, cum tantus sit, vt semper possit esse maior ex parte sacrificij: & semper supponitur quod fructus sit ex parte Christi taxatus vt non sit maior, quod quidem dignitati Christi, & sacrificij non conuenit. Ideo multo magis inconuenit secundus modus taxationis qui importat, & taxationem ad non maius ex parte Christi, & quod fructus sic taxatus non nisi pro parte communicetur pluribus etiam offerentibus. Respondetur igitur fructum hunc non indiguisse taxati per legem positiuam non connaturalem institutioni, sed ex natura instituti sacrificij esse vt fructus eius sit finitus salua dignitate infinitæ liberalitatis Christi instituentis, & sacrificij instituti immensa dignitate, & ideo quod limitatio ad non maius sit non ex Christo, nec ex sacrificio, sed ex nobis, qui bonum infinitum finite offerimus, & ideo finite de oblatione nostra participamus, & hoc est praxi Ecclesiæ conforme.

839 Quod superaddunt, quia si Christus instituisset hoc sacrificium, vt æque valeret oblatum pro pluribus, ac pro vno solo, non commisisset libertati sacerdotis fructum medium vt illum applicaret cui voluerit, sed tanquam omnibus æque applicabilem ipse applicasset. Quod inquam sic dicitur, valet non parum ad magis manifestandum defectum veritatis contrariæ opinionis: sacerdotis enim libertati commissa est determinatio personæ cui fructificet sacramentum, non vero quantitas fructus. Sed cum sacrificium possit fructificare omnibus, cur pro omnibus non offertur? Quia hic fructus medius est fructus respondens priuatæ deuotioni priuatorum offerentium, & dispositioni, quatenus ergo hoc sacrificium fructificat ex communi deuotione Ecclesiæ, seu vt oblatum ab Ecclesia applicatio eius habetur determinate ex sacrificij institutione, sed quatenus fructificat vt oblatum à persona priuata, nec fructificat omnibus, sed illi priuatæ personæ, nec fructus iste participatur à pluribus totus, & integer sed si sacrificium à priuata persona offertur pro pluribus illi plures non participant nisi ex parte. Quia vero quod priuatæ personæ vt priuatæ offerunt est contingens, ideo relictum est libertati sacerdotis determinare personas non tam pro quibus offeret, quam quorum nomine, & ex quorum oblatione, & deuotione offerat.

840 Hinc apparet non valere, quod subdunt. Quia nimirum si ita valeret oblatum pro pluribus, ac pro vno tantum, ita quod huic nihil minueretur de fructu ex consortio aliorum, sequeretur quod nedum sacrificium posset, sed deberet applicari pro pluribus etiam cum quis data eleemosina petit offerri pro se ipso, quia aliter negaretur cœteris fidelibus viuis, & defunctis commodum, quod perciperent ex tali oblatione, atque adeo adesset contra charitatem. Nam hoc argumentum primo solui posset, quod cum sit nobis incertum quomodo hoc sacrificium fructificet ijs, pro quibus offertur, non debemus in hoc relinquere certum pro incerto, sed debemus offerre pro illis pro quibus petitur. Verum aliter soluitur argumentum, quod procedit in confuso, & non di[illegible]

Potest ergo [illegible] esse vt sacrificium valeat ijs pro quibus o[illegible]rtur independenter omnino à deuotione offerenti[illegible] priuati, & ex sola intentione illius, & sacerdotis, & sic quod mensura fructus missæ sit deuotio propria recipientium fructum. Quo sensu dato sequitur, quod si Petrus faciat celebrare missam pro centum mille, nullus illorum ex aliorum consortio minus recipiat, quia quilibet illorum plene recipit pro sua propria deuotione. Et contra hunc sensum vrgent argumenta, & præcipue illud, quod petitur ex praxi Ecclesiæ, quæ ab initio consueuit celebrare pro vno, & pro pluribus determinatis, & non pro omnibus. Sed al[illegible]s sensus est, quod quantitas fructus missæ determinetur ex deuotione priuatè offerentis. In quo sensu non est verum absolute, quod missa dicta pro pluribus æque valeat singulis, imo est falsum, nisi vbi illi pro quibus offertur, sint etiam offerentes. Et sic secundum hanc sententiam maxime currit praxis Ecclesiæ, non enim sacrificium fructum medium confert nisi vt est oblatum ex priuata deuotione huius vel illius offerentis, non quia deuotio sit principium fructificandi, sed quia est limitatio [illegible], & quia si sacrificium debet fructificari debet offerri, & quia sacrificium vere non fructificat immediate, & primo nisi offerenti; & licet missa fructificet alijs ab offerentibus quando pro illis ad intentionem offerentis dicitur, tamen fructus ille per prius est offerentis, & ex deuotione illius mensuram habet, & ab offerente veluti donatur ijs, pro quibus offertur. Et tunc limitatur fructus missæ, quia illi pro quibus offertur recipiunt fructum illum tanquam subrogati pro offerente, & iuxta mensuram illius, qui est primus pro quo offertur missa, vnde illi nomine illius recipiunt, & iuxta mensuram i[illegible]us deuotionis, Sic ergo missa non confer[illegible] f[illegible]um medium nisi vt est sacrificium oblatum ex priuata deuotione, & intentione priuati offerentis moraliter, n[illegible] dum non debet, sed nec potest applicari pro omnibus, sed pro illis pro quibus vel ipse vt priuatus offerens, vel alius offerens priuatus vult offerri. Quod est id, quod praxis Ecclesiæ seruat. Iterum offerens priuatum, si vult fructum medium ex integro participari, non debet illum applicare pluribus, quia cum iste ex eius deuotione sit finitus, & limitatus ad non maius tam actu, quam potentia, minuitur in singulis, si pluribus comm[illegible]icatur. Et ideo praxis Ecclesiæ seruat etiam, vt pro vno, & non pro pluribus celebretur. Sed vbi sunt plures offerentes priuati, licet tunc fructus operis operati ex consortio alterius non minuatur, tamen vere minuitur in pluribus fructus orationum quæ sacrificio sunt adiunctæ, & vbi plures offerentes petunt plura sacrificia [illegible] vnum tantum celebratur minuitur Dei cultus, & minuitur fructus generalissimus, qui in duabus missis esset duplex, & in vna missa est vnicus: & ex consequenti minuitur etiam fructus ipsis priuate offerentibus, qui volunt fructus generalissimi [illegible] participes, cum plurium esse possint, ideo optimo iure Ecclesia per suas leges statuit, vt tot missæ omnino celebrentur quot promittuntur, nec liceat ex priuata auctoritate numerum ma[illegible]m mi[illegible]arum ad minor[illegible]m [illegible]duc[illegible] & hic praxi[illegible] [illegible]clesiæ max[illegible]me conue[illegible]ie cum ea sententia, quæ [illegible] q[illegible] v[illegible] sunt plures offerentes fructus m[illegible] noo m[illegible] [illegible]t in vno ex c[illegible]

tin alterius, & nihilominus tamen duo vera sunt, nimirum, quod plus valent cuicumque duæ missæ, quam vna missa, Et quod absolute missa vna dicta pro pluribus non tantum valet singulis, quantum si pro vno solo diceretur, rationibus dictis.

841 Sic igitur examinatis rationibus primæ opinionis respondetur ad quæstionem ex *D. T.* 4. d.45. q.2.a.4.q.1. ibi. *Valor enim suffragiorum potest pensari ex duobus. Valent enim vno modo ex virtute charitatis, quæ facit omnia bona communia, & secundum hoc verum est, quod magis valent ei, qui magis charitate est plenus, quamuis pro eo specialiter non fiant: & sic valor suffragiorum attenditur magis secundum quandam consolationem, secundum quod vnus in charitate existens de bonis alterius delectatur post mortem quantum ad diminutionem pœnæ; post mortem enim non est locus acquirendi gratiam, vel augumentandi ad quod valent nobis in vita opera aliorum ex virtute charitatis. Alio modo suffragia valent, ex hoc quod per intentionem vnius alteri applicantur, & sic satisfactio vnius alteri computatur. Et hoc modo non est dubium, quod magis valent ei, pro quo fiunt, imo sic ei soli valent, satisfactio enim proprie ad pœnæ dimissionem ordinatur: vnde quantum ad dimissionem pœnæ præcipue valet suffragium ei pro quo fit.* Et eodem *art.quæst.2.* ait. *Si autem consideretur valor suffragiorum inquantum sunt satisfactiones quædam per intentionem facientis translata in mortuos, tunc magis valet sacrificium alicui, quod pro eo singulariter fit, quam quod pro eo communiter fit, & multis alijs. Sic enim effectus suffragij diuiditur ex diuina iustitia inter eos pro quibus suffragia fiunt.* Cum ergo in hac quæstione non sit nobis sermo de communicatione suffragiorum quam habent ex virtute charitatis, ex qua bona vnius sunt communia, vnde sequitur, quod animæ mortuorum quæ maiorem charitatem habent magis gaudeant de liberatione pœnæ aliarum animarum; sed sermo sit de communicatione quam suffragia habent ex applicatione suffragantis, & fructus missæ medius respondeat deuotioni & intensioni priuati offerentis.

842 Dicitur secundo quantum ad quantitatem extensionis, quod fructus medius ex ipsa natura sacrificij, seu connaturali eius institutione non valet nisi pro illo, pro quo missa offertur. Nam sacrificium non valet hoc modo ex vi applicationis illius, nisi ei pro quo applicatur, sed sacrificium missæ non applicatur nisi ei, pro quo offertur, igitur nec valet quantum ad fructum medium nisi ei, pro quo offertur. Et quia fructus medius respondet sacrificio non vt offertur nomine Ecclesiæ, nec vt immediate offertur à sacerdote vt offerente ex officio sic absolute, quia sic ei respondet fructus specialissimus, sed vt ipse ex priuata causa offert determinate pro hoc vel illo, vel ad intentionem huius vel illius offerentis, & sic vt quodammodo petit personam priuatam, & priuate offerentem; ideo fructus medius non valet nisi pro illis pro quibus particulariter offertur. Itaque fructus medius in hac parte est finite extensus, quia non extenditur nisi ad personas pro quibus sacrificium specialiter offertur, & in hoc puncto cum D. Th. loco citato DD. omnes conueniunt, & ex praxi Ecclesiæ, & communi sensu fidelium hoc est comprobatum.

843 Dicitur tertio, quod fructus medius secundum quod quantum ad determinationem, & limitationem suam tam in extensione, quam in intensione resoluitur vt in primam, & propriam causam in offerentem particularem, & priuatam, siue hic sit sacerdos, qui velit fructum medium applicare huic vel illi ex propria deuotione, charitate, vel particulari voluntate, siue sit alius qui medio sacerdote missam offerat fructum medium applicando, hic inquam fructus medius, vt respondet intentioni, & deuotioni vnius numero offerentis est vnus numero determinatus, finitus, & limitatus ad non maiorem, & ita vt ex consortio aliorum, seu pluralitate eorum ad quos applicatur diminuatur in singulis Deo per distributiuam iustitiam illum diuidente, & distribuente in illos, pro quibus missa offertur. Hoc est, quod expresse docet D.T. vbi supra. Idem expresse voluit Caiet. *d. opus.3, q.2. §. Caue tamen Syluest. v. missa. n.9.* & hoc idem est, quod voluerunt *Durand. 4.d.45.q.3. Palud. quæst. Cano l.12. de locis cit. cap.13. ad 10.* & alij antiqui quos DD. primæ sententiæ referunt pro eadem, & in hoc plures alij conueniunt. Neque potest negari, quia negari non potest, quod oblationis dignitas, & meritum, & valor, non sit mensurandus ex deuotione offerentis, sola enim dignitas rei oblatæ non dat oblationi dignitatem, sed affectua offerentis pensari debet, vt docet *D.T. 3.p.q.79.a.5.* Quoniam igitur in eo qui nunc tanquam priuata, & particularis persona offert deuotio est hæc vna numero limitata ad non maiorem, ideo de facto illi respondet hic numero fructus medius, nimirum vt *Caiet.* exemplificat, remissio pœnæ vnius anni, quæ si applicatur vni soli, liberatus manet à pœna pro dimidio anni,

844 Dicitur quarto, quod quando sunt plures numero offerentes, & facientes celebrare missam, licet sit vna missa, quæ celebratur, non tamen est vna oblatio, sed sunt plures, & ideo eius missæ non est vnus solus fructus medius, sed plures numero sunt, quorum quilibet ex consortio alterius in nullo minuitur, sed integer est tantus ac talis, quanta est offerentis sibi respondentis deuotio. Hoc est, quod voluerunt *Caiet. Syluest. & Cano*, & alij plures, & est de mente omnium illorum, qui dicunt missam extensiue esse valoris infiniti. Nec est contra D. T. loco citato vbi expresse loquitur in casu in quo suffragia *per intentionem vnius alteri applicantur*, non vero quando sunt multi offerentes, multæ applicationes, & oblationes, & res oblata est infinita. Ita etiam non est contra *Durandum*, & plures alios ex antiquis propter eandem rationem, & quia tam D.T. quam illi in alijs terminis loquuti sunt, an scilicet suffragia minus valeant singulis ex consortio aliorum pro quibus applicantur, quod verum est absolute, & simpliciter etiam si fructus medius sit in sensu huius conclusionis syncathegorematice infinitus, vt ostendam. Multi etiam ex DD. citatis pro prima sententia, vt *Suarez, Isambertus*, & alij tenent, quod vbi plures sint offerentes, vnus ex consortio aliorum non impeditur, quin integrum secundum proportionem fructum recipiat, qui sibi competit quatenus offerens est, fructus vero medius competit offerenti quatenus offerens est quia ex Christi institutione est, & connaturalitate sacrificij, vt pro priuatis necessitatibus ex

tibus ex deuotione priuata offerri possit, & ex consequenti, quod priuato offerenti si applicetur fructus medius, tantum de eo percipiat, quanta est eius deuotio, absque eo quod ex consortio aliorum impediatur. Sed assertionis prima pars probatur, ex qua remanet probanda secunda. Non est vero sensus primæ illius partis, quod dum plures offerunt idem missæ sacrificium sint plura missæ sacrificia, sed quod sunt veluti plures oblationes eiusdem sacrificij; nam certum est, quod oblationes internæ, seu actus interni in pluribus offerentibus, etiam ad extra sacerdoti significati quantum opus sit, quia offerentium quilibet sua voluntate petit sacrificium fieri ad sui intentionem. Inde est, quod respectu horum offerentium moraliter, qui dicuntur offerentes, quia petunt sacrificium offerri pro se vel suis, sacrificium ipsum non tam se habet vt actio illorum, quam vt res oblata per ipsos, Deo enim offerunt missæ sacrificium per sacerdotem celebratum, & sic sacrificium est actio sacerdotis celebrantis, sed est obiectum voluntatis eorum, qui petierunt sacrificium celebrari, & illud offerunt Deo; quamuis & ex hac ratione sequatur, quod sacrificium, & actio ipsa sacerdotis sit moraliter etiam actio offerentium, & sic cum maiori proprietate loquendi dicitur, quod sunt plures oblationes ex parte offerentium, quia sunt plures petitiones eiusdem sacrificij. Quo stante probatur secunda pars assertionis, quia ex parte rei oblatæ habetur infinitas de se sufficiens ad fructificandum pro omnibus sine præiudicio singulorum, alias vero oblatio vnius, & deuotio, non impedit alios, quia imo ex plurium consortio sacrificium fit Deo magis gratum, & acceptum, non est ergo vnde dicatur, quod fructus medius ex plurium offerentium concursu diminuatur in singulis offerentibus sed bene dicendum est, quod tunc fructus medius multiplicetur, & quod cuilibet offerentium suus fructus respondeat pro suæ deuotionis mensura.

845 Confirmatur quia distinctæ missæ non distinguuntur ex parte rei oblatæ, vel principalis offerentis, qui est Christus, distinguuntur vero indiuidualiter, quia distinguuntur numero species sub quibus Christus offertur, & distinguuntur oblationes offerentium illud, at vero quod missa iterata nouum fructum offerat à priori fructu distinctum, non est quia offeratur vel sub alijs speciebus, vel in alio tempore, aut circumstantijs, quia hoc stante si esset idem offerens, & vna numero interior offerentis oblatio, seu vnum internum sacrificium offerentis, vnus produceretur effectus, sicut vnam gratiam recipit qui communicat siue vnam, siue centum hostias recipiat. Sed nouus fructus producitur quia res oblata in infinitum fructifera tot fructus parit, quot sunt oblationes, & offerentes, quia ex natura sua offerenti fructificat; igitur etiam si sit idem sacrificium, si sunt plures offerentes sunt plures fructus quia multitudo offerentium nec æquiualet, sed multo minor est in capacitate recipiendi quam sit virtus fructificandi, quæ est in sacrificio; ex alia autem parte multitudo offerentiũ potius iuuat, & reddit integram, & totalem oblationem magis gratam, & acceptam; quantum igitur sit ex hac parte idem sacrificiũ non minus fructificat pluribus quantum ad quantitatem fructus medij, quã si essent plura numero sacrificia. Et hoc magis confirmatur, quia si possibile esset quod plures homines eandem numero hostiam reciperent, omnes fructum sacramenti pro eorum dispositione integre perciperent, & nullus ex alterius consortio minus reciperet cum igitur plures idem sacrificium offerunt, sacrificium quod ex sui conditione offerentibus fructificat, non minus fructificat vni ex aliorum consortio, sed singulis integre fructificat pro eorum captu. Et per hæc responsum est primæ quæstioni de infinitate fructus medij, & valoris infiniti sacrificij, quod licet non sit quantum ad fructum medium valoris infiniti extensiue in ordine ad illos, qui mere & pure sunt illi pro quibus missa celebratur, quia fructus ipse ad ipsos non peruenit nisi media deuotione offerentium, quæ est finita, & limitata, & ideo fructus qui ad illos peruenit ex vi deuotionis offerentis pro illis, in singulis ex aliorum consortio minuitur. Tamen valor infiniti respectu offerentium est sincathegorematice infinitus. Et tamen quia quod eis pro quibus offertur sacrificium aliquem etiam fructum, seu excessum fructus confert, vt supra nu. 796. explicatum est præter illum, qui eis confertur ratione quantitatis deuotionis offerentis; ideo respectu huius fructus, sacrificium etiam respectu eorum pro quibus offertur est valoris infiniti sincathegorematice. Remanet modo vt satisfiat secundæ difficultati, an scilicet missa dicta pro pluribus minus fructificet singulis, ex aliorum consortio.

846 Dicitur quarto, quod eidem plus valent duæ missæ, quam vna. Ita habet *Caiet. loco citato, in respons. ad 3.* Et ratio est quia licet spectata virtute sacrificij vna missa possit quantum sit ex se ipsa infinitum fructum producere, tamen de facto non ita fit, quia est finita deuotio offerentium, quæ quidem deuotio non est eadem respectu vnius missæ, & respectu plurium, quia respectu plurium multiplicantur deuotiones. Itaque infinitum sincathegorematice magis fructificat replicatum, quia semper fructificat aliquid, nec est inane cum iteratur, & sic non semel, sed toties fructificat, quoties repetitur; at vero euidens est, quod maior est numerus numeratus, quam vnitas, & maior est numerus maior, quam minor. Ideo petenti duas missas, nequit satisfieri dicendo vnam, quia etiam si esset valde magnus, & maximus fructus, quem ipse recipit ex priori missa, priuatur fructu, quem recipiet ex secunda ad quam si dicatur, concurret vt vere offerens, & ideo vt percipiens illius fructum pro sui deuotione. Nec potest dici quod totũ hunc fructum recipiet ex prima, quia tunc non recipiet fructum respondentem duobus missis pro deuotione quam habuit duas missas petendo, Nam prior missa non fructificat nisi pro deuotione sibi respondente; & eo magis, quod missa non fructificat pro deuotione, quam quis habet dum petit missam celebrari, sed quam vel formaliter vel virtualiter habet dum actu missa celebratur vnde si sit in peccato mortali dum petit missam, sit vero in gratia dum missa celebratur fructum missæ percipit, quo frustratur, si tunc sit in peccato mortali, licet esset in gratis, dum missam petije, vt supra dictum est num. 779. Quando igitur aliquis duas missas petijt, dum prima dicitur non recipit ex ea nisi fructum respondentem deuotioni, quam tunc habet ad vnam missam Et præterea si tunc recepisset

pisset fructum respondentem deuotioni mille missarum,si alia missa ab eo postulata celebretur,quia ad illam se habet vt offerens, nouum fructum ab ea recipiet, quo frustraretur, si missa pro eo non dicatur. Et sic vna missa quamuis det valde magnum fructum,non potest dare quantum duæ missæ quia nequit prior missa impedire,quod alia non det, vnde nec potest dare, quod dabit alia missa si dicatur, sicut nec vnitas potest dare, quod dat alia vnitas,& quod dat numerus numeratus maior vnitate. Imo quia potest esse, quod qui petijt duas missas tempore quo celebratur secunda sit multo magis dispositus,si hæc secunda missa non celebratur, multo maiori fructu priuatur. Ex quo enim missa vna non dat nisi finitum fructum, & repetita nouum fructum affert, quantumcumq; magnus fuerit prioris missæ fructus, non potest vna missa supplere fructum secundæ, nec potest fieri,quin maiorem fructum dent duæ missæ, quam vna.

847 Dicitur quinto, quod diuersis plus fructificant duæ missæ vna dicta pro vno,& alia pro alio quam vna missa dicta pro duobus. Hæc assertio primo vera est ratione fructus operis operantis, quia orationes Ecclesiæ adiunctæ sacrificio missæ plus valeat applicatæ vni,quam applicatæ duobus, cum illarum valor etiam quantum ad sufficientiam sit finitus. Secundo vera est quantum ad fructum generalissimum, qui vnius missæ vnus est, & ideo semel participatur ab vtroque pro quibus eadem missa celebratur; & duplex esset, & bis participaretur, si celebrarentur duæ missæ. Quantum etiam ad fructum medium potest contingere diuersitas magna, quia potest esse, quod aliquis ex eis in alio temporis puncto quo alia missa celebraretur, & deberet celebrari esset magis dispositus.Sed hoc est aliquid accidentale; quod etiam in oppositum contingere posset. Cæterum per se quantum ad fructum medium tantum valet vna missa dicta pro diuersis, si illi sunt offerentes, quantum si vna pro vno & alia pro alio dicerentur, quia tunc ex duabus missis nullus recipit nisi fructum vnius missæ, quem quilibet eorum recipit ex eadem missa, quia ex ea tantum recipit, quantum est recipiendi capax pro sua deuotione.

648 Dicitur sexto, quod eidem minus fructificat missa dicta pro se & alijs, ex petitione & oblatione eiusdem applicantis missam pro illis,quam si pro se solo diceretur. Nam quod missa fructificat ex vnius offerentis intentione, & deuotioni finitum est, & non potest in plures diuidi nisi diminuatur in singulis.

849 Dicitur vltimo, quod absolute loquendo missa eadem dicta pro pluribus minus fructificat singulis, quam si pro singulis tota seorsum fuisset dicta, seu minus fructificat singulis ex aliorum consortio. Hoc deducitur ex præcedentibus,& est sententia magis communis, & praxi Ecclesiæ, & decretis *Concil. Tridentini* magis conformis.

850 An vero vbi sacrificium offertur pro pluribus ad minus plus valeat illis pro quibus nominatim, & in specie refertur, quam illis qui in confuso concipiuntur? Respondetur quod quantum ad fructum, qui consequitur ex opere operato, nihil interest, quod multi pro quibus missa celebratur distincte vel confuse ab ipso sacerdote celebrante, vel ab eo qui facit celebrare concipiantur, quia fructus huiusmodi in sua intentione, & quantitate non pendet ab intentione offerentium, sed à deuotione, intentio vero, seu supplicatio determinat personas; ad hoc vero sufficit quod personæ concipiantur in genere, vel in toto, vel sub aliqua vnitate, Sed si loquamur de opere operantis, seu de orationibus missæ, *Pasqualigus* arbitratur quod magis valeant si multi concipiantur nominatim, vel in specie, & sic pro illis applicētur,quam si concipiantur in genere, & in confuso. Et hoc probat quia oratio specialis, plus valet, quam generalis. Et quia *Concil. Constant. sess.* 8. inter propositiones Vvicles, damnauit sequentem, scilicet. *Speciales orationes applicata vni personæ per Prælatos, & Religiosos non plus ei prosunt, quam generales*. Verum hæc determinatio Concilij non respicit hanc quæstionem in qua comparatur oratio generalis confusa orationi generali distinctæ, quia loquitur comparando generalem orationem ad specialem, in quo sensu loquitur etiam *Isambertus 3 p.qu.*83. *a.disput.7.a.9.* volens quod oratio generalis etiam distincta, & per quam plures pro quibus offertur nominatim cognoscuntur minus valeat singulis, quam si specialiter pro aliquo eorum offerretur. Sed comparando generalem orationem confusam ad distinctam,per se non magis valet illis pluribus vna, quam alia; quia fructus illius totalis orationis in singulos diuiditur vel æquis portionibus, vel secundum aliam mensuram iuxta intentionem orantis. Quod & euenit vbi oratio est pro pluribus in confuso. Et si dicatur, quod vbi oratio est pro pluribus nominatim, illa plurium nominatio est plures orationes, quarum singula vni tantum nominato valet. Respondetur,quod iam extra casum sumus, quia si singulæ illæ nominationes sunt orationes distinctæ, non comparamus amplius orationem communem ad communem, sed orationem communem ad particularem, vel particularem ad particularem,quia accipitur illa particularis nominatio vt est quædam oratio distincta ab alijs,& sic illa tantum pro nominato valet, & aliæ nominationes sunt aliæ orationes de quibus singulis vnus solus nominatus participat,nostra vestro controuersia,est de oratione communi, & dicimus quod non interest, quod intentio communis orandi pro pluribus sit confusa, vel distincta,quia de oratione communi quacumque minus quilibet percipit, quam si illa esset particularis pro illo solo; & quod de oratione communi quacumq; quilibet eorū pro quibus oratur participat, vel mediam, vel tertiam, vel quartam partem, &c. secundum determinationem orantis. Et intentio communis licet confusa æquiualet distinctis intentionibus. Et sic dicitur, quod non interest quod qui est celebraturus missam ante illam distincte intendat orare pro Petro, Paulo, & Francisco fratribus, vel quod in confuso proponat dicere missam pro fratribus, quia missa dicta, non minus illis prodest ea intentione hac confusa, quam ea intentione illa distincta. Et si dicatur, quod distincta commemoratio eorum pro quibus est orandum, iuuat ad augendum in orante deuotionem,& charitatem. Respondetur primo, quod hoc est per accidens, & quod aliunde potest esse,quod oratio ex intentione confusa proueniens sit magis deuota. Respondetur secundo, quod & hoc est loqui extra casum nostræ quæstionis; nam

aliud

aliud est quærere, an oratio pro pluribus proueniens ex intentione distincta sit maioris virtutis, quam sit illa, quæ est, ea oratiune confusa, aliud est an oratio quæ est ex intentione distincta, magis prosit singulis, quam orasio quæ est ex inteotiooe confusa. Hæc secunda est nostra quæstio, ad quam dicimus quod non interest ex quacumque intentione sit, nisi intentio ipsa sit inæqualis, & quod v. g. si sacerdos habeat viginti fratres, & recordetur in missa distincte duorum, vel trium v. g. Petri, Pauli, & Francisci aliorum vero recordetur in confuso, offerat vero pro omnibus æqualiter missam, missa etiam quatenus ad orationes noo magis valet pro tribus fratribus nominatis, quam pro alijs. In alio vero sensu, dicimus quod per Is missa vel oratio habita pro pluribus non est ea eo deuotior, quod sit pro pluribus distinctè quam confuse in genere conceptis, & quatenus ex accidenti sit deuotior, tunc comparatur oratio magis deuota, ad minus deuotam, & sic verum est quod ex missa deuotiori, aut deuotiori oratione communi, singuli pro quibus oratur magis participant, quia illa est maioris valoris, quod tamen de sic deuotiori missa, aut oratione non minus participant illi qui ex intentione confusa sunt de numero eorum, pro quibus oratur quam illi, qui ex intentione distincta. Alias vero semper pro singulis magis valeret pro illis oratio, si tota esset pro aliquo ex illis, quam si tota sit pro omnibus, quia in hoc casu solum partialiter per eam iuuantur.

SVMMARIVM.

1 *Missa est infinita sufficientia ad impetrandum. nu. 851.*

2 *Sententia dicentium missam habere vim infinitam extensiuam ad impetrandum. nu 852.*

3 *Et qualiter secundum hanc sententiã valeat missa ex intentione plurium in confuso. nu. 853.*

4 *Valor missa eodem modo est infinitus ad impetrandum, quo ad satisfaciendum. nu. 854.*

5 *Efficacia impetrandi limitatur ex fide operantis. num. 855.*

6 *Oratio communis non interest, quod sit ex intentione distincta vel confusa. nu. 856.*

7 *Oratio habita pro pluribus minus valet singulis. num. 857.*

8 *Vis impetrãdi nõ fundata in sola charitate. n. 857.*

9 *Charitas non eo magna quo extensa, quia omnis charitas est ex se ad omnes extensa. nu. 857.*

10 *Oratio habet vim impetrandi vni, & multis, sed non habet vim vt si sit pro multis tantum impetret singulis, ac si pro illis singulis tota esset. nu. 858.*

11 *Missa pro pluribus nominatim, ita aque valet ad impetrandum multis, & singulis quantum ad opus operantis. num. 859.*

12 *Efficacia impetrandi Ecclesia est finita. nu. 860.*

13 *Maior est efficacia Ecclesia ad impetrandum, quam iusti particularis. nu. 862.*

14 *Crescit efficacia impetrandi ex parte sperantis ex multiplici oratione, assistentibus, cooperantibus, &c. num. 863.*

851 QVæritur tertio. Qualiter quantum ad vim impetrandi valor missæ sit infinitus incathegorematice, & si vna missa dicta pro pluribus æque sit impetratoria pro singulis, ac si pro singulis seorsim diceretur? Præsupponendum est, quod impetratio innititur diuinæ misericordiæ, & gratiæ, vnde non semper missa impetrat, sed cum Deus ex sua misericordia vult concedere, quod petitur, seu cum est voluntatis suæ, vt fit id, quod petitur. Cæterum si loquamur de valore missæ ad impetrandum quantum ad sufficientiam, dicitur qood hic valor est infinitus simpliciter, & in actu, & talis quod sufficeret ad impetrandum infinitum effectum in actu, si ille esset possibilis, vt satis supra probatum fuit. Loquendo vero de efficacia, hæc semper est finita in actu, quia infinitum in actu non est possibile. Stante vero quod fructus semper sit necessario finitus in actu, quod tamen sit hic numero ex pluribus dependet. Nam triplex in eo determinatio inuenitur, nimirum determinatio ad speciem gratiæ, ad personam cui gratia est impetranda, & ad gradum intensionis, & magnitudinis gratiæ eiusdem. Prima, & secunda determinatio est ab intentione offerentis, secunda est ab eius deuotione, & fide. His stantibus.

852 Difficultas prima est, an sacrificium missæ habeat efficaciam extensiue infinitam ad impetrandum. *Pasqualig. qu. 526.* existimat, quod si loquamur de orationibus missæ illæ non habeant hanc efficaciam, quia secundum hanc rationem habent valorem suum ex dignitate, & meritis Ecclesiæ. Sed si loquamur de sacrificio missæ secundum suam substantiam, quatenus scilicet dicit oblationem prouenientem a Christo, vt à principali offerente habet talem vim ad impetrandum, vt cæteris paribus æque impetret pro pluribus, ac pro vno tantum, & propterea non minuatur effectus ex eo, quod pro pluribus, ac pluribus ordinatur ad impetrandum. Addit vero hanc vim, & efficaciam impetrandi ordinatam ad quæcumque beneficia, & ad quemcumque numerum personarum, non solum esse talem in actu primo, & signato, sed etiam in actu secundo, & exercito, ita vt pro quocumque numero offertur sacrificium exerceat pro omnibus suam efficaciam impetratiuam. Ratio autem huius est. Quia vis impetrationis non consistit in aliquo, quod producatur à sacrificio, seu in aliquo distincto à sacrificio, sed in excellentia, & æstimabilitate substantiali ipsius, quatenus apta est obiectiuo modo mouere Deum ad concedendum, quod petitur, quæ coniuncta cum oratione illam informat, & illi communicat propriam vim ad mouendum Deum, vt concedat, quod petitur; ergo indiuisibiliter potest applicari ad impetrandum pro pluribus in infinitum; ergo æque impetrabit pro omnibus, ac si pro vno tantum applicaretur ad impetrandũ. Probatur prima consequẽtia, quia cum sacrificium moueat ratione suæ dignitatis intrinsecæ, quæ est indiuisibilis, non poterat applicari ad impetrandum nisi indiuisibiliter, ita vt totum applicetur respectu vniuscuiusque: secunda consequentia probatur, quia dum sacrificium indiuisibiliter applicatur vnicuique eandem efficaciam tam habet respectu vnius, quam respectu alterius, & ex consequenti non minuetur ex eo, quod applicetur pluribus. Secundo idem probatur, quia vis impetratiua sacrificij non est determinata ad beneficia, vel personas vnde non habet determinatum effectum, seu terminum; ergo ordinari

potest

potest ad plura ac plura pluribus ac pluribus inferenda io infinitum, non cuim recipit determinationem, nisi ab offerente, ergo tam efficax erit pro omnibus, ac si pro singulis ordinaretur. Quia ex eo, quod applicatur pro vno ono perdit efficaciam, vt applicetur pro alio.

853 Hac vero sententia supposita lo q.127. addit. quod si loqnamur de sacrificio Missæ secundum se præscindendo ab oratione est æque imperatorium, si offeratur pro multis, siue in communi, sine nominatim & distinctè pro singulis, ac si offeretur pro vno rantum. Nam efficacia impetrandi consistit in proportione motiui ad concedendum, quod petitur, huiusmodi vero proportio eadem est siue in confoso, siue nominatim pro aliquibus petatur. Et oblatio facta pro pluribus siue in confuso siue nominatim, habet virtualiter vim plurium oblatioonm, sed motiunm ad impetrandum est idem. Sed si loqnamur de orationibus Missæ, ioquit plus prodesse oblationem distinctam, quam confusam. Ratio est, quia in nominatione distincta multiplicantur petitiones, & orationes, & sic importar plura motiua, quæ coniuncta cum motiuo sacrificij plus mooent Deum ad concedendum, qnod petitur. Et confirmatur, qnia sacrificium oblatum pro vno cum speciali petitione impetrat tum ratione suæ æstimabilitatis, tum ratione illiua petitionis; ergo æque impetrat quando pro pluribns offertur cum speciali oratione illis corrispondente, quia sacrificium indiuisibiliter explicatur ad impetrandum pro singulis, & singulis correspondet oratio specialis, sicut correspoodet vni, quando pro vno tantum offertur.

854 Verum huiusmodi opinio satis confundit sufficientiam sacrificij ad impetrandum cum efficacia, nec satis fundate distinguit iu sacrificio Missæ inter vim satisfactiuam, & vim impetratiuam, sed consequenter loquendo si ponitur quod vis satisfactiua non sit extrinsicæ infinita, sicut posuit idem *Pasqual. qu.*125. ita & debet poni finita ad imperrandum. Ratio est, quia si spectamus sufficientiam Sacramenti infinita est io actu ad vtrúque effectum, quia spectata dignitate Christi, qui in hoc Sacramento est simul saceidos & victima, dignitas einsdem sactificij & valor est infinitus. Sed efficacia finita est, nedum quia infinitum in actu oon est dabile, vnde non est dabile infinitus effectus huius sacrificij, sed quia Christus in hoc sacrificio non agit præcise ratione suæ dignitatia, & valoris, quem habet ex se ipso, sed ratione sui valoris, vt modificati, & limitati per dispolitionem offerentis. Semper enim verum est quod habetur *Ex Diu. Tom.3.part.quæst.79.art.5.* quod in oblationibns attenditur affectus offerentis, & quod oblatio secundum affectus proportionem est magis vel minus digna & efficax. Nam alias si hoc sacramentū ageiet præcise ratione dignitatis Christi secundum se, certe vna missa liberaret omnes animas de Purgatorio, & satisfaceret pro omnibos hominibus. & omni pæoa pio illis debita, quia omois iste effectus est infimus, & modicus respectu valoris qui competit sacrifitio ex vi dignitaris Christi, qui in eo est sacerdos, & victima. Sed sicue iu satisfactione valoris buius efficacia determinara est, quia valoris efficacia limitatur per dispositionem offerentis sacrificium, ita & hoc fit in ordine ad impetrandum cum hoc discrimine, quod ad satisfaciendum necesse est, quod offerentis deuotio sit, formata gratia, & charitate; Peccator enim offerens sacicos celebrare missam, non obtinet satisfactionem pro se vel alio si dum offertur sacrificium est in peccato mortali, vt supra dictum est. Sed ad impetrandū sufficit, quod deuotio sit formata fide, vt etiam n. 809. explicatum est supra. Eadem igitur est in hoc ratio de missa vt est satisfactoria, & vt est impetratoria, & eodem modo est vel intensiue, vel extensiue sincathegorematice iosinita, & vt dixit Caiet. *tom. 2. tract. 3. opusc. q. 2. ad primum*, effectus missæ est finitus cuilibet secundum suam fidem quo ad impertationem, & secundum suam deuotionem quoad satisfactionem propterea vtrumque dicitur in canone. *Quorum tibi fide cognita est, & nota deuotio.* Vndè est quod sacrificium missæ etiam qnantum ad vim impetrandi prout ab vnius offerentis deuotione pendet est finitum. & non æqne prodest singulis si pro pluribus offertur ac si pro ipsis tantum offeretur; sed inquantū pendet à deuotione seu fide plurium offerentium est sincathegorematice infinitum, nec ei, pro quo offertur ab voo minus fauet, ex aliorum consortio.

855 Ad ea vero quæ in contrarium adducuntur dicitur qnod confunditur sufficientia sacrificij cum efficacia, & quod efficacia impetratiua non respicit nudam virtutem causæ, sed efficacia causæ io agendo, vt distinguitur à sufficientia cõnotat multa ex quibus sufficientia coarctatur, & ideo efficacia limitatur, vt non æquiualeat sufficientiæ. Et sicut io Sacramentis efficacia connotat dispositionem recipientium, vnde in Sacramētis sufficientia passionis Christi non est efficax nisi iuxta dispositionem recipientium, ita, & in sacrificio missæ sufficientia eiusdem passionis, seu Christi qui in sacrificiò est sacerdos. & victima non est efficax nisi secundum dispositionem offerentium. ideo sufficientia sacrificij non potest efficaciter indiuisibiliter applicari, cum deuotio offerentium sit diuisibilis, & finita, atque propterea si ab vno offerente applicatur missa ad impetranda plura beneficia, minus valet ad impetranda singula, quam si pro singulis esset oblata, & si applicatur ad impetrandum pluribus minus valet ad impetrandum singulis ex consortio aliorum. Et si dicatur, quod hoc sacrificium est impetratoriū etiam, vt est à Christo principali offerente, & tamen, vt sic non est satisfactorium. Respondetur quod hoc oon facit ad nostram quæstioaem in qua considerari debet missa, vt est à priuato offerente; sic enim de ea loquimur, & hoc modo non habet maiorem infinitatem ad impetrandum, quam ad satisfaciendum sed eodem modo est innita vel finita.

856 Quantū vero ad aliam difficultatē iuxta supradicta dicitur quod vbi oratio sit cōmunis salua sua communitate non interest, quod sit ex plurium confusa, aut distincta applicatione aut intentione, Nec quæ adducuntur in oppositum probant. Nam, & confusa intentio est plures intentiones virtualiter, & communis oratio est plures orationes, & efficacia orationis non est ex intentione

vel applicationem quantum ad valorem, & quantitatem, ſed ex deuotione orantis, quæ ſi eadem ſit, & æqualis in orante pro pluribus ex intentione confuſa non minus illis prodeſt, quam ſi eſſet ex intentione diſtincta, ſi vero qui ex diſtincta intentione orat pro pluribus habet vere plures orationes; Tunc ſumus extra caſum, & quælibet illarum orationum ſolum valet pro illo, pro quo habetur.

857 Difficultas ſecunda eſt de miſſa ex parte operantis: Nam idem *Paſqual. quæſt.* 128. exiſtimat, quod ſacrificium miſſæ ex opere operantis ſit æque efficax ad impetrandum pro vno, quam pro multis. Quod probat *p. ex d. Tom. 4. d. 45. quæſt. 2. art. 4. q. 2. ad 2. & Adrian. Nauar. Tabirn. & alijs.* Tú ſecundo quia orare pro alijs includit exercitium charitatis, ergo creſcit valor proportionaliter ad numerum illorum, pro quibus offertur, quantum eſt ex parte operantis, ergo æque erit efficax ex opere operantis ſiue pro multis, ſiue pro vno tantum offeratur. Verum nec *D. T. loca citata* habet aliquid, quod faueat huic opinioni, nec ratio allata ipſam Suadet. *D. T.* enim *in ea reſponſ. ad* 2. agit de communicatione ſuffragiorum ſecundum, quod habita ſpecialiter pro vno proſunt etiam alijs, pro quibus ſpecialiter non oratur, & ait, *quod quia ſuffragia pro vno facta aliquo modo etiam alijs proſunt, &c. ideo cum pro vno miſſa dicitur, non eſt inconueniens, vt pro alijs etiam orationes fiant.* Sed de præſenti difficultate nihil habet, quæ eſt an ſuffragium ſpecialiter habitum pro multis, æque valeat ſingulis ac ſi pro illis eſſet ſpecialiter oblatum. Ratio autem allata intentum non probat, tum primo quia cum oratio ſit eſſentialiter actus virtutis religionis valor illius proprie, & velut ex cauſa propria non debet menſurari ſecundum menſuram perfectionis charitatis ſimpliciter, ſed ſecundum menſuram deuotionis, & perfectionis orationis, ideoque, & ſecundum menſuram fidei, & charitatis ſecundum quam imperando ſunt forma actus orationis: tum ſecundo quia vis impetratiua cum conueniat etiã orationi peccatoris ideo nõ fundatur in ſola charitate, ſine qua eſt peccator. Ideo orationes peccatoris non poſſunt habere hanc efficaciam ex charitate. Tum tertio quia aliud eſt loqui de extenſione charitatis, & aliud eſt loqui de illius intenſione, & perfectione. Nam valor, & efficacia charitatis in impetrando non eſt ex eius extenſione, cum charitas quælibet quantumuis remiſſa, ad omnes ſe extendat. Et ſi vis, & efficacia impetrandi fundaretur in charitatis extenſione, non daretur latitudo, & inæqualitas inter orantes, ſed haberet eandem vim, & efficaciam impetrandi oratio ſanctiſſimi viri, ac oratio illius, qui remiſſiſſimam charitatem haberet, quia iſte ex hac charitate orare poteſt pro multis, & pro omnibus, quia imò de ſua natura charitas ad omnes ſe extendit, ſed vis impetrandi maior, vel minor fundatur in perfectione intenſiua charitatis, quatenus eſt principium, & radix inferens maiorem deuotionem in oratione ex quo eſt, vt oratio ipſa ſit dignior, & melior, & perfectior nedum ſubiectiue, quia eſt ſubiecti magis digni, ſed formaliter quia ipſa eſt in ſe dignior. Et quatenus dicatur, quod etiam dignitas ſubiecti dignificat magis actiones illius, & ſic dato etiam, quod maior gratia, & charitas non inferret in oratione maiorem deuotionem, & perfectionem in ratione orationis, tamen oratio eius, qui haberet maiorem gratiam, & charitatem eſſet dignior, & gratior, & ad impetrandum efficacior. Hoc dato ſemper eſt verum, quod impetrandi efficacia non fundatur in charitate, vt extenſa, ſed vt intenſa, & vt eſt maioris perfectionis, quia alias quælibet charitas minima extenditur ad omnes, quia ex præcepto charitatis tenemur omnes diligere; ſed additur, quod maior gratia, & charitas ſemper infert maiorem deuotionem in oratione, quia cauſa virtuoſior producit perfectiorem effectum. Et amplius dicitur, quod virtus ex aliorum conſortio creſcit in dignitate, & ſic dignior eſt virtus religionis in eo, qui eſt magis iuſtus, & magis fortis. Vnde conſortium, & exceſſus aliarum virtutum valet ad augendam vim impetratiuam mediate, & quatenus dignitatem deuotionis auget, & ſic dignitas ſubiecti ex eo auget vim impetrandi per ſacrificium inquantum auget dignitatem, & deuotionem offerentis, cui deuotioni ex propria ratione conuenit, vt ſit menſura quantitatis fructus ex miſſa obtinendi falſum; igitur eſt quod vis, & efficacia impetrandi creſcat proportionabiliter, quo magis charitas ad plures ſe extendit actu, vt impetret orationem plurium; quia charitas non eo eſt perfectior, & efficacior quo actu eſt extenſior, ſed quo actu eſt intenſior, & dignior. Vnde bene ſtat, quod oratio fuſa pro vno ſit efficacior, & ſit perfectior, quam ſi ſit fuſa pro pluribus.

858 Et ſi dicatur, quod vbi oratio eſt pro pluribus habet efficaciam impetrandi pluribus, & dum oratur pro vno, illa oratio habet efficaciam impetrandi pro vno tantum, quia pro vno tantum habetur. Et præterea oratio fuſa pro pluribus æquiualet pluribus orationibus fuſis ſpecialiter pro ſingulis illorum, igitur habet virtutẽ, vt æque omnibus impetret ac ſi pro illis funderetur. Reſpondetur quod obiectio vim difficultatis fugit. Vel enim loquimur de vi impetrandi pluribus mere extenſiua, ad perſonas vel loquimur de vi impetrandi extenſiua ad beneficia plura, & intenſiua ad beneficia obtinenda in maiori quantitate, & intenſiua in ratione efficaciæ, & dignitatis, quæ ſit maior in virtute, & efficacia impetrandi etiam reſpectu eiuſdem perſonæ vel beneficii, ſi loquamur de virtute ad perſonas extenſiua mere, & pure, idem eſt quærere an oratio ſit æque impetratoria multis, & vni, & quærere an oratio poſſit fieri pro pluribus, quod eſt indubitatum; Nam ſi poteſt eſſe, & pro vno, & pro pluribus, poteſt extendi ad vnum, & ad plures, & æque poteſt vis impetratiua extendi ad vnum, & ad plures, ideſt eadem virtute, quia hæc virtus omni orationi conuenit, nam, & oratio fuſa pro vno quantum ſit ex vi orationis potuiſſet extendi ad omnes. Et quod magis eſt, hæc virtus conuenit etiam orationi peccatoris, vt non habeat limites extenſionis ad perſonas in vi impetratiua, ſed ſicut quilibet poteſt pro omnibus orare, ita poteſt pro omnibus impetrare, & ita æqualitas in extenſione ad perſonas ſeruatur. Non quia in oratione fuſa pro pluribus creſcat vis impetratiua proportionaliter, ſed quia vis impetratiua in extẽſione ſiu cathegorematice infinita conuenit orationi,

tione, vt oratio est, & ideo quantum sit ex parte orationis hanc extensiuam vim habet. Verum si loquamur de maiori vi intensiua, siue extensiua ad plura, vel maiora beneficia, hæc ex quantitate deuotionis, & fidei, & charitatis, seu etiam ex maiori gratia desumitur; & ideo oratio facta pro vno ex maiori deuotione est efficacior in impetrãdo, quam fusa pro decem. Nam oratio ex eadem deuotione facta pro sanitate decem, non est tantæ efficaciæ pro impetranda sanitate cuilibet illorum, quam si pro vno tantum esset fusa: quia sanitas pro decem est quid intensiue maius, quam sanitas vnius; & illud intensiue maius non habet eandem, sed minorem proportionem ad deuotionem, vt vnum, quam habet sanitas vnius. Pariter sanitas, & remissio peccatorum simul est quid longe maius, quam sit sanitas tantum, & ad impetrandam sanitatem, & remissionem peccatorum simul minus efficax est oratio minoris iusti quam maioris. Item gratia, vt centum, maius beneficium est, quã gratia vt decem, ideo ad eam impetrandam non habet eandem efficaciam oratio deuota, vt decem, & oratio deuota, vt centum: pariter eadem numero sanitas Petri minorem proportionem habet ad orationem deuotam, vt decem, quam deuotam, vt centum, & ad eam impetrandam maiorem vim habet deuotio, vt centum, quam deuotio vt decem. Sic ergo vis, & efficacia impetrandi intensiua ex intentione deuotionis, & gratiæ, & charitatis mensuratur. Ideo cęteris paribus, & supposita eadem deuotione oratio minus efficax est fusa pro pluribus, quam pro vno, quia beneficium pluribus concessum est maius, & eadem deuotio non habet eandem vim ad impetrandum maius beneficium, & minus.

859 Hinc etiam est, quod si missæ sacrificium offeratur pro pluribus nominatim, & distincta petitione pro singulis independenter à dignitate, & æstimabilitate, quam recipit opus offerentis à charitate non æquè pluribus proderit, ac vni illorum cuius contrarium, vult *Pasqual. d. quæst.* 128. *nu.* 5. Nec valet dicere quod petitio illa dignificatur à sacrificio, & cum sit multiplex, quælibet ex sacrificio sortitur suam dignitatem, atque adeo singulæ ex opere operantis sunt impetratoriæ eodem modo, ac si pro vno tanto sacrificium offerretur. Quia quantum ad vim impetrandi intensiuam tam sacrificium, quam oratio habet de facto finitam efficaciam impetrandi ex finita deuotione seu dispositione offerentis, & quæ finita vis non habet eandem proportionem ad beneficium plurium, & vnius, quia illud est maius, sicut nec respectu eiusdem vel ad beneficia plura, vel ad beneficium intensius, & ideo iuxta dispositionem orantis est maior, vel minor efficacia orationis respectu eiusdem orationis, neque ad hoc interest, quod applicatio orationis fiat per actus plures realiter, vel plures virtualiter, quia integra quantitas orationis, & deuotionis illius est ex qua hæc numero efficacia numerari debet, quæ necessario est minor respectu singulorum ex aliorum consortio, quia maius est multiplicare integra beneficia, quam vni soli beneficium concedere.

860 Difficultas tertia est, quæ sit efficacia Ecclesiæ ad impetrandum prout offertur nomine Ecclesiæ? Idem *Pasqual. quæst.* 129. existimat efficaciam sacrificij missæ fundatam in oblatione Ecclesiæ esse finitam, & proinde minui eo magis, quo ad plures extenditur. Ratio est, quia ex parte Ecclesiæ non adest fundamentum alicuius infinitatis, quia dignitas Ecclesiæ est finita. Et si dicatur, quod, vt ipse docuit *quæst.* 128. Sacrificium ex opere operantis est æque efficax ad impetrandum pro multis ac pro vno, respondet, & negat consequentiam, quia cum Ecclesia sit persona ficta, ex parte eius non interuenit actus charitatis, qui auget valorem oblationis eam magis dignificando, quo ad plures extenditur. Sed bene quidem dicitur, quod dignitas Ecclesiæ est finita, & quod ex consequenti efficacia impetrandi, quæ est ab Ecclesia est finita, etiam quantum ad sufficientiam, & ideo eius efficacia minuitur in singulis ex consortio aliorum per se loquendo, & cęteris paribus. Sed non bene dicitur quod in hoc sit diuersa ratio operis operantis particularis offerentis, & operis operantis Ecclesiæ, quia nec verum est quod ex parte Ecclesiæ non interueniat actus charitatis, & quod dicitur, quod Ecclesia est persona ficta, minus bene ostenditur. Nam Ecclesia cum sit congregatio fidelium est vere plures personæ habentes actus charitatis, & non est ficta in ratione personæ sed in ratione vnius personæ, quia non est vna sed plures. Vnde ex hoc etiam superat actum operantis particularis, qui est vnus, & vnum actum charitatis habet, cum Ecclesia tot personas charitate operantes habeat, quot sunt iusti in vinculo charitatis simul vniti, & sub quorum nomine, & intuitu sacrificium missæ offertur. Præterea vero, vt dictum est, efficacia impetrandi non fundatur in perfectione charitatis, vt extensiua, & in hoc omnis charitas quantum sit ex se ipsa est æqualis, cum minima charitas extensionis infinitæ sit sincathegorematice stando intra limites minimæ charitatis; sed vis, & efficacia ad maius intensiue seu ad extensionem simul intensiue maiorem fundatur in intensiua perfectione gratiæ, charitatis, fidei, & deuotionis, quæ tamen adhuc longe maior est in Ecclesia, quam in quolibet iusto particulari; quamuis etiam ad impetrandum non sit necessaria charitas, sed sufficiat deuota fides. Vnde est quod imo multo maior est efficacia impetrandi, quæ est in Ecclesia, quam quæ est in quolibet iusto, licet vtrobique sit finita.

861 Quamuis vero hæc vis impetrandi in opere operantis sit finita, vbi tamen plures orationes fiunt multiplicatur impetrandi efficacia, & sic multiplicatis collectis in missa, multiplicatur opus operantis, & augetur vis impetratoria, sicut & augetur ratione rituum, qui ordinantur in Dei cultum, sicut, & missæ celebratæ, in honorem sanctorũ, quandam maiorem vim habent, & etiam missa cantata cum diacono, & alijs ministris, ex omnibus enim ex quibus augatur dignitas, & religio sacrificij augetur ex parte operantis efficacia impetrandi, quæ tamen vt respondet vni operanti est finita, & minuitur in singulis ex consortio aliorum.

SVMMARIVM.

1 *Ordo doctrina.* num.864.
2 *Decretum de celebratione missarum*, num.864.

INSPECTIONIS SEXTAE.

CAP. QVINTVM.

De obligatione Sacerdotis, qui recipit stipendium pro missa dicenda.

862 QVantum opus est explicata dignitate, & valore sacrificij missæ ad intentum huius sextæ inspectionis accedendo, quoniã sæpius mentio habenda erit de decreto, quod de celebratione missarum edidit Sacra Congregatio Concilij, & fuit confirmatum à fel. record. Vrbano VIII. ideo eius tenor de verbo ad verbum inserendus fuit, & est infrascriptus.

863 CVm sæpè contingat, In quibusdam Ecclesijs tàm magnum Missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, vt illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, & tamen noua onera Missarũ in dies suscipiantur: indeq fiat, vt depereant piæ testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ suffragijs priuentur, Ecclesijs debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles graui scandalo affecti, plerunq. à similibus charitatis operibus retrahantur. Cumq. his malis maximum inter cetera fomentum præbeat, aut quod ij, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas breui ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri, aut quod Ecclesijs, forte pecuniarum absumpta, plerunq. nuda remaneant onera Missarum absq. vllo emolumento; aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeò tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint huic se muneri subijcere, & redditus Ecclesiæ, aut Monasterij adeo exigui, vt Sacerdotes pro necessaria sua sustentatione nouis se oneribus obstringere compellantur. SACRA CONGREGATIO CARDIN. CONCILII TRID. INTERPRETVM animaduertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatiq. ac Iustitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimũ abusum è Christiana Republica conuellere, atq. eradicare; Sanctissimi D. N. VRBANI Diuina Prouidentia PP. VIII. authoritate sibi specialiter attributa, infrascripta decreta edidit.

Ac primò districtè prohibet, atq. Interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur; quæ re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atq. inanes decernit.

Deinde vbi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis celebrandis plura stipendia, quantumcunq; incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Monasterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis pijs quibuscunq. tàm secularibus, quàm regularibus, SACRA CONGREGATIO sub obtestatione Diuini Iudicij mandat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; itaut alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id verò, vt deinceps obseruetur exactius, SACRA CONGREGATIO eadem authoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibusuis personis, Ecclesijs, ac locis pijs tàm secularibus, quàm regularibus, cuiuscunque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcunq. ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel Anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Prætereà, ne in Ecclesijs, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, vt par est, adimplendis eò tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera huiusmodi cum nulla, aut parua sint vtilitate coniuncta; statuit atq. decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasterijs, Conuentibus, ac locis omnibus tã secularibus, quàm regularibus, atq. illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet (sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda) à die realis acquisitionis statim deponi debeãt penès ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur; ac si eadẽ bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contingerit, eorundem pretium sub eadem pęna, vt supra, deponi, atq. in alijs bonis stabilibus itidem fructiferis cum eisdem oneris repetitione, atq. annexione conuerti debeat.

Ad hæc SACRA CONGREGATIO quibusuis Capitulis Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tàm secularium, quàm regularium Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, districtè

striĉtè prohibet, ne inposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum: seculares quidē sine Episcopi, vel eius generalis Vicarij, Regulares verò sine Generalis, vel Prouincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda; alioquin sæcularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ absque alia declaratione incurrat; eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro missis celebrandis, ita demum ijdem accipere possint, si oneribus antea impositis ità satisfecerint, vt noua quoque onera suscipere valeant; alioquin omninò abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferāt ab Ecclesijs cū inscriptione illa (Eleemosyna pro missis) vel alia simili, sub ijsdem pœnis ipso facto incurrendis; ne fideles hac ratione frustrentur. Episcopus verò, seu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligēter inquirāt de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuiq; Ecclesiæ, Monasterio, aùt loco pio incumbentibus; nec antea assensum huiusmodi, aut licentiam præbeāt, quàm eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes, tàm nouo oneri suscipiendo, quàm antiquis iam susceptis satisfacere posse, præcipuamq; rationem habeant, vt redditus, qui Ecclesijs, & locis pijs relinquuntur, omninò respondeant oneribus adiunctis, secundùm morem cuiusque Ciuitatis, vel Prouinciæ: intelligantque si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint; in nouissimo die huius prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Postremò ILLVSTRISS. PATRES, non nisi graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularē disciplinam euertunt, ac præcipuè nimiā hanc facilitatē fouent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice pullulare ex maiori Regulàrium numero, quā ferant redditus, & eleemosynæ cuiusque Monasterij: inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilij decretis hac de re editis, Sanctissimi Domini Nostri authoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscumque alijs Superioribus Monasteriorum, Conuentuum, ac Domorum Regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & instituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adiacentium; vt singuli, ad quos pertinet, in qualibet Prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vsu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, & prouentus omnes, consuetas item eleemosynas, & obuentiones, tàm communes Monasteriorum, Conuentuum, & Domorum eiusdem Prouinciæ, quàm etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seu permissas in communem vsum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoscant, ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grādines, sterilitates, aliaue cuiuslibet generis onera consueuerunt absorbere; eaq; omnia scripto fideliter exarata, idem Superior cuius interest, in proximo Capitulo, seù Congregatione Generali, vel Prouinciali coram tribus Iudicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat; qui computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis, & obuentionibus vniuersis, & oneribus, vt supra detractis, sedulò examinent, quot Religiosi homines (connumeratis etiam laicis, alijsque necessarijs seruientibus) in vnoquoque Monasterio, Conuentu, & Domo Regulari iuxtà regionis, & proprij Instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competentèr valeant sustentari. Tùm eorumdem bonorum, reddituum, eleemosynarum, & onerū præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus discussis: cuiusque familiæ Monasterij, Conuentus, ac Domus Regularis in singula quaq; Prouincia certus earum tātùm personarum numerus, Patrum Capitularium voto, præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obuentionibus, vt superius, sufficienter ali possint. Ne verò Superiores, qui id præstare debent, seriùs, aut remisiùs, quàm par est, suo muneri satisfaciant, mādat SACR. CONGREGATIO, vt infra annum post proximum Capitulum generale, vel prouinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta ad Sacram ipsam Congregationem Concilij singuli mittant; numerumque familiæ, singulorumque Conuentuum, Monasteriorum, & Domorum huiusmodi Regularium, Capituli, seu Congregationis generalis, vel prouincialis sententia, & auctoritate præfinitum, ijdem Superiores, tàm Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò seruare omninò teneantur, nec possint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti reddituum, absq; Sacræ ipsius Congregationis licentia. Superiores autem huiusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum, vt supra, præscriptum quouis modo augere præsumpserint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque actiuæ, ac passiuæ, & ad omnia suæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuā pœnam eo ipso incurrere, atq; alijs etiam grauioribus à Sede Apost. infligendis pœnis S. Congregatio subiacere voluit, & declarauit.

Deinceps verò Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium, nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis detractis omnibus, vt supra, detrahendis competentèr sustentari valeant, ad præscriptum decreti fel. rec. Greg. XV. hac de re editi. Alioquin Monasteria, & loca huiusmodi post hac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, vt supra sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

Porrò, ne vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales, cuiusq; Monasterij, Conuentus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur sub pœna priuationis officij, vocisq; actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, vt in perpetuum, sexto quoque mense, idest feria secunda post primam Dominicam aduentus, & feria sexta per octauam Corporis Christi præsentes ordinationes in publica mēsa prælegantur. Omnibus tàm Ecclesiasticis personis, cuiuscumq; sint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis quocunq; honore, ac potestate præditis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obstantibus (quoad suprascripta omnia, & singula in præsentibus Decretis contenta) Constitutionibus, & Ordinationibus Apost. in fauorē quarumcumq; personarum, atq; Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius Instituti, etiam necessariò, & in indiuiduò exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuū, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumq; tàm secularium, quàm regularium locorum; nec non illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apostolicis etiam Mari-Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumq; tenoribus, & formis, ac cū quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus Decretis etiā Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam cōmunicationis, seu extensionis cōcessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis; etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum (non autem per clausulas generales) mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ præsentibus aduersantur (illis aliàs in suo robore permansuris) Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate specialiter, & expressè derogat, cæterisq; contrarijs quibuscumque.

Et ne præmissorum ignorantia a quoquam prætendi possit, voluit eadem SAC. CONGREGATIO, vt præsentes Ordinationes in valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, vt moris est, affixæ, omnes, ad quos pertinent, ita arctēt, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Vtque earumdem præsentium exemptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ, die 25. Iun. 1625.

DECLARATIONES aliquot Sac. Congregationis Concilij Sanctissimi D. N. Vrbani Papæ VIII. authoritate editæ super Decretis eiusdem Cōgregationis de Celebratione Missarum.

864 SVper primo S. Congregationis Decreto de Celebratione missarū, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quomodolibet, reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quæritur quid si legatum, sit ita tenue, vt non sit, qui velit onus illi iniunctum subire, &, si recurrēdum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessarijs?

Et quid si permittatur Episcopo in fundatione, vt possit eiusmodi onera moderari?

Secundò, super secundo eiusdem Congregationis Decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.

Quæritur an verba illa (*præscriptæ fuerint*) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur missas illis ab offerente præscriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, possint etiam manualem eleemosynam, pro Missis votiuis, aut defunctorum, recipere, & vnico Missæ sacrificio vtrique oneri satisfacere?

Quintò, posito, quod Testator relinquat, vt celebrentur pro eius anima centum Missæ, absque vlla præscriptione eleemosynæ. Quæritur, an liberum sit hæredibus elemmosynam sibi benè visā præscribere, an verò eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?

Sextò, super tertiò Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio reuocat priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum missarum, vel anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Quæritur, an verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post priuilegium?

Septimò, super quartò eiusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum sit administratoribus

bus Ecclesiarum, vt retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expēsis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, inseruientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similium?

Octauò, an hoc Decretum habeat locum in Beneficijs, quæ conferuntur in titulum, id est, an Rector Beneficij, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redditutum Beneficij?

Decimò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam ijs, qdibus Missas celebrandas committunt. An verò satis, fit, vt dent celebrantibus eleemosynam consuetam.

Vndecimò super quinto eiusdem Congregationis Decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum ijdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant; Alioquin omninò abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

Quæritur, an hoc hoc Decretum prohibeat absolutè, quo minùs accipiant nouas eleemòsynas ij qui acceptis non satisfecerunt: & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacre?

Duodecimò, quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, vt Sacerdos Missam celebret cum primum poterit?

Decimotertiò, an pœna interdicti, & aliæ appobtæ in eodem Decreto afficiant tàm eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eosr qui non auferunt capsulas ab Ecclesijs, vt ibidem præcipiunt?

Duodecimo, quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, vt Sacerdos Missam celebret cum primum poterit?

Decimotertiò, An pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto afficiant tàm eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesijs, vt ibidem præcipiunt?

Decimoquarto, An in hoc Decreto compræhēdantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesijs in die Commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur (casse de' Morti?

Decimoquinto, an Administratores Ecclesiæ magnæ deuotionis, & concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si ijsdem Missis, nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & deuotio, ac concursus fidelium, vt aiunt, minuantur?

Decimò sexto, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tàm secularium, quàm Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (& alijs, ad quos pertinet) supplicatur pro opportuna declaratione.

Decimoseptimò super septimò eiusdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cauetur, vt in singulis Monasterijs Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commodè possit sustentari.

Quæritur, an vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim similis Decreti san. mem. Pauli V: absque tamen computatione redditutum cuiusque Religiosi sit denuò facienda, necne?

Decimooctauò, an Nouitij, ad habitum Regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasterijs, in quibus, habita vt supra, præfixione numeri, commodè ali non possunt?

Decimononò super vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur Conuentus Regularium, nisi præter alia ad id requisita, duodecim saltem Fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita vt alioquin subsint iurisdictioni ordinariæ.

Quæritur, an hoc Decretum, quòd videtur editum in ordine ad celebrat. Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueuerunt onera Missarum recipere, vt sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis IESV?

Vltimò, an idem Decretum, vbi disponit, vt nullibi recipiantur Monasteria, nisi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam?

SACRA CONGREGATIO Cardinalium Cōcilij Tridentini Interpretum, auctoritate sibi à Sanctissimo D. N. attributa, ad singula Dubia superiùs proposita ad hunc modum respondit, videlicet.

Ad primum, etsi legatum sit adeò tenue, nihilominus, pro reductione oneris, vt supra, impositi ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque vlla impensa id statuet, quòd magis in Domino è re esse iudicauerit; Veruntamen si in ipsa Beneficij erectione expreisè cautum fuerit, vt liceat Episcopo ininuctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quàm Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & obseruandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secūdum morem suæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro alija etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.

Ad quintum, censuit, vbi nullam certam eleemosynam testator relinquit, ess. ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad sextum, ita esse intelligenda.

Ad septimum, respondit, permittendum non esse, vt Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum Administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarū vllam, vtcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca ipsa alius non habent redditus, quos in vsum earumdem expensarum

pēſarum erogare licitè poſsint,& tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Miſſæ ſacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ, & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, vt ex pecunijs, quæ ſuperſunt expenſis,vt ſupra deductis,abſolutè tot miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

Ad octauum non habere locum, ſed ſatis eſſe, vt Rector beneficij, qui poteſt miſſam per alium celebrare tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam ſecundùm morem Ciuitatis. vel Prouinciæ, niſi in fundatione ipſius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti,nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad vndecimum, reſpondit,non prohibere abſolutè: Ac propterea,etſi oneribus iam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen noua etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus poſsint omnibus ſatisfacere.

Ad duodecimum, quamuis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione, id ſciat, & conſentiat, vt illæ tunc demum celebrentur cum ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, Decretum non prohibere,quo minus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro ijſdem Miſſis iuxta Benefactoris conſenſum celebrandis.

Ad decimumtertium, has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcipientibus onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel eius Generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad decimumquartum comprehendi.

Ad decimumquintum non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, vt ſupra in reſponſione ad duodecimum.

Ad decimum ſextum, comprehendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad decimum ſeptimum, numeri præfixionem eſſe iterum faciendam, ſeruata forma vltimi Decreti hac de re editi.

Ad decimumoctauum, eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi alias habiles exiſtant, ac deindè in aliquo alio Monaſterio eiuſdem Religionis eſſe collocandos, vbi commodè ali poſſint.

Ad decimumnonum, cenſuit comprehendere

Ad vltimum, habere locum etiam extra Italiam.

Coſmus Card. de Torres.

Locus ✝ Sigilli.

Proſper Fagnanus S.Congr. Secr.

His ſuppoſitis decretis. Quæ vt benè aduertit *Tambur. de Sacrif. miſſa l.3.cap. 1.num.6.* obligant totum orbem,quia vniuerſalitèr loquuntur. Et vbi voluit S. Cong. ſolam Italiam obligare, ſicut fecit,dum iuſſit tranſmitti Romam redditus conuētuum, id expreſſit, ex quo magis apparet, quòd vbi vniuerſalis eſt loqutio totus Orbis cōprehēditur. Et licet *Nicolaus tit. de celebrat. Miſſ. num.9.* videatur innuere quòd huiuſmodi decreta afficiāt ſolam Italiam, & inſulas adiacentes, ſi ita ſenſit, non eſt ſequendus, quia verba Decreti vniuerſalia repugnant: his inquam ſtantibus decretis.

SVMMARIVM.

1 *Laudabile miſſas celebrari ſine ſtipendio. nu. 865.*
2 *Aliquæ Religiones id præſtant. num. 865.*
3 *Religioſi iſti an peccent contra votum paupertatis, ſi ſtipendium accipiant. num. 866.*
4 *Cui reſtituere teneantur, num. 866.*
5 *An in huiuſmodi Religionibus valeat pactum, vt ſtipendium detur tertiò. num. 867.*
6 *An, & quomodo hoc eſſet contra votum paupertatis. num. 867.*
7 *Licitum eſt accipere ſtipendium ad dicendam miſſam. num. 868.*

865. QVæritur primò an liceat obligare ſe ad miſſam recepto ſtipendio? Laudabile quidem eſſet miſſas ſine vlla ſtipe accepta celebrare, & alia miniſteria gratis exhibere, ſicut aliquando fecit Apoſtolus, vt habetur *1.Cor.9.& 2.Cor.11. & 12.& in 1. ad Theſſal.ca.2.& 2.ad Theſſal.cap.3.* Quod aliquas Religiones præſtare refert *Bellarmin. l. 2. de Monach. cap.9. §.8. & cap. 41. & Henriq. l.9.de miſſa cap.22. num.3.* quæ iuri ſtipendiorum piè renūtiāt,vt de Minoritis,qui dicūtur recollecti refert *Corduba in Regulam Min. cap. 4. quaſt. 15.* & inter iſtas Religiones eſſe Societatem habetur ex eius *Conſtit.4. p.cap.7. §.3. & 6.p. cap.2. §.7.& 10.par. §.3.examinis c.1.§.3.*& in regulis generalibus §.17 de quo videri poſſunt. *Henriq.l.9.de miſſa cap.22. & Toletus l.3.de reſtit. cap.1. Sanchez. l.1.ſum.c.8. Suarez. tom. 4. de Relig. l.4. cap. 6. Molina tom. 1. diſp. 62. Fagnad.prac.p. l.3.cap. 7. vbi nu.2* habet, quòd Religioſi Societatis peccent mortaliter cōtra votum paupertatis ſi exigant ſtipendium pro miſſis, quia id faciunt ſine licentia Superiorum. Dixerat tamen *num. 1. fin. ex Henriq.* quòd ſi ipſi recipiant, non tenentur reſtituere danti, ſed ſuperiori, qui receptum vel reſtituet danti, vel in alios vſus pios expendet. Quòd verè non eſt conforme illi, quod ſubdit *nu.2.* nimirum quòd profeſsi,ſeu coadiutores formati huiuſmodi contractus,nec licitè nec validè celebrāt; ſi enim hoc eſt, igitur Religio non acquirit Dominiū ſtipendij dati, igitur illud eſt reſtituendum domino,nō verò Superiori. Itē vel Religio tale ſtipēdium miſſæ acceptat,illud acceptāre ſuo religioſo,vel nō acceptat;ſi acceptat igitur cōſētit acceptationi,& ſic nec Religioſus acceptat ſine licentia,& ex hac parte non peccat cōtra votum paupertatis, licet peccare poſsit contra votum obedientiæ, ſi religio velit ſtipendiū acceptare, ſi à ſuo Religioſo exigatur,& tamen prohibeat ne exigatur. Et ſi dicatur eſſe contra votum

pauper-

paupertatis, quia Religiosus vtitur actu dominij, qui est rem exigere, recipere & hoc facit sine licentia: instabatur contra, quia potest esse, quod Religiosus exigat stipendium non vt ipse illud habeat, nec vt eo vtatur, sed nomine Religionis quæ supponitur illud acceptare, & in suum dominium recipere, non est igitur hoc contra votum paupertatis, quia recipiens non recipit rei dominium, nec vsum pro se ipso, sed pro Religione, quæ dicitur consentire. Et si dicatur hoc esse contra paupertatē reductiue, quia prohibitio facta Religioso ne recipiat stipendium facta est intuitu paupertatis, & ideo eius præcepti obseruantia habet paupertatis honestatem, & inobedientia habet malitiam proprietatis.

866 Respondetur quod nedum omne præceptum non accipiendi aliquid non est factum intuitu paupertatis, & in proposito hoc præceptum non accipiendi stipendium missæ posset esse factum intuitu religionis, & maioris deuotionis ad sacrificium missæ. Et ita dicendum forsan esset fuisse factum, si alias religio consentiret acceptationi, & dominio stipendij accepti cum alias omni religioso sit prohibitum accipere stipendium missæ ad sui vsum proprium sine licentia, & intentio religionis hoc prohibentis sit vt stipendium non recipiatur, nec ad vsum communem. Nihilominus hoc dato semper tamen verum erit, quod contractus (qui dicitur interuenire) erit validus consentiente religione in illum, & sic religiosus, licet non licite, valide tamen stipem exigit, & acceptat, si autem dicitur quod religio non consentit, cum nec religiosus valide consentire valeat, totum igitur inualide agitur, & sic stipes recepta inualide domino est restituenda, non Religioni.

867 An vero in consimili religioni valeat pactū initum cum dante stipendium, vt illud detur amico, vel consanguineo, vt v.g. si sacerdos dicat faciā tibi tot sacra, si meo consanguineo dederis ordinarium stipendium missæ idem *Fagund. num.3.* respondet huiusmodi sacerdotem votum violare, & probabiliter peccare, quia per hoc pactum acquirit aliquale dominium, & pecuniarum dispositionem, quia re vera est contractus iustitiæ commutatiuæ aut quasi iustitiæ commutatiuę dari, & accepri vt ipse habet in fine *num.3,* si tamen huiusmodi sacerdos recipiat de licentia superioris v.g. centum aureos, & postea independenter á pacto & receptione aureorum gratis aut titulo solius gratitudinis promittat facere sacra pro illo, non peccat contra paupertatem. Similiter non peccat contra paupertatem sacerdos huiusmodi, si petenti missam, & offerenti stipem dicat ego illam non possum recipere, mihi tamen facies gratiam, si tibi libuerit, dando illam tali pauperi. Sed si religiosus tacite vel expresse stipem acceptet, & postea petat dari consanguineo peccat contra votum paupertatis. Hæc *Fagund.* Et hoc quidem verum est quod acceptare ad sui vsum, & commodum sine licentia est contra votum paupertatis, sed acceptare ad vsum vel monasterij, vel alterius etiam si fiat sine licentia directe, & ex obiecto non est propietas, vt probaui supra *quæst.186. ar.7.* & solum poterit esse contra votum reductiue si intuitu illius sit prohibitum. Cęterum si in acceptanda stipe interuenit contractus iustitiæ commutatiuæ, vel quasi dati, & accepti ex pacto, melius dictum fuisset imo omnino dicendum esset quod præfatus sacerdos esset simoniacus, quia dedisset spirituale pro temporali ex pacto, vt infra probo. Nā alias talis cōtractus sine proprietate fieri potuisse videbitur forsan alicui, si ex vi contractus nihil omnino, nec aliquod vel minimum ius acquirere voluisset, sed contraxisset ex pacto, vt totum ius habendi stipendium accederet illi tertio amico, vel consanguineo, & sibi nihil deberetur. Tunc enim quia nihil temporale acciperet, non esset proprietarius, sed nec esset talis, quia daret; quia missa data non est materia proprietatis, cum non sit pecunia, nec pecunia æstimabilis, sed nec esset talis, quia obligaret, quia non obligaret ad sibi dandum, nec vt accipiens ius cogendi ad dandum alteri, sed totum hoc ius tertio competeret, & sic ipse nihil acciperet, & ideo non esset proprietarius. Sed nihilominus dicitur, quod si interueniret pactum nomine religiosi, in hoc casu religiosus esset vere proprietarius nec bene dicitur, quod non acquiret aliquod ius, quia hoc repugnat pacto, nam tunc recipiens missam á religioso cum pacto dandi stipendium tertio, ex vi rei acceptæ sub pacto teneretur ipsi religioso, vt daret stipendium tertio, & hoc est quid á pacto inseparabile, quoniam pactum ex natura sua obligat danti eum qui rem datam sub pacto recipit, & si fieret pactum vt non intraret obligatio, hoc esset pactum non facere. In hoc tamen non esset proprietas, si religiosus tertio amico missam donaret, & postea nomine amici pactum iniret cum dante stipendiū, quia donare missam non est proprietas, & per pactum nomine alieno initū religiosus nihil acquirit.

868 Quamuis vero sit laudabile celebrare missas gratis non tamen est vituperabile recipere pro illis eleemosynas sed est licitum, & concessum, & iustum quia imo vt habet Dominus Mat.10. *Dignus est operiarius cibo suo, &* Lucę 10. *Dignus est operarius mercede sua, &* 1. Cor.9. dixit Apost. *Qui altari deseruiunt cum altari participant.* Et consuetudo vniuersalis Ecclesiæ cuius initij non est memoria id licere testatur, & approbatum est in decreto de celebrat. missarum, & docuerunt *D.T.* supra *quæst.100. a.2. & ad 5. & à 3. c.* & *DD.* omnes Catholici.

SVMMARIVM.

1 *Accipere stipendium non vt pretium, sed vt sustentamentum.* num.869.
2 *Quid sit pactum.* num.870.
3 *Donatio non est pactum.* num.870.
4 *Pactum onerosum, & liberale.* num.870.
5 *Argumenta ad vtraque partem quæst.* nu. 871.
6 *Stipendium missæ non donatur donatione omnino liberali, & absoluta, & datur vt aliquo modo debitum.* num.872.
7 *Debitum dandi stipendium celebranti non est ex sola obedientia, & lege positiua.* num.873.
8 *Quamuis etiam interueniat obedientia materialis, & dici possit quod sit debitum etiam ex lege positiua.* num.874.
9 *Aliqui putant stipendium dari pro labore ex iustitia commutatiua.* num.875.
10 *Labor intrinsecus, & extrinsecus oper.* num.876.
11 *Hæc distinctio rem non explicat in cuicumq. operi externo*

externo accidit spiritualitas. num.877.

12 *Actio externa missæ sine simonia posset in scena repræsentari. num.877.*

13 *Actiones quæ ex principio sunt spirituales non possunt sine simonia vendi. num.878.*

14 *Quæ intrinsece conuectuntur cum spirituali non venduntur sine simonia. num.879.*

15 *Missa essentialiter est spiritualis, quia est actio, vt imperata à potestate spirituali. num.880.*

16 *Sacerdos non potest accipere pretium pro labore missæ. num.881.*

17 *Iter ad Ecclesiam non est spirituale ex parte principij, sed ex parte finis, & ideo materialiter potest vendi. num.882.*

18 *Diaconus non potest pro pretio cantare Euangelium. num.883.*

17 *Musici pro pretio cantant sine simonia. num.884.*

18 *Sacerdos pretio non potest vendere missam cantatam. num.885.*

19 *Nec religiosi cantum diuini officij. num.885.*

20 *An vendere accidentariam difficultatem missæ ex parte agentis sit simonia. num.886.*

21 *Obligatio ad dicendam missam non potest emi sine simonia. num.887.888.*

22 *Non est eadem ratio de mutuo, & de simonia; obligatio enim ad mutuandum est quid pretio æstimabile; sed obligatio ad dicendam missam non est pretio æstimabilis, cum sit spiritualis. num.889.*

23 *An sit simonia pretio vendere lucrum, vel commodum, vel delectatio corporalis quæ cessat dum sacerdos se occupat, vt dicat missam. nu.890.*

24 *Quod in missa interueniat pactum onerosum, & contractus iustitiæ commutatiuæ multi sentiunt. num.891.*

25 *Hoc alij explicant exemplis. num.892.*

26 *Hæc sententia implicat. Vbi pactum ibi pretium. num.893.*

27 *Vbi iustitia ibi æqualitas. num.894.*

28 *Exempla retorquentur. Pictor ex pacto petens alimentum vendit. num.895.*

29 *Alimentum sacerdoti debetur, sed non ex iustitia. num.896.*

30 *Alimentum operanti debetur, vt medium ad finẽ ex lege illius virtutis, quæ obligat ad finem. num.896.*

31 *Stipendium deberi sacerdoti ex virtute religionis, alij sentiunt. num.897.*

32 *Stipendium ex iure diuino debetur sacerdotibus. num.898.*

33 *Stipendium debetur sacerdotibus virtute religionis. num.899.*

34 *Ex religione homines tenentur sacrificare, & vt celebretur missa. num.900.*

35 *Ex religione necesse est dari sacerdotes. nu.901.*

36 *Tam in populo, quam in sacerdote est mutua obligatio, & mutuum ius non iustitiæ, sed religiosum. num.902.*

37 *Huiusmodi ius, & obligatio variè determinantur. 903.*

38 *Dare stipendium pro missa est implorare officium sacerdotis exhibendo id, quod ex parte implorantis est necessarium. num.903.*

39 *Religio est iustitia eminentior quam commutatiua. num.904.*

40 *Non licet dare stipendium sub pacto inducente iustitiam commutatiuam. num.905.*

41 *Nec sub pacto non mutuo, sed liberali. numer.906.*

42 *Donatio sub conditione, & sub modo quomodo distinguantur. num.907.*

43 *Qui dat stipendium donat sub modo. licet possit si vult donare sub conditione. num.908.*

44 *Sacerdos dans missam donat sub modo. nu 909.*

45 *Sic dum promittitur vel stipendium pro missa, vel missa pro stipendio ista sunt promissiones modales, nisi aliter exprimatur. num.909.*

46 *In negatio missarum non interuenit propriè pactum, licet adsit donatio sub modo, aut conditione. num.910.*

47 *Donatio sub modo, & causa, aut onere non est propriè pactum. num.911.*

48 *DD. modus loquendi, & diuersi textus explicantur. num.912.*

49 *An liceat nolle celebrare missam, nisi detur prius stipendium. num.913.*

50 *An sacerdoti detur actio contra non dantem stipendium. num.914.*

51 *Iudex Ecclesiasticus cognoscit de debito stipendio. num.915.*

52 *An sacerdos cui non soluitur stipendium possit vti compensatione num.916.*

53 *Stipendia missarum sunt sub dominio Ecclesiæ. num.917.*

54 *Sacerdos non celebrans missam tenetur ex iustitia restituere secundum dispositionem summi Pontificis, ex iniusta detentione. num.917.*

55 *Explicare conuentiones vt sint donationes sub modo non est palliare simoniam, sed excludere. num.918.*

56 *Stipendium missæ dicitur merces, & stipendium, quia datur ex debito alicuius iustitiæ, sed non est pretium. num.919.*

869 Quæritur autem Secundò, an sacerdos possit se obligare ex pacto ad dicendum missam pro stipendio? Est vero certum simoniam esse accipere stipendium pro pretio missæ seu commutando missam pro stipendio, seo exigendo stipendium tãquam pretium sacrificij *D. T.* supra *quæst.*100.*ar.*3. Non est vero simonia accipere, & exigere stipendium in sostentationem celebrantis, sicut si excellentissimus aliquis artifex, v.g. pictor, dupliei modo pro pictura posset accipere emolomentum ab aliquo. Primo quidem per modum pretij, seu mercedis, & hoc fieret si attenderetur valor operis, & spectata æqualitate rei ad rem, & valoris operis ad valorem pretij, tantum peteret, quantum putat valere opus, & sic quia est opus in suo genere perfectissimum, non esset iniustus, si magnum pretium centum aut ducentum aureorum peteret. Sed secundo modo posset hic pictor operis valore non attento, nec æstimato solum sustentationem sui quærere, & laborem, & opus suum donare, & victu suo diurno contentus esse. Et sic non reciperet stipendium vt pretium operis cui iniuriam faceret, si pro sola diurna sustentatione illud daret; sed reciperet stipendium vt debitum sustentamentum eius, qui in alterius obsequium viuit, sic eodem modo potest pro celebratione stipendiũ accipi dupliciter, primo vt pretium, quod est dicere vt æqualem compensationem sacrifi-

sacrificij, & hoc esset simonia. & non fieret nisi cum maxima iniuria sacrificij, cuius valor superioris ordinis est, & infinite excedens valorem cuius cumq. rei temporalis. Et nihilominus tanquam æquale pro æquali daretur, pro paruo stipendio temporali. Sed secundo stipendium potest exigi, vt sustentamentum operantis. Et hoc fit sine simonia, quia fit sine iniuria sacrificij cui si quidem iniuria si iudicetur, aut tradetur ac si in valore esset æquale stipendio, non vero ex quo sibi subordinaet stipendium, tanquam sustentamentum dandum ministro sacrificij, in sacrificij obsequium, & vt habeat sacrificij minister, vnde se sustentet, & sacrificium offerre valeat. Hoc quidem communius dicitur, sed nisi aliud addatur, quod melius punctum explicet, non explicatur difficultas, nec tollitur simonia, quia præfatus artifex si ex pacto recipetet alimentum vere pro alimento venderet picturam, & eodem modo sacerdos venderet missam.

870 Hoc igitur stante est difficultas an sacerdos ex pacto pro stipendio possit se obligare ad missam celebrandam. Sit vero considerandum quod pactū est duorum placitum, vel consensus ad aliquid agēdum, *l.1. ff. de pactis l. 3. ff. de pollicit.* Ideo promissio facta absenti non est pactum, sed dicitur pollicitatio, quia cum promissarius non est, qui per se vel alium acceptet, solum promittentis placitum adest; requiritur igitur ad minus duorum consensus ad aliquid dandum, vel faciendum, vt ad sit pactum. At vero pactum est duplex, na aliud est mutuum, quod idem est, quod contractus proprie sumptus, & hoc importat promissionem, & consensum mutuum, & ex vtraque parte obligationem iustitiæ inducentem, & hoc etiam potest dici pactum onerosū, quia nullus paciscentium consentit nisi sub conditione, & obligatione consensus alterius, & sic sub onere reciproco consentiendi, & agendi. Aliud est pactum non mutuum, per quod ex duobus consentientibus vnus solus se obligat, alter vero non. Et hoc pactum est promissio acceptata, si promitens se obligat ex iustitia. Si enim nō est acceptata non est pactum, quia non adest nisi vnius solius placitum. Sed vbi promissio sit acceptata adest consensus duorum, & sic est pactum. Verum aduertendum quod pactum est consensus, vt inducens obligationem iustitiæ, vnde promissio etiam acceptata, si promittens non intendit se obligare ex iustitia, sed solum ex fidelitate non est pactum. Ideo etiam donatio si incipit à rei traditione proprie non est pactum, quia hæc nullam inducit obligationem; donatarius enim ad nihil obligatur, sed neq. donans est obligatus ad aliquid, quia ipsam rem tradidit, & ideo nihil illi restat ad quod agendum obligetur. Et si dicatur donantem obligari ad non repetendum rem donatam; respondetur, quod hoc minus proprie dicitur, quia donatione donans priuat se dominio, non vero se obligat ad aliquid agendum, vel non agendum. Itaque ergo pactum non mutuum est cōnsensus duorum in vno solo inferens obligationem iustitiæ. Vnde & potest dici pactum gratuitum, quis importat promissionem liberalem, & in promissario nullam iustitiæ obligationem inferentem. Cum ergo pactum verum importet obligationem iustitię, quæritur an sacerdos ex pacto possit se obligare pro stipendio ad celebrandam missam.

871 Nam cum pro certo habeatur, quod sacerdos non potest habere stipendium, vt prætium difficultas est an possit illud deducere in pactum, vt sustentamentum debitum celebranti, quod enim hoc non liceat videtur probari *ex c. final. de pactis ex c. Tam nos* de simonia. Vbi omnia pacta in huiusmodi spiritualibus reprobantur, & *Concil. Trid. sess. 22.* in decreto de obseruandis in celebr. missarum, prohibet fieri conuentionem aut pactum pro his quæ dantur pro missis nouis. Vnde & D.T. supra *quæst. 100. ar. 2. & 3. ad. 2.* habet posse recipi stipendium pro spiritualibus, neq. tamen posse deduci in pactum sine simonia. *Et in 4. d. 25. quæst. 3. art. 2. q. 1. ad 4.* dicit quod pacisci de missa dicenda semper est simonia. Sed pro opposita parte quia ex Ecclesiæ perpetuo vsu dantur, & recipiuntur stipendia pra missis ad quas celebrandas Ecclesiastici se obligant, hoc vero fieri nequit sine aliquo pacto. Nam datur in recipiente stipendium obligatio ad celebrandum, ergo datur pactum aliquod implicitum saltem. Probatur consequentia, non enim potest oriri hæc obligatio ad celebrandum nisi ex pacto, quia nisi ex mutuo consensu, qui est inter dantem stipendium, & sacerdotem illud recipientem, quia dans stipendium non dat nisi ex intentione missæ, & recipiens ex hoc consentit in obligationem ad missam dicendam. Quod exemplo explicatur, si enim qui dat stipendium daret illud liberaliter, & qui illud recipit, id vt donatum reciperet, nulla esset in recipiente obligatio ad missam dicendam. Intantum igitur oritur obligatio inquātum interuenit pactū aliquod expressum, vel tacitū per hoc quod dicitur do, vt des, quia datur stipendium, vt detur missa. Quod amplius est manifestum in capellanijs, in quibus capellani obligantur ad celebrandas missas secundū fundatorum intentionem. Et hæc obligatio non est ex charitate, vel misericordia, vel religione; obligatio enim charitatis oritur ex necessitate alterius, non ex re accepta, obligatio autem satisfaciendi intentioni fundantoris capellaniæ oritur ex re accepta. Sed neq. est obligatio orta tantum ex v rtute religionis, non enim fundatur in promissione Deo facta, vel ad Deum tantum ordinatur, sed ad hominem, cui fit iniuria, si obligatio illa non impleatur, & ideo ad restitutionem obligat; est ergo obligatio ex iustitia, igitur prouenit ex aliquo pacto. Quod ergo in huiusmodi obligatione pactum interueniat, & quod liceat ex pacto se obligare ad missā celebrādam respiciendo tamen stipendium, vt sustentamētum celebrantis, non vt pretium missæ, docuerunt *Caiet. supra q. 100. a. 3. ad 1. dubium. Sotus l. 9. de iust. quæst. 6. ar. 1. Nauar. cap. 23. num. 102. Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 86. sect. 1. cap. 2. & 2. Fagundez. prær. 1. l. 3. c. 7. num. 5. & cap. 8. num. 2.* & apud eum *Graff. Corduba, Gutier. Merla, Timotheus, & Enriquez. Ledesma tit. de Sacram. Eucar. cap. 18. Vasquez tom. 3. disp. 234. Azor. 3. p l. 12. c. 3. q. 1. Card. de Lugo de Sacram. Eucaristia disp. 21. sect. 1. Tambur. de sacrif. missa l. 3. cap. 1. §. 1. num. 1. Lezana v. missa Pasqualig. de sacrif. noue leg. q. 904.* & apud eum *Faustus, Fragos. Ludouicus a S. Io. Fernard. Vgalin. Castrop. Less. Dicastil. & Auersa. Bonac. de Sacram. Eucaris. disp. 4. quæst. vlt. punc. 8. num. 2. & apud eum Vgal. Less. Passerin. Fraxinell. Bartholomæus ab Angelo.*

872 Diuersimode tamen hoc punctum explicatur à DD. Qui quidem in hoc conueniunt, quod missæ stipendium non datur ex pura misericordia, ienex pura liberalitate excludente debitum, ex quacumq. virtute, vel donatione omnino liberali, & absoluta. Quia nõ esset obligatio restituendi illud si non celebraretur missa, si omnino liberaliter seu ex pura misericordia omnino absolute donaretur. Non enim est liberalis collatio stipendij ex parte dantis, quia tenetur illud dare, si vult missam. Quod colligitur ex illo Christi. Matt. 10. *Dignus est operarius cibo suo*. Et Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua*. Et 1. Cor. 9. *Qui altari deseruiunt, de altari participant*. Cum enim sacerdos altari deseruiat, & operetur, debetur ei cibus, seu merces operis & de altari debet participare. Nam, & teste Apost. loco citato *Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere*, Sic ergo Domini ordinatio est, quod qui seruit altari, de altari viuat; celebranti igitur aliquid debetur vnde viuat, stipendium igitur sacerdoti datur ex debito. Sed neque est liberalis ex parte dati stipendij, quoniam datur sub onere missæ. Quod si *Coslumbus de Hierarch. lib. 4. art. 4. cap. 17. & sequent.* quem refert *Pasqualig. de sacrif. missæ quæst. 903. num. 13.* asserens hoc stipendium esse oblationem factam Deo intelligit, quod sit quid mere liberaliter datum, & oblatum, sensit contra communem sententiam, & repugnat naturæ rei. Nam donatio libera nõ fundat in donatario obligationem agendi aliquid, vel restituendi donatum, stipendium verò datum pro missa infert in sacerdote obligationem veram, & realem celebrandi missam, & si non celebretur restituendi stipendium, vt clare apparet ex communi sententia DD. & ex decreto S. Congreg. Concilij supra relato.

873 Propterea aliqui, quos tacito nomine refert *Card. de Lugo de Sacram. Eucar. disp. 21. sect. 12 num. 2.* dixerunt stipendium dari ex debito obedientiæ, quia sic Christus ordinauit, vt habetur ex verbis relatis *ex 1. Cor. cap. 9.* Sed hoc absolute reijcit idem *Card.* quem sequitur *Pasqual. quæst. 103. nu. 2.* Tum quia constat ex locis scripturæ citatis, quod obligatio dandi stipendium missæ non est ex iure positiuo, sed ex iure aliquo naturali, Quod etiam deducitur ex illis exemplis, quibus vtitur Apost. 1. Cor. 9. dicens. *Quis militat suis stipendijs vnquam. Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Hæc enim exempla continent debitum iuris naturalis, & non solum iuris positiui. Secundò quia debitum obedientiæ non obligat ad restitutionem transacta occasione, & sic sacerdos morti proximus nec potens celebrare missam non teneretur restituere stipendium acceptum, nec qui petit missam obligaretur ad restituendum stipendium promissum, si iam sacerdos sustentatus fuit. Sed hæc secunda ratio non probat, quia obedientia obligat iuxta mensum legislatoris, lex vero positiua potuit obligare dare stipendium sub conditione operis. ideo lex positiua potuisset obligare sacerdotẽ sub quacũq. occasione non celebrantem ad stipendium restituendum. Item lex ista non obligat solum supposita in operante indigentia sustentationis actualis, ideo siue sacerdos sit sustentatus siue non, qui missam petijt, & obtinuit tenetur stipendium dare totum enim hoc potuit per legem positiuam ordinari. Ideo aliter illa sententia impugnatur, quia lex illa Christi non est facta intuitu honestatis obedientiæ formaliter, & per se primo, nimirum ad hoc, vt qui illam seruant sint obedientes, & eo modo quo quis intuitu honestatis obedientiæ rem penitus indifferentem posset præcipere; Quia Apost. ipse expresse ostendit, Dominum ordinasse, vt prædicatores Euangelij viuerent de Euangelio, quia sic dignum erat, & ratio ipsa dictabat. Et secundò quia nullus dicit, quod qui petijt missam, si non det stipendium promissum, sit formaliter inobediens, si ex contemptu id non faciat; Quod ergo Dominus id ordinauerit fuit intuitu alicuius alterius virtutis postulantis, vt ministranti spiritualia detur cibus, & merces.

874 Sic igitur quod hic adsit etiam obligatio obedientiæ generalis est indubitatum, quia vbi est debitum alicuius legis est etiam debitum obedientiæ obligantis ad non contemnendam legem: pariter quod obligatio dandi stipendium sacerdoti, seu in generali ministrandi temporale sustentamentum ijs, qui ministrant spiritualia sit etiam ex lege positiua, & non solum ex lege naturali alicuius virtutis, potest admitti, quia hoc iudicant verba illa Apostoli: *Ita & Dominus ordinauit his, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere*. Vt enim habet *D. T. in cap. 10. Matt. & in cap. 9. p. ad Cor.* Christus Apostolis dedit potestatem viuendi, & habendi, & accipiendi necessaria ad victum ab illis, ad quos missi fuerunt; & ideo noluit eos portare sacculum, peram, argentum, & aurum, quia dedit illis ius viuendi de Euangelio, nam & cum voluisset suos esse pauperes, nec fundasset Rempublicam suam in diuitijs, ideo suis dedit ius viuendi, & accipiendi ab illis, ad quos eos mittebat. Et quando dixit dignus est operarius cibo suo, non solum voluit ostendere, quod Apostoli licite, idest non illicite poterant viuere ex bonis eorum ad quos mittebantur, sed quod iuste, & ex debito, vt explicat *Caiet. Luc. 10.* sustentamentum illis debebatur: potest ergo intelligi, vt verba illa Domini non contineant solam enunciationem, & declarationem iuris naturalis, sed etiam legem positiuam obseruatiuam naturalis legis indicentem, quia Paulus dicit, quod Dominus ordinauit, idest, præcepit, legem statuit, vt qui Euangelium annunciant de Euangelio viuant. Si autem quis velit, quod Dominus non dederit super hoc legem positiuam, sed vim alicuius legis naturalis manifestauerit, non erit modo de hoc contendendum, nam obligationem hanc viuendi de altari, aut de Euangelio non esse obligationem solius legis positiuæ communis DD. sententia est.

875 Alij igitur volunt, quod hæc obligatio sit iustitiæ commutatiuæ, & reciproca, ita quod inter dantem stipendium, & sacerdotem interueniat pactum, & contractus mutuo onerosus. Sed quia hoc est difficile saluare, vt non sit simonia, ideo aliqui distinguentes laborem corporalem à spiritualitate dicunt, quod sacerdos locat operas suas, & laborem, & accipit stipendium, vt pretium eius. Et pro hac sententia referuntur *Armachan. de quæst. Armen. l. 10. cap. 10. Adrianus quodl. 9. art. 1 e. Idem post Gloss. tenuit Panorm. in cap. significatum num. 8. de præbend. Idem sensisse Vincent. & Rubr. ad idem*

cap.

*cap. num.*12. refert *Fugn. ibid. num.* 39. *nec reijcit. Barbosa ad d. cap. significatum Num.*10 plures pro eadem sententia referens,qui ex professo contrarium tenent, & fundantur in eo quod *num.*18. dicit Dominus Leuitis. *Dedi omnes decimus in possessionem, pro ministerio quo seruiunt mihi.* Et Paulo post, *Comedetis eas, quia pretium est pro ministerio.* Et vbi Matt. 10. dicitur, *Dignus est operarius cibo suo,* habetur Luc.10. *Dignus est operarius mercede sua.* Stipendium igitur datum ministrantibus spiritualia est vera merces, & 1.Cor.5. Apostolus eisdem vtitur verbis. Merces vero pretium operis importat.Matt.20. *Voca operarios,& redde illis mercedem.* Sed & Apos. 1.Cor. 9. ea eo colligit debere temporalia ministrantibus spiritualia quia stipendia debentur militibus. Et idem confirmatur *ex cap. Clerici* 1. *q.*2. *ex Concil. Agathensi cap.*36. *& ex cap. significatum de Praben. Item ex D.T.supra q.*100.*art.*3. ad tertium, & tandem ex ratione, quia opera quæ exibetur in celebratione missæ est quid temporale, quod non perdit valorem suum ex eo quod habet adiunctam spiritualitatem,potest igitur sine vitio simoniæ vendi:quod confirmatur quia dispensantibus spiritualia debetur stipendium ex iustitia commutatiua, quæ hic locum habere non potest, nisi opera ipsa, & labor vendatur.

876 Communiter vero hæc sententia reprobatur. Sed nihilominus in ea impugnanda non conueniunt. Vt plurimum tamen distinctione hac vtuntur. Dicunt enim quod duplicis generis labor est adiunctus operibus spiritualibus nã alius est intrinsecus, & essentialis, & alius est extrinsecus, & accidentalis. Ille intrinsecus est, qui est de substantia actionis prout ex præcepto,& praxi exercetur, vnde a nullo potest actio prout conuenit, & debet exerceri sine tali opera,& labore,& talis labor est, qui ex actionis obiecto est necessarius, seu etiam ex præcepto, aut lege, & comprehendit omne id sine quo non potest prout necesse est haberi actio diuina quandocumq. & quomodocumq. habenda est. Et ideo intrinseca opera, seu labor est nedum sine quo nequit physice haberi actio diuina, sed etiam sine quo non potest haberi moraliter; alia est opera seu labor extrinsecus, & accidentalis, qui non est de substantia actionis sed pertinet ad illam ex aliqua circumstantia accidentali, vnde & est ab ea separabilis salua actionis substantia, & qui etiã multoties consistit in aliquo præuio antecedente actionem ipsam, vt in celebratione missæ longum iter ab habitatione sacerdotis ad Ecclesiam, vbi missa debet celebrari. Docet igitur hæc sententia quod licet locare operas, seu laborem corporalem extrinsecum, & accidentarium, qui ad actionem diuinam se habet, vt circumstantia accidentalis non sit simonia, est tamen simonia locare operas diuinæ actioni intrinsecas, & intrinsecum laborem.

877 Sed vt verum fatear hæc distinctio, qua vtuntur plures DD. non explicat sufficienter,& à priori punctum veritatis. Et ratio est quia externo operi cuicumq. accidit spiritualitas, & ab illa separari potest. Omne enim externum opus, & corporale intantum est spirituale inquantum ex aliquo spirituali imperatur. Et quia in materia simoniæ spirituale sumitur, vt est à Spiritu sancto supernaturaliter in nobis operante per gratiam, & sic est aliquod gratuitum donum spirituale, vel ad illud ordinatur, & spectat, hoc vero accidit operi sensibili, & externo quod de se est quid materiale, & sensibile de cuius substantia non est, quod fit ex gratia supernaturali Spiritus Sancti, vel ad illam ordinetur; ideo operi externo accidit spiritualitas, quæ est materia emptionis, vel venditionis simoniacæ. Quod exemplo probatur in sacrificio missæ,quod quidem est sublime opus gratiæ. Nam tota externa actio huius sacrificij potest esse sine supernaturale spiritualitate ab eo, qui nedum non sit sacerdos, sed nec fidelis, & mere recitatiue, & repræsentatiue agat v.g. in scena ad repræsentandum hoc sacrificium, vel quod peius est ad illud irridendum. Sicut ergo in materialibus,quæ ordinantur ad spirituale materiale est separabile à spirituali quantum ad valorem, & vendi potest, sine simonia, vt patet in Calice Consecrato, sic poterit fieri in quocumque opere religioso quantumcumq. iudicato intrinseco, quia poterit separari opus illud materiale à spiritualitate,& vendi ratione suæ materialitatis, & laboris. Sic enim sine simonia sacrificium missæ quantum ad opus, & laborem externum ab histrione posset sine simonia pretio vendi, & pro pretio in scena repræsentari.

878 Alia igitur via sententia ista impugnari debet, & veritas explicari aduertendo cum Sancto Thoma in 4. d. 25. quæst.3. art. 2. q.2. *Quod actus aliquis potest spiritualis dici, vel quantum ad suum principium, quod competit alicui ex aliquo spirituali dono, vel officio, vel quantum ad sui finem, vt quando per actum ad aliquod spirituale peruenitur. In actibus ergo qui primo modo spirituales sunt, quia spiritualis est ex parte agentis nullo modo sine simonia potest aliquis locare actus suos, sed potest aliquid accipere in sustentationem vitæ: in secundis vero actibus, quia spiritualitas. non est ex parte agentis potest etiam emere, vel vendere operas suas sed non vendere hoc spirituale, quod ex eius actu acquiritur.* In hoc ergo sensu sententia communis asserens non posse sacerdotem locare operas suas, & laborem procedit sine difficultate. Quam sustinent. *D. T. supra q.*100. *art.*2. *& art.*3. *ad* 2. *& in* 4. *dist.*25. *q.*3. *art.*2. *q.*1. *&* 2. *Innoc. in cap.*3. Ne Prælati vices suas,*& ibid. Hostien. Panorm. in cap. tuum de simonia,* vbi reuocat, quod dixerat *in d. cap. significatum de praben. Durand. in* 4. *d.*25.*q. Palud. ibid quæst.vult.art. Soto l.* 9. *de iust.q.*6.*art.*1. *Caiet. supra q.*100. *ad p.* 3. *art. & v. simonia Syluest. ibid. num.*5. *&* 9. *Victoria relect. de Simon. num.* 29. *Raphael. de Turr. supra q.*100. *a.*2.3. *&* 4. *disp.*6. *Aragon. ibid. concl.*1. *Gutierez.l.*1. *quæst. Canon. cap.*29. *n.*12. *Rodriq.tom.*2. *cap.*60. *num.*3. *Val.tom.*3. *disput.*6. *par.*2. *quæst.*6. *Suarez. l.*4. *de Simon. cap.*21. *num.*7. *Sanchez. l.*2. *cons. cap.*3. *dub.*10. *Layman.l.*4 *tr.*10. *cap.vlt.nu.*42. *Les.l.*2.*cap.*35. *dub.*8. *Villalob. t.*2. *tr.* 37. *diff.*9. *Palaus.tr.*13. *disp.*3. *p.*11. *Card. de Lugo disp.* 21. *de sacram. Eucar. sec.*1. *n.*11. *Filliuc. tr.*45.*cap.*4.*n.*45. *Regin. l.*23.*n.*139. *Nauar. cap.*23.*nu.* 101. *&* 102. *Bonac. disp. de simon. q.*6. *p.*3. *Bertld. tit. de simon. in cap.*42. *q.*1. *concl.*3. *Giballin. de simon. q.* 10. *consec.*2. *n.*2.*Pasquul. q.*903. *n.*3. *&* 411.

879 Ratio autem huius est, quia quæ per se intrinsece connectuntur spiritualibus non possunt vendi, quia vendi illa non possunt nisi spirituali

venditio; At vero in celebratione missæ, & alijs similibus diuinis operæ, & labores connectuntur intrinsece spiritualibus, vendi igitur non possunt. Hanc rationem reddit Pasqualis Papa, vt habetur cap.8.1.q.3. ibi. *Si quis obiecerit non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proueniunt, penitus desipere probatur. Nam cum corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut tale quid sine rebus corporalibus in nulla proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter viuit, quisquis horum alterũ vendit, sine quo nec alterum prouenit neutrum inuenditum derelinquit.* Hoc enim verum est tunc cum corporeum ita connectitur spirituali, vt vnum sine alio vendi non possit, quod tunc euenit quando corpoream spirituale redditur, ita quod ea corporeo, & spiritualitate vnum quid efficiatur, & inseparabiliter in ordine ad æstimationis valorem, & venditionem, sicut in proposito labor operis non est æstimabilis nisi ratione operis vt spiritualis; neq. enim labor per se æstimatur, & attenditur, sed valet, & attenditur ratione operis spiritualis, & propter opus. Et qui missam quærit non æstimat laborem missæ, sed missam, & actionem ipsam petit non ratione actionis quatenus est actio quædam materialis, sed ratione fructus, & spiritualitatis illi annexæ. Et in contractibus non vnum accipitur pro contractu, & aliud pro labore contractus.

880 Sed à priori redditur huius veritatis ratio, quia actus externus secundum quod est à principio gratuito, & supernaturali est supernaturalis, & spiritualis. Nec ab eo potest separari in indiuiduo supernaturalitas, & spiritualitas, quia non potest in indiuiduo separari ab actu externo, vt humano, & morali dependentia ab illo actu immanente ea quo, vt talis speciei est imperatur. Et quis tunc licet materiale de se posset separari à spiritualitate, non potest tamen fieri quod agens non spiritualiter agat, cum agit ex actu immanenti interno spirituali, & ex spirituali, & supernaturali imperio Sic ergo petens huiusmodi opera ea parte agentis spiritualia, vt sunt ex parte agentis spiritualia non potest separare spirituale à corporali, sicut nec qui illa dat, quia qui illa petit vult illa, vt spiritualia, & ideo qui illa dat, vt talia illa dat, quoniam supponitur illa date iuxta petitionem sibi factam, aliter non daret quod petitur. Sic ergo qui petit missam petit opus spirituale, & quatenus est spirituale ea parte agentis, quia hoc est de ratione missæ, vt est sacrificium à Christo institutum, at vero in hoc opere non potest separari labor à spiritualitate, quia opus externum, & labor illius, vt sunt spectantia ad sacrificium missæ, & vt sunt actus hic numero humanus intrinsece sunt spiritualia ea parte agentis, & non sunt ab agente, nisi vt agente ea gratia, & qui opus suum non potest vendere: & si quis dicat, quod licet finis dantis stipendium sit missa, & eius fructus spiritualis, tamen quia opus missæ quatenus est materiale, & sensibile est separabile à spiritualitate, & sub ea ratione non est à principio spirituali, cur igitur non poterit sacerdos pacisci. & pro pretio vendere illud opus, vt est materiale quid, & temporale, & dicere petenti missam, totum spirituale missæ tibi dono, sed materiale opus vendere volo. Sicut si diceret sacerdos; non possum celebrare sine Calice, & candelis, ideo si vis vt celebrem dà candelas, & calicem. Et confirmatur, quia totum illud opus est materiale in indiuiduo tantum quantum est, & etiam vt est actus humanus, & liber, non est per se intrinsece supernaturalis, nec petit potentiam ordinis, nec aliquod principium supernaturale; quia totum quantum est posset fuisse à laico, & infideli; illud igitur, vt tale est vendibile. Nec facit, quod spirituale non possit esse sine illo materiali, quia spirituale missæ nec potest esse sine Hostia. & Calice, & alijs similibus, quæ tamen vendi possunt; sed fundamentum est, quod materiale etiam in indiuiduo est separabile à spirituali, & spirituale illi materiali accidit. Sed ad hæc iam responsum est, quod procederent, si opus materiale ratione suæ materialitatis esset æstimabile, seu æstimaretur, & peteretur: Modo sic est quod fideles petunt opus missæ, vt est sacrificium, & vt est à sacerdote, vt à Christi ministro, & ideo, vt est opus ex principio spirituali procedens; & traditio stipendij est actus religiosus, & religiosa oblatio facta Deo in sustentamentũ ministri. Et si replices, quod hic distingui debet finis operãtis, & finis operis, licet enim operans intendat spirituale, hic est finis operantis, sed finis traditionis stipendij est habere illud materiale, sine quo non potest habere spirituale; sicut qui emit Calicem id facit, vt habeat missam, sed hic est finis operantis, sed finis operis est emptio Calicis. Et pariter nec valet, quod dicitur, quod opus materiale non æstimatur nisi ratione spiritualitatis, quia etiam quando sacerdos habet longum iter ad Ecclesiam, & propter hoc datur illi maius stipendium, labor itineris non estimatur ea fine operantis, nisi quia est medium ad celebrandum sacrificium; sed ea fine intrinseco operis non æstimatur nisi quantum valet in quantum est opus materiale, & sic sufficit, quod non sit obiectum pretij, & contractus nisi in quantum est opus materiale. Sic & opus quod est celebratio missæ poterit sine simonia ex fine operantis intendi, vt est spirituale, sed tamen immediate, & proxime dari pro illo stipendium spectato solo, & præciso valore operis materialis, quod non est à supernaturali principio, sed solum ordinatur in supernaturale tanquam materia supernaturalitatis. Sed respondetur quod hæc est metaphysica aliena ab Intentione Ecclesiæ, & fidelium, & apta ad palliandam simoniam. Nam fideles dant stipendium sacerdoti, vt ministro Christi, & vt ille, vt Christi minister celebret, & oblatio ista in fidelibus est actus virtutis religionis, vt oblatio facta Deo, nec vel minimum æstimant opus materiale missę ratione solius materialis sed bene ratione spiritualitatis annexæ, ratione cuius dant eleemosynam pro missa. Petunt enim sacrificium, vt est sacrificium, & vt est oblatio Christi sub speciebus panis, & vini, & vt est oblatio vtilis spiritualiter; & in finem huius cultus diuini stipendium tribuunt.

881 Hinc multa deducuntur. Et quidem primo quod Sacerdos non potest accipere pretium pro labore, quem sustinet celebrando missam. Cuius rationem reddunt quidam, quia *labor non est æstimabilis separabiliter ab actione missæ.* *Sed propria ratio* & à priori est, quia petens missam non petit illud opus externum laboriosum nisi secundũ

quod

quod est opus spirituale ex parte agentis, sub qua ratione, nec emi, nec vendi potest nisi simoniace.

882 Colligitur secundò, quod Sacerdos non potest aliquod pretium accipere pro solito itinere ad Ecclesiam vt ibi celebret missam. Potest vero accipere aliquod pretiũ pro itinere insolito, & difficiliori. Rationem reddunt, quia primus moraliter sit intrinsecus ipsi actioni principali, quæ est sacrificium, quod non potest celebrare in Ecclesia, nisi Sacerdos à propria Domo eat ad Ecclesiam, Sed hæc ratio deficit, quia iter ad Ecclesiam est necessarius ad sacrificandum, quod vero hoc iter sumendum sit à loco propinquo, vel remoto semper est necessarium, & moraliter intrinsecum sacrificio quantum ad terminum ad quem, accidentale vero quantum ad terminum à quo. Vnde ex hac parte cum est discrimen. Et in hoc discrimen esse potest, quod iter à propria Domo non sit ob sui breuitatem pretio æstimabilis, & ideo salua iustitia non mereatur speciale pretium, quod in longo itinere non militat. Et ideo ratio corollarij deducti est, quod iter ad Ecclesiam ad celebrandum de sui ratione nõ est spirituale ex parte agentis, sed solum est spirituale tanquam ordinatum ad spirituale; Non enim iter est à potestate ordinis, vel ab aliqua iurisdictione spirituali, vnde non est spirituale ex parte agentis, sed ex parte finis; At vero opus spirituale ex parte finis materialiter potest vendi. Et quia breue iter non est habendum in consideratione, ideo eius non datur pretium, quod tamen iuste datur vbi iter sit longum, & speciali pretio dignum.

883 Colligitur tertiò, quod Diaconus, & Subdiaconus non possunt pro pretio cantare Euangelium, & Epistolam. Cuius rei rationem quidam reddunt, quia cantus sit intrinsecus actui, quia ordinarie Diaconus, & Subdiaconus non exercent officium nisi canendo Euangelium, & Epistolam. Sed ratio est quia tam recitatio, quam cantus Euangelij, & Epistolæ sunt spiritualia ex parte agentis; Nã recitare Euangelium, & Epistolam est ex potestate Ordinis, & Cantus etiam est ex institutione Ecclesiæ actus officij Diaconatus, & Subdiaconatus, vnde est actus spiritualis potestatis; ideo non potest pro pretio emi, vel vendi.

884 Colligitur quartò, quod è contrà Musici possunt pro pretio cantare Missas, & Diuina Officia. Huius vero ratio est, quia Musica nõ est actua spiritualis ex parte agentis, non est enim actus alicuius virtutis spiritualis, aut spiritualis potestatis; nec elicitiue, quia est actus, qui est à principio naturali; nec directiue, quia est ab arte canendi, quæ non est spiritualis spiritualitate gratiæ; nec imperatiue quia non petitur à Musicis vt cantent ex deuotione, vel ex aliqua virtute. Sed Musica tunc est spiritualis ex fine, vnde sufficit, quod Musici non vendunt finem, qui consequitur ex Musica. Illi vero vendunt solum cantum artificiosum, quod nõ est quid spirituale, & æstimatur, & venditur ratione cantus ex arte non ratione alicuius spiritualitatis. Nihilominus *Pasqual. q. 912.* existimat, quod Musici non possint accipere pretium sui cãtus, sed stipendium solum, quia cantant ea, quæ à choro sunt cantanda, & communicant in celebratione Diuini Officij. Sed dicitur quod illi non cantant, vt Deputati ad Diuinum Officium, nec illorum cantus est spiritualia ex principio, sed solum in ordine ad finem, ad cantum enim vt figuratum assumuntur, nec exigitur recitatio diuinorum ab illis, vt orantibus sed vt cantantibus, & ad excitandam in alijs deuotionem, ideo laborem suum vendere possunt, quia est corporalis, licet spiritualitatem non possint vendere.

885 Colligitur quintò, quod Sacerdos non potest accipere pretium pro cantu Missæ. Oppositum docet *Raphael. à Turre* loco citato, quia cantus est accidentarius ipsi Missæ. Et cum *Suarez l. 4. de Simon. cap. 21. num. 15.* dixerit Sacerdotem nõ posse accipere pretium pro cantu Missæ, licet id facere possint Cantores, qui cantant in Choro; difficile hoc visum fuit *Card. de Lugo d. disp. 21. nu. 11.* quia si potest accipi pretium pro itinere longo ad celebrandum, sic poterit accipi etiam pro celebrãdo sub dio, vbi vel æstu, vel gelu sanitas exponitur periculo, & similiter poterit accipi pretium pro cantu, quia hęc accidentaliter coniunguntur sacrificio Missæ. Et consequentia negari non potest, si semel conceditur, quod possit accipi pretium pro labore accidentaliter coniuncto rei spirituali. Sed verum est, quod Sacerdos non potest accipere pretium pro cantu, quia cantus est ceremonia sacra, & quid sacrum institutum in Ecclesia. Vnde est actio spiritualis ex parte agentis, quia est ex deputatione Ecclesiæ, & Ecclesiæ ministerio. Sic enim Sacerdos etiam quantum ad cantum agit vt Ecclesiæ minister, & ex Officio spirituali, & spirituali potestate. Ideo nec Clerici, aut Religiosi possunt pro cantu Diuini Officij accipere pretium, quia in illis cantus exigitur vt opus Religiosum, ab ipsis vt à Deputatis ad Religiosum cultum habendum, vnde petitur vt actùs à Religione imperatus, & à persona ad id ab Ecclesia deputata elicitus. Pro modo tamen canendi artificioso, & accidentario sacræ cerimoniæ posset accipi pretium, quia huiusmodi modus non est spiritualis ex principio, sed solum ex fine, vnde non requirit Officium spirituale, & ministrum ab Ecclesia deputatum, ideo modus canendi artificiosius accidentalis cantui Ecclesiastico, & ceremoniæ sacræ posset vendi pro materiali. Sed præterea aduertendum est, quod aliud est dicere, quod Sacerdos non possit accipere pretium pro cantu, & aliud est quod pro Missa cantata non possit accipere maius stipẽdium. Primum est verum, quia cantus Sacerdotis est cæremonia spiritualis, & hoc est, quod voluit *Suarez loco citato*. Sed secundum non est verum. Quia imo cum quantitas stipendij commensurari satis debeat labori, & durationi illius, & obligationi ob quã, qui sacra ministrat dũ in tali ministerio occupatur, nõ potest ad alia attendere, & cũ missa cãtata, & longior sit, & in ea maius tempus consumatur, & longior sit celebrantis occupatio, & ministerium, merito cantanti missam maius stipendium de iure, & consuetudine datur. *Ledesma p. 1. cap. 18. concl. 9. Lezana v. Missa nu. 13. Ascan. Tambur. de sacrif. miss. l. 3. c. 1. §. 3. nu. 38.* vbi quod possit accipi duplicatum, vel triplicatum stipendium. *Suarez 3. p. tom. 3. disp. 88. sec. 2. d. 3. Pasqualig. q. 912.* & alij plures apud illum vbi & addit. *nu. 5.* quod hoc stipendium potest esse duplicatum, vel triplicatum.

886 Colligitur sextò, quid sit dicendum de difficultate

ficultate, quæ in agendo oritur ex parte agentis, vt quia est infirmus, & cum maiori difficultate operatur, an scilicet ratione huius possit accipi aliquod pretium. Negant enim *Suarez, Filliuc. & Raphael à Turri loco citato*. Quia iuxta Doctrinam *Durand. 4. d. 25. q. 3. nu. 10.* pro colenda vinea non potest senex maiorem mercedem sumere, quam iuuenis. Sed affirmant *Bonac. q. 6. p. 3. nu. 5. & Giball. d. q. 10. consect. 3. nu. 2.* quia difficultas accidit operi, & separatim æstimari potest, & est res de se æstimabilis. Quamuis Giballinus asserat difficillimum esse in praxi, vt sine simonia accipiatur pretium pro difficultate orta præcise ex parte operantis. Ratio prioris opinionis esse potest, quia vbi opus non potest haberi ex pretio, nec pro difficultate operandi potest accipi pretium. Hoc enim verum est nedũ, quia opus petitur, & vtilitas quæ ex opere prouenit illa est quæ intenditur à petente opus, quam vtilitatem non auget, sed potius minuit difficultas, quæ est ex parte operantis, sic enim infirmi, & senes minus operis præstant, v.g. in colenda vinea: sed quia vbi opus est spirituale ex parte agentis, omnino ex parte agentis debet haberi gratuito, & sine pretio. Quia opus tale quale est in indiuiduo haberi debet sine pretio, cum sit opus in indiuiduo spirituale ex parte agentis. Nam difficultas quæ est in opere ex parte agentis non potest non esse spiritualis si opus est ex parte agentis spirituale, quia licet difficultas non sit ex principio spirituali, sed ex imperfectione agentis, est tamen in indiuiduo per se connexa, & inseparabilis à spiritualitate, quia à tali agente opus spirituale nequit haberi sine difficultate, & qui tenetur donare opus tenetur simul donare, id sine quo opus haberi non potest. Videri autem poterit alicui quod etiam sit iniustitia, quia id quod est inseparabiliter coniunctum cum opere non magis valet quam opus, & qui tenetur donare opus, non potest vendere id quod inseparabiliter est coniunctũ operi, quia illud iam ex vi donati operis est donatarij, cum sit à dono inseparabile, & contineatur in re donata. Sed dicendum est per se loquendo nec simoniam esse, nec iniustitiam accipere pretium pro difficultate ex parte agentis proueniente. Non est simonia, quia illa difficultas non est spiritualis ex principio, cum à causa naturali procedat. Nec facit quod sit connexa actui spirituali ratione subiecti, quia hoc est accidentale, & extrinsecum sicuti, & labor itineris longi in sacerdote habitante de longinquo est connexus ratione subiecti actui celebrationis in Ecclesia distanti sed accidentaliter, & separabiliter; Et ideò sicut sacerdos sanus pro itinere longo materialiter sumpto potest accipere pretium, ita & sacerdos infirmus pro itinere sibi laborioso, & onere materiali, & labore poterit pretium accipere. Non est vero iniustitia si quod datur sit labori commensuratum. Verum non est necesse, quod sacerdos infirmus velit pretium pro difficultate operis, quia potest iuste exigere in sustentamentum sui maius stipendium; quia quantitas stipendij commensurari debet operi, & labori, & occupationi, licet non detur vt pretium laboris sed vt sustentamentũ necessitatis. Et in his abstinendum est ab omni periculo simoniæ, vel turpis quæstus.

887 Hac igitur via exclusa alij vt saluent pactũ dandi stipendium pro missa recurrunt ad obligationem, & distinguentes inter opus sacrum, & obligationem ad illud, sicut distinguitur mutuum ab obligatione mutuãdi, dicunt quod sicut sine vsura potest emi, & vendi obligatio ad mutuandum, ita etiam sine simonia potest emi, & vẽdi obligatio ad celebrandum, & quod qui dat eleemosinã pro celebranda missa non dat illam pro missa, sed pro obligatione ad celebrandam missam. Verum hæc sententia deficit, & in exemplo, & in applicatione eius, quoniam non est simile. Deficit primo in exemplo, quia licet vbi agitur de mutuando in futurum, quando materia contractus non est mutuum sed obligatio ad mutuandum, possit huiusmodi obligatio vendi, & emi quanti valet, quia est pretio æstimabilis; tamen vbi agitur de mutuo vt habendo de præsenti, siue vbi materia contractus est mutuum ipsum, quod petit, qui illud petit, non vero petit obligationem ad mutuandum, non licet accipere aliquid vltra sortem, quia nec accipiens mutuum intendit obligationem ad mutuandum, nec de illa curat, nec pro illa contrahit, sed mutuum petit, & voluntas illa qua mutuans vult dare mutuum petitum est liberalis, & quatenus fundet aliquã obligationem illa obligatio nõ magis valet, quam mutuum ipsum, vt est humanus actus; quia mutuũ non est humanum nisi vt pius volitum, & quidem voluntate liberali, quia pro mutuo non potest aliquid accipi. Sic qui petit celebrari missam, petit missam, non vero obligationem dicendi missam, & obligatio quæ adest in recipiente stipendium ad missam dicendam nõ est materia cõuentionis, quæ hic interuenit, sed est quid consequens ad illam. Nam qui dat stipendium missam petit, & pro illa dat stipendium, & sacerdos recipiens stipendium missam promittit, non obligationem ad missam dicẽdam, de qua nihil curat, qui dat stipẽdium, dummodo sibi missa dicatur.

888 Secundò, nam si semel obligatio ad actionem spiritualẽ distingui potest, & seiungi ab actione, & pro illa potest accipi pretium omnis simonia palliari potest; dicet enim omnis se dare temporale non pro re sacra, sed pro obligatione dandi rem sacram. Tertiò, nam sequitur quod sacerdos qui promisit missam, si illam, vel ex malitia, vel ex impossibilitate non celebret, nõ teneri ad aliquam restitutionem accepti stipendij, quia illud datum fuit non pro missa, sed pro obligatione ad missam, & sic sacerdos totum dedit, quod debuit, ex quo se obligauit. Quartò, quia obligatio ad aliquid agendum non habet æstimabilitatem alterius rationis ab æstimabilitate actionis ad quam est obligatio, quia obligatio non est æstimabilis nisi quia sit æstimabilis actio ad quam quis se obligat; cum igitur æstimabilitas sacrificij missæ, quia est supra omne pretium, ideo sine simonia sacrificium missæ non emitur, ita nec pro pretio habetur obligatio ad missam nisi simoniace. Quintò, nam sacerdos qui non se obligando ad celebrandam missam illã celebrat pro eo qui promisit stipẽdiũ pro missa celebrata iuste stipendium exigit, & tamen ad missam dicendam non se obligauit. Sextò, quando Sacerdos iam celebrauit, & debetur illi stipendium, non debetur ratione obligationis, quam iam non habet, sed ei satisfecit; debetur ergo, quia satisfecit celebrando, & sic non pro obligatione, sed pro

facto

sacro peracto. Septimò, quia si potest emi obligatio ad dicendam missam, poterit etiã emi ius actiuum, quod habet, qui emit obligationem. Nam re ipsa correlatiua sunt debitum sacerdotis, & ius eius, qui dedit stipendium pro missa contra sacerdotem; at vero tale ius actiuum non potest emi sine simonia, quia est ius spirituale; sine simonia igitur neque potest emi obligatio ad dicendam missam.

889 Sed secundò deficit, quia non est eadem ratio; quia in mutuo non potest accipi vltra sortem, quia id facere esset iniustitia, quia pecunia mutuata non plus valet, vnde iniustitia est, si aliquid accipitur vltra sortem; sed quia obligatio illa ad mutuandum in futurum est aliquid pretio estimabile distinctum à mutuo, ideo pro illa potest accipi pretium. Sed malitia simoniæ non est ex iniustitia, & ex eo quod non seruetur æqualitas in pretio, sed est ex eo quod rei spirituali fit iniuria si vendatur quocumq. pretio siue magno, siue paruo. At vero sic est, quod obligatio ad missam celebrandam est res spiritualis, specificatur enim ex obiecto, quod spirituale est, nimirum ex celebratione missæ, & consequitur ad voluntariã permissionem missæ, quæ promissio essentialiter est spiritualis, & sacra, & ex parte agentis, quia ex fidei virtute, & Religionis, & ex parte obiecti, quia est voluntas rei sacræ, & spiritualis; esto igitur materia cõtractus esset obligatio ad missam celebrandam contractus esset simoniacus, quia esset emptio, & venditio rei spiritualis. *Suarez lib.4. de sim.cap. 21. num. 16. Card.de lugo disp. 21. de Eucaris. nu.8. Pasqual. d. q. 903. num. 4.*

890 Sed dicet aliquis cum Innocentio *in d. cap. 3. Ne Prælati vices suas*; quod hic interuenit quoddam genus obligationis corporalis, quia qui se obligat ad missam, obligat se pro illo tempore ad nihil aliud corporale agendum, & ita ad non lucrandum id, quod aliquo exercitio corporeo posset lucrari, imo forsan ad sustinendum aliquod aliud damnum corporale, quod incurret missam celebrando. Potest igitur sacerdos deducere hoc in pactum, & pro vel lucro cessante, vel pro delectatione corporea alicuius exercitij tunc deficiente, & vel pro damno insurgente pretium recipere ex pacto. Verum licet non esset simoniacum vendere, & emere illud corporale quod est annexum celebrationi missæ, siue sit lucrum cessans, siue sit damnum emergens, tamen primo regulariter in hoc contractu interueniret iniustitia; quia regulariter sacerdos celebrans missam non amittit tantũ, quantum valet stipendium missæ, & stipendium accipitur ab illis etiam, qui nihil vtile agerent si missam nõn celebrarẽt. Sed præterea qui petit missam pro illa dat stipendium, & quod celebraturus interim debeat ab vtili, vel delectabili operatione abstinare non est materia conuentionis, sed quid consequens ex quo sacerdos missam petitam, & conuentam celebrat, vnde non ab hoc excluditur simonia si stipendium ex intentione dantis, & recipientis datur pro missa, sicut de facto datur.

891 Exclusa igitur etiam hac via, alij saluant pactum ex eo quod stipendiũ non datur tanquam pretium missæ, sed in sustentamentum necessitatis ministri. Hoc vero inter alios explicat *Suarez tom. 3. in 3. par. disp. 86. sec. 5.* & primo asserit quod in hoc interuenit pactum. Et hoc probat primo. Nam qui dat stipendium illud dat, vt Sacerdos faciat, hic vero facit, quia recepit, seu vt recipiat stipendium. Secundò probat ab effectu, quia interuenit obligatio iustitiæ. Si enim qui dat stipendium daret illud mere liberaliter, nulla esset in recipiente obligatio dicendi missam; hæc vero obligatio adest, & non est nisi obligatio iustitiæ; non enim est obligatio proueniens ex virtute Religionis, quia non cõsequitur ex promissione facta Deo, sed homini, cui fit iniuria, si non celebratur missa. Nihilominus non est simonia, quia stipendium datur in sustentamentum naturali lege ministro huius sacrificij datum, vnde nõ excluditur pactum de huiusmodi stipendio, quod implicite continetur, & intrinsece in huiusmodi humanis actionibus, iuxta illud, Non alligabis os bouí trituranti, & ideo in hoc nulla fit iniuria rei spirituali, sed subuenitur humanæ necessitati. Et ita hanc partem nimirum quod sacerdos ex pacto possit paciscí cum eo, qui petit missam de stipendio, & ita quod vtrinq. adsit obligatio iustitiæ tenuerunt *Fagundez præc. p. l. 3. c.8. nu.3. Raphael. à Turri supra q. 100. a. 3. dub. 6. ad testimonia 2. loco. Bonac. de Eucar. disp. 4. q. vlt. p. 8. nu. 4. Card. de Lugo disp. 21. de Sacram. Eucaris. nu. 1. & 14. Lezana v. missa. nu. Tambur. de sacrif. missæ l. 3. c. 1. §. 1. n. 5. Pasqual. de sacrif. nouæ legis q. 903. n. 2. & q. 904.* & vt plurimum idem tenent illi qui asserunt stipendium, vel missam posse deduci in pactũ. Et fundamentum præcipuum est, quod vbi aliquid aliunde est debitum, potest deduci in pactum, quia non fit tunc iniuria rei sacræ si ex pacto obligetur rem spiritualem recipiens ad hoc, vt faciat, quod alias debet facere.

892 Quomodo vero sine simonia consistat hæc obligatio iustitiæ explicat *Card. de Lugo d. disp. 21. nu. 13. & seqq.* primo exemplo pictoris, qui ex deuotione, vel etiam ex voto gratis vellet depingere in obsequium Ecclesiæ; nam iste etiam si peteret colores, penicillos, imo etiam cibum particularem sibi necessarium, adhuc gratis diceretur pingere, quia requireret, & reciperet ea vt necessaria ad picturam, non vero vt pretium picturæ. Nam si quis haberet virtutem supernaturalem ad sanandam infirmitatem, gratis & sine simonia aliqua sanaret, si reiectis præmijs nihilominus expensis infirmi à loco, vbi habitat, duceretur ad locum infirmi, & ibi etiam aleretur; sic enim & sacerdos gratis, & sine simonia dat missam, quia non recipit stipendium vt pretium, sed vt sustentamentum, quod est dicere tanquam vnum ex illis, quæ sunt necessaria ad missam dicendam, & sicut non est simoniacus sacerdos si petat candelas, vestes, calicem, &c. pro celebranda missa, quia petit res illas vt necessarias ad missæ celebrationem, ita etiam non est simoniacus, si petat stipendium, quod est vnum de necessarijs ad missæ celebrationem, cum sit necessarium ad vitam ministri, sine qua non est celebratio.

893 Verum hæc doctrina vera quidem est, & hæc ratio est *Caiet. supra q. 100. a. 3.* ad primum dubiũ, & est desumpta ex D. Th. ibidem, sed non probat intentum huius sententiæ, quæ vere in se ipsa implicat contradictionem, dum admittit quod stipendium accipitur non vt pretium, sed vt sustentamentum vitæ, & postea vult, quod accipiatur vt debitum ex iustitia commutatina, & pacto. Nam pri-

primo implicat quod ſtipendium detur ex pacto, & non detur vt pretium. Nam quid aliud eſt pretiũ quam pecunia vel pecunia æſtimabile ex conuentione & pacto datum in compenſationem alicuius rei vi datam vel vt dandam ex vi conuentionis ex obligatione iuſtitiæ? Nam etiam ſi dicatur, quod de ratione pretij eſt quod ex conuentione & intentione detur vt æqualis compenſatio, hoc totum adeſt, quando interuenit obligatio iuſtitiæ cuius eſſentia in æqualitate conſiſtit, vnde quod datur vt ſibi retribuatur ex iuſtitia, datur vt æquale, & cui aliud vt æquale ſit retribuendum, & ſic idem prorſus eſt dari pecuniam ex pacto inferente iuſtitiam, & dare illam vt pretium. Si ergo ſtipendium miſſæ datur ex pacto & conuentione proculdubio datur vt pretium, ſicut non poteſt non dari vt pretium, ex quo datur vt ei ex iuſtitia retribuatur.

894 Et hoc magis declaratur, hæc enim iuſtitia eſt ex dato, & accepto vt fatentur ipſi qui hanc ſententiam docent. Et in hoc bene loquuntur; quia hic non eſt iuſtitia ratione damni dati, aut iniuſte acceptionis, quia nec qui petit miſſam, nec qui illam celebrat damnificat, vel iniuriam facit, ſed iuſtitia, quæ hic intrare dicitur eſt dati, & accepti ſeu dati, & accepti ex pacto, & quia iuſtitia æqualitatem importat in ſui eſſentia, hic ſi datur iuſtitia ideo datum eſt datum, vt æquale accepto, & acceptum eſt acceptum, vt æquale dato. Quid ergo datur, & quid accipitur? datur ſtipendium, quod vocatur ſuſtentamentum, ſed eſt res temporalis; Hoc vero datur pro miſſa, & ſic, quod accipitur pro miſſa, quia datur, vt accipiatur miſſa ex pacto, & ex iuſtitia, ideo datur, vt accipiatur miſſa tanquam æqualis recompenſatio dati temporalis, quia ſine æqualitate non eſt iuſtitia; datur ergo cum immenſa iniuria miſſæ, tanquam miſſæ pretium æqualis cum miſſa æſtimationis, & vt vere pretium cui, vt æqualis compenſatio ipſa miſſa reddatur.

895 Et hæc exemplis ab hac ſententia allatis comprobantur. Nam ſi pictor ille qui profitetur ſe velle gratis pingere ex pacto, & ex iuſtitia peteret alimentum non donaret, ſed venderet opus ſuum. Et aliud eſt petere alimentum, vt neceſſarium medium ad picturam, quod fit ſine venditione operis ſui, quia non petitur, vt reddendum pro opere, & labore, ſed vt neceſſarium quoddam ad opus, quod nequit haberi à mortuo, & aliud eſt petere alimentum ex iuſtitia, quia quod petitur ex iuſtitia neceſſario petitur tanquam æqualis recompenſatio rei vel datæ, vel acceptæ, & ſic habetur vel vt pretium rei venditæ, vel vt res vendita. Sic qui peteret ex iuſtitia alimentum, vt ſanaret, peteret illud vt verum pretium medicinæ, ſeu operis, quia peteret illud in operis æqualem recompenſationẽ quoniam hoc eſt petere ex iuſtitia. Et ſi dicas alimentum operanti eſt debitum; igitur à Pictore, Medico, & Sacerdote poteſt peti vt debitum; & ſic poteſt peti ex iuſtitia. Reſpondetur quod non omne debitum eſt ex iuſtitia. Et in hoc deficit illa ſententia, quæ manifeſto implicat contradictoria. Nam quod debetur ex iuſtitia debetur ratione rei acceptæ, aut datæ, & vt æquale in valore rei datæ, ſeu acceptæ, & nihil intereſt quod forſan in re non ſit æqualitas, quia æſtimatione dantis, & accipientis habetur, vt æquale id quod datur, vel accipitur ex iuſtitia. Et hæc eſt deformitas ſimoniæ, quod emens; & vendens rem ſpiritualem habeat illam vt æqualem rei temporale, quod eſt iniuria maxima quæ fit rei ſpirituali. Si ergo danti ſtipendium ex iuſtitia debetur miſſa, debetur vt res empta, & vt in æſtimatione ementis, & vendentis æqualis ſtipendio dato.

896 In ſupradictis vero exemplis alimentum debetur, ſed non ex iuſtitia, nec ratione rei datæ, vel acceptæ. Sed ex quo debito debetur? eo debito, quo medium neceſſarium ad finem eſt debitum volenti finem. Sic pictor qui vult donare operas ſuas, ſed non vult donare materiam operis, petit ea debito materiam operis ab eo, qui vult opus, & hoc debitum eſt debitum medij ad finem, & ita eſt debitum ex ſuppoſitione, quod velit finem, ſic & ſacerdos petit ſuſtentamentum, vt debitum debito medij ad finem; Non tenetur enim ſacerdos donare inſtrumenta neceſſaria ad miſſę celebrationem ſed tenetur donare opus ſuum. Quia vero inter neceſſaria ad celebrationem eſt vita celebrantis, & ex conſequenti vitæ alimentum, quod ſacerdos non tenetur ponere de ſuo, ideo ſacerdos poteſt petere alimentum, vt debitum, non vt debitum ex iuſtitia, ſed vt debitum ad finem: quando vero finis non quæritur libere ab aliquo, ſed ex alicuius legis præſcripto, tunc ab eo qui dat finem petitur medium ad finem, vt debitum etiam ex lege obligante ad talem finem. Sic ab infirmo, qui ex lege charitatis naturalia tenetur cuſtodire, & ſeruare vitam, medico volenti donare opus ſuũ ſed non neceſſarium alimentum, tenetur alimentum medico præſtare etiam ex debito charitatis, qua tenetur ſe ipſum diligere, & ſuam vitam conſeruare.

897 Propterea alij videntes quod hic non poteſt interuenire obligatio iuſtitiæ commutatiuæ dixerunt adeſſe obligationem religionis, & pietatis, dicunt enim quod fideles, & ſacerdotes ſe habeat ſicut filij, & patres, & ideo quod intret obligatio pietatis in fidelibus alendi ſacerdote, & in ſacerdotibus celebrandi miſſam pro illis. Sed hunc modum dicendi impugnant primo. *Suar. d. diſp 86. ſec. 1.* quia hæc nõ eſt obligatio hominis ad Deum, ſed hominis, ad hominẽ, nõ eſt igitur obligatio religionis. Secundo *Card. de Lugo d. diſp. 21. nu. 6.* eo quod non ſubſiſtat hæc comparatio filij, & patris: & quia quando ſubſiſteret, non argueret obligationem dandi ſtipendium niſi ſacerdoti pauperi: & tertiò quia non induceret obligationem in ſacerdote reſtituendi ſtipendium, ſi miſſam non celebret. Sed non faciendo vim in comparatione illa patris, & filij, quæ licet valeat, vt explicet quoquomodo punctum, non tamen ſufficit, nec tangit propriam cauſam veritatis, dicitur quod hæc ſententia vera eſt, pro quanto aſſerit, quod hæc obligatio, eſt obligatio virtutis religionis.

898 Sed vt veritas manifeſtetur dico primo, quod celebranti debetur ſuſtentamentum ex iure naturali, & diuino. Hoc habetur pro certo, & indubitato, & colligitur expreſſe ex verbis Domini. Matt. 10. *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo*, & Luc. 10. *Dignus eſt operarius mercede ſua*; & probat abunde Paulus Apoſtolus p. ad Cor. 9. vbi quod hoc eſt ex Chriſti Domini inſtitutione, ideo his eiſdem teſtimonijs ad hoc idem probandum vſi ſunt

Pon-

Pontifices sæpe, *vt cap. 1. de sepult. & Clem. Dudum §. verum eod. tit. & in cap. Cum ex officij. de præscript. & in Canon. Apostol. vt cap. bis 12. q. & cap. Quicumq. 12. q. 2. Nam denario fraudari non debent in vinea Domini operantes*, cap. fin. de magis. *Nec qui ad onus repelli debet à mercede*. cap. cum secundum eod. tit. *Et iustum est, vt illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium*, cap. charitatem 12. quæst. 2 *Et ecclesiasticis vtilitatibus desudantes ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere*, cap. ecclesiasticis 12. q 2. & cap. clerici p q. 2. ex concil. Agathen. cap. 36. dicitur. *Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterq. deseruiunt stipendia sanctis laboribus debita secundum seruitij sui meritum per ordinationem Canonū à sacerdotibus consequantur*. Verum cum hoc sit indubitatū, dicitur secundò quod hæc obligatio est ex virtute religionis, & Christi Domini institutione. Quod enim sic Christus Dominus instituerit habetur expresse ex Apostolo in p. ad Cor cap. 9 ibi. *Ita, & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere*. Quod vero hoc factum fuerit intuitu virtutis religionis, ex qua originaliter sit hæc obligatio, inde colligitur, quod & ex hac virtute oritur obligatio ad decimas quatenus est ex lege naturali: Nam quod est necessarium ad finem habet à fine necessitatem, & ex ea virtute oritur obligatio ad mediū ex qua est obligatio ad finem. Obligatio vero ad ea, quæ sunt diuini cultus est ex religione. *D. T. supra q. 81. a. 1. & quinto*. Specialiter vero ex virtute religionis est quod Deo offeratur sacrificium. *D. T. supra quæst. 85. a. 3. & 4.* Determinatio vero huius sacrificij, quod est missa est ex Christi institutione, & præcepto, quod præceptum quia cultum Dei respicit, & est determinatio sacrificij Deo offerendi, ideo ad virtutem religionis spectat, & ex vi eius oritur, vnde nunc ex religionis virtute tenentur esse in Ecclesia sacerdotes qui celebrēt, & sic etiam ex virtute religionis est, quod sint in Ecclesia ministri sacrificij missæ, quia sine ministro, & sacerdote missa non celebratur.

900 Ex ijs colligitur primo quod de iure naturali, & diuino ex virtute religionis proueniēte homines tenentur Deo offerre sacrificiū. Quod modo ex institutione Christi est sacrificium missæ Quod quidē à Deo etiam est ordinatū ad obtinendum à Deo, & impetrandū ea, quibus indigemus, & ad Deū placandum, & satisfaciendum diuinæ iustitiæ pro pœnis nobis debitis pro peccatis nostris. Et ex consequenti ex hoc eodem præcepto, & religionis virtute tenentur fideles ad subministrandum totum id, quod est necessarium ad sacrificandum, & ex eodem iure tenentur ad alimentum ministrorum, quod est per se, & ab intrinseco vnum de necessarijs ad sacrificium.

901 Colligitur secundò quod ex eodem præcepto, & virtute debent esse in Ecclesia sacerdotes sacrificantes. Propterea Christus instituit sacerdotium, & idcirco sacerdos in susceptione ordinis suscipit obligationem sacrificandi; & exhibendi populis suum ministerium iuxta illud Pauli ad Hebreos quinto. *Omnis Pontifex ex hominis assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum. vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis*, itaq. ex vi ordinationis suæ, & ex officio religioso sacerdos tenetur exhibere suum ministerium in sacrificando. Et hæc obligatio in generali est in solidum in quolibet sacerdote, determinatio autem eius ad locum, & tempus, & personas est ab alijs causis.

902 Colligitur tertiò quod in populo, & sacerdotibus est mutua obligatio, & mutuum ius; populus obligatur ad sustentationem sacerdotis, quæ sustentatio non est debita, vt pretium, sed vt quid intime necessarium ad sacrificium, quia necessarium ad vitam sacerdotis. Et considerandum, quod cum sacerdos non debeat esse diues de suo, & præcipue in statu Ecclesiæ Christi, qui pauperes elegit in sacerdotes; & præterea etiam si sacerdos sit de suo diues, non teneatur de suo subministrare necessaria ad sacrificium, illaq. donare, sed hoc spectet ad offerentem, seu cuius nomine sacrificatur, ideo populus independenter ab eo quod sacerdos sit, vel non sit diues, tenetur subministrare alimentum sacerdotis, sine quo nec sacerdos est, nec esse potest sacrificium. Sed simul cum hoc debito habet ius contra Ecclesiam, & sacerdotem, vt sibi administret sacrificium quando opus fuerit, & eo tempore, & loco in quo sacrificare conueniat. Sic & in sacerdote est debitum, & ius. Nam est obligatio exibendi suum ministerium in sacrificando tempore, & loco oportuno, sed simul est ius exigendi à populo, seu ab eo, qui petit sacrificium, competens alimentum. Sed hoc ius non est iustitiæ commutatiuæ, neq. ex re data, & accepta, sed est ius Christi, & religiosum, quod ex ea iustitia prouenit, quæ est virtus religionis.

903 Verum est quod lex huiusmodi, & obligatio, & ius quod donat est generale, & indeterminatum, eius vero determinatio partim est à iure partim remissa est determinationi particularium. Nam ex parte populi, vt satisfaciat suæ obligationi à iure indictæ sunt decimæ, & ex parte sacerdotum à iure instituti sunt Prælati, & Rectores Ecclesiarum qui populis Sacramenta, diuinum verbum, & Missæ sacrificium administrant, ad quod etiam multitudo magna beneficiorum, & capellaniarum est instituta; sed vbi agendum sit de offerendo sacrificio pro particularibus personis, determinatio legis religiosæ de offerendo sacrificio missæ remissa est particularibus tam sacerdotibus, quam laicis, ita tamen quod stipendium respondens cuiq. sacrificio pro sustentamento congruo est lege, vel consuetudine taxatum. Cæterum in libertate fidelium est huiusmodi missas particulares, & priuatas petere, & in libertate sacerdotum est in casibus particularibus huiusmodo suplicationibus respondere, & velle acceptare stipendia pro missis dicendis. Quamuis in generali ad missas dicendas pro viuis, & defunctis teneātur sacerdotes. Et si in casibus particularibus sacerdotes nolent celebrare missas pro petentibus superiores illos deberent compellere; nam eorum est prouidere, vt in Ecclesia sint qui Deo offerant sacrificia pro peccatis, fideles vero dare stipendia pro missis est implorare officium sacerdotis exhibendo id, quod ex parte illorum ex lege naturali, & diuina, & etiam ex Ecclesiæ determinatione est necessarium.

904. Admittimus ergo iustitiam in negotio

missarum sed non ad hominem, sed ad Deum, nimirum iustitiam quæ est religio. Nec aliquem moueat, quod hæc sit iustitia imperfecta, quia non est imperfecta ex parte obligationis, & debiti, vt bene docet. *D. T. supra quæst.* 80. sed in ratione æqualitatis, quia est erga Deum cui non potest reddi æquale, ideo quo est imperfectior in ratione iustitiæ propriè dictæ, & est, & vitens, & iustitia altior, & perfectior, & strictiori obligans, & fortius deuincens. Et est hic iustitia eminentior ex vtroq. extremo habens eminentius, quod est iustitiæ commutatiuæ; quia sacerdos tenetur celebrare pro eo, qui dedit stipendium ac si imo magis, quam si cum illo contraxisset. Et qui petit missam tenetur sacerdoti de taxato stipendio ac si, & imo magis, quam si cum illo pactum iniisset. Et sic sine contractu, & pacto, & simonia sacerdotes taxatum stipendium exigunt, vt debitum, & fideles missas, vt debitas expostulant. Et sacerdotes acceptantes stipendium statim ex debito religiosi officij, & ministerij tenentur celebrare ad intentionem eius, qui dedid stipendium.

905 Dicitur igitur secundo ad principale intentum quod nequit celebrari missa pro stipendio, vel dari stipendium pro missa ex pacto oneroso, & inducente obligationem iustitiæ commutatiuæ vicissim, & ex vtraq. parte. Hæc assertio est expressa. D. *Thomæ supra quæst.* 100. *a.* 3. *ad* 2. *ibi. Si autem huiusmodi pacto interueniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis, & venditionis simonia esset: & 4. d. 25, quæst. 3. a. 2. q. 1. ad 4. ibi, Facere pactionem de missa celebranda est simoniacum semper: & ibid q. 2. ad primum ibi. Et ideo nullo modo licet pacisci pro ea celebrando, Perez de Lara de anniu. l. 1. c. 15. num. 7.*

906 Verum cum, vt supra dictum fuit, pactū sit duplex, scilicet onerosum, vel liberale: seu mutuum quia inducens obligationem mutuam in contrahentes, & non mutuum, quod solum ex parte vnius obligationem iustitiæ inducit, remanet videndum an interueniat, vel interuenire possit pactum liberale, & non mutuum in facto missarum; quod enim interueniat videtur voluisse, *Caiet. supra q* 100. *a.* 3. *ad primum dubium*, vbi admisit pactum, sed non proprie onerosum, sed pactum conditionatum nimirum in quo stipendium non interuenit, vt compensatio, sed vt conditio sine qua non seu modus aliunde debitus; ex hoc vero pacto non oritur vicissim iustitia commutatiua, sed huiusmodi sunt pacta liberalia licet conditionata, aut sub modo, quia datur spirituale sub conditione, aut modo aliunde necessario ac si dicatur nolo celebrare nisi in satisfacias debito eius pro quo celebratur. Et sic sustentatio interuenit, vt conditio sine qua non seu modus, non vt pretium. Hoc etiam indicat exemplum datum, à *Soto l.* 9. *de iust. q.* 6. *a.* 1. de artifice excellenti non petenti nisi victum, talia enim artifex non vult aliquid in compensationem operis sed in sustentamentum vitæ, & sic huiusmodi artifex non vendit sua, sed donat sub conditione, aut sub modo victua; Non vult enim compensationem pro opere, sed vult sustentamentum vitæ debitum iure naturæ operanti. Ex opposito autem, quod obligatio, & debitum quod in sacerdote oritur ex eo quod fidelis dat illi stipendium pro missis, non sit quia collatio stipendij sit donatio sub conditione probat. *Card. de Lugo disp.* 21. *num* 4. tum quia hic est sensus omnium, qui in vtroq. tam dante stipendium, quam sacerdote cognoscunt mutuam obligationem. Tum secundò quia sic sacerdos non celebrās solum teneretur restituere pecuniam receptam. Tum quia sacerdos non posset alienare stipendium antequam diceret missam. Tum quartò quia hoc modo palliari possent omnes simoniæ, quia posset quisq. dare has pecunias sub conditione, vt me eligas in Prælatum. Tum quintò quia cum conditio sub qua do est finis ob quem non do gratis, sed sub pacto, vt finem consequar.

907 Est igitur hic considerandum quod donatio sub conditione, & sub modo vt notant, *DD. in cap. verum, de condit. & Syluest. v. donatio nu.* 1. *&* 19. *&* 20. distinguuntur, quia in donatione sub conditione non transfertur dominium nisi conditione impleta, sed in donatione sub modo transfertur dominium manente in donatario obligatione implendi modum. Quo non impleto donatio potest reuocari, nisi sit donatio facta Ecclesiæ, vt per textum, *in d. cap. verum de cond. appos.* distinguuntur vero 2. Quia donatio censetur conditionalis, si ponitur dictio *si*, vt si dicatur dono tibi equum si ad me veneris hodie. Sed censetur sub modo, si apponitur dictio *vt*, vel alia finalem causam importans, vt si dicam dono tibi equum, vt eas Romam, quo stante videri potest quod qui dat eleemosinam illam donet sub modo, quia illam dat, vt dicatur missa.

908 Nihilominus considerandum est tertiò quod quando id quod datur est debitum antecedenter ad omne pactum, seu ex lege pactum omne præueniente debitum independenter ab omni pacto, tūc donatio ab intrinseco est donatio sub modo, vel etiam sub conditione, quia sicut ex vi rei donatæ consequitur in donatario obligatio aliquid faciendi, sic qui donat ex intentione illius donat, & sic saltem donat sub modo. In proposito tamen nostro donatio potius est sub modo, quam sub conditione. Qui enim dat stipendium illud dat, vt habeat missam, & sic est hæc donatio ex causa, & sub modo. Quamuis possit etiam esse donatio sub conditione, vt si quis det stipendium intendens non transferre dominium illius, nisi celebretur missa, pro qua habenda stipendium dat; sed nisi hoc exprimatur, donatio censebitur facta sub modo; Tum quia cum collatio stipendij pro missa sit actio religiosa, & ideo stipendium formaliter, & principaliter detur Deo, licet cedat in vtilitatem ministri, dans censetur donare de facto, licet ex intentione habendi missam; minus autem religiosum est donare sub conditione, quasi quod donans timeat ne à Deo, aut ab eius ministro decipiatur, & ideo nolit dare nisi sub conditione quod missam recipiat. Tum quia quando donatur aliquid ob aliquem finem est donatio sub modo, seu ob causam: Modus enim vt habetur ex *Syluestro v. conditio. num.* 3. est moderamen dispositionis per oneris impositionem tanquam causæ finalis, & ita, quod datur sub onere aliquid faciendi, seu vt donatarius onus aliquid faciendi subeat, est donatum sub modo, qui vero dat stipendium missæ dat sub onere, & ad finem, vt sacerdos sub

ea

ea onus celebrandi missam, & ita donat stipendium, sed sub modo, & onere. Tumamplius, quia vt habetur *ex cap. Verum de cond. app.* donationes conditionatæ factæ Ecclesiæ non consentur factæ sub conditione, nisi id expresse declaretur sed accipiendæ sunt, vt donationes factæ sub modo, & onere.

909 Ex parte vero sacerdotis non potest adesse donatio sub conditione. Cum enim conditio sit suspensio actus, & valoris illius, seu efficaciæ, missa vero, & eius efficacia non possit suspendi, cum habeat valorem ea opere operato, non potest donare missam sub conditione suspendendo effectum eius, sed missa statim effectum suum irreuocabiliter obtinet. Si ergo sacerdos dicit missam, non potest illam dare sub conditione contingentis euentus receptionis stipendij suspendendo interim effectum missæ, posset tamen applicare missā sub conditione veluti de præsenti in præscientia Dei, vt si diceret applico ea nunc missam pro Paulo, si in præscientia Dei est, quod mihi stipendium missæ sit daturus, quia hæc conditio non suspendit, cum sit de præsenti. Nihilominus nisi oppositum expresse declaretur, sacerdos dicens missam pro stipendio dando donat sub modo, quia donat cum onere intento, scilicet cum onere, vt is qui missam petijt det stipendium. Vbi vero collatio stipendij, vel missæ non incipit à traditione, sed à promissione facilius potest adesse conditio, vt si quis dicat promitto tibi missæ stipendium si missam dixeris, vel promitto tibi missam si dederis stipendium. Sed nihilominus nisi hoc exprimatur expresse, regulariter huiusmodi promissiones sunt modales, & promittitur stipendium sub onere missæ, & missa sub onere stipendij. Et quod ita fiat, & huiusmodi seu donationes seu promissiones intelligantur, vt modales, non vero vt conditionales inde colligitur, quod Pontifex, etiam numerum missarum manualium pro quibus aliquis sacerdos non satisfecit, etiam si stipendia recepit, reducit ad minorem numerum, non restituto stipendio ijs, qui illud dederunt, sed de eo, vt de re Ecclesiæ disponendo, sicut passim fit per ministros Cōgregationis R. Fabricæ sancti Petri. Quando autem instituitur beneficium, vel capellania euidens est quod huiusmodi sunt donationes sub modo, seu sub onere, & quod statim Ecclesia sit domina bonorum beneficij, & capellaniæ, licet sub onere ab institutore imposito.

910 Et nihilominus dicitur, quod per se loquendo huiusmodi donationes, seu etiam promissiones non sunt proprie pacta, sed sunt expressiones oneris, & obligationis quæ aliunde ex natura rei inest. De donatione hoc patet, quia donatio non est pactum, quando incipit à traditione, quia ex vi illius donans ad nihil manet obligatus proprie loquendo, quia ipse donat suum liberaliter. Sed licet donet sub onere, quia hoc est onus debitum ex alia causa, quam ex causa iustitiæ, si non intendit aliud onus imponere, nulla hic est iustitiæ obligatio, ideo nullum pactum proprie. Per se vero nullum aliud onus imponitur, quam illud, quod inest aliunde, nisi id exprimatur, & intendatur, quia ad hoc, vt donatarius teneatur subire illud onus sufficit, quod aliunde ad id teneatur, sicut in cuiuscumque donatione subest onus, vt donatarius non sit ingratus donanti, & hoc onus suscipit donatarius recipiendo donum, sed hæc non est obligatio iustitiæ, sed virtutis gratitudinis. Nam imo si donans imponeret aliquod onus iustitiæ non donaret, sed venderet, & ideo implicat quod donans donet, & imponat onus iustitiæ donatario, quia hoc onus superueniens donationi eam destrueret, & donationem in venditionem verteret. Sic si donans rem spiritualem intendat donatariū manere grauatum ad gratam restitutionem ex debito gratitudinis, non est simoniacus, & quod dat, dat gratis. Sed si intendat quod donatarius ex pacto seu ex obligatione iustitiæ pro re spirituali data teneatur ad gratam recompensationem non est donator, sed venditor, & simoniacus. Quando ergo donum infert debitum ex lege alicuius alterius virtutis à iustitia, nedum donatio licet sit sub modo per se non infert in donatario acceptante donum iustitiæ obligationem, sed si aliunde obligatio iustitiæ non conueniat, sed repugnet, reijcienda est iustitiæ ista obligatio. Sicut in proposito nostro, quia est simonia sacrilega dare temporale obligando ex pacto, & ex iustitia ad retributionem spiritualis, vel econtra dare spirituale ex pacto retributionis temporalis, ideo qui dat stipendium pro missa habenda donat quidem sub modo, & onere, sed non sub onere imposito ea pacto, sed sub onere, quod ex natura rei inest ea virtute religionis, quia aliter simoniace donaret. Et imo nec sub pacto potest imponi redditio debiti religiosi, seu quod ex virtute religionis consurgit, sicut donans nec sub pacto potest inducere obligationem gratæ recompensationis, quia si dans stipendium imponeret tale onus, vt reddēdum ea pacto, nec donaret, nec esset religiosus, sed simoniace sacrilegus. Itaque ergo in hoc negotio missarum siue stipendium actu tradatur, siue promittatur, & econtra siue dicatur missa, siue promittatur, interuenit quidem traditio, seu promissio, sed liberalis, & religiosa, & siue dicatur traditio, aut promissio, vel conditionata, vel sub modo, nunquam est proprie pactum, & nunquā inducit obligationem iustitiæ ea pacto consurgentem. Et si quis forsan dicat, quod licet donatio quando incipit à traditione non sit pactum, est tamen tale, quando incipit à promissione, quia promissio acceptata obligat ea iustitia, vnde promittens stipendium pro missa acceptante promissionem sacerdote, tenetur ex iustitia ad dandum stipendiū, & sacerdos habet ius ad illud habendum. Et sic econtra sacerdos promittens missam tenetur ex iustitia illam reddere, & qui dedit stipendium habet ius ad illam. Respondetur & dicitur primo, quod si hoc esset verum, nihilominus hæc non esset iustitia commutatiua ratione dati stipendij, & missæ acceptæ, sed esset ratione donationis, seu iuris donati, quia vnus promittendo gratis donaret ius ad stipendium, & alius donaret ius ad missam. Sed dicitur secundò non esse verum per se, & vniuersaliter, & ea vi promissionis quod promissio acceptata obliget ex iustitia; Nam promittens non donat, sed promittit, & obligatio ex iustitia non cōtrahitur, nisi quis libere se velit obligare, ideo nisi promittens intendat donare ius ad sem promissam, & sic se obligare ea iustitia ad illud non se obligat ex iustitia. In proposito

autem nostro, nec potest decenter interuenire hæc obligatio. Quia quando res promissa est incapax obligationis ex iustitia, & contractu, promissio illius non debet continere iustitiæ obligationem, quia nec ipsa petit dari non ex iustitia. Quia ergo missa non potest dari ex contractu, & pacto, quia esset simoniacũ, sed ex religione vult donari, & sic etiam dari debet stipendium pro missa; ideo promissio missæ, & stipendij eumdem modum tenet. Nec promissio inducit obligationem iustitiæ, sed sufficit quod inducat obligationem fidelitatis, & religionis, quia missa sacrosancta non debet subijci contractibus, aut pactis nec sacerdos debet cum fideli agere ex æqualitate sed vt superior, & Christi minister.

911 Itaque ergo, vt ex *Panorm. in cap. Olim el p. de rest. spol.* aduertit *Syluef. v. simonia num. 17.* pactum est duplex proprie, & improprie dictum. Pactum proprie est illud quod inducit obligationem iustitiæ vel in vtroque consentientium de aliquo negotio, vel saltem in eorum altero. Pactum improprie est donatio sub modo, vel causa, quia hæc donatio non infert obligationem iustitiæ. Et diligenter considerandum quod aliud est obligationem inducere, & aliud est exprimere obligationem, quæ aliunde insit. Si quis ex suo consensu, & dato intendit se obligare ex iustitia, & talẽ obligationem inducere in alio, hic paciscitur. Sed si verbis suis conditionem, vel modum, aut causam importantibus non intendit nisi exprimere conditionem, modum, vel causam, & eam obligationem, quæ aliunde rei inest, non nouam obligationem inducere, hic videtur pacisci, sed non paciscitur, quia nulla inducitur obligatio iustitiæ ex vi talis expressionis, sed obligatio aliunde existens significatur, & in memoriam reducitur: in spiritualibus enim pacisci illicitũ est, & simonia est si ex pacto detur spirituale pro temporali, & temporale pro spirituali; & ita simonia est si detur ex pacto stipendium pro missa, vel econtra. Sed non est simonia exprimere obligationem, quæ inest rei aliunde quam ex pacto, & contractu, vt bene dixerũt *Panorm. d. cap. Olim. de restit. spol. Syluef. v. simonia num. 17. Barbos. ad cap. significasti num. 2. de elect.* Sed hoc non est pacisci, sed debitum, quod inest exprimere.

912 Hinc explicatur quomodo intelligi debeant DD. qui dicunt quod inter sacerdotem, & eum qui dat stipendium pro missa potest interuenire pactum, seu quod etiam ante traditionem rei spiritualis, aut temporalis possunt iniri pacta, & conditiones sub quibus res spiritualis exigatur. Nam v.g. potest dari terra sub pacto, & conditione, vt in ea construatur Ecclesia, vel sub conditione reseruationis certi census, vel sub conditione vt instituatur præbenda, vel capellania, vel potest dari licentia construendi Ecclesiam, sub certo pacto, & sub simili conditione, *v. cap. Olim de restit. Spoliat. cap. quanto, & cap. ex continuatione de censibus, & cap. significatum de præbendis.* Hæc enim omnia intelligi debent de pacto improprie dicto prout pactum dicitur donatio sub modo, vel causa, vt ex *Panom. in d. cap. Olim.* tradit *Syluef. v. simonia num. 17.* In hoc quoque sensu debet intelligi doctrina illa scilicet quod possit deduci, & expresse poni sub conditione quod tacite inest, vnde à visitante Ecclesiam potest exigi procuratio; *cap. cum sit Romana, de simonia, & cap. cum Apost. de censibus & cap. cum officij de præscript.* tantum enim debet excludi pactum onerosum, & ex mutua iustitia obligans. Nam & simonia est, si quis det aliquid ex pacto obligans ex iustitia ad gratiam recompensationem, vt probaui *tract. de elect. cap. 7. quæst. vndecima.* Et solum est verum de pacto gratuito improprie dicto, prout pactum dici potest sola expressio eius, quod rei tacite inest, ita tamen quod ex vi pacti nulla in recipiente rem datam oriatur noua obligatio iustitiæ. Et ita quod dixi eodem *tract. & cap. 7. num. 52.* quia, scilicet pro operibus spiritualibus sustentamentum debetur ministris ex iustitia, dictum fuit attento communi modo loquendi, quo in hac materia vtuntur præcipue moderniores, & est verum quia religio iustitia est, & forma obligans, quam iustitia commutatiua. Quamuis hæres etiam ex iustitia commutatiua teneatur facere celebrare missas sibi impositas à testatore, & dare pro illis stipendium quia ad id tenetur ex onere sibi imposito à testatore.

913 Sed & alia explicantur DD. placita, vt quod licet sacerdoti, non obstante, *cap. in tantum, de simonia*, nolle celebrare missam, nisi qui illam commendat det prius stipendium, vel cautionem de illo dando. Quod licere dixerunt, *Sanchez. l. 2. concil. cap. 3. dub. 11. num. 13. Layman. l. 4. tr. 10. cap. vlt. §. 2. num. 15. Alphons. de Leone de off. de Capell. q. 7. sec. 4. num. 39. Gaz. trat. 3. diff. 10. dub. 1. num. 16.* quos refert, & sequitur *Pasqual. q. 914.* Hoc enim verum est, non in vi alicuius pacti, sed quia cum alias ex iure Religioso celebranti debeatur stipendium necessitatis, si sacerdos dubius sit de stipendio potest se assecurare, anticipata vero solutio, & exactio est præsumptio simoniæ iuxta illud *cap. in tantum*; quatenus est præsumptio alicuius pacti, seu quod res spiritualis detur ex pacto. Sed vbi quod datur non datur ex pacto, sed datur lege id statuente, & non datur vt pretium, sed vt stipendium, non est simoniacum, & illud exprimere dum spirituale postulatur, & de illo se assecurare vbi sit periculum, quod non exhibeatur.

914 Quod vero, *Pasqual. d. q. 914. num. 5. & 7.* dicat quod sacerdos post quam celebrauit potest instituere actionem coram iudice, & instare de solutione stipendij, si propie intelligatur, supponit, quod stipendium debeatur sacerdoti, qui celebrauit, ex iustitia commutatiua, & ex consequenti quod debeatur ex pacto, & tanquam æqualis compensatio sacrificij, quod est prorsus simoniacum, vel saltem, quod promissio stipendij acceptata à sacerdote obliget ex iustitia, quod in proposito non est etiam admittendum. Quia esto regula illa quod promissio acceptata obligat ex iustitia esset vera vbi materia promissa subest contractui, vt fatetur idem *Pasqual. q. 743. 8.* non est vera vbi materia non subest emptioni, aut venditioni, seu contractui, sicut non subest materia, & onus missarum, ideo promissio stipendij pro missa etiam acceptata non obligat ex iustitia, quia stipendium nequit dari ex contractu pro missa. Et ideo tali sacerdoti non datur proprie actio, sed datur imploratio officij iudicis ecclesiastici cuius est procurare, vt satisfiat nedum obligationi iustitiæ,

ſtitiæ, ſed cuiuſcumq. virtutis.

915 Addit vero, *Paſqual. nu.6.* quod hic iudex eſt eccleſiaſticus, quia hæc cauſa ſpiritualis eſt, cum ratio ob quam ſtipendium debetur ſit religio, vnde laicus ratione rei de qua agitur ſortitur forum Eccleſiæ, *cap. fin. de foro competent.* Vnde & taxare hoc ſtipendium ſpectat ad forum eccleſiaſticum. Nam & ex *cap. ad Apoſtolicam de ſimon.* habetur, quod epiſcoporum ſit curam habere, vt conſuetodines laudabiles dandi aliquid pro ſuſtentatione clericorum executioni demandentur.

916 Pariter ex *Rebuff. de oblig. inſt.p.t.l.2.q.18. num.4. Mirind. t.t.q.41.a.23. ſubdit. Paſqual. d.q. 914. num.8.* quod vbi detur caſus occultę, compenſationis, quod ſacerdos ea vti poterit. Sed hic nedum primo eſt conſiderandum quod non eſt certum, quod compenſatio habeat locum in debitis ex alia virtute, quam ex virtute iuſtitiæ commutatiuæ, Hoc enim negant, *Nauar. cap. 17. num.213. & ſalus i.5.q.3.a.* quos refert, & ſequitur, *Banac. de reſtit diſput.t.q.vlt. p.2. num.13.* Qui vero commendauit miſſas non tenetur ad ſtipendium dandum ex iuſtitia commutatiua, quia pro miſſa non poteſt ſine ſimonia deberi ex iuſtitia res temporalis, quia deberetur ex pacto, & contractu, & vt pretium, ſeu vt æqualis recompenſatio miſſæ. Sed ſecundò conſiderandum, quod non poteſt fieri occulta compenſatio in præiudicium tertij innocentis: vnde ſi miſſæ de nouo commendatæ ſunt celebrandæ pro aliquo tertio non licet ſacerdoti miſſas promittere, & poſtea in tertij præiudicium vti occulta compenſatione. Hoc enim non eſt religioſum, & hæc eſſet infidelitas in miniſtro Chriſtianæ religionis valde indecens. Tertiò adhuc conſiderandum eſt, quod nouum ſtipendium pro miſſis nouiter commendatis datum, non eſt amplius res dantis, ſed eſt res Eccleſiæ, & de Chriſti pàtrimonio; Vnde non poteſt habere locum compenſatio; quia qui debet eſt v. g. laicus, & ſtipendium receptum eſt res Eccleſiæ; non poteſt vero, cum re Eccleſiæ compenſari debitum à laico, Et ſi dicatur, quod compenſatio fiet accipiendo pro Eccleſia id, quod laicus dat ſub nouo onere miſſarum, vt datum libere, & abſolute, & ſine aliquo onere, & ſic onus cum onere compenſabitur, & miſſæ dictæ, ſupponentur in locum dicendarum. Primo dicitur, quod hoc per ſe loquendo cedet in diminutionem diuini cultus. Secundò ſi miſſæ nouiter dicendæ non ſint pro eiſdem, hoc eſſet in præiudicium tertij innocentis, ſi hæ miſſæ omitterentur, Tertiò abſolute non decet miſſas tractare ac ſi eſſent res temporales, & inuicem permutabiles; Nec decet Chriſti miniſtrum extrinſecus promittere miſſas, & illas non celebrare, & ſic religionem, & deuotionem commendantis decipere intuitu rei temporalis.

917 Ex prædictis vero ſoluitur principalis ratio, quæ vrget in contrarium. Quia nimirum non eſt obligatio reſtituendi niſi ex iuſtitia commutatiua, at vero ſacerdos tenetur reſtituere ſi non celebrat miſſam, vt expreſſe continetur in decreto de celebratione miſſarum, Sed vt reſpondeatur, interogo primo quid ſit reſtituendum, & cui? Nam primo eſtne reſtituendum ſtipendium, vel reddenda miſſa non celebrata, ſeu iterum miſſa celebranda? Præmitto quod ſtipendium pro miſſa eſt eſſentialiter oblatio religioſa, quia ſacrificium miſſæ eſſentialiter eſt actus religionis. & ideo illicite, & inordinate agit, qui dat ſtipendium ſi proxime, & immediate ex fine operis non dat illud in Dei cultum, qui eſt obiectum religionis quamuis ex fine operantis poſſit qui dat ſtipendiũ alios fines honeſtos intendere. Sed immediate ex fine operis, qui vult opus ordinate, & ex virtute, debet intendere intrinſecum operis finem, intrinſecus vero finis miſſæ eſt Dei cultus, & iam ex ſupradictis, & difuſe probatis in hac eadem inſpectione miſſa debet à petente offerri ex deuotione, vnde & ex deuotione ad Deum debet dari miſſæ ſtipendium, & ita quod ex huius deuotionis quantitate fructus recipiendus ex miſſa menſuretur; igitur collatio ſtipendij eſſentialiter eſt oblatio religioſa Deo donata in eiuſdem Dei cultum. Et licet ſtipendium cedat in vtilitatem ſacerdotis, qui eſt Dei miniſter, tamen is cui datur formaliter eſt Deus, qui eſt obiectum religioſi cultus, in quem cultum ſtipendium datur. Et licet proprie loquendo ſtipendium miſſæ non ſit oblatio, ſicut nec decima, eſt oblatio proprie ſecundum *D.T. ſupra q.85. a. 3. ad tertium*, quia ſtipendium materialiter immediate datur ſacerdoti; tamen is cui primo, & principaliter datur eſt Deus, & ideo ſtipendium illud ſit de Chriſti patrimonio tanquã id, quod eſt datũ in Dei cultum. Ex his duo ſequuntur. Primum eſt, quod obligatio ſacerdotis eſt primo, & principaliter non vt reſtituat ſtipendiũ, ſed vt ſatisfaciat ſi poteſt celebrando miſſam, vel miſſas omiſſas, & ſi alicuius alterius damni cauſa fuit ſatisfaciat, vt latius ex profeſſo explicabitur infra. ſecundum eſt, quod ſi ſacerdos abſolute nolit omnino celebrare miſſam pro qua ſtipendiũ accepit, tenetur etiam reſtituere ſtipendium. Sed cui? Si vere traditio ſtipendij fuiſſet donatio conditionata, non eſt dubium, quod teneretur ſacerdos illud reſtituere ei, à quo accepit, Sed quare? quia tunc ſtipendium eſt res aliena quam ſacerdos non fecit ſuam, & ideo tenetur reſtituere non ex contractu neque ex pacto oneroſo, ſed quia fuit ſibi conditionate donatum, & ſic tenetur reſtituere ratione iniuſtæ acceptionis, & detentionis, & ne rem alienam detineat inuito dominio. Sed cum regulariter traditio ſtipendij ſit donatio ſub modo, & onere, Ideo ſacerdos, qui non vult ſubire onus tenetur reſtituere. Sed non ei, qui dedit ſtipendium, quia illud eſt iam res Eccleſiæ, & de Chriſti patrimonio, & donata Eccleſiæ ſub modo non ſunt repetenda, *cap. verum de cond. appon.* Eccleſia tamen neque vult, quod talis ſacerdos ſtipendium illud retineat, ſed illud remanet Eccleſiæ ſub diſpoſitione ſummi Pontificis. Sacerdos tamen tenetur reſtituere non ratione contractus aut pacti, ſed ratione iniuſtæ acceptionis, & detentionis, quia ſacerdos non facit illud ſtipẽdium particulariter ſuum, niſi celebret. Totum hoc comprobatur ex allegatis. *per Reuerend. Fagnanum ad cap. ſignificatum num.22.* de præbendis, vbi probat Pontificem poſſe reducere miſſarum numerum, quæ ex viuentium largitionibus debentur, ex eo quia res quæ donantur Eccleſiis adiecto onere celebrationis miſſarum deſinunt eſſe laicales, & tranſeunt in dominium, & propietatem

tem Ecclesiæ, *cap. conquestus, & ibi Gloss. fin. de for. competent.* Cum igitur huiusmodi stipendia fiot iam de patrimonio Christi, & dominio Ecclesiæ, ideo sub dispositione Summi Pontificis sunt, nec sunt amplius bona laicalia; quia vero Pontifices volunt, quod Sacerdotes non faciant sua huiusmodi stipendia, nisi oneri satisfaciant, sub quo data sunt; ideo Sacerdotes non satisfacientes tenentur restituere. Et est eadem ratio de illis, & de Clericis non recitantibus officium diuinum, qui tenentur restituere, & quidem ex iustitia, sed restituere tenentur, vel fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus iuxta decretum, *Concil. Later. & Constit.* 135. Pij Quinti. Sic enim, & manifestum est, quod Capellanus Beneficiatus omittens missas celebrare tenetur ad restitutionem, nec tamen tenetur restituere laico fundatori, quia bona Beneficij sunt Ecclesiæ.

918 Quæ vero supra ex *Card. de Lugo* adducta sunt ad probandum, quod hic non interueniat donatio sub conditione, pro quanto dictis sint contraria, soluta manent; ad primum enim dicitur, quod omnium sensus est, quod inter dantem stipendium, & sacerdotem sit mutua obligatio, & hoc verũ est, sed non omnium sensus est, quod hæc obligatio sit ex iustitia, vel ex pacto, sed qui hoc sentiunt admittunt simoniam, quam negare contendunt. Ad secundum dicitur, quod hic interuenit non quælibet donatio, sed donatio religiosa, religiose acceptata, & quæ regulariter est donatio sub modo; ideo adest obligatio dicendi missam. Quatenus vero contingerit quod collatio stipendij esset donatio sub conditione, non teneretur sacerdos non celebrans nisi ad restitutionem stipendij, quia missam non promisit, nisi ex vi acceptationis donationis conditionatæ. Et nihilominus additur, quod ex officio suo tenetur sacerdos non priuare Ecclesiam cultu Diuino per hoc sacrificium Deo exhibito, sine aliqua rationabili causa, nunquam tamen vi accepti stipendij ex iustitia commutatiua ad id tenetur, quia sine simonia consensus in talẽ obligationem non est dabilis. Ad tertium dicitur quod quatenus traditio stipendij esset sub cõditione verissimum est, quod sacerdos non posset alienare stipendium, missa non celebrata; nec tunc illud stipendium esset absolute religiosa oblatio, sed solum cum conditione, & maneret bonum laicale, nec esset de Christi patrimonio. Sed hoc nõ euenit, quia traditio stipendij est donatio sub modo, & onere, vnde talia oblatio est simpliciter oblatio quædam religiosa, generice loquendo de oblatione, & spectat ad patrimonium Christi, nec Sacerdos facit illud omnino suum, nisi celebret; nam si non celebret Ecclesia non vult, vt faciat illud suum, sed tenetur illud restituere, vel ab Ecclesia modo licito compensationem illius habere, ita tamen vt obligationi acceptæ satisfiat modo à summo Pontifice determinando. Ad quartum dicitur quod ponere, quod inter dantem stipendium, & sacerdotem pro missa celebranda intersit iustitiæ obligatio ex pacto, non est palliare simoniam, sed illam docere, & approbare. Donare autem aliquid sub conditione nullam ex vi donationis imponendo obligationem in donatario sed solum intendere obligationem quæ alias inest rei non est palliare simoniam, sed omnino excludere. Itaq; qui sub conditione spiritualis dat temporale, vel ex vi donationis intendit inferre in donatario obligationem, quæ rei non inest, vel nullam intendit inferre obligationem nouam. Si detur primum hoc nedum est palliare simoniam, sed simoniace agere: sed velle improbare donationes conditionatas, & sub modo factas nulla imposita obligatione quæ rei non insit, sub pretextu, quod hoc sit palliare simoniam, est manifeste repugnare sacris canonibus supra n. 912. recensitis, huiusmodi donationes approbantibus, & praxi quotidianæ Ecclesiæ. Ad vltimum dicitur, quod non omnis finis est pretium, licet omne pretium sit finis. In donatione modali per se nullum est pretium, nullum pactum. Et tamen modus seu onus impositum est finis. Punctum stat, an quod intenditur vt finis traditionis prætendatur, vt reddendum ex pacto, seu ex obligatione iustitiæ, tunc enim quod dator ex hac intentione datur vt pretium. Sed quando id quod intenditur vt finis intenditur vt mere liberaliter habendum, vel vt habẽdum ex debito, quod inest rei ex alia virtute, tunc id, quod datur, non datur vt pretium. Et sic stipendium missæ non datur vt pretium, sed vt sustentamentum, licet postea ex hoc sacerdos teneatur celebrare missam. Pariter qui decreuerat non celebrare, postea si oblato sibi missæ stipendio forsan etiam pinguiori celebrat, vt stipendium lucretur quidquid in contrarium dixerit *Azor. p. 3. l. 12. cap. 4. q. 4.* non est simoniacus, si vere non intendit stipendium, vt pretium, quia tunc lucrum illud non est finis operis, sed motiuum occasionale ad mutandum propositum, & est ratio ex parte volentis, ex qua disponitur vt velit missam, quam tamen non nisi religiose vult celebrare. *Syluest. v. simonia n. 9. Sanchez l. 2. Consil. cap. 3. dub. 12. Ledesm. p. 2. de simon. concl. 17. Pasqual. de sacrif. missæ q. 910. & apud eum Conrad. Fraxin. Alphons. de Leon. & Garz.*

919 Ad ea vero quæ supra n. 875. allata sunt ad probãdum, quod possit sacerdos pro pretio locare operas suas in spiritualibus responderet. Testimonia quæ ex *lib. Num.* sumuntur explicat Raphael à Turri dicendo quod ministeria leuitarum etiam circa tabernaculũ erant temporalia, vt portare tabernaculum, ab vno ad alium locum, cubare circa illud, & illud custodire, vnde illæ actiones erant solum spirituales ex fine, ideo non vendito spirituali fine poterant illę haberi pro pretio. Verũ in oppositum est, quod illę actiones habebantur ab illis, vt ex officio, & ideo ex spirituali potestate, & deputatione vnde erãt spirituales etiam ex principio. Ideo dicitur quod ibi pretium accipitur communiter, vt est idem quod merces debita, siue sit debita ex iustitia, siue non, & quod sic accipi debeat, colligitur nedũ quia septuagiora, Chaldeus, & Pagninus vtuntur verbo mercedis, sed quia decimæ debebantur leuitis ex Dei præcepto, & institutione non vero ex pacto inito inter tribum Leui, & alias tribus; non ergo decimæ erant propriè pretium, quia pretium non est, vbi non est pactum onerosum inter cõtrahentes, & vendentes, & ementes; sed decimæ debebantur ex lege naturali, & Diuina institutione. Sic ergo ex hoc explicantur etiam allata ex Euangelio, Nam quia merces dicitur quod ex debito alicuius iustitiæ datur, siue illa sit iustitia commutatiua, siue alia iustitia; vnde beatitudo est proprie merces data operibus iustorum

tum, licet non detur ea iustitia commutatiua, quæ in Deo retribuente præmium æternæ vitæ locum non habet, quia stipendium vere ea religionis iustitia est debitum celebranti missam, Ideo est merces. Et sic etiam dicitur stipendium; quæ enim dantur pro spiritualibus, quatenus dantur vt debita pro opere aliquo dicuntur stipendia. Et per hoc explicata manent tuta allata, quia aliud est quod pro actibus spiritualibus debetur corporale sustentamentum, & aliud est, quod debeatur vt pretium, & ex pacto onerato. Primum affirmant iura illa, non secundum. Plures etiam DD. loquuti sunt de pacto communiter dicto, vt explicat. *Sylvester. ver. simonia n. 7.* quatenus omnis conuentio, & etiam donatio sub conditione, & modo, & qualibet promissio dici potest pactum, sic enim sumitur sæpius pactum etiam in scripturis, vt *Gen. 9. ibi. Recordabar fœderis sempiterni, quod actum est inter Deum, & omnem animam viuentem vniuersæ carnis, quæ est super terram.* Hic enim non potest esse sermo de pacto proprie; nedum quia in Deo non est iustitia commutatiua secundum veram doctrinam *D. T. p. 1. quæst. 21.* sed quia euidens est, quod inter Deũ, & animalia irrationalia pactum esse non potest, cum illa non habeant rationem, & consensũ, sed ibi sub nomine fœderis, & pacti significatur diuina promissio, ex qua tamen Deus nullo modo ex iustitia commutatiua manet obligatus.

SVMMARIVM.

1 *Stipendium iustum est, quod libere datur, & acceptatur. num. 920.*

2 *Stipendium iustum est, quod lege, vel consuetudine, est taxatum. num. 921.*

3 *Ordinarij est id præstare. num. 921.*

4 *Stipendium consuetudine taxatum diuiditur in infimum, medium, & supremum. num. 922.*

5 *Si lex consuetudinem abroget standum taxationi legis. num. 923.*

6 *Quid tunc, si qui commendat missam velit stare consuetudini. num. 923.*

7 *Si consuetudo superuenit legi, & est legitime præscripta ipsa est seruanda. num. 924.*

8 *In hoc non est dubius consuetudo legitime præscripta, quæ non sit satis rationabilis, vt consuetudo non teneat, donec reuocetur. num. 924.*

9 *Hæres an teneatur dare stipendium pinguius. num. 925.*

INSPECTIONIS SEXTAE.

CAP. SEXTVM.

Quale sit iustum Missæ stipendium.

920 QVoniam duplicis generis est stipendium, quod datur sacerdotibus pro missæ celebratione, aliud scilicet per modum perpetui reditus; & aliud manuale, quod datur pro celebrandis missis occurrente occasione. Hoc primo occurrit dicendum, quod iustum stipendium est illud quod libere datur, & libere acceptatur. Vnde iustum stipendium est quod quantecumq; quantitatis magnæ illud sit, etiam si pro vna missa sit centum, vel mille, vel plurium millium aureorũ, si liberaliter datur, & in minus quodcumq; minimum etiam si sit quadrans, si libere recipitur, & sub eius acceptatione missa celebratur. Nam & & qui dat stipendium liber est, vt possit suum donare, & ideo tribuere, quamcumq; quantitatem pecuniæ pro vnius missæ celebratione, & Sacerdos est liber, vt etiam mere gratis, & sine stipendio missam celebrare valeat, Et stipendium, & missæ essentialiter donantur, nec dantur vt pretium ideo stipendium in quacumq; quantitate dari potest, quia Deo donatur, & offertur. Et quantumcumq. magnum, semper est minus in infinitum dignitate eius cui datur, & valore eius pro quo datur.

921 Quæritur autem primo an conueniat taxari stipendium missæ, & à quo sit taxandum. Conueniunt in hoc DD. quod stipendium iustum sit illud quod est taxatum lege, vel consuetudine, & in hoc, quod taxare stipendium per legem spectet ad Ordinarium. Quod vero stipendium hoc debeat esse taxatum, ex eo probatur, quod vbi lex naturæ, vel Diuina est indeterminata, ad legem positiuam pertinet hanc indeterminationem determinare in ordine ad commune bonum. Ex lege vero naturali, & Diuina Ministris Diuinis cultus debetur sustentamentum, sed quantum hoc debeat esse, & quale, & quando, & pro quibus ministerijs tribui debeat, spectat determinari ad legem positiuam. Potuisset vero Ecclesia statuere, vt aliquid aliud vel perpetuum, vel per modum salarij daretur sacerdotibus, sed cum ad cultum etiam Dei pertineat, vt priuati offerentes, & commendantes missas pro suis necessitatibus, vt oblatio ex parte offerentium sit magis deuota, & religiosa, & Deo grata, aliquid in eleemosinam offerrant, ideo in Ecclesia admissum est; vt qui commendant missas dent aliquod in sacerdotis sustentamentum. Quantum vero sit dandum remissum fuit Ordinarijs, vel etiam communi populorum consensui ab Ordinarijs approbato. Et ideo iustum stipendium est, quod lege, vel scripta, vel non scripta, qualis est consuetudo est taxatum.

922 Dicitur tamen secundò, quod discrimen est inter stipendium taxatum lege, & taxatum consuetudine. Quia illud est regulariter indiuisibile; lex enim pretia indiuisibiliter solet determinare. Sed istud est diuisibile in infimum, medium, & supremum. Quæ enim à plurium opinione, iudicio, & vsu dependent, & variabilitati animorum subdita sunt, non sunt capacia tantæ indiuisibilitatis, & firmitatis, *Ledesma p. 1. tract. de Eucar. cap. 18. concl. 8. Suarez disp. 86. sec. 2. concl. 2. Mirand. tom. 1. q. 41 a. 23. concl. 2. Pasqual. q. 924. a. 4.*

923 Sed cum possit esse, quod alicubi sit vtraq; taxatio, & quod aliud à lege, aliud à consuetudine habeatur, quid tunc agendum, & cui standum? Legi ne, vel consuetudini? Respondetur quod vel lex præcedit consuetudinem, vel subsequitur, seu vel consuetudini superuenit lex, quia tunc lex derogat consuetudini, eamq; corrigit, & deducit ad terminos maioris æquitatis, seruanda lex est. Et tunc si vel testator mandet sibi celebrari missas, vel aliquis sine aliqua conuentione de quantitate stipendij commendet missas alicui sacerdoti, standũ est stipendio à lege taxato, quia lex tunc silere facit

con-

consuetudinem. Si vero qui commendat missam mentionem faciat de stipendio,& velit stare pretio taxato à consuetudine non vero legi noox,quia illud sit minus poterit sacerdos modeste, & humaniter admonere eum de insufficientia stipendij, & de vigore legis,sed tamen omnino cauere debet ne altercetur, vel, quasi agercur de re venali contractet cum illo & conueniur ambo, vnus dare minus, & alius velle maius, sed sacerdos, vel absolute non accipiat eleemosynam, vel quod melius erit recipiat stipendium consuetudine taxatum, quod vult dare, qui petit missam.

924 Sed si consuetudo adueniat legi, postquam consuetudo fuerit præscripta, illa seruari debet, manebit enim lex abrogata, Si tameo consuetudo adueniens detrahat de stipendio taxato à lege, nisi sit mutatio notabilis in ijs quæ deseruiunt sustentationi, & pretium ita notabiliter decreuerit,vt proinde minus requiratur pro sustentatione, putat. *Pasqual. quæst. 924. n.* 8. quod consuetudo sit irrationabilis, vt pote fundata in auaritia commendantium missas,& ideo non præualebit contra taxationem factam per legem, quia præsumitur, quod taxa legis fuerit rationabilis, & ideo illa debebit seruari *cap. Cum pia,& cap. Ecclesiastica*, 25. *q.* 2. Nisi enim consuetudo sit rationabilis non valet, neq; est attendenda, præsertim in iudicio. *cap. Ad nostram de consuet.* sed aduertendum est, quod in hac materia impossibile est, quod consuetudo sit contra legem legitime præscripta, & non sit rationabilis,quia cum in hoc quod est dare stipendia pro missis populus maxime pendeat à Clero, non est facile, imo est moraliter impossibile, quod consuetudo præscribat oedum contra legem, sed in damnum Cleri, & non sit rationabilis, cum sit in Cleri potestate abusus huiusmodi tollere, & abrogare, nec sit verisimile, quod in damnum suom sit eos toleraturus. Et præterea cum pro missa non debeat dari stipendium,quod æquiualeat missæ,vel etiam adæquet pretium sustentationi diurnæ necessarium, vnde determinare quantum sustentationi debeat dari sacerdoti pro missa sit legis humanæ scriptæ, vel non scriptæ,si detur vere quod consuetudo præscripserit vt detur paruum, & minimum stipendium pro missa, cum præscriptio ista non sit legitima nisi Ordinario ipso consentiente, & approbante, durante cósuetudine ei erit standum, nec poterit reijci à priuatis tanquam irrationabilis, quia in his non est irrationabile quod communi vsu approbato à superioribus est inductum;neq; enim hic vsus est inductiuus peccati,sed solum importat minus lucrum sacerdotum, vnde sumus in vsu qui præscribi potest. Poterit tamen ex causa rationabili similia consuetudo per nouam legem abrogari.

925 Colligit autem idem *Pasqual. n.* 9. quod quando testatores relinquunt missas celebrandas pro se ipsis non determinata quantitate stipendij, hæredes tenentur dare stipendium pinguius secundum legem, & consuetudinem. Ratio est, quia cú nulla eo sit fructuosior, quo stipendium datum est maius, quia plus offertur Deo, & sic melius cooperetur missæ, com simus in materia fauorabili animæ præsumendum est,quod testator voluerit,quod missę in sui beneficium celebrentur omni meliori modo, & fructuosiori, & ideo, quod voluerit obligare hæredes ad pinguius stipendium, quia anima rebus omnibus est præferenda. *cap. ex Præcipimus.* 2. *q.* 11. *l. Sancimus. C. de Sacros. Eccl.* Verum licet hæc sit bona coniectura, non est tamen talis, quæ alijs nó possit vinci coniecturis, & ideo aliæ etiam coniecturæ considerandæ sunt. Et præcipuè in hoc quoq; vsus est leruandus,si enim vsus sit, quod hæredes missas ex testamento relictas celebrare faciãt cum stipendio, vel infimo, vel medio, præsumendum erit, quod testator noluerit grauare suos hæredes vltra solitum, nisi id expresserit. Imo absolute loquendo, cum testator nihil expresserit de quantitate stipendij dandi pro missa, alia regula habere poterit locum, quod scilicet si testator attendisset ad illum excessum fructus, qui potest respondere excessui stipendij, qui non multus erit, id expressisset. Nam alias si coniectura illa absolutè attendi deberet, sequeretur quod hæres ea iustitia deberet dare pinguius stipendium, & quod teneretur ad restitutionem si id non faceret, non est vero tam facile præsumere, quod testator hanc obligationem voluerit imponere suo hæredi. Eo maxime, quod viuentes ipsi dum pro se ipsis petunt missas, libentius dant stipendium medium, vel infimum,quam supremum, non attendentes illi vtilitati, quæ maiori stipendio respondet.

SVMMARIVM.

1 *In taxando stipendio attendi debent circunstantia loci, & temporis, &c. num.* 926.

2 *Maius stipendium taxatur pro vna missa, quam pro alia. num.* 926.

3 *Per se non debetur maius stipendium pro die festo. num.* 927. 928.

4 *Stipendium non est necesse vt valeat pro diurno victu sacerdotis. num.* 929.

926 Quæritur secúdo, quid debeat attẽdi in taxãdo stipẽdio?Hoc certú est,quod debet attẽdi ad circũstantias loci,& tẽporis,vt colligitur ea *Caiet. supra q.* 77. *a.* 1. *ver. quoad* 2. *Soto* 4. *d.* 13. *q.* 2. *a.* 1. *cócl.* 2. in dubio de valore missæ. *Nauar. cap.* 23. *n.* 18. & inter alias circumstantias considerari debet caritas, & abundantia earum rerum, quæ ad ad sustentationem vitæ sunt necessariæ. Nam & ab hoe videmus quod modo pro missæ stipendio magis notabiliter datur, quam daretur antiquitus. Et oune vbi est maior victualium abundantia stipendium pro missis taxarum est minus, quam vbi victualia carius emuntur, Debet etiam attendi ad qualitatem missæ, quia vbi hæc sit diuturnior, & laboriosior, & longior, sicuti est missa cantata, maius stipendium pro illa taxari debet, vt supra *dict. est. n.* 888. sicut etiam si missæ sit coniunctum officium defunctorum, vel si à sacerdote petetetur nedum missa, sed ieiunium. *Tambur. de iure Abb. t.* 2. *disp.* 5. *q.* 9. *n.* 15. *Pasqual. q.* 912. *n.* 6. *&* 7. *vbi n.* 8. *ex Petro Nauar. & Alphons. de Leó.* qui vult quod maius stipendium debeatur sacerdoti ab eo qui petit missam cum aliquibus specialibus orationibus. Verum in hoc casu tam leuis erit variatio, vt speciem auaritiæ habeat, si vltra ordinarium stipendium aliquod pro adiectis collectis exigatur.

927 Colligunt etiam aliqui, nimirum. *Tambur. de Sacrif. Missæ. l.* 3. *c.* 1. §. 3. *n.* 37. *Pasqual. q.* 913. *Ascan.*

Ascan. Tamb. de iure Abb. t. 2. disp. 5. q. 9. n. 15. Bonac. disp. 4. p. 8. n. 13. quod etiam habenda sit ratio temporis, & quod maius stipendium taxari debeat pro officiatura missæ in die festo, quam feriato, sicue de facto fuisse taxatum in *Sinod. Diaces. Mediolanen. & Cremonen. refert Tambur. vbi supra*. Probant vero hoc, quia in die festo maior concursus est audientium missam, & eam postulantium, quam diebus feriatis, crescit vero pretium rerum multiplicatis emptoribus; & licet Missa non vendatur, tamen stipendium missæ cum proportione ad pretium rerum debet taxari. Tum secundò, quia maior est missæ necessitas in festis diebus, & ideo ministerium missæ est magis æstimabile. Verum rationes istæ non militant, quia imo nec simile est, nec assimilari debet stipendium missæ pretio rerū; sed hæc assimilatio iniuriosa est sacrificio missæ. Pretium enim rerum iustitiam habet ex æqualitate cum re venali, & ita quod si discedat ab æqualitate, sit iniustum, vnde tota ratio taxandi pretium; vt sit iustum in contemplatione æqualitatis consistit, & illius æqualitatis inuentione. Sed æqualitas stipendij cum missa, si prætendatur fit iniuria maxima sacrificio missæ. Nam & qualibet missa in infinitum esc inequalis stipendio etiam infinito. Tantum igitur abest, quod stipendium missæ debeat taxari cum proportione ad pretium rerum venalium, quod imo ab hac proportione recedere debemus si nolumus sacrificio iniuriam facere, cum hic non possumus æqualitatem quærere, & intendere. Inde etiam falsum est, quod vel non sunt in maiori numero, qui missam desiderant, vel petunt, vel illa sit magis necessaria, crescat eius æstimabilitas; quia cum illa sit infinitæ æstimabilitatis crescere non potest in æstimatione ex eo, quod homines sint ad illam necessitati.

928 Dicendum propterea mihi videtur primo, quod aliud est accipere maius stipendium pro eadem missa, & aliud est accipere plura stipendia. Pluralitas enim stipendiorum respicit, & continet obligationem plurium missarum, & ideo recipere plura stipendia est plures missas promittere. Quod si vnica missa solum dicatur, defraudantur qui stipendia dederunt. Sed accipere maius stipendium non continet nisi obligationem ad vnam missam, quæ si celebratur, non defraudatur aliquis, si aliud maius stipendium sit iustum. Sacra Cong. in decreto de celebratione missarum prohibuit accipere plura stipendia pro vna missa, non vero prohibuit accipere maius stipendium. Ideo non est assentiendum *Diana p. 2. tr. 14. ref. 9.* dicenti S. Congregationem præfatam prohibuisse accipere maius stipendium in die festo, quia vt citati DD. docent. S. Cong. de hoc casu non loquitur. Dicitur propterea secundò, quod per se loquendo non licet pro missa in die festo maius stipendium taxare, sed solum per accidens si contingat, quod opus sit maius, aut longius. Hic enim duo considerari possunt, ex quibus potest augeri stipendium. Primum est aliquod accidentale annexum, quod etiam possit esse venale, & magis æstimabile. Vt si sacerdos de longinquo aduocetur, vel si valde mane, vel valde tarde obligetur ad celebrandum, vt expectet commoditatem populi, vel aliquid aliud simile accidat, quod non sit spirituale ex principio, sed solum ordinetur ad spirituale, & sic quantum ad materiale possit æstimari, & vendi, & emi pecunia sine simonia. Secundum est tempus, nimirum si missa ipsa duret per longius tempus; quia cum missæ etiam prout est spiritualis actio debeatur stipendium necessitatis, & ita quod si in ea occuparetur totus dies, deberetur sacerdoti integra diurna satisfactio, non debetur vero integra, vt diximus, quia missa est vnica sola actio breuis, quæ non occupat ministrum, nisi per mediam circiter horam; ideo vbi contingat, quod missa duret per longius tempus per se tibi magis debet respondere de diurna satisfactione: quod verificaretur etiam si labor missæ cresceret; sed mere, & præcise ex eo quod sit maior missæ necessitas, & plures audientes missam, aut missam petunt, non potest augeri stipendium, quia missa ratione sui non est venalis nec fit magis pretiosa, aut in se æstimabilis, ex eo quod sint pauci sacerdotes, & multi qui tenentur audire missam; quia illa precij infiniti est ratione sui. Ratione vero necessitatis audientium non licet augere stipendium, quia non licet vendere necessitatem; nec potest mercator plus vendere rē, quia maior sit necessitas ementis, & quia missa nō est vendibilis, nec emibilis. Nec maior sustentatio debetur sacerdoti ex eo quod missam suam audiant, vel teneantur audire plures, quia sustentatio eadem semper est necessaria sacerdoti, & quantitas eius quantitati occupationis eius in seruitio sui ministerij debet esse proportionata, non vero multitudine eorum, quibus missa proficit. Aliter plus longe valeret missa in Ecclesijs, vbi est frequētia populi, quam alibi. Tum quia & Thomas Tambur. fatetur, quod pro applicatione missæ in die festo plus stipendij non debetur, quia eadem est applicatio. Nec interest quod missa vni vel pluribus applicetur; igitur eadem ratione si sit eadem officiatura nō magis laboriosa, nec magis diuturna, idem stipendium illi respondet, nec potest augeri stipendium. Itaq; igitur concludo, quod si missa consideretur, vt vere est opus spirituale ex principio, & sic non emibilis, nec vendibilis, pro ea non debetur nisi stipendium necessitaria, nimirum aliquid de alimento diurno, nisi officiatura ipsa crescat, & varietur non potest augeri stipendium missæ; quia sacerdos nec eo indiget maiori alimento, quo missam eius audiunt plures nec missa indiget, vt eius minister magis alatur, & pinguius, quia in die festo pluribus audientibus celebratur; si vero consideretur missa, vt ei adiungitur per accidens aliquod opus, quod non sit spirituale ex principio, & ex consequenti præciso ordine ad spirituale sit venale; tunc ratione eius augeri potest nedum stipendium, sed pretium, quia illud opus vendi potest quanti valet. Sed missa ex eo quod celebretur in die festo, vel coram pluribus, vel quia plures teneantur illam audire non est venalis, nec pretio æstimabilis, sed est supra omne pretium, vnde si alias sit eadem officiatura non debetur pro ea aliquid maius; non quidem maius pretium, quia non est vendibilis; nec maius stipendium, quia est eadem officiatura, pro qua non magis occupatur sacerdos, vnde nec sibi maior pars alimenti debetur.

929 Sed difficultas est an stipendium missæ debeat esse tantum, vt valeat pro diurna sustentatione Sacerdotis? Nam quod *Caiet. supra q. 100. a. 3.*

8. *Ad euidentiam* tenuerit, stipendium hoc debere esse tantum, vt æquiualeat sustentationi diurnæ, nedum sacerdotis, sed familiæ, seu omnium illorum, quorum cura sibi incumbit refert. *Faguad. prec. 2. l. 3. cap. 8. n. 4.* vbi hoc idem tribuit. *Graff. l. 1. dec. q. 96. n. 13.* eundem *Caiet. & Nugnum pro eidem sententia refert Pasqual. quæs. 983. n. 2. sed Caiet.* hoc non docet, & in casu longe diuerso loquitur, quia non loquitur de stipendio missæ, sed absolute de sustentatione debita ministris sacri cultus, quia cum Christus non supponat suos ministros esse de suo diuites, cum pauperes elegerit in Apostolos, & voluerit quod pauperes piscatores etiam relictia retibus illum sequerentur; & cum alias etiam sustentatio condigna ministri sit vnum de necessarijs ad sacrum ministerium; ideo illi qui deputatur simpliciter, & totaliter ad ministerium diuini cultus debetur integra sustentatio, tam pro se, quam pro illis, quorum curam necessario habent saltem, vt condecenter diuinum cultum administrent. Nō enim de facili crediderim, quod per se debeatur sustentamentum pro cōnsanguineis, etiam si ex lege charitatis, aut misericordiæ eorum curam habere debeat minister Ecclesiæ, quia hæc necessitas accidit ministerio diuini cultus; & quamuis in singulari, si minister non habeat vnde consanguineos alat, quos tenetur alere, & quorum curam ex quacumq. virtute tenetur habere, nec possit aliunde ex honesto aliquo exercitio victum illorum lucrari, quod tamen facere posset; nisi in ministerio curæ populi sui esset occupatus, tunc æquitas velit, vt de fructu sui ministerij eos alat. Nihilominus tamen aliud est, quod minister Ecclesiæ possit tunc suos alere ex fructibus sui ministerij, aliud est quod populus teneatur ad sustentamentum etiam consanguineorum, quorū coniunctio extranea est, & accidentaria ministerio diuinorum. Hoc enim secundum non tam de facili admiserim, quia populo sufficit, vt tribuat necessaria diuino ministerio, & ministro secundum eius dignitatem, & condecentiam. Sed quidquid sit de hoc casu, qui non est noster casus, quia missa non est omnis cultus Dei, sed pars illius, dicitur quod intuitu celebrationis missæ non debetur sacerdoti integra sustentatio. Est nihilominus alia est sententia, quæ voluit, quod stipendium missæ debeat esse tantum, vt æquiualeat diurnæ sustentationi Sacerdotis. Quam sententiam docuerunt illi, qui voluerunt, quod sacerdos plura stipendia accipere possit pro eadem missa, quæ sufficiant ad congruam sustentationem vnius diei, quod est de mente. *Cano l. 12. de locis c. 13. ad 10.* & videtur voluisse *Sotus l. 9. de iust. q. 9. a. 1. & 4. dist. 13. q. 2. a. 1. & Petrus Sotus, Beia, Nagnus, Fernandez, & alios apud Lezanam v. missa. n. 14.* Verum, quia vt dicebatur missa non importat integrum ministerium diuini cultus ad vtilitatem fidelium, sed est vna actio præter quam est administratio Sacramentorum, prædicatio, gubernium, & cura animarum, funera, & alia huiusmodi pro quibus ministris diuini cultus debetur sustentatio. & quia missa non est ordinata in sustentamentum totale sacerdotum, cum imo sacri Canones velint, vt non ordinētur sacerdotes nisi qui habeant titulū vnde viuant *c. Non liceat Episc. cap. Tuis, & c. 2. de prebend. & Conc. Trid. sess. 21. cap. 2.* Et quia sacri Canones volunt, vt Clerici etiam aliquo honesto artificiolo necessaria suæ sustentationi acquirant. *cap. Clericus victum dist. 61.* ideo in taxando stipendio missæ non debet haberi ratio totius diurnæ sustentationis sacerdotis, sed solum attendi debet ad ratam alicuius rationabilis quantitatis proportionatæ illi particulari actioni; Vnde est quod maius stipendium datur pro missa cātata, quam lecta, & maius pro missa, & vigilijs mortuorum, quam pro missa tantum. *Nau. c. 25. n. 92. Suarez disp. 86. sec. 2. Cord. l. 1. q. 4. d. 2. Fagund. vbi supra. Diana p. 2. disp. 14. resol. 8. Card. de Lugo de Eucar. disp. 21. sect. 2. Bardon. res. 55. n. 13. Lezana v. missa. n. 14. Pasqual. quæs. 398.* & quam plures apud illum.

SVMMARIVM.

1 *Regulares quantum ad vim directiuam subduntur taxæ factæ ab Episcopo. num. 930.*
2 *Taxa Episcopi non potest haberi vt iniusta nisi de ea plenè constet. num. 931.*
3 *Ex vi decreti de celebrat. missarum taxa Episcopi non habet vim coactiuam in Regulares. nu. 932.*
4 *Neque ex decreto Conc. Trid. sect. 22. num. 933.*

930 QVæritur tertiò, An Regulares teneātur stare taxæ factæ ab Episcopo? Respōdetur hoc pro certo habendū esse, quod Regulares quātū ad vim directiuā stare debent, & in recipiēdis stipendijs Missarū legē Ordinarij seruare quantum ad stipendij taxam. Quia ea lege naturali tenentur Regulares ad id quod est iustum, & proportionatum. Cum enim lex diuina non determinet quantitatem huius stipendij, sed eius determinatio Episcopis sit commissa, ideo illud stipendiū absolute, erit iustum, & proportionatum, quod est ab Episcopo taxatum; Ex lege vero naturali, & diuina in celebrando pro stipendio tenentur Regulares seruare iustum, & non prætendere nisi stipendium missæ proportionatum. Et amplius quia ius commune cui subijciuntur etiam Regulares, huiusmodi leges communes, quæ non disconueniunt Regularibus, & sunt vtiles communitati vt integraret etiam ea Regularibus, approbat, & vult eas seruari. Et quod omnes quantum ad vim directiuam eis subijciantur. Sic igitur huiusmodi lex Episcopalis licet non iurisdictione, ligat tamen quantum ad ad vim directiuam Regulares exemptos, sicut leges laicales ligant Ecclesiasticos, prout communiter tradunt. *Iurista ad l. Cunctos populos. C. de summa Trinit. & Canonista cap. Cum Ecclesia S. Mariæ, de Constit. & in cap. 1. de noui op. nunciat. D. T. de Reg. princ. l. 1. c. 12. Sylvest. 11. lex. c. 15. Sotus l. 1. de iust. & iure q. 6. a. 7. Victor. relec. 1. quæst. vlt. prop. 4. Suarez. l. 3. de leg. cap. 34.* Et in terminis nostri casus tradunt *Tambur. de sacrif. miss. l. 3. cap. 1. §. 3. num. 99. Pasqual. de sacrif. nouæ legis. q. 930. num. 1.*

931 Nonnullæ tamen remanent difficultates. Prima est, an in casu in quo Regulares exempti iudicent taxam Episcopi non esse iustam teneantur illam seruare. *Pasqual. nu. 3.* existimat, quod in hoc iam Regulares tenerentur propter vitandum scandalum admonere Ordinarium, sed tamen, quod non tenerentur obedire tali taxæ, quia tunc non intrat lex naturalis obligans ad taxam seruandam. Et sicut Clerus posset reclamare contra taxam, ita Regulares exempti possent legem talem

non

no ferõare. Verum confiderandum eft, quod cũ Re... lares quan um ad vim directiuam fubijciantur his legibus, ex vi ... communis hoc d... ponentis lec ndum doctrinam, *Suarez l. 3. de legi. cap. 34. ratione tertia.* Ideo fecundum hanc fententiam Regulares funt huiufmodi legi, & taxæ fubiecti ex vi iuris communis. Ideo non eft Regularium decernere an lex Epifcopi fit iufta, vel non iufta, fed habe... eft vt talis, nifi plene conftet de iniuftitia, & in dubio pro iuftitia legis eft præfumendum, & vt talis eft feruanda à Regularibus ficut eft à fecularibus, quia ha... lex omnes ligat ex vi iuris cõmunis legem approbatis. vnde etiã in cafu noftro ab... iidem dicendum eft, quia idem ftipendium non poteft effe iuftum, & non iuftum, vel iuftum vni, & non alteri, quia etiam ratio naturalis dictat, vt in his communibus vnitas feruetur: ficut ergo non poteft à Clericis haberi ftipendium, vt iniufte taxatum, nifi de hoc plene conftet, ita nec à Regularibus.

932 Difficultas fecunda eft an taxa Epif...pi afficiat Regulares exemptos etiam quantum ad vim coactiuam. Eft vero difficultas primo ex decreto *de celebrat. Miffar.* propter quod *Alphon... de Leone de off. Capell. q. 6. fec. 1. n. 105.* cenfuit ... ci, quia in decreto illo nominantur monafteria, & cõuentus. Sed merito. *Pafqual. d. q. 930. n. 5.* contradicit, quia decretum nihil de præfenti cafu decernit. Præcipit quidem vt tot miffæ celebrentur, quot fuerint recepta ftipendia; vnde fi iuxta taxam Ordinarij ftipendia recipiantur tot funt celebrandæ miffæ, fed non præcipit quod Regulares ftare debeant huic taxæ. Et quamuis hoc videatur fupponere, hoc non obftat, quia non per hoc noua lege id præcipit, fed fupponit id effe debitum ex lege naturali, vt eft explicatum. Nec pariter obftat, quod *in refponf. ad 5. dub.* ftatuatur, quod ftipendium non fit taxandum ab heredibus, fed ab Epifcopo; Nam hoc eft veriffimum, & eft de iure communi, quod hæc taxa pertineat ad Epifcopos, fed non per hoc, datur eis iurifdictio in exemptos.

933 Secunda difficultas eft petita *ex decret. de feruand. in celebrat. miffar. Conc. Trid. feff. 22.* circa quam difficultatem. *Pafqual. d. q. 930. n. 6.* exiftimat taxam Epifcopi ocq... vi dicti decreti afficere Regulares nifi quantum ad vim directiuam, Et probat tum quia Epifcopus non taxat ftipendium miffæ vt delegatus, fed ex poteftate ordinaria, quæ in exemptos non fe extendit: tum fecundò, q... ia ex vi talis decreti Epifcopos non poteft in exemptos nifi ex fundamento abufus, cum fit ei data facultas ab abufus tollendos; ideo cum eius iurifdictio fundetur in abufu, prius abu...s eft verificandos. *Gloff. in Clem. reperierunt, de off. Deleg. Card. in Clem. 1. num. 18. de confeff. prab. Anchar. conf. 36. n. 4. Rota dec. 214. n. 4. p. 2. Recent. Et ibi ...bul. penf. 21. May. 1587. coram Sacrato.* Tum tertiò, quia fi adeffet abufus quorum ad al... quos Regulares, quoad illos folum extenderetur facultas Epifcopi, & non ad omnes, & quoad il... os etiã ... ud quos reperiret abufum deberet abufum corrigere per modum actus, non autem fubijcere ... illos Regulares fuis legibus, quia hoc effet contra illorum exemptionem. *Has Pafqual.* Et vere infpecto illo decreto Epifcopis non datur facultas delegata fuper exemptos, nifi ad tollendum abufus. Et fic Epifcopi, vel fuppofito abufu illum prohibeat, vel neceffaria ad i... um tolendum ftatuont, vt Delegati Sedis Apoftolicæ, & fic obligant etiam Regulares ex iu... dictione, & vi coactiua. Sed huiufmodi ftatuta, aut prohibiti... nes non refpici...t, ... affici... nt nifi abute... q... in alios non habe... Epifcopus iurif... ... Cum vero Concilium fuppo... abufu ... eis facultatem, vt ... *habeant, mandent, corrigant, ftatuant,* procul ... ob... t ... tam per modum prohibitionis, & ftatuti poffunt Regulares obligare ad abufus tollendos. Verum non ... er legem vniuerfalem, non fupponentem a... ufum. ... axa vero ordinaria, nec ... et ... acul... ate d... leg... in Epifcopo, nec datur ... ndum abufu... ad decernendum quale ... diom miffæ, & ideo h... iufmodi taxa non obligat Regulares nifi ... o modo, quo ... eges la... ales o... gant Ecclefiaft... s qua... um ad vim di... tiuam.

SVMARIVM.

1 *Ep fcopus non poteft ftipendium miffæ negatiue taxare. num. 934.*
2 *Quod ... opus ... negat ne taxare in minus q... am fentiens. num. 935.*
3 *Conueniunt DD. in hoc quod Epifcopus non poteftne... tiue taxare ftipendium m... a, & poteft affirmatiue num. 936.*
4 *Per fe non licet prohibere ne facerdotes recipiant minus taxato ftipendio. num. 93...*
5 *Hoc eft prohibere virtutem num. 937. 938.*
6 *Non recipere ftipendium pro m... eft ... melius. num. 938.*
7 *Nec per ... pot... vniuerfaliter prohiberi ne recipiatur ftipendium minus taxat... num. 939.*
8 *Ex eo quod prohibetur ftipendium minus taxato non fequitur inconueniens, ob quod fit honeftum vniuerfaliter prohibere ne tale ftipendium ... cipiatur. num. 940.*
9 *Obiecta aliqua foluuntur. num. 941.*
10 *Non poteft ftatui vt Miffa defunctorum di... tur à folis presbiteris alienius Ecclefiæ. num. 942.*

934 Q Væritur autẽ quartò, An ftipendiũ ... fe poffit taxari nedũ affirmatiue, vt ... tantum, fed etiã negatiue, vt ne ... fit maius, nec minus? Refpondetur, quod nec Epifcopi, nec alius poteft taxare ftipendium miffæ, vt libere non po... fit dari in quac ... mq; quantitate, & libere in quacumq; quantitate recipi, & fi tali... lex daretur, ... fet fcandalofa, & fimoniaca. Conclufio eft *S. Thom fupra q. 100. a. 3. ad fecundum ibi. Illicita effet ordinatio & lex, fi in aliqua Ecclefia ftatueretur, quod non ... re... proce... in funere alicuius, nifi folueret certam pecuniæ quantitatem; quia per t... ftatutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autem licita effet ordina... ftatueretur, quod omnibus certam eleemofinam ... honoris talis honor exhiberetur quia per hoc non præcluderetur via al... s exhibendi gratis, & præterea prima ordinatio habet fpeci... exactionis, fecunda habet fpeciem gratuitæ recompenfationis.* Taxatio ergo ... tiua, per quam lex ... vt mi... non celebretur à Sacerdote nifi illi detur tantum ftipendium, & non maius, vel minus eft fcandalofa tanquam impeditiua

actus charitatis, & misericordiæ, & liberalitatis, & saltem præsumptiue simoniaca, quia habet speciem exactionis.

935 Nihilominus. *Pasqualig.q.926.* admittens, quod episcopus non possit taxare negatiue stipendium missæ in maius, prohibendo vt maius taxato à libere illud dante non possit recipi, loquendo de taxa in minus *quæst.927.* & duas opiniones referens, quarum prima erat, quod Ordinarij non possunt prohibere, ne pro celebrandis missis detur stipendium minus taxato, pro qua refert, *Angelum v. simonia num 10. Tabien. a.18. Syluest. num.11. vers. quratam. Nauar. cap.26. num. 106. Sot.l.6. de iust.q.6 a.1. ad secundam. Azor. Fagand. & Alphons. de Leone,* ipse secundam opinionem approbat, quæ sentit Ordinarios posse obligare ad non dandum quid minus stipendio taxato, pro qua plures refert; *quæst. vero 128.* dubitans an ordinarius possit obligare sacerdotes ad non recipiendum stipendium minus taxato, ipse post *Ludouicum a.5. lo. q.10. de Eucar. a.4. d.2. diff. 1. concl.2.* affirmatiuam partem sustinet. Tum primo quia sententiæ contrariæ ratio non vrget, dum dicit quod Ordinarius non potest prohibere ne sacerdos exerceat actum liberalitatis, aut misericordiæ, & ne condonet debitori partem debiti, non habet vim; quia exercitium actus liberalitatis, aut misericordiæ, aut condonationis debiti non est actus, qui cadat sub illa prohibitione; si quidem illi actus supponunt in exercente, aut dominium, aut ius, quod non habet locum in sacerdote, nisi quando iam sacerdos vel recepit stipendium, vel celebrauit missam? Et proinde hi actus supponunt, quod sit acceptum stipendium tale ex pacto, & sic sunt posteriores acceptatione; ideo quando prohibetur acceptatio non prohibentur hi actus. Secundò id probatur ratione, quia statuere quod non accipiatur minus stipendium potest esse necessarium ad bonum communitatis igitur potest per Ordinarios statui, & ordinari. Probatur antecedens, quia in quadam ciuitate Italiæ quædam congregatio recipiebat eleemosinas in tertia parte minus taxa, vnde sequebatur, quod alij sacerdotes, vel sine eleemosina manerent, vel cogerentur celebrare accepto stipendio diminuto. Rursus eadem congregatio sustinebat onera missarum in maiori quantitate, quam posset portare, & ideo transmittebat eadem onera ad loca in quibus stipendium erat taxatum pro minori quantitate, quam ipsa recipiebat. Et en aliud inconueniens. Item in quadam collegiata celebrabantur quotidie plures missæ, & sacrista prætendebat, quod missæ non essent obligatæ quoad applicationem, & ipse accipiebat pro applicatione stipendia fere dimidio minora ad alliciendos commendantes missas. Vnde hæredes parum curantes an essent percepturi fructum libenter ipsi commendabant missas reli[illegible]as ex testamento. Si ergo prohiberetur ne reciperentur stipendia minora taxatione impedirentur huiusmodi [illegible]. Tertiò hæc prohibitio esse licita pro aliq[illegible] communitate nempe capitulo, &c. N[illegible] minore taxato exerceat a[illegible] Ecclesias[illegible] functiones, vt tradunt aliqui DD. ergo hoc erit etiam licitum quoad manuales missarum [illegible]mosynas. Quarto quia potest ordinarius prohibere ne laici pro missis dent stipendium minus taxato, v[illegible] docent *DD.* [illegible] *27. num.* [illegible] etiam præci[illegible] tes recip[illegible] to stipen[illegible] duo sunt [illegible] & [illegible] itae eadem ratio. [illegible] into quia [illegible] quod huiusmodi statutum habeat p[illegible] [illegible] nam obligare ad id quod ele ex [illegible] & est necessarium reipublicæ, ita iust[illegible] vt ab ea tollat omnem suspicionem ma[illegible] quia per [illegible] statutum non prohibe[illegible] sacerdos potest celebrare gratis, quia so[illegible] hibetur ne celebret pro stipendio minori [illegible]

939 Conueniunt valde DD. in hoc co[illegible] sæ puncto, nec est vnde tanquam contra[illegible] referantur. Iuxta enim doctrina supra [illegible] D. [illegible] tam distinguunt prohibitioné hanc, & [illegible] si fiat affirmatiue, potest episcopus taxa[illegible] dium missæ, & præcipere vt detur in tanta [illegible] titate, & non in minori, ita scilicet, q[illegible] non possint obligare sacerdotes ad [illegible] cendam, si dent minus. Et hoc est quod [illegible] *Suarez. d. 8[illegible]. sec.2. §. sed circa hoc. Pa[illegible] tr. 22. disp.vn. p.14. num.4. Bonac. disp.* [illegible] *num.9. & alij citati à Pasqual. d. q.92*[illegible] hoc idem expresse docent. *Angelus, I[illegible] Nauar. Sotus & alij ibid. num.1.* pro c[illegible] nione citati. Qui quidem sentiunt, qu[illegible] hibitio fiat negatiue, ita quod [illegible] beant ne sacerdotes celebrent pro [illegible] nori, statutum sit illicitum. E[illegible] *DD. ibidem num 2.* pro contrari[illegible] nam eo. idé *Pasqual. pro hac senten*[illegible] Vnde DD. illi in his duobus con[illegible] Ordinarius potest taxare stipendiu[illegible] prohibere quod non sit minus, seu q[illegible] tur minus, si sacerdos minus no[illegible] Secundò quod nihilominus non p[illegible] quod minus (non sufficiat, si sacerdos co[illegible] libere, & quod nec potest prohibere ne [illegible] minus possit recipere, si velit, & [illegible] dissensio, quia à communi rec[illegible] *[illegible]alig. post Ludou. a.5. lo.*

937 Dicitur tamen quod [illegible] et se loquendo p[illegible] hibere ne commendantes missas dent minus t[illegible] to stipendio de consensu sacerdotis [illegible] eu p[illegible] re ne sacerdotes recipiant minus taxato stipe[illegible] est illicitum, & scandolosum & p[illegible] sum[illegible] simoniacum, & auarum quod enim hoc [illegible] ceat, *cum D.T. loco supra citata d[illegible] C[illegible] supra quæst.100.a.3. Sotus[illegible] .9 de iust[illegible] 6. a.1. ad[illegible] Syluest. v. immunitas a. n[illegible] m[illegible] . 7.* [illegible] *num.11. Nauar cap.23. num.1[illegible]6. Su[illegible] sec. 2. §. sed circa hoc, Fagandez* [illegible] *3* [illegible] *num.* [illegible] *apud eum Gutierez. L[illegible], Arr[illegible] Rodr[illegible]quez. Briata de Sacram.* [illegible] *num.9. Mirand.p.1. q.41. num.23. V[illegible] 234. cap.1. num.6. quem sequitur Pal[illegible] num 4. Barbos. de off.* [illegible] *24.* [illegible] *Corduba, Reginald. A*[illegible] *de L*[illegible] *Lugo, Garzia, Vi[illegible]lo-ob.* [illegible] *q.928.* Rat[illegible] autem e[illegible], q[illegible] prohib[illegible] seu taxatio [illegible] rionem, [illegible] sit actus v[illegible] cordiæ, v[illegible] etiam exce[illegible] deu[illegible] [illegible] enim potest [illegible] ex [illegible] [illegible]ricordia, vel [illegible] gitudu[illegible]

ad res

a i res ... as & ad vitandam vel minimam oc... ... z vel vt purius, & sincerius io... d... at, & offerat in sacrificio, & c... ne offerat, vel nihil, vel quid... um ueris quantumcumq; paruum ... e ... huiusmodi facultatem non licet ... m tollere, & huiusmodi bona im...

... Nec satisfit per add... cta ex aduerso, dum d... tu... ptionem præuenire actum liberalita... ... idie, &c. Nam primo hoc est fal um; Na... quo stipendium missæ est taxatum, ... s habet ius, vt totum stipendium exigat à c... ndante missam, quod ius antecedit, & recep... onem stipendij, & commendationem missæ ... ia sibi vt sacerdoti competit supposita stipe... j taxatione. Quia vero coincidunt in idē donar... habendi rem, & donare rem, liberalis, vt misericors, vel religiosus est sacerdos, qui pe... à se missam, & non exibenti nisi paruum ... um, ex motiuo alicuius ex dictis virtuti... cc pit stipendium illud minus, & missam promit it. Secundò nam qui præcipit aliquid, vel pr hibet, quo seruato non potest haberi actus vir... tis ex vi talis præcepti impedit virtuti a... um, & di ... potest quod illum pro hibeat; modo si semel sacerdos eit prohibitus ne possit recipere stipendium minus taxato, ineuitabiliter eit impedi... s ne condonet partem stipendij ex virtute, & ne ex vi... ute cum pleniori liberalitatis religione, & ... euotione donet missam, lex ergo huiusmodi, quæ taxat pretium in minus negatiue prohibendo ne sacerdos minus recipiat directe, & per se est impeditiua virtutis, & iniuriosa virtuti religionis, & gratiæ Dei, & idro est per se lex prorsus illicita, & iniu la. Confirmatur secundo quia nihil recipere pro celebratione missæ habenti vnde alias ... uat e t ex genere melius, & laudabilius, vnde & in Religionibus aliquibus, sine dubio intuitu me... otis boni, est prohibitum aliquod stipendium missæ recipere, vt supra d... ctum fuit: At vero per ... e, & ea obiecto est iniqua lex, quæ prohibet id ... od est melius, sicut iniqua ... x esset, quæ pro... eret celibatum, sed & eadem lex esset præsumptiue simoniaca, quia habet speciem exacti... nis & in supposito. *Pasqual* & aliorum qui volunt stipendium deberi ex iust... ia, est tvere ex iusti ia... a, quia quod debetur ex iustitia pro ni sta d... be... ... ei æqualis compensatio, simoniacum vero e... ... illam ex æqualitate compensare stipen... o.

... Dicitur secundò quod nec moral... r est ... quod ea circumstantijs accidentalibus, ... idens detur motiuum iustum ad taxan... pendium missæ negatiue modo expli... ato ... legem vniuersalem ... & perpetuam; q... a ... acerdotes habentes aliunde vnde viuant ce... ... missam, vel nullo requisito, imo nec ... cce... ... dio, vel indifferenter eo ... ecepi ... q od ... e deuotio, & paupertas fidelium trad derte ... i ag o, siue paruo est ex suo genere... us ... & laudabilius, nec ... eseferen ... ua... ... ni, & simoniam; quod vero eit ex suo genere ... s non potest esse vniuersal... er, & perpetuo ... m, vt per legem vniu... salē, & p... ... t à iuste, ... iter possit pr... beri. Sed ... o amplius probatur soluendo rationes in oppositu addactas.

940 Ad primam ex dictis patet legem taxantem stipendium missæ negatiue, & prohibentem ne sacerdotes recipiant stipendium minus taxato, esse legem impedientem, & prohibentem actus liberalitatis, misericordiæ, & maioris deuotioni... In secundò argumento tria i... conuenientia adducuntur ex quibus præfata taxa negatiua iustificari possi. Primum quia quod aliqui recipiant, v. pota quod vna congregatio, aut Ecclesia recipiat stipendia minora cedit in damnum aliarum Ecclesiarum, aut sacerdotum, qui compelluntu... vel sine eleemosyna celebrare, vel cum minori stipendio, quam sit taxatum. Secundum quod i la E... ... sia recipiens minora stipendia sed in maiori numero, non valens eis satisfacere transmittit ad alias partes, vbi etiam pro multo minori stipend o dicuntur missæ. Tertium quod eadem similis Ecclesia incerta an possit recipere, recipit in abundantia, & hæredes nihil curantes de fructu, missas ex hæreditate illi Ecclesiæ commend... ... Ista duo vltima inconuenientia grauia sunt, sed sunt extranea nec sequuntur e... eo quod possint recipi minora stipendia. Sed iam Sacra Congreg. prohibuit, ne qui receperunt stipendia possint retenta sibi parte stipendij satisfacere oneribus per alios sacerdotes, vnde est quod si aliqua Ecclesia, velit recipere stipendia taxatis minora, si aliæ Ecclesiæ nolent recipere nisi ad taxam, ... a Ecclesia non poterit recipere nisi pro eo numero pro quo poterit satisfacere, & quantum ad hoc iam... est prouisū per decretū de c... lebratione miss... ... vt nulla Ecclesia, accipiat noua onera nisi satisfectis prioribus, nec se grauet oneribus. Et sic ... secundò inconuenienti est prouisum. Tertium vero est contra legem diuinam, si dubius an possit satisfacere intentioni postulantis missam, stipendia recipit, & ad hoc est satis prouisum, & per legem diuinam, & etiam per decretum de celebrat... one missarum; cæterum, qui alias est satis certus quod potest satisfacere intentioni petentis missam, non male facit, si stipendium minus taxato recipit, & hæredes si alias non tenentur dare stipendium maius, non peccant, si dent minus taxato, si autem hoc facere non possunt, suæ obligationi non satisfaciunt, & legi diuinæ resistunt, non per occasionem sibi datam, sed mali... ose receptam; remanet ergo primum quod asseritur inconueniens, sed nec est tale, & quatenus esset, non necessitat ad legem vniuersalem, & perpetuam. Non est inconueniens, quia ex eo non inf... t... ... damnum priuatum aliquorum, & quidem paucorum; nam, nec v... a Ecclesia potest sat sfacere omnibus petentibus missam, & si aliæ Ecclesiæ persistant in stipendio taxato non deficient eis eleemosinæ missarum. Et quod non in tanta abundantia forsan non recipient, hoc non est nisi lucrum cessans aliquibus, quod est priuatum damnum. Cæterum Ecclesiæ, & communitati melius longe esset, vt nulla esset taxa in minus, & quod missæ celebrarentur vel siue stipendio, vel cum illo, quem fidelium deuotio offerret. & supponendum est, quod missa non est ordinata ad alendos sacerdotes, imo sacerdotium ex iure canonico supponit in sacerdote sufficiens patrimonium ad alimenta; Non ergo est contra bonum commune, sed pro bono communi, quod multi sint, qui quoad minus

nullam

nullam taxam seruant; & si hoc cedit in non lucrum aliorum, hoc est malum priuatum, & á legislatore non considerandum. Sed & quatenus alicubi hoc esset inconueniens aliquod, sufficienter prouideretur per aliquod tẽporale remedium, absq. eo quod per legem vniuersalem, & perpetuam deuotio, & misericordia, & liberalitas, & sanctior Dei cultus impediretur.

941 Ad tertium negatur assumptum, huiusmodi enim taxæ negatiuæ de se illicitæ sunt, vnde nec capitulum potest statuere, vt non liceat functiones Ecclesiasticas habere pro stipendio minori, quam sit taxa. Ad quartum dicitur quod illi DD. fuerunt male intellecti, eorum enim sensus fuit, quod episcopus possit affirmatiue taxare stipendium missæ, & prohibere ne detur minus inuitis sacerdotibus, vnde si quis commendauit missas sacerdos, qui eas celebrauit, habet ius ad integra stipendia, & hæc illi debentur, sed illi DD. non dixerunt quod episcopus possit prohibere ne sacerdotes recipiant minora stipendia taxatis. Ad quintum dicitur quod supponit falsum, scilicet, quod stipendium debeatur ex iustitia commutatiua dicenti missam, & quatenus hoc esset verum, (quod non est) adhuc species, & auaritiæ, & simoniæ esset, pro missa quæ gratiadebet donari, & quæ est res non vendibilis, sed sacrificium ex pura deuotione celebrandum, ex lege exigere taxatum stipendium, cum tanto rigore, vt non liceret nec pro minori celebrare, nec tanti rigoris adesset motiuum iustificans á præsumptione auaritiæ, imo & simoniæ. Ad sextum dicitur, quod satis apparet iniustum esse etiam prohibere ne liceat pro stipendio minori taxato celebrare.

942 Hinc colligitur, quod non est licitum, Ordinarios negatiue decernere, vt missæ defunctorum non celebrentur nisi in tali, aut tali Ecclesia per eiusdem Ecclesiæ sacerdotes. *Fagundez prac. 1. l. 3. cap. 7. num. 9. & 10. Pasqual. q. 931. & apud eum Vasquez, Sotus, Garz. & Alphons. de Leon.* Nam per huiusmodi statutum præcluderetur via alijs, ne gratis celebrarent. Tum quia statutum hoc redundaret solum in vtilitatem paucorum illud statuentium, & læderet libertatem aliorum, vnde tanquam auarum, ambitiosum, & priuatum cõmodum respiciens non valeret. *l. Ambitiosa. ff. de decret. ord. faciend.* Tum quia per huiusmodi statuta prohiberentur ea, quæ iure communi sunt concessa, & ideo essent nulla per notata, *per Domin. Anton. Imol. & Franc. in cap. Ecclesia S. Mariæ de Constit.* & facit quod habetur. *cap. fin. de immun. in 6.* vbi decernitur, quod sit contra immunitatem Ecclesiæ; si princeps præcipiat, quod subditi non vendant clericis, vel non emant ab illis. Et accedit, quod talia statuta continent malitiam monopolij, quia non communem, sed priuatam vtilitatem respiciunt. Tum quia fit iniuria hæredibus, vt non possint de suo libere disponere, & sic *in l. Dudum. C. de contrahen. empt.* improbatur consuetudo, in qua quis cogitur vendere consorti, *& cap. Vestra de locato*, reprobatur statutum episcopi, vt decimæ prædiales n[illegible]entur nisi presbiteris.

SVMMARI[illegible]M

1 *Pluribus modis mandantur ce[illegible] [illegible]statoribus. num. [illegible]3.*
2 *Si testator determinat numerum m[illegible] non stipend[i]um qualiter, illud sit ta[illegible] num. 944.*
3 *Episcopus taxare i[ll]ud debet secundum m[illegible] diac[illegible], [illegible] adest, vel secundum morem pro[illegible]cia num. [9]45.*
4 *Intra lati[t]udinem iusti stipendij epis[co]po ar[illegible]traria est taxa. num. 946.*
5 *Intra latitudinem iusti stipendij conuenire p[illegible]sunt sine episcopo hæres, & Ecclesia num. [illegible]*
6 *Con[illegible]nrari tamen debet mens testatoris, & [illegible]imp[illegible]ri. num. 946.*
7 *Si re[illegible]a est certa pecunia & indeterm[illegible] numerus mi[ss]arum, tot missæ dici de[illegible] quod respondent pretio legali, vel con[illegible] vel ad arbitrium episcopi determinato [illegible]mer. 947.*
8 *Potius taxa debet fieri, vt pecuniæ reli[ct]æ respondeat maior numerus missarum. num. [illegible]*
9 *Quid vbi relictus sit certus numerus mi[ss]ar[illegible] & certa pecun[ia] sed insufficiens. num. 9[illegible]*
10 *Cl[illegible] ad arbitrium, & libitum d[illegible]tur. num. 949.*
11 *Numerus mi[ss]arum relictus per modum l[illegible] vt determinandus ad libitum, qualiter t[illegible]dus. num. 949.*
12 *Numerus missarum quomodo taxandus e[illegible]titudine. num. 950.*
13 *An in taxandis missis haberi possit ratio [illegible]sarum. num. 951*

943 QVæritur quinto qua[li]ter t[a]x[a]n[du]m sit stipen[d]ium mi[ss]ar[illegible] da[illegible] celebrari testator? Pluribus m[illegible] pluribus verborum formis mandant[u]r [illegible] missæ per testamentum. Nam v[illegible] d[illegible]ur numerus missarum, sed non determinatur [stip]endium, vt si testator mandat hæredi, vt t[illegible]at celebrare mille missas pro anima [illegible]a. Secundo [vt] relinquatur certa pecunia, vt purum stipendium missarum, sed non determinetur [á t]estatore m[is]sarum numerus. Vt si testator d[ic]at volo [illegible]tum scuta tali dentur pro tot mi[ss]a[illegible] Tertio vt relinquatur certus n[u]me[r]us m[iss]arum, & pro eis certa summa pecuniæ, sed quæ [illegible]ciens iuxta taxam ad præfix[u]m m[illegible]rum habe[nd]um. Quarto vt [illegible] a[illegible] pecunia, sed non vt purum [sti]pendium mi[illegible] sed per modum legati cum onere tamen mi[illegible] quarum numerus relinquatur arbitrio le[illegible] si di[ca]t relinquo [cen]tum scuta, conue[illegible] ad [li]bitum superioris celebre[n]tur m[iss]æ. [illegible]to vt etiam certa pecunia re[l]inquatur [illegible] eum pro missis, sed pro a[illegible]s [illegible]g[illegible]s ex gratitudine ad arbit[riu]m [illegible]gata [illegible] reli[n]quo centum scuta con[illegible] fratribus á quibus expe[ct]o, [illegible] sint memores an[im]æ meæ, & p[illegible] missas.

944 In primo casu in quo testator [illegible] num eum m[illegible] m[illegible]n[illegible] d[illegible] tatem stipen[illegible] hæc [illegible]an[illegible]s [illegible]t [illegible] taxata

taxata à lege, vel consuetudine, non est necesaria alia determinatio, sed standum est determinationi currenti. Vbi vero stipendium missæ non sit indiuisibiliter taxatum, *S. Cong. Concilij in respons. ad quintum dubium supra num.* 864. decreuit determinationem hanc non per hæredem, sed per episcopum fieri debere, potest vero esse difficultas, an hoc sit verum vniuersaliter. Nam vbi hæres, & sacerdos conueniant in vna congrua quantitate, videtur quod non sit necessaria alia Episcopi taxa, & ita tenet. *Pasqual. q.*932.*n.*3.*Tamb.l.*3.*c.*1.*§.*3.*n.* 58. Nam intentio S. Congreg. in d. responsione est excludere hæredes, ne ipsi tanquam succedentes in locum defuncti prętendant absolute taxare quantitatem stipendij respondentis cuilibet missæ; quod non conuenit; Nam & posset contingere vt ipsi ad tam paruam quantitatem taxarent hoc stipẽdium, vt necesse esset reducere numerum missarum ad minorem. Sed vbi numerus missarum relictus à testatore non minuitur, & sacerdos, vel sacerdotes cum hærede conueniunt de competenti stipendio, pensata etiam qualitate testatoris, & hæreditatis non erit necessaria alia Episcopi taxa, quia sic rationabiliter impletur mens testatoris. Ego existimo, quod intra latitudinem iusti stipendij, vbi cum hæredibus libere Ecclesia conuenit, non sit opus taxa Episcopi, quia consuetudo ipsa relinquit determinationem hanc stipendij arbitrio partium. Item in hoc casu vbi Ecclesia libere acceptet onus missarum celebrandarum iuxta numerum à testatore relictum, non est opus taxa Episcopi; quia Ecclesia etiam sine stipendio, si vult potest obligationi illi satis facere condonando hæredi stipendium. Sed tamen hæres non potest ipse taxare stipendium, & hoc illi prohibetur à S.Cong. Vnde nec potest cogere ad hoc, vt Ecclesia stet suæ taxæ, quatenus vero non de suo solo sed de arbitrio Ecclesiæ pro stipendio congruo ad arbitrium boni viri conueniat, sustinebitur conuentio in foro conscientiæ, eo magis quod vbi taxatus numerus missarum celebretur, intentioni defuncti satisfit, & Ecclesia, si libere id facit, libere condonat hæredi, si quid maius ille tribuere debuisset.

945 Vbi vero recurendum sit ad Episcopum. *Pasqualig.q.*935.*num.*4. putat in libertate Episcopi esse taxare stipendium missæ vel iuxta morem Prouinciæ, vel iuxta morem ciuitatis, vbi mores illi sint diuersi, & se fundat in decreto de celebrat. missarum *num.*864. ad quintum dubium. Sed illius responsionis planior sensus est, vt tunc locum habeat mos prouinciæ, cum in Ciuitate seu diœcesi non est aliqua taxa stipendij, est vero in prouincia. Nam alias, cum consuetudo diœcesis sit lex diœcesim obligans, iuxta taxam in diœcesi consuetam debent missæ celebrari, tunc vero habere debet locum praxis prouinciæ, cum deest diœcesis: vnde Sac. Cong. prius etiam requirit, vt attendatur mos ciuitatis, & postea prouinciæ. Alias vero hæredes vel sacerdotes occasionẽ conquerendi haberent, si relicta consuetudine diœcesis compellerentur in alicuius illorum præiudicium, vel maius stipendium dare, vel minus recipere, quam sit mos ciuitatis. Imo consuetudinem loci diœcesis in quo missæ celebrari debent attendendam docuit bene. *Tamb.l.*3.*c.*1.*§.*3.*n.*59.

946 Si etiam quis interroget; An Episcopus teneatur taxare stipendium secundum valorem summum, vt detur pinguius, quod soleat dari, affirmat *Pasqualig. ibid. num.*5. & ita vt grauiter peccet Episcopus si aliter faciat, cum notabile præiudicio Ecclesiæ, quæ tenetur ad missas celebrandas. Et fundatur in eo, quod missa sit fructuosior, quo pro ea datur maius stipendium, & sit disponenti magis vtilis. *Alex. cons.*185.*num.*2. *l.*6. *Tuscus. Litt. d. concl.* 330. *num.* 67. Sed vt dixi etiam supra, non solum hoc, sed alia plura considerari debent, & inter alia etiam vires hæreditatis, & pranis defuncti dum viueret, & defuncti conditio, & scientia, & alia ad rem spectantia, vnde res hæc Episcopo est arbitraria. Interrogari etiam posset, an vbi praxis est varia, & in vsu est distinctio stipendij infimi medij, & summi; possint hæredes consentiente ecclesia, quæ suscipit missas celebrandas dare solum stipendium mediũ vel etiam infimum. Hoc vero multo magis negaret *Pasqualig.* cum doceat quod etiam Episcopus teneatur taxare stipendium pinguius; verum considerari hic debet, quod mens disponentis, si non se exprimat debet intelligi secundum legem communem, & consuetudinem, nam veri similitudo conformat se cum iure communi, *vt ex Cald. cons.* 327. *alias* 8. *de Donat. Oradit Tuscus d. Lit. I. cons.* 320. *num.*25. *vbi num.*26. *vbi nu.*26. *ex Bald. cons.* 245.*l.*3. quod verisimilitudo conformat se consuetudini; ideo potius dicendum est, quod testator relinquens missas obligauerit hæredem ad stipendium legale, & vsuale, & quod si voluisset quid amplius, id expressisset. Et eo magis si hæres sit testatoris filius, nam in vltimis voluntatibus maxime attendi debet charitas, & affectio disponentis, iuxta doctrinam eiusdem *Tusch. ibid.* Et eo magis quod fauor vnius est damnum alterius; totum ergo hoc negotium est arbitrarium, & ex bona, & prudenti fide decernendum. Vbi ergo hæres velit dare stipendium pinguius, non est opus Episcopo, vel iudice. Vbi etiam absolute hæres nolit dare nisi stipendium medium, vel infimum, si Ecclesia non est contenta, adeundus est Episcopus, sed si Ecclesia contenta sit, si pensatis pensandis testatoris mens fuit vt daretur pinguius, male faciunt tam hæres, quam Ecclesiastici recipiendo minus, nisi liberaliter Ecclesia condonet hæredibus, quod tenerentur dare, & non dant, & tunc defunctum indemn eum seruare debent. In dubio tamen credo sufficere si detur stipendium legale saltem medium, quia bene intelligitur dispositio in dubio si accipitur in sensu conformi legi, aut consuetudini legitimæ, & approbatæ, & si testator summam vtilitatem suam voluisset, debuisset id exprimere, & ex quo non expressit, signum est, quod ad summum obligare noluit, taxa autem quæ attendi debet non est illa, quæ viget tempore institutionis legati, sed tempore executionis illius. *Tambur l.*3. *c.*1.*§.*3.*num.*84. testator enim respexit tur missas quot celebrari mandauit, & præsumitur eas voluisse quocumq. currenti pretio. Si tamen hæres distulit culpabiliter celebrationẽ missarum, si stipendium quod currabat tempore, quo missæ celebrandæ erant fuerit malus, ad eius tatam taxandæ erunt missæ, ne ex culpa emolumentum recipiat. *Nicol. de celebr. miss. num.*14. colligit

quod

quod si testator non præscripsit tempus, ad Episcopum vel ad heredem pertinet obligationi incertæ certos Dies determinare, & quod ab hac determinatione Episcopi nō licet appellare, vt habetur ex decretis S.Cong. Regularium, & S.Cong. Concilij ab eo alibi: recensitis. In his igitur vbi fit dubium arbitrium episcopi decernet quid agendum.

947 In secundo autem casu, quando testator reliquit certam summam pecuniæ, vt putum stipendium missarum, non determinato missarum numero, si datur taxa stipendij indiuisibilis, res est manifesta, & tot missæ dicendæ sunt, quot stipendia continentur in relicta summa pecuniæ. Vt si testator reliquit centum scuta Romana, & stipendium taxatum à lege est vnus iulius, cum scutum valeat iulios decem, mille missæ erunt celebrandæ, quia centum scuta sunt mille iulij, sed si vel stipendium iustum habet latitudinem infimi, medij, & supremi *Pasqualig. q. 933. num. 2.* arbitratur, quod stipendia possint computari secundum summum, quod est in vsu. Imo *num. 3.* addit, quod si defunctus dum viueret consueuisset pro missa exibere stipendium pinguius consueto, pecunia relicta pro missis potest computari secundum illam quantitatem stipendij, quam erat consuetus dare, dum viueret; etenim ex eo, quod testator erat consuetus facere, desumitur coniectura pro intelligenda eius voluntate. Verum contra hoc militat regula illa de maiori vtilitate, qua in præcedentibus vsus fuit *Pasqual.* quia longe vtilior defuncto esse potest maior numerus missarum, quarum quælibet suum fructum affert, quam sit minor numerus ex pinguioribus stipendijs computatis; & eo magis quod ex maiori stipendio offerentis deuotio solum materialiter crescit, & plus emolumenti recipit simpliciter non qui dat maius, sed qui ex maioris deuotionis affectu dat, vide in Euangelio viduā, quæ duo minuta obtulit plus dedisse alijs dicta fuit. Cum vero huiusmodi testator iam certam summā pecuniæ reliquit pro missis, non per hoc æqualem fructum recipiet si tota pecunia detur pro vna missa, quam si mille missæ pro eo celebrentur. Igitur si in his attendi deberet absolute, & omnino id, quod cæteris paribus est vtilius defuncto, sicut in priori casu supra explicato deberet dari stipendium pinguius, quia hoc est defuncto vtilius, ita in hoc casu computum deberet fieri accepto infimo stipendio, quia sic pecuniæ relictæ respondet maior numerus missarum, & ex consequenti defuncto vtilitas maior. Ideo dicitur quod in his melior regula est, vt dispositio intelligatur per conformitatem ad legem, & quod si ex alijs coniecturis mens testatoris colligi potest, illa est adimplenda; in dubio vero sufficit legale stipendium attendere, & æquū est attendere medium, & in hoc casu sufficit computare numerum missarum intra terminos iusti stipendij de consensu partium, vel ad Episcopi arbitrium est recurrendum. Sed si nullum detur stipendium vel à lege, vel à consuetudine taxatum Episcopi erit numerum missarum taxare, in quo potius attendi debebit, vt maior numerus missarum taxetur, omnibus considerans. In foro tamen conscientiæ si nulla esset dissensio inter heredem, & Ecclesiam ad quam spectat onus missarum celebrandarum, & taxa stipendij fieret ad arbitrium prudentis viri taxa subsisteret. Hæredes tamen non possunt concedere, vt minor numerus missarum dicatur, quàm sit ille, qui congruæ taxationi respondet. Et vere hæres in hoc non habet aliquid auctoritatis, sed seruare debet testatoris voluntatem, cuius legitimus executor est Episcopus; & ideo eius est huiusmodi missarum stipendia stabilire.

948 In tertiò casu in quo est determinatus numerus missarum; & quantitas stipendij sed insufficiens, & minor taxa legis, vel consuetudinis, communiter dicitur, quod si testator determinate principaliter intendit numerum missarum, heres tenetur supplere, & vsq. ad taxam augere stipendium, & quod ad hoc compelli potest ab Episcopo: Sed quando testator censeatur velle principaliter numerum missarum, vel potius taxauerit quantitatem pecuniæ, nec in maiori summa voluerit heredem grauare, incertum valde est, nec DD. conueniunt. *Pasqual. quæst. 1023.* existimat quod quando testator exprimit numerum missarum, semper ille numerus sit principaliter intentus, sed econtra in huiusmodi dubijs interpretationem fieri debere ad fauorem hæredis voluit. *Bonac. disp. 3. de contr. q. 7. p. 7. num. 7.* quia regula est; vt præsumendum sit testatorem, vt minimum voluisse grauare hæredem *l. vnum ex familia. §. si rem. 4. de leg. 2.* Puto rem ex coniecturis arbitrio boni viri pensandam, & iudicandam. In dubio vero iudicandum ad fauorem legati, & numeri missarum, quia nequit negari, quod id, quod habet rationem finis non sit magis principaliter intentum, quam medium; stipendium vero eligitur, vt medium pro cultu Dei, & numero missarum habendo, qui numerus in testatoris intentione habet rationem finis, quod eo euidentius est, quia oblatio pecuniæ pro missis, cum sit actus religiosus habet pro fine proximo, & intrinsece Dei cultum per numerum missarum obtinendum, vnde non potest non esse principaliter intentus. Quia tamen posset esse quod testator noluisset grauare hæredem nisi in summa à se determinata, ideo plene verba testamenti, & aliæ coniecturæ sunt considerandæ, vt colligatur an testator, qui pecuniam dandam pro missis declarauit, id fecerit demonstratiue; vel potius taxatiue, vt noluerit hæredem in maiori summa grauare.

949 In tertiò casu supponitur quod pecunia relicta non sit purum stipendium, sed mens testatoris sit, vt non tota pecunia deseruiat in missarū stipendium, sed pars ad arbitrium, seu ad libitum, quod tamen debet esse certum. Cum vero clausula ista ad libitum aliquando sit idem, quod ad beneplacitum, seu ad arbitrium aliquando maiorem libertatem importat. Nam arbitrium boni viri iuris legibus est limitatum, & per eas est regulandum, sed libitum legibus iuris non restringitur; nihilominus nec clausula ad libitum significat voluntatem omnino liberam, sed importat libertatem rationabilem, & ideo per rectam rationem, & naturalem legem regulatam, & moderatam, vt per *DD. quos referunt Tuscus L. D. Costa clauf. 26. Barbos. clauf. 6.* Et ideo in proposito inspiciendum erit, an vere testator velit, quod tota pecunia relicta detur pro missis, relicto solo arbitrio ad nu-

ad numerum missarum, seu ad hoc, [illegible] sacerdotibus detur [illegible] vel minus [illegible] stipendium, in quo casu pecunia [illegible] a, [illegible] putum stipendium missarum, vel potius nec totam pecuniam relinquat pro missis [illegible] partem, [illegible] legatarij in quo casu cum testator [illegible] legatario d[illegible] inatio[illegible]m numeri missarum dicendarum, & summa [illegible] sit par [illegible] stipendium missarum, nec tota sit relicta pro [illegible] missarum, dicendum est non haberi [illegible] locum arbitrium boni viri regulandum ex lege, & [illegible] regulandum ex taxa stipendij [illegible] lege [illegible] [illegible] scripta, quia testator [illegible] quilibet numerum [illegible] legatario, sed [illegible] missæ dicantur, quot cadunt sub [illegible] relicta seruata stipendij legali taxa. N[illegible] tum debet esse rationa[illegible] & [illegible] naturalis rationis dictamini [illegible] legatarius pro testatore faciat [illegible] pro [illegible] re desideraret si ipse [illegible] arbitrium alteri concessisset, iuxta doct. Bart. [illegible] ff de solut. & Rom. in rubr. de [illegible] qual d [illegible] nu. 5. & 9. Sed tamen iud[illegible] quod etiam si pecunia relicta sit p[illegible] [illegible] Ecclesiæ, si tota [illegible] legata [illegible] censetur legata, vt putum missarum [illegible], quia sub hac solo onere est relicta. Vnde etiam si numerus missarum sit relictus ad libitum legatarij clausula ad libitum, nisi aliud clarius exprimatur intelligenda est in dubio, vt sit idem, quod ad arbitrium, & ideo vt intellegenda sit de arbitrio boni viri regulando secundam leges. Quia in dubio præsumendum est testatorē voluisse id quod, est secundum leges, & est sibi vtilius si tamen stipendium missæ in diœcesi sit taxatum indiuisibiliter ex lege, & testator relinquat certam pecuniam pro numero missarum ad arbitriū legatarij determinandum tunc clausula ad libitum plenam libertatem importabit, quia aliter esset superflua, si numerus missarum esset determinandus seruato legali stipendio. Sed si testator magnam pecuniā relinquat, & paruum numerum missarum præfigat, certum est quod Ecclesia ad solum paruum numerum missarum tenetur, & tota illa pecunia [illegible] debetur.

950 In quartū casu, in quo missarum [illegible] & numerus earum est rel[illegible] gratitudini hæredis, & legatarij, seruandæ sunt gratitudinis leges secundum quas magis attenditur affectus [illegible] quam id, quod retribuitur, ex D. T. supra q. 106. a. 3. & 5. & ideo attenta poss[illegible] [illegible] ex gratitudine tenebitur magis vel minus [illegible] legatarius secundum quod erga illum maior, [illegible] fuit legantis affectus, & ex affectu [illegible] [illegible] vel minus beneficium, iuxta tamen [illegible] legatarij.

951 An vero in his casibus ordinarius in taxando vel stipendio, vel numero missarum debeat habere rationem expensarum, quæ fiunt in celebratione missæ; Pasqualig. q. 934 post Alph. de Leon. de off. Capell. q. 8. sec. 5. num. 17. tenet quod possit id fieri, imo quod id debeat fieri si missæ celebrandæ sint in Ecclesia, quæ non habet speciales prouentus destinatos pro huiusmodi expēsis [illegible] addit. num. 4. quod etiam si Ecclesia habeat redditus pro expensis, adhuc si missæ celebrandæ sint supra numerum regularem, qui solet celebrari, vel opus sit congregare extraneos sacerdotes, si numerus sit extraordinarius, quia [illegible] extraor[illegible] expensas, ideo harum expensarum habenda [illegible] ratio. Sed considerandum quod in decreto de celebratione missarum supra num. [illegible]4. in resp. ad 7. permittitur quod habeatur ratio harum expensarum solum in casu in quo Ecclesiæ non habeant redditus, quos in vsum earundem expensarum erogare licite possint. Vnde S. Cong. ad hoc non requirit quod Ecclesiæ habeant redditus ad has expensas deputatos, sed requirit solos redditus etiā aliunde habitos, qui licite in his expensis erogari possint. Verum nihilominus considerandum est, quod aliud est partem stipendij iam taxati retinere velle ratione expensarum, quæ fiunt in missarum celebratione, qui est casus à S. Cong. consideratus, & negatiue vt supra determinatus; aliud est in taxando stipendio an sit habenda ratio expensarum, quæ fiunt in celebratione missarum. Hoc enim absolute [illegible] rationabile est: quia Ecclesia non debet de [illegible], vt ad fauorem alterius missas celebr[illegible] & E[illegible] præter expensas debetur integrum [illegible] respondens missæ celebra[illegible]. Vbi igitur fundator reliquit numerum missarum cum determinato stipendio, si de facto stipendium est iure, vel consuetudine est taxatum indi[illegible], non est opus alia taxa, sed si stipendium est taxandum haberi debet ratio expensarum, quæ fiunt in celebratione missarum, & vsus, sacrarum vestium, & similium. Et quamuis daretur E[illegible] quæ haberet redditus speciales ad hunc finem celebrationis missarum (quod certe rarissimum erit) ad huc tamen considerandum esset, an qui tales redditus reliquerunt id [illegible] runt ad fauorem eorum qui voluerunt imponere onera missarum illi Ecclesiæ, vel potius ad fauorem Ecclesiæ ipsius; nam si hi redditus non fuit instituti ad fauorem imponentium onera missarū, non est vnde horum redditum intuitu illi non teneantur pro eorum parte ad expensas celebrationis, quas Ecclesia de suo facere non debet. Vnde in taxando stipendio harum expensarum ratio haberi debet [illegible] et taxato iam stipendio non liceat Ec[illegible] de [illegible] lo aliquid demere ratione expensarum iuxta decretum S. Congreg.

SVMMARIVM.

1 *Exigere maius stipendium est illicitum. numer. 952.*

952 QVæritur sexto An sacerdos exigens maius stipendium taxato peccet, & sit iniustus. Quod peccet est indubitatum, quia facit contra legem superioris, & violat iustitiam legalem. Et hoc idem dicitur de eo, qui nolit dare nisi stipendium minus taxato. Quod vero etiam sit iniustus docent illi qui in negotio missarum volunt interuenire iustitiam commutatiuam dati, & accepti. Sed quia hoc fundamentum simoniam continet, neque hic iustum est stipendiū ex eo quod sit æquali [illegible] valori missæ, quæ pro stipendio celebratur, dicendum est, quod exigens maius stipendium,

pendium, vel nolens soluere n[illegible] mi[illegible]us t[illegible]xato non est iniustus quia non est hic violatio iu[illegible] itiæ commutatiuæ, sed iustitiæ legalis, & [illegible]. Nisi qui dat maius stipendium [illegible] inui[illegible], vt ex defectu voluntarij non transferat [illegible] in sacerdotem, quia tunc sacerdos esset iniu[illegible] tenens aliarum inuito domino.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdotes licet diuites possunt celebrare missas exigendo stipendium. num.* 953.
2 *Etiam si habeant beneficia Ecclesiastica. n.* 954.

INSPECTIONIS SEXTVM.

CAP. SEPTIMVM.

Qui possint celebrare Missas pro stipendio.

953 ET quæritur primò an sacerdotes diuites, qui aliunde habent vnde viuant possint exigere stipendium pro missæ celebr[illegible] *Caiet. supra q. 100. a. 3.* distinguit. St[illegible]nd[illegible] enim vel datur gratuite, aut ex authori[illegible], & hoc modo etiam diues potest accipere stipendiu[m], sicut & Episcopus visitans recipit procurationem. Vel stipendium accipitur ex pacto, & hoc mod[o] solus pauper de stipendio sust[illegible] potest, quia cum non indigeat sustentation[e] [illegible] paciscitur de stipendio, conuincitur, quod locet operas suas, quia non agit pro sustentatione cum aliunde habeat necessaria ad sustentationem. [E]andem sententiam alij sub alijs terminis docuerunt, nimirum dicentes, quod diuiti non licet exigere stipendium missæ, Quia licet hoc non sit simoniacum, est tamen turpe lucrum, & auarum. *D. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 5. §. 16. Syluest. v. simonia q. 3. re[illegible]. & q. 9. vers. Tertium, Armill. n. 19. Tabien. nibi n. 17. Aug. v. simon. 2. n. 6. Richard in 4. d. 25. a. 3. q. 1. ad* [illegible] *Tolet. & Graff. apud Paschal. loco citando. Nauar.* vero explicat sententiã. *Caiet.* vt intelligi debeat præsumptinè, quia habet speciem mal[i], & certe hunc sensum exprimunt clare. *D. Anton. & Tabien. D. T.* autem *in 4. dist. 45. q. 3. a. 2. q. 1. ad 4.* dicit, quod indigentes stipendium missæ accipere possunt, sed non negat, quod illum non possint recipe[re] non indigentes. Nihilominus sententia contraria communis est, quia sustentamentum ministri d[iui]ni cultus est ex natura rei, & naturali, ac Diuina Lege debitum per se ex vi ministerij Religiosi, v[t] [i]de n[i]nister diuini cultus per se habet ius [illegible], vt viuat de altari; accidit vero e[i] vt aliunde habeat quo viuat, sed ex altari i[illegible] etiam si aliunde sit diues. Sic enim, & mi[illegible] [illegible] di[uites] non militat proptij[illegible] ex[illegible], sed [illegible] militiæ accipit, & Cl[illegible] [illegible] patri[illegible] [illegible]bēdas Ecclesiasticas, & p[illegible] [illegible]rum possideat. Sic *D. T* [illegible] sacerdoti diuiti decimas [illegible] d[illegible]ditus. *Sotus* [illegible] *6. n. 1. Azor. p.* [illegible] *2. Sanchez. l. 2. Co[illegible] dub. 1[illegible] Nauar.* [illegible] *86.* [illegible] *3. F[agn]und. prac. 2. l. 3* [illegible] *Lu[illegible]* [illegible] [illegible] *claus. tr. 21. p. 1* [illegible] *B[illegible] c. d[illegible] p. 4. q.* [illegible] *n.*

1. Nauar. c. [illegible] *3. n. 102. Lcan*[illegible] *tr. 8. disp.* [illegible] *p. q. 83. a. 1.* [illegible] *Vas*[illegible] *p. 2* [illegible] *cap. 1.* [illegible] *Barb*[illegible] *pot.* [illegible] *2.* [illegible] & al[ij] [illegible] mu[illegible] & pr[a]xi [illegible] eccl[illegible] offer[illegible] præs[illegible] qui al[illegible] ho[illegible] modo [illegible] ari[illegible] & fatis su[illegible] *a. 7. n. 124.* [illegible] quod liceat [illegible] gaud[er]e re[illegible] & de [illegible]ere.

954 [illegible]nda forsan al[iqui] [illegible] commu[illegible] [illegible] ex [illegible] Ecclesiæ [illegible] ex patrimonio Chri[sti] [illegible] d pro[illegible] proposito, [qu]od ben[eficiatus] [illegible] celebra[illegible], d[illegible] sente[illegible] ex [illegible] dæ, a[illegible] pro[illegible] m ex [illegible] pendi[illegible] ad [illegible] al[illegible] brat. Quia [n]on tenetur donare st[ipendi]um iustum, quod [illegible] & [c]oncessio[illegible] debetu[r] [illegible] Nam [illegible] ouabi[illegible] tum [illegible] quo[illegible] mi[illegible] bus d[illegible], [illegible] man[illegible] m celebrant [illegible] ex ho[illegible] facit [illegible] onem [illegible] parte magi[illegible] m [illegible] ex quo dant eleemosinam [p]ro m[iss]a [illegible].

SVMMARIVM.

1 *T[o]t stipendia potest sacerdos recipere, q[uot]* [illegible] *celebrat num. 955.*

955 QVeritur secundò, an qui [m]o d[i]e celebrat plures missas, poss[it] [illegible] stipendia accipere, quot missas ce[lebr]at. R[es]p[on]detur posse, vnde die Natio[illegible] p[ot]est sacerdos tres missas celebrans [illegible] a [sti]pendia. Ratio est, quia mo[illegible] ius recipiendi stipendium, quod ex [natu]ra rei [illegible] po dec, & debetur distinctum p[illegible] la [illegible] li[ce]t hoc debitum sit indeter[min]atum ex [illegible] naturali, & diuino, tamen quia [illegible] taxi[illegible] determinat[illegible], & sic stipendium [illegible] modum redditus perpetui, vel per mod[u]m [illegible] vel per modum stipendij manualis debetur a [illegible] qui vult ad sui instantiam celebrari mi[ss]am [illegible] sacerdos ad instantiam alterius celebra[illegible] celebrat, toties stipendium taxatum po[illegible] re & exigere. *Ledes. p. 1*[illegible] *ap. 18. concl. 8. C*[illegible] *disp. 21. sec. 1. n. 18. Fagnd. prac. 1. Eccl. l. 3.* [illegible] *Pas[chal] de sacrif. nouæ leg. q. 906.* In cas[i]bus [illegible] bus a[l]ias sacerdoti non liceat [illegible] d[i]e pluri[illegible] re, sacerdos peccat grauissime si pluries ce[illegible] sed tamen non facit contra dec[r]etum de c[illegible] tione missarum recipiendo tot st[ipe]ndia, qu[ot] [mis]sas celebrat, quia non reci[pi]t [pl]ura stip[endia] [illegible] eadem missa, sed pro plur[ib]us missis.

SVMMAR[I]VM.

1 *Q[uo]d vna missa possit satisfieri pluribus o[illegible] nibus &* [illegible]*, qui dix*[illegible] *nt. num.* [illegible]
2 [illegible] *aiet. opinio ex*[illegible] *l catur* [illegible]
3 [illegible] *al*[illegible] *fri*[illegible] *tum non* [illegible] *deat* [illegible] *m. 957.*

4 *Vni-*

956 QVæritur 3. An ex vi legis naturalis, & diuinæ ei, qui ab vno recepit manuale stipendium pro missa dicenda sit illicitum accipere stipendium aliud ab alio pro eadem missa. Seu an sacerdos vna & eadem missa possit satisfacere pluribus stipendijs receptis, siue ab eodem, siue à diuersis. Supponit quæstio, quod hoc sit illicitum ex iure positiuo, quia est expresse prohibitum in decreto de celebratione missarum supra n.864.§. Deinde vbi. Sed quætio est an id sit etiam prohibitum iure naturali, & diuino. Iu qua quæst. quod Montagnolus in libello de missæ valore *cap.26.& Viguer.instit.cap.17.§.1.vers.16.* cixerint, quod remoto secularium scandalo, possit sacerdos pro eadem missa plura stipendia accipere, refert. *Lenader tract.8. disp.4.q.2.* sed certe *Viguer. loco citato* de quęst.præsenti non agit, sed de paupertate religiosa, *quæs. vero hanc tractat.cap.16.§.3. vers.16.* Sed ibi totum oppositum docet, & non esse tutum asserit, quod quis vna missa pluribus dātibus eleemosynam satisfacere velit, Vnde male pro præfata sententia. *Viguer.* citatur à *Pasqual.q. 937.* Eam tamen sententiam in parte tenuit Caietanus, cuius mens potius colligitur ex titulo quæstionis, quam ex doctrina tradita in respondendo ad quæstionem: quærit enim an sacerdos obligatus ad celebrandum pro aliquo, & accipiens eleemosynam ab alio, vt celebret pro eo, satisfaciat dicendo vnam tantum missam pro vtroq. huic vero quæstioni ipse intendit respondere affirmatiue. Hanc tamen *Caiet.* sententiam in sequenti sensu refert. *Reuerendissimus Fagnanus cap. Fraternitatem num.25. de sepult.* nimirum, *vt Caiet.* senserit, quod sacerdos obligatus ad celebrandum pro vno accepta eleemosyna ab alio possit vtriq. eadem missa satisfacere, duobus concurrentibus. Primum, vt in illis singulis qui eleemosynam dederunt sit æqualis deuotio. Alterum vt in sacerdote offerente crescat deuotio ea proportione, qua augetur numerus illorum, pro quibus offertur; ita vt si sacerdos v.g. habeat vnum gradum deuotionis, vnica missa satisfaciat pro vno, si habeat duos gradus, satisfaciat pro duobus, si tres pro tribus, & sic de reliquis. Et propterea postea idē *num.28. & sequent.* ex eo impugnat *Caiet.* sententiam quia sit falsum, quod fructus sacrificij missæ, quem causat ex opere operato pendeat ex deuotione sacerdotis celebrantis, & iuxta eius quantitatem mensuretur.

957 Sed certe nunquam, *Caietanus* dixit, quod fructus missæ dependeat ex deuotione sacerdotis simpliciter, sed bene *Caiet.* voluit quod fructus missæ dependeat à deuotione offerentium scilicet eorum qui quocumq. modo causaliter se habent ad sacrificium, vt patet *ex §. Vnū tamen dubium*. Vnde in §. *si autem* dixerat quod deuotio ista est communis tam sacerdoti, quam alijs. Et in §. *caue*, explicat qualiter deuotio tam sacerdotis, quam aliorum limitet fructum missæ. Sed considerandum est quod æquiuocatio hic est in nomine offerentis. Nam vt supra dicebatur alius est offerens sacerdotaliter, & alius offerens non sacerdotaliter. Fructus missæ quatenus est ab offerente sacerdotaliter infinitus est, & in nihilo obstante parua, vel nulla deuotione sacerdotis, quia principalis offerens est Christus; sacerdos vero offert, vt minister Christi; & ita quidquid sit de eius deuotione, missa ab eo celebrata nomine Christi est de se valoris infiniti, & sic deuotio sacerdotis, nec auget, nec minuit valorem missæ secundum se, quia hic valor est infinitus, sed sacerdos etiam computatur in numero offerentium non sacerdotaliter pro quanto antecedenter ad missam ex propria deuotione determinat pro quo velit applicare missā; in hoc enim se habet, vt priuatus offerens, & ac si ipse non esset sacerdos, sed rogaret alium sacerdotem, vt pro se vel alio offerret, & in hoc sacerdos non se habet, vt minister Christi, sed vt principalis offerens, & de numero eorum, qui deprecatiue, & medio sacerdote offerunt: Nam & ipse tunc medio se ipso vt ministro Christi, & sacrificante offert missam iuxta suam deuotionem pro hoc vel illo: & sic fructus missæ potest accipi, vel simpliciter secundum se vel vt est proprius sacerdotis. (Nam, & prout conuenit illis pro quibus ex propria deuotione celebrat, fructus est illius proprius, licet alijs prosit, vt subrogatis pro ipso, & ipsius intuitu) vel applicatus huic vel illi, & fit proprius aliorum ex propria deuotione offerentium: si fructus missæ sumatur, vt fit proprius sacerdoti, vel alijs pro quibus ex priuata sua deuotione celebrat, sic pendet ab eius deuotione ex qua etiam est deuotus offerens priuatus, sed si loquamur de fructu missæ secundum se, est infinitus, quantum sit ex parte offerentis sacerdotaliter, independenter à deuotione sacerdotis. Et pariter si accipiatur hic fru-

ctus, vt sit proprius aliorum independenter prorsus à deuotione sacerdotis est tantus, quanta est aliorum offerentium deuotio, & ex vi operis operati non est maior si à sacerdote deuoto, nec minor si sit à peccatore sacerdote. Quamuis maior esse possit, si & sacerdos deuotus tanquam priuata persona offerat pro eodem; quia tunc multiplicantur offerentium deuotiones. Et hæc pro Caietani opinionis intelligentia sint dicta. Nunc ad quæstionem nostram redeundo.

958 Dicitur quod iure naturali, & diuino illicitum est pluribus petentibus, & dantibus stipendia pro pluribus missis, velle vnica satisfacere, & quod hoc fieri est ex natura rei illicitus: & hoc nedũ tenent, qui sentiunt fructum operis operati esse finitum, sed & illi, qui infinitum affirmant, nisi quod aliqui, vt videbimus aliquas limitationes ponunt. Sed distinguanda est assertio. Nam qui petunt plures missas, vel sunt plures, & diuersi, vel est vnus, qui v g. centum, vel mille missas postulat, & pro eis dat stipendium. In hoc secundò sensu assertio est manifestior, & eam etiam tenet expresse *Caiet.* loco citato ad tertium. Et ratio est quia semper numerus numeratus est maior vnitate, & vnitas est minor numero, qui ex ea, & alijs, vel alijs vnitatibus constat. Vnde idem maiorem fructum recipit ex duabus missis, quam sit ille quẽ recipit ex vna tantum, etiã si ex prima, quã maximum receperit. Decipitur igitur, & fructu secũdæ missæ priuatur, qui si petijt duas missas, pro eo vna sola celebratur. Nec potest dici quod per primam tantum sibi datur quantum sibi debetur, quia tantum sibi debetur, quantum est capax; quia tantum solum sibi datur quantum est capax recipere ab vna, & per vnam deuotionem, non quantum est capax recipere per duas missas, & duas deuotiones. Nec obstat, quod missa sit infiniti valoris, quia de facto semper est valoris finiti, plus vero sunt duo fructus finiti, quam vnus tantum ex illis duobus.

959 In primo vero sensu difficultatem visa est habere aliquibus, paucissimis tamen, ea eo quia eadem missa pluribus offerentibus valeat, & nulli minus valeat ex aliorum consortio. Sed hoc dato, quantum ad fructum medium, non per hoc falsa est assertio posita; quia licet eadem missa quantũ ad priuatum fructum infinitis valere possit offerentibus, & ita, vt nulli eorum ex aliorum consortio diminutio contingat, nihilominus adhuc verum est, quod diuersis, seu ad diuersorum intentionem plus valeant duæ missæ, quam vna, & etiam respectu illorum verũ est, quod plus valeat numerus numeratus, quam vnitas. Quia in pluribus missis multiplicatur Dei cultus, qui est finis, quem intendunt commendantes plures missas, quia missæ commendatio est actus virtutis religionis habens pro obiecto, & fine Dei cultum, quem vnusquisque postulantium missam petit intuitu sui, & veluti, vt sibi proprium Deo donari. Secundò in pluribus missis multiplicatur fructus generalis respondens missæ, vt offertur nomine Ecclesiæ, cuius fructus participes etiam sunt priuati missas commendantes, & qui ex vna missa, vnum solum fructum participant. Tertiò in pluribus missis multiplicantur orationes Ecclesiæ, quæ finiti valoris sunt, & quarum fructus in singulis ex aliorum consortio diminuitur. Nam & suffragiũ speciale plus valet cuiq. quam generale, vt Concil. Const. declarauit contra Io. Vuicleph.

960 Sed & ex vi fidelitatis officij sacerdotalis probatur assertio posita. Quia qui dat eleemosynam pro missa implorat officium sacerdotale exhibendo ex parte sua, quod tenetur, & sacerdos illud acceptando ex hoc se obligat, & promittit celebrare missam, vbi igitur plures missæ postulantur, vel ab eodem petuntur, vel à diuersis dato stipendio pro illis, sacerdos interponit fidem publicam, & ea officio promittit missas plures. Quamuis vero hæc promissio non sit proprie pactum inducens obligationem iustitiæ, neque tamen est simplex promissio inducens nudam obligationem fidelitatis, sed est promissio ministri religiosi, continens nedum obligationem veracitatis sed religionis, cui maxima iniuria irrogatur, si eius minister sit mendax, cum hoc etiam redondet in diminutionem diuini cultus, quia per hoc retrahi possunt fideles à commendandis missis. Est igitur hoc ex natura rei peccatum graue, si sacerdos postulatis pluribus missis, easque plures extrinsecus promissis, non plures, sed vnam celebret missam.

961 Quod eo magis procedit, quia licet verum sit, quod eadem missa diuersis offerentibus æque valeat, quantum ad fructum medium, ac si pro singulo eorum dicta esset, quia vni non minus valet ex consortio aliorum, tamen hoc non est in Ecclesia certum, sed valde controuersum, & qui plures missas petunt, nolunt subijci his litibus theologicis, sed securam partem, & sibi fauentem intendunt, & ad hunc finem dant stipendia missarum, & ideo intendunt singuli, quod pro se seorsim ab alijs missa celebretur, vnde illos defraudat, qui pluribus obligationibus susceptis vna sola missa satisfacit, & sic prout omnes fere DD. tenent nedum de iure positiuo, sed de iure naturali, & diuino prohibitus est sacerdos eadem missa satisfacere pluribus obligationibus ex pluribus à se receptis stipendijs contractis.

962 Limitanda autem videri posset principalis assertio ex pluribus causis, & quidem primo, in casu in quo, qui dedit stipendium pro missa, non dedit sufficiens. Potest vero hoc intelligi dupliciter, vel scilicet, quia non dederit sufficiens ad sustentationem diurnam, vel quia non dederit taxatum à lege, vel consuetudine. Sed primus casus iam exclusus fuit, quia pro opere quod per mediã horæ durat nullo iure debetur sacerdoti victus diurnus integer. Et eo magis quod Ecclesia vult, quod sacerdos non sit adstrictus viuere de missa, sed statuit propterea nullum esse ordinandum, qui non haberet vnde viueret. *cap. non licet, cap. Episcopus, cap. tuis, & cap. cum secundum de præbend. & Conc. Trid. sess. 21. cap. 2.* Quamobrem tunc præcipue, cum sacerdoti datum est stipendium taxatum indebite exigit maius. Vnde communis sententia est quod præscindendo etiam à decreto de celebrat. Missarum sit illicitum exigere maius stipendium pro eadem missa, quam sit taxatum. DD. communem sententiam hanc docentes habes apud. *Pasqual. quæst. 938.*

963 In secundo autem casu præscindendo à lege positiua id prohibente, quod liceret accipere

pro

pro eadem missa à diuersis plura exigua stipendia ex quibus taxatum stipendium constaret tenuerunt, *Rodriquez*, *Corduba*, *Angles*, *Dianam p.2. tr. 14. res. 7. Fernandez in exam. p. 3. 5. §.9. Vasquez.3.p.disp.234. c.3. num.18. Filliuc.tr.5. cap.6.num.188. Suarez disp.56. sec.4.* Hoc vero limitabant alij, vt procederet, si tamen sacerdos expresse non promisisset missam pro illo exiguo stipendio. Ita *Corduba, Homoboa. & Fraxin. apud Dianam vbi supra.* Et hòc approbat *Lezana v. missa. num.11. ex Nald. Peyr. & Layman.* Sed exceptionem reijcit Suarez, quia sacerdoti fit iniuria, si pro pretio minori iusto requiritur missa, & ideo, si sacerdos cogitur acceptare exiguum stipendium potest alia via se indemnem seruare, & hoc idem etiam post decretum Vrbanij VIII. *tenet Tambur.l.3.c.1.§.3.n.52. & 53.* Sed oppositũ senserunt. *Bonac. disp.4. q.vlt. p.7. §.2. num. 8. Palaus tr.22.p.14. num.6. Ascan. Tambor. tr.2. disp.5.q.9. num.11. Card. de Lugo disp.41. num. 26. Quant. in rubr. miss. in append. q.4. p.1. Fraxinell. Alphons. de Leon, Auersa, Frãcisens Lugo, Trallench, Comach. ab Angelo. quos refert, & sequitur Pasqual.q.931. Leand trat.8.disp.4.q.5. Diana, & Lezana vbi supra. Barbos. de off. Episc. all.24. num.6. & in sum. v. missarum eleemosyna nu.2.* quia promissio sacerdotis intelligenda est secundum communem sensum, & vsum, & ideo censendum est sacerdotem promittere petenti totum missæ valorem, seu vt pro se solo missa applicetur, quoniam & ipse hoc postulat, tenetur igitur sacerdos stando promissis pro eo solo missam dicere. Tum secundò quia qui cepit capellaniam tenuem teneretur ad satisfactionem completam singularum missarum donec reducantur onera missarum ad minorem numerum; igitur eodem modo qui recepit stipendium tenue tenetur tot missas recitare quot promisit. Ego considero quod prioris opinionis fundamentũ non subsistit: Nam vel sacerdos omnino libere promisit missam danti paruum stipendiũ, & tunc etiam Suarez, & plures alij prioris opinionis sectatores concedunt, quod sacerdos tenentur pro paruo stipendio tot missas dicere, quot promisit. Vel sacerdos id facit necessitate aliqua coactus, sed in hoc casu falsum assumitur, scilicet quod petens missam dato exiguo stipendio faciat iniuriam sacerdoti. Quia (quidquid sit an alicui liceret tunc reddere se indemnem non totum reddendo quod promisit, vel significauit se promittere) non subsistit, quod qui petit missam dato stipendio exiguo petat illam ex iustitia pro stipendio dato, quia hoc est simonia, sed qui dat stipendium dat illud, vt eleemosynam pro missa non ex iustitia sed gratis recipienda, seu ex debito alterius virtutis à sacerdote, vt à ministro à Christo, & ab Ecclesia ad hoc deputato, vnde nulla est hic iniuria illata sacerdoti. Ideo dicendum est, quod nedum in vi legis positiuæ, & decreti de celebratione missarum, vt indubitatum est, sacerdos pro eadem missa non potest plura exigua stipendia recipere: Sed hoc etiam facere non potest, ex natura rei, & sanctitate, & religione sui officij, ex qua tenetur missam sancte, & religiose, & veridice tractare, & stare promissis, & veracem esse, & deuotos fideles non decipere. Et eo magis quod stipendium taxatum non est quia non possit sacerdos recipere minus, si velit, sed quia si minus recipere nollit non sit reprehensione dignus, nisi adsit scandalum, vel alia mala circumstantia. Quod vero *Tom. Tambur.* vbi supra conetur explicare decretũ Vrbani VIII. & dicat, missas esse celebrandas ad præscriptum receptæ eleemosynæ sicut à tribuente eleemosynam, iuxta rationem, & computum illius præscriptæ sunt. Vnde cum eleemosina non sit data nisi limitate, limitate, & pro parte debebitur applicatio missæ. Quod inquam sic dicitur, euidenter apparet esse contra mentem decreti, quod vult, vt tot missę dicantur, quot à dante eleemosynam præscribuntur, & petuntur, & quamuis stipendia exigua sint, quod vna missa pluribus oneribus non satisfiat, propter quod priuilegia concessa regularibus reuocauit.

964 Limitabatur secundò præfata communis assertio, vt sacerdoti pauperi liceret plura stipendia accipere ob sui necessitatem. Poterat vero hæc limitatio excogitari, vel quia sacerdos posset tot pitantias accipere quot sunt necessariæ ad diurnam sustentationem, vel si erant exiguæ, quot conficiebant pitantiam taxatam. Sed hæc reiecta sunt; quare hic occurrit titulus necessitatis, & paupertatis, ex quo aliqui voluerunt, quod sacerdos posset plures eleemosynas recipere, & illis vnica missa respondere. Ex eo quia stipendium respectu sacerdotis pauperis non sit censendum illud quod est taxatum ex iure positiuo, sed potius quod iure ipso diuino debetur, iuxta illud Christi Matt.10. *Dignus est mercenarius cibo suo.* Non enim conuenit quod sacerdos cogatur mendicare, vt viuat. Et ita hanc sententiam tenuerunt, *Sotus, Canu, Beia, Montagnolus, Angelus, Rodriquez. & Fernandez, & probabilem dixerunt Io. de Cruce, Ledesma, & Molphesius, apud Dianam p.2. tr.14. res.8.* Verum hæc sententia deficit in suo fundamento, missa enim non est instituta ad alendos pauperes sacerdotes, quia imo Ecclesia statuit, vt pauperes, non ordinentur. Tum secundò quia imo iura volunt clericos honesto exercitio, & artificio, & labore sibi victum acquirere, vt habetur *cap. Clericus victum, dist.6.* Tum tertiò quia paupertas non dat sacerdoti ius vt non seruet leges, & stipendium taxatum, vnde nec licet sibi modo prohibito procurare victum; quamobrem etiam ante decreta de celebratione missarum hoc idem docuerunt. *Nauar.cap.25. num.92. Tabien. v. restitutio num.32. Suarez d.86. sec.4. Toletus, Salzedo. & Azor. quos sequitur Fagundez prac.p.l3.c.8. num.7. Pitigianus, Filliuc. Io. de Cruce, Ledesma, Molfesius. Naldus, Less. Posteu. Fraxinell. Vasquez apud Dianam d.res.8.* Nunc vero indubitatum est ex decretis de celebrat. missarum, hoc non licere, sed teneri sacerdotem etiam pauperem tot missas dicere quot ad præscriptum eleemosynæ receptæ præscriptæ sicut, & ita docent *Card. de Lugo d. disp.21.s.26. Diana vbi supra Bonacina disp.4.q.vlt. p.8. & s.4. Pasqualig.q.939.* Dices pauperẽ nõ teneri subtrahere sibi sustentationem, vt soluat debita, igitur non tenebitur soluere debitum missarum si non habet vnde sustentetur, sed vna missa poterit satisfacere. Respondetur, & negatur consequentia, aliud enim est non restituere, & aliud decipere dolose, & defraudare, & plures missas promittere,

mittere, & vnam tantum reddere pro pluribus. Dato quod liceat primum, nunquā licebit secundum quod est intrinsece malum, & illicitum. Quomodo vero qui plura stipendia accepit restituere debeat, & quid agere debeat, si non possit, dicetur infra suo loco.

975 Sed quid dicendum esset, si sacerdos esset in casu extremæ necessitatis? Posse sacerdotem in extrema necessitate constitutum vna missa pluribus stipendijs satisfacere aliqui tenuerunt, & pro hac sententia. *Pasqual. quæst. 940. refert Suarez disp. 86. sec. 4. §. Dico ergo, & Lezanam p. p. c. 21. num. 5. in fine*; quorum nullus id docet, *sed Suarez* ait se de hac quæstione eo loco non disputare, *& Lezana* quærens de necessitate excepta extrema, non per hoc admittit, quod in extrema necessitate liceat accipere plura stipendia promittendo plures missas, & vnica satisfacere. Itaque ergo hic plura distingui debent. Nam primo siue celebret, siue non celebret, stipendijs acceptis, potest sacerdos in extrema necessitate vti re aliena, quia in ea necessitate omnia sunt illi communia iuxta doctrinam *D. T. supra q. 66. n. 7.* si vero celebret, sicuti tenetur, si potest, celebrare debebit pro eo, qui prius dedit elemosynam, & cui prius fidem suam obligauit. Sed simul quantum sine illius prioris præiudicio fieri potest, applicare debebit sacrificium pro alijs omnibus. Debet quidem celebrare, quia non est in extrema necessitate, qui potest viuere de labore suo. Non debet vero absolute celebrare pro omnibus à quibus accepit stipendium, & ex æquo, quia cum incertum sit an hoc fieri possit sine præiudicio illius, qui ex quo sit potior in tempore, est potior in iure non debet se iniustitiæ periculo exponere. Debet ergo absolute celebrare pro illo, qui prius stipendium dedit. Sed quia credibile est, quod possit etiam eadem missa pluribus offerentibus prodesse secundum mensuram deuotionis illorum, debebit missæ valorem applicare quantum fieri poterit sine prioris præiudicio. Accipere vero plura stipendia mentiendo non potest, quia mentiri semper est malum. An vero tunc possit sine mendacio simulando, & æquiuocando, sub colore celebrationis missæ plura stipendia perquirere quantum ad extremæ necessitatis suæ remedium sufficiat? Respondetur quod si potest etiam ab inuitis necessaria sibi accipere, multo magis quantum sine mendacio, vel dolo iniusto, aut alia mala circumstantia fieri possit, poterit plura stipendia perquirere, & recipere, & ijs, qui dederunt illa stipendia, illa vnica missa, quā in die potest dicere omni meliori modo quo potest satisfacere. Sed ego puto quod sit fere impossibile, quod sacerdos potens celebrare sit in extrema necessitate, vt sibi labore suo non possit victum quærere. Cæterum Iudæi colore commutationis sic Deo iubente Ægiptum spoliauerunt, & spolia ratione compensationis retinuerunt. *Ex Lexana putat etiam Tambur. l. 3. cap. 1. §. 3. num. 13.* quod sacerdos in extrema necessitate accipiens plura stipendia compensare debeat per alias orationes. Quod non est consequenter dictum, quia in extrema necessitate illa stipendia non sunt res aliena, sed sunt necessitatem patientis, qui ratione illorum ad nihil tenetur.

966 Quantum etiam ad regulares quod possint accipere duo stipendia iusta; vt subueniant suis necessitatibus etiam proprijs tanquam opinatum *à Ludouico de S. Io. refert Pasqualig. quæst. 941.* vbi quod econtra *Petr. Nauar. apud eundem Ludou. à S. Io.* voluerit, quod aliquando seculares sacerdotes possint accipere plura stipendia sufficientia suæ sustentationi, non vero regulares, qui mendicare possunt. Sed dicendum est, quod tam de iure positiuo, quam de iure diuino tam regularibus, quam secularibus est illicitum, vel decipere fingendo promittere plures missas, & mentiendo non habere animum plures celebrandi, vel plures promittendo vnam solam celebrare, vel accipiendo plura stipendia, illis vna sola missa respondere, vt ex supra probatis apparet.

967 Nonnulli adhuc tamen faciunt vim in paupertate distinguentes inter sacerdotem diuitem, & pauperem, & dicentes, quod sacerdos pauper coactus necessitate non consentit in tot missas quot sunt incongrua stipendia, & ideo non tenetur, & ideo *Petrin. tom. 3. cap. 1. num. 26.* explicat decretum de celebrat. missarum, vt locum habeat, cum sacerdos omnino libere consentit. Sed distinctionem hanc de sacerdote diuite, vel paupere, merito reiecerunt, *Vasquez 3. p. disp. 234. cap. 2. num. 18. Rebell. de oblig. iust. p. 2. lib. 14. q. 15. num. 9.* & alij communiter. Et in proposito illa distinctio nihil concludit; quia nedum acceptando stipendia exigua data pro pluribus missis, vere sacerdos in tot missas consentit, quot petuntur; sed nihilominus dicitur quod vel cōsentit in illa, vel non consentit, si consentit, tenetur celebrare illas: si nō consentit, euidēs est teneri restituere stipendia, quæ non fecit sua, si ea non recepit sub eo onere sub quo data fuerunt. *Pasqual. quæst. 943.* Et sic si dubitet sacerdos an consenserit, vel non consenserit, eius est dubium decernere, & vel consentiat, si vult retinere stipendia, vel ea restituat. Inde etiam reijcitur distinctio, *Tambur. l. 3. c. 1. §. 3. num. 69.* distinguentis, quia qui dat exigua stipendia vel inuenit alios, qui pro eodem exiguo stipendio dicent missas, vel non; & quod si non inuenit, tunc liceat sacerdoti pauperi se indemnem seruare; Nam & vnde sciet sacerdos, quod qui petit eleemosynam non sit inuenturus alios, qui pro illo exiguo stipendio non sint celebraturi, vt huius tantam certitudinem habeat, quanta esset necessaria, vt petenti missas, non inferret damnū? Et præterea quidquid sit de hoc, religio non est nundinatrix, sed fidelis dispensatrix donorum Dei; & ideo sacerdos religionis minister, quod promittit, reddere debet, neque excusatur ex eo, quod timore, vel spe, vel ex amicitia, vel ex hoc vel illo affectu missas promiserit.

968 Sed quid dicendum, vbi qui dat stipendium pro missis numerum non determinat, & tamen multi sunt, qui pro stipendio exiguo, & minori taxato missas celebrant? Tunc missas numerandas esse ad rationem stipendij taxati dixit *Pasqual. q. 944.* quia sacerdos nec censetur aliter consensisse, & quia postulans missas præsumitur dare stipendium secundum taxam, quia tenetur sequi leges disponentes de tali actu. *l. si duo. ff. de acquir. hæred. & ibi Bartol. & notant Nata cons. 49. num. 22. Dec. in authen. Præterea num. 20. C. vnde vir. & vxor. & Curs. 16. num. 23. Crauet. cons. 75. num. 5.*

num. 5. Ruin. consil. [illegible] num. 19. volum. [illegible] Et quia per hoc, quod a [illegible] non d[illegible] stipendium, [illegible] m, non tollitur ius ad [illegible] quia huic ius [illegible], & [illegible] ret stir, vnd[illegible] prævalere d[illegible] taxam [illegible] au[illegible] m, vt innuit idem *Pasq.* [illegible] num. [illegible] eius dandi [illegible] um minus taxato [illegible] consuetud[illegible] [illegible] fit stiu paucorum [illegible] non præua[illegible]. Nam si contineat do[illegible] taxæ, [illegible] esset [illegible] anda, & ad com[illegible] [illegible] diorum on[illegible] taxatorum [illegible] m[illegible] hoc casu.

969. Sed quid etiam d[illegible], si sacerdos [illegible] pe[illegible] a non numer[illegible] v. g. [illegible] m, [illegible] dis, in[illegible] stipendia [illegible] & non suffic[illegible] ? si poss[illegible] le mo[illegible] um, qui tip[illegible] bit. Aliter Sacerdos no[illegible] mi[illegible] [illegible] co[illegible] qu[illegible] mi[illegible] po[illegible] missæ. Vnde non absolute, vt voluit *Pasqual.* [illegible] 5. [illegible] ndum est, quod Sacerdos in hoc [illegible] merum missarum minuere ad ratam [illegible] taxæ, quia si Sacerdos pro numero p[illegible] non con[illegible] non [illegible] sua stipendia [illegible] data [illegible] ære tot missarum, [illegible] V[illegible] non [illegible] quod [illegible] *Pasqual.* [illegible] os [illegible] putat stipendium [illegible] & [illegible] creto [illegible] catet con[illegible] l. [illegible] 6. An [illegible] *vetur ff. de reg. iuri* vnde no[illegible] m[illegible] [illegible] tarum. Na[illegible] m est, quia ad nullum [illegible] cum conuentio sit nulla ex de[illegible] co[illegible] tius, [illegible] decem m[illegible] con[illegible] tantum, & Sacerdos in decem non c[illegible] F[illegible] ergo pecunia t[illegible] pta [illegible] lam sibi potest re[illegible] to[illegible] am dedit pro [illegible] numerando mi[illegible] ad rati[illegible] taxati[illegible] Et si a[illegible] erit contra D[illegible] cretum [illegible] bani VIII. Nec val[illegible] loqui[illegible] Sacerdote[illegible] quia Sa[illegible] dos ex quo co[illegible] non [illegible] dentis secund[illegible] ad n[illegible] de[illegible] farum vult i[illegible] re[illegible] om, [illegible] illud sub alio onere [illegible] eo, qui de[illegible] nih[illegible] E nihil inte[illegible] d[illegible] ctum stipe[illegible] d [illegible] quod cognitio d[illegible] m, quod p[illegible] onere, ni[illegible] S[illegible] n v[illegible] missas [illegible] o ex quo [illegible] tenet Sace[illegible] rum missarum, cum n[illegible] ta[illegible] & tamen quia tu[illegible] , & a domi[illegible] al[illegible] missar m [illegible] do tes [illegible] pro [illegible] decem m[illegible] posset p[illegible] celebrandæ quia [illegible] b al[illegible] onere no[illegible] est ali[illegible] co[illegible] Sace[illegible] in rec[illegible] rum [illegible] q[illegible] , [illegible] suffi-

cit attendere, quod pecunia [illegible] dotis, & quod iam non potest retinere sub [illegible] nore o[illegible] re, & quod [illegible] restituere, si non vult subire onus, vnde non [illegible] restituere damno te[illegible] ur [illegible] iuxta [illegible] nint men[illegible] m erogare, si potest. L[illegible] ctus negoti[illegible] gere[illegible] re sine domi[illegible] dan[illegible] o, quant[illegible] Quod si damnum vit[illegible] non pot[illegible] domi[illegible] us [illegible] impu[illegible] qui neg[illegible] in suum ve[illegible] con[illegible] siderate, & [illegible] ud[illegible] & si [illegible] iet si Sacerdos ad ratam [illegible] n[illegible] sa [illegible].

970. Hinc neque ap[illegible] p[illegible] quod [illegible] abet i[illegible] m *Pasqual, d.* [illegible] *iusti.* [illegible] *num* [illegible] si q[illegible] on[illegible] v[illegible] argentea[illegible] in [illegible] am in[illegible] stis detecto d[illegible] ad ratum d[illegible] s monetarum, detrah[illegible] numero n[illegible] rum pro[illegible] o quia [illegible] lucrum de sna manu a repo[illegible] [illegible] ud al[illegible] o[illegible] lent data opera mon[illegible] [illegible] dere deficien[illegible] tes dare pro missarum [illegible]. Nam conside[illegible] randum est primo, an mo[illegible] d[illegible] ntes commu[illegible] ni[illegible] [illegible] nullius ponderis. Nam in hoc casu Sacer[illegible] num non patitur [illegible] moi[illegible] Secun[illegible] si pr[illegible] fieri debet adn[illegible] u. Nam [illegible] his [illegible] consen[illegible] [illegible] niam [illegible] vel non ad[illegible] si [illegible] uentio est [illegible] non adest [illegible] [illegible] iens, re[illegible] domi[illegible] n[illegible] a Sace[illegible] vel al[illegible] a[illegible] V[illegible] acer[illegible] ne[illegible] nihil fiat d[illegible] co[illegible] nsu.

971. Hinc [illegible] iudicium de eo quod di[illegible] x[illegible] p. 1. *apud Pasq. q.* 946. nimirū q[illegible] ndium in[illegible] non te[illegible] n[illegible] ap[illegible] [illegible] sacri[illegible] Nam ex quo ac[illegible] ongruum sub onere appli[illegible] can[illegible] ium se obligat. Nam & v[illegible] o[illegible] & [illegible] tur applica[illegible]. Ve[illegible] o[illegible] acc[illegible] ndo al[illegible] d[illegible] q[illegible] nus non dat inco[illegible] p[illegible] m[illegible] o non [illegible] accipiens [illegible] on[illegible] cationes, & ampli bo[illegible] dinm non [illegible] at [illegible] ne, & one[illegible] ub [illegible] d[illegible] sub ca[illegible] tio[illegible] ac[illegible] an[illegible] est pr[illegible] n. *Pas[illegible] d. q.* 46.

[illegible] Limitab[illegible] tc[illegible] v[illegible] posse vn[illegible] missa [illegible] us eleemosynis, & pro [illegible] ri. Nam quod Leo X. con[illegible] [illegible] privilegium, quod [illegible] taxat, si eleemosyna [illegible] idest de[illegible] parti ducati no[illegible] duas, t[illegible] quatuor, [illegible] pla[illegible] celebrato[illegible] occasione diuersa. [illegible] eleemosynar[illegible] huiusmodi in[illegible] di[illegible] missa [illegible] q[illegible] pro di[illegible] mo[illegible] ad summam [illegible] comm moratoniun in[illegible] si[illegible] in hoc co[illegible] atum purita[illegible] t[illegible] sit, refert *Ca[illegible]* [illegible] *nu.* 14. sed vt adnertit *Reuerendi[illegible]* *Fag[illegible] p. significatum numer. 37. de Præbend.*

idem

idem *Cæsarub. ibid.* inquit, cauendum esse omnino, ne quis vtatur hac concessione, quæ p[illegible] a[illegible]o-tis sic, nam & inter multa quæ [illegible]tra c[illegible] ac [illegible]uel possent, in narratiua facta [illegible]ci colligatur eã esse subreptitiam. Eam tamen approbauit *Rodriq. tom. 1. q. 43. n. 17. in fine.* Et respondet motiuis [illegible]a-*ser.* quem non esse audiendum dixit *Tamb. de sacrif. missæ l. 4. c. §. 4. n. 11.* Sed indubitatum est priui-legium, quod concessit Iulius Secundus Or[illegible]i Minimorum in Constit. quæ incipit Sacer ordo, & data fuit 27. Martij 15[illegible]8. & apud *Peyrinum* est Const[illegible]. quinta d[illegible]i Pôtificis, quæ habetur etiam apud *Confect. in Bull. 7. Iuly II.* & in qua §. 5. concessit, quod Generalis dicti Ordinis in visitatione si multitudinem copiosam missarum inuenisset, & cognouisset quod [illegible] per Fratres di[illegible]i O[illegible]dinis iuxta obligationem factam celebrari non po[illegible]nt, ipse posset cum eisdem Fratribus d[illegible]pensare, vt dicti Fratres possent recitare in missa nouem collectas pro n[illegible]m mi lis, vel septem pro septem, vel descendendo respectiuè sex pro sex &c. seu quod [illegible]tra d[illegible]um numerum descendendo, & acceptando benefactores, qui missas reliquerunt ad participationem meritorum & bonorum eorumdem Fratrum adeo integre fati[illegible]facerêt, ac si missas cel[illegible]brassent. Pro quo priuilegio plura congessit [illegible] scripsit *Nauar. com. [illegible]. de cel[illegible] [illegible]. missarum*, & de e[illegible] egerunt *[illegible] Vrceanus in summar. Constit. Ord. Prædicat. par. 1 cap. 28 Constit. sum. priuil. tit. 19. cap. [illegible] Zanar. 2. par. ca[illegible]. 21. A Sorbo ad Cæsarub. loco citato. Fraxinel. de ob[illegible]. Sacerdotum sect. 6. arg. 21. & sect. 7. §. 9.* & late d[illegible]erit *Peyrin. ad d. Constit. 5. Pasqual. etiam q. 959.* voluit quod hoc priuilegium tanquam exorbitans, & d[illegible]s concessionis, non veniat sub generali communicatione, sed certè non desunt ex R[illegible]ularibus qui habeant priuilegium communicationis amp[illegible]li-mũ & quod ad om[illegible]ia se extenda[illegible] etiam [illegible]xo[illegible]tantia. Quia vero hoc priuil[illegible] vt [illegible]utat *Tamburin. de sacrif. missæ lib. [illegible]. cap. [illegible]. §. 4. numer. 3.* fuit conc[illegible]um Franc[illegible]o B[illegible]r[illegible]tun Generali, ideo illius succe[illegible] ob[illegible] idem [illegible]ũ etiam magis extensum à Leone X. in B[illegible]a quæ incipit exposcit, data 23. Iulij 1513. & [illegible]t apud *Peyr. quinta & Confect. 8.* qui *Peyr. ad C[illegible]. Iuly 2. nu. 1[illegible].* refert ex *Passarel.* idem priuilegium fuisse extensum ad Prouinciales per Paulum Tertium. Amplum etiam priuilegium con[illegible]t Nicolaus Francus Legatus Sixti IV. Mona[illegible]rio V[illegible]l-lisol. nimirum vt eleemosynas per Capellan[illegible]s perpetuis recipere, easque sine on[illegible] habere, & reti-n[illegible]re, recipiendo sic benefacientes ad pa[illegible] pat[illegible] [illegible]em bonorum monasterij. Hue p[illegible] *Rodriq. in Bullar. inter priuil. Sixti I[illegible]. num. 4[illegible].* A[illegible]d etiam priuilegium ex Compe[illegible] Ordi[illegible]. S. Hieron. in Hispania re[illegible] *Po[illegible] [illegible] num. 2. & ex eo Lezana v. mi[illegible]a num. [illegible]* v[illegible]ait [illegible] a[illegible]ud priuilegium v[illegible] Leonis Dec[illegible]i pro [illegible] Be[illegible]hica Carm[illegible]ana. Horum [illegible] p[illegible] iustitiam saluat *Tambur. loco cit.* q[illegible]a [illegible]x per huiusmodi priuilegia de [illegible] d[illegible]um pro mi[illegible]a c[illegible]r 18. baio[illegible] [illegible] Quod certè [illegible]nus suffi[illegible] [illegible]taxa [illegible], seu stipendij ge[illegible]s [illegible] pro omnibus [illegible] vero c[illegible] [illegible] vel illis co[illegible]ones vel [illegible]

priu[illegible]um illis Religiosis co[illegible] ter [illegible] d[illegible] priuilegia [illegible] pendia m[illegible]ar[illegible]m [illegible] nt p[illegible] donatę [illegible] q[illegible] c[illegible] se[illegible] m[illegible]; [illegible] a[illegible]nimum P[illegible] nere de m[illegible] fa[illegible] per a[illegible]m [illegible] postu ant [illegible]n p[illegible] [illegible] a [illegible] n[illegible] pet[illegible] c [illegible] d[illegible]ol [illegible] giose gra[illegible] donandam [illegible]nde bene[illegible], & po[illegible] hoc d[illegible]p[illegible] quod ve[illegible] quoad [illegible]uctum me[illegible] v[illegible]ca m[illegible] tantum valet [illegible]gulis, quantum pro quolibet offerentium diceretur & quantum ad [illegible] quod am-p[illegible] [illegible]tur sent percipere [illegible] p[illegible] Ion[illegible]es, vi[illegible] la[illegible] Se[illegible]niod omnia [illegible]ta priuilegia abroga[illegible] ctio [illegible] A[illegible] ita per decretum de c[illegible] missarum, *supra num. [illegible]4. §. Id vero* [illegible] quod huiu[illegible]od p[illegible] n[illegible] p[illegible] Regulares dixerunt *Fraxine l. d[illegible] ar[illegible]. 2. nu. 4. Card. de Lugo [illegible]p. 21. num. 28. [illegible] q. 9[illegible]6. [illegible] bur v[illegible] [illegible] B[illegible]on. ref. 35. num. 19. Leza[illegible] num. 15.* A[illegible]r[illegible] tamen Lezana con[illegible] quoad onera [illegible]pra ante co[illegible] c[illegible]m [illegible]giorum, vt ex ip[illegible] decreto [illegible] re[illegible] apparet. Addit etiam quo[illegible] d[illegible] no[illegible] habentia eam [illegible]ualitatem, quam S[illegible] designat, scilicet. v[illegible] certarum missarum [illegible] non fuit reuocata.

9 3 Quid vero dicendum, si Sac[illegible] cem habeat decem missas c[illegible]br[illegible]as p[illegible] elt m[illegible]as decem pro eorum si[illegible] vel potius vnã solam pro quol[illegible]er [illegible] posse enim de[illegible] cim pro omnibus c[illegible]re [illegible] *nac. di p. 4 p. 7. §. 3. nu. 1. & Auersa, &* [illegible] *apud Pasqual. q. 951.* quia singulis [illegible] d[illegible]rur. Sed hoc non posse si[illegible] *Palud. 4. d. 47. q. 2. ar. 2. concl. 4.* [illegible] *C[illegible] mit. [illegible]. respons. mor. cap. 42.* [illegible] *q. 9[illegible]1.* & apud [illegible]rum *Fraxinel.* [illegible] Ratio autem huius est, prim[illegible] modo non sa[illegible]faciat eo[illegible] [illegible] fam conm[illegible]dauit. S[illegible] tel[illegible] cit[illegible] [illegible]s. Nam [illegible] si prima [illegible] tionem [illegible] q[illegible] primo p[illegible] a [illegible] cta fuit, [illegible] rata [illegible] fiat, quia [illegible] missa pro[illegible] quod ad d[illegible] d[illegible]es e[illegible] [illegible]tani [illegible] qu[illegible] pr[illegible] d[illegible] m[illegible] [illegible]ione [illegible] & [illegible] n[illegible] in o pr[illegible] co[illegible] a[illegible]

SVMARIVM.

1 *P[illegible]roc[illegible] [illegible] l[illegible] m ap[illegible] n[illegible] suspens[illegible] [illegible] arm[illegible] sam plur[illegible] d[illegible]*
2 [illegible]
3 *hæc [illegible] n[illegible] non pote[illegible] n[illegible]m*
4 [illegible] *pet*[illegible]
5 [illegible]

6 *Quãdo Parrochi teneantur celebrare pro populo, remissiue. num. 979.*

7 *Beneficiatus, vel quicumq. alius qui ad solam localem celebrationem est obligatus potest cuicumq. applicare missam. num. 980.*

8 *Sacerdos obligatus ad localem celebrationem potest recipere stipendiũ pro applicatione sibi libera. num. 981.*

9 *Nec obstat decretum de celebrat. Missarum. numer. 982.*

10 *Hebdomadarius missam conueatualem si non est obligata applicat cui vult. num. 983.*

11 *Parochum vel alium obligatum ad dicendam missam pro aliqua non posse accipere eleemosynam pro alio ex consuetudine aliqui negant. num. 984.*

12 *A sciente obligationem sacerdotis potest accipi eleemosyna pro missa. num 985.*

13 *Non potest sacerdos recipere nouum stipendium pro applicatione fructus specialissimi. numer. 986.*

14 *Nec pro indulgentia missæ 987.*

15 *Nec pro diuisibili applicatione fructus sacrificij. num. 988.*

16 *Missa obligata vni potest non recepto alio stipendio obligari alteri sub conditione. num 989.*

974 QVæritur quartò de Parrochis, an possint illi recipere, & petere stipendia missarum, seu pro stipendio celebrare missas, nedum quia habeant sustentationem sufficientem ex reditibus, decimis, & alijs obuentionibus; sed quia sint obligati celebrare, & applicare missas pro populo sibi subiecto saltem in diebus festiuis, & quando parochiani tenentur audire missam? fundamentum difficultatis est quoniam in sacrificio missæ distinguuntur ipsa celebratio missæ, & applicatio sacrificij, vt patet, quando sacerdos obligatur ad missam localem tantum, nimirum vt celebret in tali Ecclesia, vel ratione solemnitatis alicuius sancti, vel vt populus audiat missam, vel in eo altari cultus exhibeatur, vel ob aliam similem causam; plene enim satisfacit obligationi suæ sacerdos si in loco celebret, licet applicet fructum sacrificij pro alio. Est igitur hic distincta obligatio ad celebrandum ab obligatione offerendi sacrificium. Quo dato, cum apud DD. sit valde controuersum an Parochi teneantur celebrare pro suis parochianis applicando pro eis sacrificium missæ, si non quotidie, saltem diebus festiuis in quibus populus tenetur audire missam, vel saltem in diebus magis solemnibus, *Diana p. 2. tr. 14. ref. 26.* vniuersaliter existimat Parochum nunquã teneri ad applicandum sacrificium pro parochianis, & pro hac sententia Barbosa de Parocho refert quam plures, ipse vero existimat, quod præcisa consuetudine, speciali Parochus celebret pro populo in diebus solemnibus. Sed abstrahendo ab hac quæstione an, & quando Parochus teneatur celebrare pro populo, & supposito quod aliquando sit obligatus ad celebrandum, & non ad applicandum sacrificium alicui, dubium est an tunc possit ex nouo stipendio celebrando applicare sacrificium alteri. Posse enim hoc fieri tenuerunt, *Suarez d. disp. 86. sec. 1. §. de Beneficij Alphons. de Leon. de iubilao p. 3. q. 20. num. 27. Passerini. Tom. II.* & *apud Dianam p. 2. tr. 14. ref. 80. Fraxinel. de oblig. sacerd. sec. 4. concl. 4. §. 8. Hamobon. de bonis p. 5. tr. 4. c. 13. quæst. 121. Diana loco supracitato,* vbi vult quod Parochus possit sẽper hoc facere. *A Sãcta Fausto de iubilao l. 1. quæst. 87. Ludouicus a Cruce in expos. Bullæ Cruciata disp. 3. dub. 19. num. 12.* quos refert, & *sequitur. Card. de Luga disp. 21. n. 21. Tambur. de sacrif. missa l. 3. c. 1. §. 31. n. 14. Pasqual. de sacrif. noua leg. q. 907. Nicolius* quoq; *in Flosscul. v. missa. num. 34.* putat probabile posse hoc fieri non obstante decreto Vrbani VIII. de celebratione missarum dato 21. Iunij 1615. Eo quod ratio talis decreti fuit, quia dubitabatur an beneficiati qui tenentur ad celebrandum pro aliquo possent accepta manuali eleemosyna celebrare pro alio, & responsum est non posse fieri; Non vero in eo decreto est sermo de eo, qui solum ad localem celebrationem sit obligatus; quia cum sint plures tituli ratione quorum sacerdos potest celebrando accipere stipendium præter titulum laboris, & præcipue cum adsit titulus sustentationis, non fuit mens S. Congreg. reprobare hos titulos, sed quod pro eodem titulo plures eleemosynæ accipi non possent illisq. vna missa satisfacere. Sed quia regulariter beneficiati tenentur etiam applicare missam, ideo S. Cong. respiciens id, quod est frequentius decreuit, quod beneficiati non possint eadem missa satisfacere obligationi beneficij, & eleemosynæ manuali acceptæ. Item *Diana p. 4. tr. 2. ref. 16. & p. 5. tr. 13. ref. 51. & p. 6. tr. 6. ref. 13.* dicit, quod secuta consuetudine in contrarium sacerdos missam conuentualem potest applicare pro eo, qui dedit elemosynam manualem.

975 Sed contrarium, nimirum quod Parochus in illis diebus in quibus tenetur celebrare ex officio, non possit eleemosynam manualem accipere, & eadem missa eidem obligationi satisfacere, voluit *Barbosa de Parocho cap. 11. num. 13. & ex Gauant. tom. 1. p. 3. tit. 12. inclinat Diana p. 2. tr. 14. resol. 80. Lezana* etiam *v. missa num. 21.* satis perplexus est, nec priori sẽtentiæ omnino adhæret. Et fũdatur *Barbosa* in decreto S. Cõgreg. Cõcilij seu Vrbani VIII. de celebratione misã supra *num. 884* in responsione ad quartum dubiũ. Item in alio eiusdem S. Congreg. decreto, quod refert ipse sub his verbis. *An Parochi terra Vrcani Fanen. diœcesis, quibus diebus ex proprio officio, & obligatione tenentur missam celebrare possint pro eadem missa propria, vel in aliena Ecclesia celebranda manuales eleemosynas recipere? S. Congreg. die 1. Septembris 1629. respondit, quibus diebus Parochi tenentur missã celebrare, nõ posse manualẽ elemosynã recipere.* Sed statim idem Barbosa meminit alterius declarationis eiusdem S. Congreg. sub die 13. Iulij 1630. in qua dicitur, quod capellanus non potest nouam elemosynam accipere, & duabus obligationibus vnica satisfacere, nisi in fundatione expresse cautum sit, quod non teneatur sacrificium applicare. Sed in summa Apostolicarum, v. missarum eleemosynæ num. 10. aliam refert declarat. eiusdem S. Congreg. sub die 28. Aprilis 1629. in in vna Aretina quã etiam ex eodem, *Barbosa refert Lezana d. num. 21.* nimirum, quod missa vnica satisfacere non potest sacerdos duabus obligationibus duplicem elemosinam recipiens, nisi in fundatione expresse cautum sit quod non teneatur sacrifi-

crificium applicare. Igitur iuxta hanc declarationem si fundator capellaniæ expresse declarauit capellanum non teneri ad missæ applicationem, poterit capellanus nouam eleemosynam suscipere pro applicatione missæ, & eadem missa obligationi capellaniæ, & eleemosynæ satisfacere.

976 Tractat etiam hãc *quæst. Reuerendiss. Fagnanus, ad cap. Significatum num 39.* & seqq. de præbendis, & postquam partem affirmatiuam probauit, nimirum quod vbi sacerdos habet solam obligationem localem celebrandi cum libera facultate applicandi sacrificium, possit accipere nouam eleemosynam pro applicatione missæ, & eadem missa vtriq. obligationi satisfacere, subdit *num 44.* quod tutius forte esset abstinere ab huius dubij declaratione, quia raro accidit, quod fundantes capellanias, & obligationes missarum relinquant sacerdotibus aplicationẽ liberam. Deinde, inquit, abstinendum esset á declaratione, quia sacerdotes possent illa abuti, & eludere decretum S. Congreg. accipiendo plures eleemosynas sub prætextu quod non teneantur ad applicationem sacrificij. Difficile tamen erit, non respondere postulantibus, cum hoc dubium intrinsece pendeat ab intellectu decretorum de celebratione missarum, quorum quidem decretorum declaratio seu interpretatio est omnibus alijs interdicta, vt habetur, *in §. Porro in fine*. Posset vero forte responderi sacerdotẽ ex decretis huiusmodi non prohiberi accipere eleemosynam pro applicatione sacrificij, si expresse apparet eum non teneri nisi ad solam missæ celebrationem, non autem ad illius applicationem; verum an prohibeatur aliunde, quam ex ipsis decretis, non pertinere ad S. Congregationem id declarare. Sed idem *Reuerendiss. Fagnanus in cap. Fraternitatem n. 90.* de sepulturis absolute habet, quod vbi sit expressum, & certum, quod capellanus sit obligatus ad solam celebrationẽ missæ, & alias habeat liberã applicationẽ sacrificij, potest cui voluerit applicare missam, & pro hac applicatione eleemosynã accipere,

977 In hac difficultate hoc primo est certum, quod Parochus, beneficiatus, capellanus, & quicumque salariatus, qui nedum tenetur ad celebrationem missæ, sed ad applicationem sacrificij, in illis diebus in quibus ad hoc tenetur non potest celebrare pro noua eleemosyna, & vtrique obligationi eadem missa satisfacere; hoc enim est expresse determinatum per decreta de celebratione missarum, & est communis sententia omnium DD. qui dixerunt non posse sacerdotem vnica missa pluribus obligationibus satisfacere, vel pluribus stipendijs,

978 Sed & secundò dicendum est, quod qui dant eleemosynam pro missis, vel fundant beneficia, aut instituunt capellanias, licet aliud non exprimant, communiter intendunt, vt sacrificium sibi applicetur, cum hoc sit eis vtilius. *Arg. l. 3. ff. de testam. milit. & ibi obseruat. Scotus quod. 30. §. de secundo vers. Potest ergo dici.* Et post eum, *Sylu. v. missa primo num 11. & Panorm. cons. 99. col. 4. in 3. dubio vers. Præterea l. 2. & Fagnanus ad cap. significatum, num. 44. de Prebend.* Hæc enim est consuetudo communis, quod qui quærunt missas eas petunt pro anima sua, & suorum, quamuis aliquando etiam solum localis celebratio requiratur, sed tunc etiam solet exprimi, quod si non sit expressum, seu quomodocumq. in dubio præsumendum est fundantem capellaniam, vel postulantem missam intendere, quod missa pro se, & suis applicetur, vel ad sui intentionem celebretur. A communiter enim accidentibus coniectura efficaci deducitur mens, & intentio disponentium, *Rota decis. 75. num. 2. p. 1. recen. Sanchez l. 4. sum. cap. 1. num. 13.* vnde apparet inania esse, quæ adducit. *Philibertus Marchin. de Sacram. Ord. tr. 2. p. 5. cap. 27. num. 5.* putans capellanum non esse obligatum ad applicandum missę sacrificium pro fundatore, sed esse liberum ad applicandum illud pro quocumq. & pro applicatione nouum stipendium accipere, & se fundat, *in l. quicquid adstringendæ obligationis causa dictum est*, id, nisi palam verbis exprimatur, omissum esse intelligendum, est ast certe secundum promissorem interpretamur, quis stipulatori liberum fuit verba late concipere, *ff. de verb. oblig.* Cessat enim hæc regula vbi vsus communis est, quod promittens se obliget, & contrahẽs intendat promittentem se obligare, sicut in fundatione capellaniarum rarum est, quod fundatores intendant solum, vel Dei cultum, vel beneficium locale, & quando hoc accidit illud exprimunt; Alias vero qui missam petunt, suffragium pro se, & suis petũt. *Vnde nec Diana sententiam, Philiber.* voluit approbare *p. 6. tr. 6. ref. 13.* & oppositum merito dixerunt. *Bonac. tr. 4. de Sacram. Euchar. disp. 4. q. vl. p. 7. §. 2. num. 13. Gauant. in rubr. missalis p. 3. tit. 12. num. 15. Homob. in exam. Eccles. p. 1. tr. 4. cap. 13. quæst. 121. in fine. Pasqualig. q. 909. Card. autem de Lugo disp. 21. num. 23.* habet quod in ijs, qui dant eleemosynas manuales pro missis dicendis semper præsumitur voluntas, quod applicetur sacrificiũ pro ipsis, sicut etiam in eo, qui instituit capellaniam, nisi contrarium explicetur, vel ex circumstantijs colligatur. In beneficijs vero, vel alijs, in quibus obligatur sacerdos ad celebrãdum solum ob commoditatem eorum, qui tali hora audiũt missã facilius potest existimari, quod non exigatur applicatio sacrificij. *Lezana* etiam *num. 21.* dixit attendendas esse circumstantias personarum, verba quibus vtitur institutor, labor extrinsecus requisitus, & similia. Cum vero *Tambur. de Sacr. miss. l. 3. cap. 1. §. 3. à num. 21.* dixerit præsumendum quidem esse, quod petens missam nulla facta mentione loci, & temporis petat applicationem; secus tamen, vbi fundator obligauit ad celebrandum in tali loco, quia tunc nisi adsit coniectura in contrarium, iudicandum erit, quod obligauerit solum ad localem celebrationem, merito reijcitur, *à Pasqual. q. 908. num. 10.* quia non valet dicere, quod tunc fundator potuit intendere obligationem localem, quia præsumi debet quod est ei vtilius, & communiter intenditur, quod est, vt missa pro sua intentione celebretur. Coniecturæ igitur sunt pensandæ, vt quod missa postulatur pro frequentia populi in die festo, vel à monialibus, aut confraternitatibus pro præsentia. Sed nihilominus in dubio præsumendum est peti etiam missæ applicationem

979 De Parochis vero dicitur tertio quod standum est dispositis, *in Conc. Trident. sess. 23. cap. 1. de reformat.* vbi dicitur habentes curam animarũ teneri ex precepto Diuino pro illis sac[...]cium offerre,

offerre, an vero, & quando determinate tenentur, & missam celebrare, & missæ valorem applicare suis subditis, alterius inspectionis est, maxime cum ibi concilium non loquatur particulariter de Parocchis, sed in genere de omnibus curam habentibus animarum, & maxime de Episcopis, hoc pro nunc est certum, quod vbi tenentur applicare sacrificium, vel parrochianis, vel alijs, non possunt suscipere aliud stipendium, aut missæ obligationem, & cum missa vna duabus vel pluribus obligationibus satisfacere.

980 Dicitur quartò, quod vbi certum est, quod sacerdos vel Parrochus, vel capellanus, vel quicumque alius non haber nisi obligationem localem, verum est, quod habet liberam applicationem, & potest pro quocumque missam applicare ad sui libitum. Quia nullus ex promissione grat uita, & libera magis se obligat, quam se intendat obligare, & præcipue si nec ille cui fit promissio intendat promittentem ad aliud obligari: Quando vero vel à fundatore, vel à Rectore Ecclesiæ alicuius, aut sacrista, aut alio postulatur solum à sacerdote, vt celebret in Ecclesia, vel Oratorio, vel altari, & ad hoc ille se obligat, non tenetur ad aliud, & sic potest pro quocumque alio celebrare.

981 Sed dicitur quintò, quod vbi sit certum, quod sacerdos non tenetur nisi ad celebrandum in loco relicta sibi libera applicatione sacrificij pro quocumque voluerit, sic verum est, quod aliquando licet illi ab alio recipere eleemosynam, & pro eo celebrare applicando illi fructum sacrificij, quod tamen potius hoc negandum est esse licitum. Prior pars explicatur præmittendo difficultatem, quæ ex iure communi desumitur in fauorem partis oppositæ. De iure communi enim quia in hoc casu vnicus est titulus sustentationis, qui quidem sufficienter expletur per vnicam eleemosynam; videtur quod non remaneat titulus ex quo sine simonia sacerdos recipiat secundam eleemosynam. Et si dicatur quod hic est duplex res nimirum celebratio, & applicatio missæ, respondetur quod pro neutro potest sacerdos aliquid exigere, quia neutram potest vendere, venderet vero si pro aliqua illarum temporale exigeret, vel illam pro eo daret, pro neutra igitur potest stipendium exigere vt pretium, licet possit stipendium sustentationis recipere, & exigere. Dum igitur sacerdos semel habuit ordinarium stipendium missæ, si aliud exigere vult, vel est iniustus exigens plus quam sibi debetur, vel est simoniacus si exigat pro applicatione sacrificij, sic enim illam vendit. Respondetur nihilominus, quod licet hæc ratio vrgeat contra illos, qui negotium missarum putant continere mutuam obligationem iustitiæ, hoc enim supposito vnum de duobus sequitur, vel qui pro eadem missa duplex stipendium exigit vel sit iniustus, vel simoniacus. Nam si localis præsentia, & applicatio sunt duo, quibus ex iustitia possint respondere duo stipendia, semper sacerdos duo stipendia posset pro eadem missa recipere, quod est illicitum; sed si tam præsentiæ, quam applicationi vnum stipendium respondet ex iustitia, qui duo exigit est iniustus. Sed dicitur, quod hic nō intrat iustitia, & quod stipendium est oblatio religiosa, & quod est donatiu Deo licet sub modo, & quod de ratione sustentationis debitæ ministris diuini cultus non est, quod sit merè & purè tantum quanta est necessaria, sed quod non habeat terminum, & possit crescere iuxta deuotionem offerentium. Quia ergo dare eleemosynam seu oblationem ad finem obtinendi applicationem missæ est quid religiosum, & ab Ecclesia concessum, ideo & seculares ad hunc finem, & sub hoc modo & ourre possunt eleemosynas dare. Nec obstat quod ab alio sit datum stipendium pro locali celebratione, quia hic non debet attendi æqualitas & restrictio iustitiæ, quia imò nullum temporale est æquale missæ, sed in infinitum inferius, & ideo merito plura Deo offerri possunt ad finem vtilitatis, quæ consequitur ex missa. Et nec obstat si dicatur ex his sequi, quod sacerdos possit recipere, huiusmodi stipendium non vero quod possit illud exigere, quia exigere supponit debitum. Nam dicitur quod exigere non supponit necessario debitum iustitiæ, sed etiam religiosam conuenientiam, & debitum religiosum praxi approbatum. Vnde cū praxis sit & quidem religiosa, vt seculares offerant stipendium missæ, cum volunt sibi applicari missam, licitè Sacerdotes exigere possunt hoc stipendium ab illis, qui volunt missas sibi applicari, tanquam requirentes id, quod conuentione superiorum, & praxi religiosa est admissum.

982 Contra hanc autem assertionem non militat decretum S. Congreg. quia vt habetur ex declarat. eiusdem S. Congreg. supra recensita n. 961. vbi constet obligationē esse mere localem, possunt sacerdotes alias obligati ad missam recipere eleemosynam pro applicatione vnde decretum de celebratione missarum ex S. Cong. sententia loquitur de sacerdotibus obligatis ad missæ applicationem. Nam isti sunt qui simpliciter, & absolute ad missam sunt obligati, nam alij ad circumstantiam missæ obligati sunt nimirum ad locum, vel tempus non ad missæ applicationem, & ita quod sacerdos habeat liberam applicationem, possit pro ea accipere stipendium ex DD. qui post decretum prædictum scripserunt, tradiderunt, *Farin. Auer. Alphons. de Leon. Card. de Lugo, Bordon. Garsias, Tambur. Fagnan. Pasqual. locis citatis*. Quod tamen puto limitandum, vt non procedat si qui petit missam intendat nedum vtilitatem applicationis, sed integrum Dei cultum per missæ celebrationem reddendum, vt si quis v.g. vouerit missam, & petat eam, nō satisfaciet is qui alias tenetur celebrare in loco, quia hic iam habet obligatam missam secundum substantiam, quam etiam exigit votum ratione sui, nec sacerdos eadem missa potest vtriq. obligationi satisfacere. Ideo nisi qui petit missam conscius sit obligationis localis, quam habet sacerdos, & possit contentus esse sola applicatione fructus, sed vel tentatur Deo integrum missæ cultum offerre, vel de facto integrum hunc cultum intendat, non poterit sacerdos obligatus iam ad dicendam missam nouum stipendium recipere, vt applicet fructum missæ, quia petenti missam, & nouum stipendium exhibenti non sufficit partiale illud missæ, quod est applicatio fructus sed totam integram missæ substantiam nomine suo offerri vult. Quod vrlle censendum est, nedum quando est obligatus ex voto, ad faciendum celebrare mis-

sam. Sed etiam quando nescius sacerdotem esse obligatum ad celebrandum in loco petit ab eo missam. Quia hæc est praxis petentium missam, vt totam integram substantiam missæ nomine suo offerendam quærant. Petunt enim primario Dei cultum, & sacrificij substantiam ipsam.

983 Ex his patet quid dicendum de Canonico, aut alio, qui aliquo tempore tenetur ad missam conuentualem cantandam; quod enim possit recepta eleemosyna eadem missa satisfacere suæ obligationi, & applicare missam ad intentionem eius, qui dedit eleemosynam, nisi consuetudo sit in contrarium dixerunt, *Diana p. 4. tr. 4. ref. 16.* & apud eum ibi, etiam post decreta de celebratione missarum, *à S. Fausto de Iubileo, l. 1. q. 81. & Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ Cruciatæ disp. 34. 3. dub. 19. num. 21. & Humobonus de bonis in consult. cas. conscientia vol. 2. p. 5. ref. 63. Turrianus in selectis num. 2. disp. 31. num. 16.* asserens sententiam oppositam nullam habere probabilitatem, & procedere ex ignorantia. Et iterum *Diana p. 5. tr. 13. ref. 51. Nicolius in Flos. v. missa, n. 34. Tambur. de sacril. missa, l. 3. cap. 16. §. 3. numer. 26.* At vero *Bonac. de sacram. disp. 4. quæst. vlt. p. 7. §. 2. num. 7.* existimat quod regulariter loquendo missa conuentualis sit applicanda pro capituli obligatione, & ideo quod non possit eadem missa alteri obligationi satisfacere. Addit tamen, quod vbi non constet vtrum cantans missam non teneatur illam applicare, quod tunc possit illam applicare pro quocumq. quia in dubijs potior est pars possidentis. Sed primo occurrit aduertendum quod hoc dictum secundum *Bonac.* non conuenit priori: si enim per se regulariter missa conuentualis habet applicationem obligatam, in dubio censendum erit, quod adsit huiusmodi obligatio, quia in dubio asserendum est id esse, quod per se communiter est, & regulariter: sed & prius dictum habet difficultatem: nam vnde colligitur, quod missa conuentualis sit applicanda, vel pro capitulo, vel pro conuentu, vel pro aliquo alio? Non enim hoc deducitur, *ex cap. cum creatura*, quod ad hoc probandum adducitur. Nam quod ibi præcipitur vt scilicet vbi contigerit anniuersarium celebrandum, tunc in collegiatis celebrentur duæ missæ, factum est intuitu diuini cultus, vt non omittatur missa de sancto, cuius officium celebratur, & sic semper missa conuentualis celebretur pro eo, de quo fit officium. Quod patet ex eodem capite ibi. *Cum creatura non habeat, qui pro meritis respondeat Creatori, &c.* In his enim continetur causa finalis dicti mandati, quæ causa ex cultu Deo debito petitur, vt scilicet Deo integer cultus reddatur, & sic missa concordet officio diuino, & de eo celebretur missa, de quo officium recitatur. Et propterea ibi decernitur, quod occasione anniuersarij habendi non omittatur missa de feria, *vt ex Soto in 4. d. 13. q. 2. a. 1. & Victoria in sum. n. 95.* aduertit *Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 80. sect. 1.* Sic enim quod nõ sit in Ecclesijs collegialibus omittenda missa de feria dixerunt etiam. *Panorm. ad cap. quidam, de Celebr. miss. Syluest v. missa 1. nu. 4.* Et habetur expresse in rubricis missalis Romani. Non ergo ideo in eo capite mandatum est, vt occurrente anniuersario pro defunctis celebrentur duæ missæ, quia missa conuentualis non potuisset pro defunctis celebrari, sed vt ob omittatur missa de feria currente. Alias vero nulla ad est [illegible] prohibens applicari missam co[illegible]alem ad quemcumque. Bene verum est, quod [illegible] collegiata fit ab aliquo fundata, posset esse, quod fundator voluerit, vt missa conuentualis [illegible] applicaret[illegible], seu aliunde posset illa missa fuisse obligata pro a[illegible] quo, in quo casu non posset applicari alteri. Econtra *Card. de Lugo de Eucar[illegible]. disp. 21. num. 23.* aduertit, quod in beneficijs in quibus sacerdos [illegible]gatur ad celebrandam missam pro commod[illegible] audientium facilius potest iudicari, quod sola offi[illegible]iatura, non vero applicatio missæ requiratur, & sic colligi etiam quod missa conuentualis sit [illegible]bera quantum ad applicationem. Et *Tambur. de sacrif. miss. l. 3. c. 1. § 3. num. 27.* addit in casu nullius scripturæ lauere famam populi, sacerdotum praxim, exemplum predecessorum, & similia. [illegible]de eum *Ricc. Decis. p. 3. dec. 13.* damnauerit [illegible]suetudinem Cathedral. Neap. in qua Hebdomadarij celebrantes applicant missam ad [illegible] idem *Tambur. num. 26.* hoc non d[illegible]buisse sic ab[illegible]lute fieri, sed considerandas fuis[illegible] scripturas & alias coniecturas, vt inde cognosci posset, an m[illegible]sa conuentualis esset obligata, vel libera quoad applicationem, ideo vbi consideratis considerandis constet missam conuentualem es[illegible] præfato modo liberam, poterit Hebdomadarius etiam [illegible]pto stipendio applicare ad intentionem [illegible]ua, qui stipendium dedit, si ille sola applicat[illegible] tus sit, iuxta limitationem supra positam.

984 Limitanda vero videtur pri[illegible] assertio, vt parochus, beneficiatus, aut capellanus, tunc pro eadem mi[illegible]a alteri obligata accipere possint manualia stipendia, qua[illegible] id erat consuetudo. Hoc enim fi[illegible] vult Præpositus, in *cap. Sacrosancta num. 1. 82. dist.* Intentio nanque fundatoris intelligi[illegible] secundum consuetudinem patriæ, vt notat *Bartol. in [illegible] Haredes mei. §. Cum ita, ff. ad Treb[illegible]an. & in l. Iurisiurandi. §. Si [illegible]bert. ff. de oper. [illegible]ert. Imol. [illegible] cap. Potuit in fin. de locato, & facit l[illegible]x. semper in stipulationibus, ff. de reg. iur. ibi. Si non apparet, q[illegible] actum est, consequens erit, vt id sequamur, quod [illegible] regione, in qua actum est, frequentatur.* Si[illegible] dantium eleemosynam pro[illegible] genda est, vt habeat interpretat on[illegible] dine, & sic sufficiat, vt sacerdos in m[illegible] [illegible]tia dicat collectam Missæ vot[illegible]. Sed oppositum tam de iure commun[illegible], qua[illegible] iure nouo decretorum de c[illegible] sustinet *Reuerendiss. Fagnanus in cap[illegible] num. 85. de sepult.* De [illegible] eo quia huiusmodi [illegible] ti, & ab[illegible]us, vnde [illegible] Præpo[illegible] fatet [illegible] multos [illegible]laqueari [illegible] perditionem animarum suarum, & ideo non [illegible] censuri[illegible] se[illegible] abusus. *cap. S[illegible] 24. [illegible] 1. cap. cum [illegible] bilis, cap. Ex part[illegible] p. fin. de [illegible]* [illegible] nouo vero, quia [illegible] suetudinibus etiam [illegible] at tem Præp[illegible] vbi consuetudo [illegible] prohibita, seu ab[illegible]ata. [illegible] *quæst. 95* & [illegible]

985 [illegible]

vel beneficiatus, de quo scitur, quod sit obligatus ad celebrandam missam pro alio, vocetur ad exequias, aut anniuersaria mortuorum, & detur ei eleemosyna pro missa, quod talis possit vtriq; obligationi eadem missa satisfacere, videtur dicendum, quoniam liberum est cuicumq. vt permittat, quod sacerdos celebret pro se, & alio, sic vero censentur permittere illi, qui scientes sacerdotem nō habere missam liberam dant illi eleemosynam pro illa. Et ita senseruat *Scotus quodl. 20. §. De terno artic. Nauar. cap. 25. num. 91. infra. Syluest. v. missa 1. q 1. 0. Tabien. v. restitutio, §. final. Suarez d. disp. 80. sect. 3. §. Et circa. Bonac. de Sacram. disp. 4. q. vlt. p. 8. num. 3. & apud eum Reginald. Henriq. & Possell. Bardon. res. 25. nu. 24. Pasqualig. quæst. 950. Lezana v. missa. num. 31. & apud eum Possen. & Grall. Pasqualig. quæst. 909. & apud eum Henriq. Regin. Garz. Dicastill, Trallench. & alij.* Et nihilominus propter decreta S. Congreg. cogitandum esse censet idem, *Reuerendiss. Fagnanus ibid. nu. 88.* ne præfatæ doctrinæ obstent dicta decreta, cum nedum sacerdotes, sed Ecclesiæ, Collegis, Monasteria iubeantur tot missas celebrare quot præscribuntur ab offerentibus eleemosynas, & tollantur postea consuetudines etiam immemorabiles. Ex hoc etiam capite excusari non posse rectores Ecclesiarum habentium maximum concursum, & multitudinem eleemosynarum pro missis, putat *Lezana, num. 16.* Per se enim tenentur tot missas dicere, quot ad præscriptum eleemosynarum debent; nec illos iuuat excusatio friuola, qua dicunt quod aliter diminueretur deuotio; non enim propterea possunt retinere alienum inuito domino. Sed si tacitus consensus sit, inquit Lezana, quod sacerdotes tales Ecclesiæ satisfaciant, quando possunt, tunc poterunt recipere plura stipendia pro vna missa. Sed ex *Nauar. Megala, & Frasinello* addit raro contingere quod hic consensus adsit, quia vel qui dant eleemosynam putant satisfieri per alios sacerdotes, vel simplices ignorant, aut non considerant. Ego non dubito non suffragari illam consuetudinem secundum quam offerentibus ignorantibus quid fiat, & Ecclesiarum, seu sacerdotum obligationes nescientibus plures eleemosynæ recipiuntur, & vnica missa pro omnibus satisfieri prætenditur, & de hac consuetudine loquitur decretum S. Congreg. Sed vbi duo sunt certa: primum quod euidens sit obligatio Ecclesiarum, aut sacerdotum, ita quod constet, quod nullam habent missam liberam, vel non habent pro eo die, pro quo ab illis petitur missa; & vlterius etiam ex cōsuetudine, vel etiam sine consuetudine à scientibus talem obligationem datur eleemosyna intuitu missæ eo die habendæ in quo scitur sacerdotem non habere missam liberam, censeo quod Ecclesia, seu sacerdos allam eleemosynam sponte datam possit recipere, & eadem missa satisfacere, neq. hoc esse contra decreta, quia hic non adest obligatio duplicis missæ, sed obligatio dicendi missam pro vno, & orandi in missa pro alio, vt quantum salua obligatione celebrandi pro eo pro quo sacerdos est obligatus ex vi prioris obligationis, qui dat eleemosynam de fructu sacrificij aliquid participet. Non enim credendum quod qui dat vltimo manualem eleemosynam intendat obligare sacerdotem ad id, ad quod scit eam non posse se obligare sine graui peccato; quia alias huiusmodi intentio esset iniqua. Vnde nec sacerdos talis recipiens eleemosynam intendit se obligare nisi ad orandum pro illo, & applicandum quidquid potest salua æquitate applicari: quod non est contra illa decreta. De hoc puto esse non posse dubium quod si sacerdos expresse dicat petenti missam se non posse pro illo offerre sacrificium, quia est alteri obligatus, & ille det eleemosynam, vt pro illo oret, possit tunc sacerdos eleemosynam recipere, & in missa pro illam dante specialiter orare, quia eleemosynam non recipit obliganda missam sed solū ad orandū, seu specialem memoriam habendū pro illo in missa. Id etiam posset facere fundatur capellaniæ, si consentiret, quod sacerdos applicaret missam alteri, & pro se rogaret. Sed tamen id non potest præstare hæres, qui in voluntate testatoris non potest dispensare, vel contra illam ire. *Bonac. Bordor. Lezana. Tamb. l. 3. §. 3. num. 8. Pasqual. n. 5. ex Possen. & Dicastill. locis citatis.* Quod magis secure procedit iuxta prædicta ex quibus constat eandem missam pluribus offerentibus non minus valere singulis ex consortio aliorum.

986 Limitanda secundò visa fuit aliquibus dicta assertio, vt liceat eadem missa pluribus offerentibus, & stipendijs satisfacere applicando vni fructum respondentem ei pro quo missa celebratur, & applicando alteri fructum illum specialissimum, qui respondet sacerdoti; hoc enim posse fieri plures DD. tenuerunt, quos refert *Diana p. 2. trac. 14. resol. 24. & 80. & p. 5. tr. 14. resol. 65. & Pasqualig. quæst. 947. & 938.* Sed vere etiam de iure communi hæc opinio est falsa, quia qui petit missam petit sibi applicari partem illam, quæ ex institutione Christi respicit eum pro quo offertur missa. Et eo magis quod Sacerdos vere illam partem in alium transferre non potest, cū ex Christi institutione sibi competat, vt probatum est supra nu. 75. & quanta sit est incertum. Vnde quod per hoc non possit Sacerdos satisfacere obligationi celebrandi missam pro aliquo à quo recepit stipendium dixerunt *Suarez tom. 3. disp. 79. sect. 9. in fin. Bonac. disp. 4. q. vlt. p. 8. num. 16. Card. de Lugo de Euchar. disp. 21. sect. 2. num. 33. Diana p. 2. tract. 14. resol. 65.* & apud eum *Fraxinell. Megal. & Rodriq. Reuerendiss. Fagnanus ad cap. Fraternitatem, nu. 96. de sepulturis. Lezana v. missa nu. 17. Pasqual. q. 947. & 948.* Et res modo est certa, nedum ex decretis S. Congr. de *celebrat. missarum*, sed ex speciali decreto eiusdem Sacræ Congregationis edito iussu Sanctiss. D N. Alexandri Papæ VII. & Procuratoribus Ordinum intimato, quod habetur impressum per Impressorem Cameralem, & refert idē Reuerendiss. Faguanus, & est sequentis tenoris.

987 CVm Authores nonnulli scriptis suis etiam typis asseruerint Sacerdoti pro alio missam recepta eleemosyna celebranti licitū esse aliam eleemosynam quoque accipere ab altero, cui partem illam fructus, seu valoris eiusdem sacrificij ipsimet celebranti debitam (specialem nuncupatam) applicet: ac proinde hunc casum sub Decreto Sacræ Congregationis Concilij prohibente duplex pro vnica missa stipendium, seu eleemosynam recipi, non esse comprehensum.

Pro

Propterea Sac. Congregatio Eminentissimorū, ac Reuerendissimorum Dominorum S.R.E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, quæ authoritate sibi per Apostolicam Sedem specialiter attributa sedulò curat, ne à sacerdotibus circa celebrationem sacrosancti missæ sacrificij, vnde in nos vberrima Diuinæ liberalitatis munera deriuantur, auaritiæ labes vlla, aut suspicio contrahatur, antedictam assertionem maturè examinauit, eandemque prorsus reprobata sub die 25. Ianuarij 1659. censuit.

Nulli Sacerdoti licitum esse præfata ratione, sine prætextu aliarum eleemosynarum accipere præter illam, quam accepit ab eo, pro quo missam offerre tenetur; ac proinde casum hunc esse comprehensum in Decretis, aliàs per eamdem Sacram Congregationem Concilij editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro vnica recipiatur.

Quam S.Congregationis sententiam ad Sanctissimum D. N. Alexandrum Papam VII. relatam, Sanctitas Sua sub die 29. eiusdem mensis approbauit, & Decretum publicari, atque ad Episcopos, & Generales Regularium Ordinum transmitti iussit; vt ipsi doctrinam huiusmodi per suos Pœnitentiarios, & Confessarios, ac Lectores respectiuè insinuari, doceri, atque in tractatibus moralibus per eosdem imprimendis euulgari pastorali vigilantia curent. Publicatum die 27. Octobris 1659.

988 Limitatur tertiò à *Bordon.res.25.num.17.* vt possit accipi duplex stipendium pro eadem missa accipiendo vnum pro applicatione missæ, seu illius fructu, qui communiter aduenit ei pro quo dicitur missa, & aliud pro applicatione indulgentiæ, v. g. Altaris priuilegiati. Sed merito hoc reprobant *Lezana v. missa num.18. & Pasqual. quæst.957. Tambur. lib.9.cap.1.§.3. num.48.* Tum quia hoc est contra intentionem petentis missam ad Altare priuilegiatum, quæ est vt sibi applicetur missa cum indulgentia. Tum quia applicatio indulgentiæ non est in potestate Sacerdotis, sed ex vi concessionis Pontificiæ competit ei pro quo dicitur missa ad altare priuilegiatum velit nolit Sacerdos celebrans. Tum quia simonia est velle stipendium pro fructu, qui consequitur ex missa nec intuitu plurium effectuum missæ respōdet Sacerdoti stipendium, sed ratione operis & occupationis in qua detinetur, vt minister Christi; sic enim nec colenti agrum maior merces debetur si plures fructus, vel minor si nullum fructum ager ferat, sed merces sibi debetur ratione operis facti, quidquid sit an patronus ex eo opere consecuturus sit fructum vel non. Nam & sacrificium missæ satisfanem pœnæ non confert ei pro quo offertur, si sit in peccato mortali, & tamen non per hoc minus stipendium debetur celebranti pro illo. Tum quia sententia illa est contra decreta de celebratione missarum.

989 Limitanda quartò, visa fuit dicta assertio ab aliis, qui distinguentes fructus sacrificij missæ in satisfactorium, & impetratorium, arbitrati sūt Sacerdotem duobus stipendijs, & obligationibus posse satisfacere eadem missa, si contingat petentes diuersos esse, & vnum velle sacrificium vt impetratorium v.g. petendo missam pro impetranda salute infirmi, & alium velle sacrificium vt satisfactorium petendo missam pro defunctis. Sed oppositum merito censuit *Bonac.disp.4.q.vlt.p.7.5.& num.15. Tambur.l.3.c.1.§.3.n.46. Pasqual.q.949. & alij apud ipsi.* Nullus enim eorum qui missam postulant petit partem missæ seu valoris eius, licet moueatur principaliter intuitu alicuius gratiæ obtinendæ, quam magis desiderat. Imo vt probatū est supra num. 759. hæc applicatio diuisiua non potest fieri. Sed & hoc est certum, & declaratum ab eadem Sac. Congregatione ad instantiam Illustrissimi D. Fagnani, vt patet ex Decreto eiusdē Sac.Congreg. apud eundem loco supra citat.n.97. tenoris infrascripti.

A Reuerendissimo D. Fagnanò pro sua egregia pietate, ac Diuini cultus zelo dubium infrascripto verborum tenore conceptum ad hanc Sac. Congregationem iubente Sanctissimo D.N. transmissum fuit.

An Sacerdos, qui vnum stipendium accepit pro celebratione missæ, v. g. pro defuncto, & sic cum obligatione applicandi fructum satisfactorium, & aliud stipendium pro celebratione missæ, v.g. pro infirmo, & sic cum obligatione applicandi fructū impetratorium, possit vnica missa vtrique obligationi satisfacere applicando defuncto satisfactorium, & infirmo impetratorium: An vt hoc casu locum habeat Decretum secundum Sac.Congreg. Concilij de celebrat. missarum.

Die 13. Decembris 1659. Sacra Congregatio Eminentissimorum, ac Reuerendissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum respondit quoad primam partem non posse satisfacere. Quo verò ad secundam habere locum.

SVMMARIVM.

1 *Eadem missa potest pro pluribus dici conditionate. num.990.*
2 *Eadem missa non potest satisfieri pluribus obligationibus. 991. & 992.*
3 *Nec pluribus missam petentibus. n.991.*
4 *Obligatus ex voto vel lege non potest accipere stipendium pro eadem missa. n.993.*
5 *Regulares eadem missa non possunt satisfacere institutioni eorum & stipendio. n.994.*
6 *Nec qui vouit missam in gratiarum actionem. num.995.*
7 *Quid de obligato ad obsequium loci an habeat liberam missæ applicationem. 996.997. & 998.*
8 *Eadem missa non satisfit pluribus obligationibus etiam si nulla sit ex stipendio. n.999.*
9 *Non possunt peti duo stipendia vnum pro opere operato & aliud pro opere operantis. n.1000.*
10 *Quid vbi superadduntur collectæ. n.1001.*
11 *Capsulæ pro missis prohibitæ. n.1002.*

990 QVæritur quintò. An eadem missa possit satisfieri pluribus obligationibus pro pluribus missis? Pluribus modis potest contingere, quod concurrant simul plures obligationes celebrandi, qui ad duos generales reduci possunt, nimirum quando vna obligatio est ex a[illegible] pro stipendio pro [illegible]

al o

aliæ vero non, & secundo quando nulla ex obligationibus ortum habet ex stipendio. Sed vniuersaliter loquendo puto quæstionem habere certam resolutionem ex antecedentibus. Nam quod eadem missa possit satisfieri pluribus contingit dupliciter, vel scilicet applicando vni absolutè integrum sacrificium, & alijs applicãdo illud sub conditione, & quantum fieri possit sine præiudicio prioris applicationis. Et hoc modo indubitate potest missæ sacrificium offerri pro omnibus offerentibus, & petentibus illud. *Corduba lib.1.q.3. op.5.part.4. conclus. ver.* Secundò sequitur. *Bass. tom.tit.1.§.25.num.401. Pasqual. q.952. num.1. & 953. num.1.* Nullum enim præiudicium fit alicui ex illa applicatione conditionata, alias vero rationabiliter fit, quoniam negari non potest, quin sit valde probabile, quod eadem missa pluribus offerentibus æque proficiat sine eo, quod ex consortio aliorum quilibet minus recipiat. Et secundò alias fructus ex hac conditionata applicatione percipi potest, quia si is pro quo absolutè offertur missa sit incapax fructus applicatio illa conditionata, si hoc respiciat, & intendat, facit, dato etiam, quod missæ valor esset valde determinatus & indiuisibilis sine præiudicio consortium, quod fructus competat illis pro quibus conditionatè offertur.

991 Verum hoc stãte non per hoc sequitur, quod eadem missa possit satisfieri pluribus obligationibus, nisi obligationes sint tales, quæ non obligent ad substantiam missæ, & ad absolutam applicationem eiusdem ad aliquem finem; distinctæ autem obligationes per se obligant ad plures missas, quia vnaquæque illarum obligat ad substantiam missæ, quod est valdè considerandum. Quælibet enim obligatio absoluta respicit missam secundum substantiam, seu aliquod indiuiduum illius, quia obligatio non est ad missam in abstracto, sed in indiuiduo. Et ampliùs quælibet obligatio absoluta obligat independenter à quacumque alia obligatione, quia sufficienter ad indiuiduũ missæ obligat ex proprio titulo puta ex obedientia, vel voto, vel promissione, vel gratitudine; igitur quælibet obligatio obligat ad missam sibi respondentem & distinctam à qualibet alia missa. Consequentia probatur, quia indiuiduum est hoc vnum numero indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio. Si ergo quælibet obligatio ex proprio sibi titulo obligat ad aliquam missam in indiuiduo, independenter à quacumque alia obligatione; igitur quælibet obligatio obligat ad aliquam hanc numero missam à qualibet alia missa distinctam. Quod magis apparet, quia sacerdos ex qualibet obligatione, vt illi satisfaciat, missam quantum ad substantiam totam & integram dicere tenetur, etiam si nullam aliam obligationem habeat, & sic quælibet obligatio missam totam, & integram requirit. Et sic duæ obligationes duas missas integras requirunt. Et quia in diuersis obligationes multiplicantur vel specie, vel saltem numero, ideo vbi plures sunt qui adæquatè sunt creditores missæ, plures missæ illis debentur, quia sunt plures obligationes, quarum cuilibet integrũ missæ indiuiduum debetur.

992 Vnde ad quæstionem absolutè simpliciter dicitur, quod nunquam pluribus obligationibus adæquatè pluribus satisfieri potest vna missa: quia, vbi plura debentur, non satisfit per vnum. Et semper aduerti debet, quod aliud est quod eadem missa fructificet pluribus offerentibus non minus, quam vni, & aliud est quod vna missa satisfaciat petentibus plures missas; primum est verum ratione infiniti valoris, quem quodlibet indiuiduum missæ habet ex se, sed secundum est falsum, quia vnitas nõ est multitudo, nec vna missa cæteris paribus æquiualet de facto multis, & in infinito sincathegorematicè, quod semper est finitum in actu, vnitas non æquiualet numero, nec minor numerus maiori. Cum ergo multiplici obligationi multipliciter possit satisfieri. *Tamburin. lib.5. cap.1. §.3. num. 11.*

993 Ex hoc colligitur primo, quod qui est obligatus ex voto, vel lege, vel quocumque simili titulo, non potest accipere stipendium, & eadem missa satisfacere priori obligationi, & ei quam de nouo subit accipiendo stipendium. Oppositum huius sensit *Lezana v. missa num. 22. ex Hurtado p.p.tract.2.cap.4.res.17.num.173. & Conimb.* item *Leandr.tract.8.disp.4.q.15. & Turrian. cem.3. dub. 10. & Garz. tract.3. diff.10. dub.4. num. 20.* apud *Pasqualig. q.952. num.2.* Sed isti DD. intelligendi sunt, vt qui sic accepit stipendium absolutè offerat pro eo, qui stipendium dedit, & pro alijs sub conditione, & sic satisfacere possint omni meliori modo alteri obligationi, si illa magis non vrgeat. Sed si alia obligatio propriè adest, & ligat, nec datur, qui ab illa excuset, non potest Sacerdos aliunde ex quocumq; titulo obligatus ad missam recipere stipendium & eadem missa priori, & huic nouæ obligationi satisfacere. *Bass. tom.1. mor. tit.1. §.25.num.401. Tambur.lib.3.cap.1. §.3.num.12. Quart. in rubr.miss.in append.q.1. par.20. Pasqual.d.q.952. num.4.* Et ratio est dicta, quia plures obligationes plures missas requirunt, quia quælibet suam postulat.

994 Colligitur secundò, quòd Regulares quando ex Constitutionibus vel regula tenentur pro defunctis sui Ordinis, vel amicis, aut consanguineis celebrare, non possunt stipendium pro eadem missa recipere, vt ijdem DD. docent. Quamuis quantum ad hanc partẽ possit esse, quod lex Ordinis non obliget cum tanto rigore, & quod sine aliquo peccato Conuentus pauperes possint accipere stipendia pro missis, & pro defunctis fratribus, aut parentibus applicare sacrificium conditionatè, vt supra dictum fuit. Nam quod habet *Pasqual. d. q.952. num.4.* quod scilicet Regulares pro defunctis fratribus teneantur celebrare ex iustitia, non dicitur cum fundamento, nedum quia missa non potest alicui dari vt debita ex iustitia, quamuis verum sit, quod sacerdos non potest sine iniustitia retinere stipendium, si non celebrat iuxta intentionem eius, qui dedit stipendium. Sed etiam quia debitum celebrandi pro defunctis Religiosis est ex lege, & obediẽtia, & virtute Religionis. Et potest esse tale, vt in quàpluribus casibus necessitas excuset ab hac lege, & sufficiat applicatio supradicta conditionata.

965 Colligitur quartò, quòd si sacerdos vouerit missam aliquam in gratiarum actionem pro aliquo beneficio accepto, non per hoc potest accipere stipendium, vel eadem missa voto, & obligatio-

gationi ex accepto stipendio satisfacere. *Tambur. lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 12. Pasqual. q. 954.* Quia tam voti obligatio, quam obligatio ex stipẽdio totam missam seu integrum missę indiuiduum & sic duas missas integras requirunt,

996 Colligitur quintò, ab aliquibus quod etiam si vouens missam reseruet sibi facultatem applicandi fructum missæ cui voluerit, non potest nihilominus eadem missa satisfacere voto, & obligationi ex accepto stipendio. Contrarium voluit *Tambur. loco citato*, quem tamen impugnat *Pasq.* ex eo quia non accipitur stipendium pro applicatione fructus, alioquin acciperetur pro spirituali, & esset simonia. Accipitur vero in sustentationem sacerdotis, sed quando iam sacerdos obligauit ministerium suũ Deo ratione voti, iam ex vi obligationis cessit iure suo, & non potest de sacrificio disponere in obsequium alterius. Nec obstat, quod, Beneficiatus obligatus ad celebrandum in loco sed habens liberam applicationem, potest aliud stipendium accipere ratione applicationis sacrificij. Nam non est eadem ratio, quia Beneficiatus ille non habet totaliter obligatum ministerium in ordine ad deferendum Deo cultum priuato nomine, & ad dispensandam fructum sacrificij atque ideo quantum ad illum respectum in quo fundatur ius exigendi stipendium à priuatis personis; sed in obligatione voti, ratione cuius debet sacrificium offerri Deo nomine priuato ipsius offerentis, & ideo non potest sacerdos offerre idem sacrificium nomine priuato alterius appropriando illi obligationem. Et si iterum instetur, quia, petens ex stipendio missam, solum petit fructum, qui ex vi voti manet in libertate sacerdotis: igitur ratione illius poterit accipi sustentatio. Respondet negando antecedens, & consequentiam. Quia stipendium nec dari, nec recipi potest pro fructu, sed petens missam intendit sustentare sacerdotem, & ex consequenti intendit, quod sacerdos se obliget ad id ratione cuius est sibi debita sustentatio, hæc autem est exhibitio ministerij in offerendo sacrificium ad instantiam petentis, quod dicit non solam communicationem fructus, sed etiam appropriationem sacrificij in Ordine ad oblationem nomine priuato, quod fieri non potest, dum nomine priuato pro illius quo est offerendum.

997 Sed ista satisfacere non videntur, & differentia non assignatur, quæ subsistere valeat. Primo enim sicut pro fructu missæ non potest accipi stipendium, sic nec pro ministerio ipso, quod est spirituale, & sacrosanctum, si stipendium detur vt pretium, & vt debitum ex iustitia & pacto. Alias verò sicut sustentamentum non vt pretium, sed vt sustentamentum debetur celebranti, potest illi competere, & competit ratione celebrationis & quia sacerdos offert nomine petentis, ex quacumque causa petens moueatur, vel scilicet, vt reddat Deo gratiam, vel vt à Deo impetret, vel vt Deo satisfaciat. Et sic isti fructus, sũt rationes offerendi, oblationi vero respondet & debetur sacerdotis offerentis sustentatio. Quo supposito instat difficultas posita; Nam Beneficiatus qui est obligatus ad localiter celebrandum est iam obligatus ad celebrationem secundum substantiam, & ad totum missæ ministerium, & pro hoc ministerio habet sufficiens stipendium seu substentationem, & tamen potest recipere aliud manuale stipendium ab eo, qui petat pro se missam applicari, & eadem missa potest vtrique obligationi satisfacere. Cur ergo id non poterit facere sacerdos obligatus ex voto ad solam missæ celebrationem, & habens liberam missæ applicationem? At dicitur quod obligatus ex voto est offerens priuatum, & offert nomine proprio, & non potest simul offerre nomine alieno. Sed quod hoc nõ sufficiat ad fugiendam vim difficultatis, ex eo colligitur, quod quãdo sũt duo quorũ vnus postulat solum celebrationem localem, & alius applicationem missæ sunt duo offerentes, quorum quilibet offert nomine proprio, & vnus non impedit alium, & quilibet offert totum sacrificiũ, quod est indiuisibile, licet motiuum offerendi sit partiale nimirum in vno commoditas audiendi missã, vel cultus Dei in tali loco, & in alio impetratio, vel satisfactio. Non ergo est impossibile & indecens, quod eiusdem totius sacrificij sint plures offerentes nomine priuato. Modo quando sacerdos ex voto missam celebrat ex præciso motiuo gratiarum actionis, cur alius simul cum sacerdote non potest vt offerens priuatus offerre sacrificium ex motiuo fructuum aliorum sacrificij? Et hoc magis explicatur, distinguendo oblationem sacerdotalem, à priuata, & propria singulorum, & non sacerdotali. Quando sacerdos obligatus ad localem celebrationem simul celebrat applicãdo alteri fructum missæ, vnus est sacerdotaliter offerens, qui in persona Christi offert pro duobos idem numero sacrificium totum simul petentibus, & non sacramentaliter, sed priuato nomine offerentibus. Quando autem sacerdos ipse ex voto suo celebrat missam ex voti exigentia non se habet sub hac formalitate, vt offerens sacerdotaliter, quia in persona Christi, & Christi nomine sacerdotaliter offert, sed eo modo se habet & ipse vt priuatus offerens, & non sacerdotaliter, sed ac si alius laicus esset, qui vouisset, & postularet missam in adimplementum voti celebrari. Idem igitur sacerdos qui ex duplici stipendio potest vna missa satisfacere vouenti non petenti nisi gratiarum actionem, & alio scienti priorem obligationem & petenti de consensu prioris expresso solam applicationem fructus; cur non poterit idem facere, si ipse sit ille vouens, & alius scienter & cõscius prioris obligationis solam petat applicationem fructus? Nullum igitur in his est assignatum discrimen, sed sacerdos ipse quando petentes non petunt plures missas, sed vnam ratione & motiuo diuerso potest vt minister Christi Deo offerre oblationem missæ à petentibus proprio & priuato nomine oblatam, etiam si ipse sacerdos sit vnus ex istis priuatis offerentibus,

998 Aliter igitur explicatur corrolarium, quod in vno sensu est verum, & in alio est falsum. Vel igitur qui dat stipendium petit missam vt distinctam, & solo suo nomine vt priuato offerente oblatam, vel petit eandem missam simul ab alio postulatam, & alterius etiam nomine celebrandã. Priori modo regulariter se habet offerẽs-quotiescumque nescius alterius obligationis, petit pro

se

se missam celebrari, hoc enim est illum velle esse vnicum priuatum offerentem illius missæ, & simul vnicum pro quo missa primario offeratur, seu vnicum ad cuius intentionē offeratur. Ea quo snim absolutè petit nomine suo missā celebrari, vult esse proprius illius missæ offerens. Nam & hoc magis illum interest, & est sibi magis vtilè, & quia non debet præsumi, quod velit iu hoc cōsortium aliorum, nisi id eaprimat. Quando ergo sacerdos vouit missam in gratiarum actionem reseruata libertate applicandi illam, vel alius, qui sacerdoti dat stipendium hoc scit, & nihilominus pro eadē missa sibi applicanda dat stipendiū, & vera est sententia *Tambur.* quia qui dat stipendium non petit missam vt sibi propriā, nisi quantum ad applicationem fructus; Sed de eadem missa vult participare, & est partialis offerens, non adæquatus, & proprius. Et in hoc sensu verum est etiam, quod qui est obligatus ad solam celebrationem localem potest recipere stipendium & admittere eum ad consortium offerendi eaodem missam applicando illi fructum missæ. Vel qui dat stipendium absolutè vult missam sibi vt offerenti propriam. Vnde vult missam hanc vt distinctam, & à quacumque alia obligatione solutam, & tunc eadem missa non potest satisfacere voto, & stipendio ab alio accepto, quia tunc adæquatus & proprius offerēs non esset solus, qui dedit stipendium sicut ille voluit, & petijt; & sic sua intentione defraudaretur. Et in hoc eodem casu nec qui est obligatus ad celebrandum localiter, potest ratione applicationis fructus missæ accipere ab alio stipendium, vt etiam, supra est explicatum.

999 Colligitur sextò, quod etiam si plures obligationes sint ea alio titulo, quam ex receptione stipendij, si sint totales non potest sacerdos vna missa pluribus illarum satisfacere. Dico si sint totales, quia si quis non dato stipendio petat a Sacerdote missam pro impetranda salute filij, & alius missam petat pro satisfactione pœnarum, sacerdos liberaliter promittens missam potest eadem missa vtrique satisfacere. *Tambur. lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 47.* Quia talis sacerdos nulli integram missam promittit. Sufficit enim si singulis det, quod ex intentione eorū absolutè fuit petitum, & sic sacerdos iste vni se obligat ad missā vt satisfactoriā & alteri vt impetratoriā. Quod extendit *Tambur. num. 48.* vt si sacerdos vouerit missam in gratiarum actionem possit ea liberalitate eandem missā applicare alteri in pœnarum satisfactionem; quia & in hoc casu petenti missam in satisfactionem pœnarum satisfit dando ei, quod absolutè intendit. Alias vero, qui vouit missam in solam gratiarum actionem retinet libertatem ad applicandum sacrificium, vt satisfactorium cui voluerit, sic ergo potest contingere vt obligationes sacerdotis sint partiales: sed si sint totales non potest ei satisfacere vnica missa, sēper enim militat ratio, quia per vnitatem non satisfit duplici debito, seu debito postulante numerum. Sed hic semper attendi debet an obligatio ad missam sit adæquata, & petat missam, vt sibi adæquatè propriam, Nam si obligatio sit inadæquata, vt quia alicui est promissa missa ratione applicationis fructus, & alij ratione commoditatis illam audiendi, quia tunc nulli est promissa missa vt illi adæquatè propria, ideo duplici promissioni nō debetur duplex missa, sed debetur duplex missæ commoditas, seu effectus, aut fructus, & ideo vna missa potest huiusmodi inadæquatis obligationibus satisfieri. Quādo autem aliquis petit missam, nisi aliter se explicet, intendit missam vt sibi propriam adæquatè, ita quod ad alterius instantiam non celebretur, sed ille sit vnicus offerens illam nomine proprio & priuato; Et ideo si quis absolutè duobus missam promisit, duas missas tenetur celebrare. Et si vouit dicere duas missas non satisfacit voto vnā celebrādo. Pariter vna missa nō potest satisfacere voto, & legi missā præcipiēti, & sic de alijs obligationibus. Itaq; aliud est postulare missā, & aliud postulare aliquid ea missa alias celebranda, vel si alias celebretur. In hoc enim secūdo sensu nō postulatur absolutè missa, & ex vi talis postulationis sacerdos non obligatur absolutè ad substantiam missæ, sed si celebrat obligatur ad applicandum aliquem fructum, sed dum postulatur missa absolutè, ex vi talis petitionis missa ipsa secundum substantiam intuitu postulantis est ponenda in rerum natura, nec eadem missa potest esse obiectum alterius petitionis absolutè & poni vi illius, quia ponitur vi prioris petitionis, idem vero effectus non est à pluribus causis adæquatis, & plures causæ adæquatæ plures petunt effectus. Et nihilominus quando aliquis nullo exhibito stipendio, nec pro satisfactione voti, alterius obligationis sic ex sua deuotione petit missam à sacerdote, non est censendus velle & petere absolutè missam vt solo suo nomine celebrandam, sed respectu vtilitatis, quæ petentibus, & offerentibus missam competit. Nec sacerdos ad aliud se obligat dum liberaliter missam promisit, nec tenetur si conformare alteri intentioni petentis, nisi eam explicauerit. Nam & secundum naturam sacrificij est, vt pluribus prosit, & pro pluribus offeratur & sacerdos iuxta sacrificij conditionem se obligat, & ideo eandem missam pro alio celebrare potest. Vide infra num. 1269.

1000 Colligitur septimò, quod pro eadem missa non potest sacerdos recipere duo stipendia quorum vnum respondeat operi operato, & aliud operi operantis. Huius corrolarij rationem diuersimodè multi reddunt. *Tambur. l. 3. cap. 1. §. 3. num. 40. & 49.* rationem redit, quia petens missam intendit etiam fructum operis operantis, & ratione eius etiam dat stipendium, vnde non potest ratione operis operantis nouum aliud stipendium accipere. Sed *Hurtad. de sacrif. miss. disp. 3. diff. 4. fin. & disp. 4. diff. 15. Coninch. 3. p. q. 83. art. 1. dub. 10. num. 195.* quos sequitur *Pasqual. q. 956.* existimant, quod sacerdos postulanti missam non teneatur applicare fructum operis operantis, quia nec est necesse, quod missa fructificet ea opere operantis, quia sacerdos obligationi satisfacit, etiam si peccet celebrando; & quia fructus operis operantis proprius est sacerdotis, sicut & specialissimus: & quia nec sacerdos tenetur applicare fructum alium, quam sit ille, qui est ex sacrificio, nec alium petit, qui petit missam: tum quia non est eadem ratio de agro, cuius totus fructus debetur emptori, quia hic est veluti duplex ager, quia sacrificium ea natura sua fructificat, & fructificat etiam ex deuotione sacerdotis. Nihilominus sacerdos nō po-

potest recipere nouum stipendium ratione operis operantis, tum quia stipendium requirit ministerium, ratione cuius debeatur sustentatio; quod non contingit in applicatione fructus operis operantis. Tum quia dans stipendium deciperetur si ei petenti operis operati fructum, daretur fructus operis operantis. Sed istæ rationes sunt insufficientes. Nam hæc vltima variat casum, aliud enim est, quod celebrans missam velit dare fructũ operis operantis loco fructus operis operati à se promissi, quod est manifestè fraus, & illicita deceptio. Aliud est, quod vltra stipendium, quod recipit, ex quo agit applicando fructum ex opere operato, possit etiam aliud stipendium velle pro applicatione propriæ deuotionis, & hoc est, quod quæritur, nec probatur, quod fieri non possit; quia stipendium sustentationis omni operanti debetur; esse autem deuotum, & exercere actus charitatis, & fidei, & religionis ad vtilitatem alterius est aliquid operari ad vtilitatem illius, igitur ex opere operantis huiusmodi habetur fundamentum stipendij; igitur si opus operantis non est debitum poterit ratione eius accipi stipendium. Nec est verum, quod fructus omnis operis operantis sit ita proprius Sacerdotis, vt alteri non possit applicari; cum liceat orare pro alio, & pro illo actus virtutum exercere, & operum bonorum fructus sit cõmunicabilis proximo. Dicendum igitur est cum Tambur. quod fructus operis operantis est debitus ei, qui facit celebrari missam, non quidem absolutè, quia Sacerdos non tenetur esse deuotus in celebrando ex eo quod celebrat ad instantiam alterius licet ex lege diuina deuotus esse debeat. Sed sub cõditione quod Sacerdos deuotè celebret, fructus huius deuotionis in quantum est communicabilis est illius, pro quo Sacerdos celebrat. Sicut licet ager ex accidenti aliquo fiat fertilior, & ex diligantiori cultura maiorem fructum ferat nihilominus totus fructus est illius, qui agri fructum emit. Quod in proposito, inde fit magis manifestum, quod petentes missas quærunt sanctiores Sacerdotes, vt maiorem fructum recipiant. Sed & Sacerdos licet directè ex vi obligationis erga petentem missam non teneatur esse deuotus, ad id tamen tenetur ex officio, qui verò petit missam, petit simul & deuotionem Sacerdotis, & illius fructum, & sic Sacerdos non potest velle stipendium ex eo quod debet ex officio præstare, si vult celebrare.

1001 Colligitur octauo, quod non potest accipi duplex stipendium ex eo quòd in missa plures collectæ adiungantur, & propterea petentibus plures missas, vna satisfacere non potest Sacerdos ex eo quòd plures collectas adiungit. Est enim in his distinguendum, quod aliud est maius stipendium recipere pro eadem missa, & aliud est duo stipendia recipere, seu eadem missa velle satisfacere duabus obligationibus ex acceptione duorum stipendiorum consurgentibus. Primum non est malum, sed potest Sacerdos eleemosynam recipere ab eo, qui petit in missa multiplicari collectas, quantum salua rubrica missalis multiplicari possint. Et sic potest pro vno missam celebrare, & pro alio collectas adiungendo orare in missa, & sic duo stipendia vnũ pro missa, & aliud pro collectis recipere à duobus, quorum vnus missam petit alius solum postulat collectas. *Tambur. l. 3. cap. 1. §. 3. n. 49.*; neq; in hoc fit aliquod præiudicium illi qui missam commendauit, vt aduertit *D. T. 4. d. 45. q. 3. a. 4.* Nam illi integer fructus missæ remanet, & hic fructũ collectarum colligit. Non tamen credo, quod possit Sacerdos maius stipendium recipere intuitu deuotionis in celebrando, *Tambur. d. l. 3. c. 1. §. 3. n. 49.* quia cum ex officio teneatur deuotè celebrare in infinitũ, & sine limitatione, cessat fundamentũ sustentationis, & stipendij, quod est opus non debitum. Nec obstat, si dicatur, quod licet Sacerdos debeat esse deuotus, non tamen tenetur fructum suæ deuotionis applicare huic, vel illi, & sic poterit huius intuitu recipere eleemosynam. Quia deuotio celebrantis cum debeatur ex officio, & sit modus sacrificij, connaturaliter fructificat ei pro quo sacrificium offertur, quia est modus applicationis eidem debitus, vnde non fundat specialiter rationem exigentię sustentationis. Nec Sacerdos etiam si vellet posset priuare eum pro quo deuotius celebrat missam huius deuotionis fructu, qui connaturaliter sequitur ad missam deuotè celebratam. Sicut diligens cultor agri non potest priuare dominum vberiore fructu, quem producit ager diligenter cultus. Quod si colens agrum tenetur aliunde agrum colere diligentissimè in infinitum; non habet fundamentum vnde ratione diligentiæ maius stipendium sustentationis recipiat, quia ex quo consensit in culturam, tenetur diligentissimè colere agrum, vnde ratione huius non sibi debetur maior sustẽtatio. Sic ergo quia Sacerdos deuotionem propriam vendere non potest, & aliàs si celebrat tenetur deuotissimè celebrare quantum potest, & non impedire feruorem deuotionis, non debetur sibi per hoc maius stipendium, nec illud potest exigere, licet si detur liberè possit recipere. Nam, & considerandum est, quod indeuoti, deuoti, & deuotissimi celebrantis eadem est occupatio externa, & externum ministerium. Nam si ministerium externum, & externa occupatio cresceret, simul augeretur fundamentum maioris sustentationis. Sed deuotio est internum opus summe liberale, & alias ex officio sacerdotali debitum, ideo non fundat obligationem maioris stipendij sustẽtationis, quatenus deuotio est modus celebrationis sacrificij, nisi ex deuotione multiplicetur opus operantis, & occupatio, & ministerium. Sed esto ratione collectarum, vel alterius operis operantis posset augeri stipendium sustentationis, nunquam tamen licet horum ratione vna missa plurium missarum obligationibus satisfacere. Nec valet dicere, quod potest esse quod collectæ, vel indulgentia æquiualeant in fructu vni missæ, tum quia debitor certæ speciei non potest sine cõsensu creditoris satisfacere per æquiualentiam *l. 2. § mutui datio ff. si certum pet.* Tum quia hic non potest attendi æquipollentia, cum valor missæ sit infinitus, & si in offerente inueniat maximam deuotionem producat maximũ effectum, & maiorem in infinitum si deuotio crescat: quia per huiusmodi æquipollentiam non adæquatur Dei cultus, qui in duabus missis multiplicatur, & augetur; et ideo huiusmodi æquipollentia quantum ad fructum missæ non sufficit,

nec per eam satisfit intẽtioni, quærentium plures missas. Et falsum est quòd siue testator, siue viuens petens plures missas, intendat solum fructum suum; quia hoc modo postulatio missarum esset opus mercenarium. Sed concupiscentia proprij vtilis est motiuum ex parte postulantis, sed proprium motiuum finale est Dei cultus, qui in pluribus missis multiplicatur.

1002 Colligitur nono quod merito S.Congregatio præcepit auferre Capsulas eleemosinarum cũ inscriptione, eleemosyna pro missis, quia quãtum ad numerum missarum, & tempus celebrandi non potest colligi intentio petentium missas ex illa confusa erogatione eleemosynarum, & potest esse de facili, quod petentes missas maneant defraudati, & quod non tot missæ celebrentur, quot petuntur. Hanc verò prohibitionem S.Congreg. *supra n.864. ad* 13. extendit etiam ad huiusmodi capsulas positas in die Defunctorum, & *ad* 14. dubium respondens declarauit pœnam interdicti nõ afficere eos, qui non auferunt Capsulas præfatas. Ex eo vero quod S.Cong. præcepit auferri Capsulas huiusmodi prohibuit etiam in futurum poni. *Tambur.l.3.c.2.§.3.n.4. Pasqual.quæst.*258 *num.*5.

SVMMARIVM.

1 *Decretum S.Cong. n.*1003.
2 *Beneficiatis & Capellanis sufficit, quod celebrantibus pro ipsis dent taxatum stipendium n.*1004
3 *Idem de monasterijs. n.*1004.
4 *Quid dicendum de hærede, vel executore. n.*1005
5 *Quid de Ecclesia suscipiente onus perpetuum celebrandi. n.* 1006.
6 *Sacerdos faciens celebrare per alium, partẽ stipendij non potest sibi retinere.* 1007.
7 *Idem de sacristis, & Ecclesiarum administratoribus. n.*1008.
8 *In retentione partis stipendij multiplex graue peccatum esse potest* 1009. 1010.
9 *Per se ex natura rei & præcisa mala circumstãtia non est peccatum. n.*1010. & 1011
10 *Est lege positiua prohibitum. n.*1012.
11 *An sit illicitum partem stipendij retinere pro expensis. n.*1013.
12 *Quid quando qui dedit pingue stipendium dedit titulo amicitiæ. n.*1014.
13 *Quid si Sacerdos celebrans relaxet libere stipendij partem. n.*1015.
14 *Et quid si relaxatio fiat ex conuentione. n.* 1015.
15 *Et quid cum commendat missa restituis. n.* 1016.
16 *Hæres quod stipendium teneatur dare. n.*1017.
17 *Relictum pro missis est oblatio facta Deo, quæ statim fit Ecclesiæ. n.*1018.
18 *Hæredis non est taxare stipendium. n.* 1019.
19 *Hæres debet dare stipendium a proprio Episcopo taxatum. n.*1020.
20 *Hæredi sufficit quod det stipendium lege, vel consuetudine taxatum. n.*1021.
21 *An seruari debeat taxa patria testatoris. n.* 1020. & 1022.
22 *An in materia missarum liceat compensatio. n.* 1022. & 1027.
23 *Sacerdos non potest retinere totum stipendium ex pacto permutando missam cum missa. n.* 1023.
24 *Legatarius, vel executor an possit retinere partem stipendij. n.*1024.
25 *Is cui data est cura missarum celebrandarum non potest partem stipendij retinere.* 1025.

INSPECTIONIS SEXTÆ

CAP. OCTAVVM.

De immutabilitate stipendij recepti seruanda per Sacerdotem qui celebrat per alium.

1003 NIsi ex speciali conuentione, promissione, seu obligatione Beneficiatus, vel alius Sacerdos missas, ad quas est obligatus tenetur celebrare per se ipsum, sed potest celebrare per alium, vt supponitur in decreto de celebratione missarum supra n. 864. §. *Ac similiter,* Vbi & in responsione ad octauum, & nonum decreuit, qualis delegato Sacerdoti sit tradenda eleemosyna.

1004 Itaq; igitur ex decretis S.Congregationis distinguendum est inter Beneficiatos, & Capellanos, & alios, qui ex reditu perpetuo, vel annuali salario obligantur ad missas celebrãdas, & inter eos, qui manualibus eleemosynis ad id tenentur. Nam primi, si contingat eos satisfacere velle suæ obligationi per alium, sufficit, quod illi dent stipendium taxatum. Et hoc etiam ante decreta docuerunt Sotus *l.9.de iust.q.3.a.1. Suarez.d.disp.86.Sect.3.* Et est hoc rationabile quia ex natura rei nulli fit iniuria, quia satisfit obligationi, cum celebretur missa, Sacerdoti verò celebranti datur iustum stipendium: Et alias non est hic periculum vel species alicuius mercaturæ, aut nundinationis missarum, quæ fuit ratio ob quam S.Congregatio prohibuit, ne stipendium acceptum à Sacerdote pro missa celebranda posset diminutum alteri tradi. *Cenedo quæst. Canon. q.27. Ledesma de Sacram. Eucar.cap.*18.§. 2. *fundamento fagundez præc. l.* 3. *cap.9.n.* 19. *Diana p.* 2. *tr.14.res.*10. *Bonac.disp.4.de Sacram.q vlt.p.8.n.* 18. Hinc est, quod hæc resolutio nedum est vera de Beneficiatis, sed etiam de Capellanis habentibus Capellanias non collatiuas, quæ non sunt beneficia, sed sunt Capellaniæ amouibiles, & manuales *Card.de lugo disp.21.n.30. Tamburin.l.3. cap.2. §.5.n.10. Rueta q.v. de Eucarist. sec.*17. *Franciscus leo. l.3. de Sacram. c.12.q. 1.n.* 73. sed huius ratio non est, quam affert *Pasqual.quæst.70. n.*5. quia scilicet, ex quo Capellanus facit suum salarium ratione muneris Capellani, ideo non est stipendium sustentationis annexũ obligationi celebrãdi, sed est stipendium muneris quod semper remanet in Capellano. Quia hoc munus non est nisi munus celebrandi, & salarium illud non est nisi sustentamentum pro onere celebrandi, & est ac si Capellanus reciperet manualem eleemosynã pro celebrandis mille, duo millia, viginti millia missas. Sed ratio est, quia quod Capellanus

commendet alteri missas aliquando non habet speciem nundinationis, & turpis lucri, ideò Sac. Congregatio illud non prohibuit; cum eius prohibitio pro fine habuerit vitare turpe, & damnabile lucrum in Sacerdotibus.

Idem quoque est dicendum de Ecclesijs habentibus onera perpetua missarum, sunt enim veluti Cappellaniæ *Pasqual.q.972.* num.2. Huiusmodi enim non comprehenduntur sub Decreto Vrbani VIII. quod loquitur de oneribus manualibus. Et præcipue non habet locum in oneribus perpetuis, pro quibus dantur, & debent dari pinguiora stipendia, quam manualia, ratione perpetuitatis obligationis. Ideò habentes onera perpetua missarum sufficit, quod si contingat, vt per alios satisfacere debeant, dent illis solita manualia stipendia.

1005. Subdit verò idem *Pasqual.* n.4. quod si onus missæ perpetuæ sit commissum hæredi, vel alteri, qui non potest per se ipsum satisfacere, seu non habeat sacerdotes proprios, per quos possit celebrare, quod talis hæres teneatur eligere Capellanum, & illi tribuere totum prouentum, quod colligitur ex fundatione missæ perpetuæ: quia tunc ille non censetur electus loco Capellani, ita quod onus celebrandi illi imponatur; sed intelligitur electus vt merus executor. Verum puto distinguendum. Nam is, cui committitur onus procurandi celebrationem missarum, vel est secularis, vel est locus, aut persona pia. In primo casu, supposito quod id relinquitur pro missis sit certum, & sit pro Capellanis deputatum, & nihilominus potest esse quod testator hæredi, vel legatario relicto fundo immobili, solum obliget illum ad hoc vt det celebranti manuale stipendium. In quo casu fundus manebit hæredi, vel legatario, qui satisfaciet dando celebranti eleemosynā iuxta taxā, sed si relictum est a testatore determinatum, vt dādum Ecclesiæ, seu Capellano, quia hoc relictum est pium, & Deo sacratum, cuius iam secularis non est capax, ideò totum cedit in vtilitatem Ecclesiæ, & sic totum debetur Capellano electo pro satisfaciendo oneri missarum. Sed si locus, aut persona, cui onus procurandi celebrationem missarum in perpetuum sit pia, & capax viuendi, & possidendi patrimonium Christi, sufficit, quod per manualia stipendia faciat missas celebrari. Huiusmodi enim relictum nisi contrarium sit expressum censetur esse legatum ad commodum legatarij, & non merum, & purum stipendium, ideò sicut legatarij possunt facere celebrare missas cum solito stipendio, idem potest locus pius, qui habet onus celebrandi missas perpetuas. Et in his perpetuis obligationibus attendi debet quod obligatio ipsa procurandi, vt in perpetuo missa non deficiat, est quoddam cui debetur sua sustentatio. Et ideò in illis non imminet periculum nundinationis malæ, quod imminet in committendis oneribus manualibus. Nā & imò testator indiget eo, qui curam hanc in perpetuum habeat procurandi celebrationem missarum, & quando hanc curam committit loco pio, rationabiliter facit, si relinquat aliquod amplius, quam importet consuetum missarum stipendium: Vnde ex eo quod relinquit loco pio Ipsemet tenetur velle, vt locus pius det celebrantibus consuetum stipendium, & quod superest cedat in eius vtilitatem.

1006. Hinc est quod si etiam Ecclesia suscipiat ex conuentione onus missæ perpetuæ, sufficit quod si per proprios sacerdotes non potest celebrare; det alijs consuetum stipendium: quia fundus oneris perpetui fit proprius illius tanquam fundus perpetuus, & non tanquam aliquod manuale nundinatum. Et sic Ecclesia potest etiam suscipere maiora onera missarum, quam possit satisfacere per proprios sacerdotes. *Pasqu.* 16. num. 6. Nec obstat Decretum Vrbani VIII. supra n.864. 5. Ad hæc, quia sufficit, quod Ecclesia suscipiens onera missarum possit oneribus susceptis satisfacere, vel per proprios, vel per alienos sacerdotes.

1007. Sed de sacerdotibus, qui missarum manualia stipendia pro missis celebrandis recipiunt, Sac. Congregatio decreuit, vt receptum stipendium diminutum alteri tradere non possint. Ex hoc verò decreto duæ antiquorum opiniones sublatæ sunt. Distinguebant enim DD. inter Sacristam, aut Parochum, aut alium, qui ex officio missas celebrandas per alios sacerdotes colligit, & inter sacerdotem ipsum, cui dantur plures eleemosynæ pro missis ab eo celebrandis. Nam iste fit Dominus eleemosynarum receptarum, alius vero non. Ideò loquentes de sacerdote ipso, qui factus fuit Dominus eleemosynarum receptarum, dicebant eum pinguiorem eleemosynam posse minuere retenta sibi parte, quia ipse est factus Dominus stipendiorum illorum nulli faciebat iniuriam, retinendo sibi partem. Non enim fiebat iniuria ei, pro quo missa erat celebranda, quia missa celebrabatur. Sed nec sacerdoti celebranti, cui dabatur iustum stipendium & alias ipse factus dominus totius summæ poterat de suo disponere ad libitum. Vnde quod hoc ex natura rei non esset illicitum tennerunt plures quos retulit, & sequutus fuit *Bonac. vbi supra* num.17. Quamuis quod id non licuerit, nec liceat voluerit, quos refert, & sequitur *Fagundez præc. 1. l.3. cap.9. num.17.* De illo autem, qui ex officio recipit missarum stipendia per alios celebrandarū cum distinctione respondebant dicentes talem si adsit lex, aut consuetudo, vt aliquid sibi retineat pro suo labore, & diligentia, posse retinere, secus non. Et pro hac sententia quamplures refert *Fag.* qui illam sequitur vbi supra num. 15. Sed modo huiusmodi opiniones locum non habent, sed sacerdotes, qui eleemosynas recipiunt pro celebrandis missis, si contingat eos per alium celebrare missas promissas debent illi dare integrum stipendium.

1008. Quamuis verò alicui videri possit sub Decreto S. Cōgregationis nō comprehendi Sacristas, vel alios qui recipiunt eleemosynas, vt celebrandas per alios, & ita senserit *Tambur.* l.2. 3.4. c.5. 5. num.17. licet sub dubio, quia decretum loquitur de sacerdotibus, qui missam celebrandam sub certa eleemosyna recipiunt, tamen etiam huiusmodi Sacristæ, & similes comprehenduntur: *Pasqual. quæst.* 977. vt apparet ex præfata responsione ad septimum, in qua expresse, est sermo de administratoribus Ecclesiarum, qui ex officio recipiunt eleemosynas pro missis per alios celebrādis, & prohibet ut etiam pro expensis, quæ in

missarum

missarum celebratione fiunt possit aliquid retinere si habeantur aliunde reditus, qui possint licitè erogari; vnde multò magis prohibet, ne administratores huiusmodi possint sibi pro eorum labore aliquid retinere. Et eo magis, quod hoc ex natura ipsa rei est illicitum; quia cum tales administratores non sint Domini eleemosynarum, non possunt sibi aliquid illarum retinere inuitis Dominis. Et sicut si Dominus seruo dicat, vt emat equum, & det illi 50. aureos; & ille emit equum quadraginta aureis non potest sibi retinere decem, quæ superfuerunt, quia illa sunt Domini. Ita Sacrista qui recepit pro missis celebrandis viginti etiam si inueniat qui illas celebrent pro 15. non potest sibi retinere quinque, quæ remanent.

Accidit quod isti Administratores, & Sacristæ colligentes missas plures, id faciunt ad commodum propriæ Ecclesiæ, vnde ratione laboris, & diligentiæ, nihil ex alieno retinere possunt. Alias verò, qui volunt missas celebrari non indigent collectoribus; quia per se immediatè sacerdotibus missas commendare possunt. Etimò & suspicione plenum est, & turpis nundinationis speciem habet, si artem colligendi missarum stipendia distribuenda exercent. Omninò igitur sacerdoti celebranti de facto dandum est integrum stipendium receptum ab eo, qui vt celebretur missa stipendium dedit. *Lezana* v. missa n. 35. vbi nihilominus quod audiuit hoc non obseruari in aliquibus Ecclesijs Vrbis, & nescire quo fundamento. Addit etiam, quod si testator reliquerit hæredi, vt fundarat Capellaniam reddituus 65. scutorum annuorum, non poterit hæres eam fundare cum redditu scutorum 45. Tum propter Decretum Sac. Congregationis, tum quia defraudatur, mens testatoris. Tum a simili de beneficio, cuius collator non potest diminuere fructus.

1009. Sed necessariò discutienda remanet difficultas de qualitate peccati eius, qui celebrando per alium partẽ stipendij pro se retinet. Quod enim hoc non sit peccatum mortale sensit *Bordon. ref.* 25. q. 18. quod dubium remansit apud *Lezanam v. missa n.* 35. quoniam Sacra Congregatio vtitur verbo prohibet, quod est indifferens ad inferendam culpam mortalem, vel venialem. Secundo quia neque declarat culpam hanc esse contra iustitiam, & materia hæc non est grauis, quia nulla fit iniuria, non enim fit iniuria celebranti, cui datur iustum stipendium, nec ei, qui missam commissam concordauit, quia missa celebratur. Et quia quando Sac. Congregatio voluit obligare sub mortali id expressit, vt patet §. Deinde ibi: *Sub ostentatione Diuini iudicij mandat, & præcipit.* Et ibi: *Quinimò grauiter peccant, & ad restitutionem teneantur.* Sed quod partem stipendij retinere sit peccatum mortale voluerunt *Petr. tom. 3. ad Const. 9. Vrb. VIII. Tambur. lib. 3. cap. 1. §. 5. n. 6. Pasqualig. q. 969. num. 3. & quæst. 1185. num. 3. post Auersam quæstion. 11. de Eucar. sect. 17. 6. Franc. Lugo lib. 5. de Sacr. cap. 12. q. 7. 5. 77. Quartus in Rubr. Missal. in suppend. q. 4. p. 1. diff. 3.* Hic verò putat hoc peccatum esse contra obedientiam, sed Pasqualig. vult illud esse contra iustitiam, qui hoc probat tum primo, quia retinent sibi partem stipendij non habẽs iustum titulum illam retinendi, igitur faciũt iniuriam, & celebranti, & ei, qui dedit stipendium. Tum quia stipendium datur pro sustentatione celebrantis, & non sub alio titulo, igitur vt annexum celebrationis oneri, ita quod eo translato onere, & stipendium transferri debeat. Tum ex voluntate dantis stipendium, qui cum det illud pro onere, & sustentatione debita celebranti missã, vult, quod illud sit eius, qui celebrat; vnde, qui partẽ stipendij sibi retinet facit contra voluntatem dantis. Tum quarto quia vt habet idem *Pasqualig. quæst. 974. num. 8.* quando Sacerdos, qui recipit pingue stipendium pro missa celebranda retinet partem illius, impedit, ne qui commendauit missam recipiat fructum vberiorem, quem reciperet ratione pingioris stipendij dati; quia huiusmodi excessus fructus nõ percipitur, nisi pinguius stipendium habeatur a celebrante.

1010. Respondetur verò ad hanc difficultatem, quod in huiusmodi retentione partis stipendij multiplex peccatum esse potest. Et primo quidem potest interuenire simonia. Si enim interuenit pactum aliquod explicitum, vel implicitum (quod sine dubio interuenit si sacerdos, cui plures missæ commissæ fuerunt, easdem committit huic, vel illi sacerdoti principaliter ex fine operis propter lucrum partis stipendij, quod retinet.) Tunc enim missam commendat pro lucro, & sic commendationem missæ, quæ est spiritualis vendit pro pretio scilicet pro parte stipendij, quod sibi retinet. Et quia vbi non constet de alio titulo, ob quem retineat partem illam; iustè præsumitur, quod illam retineat ratione commendationis missarum; ideo huiusmodi retentio vel est in re simoniaca, vel ad minus est talis præsumptiuè, & lucrum hoc est turpe. Tum quia habet speciem mercaturæ. Ideò secundo retinere huiusmodi partem stipendij est auaritia realis, vt plurimum, vel præsumpta, est enim quædam species mercaturæ. Quærere enim lucrum propter se est auaritia, vt docet *Diuus Thomas supra quæst. 77. num. 4.* & quia in mercatura videtur, quod mercator quærat lucrum propter se, dum emit rem, vt eam immutatam cum lucro vendat, ideò clericis omnibus prohibita fuit mercatura, tanquam illa, quæ auaritiam sapiat, & præ se ferat. Hoc verò maximè locum habet in hac missarum nundinatione, quando sacerdos plura, ac plura onera missarum cumulat, & recipit pro stipendio non vt missas celebret, sed vt hæc onera immutata alij tradat cum sui lucro, quod certè vix sine auaritia inueniri potest, & de se pessimam mali speciem habet, & auaritiæ præsumptionem. Et si ob hanc auaritiæ præsumptionem illicitum est clerico emere bouem, vt illum vendat cum lucro, multò magis speciem mali habet, & auaritiam præ se fert, quod sacerdos suscipiat onera missarum, & illa immutata tradat alteri cum sui lucro, cum hoc vix sine auaritia non solum, sed sine simonia fieri possit. Tertio adest iniustitia si iste missarum nundinator compellat iniustè, vt minando iniustum damnum alijs sacerdotibus, quibus onera missarum committit, nisi partem stipendij relaxent. Sic enim illos iniustè cogens, iniustè agit, & quod recipit iniustè recipit tanquam inuoluntaria, & iniusta coactione datum ad iniustam vexationem redimendam. Cæterum per se loquendo, & præcisa mala circumstan-

cumstantia nō est hic, vel iniustitia ex natura rei, vel alia malitia, seu culpa. Quod manifestum fit, si consideretur, quod onus susceptum ab eo sacerdote, qui accipit stipendium pro onere missarum, non est celebrandi per se ipsum, sed per se, vel per alium, & dum suscipit hoc onus; & illud implet facit suum stipendium, nisi aliud sit, quod impediat. Sic ergo quando suscepit stipendium tanquam donatum sub onere celebrandi per se, vel per alium facit stipendium suum, quo supposito non est iniustus contra eum, qui dedit stipendium, quia illi satisfacit, celebrando licet per alium. Erga celebrantem verò nō est iniustus, cum det illi stipendium taxatum, quia non potest de iure prætendere maius, sed neque esse iniustus, si det stipendium minus taxato, & exiguum, quia stipendium celebranti non debetur ex iustitia, sed ex religione, vt stipendium sustentationis, & tanquam medium necessarium ad missæ celebrationem, & manifesta simonia esset, si deberetur ex iustitia, quia deberetur vt æqualis compensatio missæ celebrandæ. Dando ergo minus stipendium non violat iustitiam commutatiuam, non est ergo iniustus.

1011. Et hoc magis confirmatur soluendo obiecta in oppositum. Dum enim dicitur, quod retinens partem stipendij non habet titulum illam retinendi, negatur, quia habet titulum dominij totius stipendij, & dum per se, vel alium satisfaciat oneri missarū potest de illo disponere, vnde etsi inueniat, qui gratis sine stipendio velit missam celebrare, totum stipendium potest retinere. Et dum secundo additur quod stipendium datur sub onere, & est annexum oneri; respondetur, quod onus est illud, quod est annexum stipendio, quia stipendium datur sub onere; sed hoc onus, nō est nisi onus celebrandi per se, vel per alium, quidquid sit an alias velit, vel pro stipendio, vel gratis sine stipendio celebrare, ideò stipendium non transit necessario ad celebrantem, sed est sub dominio illius qui primo stipendium suscepit sub onere celebrandi per se, vel per alium. Et ideo non valet, quod tertio dicebatur, quia voluntatis eius, qui commendat missas est quod stipendium a se datum sit celebrantis, imò hoc esset iniustitia si hoc ille prætenderet, donatum enim sub onere ex natura rei fit donatarij, statim statim a traditione illius, cum verò onus sub quo traditur stipendium sit onus celebrandi per se, vel per aliū, ex vi traditionis stipendij illud fit sacerdotis suscipientis onus celebrandi per se, vel alium, igitur tradens stipendium non est dominus illius stipendij, & non potest tanquam Dominus de eo disponere, sed ille nihil amplius potest petere, nisi quod satisfiat oneri, & celebretur missa, vel ab eo Sacerdote, vel ab alio. Sic enim fert natura donationis sub onere, vt donans post traditionem rei, & acceptationem factam à donatario non habeat ius super re donata, sed solum, vt satisfiat oneri, sub quo illam donauit, & vt possit repetere rem donatam si nō satisfiat oneri. Quod tamen in donato Ecclesiæ locum non habet, *cap. Verum de cond. appositis*. Inde est, quod ex natura rei loquendo, si quis sacerdos suscepit stipendium animo celebrandi per se ipsum, & Deum sic religiosè colendi, sed impeditus, vt satisfaciat obligationi suæ commendet missas alteri sacerdoti dato illi stipendio currenti, non est hic simonia, vel auaritia per se, vel aliqua iniustitia. Sed si Sacerdos, vel Ecclesia aliqua, veluti exercet artem nundinatoris missarum, & recipit onera, non vt illis satisfaciat, sed vt illa alijs commendet, cum sui lucro, hæc est turpissima, & simoniaca nundinatio, ad quam vitandam S. Congregatio prohibuit retinere partem stipendij. Et ita ad quartum dicitur, quod qui commendauit missam non impeditur a consecutione alicuius fructus; quia non est necesse hoc, quod stipendium habeatur ab eo sacerdote, qui immediatè celebrat, sed sufficit, quod datum sit Ecclesiæ oblatum Deo intuitu celebrationis, vnde iam ex hoc ille habet omnem fructum suæ deuotioni respondentem. Cæterum ad ipsum non spectat attendere, in cuius personæ vtilitatem a se Deo oblatum cedat.

1012. Dicitur ergo secundo, quod hanc partem stipendij retinere per se; & ex nudo obiecto est prohibitum sola lege positiua, per Decretum Sac. Congregationis. Verbum autem prohibet secundum communiorem sententiam, vt dixi supra *q.186. ar.9. num.75.* est verbum præceptiuum & non potest hic negari, quod materia sit non grauis, imò grauissima, cum prohibitio habeat pro fine sanctitatem sacrificij missæ, & auferre simoniacas, auaras, & statui clericali prorsus indignas nundinationes missarum. Non potest tamen negari, quod trasgressio huius prohibitionis ex leuitate materiæ non sit peccatum veniale.

1013. Limitanda autem videri potest hæc assertio ex multiplici capite, & primo ex causa supra tacta, nimirum, vt aliquid Rectores, vel etiam Sacerdotes retinere possint pro expensis, quæ fiūt in celebratione missarum, si fiant à rectore Ecclesiæ, vel a Sacerdote, qui alteri missas celebrandas committit. Nam quod Sacerdotes vbi alijs committunt missas celebrandas, possint sibi retinere aliquid, pro huiusmodi expensis, dixit *Tambur. lib. 3. §. 5. num. 7.* vbi *num. 8.* quod Sacerdos potest vltra stipendium taxatum aliquid rationabile plus exigere pro expensis præfatis, quod & docuit *Leand. num. 8. disp. 4. q. 13.* Aliter peioris conditionis esset sacerdos, qui de suo expendit pro missæ celebratione, quam alij, qui nihil insumunt. Et quia non tenetur sacerdos de proprio facere expensas pro missa ad fauorem aliorum celebranda, *Pasqualig. verò q. 916. & 968.* inhærendo Decreto Sac. Congregationi, inquit, quod si Ecclesia habet prouentus destinatos ad expensas celebrationis missarum Rector, seu Sacrista non potest pro expensis, vel plus exigere, quam sit taxatum stipendium, vel detrahere de stipendio aliquid pro expensis, quando facit missas per alios celebrari: quod tamen facere poterit, si prouentus præfatos non habeat, quia huiusmodi expensas non tenetur facere de suo, vel de eo, quod ad alios fines est destinatum. Particularis verò Sacerdos, si habeat vnde sine expēsa celebret, nihil potest accipere ratione expensarum, quia non debet hanc suam commoditatem alteri vendere; sed solum potest exigere, vt se indemnem seruet. Ego difficultatem habeo circa prædicta, quia Sac. Congregatio in dicto Decreto supra num. 864. Ad septimum dubium

videtur

videtur velle, quod Rectores, & Ecclesiarum administratores de proptio Ecclesiarum faciant expensas pro celebranda missa necessarias, cum decernit non esse permittendum, vt Ecclesiæ, & loca pia. seu illorum administratores ex eleemosynis missarum celebrandarum, vel minimam portionem retineant ratione expensarum harum; *nisi eum Ecclesia, & loca ipsa alios non habent redditus, quos in vsum earumdem expensarum erogare licitè possint.* Non dicit si non habeant redditus deputatos, ad huiusmodi expensas, vt dici possit, quod licet habeant alios redditus, si tamen isti non sunt specialiter deputati ad huiusmodi expensas, non teneantur Ecclesiæ illus conuertere in huiusmodi expensas, sed illas de stipendijs missarum possint detrahere. Sed dicit nisi non habeant redditus, quos licitè erogare possint pro huiusmodi expensis. Benè verò stat, quod redditus sint proprij, & non deputati specialiter ad expensas celebrationis missarum, & tamen Ecclesiæ illos pro eisdem expensis licitè erogare possint, & hoc stante S.Cong. non vult, quod de stipendijs missarum aliquid possit detrahi. Itaque in terminis Sac.Congregationis dicendum est, quod Rectores Ecclesiarum, vel sacerdotes si habent alios redditus, quos licitè possunt erogare in expensas celebrationis missarum, nec possunt aliquid exigere supra stipendium taxatum, vel aliquid de eo detrahere, quando alijs committunt missas celebrandas: sed huic detractioni solum datur locus, cum non habentur redditus, qui licitè possint erogari ad faciendas expensas missarum celebrandarum. Benè etiam admonet *Pasqual. d.q. 968. n. 4.* quod in casu, quod habenda sit ratio harum expensarum non debent attendi illæ, quæ fiunt ad maiorem ornatum, vel ad solum splendorem apparatus, sed illæ, quæ sunt necessariæ ad conuenientem apparatum. Inter quas iudicat esse numerandam consumptionem sacrarum vestium, & totius apparati necessarij, & n. 6. subdit, quod Episcopi in taxandis stipendijs missarum deberent habere rationem harum expensarum.

1014. Limitari videtur secundo, quia *Diana p. 2. tr. 2. res. 12.* si amicissimus sacerdotis det illi pro vna missa pingue stipendium, distinguẽdo ait, quod si illud fuit præcisè, & simpliciter datum pro missa, sacerdos si per alium celebret non potest sibi aliquid retinere sed totum sacerdoti celebranti debet tribuere. Sed si pingue stipendium datum est intuitu personæ, quia amicus, vel coniunctus, potest retinere sibi excessum, dato iusto stipendio sacerdoti, qui celebrat missam. Et hoc idem docuerunt *Tambur. l. 3. cap. 1. §. 3. num. 13. Quartus de rub. miss. in exp. q. 8. p. 1. diff. 3. vers. Colligitur post Pasquil. quæst. 976. & apud eum Auersa, Francisc. Pap. & Trullen.* Verum hoc sic absolutè dictũ patitur instantiam, quia bene stat, quod dederit pinguius intuitu personæ, quia tam pingue non dedisset alteri non amico, aut coniuncto, & tamen non intenderit donare simpliciter excessum, sed velit dare illud in ordine ad missam celebrandam, & vt eleemosyna pro illo, & sic debet præsumi, & censeri, cum det illud pingue ad finem missæ obtinendæ. Hoc verò stante totum est missæ stipendium, & ideò totum est integrè sacerdoti celebranti tribuendum, sic enim in his amicitia est motiuum, seu occasio dãdi stipendiũ pingue pro missa, sed totus quod datur vt eleemosyna missæ tribuitur. Forsan etiam ex hoc coniecturari poterit, quod mens amici commendantis missam, & ob hoc dantis pingue stipendium, sit quod amicus sacerdos per se ipsum celebret, in quo casu non posset per alium celebrare, si stipendium ex illa intentione datum recepisset. Quod si sacerdos infirmitate detentus non posset celebrare amplius, vel absolutè, vel ad longum tempus, putat *Pasqualigus d. quæst. 976.* quod admonendus esset, qui stipendium dedit si fieri posset, vt suam intentionem declararet. Quod si hoc fieri non posset, procurandum esset, vt alius sacerdos eiusdem, vel similis qualitatis missam celebraret, & tunc ei dandum esset integrum stipendium. Sed semper ita faciendum credo, quotiescunque, quod datur, vt purum stipendium missæ datur, etiam si detur pingue stipendium amicissimo, nisi constet, quod datum non est datum, vt purum missæ stipendium, sed vt liberale donum etiam, in quo casu supradictorum DD. vera est sententia. Vnde non probo, quod habet *Pasqu. n. 4.* scilicet quod si dentur pinguia stipendia Ecclesiæ magnæ deuotionis, si non possint celebrari missæ per sacerdotes eiusdem Ecclesiæ, quod possint celebrari per alios dato communi stipendio. Pinguia enim illa stipendia si aliud non adsit, non possunt præsumi, vt donata, nisi vt missarum stipendia, & ita celebrantibus integrè sunt tribuenda.

1015. Limitatur tertio, si Sacerdos celebrans scienter, & merè liberè relaxet alteri sacerdoti, in in cuius locum celebrat, excessum pinguis stipendij, & liberè sit contentus de iusto. Nam in hoc casu sacerdos potest excessum illum retinere, tanquam sibi ab eius Domino donatum. *Diana vbi supra resol. 13.* post *Io: de Conc. in directar. p. 2. de sacrif. missa q. 2. 8i concl. 1. & Homob. de exam. Eccl. p. 1. tr. 4. cap. 14. q. 194. Card. de Lugo num. 32. Lezana v. missa n. 39.* Vbi quod Sacerdos etiam totum stipendium potest retinere, & per alium, qui nolit stipendium suæ obligationi satisfacere.

Sed dubium remanet, an si sacerdos cui secundo commendantur missæ relaxet partem stipendij ex conuentione aliqua, vel aliquo timore coactus debeat dici eum relaxare illam partem libere, & retinentem partem stipendij non contrafacere decreto Vrbani VIII. Quod non obstet etiam si sacerdos celebrans remittat ex metu partem stipendij tradit quartus *ad rubr. miss. in Append. q. 4. p. 1. diff. 3. dub. 2.* sed oppositum sentiunt *Card. de Luga disp. 21. num. 32. Lezana v. missa num. 33. Leand. tr. 8. disp. 4. q. 8. Tamburin. l. 3. cap. 1. §. 5. num. 15. Pasqual. quæst. 975. & apud eum Martinus à S. Ioseph. & Frãcis. de Luga.* Putat autem Pasqual. quod hoc ex natura rei sit illicitum, quia non sit libera donatio. Sed hic distingui debet relaxatio partis stipendij, vt facta ex conuentione, & vt facta ex timore. Nam si relaxatio est ex conuentione, cum sit relaxatio rei temporalis, si pro alia re temporali relaxatur salua æqualitate iustitiæ, nullum est hic peccatum, non ex natura rei, quia licet ex pacto rem temporalem cum temporali commutare salua iustitiæ æqualitate. Neque ex vi Decreti Vrbani VIII. Quia tunc sacerdos non retinet partem

tem stipendij nisi ex titulo iustitiæ dando alteri sacerdoti compensationem æqualem accedente consensu vtriusq; sacerdotis. Sed si conuentio est pro re spirituali, quia nimirum relaxatur pars stipendij ex pacto explicito, vel implicito, vt sacerdos commendans missas continuet illas eidem relaxanti commendare, vel aliud beneficium spirituale illi tribuat, est simonia manifesta prohibita lege diuina, & positiua, etiam per Decretum Vrbani VIII. quod præcipue intendit prohibere hæc simoniaca lucra. Sed si loquamur de coactione, certũ est, quod relaxatio partis stipendij si fiat per vim, aut metũ per iniustitiam incussum, quod tunc, qui relaxat patitur violentiam, & iniuriam, & relaxatio illa facta ad redimendam iniustam vexationem est inuoluntaria taliter, quod non transfertur dominium in eum, qui partem relaxatam retinet, & relaxatio est mala, quia iniusta, & hic est sẽsus Cardinalis de Lugo, & in eodem sensu debent intelligi alij Citati D.D. sed quod timor mali non incussus iniuste, reddat donationem, vel alios contractus iniustos, & nullos, & hoc ex natura rei, si esset verum, væ mundo, & hominibus; ideo relaxatio facta ob timorem non iniuste incussum ex natura rei non est iniusta. Nihilominus tamen dicitur, quod est prohibita per decretũ Vrbani VIII. Quia S. Congregatio & Pontifex voluerunt remouere omnem speciem mali, & damnabilis lucri, huic vero malo non esset adhibitum remedium, si liceret huiusmodi commendatoribus onerum missarum retinere partem stipendij non plene libere relaxatum, quia hoc modo incutiendo timorem, & comminando se non commendaturos missas, vel alia beneficia non præstituros illis, qui non relaxarent partem stipendij, pararent sibi aptissimam viam damnabili lucro, & turpi missarum nundinationi, & huiusmodi timoris incursio simoniam præsefert, & auaritiam. Ideo nisi relaxatio partis stipendij sit plene liberalis, non excusat retinentem à culpa contra prohibitionem Vrbani VIII. Et ideo in praxi si non impossibile valde difficile est dari casũ, in quo liceat donationis, seu relaxationis intuitu cõmendare missas alijs sacerdotibus, parte stipendij retenta.

1016 Limitatur 4. in casu restitutionis, si qui accepit stipendium pro missis, illas non celebrauit, & stipendium consumpsit, nec habet vnde integre satisfaciat. Tunc enim satis erit, si pro stipendio, quod potest dare faciat celebrare missas eo modo meliori, quo fieri poterit, vt quam primum restituat, quod abstulit. *Fagund. prac. 2. l. 3. cap. 9. num. 18. fin.*

1017 Occurrit vero hic difficultas, an quod dicitur de Sacerdote committente alteri vices suas, quod scilicet tenetur dare illi sacerdoti integrum stipendium, quod recepit ipse pro missis celebrandis, sit verum quoq; proportionaliter de hærede, vt teneatur pro missis sibi a testatore mandatis dare pingius stipendium taxatum, vel potius pro quocumq; minori possit facere, vt missæ celebrentur, si inueniat sacerdotes pro minori pretio celebrantes. Nam quod hæredi non liceat tribuere sacerdotibus stipendium minus solito, & taxato, dixerunt. *Fagund. prac. 1. Eccl. l. 3. c. 10. n. 9. Pasqual. q. 915. & apud eum Auersa, & Alphonsus de Leon.* Probatur hoc primo, quia aliter non impletur voluntas testatoris, qui iniungendo missas celebrandas tacite iniungit stipendium in regione taxatum, & solitum, & missis iniunctis correspondens. Secundo, quia fit præiudicium etiam animæ testatoris, quia saltem quantum ad fructum accidentalem missa est fructuosior, pro qua datum est maius stipendium, quoniam oblatio ipsa ex parte offerentis, & commendantis ipsam est dignior, si pro missis maior detur eleemosyna. Tum tertio, quia aliud præiudicium imminet defuncto, quia scilicet sacerdotes, qui stipendia minora receperunt, videntes sibi non dari stipendia iuxta morem Regionis testatoris taxata, iudicabũt se non teneri ad tot missas celebrandas, quot respondent paruis illis stipendijs, etiam si iustis, in loco vbi missæ celebrantur, sed quot respondent stipendijs maioribus in patria testatoris consuetis, Et quod hoc non sit contra Decretum de celebrat. missarum, quia non seruatur mens defuncti, qui propterea valde fraudaretur sua intentione. In eodem tamen sensu non loquuntur isti *D D. Nam Fagund.* loquitur vbi datur stipendiũ minus solito, non explicans an intelligatur de minus solito in patria testatoris, vel in loco, vbi celebrantur missæ, & potest intelligi, vt loquatur de stipendio minori solito in loco vbi missæ celebrantur, sed *Pasqual.* intelligit de minori solito in patria testatoris, ita quod si testator sit Mediolanensis hæres non possit facere celebrare missas Cremonæ, vbi stipendium missæ sit minus, nisi dando stipendium taxatum Mediolani, supposito quod sit maius. In alio etiam sensu potest difficultas esse. An vbi in patria testatoria stipendium habeat latitudinem, hæres teneatur dare stipendiũ summum, & pinguius. Affirmat enim *Pasqual. quæst. 932.* vt etiam supra consideratũ fuit *nu. 946.*

1018 Dicendum Testatorem relinquentẽ missas ex vi testamenti, legati, vel vltimæ voluntatis relinquere Ecclesiæ, & Christo quantitatem stipendij legalem, & vel lege, vel consuetudine taxatum. Considerari enim debet quod stipendij traditio est pia oblatio Deo facta, quia est oblatio religiosa habens pro obiecto Dei cultum, & reuerentiam, Nec est imaginandum, quod sit relictum sub cõditione missarũ, nisi hoc expresse declaretur sed est donatũ, seu relictũ sub modo, vnde eius dominium statim in morte ad Ecclesiam transfertur licet sub onere missarum. Et nec imaginandum est, quod sit datum immediate pro vtilitate missarum, vel pro missa, vt est bonum vtile, & vt obiectũ amoris concupiscentiæ, quia oblatio ista cum sit actus virtutis respicit pro obiecto bonum honestum. Et sic respicit obiectum religionis, cuius est actus, & cuius obiectum est Dei cultus, & reuerentia. Vnde est etiam, quod huiusmodi stipendium non relinquitur, vt pretium missæ ad vtilitatem suam emendæ, sed relinquitur vt oblatio religiosa Deo facta, & primo vt Deus per sacrificium missæ cultum habeat, ex quo speratur po[...]a missæ vtilitas. Etenim sicut in alijs actibus virtutum, spes vtilis, quod terr virtus non est finis ex parte operis, sed est ratio ex parte operantis, q[uæ] dicitur impulsiua, & est ratio materialiter se habens, & se tenens ex parte operantis, tanquam dispositio ex parte eius, ad hoc vt eliciat amorem in

bonum

bonam honestum respiciéntem tanquàm finem: Sic enim, & concupiscentia fœlicitatis est conditio, & dispositio voluntaris, vt tendat in Deum per actum charitatis, quæ non est mercenaria, & Deum diligit propter se, & quia est summè diligibilis. Sic qui ex virtute relinquit stipendium pro missa pro fine simpliciter, & operi intrinseco, non habet missam vt est bonum sibi vtile, sed vtilis concupiscentia est ex parte sui ratio materialis, & dispositiua, & impulsiua, vt puro affectu tendat in missam vt missa est bonum honestum, nimirum vt est religiosum sacrificium in Dei reuerentiam celebratum, & sic dat stipendium in hunc finem, & tanquam quid necessarium ad missam, vt est honestum sacrificium, & ideo vt ordinatum in Dei cultum; vnde is, cui primo primitate intentionis datur stipendium est Deus ipse, qui tamen vult, vt huiusmodi relicta possideantur ab Ecclesia, & à ministris diuini cultus. Vnde est quod sicut alia in testamentis Deo relicta, & Ecclesiæ in persona Dei statim fiunt illius ab instanti mortis testatoris, ita, & illius fit stipendium pro missis legatum.

1019 Vnde est primo, quod non est hæredis, sed Episcopi quantitatem huius stipendij taxare, vt declaratum est in decreto de celebratione missarum supra *num. 863. ad quintum.* Et secúdo, quod hoc stipendium ex vi testamenti censetur relictum, vel secundum taxam legalem à proprio Episcopo factam, vel lege scripta, vel non scripta, & vsu confirmatam. Quia huiusmodi taxa est opus Episcopale, igitur relictum debet intelligi, vt factum secundum taxam ab Episcopo iam factam, aut faciendam. Et etiam, quia vltimæ voluntates intelligi debent vt factæ, per conformitatem ad leges, & ideo voluntas testatoris intelligi debet de stipendio, vt per leges taxato, aut taxando. Dicitur vero per taxam à proprio Episcopo factam, quia proprij Episcopi est curam habere vltimæ voluntatis suorum subditorum. Quamuis si missæ relictæ celebrandæ essent in aliena Diœcesi stádum esset stipendio ibi currenti, quia illud esset stipendium Episcopali auctoritate taxatum, tamen taxa hæc ab Episcopo testatoris esset facienda, cuius etiam esset compellere hæredem ad hoc, vt relictas missas celebrare faceret vbi essent celebrádæ. Tunc vero Episcopus stipendium illud taxare deberet secundum vsum diœcesis, in qua missæ essent celebrandæ.

1020 Sic ergo ad quæstioné dicitur, quod hæres tenetur in conscientia pro missis á testatore commendatis dare stipendium, vel iam á proprio Episcopo taxatum, vel taxandum, qui tamen deber illud taxare secundum morem, aut taxam loci, in quo missæ sunt celebrandæ. Et si det minus tenetur ad restitutionem, quia retinet quod est Ecclesiæ, & est in testatorem, & in Ecclesiam irreligiose iniustus. Et qui celebrauit missas, nedum potest implorare officium iudicis, pro toto stipédio obtinendo, vt vult. *Pasqual. num. 6.* sed habet omnem illam actionem, quam habet Ecclesia ad sibi relicta consequenda. Verum quia si testator non determinat expressè, vel tacitè locum in quo missæ sint celebrandæ, remanet in hæredis potestate, vt vbi voluerit eas celebrare faciat, quia ex vi voluntatis testatoris, nó est determinata Ecclesia in qua missæ celebrentur, nec posset Episcopus compellere hæredem, vt missas magis in vna, quam in altera Ecclesia faceret celebrare, quia hoc esset hæredis libertatem violare, quia testator electionem loci huius libertati hæredis reliquit, Ideo hæredi sufficit, quod det stipendium solitum in loco vbi missæ celebrantur. Quia hoc est stipendium legale, nec Episcopus ipse aliter taxare deberet hoc stipendium, nisi noua lege vniuersaliter, & ex iusta causa taxam faceret, sed salua taxa solita, & ea non mutata, non potest compellere hæredem, si est relictus liber à testatore, vt non liceat sibi facere celebrare missas vbicumq; & pro stipendio solito, & taxato in loco in quo missæ celebrantur. Dictum vero est si hæres est relictus liber: Nam ex quo testator in testamento non determinauit locum in quo missæ sint celebrandæ, vel quantitatem eleemosynæ assignandæ pro missis, non statim iudicandum est, quod reliquerit hæredem liberum, vt vbicumq; voluerit faciat celebrari missas, & pro quacumq; eleemosyna. *Cassinam vero in Cathechesi. Regul. tit. 12. n. 27.* existimasse, quod vicinitas Ecclesiæ conferat ad obtinendum legatum missarum incertum, quantum ad locum refert. *Pasqual. quæst. 1003.* Sed certe vicinitas de se non est motiuum, sufficiens ad excitandum beneuolentiam testatoris, vt inde colligamus, quod voluerit obligare hæredem suum ad faciédum celebrari missas in Ecclesia viciniori; nam imo sæpius vicinitas est causa auersionis, vel ob pulsationem campanarú; vel quia Rectores non inseruiunt Ecclesię, sicut vicini desiderant, aut quia in aliquo non satisfaciunt illis. Sic inter vicinos sæpissimæ sunt æmulationes. Quod vero in iure multoties habita fuerit ratio vicinatis Ecclesiæ, factum semper fuit ex particulari causa, & titulo, vnde non potest deduci, quod vicinitas de se sit coniectura ex qua colligi possit, quod mens testatoris fuerit, quod legatum pro missis á se factum non determinato loco comperat Ecclesiæ viciniori. *Pasqual. d. q. 1003.* Nihilominus tamen ex alijs coniecturis posset colligi, quod mens testatoris fuerit, quod legatum missarum pertineat potius ad hanc Ecclesiam, quam ad aliam. Et in hoc Episcopi arbitrium erit consulendum, & erit standum eius sententiæ. Quia tamen hæres ex iustitia tenetur implere mentem testatoris, & obligatio iustitiæ gratis non est hæredi imponenda. Nisi vel ex testamento, vel aliunde colligatur, quod mens testatoris fuerit, missas celebrari debere in tali, vel tali Ecclesia, non poterit hæres obligari ad hoc, vt missas á testatore relictas celebrare faciat in loco aliquo, seu Ecclesia determinata. Nam hoc esset lædere libertatem hæredis, & aliarum Ecclesiarum, quæ habent ius, vt à quocumque possint eleemosynas recipere pro missis, qui illas dare possit. Propterea quod si esset statutum ab ordinario, vt missæ celebrandæ solis certis Ecclesijs commendarentur, illud esset iniustum, & nullum dixerunt *Fagund. præter. t. Eccl. lib. 3. cap. 7. num. 9. & 10. Sotus l. 7. q. 6. a. 2. Vasquez. Garzia. & Alphons. de Leon.* quos sequitur *Pasqual. q. 93. vbi n. 4.* quod non potest Episcopus statuere, vt aliquibus maiora, alijs minora stipendia dentur pro missis. Quamuis ex iusta causa, vt puta si esset dubium, an missæ alicuius Ecclesiæ sibi subiectæ

ſubiectæ eſſent obligatæ, poſſet illi inhibere, ne reciperet ſtipendia pro miſſis celebrandis. Itaque igitur vbi hæres ſit liber; vt poſſit eligere Eccleſiam, in qua faciat celebrari miſſas a teſtatore relictas, non poteſt cogi, vt eas celebrare faciat in aliqua Eccleſia determinata. Et ſimiliter ſi teſtator nullo modo determinauit quantitatem eleemoſynæ dandæ pro ſingula miſſa, Epiſcopi eſt hanc quantitatem determinare, vbi miſſarum eleemoſyna non ſit taxata, vt ſupra probatum eſt, & conſtat ex decreto de celebrat. miſſarum ad quintum, ſed vbi ſtipendium conſuetudine ſit taxatum, ſed habeat latitudinem ſupremi, medij, & infimi, quia ex vna parte maior vtilitas teſtatoris poſtulat, vt detur ſupremum, ſed ex alia nõ per hoc concludi poteſt, quod teſtator voluerit grauare hæredem ſuum ad hoc ſummum, res eſt dubia, & arbitrio Epiſcopi decidenda; niſi verò aliud ex coniectura ſit decernendum, æquum erit, vt hæres obligetur ad medium ſtipendium, vt hoc modo, minus ille grauetur, & minus teſtatori retrahatur de fructu miſſæ, & ſic equitas ſeruetur.

1021. Nec obſtat, quod de maiori vtilitate adducitur, quia ſi id valeret, ſequeretur, quod hæres teneretur facere celebrare miſſas omnes per ſacerdotes ſanctiores, quia eorum miſſa eſt ex opere operantis vtilior; vel quod teneretur facere celebrare miſſas ad altare priuilegiatum, vbi miſſa habet adiunctam indulgentiam, vnde eſt vtilior. Non eſt ergo verum abſolutè, & vniuerſaliter, quod hæres ſit obligatus ad maiorem vtilitatem teſtatoris, ſed ad eam eſt obligatus, ad quã teſtator illum voluit obligare, & ad eam voluit obligare, quam expreſſit. Vbi verò ſolum mandauit miſſas, nullo determinato loco, nec expreſsè, nec tacitè, & pariter nulla determinata quantitas ſtipendij, non obligauit hæredem, niſi ad ſtipendium taxandum ab Epiſcopo, ſi non eſt taxatum, & ideo ad ſtipendium ſolitum ſecundum morem loci, in quo miſſa celebratur.

1022. Quod verò inferebatur, quia ſacerdos poſſet minuere numerum miſſarum iuxta quantitatem ſtipendij maioris ſoliti in patria teſtatoris, non benè infertur, tùm quia ex vi Decreti de celebratione miſſarum tot miſſas tenetur ſacerdos celebrare, quos promiſit etiam ſi ſtipendium ſit minimum. Tum quia nec ex natura rei id poteſt fieri iuſte, quia hæres, qui eſt Dominus in hac ſuæ libertatis ſatiſfacit teſtatori, ſi pro ſtipendio ſolito facit celebrare miſſas. Nec licitũ eſt ſacerdoti ex propria opinione velle fraudulenter recedere a promiſſis in damnum teſtatoris, & hæredis; & quatenus haberet aliquod ius contra hæredem, non poteſt in præiudicium teſtatoris ex propria opinione recedere a propria promiſſione, & velle vti hac occulta compenſatione reducendo maiorem numerum miſſarum ad minorem. Ideo vbi etiam ſit certum, quod hæres iniuſtè agit dando ſtipendium minorem iuſto, & ſacerdos promittens pro minori ſtipendio decem miſſas, etiamſi non liberè promittat, tamen non poteſt vti occulta compenſatione contra hæredem diminuendo numerum miſſarum, & hoc nedum, quia hoc ſit prohibitum ex Decreto S. Congr. ſed quia eſt contra legem naturalem, vt fiat occulta compenſatio in præiudicium tertij innocentis violando promiſſum factum alteri licet nocenti.

1023. Alia etiam hic occurrit difficultas obiter explicanda, an ſcilicet ſacerdos celebrans per alium poſſit ſibi retinere totum ſtipendium, quod a ſibi committente miſſam recepit, vtendo commutatione, & permutando miſſam cum miſſa. Pluribus enim ex cauſis poteſt contingere, vt vnus ſacerdos ad celebrandum obligatus committat hoc alteri ſacerdoti, illi promittens ſe alia vice pro illo celebraturum. Sic igitur poteſt eſſe, quod qui accepit manuale ſtipendium pro miſſis celebrandis committat alteri, vel pluribus ſacerdotibus, vt pro eo ſatiſfaciant, cum promiſſione, quod ipſe totidem vicibus ad eorum inſtantiam celebrabit. Quod enim hoc poſſit fieri etiam ſub pacto tenet *Paſqualig. de ſacrif. noua leg. q. 919.* confirmans ſententiam ſuam auct. *D. Th. 4. d. 25. q. 3. a. 3. ad 7.* & plurium aliorum DD. & hoc probat, quia pactum tantum firmat, non verò immutat contractum, ſeu quaſi contractum, ſed relinquit illum in ſui natura; ſi ergo licet permutare miſſas ſine pacto, licebit etiam cum pacto. Sed certè ratio iſta deficit, & falſam conſequentiam continet, quia pactum ſi non immutat contractum, facit eſſe contractum, qui non eſſet, nam imo idem prorſus ſunt pactum mutuum, & ex vtraque parte onerosum, & contractus propriè dictus; imò rei ſpirituali magis repugnat dari ex contractu, quam ex pacto, quia poteſt dari pactum non inducens mutuam obligationem iuſtitiæ, & ſic non repugnat dari rem temporalem ex pacto, quod tamen non inferat in alio obligationem pro temporali dandi ſpirituale ex iuſtitia, vt in promiſſione merè liberali conditionata. ſic ergo conuentio de aliquo agendo, ſi non eſt ex pacto, nec eſt contractus, & ſi nec eſt pactum, nec contractus, non continet obligationem ex iuſtitia. Et hoc eſt, quod hic eſt conſiderandum. Nam rei ſpirituali, quæ petit dari gratis, & donari iuxta illud Chriſti *gratis accepiſtis, gratis date*, non competit emi, vel vendi, vel permutari, ſeu quomodocunque dari ex iuſtitia. Et hæc eſt ratio eorum, qui dicunt quod permutare ſpirituale cum ſpirituali ex pacto mutuo, ſeu ex contractu eſt ſimonia; quia cedit in iniuriam gratiæ Spiritus Sancti, quod detur ex iuſtitia, & tanquam res venalis nundinetur. Ideo quidquid tenuerint aliqui volentes quod permutare ſpirituale ex pacto non ſit ſimonia; oppoſitum dicitur, quia pactum non eſt, ſi propriè loquamur ſine obligatione iuſtitiæ, quia hæc eſt eſſentialiter conſequens ad pactum, & in permutatione, quæ eſt contractus, hæc obligatio eſt mutua, res vero ſpiritualis, quæ in propoſito eſt gratia, & donum Spiritus Sancti gratis dandum excludit à ſe dari ex obligatione iuſtitiæ, quia non datur dono, quod datur vt debitum ex iuſtitia. Nec *D. Th. loco citato* ſentit oppoſitum, vbi loquitur de permutatione beneficiorum, & ſolum vult, quod huiuſmodi permutationes beneficiorũ factæ ex cauſa ſpirituali iuſta non ſint ſimonia. Sed non loquitur de permutatione, quæ ſit ex contractu. Sic enim, & ſacerdotes poſſunt miſſas permutare, non tamen ex contractu, ſeu pacto, vt bene tradiderunt

Syl-

Sylvest. v. Simonia 9.16. §. quartum in fin. Tab. n. 46. Rosel. v. Simonia p. v. 8. Lopez p. p. cap. 599. Adrian. quod l. 9. ad 4. Richar. 4. d. 55. a. 3. q. c. ad p. & aly quamplures. Et huiusmodi permutationea missarum, quæ fiunt deberi intelligi, vt factæ sina pacto obligationem iustitiæ inducente.

1024 Altera difficultas est de legatario, an possit sibi retinere partem stipendij, quando est pingue, dando sacerdoti consuetum stipendium. Affirmat absolute *Tambur. l. 3. cap. 1. §. 5. n. 10.* sed *Pasqualig. q. 971.* distinguit; vel enim legatarius est vere, & proprie legatarius, vel est potius executor. Si est legatarius, quia legatum fit in commodum Legatarij, & ideo habet rationem donationis cuiusdam liberalis quæ legatur pro missis non habet rationem puri stipendij missarũ, sed habet partim rationem donati in vtilitatem legatarij; partim rationem relicti sub onere celebrandarum missarum; ideo legatarius non est purus executor, nec totum relictum debet expẽdere pro missis, vnde est, quod sufficit eum pro missis dare stipendium competens, & reliquum sibi potest retinere. Sed si legatarius sit merus executor totum omnino debet tradere sacerdotibus celebraturis nihil sibi retinendo. Nam apud nudũ executorem nihil remanere debet *l. si quis. Titio, & l. Lucius §. si te peta ff. de legat. 2. Bartol. in l. pecunia n. 1. ff. de adimen. leg. Simon. de Prat. de interpret. vlt. vel l. 5. dub. 2. n. 57. Ludouis. dec. 544. n. 2. Rota in Roman. cons. 13. Maij 1617. coram Coccin.* Et non est inspiciendum solum, si testator dicat lego, quia adhuc potest esse, quod legauerit nudam executionem. Et ideò videndum, si relictum fit contemplatione personæ, tunc enim censendum est legatum propriè, vt *desum. ex l. si dei com §. saterdum ff. de leg. 3 & tradant Glass. in l. si quis. v. ministrum ff. de leg. 2. Rota in Ferrar. bonar. v. Maij 1610. coram Coccino, & in Romana Cens. 13. Maij 1617. coram eodem.* Sed quando quod relinquitur ordinatur ad præstationem onerum, prælertim si dispositio de oneribus præcedat dispositionem de executione, tunc legatum non erit proprie legatum, sed constitutio executoris. Et sic si v.g. testator relinquat alicui ducentos iulios pro centum missis; si hoc factum est in commodum eius, cui relicti sunt ducenti iulij sufficiet si dat sacerdotibus centũ iulios, sed si sit relictus merus executor, nihil sibi poterit retinere. Addit verò *Pasqual, n. 7.* quod si testator personæ, quæ non potest per se ipsam celebrare, relinquat certam pecuniam pro missis, vt puta ducentos iulios, quod hæc sic designatio stipendij, & talis sit censendus executor; sed si illos relinquat sacerdoti, vel Ecclesiæ censendum sit esse legatum, eo quod in gratiam illius voluerit stipendium augere: Verum ex supra dictis aliter solui debet quæstio ista. Vel enim onus missarũ impositum legatario est perpetuum, & sic bonum legatum totũ fundus fructifer. Et hoc modo nunquam legatarius est merus executor. Legatum enim fit in cõmodũ legatarij cui relinquitur fundus, super quo fundatur onus missarum, & in eius commodum relinquitur, vt onus celebrandarum missarum possit sustinere, siue missæ per se ipsum, siue per alium sint celebrandæ. Et talis legatarius vt bene habet *Tambur.* & supra dictum est, si nõ celebret per se ipsum, sufficit, quod det sacerdoti celebranti stipendium solitum. Et dato quod aliquis esset relictus executor, vt curaret missas celebrari, non per hoc posset cogere legatarium ad dandum celebranti, nisi solitum stipendium, purus vero executor non est legatarius; sed legatarius est, cui relinquitur bonum legatum sub onere missarum, & vbi onus est perpetuum sufficit quod obligatus ad missas det celebranti solitum stipendium. Imo hoc idem dicitur si onus missarum sit temporale, sed successiuum, quando bonum legatum est fundus ex cuius fructibus danda sint stipendia pro missis. Tunc enim fundus ille relinquitur ad commodum legatarij, nec est relictus vt stipendium missæ, sed vt fundus ex cuius fructibus stipendia deducantur, vnde sufficit, quod legatarius sacerdoti celebranti det solitum stipendium; quia pingue bonum, quod sibi relinquitur non est stipendium missarum, sed bonum per legatarium administrandum, seu possidendum licet sub onere missarum celebrandarum. Vel id quod relinquitur per legatũ non est fundus fructifer, nec relinquitur per modum fundi, & implicandum in fundo aliquo fructifero, sed reliquitur vt quid immediate erogandum in celebratione missarum, vt si dicatur lego Titio ducentos iulios, vt celebret centum missas, vel eas celebrare faciat, & in hoc casu, quod relinquitur, vt purum missarum stipendium relinquitur. Et nisi id aliundè constet id quod relinquitur, vt mero executori relinquitur, quia non relinquitur nisi vt stipendium pro executione celebrationis missæ, & nisi cõstet aliunde, quod testator voluerit donare excessum ei cui executio ista est commissa; totum est dandum sacerdoti celebranti vt supra dictum fuit de pingui stipẽdio dato sacerdoti amicissimo. Quod enim sic est legatum, est manuale stipendium dandum celebranti ex decreto S. Congreg. Et licet si hoc pingue legatum sit factum sacerdoti, censendum sit factum in commodum illius, non tamen (nisi aliundè constet) censendum est absolute donatum nec in totum, nec in partem, quia totum est datum, vt stipendium sub onere missarum, licet, vt pingue stipendium. Hæc ergo attendenda distinctio, vel enim donatum per testatorem est fũdus fructifer, seu est res non consumenda in celebratione missarum, sed ab eo retinenda, & possidenda, sicut si donatum esset res mobilis preciosa relicta legatario, vt ab eo habenda, & possidenda; tunc relictum nec est missarum stipendiũ, nec est relictum vt tale, sed est fundamentum vnde colligi debeat missarum illarum stipendiũ, sub quarum onere illud fuit legatum. Et tunc illud non est dandum sacerdoti, quia est relictum, vt possidendum à donatario, & quia non est stipendium missarum. Et hoc contingit semper in legatis missarum perpetuis, cum onus perpetuũ missarum ex decreto S. Congregationis habeat pro fundamento fundum a legatario subeunte onus possidendum. Vel bonum legatum est pecunia, vel quodcumq; aliud erogandum pro celebratione missarum, & sic hoc legatum est stipendium missarum, & quidem manuale, & totum celebranti erogandum, nisi aliunde constet quod testator pinguedinem legati absolute voluerit do-

nare ei cui ab ipso fuit nominatim relictum.

1025 Putat etiam *Tambur.l.3.cap.* 1. §.n. 16. *ver. eodidem*, quod sicut seruus si industria sua inueniat vnde minoris emat, quam valeat communiter in foro id, quod ex commissione domini emit, possit sibi retinere quod superest, tanquam fructum industriæ, ita & is, cui data est cura missarum celebrandarum, si alicubi pro minori stipendio missæ celebrentur, possit eas ibi facere celebrare retento sibi quod superest. Sed merito hoc reijcitur à *Pasqual.* quia relictum in certa pecunia pro missis est oblatio religiosa, & iá ex designatione testatoris de Christi patrimonio, & debitá Ecclesiæ in persona sacerdotis celebrantis, vnde totum Deo reddi debet. Non est ergo eadem ratio de seruo (quidquid sit de eo quod in exemplo asseritur) Nam quod dominus dat seruo pro aliquo emendo, non est venditoris, nec est alicui traditum, & deputatum; sed stipendium missæ est oblatio Deo iam cõsecrata, & tota illi reddenda.

SVMMARIVM.

1 *Onera missarum tam manualium, quam non manualium diuersimodè reducibile.* num. 1026.
2 *Manuales missæ non reducibiles nisi a Summo Pontifice.* num. 1028.

INSPECTIONIS SESTÆ.

CAP. NONVM.

De reductione numeri missarum ad minorem numerum.

1026. CVM ex decreto de celebrat. missarum sacerdotes teneantur tot missas celebrare, quot sibi præscribuntur à commendantibus missas, nihilominus ex eius decreti verbis colligitur, quod hoc diuersimodè valdè intelligitur, & vsu venit in missis manualibus, & annualibus, seu perpetuis. Nam in perpetuis permittitur eas reduci, quod quomodo fieri possit legitimè diligentius est inspiciendum ponderando, quæ in eo decreto supra n. 864. continentur §. *Ac primo*, & in respons. ad primum dubium. Circa quæ hoc considerandum, quod hic duplex reductio considerari debet, alia scilicet de iure, & alia de facto. Reductio de iure est actus iurisdictionis superioris, & eius, quod esset minus æquum reductio ad statum æquitatis auctoritatiuè facta diminuendo obligationem, & onus celebrandi, & illud reducendo ad æquitatis statum, etiam commutando voluntatem defunctorum, vel certè auctoritatiuè eandem voluntatem declarando, & simul declarando onus cessasse pro ea parte, in qua non continet æquitatem. Et de de hac reductione nunc est sermo. Nam de reductione, quæ fiat de facto, ex eo quod sacerdos missas promissas eas non celebret dictum est cap. 7. huius 6. inspectionis.

1027. Itaque quantum ad manuales eleemosynas, hoc habendum est pro certo, quod numerus missarum manualium, non admittit reductionem faciendam ab inferiori Summo Pontifice, cum Sacerdos, qui illas liberè admisit ex præscripto S.Congreg. tot missas teneatur celebrare, quot ad præscriptum dantis eleemosynam promisit celebrare. Aduertit veró *Lez. v. missa n.* 34. quod si is, qui commendauit missas post eorum celebrationem nolit dare promissa stipendia, vnde Monasterium, seu Ecclesia cogatur facere expensas pro eorum recuperatione, si contingat eundem dato stipendio alias missas postulare, poterit Monasterium, seu Ecclesia vti compensatione seruatis compensationis legibus & numerum nouarum missarum minuere, & sibi expensas factas pro prioribus stipendijs recuperandis retinere. Quamuis veró propriè loquendo non valeat ratio illa adducta, quia scilicet stipendium missarum debeatur ex iustitia. Nihilominus quia verè ex religionis iustitia debetur, & ideó propriè iniustitia fuit cogere Monasterium ad illas expensas, ideó seruatis seruandis locum habere poterit compensatio. Verum an sit licita cõpensatio per diminutionem numeri missarum aliud est, & vbi missæ dicendæ sunt pro alio ab eo, qui missas commendauit, & præcipuè si ille eas commendet ex debito, vt quia sit hæres, vel legatarius, iam compensatio occulta per diminutionem numeri missarum cedet in præiudicium tertij innocentis, vnde non licebit violare promissionem factam de missa ad fauorem tertij innocentis celebrandis in eius præiudicium, vt supra etiam dictum fuit. *Tambur.l.3.c.1.§.3.n.103.* qui tamen id admittit vbi damnum totum missarum diminutarum, sit solius debitoris. Sed ego puto, quod hæc compensatio nullo modo liceat, quia non fit de eo, quod sit debitoris, sed de eo, quod est Dei, & Ecclesiæ. Stipendium enim datum pro missis, Dei est, & Ecclesiæ, & in Dei cultum est datum, nec est amplius dantis, & velle illud retinere ratione compensationis minuendo missas est diuinũ cultum minuere, & quod Ecclesiæ est retinere, non veró debitum compensare.

SVMMARIVM.

1 *Onere manualium missarum iam suscepta reducibilia per Summum Pontificem.* n. 1028. 1029.
2 *Stipendia manualia non sunt amplius bona laicalia, sed de Christi patrimonio.* num. 1029. & 1030.

1028. QVæritur autem primo an Põtifex ipse possit compensare numerum missarum respondentem oblationibus manualibus iam factis, seu donationibus quibusque eorum, qui adhuc viuunt, ita quod v.g. si Ecclesia sit onerata obligatione decem, vel duodecim millium missarum, & consumpta sint stipendia pro illis recepta, & adhuc viuant, qui stipendia dederunt, nihilominus Sum. Pontifex posset numerum hunc missarum ad multo minorem reducere. Quod enim aliqui hanc reductionem fieri posse, non consentientibus, qui stipendia dederunt, dixerint non esse ita clarum, tacito nomine *Reuerendiss. Fagnanus ad cap. significatum num. 17. de præbend.* & hoc tenuit *Granado* contron.

trou. 6. de Eucar.disp.11. num. 8. Et eorum ratio erat, quia laici, qui non sunt de temporali iurisdictione Ecclesiæ non tenentur obedire potestati Ecclesiasticæ in non concernentibus animam, *cap. Nouit. de Iudic. Innoc. in cap. Inquisitionis de sent. excomm. p. 1. col. 2. Felin. cap. Accepimus num. 2. de fid.instrum.* Item *cap. Per Venerab. &* ibi *Glos. in verb.* habeat potestatem, qui filij sint legitimi, *Victoria. in relect. de potest spirituali super temporalem*, vbi quod non sit peccatum in laico, si nolit dare bona sua Ecclesiæ nisi sub conditionibus sibi benè visis. Videtur igitur non adesse fundamentum per quod dicatur Papam posse inuitis laicis disponere de stipendijs, quæ illi dederunt pro missis dicendis, si missarum celebratio non sit impleta; sed quod huiusmodi stipendia sint ijs restituenda, qui illa dederunt. *Pasqualig. q. 1178. fatetur* manuales missas esse reducibiles, sed ait, quod earum reductio non debet esse facilis, ne spes illius sit occasio accipiendi onera vltra vires.

1029. Dicendum tamen est, cum eodem *Reuerendiss. Fagnano n.32.* quod Pôtifex de huiusmodi oblationibus etiam viuentibus eis, qui eas obtulerunt potest disponere, & numerũ missarum illis respondentem minorem sibi benè visum reducere. Fundamentum manifestum desumitur ex distinctione donationis sub conditione, & sub causa, modo, vel onere, quam ex doctrina communi tradit *Sylnes. v. donatio n. 2.* Nam in donatione sub conditione non transfertur dominium nisi conditione impleta, quod tamen statim a traditione rei transfertur in donatione sub modo, licet donatarius maneat obligatus ad ponendum modum, & ad satisfaciendum oneri sibi imposito. Hæc verò est Ecclesiæ prærogatiua, quod datum illi sub modo, non potest modo non impleto a donante repeti, sed manet Ecclesiæ irreuocabiliter, *cap. Verum, de condit. apponen.* Stipendia igitur, quę dantur pro missis, nec sunt pretia, quæ dantur sub conditione reciprocæ obligationis ex iustitia, nec regulariter sunt donata sub conditione, sed sunt donata sub modo, vt supra etiam nu.900. & sequent. probatum fuit. Ideò donata, & acceptata ab Ecclesia sunt de Christi patrimonio, & desinunt esse bona laicalia, vnde sunt sub dispositione summi Pontificis, qui propterea tamquam supremus dispensator patrimonij Christi, & director diuini cultus, potest sine præiudicio fructus spiritualis offerentium, & illis de thesauro Ecclesiæ prouidere, vt nil minus recipiant fructus quã si omnes illæ missæ celebratæ fuissent, & de datis, & acceptis stipendijs tamquam de rebus suę administrationi commissis disponere. Et ideò assertio ista maximè fundatur *in cap. quod translationem, de off.deleg. & in d.cap. significatũ de praben.* & *Clement.* quia contingit, *de Relig.domib.* Et ideo quod vbi pacta respiciunt religionem, quod possint immutari per Papam etiã si sint iusta ex *Monac. Hostien. & Butr.* confirmat idem *Fagnanus n.26.* quia pactũ inferioris non potest præiudicare iuri superioris *c. Cum accessissent de Constit.* & in huiusmodi pactis sicut, & in iuramentis semper intelligitur excepta auctoritas Summi Pontif. *cap. venientes*, & ibi *Glos. in verb. superioris, de iure iurand. Glos. in cap. Constitutus, in verb. iuramento*, & ibi *Felin. num.9. de rescript.*

SVMARIVM.

1 *Onera non recepta possunt reduci per Papam: num. 1030. 1031.*
2 *In acceptatione onerum missarum nec proprie interuenit pactum, & si interueniret subderetur auctoritati Papæ. num. 1033.*
3 *Idem dicendum de legatis. num. 1033.*

1030. QVæritur secundo, an Pontifex possit etiam futura; onera reducere, ordinando v.g. vt pro sex, vel septem stipendijs satisfieri possit vna missa adiectis aliquibus collectis? Cum verò ex priuilegijs supra n.972. recensitis manifestum sit Iulium II. Leonem X. quibus *Tambur.l.3,cap.1.§.4. n.7. ex Portell.* addit Martinum V. concesserint Minoribus, & Hieronymianis facultatem satisfaciendi pluribus stipendijs paruis vnica missa aliquibus adiectis conditionibus, & formalis, nihilominus *Reuerendiss. Fagnanus ad cap. significatũ. num.29. de Præbend.* asserit se non videre, qua ratione id fieri possit, absque eo, quod Christi fideles fraudentur, seu rebus suis spolientur cum mendacio, ac violatione fidei, & obligationis naturalis. Probatur primo quia statim ac Ecclesia accipit stipendium pro missa facto ipso promittit se onera missarum adimplere, & sic oritur obligatio naturalis *l. 1. ff. de pact.* quæ super omnia seruanda est vt ibi, & *l. Iuris gentium §. ait Prætor. eod. tit. cap. puella 20. q. 1. cap. Innocenter 22. q. 4. secundo.* Nam omne pactum quantumcumque simplex potest appellari fides *cap. 1. de sponsa. duorum.* Et quamuis nuda pactio obligationem non pariat, parit tamen exceptionem, quia recedens a pacto peccat mortaliter, vt dicit *Glos. 1. in d. cap. 1. de pact.* Nam inter pactum nudum, & vestitum nec Deus, nec bona conscientia distinguit, vt ibi ait *Bald.n.5.* Subdens omne pactum æquum appellari vestitum vestimẽto canonis. Tertio quia si Ecclesia accipit oblata hac intentione, vt onera adimpleat, vtique nec rem sub onere oblatam videtur facere suam ad exemplum Beneficiatorum, qui diuinum officium non celebrant, secundum opinionem *Calder. in cap. 1. de celebrat. missarum*, quomodo ergo potest eam retinere? *cap. si res aliena 14. q. 6.* Quarto, quia quod datur ob causam, ea non sequuta potest repeti *l. 1. ff. de condit. caus.* quod nititur naturali iuri, & ideo humanis legibus non videtur subesse. *Clem. Pastoralis de re iudicat.*

1031. Verum si volumus stare ijs, quæ Illustrissimus, & verè doctissimus Prælatus docuit *ibidem numero 22. & sequent.* oppositum dicendum est, & asserendum, quod in Pontifice est summa potestas disponendi de futuris missarum stipendijs, & oneribus, sub quibus dantur, tanquam Summus sacrorum Antistes, & maximus patrimonij Christi administrator. Stipendiũ enim missæ, & eius oblatio si est ex virtute, est essentialiter actus religionis, & pia oblatio, quæ licet materialiter cedat in beneficium Ecclesiæ, formaliter tamen Deo datur, in cuius cultũ donatur, ideò benè *Doctissimus Vir num. 23.* dixit, quod huiusmodi stipendia non sunt laicalia, sed de pa-

de patrimonio Christi, & in Ecclesiæ dominium transeuat, & quidem prorsus irreuocabiliter, quia donata Ecclesiæ sub modo non possunt repeti, vt expressè decernitur in *cap. Verum de cond. app.* Cum verò Papa, vt supremus Ecclesiæ Administrator tam quantum ad spiritualia, quam quantum ad temporalia, etiam de infuturum acquirendis Ecclesiæ possit Religione dirigente disponere, est enim Religiosus Administrator totius Ecclesiæ ideò de acquirendis futuris stipendijs, & futuris oneribus Religiosis subeundis, potest prout sibi in Dei cultum magis videtur disponere.

1032. Ad opposita verò simul dicitur, quod etiam si Ecclesia se obligaret ex pacto verò, & contraheret iustitiæ obligationem ad subeunda onera missarum; quia nihilominus vt ipse solidissimè docet *num. 27. & 28.* pacta inferiorum auctoritati Superioris non præiudicant, & quod in quibuslibet pactis semper intelligitur excepta auctoritas Papæ, quod certè in rebus religiosis respectu totius mundi procedit certissimè, cum ille sit Summus sacrorum Antistes. Igitur, & qui dat stipendium pro oneribus missarum, & qui illud accipiunt sub modo intrinsecè tacitè concedunt illud, & recipiunt, vt scilicet ab eo instanti, in quo recipitur transeat in dominium Ecclesiæ sub summi Pontificis dispositione; & ita nulla violatur naturalis obligatio, & fideles in nihilo defraudantur, & nulla fides frangitur, sed res prout ex naturali sua conditione petit, disponitur. Et hæc eo magis procedunt, quod oritur quidem in accipiente stipendium obligatio naturalis, sed non iustitiæ, neque ex aliquo pacto, vel nudo, vel vestito, quod sit propriè pactum, conuentiones enim iusta subiectam materiam obligant, repugnat verò sanctitati missæ dari ex obligatione iustitiæ pro stipendio, quia sic daretur, vt æqualis compensatio stipendij, quia iustitia æqualitatem accepti, & dati importat; hoc verò esset prorsus simoniacum, & sacrilegum, Ideò conuentio inter dantem stipendium, & promittentem missam nec est contractus, nec pactum aliquod proprium, & ex ea conuentione in sacerdote oritur naturalis obligatio etiam sub mortali, sed hæc est virtutis fidelitatis, & Religionis, seu sacri ministerij, & officij Religiosi; ideo hæc obligatio per se ab intrinseco habet, vt sit subordinata Summo sacrorum Pontifici, & ideò intrinsecè claudit conditionem illam, vt tota huiusmodi religiosa conuentio sit sub dispositione Summi Pontificis. Quod verò dicebatur de donatis sub modo, quod possint repeti est manifestum ex *d. cap. Verum*, hoc non verificatur in donatis Ecclesiæ, nisi illa expressè sint donata, sub conditione, vt repeti possint. Et textus legis ciuilis extranei sunt a nostro instituto, cum iurium obiectum sit iustitia, & eorum iurium non sit tractare de Religione, & Dei cultu, sed de illis, quæ ex iustitia debentur; nec facultatis Principum secularium, est limitare iurisdictionem spiritualem Pontificis.

1033. Cum verò assertio etiam praxi Romanorum Pontificũ fuerit confirmata, ab ea non est recedendum. Et quod adducitur ex *Casarab.* qui censuit priuilegium Leonis X. pro Minoribus tanquam subreptitium esse nullius valoris, meritò reijcitur à *Rodriq. & alijs*, vt *supra num. 972.* dictum fuit, & constat ex lectura illius apud *Rodriq. & Tambur.* non esse subreptitium. Sed præterea de priuilegijs Iulij II. & Leonis X. pro Minimis non est dubitãdum: supra enim eodẽ num. fuit ostensum qua causa huiusmodi priuilegia fuerint iusta. Et si priuilegia illa non fuissent concessa, Sacra Congregatio ea non reuocasset; Sed ipsa supponit priuilegia extitisse, & ea reuocat. Quæ verò de stipendijs, vt supra donatis dicta sunt, vera etiam sunt de legatis, vt Pontifex illa siue præterita, siue futura ex iustis causis possit reducere.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo reductio missarum facta per Pontificem fiat sine præiudicio eorum, qui missarum stipendia dederunt.* num. 1034. & 1035.
2 *Ostenditur quomodo minor numerus missarum accedente auctoritate Papæ etiam ex opere operato æquivaleat maiori.* num. 1036.

1034. QVæritur tertio qualiter hæc reductio missarum, per vlum collectarum, prout concessum fuit per præfatos Pontifices fiat sine præiudicio fructus spiritualis missæ. Vt hoc explicet *Pasqual. q. 1150.* supponit dari in Ecclesia thesaurum, in quo sunt recondita merita, & satisfactiones Christi. *Caiet. tom. 1. tr. 15. cap. 1. & 2. de Indulgen. Palud. 4. d. 20. qu. 4. Sotus 4. d. 21. qu. 1. num. 2.* & alij communiter. supponit secundo quod sacrificium nõ causat fructus suos, nisi in quantum applicat virtutem passionem Christi *Conc. Triden. sess. 22. cap. 1. de sacrif. missæ.* Dicit ergo, quod cum Summus Pontifex sit dispensator thesauri Ecclesiæ mediante applicatione passionis Christi supplet effectum pluriũ missarum. Et hoc explicat, quia cum fructus missæ de facto semper sit finitus, potest adæquari per applicationem summi Pontificis. Et ex hoc colligit, quod mediantibus huiusmodi collectis eleuatur sacrificium missæ, vt æquiualeat tot missis, quot sunt collectæ. Nam singulis per suam facultatem dispensatiuam annectit Pontifex tantum fructum, quantus est effectus sacrificij, quod offertur, & ideò multiplicatur ad multitudinem collectarum, vt hoc pacto eadem missa æquiualeat pluribus. Sunt autem necessariæ huiusmodi collectæ, vt fructus applicatus a Pontifice de thesauro Ecclesiæ coniungatur cum fructu sacrificij, & offeratur Deo simul cum ipso.

1035. Sed bene apparet quod si fructus medius sit vnus tantum indiuisibilis nisi per partes, vt tenet *Pasqual.* & alij ex modernis, vt visum est supra *c. 4. n. 813.* hoc supplementum non fit nisi per opus operantis, & per supplementum extrinsecũ, & accidentarium. Quia quæcunque collectæ addantur, nunquam crescit fructus medius ex Christi institutione finitus, & non multiplicabilis nisi per partes. Et ita nunquam missa secundum opus operatũ supplet pro omnibus, sed vel illi plures ex parte participãt fructum medium, vel vnus solus illum habet, reliquis vero supplet missa ex indulgentia à Põtifice missæ applicata, vel etiam quia ex opere operantis, missa sit melior, & vberiorẽ

fructum

fructum canser. Item ad hoc nec sunt necessariæ collectæ adiḟctæ, nec ex earum adinoctione missa substantialiter fit melior, vel fructuosior. Nam in priuilegio Benedictinorum Vallisolleti nulla erat adiectio collectarum, nec illarum fructus ve missæ vnitus, cū pendeat ex virtute operantis, potest esse æqualis fructui operis operati, quod ex Christi taxatione dicitur procedere. Vnde sacerdos celebrans in peccato mortali nullum fructum causabat ex collectis, nisi in quantum nomine Ecclesiæ dicebantur, & cum Ecclesiæ deuotiò sit finita, & non communicabilis pluribus, nisi per partes, ita quod ex consortio aliorum minuatur fructus in singulis, nullo modo ex his collectis colligi poterat æqualitas fructus nisi per extrinsecam applicationem Papæ & per modum indulgentiæ.

1036 Sed supposito quod missæ fructus sit infinitus, & quod eiusdem missæ tot sunt fructus medij integri, quot sunt offerentes, vel illi pro quibus sacrificium primo, & principaliter offertur, benè saluatur, quod eadem missa etiam ex opere operato pluribus æqualiter valeat, aduertendo quod fructus missæ ex opere operato respondeat deuotioni offerentium, & tot sunt fructus, quot sunt offerentes, quorum quilibet sine aliorum præiudicio suum fructum consequitur pro quantitate suæ deuotionis; modo suppositis priuilegijs pro vnoquoq; qui sit offerens pro vno, pro quo primo offertur missa sunt duo offerentes, ipse scilicet, qui missā commendauit, & summus Pontifex, qui auctoritate sua intrat, & pro eodem specialiter offert, Et quia non ex priuata deuotione, & intentione offert, sed vt Christi Vicarius, & in persona Christi, huic oblationi tantus fructus ex opere operato respondet, vt sine dubio æquiualeat pluribus fructibus plurium missarum, qui respondissent priuatæ deuotioni offerentium, & sic illi æqualem fructum ex vna missa participant ac si plures pro illis fuissent celebratæ. Quod explicatur; nam qui missas plures commendaut, vel sunt diuersi, vel est vnus. Si sunt diuersi nō multò maiorem fructum recipiunt ex pluribus, quam ex vna, quia quilibet ex vna recipit integrum fructum medium suæ deuotioni respondentem. In hoc vero minus recipiunt, quia solum de vno fructu generali participant, si dicitur vna missa, & de duobus participant, si dicuntur duæ missæ; & pariter tunc participant de vno solo opere operantis, nimirum de vnius missæ orationibus, sed vbi duæ missæ celebrantur, participatur fructus duorum operum operantium. Verum si adiūgitur summus Pontifex tanquam offerens, ex hoc tantum fructus percipitur ex eò quod ille etiam sit speciale offerens pro illis, qui missas cōmendarunt quod non est dubium, quod adæquat fructum illum generalem, quem illi duplicatum ex duabus missis accepissent. Quantum vero ad opus operantis potest hic fructus adæquari per adiectionem collectarum, & per participationem bonorum aliorum sacerdotis, vel religionis, & similem applicationem, vnde fiat æqualis fructus eorum, qui plures missas commendauerant. Maior difficultas videtur adesse vbi vnus solus sit, qui plures missas commendauit, quia tunc missas plures commendauti respondent plures fructus, tot scilicet, quot missæ celebrantur; vnius vero missæ vnum solum fructum recipit. Nihilominus dicere debemus, quod tantus fructus ex opere operato respondeat oblationi illi speciali per quam Pontifex specialiter offert pro illo, qui plures missas commendauit, vt ille vnicus æquiualeat pluribus, quos ille ex pluribus missis recepisset suæ deuotioni priuatæ respondentes. Nam postea quantum ad fructum operis operantis, non est dubium quod potest alijs bonis operibus adæquari. Sic ergo ex his apparet quomodo Pontificis auctoritate fieri potest vt vna missa æqualē fructum multis missis conferat, & ita factum fuit in illis priuilegijs. Quando tamen hoc modo non satisficeret non est dubium quod Pontifex per applicationem thesauri Ecclesiæ omnem defectum supplere potest.

SVMMARIVM.

1 *An quādo redditus rūt diminuti diminuatur obligatio missarum.* n.1037.
2 *Cessante reddita cessat anat.* n.1037.1038.
3 *Debent anni steriles per fertiles compensari.* n.1039.
4 *Ex quacumq; diminutione fructuum si tot remanent, vt missis respōdeat solitum stipendium non habet locum diminutio.* n.1040.
5 *Quæ habet locum vbi diminutia fructuum est infra taxatum stipendium.* n.1041.
6 *Necesse est, vt diminutio fructuum sit infra minimum stipendium.* n.1042.
7 *Et sufficit si stipendium sit minimum manuale.* n.1043.
8 *Culpa Prælati innocente Capitulo non nocet Ecclesiæ.* n.1043.
9 *Executores sufficit quod tot missas faciant celebrare quas poterunt pro iusta stipendio.* n. 1044.

1037 Q*Var.*4. An vbì fructus assignati pro missis celebrandis perierun, vel in toto, vel in parte cesset obligatio celebrandi vel in toto, vel ad ratam? Supponitur quod fundus, vel fructus non perierunt culpa sacerdotis, vel legatarij obligati ad celebrandum, vel ad faciendum celebrare missas. Quia si ex eius culpa perijsset non est dubium, quod culpa eius eidem nocerer, non vero fundatori beneficij, vel capellaniæ, vel oneris missas celebrandi, sed vbi sine culpa sacerdotis, seu legatarij ad missas obligati fructus assignati in sustentamentum sacerdotis perijerunt, dicitur primo, quod si in totum perierunt cessat in totum obligatio celebrandi missas. Ita *Fraxinel. de oblig. sacerd. sec.4. conc.4. §.57. Hencala de valor. miss. a.17. prop. 5. Perez de lata de Anniu. l.1. cap.15. n.8. & 9. Rice in praxi dec.105. in fin. par.1. Lezana v. Missa n.37. in med. Bordon. resol. 25. n.31. Alphons. de leon. de off. Capell. q.5. sec.14. n.236. Tamburin. de sacrif. miss. l.3. cap.1. §.3. n 89. Perin tom.3. priuil. cap. 1. n.59. Cauina in Cathec. regal. tit.12. n.32. Frāciscus Lugo l.1. de Sacram. cap.12. q.9. n.97. Garsia tract.3. diff.10. dub.10. n.2. Pasqual. centr.4. q.342. & de sacrif. nouæ leg q.1074.* Ratio est, quia deficiente fundamento cessat id, quod illud præsupponit, fundamentum vero obligationi missarum

rum celebrandarum est sustentamentum ministri, quod est vnum de necessarijs ad missæ celebrationem. Tum 2. quia nec sacerdos ad id se obligauit, nec qui fundauit capellaniam iusta posset id prætendere, vt sine sustentamento maneret obligatio ad celebrandum, vnde in conuentione ista intimè inest hæc conditio, vt promissa sit missæ celebratio, quandiu durauerint fructus in sustentamentum sacerdotis assignati; ideo hic non intrat necessitas permutandi voluntatem alicuius. Nam alia non fuit voluntas fundantis capellaniam & illam acceptantis sic & ex natura rei cessante fundo in totum, vel in parte cessat census vel totus, vel pro rata, vt constat ex Constit. Pij Quinti de cẽsibus edita anno 1568. §. 1. sic & in beneficijs pereuntibus fructibus beneficij cessat obligatio recitandi officium. Nam quando aliquid est in obligatione contemplatione fructuum, subintelligitur tacita conditio, si fructus nascantur *l. interdum 73. ff. de verb. oblig. Castren. in l. ex conducto §. si vis ff. locati; & in l. Imperator nu. 8. ff. ad Trebell.* onus verò celebrandi missam, est onus contemplatione fructuum, vnde S. Congregatio in decreto de celebratione missarum vult, vt debeant semper conseruari bona immobilia fructifera, quæ respondeant oneri missarum. Hæc magis explicantur ex eo, quod missa non debetur ex contractu ratione emolumenti accepti, quia hoc esset simonia, sed debetur ex virtute religionis, & institutione officij sacerdotalis, ex eadem verò virtute, & institutione sacerdotis debetur sustentamentum tanquam necessarium medium ad missæ celebrationem: ideo sicut non tenetur sacerdos celebrare si non habeat sustentamentum, & alimentum, ideò pereunte omninò fundo præbente alimentum cessat obligatio celebrandi.

1038. Idem propterea dicendum erit si fructus pereant ad tempus, nam ad ratam illius temporis cessat obligatio, sunt enim correlatiua perceptio fructuum, & obligatio, & vno ablato aufertur aliud. Et idem dicitur, si fructus sint verè inexigibiles, nec ex negligentia eius, qui debet exigere est, quod non exigatur, sed quia verè inexigibiles facti sunt. Tunc enim perindè est, ac si non essent, quia sacerdos celebraturus illos non percipit.

1039. Monet tamen *Tambur.* loco citato n. 96. quod si sacerdos per annos antecedentes plus percepit de fructibus, quam secundum taxam esset necessarium, quod debet postea fertilitate sterilitatem compensare.

1040. Dicitur propterea secundo, quod vbi fructus sunt pingues, per quamcumque diminutionem fructuum non diminuitur obligatio missæ, si fructus diminuti sunt tales, vt conductoni missæ stipendium præbeant. Nam ex hoc etiam præsumendum est fundatorem oneris missarum constituisse prouentus pinguiores, vt ex eorum diminutione, numerus missarum non esset diminuendus.

1041. Dicitur tertiò, quod vbi fructus infra quantitatem iusti stipendij sint diminuti ad ratam cessat missarum obligatio. Ita *Rom. cons.* 239. n. 31. *Perez de lara* l. c. 14. *num.* 31. *Bordon. d. resp.* 25. n. 38. *Alphons. de Leon de off. Capell.* q. 5. *sentent.* 238. *Garzia* to. 3. *diff.* 10. *dub.* 19. nu. 4. *Azor. resp.* 105. nu. 4. *Tambur. de Sacrif. miss.* l. 3, *cap.* 1. §. 3. *num.* 91. quos sequitur *Pasqualig. de sacrif. nou. legis* q. 1075. Et generaliter de obligationibus annexa legatis *Bart. in l. fere ff. de ann. legatis, & DD. in l. planè §. si duobus ff de leg.* 1. *Surd. cons.* 389. *num.* 9. *Merlin. decis.* 53. *num.* 3. Et ratio est, quia hic valet argumentum de toto ad totum, & de parte ad partem *l. qua de tota ff. de rei vendic.* Sicut igitur deficientibus in totum fructibus cessat in totum obligatio ita Idem dicendum est, si deficiant pro parte, vt obligatio pro parte cesset. Nam & hoc est de mente testatoris, aut fundatoris onerū missæ, quia missæ onus imponitur supposito sustentamento sacerdotis. Sic quoque in censibus, oneribus legatorum, & hæreditatis accidit, vt ad diminutionem fructuum respondentium oneribus, onera diminuantur.

Idem quoq; dicendum est si fructus diminuātur ad tempus, sed tamen bene circa hoc aduertunt *Perez de Lara, Tambur.* n. 96 *& Pasqual.* nu. 2. quod si fructus sunt vberiores vno anno, non debent in anno steriliori diminui missæ, sed annus sterilitatis cum anno fertilitatis debet compensari.

1042. Sed cum numerus missarū non sit minuēdus, nisi fructus minuantur, vt non perueniant ad iustum stipendium missarum, quæri posset hic, de quo iusto stipendio manuali intelligatur, vel de eo, qui perpetuis obligationibus assignatur, quod solet esse maius ratione perpetuitatis obligationis. *Pasqual.* nu. 8. putat quod sufficiat, si fructus ita diminuantur, vt sint minores iusto stipendio perpetuæ obligationi respondenti, iudicat tamen necesse esse, vt sint minores iusto infimo stipendio: quia si pertingant ad minimum, seu infimum, quia tunc manet iustum stipendium, manet etiam obligatio.

1043. Cum etiam dictum sit, quod vbi fructus cessent culpa sacerdotis, vel legatarij non cessat obligatio, ex culpa tamen solius Prælati, Conuentu, seu Capitulo innocente, non fit præiudicium Ecclesiæ, & ideò nisi fructus cessent ex culpa Ecclesiæ, licet cessent ex culpa Prælati, cessat obligatio fructibus cessantibus. Prælati enim culpa Ecclesiæ non præiudicat. *Rota coram Caputaq. decis.* 128. *n.* 3. *p.* 2. *Seraph. decis.* 292. *n.* 2. *& in Fesul. Prioratus* 3. *Martij* 1617. *coram Pamphilio, & decis.* 427. *num.* 3. *p.* 4. *recen. & in Hispalen. Decimarum* 27. *Iunij* 1644. §. 2. *quia coram Eminentissimo Corrado, & in Toletana Decimarum* §. *Præsertim coram Celso, & in eadem* 21. *Iunij* 1649. *coram Eminen. Ottobono.*

1044. Executores verò diminutis fructibus si non inueniant, qui celebrare velint sufficeret si tot missas dicere faciant, quod seruato iusto stipendio celebrari possunt, sed legatarij ad quorum commodum etiam relicti fuere fundus, & fructus, secundum diminutionem legati poterunt missas diminuere. Nam in Legatis, quando legatarius non percipit totum legatum, nec etiam subeit toti oneri.

SVMMARIVM.

1 *Vbi commutanda sit voluntas defunctorum recurrendum est ad Pontificem pro reductione.* num. 1045.

1 *Et an etiam sit necessarius hic recursus, quando fructus vel in totum, vel in partem defecerunt. num. 1045.*

1045. QVæritur quinto an pro diminotione numeri missarum sit recurrendum ad Summum Pontificē, vel ad Sacram Congregationem? Hoc primo est dicendum, nimirum quod quotiescumque commutanda sit voluntas eorum, qui imposuerunt onus missarum, recurrendum est ad Summum Pontificem, qui solus defunctorum voluntates potest immutare. Ideò si in fundatione Capellaniæ Ecclesia acceptauit onus missarum pro stipendio conuento, & fructibus sibi assignatis, si illi fructus existunt, licet non sint sufficientes, quia vel nec erant sufficientes, quando onus missarum fuit impositum, vel ob temporum mutationem facti sunt insufficientes propter augmentum pretij, quo venduntur, quæ sunt necessaria ad victum, & vestitum; vnde etiam auctum est stipendium pro missis; vel quia de præsenti testator mandauit numerum missarum maiorem, quam sit emolumētum, quod pro illis designauit; & Ecclesia illud emolumentum acceptauit, quia in his, & similibus casibus manet obligatio, quæ tamen indiget reduci ad æquitatem, quod nequit fieri, nisi mutando voluntatem testatoris, ideò ad sedem Apostolicam est recurrendum, pro reductione. Dubium remanet, an hic recursus sit necessarius quādo in rei veritate fructus relicti pro onere missarū pro parte diminuti sunt. Nam in hoc casu obligationem cessare ex natura rei probatum est. Et non est hic necessaria mutatio volūtatis alicuius, quia qui suscipit onus missarum non intendit se obligare nisi mediante stipendio, & secundum stipendij quantitatem, & ideo de conuenientium voluntate non inducitur obligatio, nisi pro rata oneris, pro qua deficiunt fructus. Et hoc habetur tanquam si esset expressum *l. huius §. Maritu, ff. ad senatuscons. Trebell. & l. inter vestam ff. de aur. & arg. legat. Alexan. cons. 109. n. 17. lib. 7. Tuscus l. T. conc. 7. nu. 13.* Et ideò quod quando fructus relicti pro onere missarum diminuti sunt infra consuetum iustum stipendium, numerus ipse missarum iam ex se ipso fit diminutus, nec sit necesse pro reductione recurrere ad Sedem Apostolicam dixerunt apud *Pasqual. Bord. res. 25. n. 37. Auersa de Sacram. Eucar. q. 11. sect. 18. Franciscus Lugo lib. 5. cap. 12. q. 9. num. 97. Garzia tract. 3. diff. 10. dub. 10. num. 6.* verum ē contra *Azor. p. 2. lib. 6. cap. 24. q. 6.* tenuit, quod in hoc casu facultas minuendi missas nō sit apud Beneficiarium, sed solū poenes Episcopum. *Lezana verò v. missa num. 37.* admittens, quod quando capitale deperijt non sit obligatio celebrandi missas: subdit quod si fructus cursu temporis etiam sine culpa Conuentus valdè diminuti fuerunt & expensæ quoad victum, & vestitum maiores non licet Religiosis numerum missarum minuere, sed recurrendum est vel ad Sacram Congreg. vel ad Generales. *Tambur. quoque l. 3. de sacrif. miss. cap. 1. §. 1. nu. 2.* habet, ex Ianuario quod Gubernantes Ecclesiæ nō possunt reformare missas ex eo, quod sit facta difficilis fructuum exactio, & ferè deperdita. Nec valere argumentum a toto ad partem, quia Sac. Cong. reseruauit hanc facultatem reformandi numerum missarum propter bonum commune, ne detur ansa particularibus perperam expediendi hanc reductionem. Nec potest dici, quod S. Congregatio prohibuerit hanc reductionem in vim dispensationis, quia S. Congregatio non respexit titulum vnde fiat, sed ipsam reductionem, quam facere prohibuit. *Pasqual.* autem *q. 1076.* existimat, quod vbi fructus diminuuntur pro minuēdo onere missarum non sit recurrendum ad Sac. Congreg. quia hæc diminutio non est reductio, quia hæc supponit obligationem durare, reductio enim est actio per quam reducitur ad æquitatem, quod alias nō esset æquum *Bal. in l. 1. C. de arbit.* Et propterea est de eo, quod alias cadit sub obligatione. Dicēdum tamen est, quod vbi solum fructus sunt diminuti, vt numerus missarum ad quas tenetur Capellanus seu Ecclesia minuatur, necesse est recurrere ad Sedem Apostol. ad quam solam hoc est reseruatum in decreto de celebratione missarum. Esto enim verum sit, quod reductio sit actio per quam reducitur ad æquitatem id, quod alias non esset æquū, hoc benè conuenit etiam vbi ex parte rei fructus sunt diminuti; quia cum alias ex vi donationis sub onere factæ à fundatore Capellaniæ Ecclesia sit obligata supra id, quod est æquum si fructus sint diminuti, & alias si huiusmodi æquitatis, & inæquitatis cognitio relinquatur particularibus Ecclesijs, periculum euidens sit, vt non seruetur æquitas; ideò merito Sedes Apostolica huiusmodi reductionem sibi reseruauit. Cum maximè de facili contingere possit, quod diminutio fructuum sit ex culpa Ecclesiæ obligatæ ad missas. Et hoc declaratur a simili. Cum enim antiquitus concessum fuerit Episcopis de consensu Capituli diminutis fructibus reducere præbendas ad minorem numerum; quod per locum a contrario sensu deducitur ex *cap. Ex parte de constit.* & tradunt ibi DD. communiter. Nihilominus hoc limitatur, vt locum habeat solum in præbendis dotatis ab Episcopo, vel Capitulo, non verò in dotatis ab alijs, quia tunc in præiudicium Patroni non possunt Episcopus, & Capitulum eas supprimere, & ad pauciorem numerum reducere. *Cap. Monasterium, cap. Nationis 16. q. 7. Innoc. & Compostill. in cap. Cum accessissent, de Const. Bellam. 16. num. 7. Card. quæst. 5. Panorm. num. 4. in fin. & n. 5. Hasb. ad d. cap. Ex parte, vbi Fagnan. num. 9.* Igitur eadem ratione licet fructus Capellaniæ, aut oneris missarum sint diminuti, non licet priuata auctoritate illud ad numerum minorem missarum reducere. Et ita quod Episcopus numerū missarum in fundatione stabilitum ex causa diminutionis fructuum non possit minuere, docet idem *Fagnan. d. c. Ex parte nu. 29.*

SVMMARIVM.

1 *Quomodo minuendæ missæ ob expensas factas in reparatione, &c. fundi missarum. nu. 1046.*

1046. QVæritur sexto. An expensæ necessariò factæ pro reparatione, conseruatione, vindicatione fundi missarum sint resarciendæ, & ita quod ratione illarum minui possit aliquis numerus mis-

missarum

farum? si testator reliquit pro missis stipendia pinguia, & excedentia communem, & solitam, eleemosynam, præfatæ expensæ non sunt resarciendæ, nec illarum intuitu numerus missarum minui potest, quia tunc præsumi debet, quod testator ob hoc pinguia stipendia reliquerit, vt sine præiudicio missarum fundus relictus ex eo, quod supererat, sit conseruandus accidente casu, & necessitate. Nam quod fit, censetur factum, prout est magis vtile facienti. *l. si quis intentione ff. de iud. Bartolus in l. Titium ff. de verb. oblig. Rota coram Merlin. decis. 231. num. 3.* Sic enim, & Capellanum habentem redditus pingues teneri ad expensas celebrationis, & ad necessaria altaris dixit *Tambur. l. 3. cap. 1. §. 3. num. 100.* Immo addit ad hoc idem teneri etiam si redditus sint diminuti, si per antecedentes annos supra iustum missæ stipendium recepit, licet postea illud superfluum defecerit, quia de toto redditu præsumendum est prouideri debere (quando aliunde prouisum non est) tum altari, tum iusto missæ stipendio computato anno fertili cum sterili. Sed si prouentus annui non excedunt consuetam eleemosynam, adhuc *Bordon resol. 15. n. 30.* sentit huiusmodi expensas non esse resarciendas, Tum quia hæc esset quædam species reductionis, quæ sine auctoritate Pontificis nequit fieri. Tum quia Beneficiatus accipiens tenuem Capellaniam non potest missas minuere. Tum quia aucto stipendio non minuitur numerus missarum, sed tenentur hæredes supplere. Tum quia hoc esset mutare vltimam voluntatem. *Sed Pasqual. q. 1095.* ad hæc respondet, & ad primum dicit quod reductio habet statum permanentem sed huiusmodi compensatio, seu detractio est temporalis, & fit ad compensandas expensas, vnde non est species reductionis. Ad secundum non esse eandem rationem, & Capellanum sibi imputare debere, qui sciēter accepit tenuem Capellaniam, quod non habet locum quando fiunt expensæ extraordinariæ pro fundo. Ad tertium hæredem non semper teneri ad supplendum, & quando nō tenetur, reducuntur missæ, quia reductio respicit statum perpetuum, sed in hoc casu solum minuuntur missæ pro aliquo tempore. Ad quartum non mutari voluntatem, quia non alteratur numerus missarum in perpetuum, sed solum pro aliquo tempore. Mihi dicendum videtur, quod aliud est, quod expensæ sint resarciendæ, & aliud est, quod legatarius possit ex hoc auctoritate propria minuere missas. Ad primum dico expensas esse resarciendas, quia expensæ tunc necessariæ, & fiunt in vtilitatem testatoris, nec eas tenetur legatarius facere de stipendijs missarum, quia ista debentur celebranti, & sunt eius propria, nec ille de proprio tenetur agere negotium testatoris. Debet ergo legatarius sacerdos seruari indemnis, iuxta *l. sed an vlt. §. si autem ff. de negot. gest. & l. qui mutuum §. fin. ff mandati.* Sed an legatarius possit propria auctoritate sine S. Congreg. hanc compensationem facere, dictum est qu. superiori.

SVMMARIVM.

1 *Auctis fructibus quando augeatur si numerus missarum. num. 1047. & 1048.*

1047. QVæritur septimo. An si fructus legati augeantur, augeri debeat, & missarum numerus? Hoc pro certo habendum, quod si fructus sunt aucti expensis, & industria possidentis fundum legatū, non debet augeri numerus missarum. *Fraxinel. de oblig. sacerd. sect. 4. cancel. 4. §. 15. num. 2. Tamburin. de sacrif. miss. l. 3. cap. 1. §. 3. num. 92. Pasq. de sacrif. nov. leg. q. 1077. num. 3.* & ratio est, quia augumentum illud cedit in beneficium possessoris tanquam fructus laboris illius, & industriæ, & licet sint fructus fundi, iam fundus est possessoris, qui colligit de suo, & proprijs expensis, & industria, vnde illius sunt. Nam & meliorationes sunt meliorantis. *Bartol. in l. penul. ff. locati. Castren. ibid. Bald. in l. senatus §. Marcellus ff. de leg. 1. Angelus ibid. & Aretinus. Iason. in Authent. qui rem, & ibi Dec. n. 14. de sacrosan. Eccles. Albertus Brun. de Augmen. & dimin. cancel. 20.* sed & secundo certum esse debet, quod si testator, vel fundator oneris missarum non determinauit missarum numerum, sed illud reliquit determinandum cum proportione ad fructus, & iustum stipendium, tunc fructibus crescentibus, & non expensis, & industria legatarij, sed ex fundi conditione, & casualibus accidentibus, siue vt aduertit *Tambur. num. 97.* quia taxa stipendij missarum decreuit, & stipendium, quod v. g. erit vnus iulius taxatus ad dimidium debet (si tamen fructus notabiliter aucti fuerint) & augeri numerus missarum. Mens enim talis testatoris fuit, vt talis prouentus esset stipendium missarum, & quod legatario nullum aliud commodum obueniret, quam illud, quod sibi competit ratione missarum, & ideò quantum fructum percipit, tantum seruata proportione debet esse missarum numerus. Et hoc est, quod probant arg. *Perez de Lara de anniuers. l. 1. c. 15. num. 19.* quia nimirum sicut diminutis fructibus numerus missarum debet minui, ita auctis debet augeri. Quia contrariorum est eadem disciplina, & sicut qui sentit commodum debet sentire, & onus, ita, & è contra. Et nihilominus hoc intelligendum est, & limitandum, nisi auctis fructibus simul augeatur, & stipendium missarum, quia tunc non esset augendus missarum numerus, nisi fructus notabiliter excederent etiam ad mensuram stipendij currentis computati *Fraxinell. vbi supra n. 1. Tambur. n. 94. Pasqual. num. 7.*

1048. Difficultas esse potest vbi testator determinauit numerum missarum. Nam quod in eo casu auctis fructibus non sit augendus numerus missarum, docet *Pasqual. num. 4.* quia tunc constat de mente testatoris, quæ fuit de numero missarum, & quia numerus determinatus taxationem continet, & intra suos terminos est restrictus. Sed *Perez. de Lara* vbi supra absolutè docet, quod, auctis fructibus crescere debet numerus missarum Considerandum mihi videtur, quod licet testator taxauerit numerum missarum, hoc potuit esse, quia numerus taxatus tunc responderet iustis stipendijs ex fructibus, quos relinquebat, & quod mens eius fuerit verè, vt seruaretur proportio & nisi aliud colligatur ex verbis testamenti, aut alijs coniecturis, hoc potius præsumendum est, quia licet taxauerit numerum missarum, non

reliquit

relinquit tamen fundum; & fructus ad commoditem aliquam legatarij, quam illam, quæ ratione missarum illi sit aduentura. Ideò hic casus est arbitrarius, & in dubio videri posset potius præsumendum, quod mens testatoris fuerit, vt sicut si fructus deficiant minuendus erit numerus missarum; ita, & augendus illis auctis. Regula autem illa, quod numerus determinatus continet taxationem, vera est, si sit positus vt immutabilis, non verò si sit positus ratione habita eius, quod tunc currebat, cum ille numerus fuit taxatus. Nihilominus *Tambur. l. 3. cap. 1. §. 3. num. 97.* ait, quod si non constat de mente institutoris, & legatum, & Capellania fundata præsumantur absolute; non sunt augendæ missæ auctis fructibus quia tunc præsumitur fundator, vt solet suo Capellano benefacere voluisse, posito, quod determinatas missas præscripsit, & nihil aliud explicauit. Et certè à praxi, & consuetudine validum assumitur argumentum pro coniecturanda mente testatoris, & verisimile est, quod si fundator intendisset numerum missarum auctis fructibus augeri id explicasset; aduertit etiam *Tambur. nu. 93.* quod si verò vicissim augeantur fructus, & diminuantur, tunc annus fertilitatis cum anno sterilitatis compensandus erit.

SVMMARIVM.

1049. Quæritur octauò, quam facultatem habeant modo Episcopi reducendi missas ex iure Concil. Trident. & S. Congreg. eiusdem S. Concilij interpretis? Episcopos de iure communi potuisse reducere incognitum numerum missarum ad congruum collegerunt ex cap. ex parte, de constit. & tradiderunt *Gloss. ibid. in verb. diminuti. Gloss. in cap. cum accessissent, verbo confirmatum; eod. tit. Nauarr. c. 25. n. 138. Garz. de benef. p. 7. cap. 1. num. 125. Layman. l. 5. tr. 5. p. 3. num. 5. Fagnan. pro c. 2. Eccles. l. 3. c. 7. nu. 15. Azor. p. 2. l. 6. cap. 24. q. 6. Palaus tract. 22. p. 15. num. 4. Barbos. de pot. Episc. all. 29. in fin. Lambert. Henriq. Franciscus Lugo,* quos refert, & sequitur *Pasqual. quæst. 1162.* Nã licet Cõcilium *Trident. sess. 25. cap. 4. de reformat.* cõcesserit facultatem aliquas missas reducendi, hæc est facultas specialis, quæ non est frustratoria, quia non est frustratorium, si quod consueuit alicui ex facultate generali, tribuitur specialiter, vt per hoc generalis facultas declaretur pertingere ad illud speciale, & omnis tollatur ambiguitas, & difficultas.

1050. Verum oppositum est dicendum, sed ad intelligentiam difficultatis, distinguendum est; nam vel vsus ad quem testator reliquit bona sua Ecclesiæ est impossibilis, & in hoc casu dicitur, quod vbi de iure vel facto non possit haberi præfatus vsus, Episcopus potest commutare voluntatem fundatoris, quia Episcopo concessum fuit commutare voluntates defunctorum, vbi illarum executio sit impossibilis de iure, vel de facto, vt habetur ex *cap. Nos quidem de testam.* & tradunt ibidem *Panormitanus num. 7. & 14. Fagnanus num. 13. Barbosa num. 5.* quod probatur etiam ex *cap. non mediocriter de Consecr. dist. 5. ex Abbate cons. 99. num. 5. Innocentio cap. Fraternitatem de sepulturis, Rota in Toletana Constitutionum Synodalium 9. Iunij 1624. coram Coccino.* Vel dispositio testatoris potest exequutioni mandari, & tunc non potest Episcopus commutare voluntatem testatoris, seu fundatoris deputando relictum ad alios vsus, & ideò in proposito, quod Episcopus non possit de iure communi reducere onera missarum colligitur *ex Concil. Triden. sess. 25. cap. 4.* ibi: *Facultatem dat Episcopis, &c.* qui modus loquendi supponit Episcopos eam facultatem non habuisse, quia non datur de nouo, quod prius habetur. Et certè incredibile est, quod si Episcopi haberent facultatem reducendi missas, quod Concilium dedisset illis facultatem illas reducendi, sed limitatam, vt id facere non possent, nisi in Synodo; potuisset enim Concilium esse certum, quod Episcopi parum curantes restrictionẽ Concilij vsi fuissent facultate absolutè sibi de iure communi competente; & hoc idem probatur, quia onerum reductio respicit commutationem piæ voluntatis, quæ soli Romano Pontifici est reseruata, vt habetur in *Clementina, Quia contingit de Religiosis Domibus, & ibi glos. Cardinalis in decimo notabili, & num. 9. & ij Imola nu. 16. Panormitanus n. 3. Vitalinus num. 17. & reliqui,* quorum plures refert *Barbosa de officio, & potestate Episcopi p. 3. alleg. 83. num. 1. & Diana p. 2. tit. 17. n. 26.* & ideò quod Episcopus non possit de iure communi reducere onera missarum, quæ de iure, & de facto impleri possunt dixerunt *Reuerendissimus Fagnanus cap. ex parte num. 21. de const.* & quod in commutatione legatorum tutius sit obtinere licentiã a Papa dixit *Nicol. ad tit. De offic. Ord. num. 7.* relata ad hoc *Sac. Congregat. Regal. 1618. Assagn. 17. Nou. Imò aduertendum est, quod Concilium non dat facultatem Episcopis moderandi missas,* nisi in casu, quod sit impossibile adimpleri voluntatem testatoris, quia nimirum, vel tantus

est numerus missarum, vt ei non possit satisfieri, vel redditus adeò sunt tenues, vt de facili non inueniatur, qui velit subire onus; ex quo colligendum videtur, quod licet Episcopus antequam voluntas testatoris sit executioni demandata, si eius executio sit impossibilis de iure, vel de facto, posse voluntatem testatoris in alium vsum possibilem commutare: Postquam tamen voluntas testatoris fuit acceptata, & executa, si postea reddatur impossibilis, vt quia diminuuntur fructus, vel ex aliqua simili causa non potest Episcopus etiam de iure communi piam voluntatem commutare, quia si posset hoc non concessisset illi Concilium limitatè, & restrictè. Ideò cum Episcopo ratione diminutionis fructuum concessum fuerit posse de consensu Capituli minuere numerum præbendarum, hoc limitatur, vt non procedat vbi præbendæ sunt fundatæ à laicis. *Fagnan. cap. ex parte num. 11. & 15. de Constit.* Vbi nu. 29. quod Episcopus nec possit reducere numerum missarum, ad quas tenetur Beneficiatus etiamsi fructus Beneficij sint diminuti. Verum, quoniam materia hæc, & quæstio de facultate Episcopi commutandi pias voluntates de iure communi antiquo satis ampla est, & ex DD. quamplures hanc Episcopi facultatem ampliant, & extendunt, relicta pro nunc hac quæstione in communi, & loquendo in specie de facultate reducendi missas. Quoniam si facultas reducendi onera missarum iam acceptata competiisset Episcopis, Concilium, quod in hac parte intendit augere facultatem Episcoporum, eam facultatem non concessisset cum limitatione; vel limitatio inutilis esset, si Episcopi hanc facultatem habuissent absolutam, & Concilium eam non abstulisset; ideò mihi videtur dicendum, quod Episcopi de iure communi nec habuerunt, nec habent facultatem reducendi onera iam acceptata, & minuendi numerum missarum Capellaniarum, vel Sacerdotum, qui tenentur ad celebrandas missas, etiam in casu quod executio esset impossibilis, vel ob defectum numeri sacerdotum, vel ob diminutionem redditnum. Et hoc credo dicendum in casu, in quo maneat obligatio inducta à testatore; & sit opus commutatione voluntatis testatoris.

1051. Hic propterea distingui debet inter merum executorem, & eum, qui habet onus celebrandi per se ipsum, vel suos. Nam heredi, qui est merus executor, si redditus hereditatis sunt diminuti, diminuitur onus sibi impositum faciendi celebrare missas, si non inuenit, qui pro exiguo stipendio velint celebrare, & Ordinarius in eo casu missarum numerum potest moderari. Similiter si alicuius Ecclesiæ Rector vel ex lege fundationis, vel ex testatoris præcepto teneatur ex redditibus Ecclesiæ facere celebrare numerum aliquod missarum, si redditus adeò sint diminuti, vt dando sacerdotibus solitum stipendium non sufficiant pro eo numero missarum habendo, quem fundator præscripsit, poterit Episcopus moderari numerum illum, quia impossibile est ex redditibus sic diminutis præfixum numerum missarum habere nisi forsan inueniantur sacerdotes, qui velint celebrare cum stipendio exiguo, quod tamen vt plurimum erit impossibile inuenire, & de se est minus conueniens, quia conuenit seruare taxam stipendij lege, vel consuetudine firmatam: Sed nec de iure, nec de facto est impossibile, quod qui assumpsit onus celebrandi, id præstet etiam si non remaneat sibi nisi exiguum stipendium. Vnde pia voluntas defuncti, qui imposuit numerum missarum seruari potest, & ideò Episcopus non potest missas huiusmodi reducere. *Fagnanus d. cap. ex parte num. 27. 28. 29. de Constit.* In his verò casibus, in quibus licet Episcopo defunctorum huiusmodi voluntates commutare, licet bonum sit id facere de consensu hæredum, id tamen non est necessarium, nisi speciali aliquo statuto, vel consuetudine id sit determinatum, quia commutatio ista est actus superioris, & vbi voluntas defuncti rationabiliter debet commutari, non potest hæres illum impedire; tantam igitur facultatem quantum ad reductionem missarum habent Episcopi, quanta sibi specialiter concessa fuit.

1052. *In Concil. igitur Trident. sess. 25. cap. 4. de reformat.* facultas ista reducendi missas, concessa Episcopis fuit expressa per hæc verba.

Contingit sæpe in quibusdam Ecclesijs, vel tam Magnum Missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis impositum esse, vt illis pro singulis diebus a testatoribus præscriptis nequeat satisfieri, vel eleemosynam huiusmodi, pro illis celebrandis adeò tenuem esse, vt non facilè inueniatur, qui velit huic se muneri subijcere, vnde depereunt piæ testantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur. Sancta Synodus cupiens ad pios vsus relicta, quo plenius, & vtilius potest, impleri; facultatem dat Episcopis, vt in Synodo Diœcesana, itemq; Abbatibus, & Generalibus Ordinum, vt in suis Capitulis Generalibus, re diligenter perspecta possint pro sua conscientia in prædictis Ecclesijs, quas hac prouisione indigere cognouerint, statuere circa has, quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire: ita tamen, vt eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute, legata ea ad pios vsus reliquerunt.

Hæc verò facultas non se extendit ad omnes missas, sed solum ad illas, quæ ratione legatorum sunt celebrandæ loquitur enim de illis missis, quæ ex varijs defunctorum relictis impositæ sunt, & hanc reductionem Concilium concedit ex duabus causis. Prima est, si tantus sit numerus missarum vt nequeat ipsis satisfieri. Secunda est, vt sit tam tenuis eleemosyna, vt de facili non repetiatur qui velit hoc onus suscipere. Cum verò finis Concilij sit, vt adimpleantur onera adiuncta legatis, Concilium non tam concedit facultatem Episcopis, quam imponit illis necessitatem reducendi missas; cum id necessitas postulauerit.

1053 Fuit vero præfata facultas expressius determinata in decreto *de celebrat. missar. supra n. 864. in §.* Ac primo, & in respons. ad primum dubium, ita quod modo missas impositas post Concilium non possint reducere, nec eas, quæ ante Concilium impositæ fuerunt in limine fundationis, vnde illis competit facultas reducendi solum missas, quæ ante Concilium, ex testamento relictæ fuerunt.

1054 His stantibus plures hic sunt difficultates pro horum decretorum intelligentia explicanda.

dæ. Prima est an Episcopi modo possint reducere missas impositas post Concilium Trident. Ratio difficultatis est, quia militat eadem ratio, & de impositis ante Concilium & post; igitur videtur quod facultas Concilij se extendat etiam ad onera post Concilium imposita; semper enim adest necessitas sic reducendi incongrua onera, ad congrua, vt oneribus satisfiat. Et eo magis, quod cum decretum Concilij sit datum per modum legis, se extendere debet ad futura, cum lex futura respiciat. Ideo partem hanc affirmantem docuerunt *Garz. de benef. p. 2. cap. 2. nu. 232.* & plures alij apud *Pasqual. q. 1163. nu. 1.* Sed S. Congreg. oppositum declarasse 7. *Februar.* 1573. *refert Passerell. de privil. cap. 60. & 15. Decemb.* 1629. *Pasqual. citatus nu. 2.* quod & voluerunt *Miranda tom. 1. q. 41. a. 24. Bonac. disp. 4. q. vlt. p. 7. §. 2. n. 11. Tambur de iure Abb. tom. 2. disp. 5. quæst. vlt. in fin.* & plures alij, ex eo quod Concilium solum disponat circa onera iam imposita, eiusq; dispositio est in remedium inconuenientis, quod præcesserat, & datur facultas respectu earum Ecclesiarum, quæ tunc tali remedio indigebant. Ratio autem finalis non extendit dispositionem nisi secundum capacitatem dispositionis, & lex prouidens inconuenientibus, sic facultatem in futurum concedere potest, quod tamen facultas sit limitata ad præterita inconuenientia. Sed iam constat ex decreto Vrbani 8. de celebrat. missarum, quod Episcopi non possunt reducere onera missarum post Concilium Tridentinum imposita.

1055 Quo supposito intrat secunda difficultas an Episcopus possit reducere onera missarum nondum acceptata. Videtur enim quod possit: nam huiusmodi onera propriè non sunt imposita, nisi sint acceptata; dictio enim imposita importat actionem perfectam, & completam, seu ad effectũ terminatam; Nam actio sine effectu est quid attentatum, & sic impositio vt est mera actio testatoris disponentis onera missarum, est attentatio, & inchoatio impositionis, sed nõ est impositio facta nisi sit acceptata. Quod apparet in fundatione, neque enim onus capellaniæ dicitur fundatum, & impositum, nisi sit ab Ecclesia acceptatum. Sic & in onere quod imponitur ex conuentione, illud non dicitur impositum, nisi partes conueniant. & Ecclesia cõueniendo cum imponente illud acceptet. Et vniuersaliter vbi actio importat conuentionem multorum, & consensum, non dicitur facta, nisi partium consensu concurrente. Quamobrem etiam si testator relinquat fundum fructiferum pro onere missarum in perpetuo, tamen onus non est impositum, nisi Ecclesia consentiat. Quod magis explicatur, quia dictio *imposita* habet significationem passiuam, & directè importat passionem, & effectum actionis imponendi, vt perfectum in facto esse; quod nequit esse, nisi Ecclesia consentiat, & acceptet onus quod imponitur. Cum ergo Episcopi solum prohibeantur reducere onera imposita post Concilium, non prohibentur reducere onera non acceptata. Et ideo hanc partẽ tenent. *Tambur. l. 3. cap. 1. §. 2. n. 9. Garzia, & Francis. de Lugo*, quos refert, & sequitur *Pasqual. q. 1169.* vbi tamen n. 6. cum eodem *Tambur.* hoc explicat, vt si contingat legatum factum sacerdoti ab eo acceptari, si eo defuncto, vel quomodocumq; vacante alius sacerdos nolit onus suscipere, non potest Episcopus tale onus reducere, quia illud iã acceptatum. Quod etiam Episcopus possit piam voluntatem alterare, quando non est executa, dixerunt *Imola l. 1. ff. de cond. instit. & Felin. cap. super his n. 1. ad fin. de Accusat. Guillel. cap. 1. Rayn. ver. relinquit, n. 20. Sarmiento l. 1. select. c. 8. n. 24. apud Perez de Lara lib. 1. de Anniu. c. 14. n. 18.* Eo quia facilius tollantur fienda, quam facta. *l. patre furioso. ff. de his, qui sunt sui, vel alien. iuris. cap. Quemad. de iure iurand.* Hoc mihi dicendum videtur, quod si onus missarum nondum acceptatum redditur impossibile, quatenus tale fit potest, Episcopus iuxta probata supra n. 1050. voluntatem defuncti commutare, & onus moderari, & ad statum possibilitatis reducere. Cæterum vbi voluntas defuncti possit exequi, non intrat Episcopi auctoritas vt illam valeat commutare, vnde nec onera missarum potest reducere, quia non potest voluntatem testatoris commutare vbi illa de iure, & de facto potest impleri. Nam *Clem. Quia contingit* absolutè loquitur, & DD. eam interpretantes indistinctè loquuntur. *Perez de Lara vbi supra nu. 20. post. Pinell. in rubr. de rescind. vend. 1. p. n. 19. Couarr. in cap. Tua n. 7. de testam.* Quia tamen quando voluntas testatoris non est executa, & eius executio est impossibilis potest Episcopus de iure communi commutare voluntatem testatoris, vt est manifestum ex cap. *nos quidem de testam.* Nec constat quod hæc facultas sit illis ablata per decretum de celebrat. missarum, quoniam huiusmodi onera non acceptata, non sunt complete imposita. Imo, quod facultas commutandi vltimas voluntates si aliqua de iure communi Episcopo competat non sit ab eo ablata per speciale remedium. *Concil. Trid. sess. 25. cap. 4.* tanquam declaratum à S. Cong. tradit *Rev. Fagnan. cap. ex parte nu. 28. de Const.* Ideo in huiusmodi casu satis probabilis est optimo dictorum DD. vt scilicet Episcopus huiusmodi onera non acceptata, & exequi impossibilia possit reducere. Quod magis confirmatur. Nam, & ex decreto de celebrat. miss. ad Episcopum spectat taxare stipendia missarum. Si igitur testator reliquerit numerum missarum taxato incongruo stipendio pro illis, Episcopi erit taxare stipendium congruum, diminuto numero missarum si sumus in casu, in quo hæres non teneatur augere stipendium.

1056 Ampliatur secundo idem decretum, vt Episcopus, nec possit reducere onera missarum celebrandarum etiam si sacerdoti relicta sit libera applicatio sacrificij *Tamb. lib. 3. cap. 1. §. 2. n. 4. Pasqual. q. 1169.* Per decretum enim Vrb. 8. prohibetur Episc. ne illa onera missarum reducant, onus vero officiaturæ missæ determinatæ ad locum, vel tempus, est onus missæ celebrandæ. Nihilominus idem *Pasqualig. nu. 3.* licet admittat, quod Episcopus non potest reducere onus missæ solemnis tollendo solemnitatem, & relinquendo onus missæ celebrandæ, quia hæc reductio caderet sub reductione missæ, quia accessorium sequitur naturam principalis, tamen nu. 4. putat non esse dicendum idem de loco, & tempore, quia hæc sunt accessoria extrinseca, & non cadunt sub prohibitione, quia illius finis est, ne diminuatur numerus missarum. Verum oppositum dici debet, quia imo finia

nis Decreti Vrbani 8. de celebrat. missarum est ne depereant piæ fidelium voluntates, & obstrictæ fidelibus fides violetur, ideo nec potest Episcopus concedere vt in tali loco, aut in tali tempore non celebretur quotidie sicut testator disposuit, sed solum quatuor, vel tribus vicibus in hebdomada, si per hoc simul diminuitur numerus missarum, sed etiam si id fiat sine diminutione numeri missarum, quoniam in his eadem militat ratio de principali, & accessorio, quæ est vt Ecclesia fideliter stet promissis, & quod piæ voluntates fidelium executioni demandentur, ideo Episcopis non licet circa onera post Tridentinum imposita se ingerere, vt reducant ea etiam quantum ad locum, tempus, vel aliud accessorium à testatore dispositum.

1057 Ampliatur tertio vt Episcopus nec possit reducere officia mortuorum post Tridentinum si ex dispositione testatoris sint connexa cum anniuersario missarum. Hæc tamen ampliatio est controuersa. Et ratio controuersiæ est, quia cum officium mortuorum, Litaniæ, & alia huiusmodi preces, seu suffragia sint distincta, & valde diuersa à sacrificio missæ, ex vi prohibitionis Decreti de celebrat. missarum prohibentis reducere onera missarum non est prohibitum Episcopis reducere onera officij defunctorum, aut aliarum precum, Cum enim verba dispositionis non comprehendant huiusmodi officia, & suffragia, nec eadem comprehendit dispositio ipsa, iuxta *l. quod constitutum ff. de Mili. test. & leg. 4. §. toties ff. de dam. infect.* Hoc igitur stante videtur, quod si detur legatum incongruum per quod Ecclesia sit obligata ad anniuersaria simul cum officijs mortuorum, Episcopus reducere possit hoc onus quantum ad officia, relicto onere missarum intacto, quia officia ista extranea sunt ab anniuersarijs, & ab eis separabilia; Alias vero Episcopus ea vi d. Decreti non est prohibitus reducere onera officiorum; poterit igitur reducere huiusmodi officia etiam si sint annexa anniuersarijs missarum. Et ita tenet *Pasqual. q. 1180.* sed oppositum voluit. *Tamb. l. 3. c. 1. §. 2. n. 5.* quia quando instituuntur anniuersaria cum officijs, & distributionibus eleemosynarum in pauperes omnia se habent per modum vnius, nec sunt diuisibilia. Tum quia illis se habent, vt accessoria missarum, & sunt veluti de illorũ solemnitate. Sed vtraq; opinio supponit, quod Episcopus de iure communi possit reducere huiusmodi onera, quod negatur ex supra probatis, ideo dicitur, quod Episcopus nec anniuersaria, nec officia, nec eleemosynas, nec alia huiusmodi onera post Tridentinum imposita a defunctis potest reducere, sed hoc pertinet ad Sedem Apostolicam, ideo non tam debemus attendere quid ob prohibeatur illis in hac parte, vel per Concilium Tridentinum, vel per d. Decretum Vrbani 8. sed quid non concedatur, quia solum possunt quod conceditur; & totum non possunt, quod non est illis specialiter concessum. Cum igitur Episcopis sit prohibitum reducere onera missarum imposita post Concilium; multo magis est illis prohibitum moderari alia suffragia, seu onera eleemosynarum, quoniam, huiusmodi facultas nec fuit illis concessa ex vi Trident. nec illis competebat de iure communi. Et ideo quod ex Concil. non sit attributa facultas moderandi onera eleemosynarũ probat *Reuerendiss. Fag. cap. ex parte nu. 31. de Const.* vbi *nu. 33. quod S. Cong. censuit Ordinarium ex vi cap. 4. sess. 25. Conc. Trid.* non posse diminuere onus à Testatore impositum hæredibus, vt certis diebus eleemosynas erogent.

1058 Secundum quod negatur Episcopis est, vt ex oneribus impositis ante Concilium, ipsi non possint reducere ea, quæ imposita sunt in limine fundationis. Ampliatur vero primo hoc dictum, vt neq; ex vi Concil. Trident. concessum fuerit Episcopis posse reducere missarum onera imposita in limine fundationis. Negant hanc Ampliationem. *Mirand. tom. 1. q. 41. nu. 14. Ledesma p. 1. cap. 19. concl. 16. in fin. Carpen. tr. 13. disp. 3. sec. 8. n. 106. Garz. tr. 3. diffic. 10. dub. 9. n. 3. Trullench. l. 3. de Sacram. c. 8. d. 11. nu. 9.* eo quod eadem ratio sit de missis impositis in limine fundationis, & de alijs. Sed oppositum est verum, Concilium enim expresse loquitur de oneribus missarum relictis à defunctis, & à testatoribus præscriptis, & mouetur ne piæ testantium voluntates pereant. Nec habet locum extensio ex identitate rationis, quia in oneribus in fundatione impositis non militat eadem ratio. Vnde est quod sæpius hoc declarasse S. Congregationem refert. *Garz. de benef. p. 8. nu. 131.* & ita idem docuerunt *Sorbus in v. missa 3. vers. Notandum. Barbos. de potest. Episc. alle. 29. nu. 9. Nauar. c. 21. nu. 138. Bonac. disp. 4. p. 7. §. 2. nu. 10. Palaus tr. 13. disp. 1. q. 36. nu. 24. Ascan. Tambur. de iur. Abb. tom. 2. disp. 5. q. 10. num. 1. Piasecc. Raguf. Rodriq. Alphons. de Leone. Francis. Lugo*, quos refert, & sequitur. *Pasqual. q. 1163.* Vnde Concil. Trid. reliquit facultatem reducendi missas in fundatione impositas iuri communi, vt aduertit Garzias.

1059 Ampliatur primo, vt prohibitio hæc extendatur nedum ad capellanias habentes fundationem canonicam factam cum consensu Episcopi, sed ad quamlibet capellaniam etiam non collatiuam, seu etiam in testamento institutam à testatore, duobus enim modis à testatore relinquuntur onera missarum, vel namq; relinquuntur per legatum cum simplici obligatione celebrandi missam etiam perpetuam, vt cum alicui Regularium Monasterio relinquitur legatum, cũ obligatione missarum, & huiusmodi missæ non dicuntur institutæ in fundatione, nec huiusmodi institutio est alicuius Capellaniæ fundatio. Alio modo per legatum relicto fundo, vel dote instituuntur missæ cum facultate, & obligatione eligendi Capellanum, qui eas celebret, & tunc fundatur Capellania, quæ si non adsit consensus Ordinarij est non collatiua, & tamen missæ huiusmodi dicuntur institutæ in limine fundationis. Et de istis etiam loquitur decretum Vrbani 8. prohibentis reducere onera missarum imposita in limine fundationis, quia verba legis accipienda sunt secundum totam eorum propriam significationem *l. 1. §. si is qui nauem ff. de exercit. act. & l. fin. C. de his, qui ven. atat. & cap. susceptum, de rescrip. in 6. & Glos. ibi v. Non morte. Suarez l. 6. de leg. cap. 1. num. . Salas, de leg. disp. 21. sect. 3. an. 4.* Cum ergo fundatio propriè dicatur etiam de fundatione Capellaniæ non collatiuæ; nam, & huiusmodi est propriè Capellania, & habet suam

propriam

propriam fundationem, seu limen suæ fundationis, ideò onera missarum huiusmodi Cappellaniæ fundatione imposita non possunt ab Episcopo reduci. *Pasqual. q.* 1171.

1060. Ampliatur tertio, vt vbi beneficium aliquod ex sui fundatione contineat aliquarum missarum numerum certum: missæ, quæ sunt de hoc numero censeãtur impositæ in limine fundationis, & non sint reducibiles per Episcopum. *Barbosa ad sess.* 25. *cap.* 4. *num.* 8. *Concil. Triden.*

1061. Limitatur tamen idem decretum, vt non comprehendat onera, quæ ex lege fundatoris sunt reducibilia, nimirum si fundator in beneficij erectione expresse disposuit, vt liceat Episcopo moderari numerum missarum, quem instituit. Hoc enim expresse est declaratum per *Sac. Cong. sap. n.*864. *in resp. ad* 2. *dubium*. Quam declarationem locum habere etiam si testator, seu fundator expresse dixerit onera imposita posse moderari, & reduci, & expresse non dixerit, id fieri posse per Episcopum docuit *Pasqual. q.* 1167. *n.* 2. quoniam alias dispositio fundatoris superflua esset, cum Summus Pontifex non indigeat huiusmodi expressione, vt onera similia possit reducere. & ideò concessio fundatoris debet aliquid operari. *Cap. si Papa de priuil. in* 6. *Alex. cons.* 117. *num.* 4. *l.* 1. *Pres. dec.* 191. *dec.* 191. *n.* 7. *l.* 1. *Rota dec.* 345. *n.* 3. *p.* 3. *recent.* Et sic hoc debet operari, vt ea facultas spectet ad Episcopum. Aduertit verò idem *Pasqual. num.* 4. quod facultas non solum expresse censebitur expressa, quando specialibus verbis conceditur, iuxta *cap. Inquisit. de hæret. in* 6. *vbi Glos. & cap. si quis, de Preben. vbi idem Glos.* sed etiam quando ab expressis sequitur: quia hoc sufficit, vt aliquid pro expresso habeatur. *l. cum quod ff. si verò petat, & not. Bald. l.* 1. *C. finem. C. de his, qua ut. nper. tab. iit. Roland. cons.* 27. *num.* 37. *l.* 4. *Paris. cons.* 97. *num.* 107. *vol.* 1. Aut quod quocumque modo in iure pro expresso habetur. Subdit verò *nu.* 5. quod in iure habetur pro expresso, quod interrogatus testator verisimiliter respondisset *Gloss. & DD. in l. mle pactam* §. *fin. ff. de pactis Soccia. Iunior cons.* 78. *n.* 51. *vol.* 3. *Gabriel concius.* 10. *vol.* 6. *de Reg. iur. Rub. cons.* 49. *num.* 2. *Bellon. cons.* 9. *num.* 15. *Menoch. consil.* 233. *num.* 4. Et propterea pro expressa facultate reducendi missas in limine fundationis impositas habenda est, si fundator interrogatus illam concessisset. Addit quoq; *num.* 6. quod vbi à fundatore sit concessa facultas reducẽdi missas facilior erit reductio, quia tũc nõ erit necessaria necessitas reductionis, sed sufficiet rationabilis conuenientia, quia tunc huiusmodi reductio erit secundum voluntatem fundatoris. Hæc *Pasqual.*

1062. Tertium, quod statuitur est, quod si onera missarum imposita fuerunt, & ante Concilium Tridentinum, & extra limen fundationis beneficij, & Capellaniæ, possint reduci ab Episcopo. Hoc verò extenditur quidem etiam ad anniuersaria, vt declarasse Sac. Congreg. die 26. Nouemb. refert *Reuerendiss. Fagnanus ad cap. ex parte num.* 30. *de Constit.* Et ita hoc tanquam decisum a Sac. Congreg. tenent etiam *Garz. p.* 7. *cap.* 1. *n.* 131. *Pinsec. p.* 2. *c.* 3. *num.* 11. *Quaranta v. missa n.* 291. *Barbos. de off. Episc. all.* 23. *n.* 4. *& ad sess.* 25. *cap.* 4. *Concil. Triden. & apud eum Galet Ricc. & Moneta, Diana p.* 2. *tract.* 14. *res.* 5. *Lezana v. missa n.* 32. retractans, quæ dixerat *p.* 1. *cap.* 21. *num.* 6. *Pasqual. q.* 1163. *num.* 7. & apud eum *Nald. & Trasinell.*

1063. Limitatur tamen primo vt facultas hæc non se extendat ad alia suffragia, vt ad officia mortuorum, ad alias preces, ad eleemosynas pauperibus erogandas, quia solum conceditur facultas reducendi onera missarum. Et ita hoc tanquam decisum à Sac. Cong. notarunt *Rodriq. tom.* 1. *quæst.* 103. *n.* 13. *Garzias de Benef. p.* 7. *c.* 1. *n.* 131. Quamuis verò *Pasqual. q.* 1163. *num.* 8. Dixerit, quod attendendo ad causam finalem, etiam præfata comprehendi videantur, nam finis Concil. & S. Congr. fuit, vt relicta ad pios vsus plenius impleantur, tamen subdit standum esse declarationi S. Congreg. si de ea constet. Sed dicendum est concessionem Concilij ad alia suffragia, & onera eleemosynarum non extendi, facultas enim concessa in vno genere non extenditur ad aliud genus per *Eatrar. cap.* 12. *num.* 79. & maximè vbi agitur de præiudicijs tertij *Fagnan. cap. ex parte n.* 32. *de Constit.*

1064. Limitatur secundo vt eadem facultas non se extendat ad onera imposita hæredibus pro certis missis, anniuersarijs, & eleemosynis, &c. quod fuisse declaratum à Sac. Congreg. refert *Garzias, d. n.* 131. & constat ex Concil. quod disponit de oneribus Ecclesiarum, non verò de oneribus laicorum *Pasqual. d. q.* 1163. *num.* 9.

SVMMARIVM.

1 *Quæ sit missa conuentionalis.* num. 1065.
2 *Omne relictum non taxata stipendio non est conuentionale.* num. 1066.
3 *Quando donatum censeatur conuentionale?* num. 1067.
4 *Conuentionalis est impositio si legatarius interfit testamento, & consentiat.* num. 1068.
5 *Conuentionalis est impositio, quam præcessit tractatus.* num. 1069.
6 *Ad missam conuentionalem non est necesse, quod præcedat conuentio obligans ex iustitia.* num. 1070.
7 *Sufficit conuentio oretenus habita.* num. 1071.
8 *Plures alij casus oneris conuentionalis.* n. 1072. *& sequen.*
9 *Onus conuentionale proportionatum non est reducibile.* num. 1076.
10 *Improportionatum est reducibile.* num. 1077.
11 *Non interest, quod conuentiones sint oretenus factæ.* num. 1078.

1065. QVæritur, an missæ conuentionales sint reducibiles? duplicem inspectionem habet hæc quæstio. Prima est, quæ sint missæ conuentuales? Secunda an istæ sint reducibiles? Circa primam inspectionem considerandũ, quod impositio missarum à quibusdam DD. distinguitur in simplicem, & conuentionalem: & dicitur impositio simplex, quando ab imponente determinatur onus, & assignatur salarium, nulla præcedente conuentione, vt contingit in legatis factis per testatores, ipsa etiam Ecclesia nesciente, & omninò inconsiderata, quæ postea

admonita

admonita acceptat legatum. Sed impositio compositio conuentionalis dicitur, quādo imponitur onus missarum, nec assignatur quantitas stipendij nisi præuia conuentione inter imponentem onus, & Ecclesiam illud acceptantem. Quo stante.

1066. Colligitur primo, quod si onus imponitur per testatorem, licet per eum non taxetur stipendium, onus non est conuentionale, quia est impositum nulla præuia conuentione. Nec obstat, quod stipendium sit taxandum ab Episcopo, quia Episcopus non est pars, nec is, cui imponitur onus, & assignatur stipendium, sed est iudex, cuius auctoritate quantitas stipendij stabilitur. *Bord. res.* 25. *num.* 40. *Pasqual. q.* 1173. *num.* 2. Et idem dicendum erit, si testator relinquat certam summam pecuniæ, non determinato numero missarum, quia impositio non fit dependenter a conuentione præcedente, & numerus missarum non est determinatus à parte, sed à iudice.

1067. Colligitur secundo, quod etiam si impositio fiat per donationem inter viuos non est conuentionalis. Ita *Bordon. nu.* 44. *Pasqual. n.* 3. Reddunt verò rationem, quia licet donatio acceptetur, tamen donatio non perficitur acceptatione donatarij, atque adeò nec consensu illius, quia acceptatio supponit donationem factam. Tum quia donatio procedit ex mera liberalitate, nullo iure cogente, quod autem datur ex conuentione datur ex debito, & proinde donatio, & conuentio, se inuicem excludunt. Sed hæc probant, quod sit impossibile quod donatione imponatur onus missarum, quia non est donatio merè liberalis, vbi imponitur onus donatario, in impositione verò missarum imponitur onus donatario. Est ergo considerandum vero quod donationem simplicem non potest imponi onus missarum, quia quod pure donatur, sine impositione alicuius oneris datur. Sed per donationem sub conditione, ac modo, vel causa imponi potest onus missarum. Et ita semper fit, quia aliter si emolumentū missarum daretur vt pretium, seu compensatio missarum, quod esset simoniacum. Nec in impositione potest interuenire conuentio, quæ sit contractus propriè, vel pactum, vt sepius dictum est quia vbi inter spirituale, & temporale datum, & receptum adest contractus, & pactum, simul adest simonia. Solum ergo est discrimen, quod hæc donatio, vel fit per modum conuentionis, & contractus, quia antequam laicus donet temporale, vel illud absolutè simpliciter promittat interuenit conuentio aliqua, nimirum præcedit consensus Ecclesiæ in quantitatem oneris, & stipendij pro onere. Et hæc est impositio conuentionalis, quia illam præcedit conuentio. Sed aliquando donationem rei temporalis conditionatam, vel sub modo nulla præcedit conuentio, sed absolutè nullo prærequisito consensu Ecclesiæ aliquis donat fundum pro onere missarum, postea Ecclesia donatum acceptat, & hæc est impositio non conuentionalis.

1068. Colligitur tertio, quod si Ecclesiasticus legatarius intersit testamento, & tunc acceptat legatum cum onere missarum, impositio sit conuentionalis. Hoc absolutè negant *Bord. n.* 42. *Pasqual. nu.* 4. Quia conuentio perficitur statim, sed dispositio illa testamentaria non perficitur statim, sed solum in morte testatoris sortitur effectum. Sed hæc ratio probat quidem, quod illa conuentio ante mortem testatoris sit conditionata conditione de futuro, sed non probat, quod non sit conuentio. Datur enim conuentio etiam sub conditione de futuro, quæ non sortitur effectum; nisi conditione impleta. Punctum est an testamentariam impositionem præcedat scientia, & consensus Ecclesiæ, & ipsa ab hoc consensu dependeat, vel non. Ideò si legatarius Ecclesiasticus assistat testamento, & antequam testator disponat consentiat donationi illi, quam testator promittit sub onere medio testamento; iam adest conuentio licet conditionata, & quæ non habebit effectum, nisi morte testatoris sequuta.

1069. Colligitur quarto, quod multo magis conuentionalis est impositio, si testator expressè conueniat cum legatario de onere imponendo, & legatarius promittat se accepturū legatū. Nec obstat, quod habet in oppositum *Pasqual. nu.* 5. quia nimirum hic non adest conuentio sed tractatus, quia & testator adhuc potest mutare testamentum, & Rector non acceptare obligationem, vnde, per tale tractatum nullum ius acquiritur partibus. Vnum enim probat hæc ratio scilicet, quod ibi non est contractus propriè, sed hic nunquam interuenit in impositione oneris missarum. Probat etiam quod conuentio non est completa, & perfecta, nisi sequta morte, & acceptato legato. Cæterum hoc attendi debet, quod impositio ista dependat a consensu Rectoris, & nō habetur, nisi eo præcedente, & expresso, & quando impositio completas, & perficitur morte imponentis, & vltima acceptatione Rectoris; completur vt conuenta prius, & deliberata. Inde non debet attendi solum, quod ante confectum testamentum, non adsit adhuc conuentio, sed tractatus deliberatiuus, quia debet attendi, ex quod impositio ipsa & eius acceptatio non, est nisi ex præcedenti tractatu deliberatiuo, & partium consensu. Vnde hic duplex consensus attendi potest, alius, in quo consistit impositio, & hic non est nisi donatio sub conditione, aut modo, & acceptatio donationis, quæ simul claudit consensum, & promissionem agendi, & sustinendi onus, sub quo res temporalis donatur. Sed hoc modo omnis impositio oneris missarum est conuentionalis, si conuentio non dicit nisi donationem sub onere, & acceptationem donationis; sed alius consensus est præambulus, & pertinet ad tractatum deliberatiuum antecedētem donationem, & acceptationē, & in hoc impositiones distinguuntur, & illæ dicuntur conuentionales, quas tractatus præcedit & quæ iuxta tractatum antecedentem fiunt. Ideo nec oportet, quod tractatus antecedens; & consensus præambulus sit immutabilis, & irreuocabilis immutabilitate contractus de re incapaci obligationis ex iustitia, seu immutabilitate quam ferat tractatus de donando sub onere, & promissio acceptandi donationem sic onerosam. Quando tractatus iste præcessit, & impositio fit, & acceptatur iuxta tractatum tunc est conuentionalis, quia est iuxta conuentionalem tractatum præcedentem. Solum non potest dici conuentionalis si Rectoris solus consensus non sufficeret, sed es-

cut necessarius consensus Capituli, & hic impositionem non praecederet, sed Capitulum solum acceptaret onus impositum, quia tunc impositio non esset ex conuentione, sed consensus impositionem consequeretur.

1070. Colligitur quinto quid sit dicendum de casu in quo impositionem esse conuentionalem dicunt *Bord.n.45.& Pasq.n.6.* nimirū si ante testamentum testator,& Capitulū conuenirent ille de testando,& hic de acceptādo legato,& mutuo ad hoc se obligarent; in hoc enim casu dicunt impositionem esse conuentionalem; sed si intendant, quod adsit obligatio ex iustitia, conuentio simoniaca est, & sic si per conuentionalem impositionem intelligunt eam, in qua testator, & Ecclesia propriè contrahunt, iam omnis impositio conuentionalis est simoniaca. Et ideo haec iustitiae obligatio non est necessaria, sed sufficit illa fidelitatis, & suffieit quod consensus Ecclesiae non sit mera acceptatio impositionis iam factae,& irreuocabilis, sed quod consensus in impositionem imponendam, & acceptatio fiat conformiter ad cōsensum antecedentem.

1071. Colligitur sexto quod licet *Bordon. n.6.* dixerit conuentionem oretenus factam non reddere impositionem conuentionalem ad effectum reductionis, quam solet denegare S. Congregatio tamen non est dubitandum eam esse conuentionalem, & qualiter etiam valeat ad denegandum reductionem ostendetur.

1072. Colligitur 7. quod si ante mortē testatoris alteretur legatum de concessu haeredis, & Legatarij, impositio est conuentionalis, vt tradunt etiam *Bordon. n. 44. & Pasqual. num. 8.* quia impositio valitura est secūdum eam conuentionem.

1073. Colligitur Octauo quod si testamentum obliget haeredes non taxato stipēdio missarum, & ipsi conueniant cum Ecclesia de quantitate stipendij, licet impositio non sit conuentionalis est tamen conuentionalis executio. *Bordon. num.48. Pasqual.num.9.* Esset tamen impositio conuentionalis si haeredes liberi quantum ad eligēdam Ecclesiam, cum ea conuenirent de celebratione, & stipendio, quia tunc Ecclesia non consentiret in onus, nisi ex praecedenti conuentione.

1074. Colligitur 9. non esse impositionem conuentionalem, si testator relinquat vt si haeredes non faciunt celebrare missas, fundus detur Ecclesiae, & conditio purificetur *Bord. num. 47. Pasqual. num. 10.* Sed huius ratio est, quia impositionem hanc non praecessit conuentio, & consensus Ecclesiae, & quidquid postea fit, non fit in vi conuentionis nouae, sed antiquae impositionis testamentariae.

1075. Colligitur 10. semper onus missarū futurum conuentionale, quando donationem ipsam stipendij sub onere missarum antecedit consensus, & donationi seu assignationi factae in vi consensus prioris succedit completiua Ecclesiae acceptatio, tunc enim semper Ecclesia accipit onus, cui per prius consentit, & ipsa sub modo, quia promisit subire onus missarum sub onere assignationis tāti stipendij, & sic quando donatio, seu promissio Ecclesiae, per quam sub modo promittit subire onus missarum antecedit assignationem stipendij semper onus est cōditionale, tūc verò est simplex, cum omnem Ecclesiae consensum praecedit donatio rei temporalis sub onere missarum.

1076. Hinc ad secundam partem quaestionis respondendo distinguitur. Nam vel onus conuentionale est cum debita religiosa proportione compensatum, vel non. Si est debitè compensatum, de potentia ordinaria non est reducibile, cuius ratio non est, quia conuentiones, & pacta sint seruanda *cap. 1. & 2. de pactis*, quia hic propriè non est pactum; sed quia virtus religionis nō minus obligat, sed multò, ac multò magis, quam obligatio iustitiae, & longè maius contra rationē rectam est, quod Ecclesia mater fidei, & religionis, eiusq; ministri sint infideles: ideò ordinaria potestate, si onus est adaequatum stipendio nō datur locus reductioni, & mutationi. Quamuis potestate extraordinaria concurrente rationabili causa iuste Papa possit huiusmodi onera conuentionalia mutare, & de eis pro Ecclesiae bono disponere, cum etiam possit pacta priuatorum concurrente causa relaxare, Et sicut Papa, & in votis, & in iuramentis potest dispensare, ita & in huiusmodi obligationibus pijs potest ad bonum Ecclesiae, auctoritatem suam interponere, & illas commutare.

1067. Sed si onus non est adaequatum stipendio, siue hoc sit, quia ab initio sic fuit conuentum, siue quia successione temporum vel fundus factus est minus foecundus, aut quia aucto rerum pretio maior quantitas ad sustentationem sit necessaria, vnde auctum fuit stipendium missarum, siue ex aliqua simili causa adest improportio, onera huiusmodi sunt reducibilia, non tamen per Episcopum, etiamsi alias sint fundata ante Concilīū, & non sint stabilita in limine fundationis. Et prima pars assertionis probatur, quia in eo casu conuentio tendit in perniciem Ecclesiae, cum ex vi illius ministri Ecclesiae non habeant congruam sustentationem, quae illis debetur ratione muneris sacerdotalis; ideò onus tale est reducibile, quia non est permittendum, quod per priuatam conuentionem publica vtilitas violetur. Et praeterea huiusmodi conuentiones incongruae sunt contra Decretum Vrbani Octaui de celebratione missarum, quod requirit, quod missae perpetuae habeant congruum emolumentum; ideò incongruis conuentionibus non assistit ius; sed potius contradicit, vnde non comprehenduntur sub regulis iuris de pactis seruandis, vt *l. Adiut. ff. de rit. rapt. & l. non dubium C. de leg. 6. & cap.1.& 2. de pact.* & alijs similibus legibus, nedum quia istae conuentiones propriae nō sunt pacta, sed quia licet contineant obligationem maiorem, & strictiorem, quam pacta, quia tamen quantum ad materiam non sunt legi conformia, nec sunt consonae vtilitati communi auctoritate superioris sunt moderandae. Accidit quod conuentiones habent tacitam conditionem, quod obligent rebus non mutatis *l. quaero §. interlocutores ff. locati, & l. cum quis ff. solut. mat.* vnde vbi per successionem temporum congrua proportio sustentamenti ad onus sit sublata etiam spectata natura conuentionis illa sit mutabilis. Secunda tamen pars assertionis probatur, quia in Concilio Tridentino Episcopis, & Gene-

& Generalibus solum conceditur facultas moderandi onera imposita ex varijs relictis defunctorum, vnde facultas ibi concessa non se extendit, nisi ad legata cum onere missarum, non verò ad onera ex conuentione inita, quæ onera inter viuos ex consensu mutuo imponuntur, licet aliquando sub conditione mortis, & mortis causa.

1078. Quantum verò ad hanc reductionem non refert an conuentiones sint factæ oretenus, vel stipulatæ, quidquid dixerit *Bordon. num. 46.* quia scriptura naturam contractus non mutat, ideò onera ista conuentionalia etiam si sint conuenta oretenus sine scriptura, sunt verè conuentionales, & non reducibilia, si alias in facultate reducendi non sit concessum, quod onera conuentionalia reduci possint, vt habet *Pasqual. qu. 1174. n. 5.* Sed & hinc patet, quod ad effectum, vt onera ista habeantur, vt non reducibilia ratione conuentionis sufficit consensus præstitus ante impositionem oneris, seu consensus in onus, vt imponendum, ex hoc enim impositio in sui initio habet maxime liberum consensum, & acceptationem eius, qui debet subesse oneri, ratione cuius illud onus habet maiorem firmitatem, & obligationem, quia impositio est impositio oneris iā conuenti, & acceptatio est acceptatio oneris ante impositionem approbati, & illud onus propterea si sit congruum rebus non immutatis, non est per ordinariam auctoritatem reducibile.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi non possunt reducere missas, nisi in Synodo. num. 1079.*
2 *Non est necessarius consensus Synodi. nu. 1079.*

1079. QVæritur 10. An reductio missarū sit facienda ab Episcopo in Synodo? Est difficultatis ratio ex eo quod cum Concil. Triden. intenderit non restringere sed amplificare auctoritatem Episcoporum, quia enim videtur quod potestatem reducendi missas extra Synodum habebant Episcopi ante Concil. non videtur afferendum, quod Concilium hoc voluerit Episcopis auferre. Secundo, quia Concilium in eo decreto supponit, quod iuxta eiusdem Concilij determinationem Synodi quotannis essent celebrandi, & ex hoc præsupposito disposuit, quod reductiones huiusmodi fierent in Synodo; sed cum hoc præsuppositum cesset, cessat etiam dispositum ex illius præsuppositione. Ideo, quod in hac parte respectu Episcoporum Concilium non condiderit ius nouum, & quod Episcopi etiā extra Synodum possit missas reducere, voluerunt *Nauar cap. 25. num. 138. Mirand. tom. 1. q. 41. a. 24. Barbos. de pot. Episc. all. 29. num. 12. Layman. l. 1. tr. 5. cap. 3. num. 5. Fagund. prac. 1. Eccles. lib. 3. cap. 7. n. 15. Palaus tr. 13. disp. 1. p. 6. num. 24. Perez. de Lara lib. 1. cap. 14. num. 9. Molfes. Rodriq. Reginal. & Garzia apud Pasqual. qu. 1165.* qui quidem num. 3. existimat, quod Episcopi non possint vti facultate sibi tributa à Concilio nisi in synodo, quia talis facultas est illis concessa sub tali modo, & forma, vt reductio fiat in Synodo, & ratio huius est, quia propter negotij grauitatem iudicauit illud esse discutiendum in Synodo. Et nihilominus *nu. 9.* arbitratur Episcopos posse extra synodum vti facultate quam habent de iure communi, quæ facultas non sit illis sublata per Concilium. Sed vt aduertit Reuerendissimus Fagnanus *ad cap. Ex parte num. 22. de constit.* ex modo loquendi Concilij concedentis facultatem, & quidem non absolute, sed sub certo modo, & forma, satis colligitur, mentem Concilij fuisse Episcopos non habere de iure communi facultatem reducendi onera missarum, vt supra ponderatum est, & nunc additur, quod valdè puerile esset, quod si Episcopi haberent à iure communi facultatem reducendi missas amplam, & sine restrictione, & forma, Concilium voluisset illis dare eandem facultatem, sed sub forma valdè restricta, quia hoc modo Episcopi nihilifaciendo formam à Concilio inductam, possent sua ampla vti facultate, & facultas, & forma inducta à Concilio ad nihil valeret. Illa igitur opinio falsum supponit, scilicet, quod Episcopus habeat a iure communi facultatem reducēdi onera missarum Et quod addit postea, quod Concilium præsupponit, quod synodi quot annis celebrentur, dicitur, sed non probatur, sed Concilium considerauit grauitatem negotij, vt ex verbis eius colligitur & ideò voluit, quod necessitas, seu iustitia reductionis examinaretur in Synodo, & ideo Episcopus non habet reducendi missas facultatem, nisi in Synodo *Garz. de benef. p. 7. cap. 1. n. 134. Bonac. du. 4. p. 7. §. 2. n. 9. Diana p. 2. tr. 14. res. 3. Tambur. de sacrif. missæ l. 3. c. 1. §. 2. num. 6. Bonac.* tamen, & apud *Pasqual. Franciscus Lugo lib. 5. de Sacramen. cap. 12.* excipiunt casum grauis necessitatis, quia missarū reductio est vtilis defunctis, & conscientiæ viuorum, & ideò non patitur magnā dilationem. Sed hoc verum esse posset loquendo de aliqua prouisione pro interim, non verò de propria, & stabili, seu solemni reductione. Hoc mihi etiam dicendum videtur, quod Episcopus ad reducendum missas non indiget Synodi consensu, & voto, sed solum opus est, vt causa in Synodo examinetur, quo facto Episcopi est onera reducere, prout melius sibi videbitur expedire *Pasqual. d. q. 1165. num. 6. Tambur. l. 3. cap. 1. §. 2. num. 6.* qui ibidem existimat, quod reductio missarum ab Episcopo delegari possit alicui, qui eam habeat in Synodo: quia est facultas concessa dignitati, ideò non est electa industria personæ *Sanchez. l. 3. de matr. disp. 40. n. 17.* & cum commissa sit omnibus in futurum, & potestas ordinaria, & delegabilis.

SVMMARIVM.

1 *Generales solum in Capitulis Generalibus possunt reducere missas. n. 1080.*
2 *Si contra præscriptum decreti S. Cong. Episcopi vel Generales, reducant missas reductio est nulla. num. 1080.*

1080. QVæritur 11. qualiter, & quomodo Generales Regularium possint missas reducere? Eodem modo possunt Generales reducere missas sicut Episcopi in quantum possunt reducere eas, quæ ante Concilium Trid. fuerunt

fuerunt extra limen fundationis impositæ, non vero, quæ fuerunt impositæ post Concilium. Sicut etiam Episcopi nõ possunt reducere missas nisi in synodo, sic Generales non possunt id facere nisi in Capitulis Generalibus. *Rodriq. t. 1. q. 43. a. 13. Mirand. p. 1. q. 41. a. 24. Barbos. de off. Epis. all. 29. nu. 12: Nauar. c. 25. nu. 138. Diana p. 2. tr. 54. res. 4. Lezana v. missa nu. 30. Palaus tr. 13. disp. 2. puncto 6. nu. 24. Sed Pasqual. q. 1166.* existimans quod Episcopi habeant de iure communi facultatem missas reducendi extra synodum vult, quod Generales, quia in suos habent iurisdictionem similem Episcopali, eadem facultate polleant. Verum iam satis probatum est, talem facultatem nec Episcopis competere. Accedit, quod cum in reductione missarum agatur de interesse eorum, qui non sunt subditi Regularium Generalibus, nimirum de laicis ab eorum iurisdictione exemptis, nisi speciali priuilegio eis concedatur facultas huiusmodi missas reducendi, non potest de iure illis competere, cum tractetur de mutatione voluntatis eorum, qui eis subditi non sũt, vel de diminutione suffragiorum ad quæ ius habent, qui non sunt eorum subditi. Ideo etiam si testator in fundatione alicuius beneficij, & Capellaniæ dixisset onus illius posse reduci, non intelligeretur posse reduci à Generalibus Regulariũ respectu suorum non subditorum, nisi expresse dictum fuisset, quod per Generalem aliquem reduci possent. Ex his deducitur, quod si Episcopi, vel Generales reducant missas contra præscriptum S. Congregationis reductio est ipso iure nulla, & quidem ob defectum potestatis vt patet ex §. *Ac si vero.* in quo habetur decretum irritans reductiones aliter factas. Et quia S. Cong. vtitur verbis præceptiuis valde vrgentibus nimirum verbis districte prohibet, & interdicit quæ verba importanc grauem prohibitionem sub mortali per notata à *Nauar. cap. 23. nu. 53. Sanchez l. 6. c. 4. nu. 43. Suarez, de legib. cap. 18. nu. 3.* & materia multum grauis est, ideo dicendum est eosdem Episcopos, & Generales mortaliter peccare, si contrafaciant dispositis in illo §. *Ac si vero. Tambur. l. 3. c. 5. §. 12. nu. 2.*

SVMMARIVM.

1 *Episcopi quando onera Regularium reducere possint. nu. 1081.*

1081. Q*Var. 12.* An si per Sedem Apostolicam concedatur facultas Episcopo reducendi missas suæ Diœcesis, possit etiam reducere onera missarum Regularium Ecclesijs imposita? Respondetur quod consideranda essent verba rescripti Põtificis, si enim concessio locum solum respiceret, & diceretur v.g. concedimus facultatem reducendi onera, quæ sunt in tua Diœcesi, tunc quia, & Regularium Ecclesiæ, & eorum onera sunt intra Diœcesim, posset Episcopus à Regularibus requisitus onera illa reducere; Et liceret Regularibus se in hoc subijcere Episcopis absque præiudicio exemptionis, quia ad hoc haberent permissionem Sedis Apostolicæ ex vi concessionis factæ Episcopo. *Bordan. Dec. 25. nu. 33. Lezana v. missa. nu. 31. circa med. Pasqual. 1181.* Sed si Pontifex limitate concederet Episcopo facultatem reducendi onera Ecclesiarum, quæ sunt de Diœcesi, non posset reducere onera Ecclesiarũ Regulariũ, quia istæ non sũt de Diœcesi. Ideo cum ad mentem *Pasqual. supra nu. 1061.* dictum fuerit, quod si in fundatione Capellaniæ cautum fuerit, vt onus illius possit reduci etiam si non expressum fuit à quo, nihilominus Episcopus poterit onus tale reducere; hoc non potest intelligi respectu onerum, quæ sunt in Ecclesijs Regularium, cũ Episcopus in huiusmodi Ecclesias, & Regulares non habeat iurisdictionem; sed cum nec Regularium Prælati nisi habeant curam Animarum secularium, habeant iurisdictionem in laicos imponentes onera missarum, & eorum hæredes; ideo talia onera nec à Generalibus Regularium reduci poterunt, sed à solo Summo Pontifice.

SVMMARIVM.

1 *Onera missarum à Laicali Magistratu reduci non possunt. nu. 1082. & 1083.*

1082. Q*Var. 13.* An onera Capellaniarum Laicalium possint reduci à Magistratu, seu Principe Laico? Sunt enim aliquæ capellaniæ, quæ administrantur per Laicos, qui eligunt Capellanos absque eo, quod Episcopus se de illis immisceat. Sicut, & sæpe contingit, quod Laici executores testamentorum, aut hæredes habeant onus faciendi celebrare missas, quod præstant sine Episcopi interuentu; Ideo *Fagund. prae. 5. Eccles. lib. 3. cap. 7. nu. 16. & 17.* testatur de praxi id faciendi, quam laudat, & probat id fieri posse. Tum primo, quia & erigentes, & bona super quibus huiusmodi capellaniæ erectæ sunt, Laicalia sunt, & Principibus subdita tam ratione personarum erigentiũ, quam bonorum, possunt igitur Principes curam habere vt volũtates suorum subditorum salua æquitate impleantur, & eorum bona ad vsum ad quem deputata sunt deseruiant. Neque hoc est disponere de aliquo spirituali, sed est suorum subditorum leges, quæ tempore factæ sunt iniustæ reducere ad terminos æquitatis. Tum secundo, quia Principes Catholici sunt Ecclesiæ protectores, vnde Hispaniæ Principibus est concessũ priuilegium, vt deputent prouisores pro executione vltimæ voluntatis suorum subditorum. Non possunt vero huiusmodi executionem rationabiliter, & secundum æquitatem procurare, nisi etiam stipendia incongrua missarum possint reducere ad æquam proportionem. Et licet hoc priuilegiũ nõ extet, sufficit priuilegij fama, quæ probatur satis ex vsu priuilegij continuo, vt docet *Fehu. in cap. Cum contingat remed. 1. pag. 552.* Est autem in vsu principale priuilegium de danda ratione testamentorum apud regios prouisores; igitur, & huius priuilegij accessorium potest reduci ad actum, vt reducantur missæ ad iustum, & taxatum stipendium.

1083 Sed merito hanc imaginationem *Fagũd. reijcit Palaus trac. 22. punc. 15. num. 6. & 7.* Quoniam ad reductionem missarum non sufficit decernere, quod stipendium iustum debeat esse tãte, vel tantæ quantitatis, sed opus est relaxare obligationem sacerdotis, quæ est quid spirituale, &

nec sacerdos est, vel potest esse subiectus iurisdictioni temporali, vnde missarum reductio est per se essentialiter actus spiritualis iurisdictionis, cuius Laici sunt incapaces. Vnde manifeste apparet, quod prima ratio vere leuis est. Tum quia bona destinata ad pium vsum, & spiritualem non sunt amplius laicalia, & si sufficeret, quod aliquando fuissent talia, iam Principes disponere possent de omnibus bonis beneficiorum, quia huiusmodi beneficia à Laicis, ex Laicalibus bonis fuerunt erecta, sed & fundatores beneficiorum, qui obierunt non sunt amplius subditi Principum, & illorum voluntates piæ sunt spirituales, nec possunt subijci laicæ iurisdictioni, & Episcoporum proprium est procurare, vt dentur executioni. *cap. Tua, de testam.* Vnde reductio missarum excedit omnino laicalem iurisdictionem. Nec secundum motiuũ suffragatur, quia protegere Ecclesiam non est Ecclesiæ iurisdictionem vsurpare, nec Principes, qui sunt Protectores possunt, vel minima iurisdictione spiritualiuti, sed eorum est Ecclesiam ab iniurijs defendere, non vero eam iniuria afficere vsurpando sibi iurisdictionem spiritualem, & relaxando obligationem religiosam, & spiritualem. Quantum vero ad priuilegium deputandi prouisores pro executione vltimarum voluntatum, cum de tenore eius non constet, & dicatur solum haberi ex viu, debet intelligi in terminis habilibus, & quantum consuetudine acquiri potuit. Cum vero laici non sint capaces iurisdictionis spiritualis. *cap. Decernimus, de iudic. cap. Ecclesia S. Mariæ de Const. Vbi Glos. & Panorm. nu. 5.* non possunt laici consuetudine spiritualem iurisdictionem valide acquirere.

SVMMARIVM.

1 *Regulares non habent priuilegia reducendi missas. nu. 1084.*
2 *Facultates concessæ quibusdam Religionibus non sunt priuilegia communicabilia. nu. 1084.*

1084. QVær. 4. An dentur aliqua priuilegia concessa Regularibus per quæ possint reducere missas? Vrbanus Octauus die 13. Iulij 1626. ad instantiam Procuratoris Generalis Minimorum; apud *Peyrinũ Const. 5. Vrban. VIII.* reduxit missas Conuentus Genuensis ad rationem scutorum quinquaginta monetæ Romanæ pro singula missa annua. Hoc vero fuisse priuilegium communicabile alijs Conuentibus, imo alijs Religionibus dixerunt *Diana p. 6. tr. 6. resol. 11. Franciscus Lugo lib. 5. q. 9. nu. 96. Carpen. tom. 2. trac. 14. disp. 3. nu. 109. Item idem Vrban. VIII.* in cõfirmatione Constitutionum minorum Conuentualium concessit facultatem, vt in primo Capitulo, seu Congregatione Capitulari omnia onera missarum reducere possent ad rationem scutorum sexaginta monetæ Romanæ pro singula missa annua. Multæ vero aliæ similes concessiones factæ sunt, vt Ordinibus Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, & Vallisumbrosæ à præsenti summo Pontifice D. N. Alex. VI. Sed vt aduertunt *Lezana v. missa nu. 31. & Pasqual. q. 1182.* hæc non sunt priuilegia communicabilia, sed speciales gratiæ concessæ, aliter sequeretur, quod nullus Regularium nunc indigeret auctoritate Apostolica pro missarum reductione. Et quod vbi Sedes Apostolica alicui Monasterio concessit facultatem alienandi aliquod prædium, quod iam omnes Regulares id facere possent sine alia licentia, quæ absurda sunt, & contra praxim. Sed aduertendum, quod nec priuilegia, nec gratiæ communicabiles sunt, quæ conceduntur tanquam remedium particulari negotio, & non nisi cognita causa, & discussa in particulari. Et quamuis *Tambur. de sacrif. miss. lib. 3. c. 1. §. 4. n. 17.* arbitretur facultatem concessam Minoribus esse priuilegium, & quidem cõmunicabile, quia non fuit Pontifex, qui reduxit onera missarum, sed facultatem reducendi concessit; tamen bene apparet, quod est personale, & limitatum ad præterita onera, & pro vna vice tantum, & in proximo solo capitulo. Sic de his priuilegijs *Nicol. ad tit. de celebrat. miss. n. 10.* loquens de d. priuilegio Minim. habet, quod S. Cõgr. in hac materia non iudicat relaxandas esse habenas. Tũ quia illud priuilegiũ est locale, tũc quia exorbitans & non communicabile. *Et Diana parte 10. tract. 16. & 6. Misell. resol. 27.* recedens à prima sententia adhæret sententiæ Lezanæ ea eo quod illum nimis vrgeat stylus Curiæ Romanæ. Sed res manifesta est ex decreto S. Cong. Conc. dato 10. Nouem. 1645. cuius transumptum subscriptum ab Emin. D. Card. Carafa & à tunc Illustris. D. Paulutio Secr. apud se habuisse retulit Lezana ad mare magnum Seruitarum nu. 78. & est sequentis tenoris. *Gratias huiusmodi reductionis Missarum ad certum numerum, vel certam summam aut quantitatem eleemosynæ, non posse suffragari, nisi duntaxat illis Monasterijs, seu Ecclesijs, aut Ordini Regularium, quibus ex causis peculiaribus concessæ fuerunt, & pro tempore conceduntur, nõ obstante quacumq. amplissima communicatione priuilegiorum, etiã inter Mendicantes (quã nullius valoris ad hunc effectum esse declarat, ac decreuit.) Præcipiendo omnibus, & quibuscũq. Regular. etiam speciali nota dignis, vt si huiusmodi scriptorum opinioni, vel priuilegio Communicationis innixi tales Missarum reductiones in suis Ecclesijs, aut Monasterijs, seu Ordinibus facere ausi fuerint, eis nullatenus vti possint, sed astrictos & obligatos remanere ad eundem Missarum numerum, ad quem antea tenebantur; reductiones prædictas irritas decernens, & inanes.*

SVMMARIVM.

1 *Ad reductionem requiritur iusta causa. nu. 1085.*
2 *Reductio missarum, sine iusta causa est inualida. nu. 1086. 1087.*
3 *Quid si fit à Papa. nu. 1087.*
4 *Quid de facta, sine causa discussione? nu. 1088.*
5 *Quid quando subreptitia. nu. 1089.*
6 *Quid faciendum vbi reductio facta est sine iusta causa. nu. 1090.*
7 *Prima causa iusta improportio emolumẽti. 1091.*
8 *Secunda impossibilitas. nu. 1092. 1093.*
9 *Ad hæc duas alia reducuntur. nu. 1094.*

1085. QVær. 15. Quæ causa iusta sufficiat ad hoc, vt reductio missarum sit, & licita, & valida? Requiri enim iustam causam ad reducendum onera missarum est prorsus euidens; Voluntates enim piæ defunctorum, & conuentiones religiosæ Ecclesiæ inuiolabiles esse debent, nisi aliqua necessitas adsit, & quidem talis, & tam rationabilis, quod si ijdem fundatores onerum viuerent, & essent præsentes ipsimet, vel ea reducerent, vel rationabiliter reductionem negare non possent. Huiusmodi enim causa existente

te superior habet, vnde rationabiliter mutet voluntatem defuncti.

1086 An vero huiusmodi reductio facta sine causa sit inualida. *Pasqual. q. 779. num. 3. ex Leone par. 2. Thesauri cap. 7. num. 3* t. asserie non esse validam, quia quando causa non reserctur sincere reductio est subreptitia, & ideo inualida ex defectu intentionis, quæ est fundamentum substantiale validitatis actus, *l. multum interest, C. si quis alteri, vel sibi. Gloss. in cap. super Abbatia, de off. deleg. Dec. in cap. super nos not. 4. de off. deleg.* Quod adeo verum est, vt si causa sincere proponatur, & postea non sufficiens, quando postea reperiatur insufficiens cessaret intentio reducentis, cum sit contemplatione causæ sufficientis. Quæ enim dependent à causa, & habent tractum successiuum, vt est reductio requirunt causam durantem, & habentem tractum successiuum, vt loquentes de dispensatione tradunt *Sanchez. l. 8. de matrimon. disp. 30. n. 14. Suarez. l. 8. de legib. cap. 30. nu. 7. & 12. Pallaus tr. 3. disp. 4. p. 15. nu. 4. Layman. l. 1. tr. 4. cap. 21. nu. 15. Bonac. disp. 1. q. 2. p. 10. §. 3. n. 6.* Nam cessante causa cessat effectus. Sed & imo cessaret causa, si ab initio fuisset sufficiens, & postea tractu temporis fieret insufficiens. Nam, & tunc cessaret intentio reducentis, Nam sufficientia causæ est illa, quæ mouet ad reducendum, & propterea regulat intentionem, quæ est secundum mensuram causæ, vt notat *Abbas cons. 503. n. 8. Ang. cons. 248. numero 3. Bald. cons. 212. numero 2. l. 2. Butr.*

1087 Sed considerandum hic videtur an gratia reductionis sit nulla ex defectu potestatis, vel ex defectu voluntatis. Primo enim reductio facta à quocumq; inferiore Papa sine examine causæ, aut sine iusta causa est nulla ex defectu potestatis. Hic enim loqui debemus de reductione onerum missæ, cum similitudine ad ea, quæ DD. tradunt de dispensatione. Quia vtraq; est quædam vulneratio legis, quia reducens numerum maiorem ad minorem legem statutam à prædefuncto relaxat commutando, & minuendo, quod per illam fuit statutum sicut, per dispensationem lex relaxatur. Sicut ergo; qui sine causa dispensat in lege inaniter dispensat, & inualide, vt per DD. quos retuli de elect. Canan. cap. 25. q. 24. nu. 285. & ita quod dispensatus sine iusta causa non est tutus in conscientia, prout probaui *ibid. nu. 286.* Et ratio est, quia non præsumitur Papam concedere velle facultatem ad id, quod ipse licite saltem sine iusta causa facere non potest. Ita multo magis hoc habet locum in materia iustitiæ, aut Religionis, & in proposito in reductione missarum, in qua reductio sine iusta causa est ab intrinseco iniusta, primo Iniustitia altiori, quam sit iniustitia contra commutatiuam; quia violatur religioso debitum, & promissio, qua ex officio religioso Ecclesia, & sacerdos, se obligauit. Secundo, quia complicatur iniustitia contra commutatiuam iustitiam, quia sacerdotes non satisfacientes missis promissis non faciunt fructus suos, & alienum dominio iniuste retinent. Itaq; reductio missarum sine iusta causa nedum est contra ius positiuum, sed contra ius naturale, & diuinum. Et quamuis dici debeat, quod reductio oneris missarum facta à Papa sine iusta causa sit valida, quia ipse habet plenitudinem potestatis, & potest facere, quod reductio non sit contra iustitiam. Sic enim quod auctoritate Principis voluntas testatoris possit commutari nulla subsistente causa, *ex l. legatum municipio. ff. de adminis. Verum ad Cint. pert. & Clem. quia contingit de Relig. domib. & Card. ibi nu. 3. & 4. & Panorm. in cap. Nos quidem, de Testam. nu. 6. & Imola nu. 13. probat. Perez de Lara lib. 1. de anniuer. cap. 14. nu 15. vbi nu. 17.* subdit quod factum Principis non debet impugnari ex defectu causæ per doctrinam. *Innocent. & Io: Andr. in cap. In nostra de iniur. Gabriel. tit. de iure quaes. non tollend. concl. 3. nu. 1. Alciat. in l. Gallus. §. Et quid si tantum nu. 132. ff. de liber. & Posthum.* Et de legatis pijs pro missis loquendo sunt pensanda scilicet res temporalis, quam impositor oneris missarum dedit Ecclesiæ, & obligatio Ecclesiæ, ad subeundum onus missarum impositum. Quidquid Papa disponat de re temporali, quæ est fundus oneris, quia illa non est dantis, sed Ecclesiæ, & Papa habet administrationem plenissimam rerum Ecclesiæ etiam si Papa rem illam consumeret prodige, & destrueret non esset iniustus in fundatorem oneris missarum, quia res illa sua non est amplius, sed est Ecclesiæ, vnde si re illa abuteretur prodige esset quidem infidelis administrator patrimonij Christi, non tamen esset iniustus in defunctum, qui rem illam dedit sub onere missarum. Sed si Papa sine causa vellet, vt nec missæ celebrarentur, sed commutaret illud onus in quodcumque aliud sine aliqua causa valeret commutatio. Nam illud principium, quod non possit fieri commutatio voluntatis illius, quæ licite potest adimpleri, procedit in inferioribus, non vero in Principe, vt declarat. *Bartal. in tract. Min. l. 2. d. 2. c. 3. nu. 13. Petrus de V bald. in tract. de Canon. Epis. c. 7. nu. 35. Armilla v. legatum. nu. 55. Tabien. nu. 12. Ang. v. legatum 2. nu. 12. Couar. l. 3. variar. cap. 6. nu. 7. & ex Clem. Quia contingit, de Relig. domibus,* probat apertissime. *Fagnan. Ad cap. Nos quidem num. 35. de testamen.* Vbi quod Papa, potest commutare pias voluntates etiam si de iure, & de facto applicari possint ad vsum destinatum. Verum est, quod si Papa hac faceret sine causa iusta male faceret, & si non redderet indemnem fundatorem onerum missarum, quantum ad fructus spirituales esset infidelis in officio suo, sed tamen voluntatis defuncti commutatio valeret, & missarum reductio firma esset. Verum Pōtifex hanc plenitudinem potestatis nulli communicat, ideo Papa inferiores non habent potestatem commutandi voluntates pias nisi ex iusta causa, quia ipse aliam non communicat. Ideo reductio missarum sine causa iusta facta à quocūq; Papæ inferiore, etiā legato de latere habēte amplissimam potestatē, est ipso iure nulla, tanquam facta à non habente legitimam potestatem.

1088 An vero reductio missarū sit nulla ex eo solo capite, quod facta sit sine iustæ causæ discussione, si alias in rei veritate adsit causa iusta, distinguendum est. Nam ex natura rei reductio huiusmodi non est nulla, quia vbi adest finis, non interest, si quis non vsus fuerit medio aliquo. Discussio negotij est necessaria ne reductio fiat sine iusta causa, vnde sufficit, quod vera causa adsit. Nihilominus si discussio negotij ponitur in concessione facultatis reducendi tanquam de forma, sicut

sicut fieri consueuit, reductio facta sine discussione causæ est ipso iure positiuo nulla, sed si non est de forma, etiam si sit præcepta, eius defectus non irritat actum, si alias reductio fiat ex iusta causa. Inde est, quod si quis ea conscientia erronea putans non adesse causam reducit onus missarum voluntate tamen absoluta reducendi valide tantum quantum potest, si vere reductionis datur causa iusta, illa reductio est valida, tanquam illa quæ est à facultatem habente, & à volente, & ab habente in re causam iustam volendi. Sed è contra si reductio fit ex causa iusta non vera, sed opinata, reductio quoad Deum non est valida, & vt dicebat Pasqualig. statim, ac innotuerit iniustitia causę reductio haberi debet, vt non valida. Sicuti haberi debet, vt talis, si causa iusta, quæ in reductione adfuit, cessauit.

1089 Sed ex parte subreptionis inualida potest esse reductio, si circa id quod spectat ad iustitiam causæ, vel quod debet de iure, & stylo explicari expositio facta superiori sit vel falsa, vel ex taciturnitate deficiens. De qua re multa dixi in *tract. de elect. cap. d. q. 24. 25. nu. 290.* Et in hoc opere supra *q. 185. a. 7. n. 499. & 610 & q. 186. a. 7. nu. 137.*

1090 Vbi ergo facta est reductio, sine iusta causa, si facta est ex malitia peccat, tam recipiens, & vtens reductione, quam illam concedens; & interim sacerdos est iniustus non faciens sua stipendia missarum, & illa retinens, & simul semper in Ecclesia manet obligatio ad numerum integrum missarum, Et qui reduxit, & ipse tenetur ad tollendam reductionem, & ad procurandum, & faciendum, quod missæ omissæ celebrētur. Si vero reductio facta est ex probabili ignorantia, & bona fide sine peccato, tunc manet obligatio ad numerum integrum missarum nedum pro futuro, sed etiam pro præterito, qui vero missas reduxit, tenetur statim cognito defectu reuocare reductionem. *Pasqual. d. q. 1179. nu. 7. ex Leon. p. 3. Thes. c. 21. nu. 40. Graff. p. 1. l. 2. c. 45. nu. 19.*

1091 Multæ vero sunt causæ iustæ pro reducendis missis, quæ ex *Conc. Trid. sess. 25. cap. 4. de reformat. & Decreto Vrbani Octaui de celebrat. missar. colliguntur.* Prima causa est improportio, & incongruitas emolumēti temporalis pro sustentatione sacerdotis ad numerum missarum. Hanc assignat Concil. loco citato. Et ratio est, quia sicut Ecclesia debet fideliter obligationi suæ satisfacere celebrando missas commendatas, ita illi debetur sustentatio proportionata pro sacerdotibus celebrātibus, si ergo huiusmodi sustētatio diminuatur, ad proportionē debet numerus missarū diminui, & in hoc voluntas eius, qui missarū onus imposuit esset irrationabilis, si reductioni repugnaret.

1092 Secunda causa est impossibilitas, quia esto stipendium missarum non sit diminutum, tamen quia est diminutus numerus sacerdotum impossibile est satisfieri tanto numero missarum. Hæc quoque reductionis causa habetur in Concil. Trid. loco citato. Sed videtur, quod hæc causa non sit sufficiens, quia si stipendia missarum non deficiunt, debebit Ecclesia, vel Monasterium numero missarum satisfacere per alios, qui vel in eadem Ecclesia, vel alibi celebrent. Et ideo *Fagundez, præcep. 1. Eccl. l. 3. c. 7. nu. 12.* dixit aduocandos esse extraneos sacerdotes si possint haberi. Sed è contra *Pasqual. q. 1177. nu. 5.* vult quod etiam si culpa Ecclesiæ impossibilitas satisfaciendi per suos sacerdotes acciderit, non adsit necessitas aduocandi alios exteros; quia obligatio celebrandi in perpetuum, quam suscipit Ecclesia, vel monasterium non est celebrandi per alios, hoc enim non promisit, sed est obligatio personalis, quæ nō egreditur personam. *L. quie erga casus. ff. de pecul. & l. 1. §. Illud. ff. quod leg. & l. fin. §. fin. ff. de contrahen. emp. & cap. Priuilegium de reg. iuris in 6. & notant Gloss. in cap. Mandata, de præsumpt. Iason. in l. Inter eos nu. 9. ff. de re iudic. Bart. in l. 1. ff. de acquiren. possess.* Tum secundo, quia omnis dispositio intelligitur rebus sic stantibus. *l. fin. C. de sponsal. Paris. cons. 165. n. 16. l. 4. Rota corā Seraph. decis. 129. n. 2. & decis. 52. n. 3. p. 1. Recent.* & propterea actus inducens obligationem habet conditionem si res maneant in eodem statu, Vnde Ecclesia non censetur se obligare pro statu impossibilitatis.

1093 Nihilominus considerandum est, quod vel Ecclesia, aut monasterium habet sufficientes redditus ad manutenendum numerum sufficientē sacerdotum, vel non habet. Si non habet, iam adest impossibilitas satisfactionis, & nec per se, nec per alium potest satisfacere, & datur causa rationabilis reductionis. Sed si habet tenetur dictum numerum sacerdotum alere, & si non alit tenetur per alios satisfacere omni meliori modo, quo potest fieri. Nā obligatio ad missas celebrādas nō est onus purè personale, quia nō est obligatio personę determinatæ, sed vagæ; imo est obligatio realis, quia est obligatio missæ. Imo non potest esse obligatio purè personalis, quia nō potest sacerdos aliquis obligari ad celebrandum quotidie per se ipsum, vnde illicita est institutio beneficij in qua Beneficiatus obligetur quotidie celebrare per se ipsū. *Cap. significatum, & ibi Panorm. in 3. notab. Fagnanus n. 9. Hostien. n. 5. Card. in 4. oppos. Dec. in 4. notab.* Et qui petunt missam perpetuam, non petunt illam celebrari per hunc, vel illum, sed missā celebratam petunt absolute. Ideo tunc solum adest iusta causa reducendi missas, si vere sit impossibile habere numerum sacerdotum sufficientem ad satisfaciendum, vel ea quacumque alia causa numerus missarum est moraliter impossibilis. Bene enim potest contingere, vt numerus missarū excedat numerum sacerdotum, qui possint haberi pro missis tot celebrandis.

1094 Ad has duas causas reducuntur aliæ, quæ afferuntur à DD. Nimirū si redditus Ecclesiæ, seu monasterij sint diminuti; quod intelligi debet de illis, qui assignati sunt pro onere missarum. Sed hoc spectat ad primam ex causis recensitis, nimirum ad improportionem stipendij cum onere. Nam alias si stipendia sunt numero missarum proportionata, monasterium tenetur missis satisfacere, nec potest noua onera in præiudicium præcedentium suscipere. Secunda causa assignatur, si pro alimentis sacerdotum plus requiritur, quam antea requirebatur tempore fundationis; sed & hæc causa ad primam reducitur, quæ est improportio sustentationis ad onus. Ad quam spectat etiam tertia, quæ subsequitur, nimirum si Ecclesia non habeat redditus pro expensis ad celebrandū missas, & tamen huiusmodi expensæ creuerint. Itaq. hæ, seu aliæ similes causæ, vel spectāt

ad

ad improportionem substentationis cum onere, vel ad diminutionem sacerdorum, quorum numerus ex quacumque causa non est tantus, qui possit tot onera sustinere, in his enim duabus causis iustè onera missarum reducuntur.

S V M M A R I V M.

1 *Potius reducenda alia onera, quam onera missarum. n.1095.*
2 *Et inter missas antiquiores; & loco non affixas. num. 1095.*
3 *Quantum fieri potest, seruanda est perpetuitas. 1096.*
4 *Ecclesiã non suscipere onera perpetua est nõ sufficiens causa reducendi perpetuum onus in temporale. num. 1097.*
5 *An anniuersarium possit mutari in missam conuentualem. num. 1098.*
6 *Anniuersarium in priuatas missas, & è contra potest reduci. num. 1099.*
7 *Commutatio vsus fiat in similiorem. nu. 1100.*
8 *Quando onera sunt diuersa, & disparata non licet pecuniam ad vnum vsum dispositam conuertere in alium. num. 1101.*

1095. QVæritur 16. quæ obseruanda sint in reductione missarum? Considerandum est primo, quod vbi onera sunt plura diuersi generis, vt pura onera eleemosynarum, vel officij mortuorum, potius, & prius reducenda sunt alia onera, quam onera missarum, vt declarauit S. Congregatio apud *Garz. de benef. p. 7. cap. 1. num. 531.* & aduertit *Pasqual. q.1170. nu. 3.* Missa enim excedit valore, & dignitate alia suffragia, ideò illius onus oneribus aliorum suffragiorum est præferendus. Inter missas verò antiquiores sunt magis, & faciliùs reducibiles, quia onera, quæ longiori tempore sunt adimpleta facilius relaxantur. *Nauar. cons. 11. num. 2. de celebr. miss. Barbosa de off. Episcopi all. 29. n. 3. Bordon. res. 25. num. 21. Lezana v. missa n. 30. Tambur. l. 3. c. 1. §. 2. num. 12.* Bene tamen admonet *Pasqual. qu. 1278. num. 3.* quod hoc est verum nisi aliæ circumstantiæ aliud requirant. Nam v. g. missæ, si institutæ sint ob cultum alicuius Ecclesiæ, vel ob commoditatem populi, tunc cum duret causa, & finis institutionis eadem immutata, non est earũ facienda reductio nisi cũ valde maiori difficultate. Tertiò missæ non obligatæ loco sunt magis de facili reducibiles, quam celebrandæ in certis Capellis. *Nauar. cons. 9. n. 9. de celebr. miss. & consil. 11. eod. tit. Tamb. d. num. 15. Pasqual. n. 4.* Nam in similibus missis intenditur cultus capellæ, & ideò cum maiori maturitate sunt reducendæ. Quarto missæ impositæ in fundatione, & annexæ beneficijs difficilius reducuntur. Vnde harum reductio non fuit, nec est permissa Episcopis; sunt enim veluti dotes Ecclesiarum. *Pasqual. num. 5.*

1096. Considerandum est secundo quod quãtum fieri potest seruanda est perpetuitas oneris, ideò si hæc potest seruari non possunt onera perpetua reduci in temporalia, quia mens testatorum seruari debet quantum fieri potest. Sufficere verò si horum memoria fiat in missa, vel in memento, vel in collectis ex declar. Sac. Congr. dixit *Lezana ver. missa nu. 30.* Satis tamen ex hoc colligitur, quod sustinenda est oneris perpetuitas, quantum sit possibile *Gar. tr. 3. difficul. 10. dub. 9. p. 4. num. 11. Pasqual. q. 1185. num. 3.* Si verò immineat periculum, vt fundus, super quo fundatum est onus pereat, erit legitima causa reducendi onus perpetuum in temporale, vt dicti Doctores fatentur.

1097. Ex hoc tamen colligit *Pasqual. num. 6.* non posse deduci, quod si alicui Ecclesiæ, quæ ex instituto non admittit onera perpetua, sit relictum legatum pro missa perpetua, sit sufficiens causa reducendi idem onus perpetuum in temporale, nimirum in tot missas vnica vice celebrandas, quia non seruaretur mens testatoris, & per alios possunt in eadem Ecclesia missæ celebrari; vnde Religiosi illi caderent a legato tanquam incapaces. An verò dicti Religiosi possint esse Procuratores, & executores oneris perpetui missarum celebrandarum, & hac occasione possint ipsi pro manuali eleemosyna ab eo Procuratore data celebrare, tractat *Pasqual. d. num. 6. & latius centur. 4. q. 337.*

1098. Considerandum est tertiò, quod benè ex iusta causa anniuersarium aliquod potest commutari, & reduci in missam conuentualem de die, sed tamen quidquid dicat *Gar. tract. 3. dif. 10. dub. 9. punc. 7. num. 23.* hoc non potest fieri regulariter, & auctoritate propria. Non enim est eadem ratio de solemni missa cantata pro defunctis, & de priuata, nam si relinquatur anniuersarium, tollitur solemnis commemoratio defuncti, quæ videtur principaliter intenta in anniuersario, & tolleretur certum pro incerto, quia incertum est, an missa conuentualis sit alias obligata pro fundatoribus. *Pasqualig. quæst. 1187. ex Carill. in Bull. de funer. par. 2. cap. 2. num. 27.*

1099. Considerandum est quarto quod possunt commutari anniuersaria in missas priuatas, & missæ priuatæ in anniuersaria ex iusta causa; si enim possunt missæ reduci in commemorationes, vt ex *Concil. Trid. sess. 25. cap. 4.* Multò magis anniuersaria ad missas priuatas, è contra reduci possunt, prout etiam constat ex praxi Sac. Congregationis. Quamuis verò *Garz. tr. 3. diff. 10. dub. 9. puncto 7. num. 22.* existimet posse mutari anniuersaria in missas priuatas per Episcopum; quod *Pasqual. q. 1188. num. 5.* admittit; ita tamen, vt non minuatur numerus missarum, & sic reductio solum fiat, quoad solemnitatem missæ, tamen dicendum est, quod Episcopis non licet, nisi in terminis Concilij Tridentini. & Sac. Cong. scilicet respectu onerum impositorum ante Concilium, & non in limine fundationis. Quamuis enim in hac reductione possit interuenire defunctorum vtilitas, tamen hoc cognoscere, & decernere non pertinet ad Episcopum, nisi in casibus sibi alias permissis. Quod verò Episcopus nec possit solemnitatem missarum tollere, & mutare probatum satis est supra. Episcopum etiam potius debere moderari anniuersaria, quam missas, probat *Reuerendissimus Fagnanus ad cap. ex parte num 34.* quia plus suffragij capiet anima defuncti, si pro decem Iulijs dicantur decem missæ, quam vnum anniuersarium.

tion, Con-

1100. Considerandum est quinto, quod in huiusmodi reductionibus, in quibus mucatur testatorum voluntas seruanda est regula tradita à *Concil. Tridene. sess. 25. cap. 8. de reformat.* vt scilicet, pecunia legata, quando non potest conuerti in vsus determinatos a testatore conuertatur in similiores. Ideò, quidquid in contrarium dixerit *Gar. tract. 3. diff. 10. dub. 10.* non potest Episcopus, etiam in casibus in quibus ei competit reductio missarum, reducere legatum, quod non sufficit pro Capellania ad missas vna vice celebrādas. sed si legatum sufficiat pro sustinendo aliquo onere perpetuo, in illud debet commutari, vt quantum fieri potest, seruetur mens testatoris, & conuersio legati fiat in simili aliquo, quod obseruari debere dixerunt etiam *Panorm. in cap. Nos quidem, de Testam. Imola, Ioann. & aly DD. in Clem. quia contingit, de relig. dom. Pasq. qua. 1189.* qui *n. 4. cum Megalla* benè deducit, quod Episcopus quando legatum quod non sufficit pro Capellania non potest illud conuertere in beneficiū Ecclesiæ, sed debet tale legatum pro celebratione missarum applicari (quantum fieri possit. Tum vt seruetur decretum præfatum Concilij Trid. de commutandis relictis defunctorum in vsus similiores) tum quia ex eodem *Concil. sess. 22. cap. 6. de refor.* solum ex necessitate alterandæ sunt voluntates defunctorum, & ideò tantum, quantum patitur necessitas; vbi verò celebranda sit missa quotidiana. si legatum ad hoc non sufficit, benè poterit sufficere ad missas quatuor, tres, duas, vnam in hebdomada, & ideò ad huiusmodi numerum possibilem debet reduci. Aliter fieret nō paruum præiudicium animæ defuncti, priuando illam missarum suffragijs. Vnde in casu talis concessionis Ecclesia ad cuius beneficium relictum legatum fuisset conuersum, teneretur restituere illud, imo & ad id teneretur Episcopus.

1101. Considerandum est sexto, quod licet, vt supra ex declarat. S. Cong. dictum fuit, quando onus missarum habet adiuncta onera ad alia suffragia, potius debeant illa onera reduci, & seruari integrum onus missarum, tamen vbi huiusmodi onera sint diuersa, & imposita per legata diuersa, nec vnum est alterius accessorium, & inductum veluti circumstantia, aut solemnitas alterius, sed sunt onera per diuersa legata disposita *Pasqual. qu. 1190* arbitratur, quod si legatum pro vno onere non sufficiat, non sit alterandum alterum onus, quia onera diuersa sunt, & diuersæ testatoris voluntates implendæ, vnde causa, quæ obstat voluntati vnius, non debet impedire executionem alterius. Et quæ testator voluit esse impermixta non debemus nos miscere. Sed hic pro maiori claritate puto considerandum, quod vel testator distinxit fundamenta onerum, sub quibus legat Ecclesiæ, vt si dixerit, relinquo tale fundum, vt ex eius fructu celebrentur tot missæ. & relinquo tale prædium, vt ex eius fructibus maritentur puellæ. Vel si dixerit relinquo Ecclesiæ sexaginta, vt eorum viginti dentur pauperibus, alia viginti pro anniuersario, & alia viginti, vt pro anima mea celebrentur viginti missæ. Nam in hoc dispositiones sunt nedum diuersæ, sed bona relicta ex dispositione testatoris determinata sunt ad diuersos vsus, & ideò non licebit pecuniam determinatam ad vnum vsum expressum, conuertere in alium. sed si pecunia relicta ad vnum vsum sit insufficiens minuetur illius vsus alijs intactis relictis. Sed secundo testator potest distinguere vsus non distincto, & determinato, & assignato fundo cuicumque vsui, vt si dicat relinquo hæredem N. & ei mando, vt de fructibus talis fundi tot missas celebrare faciat, & tantum panem distribuat pauperibus in die animarum, & tot puellas maritet, in hoc casu etiam, quia apparet, quod mens testatoris fuit, vt huiusmodi pietatis opera haberentur, vt distincta; & vnum independenter ab alio, si totum non sufficit omnibus, est moderandum legatum ad ratam. Vnde ego credo, quod in istis coniecturari debeat mēs testatoris, quia, & rationi conforme est, vt homo omnium virtutum actus exerceat, & non solum actus virtutum perfectiorum. Vnde non debet attendi, quod vnus vsus sit vtilior defuncto onera imponenti, quia, & Dei honor, & Ecclesiæ pulchritudo, & hominis iusti vtilitas integra raposcit varietatem virtutum, & cumulum, vnde si testator voluit determinare distinctos vsus pios, non est relinquendus vnus, pro conseruando alio. sed omnes pro posse seruari debent. Ex hac verò distinctione horum onerum, quia aliquando sunt accessoria oneris missarum, aliquando sunt per se intenta, & separata puto limitanda esse dicta superius n. 1063. & quod dicendum sit, quod quando alia suffragia à missis sunt accessoria missarū, in illis casibus, in quibus Episcopi possunt moderari missarum onera, possint etiam moderari huiusmodi suffragia accessoria. Quia cum imò in casu reductionis potius sint reducenda huiusmodi suffragia, quam missæ. & hoc peræt voluntas, & vtilitas testatoris, in damnum illius cederet, si Episcopus non posset illa reducere, quia tunc cogeretur reducere missas, si non posset reducere alia, quod in damnum cederet testatoris.

SVMMARIVM.

1 *An numerus missarum præscribi possit, variæ opiniones.* num. 1102. 1103. 1104. 1105.
2 *Numerus missarum præscribitur quoad sequentia.* num. 1106.

1102. QVæritur 17. An numerus missarum possit præscriptione minui, vel augeri? Quoniam & obligatio ad aliquid agendum pro alio, & libertas ab obligatione sunt de numero eorum, quæ præscriptione acquiri, & amitti possunt, ideò locum habet quæstio, an vbi sit obligatio v.g. Capellani ad dicendum quinque missas in hebdomada, præscriptione possit obtinere Capellanus, vt teneatur solum ad quatuor vel tres. Autē contra, an si Capellanus teneatur in rei veritate solum ad tres, Ecclesia, vel hæres præscriptione possit obtinere, vt teneatur ad quatuor, vel sex &c. Distinguendo autem difficultates, & considerando prius Capellanum ipsum, quod numerum missarum præscribere, & præscribendo minuere valeat ducent *Tamb. lib. 3. c. 7. §. 1. num. 1. Pasqualig. quæst. 1192.* quodnam verò tempus sufficiat ad præscribendum assignant multipliciter. Nam *Tambur. nu. 2,* supponens hic agi

contra

contra absentes; nimirum contra defunctos, iudicat requiri, & sufficere tempus viginti annorum *Pasqual. num.* 3. repugnat vtrique dicto: Nam ius defuncti manet in hæredibus, qui illum repræsentant, ideo nisi & isti sint absentes, non potest dici quod contra absentes agatur. Nam, & imo contra ius Ecclesiæ agitur: nam missæ principaliter spectant ad Dei cultum, qui maiore numero missarum augetur, & ad quem Ecclesia vniuersalis ius habet, & contra hoc ius agit, qui agit ad minuendum numerum missarum, & quia ad præscribendum contra Ecclesiam requiritur tempus quadraginta annorum: hoc etiam tempus est necessarium ad præscribendum minorem numerum missarum. Quod magis confirmatur, quia Ecclesia, cui acquiruntur fundi missarum habet ius exigendi onera sub quibus sibi dati fuere fundi, & ipsa illos accepit, & se ad missarum numerum obligauit. Regulanda igitur est præscriptio secundum leges præscriptionis contra Ecclesiam, & non contra absentes.

1103. De cappellanijs verò collatiuis loquendo *Perez de Lara lib.* 20. 1. *nu.* 42. loquendo de iure conferendi potat, quod sufficiat tempus ordinarium ad hoc vt Episcopus præscribat collationem, quia agitur de iure laicorum propter, quod *Pasqual. q.* 1193. illum refert, ac si ea doctrina eius sequatur, quod ad præscribendum minorem numerum missarum in his Capellanis sufficiat tempus ordinarium. Sed ipse hoc impugnat, sequens in hoc *Azor. gl.* 1. *l.* 10. *cap.* 3. *q.* 5. *Garz. de benef. p.* 1. *cap.* 42. *n.* 116. *& in addit. ad eundem locum n.* 16. *& Alphonsum de Leon. de offic. Curat. q.* 6. *sect.* 11. *n.* 187. *& sect.* 21. *nu.* 31. *& Genuen. in Practicab. Eccles. q.* 130. & existimat requiri quadragenariam, quia onera missarū huiusmodi sunt pia causa, cum sint ordinata in Dei cultum, causa autem pia æquiparatur Ecclesiæ. Sed & imo hæc præscriptio est contra Ecclesiam, quia finis institutionis harum Capellaniarum est Dei cultus, & Ecclesiæ commodum, & vtilitas, vnde Ecclesia ad missas huiusmodi ius habet maximè si Capellaniæ sunt institutæ pro Ecclesia, vel capella a fundatore electa.

1104. Sed huiusmodi DD. quærunt etiam an possit præscribi applicatio sacrificij, ita quod beneficiati, & Capellani præscribere possint libertatem applicandi sacrificium ad eorum libitum. *Pasqual. q.* 1194. putat, quod post decretum Vrbani VIII. de celebrat. miss. libertas ista applicandi sacrificium non possit præscribi ex defectu bonæ fidei, quæ ad præscribendum de iure Canonico est necessaria *cap. vigilante*, *& cap. finali de præscript.* Et quæ præfato decreto stante nequit dari cum in eo in respons. ad quartum dubium expresse sit prohibitum obligatis ad celebrādum ratione beneficij, vel alterius tituli accipere eleemosynas pro applicatione missarum, & eadē missa prætendere satisfacere obligationi tituli, & manualiter receptæ eleemosynæ, hac vero stante prohibitione excluditur omnis bona fides eius, qui in contrarium agat, quem nec excusat ignorantia, cum scire teneantur dictam prohibitionem. Vnde talis ignorantia bonam fidem non potest fundare, quia qui scire debet, & non scit, tam est in culpa, quàm ille qui scit. *l. qui scit C. de rescind. vend. l. Idem* §. 1. *ff. ad l. Aquil.* ibi, intelligit, vel intelligere debet. Sed ante præfatum decretum huius applicationis libertas potuit præscribi, quia potuit esse bona fides, nimirum, quod ea fundatione, aut conuentione non adesset obligatio, nisi ratione Diuini cultus, & commoditatis Ecclesiæ, qua stante, & adiunctis alijs necessarijs præfata libertas poterit præscribi.

1105. Vlterius verùm controuerterunt DD. an contra Ecclesiam, & obligatos celebrare præscribi possit, vt v.g. si Ecclesia, vel Capellanus per aliquot annos celebret plures missas quam teneatur celebrare, ex hoc maneat obligata vel obligatus ad eas in eodem numero celebrandas. *Fraxinel. de oblig. sacerd. sect.* 4. *contr.* 4. §. 17. *n.* 7. admittit posse hoc modo præscribendo contra Ecclesiam, aut Capellanum augeri, seu obligationem ad maiorem numerum missarum, & ad hanc præscriptionem sufficere tempus decem annorum, quia fauore Ecclesiæ cōsuetudo decēnalis obligat in futurum *cap. Ad Apost. de simon.* Quando autem dicitur, quod ad præscribendum seruitium personale requiritur tempus temporale tempus 30. annorum *DD. in l. si certis annis. C. de pact.* hoc intelligitur de seruitio vassalagij, quod infert magnum præiudicium non verò de seruitio Altaris. Sed *Tambur. l.* 3. *c.* 7. §. 1. *num.* 6. & *Pasqualig. quæst.* 1195. dicunt ius missarum nunquam contra sacerdotem præscribi posse. Sed mouentur diuersa ratione. Ille scilicet, quia seruitus personalis, quæ debetur personæ à persona nunquam præscribi potest, quia non est æquum hominem liberum fieri seruum. *l. f. C. de long. temp. præscrip.* *Pasqual.* verò mouetur, quia tantum præscribitur quantum possidetur, at verò hic nullus est, qui quasi possideat. Non enim quasi possidet hæres, qui nescit Capellanum teneri ad tantum numerum missarum; Nec quasi possidet Ecclesia, quia si est illa, in qua debet celebrari missa, illa est, quæ sostinet onus implendi per suos ministros, nullus autem possidet contra se ipsum, sed si missa non est addicta Ecclesiæ, nulla est Ecclesia, quæ habeat ius ad missas illas; nullus ergo datur, qui quasi possideat, igitur nec dari potest præscriptio. Secundo quia non datur præscriptio sine patiētia illius contra quem præscribitur, quæ hic non datur, cum Capellanos ex errore, & non ex patientia plures missas celebret, quam debeat. Vnde hic habet locum regula, quod actus per errorem gestus non nocet erranti. *l. ff. de iurisd.*

1106. Verum dicitur quod Quamuis ius religionem, & obligatio ad missas celebrandas sint res, quæ nec emi, nec vendi possint, tamen possunt donari, & possunt præscribi, sicut alia iura, aut obligationes spirituales, vt verbi gratia ius eligendi præscribitur, & ius sepelliendi. Potest vero Capellanus, aut Ecclesia cōtra fundatorem, & hæredem præscribere minorem numerum missarum, vt quod non quotidie, sed quinque, vel sex diebus in hebdomada teneatur celebrare. Quod verò hæc præscriptio debeat esse quadragenaria, benè probat *Pasqual.* quia est contra ius Ecclesiæ, & in præiudicium diuini cultus. Sed, & eadem ratione fundator, vel hæres potest contra Capellanum, aut particolarem Ecclesiam præscribere maiorem numerū missarū, & minus stipendium. Sic enim fundator, aut hæres, pro quo celebrantur v. g. sex missæ in hebdo-

hebdommada; cum solum debeantur quatuor, quasi possidet illud augmentum, & non obstat, quod hæres nesciat Capellanum teneri ad tantum numerum missarum, quia etiam errans, & nescios, quasi possidet, si de facto possidet bonum aliquod, & habet: sed & Ecclesia, quæ est fidelium congregatio, quasi possidet, quia de facto Cultus Dei illi magis multiplicatur, & sic commoditas missarum, & pariter cum hæc præscriptio sit contra Ecclesiá quadragenaria esse debet. Sed quia Regulares habent priuilegium vt contra eos præscribi non possit nisi spatio annorum sexaginta. *Tamb. l.3. c.7. §.2.n.5.* aduertit, quod contra Regularium Ecclesias non præscribitur minori annorum spacio. Sed Regularium priuilegium est vt ad præscribendum eorum bona requiratur spatium centum annorum. Hic obiter aduertendum quod Rota hoc anno bis dixit Constitut. Vrbani VIII. de præiudicialibus Ecclesiæ in qua reprobatur præscriptio quadragenaria non habere locum inter Ecclesiam, & Ecclesiarum: Hinc neq; applicatur (inquit, *Rot. in Rom. Census 13. Iunij 1663. coram Reuerendo Patre Domino meo Priolo*) *Bulla* San. Mem. Vrbani VIII. super præiudicialibus Ecclesiarum, tum quia nó cóprehendit hunc casum, in quo fuit conuenta reductio antequam censua fieret Monasterij, tum etiam quia de tempore cessionis ad fauorem Monialium iam exigebatur ad rationem scutorú 8. 20. Nihilominus esto reductio fuisset secuta post cum Patribus Dominicanis habentibus causam ab Incoronato censua impositore, adhuc Bulla non habet locum inter Ecclesiam, & Ecclesiarum, vt fuit dictum in Vicen. portionum 3. Iun. 1641. coram b.m. Dunozetto, & in Pampilonen. Patrochialium 29. Ianuar. præteriti coram R.p.d. meo Beuilaqua.

SVMMARIVM.

1 *Capellania diuersa. num. 1107.*

INSPECTIONIS SEXTAE CAP. X.

De obligationn celebrandi quotidie.

1107. TRiplíciter Ecclesiæ, seu sacerdotes sunt obligari ad celebrandum quotidie, vel scilicet ratione Capellania collatiuæ, seu Beneficij; secundo ratione Capellæ non collatiuæ: tertio ex conuentione, quomodo sæpé monasteria tenentur ad onera missarum perpetua, quæ ex conuentione susceperunt. Multa vero se offerunt consideranda circa huiusmodi perpetuas & quotidianas obligationes celebrandi, ad quas Sacerdotes obligati communiori nomine dici possunt Capellani.

SVMMARIVM.

1 *Capellanus non tenetur celebrare per se ipsú.* 1108

2 *Obligatio celebrandi per se ipsum non adest, nisi sit expressa.* 1108.

3 *Consuetudine non præscribitur.* num. 1108.

4 *Nullus potest obligari ad celebrandum quotidie per se ipsum.* num. 1108.

1108. QVæritur autem primo an Capellanus ad onera missarum perpetuum obligatus, teneatur celebrare per se ipsum? Hæc quæstio habet certam, & manifestam solutionem, nisi enim in fundatione capellaniæ expressé cautum sit, quod Capellanus celebret per se ipsum ad id non tenetur, sed potest celebrare per alium, etiam si in fundatione dicatur, quod capellania detur Capellano, qui celebret missas; & quamuis in fundatione simul cum missis iniungantur plura onera personalia, & per Capellanum ipsum obeunda, non per hoc deduci potest, quod onus missarum sit personale, nisi id exprimatur, quia a diuersis non fit illatio. Et onus hoc personale non potest cósuetudine imponi, quia cum liberum sit Capellano celebrare per se, vel alium, iam sumus in materia facultatiua, in qua actus frequenter continuati, non inducunt consuetudinem, neque præscriptionem. Et propterea *Rota in Brixien. Capell. 2. Martij* 1598. dixit, quod ad probandam consuetudinem non sufficit probare quod prædecessores aliquid egerint, nisi probetur, quod egerint coacti necessitatis alicuius debito. Itaque ergo si in fundatione Capellaniæ est quod Capellanus celebret per se ipsum, hoc seruandum est; sed si hoc, vel formaliter, vel æquiualenter non exprimatur Capellanus potest per alium celebrare. Videantur de his *Leppus alleg. 36. alias 35. & alleg. 116. & 117. Milis. v. Beneficium simplex Felin. in cap. Cum omnes num. 2. Dec. ib. num. 2. Cart. sen. cons. 61. num. 11. Gozadin. cons. 45. n. 1. Reuerendissimus Fagnanus in cap. vt Abbates, de ætat. & qual. & in cap. Conquærente, de Cleric. non resideat.* Et quamplures alij, quos referunt *Garz. par. 7. de Benef. cap. 1. num. 86. Barbosa de potest. Episc. alleg. 24. num 29. & Pasqual. de sacrif. nou. legis q.* 1117. Supradicta veró adeò vera sunt, vt si in fundatione fit, quod Capellanus celebret per se ipsum, illicita sit obligatio, si necessitatur ad quotidié celebrandum, vt ex *cap. significatum de Præbend.* colligunt *Hostien. n.9. Panorm. n. 4. Dec. in 3. Notab. Fagnanus n.2.* Existimat autem *Tambur. l.3. cap. 4. §.1. n. 5.* quod alius sacerdos inscio eo qui tenetur celebrare per se ipsú, vel alium possit pro eo celebrare, & quod satisfaciat illius oneri, & sibi debeatur eleemosyna. Vt si Petrus obligatur celebrare decem missas pro defunctis, nec celebrare curat, si Antonius Petro inscio, illas celebret, applicádo pro quibus Petrus celebrare debebat, satisfaciat obligationi Petri, & id significare possit Petró, & recipere stipendium. Sed quod extincta sit obligatio Petri non dubito, quia missæ ad intentionem fundatoris celebratæ sunt. Sed quod Petrus teneatur dare Antonio stipendium, non video quo iure affirmetur. Nam non sufficit dicere, quod Antonius dignus est mercede sua, quoniam ei, qui non iussus operatur, sed ex se ipso, licet operetur ad vtilitatem alterius non debetur operis merces, quia liberè sua sponte operatus fuit, & ideò donasse censetur, nam alias conuentio plurium non est sine consensu eorum. Ratione veró vtilitatis aduenientis alicui ab alio, nisi præcedat pactum, vel conuentio, non tenetur, qui recipit reddere aliquid nisi ex gratitudine, quia non intrat obligatio iustitiæ, sine pacto, nec pactum sine consensu, nec consensus sine scientia; & neque recursus haberi potest ad obligationem ex virtute Religionis, ratione cuius celebranti debetur sustentamentum, quia militat eadem ratio, quia sustentamentum non debetur, nisi ab eo, qui missam petit: aliter esset in potestate cuiuscumq; celebrare missas non commissas; & postea compellere personas, pro quibus celebratæ sunt ad stipendium augendum.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Capellanus non tenetur ter celebrare in die Natalis. num.* 1109.
2 *Nec feria* 5. 6. *& sabb. maiori hebd. nu.* 1110.
3 *Quid in die animarum. num.* 1111.
4 *Capellanus per se ipsum tenetur celebrare quanto frequentius potest. num.* 1112.

1109. Quæritur 2. Ad quid teneatur Capellanus, qui ex fundatione tenetur celebrare quotidiè? seu an possit aliquando vacare? Certum est, quod nisi aliter exprimatur in fundatione, in die natiuitatis Domini, non tenetur ter celebrare, sed sufficit, quod semel celebret. Quia consuetudo celebrandi ter in die Natiuitatis, est priuilegium, quo quisque potest vti, & non vti; non verò est præceptum: vnde licet obligatio celebrandi sit secundum consuetudinem Ecclesiæ, non tamen est secundum illam, quæ est priuilegium, non præceptum. Vnde Capellani est vti pro libito hoc priuilegio. Et ideò eo die sacerdos obligatus ad quotidie, vel diebus festiuis celebrandum non tenetur, nisi semel celebrare, & si ter celebrat, non tenetur nisi vnam missam applicare pro fundatore. Etenim ex vi fundationis ad semel in die celebrandum obligatur. *Lezana v. missa num.* 44. *Diana p.*4. *tr.*4. *resol.* 86. *Pasqual. q.*1133. & apud eum *Auersa, & Franciscus Lugo*. Vnde si alicubi esset consuetudo, vt pluries in die celebraretur, Capellanus ex vi capellaniæ teneretur solum semel celebrare, quia per vnius missæ celebrationē satisfit obligationi ad quotidiè celebrandum, *Pasqual. num.* 4.

1110. Certum est 2. quod Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum non tenetur celebrare feria quinta, sexta, & sabbato maioris hebdomadæ. De feria 6. res est penitus indubitata, cum in ea sacerdotes sint prohibiti celebrare. Quāuis verò non desint, qui dicant, quod feria quinta, & sabbato missæ celebrari possint, consuetudo tamen vniuersalis Ecclesiæ est, vt illis diebus missæ priuatæ non celebrentur. Lex verò Capellaniæ interpretationem sumit, & limitationem à consuetudine Ecclesiæ. *Card. de Lugo disp.* 21. *de Eucarist. n.* 46. *Lezana d. l.* 44. *Pasqual. q.* 1132. *num.* 2. Cum verò *Card. de Lugo* ibi sentiat quod si sacerdos tunc celebret teneatur celebrare pro fundatore Capellaniæ, hoc negat *Pasqual. num.* 3. Quia cum Capellanus ex vi fundationis Capellaniæ non teneatur illis duobus diebus celebrare, & si celebret non celebrat ex vi Capellaniæ, & obligationis eius, habet liberam missæ applicationem.

1111. De die Defunctorū controuersia esse potest, quia videtur, quod illa die sacerdotes teneātur celebrare pro omnibus defunctis; Nam, & missa illius diei continet preces vniuersaliter pro omnibus ab Ecclesia fusas, & titulus celebrationis est commemoratio omnium defunctorum. Quo stante ad minus videtur, quod Capellanus non teneatur applicare missam specialiter pro fundatore, sed quod teneatur eam applicare vniuersaliter pro omnibus defunctis, prout voluit *Fraxinell. de Sacerd. oblig. sect.* 4. *conclus.* 4. §. 22. sed certum esse, quod eo die non sit obligatio applicandi missam pro omnibus defunctis, ex *Alphonso de Leon de Iubil.* 3. 3. *p. n.* 21. *& de off. Capell. q.* 7. *sect.* 9. *n.* 55. *tradit Pasqu quæst.* 1134. *n.* 1. *& Tambur. l.* 3. *c.* 3. §. 1. *n.* 10. hoc probabile iudicat, & hoc supposito, quod Capellanus non teneatur illo die celebrare pro Fūdatore Capellaniæ, sed posse applicare missam pro particulari alio defuncto docuerunt *Alphons. de Leon. l. citato, Diana p.*4. *tr.* 4. *num.* 86. *Auersa q.* 11. *de Eucar. sect.* 18. qui tamen addit conuenientius esse, quod Capellanus se conformet Ecclesiæ celebrando pro omnibus. Sic & *Lezana d. num.* 44. tenuit sacerdotem eo die satisfacere suæ obligationi, si celebret pro omnibus etiam si receperit ab aliquo stipendium missæ, orando specialiter pro eo, a quo accipit stipendium. *Franciscus Lugo lib.* 4. *de Sacram. c.* 11. *q.* 6. *n.* 63. *&* 64. vult sacerdotem pro omnibus debere celebrare quamuis dicat hanc obligationē non esse rigorosam, sed maximam congruentiam. *Pasqual.* autem *d. q.* 1134. *n.* 3. arbitratur obligationem Capellaniæ eo die non cessare, quia illa dies nec iure, nec consuetudine est excepta, cum multi ea die non pro omnibus defunctis, sed pro particularibus offerant. Et tamen commemorationem omnium defunctorum esse causam sufficientem pro interpretanda voluntate fundatoris, quod contentus sit ea die Capellanum offerre sacrificium, vel pro omnibus defunctis, vel pro aliquo particulari ad se pertinente. Et ideò non posse tum Capellanum offerre pro se, vel pro aliquo viuo, vel pro defuncto ad se non pertinente, quia non est causa interpretandi voluntatem fundatoris, vt sit contentus missam offerre pro istis.

1112. Istis stantibus ad quæst. dicitur, quod obligatio ad celebrandum quotidie debet intelligi moraliter, non quia sit obligatio celebrandi per se ipsum singulo die sine aliqua vacantia, sed quia est obligatio ad celebrandum frequentius quanto fieri potest salua honestate, & deuotione Sacratissimum missæ Sacrificium, ita *Gloss. Hostien. Dec. Panorm. Reuerendissimus Fagnanus, Barbosa, & alij DD. ad cap. significatum de Praben. Syluest. v. missa.* 1. *n.* 7. *vers. quintum Tabien. n.* 44. *Armill. num.* 28. *Azor. p.* 1. *l.* 10. *cap.* 24. *q.* 6. *Suarez. disp.* 86. *sect.* 1. §. *de Beneficijs Fagundez. prec. Ecclesi. l.* 3. *cap.* 15. *num.* 11. *Palaus p.* 4. *tra.* 22. *punct.* 12. *num.* 1. *Diana p.* 2. *tract.* 14. *resol.* 28. *Leand. tract.* 8. *disp.* 4. *q.* 14. *Lezana v. missa n* 44. *Card. de Lugo disp.* 21. *de Eucarist. n.* . *Bonacc. disp.* 4. *quæst. vlt. p.* 7. §. 2. *Rota decis.* 496. *num.* 7. *p.* 1. *recen. Nicolius in Flosc. v. Capellanus num.* 1. *Garz. p.* 7. *de benef. cap.* 1. *num.* 87. *Pasqualig. de sacrif. noui legis quæst.* 1117. & apud eum, & alios plures alij. Nam in cap. significantium de præbend. Alex. 3. cum Capitulum Insul. Ecclesiæ contulisset alicui sacerdoti præbendam cum obligatione celebrandi quotidie, hanc obligationem restrinxit, & declarauit, *Vt prædictus sacerdos nisi infirmitate corporis fuerit impeditus assiduè debeat officium suum impendere Ecclesiæ memoratæ, & quanto frequentius potest (salua honestate sua, & deuotione) missarum solemnia celebrare, nec sibi licebit, hoc illi subtrahere sine causa voluptatis, siue se ad aliam Ecclesiam transferendo.* Obligationi igitur quotidie

tidie celebrandi satisfacit Capellanus, si cum non detinetur infirmitate, assiduè celebrat quanto frequentius potest, salua honestate, & deuotione quia nec ad amplius tenetur sacerdos quãtum ad carnẽ subditus infirmitatibus, & quantum ad animũ sentiens in membris suis legem repugnantem legi mentis, & se captiuantẽ in lege peccati; futurum est enim, vt talis sacerdos aliquando vel infirmitate, vel peccato impediatur ne valeat cum honestate, & deuotione debita celebrare, & ideò non potest obligari ad celebrandum per se ipsum singulo die indefectibiliter, sed assiduè quanto poterit frequentius,

SVMMARIVM.

1 *Regula vt liceat Capellano vna die in hebdomada vacare improbatur. nu. 1113.*

1113. Q*Var.* 3. An Capellanus obligatus ad celebrandum quotidie possit vacare vna die, qualibet hebdomada. *Ex d. cap.* significatum, hoc colligunt. *Bonac. disp. 4. quas. vlt. p. 7. §. 2. nu. 16. Lezana v. missa, nu. 42. Diana p. 2. tr. 2. resol. 28.* Vbi quod hoc sit de consuetudine, *Pasqualig. quas. 1127. n. 10.* Vbi quod aliquando etiam possit vacare bis, si adsit rationabilis causa, qualis esset defectus deuotionis, aut notabilis distractio, quam causaret, aut difficile negotium, aut infortunium aliquod, vt tradit. *Nauar. cons. 6. de prab. Tambur. l. 3. cap. 3. §. 1. nu. 4.* & quia celebrare quotidie sit onus nimis graue, quod imponere fundatorem non præsumitur. Sed hæc regula non deducitur ex præfato cap. significatum, vt fatetur etiam, & probat Tambur. nec conuenienter asseritur. Quia vel sensus est, quod Capellanus, siue impeditus infirmitate, aut indeuotione, siue non, possit vno die in qualibet hebdomada vacare, vel sensus est, quod possit id facere incursu alicuius impedimenti. Primus sensus est contra textum præfatum, qui nedum non permittit vacantiam nisi ex impedimenti suppositione, sed expresse prohibet eam ex causa voluptatis; qui vero non impeditus abstinet à celebratione missæ ad quam tenetur, abstinet ex voluptate, non ex causa rationabili; quia solum impedimentum præbet causam rationabilem non satisfaciendi propriæ obligationi. Sed si accipitur secundus sensus, non bene limitatur cõcessio ad vnum diem, quia infirmus etiam tempore infirmitatis per totam hebdomadam poterit vacare, & indeuotio ad plures dies potest aliquando durare, nec infirmitas, aut indeuotio est obligata regulæ, vt adueniat singula hebdomada, & nonnisi semel in hebdomada singula. Dicendum igitur est, quod hic non potest, nec debet dari ordinaria licentia vacandi, nec semel in hebdomada, nec semel in mense, sed solum quod liceat vacare sub conditione legitimi impedimenti. Quod est de mente Canonistarum, *Syluest. Tabien. Armill. Suarez.* & aliorum, qui dixerunt quod Capellanus tenetur celebrare, quanto frequentius potest salua honestate, & deuotione, & sanitate, quæ est expressa conclusio. *Alex. 3. in dicto textu.* Nec valet ratio allata à *Tambur.* quia scilicet celebrare quotidie sit onus graue, & difficile, & sic præsumendum sit fundatorem nolle illud imponere, quia non valet præsumptio contra expressam significationem verborum; fundator enim exigit sacerdotem celebrare quotidie, & sub hoc onere dat eleemosynam. Eo magis quod idem *Tambur. nu. 5.* asserit probabilissimam opinionem esse, quod optimum sit sacerdotem quotidie celebrare sine vlla intermissione, *& nu. 7. impugnat Bonacinam disp. 4. quas. vlt. p. 7. §. 2. nu. 17.* dicentem illicitum esse sacerdotem celebrare quotidie. Nam & dantur pij sacerdotes quotidie celebrantes, & Regula sacerdotum societatis Iesu eis iniungit, vt quotidie celebrent, & *Cass. l. 6. de spir. For. c. 8.* approbat consuetudinem monachorum quotidie sacrificantium, imo & communicantium. Itaq; igitur celebrare quotidie, vbi non adsit impedimentum non est onus tam graue, quod illud nõ possit fundator iuste petere, & quod præsumendũ sit non petere, sed dum expresse petit sacerdotẽ celebrare quotidie bene præsumitur eum velle, vt sacerdos per se ipsum quotidie celebret, si non sit impeditus, vt habetur ea d. cap. significatum. Et sic iam manet exclusa regula de vacantia in singula hebdomada, quia impedimentum non habet regulam. Quod confirmatur. Nam vacare semel in hebdomada est vacare in anno 52. vicibus, quæ est septima pars totius numeri missarum debitarum in anno, septima autem pars non est minima, nec parua. Et quia contingere potest, quod in multis hebdomadibus superueniant impedimenta, ex quibus necessitetur Capellanus ad vacandum in hebdomada pluribus diebus, si adhuc in alijs hebdomadibus liceret vacare vno die numerus valde cresceret ad sextam, vel quintam partem missarum debitarum cum maximo præiudicio fundatoris. Nec obstat, si dicatur, quod consuetudo interpretata est hanc obligationem, vt vacantia in hebdomada liceat, quia præsupponitur, quod semel in hebdomada contingere possit impedimentum rationabile. Quia hoc de impedimento infirmitatis rationabiliter dici non potest, cum regulariter hominis sanitas duret inuiolata ad annos, & lustra, & quãdo aduenit infirmitas rarissima est, quæ per vnum diem duret, vnde ratione infirmitatis non potest statui vacantia ordinaria per vnum diem in hebdomada. Impedimentum autem indeuotionis est voluntarium, & irrationabiliter supponitur ea regula ordinaria; sed Capellanus conari debet, vt nunquam sit indeuotus: & permittere Capellano, vt ex regula ordinaria possit ex indeuotione semel in hebdomada vacare, hoc est concedere quod possit esse indeuotus, & præbere illi indeuotionis occasionem, seu laxare ad indeuotionem habenas. Verum quia aliud est, quod Capellanus non teneatur celebrare per se ipsum, & aliud est, quod absolute non teneatur celebrare, nec per se, nec per alium, ideo huius quæstionis plenior resolutio habenda erit, dum infra determinabitur quando, & ex qua causa possit Capellanus vacare à celebratione non supplendo per alium. Nam alias etiamsi Capellanus sit obligatus ad celebrandum per se ipsum, frequentius potest adesse causa rationabilis non celebrandi si Capellanus celebret per alium. Obligatio enim celebrandi quotidie in perpetuum per se ipsum non potest esse multum grauis, nec multum æstimata à fundatore,

quia

quia cum huiusmodi obligatio in futurum ad varias personas diuersarum qualitatum, & incertarum pertineat, non potest dici, quod Fūdator elegerit industriam personæ, vel eius aliquam singularem qualitatem, aut virtutis excellentiam; ideo nec est vnde præsumatur, quod Fundator multum curet de tali obligatione, nisi id specialiter expresserit, vel qualitatem specialem in Capellano elegerit.

SVMMARIVM.

1 *Quæ infirmitas excuset Capellanum à celebrando. nu. 1114.*
2 *An quæ excusat à non audienda missa excuset à non celebranda. nu. 1114.*
3 *Sola facilior curatio an excuset. nu. 1114.*
4 *Quid de quartana, dolore stomachi. nu. 1114.*
5 *Infirmitas etiam leuior potest excusare Capellanum ne celebret per se ipsum, dummodo celebret per alium. nu. 1114.*

1114 QVær. 4. Quæ infirmitas excuset Capellanum à celebratione missæ? Ad duo genera reducuntur impedimenta, ob quæ Capellanus excusatur à celebratione, nimirum ad infirmitatem, & indeuotionem. In præsenti igitur quæritur quænam, & qualis infirmitas sit, quæ iustum impedimentum præbeat celebrationi. Datur vero regula, vt hæc infirmitas sit illa, quæ reddit celebrationem saltem moraliter impossibilem. Hæc vero illa est, cum qua iungi non potest celebratio missæ, nisi cum graui, & notabili detrimento salutis, seu status, in quo homo quoad sanitatem reperitur. *Pasqualig. quæst.* 1124. hanc regulam probat, ex eo quia ad excusandam solutionem eius, quod debetur ex iustitia non excusat quantitas rei reddendæ, seu soluendæ, sed requiritur impossibilitas soluendi sine magna iactura proprij status.

Ex præfata vero regula colligit primo. *Pasqual. nu. 3. contra Quintanad: tom. 2. singul. tr. 1. sing. 24.* quod non semper infirmitas quæ excusat ab audienda missa, excusat etiam à missa dicenda. Quia licet sit difficilius, & magis laboriosum, & sanitati infirmi contrarium missam celebrare, quam audire, vnde qui non potest sine valde graui damno salutis audire missam, multo minus poterit illam celebrare, tamen quia præceptum audiendi missam non obligat cum tanto rigore, cum quanto obligat præceptum celebrandi missam in Capellano, ideo potest esse, quod minor impossibilitas excuset à præcepto audiendi missam, quam à præcepto eam celebrandi.

Colligit secundo, quod sola facilior curatio infirmitatis, nisi sit coniuncta cum periculo grauis damni, quantum ad statum salutis, non sufficit, vt Capellanus excusetur à celebratione missæ. Vnde licet tussis, vel catarrus faciliorem curam haberet, si Capellanus non surgeret electo; hæc tamen non est causa sufficiens non celebrandi. Nam nec homines communiter propter huiusmodi causam cessant à suis ordinarijs exercitijs, vnde multo minus Capellanus ob similem causam debet cessare à celebratione missæ ad quam tenetur. *Pasqual. d. n. 3.*

Colligit tertio, quod febris quartana, aut tertiana non excusat Capellanum à celebratione missæ in illis diebus in quibus sit liber à febri. *Pasqual. nu. 4. Quintanad. d. sing. 24. nu. 4.* cui tamen non esse adhærendum ait *Pasqual.* pro quanto asserit sufficere pro excusatione, quod celebratio sit mediocriter nocitura. Nam vt dictum est contra obligationem Capellani non valet mediocre damnum, aut impedimentum.

Colligit quarto, quod dolor stomachi, capitis oculorū lipitudo, aut caligatio, aut fluens humor, senectus, leue vulnus, aut quæcumq; alia infirmitas similis, si solum mediocre nocumentum affert, quidquid in contrarium dixerit. *Quintanad. d. sing. 24. nu. 2. & 3.* non excusat. At vero excusabitur Capellanus si notabile nocumentum sequatur, vt si nō possit sine graui damno tenere caput discoopertum, si vulneratus in digitis, non possit sine notabili nocumento eos discooperire; si non potest rectus stare, & se super pedes sustentare; si laboret graui vertigine, & tunc maxime, si adsit periculum alicuius inconuenientis in celebratione; si sit ita senex, & decrepitus vt sine graui indecentia celebrare non possit, quamuis etiam si posset fieri in sacello aliquo seorsum celebrare deberet, quia tunc aliqua parua indecentia permitti posset. *Pasqual. 5. 6. & 7. Vbi numero 8. contra eundem Quintanad. d. sing. 24. nu. 6.* deducit non excusari Capellanum, si non celebret, cum aliunde legat, ludat, & similia exerceat, quæ indicant eum posse celebrare. Nec obstat, quod illa exerceantur cum recreatione, quia etiam missa delectabit, si adsit deuotio, & amor adimplendæ obligationis.

Colligit quinto, in dubio an infirmitas excuset standum esse iudicio Medici, & vnius iudiciū sufficere. Peritis enim in arte standum est. *c. Fraternitatis, de frig. & malef. Quintanad. n. 8. Pasqual. n. 9.*

Verum circa huiusmodi asserta considerandum est, quod ad excusandum Capellanum, vt non teneatur celebrare per se ipsum, & tussis, & catarrus, & quartana, & dolor stomachi, aut oculorum, & similia præbere possunt legitimam causam, quia ad hanc sufficit mediocre damnum, nisi circumstantia ista celebrandi per se ipsum ex aliqua graui causa sit electa à Fundatore, quod in Capellanijs perpetuis non tam de facili continget. Et in eo casu si Capellanus celebret per alium eiusdē qualitatis, non multum intererit Fundatori. Et certe ex *d. cap.* significatum, cum ad excusandum Capellanum sufficiat indeuotio, quæ est quid liberum, quod potest tolli ad nutum Capellani, pariter excusabunt infirmitates inuoluntariæ licet leniores ad arbitrium prudentis viri, & Medici si ex celebratione aliquod æstimabile licet nō tam graue nocumentum immineat. Sed si velimus loqui de infirmitate, quæ excuset Capellanum ne etiam celebret per alium; alia quæstio est. Supponit vero Pasqual infirmitatem excusare Capellanum etiam vt non celebret per alium, quo supposito verum esset, quod sola illa infirmitas excusaret quæ reddit celebrationem impossibilem, seu cum qua sine graui detrimento salutis non potest iungi celebratio, & consequuntur ea, quæ ipse colligit. Sed suppositum illud incertum est, & de eius subsistentia est sequens quæstio.

SVM

SVMMARIVM.

1 *An Capellanus infirmus teneatur per alium celebrare. nu.* 1115.
2 *Affirmant aliqui. nu.* 1115.
3 *Negant alij. nu.* 1115.
4 *Quid sentiat. Pasqual.. nu.* 1116.
5 *Ex cap. significatum de Praebend. non colligitur, quod Capellanus infirmus non teneatur supplere per alium. nu.* 1117.
6 *Procurator debet facere, vt semper celebretur, nu.* 1118.
7 *Non est discrimen inter Capellanum Collatiuum, & non Collatiuum. nu.* 1119.
8 *Capellanus infirmus tenetur supplere per alium. nu.* 1120.
9 *Non est eadem ratio de recitatione officij, & celebratione missæ.* 1121.
10 *Famulis infirmis an debeatur salarium.* 1122.

1115. QVæritur propterea quinto, An quando Capellanus non celebrat ratione infirmitatis teneatur per alium sacerdotem supplere? In hac quæstione sunt multæ opiniones. *Bonnins tom. 1. Theol. moral. tr. 10. q. 58. concl. 1.* absolute affirmat. Tum quia pacta sunt seruanda *cap. 1. de pactis*. Tum quia quod datur ex certa causa, si adimpleri non potuit, repetitur. *L. Si pecuniam, ff. de condict. cau.* igitur si Capellanus quotidie non celebrat, redditus Capellaniæ repetuntur. Tum tertio, quia aliter fundator priuaretur maximo fructu. Tum quarto, quia Conc. *Trid. sess. 25. cap. 4. de reformat.* onerat conscientias eorum, qui recipiunt eleemosynas pro missis, si missas prætermittant. Tum quinto, quia non valet arguere à *cap.* significatum, *de praeben.* quia ex quo Pontifex voluit, quod Capellanus ille excusaretur ratione infirmitatis, nō sequitur quod idē velint fundatores. Tū sexto, quia diminuto labore diminuitur salarium. Cum ergo Capellani labor, si per alium non suppleat minuatur, sequitur quod minui debeat eius salarium. Tum septimo, quia ex vi Capellaniæ tenetur Capellanus celebrare vel per se, vel per alium; ergo eo impedito non cessat obligatio, quia potest per alium celebrare. Secunda sententia distinguit, & ait quod si infirmitas sit parua Capellanus non tenetur supplere per alium; tenetur vero si infirmitas sit longa, & diuturna. Huius vero sententiæ sectatores non conueniunt in assignando tempore breuis infirmitatis. Nam alij breue tempus dicunt esse 8. aut 10. dierum. *Rodriq. p. 1. cap. 247. concl. 3. Rec. d. 320. nu. 3. p. 2. Barbos. alleg. 24. nu. 31. Diana p. 2. tr. 14. res. 27. Genuen. in Praxi c. 46. n. 2. Molfes. p. 1. tract. 6. cap. 1. n. 76. Homob. p. 3. exam. trac. 4. cap. 13. quaes. 122.* Sed alij extendunt hoc tempus ad 15. dies. *Bonac. disp. 4. q. vlt. p. 8. §. 2. nu. 17. Ludou. à Cruce in Bullae. camp. disp. 3. dub. vlt. nu. 16. Lezana v. missa. nu. 40. Trullench. l. 3. de Sacram. cap. 8. dub. 11. nu. 9. Diana vbi supra.* Alij protrahunt ad mensem. *Concil. Mediolan. 7. tit. de missa*; quod tamen requirit quod Capellanus per annum inseruierit. *Layman. lib. 5. tr. 5. cap. 3. nu. 6. Thomas Hurtad. p. 1. trac. 3. cap. 4. res. 8. nu. 91. & 92.* qui interpolate admittit etiam spatium duorum mensium. Alij deducunt vsque ad duos menses. *Petr. Nauar. l. 2. c. 2. n. 210. Nald. v. missa. nu. 11. Vega cap. 28. casu 14. Rodriq. item cap. 256. concl. 3.* & probabile putat. *Card. de Lugo disp. 21. nu. 49. Dicastill. tr. 5. disp. 4. dub. 21. nu. 411. Quintanad. tom. 2. sing. 18. nu. 2. Tambur. l. 3. cap. 5. §. 1. nu. 3.* prælatas opiniones probabiles putat. Hæc vero probari possent, quia *Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de reformat.* permittit Parochis abesse per bimestre; igitur bimestre est tempus breue. Tum secundo, quia in *l. arboribus §. de illa. ff. de vsufructu, & ibi Glos.* non est negandum salarium famulo qui exiguo tempore egrotauerit, Capellanus vero non est inferioris conditionis famulo.

1116 *Pasqualig. vero quaes. 1122.* distinguit tres casus, quorū primus esset, vbi qui habet onus missæ perpetuæ est simplex Procurator, & executor ad faciendum celebrare missas. Secundo de Capellano Capellaniæ non collatiuæ. Tertio de Capellano Capell. Collatiuæ.

Dicitur primo, quod Procurator, seu Executor habens onus faciendi celebrare quotidie, tenetur procurare vt singulo die habeatur missa, & inuenire sacerdotem sanū, qui celebret. Obligatio enim non restricta vni personæ, sed ad omnes in genere extensa nō excusatur ex huius, vel illius infirmitate, dūmodo remaneāt personæ sanæ per quas possit obligationi satisfieri: modo Procurator aut executor in nostro casu non est obligatus alicui personæ, sed per quemcumq; potest procurare missam celebrari; igitur si Capellanus electus infirmetur, debet alium eligere. Et Capellanus manualis ex infirmitate non excusatur, quia recipit onus missarum vti singularum, & tanquam si essent manuales, recipit enim stipendia sub onere celebrandi tot missas in effectu singulo die, quot sibi ad rationem stipendiorum præscribuntur, non vero suscipit munus aliquod, aut officium ad quod sequatur obligatio celebrandi. Et hoc magis explicatur, quia mens testatoris in hoc casu est quod missa singulo die celebretur; igitur hoc est implendum, & ideo si non possit celebrari per vnum sacerdotem debet celebrari per alium.

In secūdo casu arbitratur *Pasqual.* quod vbi Capellania non est collatiua Capellanus infra primū annum si solum cessat per octo vel 10. dies à seruitio ratione infirmitatis non teneatur supplere, & post primum annum seruitij si per mensem, & post plures seruitij annos, per longius tempus menses proportionabiliter. Mouetur vero ex similitudine serui, cui infirmo non debetur salarium *l. si vno §. item cum quidam ff. Locati. Abbas in cap. 1. de Cler. egrot. Conar. variar. l. 3. cap. 13. Franc. in cap. vn. §. Qui vero, de Cler. non resid. in 6. Anch. & Imol. in cap. 1. de locato.* Et tamen eidem famulo si paruo tempore ægrotat salarium non debet negari *l. Arboribus §. De illa ff. de vsufructu. & l. Si cum dotem §. sin autem ff. solut. matrim. Abbas, & Conar. vbi supra.* Sic & Capellano si per modicum tempus egrotet debetur salarium. Et sicut DD. loquentes de famulo indicant breue tempus esse 8. vel 10. dierum, ideo hoc etiam est probabile de Capellano, & sicut in famulis quo longius fuit seruitus maiorem meretur beneuolentiam, & aliquam recognitionem vltra salarium, & vt magis

gis

gis adiuuentur in infirmitatibus, ita etiam conuenit, vt Capellanus, qui fuit diligens in præstando seruitio, quo maiori tempore præstiterit, proportionaliter, & magis excusetur, si post longam sanitatem, & seruitium contingat illum infirmari.

In tertio vero casu loquendo de Capellania collatiua putat Pasqualig. licet non absolute asserendo, quod Capellanus infirmus absoluatur ab obligatione celebrandi pro omni eo tempore, in quo est infirmus, nec teneatur supplere, & faciat fructus suos. Quoniam *in cap. significatum de preben.* vbi Capellanus electus ad quotidie celebrandū cōfirmatur cū electio clausula exceptiua, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, & sic excluditur quodcumque tempus infirmitatis, quia totum hoc tempus excluditur ab obligatione. Nam dictio Nisi est taxatiua, & taxat proinde pro tempore celebrationis totū illud quod est extra tēpus infirmitatis. Tum secundo, quia cum Capellanus teneatur etiam ad recitandum diuinum officium, nihilominus ab eo excusatur tempore infirmitatis, nec tenetur aliquid restituere. Tum tertio, quia infirmus etiam si non interfit lucratur distributiones; sic ergo, & Capellanus infirmus faciet fructus suos, etiam si non celebret. Tum quarto, quia Capellania collatiua est beneficium, At vero Beneficiato fructus Beneficij non dantur, vt merum stipendium pro labore, sed dantur in titulum, & administrationem, vnde officium propter quod datur beneficium est personale, & iuxta naturam personalium non excedit personam, & eius vires; & ideo Beneficiatus non tenetur ad celebrandas missas, quando est infirmus. Limitat tamen assertionem, vt si substitutus sit solitus celebrare per substitutum, infirmitate non excusetur, quia tum non ideo cessat à celebratione, quia sit infirmus, sed quia non est solitus celebrare per se, sed per substitutum. Obiecta vero in oppositum breuiter vno verbo omnia ab eo soluuntur, quia obligationes seruandæ sunt iuxta mentem, & conuentionem, & quatenus maneant in vigore, & robore, obligatio vero ad celebrandum tempore infirmitatis nō adest in præfatis casibus, & hoc est de mente testatoris. Vnde cessante obligatione Capellanus non tenetur inseruire per alium.

1117 In hac difficultate mihi primo dicendum videtur, quod *ex cap. significatum, de Praben.* non colligitur, quod Capellanus infirmus non teneatur celebrare per alium, si non celebrat per se ipsum. Ratio est, quia casus illius Capituli erat Beneficiati, seu Capellani, qui quotidie tenebatur celebrare per se ipsum, quantum sit ex conuentione sub qua illi tradita fuerat Capellania, vt patet ibi, *vel cuiquam præbendæ illius anniuersarium delegare*, hæc enim delegatio ex conuentione illi erat prohibita; Directe ergo quæstio erat de obligatione ad celebrandū per se ipsum; Pontifex ergo dum hunc casum determinat, & decernit talem Capellanum non teneri celebrare in infirmitate, & extra infirmitatem non teneri ad celebrandum nisi frequentius salua deuotione, & honestate, directe non decernit, nisi quod tunc non teneatur celebrare per se ipsum. Sed an tunc teneatur supplere per alium non determinat, quia de hoc puncto non erat quæstio; ex eo igitur capite non colligitur, quod infirmus Capellanus non celebrans per se ipsum non teneatur supplere per alium. Et hoc confirmatur, quia alias sequeretur, quod Capellanus etiam si per menses, & annos ægrotaret non teneretur supplere, quia in eo cap. absolute decernitur, quod Capellanus infirmus non tenetur celebrare, nec limitatur ei tempus, sed indeterminate, & absolute, & quandocumq; sit infirmus non tenetur per se ipsum celebrare; si ergo ex hoc colligi posset, quod nec teneretur supplere, nunquam teneretur, cum ex infirmitate cessat, quia ex vi dicti capitis ex causa infirmitatis semper potest cessare à celebratione. Sed hoc absurdum non sequitur, quia in illo cap. decernitur quidem, quod infirmus non tenetur per se ipsum celebrare, sed non dicitur, quod tunc non teneatur per alium supplere.

1118 Dicitur secundo verum esse, quod *Pasqual.* dixit de executore obligato ad procurandum, vt quotidie missa celebretur; quia iste tenetur inuenire Capellanum sanum qui celebret.

1119 Dicitur tertio non esse in hac parte discrimen per se loquendo inter Capellanum Collatiuum, & non collatiuum, sed vtrumq; esse obligatum ad celebrandum simili obligatione, quæ est ex re à Fundatore donata expresse sub onere quotidianæ missæ. Nec oppositum colligitur ex cap. significatum, quia ibi non fuit quæstio de obligatione supplendi, vel non supplendi per alium. Nec est simile de obligatione recitandi officium priuatim, vel in choro, & de obligatione expressa missarum. Quod euidenter colligitur ex hoc, quod Beneficiatus etiam malitiose omittens officium non tenetur illud supplere àlio die, & tamen certum est quod Capellanus qui missam omisit, tenetur si potest missam celebrare, quod si nolit, vel non possit tunc postea tenetur restituere. Sed principale discrimen est, quod obligatio Beneficiati ad recitandum officium non est ex cōuentione expressa inita cū aliquo qui expresse dederit Beneficiato aliquid sub modo, & onere quotidiano diuini officij, sed eius obligatio est ex institutione, & præcepto Ecclesiæ, quæ noluit obligare infirmum ad officium recitandum. Bona enim Ecclesiastica, quæ dantur beneficiatis non fuerunt data Ecclesiæ expresse sub hoc vel illo onere determinato, sed data fuerunt intuitu ministerij spiritualis in genere, determinatio vero huius, vel illius ministerij, & præcipue quod Beneficiati tenerentur ad officium diuinum fuit ex Ecclesiæ institutione, & præcepto, vt habetur ex *Syluest. v. hora, q. 8. & probat Suarez. l. 4. de horis Canon. cap. 18.* Et ideo ita tenetur beneficiatus ad officium, sicut illum Ecclesia obligat, illa vero non obligat beneficiatum infirmum; vnde infirmus beneficiatus, si non recitat officium nec peccat, nec tenetur ad restitutionem fructuum. Sed Capellanus etiam si beneficiatus gaudet fructibus determinat, & expresse datis Ecclesiæ ex conuentione, vel certe sub onere missæ quotidianæ, & quidem ita quod principale intentum est missa quotidiana, & quod hæc sit celebranda per ipsum Capellanum de secundaria intentione est, & ideo longe diuersa ratio est de Beneficiato in ordine ad recitationem officij, & de Capellano in ordi-

ordine ad celebrationem missæ, & non est hic discrimen inter Capellanum beneficiatum, & non beneficiatum, sed vterque recipit emolumentum sub determinato, & expresso onere celebrandi missam quotidie, vel ergo nullus eorum, si infirmus esset, tenetur supplere, vel tenetur vterq. Nec obstat, quod Beneficiatus faciat fructus suos ratione tituli, quia cum titulus ipse, & bona beneficij sint illi data sub expresso onere celebrandi quotidie, nec titulum, nec bona possidet, nisi sub illa expressa obligatione celebrandi missam quotidie, sicut & Capellanus non beneficiatus. Vnde non est inter eos in hoc puncto dicrimen, & merito alij DD. commune hoc discrimen non agnouerunt, sed indifferenter vtrumq; Capellanum, vel obligauerunt, vel excusarunt ab obligatione, si pro paruo tempore ægrotet.

1120. Dicitur 4. quod per se loquendo Capellanus infirmus si non celebrat per se ipsum tenetur supplere, & celebrare per alium. Hoc determinauit *S. Congr. Episc. & Regular.* 12 *Nouar.* 14. *Maij* 1627. cuius declarationem referunt *Nicol. ad tit de celebr. missarum num.* 20. & *Pasqual. q.* 1116. *num.* 9. & est infrascripti tenoris *S. Congr. &c. Respondit Sacerdotem, cui à testatore impositum fuit onus quotidie per se celebrandi, si legitime impediatur, quominus id munus per se possit explere, teneri per alium satisfacere oneribus missarum sibi à testatore impositis*. Et cum Sac. Congr. loquatur de Capellano obligato ad missas à testatore, non est vnde vt *Pasqual.* explicat, excipiantur Capellani Beneficiati, quia ipsi ad beneficia sub expresso onere missarum fundata à testatoribus assumútur. Ratio vero est, quia hæc est natura donationis sub modo, & onere, vt donatarius teneatur subire onus impositum; in nostro autem casu onus est celebrandi quotidie; & licet onus sit celebrandi per se ipsum, tamen hoc se habet, vt secundarium & sub conditione intentum, quatenus scilicet non sit legitimé impeditus, at onus principaliter intentum est celebratio quotidie habenda. Et hoc fateri conantur, etiam DD. supra citati qui Capellanum excusant ne teneatur suplere solum si sit infirmus ad breue tempus; Nam alias ex eo quod Capellano imponitur vt celebret per se ipsum, si celebratio simpliciter ex hoc, & principaliter esset affixa personæ, sequeretur, quod Capellanus impeditus etiam si ægrotaret per annum numquam teneretur supplere, quia in eo casu non teneretur nisi per se ipsum celebrare, & cum id esset impossibile ad nihil teneretur, quia ad impossibile nemo tenetur. Vnde euidens est, quod in hac parte limitatio ad breue tempus inconsequenter adducitur. Quia ex quo quis obligatur ad celebrandum quotidie per se vel intelligitur, quod obligatio tota sit affixa personę absoluté, & simpliciter; & si hoc est, nunc cum Capellanus non potest celebrare est omnino solutus ab obligatione, quia non tenetur celebrare per alium ex vi obligationis suæ personæ absolute, & simpliciter affixæ, & per se ipsum est impossibile, quod celebret, & ita etiam si ad longum tempus huiusmodi Capellanus sit infirmus taliter vt non possit celebrare, ad nihil tenebitur. Vel intelligitur, quod obligatio celebrandi per se non sit obligatio absolutę affixa personæ, sed solum sub conditione, ita quod obligatio absoluté respiciat celebrationem quotidianam, personam vero Capellani solum afficiat quatenus possit per se celebrare, & tunc Capellanus tenetur celebrare si potest per se, & si non potest per se tenetur celebrare per alium, & sic tenetur simpliciter supplere, quia obligatio non est affixa personæ nisi conditionaté, & secundum quid, & sine præiudicio principaliter intenti, quod est quotidiana celebratio.

1121. Et hæc magis confirmantur, quia adducta in contrarium non probant: quod enim Parocho sit permissum abesse à Parochia per menses, ratio est, quia non habet Parochiam sub expresso, & determinato onere residendi singulis diebus, sed quatenus opus sit ad bonum regimen animarum, ad quod sufficit, quod adsit aliquando per substitutum. Et tamen nunquam potest abesse, nisi suppleus per substitutum. Pariter vt dicebatur, Beneficiatus obligatur ad recitandum officium, sed non quia emolumenta beneficij à fundatore illius data sint illi sub expresso onere illud recitandi quotidie, sed ex institutione Ecclesiæ, quæ instituit, vt Beneficiatus infirmus ad officiū non teneatur, vnde onus recitandi officium est onus affixum personæ absoluté, & simpliciter, & ideo non obligat, quando persona est impedita ne per se ipsam recitet. Sed Capellano emolumenta dantur sub onere expresso celebrandi quotidie, & ideò si non potest per se ipsum tenetur supplere per alium. Minus vero obstat, quod adducunt de famulo, cui ad breue tempus octó, vel decem dierum debeatur salarium, si sit infirmus. Nam primo hoc non est verum. Et ex legibus citatis nihil prorsus habetur, quod ad rem faciat, vt patet eas legenti. Et si id asseruit *Gloss. in d.l. arboribus*, contrarium sensit communis opinio, vt fatetur *Pauor. ad cap.* 1. *n* 9. *de cler. ægrotan.* & malè à *Pasqual.* pro sua opin. referuntur *Pauorm. & Couar.* quia *Pauor* loco citato oppositum necduo sentit, sed ait esse communem DD. opinionem. *Couar.* autem loco citato *l.* 3. *var. c.* 13. *nu.* 5. relata prius opinione eorum, qui dixerunt salariū deberi famulo infirmo ad breue tempus, postea sententiam contrariam amplectitur, quam etiam dicit veriorem secundum *Imolam*, & pro eodem refert *Anton. Anchar. Bartol. Oldrad. Albericum Sibicum, Aufrer. Card. & Baptistam de S. Seuerino*, & respondet ad iura in contrarium adducta, & ostendit cur infirmis dentur distributiones, & tamen infirmis famulis non detur salarium. Quod etiam docet *Syluest. v. familia nu.* 4. Et habetur claré ex *l. si vno §. item cum quidam ff. locati*. Et præcipué vbi quis locat operas suas ad effectum determinatum, & certum opus vbi est communis, vt impeditis ex infirmitate non detur merces, & his assimilantur Capellani conducti determinaté ad celebrandum. Quamobrem per se, & spectata obligatione iuris Capellanus infirmus tenetur supplere per alium. Et nisi expressè obligatio celebrandi sit affixa personæ simpliciter, & areué, in quo casu Capellanus impeditus infirmitate, ad nihil aliud teneretur, communiter obligationes Capellaniarum, etiamsi contineant, quod Capellani per se celebrent, non sunt affixæ personis, sed sunt obligationes celebrandi per se,

vel

vel alium, quamuis fundator intendat, quod Capellanus si potest per se celebret.

SVMMARIVM.

1 *Quando locus sit impeditus, non excusatur per hoc Capellanus, vt non teneatur alibi per se, vel alium celebrare sine suo damno. n. n. 1122.*
2 *Idem dicitur de alijs similibus impedimentis extrinsecis, num. 1123.*
3 *Quodnam sit iustum impedimentum personale, num. 1124.*

1122. QVaritur 6. quodnam sit iustum impedimentum non celebrandi quotidie præter infirmitatem Capellani? *In cap. significatum, de Præbend.* non ponuntur alia impedimenta, quam infirmitatis, & indeuotionis, seu inhonestatis, vnde præcisa infirmitate alia impedimēta personalia ad indeuotionem, & inhonestatem reduci debent. Est enim considerandum duplicis generis esse impedimenta celebrandi. Nimirum alia extrinseca, alia verò intrinseca, & personalia ipsius Capellani. Extrinseca sunt primo interdictum loci, in quo Capellanus tenetur celebrare. Nam durante interdicto, illicitum prorsus esset, & inhonestum ibidem contra Ecclesiæ præceptum celebrare. De hoc ergo impedimento loquendo *Pasqual. q.* 1132. *n.*4. ait, quod Capellanus excusatur, & censetur satisfacere muneri suo, quia omissio non est ipsi voluntaria, & addit *nu.* 5. quod si Capellanus alibi se transferat, & missam celebret, quod tenetur eam applicare pro fundatore, quia impedimentū celebrandi in Ecclesia interdicta est extrinsecum, nec mutat vel tollit obligationem celebrādi. Ideò Capellanus remanet semper obligatus ad celebrandum pro fundatore ipso; nec potest egredi è loco interdicto, vt ibi celebret pro alio. Additverò, quod aut consensu hæredum, aut auctoritate Episcopi posset fieri aliqua compositio, & remitti aliquis numerus missarum, quia ex quo non tenetur alibi celebrare, ageretur vtiliter negotiū Fundatoris, si conueniretur cum eo, vt alibi celebraret. Verū difficile est intelligere quomodo hæc inter se conueniant, & cū veritate. Nam vel obligatio Capellani est purè, & merè localis, & de hac obligatione loquendo certum est, quod si locus est impeditus, quod cessat omninò obligatio. Et interim si Capellanus alibi celebret, potest pro quo voluerit celebrare, quia liberam habet applicationem sacrificij. Sed si obligatio non est merè localis. Tunc principale intentum est, vt missa celebretur, & localis obligatio venit, vt accessorium, & secundarium, & sub conditione si locus non sit impeditus. Igitur tunc licet cesset obligatio, vt est localis, cum locus est interdictus, non tamen cessat, vt est obligatio celebrandi, ideò Capellanus nedum si celebrat, tenetur pro fundatore celebrare, sed tenetur de facto alibi, si commodè id facere potest, celebrare. Manet enim obligatio ad celebrandū, quoniam hoc fuit principale intentum fundatoris nec localis obligatio fuit inserta vt loco impedito cessaret omnino obligatio, sed solū cessaret, obligatio localis, vnde si detur locus alius cōmodus, in quo possit Capellanus celebrare, id tenetur iuxta cere *Tambur. l.* 3. c. 3. §. 1. si verò non daretur locus commodus, non teneretur Capellanus ad celebrandum, vt puta non teneretur ad aliud oppidum accedere, vt celebraret. Et tamen Episcopus curare deberet, vt satisfaceret piæ fundatoris voluntati omni meliori modo possibili, quod fieri posset, vel augendo stipendium missarum considerato incommodo nouo Capellani, vel minuendo numerum missarum, vt pro incommodo Capellani aliquid sibi remaneret emolumenti. Sed si Capellanus haberet pingue salarium teneretur ipse, vel per se, vel per alium taxato stipendio erogato alicubi celebrare. Nam & præsumi debet, quod ideò salarium pingue sit datum, vt secum ae pro incommoditatibus, quæ casu contingant. Imò etiam si salarium non sit pingue, Capellanus non erit securus in conscientia, si ex solo titulo incommoditatis cesset omninò à celebratione, sed tunc debebit, quantum fieri poterit celebrare alibi per se, vel per alium. Et sic, & Episcopi, & Capellani erit procurare, vt pia fundatoris voluntas, modo possibili impleatur. Et aduertit *Tambur. l.* 3. *cap.* 5. §. 1. quod in hoc casu Capellanus si non potest eo die, quo deberet celebrare, quod tenetur resarcire alio die.

1123. Secundo ad hoc genus extrinseci impedimenti spectant omnia alia, quæ sine culpa Capellani ab extrinseco reddunt celebrationem impossibilem, vt si Ecclesia sit destructa, si sit omninò clausa, nec possit aperiri, si desit paramenta calix, hostia, vinum, & similia. Et propterea *Reuerendissimus Fagnanus ad d. cap. significatum de præben. num.* 8. aduertit ex Innocent. quod defectus honestatis contingere potest etiam ex defectum indumentorum decentium, & sicut vniuersaliter contingere potest ex defectu cuiuscumque requisiti ad honestam missæ celebrationem. Quamuis in hoc distinguēdum crediderim, quod aliud est, quod celebratio sit indecens indispensabiliter, vt si non adsint indumenta necessaria, vel altare, vel calix, vel hostia, aut vinum; & sic aliud est, quod celebratio positiuè sit indecens, & prohibita, aliud est, quod sit minus decens, & deficiat aliquid, sine quo etiam sine peccato aliquo sacerdos, vel absolutè, vel in necessitate hic, & nunc potest celebrare. Vbi enim sacerdos potest celebrare sine peccato non est impeditus, licet minus decentior sit celebratio. Et quia magis vrget valdè obligatio celebrandi, quam obligatio ad aliqua, quæ in celebrando solum sunt necessaria ex iure positiuo, & non spectant ad substantiam missæ, sed ad aliquam accidentalem solemnitatem, quæ sine peccato saltem in necessitate potest omitti; ideò tunc non excusabitur Capellanus, nec censendus erit impeditus. De hoc verò impedimento, quod est eiusdem rationis cum priori dicitur, quod vbi obligatio non sit purè localis, Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum in aliquo loco, si locus sit impeditus tenetur alibi celebrare, si commodè id possit facere, & ratione incommoditatis non excusabitur ab omnimoda celebratione, sed ad Episcopi arbitrium celebrare tenebitur omni meliori modo, quo fieri possit per se, vel per alium, vt supra est explicatum.

1124. Alia verò sunt impedimenta personalia, & quæ

& quæ se tenent ex parte Capellani. In genere verò dicitur, quod est illud iustum impedimentum ex parte personæ, quod reddit celebrationem indeuotam, vel inhonestam, & alias est tale, vt moraliter superari non possit. Nam non dicitur impeditus, qui impedimentum potest tollere, & non tollit *Panorm. in cap. final. de elect.* Impedimenta autem celebrandi sunt censura ipsius Capellani, vt si sit excommunicatus, vel suspensus à diuinis, vel interdictus, item si sit irregularis, item si non possit ex quacunque causa celebrare sine celebrantis peccato, siue si stante infirmitate Capellani, si exiret à domo, ille se exponeret proximo periculo peccandi, vt quia oriretur rixæ. Diuersimodè autem de huiusmodi impedimentis loquuntur DD. *Pasqual. quæst.* 1125. *nu.* 4. aduertit contra *Quintanad. sing.* 25. *num.* 5. non esse sufficiens impedimentum, si solum timeretur scandalum passiuum aliorum, quia ad vitandum hoc scandalum non posset Capellanus cum detrimento spiritualis fructus fundatoris abstinere à missæ celebratione, ad quam est obligatus, nisi esset scandalum pusillorum, quod sacerdos teneretur vitare; esset verò sufficiens impedimentum, si ob exitum eius à domo Capellanus se exponeret graui periculo vitæ, vel grauis alicuius nocumenti in honore, vel re familiari. *Quintanad. sing.* 24. *num.* 5. *Pasqu. q.* 1125. *num.* 5. vbi quod etiamsi ratione ingentis pluuiæ, aut niuis Capellanus non possit exire è domo, aut ratione inundationis. Cum enim hæc raro accidant, admittuntur, quamuis ex minori causa. Item si superueniret negotij alicuius grauis necessitas, vt si occurreret necessitas audiendi confessiones alicuius existentis in extremo, & vltimo periculo mortis, vel quodcumque occurreret simile negotium, quod non posset omitti sine graui aliquo damno Capellani, vel proximi, cui Capellanus teneretur occurrere, Nam & in hoc casu ex interpretatiua voluntate testatoris, posset Capellanus nõ celebrare; attamen quod nõ esset sufficiens causa omissio notabilis, magni lucri, contra *Quintanad. sing.* 24. *num.* 5. aduertit *Pasqualig. qu.* 1125. *num.* 7. quia propter proprium commodum, non debet Capellanus omittere id quòd debet ex proprio officio. Aduertit etiam *Tamburin. tit.* 3. *cap.* 5. §. 1. *num.* 6. quod negotium graue est iustum impedimentum, quia reducitur ad necessitatem, non tamen iustum impedimentum præbet, vt est incommoditas sacerdotis, secundum *Pasqualig.* non habere copiam confessarij, quia præceptum non communicandi cum sola contritione impositum à *Concil. Trid. sess.* 13. *cap.* 7. est conditionale, scilicet modo non desit copia Confessarij. Item quidquid dixerit idem *Quintan.* vult *Pasq.* quod sufficiens impedimentum nõ sit vacare confessionibus audiendis tempore Iubilæi, vel magnæ festiuitatis, si non fiat hoc ex obligatione, sed liberè, quia præfecto da est obligatio liberalitati. Verum vt supra de infirmitate dicebatur distinguendum est. Nam ad hoc, vt Capellanus excusetur ne celebret per se ipsum, multa ex illis impedimentis sufficiunt, vt excusent. Ad hoc enim aliquando excusare potest scandalum etiam passiuum graue negotium, vacare confessionibus tempore Iubilæi, aut magnæ festiuitatis, & præcipuè indeuotio, & si quis habeat conscientiam peccati mortalis, cum carentia Confessoris, quia in *d. cap. significatum* indeuotio ponitur sufficiens causa non celebrandi quotidie. Hæc igitur, & similia impedimenta sufficiunt, vt excusent Capellanum ne per se ipsum celebret. Verum si infirmitas non sufficit, vt excuset Capellanum ne celebret per alium, multò minus excusant alia personalia impedimenta, & præcipuè quæ sunt voluntaria, sed de hoc puncto est sequens quæstio. Quando verò sacerdos non possit per alium supplere, valdè graue impedimentum est necessarium, vt excuset Capellanum à celebratione nimirum tale, vt moraliter superari non possit.

SVMMARIVM.

1 *Capellanum impeditum non teneri supplere per alium, aliqui volunt.* num. 1125.
2 *Impeditus ex sua culpa, tenetur supplere per alium.* num. 1126.
3 *Capellanum non teneri vitare impedimenta omnia celebrandi, quidam dicunt.* num. 1127.
4 *Oppositum probatur.* num. 1128.
5 *Impeditus intuitu propria, vel aliena vtilitatis tenetur supplere per alium.* num. 1129.
6 *Hoc probat decretum Sacræ Congregationis.* num. 1130.
7 *Obligatio ad substantiam missæ non cessat ex impossibilitate circumstantiæ.* num. 1130.
8 *Impedimentum personale non excusat ab obligatione celebrandi per alium.* num. 1131.

1125. QVæritur septimo. An Capellanus obligatus ad celebrandum quotidie teneatur supplere, quando ex iusto impedimento omittit celebrare? Affirmant *Bonac. disp.* 4. *q. vlt. p.* 8. *num.* 17. *Baunius tract.* 10. *quæst.* 28. sed negat absolutè *Pasqual. q.* 1119. Fundatur primo, quia vt habetur ex *cap. significatum de præbend.* Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum potest aliquanto vacare ex causa rationabili, & tenetur solum ad hoc, vt assiduè, & quanto frequentius potest celebret. Et hoc idem docent ibid. *Hostien. Dec. Panorm. Fagnan. Barbosa, & alij Caronis. Sywes. v. missa p.* 11. 7. *ver. quintum. Tabien. num.* 41. *Armill. num.* 28. *Nauar. in manual. cap.* 25. *num.* 134. *& cons.* 35. *num.* 4. *de præben. Azor. p.* 2. *l.* 10. *cap.* 24. *q.* 6 *Fagundez prec.* 1. *Eccles lib.* 2. *cap.* 15. *nu.* 11. *Suarez disp.* 86. *sect.* 1. §. *de beneficijs. Diana p.* 2. *tr.* 14. *res.* 27. Et alij plures ab eodem *Pasqual.* ibid. relati; potest igitur Capellanus vacare, & tunc non erit necessitatus per alium supplere. Secundo. Nam testator censetur disponere secundum mensuram iuris communis, & illi se accomodare; igitur quando disponit, quod Capellanus celebret quotidie, non intendit nisi secundum dispositionem *cap. significatum de præben.* Tum tertio quia non obstat, quod pacta sint seruanda, eo quod vbi aliquid datur ex titulo non acquiritur dominium, nisi titulo exequuto. Quia in præsenti ostenditur, quod conuentio non obligat ad celebrandum illum, qui est impeditus, & sic titulus non obligat alio modo, vnde qui est impe-

ditus

ditus; nec tenetur celebrare; nec tenetur supplere.

1126. Sed hæc absoluta resolutio non subsistit. Propterea dicitur primo, quod Capellanus ex quocumque impedimento sua culpa incurso non excusatur ab obligatione celebrandi per alium, & satisfaciendi fundatori. Nam æquitas, & iustitia non patitur, vt Capellanus retineat emolumentum à fundatore traditum sub onere missarum, & impedimento personali, & culpabili oneri missarum non satisfaciat, sed ex culpa sua sibi acquirat libertatem ab onere, & id quod sub obligatione oneris fuit datum. Nec obstat, si dicatur, quod huiusmodi Capellanus est obligatus ad celebrãdum per se ipsum, & non per alium, & ita si non potest celebrare per se ipsum, non tenetur simpliciter ad celebrandum, quia ex fundatione nõ tenetur, imo nec potest celebrare per alium. Primo quia hoc est falsum; obligatio enim ad celebrandum per se ipsum (nisi aliud specialiter exprimatur) non est affixa personæ absolutè, & simpliciter, sed solũ secundum quid, & quatenus Capellanus non sit impeditus, salua semper obligatione ad celebrandum, Aliter infirmus, & impeditus etiam per menses, & annum, non teneretur celebrare per aliũ, si non posset per se ipsum, quod nullus admittit. Secundo quia in hoc casu obligatio ad celebrandum per se ipsum necessario habet imbibitam conditionem, nisi, scilicet, culpa sua fiat impotens ad celebrandum; quia aliter ex delicto fructum acquireret. Ideo *Quintanadueа. sing.* 28. *num* 3. dixit quod excommunicatio, seu censura incursa ob culpam Capellani non est iustum impedimentum illum excusans à non celebratione, quod licet nõ sit bene dictum, & merito illum reijciat *Pasqual. q.* 1125. *num*, 2. si intelligit, quod non excuset a culpa, quia excommunicatus iam vere non potest celebrare, & ideo non peccat si per se ipsum non celebret; tamen verũ dicit, si intendit quod non excusatur ab obligationa celebrandi per alium, quia ad hoc tenetur, nec potest iuste retinere stipendium, & non celebrare impeditus ex culpa propria. Imo & verum dicit, quod cum teneatur celebrare per se ipsum, non excusatur à culpa, si negligit procurare absolutionem per quam fiat habilis, vt possit per se ipsum celebrare.

1127. Hinc soluitur quæstio, an Capellanus, seu obligatus ad celebrandum ex vi talis obligationis teneatur vitare impedimenta celebrandi, eaq; non apponere, sed & apposita remouere, si potest. *Tambur. de sacrif. miss. l.* 3. *cap.* 6. §. 2. *num.* 5. *& sequ.* censet, quod Capellanus eo die, quo celebrare tenetur, non potest ponere impedimenta per se obstantia sacrificio, vnde ex vi obligationis celebrandi prohibetur ne eo die se inebriet, dormiat, Missale proijciat, & tenetur vestes sacras de area, aut loco vicino assumere, &c. Dicit vero secundo, quod nec ante tempus obligationis Capellanus potest opponere voluntaria impedimenta, quamuis per accidens obstantia, nisi ex verbis Fundatoris, vel ex eius præsumpta mente aliquid ei concedatur, Vnde nec ante illud tempus potest se inebriare, nec potest discedere à loco, & alio ire, nec potest ante illud tempus proijcere missale, vel claues Capellæ, quia huiusmodi facere est velut directè velle contradicere conuentioni, & obligationi celebrandi. Non tamen putat teneri Capellanum ad tuendam, & conseruandam suam salutem, & ideo censet non contrafacere obligationi suæ si cibum nociuum sumat, ob quem in morbum incidat. Dicit tertio Capellanum infirmum, aut carceratum, &c. non teneri ex vi obligationis Capellaniæ procurare sanitatem, aut libertatem, quia non est verisimile Fundatorem voluisse tam rigide obligare Capellanum in his impedimentis inuoluntarijs, quæ multum per accidens se habent ad celebrationem sacrificij. Dicit quarto Capellanum excõmunicatum suspensum, interdictum, vel etiam si per ipsum stet, quod locus sit interdictus, obligari ad procurandam absolutionem, & tollendum impedimentum huiusmodi, si non potest per alium, vel alibi supplere. Quia hæc sunt impedimenta directa sacrificij, ad quæ tollenda, si potest, ipsa obligatio Capellaniæ cogit. Dicit quinto quod vbi permissum est Capellanum non obligari ad vitandum cibum nociuum, & aliud simile impedimentum, hoc intelligitur etiam si sit præuisum, quod ex eo sequetur infirmitas, & celebrationis impedimentum, sed tamen Capellanus hoc non potest per se intendere. Quia Capellanus dum solum præuidet vtitur iure suæ libertatis à Fundatore verisimiliter non ablato; at dum intendit facit contra pactum initũ cum Fundatore, qui dum illum obligauit ad celebrandum, obligauit ad volendum sacrificium, quod non vult Capellanus, si ex intentione non celebrandi, apponit impedimentum.

1128. Verũ cõsiderandũ hic est, quia vel quærimus an Capellanus teneatur non opponere impedimenta celebrandi, imo illa remouere ad affectũ, vt Capellanus vitet culpam, vel ad effectum vt non teneatur supplere per alium. Nam ad effectum vt Capellanus vitet culpam, si non est obligatus celebrare per se ipsum, sed sufficit, quod celebret per alium, ex vi obligationis Capellaniæ non tenetur auferre impedimenta celebrandi per se ipsũ, cum satisfaciat obligationi, si celebret per alium. Si vero est obligatus ad celebrandum per se ipsum adhuc hæc obligatio non est adeo grauis, vt si omissio non sit frequens sit peccatum mortale, & facilius admittitur in hoc iustum impedimentum, quia parum, vel nihil interest, quod missa per vnũ, vel alium sacerdotem celebretur. Et ideo nec erit peccatum graue cõtra obligationem Capellaniæ, si Capellanus se inebriet licet hoc aliunde sit graue peccatum intemperantiæ; quia semel vel iterum non celebrare per se ipsum, non est peccatum graue, si celebratur per alium. Sed si casus sit in quo si Capellanus non celebret per se ipsum non possit etiam celebrare per alium, & sic impediatur simpliciter celebratio, & quod omissio missæ sit iam quid graue, non video quomodo à culpa cõtra obligationem officij sui excusari possit Capellanus qui scienter amisit sanitatem, vel amissam sanitatem, aut libertatem recuperare negligit; quia nec video vnde colligi possit, quod Fundator noluerit talem Capellanum obligare ad se non reddendum scienter, & culpabiliter inhabilem ad celebrandum: Et quidem primo quænam differentia est inter bibere vinum ex quo quis scit se futurum ebrium, & inter sumere cibum, ex quo quis scit se incursurum febrim? si ergo non liceat Capellano scienter

scienter se inebriare, nec sibi licet scienter sanitatem perdere, & sic celebrationem missæ simpliciter impedire. Secundo, vt formalius, & magis proprie loquamur, sicut Capellanus voluntarie ebrius non excusatur a culpa, si non celebrat in hoc casu, quia voluntarie non celebrat, & celebrare debet: Ita Capellanus voluntarie febricitans non excusatur à culpa si non celebrat, dum tenetur celebrare: Quia natura ipsa obligationis ad obsequium personale præstandum obligat ad hoc, vt qui onus obsequij suscepit obsequium præstet, & ideo ad hoc, vt ex parte sua, & ex sua culpa obsequium non deficiat. Est vero discrimen, quia vbi obligatus ad obsequium est liber, vt se ab obligatione eximat quotiescumq; voluerit, iste non tenetur se seruare habilem ad obsequium, quia libere potest recedere ab obsequio præstando; quod vero hoc fiat, quia ipse sic libere velit, vel quia libere se ad præstandum obsequium impotentem fecit, hoc per accidens est, & non interest. Et sic si Capellanus amouibilis, qui ad libitum potest renunciare Capellaniæ, & oneri missarum, se impotentem reddat ad celebrandum non contrafacit obligationi suæ, quia non se obligauit ad celebrandum nisi ad libitum suum. Sed quando quis se obligat in perpetuum ad obsequium, neq; is cui promissum est obsequium potest illud ab alio obtinere, nisi cum suo damno, & noua expensa, salario, vel mercede, quod sit securus in conscientia, qui se ad obsequium obligauit, & culpabiliter, & voluntarie se impotentem reddit, aut impotens manet, dum interim qui conduxit illum in obsequium cogitur sine obsequio manere, non video vnde sit in ratione fundatum, & quod vbi locum habet obligatio iustitiæ, id non sit iniustitia manifesta, quod conducens alium in sui obsequium, cogatur sine obsequio manere ea culpa conducti. Accedit quod sanitas ministri est medium per se ex natura rei necessarium ad celebrationem, sicut & eius libertas, nec minus necessaria, quam præsentia in loco celebrationis, nec minus directe impedimentum ponit celebrationi, qui recedit à sanitate, quam qui recedit à loco celebrationis, & alio vadit, sicut igitur Capellanus non potest à loco celebrationis discedere, si nec potest voluntarie sanitatem perdere, & sic celebrationem simpliciter impedire. Nam & qui sanitatem perdit, se ponit in loco ab altari remoto, & vbi non potest celebrare. Imo hinc sequitur, quod nedum Capellanus huiusmodi, qui scienter sumit cibum nociuum præuidens futuram infirmitatem propriæ obligationi grauiter contrafacit, si ex hoc impeditur simpliciter celebratio cum notabili damno, & graui Fundatoris, sed & etiam dicendum est, si Capellanus debuit hoc præuidere, & negligenter omittit, quia hoc est eum proprij officij obligationem negligere. Quamuis in hac parte *Suarez. l. 4. de horis Canon. cap. 28. num. 9.* existimet in simili euentu, quod si quis bona fide procesſit, facile potest excusari à graui culpa respectu omissionis, quia ordinarie omissio huiusmodi est naturalis, & vix aliter possit esse, quando bona fide proceditur. Vnde negligentia, quæ ibi interuenit, vel est leuis, & adeo humana, vt non sufficiat ad voluntarium perfectum, vel est adeo remota respectu effectus non recitandi officium, vt non sufficiat ad voluntarium in causa, quia tunc non videtur esse actus sufficienter præuisus. Ita *Suarez* loquens de eo, qui non mala fide negligenter amisit breuiarium. Vnde & idē in præsenti dicendum est, de eo qui non mala fide negligenter amisit missale, aut sanitatem, aut libertatem, aut incurrit aliud impedimentum, ob quod non potest celebrare prout teneretur. Sed si in secundo sensu proponatur quæstio, nunquam excusatur Capellanus ex quocumq; impedimento voluntario, vt non celebret per alium, si non potest celebrare per se ipsum; quia nec culpa, nec voluptas, nec negligentia Capellani illum iustificare potest, vt fruatur salario, seu stipendio sibi assignato, & Fundator priuetur missarum obsequio. Et si non potest celebrare tenetur stipendium restituere.

1129. Dicitur secundo, quod vbi impedimentum est ex causa vitandi proprium Capellani damnum, vel alicuius alterius extra casum extremæ necessitatis, non excusatur Capellanus ab obligatione celebrandi per alium. Ratio est, quoniam non est æquum vt Capellanus de alieno velit sibi aut alijs prouidere, & quod faciat suum id quod est datum illi sub onere, non subeundo onus propter sui vtilitatem. Ideo licet huiusmodi impedimentum excuset Capellanum à culpa, si non celebret per se ipsum, non tamen sufficit vt emolumentum missarum fiat suum, si non celebret. Sic si idem aliquid artifici, vt mihi calicem faciat manu sua, & non alterius licet artifex non sit in culpa, si iuste impeditus calicem non fecit manu sua, non per hoc sequitur quod suum faciat pretium sibi datum, nisi saltem factum manu aliena mihi calicem æqualis valoris tribuat.

1130. Nec obstat obiectio supra posita; quia nimirum Capellanus obligatur ad celebrandum per se ipsum, & non per alium, si non possit celebrare per se ipsum non tenetur celebrare per alium. Tum quia, vt dictum est, hoc assumptum est falsum. Vnde & in obligationibus ad qualitatem missæ, vel locum, vel tempus, nisi specialiter expressum sit, quod illæ obligationes sint simpliciter affixæ qualitati, vel loci, vel tempori, impeditus tenetur nihilominus celebrare, vel cum alia qualitate, vel alibi, vel in alio tempore. Quia huiusmodi obligationes simpliciter respiciunt substantiam celebrationis, & solum secundario, secundum quid, & conditionate qualitatem, tempus, vel locum. Et sic etiam obligatio celebrandi per se ipsum non cessat in impedito nisi quantum ad celebrationem vt personalem, nō vero quantum ad celebrationem missæ simpliciter. Tum secundo, quia aliud est quod non teneatur agere per alium, aliud est, quod faciat suum emolumentum datum sub onere agendi, si non agat. Nam nec ille; qui promisit conficere calicem manu propria tenetur illum fabricare per alium, sed tamen nisi fabricet per alium, non potest retinere pretium datum sub onere faciendi calicem.

1131. Dicitur propterea vltimo quod nullum est impedimentum personale quod obligatum ad celebrandum per se ipsum excuset à celebratione per alium. Quia vt iam patet, nisi ex speciali expressione obligatio celebrandi per se ipsum sit simpliciter affixa personæ, & sic sit obligatio personalis ab[illegible], & simpliciter, regulariter est obliga-

ligatio realis, & sub disiunctione obligans Capellanum ad celebrandum vel per se ipsum si potest, vel per alium. Et si vt probatum est infirmitas non excusat Capellanum ne suppleat per alium, nec alia impedimenta personalia excusabunt; quia si sint inuoluntaria etiam infirmitas est inuoluntaria, & physica impossibilitas. Si vero impedimenta sunt volūtaria multo minus excusant. At vero quoq; non esse omnino eandem rationem de infirmitate, & alijs impedimentis. Nam in cap. significatum casus infirmitatis erat exceptus etiā in conuentione, & collatione præbendæ, vnde manifestum erat, quod obligatio non se extendebat ad casum infirmitatis, quia Præbenda nec fuerat data, nec fuerat acceptata nisi vt Capellanus non teneretur in casu infirmitatis. Quamuis vt dicebatur ex eo textu non deducatur, quod Capellanus ille in infirmitate nec per se, nec per alium teneretur celebrare. Quidam etiam ponunt discrimen, quod infirmitas sit impedimentum, quod non à iure, nec ab homine sed à Deo infligitur, quia regulariter inuoluntarie aduenit. Est etiam infirmitas impedimentum familiare, & frequens, & de quo nemo sibi potest promittere, quod non superueniat, vnde est quod rationabilius de eo dici potest, quod sit exceptum in conuentione ipsa, & quod implicite in omni fundatione Capellaniæ intelligatur contineri exceptio casus infirmitatis. Verum simpliciter loquendo non est discrimen inter hoc, & alia impedimenta, quæ vere reddūt impossibilem celebrationem. Quia si intelligitur exceptus casus infirmitatis, hoc non est nisi, quia infirmus per se ipsum non potest celebrare, eadem igitur ratione erit exceptus quicumq; alius casus ex quo celebratio sit impossibilis. Et quia nec infirmitas impedit celebrationem per alium, eadem ratio erit de illa, & alija, vt nec casus infirmitatis excludat necessitatem celebrandi per alium, vel casus cuiuslibet alterius impedimenti eandem necessitatem excludat. In casu vero in quo grauiter impeditus non posset celebrare per alium teneretur supplere omni meliori modo, vel celebrando per se ipsum alibi, vel celebrando alio die, quocumque meliori modo per se ipsum, vel alium supplendo quod ex impedimento fuit omissum.

SVMMARIVM.

1 *Si Fundator exprimat, quod Capellanus celebret per se ipsum, vel alium, sine dubio Capellanus tenetur supplere. num.* 1132.

1132. Quæritur octauo, an omnino necessarium sit supplere per alium? Hinc iudicium ferri potest de eo quod habet *Pasqual. quæs.* 1120. vbi sentit quod etiamsi in fundatione Capellaniæ dicatur, quod sacerdos celebret per se, vel per alium, adhuc Capellanus impeditus non teneatur per alium celebrare. Nam licet ex eo modo loquendi videatur, quod fundator respexerit sacrificium quotidianum, non vero celebrantem, & sic quod non elegerit industriam personæ, sed voluerit sacrificium quotidie celebrari, si non per Capellanum per alium substitutum, vnde voluntas testatoris implenda sit. Vnde quod in hoc casu Capellanus non celebrans per se ipsū etiam ex iusta causa teneatur supplere per alium, voluerunt. *Syluest. Tabien. Armill. Nauar. Suarez, Azor. Perez de Lara locis citatis, Barbos. de pot. Epis. all. 24. num. 31. Sā Henriq. Corduba, Fratinell. Vgol. Thomas Hurt. apud Pasqual. quæs.* 1120. *Bonac. disp.* 4. *p.* 1. §. 2. *num.* 17. Nihilominus contrariū sentit *Pasqual.* hac ratione motus. Nam semper institutor Capellaniæ quotidianæ respicit missam quotidianam, Nam cum velit Capellanum quotidie celebrare, vult missam quotidianam celebrari. Difficultas est an hoc intendat omnino absolute, & indefectibiliter, ita quod nulla dies sit, in qua non celebretur missa eius intuitu, & nomine; an vero potius intelligere id moraliter, & quanto frequentius id fieri possit. Et quidem si exprimat, quod Capellanus si non potest celebrare per se ipsum, celebret per alium, indubitatum est, celebrationem missæ debere esse quotidianam indefectibiliter, & mentem expressam testatoria debere impleri. Sed si testator, vel fundator solum dicat, quod Capellanus quotidie celebret per se, vel per alium, non videtur exprimi, quod si sit legitime impeditus teneatur celebrare per alium, quia per talem modum loquendi solum exprimit, quod tacite inest, obligationi enim quotidie celebrandi tacite inest, quod Capellanus per se, vel per alium celebret. At vero expressio eius, quod tacite inest nihil operatur, nec alterat dispositionem, atq; adeo non inducit nouam obligationem. *l.* 3. *ff. de leg.* 1. *& l. Non recte. C. de fideiuss. & l. conditionis. ff. de cond. & demonst.* [illegible] *Gloss. vlt. Alexan. cons.* 32. *Ruin. cons.* 169. *num.* 15. *vol.* 1. *Anchar. cons.* 147. *num.* 4. *Paris. cons.* 110. *num.* 47. *l.* 7. *Castren. cons.* 218. *num.* 1. *lib.* 2. Nec videtur posse dici, quod expressio vt possit Capellanus celebrare per alium non est posita ad exprimendum, quod tacite inest, sed ad significandum quod voluntas instituentis Capellaniam est, vt numquam missa omittatur. Nam instatur ex eo quod expressio eius, quod vere tacite inest ad hoc vt transeat in distinctam, & principalem significationem, & aliud (peretur debet exprimi alio modo, quam sit, vt aduertit *Alexan. cons.* 22. *num.* 8. Nam non potest constare, quod inducat nouam, & principalem dispositionem, nisi diuerso modo exprimeretur, aliter nunquam esset verum, quod expressio eius, quod tacite inest non inducit nouam dispositionem, cum tamen hæc sit recepta regula, & in iure fundata. Et propterea *Pasqual.* putat, quod etiam si testator dicat quod Capellanus celebret per se, vel alium, possit nihilominus iuste impeditus non celebrare, nec teneatur celebrare per alium. Sed non est discedendum à sententia communi. Nam clausula per se ipsum, vel per alium apta exprimere id, quod inest non est illa quæ inest tacite in eo quod est quotidie celebrare. Sed non est recedendū à sentētia communi, quæ in terminis est euidens, nec doctrina data applicatur, imo retorquetur. Nam significatum huius clausulæ *celebret per se ipsum, vel per alium quotidie*, est quod quotidie missa celebretur siue per Capellanum, siue per alium quod enim significat illa clausula est obligatio ad quotidie celebrandum cum indifferentia celebrantis, vt scilicet non intersit an missa celebretur per Capellanum vel per alium. Si ergo hæc clausula tacite inest, nihil

nihil aliud sequitur, nisi quod etiam si non sit posita, adhuc obligatio celebrandi quotidie sic debeat intelligi, vt sit obligatio ad hoc vt missa celebretur siue per Capellanum, siue per alium; quod verissimum est, & ideo nihil interest, quod Capellanus sit impeditus, quia tunc potest missa celebrari per alium, & ad hoc tenetur Capellanus, vt optime DD. omnes explicant. Et ex hoc etiam habetur quomodo explicari possint antiqui DD. alij quos supra n. 1 1 2 2. retuli, qui quidem explicantes d. cap. significatum dixerunt sufficere, quod Capellanus obligatus ad celebrandum quotidie celebret, vt frequentius, & assiduè salua honestate, & deuotione. In duplici enim sensu hoc est verum, primo de celebratione personali, non enim DD. tractabant quaestionem an Capellanus teneatur supplere, sed an teneatur per se ipsum celebrare, & bené quantum ad hoc dixerunt, quod sufficit, quod celebret, quando non est impeditus. Secundus sensus est, quia obligatio celebrandi per se ipsum, potest accipi, vt sit merè personalis, & ita quod obligatio sit affixa personae, in quo casu impeditus inuoluntariè, & tunc sua culpa, si non potest celebrare excusatur simpliciter, & non tenetur supplere. Et in hoc sensu DD. illi loquuti sunt. Sed nisi in fundatione hoc specialiter exprimatur, hoc non intelligitur, neque praesumitur vt latis est probatum, & ideó obligatus ad celebrandum quotidie si impeditur tenetur per alium supplere,

SVMMARIVM.

1 *Capellanus obligatus ad celebrandum quotidie in tali altari quomodo si non celebret tenetur supplere.* num. 1133.

1133. QVaeritur 9. An necesse sit supplere omissionem missae per alium, quando fundator iussit vt Capellanus celebret quotidie in tali Ecclesia, vel altari. *Tambur. l. 3. cap. 3. §. 1. num. 4.* sine distinctione absolutè arbitratur, quod siue sit electa persona, siue sit electus locus habeat locum vacantia in singula hebdomada, quia celebrare quotidie sit onus graue, quod semper directè, vel indirectè redundat in personam. *Pasqual. q. 1121.* distinguit. Nam vel fundator disponit, quod in loco quotidie celebretur, sed sine electione Capellani, & tunc necesse est, quod illi, ad quos spectat procurent, & faciant, vt quotidie per aliquem sacerdotem missa in loco celebretur, quia tunc clara eius intentio est, vt nulla sit dies, in qua in eo loco non celebretur, sed si ipse eligat Capellanum, vel ordinet eligẽdum Capellanum, qui quotidie celebret, in hoc casu ait eandem rationem esse de onere non affixo loco, & affixo loco; quia obligatio imponitur Capellano, cui non potest imponi legitimè onus celebrandi quotidie per se ipsum. Sub alijs terminis distinguit, & melius *Sylvest. v. missa. 1. num. 7. in fin.* Nam etiam si fundator iubeat eligi Capellanum ad effectum celebrandi in loco aliquo, vel capella, vel fundatio principaliter respicit celebrationem ipsam quotidianam, quod passiuè exprimitur, dũ fundator dicit, volo vt in tali loco quotidie celebretur; vnde etiam si addat postea volo vt propterea eligatur Capellanus, tamen ex hoc satis ma[illegible] mentem suam esse vt nu[illegible] die locus sit sine celebratione missae, & [illegible] Capellani [illegible] vt [illegible] formis [illegible] intentioni, & quod eligatur Capellanus, qui faciat, vt quotidie semper ibi missa celebretur. Et ideo Capellanus singulo die, vel per se ipsum, vel per alium debebit celebrare. *Sylu. [illegible] Tabien. num. 44. Armill. num. 28. Suarez. disp. 6. sec. 1. §. de beneficijs Bonac. disp. 4. quaest. vlt. p. [illegible] §. 2. 17. Barbosa de potestate Episcopi al. 24. num. 31. Perez. de Lara lib. 2. cap. 8. num. 41. Layman. l. 5. tr. 5. cap. 3. num 6.* Et apud eundem *Pasqual. qu. 1120. & 1121. Sa Henriq. Cordaba. Fraxinel. Vgolin. Itaxad. Ledes. à Cruce, Garzia, & Faustus.* Sed si fundatoris dispositio respicit personam celebrantis, quia instituit, quod Capellanus celebret quotidie in tali loco, iam dispositio admittit interpretationem *cap. significatum*, vt [illegible], vel non sit necesse suplere per alium iuxta supradicta de eo Capellano, qui obligatur ad quotidie celebrandum. Ita DD. citati.

SVMMARIVM.

1 *Si cui fundator concessit vnam vacantiam in singulis hebdomadis tenetur supplere si in die praefixo non celebret.* num. 1134.

1134. QVaer. 10. quãdo fundator expressè cõcedit vnicã vacationẽ in singulis hebdomadibus, teneatur Capellanus supplere, quãdo amplius ex infirmitate, vel alio impedimẽto nõ celebrat? Respondetur, quod adhuc Capellanum non teneri supplere iuxta dispositionem iuris cõmunis, & consuetudinem regiminis. vult *Pasqu. qu. 1133.* quia nimirum per concessionem vacantiae vnius diei in singula hebdomada, fundator nihil concedit, quod ex natura Capellaniae non sit concessum. Dicitur nihilominus, quod iste Capellanus si potest supplere in die vacantiae, tenetur id facere. Nam & censendum est, quod ex hoc fine diem illum concesserit fundator, vt si contingat Capellanum aliquo die esse impeditum, & non posse celebrare suppleat illo die. Quod si ei contingat necessitas vacandi pluribus diebus in eadem hebdomada, tunc vel supplebit hebdomadibus sequentibus, vel supplebit per alium. Vbi verò fundator dies ad celebrandum decernat, vno relicto vacante, ex rationabili causa licet non tam graui poterit Capellanus alio die quã destinatu vacare & die deputata pro vacãtia celebrare quia res non est magni momenti, nisi sit dies, in q[illegible] [illegible]dator ratione concu[illegible]us populi, vel ex alia c[illegible]a voluerit celebrari in ea Ecclesia, vel Altari, quia tunc nisi vrgentior causa excusaret, voluntas eius esset seruanda. *Pasqual. d. quaest. 1133. num. 5.*

SVMMARIVM.

1 *Qualiter supplere debeat, qui est obligatus solum ad celebrandum ter, vel quater in hebdomada.* num. 1135.

1135. QVaeritur vndecimo, an obligatus solum ad celebrãdum tribus, aut quatuor vicibus in hebdomada [illegible] suppl[illegible] [illegible] [illegible] ex impedimento vaca[illegible] R[illegible]pond[illegible]tur quod missae sunt

affixae

affixæ diebus determinatis, vt pro feria quarta, sexta, & sabbato, vel ad nullum diem sunt affixæ. Si primum adhuc distinguitur, quia vel fundator obligauit Capellanum solum ad cultum relicta ei libera applicatione, vel non reliquit applicationem liberam. In primo casu siue Capellanus impeditus, siue non impeditus, si non celebret ex se, vel alium peccat quidem, si id omittit sine iusta, & sufficienti causa: sed nihil supplere tenetur, quia tunc celebratio est affixa diei, quo transacto non remanet obligatio. Sic enim qui non ieiunat in die ieiunij non tenetur alio die ieiunare, & qui quotidie non recitat officium huius diei, non tenetur illud recitare crastina die, sed an tunc possit supplere, ne teneatur stipēdium restituere, dicetur infra, vbi de restitutione erit sermo. Sed in secundo casu, in quo fundator voluit sibi applicari fructum missæ, missa non est affixa diei simpliciter, quia non interest, quod fructus percipiatur vno, vel altero die. Et ideo & in eo casu, & in alio, in quo fundator nulli diei affixit missam, sed absolutè voluit, quod dicerentur tres, aut quatuor missæ in hebdomada, dicendum est, quod Capellanus tenetur missas supplere relictas, & quas non celebrauit celebrare vel eadem, vel sequenti hebdomada; in his enim casibus missæ non sunt affixæ diei, sed censendum est fundatorem voluisse tot missas in anno pro se celebrari, quamuis per partes illas diuiserit, & distribuerit per hebdomadas, vnde si ex legitimo impedimento sacerdos non potest in vna hebdomada partem illi assignatam celebrare tenetur celebrare in alia, & sic supplere. Quamuis verò ex his colligatur cum *Bonacina disp. 4. q. vlt. p. 7. §. 1. num. 4.* quod huiusmodi Capellanus legitimè impeditus possit transferre celebrationem harum missarum de vna hebdomada ad aliam, non credo tamen verum esse, quod addit *Pasqual. q. 1114. num 6* quod scilicet capellanus id facere possit, vt vacet honestæ recreationi eo quia nimis durum esset, non admittere aliquantulam dilationem aliquorum dierum. Nam magis durum est, quod Capellanus, vt sumat recreationem retardet fructum missæ animabus, quæ sunt in purgatorio, quarum aliqua forsan liberaretur in priori hebdomada, si dicerentur missæ, ex quarum dilatione eius liberatio protrahetur. Et hoc idem dicitur de fructu, qui possit prouenire viuis, qui non est retardandus, & forsan amittendus, vt Capellanus recreatione fruatur. *Tambur. etiā l. 3. c. 5. §. 3. num. 6.* putat, quod qui per mensem est obligatus dicere missas alternis diebus possit & præuenire celebrando omnes in primis quindecim diebus, & postponere celebrando eas in vltimis diebus, nisi obstet aliqua specialis circumstantia, & intentio fundatoris. Sed vbi agitur de postponendo vltra terminum, nisi adsit iustum impedimentum, non sit sine culpa.

SVMMARIVM.

1 *Fūdator vbi imposuit mulctam cessanti celebrare, hæc non incurritur ab eo, qui cessat iustè impeditus. num. 1136.*
2 *Vbi Capellanus habeat substitutum, si iste cesset mulcta integra debetur à Capellano, & ideò à substituto. num. 1136.*
3 *In casu mulcta soluta adhuc manet in Capellano obligatio supplendi missam. num. 1137.*
4 *Ad supplendum non teneretur, cui datur mulcta nisi id exprimeretur. num. 1137.*

1136. QVæritur 12. An si fundator imposuerit pœnam aliquam Capellano, si quotidie, aut statutis diebus non celebret illa locum habeat, quando legitimè impeditus vacat? Respondetur, quod nisi fundator aliud expresserit, pœna huiusmodi non afficit eum, qui vacat legitimè impeditus. Quia de iure communi, nisi aliud exprimatur pœna censetur imposita propter culpam. *Pasqual. q. 1126. num. 3. vbi n. 2.* quod ex subsequuta obseruantia colligi poterit, quæ fuerit mens testatoris, si illa obseruantia extiterit vniformis. Addit verò *nu. 6.* quod si Capellanus seruiat per substitutum, & substitutus sit negligens, pœnam non sustinebit Capellanus, qui non est in culpa, sed substitutus, quamuis Capellanus cognita negligentia substituti illum remouere tenebitur, & alium substituere. Substitutus verò non tenebitur ad totam pœnam, sed solum proportionaliter ad ratam eius, quod recipit à Capellano. Quia cum Capellano sit imposita pœna ad ratam fructuum Capellaniæ, censendum est ad huiusmodi ratam impositam fuisse substituto. Sed credo omninò soluendam totam pœnam, & ad hanc principaliter teneri Capellanum, qui habet obligationem celebrandi, & non vacandi. Nec interest, quod non sit in culpa; quia sufficit, quod sit in culpa substitutus: verè enim culpabiliter omissa fuit celebratio missarum, vnde habet locum pœna imposita, quæ de fructibus Capellaniæ debet solui, quos percipit de iure Capellanus; fundatori igitur debetur mulcta imposita super illis fructibus, & ab eo debetur cui ipse illos consignauit. Cum verò sit etiam verum, quod substitutus, qui est in culpa debeat reddere indemnē Cappelanū, qui non est in culpa; ideo substitutus ad totam mulctam tenetur, non quia ipse sit primario obligatus fundatori, sed quia ipse est obligatus seruare indemnē Capellanū, qui ob eius negligentiā nō debet puniri. Nec est eadem ratio de impositione facta à Capellano respectu substituti, quia ista nō fit ex noua distributione, sed ex eo, quod præcedēs distributio facta capellano trāsfertur cōnaturaliter, & vi cōuentionis, & natura negotij in substitutum, nisi aliud sit conuentum inter partes. Ex quo enim substitutus suscipit onus satisfaciēdi pro Capellano, suscipit obligationem sic fideliter agendi, vt ex eius negligentia Capellanus non patiatur damnum, & non sit coactus soluere mulctam negligentiæ eiusdem substituti, quæ tamen solui debet; quia fundatori debetur, dum missæ celebratio est negligenter omissa. Et ad fundatorem nihil interest, ex cuius negligentia fuerit omissa, sed hoc spectat ad Capellanum, cuius obligatio est, vt missæ celebratio cessante legitimo impedimento, non omittatur. Vnde si mulcta solui deberet etiam in casu omissionis missæ, ex legitimo impedimento, si substitutus ex legitimo impedimento vacaret, nihilominus mulcta deberetur fundatori, & deberetur à Capellano, nec substitutus teneretur reddere Capellanum

indemnem, nisi expressè aliter fuisset inter eos conuentum, quia substitutus tunc non esset in culpa, nec debet priuari fructu respondente suo oneri, nisi datum illi fuisset pinguius emolumentum, vt subderetur mulctæ in casu, in quo soluenda esset, seu nisi ex conuentione oneratum suscepisset onus celebrandi pro Capellano, sed etiam soluendi mulctam in omni casu, in quo esset soluenda.

1137. Subdit etiam *Pasqual.* nu. 7. quod in casu, in quo Capellanus soluere deberet pœnam, non teneretur supplere missam omissam, quia dum sibi detrahitur aliquid de fructibus Capellaniæ in pœnam censetur satisfecisse oneri celebrandi. Nam & fundator exigens pœnam videtur sibi velle satisfieri per pœnam pro obligatione non impleta. Nam pœna reducit ad æqualitatem inæqualitatem consurgentem ex delicto, & iustitia vult, quod soluta pœna nihil aliud exigatur. Denique si suppleret missas prætermissas, non posset priuari parte fructuum, quia tunc suæ obligationi satisfaceret: subdit verò, quod tunc illi ad quos peruenit mulcta tenebuntur satisfacere, & missas supplere prætermissas. Verum neutra harum solutionum est rationi conformis. Non quidem prima, quia huic Capellano cui imponitur mulcta, si aliquando vacet, vel datum est pinguius stipendium secundum taxam debitam pro missæ celebratione, ita quod v.gr. pro singula missa non percipit nisi vnum iulium, qui est stipendium taxatum pro missa; vel datum est illi stipendium pinguius, vt puta vnus iulius cum dimidio, vel duo iulij. In primo casu quidem videtur contra æquitatem, vt Capellanus debeat soluere mulctam, & vlterius supplere missam omissam, quia tunc celebraret missam, vel sine stipendio, vel cum stipendio minori taxato. Et nihilominus si ita conuentum esset seruari deberet, quia tunc puniretur pro negligentia sua, & cogeretur de suo soluere delicti sui pœnam. Nec celebraret vel sine stipendio, vel cum minori taxato, quia de proprio solueret pœnam, & remanerent illi fructus beneficij pro missæ obligatione. Sed non est verisimile, quod vel fundator velit imponere, vel Capellanus velit de facili acceptare onus dicendi missam pro mero stipendio taxato, cum obligatione soluendi mulctam de stipendio sibi dato si aliquando vacauerit. Vnde in secundo casu locum habebit mulcta, quando scilicet stipendium assignatum Capellano sit pinguius, & de eo aliquod fuerit præter taxatum stipendium, pro quo Capellanus possit mulctari. Quo casu dato, etiam si Capellanus soluerit mulctam, non manebit deobligatus à missæ celebratione, seu à supplendo missam, vel missas omissas, quia pro illis remanet stipendium sufficiens. Vnde nec potest colligi, quod fundator voluerit eum subleuare ab obligatione supplendi, quia imo fundator voluit eum punire pro culpa auferendo quod abundantius datum fuerat, tanquam minus conueniens negligenti, & relinquendo quod sufficiens est pro omissione supplenda. Vnde nulla hic est iniustitia. Et non refert si mulcta sit talis, quod non relinquat solitum stipendium, si ipsa tota pensetur, vt v.g. pro omissione vnius missæ mulcta sit duorum iuliorum, nec plus omnibus præsatis percipitur à Capellano pro singula missa. Nam debent computari ea etiam pinguioris stipendij tam præteriti, quam futuri, & pensandum; quod eis demptis semper remanet sufficiens stipendium ratione cuius manet obligatio supplendi missam, vel missas oblitas. Cæterum secundum quod dicebatur, quia nimirum supplere missas spectaret ad eum, ad quem peruenit mulcta, ex natura rei non sequitur, seu mulcta ad eum perueniret sub eo titulo sub quo ordinatum fuisset à testatore, qui etiam titulo puræ eleemosynæ id relinquere potuisset, & ideo ad id solum ille tenetetur, ad quod enim fundator obligasset, si eum obligasset. Et benè contingere potest, quod assignatum vni pro stipendio missarum relinquatur gratis alteri in casu contingenti substituto.

S V M M A R I V M.

1 *Quod Capellanus semel in hebdomada causa recreationis possit cessare dicunt aliqui.* n. 11. 8.
2 *Doctori facienti fidem de consuetudine non creditur.* num. 1139.
3 *Non est communis sensus DD. quod liceat vacare semel in hebdomada.* num. 1139.
4 *Capellanus potest semel in hebdomada vacare, si celebrat per alium.* num. 1140.
5 *Capellanus non potest intuitu recreationis vacare.* num. 1140.

1138. QVæritur 13: An Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum possit semel in hebdomada vacare, vt fruatur honesta recreatione? Affirmat *Leander tract.* 7. *disp.* 5. q. 17. citans pro eadem sententia *Hurtad. disp.* 4. *diff.* 1. *Dianam p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 28. & *p.* 10. *tr.* 14. *res.* 37. & *Philibert. tr.* 3. *p.* 2. *cap.* 23. *num.* 3. sed *Pasqual.* præmisso quod *Hurtad.* loco citato nihil de hac materia tractat, & *Diana* priori loco nihil de hac re habet, & secundo solum refert opinionem eiusdem Leandri, quam nec approbat, nec reprobat; & quod *Philibert Marchin.* id non docet, ideóq; præmisso etiam, quod permanente obligatione celebrandi quotidie Capellanus non possit causa recreationis vacare, quia per obligationem celebrandi derogauit iuri quod habet ad recreationes. Nec dici potest, quod præsumi possit, quod fundator sit contentus, vt Capellanus aliquando vacet honestæ recreationi, quia hæc præsumptio est contraria facto, cum fundator obliget Capellanum ad quotidie celebrãdum. Nihilominus Leandri opinioni adhæret ex vi consuetudinis vacandi semel in hebdomada, quam adesse colligit ex eo, quod DD. communiter statuerint regulam generalem, quod Capellanus possit semel in hebdomada vacare. In quo videntur illam admittere absque alia consideratione causæ. Et sic Capellani huic regulæ innixi introduxerunt vacationem in singulas hebdomadas tanquam sibi concessam. Et ideò quod adsit consuetudo, vt Capellani obligati ad quotidiè celebrandum possint semel in hebdomada vacare dixerunt etiam *Palaus, Diana. & Bonacina infra citandi.*

1139 Sed hic habet locum praxis Rotæ Romanæ, quæ est, vt Doctori fidem facienti de consuetudine fides non adhibeatur. *Rot. coram Ludou.*

decis. 274. nu. 5. vbi adden. pro eodem refert *Rota coram Seraph. decis.* 1341. *n.* 5. *& in Camerin. spolij 4. Iunij* 1610. *coram Sacrato.* Et prius *in Papien. & Placentina feudorum*, 4. *Iunij* 1597. Hoc verò tunc maximè locum habet, quando DD. nō possunt esse certi, & experimentaliter cognoscere an consuetudo adsit. Quod in proposito est manifestum, cum in qualibet Ciuitate sint quamplurimi ad quotidie celebrandum obligati, & quorum celebratio, vel vacantia vix est nota domesticis, vnde quis est, qui vel omnium, vel maioris partis Capellanorum facta cognoscat, vt possit esse certus de vsu eorum in toto mundo, & quod vsus illorum sciente Summo Pontifice sit approbatus, vt vim verè consuetudinis habere possit? De hac ergo consuetudine minimè cōstat, vt quis ea tuta conscientia vti & ex ea agere possit. Sed neque verum est, quod DD. communiter approbent regulam generalem, quòd liceat Capellano semel in hebdomada vacare, si tenetur celebrare quotidie. Nam DD. communiter tradunt quidē regulam desumptam ex *cap. significatum de præbendis*, scilicet quod obligatio ad celebrandum quotidie sit obligatio solum celebrandi frequentius salua deuotione, & honestatē. *Panorm. ibid num.* 4. *Fagnan. num.* 9. *Barbosa num.* 9. *Syluest. v. missa num.* 7. *Fim. Tabien. num.* 44. *Armill. n.* 28. *Nauar. cons.* 6. *de præbend. & in manual. c.* 25. *num.* 125. *Suarez. disp.* 86. *sect.* 1. *vers. de Beneficijs*, *Fagund. prascrip. p. Eccles. lib.* 3. *c.* 15. *num.* 11. *Azor. lib.* 8. 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *q.* 7. Et alij plures nihil habent de facultate vacandi vno die in hebdomada, sed duo in substantia docent, primo, quod aliquando huiusmodi Capellanus potest vacare, quia solum tenetur frequentius quantum potest salua honestate, & deuotione celebrare: secundum quod nunquam licet sine necessitate, aut iusta causa abstinere. Sunt verò alij, qui permittunt Capellano, quod semel in hebdomada vacet & hoc dicunt vsu, & consuetudine iam licere, vt *Palaus tom.* 4. *tr.* 22. *punc.* 22. *punc.* 23. *nu.* 1. *Bonaccina disp.* 4. *quæst. vlt. punct.* 7. §. 2. *nu.* 17. *Diana p.* 2. *tr.* 14. *ref.* 28. *Rimin. verò l.* 5. *tr.* 5. *cap.* 3. *num.* 6. Solum dicit esse consuetudinem aliquarum Ecclesiarum. Potest etiam esse, quod hoc idem affirment DD. aliqui ex modernis, quorum scripta non habeo præ manibus. Sed aduertendum, quod huius sententiæ duplex esse potest sensus, quia nimirum vacantia huiusmodi liceat regulariter, quia regulariter præsumitur, quod honestas, & deuotio hoc requirat. Vel quia consuetudo habeat, vt etiam nulla existente causa id fieri possit. Hoc secundum non affirmant. Sed præterea duplex esse potest sensus eiusdem sententiæ. Primus est, vt supposita causa, liceat vno die in hebdomada non celebrare per se ipsum celebrando tamen per alium. Et hic sensus est verus, nec habet difficultatem. Et *Nicol. ad cap. titulo de celebrat. missarum num.* 20. *vers. Sacrum*, refert hoc idem declarasse *S. Cong. Concil. in vna Gemen.* 10. *Martij* 1623. nimirum, eum qui tenetur quotidie celebrare per se ipsum, posse semel in hebdomada celebrare per alium.

1140. Alius sēsus est, quod Capellanus sine causa ratione voluptatis possit semel in hebdom. vacare nō celebrādo nec per se, nec per aliū, & hoc nullū habet fundamentum in iure, nec est asserendū, tum quia maior pars non extendit facultatem vacandi ad vacantiam vnius diei in hebdomada, tum quia etiam consuetudine data, illa debet intelligi supposita causa, & necessitate aliqua, non verò ad honestam recreationem, seu voluptatem. Tum quia est expresse reprobata in *capitulo significatum de præbendis*, consuetudo vacandi causa voluptatis, & si adesset esset irrationabilis. Tum quia nunquam sententia illa poterit afferre exemplum, in quo sciente Pontifice sit approbatum, quod Capellani huiusmodi causa recreationis possint nedū semel in hebdomada, sed semel in anno non celebrare per se ipsos. Tum quia per illam sententiam nimis relaxatur obligatio ad celebrandum etiam in præiudicium tertij. Propterea quod nisi fundator ipse Capellano obligato ad quotidie celebrandum concesserit vacantiam vnius diei in hebdomada, non possit Capellanus vacare ex causa honestæ recreationis, dixit *Bonaccina disp.* 4. *quæst. al. p.* 7. §. 2. *num.* 16. Vbi hoc idem confirmat ex *Castill. Prouinc. Mediolan.* & ex eiusd. Ciu. *Concil. Diœces. Franciscus de Lugo de Sacram. l.* 5. 11. *q.* 6. *num.* 69. *Fraxinell de oblig. Sacerd. sect.* 4. §. 3.

SVMMARIVM.

1 *Quod Capellanus possit aliquando pro se, vel suis celebrare aliqui dicunt, sed non est certum. num.* 1141.

1141. QVæritur 14. An obligatus ad quotidie celebrandum possit aliquādo celebrare pro se, & suis coniunctis? Affirmant *Nald. v. mis. num.* 7. *Homobon. Alphons. de Leone, Francisc. Lugo Auersa, & Machab.* quos sequuntur *Leander num.* 8. *tr.* 8. *disp.* 5. *qu.* 16. *Pasquil. quæst.* 1129. *Tambur. l.* 3. *cap.* 3. §. 1. *num.* 8. *Diana etiam p.* 4. *tr.* 4. *ref.* 86. *& p.* 5. *tr.* 5. *resol.* 23. eandem sententiam refert, nec reprobat. Ratio autem est, tum quia præsumi debet, quod talis sit rationabilis voluntas fundatoris Capellaniæ. Tum secundo, quia officium Capellani est officium nobile, nec censetur se obligare tanquam mancipium. Tum tertio, quia Capellanus se obligat ad frequentius celebrandum salua honestate, & deuotione; igitur iam constat, quod illud quotidie intelligitur moraliter, & admittit rationabilem relaxationem, qualis est, vt sacerdos aliquando pro se, & suis coniunctis celebret. Cum verò citati DD. dicant licere hoc ter, aut quater *Pasqual.* putat hoc esse arbitrarium, & quod fieri non debeat sine occasione, sed fieri possit semel aut bis quacumque graui occasione adueniente, & quod vbi antiquior fuerit Capellania ibi maiorem locum habere possit indulgentia. Et tandem hoc *Pasqual.* extendit ad amicissimos. Verum non est multum securum diuinare voluntatem testatorum, & in eorum præiudicium præsumere contra id, quod expresse disposuerunt. Et licet Capellanus non se obliget, vt mancipium, tantum tamen se obligat quantum significat se obligare, & fundator intendit, vt se obliget, ille verò significat se obligare ad celebrandum quotidie. Et quāuis quotidie intelligatur moraliter, hæc tamen mora-

moralitas non importat, nisi executionem impossibilitatis vel physicæ, vel moralis scilicet, vel infirmitatis, vel quia sacerdos non potest honestè, aut deuotè celebrare, vt constat ex *capit. significatum de præbend.* vbi expressè reprobatur causa voluptatis, & accedendi ad celebrandum in alia Ecclesia, & ex consequenti ad celebrandum pro alio, ideò quidquid sit de hac opinione puto, quod sacerdos quotidie possit facere quod isti DD. concedunt, pro bis, vel ter. Et licet vt sacerdos iustè hoc faciat opus sit, vt dum est obligatus celebrare pro alio, pro amicis, & coniūctis offerat sacrificium sub conditione, longè tamē ac longè verius est, quod hęc conditio sufficit, ad hoc quod verè sine præiudicio eius, qui Capellaniam fundauit possit pro eis offerri missa, ita vt amicitia, & coniunctio maius non petat, & sic amicitiæ, & consanguinitati satisfacit applicando pro eis sacrificium quatenus fieri possit sine præiudicio fundatoris, quoniam probabilissimum est hoc præiudicium nō adesse, quia dicendum est, quod Christus benignissimus Dominus noster, non est propria causa, ob quam fructus missæ sit finitus, & tantus de facto, vt non sit maior, sed hæc causa est ex parte nostri, scilicet ex parte offerentium, & propterea quod eo repleto secundum capacitatem suę deuotionis, qui fundauit Capellaniam, remanet vnde accipiant alij offerentes, quantum capere possunt.

SVMMARIVM.

1 *Capellanus vacans a celebratione, si celebret tenetur celebrare pro fundatore. nu. 1142.*

1142. QVæritur quintodecimo, an Capellanus ea die qua vacat possit celebrare pro se, vel alijs, à fundatore Capellaniæ? *Pasqual. q. 1130.* sentit, quod præscindendo ab eo quod possit Capellanus accipere, vel non accipere stipendium, Capellanus eo die, quo vacat, possit etiam celebrare pro se, vel pro alio, prout ei libuerit, qui etiam refert hoc absolutè asserere *Marcum Vidal. in inquis. moral. tit. de iust. inquis. 1. num. 12.* & cum limitatione, vbi est consuetudo, *Auers. q. 11. de Eucarist. sect. 18.* & cum limitatione vbi Capellanus est pauper *Thomam Hurtado p. 8. tr. 2. cap. 4. res. 7. nu. 18.* & eundem *Auersam*. Sed hæc sententia tota fundatur in eo, quod verè falsum est, nimirum quod Capellano obligato ad quotidie celebrandum concessum sit vacare vna die in hebdomada, taliter, quod ex vi fundationis non sit obligatus nisi ad celebrandum sexies in hebdomada; & quidem independenter à causa quacumque impediente illum celebrare septies. Ex hoc enim concludit, quod si non est obligatus celebrare, nec est obligatus celebrare pro fundatore. Contra quod fundamentum viget tam ratio naturalis, & diuina, quam canonica; quia obligatus ad quotidie celebrandum si potest, & quantū potest, si potest celebrare, tenetur celebrare pro eo pro quo tenetur celebrare, quia ex sola impotentia est exemptus à celebratione; At verò sic est, quod Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum ex lege naturali, diuina, & canonica est obligatus ad celebrandum frequentius, quantum potest, quia natura ipsa obligationis hoc fert. Nam vox quotidie importat singulum diem nullo excepto, exceptio ergo alicuius diei si intrat, ex hoc intrat, quod non sit possibile aliter fieri saltem moraliter. Et ideò *Alexand. 3. in cap. significatum de præbend.* ratione materiæ de qua agitur explicauit illud quotidie, vt sit idem, quod frequentius quantum potest, quod est dicere semper si potest, seu singulo die si potest, seu nulla die cessādo, nisi quia nō potest, & sic ex lege tam naturali, & diuina, quā Canonica solo impedito conuenit vacantia. Et si aliqui DD. colligere voluerunt regulam, vt liceat vacare semel in hebdomada si hanc regulam intellexerunt, vt etiam non impedito liceat vacare semel in hebdomada, contra ius omne id collegerunt, quia de iure vacantia nec est concessa, nec à fundatore potest concedi, nisi impedito, quia voluntas fundatoris, quod sacerdos non impeditus quotidie pro se celebret est iusta, & rationabilis, & seruanda ab eo, qui sub huius voluntatis conditione illam acceptauit. Et sic euidenter falsum est, & quod tanquam falsum est reijciendum, scilicet quod Capellano obligato ad quotidie celebrandum de iure communi sit concessum vacare semel in hebdomada, si non sit impeditus celebrare, quia ius non concedit vacantiam, nisi impedito, nec cōcedit regulam generalem vacandi semel in hebdomada, sed solum concedit vacantiam iustè impedito. Et quod magis est, nec impedito concedit vacantiam absolutam, sed vacantiam celebrandi per se ipsum, vnde *S. Cong. supra num. 1139.* relata solum concedit quod Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum per se ipsum semel in hebdomada possit celebrare per alium, quotiescumque igitur Capellanus non est impeditus tenetur celebrare pro fundatore; nunquam igitur potest celebrare pro alio, quia si potest celebrare, tenetur celebrare pro fundatore, vt benè dixerunt *Nald. v. missa num. 7. Zanar. par. 1. Direct. cap. 13. Bonac. disp. 4. q. vlt. p. 7. §. 2. n. 16. Diana p. 2. tr. 14. res. 38. & p. 10. tr. 14. res. 31. Fraxinell. de oblig. sacerd. sect. 4. concl. 4. §. 3. Homob. p. 3. exam. tr. 4. cap. 15. q. 124. Francisc. Lugo lib. 5. de Sacram. cap. 71. q. 6. num. 67. Tamb. lib. 3. cap. 3. §. 2. num. 1. Leand. tr. 8. disq. 5. quæst. 18.* In casu tamen, quod fundator ipse expressè concessisset Capellano vacare semel in hebdomada posset Capellanus tunc pro quocunque celebrare, quia non est obligatus ad celebrandum pro aliquo.

SVMMARIVM.

1 *Capellano obligato ad celebrandum aliquibus diebus non licet variare. num. 1143.*

1143. QVæritur 16. An Capellanus obligatus ad celebrandum certis diebus in hebdomada possit variare? Certum est, quod si obligatio est pro certis diebus non potest Capellanus variare *Card. de Lugo dis. 21. num. 45. Auersa q. 11. de Eucar. sect. 18. Franc. Lugo lib. de Sacram. cap. 13. q. 6. n. 60. Diacastill. de Sacram. tr. 5. disp. 4. dub. 2. num. 409. Pasqual. q. 1131. Tambur. lib. 3. cap. 3. §. 5. nu. 1.* ex genere tamen

hæc

hæc obligatio non est ad mortale, cum materia sit leuis. Ex duplici tamen capite potest esse culpa mortalis; prima ratione materiæ, vt si obligatio esset pro die festo in Ecclesia vbi alias paucæ, sunt missæ, & obligatio respexit commoditatem populi, sine cuius graui incommodo non potest omitti missa; & eo magis quod possit esse, quod multi non audiant missam decepti ex spe audiendi missam Capellani. Pariter ex quacumq; simili circumstantia materia fiet grauis, & omissio erit peccatum mortale. Secundo materia fit grauis,& omissio mortalis ex frequentia, quia multa pauca faciunt quid magnum. Alias vero si adsit rationabilis causa variandi, & ex circumstantia non sit necessaria non variatio nec veniale peccatum erit variare, vt si contingat Capellanum in die, in quo deberet celebrare, vocari ad exequias in alio loco. *Tambur. vbi supra. num.* 3. indicat idem dicendum de eo, qui est obligatus celebrare certa hora diei.

SVMMARIVM.

1 *Obligatus ad celebrandum aliquando in hebdomada per se non tenetur celebrare in die festo. nu.* 1144.

1144. QVæritur 17. An obligatus ad celebrandū aliquoties in hebdomada sine diei determinatione, teneatur celebrare in die festo? Et respondetur non teneri, quia ex fundatione ad id non obligatur, cum solum ad numerum missarum, non vero ad diem sit obligatio. *Bonac. disp.* 4. *de Sacram. quæst. vlt. p.* 7. §. 6. *num.* 5. *Pasqual. q.* 1136. *Tambur. l.* 3. *c.* 3. §. 3. *num.* 4. *Cum vero Bonac.* dicat fieri posse vt obligetur celebrare in die festo si Capellania est instituta in loco, vbi nulla celebretur missa *Pasqual.* putat, quod ex hac sola circumstantia non possit colligi, quod mens testatoris fuerit prospicere bono publico, quia potest esse, quod populus habeat commoditatem audiendi missam in alio loco, vel quod ad locum Capellæ, non sit facilis accessus. Omnes ergo circumstantiæ erunt considerandæ; Quamuis verosimile satis sit, & potius sit præsumendum, quod vbi fundator instituerit Capellanium in loco, vbi nulla alia celebratur missa, respexit in hoc ad publicum commodum loci. Cum vero commoditas loci est intenta missa die festo est celebranda.

SVMMARIVM.

1 *Obligatus ad celebrandum in die festo non tenetur celebrare in festis forensibus, vel ex deuotione celebratis. nu.* 1145.

1145. QVæritur 18. Quando obligatus sit celebrare, qui tenetur celebrare in die festo? Respondetur nomine diei festi intelligi diē in quo obligat præceptum Ecclesiæ de audienda missa, & de abstinendo ab operibus seruilibus; huiusmodi enim dies ille est, qui sub nomine diei festi venit. *Vidal. tit. de Sacram. Ord. num.* 25. *Azor. p.* 2. *l.* 2. *c.* 17. *q.* 19. *Ricc. in praxi res.* 273. Sic enim dispensatus ad Sacros Ordines suscipiendos in diebus festiuis in his diebus ordinatur. Et ex præscripto *Concil. Trid.* in similibus diebus publicationes matrimoniorum fiunt. Vnde talis sacerdos non tenetur celebrare in festis forensibus, vel etiā in illis, quæ non ex præcepto, sed ex deuotione fidelium celebrantur, & in quibus Deo cultus publicus spontaneè, non ex præcepto exhibetur. *Pasqual. q.* 1137. si tamen aliter esset de mente testatoris, seu Fundatoris illud seruandum esset.

SVMMARIVM.

1 *Capellani est eligere sibi substitutum. nu.* 1146.

1146. QVæritur 19. Ad quem spectet deputare substitutum, quando Capellanus non potest per se ipsum celebrare? Dicendum quod quidquid dixerit *Ricc. in praxi resol.* 52. *num.* 6. *p.* 1. volens pertinere ad Episc. hoc spectat ad Capellanum ipsum, non est enim eadem ratio de Vicario Parochi, aut habentis curam animarum, in quo requiritur idoneitas specialis cognoscenda ab Episcopo, & de Vicario Capellani, in quo non est necessaria nisi potestas sacerdotalis, & ideo nulla est necessitas specialis approbationis Episcopi, & propterea sufficit, quod Capellanus sacerdotem sibi substituat, quem voluerit. *Diana p.* 4. *tr.* 4. *res.* 87. *Pasqual. q.* 1138.

SVMMARIVM.

1 *Si communitas sit solum procuratrix celebrandarum missarum, Capellanus ab ea electus gaudet priuilegia vacantia sicut alij etiam si sit Religiosus. num.* 1147.

2 *Communitas accipiens onus celebrandi per se solam, vt personam fictam habet, vt possit vacare ac si esses persona physica, quia non tenetur celebrare nisi vt vna persona. num.* 1148.

3 *Ex quo communitas est persona ex pluribus integrata non se obligat ad celebrandum nisi per vnum, non vero per multos vage. num.* 1149.

4 *Communitas non se obligat ad celebrandum nisi per vnam, qui erit aliquando indenatus, aliquando infirmus, &c. num.* 1150.

1147. QVæritur 20. An quæ dicta sunt de facultate vacandi competente Capellano obligato ad celebrandum quotidie verificari possint si obligatio Capellaniæ imposita sit communitati; nimirum Collegiatæ, vel monasterio Religioso? Si Religiosus aliquis sit particulariter obligatus, vt quia obligatio imposita fuit Sacristæ, eandem esse rationem de Capellano particulari, & de obligatione Regularis censet. *Lezana v. missa num.* 40. & 42. Non vero si obligatio imposita est communitati. *Tambur. l.* 3. *c.* 3. §. 1. *num.* 6. & *cap.* 5. §. 1. *num.* 3. Hoc idem vult *Pasqualig. quæst.* 1135. *num.* 1. *vbi num.* 3. quod si communitas tamen eligat Capellanum amouibilem in quem transferat obligationem, tunc ille Capellanus habebit easdem vacantias, quia tunc in eum translata est obligatio, quæ est propria, & personalis illius, & qui non potest per se ipsum quotidie semper celebrare. Et *num.* 4. & 5. habet,

quod vbi communitas suscipiat onus celebrandi per se ipsum, quia tunc communitas vt persona ficta suscipit obligationem celebrandi, quæ est veluti personalis, potest pro ea missa celebranda deputare Capellanum, qui poterit gaudere priuilegio vacantiæ, sicut alij sacerdotes. Ego non dubito quod si communitas suscipit merum onus procurandi, vt missa celebretur, quod communitas nulla potest gaudere vacantia, quæ cōpetit solum celebrantibus. Verum etiam si communitas censeatur electa vt procuratrix, hoc dupliciter fieri potest, primo vt sit procuratrix, vt celebretur missa nullo determinato Capellano; & tunc non habet locum vacantia aliqua, quia nullus est sacerdos, cui sit impositum onus celebrandi per se ipsum, & obligatio illa non respicit celebrantem aliquem, sed respicit missam, vt aduerterunt *Sylvest. v. missa 2. num. 7. v. quartum, Tabien. num. 44. Armill. n. 28.* & quam plures alij. Tunc enim voluntas testatoris est vt missa quotidie celebretur per aliquē sacerdotem quicumq; ille fuerit. Sed si obligatio procuratoris sit ad eligendum sacerdotem Capellanum qui celebret, & cui imponatur onus celebrandi quotidie, tunc habet locum facultas vacantiæ, sicut in alijs Capellanijs perpetuis; quia obligatio celebrandi est in Capellano electo, & Procuratoris est solum Capellanum eligere qui celebret, vnde hoc electo procurator functus est officio suo, obligatio vero quotidie celebrandi imponitur Capellano, qui certe nō potest obligari, vt sēper sine vacantia per se ipsū quolibet die celebret. Et sic tunc obligatio respicit personā certam, vnde iuxta doctrinam communem, locum habet vacantia. Igitur si communitas solum suscipiat onus nominandi, seu eligendi Capellanum, illa non indiget vacantia, quia functa est officio suo eligendo Capellanum, electus vero Capellanus sicut alij possunt, sic & ille vacare potest.

1148. Verum quando communitas accipit onus celebrandi missam, non recipit solum onus procurandi missam, sed recipit onus celebrandi per se ipsam, quod est dicere per aliquem ex suis & ex vi huius conuentionis non se obligat, nec se obligare intendit, nec se obligare tenetur ad sustinendum nisi vnum sacerdotem, quia nec sibi datur maius emolumentum, quam sufficiat ad vnius sacerdotis sustentationem, seu quod daretur Capellano personali. si illi imponeretur onus Capellaniæ; ideo ex vi talis conuentionis non tenetur nisi assignare vnum ex suis, qui celebret, & illi imponere onus Capellaniæ illius. At vero nihil interest, quod hunc determinate eligat, vel non eligat, quia obligatio ipsa ex natura sua non est nisi obligatio celebrandi per se ipsum, quæ respicit personam, & sic est capax vacantiæ. Quia communitas nō est obligata vt celebret, nisi per vnum, qui quidem non potest sine vacantia quotidie celebrare, igitur communitas non est obligata celebrare nisi per sacerdotem habentem facultatem vacandi, igitur ipsa in hoc omni ea facultate vacandi gaudet, qua gaudent alij Capellani. Quod confirmatur, quia in proposito non interest, quod persona quæ suscipit onus celebrandi sit persona vna physice, vel moraliter, & fictione iuris; quia communitas se obligans ad celebrandum, nisi aliud exprimatur, non magis se obligat, nec intendit, nec tenetur magis se obligare, quam si esset vnus numero Capellanus, qui non tenetur se obligare nisi ad hoc vt eligat ex suis vnum Capellanum, qui celebret, seu quod celebret per vnum ex suis. Et istæ duæ sunt obligationes valde diuersæ, scilicet obligatio ad manutenendum vnum determinate, qui celebret, & obligatio ad manutenendum vnum vage qui celebret, quia hæc secunda est obligatio ad manutenendum non vnum tantum, sed duos, vel tres, vel plures sacerdotes ideo nisi expresse communitas hac promittat, ad id non tenetur.

1149. Et si dicatur, quod sicut communitas est persona ficta, & vt talis conuenit, & suscipit obligationem celebrandi, sic suscipit obligationem celebrandi per se ipsam, & cum ipsa per se ipsam possit honeste quolibet die celebrare, quia cum sit persona multarum personarum, quod non potest per vnam poterit per aliam, & sic cessat ratio vacantiæ. Respondetur, quod imo ex hac obiectio, dicta superius comprobantur. Quia communitas cum sit persona ficta, non potest suscipere onus celebrandi per se ipsam personam fictā, quia celebratio missæ est actio physica, quæ non est nisi personæ physicæ, & realis, & indiuidualiter determinatæ, vnde impossibile est quod persona ficta celebret per se ipsam immediate, sed bene communitas potest celebrare per vnum ex suis. Quando igitur communitas suscipit onus celebrādi non suscipit onus procurandi vt missa celebretur, sed suscipit onus celebrandi, sed non per se ipsam immediate, sed constituendi determinate vnum ex suis Capellanum, qui quidem gaudeat facultate vacandi sicut quilibet alius potest gaudere, non manente in communitate obligatione ad aliud, quia non promisit se celebraturam missam per mille sacerdotes, sed per vnum tantum, nec per se, & ex vi conuentionis suscepit maius onus, quam si esset persona determinata.

1150. Punctum est an facultas vacandi sit solum ad vacandum per se ipsum, cum obligatione supplendi per alium, vel sit facultas vacandi simpliciter. Nam hanc secundam non competere Capellanis, nisi si obligatio celebrandi sit mere personalis, probatum fuit. Sed tamen si semel verum esset quod competeret Capellanis particularibus, eadem ratione competeret communitatibus, quæ vt personæ fictæ suscipiunt onus celebrandi per se ipsas, quia tales communitates sicut in suis patiuntur infirmitates, indeuotiones, & inhonestates, ita non se obligant ad celebrandum per suos, nisi vt per eos, qui aliquando sint infirmi, & indeuoti, & habentes ex hoc omnia illa impedimenta, quæ sunt impedimenta iusta non celebrandi. Et sic communitates assumentes onera celebrandi per se ipsas, habent eam facultatem vacandi, quam habent alij Capellani. Et superior qui habet curam celebrandarum missarum potest si vere sui sacerdotes impediantur ne celebrent habere rationem impedimenti talis. Et *Tambur. l. 3. c. 5. §. 1. num. 5.* admittit quod si in monasterio, qui supersunt iam non sufficiunt ad onera missarum implenda, tunc monasterium adimplere valeat, quod potest, & *num. 6.* quod hoc adimplementum debeat fieri ad ratam ita vt omnes fundatores aliqua missa careant, aliquam habeant

juxta

iuxta maius, vel minus legatum à singulis Ecclesiæ relictum, pinguiori plures missas minus pingui pauciores tribuendo. Quia id æquitas exposcit, nec tunc habet locum regula prior in tempore sit potior in iure, quia hic prioritas non potest esse tanti momenti, vt vincat posteriora legata forsan pinguiora. Verum iuxta à nobis probata supra, quia non conceditur vacantia Capellanis ita vt non teneantur supplere per alios. Ideo ex hac parte Communitatibus non conuenit vacare, quia si vacent per vnum tenentur celebrare per alium.

SVMMARIVM.

1 *Decreta Sac. Cong.* 1151.
2 *Peccatum mortale ex genere est contra voluntatem promissarij differre missas obligatas ex stipendijs.* num. 1151.
3 *Et hoc idem de obligatione orta ex alijs virtutibus.* num. 1162.
4 *Petens missam censetur præfigere tempus cum petit pro occasione non ferente dilationem.* num. 1153.
5 *Ecclesiæ etiam prætextu magni concursus non possunt missarum celebrationes vltra tempus præfixum differre.* num. 1154.
6 *Qui bona fide distulit, quia prius non potuit, omni modo possibili statim satisfaciat.* num. 1155.
7 *Veniale saltem est sine causa pro breui tempore differre missarum celebrationem.* num. 1156.
8 *An dilator teneatur restituere remissiuè.* num. 1157.
9 *Quale breue tempus intra quod liceat differre celebrationem missarum.* 1158.
10 *Consilium est interim præ omnibus rogare in missa.* num. 1158.
11 *Neque hæredes possunt differre.* num. 1159.
12 *Quid vbi constet eum, pro qua missa debet celebrari esse incapacem fructus missæ? an liceat tunc differre.* num. 1160.
13 *Ad instantiam excommunicati non tolerati an liceat celebrare.* num. 1160.
14 *Pœna in differentes missas non adest lata in decreto de celebrat. missarum.* num. 1161.

INSPECTIONIS SESTÆ.

CAP. VNDECIMVM.

De non differenda missarum celebratione.

1151. AD hanc inspectionem spectant, quæ habentur in decreto de celebratione missarum supra num. 864. ad 11. 12. 13. 14. & 15.

Quæritur autem primo an, & quale sit peccatum differre celebrationem missarum promissarū. Certum est, quod de scientia, & consensu dantis eleemosynam pro missis non est peccatum missas celebrandas differre, nisi qui dat eleemosynam non sit Dominus, sed hæres, vel executor, qui non possit testatoris mutare voluntatem: sed & pro certo habetur, quod non dicere missam promissam interueniente stipendio tempore promisso, sed differre est peccatum, & quidem mortale, si dilatio sit notabilis, & sine iusta causa. *Syluest. v. missa 1. num. 10. fin. Aragon. de iust. q. 85. a. 3. Sanchez. l. 1. de matrim. disp. 6. num. 8. Fagun. præcep. 2. l. 3. cap. 10. num. 1.* & apud eum *Molina, & Lessius Fraxinell. sect. 4. concl. 3. §. 1. num. 2. Bonac. disput. 4. q. vlt. par. 7. §. 1. num. 2.* & apud eum *Petrus Nauar. Rodriq. & Possen. Diana p. 2. tr. 14. res. 25. Lezana v. missa nu. 38. & 44. Pasqual. q. 964. & apud eum Ledesma, Nald. Homob. Fernand. Auersa, Garzia, & alij Card. de Lugo disp. 21. num. 45. Leand. tract. 8. disp. 4. qu. 17. Tambur. l. 3. cap. 1. §. 9. num. 7.* Ratio verò est, quia non hoc fit sine notabili damno petentis missam.

1152. Colligitur primo, quod hæc obligatio est communissime vera respectiuè ex quacunque virtute sacerdos determinato tempore debeat celebrare, siue illa virtus, sit etiam iustitia, vt contingit in obligato ratione stipendij, in quo nedum læditur religiosa fidelitas, sed consecutiuè læditur iustitia, quatenus contingat casus, quod retineatur stipendium inuito domino: siue illa virtus sit religio voti, vt in eo, qui vouit tali die celebrare, si non celebret; siue sit quæcunque alia virtus obligans grauiter ad celebrandum in tempore determinato.

1153 Colligitur secundo, quod si à petente missam præfigatur Sacerdoti tempus ad celebrandum, eo ipso, quod acceptat stipendium sub tali onere debet in eo tempore celebrare. Censetur verò præfigi terminum, si occasio pro qua missa petitur, requirit celerem, & determinatam celebrationem, vt cum pro moribundo petitur missa ad impetrandam vitam, nō potest expectari, quod sit mortuus, sed statim est missa celebranda. Quando enim occasio petendi missam petit celerem celebrationem, petensq; occasionem exponit & causam celerem, celebratio deducitur veluti in conuentionem, & pactum, quia qui dat stipendium illud dat sub ea spe, & onere, nec aliter daturus illud fuisset, ideo grauiter peccat, qui sic missam differt. *Tambur. l. 3. c. 1. §. 9. n. 9.*

1154. Colligitur tertio hanc obligationem æquè afficere omnes sacerdotes, & non obligare solos singulares Sacerdotes, sed multo magis Ecclesias, quæ etiam si sint magni concursus, & deuotionis fidelium, ad eaq; perueniat copia magna eleemosynarum pro missis, non tamen per hoc licet petentium fidem decipere, & tempore præfixo non celebrare; neque enim ratione magni numeri missarum, aut ratione, & prætextu colendi, & continuandi deuotionem, & concursum populi acceptare possunt maiorem numerum missarum, quam in tempore competenti possint per suos sacerdotes, aut conductos illis satisfacere, vt declarauit *Sacra Congreg. supra nu. 864. ad 14. dubium.*

1155. Colligitur quarto si sacerdos, vel Ecclesia aliqua ex casu accidentali non potuerit in tempore debito satisfacere oneribus missarum prius bona fide susceptis excusabitur, sed non à

toto; quia diligentiam adhibere debebit, vt quam primum possit satisfaciat per se, vel per alios. Qui enim, vt debet, non potest satisfacere, satisfaciat omni meliori modo, quo potest.

1156. Colligitur quinto, quod adhuc, & infra terminum vltra quem sine mortali culpa non potest Sacerdos protrahere celebrationem missæ, non est omninò solutus à colpa, si sine causa iusta, ex negligentia protrahat celebrationem expectando illud vltimum terminum. Quia obligatio celebrandi celerem petit executionem, & satisfactionem ex natura sua, quia citius placandus est Deus, & eius beneficia imploranda, & soluenda et peccatorum debita, ideò peccatum saltem veniale erit sine causa etiam breui tempore differre missæ celebrationem iam promissam. Sed quid dicendum in casu quod v. g. missa quotidiana sit reducta ad missas sexagintas, poterit ne capellanus expectare, vt has sexaginta missas celebret in fine anni? Affirmat *Tambur. l. 3. cap. 3. §. 3. num. 7. Diana parte 3. tract. 6. res. 29.* quia licet ratio legati pij petat solui initio anni. *l. si ita factis ff. de manum. Test.* & id exposcat necessitas animarum purgatorij pro quibus illæ missæ fortè sunt celebrandæ, tamen nisi aliud petat expressa conuentio, & voluntas testatoris, visum est in contrarium, & mens Testatoris satis ostendit se huic missæ consensisse, dum successiuè per annos, & non simul missas celebrandas esse disposuit. Verum hic considerandum, quod testator non reliquit onus implendum successiuè per annos, nisi quia reliquit quotidie impleri debere; si verò onus reducitur hoc debet fieri, vt quantò minus sit possibile lædatur ius fundatoris, & reductio fiat in similitus, ergo in casu præfato distribuendæ erunt sexagintæ illæ missæ in hebdomadas, (vt si fundator non potest habere missam quotidie habeat eam singula hebdomada, semel, & bis iuxta quantitatem, ad quam missæ sunt reductæ.

1157. Si vero quærat quis an hic differens notabiliter celebrare missas teneatur aliquid restituere etiam si postea missas promissas celebret, dicetur infra vbi ex professo tractabitur de restitutione ex violatione promissionis celebrandi.

1158. Quanta verò verò sit notabilis dilatio *Pitr. tom. 3. tom. 3. cap. 12. ad const. 9. Vrb. VIII. ad 10.* existimat quod breue tempus in proposito sit tempus trium annorum, Quod tamen esse reijciendum meritò arbitratur *Pasqualig. quæs. 965.* Nam longitudo, vel breuitas temporis debet arbitrari iuxta subiectam materiam, vt notat *Glos. in cap. præterea de ætat. & qualit.* Constat vero, quod dantes eleemosynam pro missis nedum non darent si scirent dilationem differendam esse ad tres annos, sed nec ad sex, vel quinque menses. Hinc ergo dilationem ex *Villab. p. 1. tr. 8. dub. 18. num. 2. & Ledesma p. 1. cap. 18. concl. 17.* explicat *Diana p. 2. tr. 14. resol. 25.* dicens quod Sacerdos posset recipere numerum quinquaginta missarum, aut sexaginta, & his celebratis alias tantas celebrandas accipere. Sic & *Card. de Lugo d. disp. 21. sect. 2. nu. 34* existimat, quod modicum tempus est illud, quo quinquaginta, vel sexaginta missæ dici possent. Sed *Thesaurus p. 2. v. missarum onera cap. 1.* putat spatium octo, vel decem dierum, & non vltra intelligi per modicum tempus: sed modicum tempus esse duorum mensium dixeruot plures apud *Pasqual.* quod ad tres menses extendit *Leand. tract. 8. disp. 4. q. 18.* & probabile putat *Tambur. l. 3. cap. 1. §. 9. n. 4.* sed *Pasq.* vult, vt quando commendantur missæ sine determinatione temporis tempus modicum sit duorũ mensium, & quando nulla sit instantia celeritatis tempus sit trium mensium. Ex quo colligit, quod Ecclesiæ habentes magnum numerum missarum, possunt habere collectum numerum missarum pro duobus ad tres menses; quia inter has multæ erũt, quæ nullam celeritatem poscunt, & ita semper prius celebrandum erit, vt satisfiat ijs, pro quibus prius satisfieri debet. *Nicol. lit. de celebrat. miss. num. 12.* refert *Sacr. Congr. Concilij* olim prohibuisse Ecclesiæ B. Mariæ del Pilar Cæsaraug. suscipere eleemosynas pro missis vltra quam ante finem anni possent persolui. *Lezana* autem *v. missa num. 39.* hoc ad arbitrium boni viri censet esse iudicandum pensatis circumstantijs loci, temporis, missarum dicendarum, & sacerdotum, qui illas celebrare debent, prout ipse *Thesaurus ibid. ex l. si ita quis ff. de verb. oblig.* & *Menoc.* ibid. affirmans qui rectè notat, quod si missa sit dicenda pro aliqua necessitate, quæ moram non admittat v. g. pro præsenti infirmitate, tribulatione, itineris expeditione, &c. tunc nullo modo differri possit. Tutum est clare loqui, & dantibus eleemosynas illas non accipere nisi exprimendo, quod satisfaciet, quando fieri poterit. At verò contra *Thom. Hurt. p. 1. tr. 1. c. 4. res. 18. n. 199.* aduertit *Pasqual. d. q. 965. n. 11.* non esse verũ quod Ecclesiæ habentes magnũ numerum missarum deberent admittere dates stipendia ad participationem missarum, quæ quotidie celebrantur. Tum quia hoc ex natura rei, & secundum Sac. Congreg. ad praxim reduci non debet. Tum quia ex hoc non habebit locum maior dilatio. Sed benè dicitur, quod hoc non est necessarium: quia tamen secure ad praxim hoc reduci potest, si fiat conditionatè, nullum est inconueniens, vt fiat: sed tamen non propterea magis differri debebit celebratio debita. Vbi vero pro diuersis missæ sunt celebrandæ æquum erit prius celebrare pro eo, qui prior dedit stipendium, vel absolutè, tamen infra terminum, in quo sacerdos potest missas celebrare, poterit cui voluerit prius satisfacere. *Tamb. l. 3. c. 3. §. 5. num. 3.*

1159. Quæ vero dicta sunt de sacerdotibus intelligi etiam debent de hæredibus, quia scilicet peccatum mortale ex genere sit, si differunt celebrationem missarum relictarum à Testatore. Quod probatur ex *Concil. Carthag. 4. cap. 91. relato in cap. Qui oblationes 13. q. 2. & ex Concil. Varsen. 1. cap. 4. & refertur eod. tit.* Vbi etiam tales differentes tradere Ecclesiæ oblationes mortuorum iubentur excommunicari *Pasqual. q. 967.*

1160. Sed nunquid vbi constet eum, pro quo est celebrandum, esse incapacem fructus sacrificij poterit sacerdos differre celebrationem post tempus determinatum? posse, sed non teneri docet *Tambur. l. 3. q. cap. 1. §. 9. num. 5. sed negat Pasqual. quæs. 866.* quia cum expressa voluntas fuerit, vt tali tempore celebretur missa, contra expressam voluntatem non potest recurrere ad præsumptam. Sed hæc ratio, si vera esset, redderet iniustam

quam

quamlibet commutationem voluntatum expressatum, cum tamen multoties contingat vt variatis rebus ex præsũpta volũtate de præsenti liceat nõ implere voluntatem expressam præteritam, nedum inferiorum, sed etiam superiorum. Ideo in præsenti. Dicitur primo, quod sacerdos non potest celebrare pro excommunicato; quia ille est priuatus Ecclesiæ suffragijs. Ideo si sacerdos vult celebrare pro illo tenetur expectare, quod sit absolutus. Dicitur quod sacerdos per se non tenetur expectare, quia suæ obligationi potest satisfacere celebrando missam in Dei cultum. Et nihilominus si missa non fit affixa diei, & commendata principaliter in diei cultum, vel commoditatem populi pro die illa, sed missa possit differri melius faciet sacerdos si missam differat. Talis enim præsumi debet quod sit voluntas eius, qui missam commendauit, cum hoc sit illi vtilius. Et puto quod vnusquisque in propria causa ita fieri desideraret. Et potest esse, quod ad ita faciendum etiam charitas compellat. Ex his vero sequitur quid agendum si contingat testatorem mori incapacem, vt quia moritur publicè impœnitens, aut excommunicatus, vel taliter vt ratione impœnitentiæ notoriæ priuetur etiam Ecclesiastica sepultura. In hoc enim casu legatũ nõ cessat, vt pluribus iuribus, & DD. probat. *Pasqual. q. 1012.* & ratio est, quia censendum est legatum missarum principaliter factum fuisse intuitu diuini cultus, & etiam in vtilitatem familiæ, & aliorum, præsertim in casu quo legans non indigeret, & ita manet causa legati, vnde legatum non cessat. Tunc ergo missæ celebrandæ sunt omnino, licet non pro incapaci. Et tunc quoq; si ageretur de excommunicato absoluendo post mortem, & missæ differri possent, melius esset expectare, quod ille absoluetetur, vt tunc missæ pro eo celebrari possent. Quia præsumi potest hoc esse illi gratius.

1161. Tandem aduertendum est, quod contra differentes celebrationem missarum non est lata aliqua pœna; quia pœnæ latæ in Decreto Vrbani VIII. afficiunt eos, qui onera perpetua missarum accipiunt sine licentia, vt declarauit eadem Sac. Cong. supra *num. 864. ad 12. dubium. Pasqual. quæst. 964. num. 10.*

SVMMARIVM.

1 *Quod sacerdos possit pro datura eleemosynam missam nunc dicere, qui senserint? num. 1162.*
2 *Reijcitur ex decreto Clementis Octaui, seu Pauli Quinti. num. 1163.*
3 *An liceat celebrare ad intentionem Aedituì, vel amici, qui solet commendare missas. num. 1164.*

1162. QVæritur secundo. An sacerdos dum non habet obligationem missarum possit missas celebrare anticipate hac intentione, vt applicet illorũ valorem ordinate pro primo, secundo, tertio, &c. qui daturus sit illi eleemosynam pro missa celebranda? Posse hoc fieri affirmant aliqui, dum tamen celebrans non suspendat applicationem missæ, quia opus operatum sacramentorum nequit suspendi, vt senserunt. *Vasquez. 3. p. disp. 234. c. 3. num. 22. Coninch. 3. p. q. 83. a. 1. dub. 9. concl. 9. num. 22. Angles in 4. 2. p. de suffrag. diff. 5. concl. vn. Pouen. c. 2. num. 25. q. 8. Suarez tom. 3. disp. 79. sec. 9. Corduba l. 5. de indulg. q. 12. Bonac. disp. 4. q. vlt. p. 7. §. 5. num. 3.* Sed si sacerdos dicens missam ex tunc applicet missam anticipate, & valet applicatio, & potest sacerdos id facere, & postea intuitu illius missæ eleemosynam accipere. Ita *Arrag. 22. q. 85. a. 3. Negin. l. 23. num. 237. Fraxinell. sec. 3. ad fin. Petr. Nauar. l. 2. c. 2. num. 372. Rodriq. 2. p. cap. 252. concl. 3. Henr. l. 9. de missa cap. 31. num. 2. Molfes. num. 26. Vasq. in 3. p. disp. 234. num. 22. sentit Bonacina disp. 4. q. vlt. p. 7. §. 5. num. 3. Lezana. v. missa. num. 52.* citando idem absolute tenet *Fernandez in exam. p. 3. cap. 5. §. 9. num. 5.* Ratio huius sententiæ est, quia in mente Dei iam sunt certi, qui daturi sunt eleemosynam, & sunt capaces fructus missæ igitur valet applicatio pro illis facta. Alias vero anticipata solutione soluere debitum non est malum. Subdit tamen *Bonac.* quod in praxi hæc consuetudo non est toleranda, Tum quia redolet auaritiam. Tum quia par est vt is pro quo dicitur missa sciat missam pro se esse celebrandam, vt ad eius fructum recipiendum melius se disponat. Tum quia hoc posset auertere fideles à dandis eleemosynis pro missis, nec de facili acceptarent si sacerdos diceret, petenti missam applico tibi missam, quam dixi, vel pro te iam illam celebraui.

1163. Verum hanc sententiam tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, atq; à vetusto Ecclesiæ more nimis abhorrentem reprobauit, & condemnauit S. Cong. Concilij ex mandato Clem. VIII. die 15. Nouem. 1605. prout referunt *Cenedo in q. 9. Cenon. q. 28. num. 6. & Ricc. p. 3. res. 361. num. 3. & Lezana. v. missa num. 51. Barbosa de off. Episc. all. 24. num. 12.* & est sequentis tenoris, videlicet,

SVperioribus diebus significatum fuit S. D. N. paucis ab hinc annis in Hispania nouam consuetudinem recentiorum aliquot Theologorum opinione nixam sensim receptam, in dies magis inualuisse, vt Sacerdotes Missam celebrantes, eius valorem generalem applicent his, qui postea Missæ celebrationem postulaturi, ac pro eo eleemosynam præbituri sunt, tametsi antequam Missæ sacrificium perageretur, neque à Sacerdote illud rogassent, neque ei hac de causa præstitissent eleemosynam. Quam rem tum Sanctitas sua ad Sacram Congreg. Cardinalium Concil. Trident. Interpretum pro materia grauitate examinandã reiecisset, in ipsa Congregatione primum de ea actum fuit diligentissimè, ac deinde relatum ad Sanctitatem suam, qui ex eiusdem congreg. sententia huiusmodi consuetudinem tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam; atq; à vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrentem explosit, ac improbauit, atque Amplitudini tuæ litteras dari, quod facimus, mandauit, vt omnibus illius Regni Archiepiscopis, atq; Episcopis, in quorum diœcesibus huiusmodi applicatio in vsum inducta fuerit, per literas aut alias scripto iniungat, vt talem vsum aboleant, ac prohibeant excommunicationis, atq; alijs, quas opportunas, & necessarias existimauerint, pœnis. Idemq; præcipiat Generalibus, & Capitibus Ordinum, quos in istis Regnis nunc nouerit commorari, vel scilicet, & ipsi

ipsi Regularibus sibi subditis talibus applicationibus, eisdem pœnis propositis, interdicant. Quæ omnia pro sua pietate, & Sanctissimi Domini nostri iussu absoluendi studio Amplitudinem tuam sedulo effecturam sperantes Omnipotentem Deum rogamus, vt eam quotidie cœlestis sua gratia donis velit auctiorem. Romæ die 15. Nouemb. 1605.

Est vero circa hoc decretum aduertendũ, quod licet tribuatur Clementi VIII. fuit tamen promulgatum sub Paulo V. Nam Romæ 15. Nouem. 1605. erat Pontifex Paulus V. Quia tamen ex Hispania ad Clementem VIII. delata fuit opinio de missis anticipatis, quam examinandam Pontifex remisit S. Cong. Concil. ipsaq; maxima diligentia discussa forsan etiam decretum illam sententiam damnans factum fuit sub Clemente VIII. ideo à multis illud decretum eidem attribuitur. Sed tamen litera ad Nuncium Hispaniarum in qua illud continetur, scripta fuit iussu Pauli V. & eo tempore promulgata, vnde est, quod decretum vtriq; adscribitur. Vnde etiam diluitur dubium quod de eo habet *Naldus num.* 2. ex eo quod tale decretum nec in Bullario, nec in eius decreto continetur. Quia cum sit contentum in Epistula scripta ad Nuncium, & huiusmodi literæ non sint in Bullario repositæ, non est mirum quod ibi non inueniatur. Dixit vero *Fagundez. d. l. 3. cap. 9. n.* 10. hoc decretum non esse vsu receptum in Hispania; sed Lezanæ Hispano, & Matritensi hoc valde dubium fuit, cum nunquam aliquid de tali non receptione audierit, nec facile de ea constare poterat; præsertim quod propter abundantiam eleemosynarum rarissime inueniantur sacerdotes quibus desint stipendia pro missis. Videantur *Fraxinell. sec. 3. §. 5. Lezana vbi supra.* Vnde merito sententiam oppositam tenuerunt, *Cordub. l. 1. q. 4. dub. 5. Fagundez prac. 1. l. 3. c. 9. num.* 10. *& apud Dumas, Diana p. 2. tr. 14. ref. 16. & apud eum Homobon. Cantuch. Fillius. & Malfesius. Layman. trac. 5. cap. 2. num.* 13. *Conedo Ricc. & Barbosa citati. Lezana & v. missa p. 1. c. 21. num.* 7. *Leander. tr. 8. de sacrif. missæ disp.* 4. *q.* 19. vbi quod male pro opposita sententia citantur *Ledesma, & Reginaldus, & Vasquez.* quia isti hanc sententiam docuerunt nimirum *Ledes. p. 1. c. 18. concl. 17. Regin. lib. 27. c. 17. num. 256. Vasquez. 3. p. disp. 134. num.* 22. Et addit, quod expurgatorium Generale Inquisitionis sanctæ eam oppositam sententiam ab Authoribus eam docentibus expurgari iussit. Eandem quoq; sententiam improbarunt *Suarez tom. 3. in 3. disp. 79. sect. 9.*

Ratio autem est, quia sacerdos nedum tenetur celebrare missam, sed eam celebrare debet in loco, & qualitate, vt celebret ad altare, & missam, vel de Beata Virgine, vel de alio sancto, vel pro Defunctis, & ad intentionem petentis, vel pro gratiarum actione, vel pro aliquo impetrando, vel pro satisfactione peccatorum, quæ non possunt prædiuinari à sacerdote antequam sint. Et propterea absolute missa petitur vt celebranda, non vero admittitur vt celebrata, nec admitteretur, si sacerdos diceret ego applico tibi missam iam celebratam.

1164. Limitant tamen aliqui hoc, vt liceat sacerdoti anticipate celebrare pro intentione Aeditui, vel illius cui est in hac Ecclesia demandata cura distribuendi missas, vel pro intentione Amici, qui solet illi dare eleemosynam pro missis. Nam talis sacerdos pro certa intentione celebrat, & nõ interest, quod Aedituus, vel amicus non fuerit admonitus, quia cum sacerdos sciat intentionem Aeditui, vel amici esse vt dicantur missa talis v. g. B. Virginis, ad tale altare, & pro tali intentione, nihil minuit valorem sacrificij quod id fiat anticipando commissionem illius expressam, cum possit censeri vt iam commissa missa. Pro hac sententia *Fagundez. prac. 1. l. 3. c. 9. n. 9. refert Ceued. qq. Canon. q. 38. num. 3. Arragon. supra. q. 83. a. 3. Petrum Nauar. Rodriq. & Vegam.* Quam ille approbat in hoc solo casu in quo sacerdos sciat quod Aedituus aut amicus habet certas missas dicendas v. g. defunctorum, aut alicuius sancti ita vt sacerdos anticipare sciat illius intentionem, & in hoc sensu hanc eandem sententiam habet *Leander tr. 8. disp. 4. q. 20.* asserens in hoc eodem sensu eam sequutos fuisse. *Vasquez. disp. 134. num. 22. Hurtad. disp. 4. diff. 25. Machado tract. 12. doc. 11. num. 2. Thom. Hurtad. tom. 1. tr. 2. cap. 4. num. 132.* In hoc enim casu non celebratur missa pro intentione contingenter futura, sed pro intentione quæ actu est, & ad intentionem eius, qui actu offert, & non adest alia indifferentia nisi quod actu Aedituus non commisit huic, cum tamen actu intendat celebrare missam determinatam, & pro determinato effectu. & sacerdos, qui totum hoc scit, pro eodem celebrat.

S V M M A R I V M.

1 *Quod non liceat preuenire celebrationem pro futuro tempore debitam, vt aliqui volunt. num.* 1165.

2 *Licet in præsenti hebdomada celebrare missas futura hebdomada, seu licet preuenire in celebrando missas veluti anticipata solutione soluenda eas. num.* 1166.

3 *Nisi sint missæ certæ qualitatis, & certa diei assignatæ, vel nisi tempus sit electum pro commoditate audientium, vel nisi alias ex causa fundator expresse velit celebrari missas in tempore præfixo, & non ante. num.* 1167.

1165. Q Væritur tertio. An sacerdos obligatus ad dicendas missas tres vel quatuor in hebdomada, possit anticipare, & in vna hebdomada celebrare quas sequenti celebrare teneratur, nisi in fundatione contrarium expressum fuerit? Nam hic sacerdos celebrat pro intentione certa, & iam existente, & quod anticipare soluat, non causat aliquod præiudicium, imo fauet intentioni eius qui Capellaniam fundauit. *Bonac. disp. 4. q. vlt. p. 7. §. 5. num. 4. Barbosa de off. Episc. all. 24. num. 14.* & apud eum *Ricc. Diana p. 2. tr. 14. ref. 6. Ceuedo, Felecianus, Vega, Arragon, Rodriquez,* quos sequitur *Fagund. d. l. 3. cap. 9. n. 1. Card. de Luga disp. 21. num. 44. Leandr. d. tr. 8. disp. 4. q. 21.* & plures alij apud eum. *Pasqualig. quæst. 1149. num. 2.* & apud eum *Ricc. Auersa Franciscus Luga Decastill. & Thomas Hurtado. Fagund.* autem in *exam. Theol. p. 3. c. 5. §. 9. num. 5.* distinguit. Nam si missæ dicuntur pro mortuis, vera est præfata sententia, sed non est vera, si dicuntur

pro

pro viuis, quia sacrificium pro viuis sæpe offertur pro satisfactione debitæ pœnæ: si vero tota pœna jam sit remissa satisfactio deinceps pro ea oblata ex vi sacrificiorum non illi animæ, sed in thesauro Ecclesiæ reseruatur; ergo non satisfit intentioni iubentis sacrificare pro viuis, per anticipata suffragia. *Pasqualig. etiam q.* 1149. *ex Car de Lugo disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 44. addit, quod non liceat huiusmodi anticipatio si missa sit celebranda pro defunctis alicuius loci, quia tunc potest esse, quod suffragijs priuentur illi, qui tempore celebrationis sunt viui, & mortui erunt tempore quo celebrandæ erunt missæ.

1166. Verum dicitur quod Capellaniæ, quæ in perpetuum duraturæ instituuntur principaliter, respiciunt suffragia defunctorum, sed & quatenus etiam respiciunt viuos, considerandum est, quod intentio fundatoris iam est certa, & de præterito posita durans in præsenti, nec celebratio missarum dependet ab intentione eorum, qui sunt de familia fundatoris, vel etiam à præsenti intentione fundatoris eiusdem, sed ab illa, quam habuit dum Capellaniam fundauit, quia iuxta illam se Ecclesia obligauit; ex illa igitur regulari debet sacerdos celebrans cui dispositiones præsentes, vel contingentes eorum pro quibus celebratur missa acciduut, & per se anticipata solutio melior est, dato quod in aliquo rariori casu posset esse alicui ex ijs, pro quo celebratur missa minus vtilis, quod non est considerandum. Fundator enim non considerauit vtilitatem huius, vel illius determinatè, & id indiniduo, sed in communi vtilitatem vel suam, vel suorum, vel loci alicuius. At verò anticipata solutio semper magis proderit, quia si non proderit vni magis proderit alijs, & sic si non proderit illi v.g. qui non est mortuus dum missæ celebrantur, magis proderit illis, qui iam sunt defuncti. Et si in missa consideramus vim impetrandi, missa anticipata potest multum iuuare viuos tam impetrando illis gratiam vt aduersa fugiant, & à futuris periculis liberentur, tum etiam, vt cum pericula aduenerint patientius illos sustineant, vel etiam ab eis liberentur. Missa enim ex intẽtione fundatoris instituta respicit absolutè vtilitatem eorum, pro quibus instituitur, & non respicit indigentias, vt præsentes, siue futuras, & valdè vtile est pro futuris periculis de præsenti, sacrificium offerre. Quantum etiam ad vim satisfactiuam viuentes multum habent pœnæ, pro qua satisfaciant, nec erit periculum quod missa anticipata inueniat eos, pro quibus offertur sine aliqua pœnæ obligatione, vt tunc fructus missæ reponi debeat in Thesauro Ecclesiæ, ex eo, quod illi, pro quibus offertur, tunc non indigeat. Vtile verò est, vt anticipatè etiam viuentes a debita pœna absoluantur. Ideò huiusmodi anticipatæ missæ vtiliter dicuntur. Et monasteria in eo tempore anni, in quo non solent recipere eleemosynas manuales, possunt anticipare celebrando missas, pro obligationibus perpetuis, vt possint postea alio tempore manuales eleemosynas recipere.

1167. Est tamen considerandum, quod si intentio fundatoris respexisset bonum locale, vt scilicet in loco haberetur missa in singula hebmoda quam audirent habitatores loci, non liceret abundare in vna hebdomada relinquendo locum sine missa in alia hebdomada. Vbi enim Capellania respicit commodum loci, aut habitantium, non licet alterare, & anticipare in præiudicium eiusdem loci, & habitantium. *Pasqu.* quoque *quæst.* 1149. limitat communem assertionem, vt non liceat anticipare, quando fundator distribuit missas cum celeberatione in singulas hebdomadas. Sed semper fundator cum imponit numerũ missarum triũ vel quatuor in hebdomada ex deliberatione hæc facit. Sed hæc deliberatio respicit commodum Ecclesiarum, & Sacerdorum, nisi aliud exprimatur. Fundatori enim sufficit numerus missarum, sed vt Ecclesia commodius satisfacere possit fit distributio in hebdomadas. Et hoc idem etiam dici potest, nisi aliud colligatur ex verbis dispositionis aut coniecturis, etiam si fundatnr determinauerit dies hebdomadæ, adhuc enim hæc determinatio potest esse merè accessoria distributioni factæ in commodum Ecclesiæ, vt in tantum dies hebdomadæ determinauerit in quantum distributio fieri debuit, qua supposita potius desideranit celebrari vna feria, quam alia, sed vbi a fundatore est electa determinata missa, vt si institutio contineat, vt dicatur die veneris missa de passione, vel die sabbati missa de Beata Virgine, tunc non posset Capellanus anticipare, quia mens fundatoris est, vt in singulo illo determinato die talis missa dicatur *Lezana v. missa n.* 10. Cæterum præcisa hac, & similibus circumstantijs anticipare missas cedit in vtilitatem eorum pro quibus dicuntur, & ideò non est prohibitum.

SVMMARIVM.

1. *Capellanus hora sibi præfixa debet celebrare. num.* 1168.
2. *Hæc tamen obligatio præcisis circumstantijs non est grauis. num.* 1168.

1168. Quæritur 4. an si fundator præfigat horam celebrandi, illa sit obseruanda. Dicendum sine dubio Capellanum teneri celebrare illa hora, quam determinauit fundator, vel qui dedit stipendium pro missa. Hæc tamen obligatio moraliter est intelligenda, vt sufficiat circa illam horam celebrare, nisi in fundatione hora magis præcisa præfigatur, & ita satisfaceret Capellanus si ferè per horam præueniat, vel postponat. Et hoc etiam si non obseruetur non fit de se graue præcisis circumstantijs frequentiæ, vel incommoditatis magnæ populi, quã fundator voluerit impedire, vel alia simili. *Pasq. quæst.* 1147.

SVMMARIVM.

1. *Obligatus ad celebrandum in loco non satisfacit si alibi celebret. num.* 1169.
2. *Obligatus ad celebrandum in altari priuilegiato non satisfacit celebrando in alio. num.* 1170.
3. *Ex impedimento personali non excusatur sacerdos, vt non celebret per alium in altari priuilegiato. num.* 1170.

4 *Regulariter obligatus ad celebrandum in altari non satisfacit celebrando in alio priuilegiato. num. 1171.*

INSPECTIONIS SEXTAE.

CAP. DVODECIMVM.

De obligatione locali celebrandi missam.

1169. SAepè enim fundatores beneficiorum obligant ad celebrationem missarum in aliqua Ecclesia, vel altari, in quo casu certum est Capellanum non satisfacere suæ obligationi, si alibi celebret.

1170. Hinc infertur, quod qui promisit alicui celebrare missam in aliquo altari priuilegiato, non satisfacit si celebret in alio, quia deficit suæ obligationi, & est in præiudicium eius, pro quo missa celebratur, cum ex missa alibi celebrata non lucretur eas indulgentias, quas lucratus fuisset, si missa ad altare priuilegiatum celebrata fuisset. *Diana p. 2. tract. 14. res. 39. Pasqual. quæst. 1142. & Fagund. d. l. 3. cap. 9. num. 7.* vbi quod sacerdos iusto impedimento detentus non satisfacit nisi in alio simili altari celebret. Licet enim ex iusto impedimento habeat causam legitimam mutandi altare, id tamen si potest debet facere in aliud simile. Sed nihilominus etiam addi debet, quod ad impossibile nemo tenetur. Vbi ergo impedimentum sit ab extrinseco, & quia altare est dirutum, & sic impossibile est ibi celebrari, sacerdos satisfacit, si alibi celebret, quando obligatio non est merè localis, sed tenetur applicare pro fundatore sacrificium *Lezana v. missa num. 45. Barbosa de off. Epis. alleg. 24. num. 35. Pasq. quæst. 744. num. 4* sufficit enim, quod satisfaciat menti fundatoris quantum potest. Imo tunc etiã si possit non tenetur celebrare in alio altari priuilegiato, quia in fundatione censetur electus locus priuilegij, non verò præcisè priuilegium affixum loco, vnde si ibi non potest celebrare sufficit quod celebret. Nam obligatio ad priuilegium extincta est extincta obligatione ad locum. Si autem impedimentum sit personale *Pasqual. q. 744.* distinguit inter impedimentum voluntariũ, & simul mixtum necessario, & si impedimentum est voluntarium putat, quod sacerdos teneatur supplere per alium. Sed si impedimentum sit mixtum necessario tenetur supplere ille omni meliori modo, quo potest. Quod enim tunc non obligetur nisi ad id, quod est in sua potestate, inde colligitur, quod tunc impedimentum sit ex necessitate inducta ex aliquo casu fortuito. In impositione autem, & susceptione obligationis non imponuntur, nec suscipiuntur, casus fortuiti, nisi captimantur. *l. sed & si §. quæsitum si quid cau. iudic. sit.* Et ideò huiusmodi casus censentur excepti, & proinde cessare obligationem quatenus exigit necessitas allata à casu. Verum quod dicitur de exceptione casu fortuiti potest quidem habere locum ad excusandum ab obligatione agendi, quod promissum est, sed non valet ad inferendum, quod obligatus possit retinere emolumentum datum pro agendo, si ille non agat. Sic si contingat operarios contractos infirmari, cessant ab opere, sed stipendium non recipiunt operis omissi. Item vbi opus potest exerceri per alium, necessitas superueniens casu licet possit excusare, vt obligatus per se ipsum non operetur, non tamen excusat, quin operetur per alium, si ille vult habere operis emolumentum. Itaque igitur dicitur, quod vbi impedimentum est personale sacerdos per alium tenetur celebrare in altari priuilegiato. Sed si contingat casus, quod Capellanus non possit supplere per alium, si impedimentum est merè voluntarium, non excusat, sed tenetur celebrare per se ipsum in altari priuilegiato. Si verò impedimentum sit necessarium, & graue, & excusans Capellanum a celebratione, quia moraliter sit impossibile illud impedimentum vitare, & Capellanus non potest in altari priuilegiato per alium celebrare supplebit Capellanus omni meliori modo possibili per se ipsum vel alium in alio altari priuilegiato celebrando si fieri potest, siue applicando indulgentias plenarias calculi, seu imaginis, &c. Hoc enim est remedium eiusdem generis, quod debet adhiberi si est possibile. Arbitratur tamen *Pasqual. nu. 8.* quod Capellanus non teneatur cõpensare indulgentiam altaris priuilegiati alijs operibus satisfactorijs. Tum quia hæc sunt alterius generis, & obligatio ad vnam speciem certam suffragij, non se extendit ad aliam. Tum quia incertum est quot, & quantis operibus satisfactorijs posset adæquari indulgentia plenaria, & vbi deficit notitia debiti cessat obligatio. Tum quia opera satisfactoria sunt valdè onerosa, & obligatio compensationis esset valdè onerosior, quã esset prior obligatio. Sed ego existimo, quod in his casibus detur iusta causa differendi missam, & quod sufficiat, si postea Capellanus, vel per se ipsum, vel per alium celebret in altari priuilegiato, & si hoc fieri non posset, nec posset alia indulgentia applicari, nisi forsan post maximum tempus, tunc sufficeret, si in quodlibet altari Capellanus per se, vel per alium celebraret.

1171. An verò contra Capellanus relicto altari non priuilegiato, possit in priuilegiato celebrare? Dummodo altare à fundatore non sit datum ratione specialis cultus, vel commoditatis populi, vel memoriæ suæ familiæ affirmant *Card. de Lugo disp. 21. num. 36. & Auersa q. 11. de Eucharis. sc. 7. 8. vers. Octauo quaro. Franciscus Lugo lib. 5. de Sacram. cap. 11. qu. 5. num. 52. Diana d. l. de Sacram. tr. 5. disp 4. dub. 21. num. 387.* Et quia in hoc vti ius agatur negotium fundatoris, Contra eos arguit *Pasqual. q. 1142.* quia si fundator voluisset capellanum celebrare in priuilegiato id expressisset & cum non expresserit censetur noluisse *cap. 2. de transl. Prælat. cap. Ad audientiam, de Decimis. Surd. decis. 58. num 4. Menoch. cons. 50. num. 8. Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloss. 9. §. 1. n. 33.* Tũ quia fundator si ad se pertinet, illius altaris cultum & splendorem intendit: Et si ad se non pertinet declarauit specialem affectum, & deuotionem ad sanctos, in quorum honorem altare est erectum. Et ita dicendum est, quod regulariter non licet ei, qui est obligatus celebrare, in

altare

altare non priuilegiato relinquere, & celebrare in altari priuilegiato. Si tamen Capellania sit instituta ad vtilitatem familiæ fundatoris, & descendentium, adueniente alicuius ex illorum morte poterit tunc Capellanus ter, aut quater celebrare in altari priuilegiato. Quia tunc verisimile est, quod fundator præferat priuilegium altaris à se altaris designati cultui, & splendori pro illis vicibus. Verum, & hoc habet difficultatem. Si enim ad lucrandam indulgentiam altaris priuilegiati sit necesse applicare sacrificium solum pro illo defuncto, si ex fundatione sacrificium est applicandum omnibus de familia, erit hic alia contradictio voluntatis fundatoris, si missa pro solo recenter defuncto applicetur: sed rationabiliter præsumitur, quod imo fundatoris voluntas sit, vt in morte eorum, qui sunt de familia, ad quorum vtilitatem Capellania est erecta, Capellanus aliquas missas possit pro eis applicare, vt in die depositionis tertij, vel septimi. In quibus diebus poterit etiam celebrare ad altare priuilegiatum. Cæterum absolutè, & regulariter non licet Capellano deserere altare sibi deputatum, vt celebret in altari priuilegiato, qod si suum altare sit priuilegiatum, nec licet in alio priuilegiato celebrare, quia si fundator expressit altare, in quo Capellanus debeat celebrare, ibi celebrare debet. quamuis si obligatio sit solum celebrandi in altari priuilegiato, in quocunque tali possit Capellanus celebrare, & si non possit in vno tenebitur celebrare in alio.

SVMMARIVM.

1 *Mutare locum ex genere mortale. num. 1172.*
2 *Videndum motiuum præfixionis loci. Nam secundum varietatem illius leuior, vel grauior causa requiritur, vt possit variari locus. nu. 1172.*
3 *Quæ causæ iustæ mutandi locum. num. 1173.*
4 *Si altare sit occupatum non erit graue malum præcisis circumstantijs in alio celebrare. num. 1174.*
5 *An liceat obligato celebrare in altari priuilegiato in alio simili celebrare. num. 1175.*
6 *Quando accidat vt non possit sacerdos celebrare, nisi multum expectet, poterit vel sine graui, vel aliquando etiam sine veniali alibi celebrare. num. 1176.*

1172. HIS verò stantibus quæritur primo quodnam peccatum sit in Sacerdote sine iusta causa mutare locum celebrãdo, vel in alia Ecclesia, vel intra eandem Ecclesiam in alio altari. Respondent verò communiter DD. hoc ex genere esse peccatum mortale *Sylvest. v. missa 1. num. 10. fin. Tabien. n. 44. Nauar. cap. 25. num. 135. & de horis tamen cap. 5. num. 3. & 12. Fagund. d. lib. 3. c. 9. num. 2.* & apud eum *Rodriq. Cenedo, Graff. Hieron. Flamma, & Henric. Pergna v. missa num 45. Diana p. 2. tr. 14. res. 29.* & apud eum *Azor. Fraxinell. & Homob. sed Card. de Lugo de Sacram. Eucar. disp. 21. nu. 36.* respondet cum distinctione. Nam fundator vel determinauit locum pro commoditate populi, vt possit audire missam, vel ob peculiarem cultum loci, vel in memoriam suæ familæ, ad quam Ecclesia, vel altare pertinet. Et in his casibus non potest fieri variatio loci absque authoritate illius, qui possit commutare vltimas voluntates, nisi id fiat rarò, tunc enim non facile continget peccatum mortale propter paruitatem materiæ: imo si fuerit cum causa rationabili, non erit peccatum veniale, neque enim fundator censetur voluisse cum tanto rigore obligare suum Capellanum, si verò ad nihil tale respexit fundator in designando dicto altari, facilius poterit excusari variatio altaris intra eandem Ecclesiam alioquin si in alia Ecclesia celebrentur missæ, videtur iam fieri in præiudicium prioris Ecclesiæ, cui acquisitum fuerat illud ius. Et ita hoc idem sentit *Leander tract. 8. disput. 49.* vbi ait sic fuisse decisum per *Rotam in causa Bergomen. legati 9. Octob. 1595. coram Seraphino*. Sed iuuat afferre quæ habet *Grat. discep. 73. num. 4. & sequent.* vbi inquit, quod si testator mandet celebrari missam in tali altari, seu Capella, ad quam constat habere deuotionem non erit licita loci mutatio. Licet alias cessante huiusmodi coniectura posset tam in vno loco, quam in alio missa celebrari, cum vtroque modo modo satisfiat animæ testatoris. *cap. multi 4. dist. lap. all. 35. 4. Ducn. 234. & decisio Rotæ per Card. Seraph. 9. Octob. 1594. Bergom. Legati:* vbi quod legatum monialibus eo fine, vt celebrare faciant singulis diebus in dicta Ecclesia missam pro remedio animæ testatoris, alias legatum deuoluatur. si contingat illa transferri ad aliam Ecclesiam, nõ poterunt priuari legato, si in Ecclesia, ad quam sunt translatæ missa celebretur cum eodem modo succurratur animæ testatoris in vno loco, quam in alio. Maximè quia huiusmodi legata præsumuntur fieri intuitu legatarij. *l. patri filium §. tusculanos, del 3. Couar. in cap. requisiti. 10. de testam.* & fauore sacerdotis. *Petrus de Vbal. de Canon. c. 7. n. 57. Mantica de coniectur. vlt. volun. l. 12. tit. 17. nm. 30. Cephal. cons. 216. num. 17.* Considerare igitur necesse est motiuum propter quod fundator locum determinauit. Alias verò nec semper Ecclesia, pro qua missa determinata fuit acquirit ius, quia nec semper fauore, & intuitu illius fundatores determinant eam in locum Capellaniæ, aut celebrationis missarum. Et etiam est consideratione dignum, quod si motiuum propter quod fundator voluit, vt missa diceretur in Ecclesia, vel altari determinato, non est releuans, facilius ex rationabili causa alteratur locus sine peccato.

1173. Causa verò iusta non celebrandi in loco sumitur si Ecclesia, oratorium, altare sit impeditum, violatione, euersione, inundatione, vel alio modo; vel si sacerdos ex vrgente causa abesse debeat. *Lezana v. missa num. 45.* vel si capella esset clausa, vel si sacerdos per notabile tempus deberet expectare. *Card. de Lugo disp. 21. nu. 38. & Pasqual. q. 1139. num. 7.* & apud eum *Franciscus Lugo, & Diacastill.* si sacerdos difficilè potest accedere, aut ratione pluuiæ, aut ratione debilitatis corporis. *Pasqual. num. 6.* Et tandem considerari debet, quod assertio principalis debet intelligi moraliter, ita quod aliquando variare locum etiam sine causa non sit mortale, sed habeat locũ paruitas materiæ. *Diana p. 2. tract. 14. res. 29.* Fraxi-

Fraxinell. Diacastill. Moneta, *Thomas Hurtado*, quos sequitur *Pasqual. num.* 5. *Tambur. l.* 3. *cap.* 2. §. 1. *num.* 2. qui putat, quod variare locum quindecim, aut viginti diebus in anno, interpolatè tamen erit paruitas materiæ. Nam qui facit aliquid frequentissimè, & ferè quotidie dicit id quotidie facere. *Tamburin.* etiam *l.* 3. *cap.* 2. §. 1. *num.* 1. vult non esse mortale celebrare in alio loco, si finis principalis fundatoris sit missæ applicatio. Verum considerandum est, quod & localis obligatio, & applicatio possunt ambo esse principales fines. Tunc igitur omissio localis non erit mortalis ex genere, quando constabit fundatorem non multum curare de obligatione locali. Addit enim *Tambur. num.* 4. quod si locus est electus ob frequentiam populi cessante frequentia, si contingat nullos, aut valdè paucos ad missam accedere, posse alibi celebrare, quia cessante causa cessat effectus. Verum finis fundatoris fuit commoditas populi, quæ semper manet, ideò non credo, quod in hoc casu Sacerdos sine Superioris authoritate possit celebrare in alio loco.

1174. Infertur ex hoc, quod si Altare illud, in quo Sacerdos debet ex fūdatione celebrare occupatum sit ab alio celebrante, vel alia de causa tunc impeditus, non erit peccatum graue celebrare in alio altari eiusdem Ecclesiæ, si non id fiat frequenter, imò aliquando fieri poterit sine veniali, vt si Sacerdos ob vrgens graue negotium non possit expectare. *Card. de Lugo d.* 21. *num.* 38.

1175. Infert idem *Cardin. de Lugo* quod si fundator designauit altare quia priuilegiatum, si in eadem Ecclesia sit aliud altare æquè priuilegiatum satisfacit obligationi, si sacerdos in eo celebret, quia fūdator nihil aliud voluisse supponitur, nisi quod missa ad altare priuilegiatū diceretur. Non tamen satisfieret, si sacerdos haberet calculum, aut imaginem benedictam cum indulgentia ad liberandam animam è pœnis purgatorij, quia indulgentia, quæ applicatur altari solet esse magis authentica, & secura, & fortasse minus dependet à statu gratiæ ipsius celebrantis, vt habeat effectum, Tum quia petens missam voluit missam cui applicata sit indulgentia. Huius tamen oppositum placet *Pasqualigo quæst.* 427. Non enim defraudatur petens missam, qui duo petiit scilicet missam, & obtentionem indulgentiæ plenariæ per modum suffragij pro tali anima, & vtrumque illi datur. Non minoris enim efficaciæ est indulgentia calculi, cum sit plenaria per modum suffragij. Neque est minus certa, quia est ab eadem potestate, & materiale est, quod huiusmodi indulgentia concedatur celebranti cum calculo; vnde nec altare cadit per se sub intentione petentis missam, sed intenditur missa coniuncta cum indulgentia plenaria per modum suffragij, & hoc illi datur. Et ideò putat dicendum cum *Fraxinell. Alphons. de Leo, Pacca, & Megala*, quod sacerdos satisfaciat dicens missam cum calculo benedicto, vel corona priuilegiata. *Sed Diana p.* 4. *resol.* 40. distinguit, & ait, quod si petens missam non determinauit altare, sed in genere petiit missam celebrari ad altare priuilegiatum, satisfaciat sacerdos, si celebret alibi cum calculo benedicto, secus si determinauit altare ob aliquam causam, vt quia sit altare ipsæ familiæ, & iuxta hanc distinctionem explicat se ipsum in p. 2. tr. 14. res. 29. sed p. 9. tract. 2. res. 13. absolutè affirmat id licere. Sed cum hic duo quærantur. Ad primum dico, quod vbi altare electum fuit à fundatore præcisè, quia priuilegiatum satisfiet, si sacerdos celebret in alteri simili priuilegiato, quia tunc completè mens fundatoris impletur. Sed simul puto, quod suppositum locum quæstionis non detur, scilicet quod fundator elegerit altare v. g. S. Petri priuilegiatum, & quod illud fecerit solū intuitu priuilegij indulgentiæ, quia ad hoc solum si respexisset, dixisset in communi; Mando vt Capellanus celebret in altari priuilegiato, & non dixisset in altari S. Petri, cum ergo fundator ipse elegerit altare S. Petri præ altari S. Pauli, aut quocunque alio priuilegiato, hoc fecit ex aliquo motiuo speciali proprio illius altaris v. g. intuitu deuotionis ad S. Petrum, & sic Sacerdos celebrans in altari S. Pauli licet priuilegiato, non satisfacit menti testatoris. Dum igitur petens missam nominat altare tale priuilegiatum, nisi aliud exprimatur non est censendum electum altare merè, quia priuilegiatum, sed quia tale, vt v. g. quia altare S. Petri. Ad aliud verò dubium, dico, quod obligatus ad celebrandum in altari priuilegiato non satisfacit alibi celebrando in non priuilegiato, sed applicando indulgentias calculi, &c. Nam primo non satisfacit celebrando in alio altari priuilegiato; igitur multò minus satisfacit celebrando in non priuilegiato, licet cum applicatione indulgentiæ plenariæ. Secunda ratio est, quia hoc habet locum regula, quod debitor, qui debet soluere in vna specie debitum suum, non satisfacit soluendo in alia specie. *l.* 2. §. 1. *si certum pet. l. cum à quo C. de solut.* quia æquiualentia indulgentiæ calculi, & altaris priuilegiati, non est adeo certa, quin circa illam DD. controuersias suscitauerint, vt ex adductis etiam patet. & qui petit missam vult illam in altari priuilegiato, & non alibi. Vnde in his personaliter impeditus per alium satisfaciat, & in altari priuilegiato celebret. Et si nec per alium potest, tunc postea omni meliori modo sibi possibili satisfaciat, & indulgentia calculi, &c. vtatur, & omni modo, quo potest suo debito satisfaciat, prout supra dictum est.

Hinc soluitur alia difficultas; an scilicet sit peccatum graue non celebrare in altari priuilegiato, quando in eo in magno numero missæ sunt celebrandæ *Diana p.* 9. *tract.* 2. *res.* 19. post *Hieronym. Diaz.* putat non esse peccatum, si Regulares recipientes eleemosynas non promittant eas celebrare in altari priuilegiato, imò si promittant, adhuc non teneri, nisi qui missas postulant dederint maius stipendium solito: & ratio est, tum quia est impossibile ibi tot missas celebrari, cum omnes petant missam ad altare priuilegiatum. Tum quia cum non dent nisi eleemosynam ordinariam, non est rationi, quod obligentur magis, quam ad missam ordinariam. Etiam *Pasqual. q.* 745. sensit huiusmodi non peccare saltem grauiter, etiamsi promiserint; quia promissio debet intelligi quatenus commodè seruari possit, aliter promissio esset de eo, quod esset aliquo modo impossibile. Sed si ita est, sequitur eodem modo, quod si detur artifex qui ex quo est, vel excellens, vel solus

sibi

sibi commendantur artificiata alicuius specialis qualitatis in magna copia, possit ex pacto illa promittere, & non teneatur reddere, sed sufficiat si det artificium sine qualitate, quia reddere cum qualitate sit sibi impossibile, & sic liceat sibi pacta non seruare, & tamen pretium retinere. Dicitur igitur, quod quotiescumque administrator Ecclesiæ accipit stipendium missæ, quodcumque ab eo, qui petit missam in altari priuilegiato, ex vi talis acceptationis promittit missam in eo altari celebrari, quia accipit rē donatam sub illo onere, & nō aliter, vnde vel nō facit rē suā, si nō acceptat onus, vel si acceptat onus promittit se illud subiturū. Dicitur secūdo, quod si est impossibile tot missa celebrari in altari priuilegiato, nō potest administrator Ecclesiæ recipere stipēdium, nisi pro quibus potest satisfacere, nec debet promittere, quod non potest reddere, & si promittit, non satisfacit si faciat celebrari missam in alio altari, & quod dicitur, scilicet, quod promissio est conditionata; Respondetur, quod vbi dato stipendio sub onere petitur res absolutè, non licet accipienti stipendium datum absolutè, illud recipere sub tacita conditione; & non expressa; quia dans absolutè non acceptat illam conditionem, sed absolutè vult missam in altari priuilegiato, & sub hoc onere absoluto dat stipendium, & ideò, qui illud recipit, vel exprimat conditionem a se intus retentam, vel non recipiat stipendium, vel absolutè subeat onus sub quo datur. Nec obstat quod qui petit missam det solum stipendium ordinarium, quia in libertate Sacerdotis est illud non recipere, & non promittere, & obligatio sacerdotis non est ex stipendio, vt ex iustitia illi reddatur missa, quod esset simonia, sed quia sacerdos vt Christi minister promittendo, & acceptando stipendium donatum sub onere tenetur subire onus etiam si stipendium sit valdè exiguum, vt decernitur in Decreto de celebratione missarum.

1176. Infert tertio idem Card. quod sacerdos obligatus ad celebrandum in tali Ecclesia, si quando venit inuenit alios sacerdotes paratos in Sacristia, itaut cogatur nimis expectare, vel forte propter missam solemnem, aut concionem, vel quid simile, posse absque peccato graui celebrare tunc in alia Ecclesia; & aliquando absque veniali, oportet tamen, vt quando præuidet fore huiusmodi impedimenta, præueniat aliquantulum, ne id frequenter contingat.

SVMMARIVM.

1 *Impeditus celebrare in loco an teneatur alibi celebrare: multarum opiniones, num.* 1177.

2 *Ad hoc vt impedito loco sacerdos non teneatur alibi celebrare necesse est, vt obligatio sit mere localis, & cesset adæquate finis fundatoris, num.* 1178. 1179.

3 *Si impedimentum sit personale sacerdos tenetur supplere per alium, num.* 1179.

1177. QVæritur secundo. An quando Ecclesia, vel altare designatum est omnino impeditum, vel quia Ecclesia sit interdicta, vel quia capellæ clauis non inuenitur, sacerdos obligatus teneatur alibi celebrare. Affirmant *Fagundez præc. 1. l. 3. cap. 9. num. 2. vt ex Azor. p. 1. l. 10. cap. 14. q. 4. Naldo v. missa num. 3. sd an. 47. Bonac. disp. 49. vls. punc. 7. §. 4. n. 3.* Sed *Card. de Lugo disp. 21. n. 42.* distinguit quē *sequitur Lezana nu. 45.* Nam vel sacerdotis obligatio est mere localis, vt quia principale intentum sit cultus alicuius sancti, qui ex missa resultat, Et in hoc casu si altare est impeditum non tenetur sacerdos alibi celebrare, sicut qui non potest ieiunare in vigilia alicuius sancti, non tenetur ieiunare alia die, sed si fundator intendit fructum sacrificij, vel cultum Dei, non cessat obligatio, sed debet in alio altari, vel Ecclesia celebrari. In dubio autem præsumitur, quod intentio fundatoris sit potius secundo modo, quam primo. Facit *cap. Nos quidem de testamentis*, In quo statuitur, quod si non potest monasterium construi in vno loco, construatur in alio.

1178. Sed ego considero, quod ad hoc vt possit dici, quod non teneatur sacerdos huiusmodi alibi celebrare, non sufficit quod causa principalis celebrationis missæ in Ecclesia, vel altari, sit localis, sed necesse est quod sit sola, vnica, & adæquata. At vero rarius erit, quod causa adæquata sola, & vnica fundationis missæ sit localis; quis enim est, qui fundet Capellaniam ex hoc præcise vt celebretur in tali Ecclesia, & non simul etiam principaliter pro cultu Dei, & pro fructu missæ obtinendo. Hoc certe dicendum est, quod nisi hoc esset expressum, non esset præsumendum, quia nō est verisimile, quod operans non intendat totum illud vtile, quod ex suo opere consequitur Et ideo nisi aliud plene constet dicendum est obligationem non esse mere, & pure localem, sed fundatorem intendisse, & cultum Dei, & fructum sacrificij, & ideo sacerdotem ex impedimento Ecclesiæ, vel altaris non eximi ab obligatione alibi celebrandi. Non credo etiam quod amissio clauis capellæ sit impedimentum sufficiens, quia sine multo negotio, & expensa aperiri possunt capellæ sine claui. Existimat autem *Pasqual. q.* 1146. inde colligi obligationem esse mere localem, si verba dispositionis sint restricta ad solam celebrationem, ita vt non possint aliquid aliud significare. Verum consideretur, quod etiam applicatio fructus missæ venit sub nomine celebrationis, nisi excludatur. Bene tamen subdit *num.* 6. quod ex fine expresso in fundatione potest colligi an finis fundatoris sit solus cultus localis. Nam quando constat de causa finali expressa dispositio non ēst trahenda ad aliam causam. *Dur. dec.* 285. *nu.* 42. *& Rota dec. 66. num. 7. p. recent.* Et quando causa finalis exprimitur cessat alia præsumpta, & tacita. *l. Cum ex filio ff. de vulg. subst. Gl. ibid. Cravet. cons.* 32. *num.* 2.

1179. Sed præterea alia debet adhiberi distinctio. Nam dato quod obligatio sit purè localis, vel impedimentum est extrinsecum, seu se tenens ex parte loci, qui vel est v. g. dirutus, aut interdictus. Et hoc in casu sacerdos, qui non potest in altari celebrare non tenetur celebrare alibi, quia obligatio est vt celebret in altari illo, & non in alio, & in illo nequit celebrare. Et nihilominus etiam in hoc casu, si fundator habuit finem qui possit alibi obtineri, vt v. g. si fundator habuit pro fine commoditatem populi, vt facilius missam

audiat

audiat. Si non possit sacerdos intra eandem Ecclesiam, vel locum celebrare in vno altari, tenebitur celebrare in alio eiusdem Ecclesiæ, vel loci, quia finis institutoris fuit commoditas populi, & determinatio altaris, se habuit materialiter, sed per se intentum fuit celebrari in loco, vt in eo plures missæ celebrentur pro populi commoditate. Et idem dicitur si finis fundatoris fuit augmentum diuini cultus. Et ideo vniuersaliter dicitur quod tunc sacerdos eximitur ab onere alibi celebrandi, quando impedito loco, cessat adæquate finis fundatoris ob quem voluit in eo loco celebrari; quod quidem rarissimè continget. Sed si impedimentum sit personale sacerdos tenetur in eo loco celebrare per alium, iuxta decretum S. Cong. Concilij supra num. 1125. ex *Nicolio*, & *Pasqual.* recensitum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus sine iusta causa non potest dispensare super obligatione locali.* num. 1180.
2 *In multis casibus sacerdos sine recursu ad Episcopum est liber ab obligatione celebrandi in loco.* num. 1180.
3 *Opinio dicentium Episcopum posse commutare obligationem localem, reijcitur.* num. 1181.
4 *Solum vbi celebratio in loco sit impossibilis, Episcopus illam potest commutare.* num. 1182.

1180. QVæritur tertio. An Episcopus ex iusta causa possit dispensare, vt Capellanus non celebret in loco per fundatorem deputato? Supponitur, vt dicebatur, quod sine iusta causa non possit; quia non potest Episcopus relaxare obligationem à fundatore impositam, quæ commode, & sine impedimento impleri potest *Imola in cap. significatam num.* 23. *de praben. Seraphin. dec.* 1549. *num.* 2. *Pasqual. quæst.* 1141. num. 1. Supponitur etiam, quod sint multæ causæ, in quibus Capellanus ipse sine Episcopi auctoritate interposita ex se ipso potest alibi celebrare. Tales enim sine dubio sunt, quæ ex parte loci reddunt impossibilem celebrationem, vt quia Ecclesia, vel altare est dirutum, aut subditum interdicto, aut non ornatum necessarijs ornamentis, aut in tali statu est, in quo non potest in eo decenter celebrari, & eum ornare non spectat ad Capellanum, vel etiam ex alijs impedimentis, ex quibus redditur impossibilis celebratio, vt si ex inundatione, vel ruptura alicuius pontis, vel aquarum diluuio sit impossibilis accessus ad locum destinatum pro celebratione.

1181. Quo supposito, quod possint dari aliæ causæ, in quibus Episcopus de consensu hæredum possit dispensare vt Capellanus non celebret in loco à fundatore deputato, sed possit intra eandem Ecclesiam in alio altari celebrare tenuerunt *Bonac. disp.* 4. *q. vlt. p.* 7. §. 4. *num.* 3. *Pasqual. quæst.* 1141. *num.* 3. & apud eum *Lambert. Maneta. Thomas Hurtad. Dicastill. Tambur. l.* 3. *c.* 2. §. 2. *num.* 1. Qui addunt hoc posse facere Episcopum etiam sine consensu hæredum. Dicit vero *Tambur.* hoc non posse facere hæredes sine Episcopo, quia Episcopi est in his dispẽsare. Ratio primi est, quia Episcopus de consensu hæredum potest testatoris, aut fundatoris voluntatem ad tempus commutare ex rationabili causa. Ratio secundi est, quia per huiusmodi dispensationem nulli aufertur ius quæsitum, & ideo voluntas fundatoris est capax dispensationis sicut & lex ipsa. Vnde cum voluntas fundatoris celebrandi in tali altari sit lex imposita Capellaniæ, & non sit lex superioris, Episcopus poterit in ea dispensare ex iusta causa.

Sed si valet ista ratio posset Episcopus omnes contractus relaxare, & in eorum legibus dispensare ex iusta causa, quia huiusmodi non sunt leges superioris, cum non sint leges Papæ, qui est superior Episcopi, Et sic de voluntate suorum subditorum etiam in illis, in quibus illi non subduntur Episcopo, ille poterit disponere, & in eo dispensare, quia talium voluntatum leges non sunt leges superioris. Et sic etiam poterit omnia pacta inueniet, & conuentiones relaxare. Præterea nec verum est quod huiusmodi dispensatio fiat sine præiudicio iuris quæsiti, quia fundatori ius quæsitum fuit, vt non nisi in eo loco celebretur, ex eo quod sua non dedit nisi sub modo, & onere ibidem celebrandi. Quod ius manet, & ad quod tuendum hæredes tenentur.

1182. Ex supradictis igitur aliter respondetur, quod vel tam de iure, quam de facto missa potest celebrari in loco à fundatore præfixo. Et in hoc casu non potest Episcopus se intromittere, sed solius summi Pontificis est pias voluntates commutare, & relicta ad vnum vsum, in alium conuertere. Si vero de iure, vel de facto sit impossibile celebrare in altari à fundatore electo, tunc duo considerantur, scilicet non celebrare in altari, & ad hoc si impossibilitas sit manifesta non est opus iudicis, vel Episcopi auctoritate, quæ tamen in dubio est necessaria. Aliud est subrogare aliud altare, in quo celebrari debeat, & hoc proprium est Episcopi. Fieri tamen hoc debet, de consensu hæredum, in quantum sit possibile; quamuis si hæredes æquitati stare nolint, Episcopus ipse qui simul est piarum voluntatum executor, disponet quod sibi videbitur expedire in Domino, coniectata modo possibili voluntate fundatoris, vt disponatur quod ei conformius apparebit.

SVMMARIVM.

1 *Facta translatione intra Ecclesia ad translatam transeunt.* num. 1183.
2 *Si legatum est factum intuitu personarum, illis translatis transfertur legatum.* num. 1183.
3 *Quando onus imponitur personis, legatum censetur factum intuitu personarum.* num. 1184
4 *Etiam si in legato nominetur Ecclesia in qua missa sint celebranda.* num. 1185.
5 *Etiam si Ecclesia sine respectu ad personas sit expressa.* num. 1186.
6 *Etiam si in fundatione sit dictio personalis.* num. 1187.
7 *Prædicta de omni Collegio Religiosorum, aut Clericorum verificantur.* num. 1188.
8 *Si fundatio sit facta intuitu loci, transeunte personam non transfertur Capellania.* num. 1189.
9 *Ex quibus colligatur fundationem factam intuitu loci.* num. 1189.

Ad

10 *Ad quam restitutionem teneatur, qui non celebrat in loco remissiue. num.* 1190.

1183. QVæritur quarto. An Regularibus de vno ad alium locum translatis, Capellaniæ quæ erant fundatæ in priori loco, & Ecclesia, censeri debeant translatæ ad posteriorem locum, & Ecclesiam? Hoc præsupponitur tanquam certa regula iuris, quod facta translatione ab habente potestatem omnia iura pertinentia ad Ecclesiam,& translata pertinent ad eam,ad quam fit translatio. *Cap. Et hoc diximus 16.q.7.& ibi Gloss. cap. Abbati in f. & ibi Gloss. de verb.signif. Io.Andr.in cap. cum personæ col. 2. de priuil.in 6. & ibi Anchar. not.13. Rebuff.in praxi benef.tit.de translat. Episc.num. 19. Seraphin. decis.1149.num.6.* Nihilominus tamen hic distinguendum est, an Capellania sit fundata intuitu loci, & Ecclesiæ, an vero potius intuitu personarum Ecclesiæ inseruientium, nimirum intuitu Regularium quorum est Ecclesia. Nam quando legatum, seu Capellania facta est principaliter contemplatione personarum, & vt fructus ab ipsis perciperentur, & missæ per eos celebrarentur, cum translatione Regularium transferuntur etiam legata, Capellaniæ, & missarum onera principaliter contemplatione eorum imposita, aut fundata. Et in isto casu indubitate procedit regula suprapofita, Iam enim fundatio ipsa personalis censetur tanquam facta contemplatione personarum, vnde sequitur personas ad quemcumq; locum transferantur.

1184. Dicitur vero secūdo, quod quando onus celebrādi imponitur Regularibus, seu Canonicis, aut cuicūq; collegio censetur impositum nō contemplatione loci, sed cōtemplatione personarum. Quia onus personis est impositum, & ex vi impositionis apparet, quod fundator, elegit qualitatem personarum, voluit enim missas per eos celebrari, & sic voluit etiam quod fructus Capellaniæ ad illos pertinerent. Propterea quod quando legatum factum est Canonicis censendum sit factum non Ecclesiæ, sed ipso Collegio Canonicorum probat *Couar.in cap. Requisiuisti nu.10. de testam.* Quod voluit *Petrus de Vbald.tract.de Canon.port.cap.7.n. 57.& Seraph.d.dec.1149.n.10.* Sed quod vbi onus celebrādi missas in aliqua Ecclesia imponitur Regularibus, seu collegio, quod præsumatur legatū factū personarum intuitu probat *ibid.Seraph.ex l. præter fitium §.Tusculanos, de legat.3. Vbi Bartol.& cæteri. Ruin.cons.75.n.8.l.2.Socin. l. 2. n. 12. de reb. dub.Mant.de coniectur.vlt.volunt.l.6.tit.14.n.18.*

1185. Neq; hoc verum est solum vbi nulla fiat mentio Ecclesiæ, sed etiam vbi nominetur Ecclesia ipsa, etiam nomine proprio per respectum ad personas; Et sic nedum si dicatur in Ecclesia Franciscana. Sed etiam si dicatur in Ecclesia S. Claræ Franciscanorum. Adhuc enim semper legatum, seu fundatio censetur facta intuitu personarum. Quia imo ex ipsa adiectione personarum demonstrata fuit Ecclesia, vt spectans ad personas, & potius significatum quod personarum contemplatione fundatio fuit instituta, *Arg.l.Cum ita §.in fideicom.& ibi Gloss.de leg.2.& l.fin.C.de verb.signific.* Quod probat *Seraph. d. dec. 1149. n. 11.* ex eo quod in imponēdo onere missarum fundator principaliter respicit remedium animæ suæ, quod non magis ex vna, quam ex alia Ecclesia prouenit. Et quia duplex fauor hic intendi potuit, scilicet fauor fundatoris cuius anima ex assistentia, & præcibus Regularium subleuabatur, & fauor Regularium, quibus ad plura deseruire potest missa fundata.

1186. Extenditur secundo, vt idem dicendum sit etiam si Ecclesia sine respectu ad Regulares sit expressa, vt si dictum fuit Relinquo cōuentui Frācilcanorum talis loci, vt in Ecclesia missam quotidie celebrent; Quia ex quo onus celebrandi impositum est Regularibus, qui de facto in eo loco, & Conuentu habitant expressio loci, & Ecclesiæ intelligenda vt facta demonstratiue, non taxatiue, quia nimirum expressa sit Ecclesia. quia de facto illa est Regularium illorum Ecclesia, quibus onus celebrandi imponitur, & sic apta ad relicti complementum, non vero taxatiue, & quia limitetur celebratio ad illam Ecclesiam. Quod amplius confirmatur, quia omne præceptum testatoris, aut fundatoris recipit interpretationem possibilitatis, & eius, quod commode fieri potest. *cap. nos quidem, de testam. Seraph. d. dec. 1149. n. 13.* Testator vero voluit, & præcepit, vt missæ celebrentur per Regulares vel Collegium, & hoc seruandum est; Cum vero Regulares ad aliam Ecclesiam transferri non possint vel absolute, vel nisi incommode celebrare missas in priori Ecclesia, æquum est vt id præstent eo modo quo melius id fieri potest, vt ad *d. cap. Nos quidam*, notant *Abb. n.13. Couar.n.9 Specul.de instrum.edit.tit.de vlt.vol.n.64.& ibi Add.Rochus de Iurepatron.in v.construxit n.12.Felin.in cap. Ecclesia S.Mariæ.n.86.*

1187. Extenditur tertio, vt sit dicendum etiam si in fundatione sit aliqua dictio significans personaliter, & ideo videatur exprimere, quod celebratio sit limitata ad illam Ecclesiam, & non ad aliam, vt si dicatur in ipsa Ecclesia S. Marci. Dictio enim ipsa est personalissima, & exclusiua alterius Ecclesiæ. *DD. in l.filius familias §.Diui, & ibi Ripa. n. 111. de leg. 1. Tiraq. de retrac. conuent.§.1. gloss. 6.n. 25. Paulus de Montepicco concl.31.n.103.* Nam hoc non obstante cum missa per Regulares sit celebranda, & illis, & illorum intuitu sit facta fundatio, vel relictum legatum, dictio ipsa non refert Ecclesiam materialiter, sed qualitatem Regularitatis, & sic refert Ecclesiā vt est Ecclesia Regularium, seu vt est per Regulares possessa. *Seraph. d.dec.1149.n.18.*

1188. Extenditur quarto, vt hæc quæ dicta sunt de Regularibus intelligantur de quocumque Collegio, & imo si istis sit impositum onus procurandi, vt in Ecclesia sua missas celebrari faciant. Nam casus, qui de mandato Papæ fuit discussus per *Rotam in illa decis. Seraph. 1149.* erat legati facti ad fauorem quorumdam monialium, quæ de priori loco ad alium fuerant translatæ, & quæ per se ipsas non poterant celebrare, sed procurare vt missæ celebrarentur. Nam in hoc casu, cum verba directa sint in personā, legatum censetur factum personis non loco, cum etiam seorsim à loco sint contemplatæ iuxta ea, quæ tradunt *Bald. in l. Agetis §.in omnibus n.19.C.de Episc.& Cler.dec.130. num. 3.*

1189. Dicitur tertio, quod vbi fundatio Capellaniæ facta est principaliter intuitu loci, Capellania

lania de Ecclesia ad Ecclesiam non transfertur. Quia tunc principaliter fuit electus locus, & dispositio fundatoris est seruanda. Tunc vero fundatio censenda est facta intuitu loci, primo si sit pure localis, & non sit ordinata ad applicationem missæ, sed ad hoc vt in loco missa celebretur. In hoc enim casu constat aperte, quod fundator cultum loci intendit. In dubio tamen fundatio non debet iudicari mere localis, sed intenta etiam propter fructum missæ. Secundo fundatio censebitur facta principaliter contemplatione loci, si sit facta ad commoditatem populi existentis in loco principaliter; quod ex verbis dispositionis, & alijs circumstantijs colligi poterit. In hoc enim casu etiam plane constat de mente fundatoris, eum commoditas intenta sit localis. Tertio fundatio iudicabitur facta principaliter intuitu loci, si sit facta ratione cultus alicuius imaginis, quæ ibi speciali cultu fidelium veneretur. In hoc autem casu si imago ad aliam Ecclesiã simul cũ Regularibus transferatur, transibit simul Capellania quæ Regularibus intuitu deuotæ imaginis est concessa. Sed si remaneat deuota imago debet inspici an principaliter sit intentus deuotæ imaginis cultus; Nam hoc stante Capellania in ea Ecclesia remanet. Nam onus celebrandi missas in altari tunc Religiosis aut Clericis inseruientibus Ecclesiæ est commissum ratione loci, & ideo remanet addictũ loco. *Rota dec. 574. num. 8. p. 1. diuers.* Vnde cum dispositio sit certa ratione loci, & in ea possit impleri non potest ad alium locum transportari. *Nauar. cons. 56. de test. num. 10.* Nam electum est ministerium eorum, qui tunc inseruiebant illi Ecclesiæ in quantum illi inseruiebant, non autem intuitu personæ, & ideo celebratio non debet sequi personas. *Rota dec. 309. num. 10. p. 6. recent.* Posset tamen esse quod adhuc in simili fundatione principaliter contemplatæ fuerint personæ, & fundatio applicata sit altari alicuius deuotæ imaginis accidentaliter, & quia de facto imago fit in Ecclesia, cui Religiosi deseruiunt, & ita quod fundator non aggrauasset illos ad celebrandum in illo altari, si illi Ecclesiæ ipsi non deseruirent. Et in hoc casu Capellania Religiosorum personam sequeretur, iuxta superius tradita. Et quod fundator respexerit ad personas inde coniecturari etiam posset, si essent Religiosi pauperes, qui de missarum eleemosynis viuerent, sic enim posset præsumi, quod onus missarum imposuerit etiam ad subleuandam paupertatem Religiosorum.

1190. Ad quam vero restitutionem teneatur, qui localem celebrandi obligationem violat, dicetur infra, vbi ex professo erit sermo de obligatione restituendi ex non seruata conuentione, & promissione celebrandi.

SVMMARIVM.

1 *Obligati ad qualitatem missæ tenentur talem celebrare. num. 1191.*

INSPECTIONIS SEXTÆ.

CAP. XIII.

De obligatione ad qualitatem missæ.

1191. QVi vel fundando beneficia, & Capellanias imponunt obligationem missarum, vel pro eisdem dant manuales eleemosynas multoties qualitatem missæ designant, obligantes vel ad missam votiuam B. Virginis, aut alicuius alterius Sancti, vel ad missam defunctorum; qua stante obligatione non est dubium, quod est sacerdoti obligato illicitum variare, & alteram missam celebrare.

SVMMARIVM.

1 *Quod ex opere operato magis valeat vna missa quam alia quidam dixerunt. num. 1192.*
2 *Quid D. T. senserit. num. 1193.*
3 *Ex opere operato tantum valet missa mali sacerdotis, quam boni. num. 1194.*
4 *Quantum ad fructum operis operati eius valoris est missa de festo, & votiua. num. 1194.*
5 *Missa quantum ad orationes, vt habetur nomine Ecclesiæ æqualis valoris est siue mali, siue boni sit sacerdotis. num. 1195.*
6 *Discrimen inter fructum operis operati, & operis operantis. num. 1195.*
7 *Missa mali sacerdotis ex opere operantis non est satisfactoria. num. 1195.*
8 *An missa mali sacerdotis ex opere operantis sit impetratoria. num. 1195.*
9 *Missa boni sacerdotis absolute est fructuosior. num. 1196.*
10 *Sacerdos non promittit suam bonitatem. num. 1196.*
11 *Si tamen sacerdos est bonus, sine noua applicatione missa ipsa ratione bonitatis sacerdotis est fructuosior illi pro quo celebratur. num. 1196.*
12 *Quantum ex opere operantis Ecclesiæ missa vnius qualitatis est alterius fructuosior, quam missa alterius qualitatis. Sic defunctis plus valet missa de requiem. num. 1197.*
13 *Hic tamen excessus de facili potest compensari. num. 1197.*
14 *Excessus valoris missæ de requiem de facili compensabilis. num. 1198.*
15 *Ecclesia ex eadem sanctitate offer tam in missa de requiem, quam de feria. num. 1198.*
16 *Quomodo missa de requiem habeat specialem fructum. num. 1199.*
17 *Deuotio celebrantis si sit maior auget fructum. num. 1199.*
18 *Intercessio Sanctorum valet ad augendum fructum missæ. num. 1200.*
19 *Plus valet legatum ordinarium pro pluribus missis, quam pingue pro paucioribus. num. 1201.*
20 *An melius vno die dicere plures missas, quam diebus singulis successiue. num. 1203.*

1192. Quaeritur autem primo an magis valeat vna missa, quam alia, & praecipue an pro defunctis magis valeat missa defunctorum, quam missa de feria currenti, aut de aliquo Sancto celebrata. Sunt enim aliqui qui affirmant, vnam missam etiam ex opere operato magis valere quam aliam, vt v. g. magis valere missam boni, quam mali sacerdotis, & pro defunctis missam defunctorum magis, quam votiuam alicuius Sancti. Distinguunt enim valorem missae in eum, qui respondet Christo vt offerenti per suum ministrum, ab eo qui respondet toti Ecclesiae, quae & ipsa per suum ministrum offert, praeter orationes quas Ecclesia de suo addidit. Et sic valorem sacrificij vt est ab Ecclesia vt offerente distinguunt in duplicem, quia primus est qui respondet Ecclesiae independenter ab orationibus adiunctis ex eo, quod Ecclesia ipsa sacrificium offert per ministrum suum, sed secundus respondet orationibus, & ritui sacro, quem Ecclesia addidit, vt sacrificium deuote, & solemniter celebretur. Hunc ergo valorem dicunt esse ex opere operato, quia non potest non esse infallibiliter indeficiens independenter à bonitate, & malitia sacerdotis offerentis, quia Ecclesia est Sancta, & Deo acceptissima, & ritus, & orationes sanctae sunt, & Deo acceptae, & gratae; igitur horum omnium valor est infallibiliter indeficiens, est igitur ex opere operato, ita habet *Fagund. praec. 1. Eccl. l. 3. cap. 6. num. 11. & seq.* Sed communis DD. sententia est, quod valor qui respondet Ecclesiae sit operis operatis, tanquam respondens Ecclesiae deuotioni. Opus vero operatum sit sacrificium substantialiter sumptum, vt est à sacerdote in persona Christi principalis offerentia.

1193. De his vero haec habet D. T. 3. p. q. 82. a. 6. *Respondeo dicendum, quod in missa duo est considerare, scilicet ipsum sacramentum, quod est principale: & orationes, quae in missa fiunt pro viuis, & mortuis. Quantum ergo ad sacramentum, non minus valet missa sacerdotis mali, quam boni: quia vtrobique idem conficitur sacramentum. Oratio etiam quae fit in missa, potest considerari dupliciter. Vno modo in quantum habet efficaciam ex deuotione sacerdotis orantis. Et sic non est dubium, quod missa melioris sacerdotis magis est fructuosa. Alio modo inquantum oratio in missa profertur à sacerdote in persona totius Ecclesiae, cuius sacerdos est minister. Quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet: sicut supra dictum est * de ministeria Christi. Vnde etiam quantum ad hoc est fructuosa non solum oratio sacerdotis peccatoris in missa, sed etiam aliae eius orationes, quas facit in Ecclesiasticis officijs, in quibus gerit personam Ecclesiae, licet orationes eius priuatae non sint fructuosae; secundum illud Prouerb. 28. Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Et in 4. d. 13. q. 1. a. 2. c. quaes. 5. *Ad quintam quaestionem dicendum, quod de Missa possumus loqui dupliciter, aut quantum ad id quod est essentiale in ea, scilicet corpus Christi, & sic à quocumque dicatur, aequaliter bona est, quia opus operatum aequaliter bonum est, & virtuosum: vel quantum ad id quod est annexum sacramento, & quasi secundarium: & sic missa boni sacerdotis melior est, quia non solum habet efficaciam ex opere operato, sed ex opere operante, & ideo caeteris paribus melior est audire missam boni sacerdotis, quam mali. Et per hoc patet solutio ad vtramque partem.* Et in 4. dist. 45. quaes. 2. a. 1. quaes. 3. *Ad tertiam quaestionem dicendum, quod in suffragijs quae fiunt per malos, duo possunt considerari. Primo, ipsum opus operatum, sicut sacrificium altaris, & quia nostra sacramenta ex seipsis efficaciam habent, absque opere operantis, quam aequaliter expleat per quoscunque fiant, quantum ad hoc suffragia per malos facta defunctis prosunt. Alio modo, quantum ad opus operans, & sic distinguendum est, quia operatio peccatoris suffragia facientis potest vno modo considerari, vt est eius, & sic nulla modo meritoria esse potest nec sibi, nec alij. Alio modo, inquantum est alterius, quod dupliciter contingit. Vno modo, in quantum peccator suffragia faciens gerit personam totius Ecclesiae, sicut sacerdos cum dicit in Ecclesia exequias mortuorum: & quia illei intelligitur facere, cuius nomine, vel vice fit, vt patet per Dio. in 13. c. eccl. hierarch. inde est quod suffragia talis sacerdotis, quamuis sit peccator, pro defunctis prosunt. Alio modo, quando agit vt instrumentum alterius, opus enim ministerij est magis principalis agentis: vnde quamuis ille qui agit vt instrumentum alterius, non sit in statu merendi, actio tamen eius potest esse meritoria ratione principalis agentis, sicut si seruus in peccato existens quodcunque opus misericordiae facit ex praecepto domini sui charitatem habentis: vnde si aliquis in charitate decedens praecipiat sibi suffragia fieri, vel alius praecipiat charitatem habens, illa suffragia valent defuncto, quamuis illi, per quos fiant, in peccato existant.* & ibid. a. 3. q. 1. *Ad quintum dicendum, quod in officio missae non solum est sacrificium, sed etiam sunt ibi orationes, & ideo missa suffragium continet duo horum, quae hic August. numerat, scilicet orationem, & sacrificium. Ex parte igitur sacrificij oblati missa aequaliter prodest defuncto, de quocunque dicatur, & hoc est principium quod fit in missa: sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatae, sed tamen iste defectus recompensari potest per maiorem deuotionem, vel eius qui dicit missam, vel eius qui facit dici, vel iterum per intercessionem sancti, cuius suffragium in missa imploratur.*

1194. Colligitur primo ex hac doctrina D. T. quod quantum ad opus operatum eiusdem valoris est missa mali, & boni, & cuiuscumq; sacerdotis. *Nauarr cap. 25. num. 79. & 111. Suarez disp. 79. sec. 8. Vasquez. 3. p. disp. 126. cap. 2. Mirand. tom. 1. q. 41. a. 22. Faust. & Dicastill. quos sequitur Pasqual. quaes. 130.* Et ratio est, quia fructus ex opere operato respondet sacrificio missae substantialiter sumpto, & ratione rei oblatae, & Christi offerentis principalis, & sacerdotis celebrantis nomine, & vice Christi Domini, independenter ab vlla sui deuotione, & dispositione; sacrificium vero missae sub hac ratione semper est sanctum, & immaculatum, & purum, nec potest à malitia sacerdotis coinquinari, vt decernit *Concil. Trid. sess. 22. cap. 2. de sacrif.* Cum igitur cuiuscumq; missae res oblata, & offerens sit Christus, vt idem Concilium credit, sequitur quod cuiuscumque missae idem sit valor, sicut est idem opus operatum de se infiniti valoris. Et solum ex parte priuatorum offerentium est, quod fructus de facto sit maior, vel minor.

Colligitur secundo, de mente eorumdem DD. quod quantum ad fructum, qui habetur ex opere operato eiusdem valoris est missa de festo, vel votiua, vel de requiem. Huiusmodi enim differentiæ sunt accidentales sacrificio substantialiter sumpto, seu operi operato, quod est sacrificium missæ, vt per illud offertur Christus sub specie panis, & vini a sacerdote vt Christi ministro. Sic ergo idem est cuiuscumq; missæ opus operatum, eundem valorem habens licet inæqualiter participatum.

1195. Colligitur tertio, quod etiam ex parte operis operantis, missa quantum ad orationes adiunctas ab Ecclesia, & in quantum est ab Ecclesia vt offerente per sacerdotem tanquam per suum ministrum est æqualis valoris à quocumque siue bono, siue malo sacerdote celebretur. *Fagund.* quidem vt dictum fuit *prec. 1. Eccl. l. 3. cap. 6. n. 11. & sequen.* missam vt est ab Ecclesia vocat opus operatum ex eo, quod habeat infallibiliter suum effectum. Sed hoc est contra communem sensum; quia opus operatum missæ est missa accepta ratione sui, nimirum ratione rei oblatæ, & sacerdotis offerentis independenter ab humana deuotione, quæ est opus operantis. Missa vero vt est ab Ecclesia intantum est fructifera, in quantum Ecclesia est sancta, & vt sancta offert; sanctitas vero Ecclesiæ est opus operantis Ecclesiæ, sed quia Ecclesia est infallibiliter perenniter sancta, & ideo missa vt est ab illa est immaculata. Nam & sacerdos vt minister Ecclesiæ sanctam repræsentat, & vices sanctæ fungitur, neq; ex priuata malitia sacerdotis violatur. Est igitur eiusdem valoris missa mali, & boni sacerdotis quantum fit ex opere operantis Ecclesiæ, quod opus est ipsa Ecclesiæ oblatio.

Distinguuntur vero, & conueniunt isti duo fructus, quia vterque est infallibilis quantum fit ex parte operis, & operantis. Nam & Ecclesia cum sit immutabiliter sancta, eius oblatio infallibilem valorem habet in satisfaciendo. Sed valor operis operati quantum fit ex parte operis est vnus indiuisibilis, nimirum infinitus, nullam habens latitudinem maioris, vel minoris, nisi ex parte participantium, qui per inæquales mensuras ex parte illorum illius fructum participant. Sed valor missæ, vt est ex sanctitate Ecclesiæ est ex parte sui diuisibilis, seu habens latitudinem maioris, & minoris. Quia cum Ecclesia modo sit sanctior, & modo minus sancta secundum quod in eo iusti sunt plures, & sanctiores, & pauciores, & minus sancti, ideo eius oblatio, quæ est opus illius operantis modo est Deo gratior, modo minus, & sic valor eius est inæqualiter modo maior, modo minor. Vtrumq; tamen opus, scilicet opus operatũ, quod est oblatio Christi sacerdotalis, & opus operantis Ecclesiæ, quod est eius oblatio non sacerdotalis, est mundũ, & purum, & ideo missa etiam quantũ fit ex opere operantis Ecclesiæ eiusdem valoris est cęteris paribus siue à malo, siue à bono sacerdote celebrata.

Colligitur quarto, quod missa mali sacerdotis quantum fit ex vi operis operantis illius est sterilis, & nullius fructus, quantum ad vim satisfactiuam *D. T. 3. p. q. 83. a. 6. Sotus 4. d. 13. q. 1. a. 6. Nauar. cap. 25. num. 79. Val. tom. 4. disp. 6. q. 10. p. 3. Pasqual. q. 130. num. 3.* Nam cum malus sacerdos celebrãdo peccet, vel certe sit oblatio eius, qui est Dei inimicus, non est Deo grata, & accepta, ideo non potest esse satisfactoria.

Colligitur quinto, quod missa mali sacerdotis per se nec est impetratoria licet per accidens id illi possit conuenire. Ratio est, quia licet secundum *D. T. supra q. 83. a. 16. c.* oratio peccatoris sit impetratoria, si tamen ex bono desiderio procedat, tamen si sit peccaminosa infructuosa est, vt docet idem *D. T. 3. p. q. 82. a. 6.* & probatur ex illo *Prou. 7.* Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Modo peccator, qui habet conscientiam peccato mortali onustam celebrando peccat, & ita missa vt est opus peccatoris operantis est actio peccaminosa; per se igitur non habet vim impetrandi, sed est execrabilis, & non ad misericordiam, sed ad vindictam mouens. Nihilominus tamen, quia potest contingere quod in peccatore sacerdote oblatio non sit peccaminosa, ex eo quod bona fide celebret putans se esse in gratia, cum vere non ita sit, ideo tunc missa mali sacerdotis est impetratoria ex diuina misericordia, quia erit opus bonum, ex bono desiderio proueniens, quod sufficit ad hoc vt oratio sit impetratoria.

1196. Colligitur sexto absolute missam boni sacerdotis esse magis fructuosam, quam missam mali sacerdotis. D. T. locis citatis. *Sotus. 4. d. 13. q. 1. a. & ad eamdem dist. D. Bonau. Palud. & alij Suarez disp. 79. sec. 8. Fagund. prae. 1. Eccl. l. 3. c. 1. 6. num. 22. Vasquez. 3. p. disp. 229. num. 2. Pasqual. q. 130.* & habetur ex *Alexand. 1. Epist.* 21 *quæ. 1.* ibi. *Qui (sacerdotes) quanto digniores fuerint, tanto facilius pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur.* Sic ergo patet, quod dignitas sacerdotis dat sacrificio maiorem vim ad impetrandum. Sic ergo cum fructus missę respondeat operi operato, & operi operantis Ecclesiæ, & operi operantis sacerdotis, dum sacerdos est malus deficit illi fructus ex opere operantis sacerdotis proueniens, missa igitur mali sacerdotis est minus fructuosa.

Hoc vero nedum intelligendum est, quia missa mali sacerdotis sit minus fructuosa secundum se, sed quia sit minus fructuosa ei pro quo offertur. Et si dicatur, hoc non sequi, quia sacerdos non tenetur applicare fructũ sui operis operãtis, eũ ex obligatione quam contrahit ex stipendio non teneatur celebrare sine peccatis. Respondet *Pasqual. d. q. 130. num. 8.* quod potest esse quod applicet, aut saltem speciali affectu, & desiderio desideret sacrificium illi proficere, pro quo offertur. Sed melius dicitur, quod aliud est, quod sacerdos non teneatur esse bonus ex obligatione ad eum, pro quo missam celebrat, aliud est quod si sit bonus, eius bonitas per se etiam independenter à speciali applicatione non iuuet illum pro quo missa celebratur. Primum est verum, non secundum, Quia opus sacerdotis operantis est oblatio quæ habet pro fine vtilitatem eius pro quo offertur, vt obtinendam a Deo media eadem oblatione; certum vero est, vt etiam *Pasqual.* aduertit, quod huiusmodi oblatio Deo grata sit, etiam vt est sacerdotis, si sacerdos sit iustus, & eo gratior, quo ille magis est iustus igitur habet maiorẽ vim ad impetrandum etiã respectu eius pro quo offertur; quia hæc maior sanctitas,

ticas, & deuotio respicit vt finem vtilitatem eiusdem, com sit modus oblationis quæ pro illo, & ad eius vtilitatem offertur. Modus enim actionis, & oblationis tendentis in vtilitatem alicuius, quo est melior, meliori modo qualificat actionem illam, & reddit illam efficaciorem, & vtiliorem. Nec ad hoc requiritur specialis applicatio sacerdotis, quia ea applicatione qua applicat oblationem, applicat omnem modum, qui iuuat ad reddendam actionem efficaciorem, & oblationem magis efficacem; quia applicat oblationem talem quale n habet. Etenim licet missa non sit actio propria sacerdotis, quia est actio illius vt ministri Christi; & ideo conditio personalis, & propria sacerdotis extrinsece, & accidentaliter se habet ad huiusmodi actionem, quæ vt informata charitate Christi, & Ecclesiæ est Deo gratissima, & accidit illi quod sit informata charitate, & gratia sacerdotis; sacrificium enim substantialiter sumptum consistit in oblatione Christi sub specie panis, & vini vt facta à sacerdote vt à Christi ministro, & idem sacrificium ratione adiunctarum orationum, & rituum, consistit in illa extrinseca actione vt est à sacerdote vt à ministro Ecclesiæ, & sic tota missa est externa actio facta à sacerdote vt ministro, vnde huic externæ actioni accidit, quod fit à sacerdote huius, vel illius conditionis sibi propriæ, & sic accidit illi, quod sit informata à gratia propria, & charitate huius sacerdotis; tamen si de facto gratia, & charitas sacerdotis adest, & sic dat actioni illi externæ, quæ est missa, accidētarium decorem, & bonitatem, vnde de facto tanquam accidentaliter Deo gratior, illa externa actio magis valet, & tantum quantum valet, illi valet, pro quo valet externa illa actio, quæ est missa, quia illa talis qualis est applicatur illi pro quo offertur. Et applicatio ipsa, quæ est opus sacerdotis vt ministri Christi, & Ecclesiæ, si sit etiam informata gratia, & charitate sacerdotis in ratione applicationis est accidentaliter melior, & magis valet illi cui missa applicatur, quia applicatio illa ad illum dirigitur. Sicut si legatus Principis rogaturus Pontificem pro obtinendo beneficio ad fauorem Petri, licet legati propriæ conditiones, & qualitates accidentaliter se haberēt ad huiusmodi supplicationem habitam a legato vt à ministro Principis, tamen si essent conditiones tales, quæ redderent Pōtifici supplicationem magis gratam, & maioris valoris, totum hoc in fauorem Petri redundaret, quia accidentia supplicationis porrectæ pro aliquo ex natura supplicationis redundāt in bonum, vel malum eius pro quo supplicatur secundum quod illa sunt bona, vel mala, & supplicationem magis, vel minus gratam faciunt. Et sic ad hoc vt missa boni sacerdotis sit vtilior ei, pro quo missa dicitur non est in sacerdote necessaria specialis applicatio, sed ex quo applicatio illa, qua vt minister Christi, & Ecclesiæ applicat missam est informata etiam gratia, & charitate sacerdotis, missa ipsa, vt ab hac charitate imperata, & applicata est ex natura rei, & Deo magis grata, & magis vtilis ei pro quo offertur. Ideo verum est, quod plus valet missa boni sacerdotis, quam mali, quamuis hic excessus sit accidentalis, & sit secundum quid, quo tamen posito sufficit, vt absolute, & simpliciter dici possit, quod plus valet missa boni sacerdotis. Quamuis quia missa est actio sacerdotis vt ministri Christi, & Ecclesiæ Sacerdos promittens missam non se obliget ad bonitatem propriam, quæ est personalis eius conditio, sed se obliget ad ministerium nomine Christi, & Ecclesiæ habendum, ideo etiam si sit malus satisfacit obligationi suæ in ordine ad eum qui illi commēdauit missam. Aliud etiam considerari potest vnde missa boni sacerdotis magis valeat: Quia bonitas sacerdotis redundat in maiorem bonitatem Ecclesiæ, quæ minus sancta est si sacerdos sit malus, & ideo missa, vt quantum ad orationes, & ritus offertur principaliter in Ecclesia, est ab offerente minus Deo grato si sacerdos sit malus, & magis grato si sit bonus, & ideo bonitas sacerdotis facit vt oblatio Ecclesiæ sit maioris dignitatis, & valoris.

1197. Colligitur 7. quod missa substantialiter & vt est oblatio Christi semper sit eiusdem qualitatis, tamen vt est opus operantis Ecclesiæ est diuersarum qualitatum, iuxta diuersitatem adiunctarum orationum, & rituum: Vnde ex hac parte ea opere operantis Ecclesiæ magis valet vni missa vnius qualitatis quam alterius, sicut magis valet defunctis missa defunctorum, quam de feria currente, quia orationes missæ de requiem appropriatæ sunt, pro impetranda defunctorum liberatione à pœnis purgatorij, sed tamen hic excessus, non est tantus, qui non possit de facili compensari, vt tradit D. Th. locis citatis, & cum eo DD. communiter, quos ad num. 58. recenset *Pasqual. q. 287.*

1198. Qui tamen contra hanc communem sententiam tenet, quod missæ qualitas sit difficilis compensationis. Mouetur verò, quia si loquamur de maiori satisfactione, quam percipit celebrans ratione maioris deuotionis, tanquam dispositionis cum sit ex opere operato, statim insurgit difficultas an possit applicari. Verum sententia DD. qui asserunt qualitatem missæ posse de facili compensari non fundatur in applicatione operis operati, & eius fructus respondentis sacerdoti: quoniam hic non est applicabilis alteri, sed fundatur in opere sacerdotis, prout est opus operantis, & quatenus opus Sacerdotis potest esse vtilis alteri, pro quo Deo offertur. Sed instat contra hoc, quia cum deuotio Sacerdotis sit opus priuatum, in ratione satisfactionis impetrationis, &c. non potest æquiualere satisfactioni impetrationis, &c. Ecclesiæ, quæ v.g. in missa pro defunctis habeat specialem fructum ordinatum ad suffragandum ipsis, quam non habent cæteræ missæ. Siquidem cum preces, quæ in ipsis recitantur, & totus ritus sit institutus ab Ecclesia pro suffragio defunctorum, & nōmine Ecclesiæ preces illæ offerantur, interuenit ex parte Ecclesiæ offerentis aliquis specialis fructus, seu suffragium, quod non interuenit in alijs missis. Verum nō debet hic fieri comparatio operis operantis Ecclesiæ ad opus operantis Sacerdotis præcisè. Quia in omni missa habetur opus operantis Ecclesiæ, cuius fructus tamen est ex intentione Sacerdotis applicabilis. Neque enim Ecclesia determinatè in missa orat pro illo, vel pro alio, sed orat pro illis, pro quibus sacerdos celebrat. Et in missa pro defunctis propterea opus operātis Ecclesiæ, debet compara-

ri ad opus operãtis Ecclesiæ in missa alterius qualitatis. Vnum autem opus operantis potest habere excessum super aliud, vel ex parte operantis, vel ex virtute operis. At primo modo nulla missa habet excessum super aliam, quia omnis missa eodem tempore dicta est ex eadem charitate, & sanctitate Ecclesiæ, & ex eadem intentione suffragãdi, pro quo missa à sacerdote celebratur. Et sic siue sacerdos dicat missam de feria siue dicat de requiem, ex parte Ecclesiæ non est discrimen, quia semper sacerdos celebrat, vt Ecclesiæ minister, illius scilicet Ecclesiæ, quæ nunc est sancta in hoc gradu deuota, & quæ ex hoc gradu sanctitatis, & deuotionis missam offert Deo quæcunque missa fuerit, & pro quocunque celebrata fuerit, neque ex maiori sua deuotione, aut ex magis speciali intentione sua offert pro hoc defuncto vel illo in missis pro defunctis, quam in missa de feria, quia non offert nisi pro illo, vel illis, pro quo, vel pro quibus offert Sacerdos, Inæqualitas est ex parte operis operantis secundum se, & ex sua specie sumpti, quia missa pro defunctis est oratio, in qua magis expresse postulatur à Deo defunctorum liberatio, & requies, quam fiat in missa de feria, in qua expressius Deo, vel commemorantur Dei opera, & beneficia, vel Sanctorum merita, vel Deo cultus exibetur. Ideò quantum ad vim impetrandi maiorem efficaciam pro defunctis habet missa pro defunctis, pro quanto expressius, & distinctius petuntur pro defunctis ea, quæ illis prosunt. Verum quantum ad virtutem satisfaciendi, quia opus intantum est satisfactorium inquantum est opus bonum, & pœnale; vt habet *D.Th. 4. d.15. q.1. num. 4. q.1.* Ideò in ratione satisfactionis illa oratio ex parte sui est magis efficax, quæ est magis pœnalis, & ideò, quæ longior, & laboriosior, vnde & missa, illa ratione operis operantis est magis satisfactoria, quæ est magis pœnalis, & ideò quæ est longior, & difficilior, & laboriosior, & requirit maiorem mentis applicationem.

1199. Ad rationem igitur *Pasqualigus* respondetur, quod dum dicitur missa pro defunctis habet specialem fructum pro illis, quem non habent aliæ missæ, si hoc intelligatur ex parte Ecclesiæ offerentis, id non est verum; quia Ecclesia per suum ministrum offert missam pro illis, pro quibus dicitur ex eadem intentione charitatis, & deuotionis, sanctitatis, & ex eadem extensione, quia Ecclesiæ intentio in ordine ad personas determinatas pro quibus specialiter offertur missa, non applicat missam, nisi pro illis, pro quibus applicat sacerdos. Nulla igitur est in hac parte inæqualitas. Si autem propositio illa intelligatur quantum sit ex parte orationum: sic est vera cæteris paribus. Sed hic excessus non est tantus, qui non possit compensari, imo superari. Tum ex deuotione sacerdotis offerentis quæ quatenus est modus oblationis reddit illam magis Deo gratam. Nec est opus ad hoc speciali applicatione, quia hæc deuotio est modus applicationis, & applicatio ipsa, seu missa applicata quanto est à sanctiori sacerdote fiedt Deo est magis grata, ita est magis efficax. Et dum dicitur, quod deuotio sacerdotis priuata non potest præponderare intercessioni Ecclesiæ, dicitur quod supponitur falsum, quod hic debeat comparari deuotio sacerdotis intercessioni Ecclesiæ. & quòd in missa pro defunctis sit specialis Ecclesiæ intercessio; quia Ecclesia non intercedit immediatè pro illis, pro quibus offertur missa, sed mediatè mediante sacerdote. Et hæc Ecclesiæ intercessio adest siue sacerdos dicat missam de feria, siue pro defunctis, & quantum sit ex parte Ecclesiæ adest eadem vtrobique. Comparari ergo debent missæ ipsæ, & orationes quantum ad valorem, quem habent ex parte illarum, licet verò missa pro defunctis excedat, quia est expressior postulatio, magis tamẽ valet ad impetrãdum oratio magis deuota, & minus expressa quã magis dearticulata in petendo, & minus deuota. Ita, & missa de feria currente si sit longior, & laboriosior est etiam de se magis satisfactoria. At inquit *Pasqu.* missa de requiem habet quandam vim satisfactoriam ex parte Ecclesiæ ordinãtis illam pro defunctis. Sed dicitur, quod ex ordinatione Ecclesiæ nullam vim satisfactoriam habet missa de requiem, quam non habeat materialiter, ex sua conditione, & postea formaliter ex charitate, & sanctitate Ecclesiæ. Præcisa ergo vt sanctitatis Ecclesiæ, quæ est eadem, & influit in omnem missam; quia ex Christi, & Ecclesiæ institutione omnis missa est applicabilis pro defunctis, & quod specialiter sit instituta missa de requiem hoc ideò est, quia valdè conuenit, vt expressius, & dearticulatius à Deo petantur, quæ desiderantur, & ideo institutæ sunt missæ de requiem, in quibus cum maiori expressione petuntur, quæ desiderantur; & similiter institutæ sunt missæ votiuæ pro pace, pro pluuia, pro serenitate, pro peccatis, &c. Sed tamen huiusmodi missæ ex ordinatione Ecclesię non habent maiorem vim quam ferat natura ipsa orationis magis specificæ, & expressæ, & ad manifestandum Deo omnes necessitates magis aptæ, quo stante non sequitur, quod in ratione satisfactionis non excedat alia missa, si sit magis pœnalis, quia oratio intantum est satisfactoria, in quantum est pœnalis.

1200. Ideò, & ex intercessione Sancti, de quo missa celebratur compensari potest excessus valoris missæ de requiem. Et dum dicit *Pasqual.* quod intercessio Sancti non sit satisfactoria, & ideò minus proderit, quam satisfactio proueniens nomine Ecclesiæ in missa de requiem. Respondetur, quod in tota illa quæst. videtur velle *Pasqu.* quod missa de requiem habeat specialem vim satisfaciendi maiorem, quam ferat natura ipsa talis orationis, quod nec est ab eo probatum, nec est verum. Et quidem primo considerari debet, quod omnis missa est ordinata ab Ecclesia. Secundo quod Ecclesiæ ordinatio missam ipsam ita disponit vt ex natura rei sit aptior ad satisfaciendum, & impetrandum. Cæterum vel loquimur de vi meritoria, aut satisfactoria materialiter. Et hæc consistit in operis maiori vel difficultate, vel pœnalitate, quia sicut in satisfactione consideratur pœnalitas, ita in meritò consideratur difficultas, secundum *T. Th. 4. d. 15. q. 1. n. 4. q. 1. ad 2.* Iuxo opus tantum est materialiter meritorium, aut satisfactorium, quantum pensatum cum suis circũstantijs est difficile, vel pœnale. Nec potest Ecclesia facere, vt opus minus pœnale sit magis satisfa-

tisfactorum, vel addere maiorem vim satisfaciendi nisi addendo operi maiorem bonitatem, & pœnalitatem, Nam, & in satisfactione bonitas actus est quid principalius, quam pœnalitas secundum eumdem *S. Thom. in 4. dist. 15. q. 2. num. 2. q. 2. ad 2.* Vis verò satisfactiua formaliter est ex gratia, & charitate satisfacientis. Cum verò non sit inæqualitas in gratia, & sanctitate Ecclesiæ, quæ per suum ministrum applicatem missam pro defunctis ex eadem charitate intercedit siue missa sit de feria, siue de requiem, inæqualitas verò sit solum ex parte missæ, dicitur, quod licet oratio Sancti non sit satisfactoria, missa tamen de Sancto potest esse, & magis pœnalis, & magis satisfactoria, quam missa de requiem. Alias verò missa de de Sancto ex Sancti intercessione esse potest longè magis impetratoria. Et dū additur, quod intercessio Sancti est incerta, & intercessio Ecclesiæ est certa, & quod maioris virtutis est intercessio Ecclesiæ, quàm intercessio Sancti. Respondetur, quod semper deficit comparatio. Nam ex parte Ecclesiæ semper eadem est intercessio siue sacerdos celebret de feria, siue de requiem, nec intercessio Ecclesiæ deficit in missa de feria opus, materiale est, quod comparatur; magis verò valere potest valdè missa de Sancto iuncta intercessione Sancti quam sola missa de requiem, nec de intercessione Sancti est dubitandum, si alias orationi adsint comites necessarij.

Fauet etiam quod missa de officio currenti sit ex genere melior, & quamuis in diebus, in quibus Rubricæ permittunt missam de requiem, non si malum illam celebrare; de se tamen, & ex genere est minus bonum, & minus conforme intentioni Ecclesiæ, & illi exigentiæ diuini cultus, ex qua tenemur Deum laudare in Sanctis suis, & in operibus suis expressam commemorationem de illis agendo, & gratias expressas illi reddendo, quod fit in missis officij currentis.

1201. Hac verò occasione nonnullæ aliæ quæstiones de maiori valore missarum solui possunt, vt nimirum. An sit melius, & magis prosit legatum pingue pro paucis missis, quam ordinarium pro pluribus. *Pasqual. qu. 1093.* existimat quoad meritum vtilius esse legatum pinguius pro paucis missis, quàm legatum ordinarium pro pluribus. Quoad satisfactionem verò vtilius esse legatum ordinarium pro pluribus missis, & nihilominus absolutè loquendo vtilius esse legatum pingue pro paucis missis, quam legatum stipendij ordinarij pro pluribus, quod ait intelligendum quantum ad ipsum legantem, & de missis, quæ celebrantur post eius mortem, & hoc probat ex *Diu. Thom. in supplem. q. 27. a. 2. ad 2. seu 4. dist. 20. q. 9. a. 5. q. 2. ad 2.* idemque ait docere *Palud. 4. d. 45. q. 2. a. 1. concl. 5. D. Antan. p. 1. tit. 10. cap. 2. §. 2. Syluest. v. suffragia num. 8.* Probat etiam hoc ratione. quia melius est acquirere quemcumque gradum vitæ æternæ, quam obtinere remissionem cuiuscumque pœnæ temporalis: siquidem quilibet gradus visionis Beatæ, se solo sufficit ad beatificandum cum exclusione cuiuslibet miseriæ in æternum. Remissio autem pœnæ fert secum illud solum bonum, quod à pœna luenda impedit, & quod est acceleratio visionis beatæ, quod est quid temporale non comparandum gradui æternæ vitæ. Modò legatum pinguius pro paucis missis, cum sit magis meritorium æternę vitæ cum maioris bonitatis moralis sit in exhibitione pinguioris stipendij pro paucioribus missis, quia crescit eleemosyna data in sustentamentum sacerdotis, sequitur etiam quod absolutè sit melius, & vtilius leganti. Ex hoc verò colligit cum *Gabriel à Sao. Vinc. disp. 3. de Sacrif. q. 7. §. Vltima difficultas*, (quamuis ab eo dissentiat in ratione reddenda) quod sit magis vtilis est missa cū eleemosyna decem aureorum, quam centum missæ cum eadem eleemosyna.

Verum instantiam validam cōtra se habet huiusmodi sententia. Nam ille actus ex parte sui est magis meritorius, qui in suo genere, & specie est perfectior; cum enim eo actus sit meritorius, quo est moraliter bonus, quo erit melior moraliter erit magis meritorius; quo verò est in suo genere, & specie perfectior, eo est moraliter melior. Modo legatum pro missis est directè per se in genere virtutis Religionis, quia in Dei cultum ordinatur, & vel non est actus virtutis, vel finis eius principalis ex parte operis est Dei cultus per missam Deo exhibitus, quia actus non est actus virtutis, nisi tendat in proprium obiectum virtutis, tanquam in finem proprium, & ex parte operis principalem, quamuis verò concupiscentia proprij vtilis, quod ex missa oritur possit esse motiuum impulsiuum ex parte legantis, quod eum impellat ad condendum legatum pro missis, quia tamen missa est sacrificium in Dei cultum ordinatum, & vt tale sacrificium debet amari, & eligi, & obligatio, & commendatio missæ inquantum est actus virtutis est actus religiosus, & ideò non potest habere pro obiecto nisi Dei cultum; Hinc est, quod finis proximus, & ex parte operis principalis eius, qui condit legatum pro missis, est Dei cultus per missam Deo exhibitus. Illud ergo legatum, quod est actus virtutis religionis est melius, & magis meritorium, & vtilius ad finem vitæ æternæ, per quod Deo maior cultus exhibetur; hoc verò est illud per quod plures missæ ordinantur. Et licet collatio maioris eleemosynæ in Dei cultum sit opus ex parte melius, tamen hic est excessus secūdum quid, si comparetur ad maiorem cultum, quem secum ferunt plures missæ, & intantum in ratione religiosi actus oblatio plurium missarum excedit oblationem plurium eleemosynarum, quantum missa excedit quamlibet pecuniam Deo oblatam, & eo magis, quod oblatio pecuniæ in sustentamentum sacerdotis intantum est religiosa, & actus virtutis in proposito inquantum datur propter missam tamquam propter finem, est vero melior finis, quam medium ad finem. Legatum igitur plurium missarum cum per se contineat maius augmentum Diuini cultus est opus simpliciter melius, quam oblatio plurium eleemosynarum, seu pinguioris eleemosynæ, æquiualentis pluribus eleemosynis, & ideò absolutè, & simpliciter melius est, & vtilius, & magis meritorium legatum plurium missarum cum stipendio ordinario, quam legatum pinguius pro paucioribus missis. Nec oppositum habet *Diu. Thom. loco citato* qui in terminis longè diuersis loquitur, & comparat religiosas obseruantias, ad quas Religiosus tenetur ad opera

libera

libera, per quæ Religiosus lucratur indulgentias, & optimè docet, quod quantũ ad meritum æternæ vitæ plus meretur Religiosus seruando suam Religionem, quam indulgentias exquirendo. Ex quo quidem deduci potest, quod quantum ad meritum melius sit actus virtutis Religionis, & erogatio stipendij in cultum Dei, quàm concupiscentia satisfactionis à pœna. Sed in legante missam concupiscentia satisfactionis à pœna se habet materialiter, & ex parte legantis, & tanquã impulsiuum ad legandum, sed finis principalis legantis est Dei cultus per sacrificium missæ exhibitus, & legati institutio est actus religiosus ex amore honesti, & propter Dei cultum electus. Alij verò DD. citati, nec verbum habent de præsenti quæstione sed loquuntur in terminis quæstionis sequentis.

1202. Est ergo alia quæstio an magis prosint triginta missæ eodem die celebratæ, an verò celebratæ triginta diebus successiuè. Respondent verò DD. supra citati scilicet *Palud. D. Anton. & Syluest.* quod quantum ad accellerationem satisfactionis plus valent missæ simul eodem die celebratæ, sed ratione perseuerantiæ, & continuationis in Diuino cultu, non nihil maioris meriti habent missæ celebratæ triginta diebus successiuis. At absolutè quid dicendum est horum esse melius? spectata *Pasqual.* doctrina supra posita, qui vult, quod sit melius opus vt meritorium, quam vt satisfactorium celerius, quia operi meritorio correspondet gradus gloriæ essentialis, qui est melior, quam sit beatitudinis accelleratio, dicendum esset, esse melius celebrare triginta missas, triginta diebus, quia est magis meritorium. Verum neque dicta ratio probat; quia actus aliarũ virtutum à charitate materialiter ad meritum conenerunt, & gradus gloriæ essentialis, gradibus charitatis respondeot, alijs verò virtutum gradibus præmium accidentale respondet. Vnde si illa duo comparentur in ratione vtilis simpliciter vtilius est statim 30. missas celebrare, quia potest esse, quod statim illorum virtute anima liberetur à purgatorio, & fiat Beata. Si autem considerentur in ratione boni honesti, adhuc considerari debet, quod celebrare singulo die, singulas missas, non tam est perseuerare in opere bono, quàm bonum opus retardare, & quod celeritas in dando Deo laudabilis, est vnde & ex hac parte laudabile est Deo, simul ac statim cultum triginta missarum reddere, maximè si alijs diebus non deest aliundè missarum cultus, vnde est, quod ex circumstantijs, etiam melius potest esse accelerare, quam differre, seu protrahere celebrationem missarum. Per se autem præcisis circumstantijs, hoc quod est nón relinquere diem siue cultu Dei est quid melius. Verum in ordine ad meritum premij essentialis vitæ æternæ id est melius, quod est ex maiori charitate, quia charitas est forma virtutum.

S V M M A R I V M.

1 *Missa debet dici eius qualitatis cuius fuit promissa. num. 1203.*
2 *In festis duplicibus, & Dominicis debet omninò celebrari die festo. num. 1204.*
3 *Decretum Visitationis Apostolicæ. num. 1204*
4 *De alijs festis, quid senserint DD. num. 1205.*
5 *Quotiescumque est obligatio etiam sub veniali celebrandi de festo, non licet Capellano dicere missam aliam votiuam, vel de defunctis. num. 1206.*
6 *Licet Capellano celebrare de Sancto currenti omissa missa votiua. num. 1207.*
7 *Plura Decreta Sacræ Congregationis Rituum. num. 1208.*
8 *Decretis Sacræ Congregationis relatis à Doctoribus non credendum, nisi sint authentica. num. 1209.*
9 *Decretis à Doctoribus quibusdam allatis contradicit Decretum Visitationis. num. 1209.*
10 *In festo duplici etiam non de præcepto, nec potest celebrari missa de requiem, nec illa debet transferri, sed defunctis debet applicari missa de festo. num. 1209.*
11 *Nisi specialiter exprimatur consensus in qualitatem missæ est conditionatus, & intelligitur salua libertate celebrandi de festo currenti. num. 1210.*
12 *Non licet celebrare de festo omissa missa de requiem, vel votiua in diebus, in quibus alias licet sine peccato non celebrare de festo; Primo si aliud sit specialiter expressum. Secundo si adsit scandalum non celebrando iuxta qualitatem missæ promissam. Tertio in solemnibus exequijs, & anniuersarijs defunctorum. Quarto si Sacerdote auctum sit stipendium. Quinto non potest omitti missa promissa pro alia, quæ non sit de festo. Sexto si missa promissa habeat annexam indulgentiam. Tandem si ex omissione imminet damnum petenti missam. num. 1211.*
13 *Vbi sacerdos vt celebret de festo omittit qualitatem missæ non tenetur addere collectam qualitati missæ respondentem: benè tamen faciet id facere, vbi liceat. num. 1212.*
14 *Sacerdos, qui promisit collectas addere tenetur. num. 1213.*
15 *Attendi etiam debet consuetudo locorum. num. 1214.*
16 *Discrimen est inter missas Priuatas, & conuentuales. num. 1215.*
17 *Missa votiua, vel de requiem solemnis seu cantata non debet omitti. num. 1215.*
18 *Regulares an teneantur ad plures missas conuentuales, quando missa votiua est cantanda. num. 1216.*
19 *In missis manualibus non tam de facili licet missæ qualitatem omittere. num. 1217.*

1203. QVæritur secundo an sacerdos obligatus ad qualitatem missæ possit variare, & satisfaciat obligationi aliam missam celebrando? Respondent communiter DD. quod per se loquendo est illicitum sacerdoti non celebrare missam in ea qualitate, ad quam se obligauit, licet ex rationabili causa posset variare, & aliam missam celebrare, Verum cum distinctione est respondendum.

1204. Nam etiam per se loquendo aliquando nedum licet, sed debet sacerdos aliam missam celebrare. Dicitur igitur primo quod non obstante

ſtante quacumque obligatione ſacerdos in Dominicis diebus, & feſtis, quæ ſub ritu duplicis celebrantur non poteſt, nec debet celebrare, niſi de feſto currenti. Nam non poteſt ſacerdos celebrare contra præceptum, & legem Eccleſiæ, quæ vult, vt in huiuſmodi diebus miſſa celebretur de currenti feſto, de quo etiã recitari debet officiũ: Ideò Romæ Sac. Congr. Viſitationis ſpecialiter præcepit, quod in huiuſmodi diebus Dominicis, & feſtis duplicibus ſacerdotes non dicant miſſam pro defunctis, ſed de currenti feſto, eamque applicent pro defunctis. Et hoc Decretum eſt tenoris ſequentis.

CVM ex præſcripto Rubricæ Miſſalis Romani miſſæ priuatæ pro Defunctis quolibet die celebrari poſſint, præterquam in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus, & abuſus tamen paulatim irrepſerit, vt in pleriſque Almæ Vrbis Eccleſijs, præſertim vbi pro Animarum ſuffragijs frequentior eſt celebratio in feſtis quoque duplicibus non ſine adſtantium admiratione dicuntur miſſæ priuatæ pro defunctis: ideò Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reuerendiſſimorum S. R. E. Cardinalium, ac Dominorum Prælatorum Viſitationis Apoſtolicæ Sanctiſſimi D.N. iuſſu diſtrictè præcipit omnibus, & ſingulis Sacerdotibus tàm ſæcularibus, quàm Regularibus cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi in Vrbe exiſtentibus, vt in poſterum omnino dictam Rubricam ſeruent, itaut miſſas priuatas pro Defunctis, ſeu de Requiem in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel præſumant, quod ſi ex Benefactorum præſcripto miſſæ huiuſmodi celebrandæ incidant in feſtum duplex, tunc minimè transferantur in alium diem non impeditum, ne dilatio Animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit, ſed dicantur de feſto currenti, cum applicatione Sacrificij iuxta mentem eorundem Benefactorum. Curentq; Eccleſiarum Rectores, Sacriſtæ, aliique ad quos pertinet, vt huiuſmodi Decretum inuiolatè ſeruetur, & in Sacriſtia affixum retineatur, vbi commodè ab omnibus celebrare volentibus conſpici, & legi poſſit, in eos autem, qui contrafacere auſi fuerint vel præmiſſa adimplere neglexerint Eminentiſſimus Cardinalis Vicarius, ſeu Vicesgerens pro modo culpæ animaduertat. Dat. die 25. Maij 1662.

1205. Loquendo autem de feſtis ſemiduplicibus, quod liceat ſacerdoti dimittere miſſam pro defunctis, & celebrare de Sancto currenti, vel etiam infra octauas celebrare de octaua tenuit *Fagund. d. l. 3. cap. 9. num. 6.* poſt *Henriquez l. 9. miſſæ cap. 23. nu. 6. Sà v. miſſa n. 48. Nauar. conſ. 6. de celebrat. miſſar. Syluest. v. miſſa 1. nu 8.* Nam quando in inſtitutione dicitur, quod Sacerdos quotidie dicat miſſam de B. Virgine, vel de defunctis, vel de paſſione, intelligitur vt id frequentius fiat, & ideò Capellanus ad amplius non tenetur. Sed *Bonac. diſp. 4. q. vlt. p. 7. §. 3. n. 4.* extendit hoc etiam ad feſtum ſimplex, tum quia reprehenſibile eſt relinquere miſſas proprias ex præſcripto rubricarum miſſalis dicendas, vt ſatisfiat inſtantiæ laicorum, ſed ſeruandus eſt ritus Eccleſiæ. Tum quia etiam pro mortuis fructus, qui ex miſſa de requiem prouenit, compenſari poteſt deuotione Sanctorum, & eorum interceſſione. *Syluest. in v. miſſa 1 num. 8. in fin.* vniuerſalius approbat ſententiam ſupplementi, qui dicit nullam miſſam eſſe ſalubriorem, quam propriam diei *arg. c. 5. de celeb. miſſ. Tabien. autem v. miſſa num. 44* ait quod non obſtante quod ſacerdos ſit inſtitutus ad dicendam quotidie peculiarem miſſam poteſt, & debet celebrare de feria. *cap. quidam de celebrat. miſſ. Armilla verò v. miſſa num. 35.* habet, quod non eſt benè factum relinquere miſſas ordinarias, quando debeantur pro miſſis defunctorum. At *Lezana v. miſſa nu. 47.* vult quod huiuſmodi ſacerdos in feſtis ſemiduplicibus, & ſimplicibus teneatur celebrare miſſam votiuam, vel de requiem, ad quam eſt inſtitutus. Quia cum hoc poſſit licitè fieri, ſubſiſtit obligatio, quam ſacerdos aſſumpſit, & ideò illi ſatisfacere teneatur. *Paſqualig.* autem *q. 962. num. 7.* vult quod ſi ſacerdos expreſſe promiſerit qualitatem miſſæ, ſi licitè poteſt teneatur ſeruare promiſſionem. Aſſerit verò, quod hoc non præſtare ex genere eſt peccatum veniale, & quod non tam de facili debet iudicari mortale. Sed ſi ſacerdos expreſſe non promiſit qualitatem miſſæ, ſatisfacit, quamcumq; celebrando. Secus verò, quod conſenſus expreſſus in qualitatem miſſæ non habeatur ex vi ſolius acceptationis ſtipendij licet expreſsè dati pro miſſa huius, & illius qualitatis.

1206. Itaque dicitur, quod vbi ex rubricis Breuiarij, vel ex quacunque alia lege, aut præcepto, aut mandato licet obligante ad veniale tenetur celebrare de feria currenti, vel de aliquo alio, malè facit Sacerdos, ſi non obſtante quacunque inſtitutione miſſam non celebrat, quæ ſibi à Superioribus legitimè præcipitur. Et inſtitutio cuiuslibet fundatoris obligantis ad miſſam contra præſcriptum rubricarum, non eſt ſeruanda vt tradunt *in cap. ſignificatum de præbend. Panorm. num. 3. Anchar. & Imola. & Decius num. 5.* Nam & ibi Pontifex noluit confirmare inſtitutionem miſſæ celebrandæ quotidie de Sancta Maria, ſed ſolum confirmauit, vt miſſa celebretur, & ideò nec in illis diebus, in quibus nec licet celebrare de feſto duplici, licet dicere miſſam de requiem, ſcilicet infra octauas Epiphaniæ, Paſchæ, Pentecoſtes, & vigilia Natiuitatis, & Pentecoſtes, ac in feria quarta cinerum, & maiori hebdomada, in his enim diebus miſſa celebrari debet, de currenti officio. *Lezana num. 46.*

1207. Et nihilominus licet in rubricis contineatur, quod miſſa ſit conformis officio, tamen quantũ ſaltem ad miſſas non conuentuales, ſed priuatas huiuſmodi rubrica non cenſetur obligare ſub culpa, vt experientia ipſa Eccleſiarũ cõprobat. Et imò ſecundum rubricas Breu. Rom. exceptis Dominicis, & feſtis duplicibus, quod in ſemiduplicibus, & inferioribus poſſint celebrari miſſæ de requiem aſſeritur expreſsè in decreto Viſitationis Apoſtolicæ ſupra relato. Nihilominus dicitur quod Sacerdos obligatus ex fundatione ad miſſam de requiem poteſt celebrare miſſam de feria currenti, & quod inſtitutio ad aliud non obligat. Ita *Panorm. ad cap. ſignificatum num. 3. de præbend. Syluest. & Tabien. vbi ſupra Suarez. tom. 3. in 3. p. diſp. 83. ſect. 3. §. in quo eſt magna miranda p. 1. q. 41. concl. 2. Bonac. diſp. 4. q. vlt. p. 7. §. 3. num. 4. plures referens* Ratio illius concluſionis eſt, quia per ſe melius eſt celebrare de Sancto currenti, tum ex

natura

natura rei, quia valdè rationabile est, vt Deus honoretur in Sanctis suis, & sancti, qui per fidem viuam ad nostrum exemplum operati sunt virtutem digni sunt, vt à nobis honorentur, & præcipuè in die in quo Ecclesia eorum natalia celebrat. Tum secũdo quia eorum intercessio multò, ac multò amplius vere potest apud Deum, quam nostræ orationes ad impetrandum, quod petimus. Tertio quia melius est obedire seu actus ex obedientia factus, quam sine obedientia, & dato, quod mandatum de celebrando in illis diebus non obliget ad culpam, adhuc tamen ex quo Ecclesia hoc ordinat, ostendit quod hoc de se est melius, & quod est voluntatis suæ est potius, vt sic fiat, & bonum & melius est subditis se conformare voluntati superiorum, & si non omninò absoluta, nec præcipienti. Cum ergo in hoc nullum præiudicium inferatur ijs, pro quibus celebranda sit missa, instituto fundatorum sic debet intelligi, vt celebretur missa vel votiua, vel de requiem salua tamen semper obseruantia rubricarũ & regula, vt missa quantum fieri potest sit conformis officio.

1208. Obijcies in contrarium, quia *Sacra Congregatio Rituum in Turrit. 1. septembris* 1612. & 19. *May* 1614. vt ex *Sellio habet Barbosa v. missa* 1. *num.* 15. & ex *Barbosa* recenset *Lezana v. missa num.* 48. decreuit, quod missæ votiuæ à testatoribus relictæ non acceptentur de cætero, nisi in illis diebus, in quibus secundum Regulas Missalis celebrari possunt: de missis verò acceptatis petenda est à Sanctissimo dispensatio pro transferendo in dies, in quibus licet. Item eadem *Sac. Congreg. Rituum*, vt ex *Sellio*, & *Gauanto* habet *Barbosa v. missa de defunctis sub die* 1. *Septembris* 1607. & 10. *Iuny* 1626. vt meminit etiam *Lezana d. n.* 48. censuit missas de requiem tolerari posse in festo duplici, quod non est de præcepto pro voluntate testatorum implenda. Item eadem *Sac. Congr. Egitanien.* 23. *May* 1603. *in resp. ad* 3. *dubium*, apud *Barbosam d. v. missa num.* 4. & *de off. Parochi cap.* 11. *nu.* 28. vt meminit etiam *Lezana d. n.* 48. declarauit quod missæ de requiem certo die dicendæ eo impedito transferri debent in diem sequentem. Item eadem *S. Congr. vt ex Sellio* tradit *Barbosa d. v. missa Defunctorum num.* 8. & meminit *Lezana d. num.* 48. declarauit missam defunctorum non esse prætermittendam, si ex legato relicto mandetur, vt singulis diebus celebretur, quæ de præcepto non seruantur, licet sit festum duplex, quod de præcepto, non seruatur, & in hoc casu duæ missæ sunt celebrandæ, vna de festo altera defunctorum, vt licitè acquiri possit eleemosyna relicta.

1209. Sed sæpiùs compellimur aduertere, quod merito *S. Rituum Congreg. sub die* 11. *Augusti* 1632. ex speciali fel. mem. Vrbani VIII. iussu decreuit, quod huiusmodi declarationibus eiusdem *S. Cong.* quæ à DD. communiter referuntur nisi sint in forma authentica cum sigillo & subscriptione Eminentissimi Præfecti, & Illustrissimi D. Secretarij nulla præstetur fides, nec in iudicio, nec extra; verè enim sic est, quod huiusmodi non authenticæ declarationes, sic relatæ sæpè alterum ex his defectibus patiuntur quia nimirum, vel sunt falsæ, & dictæ Congregationi falso adscriptæ, vel datæ fuerunt in casu particulari ex circumstantijs particularibus, vnde nec sunt generales, nec eorum sensus, ac vis cognosci potest, non viso casu in singulari, & instantia, seu supplici libello, pro quo fuerunt datæ. Certè in præfatis declarationibus plura continentur, quorum contrarium decreuit annuente Pont. in Decr. S. Congr. Visitationis supra relato. Nimirum primo, quod missæ de requiem nedum possint, sed debeant celebrari in die festo duplici, quod non sit de præcepto; At verò per decretum Visitationis hoc omninò prohibetur. Et licet hoc præceptum Vrbem respiciat, quia tamen non innititur rationi, quæ sit propria Vrbis, sed rationi vniuersali, & statuto rubricarum Missalis, plane ex hoc conuincitur quod de se sit iustum, & honestum, & alias ex Missalis rubricis debitum, vt in festo duplici etiam non de præcepto non dicatur missa de requiem. Non ergo est verisimile quod S. Rituum Congregatio oppositum seruandum decreuerit. Secundum quod in dictis declarationibus continetur cõtrarium est, quod impedito die, in quo missæ de requiem celebrandæ sunt, transferantur in sequentem diem, & iudicatur adeo necessaria huiusmodi translatio, vt dicatur in alia declaratione recurrendum esse ad Pontificem pro huiusmodi translatione habenda; vnde nec inter se illæ declarationes conueniunt; quoniam in vna absolute dicitur, quod missæ in alium diem debent transferri, in alia asseritur quod petatur Pontificia dispensatio, vt transferantur. Sed in decreto Visitationis prohibetur huiusmodi translatio, & quidem tanquam damnum illatura ijs, pro quibus missa est celebranda, & præcipitur vt defunctis applicetur missa de Sancto, quippe quę nullum præiudicium sit illis allatura; vnde multo magis suspectæ redduntur declarationes illæ allatæ, & conuincitur, quod illis vt supra ex sola præfatorum DD. relatione non est standum, neque etiam in illis, in quibus non sunt contrariæ præfato decreto Visitationis, sed quod à nobis ex iuris communis principijs res hæc est determinanda. Itaque de hoc non potest esse dubium, quod in festo duplici de festo est celebrandum, & quod sacerdos illa die obligatus ad missam pro defunctis non debeat hãc transferre in alium diem, sed missam de sancto defunctis applicare; ex quo probabiliter deducitur idem fieri posse in alijs Sanctorum festis.

1210. Obijcies secundo, quod pacta, & conuentiones seruandæ sunt, & quod sacerdos accipiens stipendium sibi datum pro missa de requiẽ, vel votiua consentit, & conuenit de missa illa dicenda. Et non valet dicere cum *Pasqual.* quod non adest consensus nisi in substantiam missæ, non verò in qualitatem, quia si petens missam expressè petit missæ qualitatem, & sub illius onere dat stipendium; ipsa stipendij acceptatio est formalis consensus etiam in missæ qualitatem, sub cuius onere stipendium datur. Et vel consensus est nullus omninò, si sacerdos non consentit iuxta intentionem dantis stipendium in missæ qualitatem, vel sacerdos etiam in qualitatem missæ conuenit. Sed respondetur, quod benè dici potest, quod Sacerdos non consentit in missæ qualitatem absolutè, sed salua libertate ad dicendam missam de festo currẽti, quia promissio debet intelligi per

coosur.

conformitatem ad legem; & ideò ad id, quod est melius, nisi aliud exprimatur, modo legi magis est conforme celebrare missam currentem de die, & hoc per se est melius; & ideò consensus in qualitatem missæ debet intelligi salua hac limitatione circa quam petens missam præsumi potest non esse rationabiliter inuitus.

1211. Quod tamen limitandum est, vt fieri non possit, primo vbi per specialem expressionem exclusum sit, vt Capellanus, vel Sacerdos, nec intuitu celebrandi missam de festo possit omittere missæ qualitatem promissam, quando potest celebrare: secundo, vbi adsit scandalum; quod contingere potest, ex eo quod laici non sine capacea veritatis, & propterea arbitrentur sacerdotem non satisfacere muneri suo, & conquærantur, quod mens instituentium missam non impleatur. Hoc enim esset scandalum pusillorum, quod esset vitandum. *Bonac. vbi sup. num.* *Pasqual. q. 962.* Ideò limitatur tertio, vt non habeat locum in missis, quæ occasione sepulturæ, vel anniuersariorum solemnium celebrandæ sunt. Tunc enim nedum de facili adesset scandalum, non celebrando missas de requiem; sed occasio ipsa, & solemnitas actionis petit, vt missa propria de defunctis solemnitati conformis celebretur. Et tunc hoc est valde conforme Ecclesiæ praxi memoriam, seu supplicationem pro defunctis celebranti, vt sacerdotes vniformiter, vel pro præsenti defuncto, vel pro memoria eius, aut defunctorum celebrent. Limitatur quarto si Sacerdoti auctum est stipendium hac occasione, vt celebret missam votiuam, vel determinatæ qualitatis, quia tunc sacerdos expressius consentit in specialem obligationem celebrandi illam missam, vnde promissionem debet seruare. Limitatur quinto vt sacerdoti non sit licitum hoc facere nisi vt se conformet rubricis, & ex deuotione ad sanctum, non verò quia vel. gr. missa de festo sit breuior, quam sit votiua dicenda, vel ex alia simili causa ad deuotionem non spectante, Ideò non est admittendum illud *Pasq. nu. 9.* quod seclusa expressa promissione sufficiat celebrare missam, quia non licet abstinere, nisi ratione missæ currentis, vel alia vrgente causa, & dum recipitur stipendium datum sub onere missæ qualificatæ, non potest negari, quin sacerdos etiam consentiat in qualitatem missæ saltem in quantum missæ qualitas sit conformis magis rubricæ missalis, secundum quam licet magis conueniat celebrare de festo, non tamen magis conuenit, vbi de festo nō celebratur, celebrare aliam missam ab ea, sub cuius onere stipendium fuit acceptum. Limitatur sexto, vt non procedat vbi missa celebranda habeat annexam indulgentiam, quæ obtineri non possit per missam de Sancto. Nam quod pro obtinenda indulgentia altaris priuilegiati sit necessaria missa de requiem, licet hoc in indulto non exprimatur tenent *Barbosa, & Lezana citati,* qui etiam referunt ita declarasse *S. Congr. Rituum in Pistorien. 1. Ianu 1601. & in Toletana 13. Iulij eiusdem anni, Imo. num. 2.* addit *Barbosa,* quod nihilominus missa de requiem non potest dici in die festo duplici, & de præcepto, qui incidit in diem festum assignatum prædicto altari priuilegiato, quod & ait declaratum fuisse per *S. Rituū Congregat. die 24. Aprilis 1627.* prout est apud *Passarini Tom. II.* *Gauant. in rubr. Missal. p. 1. tit. 5. num. 2. fin.* Et ita etiam *Lezana d. num. 48.* Nihilominus tamen non desunt, qui dicant non esse necessariam ad lucrandam indulgentiam altaris priuilegiati, vt dicatur missa de requiem. Ita enim sensisse *Naldum ex Nauar.* dixit Lezana *v. Altare num. 19. vbi & hoc speculatiue loquendo putat probabile. De Missis etiam S. Gregorij* quod non sit necesse, vt singulæ sint de requiem, ijs præsertim diebus, in quibus officium diuinum solemniter celebretur, dixit *Bonacina disp. 4. q. vltim. p. 7. §. 3. num. 6. ex Fraxinello, & Possen.* sed eas debere esse de requiem in illis diebus, in quibus potest celebrari de requiem, probat *Pasqual. de sacrif. nou. leg. q. 293. num. 5.* sed *Bonac. num. 7.* sentit, quod neque sit necesse, vt dicantur sine interruptione, quia obligatio missarum intelligitur salua decentia, & honestate, honestas verò patitur, vt aliquando missa interrumpatur. Tum quia sequeretur, quod si quis assumpsisset obligationem dicendi missas S. Gregorij a media quadragesima deberet dicere missam in die veneris Sancti, cum tamen eo die missæ celebrari non possit. Sed quod excepto triduo maioris hebdomadæ missæ S. Gregorij debeant dici sine intermissione per dies continuos sentit *Pasqual. q. 294.* Vnde stantibus huiusmodi varijs opinionibus, quarum etiam veritas sine superiorum determinatione de facili haberi non potest. Sacerdos obligatus ad qualitatem missæ, cui sit annexa indulgentia viam securam amplecti debet, & missam secundum qualitatem à se promissam celebrare tunc cum potest celebrari, & si promisit missam de defunctis, non licebit ei alteram de Sancto celebrare, quia hoc potest cedere in damnum eius, cui missam promisit, si qualitatem missæ promissam non reddat.

1212. Poterit verò esse, quod aliquis existimet, quod sacerdos eo die, in quo potest celebrare missam votiuam, vel de requiem, ad quam est obligatus, quod saltem teneatur tunc addere collectam, vel missæ votiuæ, vel de requiem, sed alij volunt, quod hoc non sit necessarium, imo nec possit fieri semper, sed sufficiat dicere missam currentem iuxta ritum missalis, quia cum sacerdos cum debeat dicere currentem missam censetur compensare orationes missæ votiuæ, aut de requiem orationibus missæ currentis, & debet in missa seruare leges, & iuxta rubricam celebrare. *Bonac. vbi supra num. 5. post Beiam Fraxinell. & Nauarr. cap. 25. num. 100. Pasqualig. quæst. 962. num. 11.* Aduertit verò idem *Pasqual. n. 12.* quod si in missa dicuntur collectæ illius qualitatis, cuius esset missa dicenda, æquiualenter satisfiat missæ qualitati, quia collectæ continent specialem intercessionem Ecclesiæ, quæ est illa, quam supra opus operatum fert qualitas missæ. Sed licet hoc non benè probetur, quia simplex collecta non æquiualet integræ qualitati missæ, vt collecta de requiem non æquiualet toti missæ de requiem, quæ est illa specialis intercessio Ecclesiæ, quæ in missa de requiem consideratur. Non potest tamen negari, quod harum collectarum adiunctio non iuuat. Et ideo quando secundum rubricas adiungi possunt; optimum erit id facere.

1213. Quærit autem *Pasqualig. q. 963.* An si

petens missam petat simul speciales collectas recitari dato tamen solito stipēdio sacerdos teneatur ad illas collectas dicendas; & respondet seclusa expressa promissione non teneri, Tum quia onus collectarum est separabile ab onere missæ. Tum quia sacerdos non accipit, nisi stipendium respondens substantiæ missæ, seu vnico tantum oneri; ergo ex vi acceptationis stipendij non acceptat, nisi onus, ad quod iuxta taxam ordinatur stipendium, quod est onus missæ dicendæ sine collectis. Tum tertio, quia dans consuetum stipendium, quod iure naturali respondet oneri missæ, non potest vti eodem stipendio ad imponendum nouum onus separabile à priori, sicut soluens debitum vno titulo, non potest eadem quātitate soluta titulo solutionis debiti imponere nouum onus. Sed si huiusmodi consequentiæ vim habent, non esset necessarium integram missam pro eo solo offerre, qui dedit stipendium incongruum; quia dicetur, & quod sacerdos non acceptat obligationem dicendi missam, nisi ad ratam stipendij taxati, & quod petens missam dato incongruo stipendio, quod dat ex debito, non potuerit imponere completum onus, cum det incompletum stipendium. Considerandum igitur est, quod negotium missarum non est mercatura, & quod quantitas stipendij non est determinata lege naturali, sed ex lege positiua, nec taliter est determinata, vt de consensu partium non possit minui, vel augeri; vnde non debet, nec potest ex quantitate parua stipendij colligi minor obligatio, si paruum liberè est acceptatum pro completa, vel maiori aut maiori obligatione. Cum verò petens missam simul petit collectas, si sacerdos accipit stipendium sub illo onere datum in illud onus consentit etiam formaliter; quia acceptatio donationis sub onere est formalis consensus in onus; & ideò talis sacerdos omninò ad collectas illas tenetur, non minus, ac teneretur ad celebrandum pro illo, qui dedit eleemosynam, etiamsi vel solum vigesimam partem taxati stipendij dedisset.

1214. In his etiam habenda est ratio consuetudinis locorum. Nam quod missæ de requiem possint dici etiam in diebus Dominicis, & festis insepulto, & præsente corpore in Ecclesia vbi viget consuetudo sepeliēdi mortuos simul cum missa tradit *Barbosa v. missa defunctorum nu. 6. & de off. Parochi cap. 11 num. 27.* referens id decisum per *Sac. Rit. Congreg. die 23. Maij* 1603. vt meminit etiam *Gauant. p. 1. tit. 5. num. 2. & Lezana v. missa num. 48.* Ex hoc de consuetudine seruatur, vt missa cantetur de requiem.

1215. Est etiam cōsiderandum discrimen esse inter missas priuatas & Conuentualem, quia Cōuentualis sēper debet esse de feria currenti. Circa quam missam plura habet *Barbosa v. missa Conuentualis*, vt decisa *per S. Cong. Rituum, & Gauant. p. 1. tit. 4. prope finem* Vt quod nunquam omitti debeat missa Conuentualis pro missa votiua, vel de requiem. Quod in quadragesima, aduentu, quatuor temporibus, & similibus diebus nunquam intermittatur missa Conuentualis de feria, sed tunc duplex missa caneretur, scilicet de feria, & de Sancto, si occurrat festum, de quo celebretur officium, & quod hoc obstruetur nulla obstante consuetudine; quod missam de die cantare debeant Canonici, vt lucrentur distributiones, etiam in illis diebus, in quibus Canonici vel ex deuotione, vel pro defunctis cantant aliam missam, & ita quod non sufficiat loco missæ Conuentualis missa lecta celebrata in aurora de officio occurente. Quamuis præsupposita immemorabili consuetudine in contrarium extra illos dies in quibus iuxta tertiam rubricam missalis omninò duæ missæ cantandæ sunt, vt in quadragesima, &c. In reliquis diebus, in quibus id non exprimitur, quando Canonici cantant missam votiuam, vel pro defunctis loco missæ conuentualis sufficiat dicta missa lecta celebrata in aurora. Sed & iuxta ius commune contentum in *cap. cum quidam, & cap. cum creata, de celebrat. missarum* missa Conuentualis debet esse de feria currenti, & si occurrat missa votiua, vel de requiem duæ missæ cantari debent, ideò si daretur institutio obligans ad cantandum quotidiè missam votiuam, vel de requiem, hæc institutio non esset seruanda, quia nec diebus duplicibus cantanda esset missa votiua, vel de requiem, & in alijs diebus nunquam missa conuentualis de feria esset omittenda, sed duæ missæ dicendæ essent. In diebus propterea, in quibus potest cantari missa votiua, vel de requiem, & promittatur non licet eam omittere, & loco eius cantare missam de officio currenti, quia missa cantata solemnitatem habet, quæ est quid speciale, & notabile, & graue quod promissum reddi debet.

1216. Circa Regulares tamen *Lezana* arbitratur eos comprehendi sub relatis declarationibus S. Congreg. rituum. Verum quamuis putet, quod si in talibus declarationibus esset sermo de Ecclesijs Cathedralibus, aut collegiatis sub illis non compræhenderentur Ecclesiæ Regulares, quę non sunt propriæ Collegiales, sed Conuentuales. De quo *Rodriq. tr. 1. q. 43. num. 12. Flam. Cherub. in compend. Bullar. in Mar. 4. Bulla 7. schol. 1. Gauan. p. 3. tit. 11. num. 12. Pier. tom. 3. cap. num. 19.* Idem tamen *Lezana* subdit probabile esse, quod apud Regulares sufficiat vna missa lecta, & alia cantata, quia Decreta S. Congreg. aliud non petunt, nec aliud est vsu receptum. *Pier. vbi sup. num. 17.*

1217. Est enim considerandum discrimen inter obligationem perpetuam, & obligationem ad missas manuales. In illis enim euidentius est, minus conuenire rationi, vt sacerdos perpetuo sit obligatus ad non dicendam missam de festo currenti, quod certè nedum cedit in præiudicium diuini cultus, sed etiam deuotionis eiusdem sacerdotis. Sed vbi de missis manualibus fit sermo, quæ solum sunt aliquibus diebus, & sæpè sunt vel pro gratiarum actione, vel pro speciali quadam deuotione, & fiducia, quam habet fidelis forsan etiam tribulatus, & in speciali necessitate constitutus, vel quia agitur funus, vel anniuersarium alicuius defuncti, vel alia simul causa specialis occurrit, non tam de facili licebit variare, & non celebrare missam votiuam, aut de requiem vel propter præiudicium aliquod, vel propter scandalum, vel quia petentes censendi sint omninò velle missam votiuam, vel de requiem, quam propterea si sacerdos promittat tenebitur stare

promit-

promittit, Vbi tamen non potest celebrari missa votiua, vel de requiem sine peccato, non debet sacerdos se obligare, & si se obliget, obligatio non tenet.

SVMMARIVM.

1 *Summa dicendorum.* num. 1218.

INSPECTIONIS SEXTAE.

CAPVT XIV.

De obseruandis in susceptione onerum missarum.

1218. IN Decreto de celebrat. missarum supra num. 864. §. *Praterea*, & §. *Ad hac*, & in resp. ad 12. tractatur de materia illius cap, & in §. *Ad hac* prohibentur recipi onera perpetua missarum sine licentia, & in §. verò *Praterea* decernitur, quod capitale huiusmodi onerum implicetur in aliquo immobili fundo fructifero. Vtrumque autem horum indiget explicatione.

SVMMARIVM.

1 *Onus celebrandarum missarum est onus celebrandi vel faciendi, vt celebrentur missæ.* num. 1219.
2 *Capellani non suscipiunt onera perpetua missarum celebrandarum.* num. 1220.
3 *Onus procurandi, vt missa in perpetuum dicatur est onus perpetuum missarum celebrandarum.* num. 1221.
4 *Onus alternatiue, vel celebrandi, vel curandi, vt celebretur comprahenditur sub Decreto Vrbani VIII.* num. 122.
5 *Superiores diligentiam adhibere debent etiam respectu onerum procurandarum missarum.* num. 1223.
6 *Hæredi non indiget licentia, vt adeat hæreditatem oneribus missarum grauatam.* num. 1224.
7 *Non est necessaria licentia, si relinquitur hæredi, vt hoc, vel illo modo faciat sibi celebrari missas.* num. 1225.
8 *Si relinquitur Capellano onus nominandi successorem in perpetuum, requiritur licentia.* num. 1226.

1219. PRimo verò quæritur, quid sit accipere onus perpetuum missarum celebrandarum. Accipere quidem onus agendi est se obligare ad agendum, vnde suscipere onus celebrandarum missarum, est se obligare ad hoc, vt missæ celebrentur, & se obligare in perpetuum, est se obligare ad hoc, vt in perpetuum missæ celebrentur. Quamobrem considerari debet, quod assumere onus perpetuum missarum celebrandarum necessario, non est assumere onus actiuè celebrandi, sed vel celebrandi, vel respectiuè agendi, quod missæ celebrentur. Quod colligitur primò, quia dictio celebrandarum etiam passiua significationis est. Secundo quia suscipientes onera perpetua missarum, nec se obligant ad celebrandas missas per se ipsos, neque ad hoc se obligare possent, etiam si vellent, quia ipsi mortales cum sint, non possunt in perpetuum viuere, & celebrare. Tum quia, vt habetur ex *cap. significatum de prabend.* & *DD. ibid.* illicitum est, quod quis velit se obligare ad quotidie celebrandum per se ipsum. Onus ergo actiuè celebrandi nec est, nec esse potest perpetuum in aliquo, vnde suscipere onus perpetuum missarum celebrandarum non est solum onus actiuè celebrandi, sed est onus vel celebrandi, vel faciendi, vt in perpetuum missæ celebrentur, quod ex Decreto ipso de celebratione missarum manifestè colligitur, quia hoc onus est tale, quale suscipere possunt etiam seculares confraternitates piæ, & monialium monasteria; nam Decretum prohibet etiam secularibus suscipere onera perpetua missarum celebrandarum sine licentia, & in eos si contrafecerint statuit pœnam interdicti, seculares verò, nisi sint sacerdotes, non possunt suscipere onera perpetua actiue missas celebrandi, cum non sint sacerdotes, qui celebrare possint, sed bene suscipere possunt onera faciendi, vt missæ celebrentur.

1220. Ex his colligitur primo, quod sub hoc Decreto non continentur Capellani, qui Capellanias, vel collatiuas, vel non collatiuas suscipiunt, quia isti vel ad tempus breue, vel ad summum ad tempus vitæ illorum accipiunt onus missas celebrandi. *Tambur. l. 3. c. 13. §. 7. num. 13.*

1221. Colligitur secundo, quod onus perpetuum procurandi, vt missæ celebrentur comprehenditur sub decreto, & quod Monasteria, Conuentus, Confraternitates, &c. non possunt sine licentia suscipere onus procurandi, seu faciendi, vt in perpetuum missæ celebrentur. Oppositum huius sentit *Pasqual. quæst.* 1104. & *Tamburin. de sacrif. miss. l. 3. c. 1. §. 7. num. 4.* & ratio est, quia suscipere onus procurandi celebrationem missarũ, non sit suscipere onus missarum celebrandarum, sed patet ex præmissis, quod imo onus missarũ celebrandarum, quod etiam seculares Congregationes, & Monasteria suscipere possunt, nõ est nisi onus faciendi, & procurandi, quod missæ in perpetuum celebrentur. Nec verum est, quod finis legis deficiat in his Procuratoribus, quia finis adæquatus legis huius non est vitare ne sacerdotes plura onera suscipiant, quam celebrare possint, sed ne onera suscipiantur, quibus satisfieri non possit, & sic ne piæ fidelium voluntates frustrentur. Non potest igitur aliquis etiam secularis recipere onus procuratoris celebrandarum missarum in perpetuum sine licentia, & tenebitur inuestire capitale missarum in fundo immobili fructifero, vt idem *Pasq. fatetur num. 4.*

1222. Colligitur tertio, quod sub hoc Decreto multo magis comprehenditur onus alternatiuum vel celebrandi, vel procurandi in perpetuum, vt missæ celebrentur. Oppositum tenet *Pasqualig. quæst.* 1105. Sed quæ de alternatiua obligatione adducit, non probant, quia hic vtraque pars alternatiuæ est prohibita haberi sine licentia; imo principalius, & vniuersalius prohibitio afficit onus faciendi, & procurandi vt missæ celebrentur, quoniam hoc importat onus missarum celebrãdarum, quod non tam est onus celebrandi, quam onus missa-

missarum quæ celebrari debeant, & ideo est onus curandi vt satisfiat debito missarum.

1223. Colligitur quarto, quod dispositio decreti Vrbani VIII. pro ea parte in qua decernit, quod si Ordinarij vel Generales, aut Prouinciales fuerint requisiti de licentia concedenda pro suscipiendo perpetuo onere missarum diligenter negotium examinent, vt decernitur supra *num.* 864. *in* §. *Episcopus*. Locum habet etiam respectu oneris procurationis missarum celebrandarum; quidquid in contrarium dixerit *Pasqual. quæst.* 1106. *n.* 3. Quia dispositio attinget etiam casum in quo seculares suscipiant perpetua onera missarum celebrandarum, quod est eos suscipere onus procurandi vt missæ celebrentur, seu eligendi sacerdotes per quos missæ celebrentur. Se extendit enim decretum nedum ad sacerdotes seculares, sed etiam ad laicorum Confraternitates, & ad quæcumque pia loca etiam secularia, & respicit onus nedum celebrandi per se ipsum, sed per alium.

1224. Colligitur sexto, quod si aliquis sit relictus hæres cum obligatione vt faciat celebrare missam vel missas perpetuas, non indiget licentia, vt recipiat hæreditatem, & onus missarum celebrandarum. Ita *Tambur. l.* 3. *cap.* 1. §. 7. *num.* 4. *Pasqual. quæst.* Sed huius ratio non est, quia hæredi non competat munus celebrandi, quia onus celebrandarum missarum, non est onus celebrandi per eum, qui suscipit onus, sed est onus celebrandi per se, vel per alium, hæres vero per alium celebrare potest. Sed ratio est, quia decretum nõ comprehendit meros laicos, sed solum Ecclesiasticos, & loca pia, vt patet ex §. *Ad hæc*. Ideo hæres laicus, seu legatarius non comprehenditur sub hoc decreto, sub quo tamen comprehenditur Ecclesia, vel locus pius, vel Ecclesiasticus quilibet, si ei non vt laico, nec laicali titulo, sed vt Ecclesiastico, & ita quod obligatio in Ecclesiam redundet, relinquatur hæreditas, vel legatum sub onere perpetuo missarum celebrandarum. Nam quod in eo decreto intenditur est, ne Ecclesia se obliget ad onera, quæ sustinere non valeat.

1225. Colligitur septimo, quod si testator relinquat Capellaniam, & fundum cum obligatione perpetua missarum taliter, vt si detur sacerdos de familia illi detur fundus, & si non adsit procuretur vt missæ per alios celebrentur, non est hic necessaria licentia ad hoc onus suscipiendum, Ita *Pasqual. q.* 1107. Et ratio est, quia hæc licentia non est necessaria ex parte sacerdotis, quia ille non suscipit onus perpetuum, sed ad vitam tantum, & tanquam Capellanus temporalis, Nec ex parte hæredis, qui cum sit merus laicus non indiget licentia ad recipiendam hæreditatem cum onere perpetuo missarum celebrandarum, An vero si sacerdos de familia aliunde sit obligatus ad celebrandũ, indigeat licẽtia ad hoc vt suscipiat etiam Capellaniam præfatam, *Pasqual. num.* 5. putat quod iste sit in hoc casu incapax Capellaniæ etiamsi Testator non obliget illum ad celebrandum per se ipsum, quia cum non possit per se ipsum celebrare est incapax suscipiendi onus celebrandi. Verum attendi deberet mens testatoris, qui si non requireret quod sacerdos de familia celebraret per se ipsum, non esset ille incapax Capellaniæ, quia ad habilitatem illius sufficeret habilitas celebrandi per alium. Quantum vero ad licentiam, constat quod ex vi huius decreti licentia non requiritur, quia non suscipitur perpetuum onus. An vero aliunde sit necessaria licentia vt beneficiatus fiat etiam Capellanus alia quæstio est.

1226. Colligitur octauo, quod si testator Capellano relinquat facultatem eligendi successorem, est tali Capellano necessaria licentia ex vi Decreti huius, vt accipiat Capellaniam *Pasqual. quæst.* 1108. Ex eo quia hoc sit onus perpetuum missarum celebrandarum, quoniam assumitur onus vt transferendum in successorem in perpetuum. Nam etiamsi fundus remaneat apud hæredem, tamen ille primus sacerdos, qui accipit onus celebrandi, & nominandi successorem vere suscipit nomine Ecclesiæ onus perpetuo celebrandi, & ideo hoc non potest facere sine licentia.

SVMMARIVM.

1 *Acceptatio oneris missarum sine licentia secundum aliquos est nulla. num.* 1227.
2 *Oppositum est verum. num.* 1228.
3 *In iure canonico quod fit lege prohibente non est nullum, nisi adsit decretum irritans. num.* 1228.
4 *Superior eam acceptationem potest ratam habere. num.* 1228.

1227. QVæritur secundo, an acceptatio perpetui oneris missarum facta sine licentia sit nulla. Affirmat *Pasqual. quæst.* 1109. Tum primo, quia cum sit sine licentia est sine consensu eam authorizante, contractus vero, seu conuersio habita sine consensu est nulla. Tum secundo, quia acceptatio facta sine licentia est facta sine discussione, & cognitione causæ, & ideo est facta nulliter. Tum tertio, quia licentia est necessaria tanquam de forma. Quia forma censetur inducta, quando præcipitur aliquid seruandum quod de iure communi non requiritur. Tum quarto, quia cum præscribitur modus agendi inducitur forma substantialis, præsertim quando eo modo omisso actus posset esse illegitimus. Sed quod acceptatio perpetui oneris missarum habita sine licentia non sit ipso iure nulla voluit. *Tambur. l.* 3. *cap.* 1. §. 7. *num.* 15. Et hoc est verum, quia Decretum Vrbani VIII. non habet annexum decretum irritans, & de iure Canonico actus facti lege prohibente non sunt ipso iure nulli, nisi adsit decretum irritans, vt late probaui *tract. de elect. cap.* 9. *q.* 1. *à n.* 3. & est communior sententia Canonistarum, & DD.

1228. Nec ex aduerso adducta probant. quia defectus consensus requisiti de solemnitate non irritat actum, licẽtia vero seu consensus superioris in acceptandis oneribus est requisitus non de forma, sed de solemnitate, quia si esset de forma, id declaratum fuisset per clausulam irritantem. Et Regulæ, quæ assignantur ab arguente vt censeatur aliquid de forma sunt veræ vbi adsit in dispositione decretum irritans, non vero sine illo. Nec est DD. priuatorum constituere regulas irritantes actus, sed hoc est proprium legislatorum; Nec ad rem faciunt, quæ ex iure Ciuili adducuntur, quia in Ciuili iure res est ambigua, & confusissima. &

in

in vtramque partem disputata; sed de iure Canonico sola prohibitio non irritat actum. *arg. cap. ad Apostolicam, de Regular. Concil. Trid. sess. 24. cap. 5. de matrim. reform.* Et constat quod matrimonia Clandestina ante Tridentinum valida erant, licet prohibita. Et nunc quoq; matrimonia fieri prohibentur in quampluribus casibus, nec tamen sunt irrita, nisi vbi lex hoc decreuit, vnde dantur quamplura impedimenta, quæ non dirimunt matrimonium, & tamen lex prohibet, ne cum illis impedimentis matrimonia celebrentur. Et ideo de iure Canonico fallaces sunt illæ regulæ, vt censeatur inductum de forma, quod est inductum vt seruandū, quod de iure communi non erat necessarium, vel quando lex præscribit modum, cum quo res debet fieri. Huiusmodi enim regulæ de iure Canonico non valent, nisi simul adsit decretum irritans. Verum nihilominus est, quod huiusmodi acceptatio facta sine licētia est nulla, quia ipso iure annullanda, & irritanda si opus sit. Vnde est infirma, & reuocabilis tanquam facta contra modum a lege præscriptum. Quia tamen superior acceptationem habitam sine sui licentia potest ratā habere; vnde magis constat quod non est ipso iure, & facto nulla, quia actus nullus non potest per superuenientem ratihabitionem validari. Et quia talis acceptatio est infirma, & reuocabilis, tenentur acceptantes ad petendam licentiam, vel ratihabitionem, vt in hoc bene aduertit *Pasq. num. 10.* Sed huius ratio est, quia non satisfit testatori si aliter fiat, quia non recipitur onus ab eo impositum modo debito, firmo, stabili, & perpetuo, vt ille disposuit. Accedente vero licentia superioris perficitur acceptatio, non quia tunc de nouo cōcurrant causæ necessariæ vt consensus acceptantiū, & testatoris, vt vult *Pasqual. num. 11.* quia etiam inuita Ecclesia quæ prius acceptauit onus missarum celebrandarum, posset superior ad hoc habēs auctoritatem ratam habere acceptationem iam factam, si videret Ecclesiam illam sine ratione recedere à consensu iam præstito.

SVMMARIVM.

1 *Acceptationem oneris missarum factam sine licentia in scripsis esse inualidam dicunt aliqui. num. 1229.*

2 *Oppositum est verum. num. 1230.*

3 *Scriptura non est de substantia actus nisi id expressa decernatur. num. 1231.*

1229. QVæritur tertio. An sit valida licentia acceptandi onera missarum perpetua si non sit data in scriptis. Esse nullam arbitratur *Pasqual. q. 1110. num. 4.* Quia quando speciali dispositione legis necessaria est scriptura, non sufficit simplex consensus, vt tradunt *Puteus dec. 43. l. 3. Duran. dec. 40. num. 43. Rota dec. 377. num. 6. p. 2. diuers.* Nec habetur in consideratione nisi de illa in scriptis constet. *Bercaz. consil. Crim. 8. num. 21. l. 1.* Tum secundo, quia cum lex inducit necessitatem scripturæ pro licentia inducit modum, & formam cum qua est concedenda licentia. Tum quia ablatiuus absolutus inducit conditionem quæ conditio seruanda in aliquo actu inducit formam, in decreto vero adest clausula, licentia in scriptis, & gratis concedenda. Sed oppositam sententiam habuit *Tambur. l. 3. cap. 1. §. 7. num. 10.* quia clausula in scriptis concedenda non importat conditionem sed modum, ac proinde si desit non vitiatur actus.

1230. Ego considero quod nullitas actus quæ est pœna, vel malum valde graue, quod infertur agentibus, non debet induci nisi sit in iure expressum, & ideo etiam si ad agendum præcipiatur vt necessaria licentia superioris in scriptis obtenta, nisi expresse decernatur, quod aliter obtenta sit nulla, non est nulla si oretenus detur, & censetur requisita scriptura ad probationem actus in foro externo, non vero ad actus substantiam, & valorem. Quod expresse probat Rota locis citatis à *Pasqual. nimirum dec. 377. num. 6. p. 1. diuers. & dec. 43. lib. 3. coram Puteo, & amplius dec. 153. n. 9. p. 6. recent.* Vbi quod contractus non dicitur fieri in scriptis, nisi quando dictum est, quod aliter non valeat, reiecta opinione *Castrens. vt per Peregr. decis. 34. in vna Placent. vol. 1.* Quam etiam opinionem seruari in practica, & ab ea non esse recedendum testatur *Curt. iun. cons. 348. num. 21. & 23. vol. 3.* Et propterea si partes simpliciter conueniant, quod cōtractus sit redigendus in scriptis, hoc non impedit, quominus probatio rei gestæ, possit aliter, quam per scripturam probari. Sic quoque quod vbi scriptura non est de substantia actus, quod partes de ea paciscentes videantur prospexisse probationibus non contractui, dixit *Reuerendiss. Fagnanus ad cap. sicut. num. 13. de probat.* Sic cum *Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de reformat.* præcipiat causas necessitatis absentiæ Episcoporum à propria Diœcesi esse in scriptis approbandas à Pontifice, vel Metropolitano, nihilominus vt dictum est supra *q. 185. a. 5. num. 46.* sufficere licentiam non in scriptis habitam plures DD. tradunt. Et ideo bene dixit *Tambur.* quod clausula in scriptis, nisi aliud exprimatur dicit modū, non vero conditionem, vel formam, nec semper ablatiuus absolutus dicit proprie conditionem; sed sæpe dicit modum; Quamuis nec verum sit, quod in Decreto Vrbani VIII. necessitas licentiæ exprimatur per ablatiuum absolutum, quia præcipitur vt non acceptentur onera ista sine licentia in scriptis; ablatiuus vero iunctus præpositioni nō est absolutus. Dicendum est igitur, quod licentia in scriptis est necessaria pro foro externo, & nec ad substantiam actus, sed ad probationem, vnde si adsit licentia sufficit, & in casu litis si aliunde probari posset licentia factum subsisteret etiam in foro externo. Quod etiam licentia oretenus data excuset à pœna, licet requireretur in scriptis, præciso contemptu, & abusu, tanquam decisum à *S. Cong. Regul. in Aquil. 19. Augusti 1603. refert Nicol. in flos. v. licentia num. 4.*

SVMMARIVM.

1 *Licentia non data gratis est valida. num. 1231.*

1231. QVæritur quarto. An licentia acceptandi onera perpetua missarum sit nulla si non sit data gratis. Respondetur breuiter illicite dari, & contra expressam prohibitionem Decreti Vrbani VIII. sed tamen licentiam

non

non datam gratis non esse nullam; quia neq; hoc in Decreto inducitur vt necessarium de forma, & substantia. *Tambur. l. 3. c. 1. §. 7. num. 11. Pasqual. quaest.* 1111.

SVMMARIVM.

1 *Seculares accipientes onera missarum sine licentia sunt interdicti ab ingressu Ecclesiæ. num.* 1232.
2 *Regulares sunt priuati voce vtraq; & officijs, & inhabilitati, Sed hæc pœna ante sententiam non infert sui executionem. num.* 1233.
3 *Hæc pœna non est Papæ reseruata, ideo remanet dispositioni iuris communis. num.* 1234.

1232. QVæritur quinto, quæ pœna lata sit contra assumentes onera missarum perpetua sine licentia? Distinctio est inter seculares, & Regulares. Nam contra seculares imposita est pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto. Et cum interdictum sit censura, sine dubio statim incurritur etiam in foro conscientiæ absq; necessitate alicuius sententiæ in foro externo lata. *Tambur. l. 3. cap. 1. §. 7. num. 8. Pasqual. quaest.* 1112. Hæc tamen pœna non est Papæ reseruata. Vnde in foro conscientiæ ab ea absoluere potest quilibet cõfessarius approbatus alias ad confessiones pœnitentis audiendas *cap. Nuper. de sent. excom.* In foro autem externo absoluit etiam Ordinarius, & quilibet Prælatus habens in pœnitentem iurisdictionem fori externi, iuxta à me probata *de elec. cap. 26. q. 1.* Cum enim censura hæc non sit reseruata remanet in potestate ordinarij ab ea absoluere. *Pasqual. q.* 1114. *num. 2.*

1233. Contra Regulares vero lata est pœna priuationis officiorum, & inhabilitatis in posterum, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda absque alia declaratione. An vero hæc pœna itanm ipso facto obliget in conscientia, pendet à resolutione quæstionis vniuersalis. An pœnæ non medicinales, sed iudiciales, & merè punitiuæ latæ in odium, & vindictam delicti, & delinquentis obligent in conscientia ad earum executionem ante sententiam iudicis saltem declaratoriam delicti, quam *quaest. tractaui de elect. cap. 25. q. 51. à num.* 605. Et iuxta ibi dicta respondetur, quod hæc pœna priuationis officiorum, vocis vtriusq; & inhabilitatis incurritur ipso facto quantum ad quamdam priuationem dominij, seu infirmitatem eius, sed non quantum ad executionem. Vnde delinquens remanet possessor officiorum, & vocis, & inhabilitatis donec per sententiam saltem declaretur commisisse, *Tambur. l. 3. cap. 1. §. 8. num. 4. Pasqualig. q.* 1113. Clausula autem absque declaratione facit, vt retrotrahatur pœna ad diẽ commissi criminis, & quod non sit necessaria sententia ad incurrendam pœnam, sed bene cum hoc stat, quod sit necessaria ad eius executionem, & ad priuandum prætensum reum possessione suorum bonorum, & famæ.

1234. Cũ vero neq; hæc pœna sit Papæ reseruata, remanet in dispositione iuris communis. Et cum hoc delictum sine dubio sit in numero eorum, quæ sunt minora adulterio, ideo iuxta probata à me *de elec. c. 18. q. 2. num. 13. & seqq.* Ordinarius cum suis subditis potest dispensare, iuxta *cap. Et si Clerici §. de adulterijs, de Iudic. & Panorm. ibid. & alios.* Et ex consequenti etiam Prælati Regulares habentes iurisdictionem quasi Episcopalem id præstare possunt, iuxta tenorem concessionis, & declarationis Pij V. in sua *Constit.* 132. Sed præterea etiam facultate priuilegiorum, Prælati Regulares in hac pœna dispensare possunt, iuxta probata vbi supra. Quod & aduertit *Pasqual. q. 1112. num. 6. Vbi num. 7.* bene monet, quod Confessores nec in foro conscientiæ super his pœnis dispensare valent, quia pœnę huiusmodi non possunt tolli per simplicem absolutionem, illis vero non competit facultas dispensandi.

SVMMARIVM.

1 *Secundum decreta non comprehenditur onus ad 40. vel 50. annos. num.* 1235.
2 *Et tamen emolumentum debet impleri. num.* 1235.
3 *Nec potest consumi sine licentia sedis Apostolicæ. num.* 1236.
4 *Capitale oneris perpetui non potest implicari in censu. num.* 1237.
5 *Quando secundum aliquos incipiat tempus celebrandi ex nouo suscepto onere. num.* 1238.
6 *Ecclesia statim à possessione fundi tenetur celebrare missas, num.* 1239.
7 *Capellanus ex fidelitate officij sui tenetur non negligere exactionem legati. num* 1240.
8 *Si eius negligentia creditum sit inexigibile teneatur ad onus. num.* 1240.
9 *Ecclesia ex iustitia erga Fundatorem non tenetur legatum exigere, vel conseruare, licet non liberetur ab onere missarum si culpa sua perijt. num.* 1241.
10 *Obligatio celebrandi missas incipit non ab acceptatione legati, sed à traditione fundi. num.* 1242.
11 *Si legatum sit soluendum ab hæredibus obligatio celebrandi incipit à tempore quo hæredes se obligant ad soluendum id Ecclesia acceptante. num.* 1243.
12 *Si legata est pecunia obligatio celebrandi incipit ab inuestimento. num.* 1244.
13 *An Capellanus incertus de fructibus percipiendis possit differre celebrationem. num.* 1245.
14 *An sacerdos qui sub promissione stipendij promisit missam, ob incertitudinem stipendij possit differre celebrationem.* 1246.
15 *Qualiter inuestienda pecunia, quæ est capitale. num.* 1247.
16 *Non potest interim exponi negotiationi. num.* 1247.
17 *Successor quid teneatur facere si prædecessor non non inuestiuit Capitale missarum. num.* 1248.
18 *Successor quando teneatur ad onus missarum etiam si capitale non sit inuestitum. num.* 1249.
19 *Prælatus sua culpa non præiudicat Ecclesiæ. num.* 1249.
20 *Si capitale perijt culpa Ecclesiæ debet ex fructibus aliud capitale colligere. num.* 1249.
21 *Si sit legata pecunia in magna summa tota debet inuestiri. num.* 1250.
22 *Quid vbi legatum pingue sit factum in commo-*

dum

dum legatarij. num. 1251.

23 *Ex eo quod legatum sit pingue non potest colligi, quod excessus sit donatus.* num. 1252.

24 *Episcopi est numerum missarum determinare, si non est determinatum.* num. 1253.

25 *Pecunia magna regulariter relinqui solet pro onere perpetuo.* num. 1254.

26 *Nisi constet testatorem partem legati perpetui donasse legatario absolute est inuestiendũ.* nu. 1255.

1235. SVnt quoq; consideranda plura circa alteram partem decreti, & quidem primo, quod cum in eo sit sermo de oneribus perpetuis, sub eo non comprehenduntur onera missarum per triginta, quadraginta, aut quinquaginta annos. *Lez. v. missa. n. 37. ex Bord. resol. 25. n. 36.* Imo *Tambur. l. 3. cap. 1. §. 6. n. 16.* hoc extendit etiam ad onus centum annorum. Vbi tamen addit quod ex alio capite poterunt legatarij, vel executores astringi, vt tale capitale fructuosè inuestiant. Sed tempus centum annorum puto tanquam perpetuum esse habendum. Verum ex natura rei pecunia pro tali onere data debet inuestiri, alias enim de facili contingeret, quod successores nollent subesse oneri missarum. Et hoc nedum est verum, vbi obligatus ad missas celebrandas facit fructus suos, vnde non potest præsens Rector Ecclesiæ in præiudicium successorum consumere capitale missarum in futurum celebrandarum: sed etiam in monasterijs Regularium in quibus fructus sunt monasterij non vero Rectoris, seu Præsidentis: nihilominus si augetur onus pro tempore futuro, debet etiam fieri, vt sustentatio pro onere in futurum duret: Et ideo nisi alias monasterium sit valde diues, & potens succumbere oneri, & nisi adsit præsentanea aliqua vrgens valde necessitas, cui non possit aliter succurri, non poterit tale capitale consumi. Et adhuc necessitate vrgẽte, id fieri nõ poterit sine Capituli consensu, & imo sine consensu Sedis Apostolicæ, quia talis pecunia ex natura rei implicanda in aliquo stabili, seu fundo fructifero numeranda est inter bona immobilia, vel mobilia pretiosa. Cæterum si onus missarum sit ad tantum tempus, vt merito æquiparari possit moraliter tempori perpetuo, censendum est onus perpetuum.

1236. Secundo aduertendum quod licet per capitale oneris perpetui sit de nouo emendus aliquis fundus fructifer, quoniam hoc importat verbum inuestire, nihilominus quod ex vi decreti S. Cong. non sit prohibitum reficere, aut restaurare proprietatem aliquam monasterij puta aliquam domum, vel vineam, ita quod ex hoc recipiantur annui fructus respondentes oneri imposito, quoniam hoc est quoddam genus inuestimenti *ex eod. Bordan. num. 34.* dixit idem *Lezana num. 37.* Vbi addit, quod non licet consumere in alia vtilitate monasterij huiusmodi capitale, quia hoc non est inuestire; nam inuestire in re fructifera importat, de nouo emere, & acquirere rem fructiferam, & hoc etiam probauit *Pasqual. quæst. 1072.* Subdit quoq; quod ex eodem Capitali non potest redimi census, quia hoc esset soluere debitum non vero acquirere nouum immobile fructiferum. Nisi census esset fundatus in bono immobili, quia tunc redemptio talis census esset virtualis quædam acquisitio boni immobilis fructiferi, quia monasterio accrescerunt fructus, quos monasterium soluebat pro censu. *Tambur. autem l. 3. cap. 1. §. 6. n. 8. & sequent.* arbitratur, quod capitale missarum possit implicari in emptione census, quod & tenet *Pasqual. quæst. 107.* quia sit fundus fructum perpetuum ferens: & in redemptione census, quia tunc Ecclesia acquirit redditum annuũ, quem pro censu soluebat; Idem habet *Pasq. quæ. 1060.* si adsit necessitas; non tamen in bona immobilia eiusdem Ecclesiæ, quia Ecclesia sic nihil noui acquirit, quod valeat pro sustinendo nouo onere missarum. Item potest idem capitale implicari in soluendo partẽ prędij residuũ, quia tunc pars prædij censetur emi. Idem *Pasqual. quæst. 1069.* Itẽ pro redimendo prædio aliquo vendito ab Ecclesia sub pacto retrouenditionis. Quod tamen ait intelligendum, vt redemptio fiat sine periculo euictionis, & damno legati, vnde nec in prædio retrouendito, nec in alio licet implicare capitale missarum, si prædium sit alijs hypothecis aut obligationibus affectũ, vt sit periculum quod per anteriores creditores euincatur cum damno legati missarum. Non tamen idem capitale potest implicari in fabricanda parte conuentus.

1237. Verum ego circa prædicta considero quod capitale datum pro onere missæ perpetuæ sustinendo (etiam si consistat in pecunia) est bonum immobile, quia est in bono immobili fructifero inuestiendum, ideo non potest alienari sine beneplacito Apostolico, ideo de hoc consulenda sunt quæ dixi supra *q. 185. a. 7. n. 437. & 438. pag. 314.* Nam & est considerandum quod licet census non videatur bonum immobile, & satis de facili pereat, habetur tamen vt immobile de iure Canonico, Et nihilominus quod capitale oneris missæ perpetuæ non debeat implicari in emptione census, nisi in casu necessitatis in quo nec de præsenti possit, nec sit spes, quod in proximo poterit in alio meliori stabili implicari, & census moraliter sit securus. Qualis censetur census emptus à loco pio dixit *Lezana d. n. 37.* Sed dico quod sine licentia S. Congr. non potest Capitale oneris perpetui missarum implicari in emptione census iuxta dicta, & allegata supra *d. q. 185. a. 7. n. 438. pag. 315.* Itaq; hic duo consideranda sunt scilicet quod capitale implicetur, & quod implicetur sine speciali beneplacito Sedis Apostolicæ. Nam ad hoc vt dictum Capitale implicetur in emendis fundis immobilibus fructiferis vt prædijs, vineis, oliuetis, molendinis, domibus, &c. non est necessaria alia specialis licentia. Quod & verum puto si Ecclesia emit fundum, & non soluit illius pretium, vt possit illud soluere per capitale missarum, quia vere hoc est emere fundum stabile fructiferum, sicut etiam in redimendo prædio, aut simili fundo sine tamen periculo euictionis. Sed minime per missarum capitale potest emi census, quia cum census sit redimibilis hoc non potest fieri sine præiudicio legati, quia si redimatur, sequetur quod dum interim pecunia reddita manet mortua, & non implicata, vel Ecclesia tenebitur ad missas sine fructu, vel testator manebit priuatus fructu missarum. Quod etiam S. Cong. declarauerit, quod si contingat alienari bona immobilia subiecta oneri missarum, quod reinuestimentum non possit

possit

possit fieri in censibus relert *Nicol. tit. de celebrat. missar. num. 13. 1651. Minervino 5. septem.* Imo nullum relinquendum 1646. 13. Iul. Nisi ita testator disposuerit *S. Cong. Concil. 30. Maij 1617. in Tyranen.* Indè est, quod capitale missarum non potest implicari in emendo aliquid cum pacto affrancandi, seu retrovendendi, quia sic emptum non est stabile, & immobile perpetuum, & talis emptio subiecta est periculo, vt iterum capitale remaneat apud Ecclesiam per tempus infructiferū, vnde prædictum Inconueniens sequatur, vt vel Ecclesia pro eo tempore teneatur ad missas sine emolumento, vel fundator maneat sine missis, & missarum fructu. In redemptione etiam census missarum capitale non potest implicari; tum quia hæc redemptio habet speciem solutionis debiti, pro qua non licet alienari capitale, iuxta Decretū *S. Congr. Reg. 10. Maij 1619.* Tum quia regularibus Ecclesijs conceditur facultas vendendi census sub conditione vt ex fructibus illi redimantur. In bonificandis verò bonis immobilibus fructiferis, vt in plantanda vinea, aut oliueto, aut in amplificanda domo, quæ solet locari, videtur quod possit implicari capitale missarum, quia huiusmodi censentur bona immobilia fructifera, & perpetua. Nedum enim fundus, sed arbores sunt res stabiles fructiferæ. Debet tamen semper constare de inuestimento, vt appareat super quo onus missarum sit fundatum. Et si contingat vnquam illud alienari reinuestiatur omnino in alio simili fundo fructifero, & immobili. In ædificanda tamen parte Conuentus, vel propriæ habitationis non licet implicare capitale missarum, vt loco citato probatum est, & benè tradit *Tambur.* quia tunc Ecclesia ex eo capitali non reciperet fructum in sustentamentum sacerdotis celebrantis missam, vnde capitale non implicaretur eo modo, quo vult Sac. Congregatio nimirum, vt ex eius fructu sustentetur, qui missam celebrat. Ideò hoc fieri non posset inconsulta sede Apostolica *Bordon. res. 15. n. 34. Lezana v. missa num. 27. Tambur. l. 2. c. 1. §. 6. num. 14. Pasqual. quæst. 1073. num. 2.* Difficultatem facit *Pasqual. qu. 1071.* de Molendinis, quæ non sunt erecta in ripa fluminis, sed quæ sūt fabricata super nauibus existentibus in flumine, quia hæc videtur esse bona mobilia: cum possint moueri de loco ad locum, sed benè respondet ea habenda esse pro immobilibus, quia per accidens est, quod sint super flumine, & in flumine certum situm habent, & firmantur super aquas immobiliter, quia semper continentur intra eundem situm, & idem flumen, & ideò pecunia, quæ est capitale missarum potest inuestiri in tali Molendino.

1238. Tertiò considerandum est, quando incipiat obligatio celebrandi dum onus perpetuū suscipitur, & an liceat differre missarum celebrationem vsque quo recipiantur fructus Beneficij, vel legati. *Tamburin. l. 3. cap. 1. §. 9. num. 13. & Pasqual. qu. 981.* benè in hac parte distinguunt inter Beneficiatum, & Capellanum, qui habet Capellaniam collatiuam, & simplicem legatarium. Nam Beneficiatus sicut ex vi tituli habet ius ad percipiendos fructus, ita ex vi tituli obligatur ad missas celebrandas; ex vi enim tituli fit administrator bonorum beneficij, & eorum vsufructuarius, & ideo etiam est obligatus ad functiones beneficiales. Sic videmus, quod Episcopi, Abbates, Parochi, & similes statim ab accepta tituli possessione ad functiones suas obligantur, licet fructus beneficiorum non possint colligi, nisi in futuris temporibus æstatis, vel autumni, vt inter alios aduertit *Paris. lib. 1. de resig. q. 9. num. 15.* Non militat verò hoc vniuersaliter de legatario, qui beneficij alicuius titulum non possidet. Et nihilominus DD. præfati distinguunt, quia vel legatario assignatur fundus aliquis fructifer, & à legatario acceptatur, & in hoc casu legatarius statim à possessione fundi tenetur missas celebrare iuxta obligationem sibi impositam; quia iam possidet fundum fructiferum à se acceptatum, & ex hoc consensit in dilationem percipiendi fructus ex quo acceptauit fundum, qui non nisi tempore suo fructus reddit, & moraliter ratio censetur habere fructus, qui fructiferum fundum possidet. Si autem legatario nullus fundus datur, nihilominus, si solutio legati, seu stipendij missarum sit moraliter certa, tenetur legatarius statim ab initio incipere celebrare missas iuxta obligationem impositam, & acceptatam; quia vbi solutio est moraliter certa haberi debet in consideratione iuxta *l. quemadmodum §. si vacca ff. ad l. aquil. & l. 1. ff. de in lit. iur.* & propterea considerari potest tanquam præsens in ordine ad excitandam obligationem iuxta *leg. 15. §. final. de re iudic. vbi fulg. & leg. vestimentarum ff. de auro, & argento legat. & leg. ligat §. 10. ff. de legat. 3.* & notant *Bartolus, & Baldus in leg. penultim. ff. de testament. milit. & Surdus consil. 195. num. 102.* & nihilominus addit *Pasqual.* quod etiam in hoc casu legatarius poterit statim ab initio petere solutionem legati præsertim si indigeat sustentamēto, & protestari, quod non sit celebraturus missas, nisi ei soluatur legatum, quo præmisso non tenebitur celebrare nisi soluatur legatum, quia obligatio celebrandi est correspectiua ad solutionem legati, & quod debetur pro alimento non debet deferri, solutio autem legati debetur in sustentamentum legatarij celebrantis. Sed si solutio legati non sit certa moraliter, conueniūt dicti DD, (licet Tambur. non omninò asseritiue) in hoc quod est non teneri legatarium ad celebrandas missas, donec recipiat legatum, quia non est æquum, vt quis cogatur subire certum onus propter incertum emolumentum. Et acceptatio legati sub onere missarum non cogit vt legatarius subeat onus vbi saltem solutio legati infuturum nō sit certa. Distinguuntur verò, quia *Pasqual.* vult, quod legatarius non debeat interpellare eum, qui tenetur soluere legatum, quia licet mora non contrahatur sine interpellatione *l. mora ff. de vsur. l. si insula v. ff. de verb. obligat.* Hoc tamen non verificatur de legatis missarum, quæ statim ab initio anni solui debent, vnde dies interpellat pro homine *l. magnam C. de contrahen. & comit. stipul.* & ideò sufficit, quod debitur legati sit in culpa, & ideò reprehendit *Tambur.* qui voluit legatarium teneri ad faciendum moralem diligentiā pro legato recuperando. Verum idem *Pasqual. lg. quæst. 1066.* existimat, quod eo ipso, quod legatarius acceptat legatum pro missis, suscipit in se onus recuperandi legatum. & cum sit annexum ipsi onus, tenetur alteri in cuius fauorem onus est ad

implen-

implendum, sed etiam ad recuperandum legatum pro statuendo fundo eiusdem oneris. Ex quo fit, quod si negligens sit, & interim debitores fiant inhabiles ad soluendum totum debitum inde sequens imputabitur ipsi *l. si tutor constitutus ff. de administ. ver. ad ciuit. part.* & *l. Nomina C. Arbitrut.* Negligentia enim cuiq; imputatur. *cap. si bos de iniur.* Subdit tamen legatarium non teneri de negligentia, si curet vrbano modo, & interim debitor fiat inhabilis ad soluendum. arg. *l. quidam liberus. ff. de seruit. vrb. præd.* & *l. debitores C. de pignoribus,* & *l. si bene ff. de vsur.* quia interpellatio extraiudicialis est medium opportunum, & de æquitate, & praxi præmittendum. Nisi adesset suspicio decoctionis, aut alterius periculi, quia tunc oporteret præuenire, alias esset causa alterius damni.

1339. Ego non dubito, quod beneficiatus statim à possessione tituli, tenetur celebrare missas, quas etiam tenetur celebrare legatarius statim a possessione fundi fructiferi sibi tradit. Cæterum hîc distinguendum est, vt plenè satisfiat quæstioni. Nam legatum recipiendum, vel est capitale relictum pro fundo oneris missarum, vel est fructus, & stipendium dandum legatario celebraturo quotannis ab hærede, vel ab alio, cui id mandauit testator. Sæpè enim testatores non relinquunt fundum aliquod Ecclesiæ, sed imponunt hæredibus, vel legatarijs, vt singulis annis tali Ecclesiæ, vel Capellano dent tantam summam pecuniæ, vel alterius rei pro missis dicendis. Qua supposita distinctione pro quæstionis resolutione prius videndum est, an legatarius teneatur recuperare legatum.

1340. In qua quæst. ego pro certo habeo, quod Ecclesiæ Rector, seu Capellanus ex debito, quod habet cum Christo, de cuius patrimonio est legatum relictum, & cum Ecclesia, quæ illi talis legati administrationem contulit, & sic ex debito religiosi officij, quo fungitur, tenetur non negligere recuperationem, seu receptionem legati, quod Christo, & Ecclesiæ in Dei cultum fuit relictum. Pariter non dubito, quod si Ecclesia semel recepit non in promissione, sed in re, capitale oneris missarum, si ex negligentia eius perijt, non cessat missarum onus. Donatarius enim sub modo, & onere recepto semel dono tenetur illud custodire, ita quod non cessat onus, si donatarius rem donatam perire permittat, quia donatarius obligationem subeundi onus contrahit ex eo, quod rem sub onere donatam acceptat. Ideò Ecclesia ex eo, quod sibi traditum est capitale oneris missarum, & ipsa illud accepit, & semel possedit, si illud negligit, & ex eius negligentia illud perit, remanet illi integrum onus missarum, cui satisfacere tenetur. Ex quo tertio non dubito, quod si Capitale oneris missarum consistat in actionibus, & nominibus debitorum, (qui est casus, de quo loquebatur *Pasqual. d. quæst.* 1066. si Ecclesia acceptat pro capitali huiusmodi actiones, & debitorum nomina sibi legitimè tradita, tunc Ecclesia ipsa tenetur exigere debita illa, & si ex eius negligentia fiant inexigibilia non liberatur per hoc ab onere missarum. Quia tunc capitale consistens in illis actionibus, & debitorum nominibus fuit per Ecclesiam ipsam possessum, & donatio traditione rei, & acceptatione Ecclesiæ fuit completa, & capitale factum est Ecclesiæ, donatione vero completa, & tradita re donata sub onere, donatarius subest oneri, à quo non subleuatur ex culpa, & negligentia sua, per quam rem donatam sibi sub onere non custodiuit.

1341. Sed his concessis dicitur nihilominus quarto quod Ecclesiæ ex iustitia erga legantem, seu testatorem, aut impositorem oneris missarum non tenetur legatum vel exigere, vel receptum conseruare, & aliud est, quod teneatur ad onus missarum ex vi promissionis religiosæ à se factæ, & recepto semel capitali super quo fundatur illud onus non deficiat obligatio missarum, si capitale pereat per negligentiam Ecclesiæ, aliud est, quod Ecclesia sit iniusta in fundatorem, si capitale missarum pereat. Primum est verum, sed non est verum secundum, quia donatarius ex iustitia non tenetur donanti ad custodiendum donum; nec iam esset donum, si donatarius ex iustitia teneretur donanti. Legatum autem est donum. Et præcipuè capitale oneris missarum donatur, quia si non donaretur, sed daretur ex pacto, & sub obligatione iustitiæ pro onere missarum esset manifesta simonia. Ecclesia igitur recipiens capitale missarum sibi donatum non obligatur ex iustitia erga donantem. Dicitur propterea quinto, quod aliud est acceptare legatum, & aliud est acceptare capitale oneris missarum. Donatio enim non semper incipit à traditione rei, sed sæpius in liberali promissione consistit dante ius ad rem, non verò rem tradente. Legatum verò factum à testatore donatio est, sed quæ non incipit à traditione rei legatæ, sed quæ consistit in promissione, tali tamen, quæ dat ius ad habendum rem legatam, & taliter, quod hæres ex iustitia tenetur tradere legatario rem legatam. Sed antequam illam tradat legatum promissio est, seu donatio incipiens à promissione, sed non est donatio completa per traditionem. Et sic aliud est Ecclesiam acceptare legatum hoc, & aliud est acceptare rem legatam, seu capitale legatum sub onere missarum. Nam per acceptationem legati acceptatur promissio testatoris, & acquiritur ius ad rem legatã, sed non per hoc habetur, & possidetur, & acceptatur traditio rei legatæ, seu capitalis missarum, quia illud capitale est quidem promissum, seu dispositum in testamento, sed non est traditum de facto. Neq; enim per hoc quod testator reliquit Ecclesiæ mille scuta, Ecclesiæ illa mille scuta sunt de facto tradita, neque Ecclesia habet de facto illa mille scuta, ex quo constituit in legatum mille scutorum. Dicitur propterea sexto quod Ecclesia seu eius Rector, aut Capellanus ex vi præcisa acceptationis legati non tenetur legatum exigere, vel illud recuperare ex aliqua obligatione erga testatorem, & quod si bonum legatum antequam sit traditum Ecclesiæ, & ab ea possessum pereat ipsa ad nihil tenetur ipsi testatori. Dictum est Ecclesiam non teneri ex obligatione erga testatorẽ, quia Ecclesiæ administratores ex officio, quod habent, & obligatione erga Ecclesiam tenentur non negligere Ecclesiæ ius, quod sibi ex vi legati competit, & pariter tenentur non negligere cultum Dei. quod per executionem oneris missarum

impositi in legato augetur. Vnde sine dubio grauiter peccant, & sunt in eorum officio infideles, si præfata negligant. Sed tamen non tenentur ad hæc ex aliqua iustitia erga testatorem (nisi ex obligatione gratitudinis, & honestatis.) Quod probatur, nam donatarius, & maximè donatarius sub onere, non tenetur ex iustitia erga donātem ad procurandum donum sibi promissum, & non traditum. Sed hoc quidem tenetur ex ea virtute, qua tenetur iura sua non negligere, sed non ex obligatione aliqua iustitiæ erga donantem; quia à donante nihil recepit sub obligatione iustitiæ, quia hæc repugnat dono, & donatarius dono accepit ius ad habendum. Non ergo ex hoc obligatur donanti ad procurandum donum. Sed ad donantem spectat donationem suam complere, & per traditionem illam perficere. Ideò interim donatarius nec tenetur ad onus, sub quo donatur, quia donatio non est completa nisi res donata sit tradita, & hoc perficere ad donantem pertinet. Onus verò sub quo res donatur supponit donationē traditione rei donatæ completam, nec ex promissione consurgit, sed ex rei donatæ traditione, quia nec res est donata perfectè nisi sit tradita. Quādo igitur testator disposuit, & legauit Ecclesiæ mille scuta pro capitali vnius missæ quotidianæ, & morte legatum fuit confirmatum, etiamsi Ecclesia legatum acceptet, nulla est in ea obligatio iustitiæ erga testatorem ad exigendum mille scuta. Quid enim accepit à testatore, vt ei obligetur ex iustitia? Adhuc non accepit nisi promissionem mille scutorum, & ius ad illa habenda; sed hoc ius fuit illi donatum; ergo ex eo iure donato Ecclesia non obligatur ex iustitia erga donantem, quia implicat, quod donatio obliget ex iustitia. Sed si testator vult, quod Ecclesia subeat onus à se impositum eius est donationem suam traditione complere. Cæterū Ecclesia antequam habeat mille scuta legata ad onus missæ quotidianæ non tenetur, quia onus missæ non innititur promissioni, sed traditioni, & promissioni satisfacit Ecclesia promittendo celebrare missas, quando sibi capitale fructiferum fuerit collatum. Hinc dico septimo, quod vbi capitale missarum consistit in actionibus, & nominibus debitorum, ex simplici acceptatione legati non consurgit in Ecclesia obligatio recuperandi debita illa, quia & tunc distinguitur legatum, vt est dispositio promissiua, & vt est traditio; Nam necesse est, quod actiones illæ de facto tradantur Ecclesiæ, & quod Ecclesia substituatur, & ponatur in locu testatoris. Nam v.g. si capitale relictum consistat in locis montium, necesse est, quod Ecclesia substituatur testatori, & sibi de facto tradatur scriptura talis, vnde loca possit exigere, nec à montium administratoribus possit reijci. Ex eo verò, quod præcisè Ecclesia acceptet legatum non habet requisita ad exigendum, & in effectu recipiendum, quod ex relicto iure actionis, aut debitorum sibi competit. Et in hoc casu igitur requiritur traditio, quæ tunc fit, quando Ecclesiæ in effectu traditur sufficiens instrumentum, per quod possit in effectu exigere, & recipere, quæ sibi relicta sunt. Et sic non sufficit sola acceptatio legati, sed requiritur acceptatio actualis traditionis, & subrogationis Ecclesiæ in personam testatoris, vt legatum sit donatio traditione perfecta.

1242. Ad quæstionem igitur principalem his præmissis respondendo dicitur octauo, quod vbi pro capitali oneris missarum relinquitur fundus fructifer obligatio celebrandi missas non incipit ab acceptatione legati, sed à traditione fundi. Oppositum huius tenet *Pasqualig. quæst.* 1068. *num.* 2. Et fundatur in hoc, quod vbi Ecclesiæ legatur fundus eius fructus debentur Ecclesiæ à die aditæ hæreditatis. *leg. Herennius ff. de vsur. & leg. quæsitum ff. de acquir. rer. domin. Bal. in leg.* 1. *num.* 2. *ff. de vsur. & vsufr. leg. Aret. in leg. cum res legate not.* 2. *ff. de legat.* 1. *Iaf. ib. nu.* 2. *Ruin cons.* 50. *nu.* 10. *l.* 2. *Soccin, iun. cons.* 182. *num.* 21. *vol.* 2. *Couar. l.* 1. *var. cap.* 9. *num.* 5. *circa fin. Mant. de coniect. vlt. volunt. l* 7. *tit.* 11. *num.* 14. Cum ergo Ecclesia habeat ius percipiendi fructus à die additæ hæreditatis, statim ac acceptat legatum tenetur ad celebrandum. Non dubito, quod Ecclesia non teneatur satisfacere, & celebrare missas ad ratam fructuum sibi debitorum à die aditæ hæreditatis, si illos recipiat, quod est verum etiam si Ecclesia post multum tempus ab adita hæreditate acceptet legatum. Nam cum fructus illi etiam ante acceptationem maturi ad Ecclesiam perueniant sub onere missarum, debet ad illorum ratam missas celebrare. Sed quod Ecclesia teneatur actu celebrare missas sub spe futuræ collectionis emolumenti, & sustentamenti, nisi Ecclesia id voluntariè promiserit non videtur iustum. Est ergo discrimen, quod si res fructifera est tradita, etiamsi fructus pendant in futurum iam Ecclesia habet fundamentum oneris, & illud possidet, & donatio sub onere est completa. Oneris enim fundamentum est fundus fructifer, quod habetur, si sibi est traditus, & Ecclesia illius possessionem accipit: sed antequam Ecclesia possideat fundum non habet ad fructus fundi ius dominij, & in re, sed ius ad rem, seu ius ad habendum in futurum; nisi ergo Ecclesia specialiter ad hoc se obliget, non tenetur ipsa de præsenti celebrare missas ex iure, quod habet, vt in futurum habeat, cum de præsenti, nec habeat fructus, nec fundum, ex quo iure sibi proprio ad libitum tempore suo fructus colligat. Si ergo Ecclesiæ in actu acceptationis legati traditur fundus fructifer, vel in eodem actu ipsa sic acceptat legatum, quod promittit ab eo tempore celebrare missas, tunc obligatio missas celebrandi incipit à die acceptationis legati. Sed si non traditur fundus, nec Ecclesia specialiter se obligat ad portandum onus sub spe futurorum fructuum, & bonorum ex vi talis acceptationis non obligatur ad celebrandum de præsenti, quia onus quod debetur ratione alimentorum, non obligat de presenti pro spe futuri sustentamenti, nisi hoc specialiter promittatur. Nam & onus missarum annexum donationi non obligat nisi ratione donationis completæ, donatio verò non est completa sine traditione. Nec obstat, si dicitur, quod est spes certa habendi fructus, quæ videtur æquiualere possessioni, quia neque spes est possessio, neq; quid æquipollens possessioni; Et punctum est, quod ex vi legati fundamentum oneris non est spes rei in futurum habendæ, sed res habita, quod

enim

enim relictum est sub onere missarum est res ipsa, eiusque dominium, & possessio, non verò rei spes, ideò ad hoc, vt vigeat obligatio, necesse est, vt illud, super quo fundatur onus actu habeatur, licet id postea habeat coniunctam spem fructuum tempore suo. Sic vt Beneficiatus teneatur ad onera necesse est, quod titulum beneficij possideat. Non est verò necesse, quod actu habeat fructus, quia fundamentum oneris est titulus beneficij, & ius administrandi fructus beneficij, cui sufficit, quod fructus sint coniuncti tempore suo. Sic sufficit, quod Capellanus non collatiuus possideat fundum fructiferum, quia super hoc fundo fundatur onus Capellaniæ, cui annexi sunt fructus pro tempore. Antequam igitur Capellano, vel legatario tradatur possessio fundi fructiferi, super quo fundatur onus missæ, non existente fundamento non existit actualis obligatio celebrandi. Quod iure explicatur, quia Ecclesia ad acceptandum legatum non indiget consensu hæredis, potestq; Ecclesia acceptare legatum, etiamsi nullus adierit, vel adire velit hæreditatem, vel etiamsi hæres prætendat legatum esse nullum, & nolit illud soluere, & tunc non tenetur Ecclesia actu celebrare, cum nihil possideat, & legatum non sit executum ex parte testatoris, & fundatoris. Quãdo igitur non est traditus fundus fructifer, licet Ecclesia benefaciet, si inceperit tunc celebrare missas, si fundus licet ab ea non possessus illi fructificat, tamen non tenetur. Imo si fundus tunc nullum actu dedit fructum, quod pertineat ad ius Ecclesiæ legatariæ, ad nihil tenetur Ecclesia, quia fundum non habet, quod obliget, nec fructus extat, qui sit futurus Ecclesiæ, vnde nullum est oneris fundamentum. Qua ratione ergo debet incipere obligatio Ecclesiæ à tempore acceptationis legati, antequam sibi tradatur fundus, si pro eo tempore, nec habet fundum, nec habet, vel habitura est aliquem fructum?

1243. Dicitur nono, quod si legatum sit annuum soluendum ab hæredibus, apud quos manet fundus, & est obligatio hæredis ad soluendum annuum redditum, est fundamentum oneris missarum, obligatio legatarij ad celebrandum missas per se non incipit ab acceptatione legati, sed à tempore, quo hæres suscipit obligationem soluendi annuum redditum, & Ecclesia hanc obligationem actu acceptat. Oppositum huius tenet *Pasqualig. quæst. 1068. num. 1.* quia tunc incipiunt currere fructus Ecclesiæ. Sed assertum probatur quia Ecclesia potest acceptare legatum etiamsi hæres non adierit hæreditatē, & nullus se obligauerit ad soluendum annuum redditum. Et sic quoque distinguitur legatum à possessione, & traditione rei legatæ, & antequam hæres se Ecclesiæ obligauerit, & veluti tradiderit fundamentum oneris, quia vel nondum adiuit hæreditatem, vel prætendit non teneri ad legatum, Ecclesia nihil possidet, & nihil est sibi perfectè donatum, sed donatio adhuc ex parte legantis, seu testatoris est inchoata, & in vianigitur nondum adest fundamentum oneris, & obligationis Ecclesiæ, nec obligatio eius incipit, quæ tunc incipit, quãdo hæres suscipit obligationem soluendi annuum redditum, & hanc Ecclesia acceptat, quod si dentur fructus extantes ante hoc tempus, qui perueniant ad Ecclesiam, cum illos habuerit tenebitur ad illorum ratam celebrare, non tamen ad id tenetur, antequam illos habeat, sicut è contra statim ac hæres se obligauit ad redditũ annuum soluẽdum, & Ecclesia hanc obligationẽ suscepit, tenetur Ecclesia celebrare, etiãsi redditus annuus sit infuturũ post tẽpus, & mẽses soluendus, & in hoc benè sentit *Pasqual.* quia fundamentum oneris non sunt fructus accipiendi, sed obligatio hæredis ad soluendum fructus ab Ecclesia acceptata, & sic est verum, quod legatum annuum correspondet, toti anno ab initio vsque ad finem. *l. in singulos annos. ff. de ann. leg. & l. nec semel iuit. ff. quando dies leg. ced. & l. 1. C. quando dies leg. vel fideicom. ceden.*

1244. Dicitur decimo, quod si legata est pecunia, vel bona mobilia, quæ distrahi debent, & pecunia inuestiri, obligatio Ecclesiæ incipit à die inuestimenti pecuniæ, quando iuxta decreta de celebratione missarum facta est inuestitura in fundo fructifero. *Lezana v. missa num. 37. in fin. Tamburin. l. 3. cap. 1. §. 6. num. 4. Pasqualig. d. quæst. 1068. num. 3.* quia solum à die inuestituræ Ecclesia habet fundum, qui sibi fructificet. Et ex hoc magis confirmantur superius dicta; Nam hinc apertè habetur, quod ad hoc, vt Ecclesia legataria sit obligata celebrare non sufficit ius ad emolumentum futurum, si nihil actu habetur, quod fructificet, vel sit fructiferum. Ideò etiam si Ecclesia receperit pecuniam, illamq; apud ædem sacram deposuerit, quia nihil possidet fructiferum, donec pecunia fuerit inuestita in fundo fructifero, ideò Ecclesia non tenetur celebrare. Sic ergo etiamsi Ecclesiæ legatus fuerit fundus fructifer, antequam Ecclesia illud possideat, non tenetur celebrare. Et licet Ecclesiæ debeantur fructus, si qui extent antecedentes traditionem fundi; Ecclesia ad eorum ratam celebrare tenebitur, sed cum illos habuerit, nisi specialiter ad celebrandum in præsenti sub eorum spe se obligauerit.

1245. His ergo stantibus forsan alicui videbitur, quod distinctio illa de spe certa, vel incerta fructuum non multum conducat ad solutionem difficultatis propositæ, & explicationem veritatis. Nam primo in obligationibus perpetuis, vel Ecclesiæ traditus fuit fundus fructifer, quicumque ille fuerit, & sic Ecclesia illum sub onere missarum acceptauit, vel nullus fundus illi fuit traditus. Si detur hoc secundum Ecclesia obligationem non habet, etiamsi habeat certam spem habendi fundum, & fructus, quia Ecclesia non tenetur celebrare, nec onus perpetuum illam afficit, donec fundamentum oneris sibi traditum fuerit, nisi ipsa specialiter se obligauerit sub spe habendi de futuro. Sed si Ecclesiæ traditus fuit fundus fructifer, & illum acceptauit, tenetur celebrare, nedum si sit dubia spes colligendi fructus, sed etiãsi aliquando sit certa, quod eos non percipiet. Considerandum est enim; quod fundorum fructus subijciuntur multis periculis, & difficultatibus quæ casu contingunt; pruinis enim, grandinibus, nebulis, siccitate nimia, & frigore prædia, vel in totum; vel in parte fructibus priuantur, exactiones quoq; montium, & censuum multis de causis difficiles redduntur, & debitores legatorum quandoq; vel quia vere egestate pressi non possunt, vel

quia auari nolunt; se ad soluendum legata difficiles redduntur; Ecclesia ergo, quæ sub onere missarum huiusmodi fundos recipit, se huiusmodi difficultatibus subijcit; Nam & in humanis contractibus hoc contingit, quod licet exactiones reddantur difficiles, tamen homines illas acceptant, & se obligari ex illarum acceptatione fatentur, Ecclesia igitur non potest se eximere ab onere missarum ex casibus contingentibus, in quibus contingat vel fructus perire, vel non sine magna difficultate colligi, quia cum his defectibus subiectum sub missarum onere recepit. Et eo magis, quod anni steriles per fertiles compensantur. Et quamuis si fundus fiat in perpetuum magis sterilis adeo vt diminuti sint fructus, nec det tantam copiam eorum, quæ sufficiat ad onus missarum ex natura rei cessare videatur obligatio, tamen numerus missarum non potest minui inconsulta S. Congregatione, & quantum spectat ad præsentem *quæst.* constat, quod Ecclesia non potest expectare tempus fructuum ad celebrandum, sed statim ab initio traditionis fundi fructiferi tenetur celebrare, iuxta conditionem oneris suscepti illis diebus pro quibus celebrare promisit. Verum admisso quod ex quo Ecclesia pro fundamento oneris missarum acceptauit fundum natura sua fructificans in determinata parte anni, non possit expectare ad celebrandum tempus fructuum colligendorum, sed statim à traditione fundi teneatur subire onus, & iuxta illud celebrare sub spe colligendorum fructuum, dicitur nihilominus vndecimo quod non tenetur subire onus, & celebrare si spes sit incerta, sed potest differre, & expectare quod fructus recipiat, vt dicti DD. tradiderunt. Ratio huius est, quia sustentamentum celebrantis non datur, nec recipitur ab Ecclesia, vt pretium celebrationi missarum, sed vt alimentum ministri, quod est dicere vt vnum ex instrumentis, & medijs ad finem celebrationis necessarijs. Ideo licet Ecclesia pro fundamento oneris perpetui missarum recipiat fundum, recipit illud ratione fructuum, & sub conditione quod fructus reddat. Nec vnquam Ecclesia promittit, & se obligat ad celebrandum sine alimento, & sustentamento ministri, sicut nec promittit se celebraturam sine calice. Igitur sicut accipit fundum pro fundaméto oneris perpetui sub conditione, quod tempore suo fructificet; ita se obligat ad celebrandum sub spe huius fructificationis si spes sit certa, non vero si sit incerta, quia æquitas non patitur, vt quis subeat onus certum sub incerta spe nutriméti, & sustétaméti. Nec virtus Religionis, aut religiosi officij, quod gerit sacerdos obligat illum ad hoc vt teneatur celebrare sine sustentamento, sed imo ex eadem virtute religionis celebranti debetur sustentamentum, & alimentum. Ideo Ecclesiæ, seu sacerdotis promissio non aliter potest intelligi, quam vt sit conditionata intime, & intrinsece, & ita quod Ecclesia promittat subire onus missarum sub conditione alimenti seu modo alimenti, & sustentamenti, & acceptet fundum sed sub conditione, seu modo quod fructificet, seu quod suo tempore sit fructificaturus, & ideo quod non se obliget ad subeũdum onus sub incerta spe fructus. Nec obstat, quod fundus in fructificando sit fallibilis, & quod collectio fructuum habeat adiunctas difficultates, & quod ex quo Ecclesia accepit pro fundamento oneris fundum fallibilem, videatur quod se obligauerit ad onus etiam si contingat quod fundus non det fructus, vel quod non det nisi cum difficultate, & labore, & post tempus determinatum. Nam hoc non sequitur, quia Ecclesia quæ non recepit fundum vt pretium celebrationis, sed vt præbeat celebranti alimentum, quod est medium necessarium ad celebrationem, non recepit illud nisi sub ratione quod fructificet, & alimentum præbeat, & sub spe certa alimenti ab eo præstandi. Et si natura ipsa fundi sit talis, vt petat culturam Ecclesiæ ad hoc vt fructificet, aut laborem, & diligentiam, Ecclesia recipiens talem fundum se obligauit quidẽ ad culturam, & diligentiam ex parte sui necessariam ad hoc vt fructificet, & ex consequenti ad hoc vt sterilitas, vel diminutio, aut non consecutio fructuum illam non excuset ab onere, si ex culpa sua sit, quod fundus acceptatus non fructificet. Non tamen se obligauit ad subeundum onus, si fundus sine Ecclesiæ culpa non fructificet, seu si Ecclesia fructus non recipiat, nulla existente in ea culpa quæ sit causa cessationis fructuum. Ideo si sine sua culpa etiam temporaliter diminuuntur fructus, Ecclesia pro rata diminutionis non tenetur ad celebrandum. Et quod non sit in potestate Capellanorum, vel Ecclesiarum particularium diminuere numerum missarum reducendo obligationem celebrandi ad minorem numerum, sed sit necesse consulere S. Congregat. hoc est verum, quia Sedes Apostolica ad vitandas fraudes, & reductiones iniustas, sibi reductionem missarum reseruauit; Ex natura rei tamen diminutis fructibus, onus ipsum est diminutum, nec Ecclesia tenetur subire onus, si non percipit celebrantium alimentum. Vnde quando non sumus in casu diminutionis numeri missarum, sed dilationis celebrationis, si non est spes certa sed dubia recipiẽdi fructus Ecclesia tenetur quidem adhibere diligentiam ad se spectantem, vt fructus colligat, interim tamen potest differre donec, vel eosdem fructus recipiat, vel sit certa, quod illos recipiet. De missis autem manualibus loquendo idem *Pasqualig. q. 917. post Tambur. l. 3. c. 1. §. 9. num. 12.* eodem modo existimat, quod si alicui commendantur missæ sub promissione stipẽdij sacerdos teneatur statim celebrare si est certus moraliter de solutione stipendij, secus si non sit certus, quia tunc potest differre donec, vel recipiat stipendium, vel sit de eo certus. Sed si sub spe incerta promisit non video quomodo possit excusari, vt promissum non seruet: & eo magis, quod hoc potest cedere in præiudicium tertij innocentis nimirum eorum pro quibus missæ celebrari debẽt, & maxime si ex aliqua commẽdantis obligatione celebrari deberent, vt ex hæreditate. Si igitur sacerdos sub spe, quam sciebat incertam, promisit missas celebrare, tenebitur promissioni suæ satisfacere. Sed & absolute loquendo habetur difficultas, primo si missæ commendatæ sint pro præsẽti necessitate, quia potest esse, quod qui missas commendauit si quando postea dat stipendium sciret missas non fuisse celebratas, nec daret stipendium, nec vellet eas amplius celebrari, cum iam occasio præterierit propter quam eas commendauerat. Igitur tunc sacerdos non potest sti-

pendium recipere, quia id facere non potest pro missis celebratis, quia eas non celebrauit, nec pro missis celebrandis, quia dans stipendium non dat illud pro celebrandis, & forsan imo non daret si sciret missas non fuisse celebratas; & antequam laicus dederit Ecclesiæ stipendium est in libertate vt illud det, vel non det pro missa celebranda. Nec obstat si dicatur, quod sibi imputare debet, qui missas commendauit non dato stipendio. Quia esto sibi imputare debeat, quod missæ non sint celebratæ, non tamen cogitur curare, vt in futurum celebrentur, si non sunt celebratæ, sed hoc suæ libertatis est, & ideo dum dat stipendium pro missa vt celebrata, non potest accipi pro missa vt celebranda, cum bene possit esse, quod si sciret missam non fuisse celebratam, non daret pro celebrãda. & hoc præsumi potius debet, quando missæ celebrari debent pro occasione quæ iam præterijt. Dicendum igitur est, quod vel missæ commendatæ, & promissæ sub spe futuri stipendij sunt affixæ tempori, vel non: si sunt affixæ tempori, vt quia celebrandæ sint pro instanti necessitate, vel ad cultum alicuius Sancti in die festo illius, vel pro cõmoditate populi in aliquo die determinato, sacerdos qui promisit missas celebrare, vel debet admonere in tempore congruo commendantem, vt possit alteri sacerdoti missas commendare, vel tenetur missas celebrare, quas promisit, & si omittat non potest postea, cum ille qui commendauerat missas dabit stipendium illud recipere, quia non licet stipendium, quod datur ex suppositione, quod missæ sint celebratæ in die aliqua præterita, & determinata, & petita recipere pro missis celebrandis, quia hoc non est secundum intentionem dantis, qui etiam forsan pro celebrandis non daret, si sciret missas tempore à se petito non fuisse celebratas; sic enim potius præsumi debet. Si vero missæ commendatæ non sunt affixæ diei, nec pro certo tempore fuerunt promissæ, in eo casu sacerdos poterit expectare vt celebret nedum tantum quantum posset, si stipendium accepisset, sed etiam aliquid amplius ob incertitudinem recuperandi stipendium. Et si sacerdos fuit deceptus, quia non promisisset missas sub spe stipendij, si sciuisset, quod se exponebat periculo non obtinendi stipendium, nisi cum magna difficultate forsan, aut cum stipendio litis, poterit expectare, quod stipendium recipiat, vel sit certus de illo. Quia in hoc casu supponitur, quod missæ non sint affixæ diei, & consequenter, quod qui eas commisit nec habeat obligationem curandi vt missæ, quam citius celebrentur, & ita celebratio, differri potest, vnde pro spe incerta, non tenetur sacerdos anticipare, vel sollicitare celebrationem, quam non promisisset, si periculum non obtinendi stipendiũ cognouisset. Et nihilominus mihi semper est dubium, an sacerdos possit stipendium quod datur ex suppositione quod missæ sint celebratæ accipere pro celebrandis, quia hoc non est secundum dantis intentionem, & potest esse quod non daret, si sciret missas non fuisse celebratas. Ideo in missis manualibus, si sacerdos promittit sub spe stipendij missas, securius est, quod illas promissis. Et sic in proposito duo hic attendi debent: Nam aliud est, quod sacerdos non teneatur celebrare, sed possit differre: & hoc potest licere vbi missæ nõ sint affixæ tempori, & vbi dilatio non sit perniciosa. Aliud est, quod si sacerdos distulit possit postea sacerdos stipendium quod dabitur ex suppositione quod missæ sint celebratæ recipere pro missis non celebratis, sed celebrandis, & hoc certe de se est contra intentionem dantis, & est periculum iniustitiæ scilicet recipiendi, & retinendi alienum inuito domino, nisi aliunde colligatur mentem commendantis missas esse, vt missæ celebrentur, si non sunt celebratæ.

1246. Dicta igitur, & probata colligendo dicitur quod si pro capitali oneris missarum Ecclesię datur immobile fructiferum obligatio celebrandi cum effectu incipit ab hora traditionis, & acceptationis eiusdem rei, quæ ex tunc Ecclesiæ fructificat. Sed si detur pecunia, quia hæc non fructificat, nec incipiet fructum ferre, nisi quando ex ea fuerit emptus fundus fructifer, ideo onus actualis celebrationis missarum non incipit nisi à die in quo ex ea pecunia acquisitus fuerit fundus, vel acquiri potuisset, si Ecclesia non fuisset culpabiliter negligens in acquirendo; *Tambur. l. 3. cap. 5. §. 6. num. 4.* vnde dum interim sine culpa Ecclesiæ manet in deposito non implicata, Ecclesia non tenetur ad missæ celebrationem. Et si in hoc deficit missarum fructus, sibi imputet ille, qui non dedit fundum fructiferum sed pecuniam infructiferam. Ita *Lezana d. num. 37.* Qui vero est in culpa ne cito pecunia inuestiatur, cum ad id teneatur, & peccat, & ad reddendum indemnem testatorem tenetur. *Tambur. d. n. 4.* Tempus vero ad inuestiendum capitale est illud primum in quo inuenitur commoditas id faciendi legitime; Vnde Ecclesia vel is, ad quem hoc pertinet non debet esse negligens, quia tunc esset in culpa, & ad missas celebrandas teneretur ac si pro tunc percepisset fructus. Diligentia vero necessaria est moralis, & qualis in similibus arbitrio prudentis adhibetur. *Tambur. num. 15.* Interim vero, quod expectatur tempus implicandi hoc capitale missarum illud debet statim (id vero statim dicitur fieri in proposito, quod fit intra triduum. *l. fin. C. de error. Aduoc. & l. fin. C. de iudicijs*) deponi apud ædem sacram, nimirum in loco monasterij, aut Ecclesiæ, in quo similia deponi, & custodiri solent, vel apud personã idoneã. Addit vero *Pasq. quæst. 1065.* quod vbi ad legatarium spectet inuestire hoc capitale, quod in dubio non præsumetur neligens, quia agitur de eius interesse; at vero in facto proprio nemo præsumitur negligens *l. regula. §. 1. ff. de fact. & iur. ignor. cap. Ad audientiam, de præscrip. cap. Deputati, de Appel. Rota dec. 52. p. 3. sex. dec. 26. num. 7. p. 4. recent.* Subdit etiam *num. 5.* quod interim dum expectatur tempus inuestiendi pecunia potest exponi alicui licito lucro, nec pro retrahenda pecunia esset necessaria licentia Apostolica, quia illa pecunia non esset inuestita prout vult S. Cong. sed solum per modum prouisionis, & pro interim. In quo tamen negotio multa prudentia opus esset, ne pecunia exponeretur periculo, vnde deberet prius bene examinari persona, aliter exponens pecuniam grauiter peccaret ratione negligentiæ. Si tamen negotiatur esset communi opinione persona idonea, cessaret necessitas informationis, quia communis opinio de idoneitate alicuius facit eum præsumi idoneum. Sed ego considero, ex

supra

supra probatis, quod Ecclesiasticis non licet negotiari neque per alium, & amplius aduerto, quod ex vi Decreti Vrbani VIII. pecunia debet deponi apud ædem sacram, vel apud personam idoneam, vnde non licet pecuniam hanc exponere negotiationi, sed debet deponi, & custodiri.

1248. Ad huiusmodi vero decreta obseruanda tenentur superiores, qui onera missarum suscipere volunt. Sed tenentur etiam successores, sub eisdem pœnis tunc, cum res non obseruata per antecessores, potest ab eis obseruari. Ideo si antecessor nõ deposuit pecuniam apud ædem sacram; si non abstulit capsulam eleemosynarum pro missis ab Ecclesia; si non fecit celebrari missas ea stipendio iuxta volũtatem illas exposcentium, & iuxta decreta ista, successor id facare tenetur. Sed si prædecessor consumpsit in alios vsus pecuniam habitam pro onere missarum celebrandarum, debet quidem successor facere quod sibi est possibile, vt eandem summam habeat, quia quantum est possibile tenetur implere voluntates fundatorum non impletas, sed si illa pecunia ob monasterij paupertatem non potest haberi, vel si prædecessor implicauit eam non seruatis seruandis, vel suscepit onus sine licentia, vel suscepit missas, quas nunc nullo modo satisfieri possibile est, ad nihil tenetur successor, quia ista mala sunt irreparabilia. *Tambur. l. 3. c. 1. §. 12. num. 9.*

1249. Nihilominus tamen in hoc bene distinguit *Pasqual. q. 1064.* Si enim à prædecessore consumptum est capitale missarum, vel fuit conuersum in vtilitatem monasterij seu Ecclesiæ, vel non. Si fuit conuersum in vtilitatem monasterij, vel Ecclesiæ, vt si pecunia conuersa fuit in fabricam monasterij, vel ornamenta Ecclesiæ, &c. Successor tenetur ad missas celebrandas. Et ad hoc vt capitale dicatur conuersum in vtilitatem monasterij sufficit, quod quomodocumq; cesserit in eius vtilitatem, & quod monasterium factum sit locupletius, vt si Capitale fuit consumptum in solutione debitorũ. Si vero capitale non fuit conuersum in vtilitatem Ecclesiæ seu monasterij *Pasqualig.* absoluta respondet, quod successor non tenetur ad celebrationem missarum, quia tunc ad monasterium non peruenit nec capitale in se, nec in aliquo fuit locupletatum, vnde nihil habet emolumenti, vnde teneatur ad onus missarum. Tũ quia si absq; culpa Ecclesiæ pereat fundus, Ecclesia ad onera missarum non tenetur *Perez de Lara de Anniuer. l. 1. cap. 15. num. 8. Tambur. l. 3. c. 1. §. 3. num. 89.* In hoc vero casu Capitale non peruenit ad monasterium, sed in totum perijt sine eius culpa. Nec obstat quod capitale perierit ex culpa prædecessoris; quia prædecessor non potest præiudicare successoribus, quia agere non potest, nisi quæ Ecclesiæ sunt vtilia. Contra prædecessorem tamen poterit institui actio, & cogi ad resarciendum damnum. Verum distinctione opus est in hac parte. Nam etiam si capitale non sit conuersum in vtilitatem monasterij, vel Ecclesiæ potest tamen esse, quod inutiliter, seu in alterius vtilitatem consumptum fuerit ex negligentia, vel culpa monasterij, seu Ecclesiæ. In quo casu monasterium, seu Ecclesia tenebitur ad onus missarum, & successor ad duo erit obligatus, nimirum primo ad subeundum onus missarum, quia monasterium vere, si capitale pro onere perijt, culpa eius perijt. Secundo tenebitur successor, vt si fieri possit, ex bonis monasterij, nimirum ex fructibus tantam summam colligat quæ adæquet capitale consumptum, & illud implicet in fundo fructifero. Neque enim vel Prælatus, vel monasterium ipsum potest onus missarum fundare super alio bono immobili monasterij, quia cum huius oneris impositio, sit quædam alienatio, non potest fieri inconsulta Sede Apostolica, Et ideo monasterium tenetur ex fructibus restituere quod culpa sua perijt, & illud implicare in fundo fructifero. Vbi vero capitale oneris missarum consumptum fuit non in vtilitatem, & sine culpa monasterij, seu Ecclesiæ ex culpa prædecessoris vel alterius; Quia præiudicare non potest, nec illa tenetur ex culpa sui Rectoris, ideo tunc nec Ecclesia nec successor tenetur ad missas celebrandas, quia deest fundamentum oneris missarum, quod non fuit implicatum in fundo fructifero sine sua culpa; At verò Ecclesia non tenetur ad onus missarum, donec pecunia fuerit inuestita in fundo fructifero. Et nihilominus tunc successor tenebitur ex officio suo facere quod potest, vt ab eo, cuius culpa capitale perijt illud recuperet, vel ab eius hæredibus, & recuperatum implicare in fundo fructifero. Quando verò capitale dici possit consumptum in vtilitatem Ecclesiæ, haberi potest ex traditis supra *q. 185. a. 7. à n. 293. pag. 278.*

1250. Est verò vlterius obseruandum, quod si testator reliquit pecuniam in magna quantitate, & longe maiori, quam sit consueta sub onere missæ, vel missarum, non sufficit inuestire in fundo fructifero partem illius, quæ secundum ordinarium cursum sufficit, sed necesse est inuestire eam, quæ legata fuit *Pasqual. quæst. 1067.* nam tota fuit relicta sub onere missarum, ideò si non acceptaretur onus, nihil pecuniæ illius remaneret legatario, sed careret toto legato. Sicut si testator legasset fructum decem mille aureorum soluendum ab hærede, pro vnica missa, si legatarius missam nollet celebrare, hæres nihil soluere teneretur. Nam, & testator censendus est pinguius capitale missarum reliquisse, vt securior sit obligatio celebrandi missas, & vt casu, quo capitale, seu fundus pereat pro parte remaneat integra obligatio ratione illius, quod remanet sufficiens pro oneris sustentamento. Totum igitur, quod relictum fuit sub onere missarum, tantùm quantum est debet inuestiri in fundo fructifero. Et debet hoc exprimi in inuestitura. Et casu quo non fuerit hoc expressum, sed ex parte pecuniæ legati fuerit emptus fundus aliquis fructifer tenentur successores hoc cognito expressè declarare; quod ille fundus est sub onere missarum imposito a tali testatore. Et si dictæ pecuniæ pars fuerit consumpta *Pasqualig. nu. 8.* inquit, quod Ecclesia debet subijcere oneri missarum æquiualentia bona, & hoc pacto suplere. Sed verum quidẽ est, quod debet assecurari onus missarum super aliquo fundo fructifero, vt tota pecunia legata sit inuestita in fundo simili; sed sine beneplacito Apostolico non potest Ecclesia subijcere aliquod suum bonum immobile liberum oneri missarum, quia hæc esset quædam datio in solutum, quæ est species alienationis. Ideo debet Ecclesia iuxta dicta *num. sup.* ex fructi-

bus si potest inuestituram facere, vel ad sedem Apostolicam recurrere, vt possit aliud bonum immobile subijcere. Et in casu quod pars inuestita à se periret, non liberaretur Ecclesia ab onere missarum, quia adhuc remaneret alia pars vel inuestita, vel quæ inuestiri debuisset, & quæ esset sufficiens fundamentum oneris.

1251. Sed quid dicendum, & quid inuestiendum, quando testator relinquit Ecclesiæ legatum pingue principaliter ad fauorem Ecclesiæ, sed cū aliquo onere missarum, veluti appendice, numero earum non expresso? *Pasqual.qu.*2078. arbitratur, quod in hoc casu non habeat locum decretū de celebratione missarum, in quo numerus missarū remittitur determinandus ab Ordinario; quia illud decretum procedit, quando totum legatum est ordinatum ad celebrandas missas, quia tunc numerus missarum debet designari iuxta vires legati habita ratione consuetudinis regionis, vt habetur ex eodem decreto, non autem quando finis legati est commodum legatarij, & onus missarum est solum per modum cuiusdam appēdicis; quia tunc cum legatum non sit pro compensando onere, nec etiam numerus missarum illi respōdere debet. Dicit verò secundo, quod dum testator imponit onus missarum per modum appendicis, relinquit voluntati legatarij determinare numerum missarum, quod tamen legatarius debet facere rationabiliter pensatis omnibus circumstantijs quantitatis legati, paupertatis Ecclesiæ, & an sibi testator alia suffragia reliquerit, an intenderit aliquas missas principaliter celebrari in remedium animæ suæ, an verò principaliter in memoriam beneficij, & alia huiusmodi, & tenetur legatarius respondere beneficio sibi facto, & beneuolentiæ testatoris, vt illi respondeat, & eo numero missarum honoret testatorem, qui sit proportionatus eius beneuolentiæ. Dicit tertio, quod si testator aliquo significauerit se intendere perpetuitatem missarum, in eo casu legatum deberet inuestiri in fundo fructifero; non tamen totum, sed pro ea quantitate, quæ sufficeret pro sustinendo onere, quia legatum ordinatur principaliter ad benefaciendum legatario, & onus impositum est solum per modum appendicis, & ideò legatum debet esse sub libera dispositione legatarij, quia est donatio illi facta. Dicit quarto, quod quando legatum est superius onere, aut superexcedens censetur factum fauore legatarij, & in cōmodum ipsius, & ideò quando legatum longè superat onus, non erit intuitu oneris, sed fauore legatarij.

1252. Hic tamen multa sunt digna vt expendantur. Et quidem hæc vltima regula fallax est; Nam & idem *Pasqual.q.* 1067. benè docuit, quod quando testator reliquit magnam summam pecuniæ excedentem eam, quæ pro onere missarum solet assignari, tota est inuestienda, quia tota est data sub onere. Non ergo valet regula, quod quando, legatum superat onus, censeri debeat factum ad fauorem legatarij, sine onere. Nam semper legatum pro nullis est factum ad fauorem legatarij, cum sit factum in eius sustentamentum; sed aliud est legatum fieri in commodum legatarij & aliud est legatum fieri sine onere, & donari omninò liberè, & absolutè. Primum semper est verum. Sed secundum non potest deduci, ex eo, quod legatum superet onus; quia benè potest esse, quod testator pingue legatum fecerit sub paruo onere, vt Ecclesia facilius ferat onus, & fundamentum oneris sit securius, & ex casibus sterilitatis, aut detractionis partis fundi non sit occasio cessandi à celebratione missarum; Non ergo ex eo quod legatum superat onus colligi potest, quod testator excessum omninò liberè donauerit neque hoc præsumi potest, nisi id testator expresserit, quin imò præsumi debet, quod est testatori vtilius, & ideò, quod totum reliquerit sub onere; quia sic onus impositum sit magis firmum, & vtilitas testatoris magis secura.

1253. Deinde neque firmitatem rationis habet, quod in hoc casu si testator reliquit numerum missarum incertum, quod hic numerus non sit determinandus ab Episcopo: nisi forsan testator expressè determinationem reliquerit legatario. Nā primo, vt dictum est, neque ex pingui legato colligi potest, quod totum legatum non sit sub onere. Et quando etiam hoc colligeretur, quod pars aliqua legati à testatore esset absolutè donata legatario, non per hoc esset commissum eius arbitrio esse simul iudicem, & partem, vt posset ipse iudicare quanta esset pars absolutè donata, & quanta sub onere relicta, sed hoc iudicium spectaret ad Episcopum, qui est proprius iudex in exequendis defunctorum pijs voluntatibus, & eius esset decernere numerum missarum, & simul etiam videre an totum legatum veniat sub onere, an pars sit absolutè donata.

1254. Inde est, quod Episcopi etiā esset videre an onus missarum sit perpetuum, nam ex ipsa pinguedine legati satis etiam colligi potius potest perpetuitas oneris; cum non sit verisimile, quod testator magnam summam pecuniæ reliquerit pro onere breui duraturo, seu pro missis vna vice celebrandis, & regulariter magna summa pecuniæ non relinquatur, nisi pro onere perpetuo *Tambur. l.3. cap. 1. §.6.num.5.* Vnde in dubio onus potius esset iudicandum perpetuum, quo stante nisi expressè constaret, quod testator partem legati voluisset donare absolutè legatario, & sine onere totum legatum inuestiendum esset, quia totum censendum esset datum sub onere missarum, & in maiorem securitatem, & commoditatem oneris. Cæterum si determinatio numeri missarum fuisset expressè relicta legatario iam ipse ad arbitrium, seu libitum boni viri, consideratis quæ dixit *Pasqualigus* numerus ille deberet determinari.



SVM-

SVMMARIVM.

1 Ordo dicendorum. num. 1255.

INSPECTIONIS SEXTAE.

CAPVT XV.

De restitutione facienda ex non adimplemento oneris missarum.

1255. EX multiplici capite oriri potest necessitas restituendi secundũ quod multipliciter potest quis deficere in negotio missarum. Hoc autẽ per sequentes quæstiones explicatur, præmissa prius declaratione prauitatis peccati eius, qui omittit suæ obligationi satisfacere, & præmisso etiam, quod Sacerdos propriè ad solam restitutionem stipendij tenetur, quando suæ obligationi non satisfecit *Tambur. l. 3. cap. 1. §. 9. n. 11.* quia ad bona spiritualia reddenda non obligatur ex iustitia, sed nihilominus principalior obligatio est religionis, ex qua Sacerdos tenetur semper, si potest promissa spiritualia reddere.

SVMMARIVM.

1 *Opiniones variæ. num. 1256.*
2 *Grauitatem peccati omissionis missæ non sumendam ex re omissa, sed ex motiuo obligationis dicunt aliqui. num 1256.*
3 *Applicatio sacrificij, & celebratio non potest esse ex obligatione iustitiæ. num. 1257.*
4 *Hic locum non habet regula desumpta ex motiuo se obligandi. num. 1258.*
5 *Sacerdos tantum se obligat, quantum Christus vult eum obligari, si consentiat. num. 1258.*
6 *Obligatur Sacerdos ex fidelitate, & sanctitate officij sui. num. 1258.*
7 *Omissio missæ promissæ ex acceptatione stipendij, &c. est essentialiter infidelitas sacrilega. num. 1259.*
8 *Omissio propriæ missæ consecutiuè potest esse iniustitia. num. 1260.*
9 *Huius omissionis grauitas inquantum est iniustitia ex quantitate emolumenti pensatur. nu. 1261.*
10 *Eiusdem omissionis grauitas per se ex rei promissæ dignitate accipi debet. num. 1272.*
11 *Omissio vnius solius missæ est peccatum graue. num. 1263.*
12 *Quid dicendum vbi promissio missæ est liberalis. num. 1264.*
13 *Sine simonia posset missa deberi ex iustitia si promissio acceptata obligaret ex iustitia. num. 1265.*
14 *Per se promissio etiam acceptata non obligat ex iustitia. num. 1266.*
15 *Promissio missæ etiam ex acceptatione stipendij noq; obligat ex iustitia. num. 1267.*
16 *Omissio vnius missæ liberaliter promissæ est grauis. num. 1268.*
16 *Promittens liberaliter missam non tenetur promittere, vt solo nomine petentis celebrandam. num. 1269.*

1256. QVæritur igitur primo, quando sit peccatum mortale omissio missæ ad quam Sacerdos se obligauit celebrandam? Nam quod vnius missæ omissio sit peccatum mortale, docuit *Suarez. disput. 86. in princ. & Petr. Nauar. & Rodriq. apud Pasqual. qu. 1206.* Sed hanc opinionem nimis rigidam dixit *Sanchez. lib. 1, de matrim. disp. 5. num. 22. Pasqual.* autem *d. q. 1206.* existimat, quod damnum quod infertur nullo modo mensurari possit ex amissione lucri spiritualis, quod ex oblatione sacrificij perciperetur, si celebraretur. Quod probat primo, quia si iste fructus ordinetur ad vtilitatem defunctorum, valdè remanet incertum an ex omissione celebrationis illis inferratur damnum, cum incertum sint, an indigeant, vel sint capaces, si verò ordinetur ad vtilitatem viuentium, adhuc seclusa impetratione est incertum an essent percepturi aliud beneficium. Probat hoc secundo, quia quamuis fructus sacrificij consequatur ex applicatione eiusdem, non cadit sub obligatione fundata in commutatiua iustitia, ex cuius violatione consurgit obligatio restituendi; quia stipendium non datur pro ipso, alioquin comitteretur simonia. Imò nec ex iustitia commutatiua debetur applicatio sacrificij, aut exhibitio ministerij in offerendo sacrificio: nam hæc sunt functiones merè spirituales, quæ obligari non possunt ratione stipendij. Sed solum Sacerdos supposito stipendio pro sua sustentatione cõsentit petitioni illius, qui petit pro se offerri sacrificium, & ex consensu in huiusmodi petitionẽ remanet obligatus; quod contingit etiam quando qui non accipit stipendium liberaliter consentit petenti offerre sacrificium. Vnde vt videamus quando peccetur mortaliter in omissione celebrationis, videndum est, quando iste consensus inducat obligationem grauem. Quo stante ipse putat, quod quando promissio fit intuitu stipendij, obligatio sit grauis, & peccatum graue sit omissio missæ, si stipendium sit datum in notabili, & graui quantitate, quia non est verisimile quod sacerdos velit suscipere obligationem grauem ex motiuo leui. Et quo deducit, quod si Sacerdos vnam missam promittat pro stipendio notabili, quod ad peccatum mortale sufficeret in materia furti, peccat mortaliter si omittat talem missam; sed si plures missas promittat pro stipendio exiguo nõ peccabit mortaliter illas omittendo, quia tunc leui materia potest tolli inæqualitas, & induci iustitia. Ex quo deducit, quod in huiusmodi obligationibus non sit consideranda materia super quam cadit obligatio; quia cum de se non inducat obligationem, nec etiam inducet grauem, vel leuem. Rursus cum non exigat aliquem respectu sui obligari, nec etiam exigit grauiter vel leuiter obligari. Sed est consideranda causa originalis talis obligationis, quæ in vnaquaq; sẽper attenditur. Neq; ex causa leui quis centendus est, se grauiter obligare. Et hoc locum habere putat etiam cum sacerdos ex alio

alio capite; quam ex stipendio se obligat ad celebrandum, quia si motiuum sit graue erit peccatum mortale, sed non est motiuum graue si solum amicus petat fructum sacrificij, sed si amicus sit in graui tribulatione, & petat missam, sacerdos promittens tenebitur sub mortali ad celebrandum, quia causa est grauis. *Tambur. quoq. l. 3. c. 1. §. 9. num. 58.* putat in huiusmodi promissionibus non attendi ad damnum spirituale, secus promissio salutationis Angelicæ obligaret sub mortali, sed grauitatem materiæ accipi debere ex quantitate stipendij; Et quoniam in promissionibus requiritur quantitas quadruplo maior, quam in furtis ad constituendam materiam peccati mortalis juxta doctrinam *Sanchez l. 1. de matr. d. 5. num. 24.* At vero in materia furti grauis ordinarie præcisis circumstantijs alijs sit trium Iuliorum, ideo arbitratur, quod ad hoc vt sacerdos peccet mortaliter omittendo missas liberaliter promissas, requiratur quod omiserit duodecim, vel 15. missas promissas. Imo addit in sententia eorum, qui existimant, quod promissio etiam acceptata non obliget ex iustitia numquam esse mortale omittere missas liberaliter promissas.

1557. Continet hæc sententia *Pasqual.* veritatem pro ea parte, in qua dicitur quod fructus missæ, applicatio sacrificij, & exhibitio ministerij in celebrando non cadit sub obligatione fundata in Iustitia commutatiuâ, quia stipendium non datur pro istis, aliter committeretur simonia. Sed cum hac veritate nescio videre quomodo conueniat, quod alias multis in locis, docuit idem Doctor affirmans quod sacerdos, qui accipit stipendium cum onere celebrandi ex iustitia tenetur satisfacere, quia ex vna parte datur stipendium cum suo onere, & suscipitur obligatio satisfaciendi. Ex quo principio quod ponit *q. 1198. num. 4.* deducit ibi quod obligatio restituendi non sit ex iure Ecclesiastico, sed ex natura rei. Sic *quæs. 1127. num. 7.* habet quod sacerdos qui accipit speciale stipendium, vt celebret per se ipsum, cum accipiat speciale stipendium pro illo onere celebrandi per se ipsum, obligatur etiam speciali modo ex iustitia, quia interuenit contractus, seu pactum, vt celebret per se ipsum. Ex quo deducit quod talis sacerdos lædit iustitiam, & ideo tenetur restituere. Sic *quæs. 1146. nu. 4.* docuit, quod qui promisit celebrare in certo loco ex iustitia tenetur ad totũ id, quod promisit. Et hoc idem in quampluribus alijs locis asseruit. Si ergo hæc obligatio satisfaciendi est ex iustitia, & quidem ex contractu, & pacto, & ratione stipendij accepti sub onere, iam non est verum, quod obligatio applicationis, & exhibitionis ministerij in celebrando non cadat sub obligatione fundata in iustitia commutatiua, quia obligatio iustitiæ quæ est ex vi rei acceptæ, & ex contractu, & pacto est obligatio iustitiæ commutatiuæ. Sed illud est verum, & semper in hac materia ante oculos est habendũ, quod obligatio celebrandi numquam est vel esse potest fundata in iustitia cõmutatiua, & ex eo quod reddatur quod ratione rei acceptæ debetur, quia huiusmodi obligatio est essentialiter simoniaca, & ideo inutilis, illicita, & inualida.

1558. Regula etiam quam tradit *quæs. illa 1206.* quod grauitas vel leuitas obligationis ad celebrandum accipi debeat secundum mensuram causæ ex qua quis mouetur ad se obligandum, vt non sit censendum, quod quis ex leui motiuo velit se grauiter obligare, quatenus vera sit, non potest in proposito habere locum, si consideretur, quod sacerdos non agit nomine proprio dum se obligat ad celebrandam missam, sed vt minister Dei, & Ecclesiæ, sacerdotium enim est ministerium Christi Ecclesiæ concessum. Et quod homo agit vt sacerdos agit vt persona publica à Christo ad tantum ministerium instituta, & tamquam is cui ab Ecclesia hoc ministerium fuit collatum, vt publico nomine Deo sacrificium offerat pro viuis, & defunctis. Propterea *Concil. Trid. sess. 22. cap. 6. de sacrif.* priuatas missas publicas, & communes decernit, quia à publico Ecclesiæ ministro celebrantur. Igitur hic non est attendenda priuata voluntas sacerdotis, nec est imaginandum quod tantum sit ei licitum se obligare, quantum vult; sed se obligat quantum Christus, & Pontifex Christi Vicarius volunt eum obligari, si consentiat, & stipendium accipiat. Ideo grauitas obligationis mensuranda est ex lege diuina, quæ in præsenti est lex fidelitatis ministri Christi, & Ecclesiæ, & ideo nec est puræ fidelitatis, sed virtutis religionis ex speciali sua honestate in suis ministris requirentis fidelitatem, ideo est lex iustitiæ ad Christum summum sacerdotem, cui Minister summam fidelitatem debet, & quia summe indignum est, quod minister Christi sit fraudulentus, deceptor, & mendax.

1559. Dicendum igitur est primo, quod omissio missæ promissæ ex acceptatione stipendij, vel officij Capellaniæ, vel Beneficij esse potest in duplici specie peccati. Nam semper essentialiter est infidelitas sacrilega, quæ nedum est contra virtutem fidelitatis, sed etiam contra virtutem Religionis, cuius sacerdos est minister, & qui ex sui ministerij officio tenetur esse fidelis, & obseruator promissionis, quam facit vt minister Christi, vnde talis omissio est contra iustitiam sacerdotis ad Deum, & ad Christum, qui ministerium sacerdotale illi contulit, & sic quoq; contra iustitiam sui ad Ecclesiam, quæ illum ad idem sacerdotale ministerium elegit. Et totum hoc fundatur in sacerdotali officio, quod quia est officium religiosum per quod sacerdos gerit vices Christi, & per Ecclesiam sibi collatum fuit vt celebret nomine publico tam pro viuis, quam pro defunctis ad fidelium petitionem, & instantiam, ideo dicitur quod omissio missæ promissæ per acceptationem officij, vel emolumenti dati sub onere missarum essentialiter, & primo est infidelitas sacrilega, quia est infidelitas ministri Religionis, per quam violat debitum officij sui, & obligationem ex præcepto virtutis religionis prouenientem.

1560. Secundo vero huiusmodi omissio potest esse in genere iniustitiæ contra iustitiam commutatiuam. Sed hæc species malitiæ nec continetur directe, & per se primo, sed solum consecutiue, & per accidens, & nec semper necessario adest. Primum horum explicatur; nam non potest directe, & per se intelligi in hac materia obligatio iustitiæ commutatiuæ quæ non sit simoniaca. Quod enim ex iustitia, pacto, seu contractu datur pro re temporali accepta datur, vt æqualis recompensatio

rei acceptæ, quia hæc est essentia iustitiæ commutatiuæ, vt æqualitatem ponat, & seruet. *D. T. supra q. 58. a. 2. c. & a. 10. c.* Vnde iniustitia consistit in inæqualitate. *D. T. supra q. 59. a. 1. c.* Et sic quod dat sacerdos ex iustitia ratione rei acceptæ dat vt ponat æqualitatem inter receptum, & datum, seu inter se ipsum recipientem, & dantem, si ergo sacerdos danti stipendium, vel quodcumq; temporale emolumentum tenetur ex iustitia dare missam, iam tenetur dare vt æqualem recompensationem rei temporalis acceptæ, quod esse simoniacum manifestum est ex *D. T. supra q. 100. a. 1.* & omnibus DD. Igitur omissio celebrationis missæ promissæ ei, qui dedit emolumentum temporale directe, & essentialiter, & per se non est iniustitia: Consecutiue tamen habere potest coniunctam iniustitiam ratione iniustæ retentionis. In quocumq; enim casu in quo, qui omittit non facit suum emolumentum datum, iam interat iniustitia, si emolumentum non suum non restituit cui de iure, quia tunc est iniustus ratione iniustæ retentionis rei alienæ inuito domino. Quod vero hæc iniustitia accidat, & contingenter adueniat omissioni, explicandum erit in sequentibus.

1361. Dicitur ergo secundo, quod si omissio celebrationis missæ consideretur ratione annexæ iniustitiæ, eius grauitas ex grauitate stipendij, seu emolumenti iniuste ab omittente retenti mensuratur; Nam hæc est regula generalis quod alienæ rei acceptio, aut retentio iniusta solum ex leuitate rei alienæ excusatur à graui culpa, & sic vbi res aliena sit tanta, quæ sufficeret ad culpam mortalem furti, sufficiet etiam ad hoc vt omittens missam sit grauiter iniustus ex eo, quod retinet alienum emolumentum iniuste.

1362. Dicitur tertio, quod considerata per se omissione missæ promissæ ex acceptione emolumenti sub onere celebrandi missam, eius grauitas sumi debet ex grauitate, & magnitudine rei promissæ, & ideo ex dignitate, & fructu missæ omissæ. Hoc probatur primo considerando, quod sacerdos qui in hoc est minister Christi, & Ecclesiæ accipiendo à fidelibus temporalia sub onere missæ ex vi talis acceptationis non se obligat quantum vult, sed quantum tenetur, & debet ex eo quod Christi minister, Nec obligatio ista potest mensurari ex quantitate emolumenti accepti, quia missa non retribuitur tali emolumento, nec datur propter illud, sed nomine Christi, & Ecclesiæ non onerosa, & contractiua promissione, quæ esset simoniaca, sed liberali promittitur, & donatur; igitur si hæc promissio violetur fit iniuria vetitati, & Christo, & Ecclesiæ, & hujus violationis grauitas ex eo mẽsurari debet ex quo mensurãda est grauitas infidelitatis ministri Christi, & Ecclesiæ. Vnde non pendet hæc quæstio ab illa an violatio simplicis promissionis ex suo genere sit peccatum mortale, vel veniale de qua videri possunt *Caiet. supra q. 113. a. 1. dub. 4. Armilla v. perfidia. Sotus 4. dist. 20. q. 3. a. 2. Diana p. 2. tr. 3. resol. 9. & 4. p. tr. 4. resol. 113. Sanchez de mat. lib. 1. disp. 5. nu. 20. & alij.* Quia hic est violatio promissionis ministri Christi, & Ecclesiæ, quæ de se iniuriosa est tã ministerio, & Christo primo sacerdoti, & Ecclesiæ sãctæ, ideo nisi ex materia valde leui potest excusari ne sit grauis infidelitas, & sacrilegium valde graue; & sic nisi res promissa sit valde leuis graue peccatũ est in sacerdote Christi ministrũ infidelẽ esse.

1363. Colligitur primo graue peccatum esse si vna sola missa omittatur ex ijs, quæ ex accepto stipendio promissæ sunt, quia missa in se res maxima est, Nec obstat, quod omissio ista non sit iniustitia proprie, quia si est infidelitas sacrilega ministri Christi, est plus quam iniustitia, cum sit iniustitia in Deum, Christum, & Ecclesiam, quorum ministerium violatur. Minus obstat, quod sit incertum, an is, pro quo missa erat celebranda priuatus sit aliquo fructu, Tum quia priuatus est Deus cultu, & Ecclesia suffragio, & ille pro quo missa debebat celebrari priuatus est re fructifera, & qui omisit priuauit eum omni fructu quantum fit ex se ipso, & reddidit impossibilem cõsecutionem fructus. Sed corollarium est certum ex decreto Vrbani VIII. in quo statuitur vt etiam si stipendia sint exigua tot missæ celebrẽtur, quot præscriptæ sunt, & declarat omittentes peccare grauiter, vnde directe contra d. Decretum est, quod sacerdos, qui accepto iusto promittit plures missas non peccet mortaliter, quia S. Cong. declarauit eum peccare grauiter, qui accepto exiguo stipendio, non celebrat. Hæc satisfacit, quod habet *Tambur. vbi supra num. 16.* quia scilicet non sit credibile S. Cong. voluisse obligare plusquam sacerdos obligetur ex natura rei. Quia imo ex hoc colligitur mentem S. Cong. esse quod talis ex natura rei grauiter obligetur; & merito, quia non debet considerari sola obligatio quæ consurgit ex recepto stipendio, & ex virtute iustitiæ, quia hæc non adest nisi consequentiue, vt dictum est; nec dari potest, & licet missa, nec promitti pro stipendio, sed debet considerari promissio ipsa vt religiosa & liberalis, sed facta à ministro Christi, & Ecclesiæ, & ex officio sacerdotali, & quia valde irreligiosum est, vt Christi minister sit mendax, & deceptor, & Religiosæ promissionis violator.

1364. Colligitur secundo, quid dicendum sit vbi missa est promissa non ex accepto stipendio, sed mere liberaliter. Hunc enim non peccare mortaliter etiam si intendat se obligare, sed solum venialiter docent *Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 5. num. 15. Diana 2. p. tr. 17. res. 9. & par. 10. tr. 15. resol. 43.* & apud eum *Rodriq. & Mald. Fagund. prec. 2. l. 3. c. 8. num. 11. Leander. tr. 8. disp. 4. q. 16.* Et ratio horum est, quia simplex promissio non obligat sub mortali, Sed affirmat *Nauar. cap. 15. num. 92. Petr. Nauar. l. 2. c. 2. dub. 7. num. 139. Ledesma, & Corduba apud Fagund. Bonac. de contr. disp. 3. q. 11. p. 1. num. 3. & Fagund. Hurtad. apud Leand.* Dicendum autem est quod si ex hoc sacerdos mentiendo est causa alicuius alterius damni grauis peccat grauiter, & tenetur ad damni restitutionem, quia est illius damni causa, quod & fatentur contrariæ sententiæ sectatores. Sed secundo addendum est, quod aliqui dicunt, quod communiter homines promittendo non se intendunt obligare, Et in hoc est discrimen quod acceptãs stipendium datum sub onere missæ per se acceptat simul obligationem oneris, & se obligat, Nam & illud recipit vt Christi minister, cui stipendium illud religiosum offertur; Sed vbi ex parte petentis missam nihil datur sub onere missæ sacerdos non obligatur ex natura acceptionis, & vt Christi mi-

nister

nister, & obligatus si vult se obligare; & vt priuata persona potest se gerere promittendo, ideo potest intendere se non obligare, quo stante non erit peccatum graue omittere missam promissam, quod potest confirmari, eo quia videatur quod hic non habeat locum quæstio an promissio acceptata obliget ex iustitia, quia nedum est verum quod si promittens non intendit se obligare, non se obligat, sed hic sacrilege ageret, si intenderet se obligare, quia sine sacrilegio, & simonia missa non potest dari pro stipendio ex obligatione iustitiæ, & ex pacto, & contractu oneroso.

1265. Verum hæc non benè deducuntur. Est enim simonia si detur missa ex iustitia pro stipendio, sed non est simonia, si gratis promissario detur ius ad habendam missam, quod sit Ius ad rem & postea, quod ex hoc iure missa illi debeatur ex iustitia, non ratione accepti emolumenti, sed ratione iuris sibi donati. In sententia ergo eorum, qui dicunt promissionem acceptatā obligare ex iustitia, sacerdos, ex quo acceptat stipendium sub onere missæ, donat illi ius ad missam, & sic iam ex iustitia tenetur missam dicere. Neque hoc est contra dignitatem sacrificij, quia hoc modo non datur missa pro re temporali, nec aliquo modo venditur, aut contractu oneroso distrahitur, sed donatur, & gratis datur, quia non donatur, nisi ex iure donato, & ex iustitia quam sibi imposuit Sacerdos promittendo. Igitur in sententia docente quod promissio acceptata obligat ex iustitia, poterit esse, quod Sacerdos, qui liberaliter alicui promisit missam, & ille acceptauit, iam teneatur ex iustitia missam celebrare, & ideo peccat moraliter, si non celebrat, quia missa licet nō sit æstimabilis pretio, hoc habet, quia est summæ æstimationis, & dignitatis.

1266. Verum non omnes concedunt, quod promissio etiam acceptata det proprium ius promissario. Nam hoc Ius ex vi præcisa promissionis non datur, quia promissio vt promissio non obligat nisi ex virtute fidelitatis. Hoc expressè habemus ex *D. T. supra q. 88. a. 3. ad 1.* Ibi: *Dicendum quod secundum honestatem ex qualibet promissione homo homini obligatur, & hæc est obligatio iuris naturalis. Sed ad hoc vt aliquis obligetur ex aliqua promissione obligatione ciuili, quædam alia requiruntur.* Ex promissionis igitur vi oritur obligatio honestatis, quæ est ex virtute fidelitatis, sed non oritur obligatio iustitiæ, & ciuilis nisi alia adsint, & præcipuè voluntas se obligandi, & ideò quamplures sunt, qui quidem existimant, quod nisi promittens velit, & intendat se obligare ex iustitia, solum ex vi virtutis fidelitatis teneatur obseruare promissionem, quod ast conforme Diuo Thomæ loco supra citato, & docent *Caiet. supra quæst. 113. a. 1. Armilla v. perfidia, & Henriq. l. 13. c. 17. num. 7. Ledes. tr. 10. cap. 5. col. 2. Fernand. par. 1. c. 15. §. 8. num. 11. Marrat. de iust. tract. 19. sect. 10.* quos sequitur *Diana p. 2. tr. 17. sen. 3. Miscell. res. 9. & par. 4. tr. 4. res. 112. Card. de Lugo de iust. disp. 23. sect. 6.* vbi latè rationes contrariæ opiniones soluit. *Molina tom. 2. disp. 262. §. illud deinde, & §. illud postremo. Azor. tom. 1. l. 11. cap. 5. q. 3. Fagund. de iust. l. 3. cap. 2. num. 2.* & apud eum *Suarez. de auxil.* Promissio enim non est donatio, esset verò donatio, si tribueret aliquod ius promissario. Et quæ iustitia est, vt promittens ex liberalitate compellatur se obligare ex iustitia? Et cum certè euidens sit, quod promissio non importet per se, nisi animum obligandi se ex honestate, & iustitiæ ratione, quæ veracitati, & fidelitati inest, & promittens solum asserat se daturum, non verò dee, simul euidens esse debet, quod nisi promittens velit, se obligare etiam ex iustitia, & non promittere tantum, sed de præsenti donare ius ad rem promissam, ex iustitia non se obligat. Et ideò *Sanchez. l. 1. de mat. disp. 5.* & alij, qui dicunt promissionem acceptatā obligare ex iustitia, tādē fatentur promissionē nō esse obligatoriā, nisi promittēs se intēdat obligare. Vnde promissio liberalis per se nec est pactum propriè, nec continet obligationem iustitiæ, nec de ea loquitur *cap. 1. de pactis* cum non sit propriè pactum; quamuis huiusmodi promissiones in foro externo facilius præsumantur esse pacta, & continere obligationem iustitiæ.

1267. In proposito tamen nostro non est cōforme rationi asserere, quod promissio missæ celebrandæ nedum liberalis, sed quæ fit ex accepto stipendio sit propriè pactum, & contineat obligationem iustitiæ, quia rebus sacris non conuenit dari ex iustitia. Tunc verò, vt ait *Pasqual. de Sacrif. miss. q. 743. num. 8.* promissio censeri potest obligare ex iustitia, quando promissio est de rebus, quæ possent venire in contractum. Sed cum missæ repugnet dari ex pacto, & contractu; ideo promissio missæ non inducit obligationem iustitiæ. Tum secundo, quia promissio missæ est simpliciter actio religiosa, cum sit promissio sacrificij intuitu diuini cultus celebrandi, & ex hoc continet obligationem, quæ fit ex virtute religionis, & fidelitatis, vnde superfluit obligatio iustitiæ, vnde sacerdotes promittendo missam non plus se intendunt obligare, quam ferat natura ipsa promissionis. Tum tertio, quia Sacerdos, vt minister Christi promittit, & sicut spectans ad ordinem superiorem, & altissimum; nōn igitur decet, quod sine necessitate velit cum laico agere ex æqualitate, iustitia verò non habet locum, nisi inter æquales, & eius essentia est, vt ponat æqualitatem inter dantem, & recipientem. Ideò absolutè dicendum est, quod promissio missæ nec sit pactum propriè, nec obliget ex iustitia.

1268. Quo stante difficultas est, quia DD. conuenientes in hoc, quod promissio etiam acceptata non obligat ex iustitia, adhuc inter se contrariantur in hoc, quod quidam sentiunt, quod violatio fidelitatis, nisi alias ex circumstantijs sit notabiliter perniciosa non sit culpa mortalis, sic enim tenent *Caiet. Armilla, Card. de Lugo. Diana,* & plures alij. Sed *Fagund. loco cit.* arbitratur, quod ex quantitate materiæ violatio promissionis, & fidelitatis accipiat grauitatem. Vnde secundum primos DD. videretur dicendum, quod omissio missarum promissarum, nisi alias esset grauiter perniciosa, non sit nisi peccatum veniale. Sed qui putant infidelitatem hanc in re graui esse peccatum graue, forsan dicent mortale esse vnam missam omittere promissam. Sed nihilominus abstrahendo ab hac quæstione, & etiam dato, quod promissio obliget ex iustitia alij, vt *Bordon.*

select. mor. lib. 3. *qu.* 17. existimant, quod non sit peccatum mortale huiusmodi promissæ missæ omissio, quia licet missa in ratione obsequij diuini sit res magna, in genere tamen vtilitatis, quam ferat respectu eius, pro quo dicitur non censetur res magna, quia & est incertum an de facto habebit fructum. Sed vere hæc ratio non valet & si haberet vim, nec omissio decem, vel viginti, vel centum missarum pro defuncto esset res grauis, quia est incertum si ille indigeat, vel si sit capax; ideò in hoc non debet attendi an obtineatur fructus, sed an res sit fructifera, nec debet dici leuis materia, quæ est de se magni fructus productiua, Ideò hic considerādum quod petens missam à Sacerdote petit illam ab eo, vt à ministro publico, & vicesgerente Christi, ideò hic interuenit fides publica ministri Christi, quæ violatur si promissio non obseruatur. Nec valet dicere, quod licet res promissa sit publicum ministerium, tamen promissio est priuata, nec interponitur fides publica, sed solum priuata fides sacerdotis. Tum quia promissio est ex priuata amicitia. Tum quia hæc duo separabilia sunt, scilicet promittere publicum ministerum, & promittere illud ex publica fide. Quoniam hoc non est verum. Potest quidem sacerdos petenti missam sine stipendio eam negare: potest quoque si non vult se obligare, non vti verbis significantibus promissionem, sed bonam voluntatem, & simplex propositum, & sic non promittere; sed si promittit tenetur esse fidelis, & hoc, quia vt publica persona, & minister Christi promittit. Nam Sacerdos, qui vt priuata persona non potest celebrare, vt pura priuata persona non potest promittere se celebraturum, & sic non potest præcindi promissio à conditione ministri publici, quia solus publicus minister potest promittere se celebraturum, & sic non potest fieri, quod indecentia, quæ est in violatione promissionis non redundet in iniuriam publici officij, & quod non sit verum, quod sacerdos in ijs, quæ sunt sacerdotalis officij sit infidelis. Accedit quod cum Sacerdos sit deputatus ad celebrandum pro viuis & pro defunctis, quando ab eo petitur missa, petitur, vt à sacerdote ad hoc deputato, & ipse ex officio tenetur respondere petenti, & sic siue promittat, siue non promittat ex officio agit, & vt publicus minister ad hoc deputatus, igitur si promittit, & promissio est actus publici officij. Amplius cū sacerdos promittit missam, persona obligata est sacerdos vt sacerdos, quia solus sacerdos, vt sacerdos potest celebrare missam, & materia obligationis est publicum ministerium, & obligationis finis est publicus Dei cultus, & vtilitas ex eo procedens, Et sic obligatio est publica & ex officio, nec potest violari sine iniuria publici officij, quod remanet publicè obligatum ad hoc vt promissio non violetur. Ideò hic non debet attendi sola fidelitas, sed fidelitas ministerij sacerdotalis, & eius dignitas, quæ ex violata fide in re graui iniuriam grauem patitur. Et ideò dicendum est, quod sacerdos, qui liberaliter promittit vnam missam illi, si illam non celebrat, grauiter peccat, & hoc non solum si mendacium hoc seu infidelitas sit perniciosa, vt si petens sit in graui tribulatione, & maximè missa indigeat, & nisi sacerdos illi promisisset alteri sacerdoti missam cōmendasset sed absolutè, quia est in suo officio infidelis in re graui, & Christus non vult suos ministros in ijs, quæ sunt sui ministerij esse infideles, & specialis iniuria in hoc illi irrogatur. Alias verò huius infidelitatis, & mendacij grauitas minimè attendi potest ex magnitudine stipendij, quod solet dari pro missa, & ex talis stipendij multitudine, quia qui promittit liberaliter missas nullum stipendium promittit, nec promittit rem stipendio mensurabilem, aut æqualem; vnde non intrat hic obligatio aliqua iustitiæ, cuius grauitas ex magnitudine rei pecunia æstimabilis sit æstimanda. Et dato quod promissio missæ acceptata obligaret ex iustitia, adhuc hæc obligatio non esset ex re accepta, neq; ex pecunia, sed esset ex re spirituali donata, quia nimirum sacerdos promittendo donaret ius ad missam, & sic semper magnitudo ex magnitudine donati iuris spiritualis esset accipienda, non verò ex stipendio, quod in hoc casu nō interuenit, & quod nec est res promissa, nec rei promissæ est comparabile, vt æquale, nec res promissa est per illud æstimabilis.

1269. Nihilominus tamen, quia ex virtute religionis non est, quod Sacrificium missæ offeratur nomine vnius tantum, imò potius natura sacrificij petit, quod possit offerri à pluribus, & quod offerentium vnus alteri non præiudicet, cum sacrificium de se sit infinitè dignum. Ideò vbi à sacerdote petatur missa, vt liberaliter exhibenda, non tenetur sacerdos promittere illam, vt solo eius intuitu celebrandam. Vnde nisi hoc expressè, seu determinatè fuerit promissum, sufficit si sacerdos offerat missam pro illo cui promisit, licet offerat etiam pro alio. Nec obstat si dicatur, quod qui petit missam, petit illam integram, & solo suo nomine celebrandam, & ideò si sacerdos petenti annuat, tenetur integrè solo nomine illius illam celebrare. Quia qui liberaliter petit missam illam petit secundum missæ dignitatem, & quamuis expressè intenderet vt solo suo nomine missa diceretur, si hoc expressè non petat, non tenetur sacerdos iuxta hanc intentionem respondere, sed sufficit sibi, si missam promittat illi, vt ex ea tantum fructum capiat, quantum erit capax. Sic enim missam petenti missam liberaliter promittit & satisfacit promissioni, si pro eo celebrat, quidquid sit an etiam celebret pro alio. Si tamen qui petit teneretur ad faciendam celebrare missam, & hoc sacerdoti explicaret, hoc esset expressè petere missam, vt solo suo nomine, & ratione suæ obligationis celebrandam, & sacerdos promittens ad id teneretur. Cæterum sacerdos liberaliter promittens missam non se obligat per se, nec tenetur se obligare nisi ad missæ celebrationem pro petente, non verò vt pro eo solo celebret. Quamuis si sacerdos celebret pro vno ex obligatione, non debeat eamdem missam applicare alteri nisi sub conditione, & sine præiudicio prioris obligationis. Aduertentum est etiam, quod responsio eius, à quo missa postulatur etiā si sit affirmatiua, non est necessario promissio. Nam, vt habet *Caiet. supra q.* 88. *a.* 1. §. *Ad hoc dicitur* verba ista *Faciam hoc*, plures sensus habent, & possunt importare propositum simplex, & possunt importare promissionem. Ideo *Pasqualig. q.* 81. colligit quod si petenti missam celebrari ad suam intentio-

nem

nem; sacerdos dicat celebrabo, hoc verbum potest importare simplex propositũ. Ex quo n. 4. deducit, quod sacerdos obligatus ad celebrandũ nõ soluitur ab obligatione, ex hoc quod postulet ab alio sacerdote vt pro se celebret, & ille solum dicat, quod celebrabit.

SVMMARIVM.

1 *Retinens partem manualis stipendij tenetur illam restituere celebranti. num. 1270.*
2 *Hic est simul sacrilegus, & iniustus. num. 1270.*

1270. QVæritur secundo, an sacerdos, qui pinguiori stipendio recepto partem retinet commendata alteri sacerdoti missa teneatur ad restitutionem? Huic nec peccare mortaliter, nec teneri ad restitutionem dixit *Bordon. ref.* 25. *num.* 28. E contra eundem ex natura rei peccare contra iustitiam, & esse obligatum ad restitutionem voluit *Pasqualig. q.* 1197. vtriusq; autem sententiæ fundamenta discussa fuerunt supra à *nu.* 1009. vbi qualitas peccati huius inobedientiæ explicata est. Nunc dicitur; quod huiusmodi sacerdos retinens partem stipendij & alteri missam commendans tenetur ad restitutionem faciendam sacerdoti celebranti. Ratio est, quia stipendia missarum sunt bona Ecclesiastica subiecta dispositioni summi Pontificis, & ordinationi Ecclesiæ, nec qui illa recipit facit illa sua, nisi secundum Ecclesiæ dispositionem. Quæ sicut ordinauit, quod beneficiatus non recitans officium non faciat fructus suos, sed eos ad ratam restituere teneatur, iuxta decretum vltimi *Concil. Later. seu Const.* 7. *Leon. X. & Const.* 135. *Pij V.* ita potuit ordinare, quod sacerdos non faciat suum stipendium missæ, nisi actu missam celebret. Hoc verò de facto fecit dum prohibuit, ne sacerdos committens alteri missam, partem stipendij sibi retineat. Ecclesia enim omnem speciem nundinationis missarum, & turpis lucri auferre volens, prohibuit ne huiusmodi sacerdotes partem stipendij manualis retinerent; qua prohibitione posita cessat omnis iustus titulus eam partem retinendi; Non enim potest illam retinere tanquam dominus factus illius, quia Clerici fructuum patrimonij Christi non fiunt Domini, nisi in quantum illis conceditur à Summo Pontifice, qui si prohibet retinere fructus; simul prohibet ne Clericus illos faciat suos. Quod magis explicatur; nam Ecclesia prohibens retinere partem illam stipendij, non prohibet ne Clericus non retineat, quod suum est, quia hæc prohibitio nisi facta esset in pœnam alicuius delicti, minus conueniens videretur, cur enim prohibentur ne quis retineat, quod suum est. Hic verò Ecclesia non in pœnam alicuius culpæ, sed directè, & per se primariò prohibet retineri partem stipendij. Et quidem non præcipit, quod sacerdos, qui commendat missam det celebranti aliquid de proprio imò nec præcipit, vt det, sed præcipit ne retineat ex hoc clare ostendens partem illam esse alienam, & vt alienam non esse retinendam. Ideò hæc prohibitio supponit, quod stipendia missarum nullius sunt, nisi secundum dispositionem Ecclesiæ, quæ dum prohibet ne sacerdos non celebrans missam, pro qua recepit manuale stipendium retineat partem stipendij sibi dati, satis ex hoc explicat suæ intentionis esse, quod illud stipendium integrum fiat sacerdotis celebrantis, non vero sacerdotis missam commendantis. Vnde ex hoc magis etiam apparet, quod huius partis stipendij retentio est ex genere suo culpa grauis, quia supposita Ecclesiæ prohibitione continet culpam iniustitiæ, & sic transgrediens Ecclesiæ prohibitionem per se est sacrilegus, & consecutiue iniustus, est quidem sacrilegus tãquam violator præcepti emanati pro sanctitate ministerij sacerdotalis conseruanda; est vero consecutiue iniustus, quia Ecclesia simul impédiens ne qui recepit stipendium faciat illud suum, inde sequitur, quod si illius partem retineat fit iniustus.

SVMMARIVM.

1 *Recipiens pro vna missa plura stipendia tenetur restituere. num. 1271.*
2 *Qualiter hoc deducatur ex eo quod vna missa dicta pro pluribus minus valeat singulis. num. 1271.*
3 *Hoc non deducitur, quia lædatur iustitia qua obliget ad dicendam missam pro stipendia recepta. num. 1271.*
4 *Si collatio stipendij esset donatio sub conditione ex iustitia, esset debitum restituendi conditione non impleta. num. 1272.*
5 *Collatio stipendij pro missa non est donatio sub conditione. num. 1273.*
6 *Stipendia missarum sunt bona donata sub modo. num. 1274.*
7 *Sacerdos non celebrans tenetur restituere ad dispositionem sedis Apostolicæ. num. 1274.*
8 *Qui bona fide vna missa satisfecit pluribus cessante bona fide tenetur restituere. num. 1275.*
9 *Ratio restitutionis est, quia sacerdos ex dispositione Ecclesiæ non facit stipendium suum nisi celebret. num. 1276.*
10 *Potest dari ignorantia Decreti de celebrat. missar. num. 1277.*

1271. QVæritur tertio. An qui vna missa satisfecit pluribus obligationibus prouenientibus ex receptione stipendij, ex natura rei teneatur ad restitutionẽ stipendij accepti? Supponitur tamquam certum, quod teneatur restituere ex vi Decreti de celebratione missarum; quæritur vero an ex natura rei, & præscindendo ab eo decreto adsit huius restitutionis obligatio. Affirmatiuam partem probat. *Pasqual. quæst.* 1198. Tum primo ex eo, quia eadem missa dicta pro pluribus minus valet singulis, quam si pro singulo eorum diceretur, Sed hæc propositio indiget explicari. Licet enim sit vera, vbi illi plures pro quibus missa offertur non sunt offerentes, & in hoc sensu id doceant D.T. & multi alij ab eo citati nõ est tamẽ vera, quantũ ad fructum mediũ operis operati vbi illi pro quibus offertur missa sunt simul offerentes, quia offerentiũ multitudo non nocet singulis, vt probatum est supra. Nihilominus ratio esse posset, quia diuersi petentes missam, non vnam sed plures missas petunt, vt vero tam eidem,

quam

quam diuersis plus prosunt plures missæ, quam vna, Ideo adest iam præiudicium dantium plures missas, si pro eis vna sola celebratur, & sic ex hac parte habetur aliquale fundamentum obligationis restitutionis. Et eo magis quod ex parte operis operantis missa dicta pro pluribus minus valet singulis. Secundo probat hoc idem ratione, quia celebrando vnam missam pro diuersis, qui dederunt stipendium, læditur iustitia cum damno illorum. Probatur vero, quod lædatur iustitia, quia ex vna parte datur stipendium pro sustentatione, & ex alia acceptatur stipendium cum suo onere, & suscipitur obligatio satisfaciendi. Sed si valet hæc ratio, & ex hoc consequitur obligatio iustitiæ, & hoc asseritur licitum, non est vnde in Ecclesia damnetur simonia. Nam quod datur est stipendium, quod est reddendum ex iustitia est missa, datur igitur stipendium vt ex iustitia sibi reddatur missa, & cum iustitia inter dantem, & accipientem essentialiter conueniat in æqualitate dati, & accepti, iam datur stipendium vt sibi tanquam æqualis recompensatio detur missa ex iustitiæ æqualitate: quod an fieri possit sine simonia iudicet quisque.

1272. Duplex ergo potest esse modus explicandi obligationem huius restitutionis. Primus est, si collatio stipendij accipiatur, vt donatio sub conditione, cuius donationis natura est, quod donatarius non teneatur ex iustitia ponere conditionem; imo potest esse, quod nec eam teneatur ponere ex alia virtute, sed quod eam ponere sit omnino in libertate donatarij, Nisi quod donatarius rem donatam suam facere non potest, nisi conditione impleta, & sic si nolit implere conditionem tenetur restituere rem donatam, quia illa est donantis, & ipse non potest alienum retinere inuito domino; vnde radix huius restitutionis non est contractus mutuus, & obligatio iustitiæ consurgens ex debito retribuendi rem pro re ad æqualitatem, sed est iniusta acceptio, quia iniustum est rem alienam inuito domino accipere, & retinere. Potest vero intelligi, quod traditio stipendij missarum sit donatio sub conditione: quia quando datur aliquid vt medium ad finem, bene potest intelligi vt detur sub conditione finis, stipendium enim cũ sit requisitum ad sustentationem ministri, cuius vita est medium necessarium ad sacrificandum, est necessarium, vt medium ad celebrationem obtinendam: potest igitur intelligi quod detur sub conditione celebrationis missæ: Non quia sacerdos accipiendo se obliget ad missam celebrandam ex iustitia, sed quia manet obligatus ad non faciendum stipendium suum, nisi celebret, eo quia stipendium detur sub conditione celebrationis.

1273. Quamuis vero hoc posset contingere, tamen regulariter non ita fit. Hoc enim posito restitutio esset facienda danti stipendium, qui est stipendij dominus, & non priuat se dominio, nisi purificata conditione, vnde huiusmodi missarum emolumenta restituenda essent laicis donantibus tanquam bona laicalia. Et tamen constat, quod in Beneficijs, si beneficiatus officium diuinum non celebret, restitutio non est facienda fundatori, sed pauperibus, ex dispositione *Concil. Lateranen. seu Leon. X. const. sua 7. & Pij V. in const.* 159. Sed & quantum ad missas manuales non satisfactas Sedes Apostolica, prout sibi in Domino videt expedire, disponit de stipẽdijs receptis tanquam de rebus non laicalibus, sed ad Christi patrimonium spectantibus; & quod magis est etiam de in futurum dandis disposuit per priuilegia supra *num.* 972. recensita, vnde merito supra *num.* 917. dictum fuit, quod missarum stipendia semel data non sunt amplius bona laicalia, sed Ecclesiastica, Sed & hoc probatur ex *cap. Verum de cond. app.* vbi decernitur donata Ecclesiæ non esse intelligenda vt donata sub conditione, & restituenda, nisi id expresse declaretur.

1274. Alius igitur modus dicendi est, vt hæc stipendia sint bona donata sub modo, & onere, quorum dominium transit in Ecclesiam, quæ tamen non concedit illa particularibus sacerdotibus nisi sub conditione, sicut patet in redditibus beneficiorum, quæ Ecclesia concedit beneficiatis, sed sub conditione, quod qui non recitant officium diuinum non faciunt fructus suos, sic & qui non implet onera missarum non facit missarum eleemosynam suam, quia eleemosyna datur sub modo, & onere, Ecclesia verò, quæ recipit huiusmodi stipẽdia sub modo, & onere, & facit illa sua, non reliquit ea beneficiatis, vel Capellanis, vel sacerdotibus nisi sub conditione, & ita quod non faciãt illa sua, nisi onera impleant, & sic ex natura rei tenentur restituere, sed ad dispositionem Sedis Apostolicæ, vt restituantur cui illa restitui voluerit, Et tamen sciendum, quod obligatio, quæ primaria est in præsenti, est celebrandi missam. Et ideò Sacerdos si potest missam celebrare, eam celebrare tenetur, sin minus tenetur restituere stipendium ad dispositionem Sedis Apostolicæ.

1275. Limitatur verò assertio ab aliquibus, vt si Sacerdos bona fide vna missa satisfecit pluribus stipendiorum obligationibus non teneatur restituere. Quod probat *Bordon. resol. 35. num. 2.* tum quia qui sic satisfecit bona fide sequutus opinionem probabilem, non peccauit, obligatio autem restituendi supponit culpam. Secundo quia ad hoc vt quis teneatur ad restitutionẽ requiritur formalis violatio iustitiæ, vt sciens lædat iustitiam, quod non habet locum in præsenti, cum huiusmodi sacerdos sequutus sit opinionem probabilem. Subdit verò, quod ratione charitatis tenetur orare pro illis, à quibus stipendia accepit. Sed meritò *Pasqualig. q. 1199.* hoc reijcit, & arguit primo, quia si nullo modo hic læditur iustitia nulla remanet obligatio orandi ex charitate, quia charitas non obligat ad specialiter orandum pro proximo in particulari, nisi in casu necessitatis. Benè tamen argumentatus fuisset *Bordon.* si dixisset, quod etiam dato, quod non violaretur iustitia remaneret ex virtute religionis obligatio satisfaciendi, & omninò reddendi indemnẽ eũ, qui missam cõmendauit dato stipendio; quia hæc obligatio semper remanet donec sacerdos suæ promissioni satisfecerit. Secundo insubsistentiæ rationis, quia etiam dato quod probabilitas opinionis sufficeret ad excludendam culpam (quod ego absolutè nego, quia probabilitas opinionis in concursu probabilioris non facit ignorantiam legis inuincibilem

iuxta tradita supra *q.* 186. *n.* 9. *num.* 254.) hoc nihil valet ad tollandam obligationem restitutionis quæ semper adest, dum quis alienum possidet; & licet bona fides excuset à culpa coram Deo, si cōtinet ignorantiam inuincibilem, tamen cessante bona fide, qui alienum habet peccat contra iustitiam, si statim non restituit, vt tradunt *Alex. p.* 4. *q.* 24. *num.* 5. *a.* 3. §. 5. *Palud. d.* 13. *q.* 2. *num.* 5. *Caiet.* 2. 2. *q.* 69. *a.* 6. *D. Antan. p.* 2. *tit.* 2, *cap.* 12. §. 16. *Sotus l.* 4. *de iust. q.* 7. *a.* 2. *Syln. restitutio* 3. *q.* 7. *v. tertium*. *Tabien. n.* 25. *Ang. n.* 4. *Nauar. cap.* 17. *num.* 8. *Conar. variar. l. l.* 1. *cap.* 3. *nu.* 6. & *DD. alij communiter*. Quia ergo Sacerdos non facit stipendium suum, nisi celebret ad mentem eius, qui illud dedit, ideò statim, ac in eo cessat bona fides tenetur restituere. Quamuis *Pasqual. d. quæst.* 1199. *num.* 6. aduertat quod tanquam bonæ fidei possessor (bona fide supposita, quæ verè sit bona fides) non teneatur restituere, nisi id, in quo factus est locupletior, vt de possessore bonæ fidei tradunt *Sotus, Tabien. Ang. Syln. locis citatis, & alij communiter*. Nec verum est, quod ait *Bardon.* quod sacerdos huiusmodi nusquam sit ditior. Quia ditior factus est, si non omnia stipendia consumpsit, vel si suum non consumpsit, quod consumpsisset, si stipendium non recepisset.

1276. Objicit autem sibi *Pasqual. n.* 5. quia qui respicit stipendia pro missis, facit sua stipendia, vnde solum obligatur ad implendum onus sub quo stipendium recepit. Respondet quod cessante bona fide si adhuc est tempus adimplendi onus tenetur illud implere. Sed si non est tempus tenetur restituere, quia fecit stipendium suum, sed resolubiliter, & sic resoluitur acquisitio, sed non impletur onus. Sed instatur contra responsionē hanc ex *cap. Verum de cand. app.* vbi Pontifex expressè vult; quod data Ecclesiæ sub modo, & onere, non sint resolubilia, nec possint repeti. Si verò dicatur stipendium non dari sub modo, sed ex contractu inducente obligationem ex iustitia in sacerdote, & per quem non transfertur dominium nisi resolubiliter, & conditionabiliter, iam stipendium datur, vt pretium quod est simoniacum nec potest admitti. Tenetur ergo restituere huiusmodi sacerdos, quia nisi celebret tot missas, quot ad rationem stipendij promisit, non facit suum stipendium, quod faciet tamen si iterum tot missas celebret, quot promisit.

1277. Addit *Pasqual. num.* 8. quod nunc post Decretum Vrbani Octaui non potest in Sacerdote esse bona fides, quia non post adesse ignorantia, quia ius monet de opposito, & ideò non potest præsumi ignorantia, quæ excuset, iuxta regulam. *Cap. Ignorantia, de reg. iur. in* 6. Ego existimo, quod etiam præscindendo a Decreto Vrbani Octaui difficile sit, quod in sacerdote accipiente pro vna missa plura stipendia sit bona fides, quia nimis clarum est, quod violat promissionem suā, & Ecclesiæ, seu proprij officij fidem, etiam in sententia asserente infinitatem valoris missæ. Sed tamen neque est impossibile, quod detur bona fides, & ignorantia inuincibilis Decreti Vrbani Octaui. Nam legis positiuæ ignorantia inuincibilis dari potest, quamuis in foro externo hæc non præsumatur.

SVMMARIVM.

1 *Opiniones diuersæ.* *num.* 1278.
2 *Cap. Verum de cand. app.* *num.* 1289.
3 *Donatio sub conditione, & sub modo.* *n.* 1269.
4 *Donatum Ecclesiæ sub modo non potest reuocari.* *num.* 1280.
5 *Donatum Ecclesiæ non intelligitur donatum sub conditione, nisi expresse id declaretur.* *num.* 1280.
6 *Nedum fundi Capellaniarum, & salaria, sed & stipendia manualia sunt donata Ecclesiæ sub modo.* *num.* 281.
7 *Qui non celelebrauit satisfacit si iterum celebret.* 1282.
8 *Qui non potest missas omissas celebrare tenetur Sedem Apostolicam consulere.* *num.* 1282.
9 *Modi plures insufficientes pro satisfaciendis missis amissis.* 1283.
10 *Capellano non licet compensare omissas missas ornamentis altaris a se factis.* *num.* 1284.

1278. QVæritur quarto quomodo, & cui sit restituendum, quando ex omissione missæ restitutio fieri debet? *Pasq. q.* 1204. loquens de obligatione missæ ob solum cultum Ecclesiæ diuersimodè quæstionem soluit de Capellano collatiuo, & non collatiuo, & de obligatione ex stipendio manuali. Nam Capellanum collatiuum ex omissione missæ non teneri ad restitutionem arbitratur; quamuis possit per Episcopum puniri, & priuari fructibus pro rata, imo vltra ratam iuxta culpæ qualitatem. Sed Capellanum non collatiuum si missas omittat putat obligari ad restitutionem, sed hanc fieri debere Capellæ, cui addicta est Capellania, vel Ecclesiæ si Capellania nulli Capellæ est addicta. Nam per omissionem missarum Capella, vel Ecclesia passa est detrimentum in cultum, quod resarciri debet per fructus respondentes missis omissis. Sed loquendo de manualibus stipendijs putat ea restitui debere illis, qui illa dederunt. Nam omissa missa resoluitur titulus, cuius virtute stipendium retineri potest. An autem vt fructus sibi conuertantur in vtilitatem Ecclesiæ requiratur auctoritas Episcopi, cum affirmauerit *Alphonsus de Leon de off. Capell. q* 8. *sect.* 19. quia est quædam interpretatio voluntatis testatoris, per *Epyciam*, in quo casu quando res est dubia recurrendum est ad Superiorem, ipse *Pasq.* aliter respondet, & in Capellania collatiua, quia Capellanus secundum illum non potest priuari fructibus, nisi per Episcopum, requiritur Episcopi auctoritas ad hoc vt fructus cōuertantur in vtilitatem Ecclesiæ, sed in Capellania non collatiua Episcopi auctoritas non est necessaria, quia ex natura rei restitutio fieri debet, cui de iure, cum verò Capella, seu Ecclesia passa sit damnum in cultu, ei fieri debet restitutio, nec est opus Episcopo voluntatem testatoris interpretante. Alij autem DD. qui sentiunt missas ex iustitia deberi danti stipendium, videtur velle, quod stipendia saltem manualia debeant restitui ijs, à quibus accepta sunt.

1279. Quamuis sæpius determinatio *Alexan. III. in cap. verum de cand. appon.* à nobis adducta

fuerit,

fuerit, & ponderata, quia tameo ipsa præbet fundamentum valdè clarum cognoscendæ veritatis, & soluendæ huius, & plurium quæstionum, valdè erit vtile referre de verbo ad verbum illum textum, & illum iterum atteotè inspicere. *Verum inquit, cum alicui Ecclesiæ qualibet interposita conditione donatur, à donatore donum postea reuocari non potest: nisi forte tali sit conditione donatum, quod ea cessante debeat reuocari.* Hunc verò textum *Gloss. Pauor.* & communiter DD. explicant distinguenter inter donationem propriè conditionatam, & donationem sub modo, causa, vel onere, & dicunt, quod quia in donatione propriè conditionata non transfertur dominium, nisi impleta conditione, quod donatur Ecclesiæ sub conditione spectat ad dantem, & reuocatur, quia eius dominium nunquam transisset in Ecclesiam, sed si donatio sit sub modo, causa, vel onere dominium in Ecclesiam transit, & semper Ecclesia tenetur ad ponendum modum, vel subeundum onus, & illi satisfaciendũ quantũ fieri potest, sed donatũ, semel factum de patrimonio Christi reuocari nõ potest. *DD. in d. c. Verum. Syluest. v. donatio n. 19. & 20.*

1280. Dicendum igitur est primo, quod donatum Ecclesiæ sub onere missarum numquam restituendum est danti, nisi tali sit conditione donatum, quod ea cessante debeat reuocari. Et sic non sufficit, quod sit donatum sub modo, aut onere ad hoc, vt cessante modo, vel non satisfacto onere debeat restitui; sed ad hoc, vt restituendum sit danti exprimi debet in donatione, quod intenditur, vt sit donatum sub conditione propriè, & ita quod non transeat in dominium Ecclesiæ, nisi impleta conditione, qua non impleta donatio nulla sit censenda. Quod si hoc non exprimatur donatio censenda est, vt facta sub modo, aut causa, aut onere, & ideò donatum à donante non potest reuocari. Et ratio est quia in ijs, quæ donantur Ecclesiæ modus, vel causa, vel onus sunt causæ impulsiuæ, non verò finales, cessante verò causa impulsiua, non cessat effectus, nisi sit expressè conuentum. *Sylu. v. donatio n. 20.*

1281. Dicitur secundo, quod hoc est verum nedum de fundis datis pro Capellanijs collatiuis, sed etiam de salarijs Capellaniarum non collatiuarum, & de stipendijs manualibus missarum. Hoc docet *Reuerendissimus Fagnanus cap. significatum num. 22. de præbendis.* Et probatur expressè de stipendijs manualibus missarum, de quibus assertio est difficilior. Colligitur enim primò ex eo quòd vt supra *num. 972.* probatum est Sedes Apostolica disponit de stipendijs huiusmodi iam acceptis, etiam à viuentibus, & vbi aliqua Ecclesia habeat numerum missarum etiam valdè magnum, cui non satisfecit, & nec satisfacere potest, non præcipit stipendia licet sint in maxima quantitate restitui laicis, sed de illis disponit modo sibi bene viso supplendo sua potestate, & alio modo satisfaciendo oneri, quod non faceret, si illa stipendia non essent Ecclesiæ, seu de Christi patrimonio, sed essent bona laicalia. Imò vt ibidem probatum est Sedes Apostolica etiam de in futurum recipiendis disposuit concedendo priuilegia, vt retentis stipendijs datis pro missis obligationi satisfieret per collectas. Sed ratione euidenti probatur. Nam collatio stipendij manualis pro missis, vel non est actus virtutis, vel spes vtilitatis ex missa colligendæ est solum causa impulsiua, & finis est Dei cultus, & obsequium, in quod stipendium datur; si enim oblatio stipendij non datur in finem illius, qui est proprius finis celebrationis missæ, non est actus virtutis, quia est inordinatus, cum non sit ordinatus in finem in quem debet. Sic ergo, qui missam quærit, & petit, cum missa sit sacrificium in Dei cultum, & ideò vel collatio stipendij non est virtus, vel est oblatio facta Deo, in eius cultum. Quamuis causa impulsiua id faciendi sit vtilitas, quam offerens stipendium sperat ex missa. Cum ergo traditio stipendij sit oblatio Deo facta statim transit in dominium Christi, & est de Christi patrimonio irreuocabiliter. Ideò *Sac. Congreg. in Decreto de celebrat. missarum* dicit quidem omittentem missas teneri ad restitutionem, non verò dicit teneri restituere ei, à quo stipendium fuit datum.

1282. Dicitur igitur tertio, quod habens onera missarum, quibus non satisfecit vel potest illis satisfacere, vel per se, vel per alium, vel non potest satisfacere. Si potest satisfacere ad id tenetur & non est aliqua necessitas restituendi emolumentum, vel stipendium; quia stipendium datum est, vt missæ habeantur, & illud iam est inter bona Ecclesiæ, licet cum onere missarum, & sic licet sacerdos peccauerit differendo celebrationem missarum, tamen satisfacere debet, & satisfacit, si missas celebret, Sed si satisfacere non potest, nec per hoc tenetur laicis restituere stipendia etiam manualia, sed recurrere debet ad Sedem Apostolicam, cuius erit, & satisfacere pro missis non celebratis, & de emolumentis missarum non celebratarum disponere. Verum est, quod si stipendia restituantur illis, à quo accepta sunt, remanebit Sacerdos exoneratus onere celebrandi, sed sipericulum, quod stipendium restitutum illis, à quibus acceptum fuit, remaneat apud illos, vt laicale bonũ, nec tradatur alteri Ecclesiæ pro missarum onere implendo potius male faciet, qui tale stipendium laico restituet, & quatenus Ecclesia ratum id non habeat, vel facultatem ad id non cõcedat, tenebitur pro parte sua Ecclesię restituere, quod de eius bonis alienauit. Nam, & laicus, quod semel obtulit pro missa celebranda, quia est Deo donatum pro sacrificio non potest propria eius auctoritate in alium vsum conuertere, nec est amplius suum, sed Christi, & Ecclesiæ.

1283. Et hinc potest ferri iudicium de modis satisfaciendi pro missis omissis, quando missæ non possunt celebrari, quos tradunt aliqui DD. Primus modus est applicandi sub cõditione alias missas, quæ dicuntur pro alijs. Ita *Lezana v. missa num. 28.* Sed hic modus non est aptus, quia debent celebrari aliæ missæ absolutè pro eo, pro quo erant celebrandæ. Hoc tamen potest iuuare ad aliqualem satisfactionem, donec habeatur recursus ad Sedem Apostolicam. Secundus modus est applicandi fructum specialissimum, qui competit sacerdoti. Idem *Lezana ex Filliuc. tr. 5. c. 6. n. 185. & Peyr. tom. 3. de priuil. cap. 1. n. 25. & 29.* quia licet hic fructus non possit applicari alteri ex opere operato, tamen potest applicari ex opere operantis. Sed neque fructus iste specialissimus est applicabilis alteri, nec licet illud applicare, &

quatenus

quatenus liceret, iuuaret, vt dictum est ad aliquam satisfactionem; non verò simpliciter. Et sic idem dicitur de alijs ab eodem *Lezana* recensitis, vt sunt applicare opera satisfactoria; si missa sit pro defunctis applicare illis indulgentias; audire missas pro illis; augere deuotionem in celebrando pro eo, cuius missæ fuerunt omissæ, & alia huiusmodi. Quæ non possunt sufficere nisi forsan pro satisfactione alicuius circumstantiæ omissæ, non verò pro missa, cui non satisfit per æquipollens contra mentem fundatoris. Cum imo nec detur opus operantis, quod æquipolleat missæ, & in ratione diuini cultus & in ratione valoris in fructificando, cum valor missæ sit infinitus. Et ideo qui nõ satisfecit vel tenetur missas celebrare per se, vel per alium, si potest, vel tenetur ad sedem Apostolicam recurrere, & interim emolumentum non potest vt suum retinere, sed illud tenetur restituere.

1284. Capellanum etiam non teneri ad restitutionem missarum, si fortè pecuniam expenderit ad ornandum altare dixit, *Fraxinell. de oblig. sacerd. sect. 4. concl. 5. §. 5.* apud *Tambur. l. 3. c. 1. §. 3. num.* 101. qui tamen hoc limitat primo ad expensas necessarias, quas dicit esse illas, quæ cum decore altaris conueniunt, vt sunt aliqua congrua paramenta, & mappæ; Secus verò si expensæ factæ sint ad ostentationem. Secundo limitat, vt hoc sit verum post factum, non ante. Nam si Capellanus inueniatur se fecisse expensas in ornamenta necessaria altaris bona fide, non tenebitur Capellanus de suo supplere missas, quia ea ornamenta in Dei cultum cesserunt, nec dicendum est fundatorem voluisse Capellanum suum vrgere, imò nõ vrgeret Capellanum in tali casu, sed altare, cui attributa sunt ornamenta, nec in his Capelanus factus est ditior, sed altare. Sed in primis, si Capellanus ex eo quia habeat pingues redditus tenebatur ad talia ornamenta, non est vnde ratione illorum velit minuere numerum missarum, & missas oblitas non supplere. Sed etiam si non tenebatur, & illa ornamenta bona fide fecit, absque animo diminuendi missas, illa igitur ex deuotione sua donauit, & Deo obtulit. Nec potuit ea dedisse animo compensandi omissionem missarum, quia tunc mala fide egisset, & illicitè contra conuentionem fecisset volendo omittere missas promissas, & loco earum ornare altare. Et si dicatur, quod potuit habere animum conditionatum, vt si vnquã contingeret, quod omitteret missas illæ expensæ computandæ essent pro restitutione. Primo hoc non habet locum vbi Capellanus donatarius nihil cogitauit de omissione missarum. Secundo quod primario debet Capellanus sunt missæ, nec æquiualens compensatio est restituere emolumentum missarum, quia illud est omninò improportionatum missarum valori. Ideò qui omisit missas primario si potest tenetur missam celebrare. Igitur si Capellanus hoc potest, non est vnde velit missarum numerum minuere, sed hoc integrum debet seruare; ideò non potest ornamenta donata loco missarum subrogare, sed vnum de duobus tenetur facere, scilicet vel missas omissas celebrare, aut celebrari facere, vel ad Sedem Apostolicam recurrere pro reductione. Tertio quia ille Capellanus si verè ornamenta donauit, non potest per ea compensare obligationem restituendi stipendia missarum omissarũ, cum hæc sit obligatio iustitiæ. Tandem nunquam institutoris voluntas est vt omittatur missa pro ornamentis datis, vel emolumento sibi, suisque hæredibus restituto: sed voluntatis eius est, vt omninò missæ celebrentur. Ideò Capellanus huic obligationi per se, vel alium satisfacere debet, si potest, & si non potest debet recurrere ad Pontificem, qui missas omissas possit supplere.

SVMMARIVM.

1285. QVæritur quinto, an Capellanus obligatus ad celebrandum per se ipsum teneatur ad restitutionem si celebret per alium. *Pasqual. qu.* 1127. putat quod obligatus celebrare per se ipsum possit per tres menses anni celebrare per alium. Et ratio eius est, quia ille non tenetur magis ad residentiam, quam alij ad residentiam obligati; At verò Canonicis, & Episcopis conceditur vacatura trium mensium pro singulis annis. Quod eo magis apparet, quod obligatio residentiæ non oritur in Capellano ex iure Diuino, sed ex dispositione fundatoris. Sed cum obligatus ad celebrandum per se ipsum teneatur frequentius celebrare quantum potest ex *cap. significatum de praben.* si est verum, quod docuit *Pasqual. quæst.* 1111. *num.* 10. scilicet quod hic Capellanus potest semel in hebdomada vacare, quod est vacare ferè ad duos menses, si amplius potest non celebrare per se ipsum per tres menses, & vlterius postea potest vacare ex infirmitate, & alijs iustis impedimentis iam continget, quod per maiorem anni partem vacabit.

1286. Dicitur igitur quod regula vacantiæ à residentia non est vna communis obligatis ad residentiam. Episcopis concessa est vacantia trium mensium, sed non absolutè, sed ex causa, & quidem approbanda, vel à Metropolitano, vel à Pontifice. Parochis est concessa vacantia duorum mensium, sed de licentia Episcopi, sed obligatis ad celebrandum quotidie per se ipsos non est in iure expressè concessa aliqua vacantia, nisi quod in *dicto cap. significatum de prabend.* est expressum, quod obligatio celebrandi quotidie per se ipsum intelligi debet, vt id fiat quanto frequentius potest cum honestate, & deuotione. Et non est eadem ratio de residentia, & alijs. Tum quia cum hoc veniat ex aliqua conuentione aut promissione determinata, in hac parte nedũ

venit ex iure diuino obligante ministros Religionis ad fidelitatem suarum promissionum, & obligationum, sed est obligatio non relaxanda nisi de cõsensu eius, cui facta est obligatio, vel ex facultate Pontificis potentis commutare voluntatem Fundatorum. Residentia autem Episcoporum, & Parochorum non venit ex accepta re temporali à fidelibus sub specifice expresso onere residendi, sed residentia ex iure diuino ex annexa officio curæ animarum, non ex vi conuentionis alicuius iustæ cum illis, qui dant Pastoribus sustentamentum vitæ. Deinde cum obligatio celebrandi per se ipsum ratione materiæ sit talis in qua iusta causa celebrandi per alium sæpius, & in quocumque anni tempore possit contingere, non potest vacantia ab huiusmodi obligatione regulari per menses continuatos, & determinatos, sed in quocumque mense, & adesse potest iusta causa non celebrandi per se ipsum, & vnde non est vacantia ad certos menses redigenda, nec melior regula assignari potest, quam illa, quæ ex *d. cap.* significatum habetur, vt scilicet vacet quando id petit infirmitas, vel honestas. Et in hoc etiam distinguitur hæc residentia ab alijs, quod cum parum regulariter intersit an Capellanus celebret per se ipsum, vel per alium, facilius valde adesse poterit causa iusta vacandi, dummodo missa per alium celebretur, quam dari possit causa iusta non residendi in illis, qui habent curam animarum; in quibus non residantia damna maxima potest causare in animabus. In arbitrio ergo boni viri est, vt Capellanus non celebret per se ipsum ex iusta causa, dum tamen celebret per alium.

1287. Sed si Capellanus habeat solum iustum emolumentum *Pasqual. q. 1127. num. 7.* putat quod non tenetur ad aliquam restitutionem, quia totum quod recipit respondet celebrationi, cui Capellanus satisfacit celebrando per alium; Sed de Capellano collatiuo absolute docet quod ad restitutionem non tenetur, quia tunc Capellania est beneficium Ecclesiasticum, & Capellanus habet administrationem bonorum illius, & recipit fructus ratione tituli, & institutionis. Et confirmatur, quia *Concil. Trident. sess. 24. c. 12. de reform.* non obligat Canonicos non residentes ad restitutionem fructuum secundum portionem correspondentem, sed decernit quod in pœnam primo anno priuentur dimidia parte fructuum, & in secundo omnibus fructibus, & tertia vice procedatur contra ipsos iuxta Sacros Canones; si igitur sunt priuandi, sequitur quod faciunt fructus suos, & quod non tenentur ad restitutionem.

1288. Sed ex prædictis dicitur quod restitutio in hac materia fieri debet quatenus sit præcepta per Sedem Apostolicam sub cuius dispositione sunt emolumenta missarum. Et hoc satis valde confirmatur tum ex citata doctrina Conc. Trid. qui Canonicos non residentes non obligat ad restituendum fructus, sed bene vult vt eis priuentur, vel pro parte, vel omnibus respectiue. Et in Concil. Lateran. vbi obligantur Beneficiati non recitantes officium ad restitutionem, tamen huic pœnæ non subijciuntur, si officium non dixerint intra primos sex menses, sed solum si post sex menses obtento beneficio officium diuinum omittant. Ex huiusmodi enim locis colligitur quod obligatio restituendi in his non est ex natura rei præcisa ordinatione Sedis Apostolicæ: quia ista bona Deo oblata, tanquam de Christi patrimonio sub dispositione Pontificis, & eius administrationa maneat, & cum alias ab eadem Sede Apostolica sint tradita, & applicata pro sustentatione sacerdotum, nisi prohibeantur, illi faciunt sua similia emolumenta, & licet vbi non subeant onera sub quibus illa concessa sunt, peccent, & semper maneat super humeros eorum onus portandum; & teneantur reddere indemnes eos, qui dederunt eleemosynas, tamen emolumenta restituere non tenentur, nisi secundum beneplacitũ Sedis Apostolicæ, & si per eam priuentur, ne faciant fructus suos. Hoc autem est verum nedum de redditibus beneficiorum, sed etiam de salarijs Capellaniarum, & stipendijs manualibus missarum, quæ etiam sunt simpliciter bona Ecclesiastica, quæ transeunt in Ecclesiæ dominium, vt supra sæpius est probatum.

1289. Scio esse quorumdam opinionem, quod beneficiatus ex natura rei teneatur ad restitutionem, si omittit officium, & propterea quod ad id teneatur etiam intra primos sex menses à possessione beneficij, si suum officium omittat. Ita enim sentit *Suarez lib. 4. de horis Canon. cap. 29. num. 1.* plures pro eadem sententia referens, & inter alios *Couar. l. 3. variarum cap. 13. num. 10.* qui tamen loquitur in terminis Concil. Lateranen. Id sentiunt *Calder. cap. 1. de celebr. missar. Angelus v. Hora num. 31. Gemin. in cap. vlt. de rescrip. num. 4. in 6.* Nonnulli alij quoque pro hac sententia referuntur, sed opposita sententia longe communior est vera, & amplectenda quam tenuerunt *Panorm. in cap. 3. de celebrat. missarum num. 8. Sylu. v. Clericus 4. q. 23. num. 16. Tabien. v. Beneficium 3. num. 51. Rosella num. 28. Armilla v. Beneficium num. 69. & v. Clericus num. 27. Quarenta v. Hora Canonica. Carolus Macignus. Molderus, Toletus, Lessius Filliucius* quos sequitur *Bonac. disp. 1. q. 5. p. 2. num. 9. Azor. par. 1. l. 10. cap. 14.* sententia enim opposita duplici ratione innititur. Suarez fundatur, quia omissio in beneficiato sit contra iustitiam commutatiuam. Sed hoc verum non est. Vel enim sentit, quod hæc iustitia sit respectu laicorum, qui dederunt bona temporalia, quibus gaudent Beneficiatis sed hoc nõ potest intelligi nisi simul dicatur, quod laici ex contractu, & pacto obligante sub iustitia commutatiua dederunt bona temporalia pro recitatione horarum; quod est omnino simoniacum: Et ita nequit intelligi quod Beneficiati ex iustitia cõmutatiua erga laicos teneantur ad restitutionem, si omittant officium, nisi admittendo quod tam laici, quam Ecclesia simoniam admittant; Vel intelligitur quod Beneficiatus teneatur ad horas canonicas ex iustitia commutatiua erga Ecclesiam ipsam, & Pontificem Beneficia conferentem. Et hoc modo nec vitatur simonia, quia hoc si intelligatur vt proueniens ex pacto, & contractu inito inter Ecclesiam, & beneficiatum iam Ecclesia beneficia vendit, & sub pretio illa dat, quia dicitur quod illa dat ex pacto obligante ex iustitia commutatiua. Nec valet dicere, quod non sit simonia dare ex pacto spirituale pro spirituali, & sic non sit simonia ex pacto dare beneficium pro horis canonicis. Quia & hoc assumptum est falsum, vt fert communior senten-

nia, & indignum est dicere, quod Ecclesia beneficia vendat sub pacto, & facto suo velit approbare, quod liceat ex pacto dare spirituale pro spirituali. Et hoc vnde colligunt, aut colligere possunt DD. illius sententiæ, scilicet quod Ecclesia non dat gratis, & religiosè beneficia, sed illa vendat ex pacto, ac si venderetur prædium aliquod pro obsequio temporali? Indignum igitur est imaginari quod Ecclesia tractet cum beneficiatis ex æqualitate, & tanquam priuata persona cum priuata, & quod sub pacto obligante sub iustitia commutatiua obliget Beneficiatos ad horas Canonicas. Dices posse intelligi hanc obligationem interuenire absque eo quod interueniat contractus, & pactum hoc mutuum, & onerosum, ex eo quod Ecclesia Beneficiatis donet Bona, & præbendas sub conditione, aut modo, & onere recitandi horas canonicas. Respondetur tamen, quod hæc fuit ratio altera, & fundamentum antiquorum, sed hoc pro quanto continet veritatem retorquetur contra illam sententiam; nam probat euidenter nostram. Aduertendum tamen est, quod minus conuenit rationi dicere quod Ecclesia bona donet Beneficiatis sub conditione propriè dicta; quia in donatione sub conditione donatarius non fit dominus rei donatæ nisi conditione impleta. Beneficiati verò statim fiunt domini beneficiorum. Et si dicatur, quod licet fiant domini administrationis, non tamen fiunt domini fructuum nisi adimpleta conditione recitationis horarum, habetur euidens instantia in contrarium; Nam Beneficiatus statim fit dominus fructuum à tempore quo illos colligit, etiam si in futurum pendeat Horarum recitatio, & contingere possit, & contingat, quod illas non recitet; Ergo collatio Beneficiorum non potest intelligi, vt sit donatio sub conditione propriè dicta. Non igitur potest dici, quod Beneficiatus teneatur ex iustitia commutatiua restituere, ex eo quia ex vi collationis Beneficij conditionata non faciat fructus suos nisi post officij recitationem, & ita recitandi teneatur illos restituere, vt non teneat alienum inuito domino. Præterea cum Ecclesia statuerit solum, quod Beneficiati restituant post primos sex menses si omittant officium, ex hoc colligitur quod ex natura rei collatio Beneficiorum non est donatio sub conditione propriè dicta; quia si hoc esset non fuisset necessarium quod Concil. Lateranen. nouo statuto præciperet, vt Beneficiati omittentes officium restituerent fructus, & non fuisset hoc decernendum tanquam nouum statutum, sed fuisset declarandum hoc esse de iure naturali, & nedum post sex menses, sed & intra sex menses. Et *Concil. Trid. loco citato* debuisset obligare Canonicos non residentes ad restituendum absque iudicis mandato, non verò debuisset præcipere vt per iudicem priuarentur fructibus. Constat igitur, quod collatio beneficiorum non est donatio sub conditione propriè dicta.

Est verò donatio sub modo, & onere, & hoc etiam fatentur *Calder. & alij*; sed ex hoc euidenter concluditur, quod illi inconsequenter loquuntur. Quia secundum communem doctrinam in donatione sub modo donatarius statim à traditione doni acquirit dominium illius, & licet non impleto modo, vel onere donatum repeti possit, *l. 1. & 2. & fin. C. de donat. sub mod.* Tamen donatarius non tenetur restituere statim in conscientia, donec repetatur, quod sub modo donatum fuit. Nisi ergo Ecclesia à Beneficiato omittente officium repetat fructus non tenetur ille restituere. Nulla verò extat lex Canonica, quæ à Beneficiato omittente horas repetat fructus nisi lex *Concil. Lateranen. & Pij V.* quæ non repetit hos fructus à Beneficiato, si infra primos sex menses omittat officium; non tenetur igitur eos in conscientia restituere, quamuis iustè puniri possit, & per iudicem Ecclesiasticum fructibus puniri. In donatione verò sub modo, quando iustè repetitur donatum idem est, ac si fuisset donatum sub conditione, & donatarius tenetur illud restituere ne iniustè alienum retineat; Et hoc modo intrat iustitia commutatiua prohibēs alienum inuito Domino retinere. Et hoc modo Beneficiatus omittens Officium Diuinum tenetur celebrare, & ex hac eadem causa in terminis *Decreti de celebrat. missarum*, tenetur restituere, qui non celebrat tot missas, quot promisit.

1290. Ad quæst. igitur nostram redeundo dicitur, quod Beneficiatus, vel Capellanus, vel simplex Sacerdos, qui celebrat per alium si ei datum est solitum emolumentum non tenetur aliquid restituere. Tum quia non est lex, quæ illum ad hoc obliget. Tum quia integrum emolumentum, & solitum tenetur dare illi Sacerdoti, qui celebret pro illo, & decernitur in decreto de celebratione missarum. Tum quia quatenus is, pro quo Sacerdos tenebatur celebrare per se ipsum passus sit aliquod damnum spirituale, seu pro infidelitate commissa in omissione circumstantiæ celebrandi per se ipsum, sacerdos infidelis satisfaciet alijs bonis operibus, vt qui missam commendauit seruetur indemnis. Quod & est verum absolutè. Nam vel Sacerdos commendans missam, alteri Sacerdoti tenetur illi dare totum stipēdium, quod ipse recepit, & ita nihil sibi remanet stipendij, quod restituere teneatur, vel Sacerdos est beneficiatus, & non tenetur dare totum stipendium, sed sufficit, quod det solitum, & sic non tenetur ad restitutionem, quia non est lex, quæ ad hoc illum obliget, sed sufficit quod celebranti loco sui det stipendium, & quod alias in spiritualibus reddat indemnem illum, qui dedit stipendium pro missa. Quamuis vbi sacerdos sæpius sine causa omitteret circumstantiam hanc celebrandi per se ipsum grauiter puniri debet.

SVMMARIVM.

1 *Opiniones variæ.* num. 1291.
2 *Contradictio in dictis aliquorum, ex quibus deducitur simonia.* num. 1292.
3 *In obligatione restituendi ob omissionem celebrationis non est discrimen inter Capellaniam non collatiuam, & collatiuam.* num. 1293.
4 *Vbi obligatio celebrandi est pure localis omittens celebrare in loco tenetur ad restitutionem.* num. 1294.
5 *Idem dicitur vbi obligatio sit principaliter localis.* num. 1295.
6 *Vbi Capellanus habet speciale emolumentum pro celebrando in loco si omittit tenetur ad illius*

restitutionem? num. 1296.

7 *Secus vbi non habet speciale emolumentum.* num. 1297.

8 *Nisi principalis obligatio sit localis.* num. 1297.

9 *Sacerdos etiam tenetur speciale emolumentum restituere, si missam localem omittit.* 1298.

10 *Restitutio debet fieri Ecclesiæ, in qua missa erat celebranda.* num. 1298.

11 *Sacerdos non tenetur restituere fructum accidentalem, qui coniunctus fuisset celebrationi locali.* num. 1299.

12 *Sacerdos omittens localem celebrationem restituto stipendio non tenetur restituere damnum spirituale passum à non audientibus missam.* n. 1299.

13 *Qui non celebrauit in altari priuilegiato tenetur quantum potest alias ibi celebrare, & vel reddere æquiualens, vel stipendium restituere.* num. 1300.

14 *Principalior obligatio est reddendi spirituale promissum.* num. 1301.

1291. QVæritur sexto, an qui non celebrauit missam in loco deputato teneatur, & quid, & quomodo restituere? Absolutè loquendo, quod Capellanus non celebrans in determinato loco, sed alibi teneatur ad restitutionem, tenent *Azor. p.* 1. *l.* 10. *cap.* 24. *q.* 8. *Fagund. prec.* 1. *Eccl. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 2. & apud *Pasqual. q.* 1148. *Cenedus, Graff. Diacastill. Thomas Hurt. & Henriq.* sentientes tamen restitutionem esse faciendam cum proportione. Ratio verò est, quia non stat pacto, aut contractui, & non satisfacit obligationi suæ. E contra verò, quod non teneatur ad restitutionem voluerunt *Bonac. disp.* 4. *p. vlt. num.* 7. §. 4. *num.* 5. *Barbos. de pot. Epist. alleg.* 24. *num.* 36. *Leander tract. disp.* 4. *q. Diana p.* 5. *tract.* 14. *res.* 29. *Tambur. l.* 3. *cap.* 2. §. 1. *num.* 7. *Lezana v. missa Tambur. l.* 3. *cap.* 4. §. 3. *num.* 2. *Possevin. Fraxinel. Franciscus Lugo, Mucb. Garz. Burdos, & Faustus apud Pasqual. d. q.* 1148. Et eorum ratio est. Tum quia debitor, qui soluit debitum in loco non conuento non tenetur ad restitutionem, nisi quãtum interfit creditoris, modo nihil intersit fundatoris Capellaniæ, quia, licet alibi, missa sibi soluitur, nec aliquo missæ fructu priuatur. Tum secundo, quia Capellanus licet celebrando alibi, quam in loco deputato peccet, non peccat tamen contra iustitiam, cum non priuet fundatorem aliquo suffragio debito, obligatio verò restituendi non consurgit nisi ex læsione iustitiæ. At verò *Pasqualig.* primo displicuit, quod habet hæc sententia, quod scilicet Capellanus celebrando exibeat, quod tenetur ex iustitia, quia non fraudat fundatorem aliquo suffragio; nam hoc modo loquendi videntur significare, quod applicatio sacrificij veniat in contractum, & sit id, quod sit debitum ex iustitia, per quod induceretur simonia, si contractus super ipsa interueniret. Et subdit quod deinde est etiam falsum, quod non celebrando in tempore, & loco præscripto, sed alio tempore, & alibi exhibeat totum id, quod debet ex iustitia. Quia quando quis suscipit aliquod onus cum debita recognitione, tenetur exhibere ex iustitia totum id, quod assumpsit implendum. Vnde cum Capellanus non solum assumat onus celebrandi, sed etiam in tali loco, & tempore, si non celebret in loco, & tempore præscripto, non exhibet totum id, quod debet ex iustitia. Hoc verò supposito distinguit inter capellaniam collatiuam, & non collatiuam, & de non collatiua ait, quod si stipendij nihil speciale datur propter localem celebrationem, Capellanus alibi celebrans, quam in loco consueto nihil restituere tenetur, quia ratione localis celebrationis nihil sibi tribuitur, quod restituere teneatur; loquendo autem de Capellano collatiuo absolutè docet, quod non tenetur ad restitutionem, quia facit fructus suos ratione tituli beneficij. Quod & ex eo constat, quod vt Beneficiati Curati faciant fructus suos, quando nõ resident, necesse fuit, quod inter alias pœnas imponeretur pœna restitutionis fructus pro rata temporis, quæ illis imposita fuit per *Pium IV. Constit.* 10. *& per Concil. Trid. sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* Nec potest dici, quod Beneficiato fructus spectent resolubiliter, quia fructus illis debentur consequenter ad titulum beneficij, qui non resoluitur nisi Beneficiatus priuetur beneficio.

1292. At mihi primo videtur inintelligibile, quod *Pasqual.* sibi in eodem contextu non sit contrarius, & incidat in illud idem inconueniens, quod in illa sententia reprehendit. Nam ex eo, quod illa sententia dicebat, quod Capellanus alibi celebrans, exhibet celebrando quod debet ex iustitia, quia non fraudat fundatorem aliquo suffragio, ipse, & quidem benè subdit, quod dicta sententia ex hoc modo loquẽdi videtur significare, quod applicatio sacrificij veniat in contractum, & sit id, quod sit debitum ex iustitia; quia si illa sententia ideò negat quod Capellanus in hoc casu exhibet id, quod debetur ex iustitia, quia exhibet suffragium missæ, quod facit Capellanus applicando fundatori missam a se celebratam; igitur ad mentem illius sententiæ id, quod debetur ex iustitia est applicatio missæ, & hæc illa est, quæ venit in contractum; Nam nihil debetur ex iustitia ratione rei acceptæ, quod non debeatur ex contractu, & quia qui dat, dat vt alius ex iustitia retribuat; & qui retribuit id non facit, nisi quia ex quo accepit sibi datum ex pacto retribuendi, tenetur ex iustitia retribuere, & sic coincidunt in idem teneri ex iustitia, non quidem ratione iniustæ acceptationis, sed ratione rei acceptæ, & deberi ex pacto, & contractu; vnde si applicatio sacrificij est illa, quæ debetur ex iustitia, illa eadem est, quæ venit in contractum; vnde optimè infert *Pasqual.* quod ex hoc inducitur simonia, si contractus in applicatione sacrificij interueniat, illaq; sit, quæ debetur ex iustitia, & quæ venit in contractum. Totum hoc verum est. Verum cum ipse statim concedat, quod celebratio missæ, & in loco deputato debetur ex iustitia, benè sequitur, quod celebratio missæ, & celebratio missæ in loco veniat in contractum, cum verò certissimum sit, & indubitatum quod celebratio missæ in loco sacro præfixo sit aliquod spirituale, & sacrosanctum, igitur eodem modo per *Pasqualig.* inducitur simonia, quia admittitur, quod celebratio missæ in loco sacro ex iustitia debeatur danti stipendium temporale, & quod illa veniat in contractum, & quod sub pacto: ideoq; & pro pretio temporali tamquam illius recompẽ-

factio debeatur. Totum enim & secundum veritatē, & in consequentia, quam facit *Pasq.* contra illam sententiam necessario deducitur. Ideò & dixi pluries, & pluries repetam, quod Capellanus ex iustitia non tenetur celebrare, nisi consequenter, & quia non celebrando nō facit fructus suos, sic Ecclesia quæ Patrimonij Christi est domina disponit, & ex consequenti ne retineat alienum inuito domino, aut tenetur celebrare, prout promisit, aut restituere, quod accepit.

1293. Difficultas itaque præcipua est, quando Capellano, vel sacerdoti datum est pingue emolumentum, seu stipendium principaliter intuitu celebrationis loci. Nam tunc celebratio in loco se habet non vt accessorium, & circumstantia, sed vt quid principale, cuius intuitu, & sub cuius onere datum est ministro Ecclesiastico suū sustentamentum. *Pasqualig. qu.* 1148. distinguit inter Capellaniam collatiuam, & non collatiuam, & capellanum collatiuum eximens à restitutione, putat, quod Capellanus non collatiuus teneatur restituere Ecclesiæ illi, in qua missa erat celebranda. Sed non credo differentiam subsistere, quia licet capellania collatiua sit beneficium, attamen tam titulus eius, quam fructus beneficij ab Ecclesia dantur Capellano sub onere celebrationis localis iuxta mentem fundatoris; igitur etiam in tali Capellano excessus datus intuitu celebrationis vt localis, est datus sub onere celebrandi in loco, sicut, & in Capellania non collatiua, igitur vtriusque Capellani in hoc est eadem ratio.

1294. Mihi igitur primo distinguēdum videtur obligatio mere, & pure localis, ab ea, quæ respicit etiam Dei cultum absolutè, & applicationem missæ pro fundatore. Et sic dico primo, quod vbi obligatio ad celebrādum in loco sit purè localis Capellanus, seu sacerdos, qui in loco non celebrat tenetur ad restitutionem. Hic casus est certus, quia non celebrare in loco, quando obligatio est merè localis, & simpliciter non celebrare coincidunt in idem, quia fundator non intendit nisi celebrationem vt localem, quæ si illi non redditur, nihil redditur eius, quod ipse petijt, & pro quo emolumentum dedit. Imò etiam si huiusmodi Capellanus alibi celebret, non satisfacit obligationi; quia obligatio est affixa illi loco, & si ibi non celebretur, nihil datur fundatori eius, pro quo Capellaniam fundauit.

1295. Quando verò fundator Capellaniæ induxit obligationem non localem solum, sed etiam quantum ad missæ applicationem, si nihilominus principale intentum suum fuit obligatio, vt localis, verbi gratia pro commoditate populi, vt possit audire missam commodè in die festo. Dico secundo, quod Capellanus omittēs celebrare in loco etiamsi alibi celebret, tenetur ad restitutionem stipendij, seu emolumenti, quia quantum ad principale intentum fundatoris idem est, ac si non celebrasset; vnde si non ad totius emolumenti restitutionem, saltem ad principalioris partis, & maioris tenetur, quia principali intentioni fundatoris non satisfecit, sub cuius satisfactionis conditione sibi ab Ecclesia ministerium celebrandi est commissum.

1296. Dico verò tertio, quod vbi obligatio non sit solum localis, etiamsi Capellanus alibi celebret, ex quo tamen omittit celebrare in loco præfixo pro quo habet speciale emolumentum, est in tali Capellano ea obligatio restituendi, quæ in Clericis, seu Beneficiatis, seu Capellanis est ex natura rei, quando non satisfaciunt eorum officijs, seu oneribus, sub quibus ab Ecclesia dantur sibi officia, Beneficia, Capellaniæ, &c. Quamuis verò vt quæs. supra probatum est, hæc vniuersaliter non sit obligatio restituendi in conscientia ante superioris præceptum aut sententiā, aut legem, vnde hæc restitutio fieri debet secundum dispositionem Sedis Apostolicæ: Et quamuis S. Congregatio expresè non obliget ad restitutionem, nisi Sacerdotes, qui omittunt celebrare tot missas quot ad præscriptum eleemosynarum sibi præscriptæ sunt, & illi promiserūt acceptando eleemosynas: Nihilominus satis verisimile est dicere, quod S. Congregatio, quæ intendit facere, vt piæ voluntates fidelium missas commendantium impleātur, & quod sacerdotes id obseruent in hac parte quod promiserunt, in eo quod declarauerit eum teneri ad restitutionem, qui omittit celebrare tot missas, quot promisit implicitè, & virtualiter declarauerit hoc dicendum esse in omissione cuiuscumque circumstantiæ missæ, quando illa est ita intenta, vt pro ea datum sit speciale emolumentum. Et præcipuè in circumstantia loci, ex cuius omissione nedum Altare, vel Ecclesia contra mentem Fundatoris priuatur cultu, sed forsan etiam fideles priuantur commoditate missæ. Et quamuis hoc non sit omninò certum, quia non est secundum se omninò eadem ratio de omissione missæ, & de omissione vnius circumstantiæ, nimirum de omissione celebrationis in loco; nihilominus hoc est securius, & inspicienti decretum de celebr. missar. verosimilius.

1297. Dico quarto quod vbi pro celebratione in loco non datur speciale emolumentum sacerdos Capellanus alibi celebrans non tenetur ad restitutionem. Nam tunc obligatio, vt localis non debet intelligi cum tanto rigore, quia nec decet, neque est rationabile, quod fundator voluerit quod emolumentum proportionatum vno oneri tantam induceret obligationem talem pro duobus, vt etiam satisfacto oneri principali, cui emolumentum proportionatum est, adhuc in Capellano esset obligatio restituendi si aliud minus principale omitteretur: quod eo magis explicatur quia in hoc casu oneri, vt locali, quid nimirum respondere, & quidem detractum ab eo, quod ex lege debetur oneri celebrationis missæ secundum substantiam. Vnde in hoc casu vera est sententia eorum, qui dicunt omittentem celebrare in loco, si alibi celebret non teneri ad restitutionem. Quod tamen limitandum est, nisi principale intentum fundatoris sit obligatio vt localis, applicatio verò missæ in intentione fundationis se habeat, vt quid accessorium, & secundarium. Nam in hoc casu, quia omittere celebrationem localem est defraudare fundatorem in principali intentione, & in eo, pro quo principaliter ille dedit emolumentum, ideò hæc principalis intentio attendi debet, & sacerdos defraudans haberi debet principaliter, ac si nullibi celebrasset, quia non celebrauit in loco præfixo, quod erat de principali intentione fundatoris. Tunc ergo Sacerdos tenetur ad restitutio-

nem

nem emolumenti saltem pro principaliori,& maiori parte.

1298. Dicitur quinto, quod loquendo de Sacerdote ex stipendio manuali obligato ad celebrandum in loco, etiamsi pro celebratione vt locali habeat pinguius stipendium, & speciale emolumentum, si ipse per se ipsum alibi celebret, tenetur iuxta dicta in tertia conclusione ad restitutionē illius specialis emolumenti, quod respondet obligationi, vt locali. Sed si celebret per alium; posset etiam dici, quod tunc non teneretur dare celebranti totum integrum pingue stipendium, sed deberet retinere partem respondentem celebrationi, vt locali, vt dandam ei, cui de iure. Sed consideratur, quod illa pars non est restituenda laico, qui illam dedit, sed potius Ecclesiæ, vel altari, in qua missa erat celebranda, hoc enim verisimiliter dicitur, quia Ecclesia, vel altare habuit damnum, alias verò laico non est facienda restitutio, quia ille partem illam Deo, & Ecclesiæ donauit, & illa est iam in Ecclesiæ bonis computanda. Et in omni casu, in quo principale intentum commendantis missam esset celebratio, vt localis, non satisfieret, si alibi celebraret per se, vel alium, sed iuxta prædicta intraret obligatio restituendi; Putat *Tambur. l. 3. cap. 4. §. 1. num. 7.* quod obligatus celebrare in aliquo loco per se ipsum, si ipse alibi celebret applicando sacrificium pro fundatore, & in loco celebrando per alium sacerdotem sine applicatione, quod satisfaciat, & ad restitutionem non teneatur, nisi simul cum obligatione locali sit indiuisibiliter annexa applicatio, vt est quando eligitur altare ratione priuilegij, & indulgentiæ, tunc enim à celebrante in altari debet etiam applicari missa, vt obtineatur indulgentia.

1299. Ex DD. etiam, qui negarunt Sacerdotem non celebrantem in loco præfixo teneri ad restitutionem, aliqui id cum limitatione nonnulla admiserunt. *Diana enim p. 2. tr. 14. ref. 29.* dixit sacerdotem teneri ad restitutionem, si ex hoc fundatori aliquid emolumenti spiritualis defuit, vt puta quia defuit oratio plurimorum, qui orassent pro fundatore, aut pro defunctis illius, si in loco præfixo missa celebrata fuisset. Sed hoc reijciunt *Tambur. l. 3. cap. 2. §. 1. nu. 8. & Pasqu. quæst. 1202.* Tum quia huiusmodi orationes non sunt debitæ fundatori ex Iustitia commutatiua; Tum quia incertum est an adfuissent, & quales, & quantæ adfuissent, vbi autem quis non est certus, quod damnum intulerit, non tenetur restituere, vt per *Gloss. in cap. fin. v. nulla temporis de præscript. Panorm. ibid. num. 39. Syluest. v. præscriptio primo q. 3. v. tertium, & alios, quos idem Pasqualig. citat.* Sed veritas est, quod Sacerdos ex iustitia non tenetur celebrare in loco præfixo, sed ex fidelitate officij sui, idrò etiam si non celebret propterè non est iniusta causa damni, seu lucri cessantis ex non celebratione. Nec Sacerdos se obligat ad huiusmodi consequentia accidentalia celebrationi, & posset celebrare in loco, tunc cum nullus adesset missæ, nec per hoc esset iniustus in fundatorem. Vnde non tenetur ad restituendum huiusmodi fructū quē accidentaliter, vt supra, fundator consecutus fuisset, si missa celebrata fuisset in loco præfixo, si Sacerdos alibi celebrauit. Verum aliud considerandum est damnum, quod consequi potest ex non celebratione in loco præfixo, quod est damnū omissionis missæ, & forsan in die festo. Nam si celebratio localis sit inducta pro commoditate populi, si omittitur missa in loco, hæc omissio est causa, quod multi non audiant missam, qui illam audiuissent. Et benè contingere potest, quod in die festo multi decepti spe audiendi missam Capellani, aliunde non quærant missam, & sic missam in die festo non audiant, quod quidem ad augendam culpam omissionis sine dubio valde conducit. Propriè tamen Sacerdos præter stipendium quod iuxta prædicta non facit suum, & tenetur illud restituere, si omittit missam localem non tenetur restituere aliud, quia missam ex iustitia commutatiua illis non debebat. Nedum quia missa cum non sit vendibilis, non potest cadere sub obligatione iustitiæ commutatiuæ. Sed quia etiam si interuenire posset obligatio iustitiæ, hæc esset erga fundatorem principaliter, & huic obligationi sacerdos satisfaceret, si redderet stipendium quod pro celebratione habuit. Per hoc enim ad æqualitatem reduceretur inæqualitas, si tantum sacerdos redderet pro omissione missæ, quantum pro missæ non omissione recepisset. Alias verò magna inæqualitas esset, si sacerdos teneretur restituere stipendium, & alterius etiam missam, seu fructum, & lucrum, quem consecutus fuisset fundator in audientibus missam. Sic nec Beneficiatus omittens officium, vel Canonicus non assistens choro tenentur restituere fructū, quem in se, & suis consecutus fuisset fundator, si officium recitatum fuisset, vel priuatim, vel in choro, sed ambo satisfaciunt si iuxta dispositionem *Concilij Lateranensis, & Triden.* iacturam fructuum ad ratam sustinent.

1300. Alij aliam limitationem adhibuerunt dicentes Sacerdotem non celebrantem in loco præfixo teneri ad restitutionem, si ex hoc fuit causa damni. Vt si altare, in quo celebrare debebat erat priuilegiatum, & sacerdos in non priuilegiato celebrauit, quia sic fuit causa, quod fundator non acquisiuit indulgentiam plenariam altaris priuilegiati. *Bonac. disp. 4. q. vlt. p. 7. §. 4. num. 5. Franc. Lugo lib. 5. cap. 11. q. 5. n. 57.* Sed & hoc reijciunt *Tambur, & Pasqual. citati* sed eorum rationes eodem vitio laborant. Nam licet indulgentia altaris priuilegiati non debeatur ex iustitia; ex quo tamen à Pontifice est pro opere aliquo cōcessa, si alicui debetur opus, cui est annexa indulgentia, debetur indulgētia ipsa, & si iniustè negatur opus, is cui opus iniustè negatur damnificatur iniustè, quia iniustè impeditur ne obtineat, quod acquisiuisset, si sibi, quod debetur redditum fuisset. Quod verò dicitur de incertitudine consecutionis indulgentiæ, & ex consequenti de incertitudine damni dati, quia incertum est, an anima, pro qua lucrari debebat indulgētia ea indigeret; eius enim erat incapax, si vel beata, vel damnata erat, & amplius poterat esse, quod per solam missam liberata fuisset à purgatorio, & potuit etiam esse, quod Deus non acceptasset illam indulgentiam pro anima illa, vnde prorsus incertum est an damnum a[illegible]od fuerit causatū: quod, inquam, sic di[illegible]r n[illegible]n sufficit, quia doctrina non bene applicatur, & confunditur missa lucra.

tiua indulgentiæ plenariæ cum indulgentia, seu actio lucratiua cum lucro. Si quis enim conueniat cum aliquo de actione lucratiua licet incertè, & conuentioni nō satisfaciat, quamuis non teneatur restituere totum lucrum, quod est incertum an adfuisset, tenetur tamen restituere actionem lucratiuam de se, quam iniustè non habuit. Nam qualitas actionis, vt lucratiuæ, facit vt plus illa valeat, quàm actio non lucratiua, & qui promisit actionem lucratiuam iniuriam facit, si non stat contractui, & si non dat actionem cum qualitate lucratiuæ. Semel igitur admisso, quod illi DD. admittunt, scilicet, quod celebratio debeatur ex iustitia, iniustè omittitur celebratio ad altare priuilegiatum. Sed veritas quidem est, quod Sacerdos ex iustitia commutatiua missam non tenetur dicere, nec ad altare priuilegiatum, nec ad quodlibet altare, ad id tamen tenetur ex iustitia religiosi sui ministerij. Quod si prout promisit recepto stipendio non celebrat missam ad altare priuilegiatum, non dicitur quod teneatur reddere indulgentiam, sed dicitur quod tenetur reddere actionem de se lucratiuam indulgentiæ. Sic enim & quando omissio actionis debitæ de sua natura est damnificatiua, quia actio omissa est lucratiua, qui omisit tenetur reddere indemnem eum, cuius intuitu tenebatur agere, & tenetur lucratiuè agere, aliter illi causat hoc damnū, quod est non posse lucrari id, ad quod lucrandum actionem lucratiuam ordinauit. Igitur Sacerdos, qui prout debebat in altari priuilegiato non celebrauit, tenetur reddere indemnem eum, qui missam commendauit, & si potest tenetur in alio altari priuilegiato celebrare. Et si hoc facere non potest, tenetur ad dispositionem Ecclesiæ stipendium restituere, quia illud recepit sub onere, cui non satisfecit, nec potest amplius satisfacere. Vbi tamen qualitati altaris priuilegiati satisfecerit (si non potest aliter) saltem per æquipollens, nimirum lucrando indulgentias plenarias non aderit necessitas restitutionis ipsius stipendij.

1301. Addo verò, quod in Sacerdote ministro religioso principalior obligatio semper est vt subeat onus spirituale, & si omisit, iterum reddat, quod debebat, si fieri potest, & ab hac obligatione nunquam est liber. Quando verò iam non posset oneri satisfacere, prout promisit, tunc intrat onus restituendi emolumentum, vel illud tradendi alteri, qui pro se satisfaciat.

SVMMARIVM.

1 *Si obligatio præfixa diei sit simul vere localis sacerdos omittens tenetur ad restitutionem* n. 1302
2 *Etiam si sit Capellanus collatiuus.* num. 1302.
3 *Qui missam, quam distulit celebrat non tenetur ad restitutionem stipendij.* num. 1303.
4 *Obligatus principaliter ad locum, vel tempus, si omittit tenetur ad restitutionem.* num. 1304.
5 *Iuste impeditus ab obligatione locali, vt locals, non tenetur ad restitutionem.* num. 1304.
6 *An obligatio restituendi possit compensari per alias missas.* num. 1305.

1302. QVæritur 7. An, & quomodo restituere debeat, qui nō celebrat in tempore præfixo, sed differt missam? Dicendum quod pluribus modis potest contingere hæc dilatio, seu omissio. Primo, quando obligatio præfixa diei sit simul purè localis, & affixa loco. Et in hoc casu idem est non celebrare præfixo tempore, & non celebrare simpliciter: & ideo est obligatio restituendi. Nec satisfieri potest celebrando alio die, etiam in eodem loco, quia hoc non deseruit intentioni celebrantis obligatis ad celebrationem missæ affixæ ipsi tempori, & iste applicando cui pro quo celebrare debebat fructū missæ nō satisfacit, vt vitet culpam transgressionis suæ obligationis, quia ille tam non quæsiuit; nec pariter satisfacit celebratio localis alia die, quia commoditas, quam quæsiuit est commoditas obtinenda pro illa die. Et ideò in hoc casu coincidunt non celebrare die præfixo, & non celebrare simpliciter, seu non celebrare tot missas, quot sunt præscriptæ pro data eleemosyna, vnde est obligatio restituendi. *Dicastill. tr. 5. de Sacram. disp. 4t.* quem sequitur *Pasqual. q. 1203.* qui tamen hoc limitat, vt non habeat locum in Capellania collatiua, sed immeritò, quia & talis Capellanus tunc non celebrat tot missas, quot tenetur. Nec verum est, quod sine onere sit dominus fructus ratione tituli; quia nec titulus, nec fructus sibi dati sunt nisi sub onere missarum, & Ecclesia vult, quod obligatus ad missas teneatur restituere, si non celebret illas. Idem verò dicendum est si daretur obligatio purè temporalis, seu affixa diei, vt v.g. si sacerdos obligaretur celebrare in die Sancti Ioannis Baptistæ. Idem enim esset tunc eo die non celebrare, quod nullo modo celebrare; & ideò sacerdos omittens teneretur ad restitutionem.

1303. Sed si obligatio missæ non est purè localis datur alia distinctio; Nam vel missa erat celebranda pro occasione veluti affixa diei, & quæ propterea iam præterijt, vt si v.g. qui commendauit missam id fecit ad impetrandam salutem moribundi, qui iam defunctus est, & in hoc casu, quod sacerdos teneatur restituere stipendium voluerunt *Petrus Nauar. l. 2. c. 2. num. 366. Rodriq. p. 1. cap. 257. num. 7. Bonac. disp. 4. quæst. vlt. p. 7. §. 5. num. 4. Fraxinel. Alphons. de Leone, & Franc. Lugo*, quos sequitur *Pasqualig. q. 1205.* qui tamen n. 4. hoc limitat, vt si hoc contingat vna, vel altera vice, sacerdos non sit obligandus ad restituendum stipendium, sed eum posse satisfacere, si celebret pro communibus necessitatibus eius, qui stipendium dedit. Ego verò considero, vt sæpius dixi, quod stipendium missæ est oblatio Deo donata, & quidem principaliter intuitu diuini cultus. Amplius verò considero, quod sacrificium nedum est impetratorium, sed propitiatorium, & satisfactorium, & quod si per illud non potest impetrari vna gratia, quia illa non sit iam impetrabilis, potest impetrari alia. In casu autem præsenti missa semper satisfactoria satisfacit pro eo, pro quo celebranda erat, siue sit viuus, siue defunctus, & valet pro impetrando tam viuo, quam defuncto si non sanitatem, & vitam multa alia bona; Quamobrem dicendum est, quod Sacerdos in hoc casu non tenetur restituere stipendium ei, qui missam commendauit; quia ille Deo stipendium obtulit, & donauit, & quia celebrando missam illi satisfecit etiam quantum ad secundariam inten-

intentionem, quæ est vtilitas sua, & eius pro quo missa fuerat celebranda. Licet ergo Sacerdos peccauerit differendo attamen non est obligatio restitutionis, si missam pro eodem celebret, quam distulit.

8304. Ex his *Pasqu. n. 5.* deducit, quod si quis accipiat stipendium, vt celebret, in tali loco, vel tali die, si non celebret, quamuis ex iusto impedimento tenetur restituere stipendium, nec satisfacit, si celebret alio loco, vel die si a dante stipendium intendatur principaliter celebratio in tali loco, & tali die, præsertim, si relinquat Sacerdoti liberam applicationem. Semper enim vbi vel sola obligatio localis, vel temporalis intenditur, vel saltem prima, & principalis intentio fertur in celebrationem vt localem, vel vt habendam in tali die non satisfit celebrando alibi, vel alio die, & ideò intrat obligatio restituendi. Verum vbi impedimentum in sacerdote sit iustum non credo, quod adsit obligatio restituendi stipendium. Hoc enim laico non est restituendum, quia est res Ecclesiæ, quæ nonnisi ad dispositionem Ecclesiæ restitui debet. Hæc verò non consueuit obligare ad restitutionem legitimè impeditos. Vnde Beneficiatus infirmus, si non recitat officium ex impotentia non tenetur restituere fructus ad ratam. Et idem dicitur de Canonico legitimè impedito, ne assistat choro. Itaque in obligationibus missæ hoc considerandum est, quod huiusmodi obligationes vt plurimum non sunt personales, sed Sacerdos potest supplere per alium, & ita ad hoc tenetur si non potest satisfacere per se ipsum. Vt plurimum etiam obligationes istæ non sunt principaliter affixæ ad locum, & tempus. Et ideò Sacerdos si non potest hodie satisfacere, tenetur id facere cras, vel quando potest. Vbi verò obligatio est affixa tempori, vel loco; quia non satisfit obligationi si celebretur alibi, vel alio die, nihilominus si Sacerdos iustè impeditus verè nec per se nec per alium potuit satisfacere nō est vnde obligetur ad restitutionem stipendij, quod laico non est restituendum. Et qui non perdit meritum oblationis suæ, factæ Deo. Deus verò, & Ecclesia ministri Innocentis afflictionem augere nolunt, obligantes illum ad stipendij restitutionem, ex eo, quod non fecit quod facere non potuit.

8305. Tandem circa has obligationes ad circumstantiam missæ principaliter affixas dubium esse potest, an ad effectum vitandi obligationē restituendi, sacerdos possit aliunde per alias missas compensare, quod omisit. *Pasqualigus quæstione 307.* loquens de Sacerdote obligato ad celebrandum in loco præfixo existimat, quod ipse possit satisfacere alias missas celebrando vltra debitum, quia per hoc amplius retribuitur ei, qui missas ordinauit, seu melius pro omissa circuostantia reddendo ei substantiam missæ. Considerandum mihi videtur, quod imponenti missarum onus propriè non debetur restitutio, quia ex parte sua emolumentum missarum donauit in Dei cultum; Et id ad quod præcipuè tenetur sacerdos est vt reddat Deo cultum, quem imposuit, qui onus missarum fundauit. Ideò quando Sacerdus tunc & vbi debebat, omisit cultum debitum, peccauit, sed obligatio primaria, quæ remanet non est restituendi emolumentum sed supplendi, & reddendi Deo cultum, qui fuit omissus. Vbi ergo omissa fuit substantia missæ, si hæc reddatur, & altera missa celebrētur satisfit obligationi, & cessat debitum restituendi. Sed omissio circumstantiarum sæpius non potest in se ipsa reparari, & reddi; vt in obligatione diei, si non celebratur die præfixa, impossibile est dum ea dies præterijt amplius in ea celebrare. Hoc verò stante, si consideretur obligatio restituēdi respectu eius, qui missam imposuit rationabiliter dici potest per alias missas ei compensari, quia missa ipsa secundum substantiam importat maximum dei cultum, & de se fert maximam vtilitatem ei, pro quo offertur. Sed hoc non videtur sufficere ad vitandam obligationem restituendi stipendium, quia hæc restitutio secundum dispositionem Ecclesiæ fieri debet, nec valet compensatio si Ecclesia ipsa non habeat illum ratam. Et certe controuertunt DD. an qui officium diei relinquit, si altera die recitet eximat se ab obligatione restituendi, & quamuis affirment *Maior. Paludanus. Suarez. & Filliucius apud Bonac. disp. 1. q. 5. p. 2. num. 5.* ipse tamen negat post *Syluestrum v. missa q. 53. Petrum Nauar. Arragon.* & alios; quia Ecclesia volt, quod Beneficiatus omittens officiū non faciat fructus suos. Sic ergo in hac sententia dici posset, quod Ecclesia hunc modum restituendi in obligationibus affixis loco, personæ, vel tēpori ratum non habet, sed vult eos teneri ad restitutionem, qui huiusmodi obligationibus non satisfaciunt. Verum nihilominus dicitur, quod quidquid sit de obligatione restituendi ratione omissionis diuini officij, de qua est lex specialis Concil. Lateranen. & Pij V. vt omittens diuinum officium non faciat fructus suos; cum in præsenti materia non sit lex specialis, & expressa prohibens Sacerdotem facere fructus suos si circūstantiam missæ omittat, dicendum ait compensationē per alias missas non debitas auferre obligationē restituendi ex omissione circumstantiæ, ita tamen vt per actus similiores quo fieri possit fiat compēsatio. Vt si omissa sit missa in loco celebretur in eodem loco tot vicibus, quot ad arbitrium boni viri iudicetur redditum Deo, & fundatori, quod omissum est. Et si omissa sit missa, quæ tali die debebatur celebrari in tali altari, sed sine obligatione applicationis, celebretur in alio die in eodē altari applicando missam pro fundatore. Simplex enim localis celebratio missæ alio die non erit æqualis compensatio missæ, quæ v.g. in die festo pro commoditate populi erat celebranda: Vnde etiam aduertendum erit, quod si populus est priuatus commoditate, si fieri potest debet eius etiam incommoditas compensari. Similiter si omissus fuit cultus alicuius Sancti intentus à commendante missam, debet hæc omissio per aliam missam, vel missas in cultum ejusdem Sancti compensari, Et semper debet attendi, vt non reddatur solum circumstantia omissa, sed omnibus pensatis, & pensata etiam inobedientia, & defraudatione intentionis imponentis missam, reddatur æquiualens cultus Dei omissus, & spiritualis vtilitas intenta ab eo, qui onus missæ instituit. Hoc enim facto videtur satisfactum Deo, Ecclesiæ, & ei qui onus missæ imposuit. Non sufficeret vero, quod sacerdos in

dos in alijs missis roget Deum pro fundatore missarum omissarum, quia debet reddi distinctus cultus, & distincta missa circumstantia omissa vestita, vt reddatur, quod omissum fuit. Sic ergo dicédum est, quod sacerdos omittens huiusmodi circumstantias missarum peccat,& non satisfacit obligationi suæ si celebret sine illis,& tenetur ad restitutionem, & tamen celebrando sine illis circũstantijs satisfaciet restituendo modo supra exposito: Et sic hoc modo per alias missas non satisfacit vt vitet culpam omissionis, satisfacit tamen vt restituat, seu,vt melius dicam,compenset quod omisit,& sic eximatur ab onere restitutionis.

SVMMARIVM.

1 *Hæres qui non satisfecit oneri missarum quid facere debeat. num 1306.*

2 *Debet hæres legatario Sacerdoti, & Capellano dare totum, quod omisit: & Capellani erit per se, vel alium missis satisfacere. num. 1307.*

1306. QVæritur octauo qualiter restituet hæres, qui per multum tempus non fecit celebrare missas? Est verò difficultas an teneatur dare fructus legatario, scilicet ei, cui à testatore, relictum fuit onus celebrandi missas, vel possit ipse per alios procurare, vt missæ obitæ celebrentur. *Tambur.l.* 3. *cap.* 1.§.3. *nu.* 88. respondet cum distinctione,& ait quod si ex coniecturis, & testamento præsumi possit, quod testator relinquens onus missarum noluerit gratificare Capellano, tunc hæres poterit per alios facere vt missæ celebrentur: Secus si præsumendum sit mentem testatoris fuisse gratificare Capellano. Sed merito *Pasqual. q.* 1087. distinctionem reijcit, & absolutè respondet semper testatorem velle in hac parte gratificare Capellano cum stipendium missarum in eius sustentationem sit relictum. Ideò nunquam hæres potest supplere faciendo per alios celebrare missas, quando testator Capellanum nominauit, seu nominandum instituit; sed monasterium, vel Ecclesia, aut Capellanus cui incumbit onus celebrandi ex vi testamenti, vel conuentionis initæ habet ius ad omne emolumentum sub onere missarum datum, sicut & habet onus celebrandi; ideò illi hæres debet dare totum emolumentum respondens missis omissis. Vnde benè subdit *Pasqual.* quod legatario Capellano petente non potest hæres excipere, quod per alios satisfecerit, id enim facere hæres non potuit, qui testamento tenetur ad præstandum legatum legatario. Et quia hæres ad hoc tenetur ex iustitia hæreditatis, ideo si non soluendo legatum fuit causa legatario alicuius damni, vt quia coactus fuit contrahere debita, aut celebrare cum minori eleemosyna quam alias celebrasset: hæres tenetur ad huiusmodi damna restituenda.

1307. Nec obstat, si dicatur, quod Capellanus non potest per se ipsum tot missis omissis satisfacere,cum alias ad celebrandum sit obligatus; Nam si legatarius sit monasterium habens plures sacerdotes per quos satisfaciat: & si legatarius sit Capellanus ipse satisfaciet per alios. Nec obstat si missæ essent celebrandæ per ipsum, & non per alium; quia cum iam, & quidem sine sua culpa, sit impossibile, quod illæ missæ celebrentur per ipsum, sufficit, quod satisfiat modo possibili menti testatoris: Nam nec hæres, si ille faceret missas celebrari posset hanc circumstantiam implere, quod missæ celebrentur per Capellanum ipsum, qui alias pro futuris temporibus debet pro fundatore celebrare. In hoc autem casu sacerdos legatarius faciens celebrare missas omissas ex culpa hæredis per alios sacerdotes non tenetur eis dare totum integrum stipendium, quod habet ratione Capellaniæ, sed sufficit, quod det solitum, & taxatum: quia tanquam legatarius facit suum totum legatum tanquam sibi donatum. *Tambur. vbi supra num.* 87. *Pasqual.q.*1085. *num.* 7.

ARTICVLVS V.

Vtrum Religiosis liceat mendicare?

AD quintum sic proceditur. Videtur quod Religiosis non liceat mendicare. Dicit enim Augustinus in lib. de operibus monac. Tam multos hypocritas, sub habitu monachorũ vsquequaque dispersit callidissimus hostis circumeuntes prouincias: & postea subdit, omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. Ergo videtur, quod vita religiosorum mendicantium sit reprobanda. *3.cont.c.135. co.1 45 & 3. & qu.7.a.18. ad 7. & opu. 17.c.14.15 & 16. opul. 19. c. 7. cap. 28. a.tis med.tom. 4*

2. Præterea Primæ ad Tessal.4.dicitur, Operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, & vt honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis: vbi dicit Glos. Ideò opus agendum est, & non otiandum, quia & honestum est, & quasi lux ad infideles. Et non desiderabitis rem alterius, nedum rogetis, vel tollatis aliquid. Et 2. ad Thess. 3. super illud. Si quis non vult operari, &c. dicit Gloss. Vult seruos Dei corporaliter operari, vt habeant vnde viuant, vt non compellantur egestate necessaria petere. Sed hoc est mẽdicare. Ergo videtur, quod illicitum sit prætermisso opere manuali mendicare. *glos. ord. ib. ex August. de opetib. mon. ibidem:*

3. Præterea, Illud quod est in lege prohibitum, & iustitiæ contrarium non competit Religiosis. Sed mendicare est prohibitum in lege diuina. Dicitur enim Deut. 15. Omninò indigens

digens, & mendicus non erit inter vos. Et in ps. 36. Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem. Secundum etiam iura ciuilia punitur validus mendicans, vt habetur Codice de Validis mendicantibus. Ergo non competit Religiosis mendicare.

[l. 45. de. 31.]

4. *Praeterea, Verecundia est de turpi actu, vt Damasc. dicit. Sed Ambros. dicit in lib. de officijs, quod verecundia petendi ingenuos prodit Natales. Ergo mendicare est turpe. Non ergo Religiosis competit.*

[l. 2. cap. 15.] [Ambr. l. 1. c. 30. non procul à fine.]

5. *Praeterea, maximè de eleemosynis viuere competit praedicantibus Euangelium, secundum Dominus statutum, vt supra dictum est. Eis tamen non competit mendicare, quia super illud 2. ad Timoth. 2. Laborantem agricolam, &c. dicit glos. Vult Apostolus, quod Euangelista intelligat quod necessaria sumere ab eis, in quibus laborat, non est mendicitas, sed potestas. Ergo videtur, quod Religiosis non competat mendicare.*

[Ad princ.] [glos. ord. super illud De fructibus percipere.]

Sed contra, Religiosis competit viuere ad imitationem Christi. Sed Christus mendicauit, secundum illud psal. 39. Ego autem mendicus sum, & pauper, vbi dicit gl. Hoc dixit Christus de se ex forma serui. Et infra, Mendicus est, qui ab alio petit: & pauper sibi non sufficit. Et in alio psal. 69. Ego egenus, & pauper sum: vbi dicit glos. Egenus, id est petens: & pauper, id est, insufficiens mihi, quia mundanas copias non habeo. Et Hieron. dicit in quadam epistola, Caue ne Domino tuo mendicãte (scilicet Christo) alienas diuitias congeras. Ergo conueniens est Religiosis mendicare.

[glos. ord. ex Cassiod. hic.] [glos. inter. ex Cassiod. ib.]

Respondeo dicendum, quod circa mendicationem duo possunt considerari. Vnum quidem ex parte actus ipsius mendicationis, qui habet sibi quandam abiectionem coniunctam. Illi enim videntur abiectissimi inter homines esse, qui non solum sunt pauperes, sed in tantum sunt egentes, quod necesse habent ab alijs victum accipere. Et secundum hoc causa humilitatis aliqui laudabiliter mendicant, sicut & alia assumunt, quae ad abiectionem quandam pertinent, quasi efficacissimam medicinam contra superbiam, quam vel in se ipsis, vel etiam in alijs per exemplum extinguere volunt. Sicut enim infirmitas, quae est ex superexcessu caloris efficacissimè sanatur per ea, quae in frigiditate excedunt, ita etiam pronitas ad superbiam efficacissimè curatur per ea, quae multum abiecta videntur. Et ideò dicitur in Decret. de poenitent. dist. 2. Exercitia humilitatis sunt, si quis se vilioribus officijs subdat, & ministerijs indignioribus tradat: ita namque arrogantiae, & humanae gloriae vitium curari poterit. Vnde Hier. in epist. ad Oceanum, commendat Fabiolam de hoc, quod optabat, vt suis diuitijs pariter effusis, pro Christo stipem acciperet. Quod etiam beatus Alexius perfecit, qui omnibus suis propter Christum dimissis, gaudebat se etiam à seruis suis eleemosynas accepisse. Et de Beato Arsenio legitur in Vitis Patrũ, quod gratias egit de hoc, quod necessitate cogente oportuit eum eleemosynam petere. Vnde & in poenitentiam pro grauibus culpis iniungitur aliquibus, vt peregrinentur mendicantes. Sed quia humilitas, sicut, & caetera virtutes, absque discretione esse non debet: ideò oportet discretè mendicitatem ad humiliationem assumere, vt ex hoc homo notam cupiditatis nõ incurrat, vel cuiuscumque alterius indecentis. Alio modo potest considerari mendicitas ex parte eius, quod quis mendicando acquirit: & sic ad mendicãdum potest homo ex duobus induci. Vno modo, ex cupiditate habendi diuitias, vel victum otiosè, & talis mendicitas est illicita. Alio modo, ex necessitate, vel vtilitate. Ex necessitate quidem, sicut cum aliquis non potest aliunde habere, vnde viuat, nisi mendicet. Ex vtilitate autem, sicut cum aliquis intendit ad aliquid vtile perficiendum, quod sine eleemosynis fidelium facere non potest: sicut petuntur eleemosynae pro constructione pontis, vel Ecclesiae, vel quibuscumque alijs operibus, quae vergunt in vtilitatem communem: sicut scholares, vt possint vacare studio sapientiae. Et hoc modo mendicitas est licita, sicut secularibus ita Religiosis.

[c. Si quis semel.] [Hier. ... circa fin.]

Ad primum ergo dicendum, quod Aug. ibi loquitur expressè de his, qui ex cupiditate mendicant.

Ad secundum dicendum, quod prima glossa loquitur de petitione, quae

[circa fin. arg.]

ex cupiditate, ut patet ex verbis Apostoli: alia autem glossa loquitur de illis, qui absque omni vtilitate quam faciant, necessaria petunt, vt otiosi viuant. Non autem otiosè viuit, qui qualitercunque vtiliter viuit.

Ad tertium dicendum, quod ex illo precepto legis diuina non prohibetur alicui mendicare. Sed prohibetur diuitibus, ne tam tenaces sint, vt propter hoc aliqui egestate mendicare cogantur. Lex autem ciuilis imponit pœnam validis mendicātibus, qui non propter vtilitatem, sed necessitatem mendicant.

Ad quartum dicendum, quod duplex est turpitudo: vna inhonestatis, alia exterioris defectus; sicut turpe est homini esse infirmum, vel pauperem. Et talis turpitudo mendicitatis non pertinet ad culpam; sed ad humilitatem pertinere potest, vt dictum est.

Ad quintum dicendum, quod prædicātibus ex debito debetur victus ab his, quibus prædicant. Si tamen non quasi sibi debitum, sed quasi gratis dandum mendicando petere velint, ad maiorem vtilitatem pertinet.

SVMMARIVM.

1 *Christus mendicauit.* num. 1.
2 *Resolutio articuli.* num. 2.

1 IN argumento, sed contra, Christum Dominum Nostrum mendicasse aliquando affirmat, & probat *D. Th. ex Psal. 39. & 69. & auth. Hier. & Glossa*, quibus *Caiet.* addit ex Euangelio eum mendicasse à mulieribus victum, *Luca* 6. à Zachæo hospitium, *Luca* 19. & ab alijs dominis asellum, quo ingrederetur Hierusalem, *Luca* 19. & locum vbi celebraret Pasca, *Luca* 22. Mendicus enim est, qui ab alio petit, & pauper, qui sibi non sufficit. Quæ etiam considerauit *Suarez. 3. de Relig. l. 8. cap. 8. num. 8. & tom. 2. in 3. p. d. 28. sect. 2.*

2. Resolutio autem articuli est licere religiosis mēdicare eisdem rationibus quibus id licet secularibus, scilicet causa humilitatis, necessitatis, & vtilitatis.

SVMMARIVM.

1 *Licitum est causa humilitatis mendicare.* num. 3.
2 *Licitum est relictis diuitijs mendicare.* num. 3.
3 *Licitum est Diuiti peregrinari mendicando.* n. 4.
4 *Diuitem retinentem vsum diuitiarum mendicare est malum.* num. 5.
5 *Diuitem mendicare pro pauperibus est bonum.* num. 6.
6 *Præcisa specie mali.* num. 6.

3. COnclusio prima textus affirmat causa humilitatis, & abiectionis aliquos laudabiliter mendicare, sed hanc conclusionem explicat, & limitat, quia hoc est laudabile si fiat cum discretione, & ut hoc mendicans non incurrat notam cupiditatis vel cuiuscumque alterius indecentiæ. Ideò distinguendum est, nam vel diues relinquit diuitias, vel eis retentis mendicat. Diuitem laudabiliter dimittere propter virtutem, & Christum diuitias etiam ex voto, & ita in statu paupertatis mendicare licitum est, & laudabile, & hoc probant, quæ de *Fabiola, Alexio, & Arsenio* adducit *D. Th. in textu*. Nam, & hoc modo Christus, Apostoli, & Apostolici viri mendicauerunt, & ita huius exemplum habuimus etiam in Elisæo 3. *Reg.* 19. cuius factum commendauit *S. Ambros. l. 1. de offic. cap. 3.* & refertur *cap. Dominus d. 87.* Vnde hoc idem docent *cum D. Tho. & Caiet. Medina Cod. de pœnitentia tract. de eleemosyn. Nauar. Com. 2. de regul. num. 37. Ledesma 2. p. 4. q. 15. dub. 2. Sanchez. l. 7. mor. cap. 24. nu. 11. Suar. tom. 3. de Relig. l. 8. c. 8. num. 8. & seqq.*

4. Sed si diuites mendicare volentes retineant diuitias suas, si adhuc priuentur ad tempus illorum vsu; vt cum sine commeatu ad tempus humilitatis, & pœnitentiæ causa, & maximè si id illis iniungatur ab Ecclesia, peregrinationem assumant. Non enim iniungitur ab Ecclesia, quod est illicitum, at verò aliquando Ecclesia Diuitibus peccatoribus iniungit, vt sine pecunijs mendicando peregrinentur. Nec obstat eos diuites esse, quia pro tunc pauperes sunt, cum extra domum sine pecunia, & comeatu peregrinantur, & sic verè indigent, & necessitatem habent, & asperum vitæ genus est etiam ad tempus necessitas ad hoc, vt mendicet quis victum ab alijs. Et ita cum *D. Th.* hoc docent *Caiet.* hic *Nauarr. comm. 2. de Regul. nu. 37. Angles floribus p. p. tract. de eleemos. q. 8. difficult. 1. Rodriq. qq. regul. t. 3. q. 1. Valentia 22. disp. 10. q. 5. p. 4. Sanchez. l. 7. mor. cap. 24. n. 12.* & addunt *Nauarr. Rodriq. & Sanchez. ex Calderino* hoc etiam licere Sacerdotibus, quia hic modus peregrinandi statum eorum non dedecet.

5. Sed quod diues retentis diuitijs, & libero earum vsu humilitatis causa mendicet, sic metaphysicè non est de se vituperabile, quod practicè, regulariter est tale, quia hæc humilitas est indiscreta, nam actus mendicandi dissonat à persona diuite, & amplius talis mēdicitas habet speciem auaritiæ, aut alicuius alterius indecentiæ ideo non esse laudabilem docent *Caiet. hic Valentia, & Sanchez. num. 13. locis citatis.*

6 Sed si diues mendicans non relictis diuitijs, & cum libero diuitiarum vsu mendicet, vt det pauperibus illud idem quod acquirit, vel tantumdem ex proprijs, tunc laudabile est diuitem mendicare, quia non sibi, sed pauperibus mendicat, vt tradunt *Caiet. Val. & Sanchez citati.* Et nihilominus ex D. T. semper aduertendum ne actus habeat speciem mali, & ideo si diues non sibi, sed vtilitati pauperum mendicet necesse est vt hoc exterius appareat, ne eius humilitas indiscreta sit, & potius speciem auaritiæ præseferat aut alterius vitij Imo & quando diues assumeret peregrinationem mendicando longe melius esset, si & tunc tantum pauperibus de suo erogaret,

quantum in peregrinatione consumendum sibi necessario esset. Quamuis hoc non sit necessarium, sed sufficiat quod non assumatur mendicitas ex nuaritia sed ex humilitate, aut pœnitentia, aut alia virtute. Nam diuite non vtentem diuitijs, & qui nec possit illis vti ex vi operis assumpti, mendicare est quid de se valde abiectū, & pœnale, & quod non potest habere speciem mali, nisi speciales circumstantiæ mali præsumptionem ferant.

SVMMARIVM.

1 *Mendicare ex cupiditate ditescendi, vel viuendi otiose est malum.* num. 7.
2 *Diues mendicans an peccet mortaliter.* num. 8.
3 *An teneantur ad restitutionem.* num. 9.
4 *Pauper non peccat mortaliter petendo eleemosynam ex cupiditate, vel vt sit otiosus.* num. 10.
5 *Diuiti peregrinanti mendicando debetur eleemosyna.* num. 11.

7 IN secunda conclusione D. Tho. asserit quod mendicare ex cupiditate ditescendi est illicitum; Et hoc idem est dicendum de mendicare otij causa, vt tradunt *Curt. Medina, Ledesma Angles, Valentia supra cit. & Sanchez n. 15. & Suarez num. 16.* Et ratio est, quia mendicitas non est medium aptum ad ditescendum, sed ad subleuandam miseriam, & otium perniciosum est reipublicæ, nec ratio dictat, vt aliena bona sint fomentum otij. nec qui dant eleemosinam intendūt ex hoc fouere otium, vel fauere cupiditati ditescendi. Ideo etiam hic modus mendicandi lege ciuili prohibitus est, vt patet ex *Cod. de mendicis lib. 11.*

8. An vero hic modus mendicandi contineat peccatum mortale, distinguendum est. Nam qui ex cupiditate otiosus mendicat, vel est diues, vel est pauper. Si est diues eum peccare mortaliter, quia mendax est, & sub titulo paupertatis fraudulenter vsurpat alienum docent *Caiet. hic, & Valentia loco citato, & Sanchez num. 16.* Sed ego me remitto ad doctrinam *D. T. supra q. 111. a. 4.* vbi quærit an hypocrisis sit peccatum mortale, & dat regulas ad cognoscendum quando mendacium hypocrisis, & simulationis censendum sit peccatum mortale. Sed eo vlterius aduertendum puto, quod cum tota ratio peccati fundetur in mendacio pernicioso, nedum mortale peccatum excluditur ex paruitate materiæ, sed si danti eleemosynam constet petentem non esse pauperem, vel non esse talem, qualem se fingit. Iam enim sæpius hoc accidit, vt fideles scientes eos, qui mēdicant mentiri, nihilominus eleemosynas tribuāt, vel quia illi qui petunt sunt vere pauperes, vel aliqua alia de causa eis bene visa. Et certe ex *Isaiæ cap. 58.* hortamur nedum egenos, sed vagos inducere in domus nostras.

9. Sed etiam absolute loquēdo controuersum est an hypocrita ex ficta paupertate mendicans teneatur ad restitutionem. Affirmant quidem præter citatos *Adrian. q. 15. de restit. Nauar. c. 17. num. 107. Sotus 4. d. 15. q. 2. & alij apud Pasqual. Centur. 4. q. 392. num. 1.* & fundatur ex eo quod eleemosyna illa data ex errore, vel ignorantia non sit voluntaria, & ita non transferatur dominium, sed oppositum voluit. *Sotus l. 9. de iust. q. 7. a. 3. ad 4. Azor. p. 3. l. 4. c. 21. q. 8. Is. de Cruce p. 1. prac. 5. a. 4. dub. 2. conc. 4. Granad. 22. contr. 3. tr. 11. disp. 7. num. 4. Pasqualig. vbi supra.* Et horum ratio est, quia qui dat eleemosynam non dat illam sub conditione, sed absolutè, & sanctitas, vel paupertas est quidem causa impulsiua, sed non est causa finalis, donatio vero subsistit etiam si deficiat causa impulsiua. *§. longe magis Instit. de legat. & l. Seruum filius familias in fine ff. de donat.* & generaliter in dispensationibus, cōcessionibus, & gratijs falsitas causæ impulsiuæ non vitiat concessionem, dummodo subsistat causa finalis, vt tenent *Lap. all. 89. Dec. in cap. Postulasti in noua edit. num. 18. not. 4. & in cap. super literis v. literas num. 3. de rescript. Beatus ib. in 2. lect. num. 55. & 73. Paris. cons. 4. nu. 35. vol. 4. Menoch. de arbitr. l. 2. cent. 3. cas. 201. num. 30. Syluest. v. rescriptum num. 30. Rota decis. 437. n. 5. & 587. n. 6. p. 1. recentiorum*, & quamplures alij apud *Barbosam Axiom. 40. num. 6.* In danda verò eleemosyna causa finalis est honestas eleemosynæ & Dei obsequium, paupertas verò credita est causa impulsiua. Alias verò, si valeret ratio prioris sententiæ, quamplures essent in Ecclesia Episcopi, Parochi, Beneficiari, qui tales nō essent, qui in rei veritate promouētes esse tales ignorabāt, quales erant, & si tales fuisse sciuissent, Dignitates, & Beneficia non contulissent, quod esset Ecclesiasticam hierarchiam subuertere. Nihilominus *Sotus* & alij præter *Pasqualig.* limitant assertionem, vt non procedat in magnis eleemosynis, quia illæ non præsumuntur, vt absolutè donatæ, sed limitationem arguit *Nauar.* quia in foro conscientiæ non attendantur præsumptiones, sed rei veritas. Tota controuersiæ difficultas est an paupertas sit causa finalis, vel impulsiua. Nam quando est solum causa impulsiua, quod eleemosyna non donetur sub conditione, sed absolutè existente causa finali, & quod falsitas, & simulatio sanctitatis, vel paupertatis non vitiet eleemosynam, & pauper non teneatur ad restitutionem dixerunt etiam *Nauar. & Medina q. 33.* quoniam verè falsitas causæ impulsiuæ concessionem, & donationē non vitiat. Regulariter verò paupertas in danda eleemosynā se habet vt causa impulsiua, sed causa finalis est honestas eleemosynæ, quæ subsistit etiam si is, cui datur sit pessimus, vel ditissimus; ideò licet fingentes sanctitatem, & paupertatem peccent, petendo eleemosynam sub illa qualitate simulata, regulariter tamen non peccant peccato iniustitiæ, nec tenentur ad restitutionem. Quando verò tenentur ad restitutionem, vt benè probat *Sotus* loco citato quidquid in contrarium dicat *Nauar.* tenentur restituere ei, qui eleemosynam dedit, nō verò alijs pauperibus, quia tunc non transfertur dominium, quia finis operis est donare Titio pauperi, licet hoc fiat intuitu misericordiæ, & propter Deum; vel ergo donatio est absoluta, & transfert dominium, & sic res remanet donantis. Nec propriè verum est, quod dans eleemosynam donat Deo, quia si hoc esset eleemosyna data semper esset de Christi patrimonio, & non esset bonum laicale, etiam si data laico, & tamen constat, quod eleemosynæ datæ laicis pauperibus sunt pauperum, & sunt bona laicalia, & in lai-

in laicorum dominium transeunt, quia licet dentur propter Deum, dantur tamen personæ humanæ, & fiant illius. Igitur si eleemosyna est donatio libera, transfert Dominium in pauperem, & est illius; Sed si non transfert dominium in pauperē, remanet donantis, quia data fuit pauperi, sed inualidè, & non fuit data alteri.

10. Vbi verò qui petit verè est pauper peccat solum venialiter, si ex cupiditate, vel otiosus mendicet. Et licet *Valentia* contendat hunc etiam peccare mortaliter, quia si habet animam thesaurizandi mendicando habet simul animam mendicandi etiam cum diues fuerit, quod sine peccato mortali fieri non potest. Tamē vt benè *Sāchez* aduertit, hoc non est contra *Caietani* assertum, qui locutus est formaliter, & per se; & ita ex eo quod quis pauper mendicat ex cupiditate non mortaliter peccat per se loquendo, quoniam dato etiam, quod diuitem simulantem paupertatem mendicare esset iniustitia, nec est necesse, quod habens intentionem thesaurizandi intendat id facere per mendicitatem illicitam, & fraudolentam. Cum alias, & paupertas latitudinem habeat, & diues aliquo modo possit mendicare aliquādo sine fraude, & ea consequenti sine culpa mortali, quæ ex hac parte proueniat. Per se ergo loquendo pauperem mendicare ex cupiditate, vel vt otiosè viuat non est peccatum mortale, nisi cupiditas ipsa sit mortalis.

11. Hoc quidem aduertendum *Medinam C. de pœnit. tract. de eleem. & Ledesmam 2. p. 4. q. 8. a. 8.* sine docere quod fideles non tenentur facere eleemosynam diuiti peregrinationem mendicantem exercenti. Sed hoc est regulandum iuxta communes eleemosynæ leges: nam nec pauperi otioso tenentur fideles dare eleemosynam, quia potest labore victum lucrari, sed & diuiti, si pro nunc non habeat vnde aliter viuat, tenentur qui habent eleemosynam, dare in omni eo casu, in quo tenerentur verè pauperi, vt aduertit *Sanchez. n. 7.*

S V M M A R I V M.

1 *Mendicare causa necessitatis vel honestæ vtilitatis non est malum.* num. 12.
2 *Non licet mendicare ad ditescendum.* num. 12.
3 *Non licet fingendo necessitatem mendicare pro vtilitate,* num. 13.

12. TErtia textus Conclusio affirmat licitum esse tam secularibus, quam Religiosis mendicare, vel ea necessitate victus, vel ex vtilitate alicuius finis, qui non potest consequi sine eleemosynis. Est verò circa hoc aduertendū videri posse hanc vtilitatem debere esse communem, seu ad bonum commune ordinatam, & non sufficere, quod sit vtilitas priuata mendicantis, aliter posset aliquis mendicare etiam vt ditaretur, ideò pro necessitate priuata sui vel alterius potest quis mendicare, non vero pro vtilitate priuata, sed pro vtilitate communi tantum. Sed hoc non est verum, sed licet manifestior sit honestas mendicandi ratione vtilitatis, si vtilitas sit publica, tamen vt ex textu habetur etiam pro vtilitate priuata, quam quis potest licitè prætendere, & iustè desiderare, & alias per aliorum auxilium honestè acquiri, licet etiam huiusmodi auxilium mendicando implorare; quia nihil inhonestatis hic potest interuenire, cum & finis sit honestus, & honestè sine fraude auxilium alterius imploretur. Et dum infertur, quia sic liceret mendicare ad diuitias acquirendas, negatur consequentia, quia concupiscere diuitias non est honestum per se, & ex obiecto. Tum secundo, quia nec eleemosyna, quæ est pauperum refugium est medium ordinatum ad Thesaurizandum. Tum tertio quia nec de se est illicitum, si fiat sine fraude petere auxilium, ad habēdas licitè diuitias. Sed vbi finis est actus virtutis, licet sit priuatus, sufficit vt in ordine ad illum quis licitè mendicet, quia, & hoc in bonum etiam commune refertur, quia interest reipublicæ vt omnes in singulari virtuosè viuant. Sed si finis sit commodū temporale priuatum, si mendicans illud honestè concupiscat, & sine fraude petat alterius opem mendicando, nihil mali agit, quia non est hic locus iniustitiæ, cum mendicans veritatem rei exponat, & sit in mera libertate dantis præbere auxilium eleemosynæ, aut liberalitatis, vel non præbere, & alias mendicans ex fine honesto, aut honestè amato ad mendicādum se moueat. Sed si quis se pauperem fingat, & dantem decipiat, tunc illicita est, mendicatio.

13. Et si inquiras, & dicas, Est aliquis, qui si pecunia adiuuetur obtinebit matrimonium sibi valde vtile, seu longè vtilius quā posset sine alterius pecuniæ auxilio sperare, vel si adiuuabitur obtinebit officium sibi vtile valde, & quem honestè procurat, & desiderat, si iste se pauperem mentiatur, & cum alias sit satis diues tanquam vnus de alijs pauperibus, vel etiam singularem paupertatem simulando mendicet, peccabit ne? Videtur enim ita esse dicendum quia decipit dantes. Sed videtur oppositum, quia pauper est, qui sibi non sufficit, vt habetur in argumento sed contra; iste autem sibi non sufficit cum alterius pecuniæ auxilio indigeat ad finem honestè à se amatum. Respondetur, quod sine dubio peccat, quia fingit, & mendaciter, & dolosè mendicat. Ideo à mendicatione excludi debet mendacium, & fraus, & si quis ex vtilitate mēdicat nō potest simulare necessitatem, sed vtilitatem exponere debet, & pro re, vt vtili mendicare, & petere aliorum auxilium, & non erit peccatum si honesta intentio adsit, & desint aliæ malæ circumstantiæ, sic nec licet maiorem simulare necessitatem; & tandem vbi adest simulatio, & mendacium adest culpa.

S V M M A R I V M.

1 *In Monachis antiquis necessarius fuit labor manuum ad vitandum otium.* num. 14.

14. IN responsione ad 5. consideranda est illa propositio, *Non autem otiose viuit, qui qualitercunque vtiliter viuit.* Habemus enim ex hoc quod ad fugiendum otium sufficit vtiliter aliquid agere proculdubio honestè, vnde nullus est, qui virtuosè viuat, & inutiliter viuat. Nam & quies ab agere si sit ex virtute, opus est, & non otium. Cum ergo Religiosi obseruantes regulam virtuosè viuant non solum, sed pro vtilitate fidelium vacent studio Sac. Scripturæ, missas celebrēt,

psallant

psallant, meditentur, prædicent, confessiones audiant, non possunt dici otiosi. Et hinc etiam patet discrimen inter monachos antiquos, & religiosos præsentes, quod quia illi erant laici, & sic non poterant in vtilitatem fidelium exercere, quæ ordinis sunt, vel ad ordines consequuntur, vnde nec illis conueniebat publicè docere, vel prædicare, at verò nec semper possumus orare, vel meditari, ideò necesse fuit in illis instituere, vt manibus laborarent ex duplici causa, tum ad vitandum otium, tum magis, quia cum multi essent, & extra Ciuitates viuerent, nec abundarent fideles, in quibus peterent eleemosynas, non poterant mendicando acquirere quando indigebant, ideò opere mannum, quod erat necessarium lucrabantur. Quod si per solam mendicationem necessaria obtinere potuissent, non fuisset in eis necessarius labor manualis, nisi quia cum laici essent, non poterant fugere otium, nisi interpellatè aliquid manibus operando. Sed modo in religiosis Clericis non est necessarius labor manualis ad otium vitandum, quia Psalmodia, missarum celebratio, prædicatio, meditatio, opera misericordiæ spiritualia, lectio, & similia opera totum tempus consumunt: quamuis nec desint inter religiosos, qui manibus laborent ad otium vitandum, seu etiam ad animum recreandum, & subleuandum.

SVMMARIVM.

1 *Contra pauperes coactos, & otiosos clamat lex Ciuilis. num. 15.*

15. IN respõsione dicitur, quod ad 3. Abũdant pauperes coacti, sed otiosi. Qui dicuntur coacti, quia paupertatem inuoluntariè habent, sed diuites essent, si possent, sunt verò otiosi, quia laborare nolunt. Et contra istos lex ciuilis clamat. An verò hæc lex ciuilis obliget tales pauperes in conscientia ad non mendicandum. Negat expressè *Caiet. hic §. Ad hoc respondetur*, dicens pœnam hanc legis Ciuilis non facere, sed supponere culpam, quæ tamen non est mortalis in his qui otiosi volunt viuere ex mendicato.

SVMMARIVM.

1 *Ordo doctrinæ. num. 16.*
2 *Quæstores olim permissi, & quales. num. 17.*
3 *Quæstores aboleuit Concil. Trid. num. 18.*
4 *Pij Quinti Constitutiones. num. 18.*
5 *Forma quærendarum eleemosynarum. num 19.*
6 *Concilium prohibet officium quærendi eleemosynas pro alijs ex mercede. num. 20. 21.*
7 *Concilium prohibuit officium quærendi prædicando, & publicando indulgentias. num. 21.*
8 *Episcopi in suis diœcesibus dant licentiam colligendi eleemosynas. num: 22.*
9 *Conditiones colligentium eleemosynas. nu. 23.*
10 *Licentia mendicandi nequit dari à Magistratu sæculari. num. 24.*
11 *Licentia qualis, & quibus danda. num. 24.*

16. SIC explicata huius articuli litera, nonnullæ quæstiones sunt resoluendæ vt in hac parte iure nouo, & antiquo inspecto appareat, quibus Religiosis, & quando, & qua forma liceat mendicare, seu quæstus facere, aut eleemosynas colligere.

17. Quæritur igitur primo, an modo liceat eleemosynas per quæstores colligere? Permittebantur ex antiquo iure quæstores, qui quidem pro hospitalibus, vel pro ædificandis de nouo Ecclesijs, vel pro similibus locis pijs eleemosynas quærebant, quibus formam tradidit *Innocen. III. in Concil. Gen. Lateranen.* & habetur *cap. Cum ex eo de pœnit. & remiss.* Sicut & rescribens *Archiep. Lugdunensi* vt habetur *cap. Tuarum de Priuileg.* Non debebant verò recipi sine Apostolicis, vel Ordinarij literis, nec eleemosynas quærendo debebant proponere, nisi illud, quod in literis prælatis continebatur, permittebatur verò illis proponere indulgentias si quas habebant concessas pro illis, qui manus adiutrices præbebant. *Clem. II. de pœnit. & remiss.* & antequam admitterentur debebant diligentius examinari, vt dignoscerentur, si forsan (prout contingebat) assumpto falsæ Religionis habitu, se alios mentirentur esse quam essent. Huiusmodi verò quæstores, quia plerumque consueuerant prædicare abusiones, & mendacia, & miracula falsa, & mentitas indulgentias, vnde quamplures eorum fraudes recenset *Hostien. in cap. Cum ex eo, de Reliq. & venerat. Sanctorum num. 11.* quandoque etiam vota commutabant, & absoluebant à pœna. Ideóq; Pontifex statuit, & inhibuit illis ne prædicarent, nisi ea præcisè quæ in literis Apostolicis, vel Ordinarij eis concessis continebantur. Addidit vero, quod debebant esse modesti, & discreti, & quod non diuerterent ad tabernas, & incongrua loca. Et insuper posuit formam literarum, quæ huiusmodi quæstoribus tradere solebat Sedes Apostolica, vt suas literas ad eorum exemplar Ordinarij componerent; Huiusmodi igitur quæstores postulabant eleemosynas non pro se ipsis, sed pro alijs, nimirum pro Hospitalibus, vel pijs locis, & circumibant per Orbis diuersas partes, & diœceses, & postolando prædicabant per se ipsos, vel per alios & publicabant indulgentias, quas consequerentur, qui manus adiutrices præstarent, seu præberent eleemosynas. Vnde est etiam, quod vt ex *Nauar.* aduertit *Rodriq. tom. 2. q. 57. n. 7.* quæ de his quæstoribus in Sacris Canonibus disponuntur, reposita sunt sub titulo *de pœnit. & remiss.* vt patet *in d. cap. cum ex eo, & in cap. fin. eod. tit. in 6.* & *in Clem. abusionibus tit. eodem.*

18. At vero *Concil. Trid. primo sub Paulo III. in cap. 5. sess. Quinta de refor.* huiusmodi quæstoribus prohibuit prædicare per se ipsos, vel per alios. Quod & prius interdixerat *Vrban. IV. in constit.* quæ incipit, *licet ex omnibus, §. 14. tom. 1. Bullar. & Clem. IV. in cap. vlt. officij §. compescendi, de hæret. in 6. & Clem. V. in Clem. Abusionibus, de Pœnit. & remiss. Deinde vero idem Conc. Trid. sub Pio IV. sess. 21. cap. 9.* statuit vt quæstorum nomen, atq; officium, & vsus in quibuscumque Christianæ Religionis locis aboleretur, nec ad officium huiusmodi exercendum aliquis admitteretur; quia remedia, quæ statuta fuerant aduersus quæstorum huiusmodi abusus tam in *Concil. Lateranen. sub Innoc. III.* vt in *d. cap. Cum ex eo, quam in Vienen. Concil. sub Clem. V.* vt in *Clem.*

abusio-

Abusionibus. eod. tit. posterioribus temporibus reddita fuerant inutilia, & eorum malitia ita excreuerat, vt de eorum emendatione nulla spes esse videretur. Idem quoq; *Concil. Trid. sess. 25. cap. 21. in Decreto de Indulgent. post cap. 21.* iterum decreuit prauos quæstus omnes pro Indulgentiis consequendis omnino abolendos esse. Successiue autem *Pius V. in sua const.* Et si Dominici gregis, *qua est 30. in Bullar. tom. 2.* Omnes Indulgentias pro quibus consequendis manus sunt porrigendæ adiutrices, & quæ quæstuandi facultatem quomodolibet continent perpetuo reuocauit, & irritauit. Et amplius decreuit, quod prætextu Indulgentiarum, aut facultatem quomodolibet concessarum, vel quæ in futurum per Sedem Apostolicam concedi contingerit nullus audeat, vel præsumat quæstus facere, aut Nuncios, seu quæstores deputare, nisi ex speciali licentia Sedis Apostolicæ data per literas expresse derogationem illius suæ constitutionis continentes. *Et in Const. 99.* quia in diœc. Toletana, & aliquibus alijs publicatæ fuerant literæ in quibus continebatur, quod illas accipienti certa soluta pecunia licitum esset quem voluisset sacerdotem sumere, qui illum absolueret etiam à casibus Episcopo reseruatis, eidemque indulgebatur missæ sacrificium, & sepultura tempore interdicti, & indulgentiæ, & pœnarum remissiones indiscrete largiebantur, & alia etiam permittebantur, omnes huiusmodi literas dilacerari iussit, & ne talia de cętero à quoquam fiant, publicentur, vel concedantur prohibuit, sub pœna suspensionis ad ingressu, & perceptione fructuum in Episcopis, & alijs excommunicationis latæ sententiæ Pontifici reseruatæ.

19. Sed quia non fuit intentio S. Concilij, & Pij V. prohibendi eleemosynas, & impediendi ne hospitalia, & loca pia illis iuuari possent, idem S. mem. Pius V. & Greg. XIII. ex sententia Sac. Cong. Concilij, vt refert *Reuerendiss. Fagnan. ad. cap. Ex eo num. 21. de pœnit. & remiss.* statuerunt scribendas literas in hanc sententiam locorum Ordinarijs, in quorum diœcesi hospitalia reperiuntur, vt eas eleemosynas, quæ pio vsu dictorum hospitalium in quibus hospitalitas actu exercetur, dabuntur intra fines Ciuitatis, & eius diœcesis tantum colligi permittant, petita tamen prius ab eisdem Ordinarijs licentia in scriptis, & gratis concedenda, dummodo personæ quæ colligent sint honestæ famæ, vitæ, & spectatæ religionis, eorumque iudicio approbatæ, ac minime propter hanc operam participes earumdem eleemosynarum, atque hoc munere citra vllum dolum etiam omni modestia, & dexteritate fungantur, quęstorumq; nomen nullo modo gerant, sed simpliciter eleemosynarum collectores nuncupentur, non secum ferant sua priuilegia, nec reliquias; non minis, aut infucationibus inducant fideles ad eleemosynas, non campanellam, aliaq; similia instrumenta quorumdam quæstorum insignia ad excitandas personas pulsent (quamuis collectoribus S. Antonij fuerit campanella concessa, cuius vsus solis Religiosis S. Antonij fuit concessus à Sede Apostolica) non petant eleemosynam tanquam debitam, aut solitam, neq; vlla arte etiam prætextu dicendi orationem S. Antonij, vel cuiusuis alterius sancti, aut aliter extorqueant pecunias, vel alia bona, sed simpliciter pie, & modeste petendo eleemosynam pro sustentatione dictorum hospitalium, accipiant tantum, quod sponte sibi datur, offertur, nec super ijs eleemosynis vllam quouis nomine conuentionem faciant, etiam in vtilitatem ipsorum hospitalium. Et mox adiungebatur vt diligenter Episcopus animaduerteret, vt hæc omnia præcise obseruentur, atque nõ solum ad delationem aliorum, sed ex suo etiam officio inquireret, si qua fraus præsertim aduersus leges præscriptas in eis committeretur ab ipsis collectoribus, quos si vere reos compererit, puniret publice pro modo culpæ arbitrio suo, eosq; statim amoueret, atq; alios, qui boni, & idonei sint ab eisdem superioribus sufficiendos curaret. Horum etiam meminit *Barbosa ad sess. 21, cap. 9. Conc. Trid. num. 2.* Et quod ex eis plura quæ in colligendis eleemosynis interuenire debent colligerint Zerola, & Franciscus Leo, aduertit. Subdit quoq; quod in Hispania priuilegio Alex. VI. ad petitionem Catholicorum Regum Ferdinandi, & Elisabeth sunt deputatæ personæ, vt bene, & diligenter examinent, an sint veræ literæ, quibus extorquent eleemosynas huiusmodi quod priuilegium refert ad literam *Azened. L. 17. tit. 6. lib 3. noua recopil.*

20. Verum forsan interrogabit aliquis, quid proprie veniat sub nomine quæstorum in decreto Concilij Tridentini. *Barbosa alleg. 109. num. 5.* asserit, sub Concilij decreto, comprehendi prauos eleemosynarum quæstores, non ipsas eleemosynas, aut nuncios, seu receptatores, qui collectas in pios vsus conuertendas sine fraude sponte datas accipiunt, vt decisum refert *Galet. in Margar. casuum conscientiæ verb. eleemosyna 1.* & sic per S. Congreg. Concilij fuisse declaratum attestatur *Bonac. de censur. extra Bullam cœnæ disp. 2. q. 3. p. 30. n. 9. vers. 3.* Et confirmatur ex Doctrina *Baldi cons. 27. vol. 4.* vbi resoluit quæstuarios proprie dici, qui quæstum sibi reseruant, & negotia sibi gerunt, vt sibi quæstum faciant, iuxta textum in *leg. Sed & si adijciatur ff. pro socio*, nuntios vero, qui vere mittuntur, & idonei sunt ad pias eleemosynas colligendas non illo nomine comprehendi. Addit *Card. Tuscus L. A. concl. 46.* quod quæstuarij etiã dicuntur, qui emunt, vel conducunt quæstum, & ideo quicumq; sibi ipsi exigit, & appropriat, dicitur quæstuarius, alij vero dicuntur nuncij, vel consignarij. Et subdit, quod missi ad recipiendum eleemosynas, vel ad illas procurandum nomine loci pij, & sic nomine Religionis, non proprie sunt quæstuarij; ideo si conceditur indulgentia, vel priuilegium cum prohibitione mittendi quæstuarios, intelligitur de quæstuarijs ementibus suo nomine. *Bald. cons. 27. Syluest. v. quæstuarij* illos dicit esse proprie quæstuarios, qui pro eleemosynis discurrunt, scilicet non habendo certam Diœcesim, vt sunt S. Antonij, vel Bernardi, & huiusmodi, quos vocant Cenetanos. Et de his intelligit *Clement. Abusionibus de Pœnit. & remiss.* & alia iura antiqua.

21. Non prohiberi à Concilio eleemosynas est certum; quia eleemosyna est actus misericordiæ, quæ de iure naturali, & diuino est in præcepto. Ideo quod pauperes pro se ipsis eleemosynas petant, non est prohibitum, nec tales pauperes sunt quæstores, Dico [illegible], quod nomen quæstoris

storis quod aboleri voluit Concilium est nomen officij. Ideo quæstores sunt nō qui exercitiū, sed qui officium colligendi eleemosynas pro alijs assumunt, & exercent. Illi vero de mente Concilij dicuntur exercere officium quæstoris, qui non pro se ipsis pauperibus, sed pro alijs pro mercede quæstas faciūt. Hoc colligitur ex eodem Concilio ibi: *Eorum nomen, atque vsus penitus aboleatur, nec ad officium huiusmodi exercendum vllatenus admittatur*. Ex his certè apertè habetur, quod de mente Concilij nomen quæstoris est nomen officij, vnde importat quæstuare ex officio, & non ex necessitate propria, & ex propria paupertate eleemosynas postulare, sed aliundè ex assumpto quæstuandi officio pro alijs mendicare: sed quia locorum piorum necessitas postulat, vt pro ipsis colligantur eleemosynæ, non prohibet hoc Concilium, si fiat intra diœcesim, & sine mercede, sed prohibet officium quærendi pro ijs eleemosynas vbiq; & nulla diœcesi determinata, quia isti erant antiqui quæstores, vt *Syluest.* aduertit. Quod verò hoc officium consistat in hoc, quod sit quæstuare pro alijs vbicumque, & non ex charitate, sed ex mercede habetur ex eodem Concilio, ibi. *Quibus* (scilicet Ordinarijs) *etiam eleemosynas, atque oblata sibi charitatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur*. Et quidem non est verisimile mentem Concilij fuisse, quod Ordinarij per se ipsos immediatè eleemosynas reciperent spontè oblatas; nam neque hæc occupatio est compossibilis cum alijs Officij Episcopalis maioribus, & magis necessarijs occupationibus. Nam, & Apostoli *Act.6.* iudicauerunt occupationem ministrandi mensis non competere illis in præiudicium ministerij diuini verbi, vnde dixerunt. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*. Permittitur igitur Episcopis, vt etiam per alios possint colligere eleemosynas intra propriam diœcesim, sed mercede non accepta. Verum cum difficile sit inuenire, qui ex pura charitate velint pro alijs eleemosynas quærere, quatenus ex forma prædicta data Episcopis colligi potest, hoc est explicatum, vt illi collectores non sint participes eleemosynarum, & quod illa *nulla prorsus mercede accepta* respiciat personam Episcopi, & ita possit quidem collectoribus dari pro labore aliqua certa merces illis tributa siue multum, siue parum colligant, sed ita quod, nec emant quæstam, vt dicitur *all'incanto*, nec sint participes eleemosynarum, nec accipiant ad ratam tantum v.g. pro centenario eorum, quæ collegerint. Et ita officium quæstoris est officium colligendi eleemosynas pro alijs vbique, vel extra Diœcesim determinatam cum participatione eleemosynarum collectario. Ex quo colligitur primo, quod Concilium nedum prohibuit prauos quæstores, sed absolutè munus quæstoris, & nomen aboleri voluit omninò, quia iudicauit huiusmodi officium nō exerceri sine abusibus. Et quia antiquitus quæstores prædicarent; ideò quod Cōcilium prohibuerit solum munus quæstuandi prædicando, & publicando indulgentias, quia hæc duo tunc erant annexa officio quæstorum, & qui ex officio quæstuabant illa duo annexa habebant, quibus ex auaritia abutebantur, dixerunt *Rodr. tom. 1. q. 57. ar. 7. Petr ad Const. Sixti IV. num.40* quos sequutus est *Lezana tom. 1. cap. 1. nu. 4.* Quod & confirmatur. Nam *Concilium sess. 5. cap. 2.* iam quæstoribus prædicationem interdixerat, & *in cap. 9. sess. 21.* publicationem indulgentiarum Ordinarijs, & cum eis duobus alijs de capitulo assumptis commendauit. Nihilominus, quia Concilium permittit eleemosynas pro locis pijs posse colligi intra diœceses, sed sine mercede, & ita quod collectores non sint participes eleemosynarum, nec priuilegia deferant, nec nomen quæstorum assumant, colligitur quod illud præcipuè intendit Concilium, vt aboleatur munus cursitandi per Diœceses colligendo eleemosynas pro alijs cum participatione eleemosynarum, & deferendo priuilegia, & nomen quæstoris assumendo. Et in hoc sensu *Baldus* benè dixit quæstores esse, qui sibi benè quæstum quærunt, non quia petant pro se ipsis eleemosynas, sed quia quod quærant pro alijs, non est ex charitate, sed pro lucro participandi de eleemosynis. Et maximè hoc verum est, si isti quæstores, vt dixit *Tuscus* emunt, vel vendunt officium quæstorum; nimirum pro aliqua quantitate colligendarum eleemosinarum vel dimidia, vel tertia, vel simili portione. Nam auaritia ipsa quæstorum illa erat, ex qua abusus, vt plurimum sequebantur, & quæ erat occasio, vt & falsa prædicarentur miracula, & fabulæ texerentur, & publicarentur falsæ indulgentiæ; & ideo maximè prohibitum fuit exercere officium quæstorum cum participatione eleemosynarum.

22. Cæterum quod nunc Episcopi possint concedere licentiam petendi eleemosynas pro alicuius pij loci, vel operis, dummodo personæ quærentes sint honestæ, & spectatæ religionis, & iudicio eorumdam approbatæ, & minimè participes eleemosynarum, & reliqua obseruentur explicata supra *n.19.* docet *Barbosa d.alleg.109.* & praxis id confirmat. Et quantum colligi potest, & innuit *Reuerendiss. Fagnanus d. cap Cum ex eo*, in literis, quas *S.Cong. iussu Pii V. & Greg XIII.* rescripsit ad Ordinarios non fuit præscripta forma seruanda per Sedem Apostolicam, quando ex rationabili causa vult concedere licentiam quæstuandi, vt *Barbosa* asserit, quia si hoc tantum prætendebatur non erat necesse scribere ad Ordinarios, sed præscripta est forma seruanda ab Ordinarijs, quibus concessum sit, & competat facultas dandi licentiam colligendi eleemosynas pro locis pijs in eorum diœcesibus seruata forma ibi præscripta. Et ideò quod per Concilium non sit prohibitum collectores eleemosynarum intra diœceses seruatis conditionibus in d. cta forma præscriptis asserit *Bonaccin. de censur. in particulari disp. 2. q.3. p.30. num. 9.*

23. In qua octo continentur conditiones in his collectoribus necessariæ. Prima, quod sint honestæ vitæ, & spectatæ religionis. Secunda, quod non sint participes eleemosynarum. Tertia, quod quæstorum nomen non gerant, sed collectores eleemosynarum dicantur. Quarta, vt non publicent indulgentias, nec [illegible] miserant priuilegia, aut reliquias. Quinta, ne eleemosynas minis, aut imprecationibus extorqueant. Sexta, ne campanas aliaque instrumenta sim[illegible] quæstorum insignia ferant. Septima, vt [illegible] aut eleemosynam, vt d[illegible]am, & dari postulant. O[illegible]a, vt non axior-

queant

queant eleemosynam arte, aut specie dicendi orationes, aut alio peruerso more, sed simpliciter, & modestè eleemosynam petant, & eam in loci pij vtilitatem conuertant.

24. Circa verò licentiam quæstuandi considerandum, quod pro licentia quæstuâdi à locis pijs iuxta solitum exigi solum possunt baiochi quinq; ad mercedem Notarij 1655. *Città di Castello* 14. April. 39. apud Nicolium *v. quæstor. num.* 1. Vbi quod huiusmodi licentia nõ potest cõcedi à Principibus, sed ab Episcopo *Clem. Abusionibus de Pœnit. & remiss.* Vt declarauit *S. Cong. Concilij sess.* 21. *c.* 5. 1582. *Reggio* 9. *Ianuar.* 1620. *Auerso* 22. *Februar.* 37. Et *nu.* 2. habet quod Ordinarij non debent permittere quæstuarijs, quod imprimant licentias 1602. Vrbino 4. Septemb. 96. Nec eos facilè admittere, licet deferant licentias impressas 1601. Ventimiglia 27. Nouemb. 260. 1602. Lancian. 9. Ianuar. 3. & subdit *num.* 5. quod Confraternitatibus, & alijs locis pijs, quæ hospitalitatem actu non exercent, non est regulariter danda licentia quæstuandi *S. Congreg. Vicario Landen.* 18. *Aug.* 1584.

S V M M A R I V M.

1 *Priuilegium Bullæ aureæ.* num. 25.
2 *Priuilegium Eremitarum.* num. 26.
3 *Carmelitarum.* num. 27.
4 *Seruitarum.* num. 28.
5 *Prædicatorum Leonis X.* num. 29.
6 *Priuilegium recipiendi eleemosynas ab excommunicatis.* num. 30.
7 *Ad quid iuuet hoc priuilegium.* num. 31.
8 *Alia priuilegia.* num. 32.
9 *Priuilegium recipiendi data pro restitutione incertorum.* num. 33.
10 *Priuilegij huius vtilitas.* num. 34.
11 *Quid veniat nomine incertorum.* num. 35.
12 *Ex vi horum priuilegiorum Regulares habent facultatem vbiq; mendicandi.* num. 36.
13 *An Conuentus diuites possint mendicare.* nu. 37.
14 *Eleemosynæ non sunt superfluæ si sunt ad Dei cultum ordinata.* num. 38.
15 *Episcopus sub prætextu superfluitatis non potest impedire Regulares à quæstu.* num. 39.
16 *Falsarios quæstuantes puniunt Episcopi.* nu. 40.
17 *De eleemosynis nulla Decima soluitur.* nu. 41.
18 *Pœna contra impedientes Regulares ne mendicent.* num. 42.

25. QVæritur secundo, an & quæ priuilegia Religiosi habeant mendicandi. Religiosis mendicantibus fuit per plures Pontifices concessa facultas mendicandi. Sixtus Quartus in Bulla Aurea, quæ in Const. eius est 19. *in Bull. tom.* 1. §. 8. habet sequentia. *Præterea, quia, vt intelleximus, exortis nonnunquam controuersijs inter locorum Ordinarios, eorumq; Vicarios, seu Officiales, & Curatos, & Fratres prædictorum Ordinum varijs occasionibus locorum Ordinarij, eorumq; Vicarij, seu Officiales, & Curati prædicti, ne Christifideles Fratribus istis pias eleemosynas erogare præsumant ac etiam sub censuris inhibere, ac erogantes excommunicatos fore prædicare, seu prædicari facere, seu pronunciare præsumunt; locorum Ordinarijs, eorumq; Vicarijs, seu Officialibus, & Curatis prædictis, ac etiam alijs, quibuscumque dicta auctoritate mandamus, vt ab huiusmodi persuasionibus, inhibitionibus, & mandatis de cætero prorsus, & omninò abstineant: decernentes inhibitiones ipsas, & mandata nullius existere firmitatis, & illis contrauenientes censuris huiusmodi minime ligari, ac eosdem persuadentes, & inhibentes, mandatoq; obtemperare non curantes, (nisi pœnituerint, & persuasiones, ac inhibitiones, & prædicta reuocauerint intra triduum, postquam desuper requisiti fuerint) eo ipso Ordinarios interdictum ingressus Ecclesiæ, ac suspensionem à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, alios verò inferiores ob eis excommunicationis sententiam incurrere.*

26. Sed & idem Sixtus Quartus in Mari Magno Eremitarum S. Augustini §. 51. apud *Lezanam*, & in *Bull. eiusd. Ord. Const.* 4. *Sixti Quarti* §. 57. in fine sequentia decreuit. *Quod si per quoscunq; processus, lites, & controuersias quomodolibet inter ipsos Fratres prænominatos, & Ecclesiarũ Rectores, ac Ordinarios emergentes Ordinarij ipsi, seu quicunq; alij inhibitionem eleemosynarum per Christifideles Fratribus faciendarum quocumq; modo fuerint prolapsi: volumus, & præsentium patrocinio decernimus omnes, & singuli tales inhibentes ipso facto excommunicationis incurrant sententiam, & contra tales ipsi Inquisitores hæreticæ prauitatis ad prædictorum Fratrum requisitionem possint, & debeant sicut contra hæreticos procedere.*

27. Idem quoq; habetur in Mari Magno Carmelitarum apud *Lezanam* §. 70. ibi. *Quod si per quoscumque processus, lites, controuersias quomodolibet inter ipsos Fratres prænominatos, & Ecclesiarum Rectores, & Ordinarios emergentes, Ordinarij ipsi, seu quicunque alij in inhibitionem eleemosynarum per Christifideles Fratribus ipsis faciendarũ quocumque modo fuerint prolapsi: volumus, & præsentis patrocinio decernimus, quod omnes, & singuli tales inhibentes ipso facto excommunicationis incurrãt sententiam, ac contra tales ipsi Carmelit. Prædic. Minor. & Erem. S. Augustini, Protectores, & Auditor Cameræ Apostolicæ, qui sunt, & qui pro tempore erunt, & Inquisitores hæreticæ prauitatis ad prædictorum Fratrum requisitionem possint, & debeant quilibet eorumdem per se, sicut contra hæreticos procedere.*

28. In Mari Magno Seruitarum apud *Lezanam* §. 49. habetur ferè de verbo ad verbum, quod relatum est ex Mari magno Eremitarum. Sed præterea *Innoc. VIII.* vt habetur ibidem §. 61. consimile priuilegium concessit, sub his verbis.

Rursus vt ex literis Martini Prædecessoris antedicti, qui Priori Generali, & Fratribus Seruorum prædictis, quod in quibuscumque Ciuitatibus, Terris, & locis, in quibus Domos cum eorum Ecclesijs, & officinis, possessiones tamen sufficientes pro victu Fratrum illis commorantium non habentes ad instar Fratrum Ord. Mendicantium mendicare, ac eleemosynas, & suffragia petere possint, concedit; ipsi Fratres Seruorum vberiorem fructum, & gratiam valeant reportare, ac ne rerum premantur inopia, illorum victui, & necessitatibus subuenire volentes, eisdem motu, scientia, & auctoritate decernimus, quod Fratres huiusmodi in omnibus Ciuitatibus, Terris, & locis prædictis absque vlla quota, vel portione, aut onere, seu solutione quouis nomine nuncupat de Iure, vel con-

suetudine Ciuitatum, Terrarum, & locorum eorundem requisitis dando, vel porrigenda mendicare, ac eleemosynas, & suffragia propriorum victu, & necessitate petere, & recipere liberè, & licitè valeant, Inhibentes omnibus, & singulis tam Ecclesiasticis, quam laicis personis, quacunque dignitate fungentibus ne sub excommunicationis lata sententia pœna eo ipso quo contrafecerint incurrenda, ne Fratres Seruorum predictos ad dandum, vel soluendum aliquid ratione mendicitatis, & eleemosynarum prædictarum cogere, aut ob eisdem Fratribus petere, nec illos propterea impedire, quoquo modo præsumant.

29. Sed & Leo Decimus in Constitutione sua, quæ incipit *Exponi nobis*, quæ data fuit ad fauorē Prædicatorum die xx Iunij 1518. & habetur in *Bullario Ordinis eiusdem pag. 183.* primo referens plura grauamina illata eisdem Religiosis ab Ordinarijs, & Parochis, inter alia recenset impedimentum eleemosynarum ibi. *Fratres verò, quorum vita subsidio fideliū eleemosynis magna ex parte consulitur, eleemosynas huiusmodi petere non permittunt sine eorum licentia, & diœcesanorum, vel eorum Vicariorum literis eleemosynarum mēdicaturum mendicitatem sibi vendicare volunt, Et ne ratione confessionum, & celebrationis missarum aliquas à suis Parochianis eleemosynas accipiant prohibere, alioquin, & ipsi Rectores, vel Vicarij tantumdem ab ipsis parochianis extorquere nituntur. Et ad prohibitiones huiusmodi obseruandas censuris, vel ab Ordinarijs locorum contra illarum transgressores pastum obtentis, vel propria temeritate ad terrendum simplicem populum, qui censuras timent, latis vtuntur.* Postea districtè præcipit ne eosdem Religiosos impediant super his, aut molestiam inferant. ibi. *Vobis, & cuilibet vestrum per præsentes districtè vobis præcipiendo mandamus sub dictis censuris, vt & vos ab omni molestia, & omni inquietudine penitus abstineatis. Et quotiens pro parte dictorum fratrum, vel alicuius ex eius ordinis Prioribus, Prouincialibus, vel conuentualibus pro tempore existentibus fueritis super hoc requisiti, omnes, & singulos Parochialium Ecclesiarum in vestris respectiuè Ciuitatibus, & diœcesibus existentes, Rectores, seu Vicarios ad desistendum posthac ab huiusmodi molestijs, & grauaminibus, Constitutionesque prædictas, & dictorum fratrum priuilegia in eisdem inuiolabiliter obseruanda sub pœnis, & censuris in dicti Sixti Prædecessoris inhibitione contētis moneatis, & eis præcipiatis. Inobedientes verò legitimis super hoc habendis processibus censuras, & pœnas prædictas incurrisse declaretis, & declaratos publicè nuncietis, et nunciari, & tales ab omnibus euitari arctius mandetis, & alia faciatis, quæ in præmissis fuerint quomodolibet apportuna. Inuocato etiam ad hoc, quoties opus fuerit, auxilio brachij secularis. Reliquas verò personas, tam Ecclesiasticas, quam seculares cuiuscumque status, aut conditionis existant quæ Rectoribus Parochialium Ecclesiarum in præmissis cōtra fratres prædictos fauorem, auxilium, vel cōsilium præbere præsumpserint, per censuras, & alia iuris apportuna remedia (monitione præmissa) districtius coerceatis, & vt a talibus in futurū caueant prohibeatis.* Prius etiam Bonifac. IX. in *Constit.* quæ incipit *Sacra Religionis*, quæ data fuit quinto kalendas Maij anno eius 13. concesserat, vt infra. *Ac etiam Fratres prædicti verbum Dei in eorum Ecclesijs, & plateis communibus publicè proponere, & prædicare, & iuxta morem ipsius Ordinis quæstus facere, & mendicare cuiuscunque inferioris summo Pontifice super hoc licentia minimè requisita.* Habetur verò hæc Constitutio in paruo Bullario Ord. Præd. impresso Venetijs apud Lazarum de Suandis anno 1506.

30. Specialiter autem mendicantibus Religiosis concessum fuit, vt etiam in terris excommunicatorum, & ab ipsis excommunicatis eleemosynas valeant recipere. Sixtus IV. in *Constit.* 7. *quæ est Mare Magnum Prædicatorum* tale priuilegium dedit ibi: *Et quia vos extremam patientes pro Christi nomine paupertatem, & hortationis pio studio bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis semitam laudabiliter reuocatis, concedimus vt in excommunicatorum terris liberè commorari, & ab eis tunc etiam, cum vos per ipsas transire contigerit, necessaria vitæ deposcere, & recipere valeatis.* Fuit hoc priuilegium concessum à Greg. XI. in Const. *Virtute conspicuos*, quæ est 7. in *Bull. Rom.* & ibi continetur §. 10. *in fin.* & fuit posteà confirmatum à Sixto Quarto in Mari Magno. Idem verò sub eisdem verbis fuit concessum Minoribus à Clem. IV. & habetur in eorum Mari Magno apud *Lezanam* §. 11. Idem concessum fuit Carmelitis, vt habetur in eorū Mari Magno apud *Lezanam* §. 53. & Minimis per Iulium II. in Const. *Virtute conspicuos* §. 7. quæ est in *Bull. Rom.* secunda sub num. 10. Addit autem ibi Pontifex limitationem hanc, scilicet, *Nisi id vobis fuerit interdictum*. Quod ex *Peir.* explicat *Lezana ad Mare Magnum Minimorum* §. 8. *num.* 27. vt intelligi debeat de interdicto ab eo, qui excommunicationem tulit.

31. Cum verò *Rodriquez. to. 2. q. 62. a. 1. alias q. 61. a. 1.* dixerit hoc priuilegium parum deseruire nisi ad pacandos animos scrupulosorum, quia cum agitur de spirituali vtilitate excommunicatorum qualis est illa, quæ in hoc priuilegio conceditur licet cum excommunicatis communicare, *cap. Quoniam multos* 11. *q.* 3. & docent communiter *DD. Lezana* nihilominus *ad Mare Magn. Prædicatorum* §. 13. *num* 30. existimat, quod hoc priuilegium speciale quid contineat præter id, quod licet de iure communi, Quia nimirum Religiosis huiusmodi nedum sit permissum communicare cum excommunicatis non toleratis in eis, quæ pertinent ad eorum salutem spiritualem, & in eis, quæ hanc salutem seu spiritualem profectum concernunt, vt sunt allocutiones, salutationes, &c. sed etiam in illis, quæ remotè, & mediatè conducunt ad prædicta; quod colligit primo ex illis verbis *liberè commorari*. quæ videtur importare communicationem politicam, & ordinariam, & talem qualis est ordinariè inter eos, qui simul cōmorantur. Tum secundo, quia priuilegia nulli præiudicialia, quale est præsens, latissimè sunt interpretanda. Tum tertio quia Priuilegium ita debet interpretari, vt operetur aliquid speciale, præter commune ius, & quod concedat aliquid, quod alias de iure non liceret.

32. Alia etiam priuilegia referuntur, vt *Bonif. IX. pro Prædicatoribus* quod refert *Rodriq. t. 2. q. 57. a. 8.* eiusque mentionem habent *Cordub. v. eleemosyna* §. 9. *Peir. ad const. 4. Sixti IV.* §. 8. *n.* 40. *Lezana ad Bullam Auream* §. 5. *nu.* 8. Pariter priuilegium *Alexandri IV. pro Mercenarijs* in quo iniungitur

inungitur

fungitur Ordinarijs, vt præcipiant Præsbiteris fibi subiectis sub pœnis priuationis officij, & Beneficij, vt prædictos fratres eleemosynas quærere permittant, cuius mentionem facit *Lezana* vbi supra. Plura etiam alia refert *Casurub. in compend. priuileg. v. eleemosynas*, vt *Alex. IV.* qui declarauit, quod Minores, & Prædicatores, tam ab his, quibus prædicant, quàm ab alijs possint eleemosynas petere, & recipere; fidelesque posse huiusmodi eleemosynas eisdem fratribus salubriter elargiri non obstante quacumque contradictione, & *num.* 13. *Leonis X.* simile prorsus illi, quod supra *num.* 29. relatum fuit, vt datum pro Prædicatoribus. Habetur verò per extensum *in Bullar. Rodriq.* & est huius Pontif. 58.

33. Sed & amplius vt habet idem *Casarub. nu.* 2. *Alex. IV.* concessit eisdem Minoribus, vt ab executoribus testamentorum elemosynas recipere possint de incertis obnoxijs restitutioni, & de legatis ad pios vsus indistinctè. Et habetur hæc concessio *in Constit.* 17. *in Bullar. Rodriquez.* Et hoc idem fuisse concessum per *Vrbanum IV. Carmelitis* refert idem *Casarub. num.* 3. cum limitatione tamen, nimirum vsq; ad summam centum marcharum. Et habetur hoc priuilegium in *Mari Magno Carmelitarum* §. 41. apud *Lezanam*. Et præter relata continet etiam facultatem recipiendi de soluendis causa commutationis votorum facta ab Ordinarijs excepto voto Hierosolymitano. Ponuntur etiam duæ limitationes. Prima est, si alias non habeant simile priuilegium à Sede Apostolica. Secunda, quod si aliquid dimiserint, restituerint, vel dederint illis, à quibus receperint, nihil illis prosit, quantum ad obligationem, quam habent satisfaciendi. Alia verò similia priuilegia concessa fuisse societati *ex Rodriq. c. r. q.* 38. *ar.* 1. refert *Lezana ad d.* §. 41. Sed illa priuilegia aliud continent, nec ibi est sermo de restitutione incertorum.

34. Est verò circa huiusmodi priuilegia considerandum, quod iure communi videtur permissum, quod in huiusmodi priuilegijs continetur: quia vbi restitutio facienda est pauperibus mendicantes sub numero pauperum veniunt, & quotiescunque siue huiusmodi incerta, siue alia conuerti debeant in vsus pios; constat enim in vsum pium conuerti quod datur religiosis in eleemosynam pro eorum sustentatione, aut vsu in ijs, quæ sunt ad Dei Cultum; apparet ergo quòd de communi iure Religiosi recipere possunt, quæ dantur pro incertorum restitutione, aut pro conuersione in pium vsum. Nihilominus huiusmodi priuilegium multum iuuat pro tollendis scrupulis, qui ex varietate opinionum oriri possunt. Nam, & plures putant incertorum restitutionem fieri debere per Episcopum, & illis, pro quibus eam fieri decreuerit Episcopus. Et cum inter alios Doctores sit controuersia an restitutio incertorum debeat fieri pauperioribus, vel sufficiat si fiat pauperibus. Item si facienda sit pauperibus eiusdem loci, vel fieri possit quibuscumque. Huiusmodi priuilegium omnes lites tollit, & causam scrupulorum dissipat, & ideò valdè est Religiosis vtile.

35. Quid verò veniat sub nomine incertorum colligitur aduertendo sermonem esse de incertitudine se tenente ex parte eorum, quibus debet fieri restitutio, vt patet ex illis verbis *Alex IV.* in ista *Constitut. apud Rodriq.* scilicet, *Quæ fideles vt-mentes, quibus harum restitutio fieri debeat*. Et sic non est sermo de debito incerto ex parte debitoris, qui dubitat an debeat; cum imo hic plurium ex sententia restituere non debeat, quia melior est conditio possidentis. Nec illa debita censentur incerta, quæ sunt certa ex disiunctione, quia certum est, quod res debetur Petro, vel Paulo, sed incertum est cui eorum debeatur, hoc enim debitum sub disiunctione est certum, & negatiuè est certum, quia certum est, quod nulli alteri à Petro, vel Paulo potest iustè illud reddi, cum ius habendi sit alterius eorum, & ideò hoc debitum pro certo habetur, vt ex *Caiet supra q.* 62. *art.* 5. *Sotal.* 4. *de iust. q.* 3. *ar.* 1. *ad tertium Lugo disp.* 20. *sect.* 1. aduertit *Lezana ad Mare Magnum Minorum* §. 29. *num.* 73. *vbi num.* 74. quod pro incertis computari possunt inuenta, quorum dominus post adhibitam diligentiam non inuenitur. Et cũ DD. controuertant an huiusmodi inuenta tradenda ut pauperibus, quia non desunt multi, qui doceant inuentorem ea sibi retinere posse, pro qua sententia idem *Lezana* refert *Sotum lib.* 5. *q.* 3. *ar.* 3. *ad* 2. *Petrum Nauar. l.* 4. *cap.* 2. *num.* 75. *Trullea l.* 7. *cap.* 14. *dub.* 5. *Dianam p.* 2. *tr.* 3. *Miscell. res.* 5. vbi hoc probabile censet cum *Megala*. *& alijs Card. de Lugo d. disp.* 20. post *Vasqu. de rest. cap.* 5. §. 4. *nu.* 43. Priuilegium hoc vtile erit ad omnem dubitationem tollendam, & securè tam inuentor dabit, quam Religiosi datum recipient. Ad incertum debitum etiam reducit *Lezana* quando persona est certa, sed ignoratur vbi sit, vel est ita absens, vt ei commodè non possit fieri restitutio. Nam tunc restitutionem fieri debere pauperibus, si credatur non rediturus tenent *Nauarr. cap.* 17. *num.* 89. *Vasquez. de rest. cap.* 11. *num.* 4. *Molina disp.* 748. *num.* 4. *Bonac. de restit. disp.* 1. *q.* 3. *p.* 4. *num.* 12. apud eundem *Lezanam*. Quamuis *Bonac.* dicat creditorem admonendum esse, vt respondeat, quid agendum de re sua. Sed non tam de facili credo, quod alteri à Domino fieri possit restitutio, si dominus est certus. In casu tamen, quod restituendum esset pauperibus possent tam de iure communi quam ex vi huius priuilegij dari mendicantibus Religiosis.

36. Ex his colligitur primo, quod Regulares mendicantes ex iure antiquo priuilegiorum habent facultatem liberam quærendi eleemosynas, & quidem vbique locorum, & in quacunque diœcesi. Quia licet in priuilegio Seruitarum adsit restrictio ad diœcesim, ibi. *In quibuscumque Ciuitatibus, Territ., & locis in quibus domos cum eorum Ecclesijs, & officinis, &c.* in alijs tamen recitatis priuilegijs nulla locorum, aut diœcesum habetur limitatio. Et ad hoc nedum non indigent licentia Parochorum, vel Episcoporum, sed vbi Ordinarij, aut Parochi sub huiusmodi licentiæ prætextu Religiosis mendicantibus, & eleemosynam petentibus molestiam intulerunt, Sedes Apostolica eosdem Religiosos defendit, & ne molestaretur inhibuit, vt patet ex supra relata *Const. Leonis X.* & Ordinarijs, & Parochis ne Religiosos mendicantes impedirent à quæstu sub grauibus censuris mandauit. In nullis tamen ex dictis priuilegijs continetur, quod Regulares possint mendicare per alios, vel laicos, vel alterius Ordinis Religiosos,

37. Posset verò alicui videri, quod huiusmodi priuilegia non competant Mendicantibus, qui habent possessiones, & redditus, vnde non indigent fidelium eleemosynis, & potest hoc habere fundamentum in priuilegio Martini V. pro Seruitis supra in illis verbis, *possessiones tamen sufficientes pro victu fratrum in illis commorantium non habentes*. Per hæc enim verba Pontifex significauit se non concedere facultatem mendicandi, nisi indigentibus, & sufficientibus ad victum carentibus, non verò diuitibus. Et ratio etiam militat, quia cedit in graue damnum eorum, qui sunt verè pauperes, si diuites sub specie paupertatis mendicantes accipiant, quod pauperibus veris erogaretur. Vnde, & quantum ad hoc militant, quæ supra *conclus.* 1. considerata sunt. Et propterea *Lauretus p.* 1. *q.* 11. habet quod mendicantes superfluas eleemosynas petere non possunt, quia mendicantes sine necessitate grauiter delinquunt, cum panem verè indigentibus auferant *cap. Pastor.* 2. *q.* 1. *Ripa de peste remedia præseruatiuo. num* 169. & hac ratione prohibetur in iure *L. va. C. de mendican. valid. lib.* 11. & ibi *Lucas de Prana*. Et Ciuitate esse expellendos dicit *Ripa* vbi supra *Imol. in cap. Odoardus de solution.* Ex hoc verò *Lauretus* deducit, quod cum Episcopus sit Pater pauperum quos defendere debet *dist.* 87. *per tot.* & *cap. super quibusdam de verb. signif.* & *d.* 85. *cap.* 1. ideò Episcopus Regulares mendicantes sine necessitate potest impedire, nec eorum priuilegium de mendicando est intelligendum cum fraude, & præiudicio aliorum. *L.* 2. §. *merito*, & § *si quis à Principe ff. ne quid in loca publica*. *Lauretum* autem in hoc sequutus est *Barbosa de officio. Episcopi allegat.* 109. *num.* 7. & 9. vbi pro eadem sententia refert *Genuen. & Campanil.*

38. Ego libenter admitto, quod priuilegium mendicandi non se extendit ad casum, in quo Regularibus sit peccatum mendicare, & sic iuxta superius explicata non possunt Regulares diuites, & minimè indigentes mendicare siue causa iusta, cum id ea natura rei sit illicitum, vnde superfluas omninò eleemosynas Regulares petere non possunt. Verùm Monasteria, & Conuentus non debent dici diuites, ex eo, quod habeant possessiones, imò neq; quia habeant redditus ad alimentum Religiosorum sufficientes, quia adhuc possunt indigere pro cultu Ecclesiarum. Vnde *Lezana ad Mare Magnum Seruitarum* §. 23. *nu.* 7. aduertit consuetudinem esse, quod mendicantes etiam si habeant sufficientia ad victum, possint mendicare, & mendicent pro cultu diuino conseruando, & augendo, & alijs pijs, sanctis, & Ecclesiæ vtilibus exercitijs. Et addendum, quod cum maior numerus Religiosorum valdè sit vtilis Ciuitatibus, & populis, benè contingere potest, quod mendicantes habentes possessiones pro victu aliquorum sufficientes, mendicent pro maiori numero Religiosorum nutriendo, & sic Religiosi non mendicant superflua, quando mendicant pro victu, & cultu Dei, & Religionis augmento. Adde, quod vt supra probatum est, ob dum pro necessitate, sed pro honesta vtilitate mendicare licet, si fiat sine simulatione, & quod diuitibus causa humilitatis licet eleemosynas postulare.

39. Quantum postea ad id, quod additur, & deducitur, scilicet quod Episcopos tanquam pauperum protector possit Regulares impedire, & coercere ne mendicent superfluè, approbatur cōsequentia destructiua iurisdictionis Ecclesiasticæ, & ex qua, si esset vera laici, quibus conuenit fidem, & Religionem, & Ecclesiam protegere, Ecclesiasticam iurisdictionem sibi possent vsurpare, & priuare Ecclesiasticos priuilegijs suis, si eis abuterentur, & in Ecclesiasticos hac causa animaduertere. Cum ergo Regulares sint exempti à iurisdictione Ordinarij, & ut Ordinario expressè prohibitum ne impediat Regulares a non mendicando, non potest vti iurisdictionis in illos. Neq; prætendere potest titulum naturalis defensionis, quia ad hoc vt liceret vti hoc titulo, & deberet constare de damno pauperum, & deberet non adesse alia via, & aliud legitimum remedium, quod semper est in promptu cum possint interponi querelæ apud Superiores eorumdem Regularium, & haberi recursus ad Sacram Congregationem. Et Casos quem refert *Lauretus* est contra ipsum (si verus est) quia in eo casu habitus fuit recursus ad Vrbem, & Vicario Neapolitano non fuit prohibitum impedire, quod Conuentus in quo manebant vnus, vel duo Religiosi, non mitteret quatuor quæstores per Ciuitatem, quia hoc facere fuit illi concessum, cum Sedes Apostolica in his vtatur ordinarijs tanquam delegatis, sed ex hoc non potest concludi, quod Ordinarius auctoritate sua possit id facere absque incursu censurarum, quæ contra impedientes mendicantes à mendicando latæ sunt, *Pasqual. ad Laur. p.* 1. *n.* 132. Eo magis, quod pauperibus non debetur eleemosyna ex iustitia, vnde nec ipsi à diuitibus possunt propria auctoritate eleemosynas tollere, nec licet eis extra casum extremæ necessitatis vsurpare alienum, sed si id faciant, furantur. Ex eo ergo, quod diues superflua congreget prætendo ab alijs, nullam iniuriam facit pauperibus, vnde nec habet locum titulus defensionis pauperum in Episcopo, cum non adsit locus defensioni, vbi non est iniustitia.

40. In falsos mendicantes verò auctoritatem Episcopi habent, vt eos puniant. Sic *Greg. IX. in Constit. Quoniam abundanti iniquitas*. quæ data fuit ad fauorem Prædicatorum sexto id. Maij Pontificatus eius anno primo, & habetur in Bullario eius Ordinis *pag.* 9. ita disponit. *Quia verò sæpe vitia sub specie virtutum occultè subintrant, & Angelus Sathanæ in Angelum lucis se plerumque simulatè transformet; præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus, si de prædictorum fratrum Ordine se dicentes in partibus vestris prædicauerint, ad quæstum se præuaricatum conuertendo, per quos religionem eorum, qui paupertatem professi sunt contigerit infamari, vos tanquam falsarios capiatis, & condemnetis eosdem*. Hoc idem tanquam concessum ab eodem *Greg. IX.* Minoribus, refert *Cæsarub. v. quæstuare n.* 9.

41. In priuilegio etiam *ab Innoc. VIII.* concessio Seruitis consideratione dignum est, quod decernit, vt de eleemosynis receptis Religiosi non teneantur soluere decimam, vel aliquā quotā, vel portionē, vel onus. Quod & per se est rationabile, quia absurdum videtur, vt pauperibus mendicantibus

tibus de eleemosynis viuentibus tale onus imponatur; vnde nullum adhuc fuisse, qui asseruerit mendicantem teneri ad aliquam quotam de eleemosynis asserit *Lezana ad Mare Magnum Seruitarum* §. 61: *num* 195. de qua re videri possunt *Suarez. tom. 1. de Relig. l. 1. cap. 31. num. 9. & Fagund. precep. Eccl. 5. l. 1. c. 2. num. 11.*

42. Plures verò pœnæ decretæ sunt in supradictis priuilegijs contra impedientes mendicantes à quæstu eleemosynarum. In Bulla aurea contra Ordinarios lata est pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarũ, contra alios verò pœna excõmunicationis latæ sententiæ, actiones verò ob quas huiusmodi pœnæ incurruntur sunt persuadere, vel inhibere ne fideles eleemosynas Religiosis Ordinis Prædicatorum, aut Minorum erogent, vel erogantes excommunicatos forè prædicare, seu prædicari facere, seu pronunciare. Sed tamen delinquẽtes dictas pœnas nó incurrunt, nisi non pœnituerint, & persuasiones, ac inhibitiones, & alia prædicta non reuocauerint intra triduum postquam desuper requisiti fuerint. *Leo* autem *X. in Constitut.* suprapolita se remittit ad pœnas, & censuras latas a *Sixto IV.* refert tamen pœnas recensitas ex *Bulla Aurea*, sed sine limitatione illa *Nisi pœnituerint, &c.* Sed est considerandum, quod *Sixtus IV.* in duplici loco dictæ Bullæ pœnas relatas decernit secundum dispositionem *Bull. Rom.* nimirum primo in §. 8. ibi de eleemosynis loquitur, & in §. 14. vbi in communi præcipit tam Ordinarijs, quam Parochis, vel alijs, ne aliquid inhibeant, præcipiant, ordinent, vel statuant, quominus Fratres Ordinis Prædicatorum, & Minorũ gratijs in ea Bulla eis concessis liberè vti possint. Et ibi illam limitationem *nisi pœnituerint, &c.* nó ponit, addit verò pro Parochis, & alijs inferioribus ipsis ordinarijs priuationem Parochialium, & Beneficiorum, & inhabilitatis. Nihilominus stãdum est illis, quæ Pontifex in specie decreuit in d. §. 8. contra impedientes eleemosynas, dispositio enim generalis à dispositione in specie interpretationem sumit, & ideò pœnæ præfatæ non incurruntur nisi cum illa limitatione, & prout in d. §. 8. est expressum. Sed in priuilegio *Sixti IV. seu Mari Magno Eremitarum* contra Ordinarios, & alios quoscunque inhibentes eleemosynas fieri illis Religiosis est imposita absolutè excommunicatio latæ sententiæ, & mandatur Inquisitoribus, ve requisiti contra sic inhibentes, sicut contra hæreticos procedant. Sed *in Mari Magno Carmelitarum* priuilegium datur expresè pro quatuor Ordinibus mendicantium, scilicet Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum, & contra inhibentes eleemosynas faciendas eis à Christi fidelibus decernitur excommunicatio ipso facto, & decernitur, quod Protectores eorum Ordinum, Auditor Cameræ, et Inquisitores requisiti debeant procedere contra sic inhibentes. Vnde priuilegium hoc excedit illud, quod continetur in Bulla Aurea, quia hic inhibentes Regularium eleemosynas absolutè sine limitatione illa, *nisi pœnituerint &c* excommunicantur. Et secundo datur facultas procedendi contra illos Protectoribus, Auditori Cameræ, et Inquisitoribus. Videtur verò *Lezana ad Mare Magnum Eremitarũ num. 151.* quod licet de iure communi *cap. Inquisit. de hæret. in 6.* Inquisitores non possint procedere contra Episcopos, tamen id possint in hoc casu, in vim horũ priuilegiorum, quia sub nomine Ordinarij veniunt Episcopi. Et cum *Bonifac. Octauus* creatus Papa anno Domini 1294. cuius est caput illud Inquisitores, *de Hæret. in 6.* fuerit Pontifex multò antè, quàm *Sixtus IV.* conditor *Maris Magni Eremitarum, & Carmelitarum*, cum fuerit assumptus anno 1471. dictum *Lezana* habet fundamentum, quia dispositio posterior derogat priori, & ex vi dispositionis *Sixti Quarti* Inquisitoribus datur specialis facultas procedendi cõtra Ordinarios in hoc caso, sub nomine verò Ordinarij veniunt Episcopi, *Glos. in cap. Vt animarum de Const. in 6. Cap. Ordinarij, vbi Gemin. n. 5. Francus num. 3. de Officio Ordinarij eod. lib. Panorm. in cap. Post cessionem num. 1. Felin. num. 1. Decius n. c. de Probat.* & alij plures apud *Barbosam appellat. c 77. num. 1.* Et cum Inquisitores non procedant, nisi in causa hæresis, satis ostendit Pontifex præfatas inhibitiones de fide esse suspectas. *Lezana vbi supra num. 152.*

SVMMARIVM.

1 *Decreta Concilij Triden. & S. Congreg. Concil. num. 43.*
2 *Declaratio S. Cong. ad verbum. num. 44.*
3 *Alia Declaratio. num. 45.*
4 *Iterum alia. num. 46.*
5 *Regulares non possunt mendicare per alios. n. 47.*
6 *Non comprehenduntur sub Decreto Concil. Tridentini. num. 48.*
7 *Non indigent licentia Episcopi. num. 49.*
8 *Quid si extra diœcesim. num. 50.*
9 *Regulares tenentur ostendere licentiam. num. 51.*
10 *Non possunt Regulares impediri ne quærant pro indigentijs Religionis extra diœcesim. nu. 52.*
11 *Non indigent vt licentia sint confirmata ab Episcopo. num. 52.*
12 *Concionatores an possint petere pro pauperibus. num. 53.*
13 *Vna Religio non impedit altam à quæstuando. num. 54.*
14 *Et quid vbi Ecclesia sunt eiusdem tituli. nu. 55.*
15 *Regulares possunt quæstuare antequam Parochus collegerit primitias. num. 56.*

43. QVæritur tertio, an antiqua Regularium recensita priuilegia sint reuocata per ius nouum? Ex iure nouo habemus ea, quæ *Concil. Trid.* statuit *sess. 5. cap. 2. & sess. 21. cap. 9.* quæ in prima quæstione considerata fuerunt. Habentur verò, & variæ declarationes SS. Congregationum Regularium, & Concilij. *Reuerendiss. Fagnanus in cap. cum ex eo, num. 29. & seq. de pœnit. & remiss.* habet quod *S. Congregatio Concilij* censuit Decretum, *cap. 9. sess. 21.* nõ prohibere collectionem eleemosynarum, quam Monachi Ecclesiæ sub inuocatione S. Antonij quotannis tempore æstatis faciunt, pro ipsorum subuentione, nec etiam Præsbyteros, qui accedũt ad accipiendas primitias frugum, seu animalium, quæ offerri spontè solent, deuotionis ergo. Item nec fratres Ordinum Mendicantium, quominus

mendicent

mendicent, & eleemosynas quærant, eleemosynarumque nomine triticum, & vinum tempore mercium, & Vindemiarum, quærant: & sic etiam dicendum de alijs rebus *in cap.* autem *Tuarum de priuileg. num.* 3. dixit quod *S. Cong. Concilij* alias declarauit Fratres mendicantes, non posse quidem ab Episcopis prohiberi, quominus per se ipsos in diœcesibus, vbi habent Conuentus eleemosynam quærant; Si tamen si extra loca, vbi Monasteria existunt quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere; ac si extra diœcesim teneri etiam illius consensum obtinere. Cæterum non esse permittendum, vt eleemosynas quærant per alios, quam sui Ordinis Fratres.

44. *Barbosa* autem *de off. & Potest. Episcopi alleg.* 109. *num.* 10. refert de verbo ad verbum declarationem *S. Congr. Concilij* datam anno 1621. quam dicit se vidisse prius autenticam, & postea impressam in Typographia Cameræ Apostolicæ, & est tenoris, qui infra sequitur; quia enim eandem declarationem simul cum memoriali porrecto Sacræ Congregationi referunt etiam *Peir. tom.* 3. *cap.* 2. *ad Constit. Sixti, in fine, & Cespedes dub. n.* 360. & ego habeo apud me impressũ in Typographia Cam. Apostolicæ anno 1621 ponitur hic integer eius tenor, qui talis est, scilicet *Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Generales Procuratores Ordinũ Mendicantium conquaruntur, quod Fratres eorum à nonnullis Episcopis, & locorum Ordinarijs interpellãtur, quominus eleemosynas quærant in ipsamet diœcesi, vbi quis illorum conuentus existit. Insuper aliqui ex ipsis etiam prohibeant, quin ipsi Fratres eleemosynas in sua diœcesi extra conuentus locum, nisi per quinque, aut sex milliaria petant. Cum autem id priuilegijs Apostolicis aduersari videatur, cadatque in graue Religionum detrimentum, supplicant ijdem Procuratores, vt declaretur; an hæc fieri possint ab Episcopis, nec no Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit Fratres Ordinum Mend. minime nequaquam posse ab Episcopis prohiberi quominus possint per se ipsos in diœcesibus vbi habẽt conuentus eleemosynas quærere, sed tantum si extra loca, vbi Monasteria existant, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere.*

45. Hanc vero declarationem S. Congregatio in gratiam Minorum Conuentualium confirmauit Vrbanus Octauus die 9. Februarij 1640. Et Bullam hanc impressam apud Impressorem Cameræ Apostol. & in forma probauti apud me habeo. Aliam declarationem habemus relatam à *Piasec. par.* 2. *cap.* 3. *a.* 6. *num.* 50. *pag. mihi* 230. quæ sic habet. *An vt quæstores arceantur, possint Ordinarij facultatem à Superioribus Regularium eleemosyna concessarum, aliquam cognitionem, & qualem habere. Congreg. censuit ex Concil. non prohiberi Regulares Mendicantes, quominus eleemosynas quærant, non tamen alios eorum nomine, & authoritate quoquo modo posse quæritare. Illos tamen extra locum, vbi sita sunt Monasteria eleemosynas per eandem diœcesim corrogantes, teneri ad ostendendum Ordinario licentiam suorum Superiorum.*

46. Apud *Peirinum* etiam *tom.* 1. *ad Const.* 4. *Sixti IV. num.* 40. extat alia declaratio *Sac. Congr.* data 8. Iulij 1587. vel vt alij referunt die 10. Oct. 1586 quæ est sequens. *Fratres mendicantes nullatenus à quæstuatione, qua de licentia suorum Superiorum fit, & in dies fieri contingit prohibeantur.* Ad fauorem etiam Carmelitarum Discalceatorũ Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium prout refert *Lezana ad Bullam auream* §. 1. *num.* 8. rescripsit, vt infra. *Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit Fratres Carmelitas discalceatos non esse molestandos, atque impediri posse in quæstuatione eleemosynarum, non obstante, quod alij Fratres mendicantes eadem die eleemosynas quærere soleant, qua isti quærunt, & ita decreuit, ne ab omnibus Regularibus Mendicantibus, & præsertim à Fratribus S. Francisci de Obseruantia, obseruari, ac exequi mandat. Romæ 9. Iunij* 1608.

47. Istis suppositis Decretis *Conci. Triden.* & Declarationibus *SS. Congreg.* colligitur primo, quod nunc non licet Regularibus per alios, qui non sint sui Ordinis quæstas facere sine licentia Sedis Apostolicæ. Quod non possint mendicare per alios habetur ex declaratione recẽsita *ex Piasec. nu.* 45. Et idem tanquam declaratum *à S. Cong.* docuit *Reuerendiss. Fagnanus cap. Tuum num.* 3. *de pœnit. & remiss.* Ratio est, quia neque hoc, quod est mendicare per alios fuit Regularibus antiquitus concessum, vt supra adnotatum est, & ex tenore priuilegiorum relatorum habetur, quod Fratres non possint impediri à quæsta, nõ verò quod non possint impediri laici,

48. Colligitur secundo sub Decreto Concilij Tridentini non comprehendi Mendicantes per se ipsos, & pro se ipsis eleemosynas petentes. Ita ex declarationibus supra positis habetur, & tenẽt *Rodriq. tom.* 2. *q.* 57. *a.* 7. *Sanchez. in Decal. l.* 7. *cap.* 24. *num.* 7. *Hieron. Rodriq. resolut.* 59. *num.* 5. *Nauar. cons.* 33. *de pœnit.* quem refert, & sequitur *Barbosa de off. Episc. all.* 109. *num.* 7. *& ad cap.* 9. *sess.* 21. *Concil. Trid. num.* 4. *Lezena tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 4. *& v. Quæst. num.* 2. *Peir. ad Const.* 4. *Sixti IV. num.* 41. *Cespedes dub.* 230. *Fagnan. ad d. cap. Tuarum num.* 3. *& ad d. cap. Cum ex eo n.* 37. Ratio est supra adducta; quia sub nomine quæstorũ non veniunt, quo per se ipsos pro se ipsis mendicant, cum pauperes pro se ipsis, & per se ipsos posse mendicare sit de iure naturali, & diuino, vt ex tertia conclusione articuli patet. Et adiungitur etiam, quod præcipuè prohibiti sunt quæstores prædicantes, & indulgen. publicãtes; Vnde simplices Fratres sine prædicatione, & indulgentiarum publicatione mendicantes, non sunt de numero quæstorum, quos abolitos voluit *Concil. Tridẽt.*

49 Colligitur tertio quod Religiosi mendicantes ad hoc, vt pro se ipsis, & suis Conuentibus mendicent, nedum non indigent licentia Episcoporum, sed Episcopi non possunt illis inhibere, ne mendicent sub pœnis, & censuris contentis in priuilegijs supra recensitis, quæ pro hac parte minime reuocata fuerunt. Habetur hoc Corrolarium ex declarationibus supra *nu.* 44. *& seqq.* recensitis, & tanquam determinatum *à S. Congr. Episc. & Regul. in Veneten.* 6. *Octobris* 1597. tradit *Barbosa ad cap.* 9. *sess.* 21. *Concil. Tridẽt. num.* 6. *ex Aldan. in compend. Canonic. resol. l.* 3. *tit.* 7. *nu* 6. & tradunt *Lezana tom.* 2. *cap.* 1 *num. Peir. ad constit.* 4.

stit. 4.

stit.4. Petr. ad constit.4. Sixt. IV. num. 41. & ad Constit.7. Pij Quinti num 14. Barbosa v. eleemosyna v. 7. Et ratio est. Tum quia mendicantes ad id habent priuilegium, & licentiam a Summo Pōtifice, qui est Episcopus Episcoporum. Tum quia Episcopi licentiam mendicandi cōcedunt, ex quo consentiunt erigi mendicantium conuentus.

50. Limitat verò hanc assertionem *Reuerendiss. Fagnanus ad cap. Tuarum, num. 3. de priuil. & ad cap. Cum ex eo de pœnit. & remiss. num.31. & 32.* Sentiens, quod si mendicantes extra diœcesim illam, in qua habent conuentum, velint mendicare, sit necessarius consensus Episcopi illius Diœcesis, & referens ita declarasse S. Congregationem Cōcilij. Sed certè in nullis ex citatis declarationibus hoc decernitur, & Regularium priuilegia ad nullas diœceses sunt limitata, quæ priuilegia pro hac parte non sunt reuocata. Nam quod transeuntes per diœceses quæstuare possint, habetur ex eo, quod vt supra *num. 10.* visum est, Regularibus mendicantibus concessum est, vt etiam ab excommunicatis possint petere eleemosynas si contingat eos per illorum terras transire; nedum igitur vbi habitant, & commorantur, sed etiam transeundo per alias Diœceses possunt quæstuare. Sic etiam Gregorium IX. in Bulla supra relata *num. 40.* scribens ad omnes Prælatos mundi eis commendat Fratres Prædicatores, vt illos benignè recipiant, & in necessitatibus assistant, & mandat postea, vt si contingat aliquem in eorum mentito habitu quæstus facere, illum puniant, quāobrem nisi autenticè constet S. Congregationem oppositum statuisse derogando Regularium priuilegijs, Regulares habentes ad id licentiam à suis superioribus non possunt impediri, ne vbique mendicent pro suis Religionibus, quia priuilegia Mendicātium ad nullum locum limitata sunt, nec sunt concessa pro solis diœcesibus, in quibus sunt conuentus. Nec potest dici, quod priuilegia mendicantium sint reuocata per Concilium, quia vt declarauit *Pius Quintus in Constit. Etsi mendicantium* Regulares sub Decreto Concil. non comprehenduntur. Et ratio est, quia vt habet idem *Reuerendissimus Fagnanus ad d. cap. Cum ex eo num 5.* & apud eum *Soccin. num.4.* sub nomine quæstorum non veniunt quærentes eleemosynam pro se ipsis, cum hoc iure naturæ liceat. *cap. quiescamus dist. 42. cap. non satis dist. 86.* & ideò, qui quærunt pro se ipsis, non gerunt officium quæstoris, sed necessitatem patientis, & Regulares Mendicantes ex eorum legibus, & statu pauperes sunt, & mendicare possunt. Cæterum non est dubium quod Ordinarij contra priuilegia Mendicantibus concessa inhibentes illis, vel prohibentes, vel eos impedientes respectiuè ne mendicent, subduntur pœnis latis in dictis priuilegijs. *Lezana ad Mare Magnum Eremitarum §.51. & Carmelitarum §.70. Cespedes disp. 230.*

51. Colligitur quarto, quod cum certum sit mendicantes Fratres nō posse mendicare sine suorum Superiorum licentia, hanc quæstuantes tenētur ostendere saltem, vbi extra locum, in quo est illorum Conuentus quæstuare volunt. Ita habetur ex declaratione posita supra *num.44.* & docēt *Barbosa de pot. Episc. all. 109. num. 10. & ad cap. 9. sess. 21. Conc. Triden. nu.5. & apud eum Gennen. Franc. Leo Campanil. & Prasect. Petr. ad constit. 4. Sixti IV. num.43. Lezana v. quæstuare num. 3. Cesped. dub. 230. nu.6. Nicolius in Flosculis v. quæstor. num 1.* vbi refert ita declaratum fuisse per *S. Cong. Episc. & Regul. 1577. Ostunni 15. Febr. 25. & 1620. Oscrnaau 17. Nouem. 294. 1646. Capuccini 5. Octob. 9. Osseruanti 13. Iulij 20. 1649. 21. Maij. 813.* Et ratio est, quia cum de iure communi, imo & priuilegiorum, vt dictum est *n. 40.* commissum sit Episcopis inuigilare ne falsi mendicantes sub mētito habitu eleemosynas quærant, & hoc quoque ad Parochos pro parte sua spectet; ideò sine dubio habent Ordinarij, & Parochi ius, vt videant mendicare volentium licentias, vbi possit esse dubium aliquod de falsitate. Habent enim ius procurandi ne sui subditi decipiantur. Ideo etiam si Fratres mendicent in eodem loco, vbi est Conuentus, si locus sit Magnus, & Ciuitas ampla, nec Religiosi mendicantes sint noti, vnde possit esse dubium de falsitate, poterunt Ordinarij velle videre Superiorum licentias. Neque in hoc fit iniuria Ordinibus mendicantium, quia in dubio nullus tenetur in singulari tenere, quod hic, & nunc iste sit Religiosus verus, & mendicet cum licentia, & Ordinarius ius habet, vt se, & suos certos reddat, & assecuret contra falsitatem quæstuantium. Non potest tamen Episcopus prætendere dare licentiam, vel quod sine eius licentia Religiosi non mendicent, sed vbi sibi constet de licentia Superioris, non potest impedire ne Religiosi mendicent.

52. Limitant aliqui hāc Mendicantium facultatem in tribus casibus. Primus est, vt Episcopus possit impedire Regulares, ne quærant eleemosynas superfluas, & immoderatas. Secundus ne exigant pro Conuentu existente extra diœcesim, & quod non exigant nisi pro illis, quorum licentiam confirmauerit Episcopus. Ita *Barbosa de officio Episcopi alleg. 109. num.9. ex Gennen. in praxi Neap. cap.59. num.21. & Campanil. in diuer. Iuris com rub.12. cap. 13.* Sed nullus textus nulla ratio ad hæc comprobanda adducitur: & quantū ad primum casum, quid iuris sit, dictum est *quæst. super num.38.* Quantum ad secundum tauet quod supra docuit *Reuerendissimus Fagnanus*, quia nimirum non possit Regularis vnius loci mendicare extra diœcesim sine consensu Ordinarij illius loci, in quo quæsta habenda est, & tamen non est eadem ratio, & cum Episcopus non possit impedire, quin fiat à suis subditis eleemosyna quibuscumque pauperibus vbicumque sint, & cuiuscumque diœcesis, & ne fideles extra diœcesim ad quamcumque Ecclesiam, & locum pium mittant dona, & eleemosynas. Et in his facultatibus nullus pauperum habeat ius, vt sibi Ciui potius quam extraneo liberalis misericordia prouideat, ideò non est vnde Episcopus mendicantes Fratres impediat, ne per se ipsos, & pro sua Religione mēdicent. Nec in hoc Episcopus potest confugere ad patrocinium pauperum suæ diœcesis, quia non intrat defensio, vbi nullum ius pauperum violatur. Et cum Regulares cum magna penuria, & necessitate viuant in multis partibus mundi inter infideles, & maximè indigeant eleemosynis subleuari; & iustum valde sit, vt vbi vigere possit charitas, & misericordia fidelium pro talibus inter

ter infideles viuentibus colligantur eleemosynæ; quod, & pro existentibus sanctis in Ciuitate Hierusalem fecit Paulus Apostolus, vt habetur 1. *Corr.* 16. directe contra Regularium priuilegia esset, si ipsi impedirentur ne possent pro huiusmodi in partibus infidelium laborantes colligere eleemosynas, seu etiam pro quacumque necessitate suæ Religionis, cum ad hoc habeant licentiam à Summo Pontifice. Tertius vero casus est directe contra priuilegia, & contra declarationes *S. Cong.* supra relatas, & maxime contra relatam *num.* 44. quam immediate ibidem eodem *nu.* 9. recenset *Barbosa*. Cum enim Episcopus non possit prohibere Regulares habentes licentiam, vt ne per se ipsos mendicent; nec est ex consequenti vnde asseratur necessaria confirmatio licentiæ; quam solum Regulares tenentur ostendere, & qua verificata Episcopus quæstam non potest prohibere.

53. Quod etiam Concionatores non possint in concionibus in propria Ecclesia commendare pauperes sine licentia Episcopi dixit *Lezana tom. 1. cap.* 20. *num.* 17. *ex Gauanto v. Concio sacra n.* 42. quia sic declarauerit *S. Cong. Episcop. & Regular.* sed huiusmodi declaratio, si adest, forsan vna erit ex illis, quæ in particulari casu ex particularibus causis fuit data, & certe in contrarium est consuetudo, *Vide supra. c* 1. *num.* 1098. *pag.* 270.

54. Posset etiam videri quod limitanda esset assertio, vt vni Religioni non liceret mendicare in eodem loco in præiudiciũ eorum, qui prius ibidem mendicare consueuerunt. Et quidem quod quæstuantes sub eodem titulo coerceri debeant, ita vt, qui de nouo quæstuare volunt, non impediant eos, qui ab antiquo solebant sub eo titulo quæstuare, tanquam decisum à *S. Congreg. Episcoporum, & Regularium* 8. *Maij* 1643. tenet *Lezana v. Quæstuarij numer.* 6. sed e contra *Card. Tuscus L. Q. concl.* 47. habet, quod quæstuarij non possunt se se inuicem coercere, nisi vnus ex consuetudine habeat quæstam priuatiue ad alium. *Bald. conf.* 277. *l.* 2. Quod ampliat, vt procedat etiam si Ecclesia vna sit primo fundata sub nomine, & inuocatione eiusdem sancti; quia non poterit prohibere secundam Ecclesiam eiusdem Sancti postea constructam quærere eleemosynam, nisi primæ præiudicium fieret; ideo debet fieri distinctio, vt simplices sciant, cui Ecclesiæ offerant *Bald. conf.* 277. *per totum lib.* 2. Vbi etiam quod pœna falsi teneatur quæstuarius falsus. Quod tamẽ limitat; quia si prior Ecclesia habet consuetudinem, vel priuilegium super quæstis certæ qualitatis, non possit noua Ecclesia impedire, neque exercere dictas quæstas, vt per *Bald. d. conf.* 277. Quamuis si secunda Ecclesia esset in quasi possessione dictarũ quæstarum, non posset impediri nisi terminato possessorio. Itaque ergo vel loquimur de diuersis Ecclesijs, aut Religionibus, & sic dicitur, quod vna non potest impedire aliam a quæstuando, etiã si sit prius erecta, vel in loco fundata. Et propterea *S. Cong. Episc. & Regular. in declar. supra recensita num.* 46. dixit Carmelitas Discalceatos non posse impediri in quæstuatione eleemosynarum, non obstante, quod alij mendicantes eadem die eleemosynas quærere soleant, quas isti vt quærunt. Sic ergo vnaquæque Religio semper, & in qualibet Diœcesis parte mendicare potest, nec ab alijs potest impediri, Nisi habeat consuetudinem priuatiuam quoad alias legitime præscriptam, vt in tali die, vel loco ipsa sola mendicet, vel aliæ non mendicent, nisi ipsa prius mendicauerit. Vel nisi ex lege aliqua præscripti sint limites, vt vna Ecclesia non mendicet vltra talem terminum, & alia vltra alium. Sicut de facto dantur leges in aliquibus Religionibus, per quas cuilibet Conuentui illarum sint assignati termini quæstuandi, vt vnus Conuentus non impediat alium, sed ambo colligant vnde viuant. Sed istæ leges alias Religiones non ligant, quæ intra Diœcesim imo, & extra iuxta prædicta possunt mendicare, nec possunt ab alijs impediri. Vbi etiam aliqui Regulares in aliquo loco sunt de nouo recepti cum prohibitione quæstuandi, possunt á questa impediri sicut declaratũ per *S. Cong. Episc. & Regul.* 1649. *Conuentuali di Posnania* 10. *Decemb.* 1. refert *Nicol. v. Quæstor. numer.* 9. Vel sub nomine S. Antonij sine licentia superiorum illius Religionis, 1648. 20. Nouemb. 11.

55. Sed si Ecclesiæ sint eiusdem tituli hoc debet obseruari, vt fiat distinctio, & distinctæ postulentur eleemosynæ, vt fideles sciant pro qua Ecclesia, vel antiqua, vel noua, vel in ea parte, vel in alia erecta eleemosyna postulatur, aliter fieri posset præiudicium alteri Ecclesiæ, & posset contingere, quod fideles darent eleemosynam vni credentes dare alteri, & ita vt illam non dedissent, si sciuissent eleemosynam non pro illa, sed pro altera postulari. Sed secluso præiudicio isto, si distincta eleemosyna postuletur, vna Ecclesia eiusdem tituli non potest impedire aliam. Et declaratio allata à *Lezana* non obstat, quia solum decernitur, quod Ecclesia de nouo erecta non impediat aliam, quæ ab antiquo solebat sub eo titulo quæstuare. Et sic ambo quæstuare possunt, & vna Ecclesia aliam non potest impedire. Videtur vero, quod ea declaratio innuat, quod Ecclesia de nouo erecta possit impedire antiquiorem à quæstuatione, si illa non erat solita quæstuare, quia *S. Cong.* dicit, quod Ecclesia de nouo erecta sub eodem titulo non impediat antiquiorem, quæ ab antiquo solebat sub eo titulo quæstuare. Sed *S. Cong.* vnum dicit, sed aliud non affirmat, nec negat, Vnde si antiqua Ecclesia quæ prius non quæstuabat, vere habeat de præsenti causam iustam quæstuandi, non potest ab Ecclesia de nouo sub eodem titulo erecta impediri, ne suæ necessitati per eleemosynas subueniat.

56. Quod etiam Regulares tempore messium & vindemiarum possint colligere frumentum, vuas, ligna &c. etiam antequam Parochus collegerit suas primitias aduerterunt *Petr. ad Const.* 4. *Sixti Quarti num.* 20. *& Lezana tom.* 2. *c.* 1. *num.* 4. & fuit expresse declaratum per *S. Cong. Concilij* in declarationibus datis ad instantiam Parochorũ Diœcesis Bononien. quas integras refert idem *Petr. ad Const.* 7. *Pij Quinti* § 10. *num.* 13. ibi enim cum Parochi tertiodecimo loco petijssent. *Se i Regolari possano raccorre grano, vua, legna, & simili altre cose, prima che il Curato habbia raccolte le sue primitie* S. Cong. respondit. *Ad* 13. *non esse id prohibitum Regularibus*. Et *S. Cong. Episc. & Regul.* respondit Ordinarios non posse prohibere Regularibus, ne quæstuẽt ante Confraternitates nisi probetur

betur

betur consuetudo in indiuiduo. 1603. *Carmelitani* 4. *Aug.* 58. apud *Nicolaum v. quaestor. nu.* 12.

SVMMARIVM.

1 *Constitutio Pij Quinti.* num. 57.
2 *Const. Greg.* 13. num. 58.
3 *Declaratio S. Cong.* num. 59.
4 *Multa requisita in Monialibus quaestuantibus* num. 60.

57. QVaeritur 4. An Monialibus conueniat mendicare? De hac quaest. ita habet Pius Quintus in sua *Constitutione* 8. §. 5.

Porro ne Moniales, vel Tertiariae praedictae propter hanc clausuram detrimentum aut incommodum aliquod in earum necessitatibus, maxime in pertinentibus ad illarum victum patiantur, sed vt eis opportune consulatur, auctoritate Apostolica praefata statuimus, & decernimus, praecipimus, atque mandamus Ordinarijs & Superioribus earum, vt curent colligi fidelium eleemosynas per conuersas, quae non sint professae, vel si professae fuerint, sint tamen aetatis annorum quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen monasterium degant, & non ingrediantur clausuram aliarum Monialium, nisi in casibus ex earū constitutionibus permissis; & de earum domibus exire nō possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis nisi de licētia Ordinarij, vel earū Superiorū. §. 6. Et de cetero nullae aliae conuersae professae recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum vel Praelatorum possint, quod si aduersus hanc nostram prohibitionem receptae fuerint, illarum receptio nulla, irrita & inanis sit, prout ex nunc nullam, irritam, facimus & annullamus. §. 7. Quod si praedicto modo necessitatibus monialium & mulierum Tertiariarum praedictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis Ordinarijs & Superioribus earum, vt ipsi prouideant de alijs personis pijs, & Deo deuotis, quae fidelium eleemosynas colligant, vel alias eo meliori, & commodiori modo quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum monialium & mulierum praedictarum, arbitrio Ordinariorum & Superiorum earumdem. & prout eis congruentius expedire videbitur, prouideatur, & succurratur. Et ne propter monialium numerum excessiuum clausurae obseruatio violetur, inhaerentes etiam similiter dispositioni dictae constitutionis Bonifacij, & Concilij Tridentini decreto, monialibus praedictis, & illarum Superioribus, & Ordinarijs districte inhibendo praecipimus & mandamus, ne plures in earum Monasterijs recipiant & admittant, siue recipi & admitti permittant, quam ex proprijs redditibus ipsarum monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commode sustentari possint.

58. Sed *Gregorius Decimustertius qui in Constitut. sua* 8. Multa ordinauit pro pauperibus Monasterijs Monialium subleuandis in §. 6. haec de quaestuatione earum decernit.

Ceterum quod attinet ad Conuersas professas, quas praedictus Pius praedecessor per praedictas litteras sub certis conditionibus ibi contentis permisit posse manere extra Monasteria pro colligendis eleemosynis, eisdem locorum Ordinarijs iniungimus, vt quibus Monasterijs praedictarum Monialium quotidianis laboribus computatis, supradicta vel alia qualibet ratione de sufficienti subuentione, & sustentatione prouisum esse cognouerint, easdem Conuersas sub eadem clausura cum alijs Monialibus reducant, neque à suis Monasterijs amplius exire permittant. Conuersas verò non professas & profiteri nolentes, dimisso habitu domum remittant, neque alias in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua clausura mansuras in Monasteria huiusmodi recipi permittatur.

59. Sed, & *S. Congreg. Episcoporum, & Regularium in vna Bonon.* 1593. prout refert *Tamburin. de iure Abbat. disp. 7. quaest. 2. num* 24. *censuit, Moniales Monasteriorum, quamquam ab immemorabili tempore, Conuersas ad quaestuandum transmittere solitas, constito, illas ex Monasteriorum redditibus sustentari posse, dicto immemorabili non obstante, imposterum ad quaestuandum, aut ad quodlibet aliud negotium peragendum, Conuersas extra Monasterium mittere non posse*, & Barbos. *lib.* 1. *de iure Eccl. cap.* 44. *n.* 47. addit, eandem Sacr. Congregationem *in vna Bonon.* 14. *Aprilis* 1615. decreuisse, *In Monasterijs, quae nisi dictas Conuersas ad quaestuandum mittant, manuteneri non possunt, deinceps Puellas ad Monasticum habitum non tradi, nec educationis causa eas in illis introduci posse absque Sedis Apostolicae speciali licentia.*

60. Quando verò contingat huiusmodi conuersas mitti ad quaestam binę incedere debent, non ad inuicem separati, neque plures quam octo probatae vitae, non pulchrae, excedentes singulae 40. annos mittantur, atque pernoctare debent ex ead. *S. Cong.* 14. *April.* 1615. & 15. *Septemb.* 1603. *apud Tambur. vbi supra num.* 22. nisi in casibus necessitatis, & tunc in aedibus consanguineorum proximiorum, aut aliarum piarum Matronarum ex eadem *S. Cong. in d. Bonon.* 1593. & *Barbosa lib.* 1. *de Iure Eccles. cap.* 44. *num.* 45. *Nouar. verbo conuersa num.* 5. Alia etiam ex decretis *S. Cong. Episcoporū* aduerti possunt ex *Nicolio in Flosculis, v. Quaestor num.* 13. & *sequentib.* Vt quod nulla Monialis licet conuersa, & non professa, nec aliqua Mulier secularis exire potest à Monasterio ad quaestuandum, illucque reuerti sine licentia Sedis Apostolicae. 1583. *Città di Castello.* 19. *April.* 92. (sed hoc tamen, vt puto sine praeiudicio dispositorum per *Pium V.* & *Greg. XIII.* intelligendum erit.) Addit *Nicol. num.* 14. quod licentia praelata non conceditur, nisi cum expressa prohibitione recipiendi puellas ad habitum Monialium, vel conuersarum, tam intra, quam supra numerum praefixum. Et nihilominus si recipiatur, declarantur inhabiles ad profitendum, & si profiteantur nulla professio. 1605. *Castel Durante.* 7. *Iunij* 29. sed quando Moniales pro quaerendis eleemosynis tenent aliquas mulieres, vel alias personas aetatis maturae, quae Tertiariarum habitum gestent, sed non sint professae, nec clausuram intrent, non prohibentur ad habitum recipere. 1602. *Aquila* 27. *April.* 21. *Bergamo* 13. *Iulij* 47. *Bologna* 16. *Iulij* 77. *Cremona.* 78. 1612. *Siena* 2. *Maij* 54. 1613. *Foligno* 19. *Nouemb.* 128. Neq; huiusmodi quaestuatio potest illis impediri, vel prohiberi. 1582. *Napoli* 23. *Nouemb.* 9.

In licentijs vero concedendis mittendi Professas ad quæstuandū (teste codē Nicolio) hæ conditiones apponi debent, & ad vnguē obseruari. 1. Quod Quæstuantes sint saltem annorum quadraginta. 2. Quod singulæ nunquam incedant, sed binæ semper. 3. Quod in domibus longiorem moram non faciant, quàm sit necessarium pro expectandis eleemosynis. 4. Quod habeant locum separatum, & distinctum ab alijs Monialibus, & conuersis, quæ non exeunt. 5. Quod extra non pernoctent, nisi in necessitate; & tunc in domibus consanguinearum, vel aliarum piarum feminarum. 6. Quod in Ecclesia faciant sua exercitia spiritualia sicut aliæ; quo tempore non sunt impeditæ. 7. Quod ea, qua decet, modestia, incedant, oris parte velata. 8. Cum alijs monitionibus, & prohibitionibus quæ Ordinario necessariæ, vel expedire videbuntur. 1637. Parma 2. Octobris. Hæc licentia non datur per totum statum sine dominium, sed solum per totam diœcesim. 1603. Bologna 13. Nouemb. 92.

SVMMARIVM.

1 *A quo, & qualiter laici quæstores si delinquant puniri debeant.* num. 61.
2 *Regulares multipliciter quæstuando delinquere possunt.* num. 62.
3 *Regulares in casibus Clem. Abusionibus per Episcopum puniuntur.* num. 63.
4 *Regulares extra casus d. Clem. non puniuntur ab Episcopo si in quærendo eleemosynas delinquunt.* num. 64.
5 *Episcopus falsarios deferentes habitum Fratrum Prædicatorum potest punire.* num. 65.
6 *Episcopus Regulares exemptos publicantes indulgentias non potest punire.* num. 66.
7 *Indulgentias nouas Regulares publicare non possunt sine licentia.* num. 67.
8 *Delinquentes in quæsta instante Episcopo puniri debent ab illorum superioribus.* num. 67.

61. QVæritur quinto qualiter, & à quo puniendi quæstuarij si in quærendo eleemosynas delinquant? Hic primo distingui debent Laici, vel Clerici subiecti iurisdictioni Episcopi, & Regulares, seu alij ab eius iurisdictione exempti. Quo supposito distingui postea debent crimina, quæ praui quæstores committunt, vt si sint falsi quæstores, si quærant sine licentia, si non seruent in quærendo formam præscriptam; si quærendo publicent indulgentias, & alia huiusmodi. Primo igitur in vniuersali de istis prauis quæstoribus loquendo dicitur quod carcerandi sunt ab Episcopo Diœcesis in qua quæstuant. *Nicolius* verò in *Flosculis v. quæstor.* n. 3. habet quod Quæstuarij carcerari debent, & ad iudicem originis remitti, vt ibi puniantur, vbi fuerunt eis iniuncta præcepta, & vbi frequentius est id genus maleficij, & ita determinasse *S. Cong. Episc. & Regular.* 7. *Iun.* 1605. *Pistoia per Spoleto.* & quantum ad pœnam subdit, quod tribus, vel quatuor tuorum ictibus publice inflictis mittantur in exilium à Ciuitate, & Diœcesi per quinquennium sub pœna triremium ad decennium in casu fractionis exilij, vel nouæ quæstuationis. 1620. *Spoleto.* 18. *Decemb.* 34. 1601. 3. *Decemb.* 100. 1602. *Lanciano.* 4. *Febr.* 15. Maxime si publicauerint falsas indulgentias. 1602. *Lanciano.* 5. *Mart.* 20. Aliquibus vero fuit remissum exilium cum idonea cautione de non discedendo ab Vmbriæ prouincia, & de nullibi in posterum quæstuando sub pœna triremium ad vitam &c. 1596. *Spoleto.* 17. *Sept.* 75. Sed, vt dicebam distingui hic debent quæstuantium delicta, nec dari debet vna omnibus pœna. Nec ex declarationibus *S. Cong.* datis in casibus particularibus possunt colligi regulæ generales, quæ valeant in omnibus casibus, cum illæ innitantur sæpissime circumstantijs particularibus. Vnde & Episcopus Diœcesis in qua commissum fuit delictum ratione commissi delicti habet iurisdictionem ad puniendum quæstores in sua Diœcesi delinquentes; Et hoc etiam spectatis circumstantijs poterit esse melius; & in occasione consulenda erit *S. Congregatio*. Sic igitur falsi quæstores pœna falsi puniendi sunt, vt dixit *Card. Tuscus L. Q. concl.* 45. ex *Bald. cons.* 277. *l.* 2. si verò quæstor sub prætextu indulgentiarum, vel facultatum à Sede Apostolica concessarum quæstas fecerit grauius iuxta tenorē *Constit.* 30. & 99. *Pij V.* puniri debebit. Pariter attendenda erit diuturnitas delicti, & multitudo populorum quos decepit. Si quis verò quæstuet cum licentia, sed nihilominus circa id excessus, aut falsitates committat, Ordinario mandante debet carcerari, eiusque pecuniæ, scripturæ, resque aliæ sequestrari, *S. Cong. Episc. & Regul.* 1613. *Reggio* 25. *Iunij.* 55. apud *Nicolium v. quæstor. nu.* 11. De eleemosynis autem acceptis ab huiusmodi quæstoribus *S. Cong. Episc. & Regul.* apud *Nicolium v. quæstor. num.* 4. decreuit, vt si dari non possint eidem loco cuius contemplatione fuerunt factæ, distribuendæ sint Monasterijs Monialium, quæ magis egeant. 1596. *Bari.* 10. *Aug.* 69. *Vrbino.* 4. *Sept.* 73. *Chieti* 30. *Sept.* 47. *Vintimiglia.* 3. *Iunij* 43. 1605. *Aqui* 13. *Iulij* 45. Sed, & considerandum est, quod in multis casibus etiam S. Inquisitionis Officium contra quæstores procedit, si in aliquo ad fidem pertinente delinquant.

62. Regulares verò multipliciter peccare possunt quæstuando, vel scilicet quia id faciant sine superiorum licentia, quod esse posset peccatum etiam contra votum paupertatis; vel quia assumant habitum alienæ religionis proprium dimittendo, vel occultando; in quo casu inciderent etiam in excommunicationem capitis 2. Ne Clerici, vel Monachi in 6. Vel si Regularis vnius Conuentus quæstuet sub nomine alterius, quod etiam fuit prohibitum per *S. Cong. Episcoporum, & Regularium.* 1602. *Putignano* 23. *April.* 1625. 1618. *Osseruanti Riformati* 12. *Ian.* 23. apud *Nicolium vbi supra num.* 6. Vel si quæstuent sub prætextu indulgentiarum, aut facultatum Pontificis, vel si quocumque modo decipiant illos, à quibus petunt eleemosynam, vel si aliquod committant ex ijs, quæ enarrat *Clem.* 5. *in Clem. Abusionibus* 2. *de Pœnit. & remissionibus.*

63. 64. De his igitur Regularibus exemptis loquendo dicitur, Primo, quod in terminis *dictæ Clem. Abusionibus*, Regulares nō obstante exemptione illorum possunt ab Episcopis corrigi, & puniri, cum huiusmodi facultas cum derogatione priuilegij exemptionis ibi sit illis tributa. *Sylu.*

v. quæ.

v. quæstuarij. Verum aduertendum est, quod Regulares inquantum per se ipsos, & pro se ipsis mēdicant non sunt propriè quæstores, vt supra est probatum ideò non comprehenduntur sub ea *Clementina*, quæ contra quæstores est promulgata. Vnde *Syluest.* habet, quod qui quærunt pro se ipsis etiam sine litteris Apostolicis vel Ordinarij possūt admitti. Et *glos. in d. Clem. Abusionibus v. quæstores* aduertit qui pro alijs petunt hos esse illos, de quibus est sermo *in c. Tuorum de priu.* Ibi verò est sermo de illis laicis, vel Clericis, qui pro hospitalārijs quæstas habebant. Sed loquendo in casu nostro contento *in dicta Clementina Abusionibus*.

64. Dicitur secundo, quod Episcopus nō est cōpetēs iudex, qui possit illos punire, sed hoc ad eorū superiores spectat. Nec obstat quod quæstores per *Triden. Concil.* sint aboliti, ideòq; Regulares prauè quæstuantes peccent *in Concilium Tridentinū*. Quia primo neque assumptum est verum, quia sub Decreto *Concilij* nō cadunt pauperes, qui per se ipsos, & pro se ipsis quæstuant, quia nec illi veniunt sub nomine quæstorum; *Fagnan. in cap. Cū ex eo de Pœn. & remis. n. 5.* Vnde si pauper dolosè quærens pro se ipso vel quicumque etiam diues se fingens pauperem, pro se petat eleemosynam, licet peccet, non tamen comprehenditur sub Decreto *cap. 9. sess. 21. Conc. Triden* Sic & Regularis pro se, vel sua Religione petens eleemosynas nec est quæstor, nec si dolosè procedat, sub dicto *Concil.* Decreto comprehenditur. Secundo quia Regulares Decreta *Concil. Trident.* non obseruantes, non per hoc subduntur Iurisdictioni Episcopi, nisi in illis casibus in *Concil.* expressis, in quibus *Concilium* dedit Episcopo, vt Delegato Sedis Apostolicæ auctoritatem super illos *Pasqual. ad Laurer. de Franc. p. 1. num. 1317.* Et est hoc indubitatum per ea, quæ tradidit *Reuerendissimus Fagnanus cap. Cum Capella num. 31. de priuil.* nimirum quod licet *Concil. Triden.* præceperit Regularibus ne audiant secularium confessiones, nisi sint approbati ab Episcopo, & ne prædicent, eo contradicente *sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 4.* Nihilominus ex vi *Concil. Trid.* Regulares in his inobedientes ante *Const. Inscrutabili Greg. XV.* non poterat punire Episcopus, sed hoc spectabat ad eorum Superiores, vt declarauit *Sac. Congr. Conc.*

65. Nec obstat, quod ad Episcopū spectet punire eos, qui habitū Religiosorū vsurpant. Et sic Regularis si sub habitu alterius Religionis quæstuet poterit ab Episcopo puniri *c. 1. de Religiosis domib.* & ibi DD. Certè *Innocentius IV. in Constit. Quin Confusio*, quæ habetur *in Bull. Prud. pag. 17. a tergo* dat facultatem Episcopis, imò eis mandat, vt si fuerit aliquis, vel laicus, vel alterius Ordinis Religiosus, qui habitum Ordinis Prædicatorum gestet, compellant ad eum deponendum, & idem concesserat *Greg. IX. supra num. 40.* Consimilem verò concessionem habere Carmelitas asserit *Lezann tom. 1. cap. 13. num. 12.* & Minimos etiam similia obtinuisse *à Leone X. & Paulo V.* refert *Petr. ad Const. 2. Iulij II. num. 53. & Const. 9. Leon. X. & 6. Pauli V.* Pariter apud *Pasqual. ad Laur. p. 1. q. 39.* Simile mandatum habetur datum ab *Vrbano VIII. 5. Octob. 1635. ad fauorem Minorum de Obseruantia*: & alia *apud Cusarub. v. habitus num. 4 & 5. data ab Innoc. IV. & Clemen. IX.* Hoc tamen non obstat, quia posset dici, quod per prælatas Constitutiones non datur Episcopis alia facultas, nisi quod gestantes, vt supra habitum Ordinum illorum compellant, vt illum dimittant, sed neq; hæc facultas datur illis nisi fuerint requisiti ex parte Ordinis illius, cuius habitus à non Religioso eiusdem Ordinis gestatur. Sed dicitur, quod hic est casus particularis, in quo Episcopo data est facultas huiusmodi falsarios capiendi, & condemnandi, quæ facultas absolutè eis datur *à Greg. IX.* pro ijs, qui habitum Fratrum Prædicatorum mentitū portant, vt patet supra *num. 40.* In Constitutione etiam præfata *Vrbani VIII.* non habetur clausula *Si fuerint requisiti*, quæ habetur in alijs.

66. Sed neque obstat, quod Episcopus possit punire publicantes indulgentias sine eius licentia, iuxta terminos *Concil. Triden. sess. 21. cap. 9.* Et ideò Episcopus Religiosos quæstuantes punire poterit saltem si quæstuent sub prætextu indulgentiarum, prout affirmat *Barbosa de off. Episcopi alleg. 109. num. 4.* asserens quod huiusmodi publicantes indulgentias Episcopus nulla obstante exēptione potest incarcerare, excommunicare, & punire Verum hoc sine fundamento gratis asseritur. In dicto enim *cap. 5.* nulla Episcopis datur facultas super exemptos, vnde duo falsa asserit *Barbosa*, primum quod ob dictam causam Episcopus possit punire exemptos, iam enim *ex Sac. Congregatione Concilij* probatum est, quod non competit Episcopo hæc facultas ex vi *Concil. Trident.* nisi vbi *Concil.* id expressè concedit. Secundum quod dato quod Episcopus posset in hac parte punire exemptos, non posset illos excommunicare, qui habent priuilegium, vt non possint excommunicari. Nam huius asserti, & consequentiæ falsitas iam est manifesta, ex declarat *S. Cong. Concilij, & Constitut. Innocentij X. in causa Angelopolitana in dubio 4. ex propositis ex parte PP. Societatis, ibi. An Episcopus possit cum censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis, vel prædicatione Verbi Dei, & hoc an vigore Concilij Tridentini, vel per quem Canonem? Respondit posse procedere non quidem in vim Concilij Tridentini, sed in vim Const. Greg. XV.* quæ incipit *Inscrutabili Dei Prouidentia*. Quia enim *in Const Greg. XV.* datur expressè Episcopis facultas procedendi per censuras, ideò in dicto casu sic procedere possunt, quod tamen non possunt in vim *Concil. Triden.* cum in eo talis facultas eis expressè non sit concessa. Cū igitur in *Concil. Trident.* nulla detur Episcopis facultas procedendi contra exemptos, ex eo quod publicent indulgentias sine licentia Episcopi, eos non potest ob hanc causam punire. Et eo magis quod in *d. Clem. Abusionibus* insinuare indulgentias, quas habent permittitur quæstoribus, vnde hoc non est per illam *Clem.* prohibitum. *Vide dictum superius art. 1. num. 1077.*

67. Et considerandum est etiam, quod Regulares indulgentias olim à Pontificibus concessas publicare possunt, in consultis Ordinarijs, solūq; de nouo concessas absque Ordinarij licentia publicare non possunt. *Bonac. de cens. in particul. disp. 5. q. 3. p. 30. num. 9. Barbosa d. alleg. 109. nu. 4. Nicolius v. Indulgentia num. 9.* Quatenus tamen Re-

gulares eleemosynas quærendo delinquunt extra claustra ita notoriè, vt populo scandalo sit Episcopo instante à suo Superiore puniri debet in terminis Decreti *Concil. Triden.sess.25. cap.14.de Regul.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum liceat Religiosis vilioribus vestibus vti, quam cæteri vtuntur.

opusc.19.c.8

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod non liceat Religiosis, vilioribus vestibus vti, quam cæteris: quia secundum Apostolum 1.ad Thessal.vlt. Ab omni specie mala abstinere debemus. Sed vtilitas vestium habet speciem mali. Dicit enim Dominus Matt.7. Attēdite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. Et super illud Apoc.6.Ecce equus pallidus, &c.dicit glos. Vidēs diabolus nec per apertas hæreses se posse proficere, permittit falsos fratres, qui sub habitu Religionis obtinent naturam rufi equi, & nigri, peruertendo fidem. Ergo videtur, quod Religiosi non debeant vilibus vestibus vti.

glos.ij. ib.

2. Præterea, Hieronymus dicit ad Nepotianum, Vestes pullas (id est nigras) æquè deuita, vt candidas. Ornatus, vt sordes pari modo fugiendi sunt, quia alterum delitias, alterum gloriam redolet. Ergo videtur, quod cum inanis gloria sit grauius peccatū quam deliciarum vsus, quod religiosi, qui debent ad perfectionem tendere, magis debeant vitare vestes viles, quam pretiosas.

Tom. me. epl. incip. Petis a me. Nepotia. t 1.

3. Præterea, Religiosi maximè intendere debent operibus pœnitentiæ. Sed in operibus pœnitentiæ non est vtendum exterioribus signis tristitiæ, sed magis lætitiæ signis. Dicit enim Dominus Matt.6. Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes. Et postea subdit, Tu autē cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuā laua. Quod exponens Augustin. in lib.de sermone Domini in monte, dicit, In hoc capitulo maximè aduertendum est non in solo rerum corporearum nitore, atq; pōpa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam, & eo periculosiorem, quo sub nomine seruitutis Dei decipit. Ergo videtur, quod Religiosi non debeant vilioribus vestibus indui.

l.2.cap.19.in me. t.4.

Sed contra est, quod ad Heb. 11. Apostolus dicit, Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, gloss. vt Helias, & alij. Et in Decr. 21. qu. 4.dicitur, Si inuenti fuerint deridentes eos, qui vilibus, & Religiosis vestibus amicti sunt, corrigantur. Priscis enim temporibus omnis Sacratus vir cum mediocri, aut vili veste conuersabatur.

glos. inter. ib.

21 qu.4. cap. omnis iactātia in med. 1 3. cap.13. t.1.

Respondeo dicendum, quod sicut August. dicit in 3. de Doctrina Christiana, in omnibus exterioribus rebus non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est, ad quam discernendam attendendum est, quod habitus vilis, & incultus dupliciter pōtest considerari. Vno modo, prout est signum quoddam dispositionis, vel status humani: quia vt dicitur Ecclesiast. 19. Amictus hominis enunciat de illo. Et secundum hoc vilitas habitus est quādoque signum tristitiæ. Vnde & homines in tristitia existentes solent vilioribus vestibus vti; sicut è conuerso in tempore solemnitatis, & gaudij vtuntur cultioribus vestimentis. Vnde & pœnitentes vilibus vestibus vtuntur, vt patet Ionæ tertio de Rege, qui indutus est sacco & 3. Regum 21. de Achab, qui operuit cilicio carnem suā. Quandoque verò est signum contēptus diuitiarum, & mundani fastus. Vnde Hieronymus dicit ad Rusticum monachum, Sordidæ vestes, candidæ mētis indicia sunt: vilis tunica contemptum sæculi probat: ita dumtaxat ne animus tumeat, ne habitus, sermoq; dissentiat. Et secundum vtrumque horum competit religiosis vilitas vestium: quia religio est status pœnitentiæ, & contemptus mundanæ gloriæ. Sed quod aliquis velit hoc alijs significare, contingit propter tria. Vno modo, ad sui humiliationem. Sicut enim ex splendore vestium animus hominis eleuatur, ita ex humilitate vestium humiliatur. Vnde de Achab, qui carnem suam cilicio induit, dixit Dominus ad Heliam, Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? vt habetur 3. Regum 21. Alio modo, propter exemplum aliorum. Vnde super illud

De viuendi forma mona. & me. t.

illud Matthæi tertio. Habebat vestimentum de pilis camelorum, &c. dicit glossa. *Qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ prætendit. Tertio modo, propter inanem gloriam: sicut Augustinus dicit, quod in ipsis sordibus luctuosis potest esse iactantia. Duobus ergo primis modis laudabile est abiectis vestibus vti; tertio verò modo est vitiosum. Alio autem modo potest considerari habitus vilis, & incultus, secundum quod procedit ex auaritia, vel ex negligentia; & sic etiam ad vitium pertinet.*

Ad primum ergo dicendum, quod vilitas vestium de se non habet speciem mali, imo potius speciem boni, scilicet contemptus mundanæ gloriæ. Et inde est, quod mali sub vilitate vestium suam malitiã occultant. Vnde Aug. dicit in sermone Domini in monte, quod non ideò debent oues odisse vestimentum suum, quia plerumque illo se occultant lupi.

Ad secundum dicendum, quod Hieronymus ibi loquitur de vestibus vilibus, quæ deferuntur propter humanam gloriam.

Ad tertium dicendũ, quod secundum doctrinam Domini, in operibus sanctitatis nihil homines facere debent propter apparentiam, quod præcipuè contingit, quando aliquis aliquid nouum facit. Vnde Chrys. dicit super Matth. Orans nihil nouum faciat, quod adspiciant homines, vel clamando, vel pectus percutiendo, vel manus expandendo: quia scilicet ex ipsa nouitate homines reddunt intentos ad considerandum. Nec tamen omnis nouitas intentos faciens homines ad considerandum, reprehensibilis est. Potest enim & benè, & malè fieri. Vnde Augustinus dicit in lib. de serm Domini in monte, quod qui in professione Christianitatis inusitato squalore, ac sordibus intentos in se oculos hominum facit, cum id voluntate faciat, non necessitate patiatur: cæteris eius operibus potest cognosci, vtrum hoc contemptu superflui cultus, an ambitione aliqua faciat. Maximè autem videntur hoc non ex ambitione facere Religiosi, qui vilem deferunt, quasi signum suæ professionis, qua contemptum mundi profitentur.

SVMMARIVM.

1 *Habitus Religionis vilis.* num. 1.
2 Elias, Io. PP. *vilibus vsi vestibus.* num. 2.
3 *Melota quid sit?* num. 2.
4 *Resolutio articuli.* num. 3.
5 *In vsu rerum libido est in culpa.* num. 4.
6 *Deus non vestem, sed mentem attendit.* num. 4.
7 *Vilis habitus signum tristitiæ, pœnitentiæ, & contemptus mundi.* num. 5.
8 *Vilis habitus conuenit Religiosis, vt signum pœnitentiæ, & contemptus mundi.* num. 6.
9 *Vilis habitus conuenit Religiosis ad humilitatem & exemplum.* num. 7.
10 *Vilem habitum ex auaritia, vel negligentia, vel hippocrisi deferre est malum.* num. 7. 8.
11 *Vilis per se loquendo esse debet habitus Religiosi, & incultus.* num. 9.
12 *Qualis habitus Religiosi secundum S. Basilium.* num. 10.
13 *Vniformis debet esse habitus Religiosorum.* num. 10. 11.
14 *Vilitas nimia, & singularitas vitanda.* nu. 11.
15 *Religiosi cultioribus vestibus vtentes reprobandi.* num. 12.
16 *Ex operibus iudicandus animus induentis nouitatem.* num. 13.
17 *Qualibet Religio suum habitum habet.* nu. 14.
18 *Habitum exteriorem non esse de substantia Religionis quidam dicunt.* num. 15.
19 *Oppositum probatur. habitus facit Religionem visibilem;* num. 16.
20 *Religio vnaquæque proprio habitu distinguitur.* num. 17.
21 *De substantia Religionis est proprius habitus.* num. 17.
22 *Religiosi societatis quomodo habeant peculiarem habitum remissiue.* num. 17.

1. IN argum. sed contra, &c. ex verbis cap. *Omnis iactura* 21. *q.* 4. quæ refert *D. Th.* videtur colligi, quod idem ferè sint habitus Religiosus, & habitus vilis dicit enim *Si inuenti fuerint deridentes eos, qui vilibus, & Religiosis vestibus amicti sunt, &c.* Videtur enim supponere, quod vestis Religiosa sit vilis, sed quia non omnis vestis vilis est religiosa, idem Decretum damnat irridentes vestes Religiosas viles, quoniam antiquus fuit Religiosorum vsus, vt *D. Thomas ait*, quod viri Deo sacrati vilibus vestibus vterentur.

2. Et quidem Elias, qui vt habet *Cassianus lib.* 1. *inst. c.* 2. *In veteri testamento iam flores castimoniæ præfigurabat exempla.* ab Ocozoia Rege absente cognitus est relatione seruorum dicentiũ, quia homo pilosus, & zona pellicea accinctus renibus esset, *zonæ videlicet indicio, & hirsuti, incultiq; corporis specie virum Dei indubitanter agnoscens: eo quod istud ei, inter tot Israelitici populi millia cultus proprij, velut quoddam impressum speciale signum perpetuo cohæreret. De Ioanne quoque, qui veteris, nouiq; testamenti, velut quidam sacratissimus limes, finis, initiumq; processit, ita Euangelista narrante cognoscimus. Ipse autem Ioannes habebat vestimen-*

stimentum de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Et aduertendum etiam ex eodē *Cassiano ib. cap.* 8. melotum esse pellem Caprinam, quæ melotes vel pera apellatur, sic, & *Caiet cap.* 11. *ad Hebræos* annotat melotam significare pellem ab oue detractā cum lana. *D. Tho.* autem *opus.* 19. *cap.* 8. inquit, quod melus est animal, quod & taxus dicitur, cuius pellis melota dicitur, & est valdè hispida: vel melota est vestis de pilis camelorum, vt patet per *glossam*. Huiusmodi verò vestibus induebantur antiqui illi PP. & Eremitæ, sed & antiqui Monachi vilibus vestiebantur, vt ostendit *Hilarionis, & Arsenij* exemplū, & aliorum Patrum, de quibus narratur, quod vilissimis vestibus induebantur, & ex Monachorum diuersis regulis est manifestum, quas habes apud *Hugonem Menardum in concordia cap.* 65. & ea infra adducendis comprobabitur.

3. Huius articuli resolutio est, quod vilitas habitus proportionata ad statum pœnitentiæ, & interiorem mortificationem significandam maximè conuenit Religiosis, vnde ad hoc significandum laudabiliter monentur Religiosi tum ea humilitate, tum ad aliorum exemplum, non verò ex inani gloria sicut neque vilitas est laudabilis, quæ procedit ex auaritia, vel negligentia,

4. Primò vero *D. Th. ex Aug. l.* 3. *de Doctr. Christiana* Regulam generalem ponit; quia nimirum in omnibus exterioribus rebus non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est. Hinc de habitu loquens *Petrus Blesen. ep.* 97. dicebat *Inter album, & nigrum habitum non distinguit ille, apud quem non est distinctio Iudæi, & Græci. Attendit Dominus mentem non vestem; merita non colorem*. Sic enim verum est, quod Deus mentem attendit, non vestem; quod cuiuscumque vestis vsus ex mētis libidine potest esse in culpa, qui sine libidine ex mentis honesta intentione erit laudabilis.

5. Vt verò cognoscatur an habitus vilis, & incultus ea libidine mentis sit in culpa, aduertit *D. Th.* quod habitus potest dupliciter considerari, vel scilicet inquantum est signum dispositionis, vel status humani, vel ex causa, ea qua procedit, vt quia sit ex auaritia, vel libidine. Primo igitur modo habitus accipitur, vt est signum humani status, quia vt dicitur *Eccl.* 19. Amictus hominis annunciat de eo. Tria vero præcipuè habitus incultus significat ad hominis internam dispositionem spectantia, nimirum, tristitiam, pœnitentiam, & mundi contemptum. Tristitiam significat, Vnde homines in tristitia existentes solent viliosibus vti, sic enim, nigras vestes, & viles assumunt ad tristitiam de coniunctorum morte demonstrandā, sed è conuerso in tempore solemnitatis, & gaudij splendidioribus, & cultioribus vestibus vtuntur. Sed incultus habitus significat etiam pœnitentiam vnde *Ionæ c.* 3. dicitur de Rege Niniue, quod indutus est sacco, & 3. *Reg.* 21. de Achab pœnitente dicitur, quod operuit cilicio carnem suam. Sed tertio vilis vestisus est signum contemptus diuitiarum, & mundani fastus. *Hieron. ad Rusticum* dicebat. *Sordidæ vestes candidæ mentis indicia sunt, vilis tunica contemptum seculi probat. Ita dumtaxat ne animus tumeat, ne habitus, sermoq; dissentiat*.

6. Secundum hæc ponitur Conclusio, quod habitus incultus maxime conuenit Religiosis ad significandam pœnitentiam, & contemptum mundi, quia religio est status pœnitentiæ, & contemptus mundanæ gloriæ. Et quidem maximæ conuenit Religiosis habitus pœnitentiam significans, quia Religiosus & facto, & verbo pœnitentiam agere, & alijs debet prædicare. Sic dum *Mat.* 3. dicitur de Ioanne quod habebat vestimentum de pilis Camelorum *Glossa* habet, quod qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ prætendit. In eo vilitas vestis, & cibi laudatur, quorum vsus in diuite arguitur. Et *Marc.* 1. super illud. *Erat Ioan. vestitus pilis cameli*, dicit *Glossa*, conueniens vestis prædicatori, Ex quibus patet (inquit *D. T. opus.* 19. *c.* 8.) quod serui Dei, & præcipue, qui pœnitentiam prædicant, debent vilibus vestibus indui. Et *Apocalip.* 11. dicitur. *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Gloss.* id est prædicantes pœnitentiā, & exempla ostendentes. Cum igitur Religio sit status pœnitentiæ, quam Religiosi, & in se assumere, & alijs verbo, & facto debent prædicare, maxime illos decet habitus incultus, & vilis. Sed & hoc illis conuenit, quia eos decet mundani fastus contemptus. Vnde S. *Greg.* singularitatem in vestibus tollendam esse à Monasterijs arbitratus ita scripsit *Ioanni Subdiacono Rauennæ. lib.* 10. *indic.* 5. *epist.* 22. *Hoc autem prædicto Patri, & coepiscopo nostro omnino dicere stude, vt peculiaritatem a quatuor, & quinque Monasterij Monachis in quibus corrigi hactenus minime potuit, studiosissime compescat, & hoc ipsum Monasterium à tali peste mundare festinet: quia si illic peculiaritas à Monachis habetur, neque concordia, neque charitas in congregatione eadem poterit permanere? Quid est autem habitus Monachi, nisi contemptus mundi?* Sic & *Hugo Victor. de instit. Monach. cap.* 11. scripsit.

Debent amatores religionis, opere demonstrare, quantum ipsi terrena despiciant, nec carnem, quæ moritura est, cultu superstitioso excolere, sed pompæ indumentorum morum ornamenta interserere. Vestimenta plus vilia, quam pretiosa, plus grossa quam subtilia, plus aspera, quam mollia, plus fusca, quam nitida, plus neglecta, quam accurate composita.

7. Subdit verò D.T. quod tribus ex causis potest contingere, quod quis velit pœnitentiam, & mundi contemptum significare. Primo scilicet ex humilitate. Sicut enim ex splendore vestium animus hominis eleuatur, ità ea humilitate vestium humiliatur. Et cum ad humilitatem pertineat, quod homo contemnat se ipsum, hoc etiam ad humilitatem pertinebit, quod contemptibilibus exterius vtatur. Sic de diuite, qui *induebatur purpura, & bysso. Luc.* 10. dixit *S. Petrus Grisol. ser.* 124. quod *diuitem extulit purpura ad superbiā, byssus ad luxum, ad inhumanitatem copia, abundantia ad impietatem*. E contra verò de Achab 3. *Reg. c.* 11. qui correptus ab Elia vestiuit se cilicio, dixit Deus, *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius*. Secunda causa est exemplum aliorum. Et propterea supra cum *Glossa* dictum fuit, quod qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ prætendit, vt nimirum suo exemplo alios ad pœnitentiam inducat. Tertia

tia causa est inanis gloria. Nam prout habet *Aug. lib. 2. de sermone Domini in monte*, In ipsis sordibus luctuosis potest esse iactantia. Ponitur ergo alia conclusio, quod incultus habitus bene conuenit Religiosis, vt illum deferant ad sui humilitatem, & aliorum exemplum, non vero, vt hypocritæ ad inanem gloriam. Et in hoc sensu *S. Isidorus in Regula cap. 14. §. 10.* diait. *Cultus vestium, & indumentorum insignes Monacho deponendi. Munitus enim esse debet Monachus, non delicatus. Sicut autem non oportet in Monacho esse notabilis habitus, ita nec satis abiectus. Nam pratiosa vestis animum ad lasciuiam protrahit: nimis vilis, aut dolorem cordis pariet, aut morbum vana gloria contrahit.* Et *Hier. Epis. 2. ad Napolitanum. Vestes pullas aque vita, vt candidas. Ornata, & sordes pari modo fugienda, quia alterum delitias, alterum gloriam redolet.* Quod dictum *Hier.* intelligitur de nimis abiectis vestibus, & affectate sordidis, quæ singularitatem præsefeerunt, & ex inani gloria, & hypocrisi assumuntur.

8. Tandem inquit D. T. quod incultus habitus si seruatur ex auaritia, aut negligentia, ad vitium pertinet; causa enim mala, & mala intentio caeternam actionem vitiat, auaritia verò, aut negligentia mala causa est.

9. Cum verò his stantibus incultus habitus etiam in Religiosis possit esse bonus, & malus, per se absolute quid dicendum est? Respondet *D. T. opus. 19. cap. 8.* Vilitatem vestium per se loquendo commendabilem esse, vt pote, & pœnitentiæ, & humilitatis actum, quia vilitas habitus, vt habetur hic ad primum potius habet speciem boni, ideo per se Religiosis potius illa conuenit, sicut per se abstinentia, & ieiunium commendari debent: Sed per accidens vtrumque potest esse malum. Vt si ea prædictis perturbentur illi cum quibus nos socialiter vitam agere oportet: vel etiam si aliquis pœnitentiæ operibus ad inanem gloriam abutatur, sicut, & de oratione, & ieiunio, & de eleemosynis Dominus *Matt. 6.* docet Per se igitur incultus, & vilis debet esse vestitus Religiosorum, qui tamen ab hypocrisi longe esse debent, nec per sorditatem vestium inanem gloriam aucupari licet. Si verò inquiratur an habitus Religiosi debeat esse pauper? absolute dicendum est debere esse, cum Religiosi paupertatem voueant.

10. Sed qualis debeat esse Religiosorum habitus egregie ostendit Sanctus Basilius in Regula apud *Hugonem Menandum cap. 62. §. 4.* Quis est dignus, vel decens habitus Christiani? Resp. quoniam sermo in superioribus humilitatem necessariam docuit: ita vt qui vult religiose & piè viuere in omnibus, & simplicitatem, & humilitatem requirat, id est, ea quæ paruo sumptu adquiruntur: id obseruandum puto in corporalibus vsibus, per quod occasiones nobis maiorum occupationum minimè fiant. Hoc ergo etiam in obseruatione indumentorum custodiendum puto: Si enim studium nobis habendum est omnium esse minimos & omnium nos nouissimos certum est quia & indumentis omnium nos nouissimos reputare debemus. Nam sibi, qui gloriam ea indumentorum splendore conquirunt, rias agunt, quomodo pretiosis, & magnificie vestibus videantur induti; ita consequens est, eum, qui de vltimis, & nouissimis, id est, per nimiam humilitatem placere studet, eligere debere hoc, in quo omnium, & vltimus, & nouissimus appareat: sicut ille è contrario, id est, de summis, & pretiosis videri clarior, & nobilior vult. Si enim in publica cœna arguuntur Corinthij, quod per suam abundantiam confundant eos, qui non habent, certum est, quia, & in hoc communi, & simplici indumento, quod ad communem habitum, vel vsum pertinet, & si alter altero differat, habitus vel pretiosior inueniatur, confundimus non habentes. Sufficienter quoque etiam Apostolus huiuscemodi vsibus breui sermone regulam posuit dicens: *Habentes victum, & vestitum his contenti sumus.* Ostendens indumento solo, quo contegamur indigere nos; & non varietate aliqua vestis, & ornamento eius, & decore iactari. Quæ vtraque, postmodum introducta sunt humanæ vitæ artificije, & luxuriæ ingenio conquisita. Sed & primos ille indumenti vsus hæc eadem indicat: cum dicitur Dominum fecisse primis hominibus pellicias tunicas. Sufficiebat enim ad confusionem contegendam huiuscemodi indumenti vsus. Verùm quoniam nobis prospectum est indumentis etiam, & calefieri, & foueri, necessarium videtur, vt ad vtrumque vsus ipse temperetur, quo & operiri nuditas videatur, & vel vis frigoris, vel omne quod extrinsecus lædit, arceri. Sed quoniam in his ipsis alia quidem sunt meliora, alia inferiora, consequens est ea eligere, quæ vsum exhibeant longiorem: ita tamen, vt in nullo lædatur regula voluntariæ paupertatis, id est, ne eadem nobis sint vestimenta ad procedendum præparata, & alia ad vsum domesticum, & rursus alia ad aliud tempus, vel in nocte, & alia & in die: sed oportet illud ipsum tale esse indumentum, quod nobis sufficere possit ad omnia; vt & in die honestum videatur indumentum, & in nocte expleat necessitatem. Ex hoc enim fiet, vt & habitus noster communis, & similis atque vnius formæ sit omnium, & Christianum etiam visio ipsa designet. Ea enim quæ vno prospectu, ac proposito geruntur, similia, imò eadem in omnibus esse debent. Vtile autem est etiam ex ipsa proprietate vestis, & habitus intelligere vnumquemque, & professionē suam agnoscere in ea vita, qua secundum Deum viuit: vt sciat sibi etiam actus consimiles esse debere: & ad eos, qui nos vident, secundum habitum nostrum æquales etiam in actibus apparere debemus. Non enim similiter turpe est, in quolibet alio, si inhonestè quid agat, sicut in his, qui vitam sobriam etiā in ipso habitu profitentur. *Hæc Basilius.* In his verò cū plurima sint memoria digna, valdè necessario consideranda puto ea, quæ de vniformitate, communitate, & similitudine vestium commemorat, cum sine hac vniformitate, vt loco supracitato dicebat *S. Greg.* nec concordia, nec charitas in Monasterijs possit conseruari. Hæc verò concordia nedum ab illis qui cultiores velles; sed & ab illis, qui abiectiores diligunt offenditur.

11. Quod quidem eleganter admodum descripsit *Cassianus Institut. l. 1. cap. 3.* dicens. Vestis quoque sit monachi quæ corpus contegat tantum, ac repellat nuditatis verecundiam, & frigoris retundat iniuriam, non quæ se-

minaria

minaria vanitatis aut elationis gigneriat; ita eodē Apostolo prædicante: Habentes autem alimenta & operimenta, his contenti simus. Operimenta, inquiens, non vestimenta, vt in quibusdam Latinis exemplaribus non proprie continetur: id est, quæ corpus operiant tantum, non quæ amictus gratia blandiantur: ita vilia, vt nulla coloris vel habitus nouitate inter ceteros huius propositi viros habeantur insignia: ita à studiosis accurationibus aliena, vt nullis rursus sint affectatis per incuriam sordibus decolora: postremo sic ab huius mundi separentur ornatu, vt cultui seruorum Dei in omnibus communia perseuerent. Quidquid enim inter famulos Dei præsumitur ab vno vel paucis, nec catholice per omne corpus fraternitatis tenetur, aut superfluum, aut elatum est, & ob id noxium iudicandum est, magisq; speciem vanitatis, quam virtutis ostentans. Et idcirco hæc; quæ neque à veteribus sanctis, qui huius professionis fundamenta iacerunt, neque à patribus nostri temporis, qui eorum per successiones instituta nunc vsque custodiunt, tradita videmus exēpla, vt superflua & inutilia nos quoque resecare conuenict. Quamobrem cilicinam vestem, velut circumspectam cunctis atque notabilem, & quæ ex hoc ipso non solum nulla spiritui possit emolumenta conferre, sed etiam elationis concipere vanitatem, quæq; ad necessarij operis exercitium, in quo monachum semper impigrum expeditumq; oportet incedere, inhabilis atque inepta fit, omnimodis refutarunt.

12. Sed & vitanda singulatiraa illorum, qui præ alijs cultioribus vestibus vti volunt, à paupertate, & contemptu rerum temporalium quem profitentur longe alienis. Contra quos declamat *Sanctus Bernardus serm. 4. super missus est*, sic dicens de Monachis sui temporis.

Quid de ipso habitu dicam, in quo iam non calor, sed color requiritur, magisq; cultui vestium quàm virtutum insistitur? Pudet dicere, vincuntur in suo studio mulierculæ, quando à monachis precium affectatur in vestibus, non necessitas: nec saltem forma religionis retenta in habitu ornari, non armari appetunt milites Christi: qui dum se præparare ad prælium, & contra aereas potestates prætendere paupertatis insigne debuerant (quod vtiq; aduetsarij valdè formidant) in mollitie vestimentorum pacis potius præferentes iudicium, vltrò se hostibus sine sanguine tradunt inermes. Quibus similia habet *Serutbius in Reg. tex. 10. cap. 5.* prout etiam ponderat *Lezana in Reformat. Regul. cap. 16. §. 28.* vbi etiam eundem *Serutbium* lachrymantem inducit, sui temporis, & Religionis statum.

13. In respons. ad tertium *S. Augusti* ni documentum circa discernendum animum vtentis nouitate aliqua magis religiosa, & humili in habitu exteriori, aduertendum esse merito admonet, *Caietanus*. Huiusmodi enim nouitatis causa plerumque est ambitio, vel inanis gloria, Et ideo ex operibus sine periculo iudicij temerarij colligenda est sanctitas interior, vel malitia eius, qui nouitatem amat; Nam, & Dominus dixit à fructibus eorum cognoscetis eos.

14. Cum igitur ex hoc articulo habeatur Religiosis conuenire habitum vilem, & proportionatum ad statum pœnitentiæ, & contemptum mundanæ gloriæ significandum; Idò conuenienter quælibet religio proprium sibi habitum assumpsit, qui suo fini proportionatus esset, & perfectionem quam profitetur ostenderet.

15. Sed nunquid habitus exterior est de essentia Religiosi? Tenent enim aliqui de essentia Religionis non esse habere proprium habitum, & per consequens neq; ex differentia habitus exterioris colligi posse differentiam Religionum. Et ratio est, quia Societas Iesu est vera Religio, & tamen non habet habitum proprium, vt patet ex *p. 6. Constit. c. 2. num. 15.* vnde non mirum, si in dicta Religione permittatur aliqua differentia habitus inter Religiosos, & quidem laudabiliter ex iusta causa. Vnde ad vnitatem Religionis neq; requiritur vnitas habitus exterioris, quāuis alias talis vnitas sit signum vnitatis Religionis, & pro hac sētētia refertur *Sua. to. 4. de Rel. tr. 9. l. 1. c. 1. n. 1.*

16. Dicendum nihilominus est habitum exteriorem esse de essentia status religiosi prout status religiosus est Ecclesiasticus, & spectans ad visibilem pulchritudinem, & decorem Ecclesiæ. Ratio est, quia status Religionis est deputatio, seu conseciatio, per quam homines per votum solemne, consecrantur in Dei seruos perpetuos ad præscriptum alicuius regulæ. Et hoc totum debet visibiliter fieri, quia status religiosus, vt supra probatum est, pertinet ad Ecclesiam, vt est visibilis. Id ergo est de essentia status Religiosi, quod est de essentia visibilitatis eius, quia de eius essentia est visibilitas. Est verò considerandum, quod licet professio publica, & solemnis faciat vt status religiosus visibiliter assumatur, & in facie Ecclesiæ suscipiatur, non facit tamen vt status sit simpliciter visibilis, quia professio est actus transitus & qui non habetur in omnium præsentia, neque actiones, quæ Religiosis competunt ostendunt statum, quia tales sunt, quæ à secularibus fieri possunt vel ex deuotione, vel ex simplici voto.

17. Et quia nedum ad pulchritudinem Ecclesiæ visibilis pertinet status religiosus in communi, sed pertinet etiam religionum multitudo, & visibilis distinctio, quia multitudo confusa, & sine ordine, & distinctione est multitudo confusa, & pulchritudine destituta, idò ad distinguendas visibiliter religiones essentialiter requiritur habitus cuicunque religioni proprius. Quamuis ad hoc sufficiat quælibet, vel minima differentia, qualiter verò Religiosi Societatis habeant proprium habitum dictum est supra *q. 186. a. 8. n. 136. pag. 410.*

Completum de mense Maij 1663. ad laudem, & honorem Sanctissimæ Trinitatis fauentibus sua intercessione Sanctissima Deipara, S.P. Dominico, & Angelico Doctore S. Thoma Aquinate.



INDEX RERVM, QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

A

ACQVIESCENTIA.

ADMINISTRATOR.

ADVOCATVS, SEV PROCVRATOR.

AGRICVLTVRA.

ALCHYMIA.

AMENS.

ANIMVS.

APPELLATIO.

APPROBATIO.

ARBITER.

ARBITRIVM.

ARCHIPRESBYTER.

ARCHIVIVM.

ARGVMENTVM.

Regu-

CONCESSVM.

CONFESSARIVS MONIALIVM.

Et hu-

CONFESSARIVS REGVLARIS QVORVM CONFESSIONES POSSIT AVDIRE.

Et quid

Vbi

Vel fa-

In ha-

Fructus

Episco-

PRÆDICATOR.

PRÆIVDICIVM.

PRÆLATVS REGVLARIS.

PRÆSCRIPTIO.

PRÆSVMPTIO.

PRIVILEGIA.

PROCVRATOR.

PROHIBITVM.

PROMISSIO.

PROXENETA.

PVBERTAS.

PVELLA.

PVNITIO.

Q.

QVARTA EPISCOPALIS.

QVARTA PAROCHIALIS.

QVÆSTOR.

Quæ-

R.

RATIHABITIO.

REGVLARIS.

RELIGIOSVS.

RESERVATIO.

RESTITVTIO.

S.

SEDILE.

SEPVLTVRA.

FINIS.

Pag.	Num.	ERRATA	CORRIGE.
12.	48.	*Capus ipse*	*capus, scilicet, ipse*
	52.	*volenti*	*volenti*
16.	*In Sum. n.* 5.	*pœnitente*	*peccatore*
17.	70.	*dispositissimus*	*dispositissimus*
	73.	*abrenunciat at Diaboli*	*abrenunciat pompis Diaboli*
20.	86.	*decorus*	*decoratus*
27.	116.	*peccanti*	*peccasse*
		dubio si an	*dubio an*
35.	145.	*fuerint*	*fuissent*
37.	165.	*quippy quis*	*quippe quia*
65.	284.	*iurisdictionem datur*	*iurisdictionem habeat, si inter approbationem, & iurisdictionem datur*
	287.	*ab eo est ex*	*ab eo ex*
96.	432.	*& potest*	*non potest*
134.	577.	*non sic*	*& sic*
147.	622.	*peccata interna*	*reseruare peccata externa.*
		relaxetur voti	*relaxetur cessat voti*
169.	717.	*& spiritualis*	*& vtilitas spiritualis*
191.	812.	*tale inuenitur*	*tale non inuenitur.*
		patet	*patet*
202.	867.	*vniuersalis sunt*	*vniuersalis, si non sunt*
203.	868.	*professi sub*	*professi, quàm non professi sub*
272.	1106.	*Capitulo morem*	*Capitulo secundum morem*
		eos secundum quibus	*eos quibus*
321.	133.	*fideiubat*	*fideiubeat*
	134.	*fideiubas*	*fideiubeat*
337.	281.	*furtibus*	*furtis*
336.	254.	*decore, & non sordi ve de bonis*	*decore de bonis*
492.	531.	*pannibus*	*pannis*
586.	716.	*Christus aliam*	*Christus nullam aliam*
590.	731.	*delineata*	*effigiata*
599.	755.	*verti*	*pomi*
606. *in*	*Sum. n.* 25.	*deuotio*	*fructus*
622.	791.	*dimidatur*	*dimittatur*
628.	840.	*mille*	*millibus*
630.	845.	*infimoi*	*sacrificy*
645.	882.	*cum est*	*non est*
647.	891.	*datum*	*debitum*
660.	935.	*minus*	*minores*
678.	659.	*illi sunt*	*illi non sunt*
680.	997.	*Sacramentaliter*	*sacerdotaliter*
		alio	*alteri*
726.	*in Sum.*	*hebdomadis*	*hebdomadibus*
766.	1248.	*quas*	*quibus*
779.	1289.	*Ita recitandi*	*non recitando*
787.	4.	*celebrare*	*restituere*

Plura alia (amice Lector) inuenies errata, in quibus ex vnius, vel alterius litteræ falsitate vocum, vel numerus, vel casus, vel debita terminatio, & orthographia violatur, quæ ex te ipse cognoscere facillimè poteris, & fallaci impressionis conditioni pro tua humanitate digneberis condonare.